image
not
available

6
16-h
7
6
10 0
18

C. VALERII

CATVLLI,

ALBII TIBVLLI,

SEX. AVR. PROPERTII,

OPERA OMNIA QVÆ EXSTANT.

CVM VARIORVM DOCTORVM VIRORVM COMMENTARIIS, NOTIS, OBSERVATIONIBVS, Emendationibus, & Paraphrasibus: vnum in corpus magno studio congestis: quorum Catalogus pagina ab hinc octaua exhibetur.

CVM INDICE RERVM ET VERBORVM COPIOSISSIMO.

VIRTVS AD ASTRA PER ASPERA



LVTETIÆ,
Apud MARCVM ORRY, via Iacobæa, sub insigni Leonis salientis.

M. D. CVIII.

NON SINE REGIS PRIVILEGIO.

C. VALERII CATVLLI VITA, PET. CRINITO AVCTORE.

CAIVS Valerius Catullus Veronæ natus est, quo tempore Terentius Varro in Vrbe claruit. Quidam Crispum Sallustium Catullo supparem faciunt. A Catulli autem natalibus ad Pub. Vergilium paulò minus quàm duodeginti anni connumerantur, si quorundam annales sequimur. Quando & illud pro comperto habetur, carmen de passere Lesbiæ ad Vergilium fuisse missum:

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni.

Cæterùm non humili loco, aut obscuro natus est, siquidem eius parens, autore Suetonio, Iulij Cæsaris hospitio familiariter vsus est. Val. autem Catullus primò traditur à Mallio Romam deductus, cùm adhuc in tenera ætate ageret, Paulò mox ingenij facillitate, & doctrina adeò Romæ acceptus, atque ciuibus gratus fuit, vt Marci Tullij patrocinium meruerit: quod ipsum eleganti epigrammate ingenuè testatus est: quo gratias Ciceroni patrono egit:

Disertißimè Romuli nepotum
Quot sunt, quótque fuére Marce Tulli,
Quótque post aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit peßimus omnium poëta:
Tantò peßimus omnium Poëta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Mallium verò & eius nuptias magno studio celebrauit, cùm quo se excusat parum sibi licere veteres amores (vt anteà) decantare, quoniam fratrem amiserit: Ex cuius interitu studium inquit suum scribendi carminis se abiecisse. Sic enim ad Mallium,

Sed tibi ne mea sint ignota incommoda Malli
Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe quàm mersev fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius à misero dona beata petas.

Tempore quo primùm vestis mihi tradita pura est,
Iucundum cùm ætas florida ver ageret:
Multa satis lusi, non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit: heu misero frater adempte mihi.
Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater.
Tecum vna tota est nostra sepulta domus.

Inter cæteros amicos Furium & Aurelium magnopere dilexit, Cinnam quoque, Cornificium, Fabullum, & Verannium, quem alicubi Veranniolum blanditer appellat. Puellam præterea Ipsitillam conciuem suam, & Clodiam amauit, quam ficto nomine Lesbiam dicit. Sicuti Madaurensis Apuleius testatur in oratione ad Claudium Maximum. Eruditorum consensu docti cognomen accepit: ita enim peculiari epitheto Catullus censetur. Atque hunc quidem Ouidius Vergilianæ maiestati opponit: Tantum nominis apud eruditos, ac laudis est consequutus. Sed & versus ipsius, quanquàm vt duriusculi notantur, (quod vterque Plinius asserit) tamen perelegantes habiti sunt, ac sectatores complures in his inuenit: sicuti Pompeium, Saturnium, & Sentium Augurem, qui Catulli epigrammata, ac Licinij mira diligentia ac studio sunt æmulati: vt alias diximus. Val. Martialis Catullum sibiipsi audacter præponit. Sic enim ad Macrum:

Nec multos mihi præferas poëtas,
Vno sed tibi sim minor Catullo.

Opus suum ad Cor. Nepotem misit, virum doctrina & rerum cognitione egregium. Diuiditur autem in libros tres, vt Primus Lyricos, Secundus Elegiacos, Tertius Epigrammata contineat. Ad hunc enim modum ordinem fere meliorem custodiemus. Elegiam de coma Berenices ex poëta Callimacho in Latinos numeros conuertit, eámque ad Ortalum amicum misit, quæ in Elegiarum adhuc libro legitur. Idem Valer. Catullus à Fabio Quintiliano & Diomede inter Iambicos reponitur, ab aliis inter Lyricos. In Atticis noctibus vt poëta elegantissimus ac venustissimus à Gellio laudatur. Neque illud omittendum est, fuisse ab ipso Catullo alia complura composita, quæ vitio longæ vetustatis desiderantur. C. autem Plinius libro historiæ naturalis XXXVIII. ad Cæsarem Vespasianum (cùm de magia disserit) amatorium de incantamentis carmen à Catullo editum refert. Hinc Theocriti, inquit, apud Græcos, Catulli apud nos, proximéque Vergilij incantamentorum amatoria imitatio. Sed carmen Ithyphallicum scripsit, vt est optimus testis Maurus Terentianus ad Nouatemum, qui hos Catulli versiculos citat:

Et fermè modus hic datur à plerisque Priapo,
Inter quos cecinit carmen quoque tale Catullus,
Hunc tibi lucum dedico, consecróque Priape.
Nam te præcipuè in suis vrbibus colit ora
Hellespontiaca, cæteris ostreosior oris.

Cæsarem maximè Iulium, Mamurram, & Nonium Strumam Iambicis nominatim proscidit ex veterũ consuetudine: vt C. Lucullus Iambicorum

autor, Luciliúsque & Næuius. Qua in re dignum illud memoria est, quod ipse Cæsar cum perpetua sibi stigmata (vt ait Suetonius) imposita videret ex Catulliano carmine de Mamurra, eadem tamen die Poëtam ipsum cœnæ adhibuit, simúlque hospitio suo non secus atque antea vti eum permisit. Mortuus Romæ est iuuenili admodum ætate, cùm annum circiter trigesimum ageret, vt quidam putarunt, quo tempore Publius Vergilius in vrbe Cremona studiis operam daret. Vulgatum quoque de Valerio Catullo illud:

Tantum parua suo debet Verona Catullo,
Quantum magna suo Mantua Vergilio,

ALBII TIBVLLI
VITA EOD. AVCT.

LBIVS Tibullus Romæ (vt creditur) natus, Hirtio & Pansa Coss. qui annus etiam Nasonis poëtæ natalibus insignis fuit. Nam vterque consul cùm ad liberandum Brutum apud Mutinam mitteretur, fugato Antonio occisus est. Parentes habuit ex equestri ordine bello & pace satis illustres. Is autem Tibullus, quòd ingenio facili, & egregia forma foret, nobiliores ciuitatis sibi conciliauit: in quorum numero fuit Messala Coruinus qui mira diligentia & assiduis officiis poëtam Tibullum fouit. Quocirca sui studiosum vocat eum Tibullus, & insigni carmine laudes eiusdem ac virtutem celebrauit. Neque illud ignoratur, cum in eiusdem Messalæ comitatu in prouinciam Phæacum pergeret, in aduersam valetudinem incidisse. Ex quo tali carmine fidem suam, atque fortunam, voluit posteris commendari:

Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus:
Messalam terra, dum sequitúrque mari.

Horatium Flaccum, & Macrum poëtam, qui de herbis libros conscripsit, familiariter dilexit: eúmque hortatur vt relictis castris, & militia, ad amores, & Veneres redeat. Albius enim Tibullus in amoribus & deliciis (vt apparet) paulò procliuior fuit, vt qui Marathum & Cherynthum pueros maximo affectu dilexit: sicuti Deliam, Sulpitiam, Neæram, & Nemesim: de cuius forma & moribus frequens in veterum libris mentio est. Vnde illud notum:

Vßit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tuta iuuit quem nihil esse domo.

Sed & L. Apuleius, quo loco de amoribus disserit apud Claudium Maximum Proconsulem, fictum Deliæ nomen à Poëta Tibullo refert, cum

Plautia vocaretur. Flaccus Horatius liberè illum hortatur amicitiæ nomine, vt forti animo, & constanti immitis Glyceræ fastum atque insolentiam perferat: tum aliorum exemplis discat, quanta sit in sequendis amoribus varietas. In scribendo autem carmine Cassio Parmensi eundem præponit: quo loco suorum sermonum iudicem facit, bonáque animi & corporis illi adscribit:

Albi nostrorum sermonum candide iudex,
Non tu corpus eras sine pectore: dij tibi formam,
Dij tibi diuitias dederant, artémque fruendi.
Quid voueat dulci nutricula maius alumno,
Quam sapere & fari poßit, quæ sentiat: & cui
Gratia, fama, valetudo, contingat abundè,
Et mundus victus non deficiente crumena?

Is verò Tibullus in carmine ad Messalam copiosè ostendit parum sibi licere in otio versari, & Musis pro animi arbitrio incumbere, quòd aduersantis fortunę iniquitas nimium illi obfuisset: & cùm satis illi opes florerent, conditione temporum factum est, vt ad paupertatem redigeretur.

Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci,
Horrea fœcundis indeficientia mensis:
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupóque:
Nunc desiderium superest.

Idem Tibullus libros quatuor Elegiarum, siue Amorum composuit: in quibus facilè probatur, quàm elegans, & candidum sit eius carmen: vt eiusmodi caloribus describendis Latinos omnes videatur superasse, cum affectibus exprimendis, tum elegantia, & suauitate ingenij. Quod ipsum etiam Fabius Quintilianus ad Marcellum Victorium refert, cùm poëtam Tibullum & elegantem in primis, ac tersum existimarit: obiit autem cùm adhuc iunior esset, neque sine maximo mœrore Ouidij poëtæ, quod ille testatus est longo carmine: in quo probatur, quanta literarum iactura Tibullus occiderit: Eóque molestior fuit eius interitus quò immaturior visus est. In funere illius & parens, & soror præstiterunt pietatis officium: quod & Nemesis, & Delia pari animo fecerunt, sicuti ab Ouidio refertur. Vulgatum illud est de elegantia & carmine Tibulli:

Donec erunt ignes, arcúsque Cupidinis arma:
Discentur numeri culte Tibulle tui.

SEXT. AVR. PROPERTII,
VITA EOD. AVCT.

SEXT. Aurelius Propertius ex Meuania oppido oriundus, quod in Vmbria est, vt ipse autor copiose testatur: quo loco Vmbriam Romani Callimachi patriã vocat:

Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris:
Vmbria Romani patria Callimachi.

Sunt qui scribant, eius patrem equestri dignitate ornatum, ac triumuirali potestate fuisse: tum inter eos connumeratum, qui L. Antonium secuti, Perusia capta, ex Octauij Cæs. autoritate ad Aram Diui Iulij perducti, ibidem occisi fuerunt. Illud omnino constat, Aurelium hunc Propertium magna ex parte amissis bonis Romam se recepisse, cùm patrem suum in tenera adhuc ætate amisisset: quod illis versibus apparet:

Aspice me cui parua domus, fortuna relicta est:
Nullus & antiquo Mare triumphus aui.
Et alibi clarius:
Ossáque legisti: non illa ætate legenda
Patris: & in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua cùm multi versarent rura iuuenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox vbi bulla rudi demissa est aurea collo
Martis, & ante Deos libera sumpta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

In vrbe autem nominis celebritatem breui adeptus est, cùm summa ingenij comitate, tum elegantia carminum. Mecœnati & Corn. Gallo maximè acceptus fuit: quòd vterque poëtæ studiis & doctrinæ pro similitudine professionis fauerent. Ouidium quoque, Tibullum & Bassum inter principes amicos coluit, ad quos de suis caloribus & puellæ ingenio sæpius scribendis Elegiis eruditum habuisse inter suos maiores Propertium: eáque ratione Gentile, inquit, est hoc in Passieno, qui ex eodem quoque municipio est, quo Propertius. Vnde maximum studium Passieno fuit, calores Propertij, atque ingenium suo carmine exprimere. Cùm in elegiis (vt inquit Plinius) foret egregius, atque præcipuus Propertius, libros quatuor Elegiarum composuit: in quibus ferè suos calores, & Hostiæ laudem, ac formam celebrat. Nam in puellam Hostiam miro quidem affectu exarsit: quam muta-

to nomine (vt est autor L. Apuleius) Cynthiam appellare maluit. Hinc Apollinaris Sidonius ad Hesperium scribit: Meminisse debes, quòd sæpe versum Corinna cum suo Nasone compleuit, Lesbia cum Catullo, Cesenna cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo. Callimachum præcipuè Cyreneum Mimnermum & Philetam Græcos poëtas in carmine secutus est, quorum manibus comitem se profitetur. Nam vt illi apud Græcos in Elegia, consensu omnium, longè præstiterunt: ita Propertius apud Latinos eorum imitatione primas videtur quorundam iudicio consecutus. Fabius Quintilianus censor in literis acerrimus, cùm Tibullum maximè commendauerit, non deesse tamen inquit, qui Propertium malint: Cùm sit Ouidius lasciuior, Gallus in Elegia durior. Ouidius certè cum sæpe de ipso Propertio agat, blandum, tenerum, ac dulcem appellat, multúmque illius carmini semper concessit, & recensenti sua carmina auditor affuit:

Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes,
Iure sodalitij qui mihi iunctus erat.

Sed & Val. Martialis Propertij ingenio & amoribus plurimum tribuit, vt eo maximè loco probauit, quo Galli Lycorin, Tibulli Nemesim, Lesbiam Catulli celebrat. Sic enim ait in Apophoretis:

Cynthia facundi carmen iuuenile Properti
Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

De obitu eius parum compertum est. Quidam scripserunt illum periisse annos alterum & LX. natum. Fuisse alterum Propertium Fulgentius ostendit, qui in libro ad Calcidium de prisco sermone, & verba hæc ex Propertio refert. Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.

COMMENTATORVM ET INTERPRETVM CATVLLI, TIBVLLI, ET PROPERTII

Catalogus.

Antonius Parthenius
Palladius Fuscus.
Philippus Beroaldus Bononiensis.
Bernardinus Cyllænius Veronensis.
Hieronimus Auantius.
Constantinus Landus Complani Comes.
Franciscus Robortellus.
Achilles Statius Lusitanus.
Ioannes Annius.
Marc. Ant. Muretus.
Iof. Scaliger. Iul. Cæsaris filius.
Iustus Lipsius.
Ianus Dousa Pater.
Ianus Dousa filius.
Henricus Stephanus.
Q. Septimius Florens Christianus.
Fed. Morellus.
Theodorus Marcilius.

INDEX RERVM AC VERBORVM

QVÆ IN HIS CATVLLI, TIBVLLI, AC Propertii Poeticis, & in ea Commentariis, Vtilia maximè visa sunt, & è quibus aliquid lector expiscari queat.

Porrò animaduertes idem lector in hac editione operarum errore commissum esse vt paginæ 453. 454. 455. 456. Item 511. 512. bis notentur. Itaque in posterioribus paginis quæ notatione digna reperimus asterisco indicauimus.

A

A Auferendi casus. 163.c. A, interiectio sine aspiratione. 47.b. A, pro ah. 439.e 484.a, 485.c.d.
Abactor armenti Cacus. 852.e.
Abducere. 672. d. abducere noctes. 599.d
Abies fatalis 793.b.c
abiungere equos 669.d
abiugassere, idem.ibid.
ablatiuus pro datiuo. 612. d. ablatiuus absolutus non vulgariter positus 715.d.e
abluere comas expiandi causa 820.e.a
abnueunt, in tertia plur. 516.d
absentes magis desideramus 708 b
absentia longa minuit amicitiam 777.b
abstinere manus 412.d
acantis. 827.c
acanthus 744.c
acceptum face. 98. c.b. acceptum referre. 74.c 75.a
achæmeniæ sagittæ 655.a
achæmenii. 355.c
achelous. 711.a. Eius cū Hercule certamen. ib.
achilles inuentor Achilleæ herbæ qua Telephum sanauit, adhibita eadem cuspide qua eum vulnerauerat 627.b
achilles Patroclum reducere promisit, quod non præstitit. 626.d
achillis mors 647.c
achillis sepulchrum, 244.c. Tumulus. 657.c. Parentatio ipsius vmbræ. ibid.d
[illegible] 106.d
acies lunata. 832.c. quadrata. 550.d
aciei instruendæ tria genera. 553.a
aconitus. 780.c
acta. 549.c
actæon. 761.a.c
actiaca victoria. 753.e.a.b. 754.c.a
actiaci prælii descriptio 829.d.e. 830 833.
acme. 108.b
acris flamma, oculus 439.e
acron aduersus Romulum 856.c
ad, pro apud 12.a.e
ad cœlum vocare. 23.d
ad se. 262.c
adamantis vis indomita. 750.c
adamantis duritia 861.b
addictus 750.c.a
adest, pro est. 431.e. 560.a
adiuuato, antiquè pro addito 87.a
adloqui, pro consolari. 103.d.e
admetus. 486.c
admittere, verbum augurale 425.d
admittere equum, aquas 426.d
adoneus. 79.b.c
adonis. 657. d. De quo mentio in sacris libris. ibid.
adorationis duo signa 694.a.b
adria. 15.e. 96.d
adriaticum mare. 585.e
admoneo, gaudens genitiuo. 429.c
adrastus. 711.d
adsitus. 147.e
aduerbia desinentia in *iter* Ennio familiaria. 105.e
aduerbia in *iter* non vulgaria. 214.a.b
adulatoria verba, mea lux. 557. d. 565. d. gaudia mea, amores mei. 562. b. curarum requis. 566.c. mea vita. 577.b
adulta vbera. 56.a
aduocati calumniatores & vænales. 520.c.a
Æaci iurisdictio 673.c.d
Ææa puella: Circe 757.e
ædes Veneris Erycinæ. 659.c
ædes veteres ligneæ 463.c
ædificare casas: puerilis ludicri genus. 474.b
ædificia Græci in partes duas distribuebant. 172.a.b
æeta. 236.d
ægeriæ fons 781.b
ægeum mare. 585.d
ægypti fœcunditas 445.e
ægyptii culicibus infestati. 755. c. & pediculis. ibid.
ægyptii piscium vsum in rebus illicitis ponunt. 449.c.a
ægyptiorum mores 751.c. 752.a
æmathia. 244.b. 252.a

Æmilia virgo Vestalis quæ ignem sacrum extinctum mirabiliter suscitauit. 865.b
Æmulatio, in laude & vitio 710.b
Æneas Veneris & Anchisæ filius. 495.a. Post mortem Iupiter indiges nominatus ib.d
Æolium plectrum 632.c
Æolus 541.d
Æquor terræ 18.a
Aer quid. 333.b. aer viridis aspectus. 692.e. aer pēnatus in Scythia. 632. c. aeris mutatio causa morbi 656.e.657.a
aerius, pro celesti 301.a
Æs 31.a. Corinthium. 828.a.b.
Æris sonitu credebant veteres, impediri magicorum carminum sonum ne ad lunam perueniret 455.e.a.453.d.*
Æschylus 712.c
Æsculapius. 827.e. Cur Epidaurius dictus. ib.a
Æsculapii interitus 481.b
Æstuare 67.c.68 d
Ætas aurea 410.c.d.e.413.e.414.a.b.c
Ætas carpitur. 323.c.d.
Ætas fugit 894.a.402.b
Ætati inseruiendum 390.c
Ætate vtendum 456.c
Æternum, aduerb. 500.a
Æther 540.b
Æther nocte genitus 475.d
Ætheris appellatione οὐρανοῦ καὶ ἀστρῶν ὕλη cōprehenditur. ibid.
αἰθέρος πάντα. 475.a
Æthiopes bipartiti 192.a
Æthiopes cur nigri 483.b.c
Ætna 321.e.a.548.c
Æuum. 1.col.2.& 2.a.&.4.e
affectus 692.a
afore 297.a
africa 483.a
africa quæ propriè appellare debet 120.a
aganippe 146.e.152.e.632.e
agere 107.c.
agere animam 454.b
agere: impellere 452.b
agere ante, idem 404.c.d
agitatores in ludis Circensibus 684.b
agminum militarium tria genera 533.a
agnati & gentiles curam habebant mente captorum 108.c.d
agrorum fœnus 506.b
ai, pro æ. 216.a
aiax, qui Cassandram deuirginauit 796.d
alba. 793.d.446.b. Vnde habeat nomen 448.d
alba longa 496.c
albani Reges 722.b
albanus lacus 781.a
albus æther, albæ luces, sol albus &c. 210.b
alceste 641.b
alcestis ob amorem commendata 486.c
alcides 559.b.681.a
alcides cur Hercules dictus 853.d
alcinoi horti 720.c.d
alcinoi regis opulentia & magnificentia. 604.b
alcmeon 605.e
alcmeon matricida 751.a
alcyones 66.e.610 d.e.611.a.b
alexander seuerus in larario habuit effigies Abrahami & Christi 815.b
alfenus Varus Iurisc. 85.c
alid, siue Alit, pro Aliud 79.b.81.a
alis, pro alius 299.d.304.c
alisequus ventus 296.a
alite bona, pro bono auspicio. 146.b.156.b.174.e.175.a.b
allegoria 717.a
allieni familia Romana 329.a
allucitæ 755.d
Almanac. 784.c
alnus. 50.a.51 d.e
alpes. 36.e
alphesiboea 605.e.606.a.d
alphesiboeas puellas olim vocabant bene dotatas ibid.e
alter remus aquas, alter tibi radat arenas. 722.a 725.b. Prouerbium.
altera auis 107.d
altera manu fert lapidem, altera panem ostentat. 593.b
althæa. 781.b
altus Oceanus 290.a
alueus. 471.b. pro nauigiolo. 737.b
alueolus. ibid.
aluminus pro eo qui alit. 802.a
amalthea 539.e
amans peritus suo malo 453.b.*
amans verè amans omnia intrepidè aggreditur. 400.a.b
Omnis amans est seruus. 582.c. Verè amantis mulieris signa 741.c.d.e.742.a
amantis exemplum qui amicæ voluit esse superstes. 645.a
amantes pallidi. 176.a. cur? 584.e. cur frigent, & horrent. 584.c.d
amantes noctu ante ostia dominarum. 400.c
amantibus nulli insidiantur 402.e
amantum mos spargendi mero & ornandi floribus amicarum fores 405.d
amantes inter se notis & nutibus colloquentes. 402.b.c.406.a. vbiq; sacri & inuiolabiles. d. Lunam precari soliti. 450.e poetis cōparati. 653.e. rarò ad senium perueniunt concordes in amore. 458.b. amicarum nomina scribebāt in arborum corticibus. 614.b.c. exclusi fores effringunt. 458.c
amantum poena est, vt sint vulgi fabula. 484.c 488.b
amantium color est pallor 455.e
amantes repulsi currunt ad lachrymas. 454.a.c
amantum basia comparata columbis: & complexus hederæ atque conchis. 661.e
amantum domus redimitæ floribus & sertis. 203.e.204.a
amantium animi incertiores fluctibus marinis. 658.e.a
amantium ira breuis. 414.e.a.464.e
amara curarum. 322.c.d
amarius elleboro 367.e
amare & odisse simul 355.c.a
amare & bene velle in quo differant. ibid.c.

amare duas simul, ars ad domandam puellarum superbiam 356.a
amaracus 145.b.151.e.Veneri sacer.156.a.159.d.e.
amaranthus 519.c.d.521.e
amasis rex cum vxore concumbere non poterat. 734.c
amastris 14.c.15.c
amathus 95.c
amati supra modum 126.b
amator nouus succum habet & suauitatem. 664.c. amator latens in cœnosa parte domus 678.c.2.
amatoria militia 504.d
amazones dextram mamillam vrebant 815.a
amazones vni-mammæ 822.d
ambaruale sacrificium 389.c.467.472.d.476.a
ambitiosus Sisypho comparatus 666.e.667.a
ambraciotæ 599.b
ambrosia 367.d
ambrosiam pro osculo ib.e
ameria Propertii patria 800.a.b
amica domina 480.a
Dolor ex absentia amicæ ibid.a.b.c.d. Quomodo cum amica loqui & sese gerere oporteat 594.b.c.d
amicitia minuitur absentia 777.b
amicitiæ ac beneuolentiæ verba 435.d
amicitiæ constantissimè retinendæ 673.a
amicitiæ exempla 626.a.b
amictus fluitans 256,d
amiculus 83.b
amithao 634.b
amnis pro Oceano 521. e.523.c
amnes sonantes 90.e
amœbeum carmen 159.c
amomum 477.d
amomum Assyrium 320.d
amor Deus pacis 728.c
amor sui 61.b.c.d
amor Deorum fortissimus 422.e
amoris vis in magnos duces 665.c.d
amor cuncta superat 606.a
amor Iasonis & Hypsipyles. ibid. b. Euadnes. ibid. e
amor quibus artibus concilietur 433.d. pretio non æstimandus, 456.c.*.edax. 356.a. b.eò grauior quò tardior. 587. e. ignis est.768.d. in cor descendere dicitur. 126. a. dat ingenium Poetæ.623. b. venenū occultum 652.e fluctibus ac tempestati similis 653.b
amor sine fructu amoris durum supplicium. 776.e. primùm arridet, mox allidit. 593.b Leuamentum in amore posse dicere quo amore pereas. 593.d.594. b.habitat in animo molli ac miti. 572. c. amor formæ quam vim habeat.ibid. d. plus iuuat in quo plus aloes, quàm mellis. 742.c. melle & felle fœcundissimus 489.b. non est medicabilis herbis. 481.c. incantationibus sanari non potest. 636.d.e. amor & odium erga eandem. 349.e
amor,pro amante 714.c.a
amor verus nec semen spernit amatoré. 667.b
amor mutuus. 118.a. altus amor. 325.d. vetus. 490.d.vagus. 601.c bonus.158.d.& impurus 162.c.insanus in taurum. 703. e.704.a vxoris. 486.c. coniugalis Laodamiæ. 317.a alcestes. 641.b. amoris vitia. 8.e.495.c. amoris impatientia Tarpeia Vestalis prodidit arcem Sabinis. 820. 821. 822. sic Ariadne fratrem Minotaurum. ibid. e. amoris propria. 652. b.c. 653. a. amor fœminarum maximus. 328.c.amoris flamma 324.a
amoris feminei inconstantia. 332. d. 333.a.b.c.
amoris seruitutis durior Eurysteo, tauro Phalaridis,Gorgone,aquila Promethei 684.c
amoris cruciatus 428.d
amoris rota 416.b.429.d.432.a.644.e
amor omnis vincitur pretio 429.b
amoris remedium. 506.b. amoris sinistra, dextra est mortalibus. 116. b. amori Deus contrari' Anteros.672.a.c.mores furtiui.25.c.26. c.a. amores alios suspirare. 440. d. amores nemini committendi. 710.c.d.amores ludere seros.433.b.amorum fructus carpere 196.a
amphiaraus. 664. e. amphiarai fatum. 761.a. 711. e. 712. a. amphion & zethus. 765.d.e.
amphionis lyra 593.c.d
amphitapæ 565.a
Ἀμφιθαλῆς. 7.b
amphytrite rudis 236.e.246.d.254.
amymone. 688.b. Fons amymone. ibid.c
anacephaleosis 864.d
anadiplosis 202.b
anastrophe 30.e.340.c
anchora gemina 677.b.c
ancilla quasillaria 564.e
ancillæ pro vxore 429.a
ancillulæ delicium nominatæ 843.d
ancon 95.c.96.a
androgeus 247.e
androgeus 627.d.e
androgynus 352.d.e
andromache captiua 672.d
andromeda 580.c
andrones 172.c.a
angelicum carmen 49.e.50.d.52.c.53.a
angiportus 139.c.e.140.b
anguis in fœm.gen.455.c.d.anguis cur Æsculapio dicatus 734.d.
anhelatio crebra in muliere quid significet. 695.c
aniene,in vocandi casu. 841,d
anilitas.185.e. ab annuendo.153.e. animæ corporum insepultorum centum annos errant. 462.d. animæ nullus sensus restat post mortem : ex quorundam opinione. 712. b. animam tradere 83.d
animorum in corpora transmigratio post mortem, 548.c
aniò 617.a.b,780.e
anitas 186.b
annales. 95. d. annales Volusi. 359.d.annales & Chronica quid differant. 7. c. annales ab historia quid differant 717.d
annuere verbum conueniens senibus tremulis. 288.d
annus Dei, pro solari. 475.d. annus vertens. 802.c
annus frigidus 565.e

annus agit signa lucida, certa vice 422.c.a
anni diuisio varia, & partes 730.d
ansa 452.b.454.c
ansa calciamentorum 453.d.*
ansula 454.c
anser poëta malus 713.a
anseris medulla mollior 67.e
anseres in honore Romæ 723.d
anteros Deus amori contrarius. 572.c
anteria, vnica dictione 439.c
antichthones 546.c.d
Antigone ob sepultum fratrem iugulata.645 a
antilochus 657.b.c
antimachus 359.b.c.361.c.712.c
antinous 824.a
antiopa 582 a.b.765.a.b
antiphates 542.b
antipodes 546.c.d.e
antiptosis 387.c.562.e.591.c.a.612.d
antiquitas veneranda 392.b.c
antistes 29.a.c
antithalamus 172.a
antitheton 751.e
antonius librū de sua ebrietate cōposuit 753.b
antonius ob stuprum Cleopatræ Romanum promittit imperium. 751.d.e. M. antonii mollis pugna apud actiacum 832.c.d.e.833
antonomasia 316.b
antra musarum plurima 717.d
anubis 752.a.b
anus magicis ministeriis aptæ 404.b.e.a.
anus magicarum artium studiosæ. 455.a.b.c.
anus aurea 439.b.440.b
aonia.146.c. aonii specus 152 e.1.160.e
aoniæ musæ cur dicantur 578.b
aorion 291.a
apeliota, ventus 70.c.e
apeliotes 687.a
apelles pingebat sine fuco 598.a
apellis Venus 744.a
apere 74.b
apex 74.b
aphæresis 75.b
apis, & Apes 470.c.471.a
apisci 258.a
apollo cur Deus familiæ Cæsarum 349.d. pro Augusto stetit Actiaco bello, sicut pro Agamemnone quondam 832.d.e,833.a.b.c
apollo Admeti seruus. 486.a.b.c. cur Lycius appellatus. 719.a.b. apollo chrysocomos. 760.e. Leucadius, qui & Actius. 754.c.a apollinis togati statua, 699.c. apollinis elegantia tam forma quam habitu descripta. 517.b.c.d.e. apollinis palatini ædes.790.a, b 797.a. templum. 832.a. apollo Actius.16.c. apollinis potestates variæ.494.c. Hic Saturno fugato cecinit laudes Ioui. 491.c.494.e. apollines quatuor. 489.c
aposiopesis 643.c
apostrophe. 80.b.149.b.153.c.248.e.291.c.388.a.455.a.504.c.613.e.727.b.742.d.776.b.780.e 861.b.863.c.
appellare mortuos non responsuros magnum solatium 370.c.371.a
appetens 10.a
appia via 702.a
applusus 477.a
aptus 74.b
apta, pro aptata 458.c
aqua sobrius Deus 439.c
aqua pallida Ditis.510.c.511.a.e. aqua, pro vrina 817.c.d.e
aqua virilis.16.e.aquâ somnum discutere.747.a.748.e.aqua Clitumni fluuii boues cādidos facit.781.a. aqua Martia.781.ib.720.e. aqua & ignis in nuptiis præferri solita.146.a. aqua hæret cōtra frustra conantem.332. aquâ marina crimina expiata.352.d.e.353.a.c. aquâ abluebant qui osculum nolentes acceperant. 568.a. aquam in galea bibebant milites 756.c.aquæ calidæ 526.a. aquarum ductus Romæ nouem 702.b
aquarius 291.a.b
aquila Romanis à Mario dicata 715.a.c
aquilo ventorum saluberrimus: qui sudificus. 638.c.639.a. aquilo prosperitatem significat 390.a
aquinus Poeta 43.b.45.c
aquitani 445.c
ara ieiuna 324.c
arabia 35.e
arabia triplex 651.a.terra diues.477.d.479.b.c
arabs tener ibid.
arabes molles.36.a.c.arabes Augusti nomine tremunt 650.c
aractei campi 554.c
arar 443.c.450.b
aratri primus inuentor 445.c.a
araxes flu. 545.b
arbores voluptuariæ non deiiciendæ.160.b.c arbores quo ordine plantandæ 768.d.e arbores felices & infelices quæ 95.a.98.a
arca 63.b
arcanum amici tanquam depositum serua 371.c arcani celandi difficultas 745.c. arcani proditor Tantalus 411.d.415.a.
arcus cœli quid denunciet 420.b. Vide Iris.
arcus, masc. & fœmin. 6.c
Ἀρχαϊσμὸς. 54.c.346.d.375.a.440.c.441.e.670.b
architas.794.c. Eius columba lignea. ibid.
arctoi duæ 692.b
arenæ libycæ 24.d.25.b
arethusa 545.c
arganthoneus mons 619.d.e
argennus, siue Argynus.737.c.d.738.c.739.d.c. 740.a
argilla. 389.e.lubrica terra.482.e
argo nauis. 236.a.265.c.d.e.780.b.vnde dicta. 246.a.argonautæ. 617.c. argonautarum historia 236.a.b
argumenta 746.c
argus 274.b.580.c
argutare, & Argutari 586.a
argutatio 22.c.d.23.a
argutus 614.b
ariadne 23-.b.c.580.a. Cur Gnosia dicta ib.b
ariadnes pulchritudo cum Eurota fluuio comparata.248.e.ariadnæ duæ.261. Propter ariadnen minutatus à Baccho Theseus. 241.c
arces Palladi sacræ 236.b

aricinum nemus 702. b
aridum 2. c
aries cur dicatur missus 471. e
aries, machina bellica 857. a. eius inuentor. ib. Vnde ficaries appellatus b.
arion equus miræ pernicitatis 711. d
arionia lyra 687. a, b
arma, virumque cano principium Æneidos Virgilianæ 715. d. in armorum inuentores. 460. a, b, c463. d, e
arma prisca sine arte, & recentiorum luxus 791. a, b
arma veteranorum laribus rude donatorum, Herculi dicata. 683. c, d, e
arma eloquentiæ & legum 778. e, e
arma, pro viribus 580. b. 581. e, a
armi & vlnæ pro eodem 773. c
armenia 429. b
arpi 359. a
arretius flu. 562. e
artius Prætor 349. c
arrius per duplex RR. & Aria per R. simplex ibid. d
arsieno 289. d, e. veneris nomen 296. b, c. & vrbis 299. d
arracia 551. c
artemis 702. b
artoxerxes. i. magnus bellator 614. c
arundo arboris nomine continetur ib. arundines Indici 690. b. e
aruorum sacerdotes 468. e
arupinus pauper 553. d, e
aruspices 741. c. 742. a. aruspicina mendax, & aruspices vanidici 796. b, c. aruspicinæ artis repertores Thusci 518. b
as 87. e
ascanius 496. c, d
ascanij fluuij duo: & Ascania regio 614. d
ascanius lacus 619. b
ascea 651. b
ascræus poeta 713. d
asiæ vrbes quatuor præcipuæ 120. e
asium pratum 175. d. 185. c
asopus 765. c
assa 24. d
assentatores vulturiis similes 325. c
assequi 595. c
assiduitas 417. e. 419. e. a. 422. c. d. 425. e. a. e
assitus 184. a
assyria 409. a. b. diues 511. c. *
assyrium oliuum 21. e. 22. d. c
asterius 247. b. c. astra noctis oculi 26. c
astrorum genitor sol, mater nox 474. c. d
astrorum cursum à vi motuque solis pendere quorundam opinio 476. a. b
astragali 211. c. d. 680. c
astrologiæ *inuentores Babylonij* 794. d. e
in pseudoastrologos qui pretiò corrupti siderum scienciam ementiuntur 795. a. c
astrologorum scientia vana 689. b
astrologiæ origo ibid.
at, particula inceptiua 689. b. malè precantibus conueniens 13 e
atalanta puella 8. d. 9. a. 10. c. 572. e. 573. a
atalantæ duæ 574. a. b. c, d. c. 576. a
atax 443. a
athamanes populi 832. b
athamantides vndæ 618. c
athos 288. a. b. c. 292. c. 301. b
athenæ à Palladis nomine dictæ 241. a. athenarum conditor 239. b. 248. c. 249. b
athenæ doctæ 776. b. 777. a
athenis portus duo ibi. e
athenis concilium x i i. vrbium à Theseo institutum 778. b
athenis hortos primus instituit Epicurus 778. c
atrax 359. e. d589. d
atracij 591. e. attacia 542. c
atterere manus operi 423. c
attractis pedibus i. diductis 48. a
atys & Cybeles fabula 201. c. d. e. 213. e. 215. a
auaritia notata, & auarorum calamitas 760. c. d. 761. a
auaritiæ crudelitas comes est 736. d. Pœtus per auaritiam subuersus ib.
auctus, pro præditus 259. b
audacter & audaciter 134. c
audendum 400. a. 402. e. a
auere & saluere iubebant sepultos olim 370. c
auerruncare 520. e
auertere 265. c
augurium 494. a
auguria à sinistra 116. d. auguror 479. e
augur verior Dodonâ 674 b
augustus Deus 727. c. 732. b. consecratio aræ eius genio ibid. c
augustus Indorum legationem primus accepit 650. e
augusti triũphi 625. b. bella 624. d. sæuitia. 620. e
augusta mœnia 275. a
auis pro augurio 793. a
auis dextra 794. c. nigra 693. d. pessima 827. c. 828. a
aues oscitantes 69. b
aues ex quarum sanguine confuso serpens gignatur, &c. 614. c
auius 854. b
aulea cur dicta peristomata 656. e
aura 609. c. aura, ventus 119. e
auris ignaris conqueri 259. a. 271. c. d. e. 272. a. b. c
auricilla 69. c
auricula infima mollior 69. c
aurora candida roseis equis 412. a
aurum pallidum 346. a. b. cur? 248. a
aurum diues 457. d
aurum in torrentibus apud Colchos 750. d
aurum lucet nocte atra 394. d. ante res mobiles est ibid. c
auro nihil resistit 672. c
auri detestatio 461. c, d
aurata pellis 265. b
aureolus, de re pulchra 185. c
aureolum malum 8. a
aureum seculum 410. c. d. e. 413. e. 414. a, b. c
aureum dicitur quod laudant Poetæ 440. b
auruneuleius 187. e
ausculitare, & auscultare 53. b
ausones populi 617. c
auspices nuptiarum 146. b
auspicium vnde dictum 116. d. quis auspcio-

rum inuentor ib.e
auspicium ex aquila 795.a.b. ex cornice 796. a
auspiciorum duo genera 580.d. ibidemque alia de auspiciis
auspiciis omnia faciebant Romani 152.d. 160.b
auster 70.c. pluuiam designat. 390.a
auus, pro tota maiorum serie 462.d
axenus 17.b
axis 727.c. pro climate 799.b. Imò pro colle 800.a

B

BAbylon, & eius muri 751.c.a
Babylonij Astrologiæ inuentores 794.d.e
bacchus apud Græcos qui Osyris apud Ægyptios 443.c.d
Cur Bacchus Bassareus dictus ibid.e
bacchi antistites, qui 446.a
bacchus, Osyris, & Nilus pro eodem 447.e
bacchus Lenæus à Leniendo 533.a
bacchus amat Naiada ib.a
bacchus dux Nympharũ sicut & Tityrorum &c. 703.a.b. est iniuriarum persequentissimus 530.c. mortalibus requiem præstat 400.a.b. afflictis cur dictus mitrophoros 803.e. cur Liber 768.d.a. *Dionysius* 769.c.d. eius gesta ibid.b. cur cornutus ibid.b. cur dictus Bassareus & mitrophoros ib.c. baccus Maroneus 553.b. Thyoneus 71.a.72.c. fertilis Phœbo 834.d. bacchi sacra suppliciis Romæ coercita 242.b
bacchi sacra cistis imposita 250.a
baccho corona è serpentibus data 269.a
bacchantes impunè serpentes tractabãt 250.e. Armenta discerpebant, & carnes crudas edebant 269.a
bacchantium pompa descripta 276.d. bacchãtum varia nomina 580.e
bacchiacum carmen 173.d
bactrianorum imperium 717.d.e. bactrianorũ imperium mille vrbium 751.b
bactrum 717.d.e
baiæ aquæ 597.b.599.b
baiæ diuersorum vitiorum ibid.c.d
baiarum fontes 524.d.526.b.527.a
balbus 307.c
baltheus 857.a.b
barathrum 328.c
barba in tertia vitæ hebdomadæ nascitur 738.e
barbari nomine intelliguntur Itali & Latini: Hac de re præclara testimonia ab ipsis Italis & Latinis 499.b.c
baris 752.d
barrus 847.d
basiationes 26.e
basium expuere 368.a. basia columbina 661.e. 662.a. basia amatorum repugnantium gratiosiora sunt 420.d.e
bassaris 445.e
bassarides 769.c
battiades 384.b
battus 283.c.284.b. battus Aristæus dictus 24.e
beati, i. diuites 33.d. Inde
beata vxor ib.& 31.a
belides 617.d
bellerophon 722.b
bellona 437.a. eius sacrificia cruenta ibid.
bellum sinè hoste 488. de amore. bellum fraternum 587.a. Giganteum 617 b.c. Punicum 624.c. Cymbricum ibid. a. Siculum 625.a. Actiacum ibid.d.c
belli gigantei argumentum 626.e
belli detestatio, & pacis commendatio 460. eleg. x. belli mala & incommoda 460.461.
bella nocturna 463.a
bellus, & bellè 343.b. bellus homo 65.d. bellæ puellæ delineatio 112.b
benacum 84.c.a.b.85.d
bene 476.c
bene velle & amare quid differunt 335.c
beneficij pars est si citò neges 676.e
benignè facere 336.a.d
benignus, & Benignitas 595.d
berenices coma in celum sublata 287.b.291.b. 293.e.298.c.d
beryllus 838.c.d
bestia mala 332.a.b.c
beta 308.c.312.e
betizare ibid.
bias 633.e.634.a
bibere: de hortis 472.d. bibere tot cyathos vini solebant quot amica haberet annos, aut quot in eius nomine essent literæ 530.c.d
bibendi acumina 717.b. bibendi consuetudo antiqua 72.e.a
bidens 462.e. bidente versare solum 484.b
biga, pro binis 782.e
bipenne 437.d
bis idem dicere turpe 695.a
bistonius vates 698.b
bithynia 30.c.84.c.85.a.120.d
blanditæ 426.e
bobeis lacus 630.c
boiæ 436.c
bombyces vermiculi 632.a
bombycinæ vestes ibid. bombycina Coa 486. b.c.d. bombycinarum vestium primus inuẽtor 577.b. Ad quem vsum inuentæ ibi.c
bona Dea, & eius sacra 436.d.e. 439.a. bonæ Deæ sacra à quibus viri remouẽtur 853.c.d.e
bona puella: malus puellus 490.c.d
bona alite, bono auspicio 146.b
boni viri encomium 760.b
bonum, pro pulchro 101.d
bonum factum, principium edictorum 56.d
bona & mala putarunt antiqui ex qualitate numinis amatorij prouenire 401.d
bootes 290.d.292.d.300.c.302.a.b.539.b
boreas 70.b.e. amator Orythiæ puellæ 688.d
borysthenes flu. 543.e
bos Memphiticus. 445.d. bos loquuta 500.b
boues pro dote ante pecuniæ vsum 606.d
boues steriles, pro terra infructuosa 481.e. imò de bobus castratis intelligendum 484.c. boues pecus tardum 548.e. boues mortui viuos incursant homines: *Coups de nerfs de bœuf: ou d'escourgées faictes de cuir de bœuf* 857.b
boum pastores 484.c

bouillæ

bouillæ 793.c
bosphori duo 754 d.e
braccæ 727.d.e.728.857.e.858.a.propriæ Gallorum 859.a
braccata Gallia ib.727.e
brassica 804.c
brennus auaritia notatus 760.d.brennus Delphis 699.e
breue præteriti temporis, breui futuri 189.b
brigantes 554.b.c
briteis erepta Achillis 645.c.eius pium officiũ in morte Achillis 641.a
britanni horribiles.feri ibi.inuicti 546.b.554 e a.b.c. faciem glasto inficiunt 668.b. corpus radunt præter caput & labrum superius ibid.
britannia insula 36.d.37.a.77.b.c
britanniæ in plur.num.sicut Galliæ 79.e
brixia 307.e.308.e.310.a.312.a
buccina 790.c
buccino vocabantur veteres ad concionem, siue ad comitia 790.d.798.e
bullâ vtebantur ingenui 796.c.d
bustuarij 390.e
bustum 255.a.264.d 625.a

C

C.Et T.literarum commutatio 93.b
C.pro X scribebant veteres librarij 377.c
cabartinæ 365.b
cacata charta 98.d
cachinnare,de vndis maris 161.c.269.d.276.e.277.a
cachinnus maris 251.d
cacozelon 316.b
cacula militaris 507.c
cacus 852.d.e.583.a
cadauer,mortui octauo die incẽdebatur nono sepeliebatur 369.e. cadauer insepultũ iacere quã horrendũ antiquis 240.c.249.e.267.e.cadauera lauabãt olim & vngebant 658.e
cadere pro accidere 440.a
cadi Migdoniæ 855.b.c
cadmeæ Thebæ 387.a
cædere 167.b
cælius & Cœlius 368.d
cærula mater:Thetis 648.b
cæsaris prodiga largitio *in Mamurram* cynædũ suum 77.d.c
cæsar ipse pathicus prædæ ibid.c.80.a.eiusdem vorax & aleo 77.a.& lenitas erga Catullum 78.b.80.b
cæsar interprostitutas,notatus ab authore 133.e 138.b
cæsar albus homo,an ater sit 557.d
cæsij Poetæ 43.b.44.c
cæsius color 116.d.b.cur datus leoni 118.b.c
cæstus 10.a
caius & Caia 161.e
caius mons 510.d.e
calamis sculptor 746.c.eius opera 744.e
calamistrum 577.a.b
calamitas 19.e
calamus aucupatorius 670.d
calathus 661.e.663.a
calciamenta vincla vocantur 432.e
calendæ fœmineæ 826.d.calendæ, & calendarum munera 509.510.a.b
calendis Martiis siebant Matronalia 555.c
calendarium 784.b
calere dicuntur loca quæ frequentantur 211.a.214.c.216.d
calices geminati in luxu 728.d.e. calices vitrei Aegyptij 828.d. calices amariores.i.vini veteris 72.e.d
callimachus 283.d.grandia poemata conscribere non poterat 628.a. callimachus inflatus 714.c.contra 719 a
callimachi somnia ibid.c.d
callimachus Cyrenens 831.a
calliope cæteris Musis nobilior 578.b.Calliope ab Apolline compressa 704.d
callisto 290,b.300.b
calpe 756.b.c
caluaria suspendio interempti pollẽs ad magicas artes 734.a
caluus Poeta 363.a.713.d
caluus orator 129.a.b.c.e.130.a.713.d.doctus 715.e
calx,pro extremo 811.a
calypso 543.d.605.d
camillus dictus alter Romulus 745.b
camillon vas nuptiale ibid.
camœnæ:antiquitus Casmenæ,tum Carmenæ 748.a
camera 720.b
campania 456.e.*
campaniæ encomium 457.d
campania pinguis 718.c.a
agri campani epitheta 728.a
campestria 738.a
campus 133.e
cancer inter astra collocatus ibid.c.cancri signi vis cum Venere coniuncti 800.e
cancrorum plura genera 797.d
candidi soles 27.a.d
candidior candidiorque 450.a
canere graue,dulce,triste 209.b. canere omine diuino 278.a.b
canicies vnde in homine 729.c.d
canescunt soli homines & equi ibid. caniciei abolendæ remedium 453.a
canis ianuæ custos 488.c.canis iactus in talorũ ludo damnosus 848 b.c.canis celestis 319.b.389.e.692.b.canis in fœm gen. 439.e
canicula 389.a
canes ancillati 844.e.Gallici 110.a.b.Laconici & Epirotici generosi. 763.e.a.sepulchrales 717.e
canes Romæ viui in furcas sambuceæ arbore fixi annua supplicia pendebant 723.d.861.c
canius poeta 601.c
canna 690.a
canopus 289.b.c.canopus 752.d.755.d
cantamina 811.c
cantharus 431.c
cantica Isidi bis in die celebrabant ipsius sacerdotes 416.e.417.a
cantus à pastoribus inuentus 471.c
capaneus 606.d
capanei virtus & fatum 712.b.c

caper habitans sub alis 331.b
capillum soluere in funere 270.d.capillum fundere fanaticorum mos 502.e.capilli maiorum incompti 470.a.b.capilli empti 605.b.capillorum ornatus 576.e.577.a.capillos albos vellere solebant vt hodiernæ sic priscæ mulieres 716.b.capillos vnguentis perungebant olim vt nunc feminæ 452.e
capricornus 795.e.& de his qui sub Capricorno nascuntur ib.799.a
caprificus 817.c
caprimulgus 59.a.60.c
capripedes 769.e
caput 131.c
caput abluere expiationis causa 810.e.a.caput, pro censu,vel summa 31.b.caput vnctum referre ibid.& 32.c.33.b.caput tundere poste calamitatis indicium 405.e
capitis fœdatione merorem demonstrabant 241.e
capitis turritus vertex 605.c
capiti meo 402.d.406.c
capitolium 810.a.b
captator coruus vulturius 319.a 326.c
carbasus 250.e
carbasa lina 816.e
carcer Eleus 423.d
carchesia 269.d
carduus 441 e
carmen à carrendo 441.e.carmen ad ignem in sacrificiis incinebant Persæ,quem morem didicerunt Iudæi 354.e.355.a.b.c.carmen angelicum 49.e.50.d.Priapeium 52.e.53.a.Ityphalicum 53.d.55.d.c.nuptiale,145.c.151.b.174.d.funebre 645.b
carmina Citeina 573.e.a
carmina non habēt salem,nisi pruriant 48.a.c.e 49.a.b.c
carminum vis in sortilegiis 455.d.401.b.c.d.a.403.e.a.b.c.404.d
carminare 441.e
carnifex,pro farciminoso 365.a
carnuti 449.a.450.b
carpathium mare 638.a
carpathus 737.a
carpitur ætas 323.c d
carrere 441.d.*Carder.*
cartaginis euersio quemadmodum deliberata 624.d
carum 9.b
carystus fluuius 515.a.545.b.c.d
casa straminea 664.b.666.c
casa à cauando 462.e
caseum facere docuit Apollo 481.d
casia 411.d
cassandræ vaticinium 761.b.794.b
cassida,pro Cassis 751.a
cassiope 611.c.d
casta quam nemo rogauit 28.b
casta domus pudicitiam seruat 522.c
casta placent superis 401.b.469.d.472.a.b.c.cōtra 410.e.a
castalia vmbra 510.b
castalius fons 723.d
castimonia corporis aquæ aspersione conseruata 748.c
castimonia decem dierum in sacris Isidis & Cereris. 706.a
castitas vincitur pretio 429.b.d
castitas pretio corrumpitur 488.c 491.d
castitas ea laudanda quæ virtutis amore 437.e
castitatis exploratio vetus 844.c.d.845.a.b
castitatis vxoriæ comprobatio 151.c
castitatis exemplum 411.a
castum gremium Veneris 296.b.c
castor & Pollux pileati fratres 100.d.e.nauigantibus propitij 15.b.18.d.611.b.c
castrabant se Cybeles sacerdotes 205.a 207.c
castrum & castra 496.b.c
casus magnus,pro fortuna 272.casus & fortuna quid differant 321.b
catachresis 265.d
catagraphon linum 67.b.68 b.c
cataphracti equites 756.e
catasta 483.b.508.a
catellarum curatrices 817.c
cathedra fœminea. 816.d
cathedrarij philosophi ibid.
cato Grammaticus 137.e
cato Censorius iocari solitus ibi.
catullus Poeta 2.e.3.cur duriusculus à Plinio existimatus 4.c.d.doctus 533.b
callimachi imitator 18.e.poetriam Sappho imitatus 125.c.d.senior Virgilio 10.d
catullus vrbicarius & mimographus Poeta 6.a.plura scripsit quæ hodie non extant ibidem c.eius carmina varia ibid.d
catulli scoliastæ veteres reprehensi 7.b.c.falsi insimulatus 277.c
catulli inferiæ ad fratris tumulum 369.
caua manu 490.c.d
caucasus herbarum ad incantationes potentiū ferax 600.d
caudex 840.e a
caue canem prouerb. 817.e.818.a
caue despicias 124.b
cauo,is,in tertia coniugatione,pro cauco 426.a
causa sontica 453.d.456.e.a
causa Corneliæ defunctæ ore proprio tractata in iudicio coram Minoe & Rhadamanto 859.b.c.d.e.862.863.
causa bonorum.i.bona ipsa 513.b
caussari 409.d.820.e
cayster 780.c
caystri quadriga 781.d
ceadan 328.c
cecrops *duodecim vrbium conditor* 248.c
cecropis lex sæua 268.d
cedere sua pignora 567.b
celtiberia cuniculosa 99.e.100.c
celtiberorum fœditas 104.b.105.b
cenchræus portus Corinthiacus 777.c
cenotaphij faciendi ritus 170.a
censoria castigatio ob luxum 728.d
censoria nota 862.d

censura & eius origo 861. d
centauri biformes 630.b
centaurea pugna 629.c.640.d
cepso 113.e
cera Romana 831 c.834.d.e
cerasa 802.e
cerasarum variæ species 803. a
cerastæ 781.e
ceraunia 589.c
cerberus 411. a. 414. d. 518.c. is Causidicus fuit malus qui nomen fabulæ dedit 510.e
cercolipæ 366.b.e
ceres 90.c.388.a
cereris sacra 472.c.d. nemini profano vulganda 525. c.d
cerui 553.d
figere ceruos ibid.
ceruix tumens stupri index 278. d
ceruicem in singul.num. primus dixit Hortensius 659. b
cessare, pro operam dare 586. e
cessatio ab opere 457.e
ceston 478.c.d
cestus 763. b
chalcas aruspex mendax 796. b.c
chalybs, pro ferro ib.303.c
chalybs flu. ibid.
calybes populi 609.d.299.c
chaones populi 593.a
chaoniæ columbæ ibi.c
χαρίζεσθαι 377. e
χάρον, Orcus 516.a
charon, quasi χαίρων. i. tempus 462. d
charontis tributum 861.d.e
charta 512.b
charta cacata 98. d
charta loquitur 313.a.b
chartæ vsus repertus 93.c.in fi.
chartæ laboriosæ 5.b
charybdis 543.c
cherther, quod Vascones Cercar, Vide Circare
chersonesus 84. c
chimæra 520.e. crudelitatis exemplum 521. a
chiron 627. d
chloris 289. e.a.292.a.296. d
chloris & Zephyritis synonyma 304.c
choaspes 545.c.554.a
chommoda &c. pro commoda pronunciatum à veteribus quibusdam ineptis 348. d
choragium 505.a
choralistria 847.c.850.b.e
choraules 850.d.e
chordæ vocales 494. e
chorea 580.e
chorearum, solennia quibus debita 445. b
chori primùm in oppido introducti 476.d
choriambicum carmen 173.d
chorus, ventus 612.b.d
Item multitudo psallentium ib.c
chorymbus 698.b.c
christiani sacrati 371.e
chronica quid ab Annalibus differant 7.c
ciceronis encomia 112.d.e.115.a
cicones populi 541.b.c.756.b
ciere viros 324. e
cimex 62.d.63.b
cimmerij populi 525. d
cinædi medicaminibus quibusdam pubertatē erumpentem coercebant 149.c
cinctura vim habet in magicis 734. a
cinis vtriusque generis 437.a
cinis acerba 325.a
cineres defuncti colligebat genere proximior 409.c. 412.a
cineres Demetrij vrnâ aureâ in patriam deportati 756. a
cineres adloqui dulce 370.e.371.a
cinerarii, & cinistones 149.b.153.c.157.c.d.167.b 179.a. 188 b
cingulo præcingebatur puellarum venter pro pudicitiæ custodia 8.b.9.c.10.c. d
cinna Poeta 359. a. eius poemata obscura 362.c. idem epigrammatum autor 31.d.e.33.e 34. b
cinnamomum 477.d.759.e
circa, non Circe, semper apud Horatium 417.e
circare 855.d
circe 489. d. 541. c. polypharmaca 626. c
circalis 573. e
circitores Romæ 133.e
circumcidebantur è Romanis qui ad Iudæos transibant 320.d
circumsistere 510. b
circumstare lectum ægrotantis 648.d
cistulæ Bacchantium explicatæ 446, a.b.c
citea, vrbs 573.c.575.a.576.e
citeis cur appelletur fœmina venefica 636. d. 637.d
ciuis bonus 397.d
ciuitati desertæ inimicum fieri graue 267. b
clamque palamque 474.b
clandestinæ desponsationes 170.a
clangor 273.a.b
classicus 724.b
classicum 387.b.625.b.724.d.e
classica bella 625.b
classis 247.a
classis de naui vna 295.e
classi, in ablat. cas. 260.c
clatra, & Clatrare 827.b
claudere oculos: cum inclamatione 842.b
claudia virgo Vestalis falso stupri accusata 863. a
claudiorum dux familiæ 771.c.d.e
claudius Marcellus ensis populi Rom. Virdomari Galli victor 857.c.d
clauis, dens 402.a
clauus clauum pellit 613.e
clauus cupidinis 785.a.497.b
cleopatra fugiens è prælio Actiaco 753. e
cleopatræ procacitas notata 751. d
clibanarii 757.d.e
cliens 505. b

clientes patroni ita munes saturnalibus mittere solebant 43.e
clitumnus, flu. 620. c. 670. e. 671. c. 781. a. 782.a
clunopalis 456.c.*
clytemnestræ impudicitia 774.d
coa vestis 577.b.623.b. propriè puellarum non bonæ famæ 628.d
cocles, Vide Horatius
codex, & Caudex 840.e
codicilli 783.e.a
codon 856.e
cœlebs, Græcis ἤϊθεος 157.d
cœlibes mulctandi 643 b. & notati lege centoria ibidem. parum solliciti de republica 184.b
M. cœlius Rufus 331.e
cœlum vnde dictum 540.c.d
cœlum vniuersum Apollinis cythara temperatum 475.d
cœlum Saturni pater docuit astronomiã 805. c. cur dictus Vertumnus ibid.
cœli oculi 26.b.c
cœli lumen, pro cœlo 304. c
cœli dorsum 475.a
cœlicolæ quondam cum hominibus versari solebant 271.a.273.e.a
coemptio imaginaria in nuptiis contrahendis 161.a.d.e
cœna funebris 141.a.b
cœnæ saliares ad lucernas 741.b
cœnæ lautiores apud antiquos 41.e
cogito te: &, de te 559.b
cognomen accipiebant veteres Rom. eorum à quibus heredes instituebantur 171. a
cohors 34.a. pro familia & amicis 73.e
coitus virilis fastidiendi modus 795.d
coitus primi pœnitet hominem 764.e
collare, quod nostro idiomate dicimus *Collier*, Melium vocauit antiquitas 557.d
collaria 844.d
collatum 798.e
collina 828.b
collumbar 264.a
collyridæ 453.b.*
color quis pulcherrimus 184.e
color Belgicus 668. d. cæsius 116. d. cyaneus 611. a. luteus 152. a. 155. d. maris 687. b. niuis coniunctæ cum minio laudatus in puella 632. d
colores natiui pulchriores adulterinis 577.e
columba vnde dicta 444.d.449.c
columbæ sacrificant Assyrij 449.a
columbæ Chaoniæ 593.b.c
columbarum amor, & earum basia 661.c. his ignota adulteria ibi.
columbarum vsus olim apud Syros prohibitus 444.b.c. ideo sanctæ dicuntur 447.b
columbis literæ ligari solitæ quas ipsæ perferrent 444.c
columbari labris 326.e
columbarium 766.c
columbus Dionæus 79.d.e
columna 482.b.e
columnæ 32. pedum ibid.
columnæ Herculis 751.d.e. Phrygiæ 514.c.d.e
carystiæ 515.a
colustrum 481.e.526.a
coma Berenices in celum sublata 292.e.298.c.d. 300.b. quo loco 305.b
coma pupurea 424.c.a
coma formosa populi arboris 425.c
coma sole perusta 456.c.*
coma facis, solis 177.a
comam nutrire solebant pueri delicati 185. b. qui ideo pro cynædis habiti ibid.
comæ puerorum Diis consecratæ 844.a
comata sylua 14.c.17.c
comes 618.d
comesse 63.b
cometam qui post fatum Iulij Cæsaris apparuit, existimauit vulgus eius animam inter deos receptam 833.c.835.e.a
comete faustus Augusto imperium auspicanti 773.a
cometis non impunè videre populi 497.d
comitare, & comitari 643.d 644. a
commendare de meliore nota 323.a
commentatoris officium 572.e
commingere 368.c
committere 137.b.632.e.633.a.833.a
commixta lupa 367.b
commodò 35.b
comparatio aptissima pro venustate 147. b
comparatio Iuliæ cum Venere, & myrti ramulis 159. e. 160. e. puellæ cum floribus 194.c. & cum vite ibidem. e. turbinis cruentis quercum cum Theseo. 230. d. e. 257.a. b. Ariadnes cum Eurota fluuio 248.e de Theseo cum nubibus montium cacumina linquentibus 250. b. attonitæ personæ cum saxea effigie 256. b. 266. c. d. eius qui carmina mœsta canit cum Daulia aui 282 c. 284. e. fletus cum riuo è lapide prosiliente, 313. c. Pompeij cum quercu 392. b. hominis agitati cum turbine 430. b.c. eius qui offert coronam ante pedes statuæ, excelsæ, & eius qui humile carmen offert ad laudes Augusti 651.a
comparationes præclaræ ad Laodamiæ amorē augendum 319.b.d
comparatiuus pro positiuo 88.d
comparatiuus geminatim repetitus 450. a
compendium, dispendium 410.d.413.a
compitalia 791.d.389.b.392.d
compitales Lares 393.a
compitalitij ludi 673.b.677.e
complexus 595. b. 596.b arctissimus per hederam significatus 175.c
componi dicebantur in tumulo positi 512. c.d
componere 556. e. verbum vsurpatum vbi de mortuis sermo 325.b.c
componere vultus 562. b. caput 433. b
comum 93. a. 94.a
concha 489.a.515.c. Erycina 759.a

conchilium 238. a
conchylis purpura 247.d.274.b
conclamabantur nomina defunctorum antequam rogo imponerentur 612. a
concordiæ symbolum cornix in nuptiis inuocata 479.d
concredere 260.d.595.a
concubina patris concubina filij 627. c
concumbere puero 453.c
condicere 28.c
confarreatio 161.a.b
conferre: deducere in comparationem: & Collatus, æqui paratus 584.c
confugere, Vide Perfugia.
conicere querelas 456.b
coniectores somniorum 637. a
coniugalis amor Laodamiæ 317. a
coniugis desiderium 514. c.d. amor 486. c
coniugium pro coniuge 761.c.d
coniugij fides 162.a. finis 151.a
coniunctio sponsi & sponsæ fiebat in tenebris noyni luce 191.d.194.c
connubiorum leges ex Romulo 155.b.c
conon 287. d. b. 291. d. 298.d. mathematicus 794.c.d
alter Conon Atheniensis imperator ibi.
conopeum 753.a.755.c.d
conqueri ignaris auris 259. a. 271.c.d. e. 272.a.b.c
contemptus rerum omnium præ amica, & cõiuge 514.c. d
continenter 99.a.101.c
contingere sidera palmis 592. a
contradictoriæ locutiones & repugnantes 297. d. 272. d.275. b
contraria duo vno verbo 267. d. 272. d. 275. b. c
contubernales 99.c.100.d. c. 101.a
conturbare 20. c
contus 752. d
conscribillare 67.c.68.c.69.e
conserere arua muliebria 454. a.*
consilia mala à Diis immissa 107.a
conscius ad omnia pallet 665.e
consecratio veterum Imperatorum post mortem 842.d.e
consolatio ad Paulum de vxoris obitu 859. 860.
consualia 791.b
conubium per N, vnicum 196.b
conuiuium loquax esse debet 748.d
conuiuia lata & cœnæ saliares fiebant olim ad lucernas 741. b
copulatores nuptiarum auspices dicti 146.b
cor saxeum 394. e. micans i. trepidans 462. c. 463.a
cordis situs, & origo 112.e
cordi est 114.c.346.c
coralistria 850.d
corbis messoria 803.c
corcyra 409.c
corinna 633.a
corinnæ duæ poetriæ 634.d
corinthus 728. b
corinthi portus duo 777. c
corium ad fucum faciendum 453.c *
cornelia causam suam eleganter agit in iudicio apud inferos 859.b.c.d
cornelius Gallus, & eius fatum 713.e.715.d
corn. Cossus Tolumnium regem propria manu interfecit 857. c
cornelius Nepos 1.c.1. eius chronica ibid. col. 2. Cornelij varij. 2.d. 3. e. Gallus fuit 6. c. 7.a. eius Chronicon 7. c
cornicum oculos configere 825. a
cornificius poeta 103.a.b
cornus canora 242. c
cornix in nuptiis auspicatissima 160.c. concordiæ index ibi.d.& 479.d
cornicis auspicium 796. a
corona 130. b. spicea 158. b. lanea. 851. b. 834. e Ariadnæa signum celeste 289. e. 290. c. d. 292. c
corona signum celeste 632. c
coronæ sutiles, & pactiles 748. d. hæ & seruiæ, & strophia appellantur ibid.
coronas apponere solebāt amatores ante portas amicarum suarum 608.e
corpora 32. d, quæ dicantur sita, humata, & condita 645. d
corruo nouè sumptum 327.c
cortina 793.c.794.a
coruinus, Vide Valerius.
corybantiare 109. b
corybantum sacrificia cruenta 437.a.d
corycum antrum, vnde Musæ Corycides 146.d
costus 239. c
costum 831. b
cothurnus 712.d
couinus 814.d
cous insula 483. a
coa vestis 490.a
crannon 255.d.277.d
crassitius Grammaticus 359.b.360.a
commentator Cinnæ poetæ 361.a.b
crastinus dies incertus 662. a
credere. Nec mulieri, nec gremio credendum 285.a
creditores addicentes sibi suos debitores 750.a
cremari quare & quando cœperunt corpora 412.c. 645.d
cremandi corpora primus inuentor 390. c
creontis crudelitas 645.a
crepidæ 365.d.e
crepitus lauri signum 497.c.500.b.c
crepundia, i. initia 215.d
creta vltima 812.a
creta Circensis ibi.b
cretati pedes 485.c
cretes notati 711.d
cretum custos 133.c. 135.c
creusa, quæ & Glauca 665.a
criminum expiatio 352.d.e.353.a.c
crinis immutandi modus 453.a.b c

crines perfundere myrrha 452.a
crinium compositura lasciuitatis indicium 436.d
crines suos rutilare permissum mulieribus vinum non bibentibus 167.b
crocinum 748.a
crocus 241.c
crocus in aris cremari solitus 836.b
croco scæna perfundi solita 791.b. quod quomodo fieret vide 798.a.b.c
crœsus 381.b.c
crœsi diuitiæ 687.c.d
crotalistria 850.b.c
crotalum 214.b
crudelis 142.d
crudelis dicitur è mari genitus,&c. 240.c.d. 249.e.268.a.b
crudeles dij 423.d
crudelitas Scinis 781.d
crura pontis,pro sublicis 52.a
crusta marmoris 77.e.78.b
crux,pro cruciatu 367.c. quomodo affigi solerent in cruce nocentes ibid.b
crystallus 815.b. caloris impatiens ibid.
cubabant meridie vt hodie veteres Itali 178.a
cubus omnis arithmeticus matri Deûm tributus 780.c
cucumerum tria genera 804.b
cucurbita 804.c
cui per Q veteres scripsere 3.b
cui principium loquendi Catullo familiare 368.c
culicum maxima copia in Aegypto 755.c.d
culliola 453.b
culpa, pro crimine:& contra 46.c
culpa grata in qua in est aliquid sceleris. 316.c
cultus pallio,syndone 454.d.
cum, in vsu quasi superfluum veteri more. 107.d
cum, in quibusdam locutionibus tacitam indignationem significat. 366.a
cum pace dictum sit 683.a
cunabula 718.b
cuniculi 67.d
cupa 373.b
cupido cuius filius 495.a.b
cur ei ventosæ pennæ additæ ibid.
cupido cur puer pingitur 652.b.653.d
cupido descriptus tunica indutus 330.d
cupidinis clauus 785.a. Vncus 497.a.b
cupidinis leuitas 598.e
cupidines plures 572.b
cupidines pro cupiditatibus ibi.c
cupressus 243.d.251.c
curæ, quòd cor vrant 530.b.710.a
curæ non leuantur opibus 514.b.516.a.d
cùrarum amara 522.c.d
curatio 530.b
curationem facere dicuntur qui idolis adulantur 417.c
cures 855.a.e
curiarum duo genera Romæ 790.a
curij fratres 723.a
curiones 790.b
curiosi 86.c
currus pro naui 236.c.254.b.c.272.c
currus Cybeles à leonibus trahitur 204.d. 211.a
currus triumphantium 443.c
cursor velox ladas 133.a
cursores optimi 745.d
cursura virtus tenuissima 745.d
curtius lacus 753.e
curtus equus,calix:curta supellex 791.a.b
cyaneæ insulæ 688.d
cyaneus color 611.a
cybele à cubo 780.c. cur turrifera 770.a. cur Pasathea dicta 203.c. cur Dindymene appellata 202.d
cybeles & Atis fabula 201.c.d.e
cybellear currus 104.a
cyclada 840.c.d
cyclades 14.c.15.e
cydnus purissimus 444.c.d.447.c.d
cygni canor 713.a
cygni in curru veneris 714.a
cylindrus 838.d
cyllarus equus Castoris 643.d
cymbalum 202.a
cymbala in sacris Cybelles 208.b.c
cymbia 741.c
cymbri 624.c
Bellum cymbricum 614.a
cymmerion 542.c
cymmeriæ oræ obscuræ ibid.a
cynedi,catamiti,pathici, iidem fere 48.e
cynedi ad libidinem non apti cum essent barbati 167.a.b
cynædi cur glabri dicti 185.c. vide Glaber
cynedior 31.d.33.a
cynara 795.b
cyparissus puer 243.d
cyrenæ 25.a.26.a.283.c.545.a.b.831.a
cyrhodes 243.b
cyrus flumen in 60. riuos dispergit 437.c.545.e
cytharæ pulsandæ gloria insignis Thamyras, qui Musas in certamen prouocauit 676.d.e
cytheron 710.d
cythore buxifer 14.d.15.c.16.a
cythorium iugum 14.b
cyzicus,vel Cyzicum 779.c

D

DÆdalus 133.e. Atheniensis, non Cretensis 539.d
damnati ad opus publicum semirasi, & catenati 141.c
danaë 672.d.e
danaides 411.d.415.e
damium sacrificium 436.e
dare 377.c. παρέχειν ibid.b
dare causam auaritiæ,literarum 490.a
dare tunicas Scombris 359.b.c.360.e
dare fidem 82.c.infi.

datiuu

datiuus quartæ inflexionis in V. 617.e
daulia ales 572. a.b
daulias 282.c.283.a
daulis 283.c
de,præpositio augens 108.e
debita,absolutè:pro votis 559.b
debitores multi Romæ 750.a
decii. 754.a
decimæ,Herculanea pars. 854.c
decoctor 108.e
decretum 704.c.d.705.a
decurrere vada salsa 253.e
dedere 184.a
deditus 405.b.c
deducere.243.e.455.d.586.b.deducere,verbum coniugiis aptum. 521. d. deducere carmen. 609.c
deducta voce 708.b
defectus lumine 497.a
deficit mihi 591.c
deflorere 194.d
defunctus. 514.c. defunctorum vna conditio 728.d.e.defunctorum nomina cóclamabantur antequam rogo imponerentur 612.a
deidamia vxor Achillis 648.c
dein,& Exin,pro deinde,exinde 748.e
deiungere equos 669.d
delia.387.d.duplex.557.b.deliciæ,nomẽ vsurpari solitum in rebus charissimis.9.d.deliciæ Romanorũ.Vide Luxus.delicias facere.338.a dilicare.124.d. delicata. ibid.
delos.89. d.90. c.a.699.b. delos insulæ descriptio,quæ & Ortygia dicta 832.e.a.b
delphinus marinas Deas vehere dicitur. 419.e 431. e
delphos telluris vmbilicum 253.c.d.
demenetus lycanthropos 824.e
demittere caput,turpiter 353 b.d
demosthenis arma 778.e.779.a
dens Indus 247.d.255.c
dens , pro claui , 402. a. dente putare.440.a. dentes sesquipedales.363.b.c.dentium morsus in amore. 455. e. dentes vrina defricant Hispani 104.b
deus vnus & nomina plura.811.a.deus,absolutè,pro sole. 475.c. deus sol.ibid.deus, pro Dea. 472.e. deus non bene aduocatus.107.c deus quid non possit.168.b.deus repugnantes crudelius vrit. 450. d. dei maiestas expressa.240.e. dei numen contemptum non manet inultum.259.e.deum colentibus omnia cooperantur in bonum. 594. e.595.a. di magni.129.b. dii quando cum hominibus conuersati.271.a.273.a.dii omnes vocati patres ab antiquis. 266.e. dii noui prohibiti. 791.c. diis peregrinis sacra facere non licet. 55. c. dii memores. 83.e.b.dii cõmunes.598.d dii ornati.474. e. dii habent pedes lanatos: tardi ad vindictam. 455. d.e,* 734.b. dii denominantur à rebus quas præstant. 807. d dii non omnia vni dederunt.744.e. dii fictiles primùm. 393.d.e.790.d. dii fictiles quando fuerunt , tunc etiam erga genus humanum æquiores. 462. d. e. dii veteres lignei. 403.b.498.e
dii lignei.804.b.c.dii agrestes lacte piabãtur. 498.d.502.b.dii rusticolæ.392.a.b.395.d.e 396.e dii meliora. 520. e. dii littorales.15. a.16.a.d. 18.c. dii marini inexorabiles.737.c. Eorũ nomina. 738. d. dii superi exorabiles :inferi,cõtra. 861.c.d. diis nõ resistendũ, nec in eos insurgendũ. 699.e.436. c.439.d.672.c.diis non maledicendum. 405. c. diis manibus vinum & lac sacrificabant. 525.e. deorum filii.941.d deorum laus varium habet nomen pro ipsorum qualitate. 494. a. deorum contemptor Pentheus fulmine ictus. 530. c. d. deorum epitheta.90.e. deorum fletus. 497.b.503.c.d deos fecit timor. 518. c. dii ex Epicureorum sententia rerum humanarum curam non habent. 518. c. in Deos exclamare. 526. e. a. deorum sacra non reuelanda. 525.c.d.527.c. deos penates salutabant qui peregrè redibant.413.c. deos singulos singulis diebus attribuerunt antiqui 785. ç.
Rusticæ Deæ:Seia,Segesta,Fortuna calua,Terminus, Lares.468. e.dearum sacris interesse viris exitiale 854.d.e
deperire aliquem 94.b
depluere pro decidere : & Pluo quo gaudeat casu. 467. d.e
deposiuit 91.e
deprecator 567.d
deprecor.i.detestor.356.c.d.357.e.d.e.amoueo. 701.a
depsere 368.e
depsuere 838.e
derectus,derector 60.b
descapulatus 441.d
desidere venti dicuntur quando ponunt flatum. 591.e
desiderium meum, deliciæ meæ 9.b
desine mollium querelarum 429.d
desit componere,&c. 553.e
desponsationes clandestinæ 170.a
despuere eos quos contemnimus. 337. d
despuere terna deprecatione in carminibus. 401.a.403. e.404.a.ad auertendam Nemesin & fascinationes 406.a
despumare Falernum 708.a
desquamare 6.b
desultor 803.e.a.b
detestatio valida 268.e
deucalionis diluuium 703.e
deuenerari 432.d
deuotus 431.b
dextera & Dextra 14.d
dextro Ioue,apolline,&c. 720.e
dia mulier66.e.68.a dia mater 68.b
dia insula 238.b.255.e.267.c.769.b
diæresis. 9.c.d.133.c.& d.146.c.359.d.443.d. 464.c.560.d
diana.89.b. Virgo.91.b.c.diana λυσιζώνος.10.a.
diana Artemis.702.b. diana cur Dictyna.419.c cur vnigena.252.a.262.c.270.e dianæ templum Romæ. 847.e
diarium 783.d.784.b.c.d.
diaromes 190.e
diaspes. 554.a
dibapha purpura 247.e

dicere bona verba. 477.b.478.e.479 b.dicere, ex oraculo promere. 593.c. dictio ibid.dicere,promittere: & dicta,promissa 533.b
dictum vulgatum nænia dicitur 312.b
dyctina. 419.c
Δίδυμος. 261.e
dies felices & infelices notati ab antiquis.320.a.b.27.b. dies albus,ater. 446.d.681.a.dies agēdis rebus, nox curandis corporibus. 121.e dies longa docuit homini parere leones. 447.e.419.c.a. 422.c. d. 425. e.a.e. dies natalis Romæ. 389. d. dies parca.732.e. non segnis. 423.b.c.425.c. diei sacri requies 457.e
diespiter 806.c
differor 609.a
differre:maledicendo infamare 582.e
diffututa mentula 77.c
digito cœlum tangere 592.a
digiti. 252. c. digiti longi venustatem addunt. 113.a.digitorum sono appellare 403.a
digitis loqui 519.a
diluculum 609.c
diminutiuorū vocabulorū amator Catull⁹.12.c diminutiuis quibus de causis vtamur 116.d
dindymus 93.c.94.c.780.b
dindymena Cybele 205.d
dinocrates architectus 824.c
dione 77.b.137.b
diræ. 786.a
dirce.582.b 765.a.b. Eius fatum ibid.e
dis raptor inferni 782.a
discedere,pro redire 262.c
discus 763.c
dispicio 287.d
dissidium. 299.b.c.681.e. dissidium, vnde dicatur 428.c.d
dissimulare dolorem est difficile 532.d.e
dissimulatio 710.c
diues irrequietus 387.e
diues quis. 397.c. diuinatio ex speculatione siderū & cœli cæteris præferenda.796.a.diuite me:casu absoluto.715.e.diuitiæ. 387.d diuitiæ quid prosunt? 514.a. b. 515. d. diuitiæ causæ malorum.736.c.diuitior.387.d diuortium.309.a.diuortia nō sine graui causa olim facta 255.b
diuortii primus auctor ibid.
diuos adeunto castè. Vide Casta
dius fidius 854.d
do,dico,addico 136.e
dolium danaidum explicatum. 627.d. dolia duo in limine Iouis. 737.c.d. dolia fictilia ad sepulturam.767.b.ad vinum recondendum. 769.a. dolor frangit fortia corda. 512. e. dolor plerunque venustos facit. 587.b. doloris grande ingenium est. ibid. dolorem alicui posse narrare, maximum leuamentum.612.a 613. c. dolorem dissimulare difficile. 532. d.e. dolorem longinquitas temporis minuit. 778. d
domator 544.e
dominus vnus 508.a
domina. 505.d.710.a. dominus & domina 175.b.183.a
domina cur dicta vxor 161.d
dominus pro marito 161.a.b.c.d
domina.710.a.domina pro amica.146.e. Aliter expositum. 156.c.161. a.b.c.d.
domus.pro monumento 512.d.*
domus, pro gente. 458.d.
domus longè. 620. d. domus beata.149.a. 167. c. Hæc in marito futuro quærebatur. 179. b. domus priscorum specus.470.d.domorum inuentor primus quis. 473.c.domus amasiorum redimitæ floribus & coronis. 203.c. 204. a. domorū lateritiarum inuentores. 664.b
dona in templo apollinis palatini collata. 797.b.dona ab impuris nō sumenda.298.a.b
donis vincitur amor 429.b.d
doris 242.e.262.a.277.b
dormiens pedem,pro requiescens 715.a
dormientes patentibus oculis 109.e.a.b
dorsum ætheris,cœli 475.a
dorus 645.e
dos. pro dote boues dabant ante vsum pecuniæ.606.e. dotem olim viri vxoribus dabāt, non contra. ibid. dote dicta & data tantùm redibat è prouentu 499.b
draco custos horti Hesperidum 681.c.d
draconis Lanuuini vetusta religio. 844.a.b.c. 845. e
draconarii 795.b
duæ anchoræ fortius retinent nauem sic duæ puellæ 676.d.677.b.c
ducem sibi peregrinum Lacedæmonii non faciebant 711.e
ducere 666.c
ducere verba longa.596.e.ducerecarmē.476.d 588.c.
duci 765.a
ductus aquarum Romæ nouem 702.b
duellum. 648. b. duellum Æneæ cum Turno 495.e
dulce ridere 126.c.158.b.181.e
dulce loqui 181. e
dulichium 626.c
durare. 28.a. pro pati.609.e
duritiæ tolerantia 405.a
durus:insensatus 511.b.*
dyrrachium 96.a.c.98.c

E

E, in terminatione aduerbi sec.inflex. correptum more antiq. 83.d.
E,pro I.in datiuo 735.b
E,pro,i,in ablatiuo 188.c
E, breue in penult. tertiæ personæ plur. num. præt.temp. 633.e
E,elisum in verbo *es,est* præcedēte vocali.303.b
è mari genitus 240.c.240.c.249.c.403.d
ebrietatis impedimentum 41.e
ebrius amore 117.a
ebrius:malè sobrius 464.d
ebria acinus,vua 72.b.c
ebrietati repugnat dulcedo 72.e
ebrii madidi,sobrii sicci dicuntur 474.c
ecce 592.e.593.a
echeneis 616.c
Echioniæ cur Thebæ nominentur 745.e

ἦχος. 209.d
eclipſis ſolis 730.c.731.c.d.732.a
eclipſeos ſolis primi inueſtigatores 287.c
eclipſin ſolis aut lunæ ignorantes Pindarus, & Steſichorus, pauebant metuentes ipſorum interitum 732.a
Ἐκφώνησις 7.d.e
ecquidem, pro nunquid 597.b
edr. 133.b
edere medullam 94.d
edictorum principium *Bonum Factum.* 56.d
ἕδνα. 606.c
edomides 580.d
egelidus 118.c.119.d.b.c
egnatius poeta 105.b.c
ei, monoſyllabum 547.b
ei, pro hei apud veteres 455.c
Εἰδύλλιον. 191.b
electra 659.d
elegi, & elegia 489.c
elegia 587.a
elegiæ principes 711.c.a
elegiarum ſcriptores præcipui 591.b.572.a
elegiarum apud Latinos primus ſcriptor Propertius 717.b.c.c.719.d
elegiacum carmen 571.d
elegiacum carmen amoribus aptum. ibi.
elegidia 387.a
elegus vnde dictus 386.b.c.d.
a quo inuentus ibid.d.387.b
elei populi 589.c
eleorum opes ibid.
elephantes 699.c.d
eleuate: deprimere 708.b.c
eleus carcer 423.d
elei carceres 590.a
elis 419.c
elleborum, 367.c.c. Amarius elleboro. ib.c
eleuſinia myſteria 527.c.a.b.c.528.a.b.c
ἐλλιπῶς qui 274.d
eloquentiæ arma 778.c.c
eloquentiam aſſecuti in gremio matris 775.c
eluitio criminum per aquam, & ignem. 352.d.c 353.a.c.784.c.785.a
elyſii campi 411.b.c.d.841.b.c.d
emere & vendere quis inſtituerit 59.a
emphaſis 510.c
emporium in via ſacra 680.c
emulſus, pro abſorptus 325.b
endymion 287.a.291.d
endymionis fabula explicata 661.c
enipeus 602.a.b.c
ennius 722.d. eius patria, verſus, ingenium, mors ibid.c
ennius ſicut ſacri vetuſtate luci venerandus. 592.c
eon, arbor 780.b
eous 784.d
ephemeris 783.c.d.784.b.c.d
epheſtrida 756.b
epicedium 386.c
epicurus hortorum magiſter 778.c
eius ſchola in horto ibid.
epicurei 19.d
epigoni 745.d
epimenides. 711.c. Eius ætas. 157. anni. ibid.
epiphonema 328.b
epirus 599.b
epiſcoporum veterum benedictio 842.c
epiſtolæ, Vide Tabellæ.
epiſtolam ad Octauiũ non eſſe Ciceronis. 18.c
epitaphion, quid 386.c
epithalamium Iuliæ & Manlii 142. & ſeqq.
epithalamia à virginibus cani ſolita. ibid. vbi alia de hac re. & 182.d
epithalamiorum primi auctores. 145.b.c.151.b
epithalamiorum duo genera 155.d
epitheton 387.c
epithymum 836.a.b.c.d.e
epodas magi Perſæ ad ignem incinebant. 354.c
ἐπόπται. 527.c.528.a.b.c
epoptarum ſuſpiria 527.b.528.c
equus Achillis vocalis à Iunone redditus. 711.d
equus curtus 791.a.798.c
equi immolatio in campo Martio. 797.c.798.c
equi Troiani interpretatio. 718.b.c.719.b
equus Troianus nihil aliud quàm aries. 857.a
equum pectere & ornare laudabile in imperatore. 820.d
equi Luciferi 459.d.c
equi deſultatorii ibid.a
equi ſolis 203.b.712.b
equi laudatiſſimi in Hæmonia 650.c
ex equo pugnare primi Theſſali docuerunt. 650.c
equi Hæmonis Xanthus & Balius. 646.a. quorum ille vocalis aliquando à Iunone redditus. ibid.
equi fatigati vrinæ emiſſione leuantur, equæ langueſcunt 817.d
equæ præ cæteris animalibus furore libidinis trahuntur 471.cd.
equæ Cymonis Athenis ſepultæ. 745.c. Item aliæ victrices in Olympicis ibid.
eques Parthus 817.b
equeſtris exercitationis laus vt equus in gyrum flectatur 763.d
eretum 563.d
eridanus .600.b.c.d
eridanus ſtellifer amnis 302.c
ergaſtulum 505.d
ergo, particula inceptiua 736.c.782.e
erichthonius populus Athenienſis 640.c
erigone 559.a
erinne poetria 634.d.e
eripio, pro perſuadeo 457.e
erro 504.e
error cuique ſuus. 59.e errores alienos videmus noſtros non item. ibid.
eryce. 238.c. Erycina Venus ibid.
erycina Venus 759.b
erynnis 673.e
eryphila 664.c.763.a
erythrea, inſula 852.a
erythræũ mare. 150.d.e.154.c.170.e.515.e.604.d
eſdras ſcripſit Babylonica lingua 146.b
Eſpargoutte, herba ſic à Gallis nominata 159.e
eſſeda ab Edo 125.a
eſſe curua 701.d
eſſeda, & Eſſedarii milites 628.a.b.e

est, pro esset 9.a
est, absolutè. 557.e.a. Quis furor est 557.a.e
esuritio 57.a
Ἐπιφθαλεῦς. 7.b
etheocles & Polynices 587.a.648 b
etiamsi Iupiter ipse petat 333.b
etruriæ partes 806.d Vnde nomen etruriæ ibid.
etruria mater superstitionis 521.d
euadne 606.e.e
euan, vnde Euantes .j. bacchantes 632.c
euantes 245.c.253.c
euelatus 765.e
eugium 573.b.e
euitare 215.b.c
eumenides 250.a.268.d
eumenides habēt pro crinibus angues. 411.e.a 414.c
eunuchorum concubitu mulieres delectantur 751.e
euoe 241.e.274.d
euoluere condita pectoris 297.e.a
euphrates 727.c.d.650.b
europa 247.b.c
eurotas 763.a
eurus 119.a.687.c
eurypilus 825.a
euxinus sinus 17.b
ex animo 376.b
ex eo, absolutè 94.c
exactus ἐξεσμένος. 719.a
exæquatio 125.c
excantare 453.d.c.e
excantare puellas, fruges 725 c.d
excetra 681.b
excipere feras 67.o.c
excreare 419.e. excreare ante fores 441.a.b
excubiæ quid differant à vigiliis 609.a
excubiæ nocturnæ à puellis in sacris Isidis 693.b
exemplo alterius sapere oportet 552.a.554.c
exercitatio militaria 543.c.d
exercitus quadratus 544.a.450.d
exfututa 22.a
exhortatio ad iuuenes 420.a
exiet 423.b
exigere, pro excludere, eiicere 581.b
exiocari 58.b.765.e. eiocari ibid.
exitium gentis, aut familiæ 176.c
expatratre paternas facultates 79.c.80.a. 81.c
expers omnibus 300.d
expers, expersis 305.b.c
expiatio per flammam 501.a
expiatio per aquam & ignem 352.d.e. 353.a.e
expiatio domorum per sulfur 849.b
expiatio per saliuam 840.a
expiatio per ablutionem capitis 820.e.a
expiatio cædis per sanguinis exspuitionem 404.b.c
explicare tribus chartis, verbis 4.b.7.d
exquiliæ 783.e
exta 792.b. extorum caput in iecore. ibid.
extispicium. ibid.
extenuatio, μείωσις. 58.b
externare 247.e.267.a
exvelatus 765.e

F

Fabula 532.e
fabella, pro historia 414.e
faber sæuus 411.a
fabricæ Cybeles 781.b
facere pili 30.e
facere facinus, scelus 346.a.377.e
facere ineptias 23.a
facere pedem 18.c
factum malè: Factum bene 11.e.13.c
facientes Dii adiuuant 395.a
facem ferre solebant euntes ad amicam. 580.a
faces ex spina alba nuptiis auspicatissimæ. 145.e 152.b. Imò ex pinu. 174.a.b.c
faces nuptiarum quinque ibid. 153.a. 164.a 184.c. Imò vna 148.e
faces in nuptiis 943.a
facies 710.e
facies obnoxia gemmis 577.e
faciem fucare & colorare turpe 668.d.e
fagus 613.e251.b
falernum 71.d.b.72.b.470.c
fallaces Pæonii 544.b
fallare 141.d
falsi conuictus Catullus 277.c
falsus, qui fefellit 83.b
falx qua purgantur arbores 445.b
fama malum grauius quàm res trahit 680.e
fama velox 669,b
fama negatur vinis 718.b
famæ alienæ incumbere miserum 540.e
fama anus 543.c.a
fama hominibus cōparatur ex studiorum dissimilitudine 744.c
fames misera herbas in sepulchris quærere 435.d
famen sitimque non sentiunt qui in ore habēt Scythicam herbam 600.d
familiæ exitium 176.c
fana vnde dicta 641.a
far pium 521.d
far in sacrificiis 161.c
fasces, pro magistratu. 664.d. Consules. 12. Proconsules. 6. fasces habent ibid.e
fascinare 25.d
fascinum 26.e
fascinationes saliua ieiuna repelluntur 840.a
faseli laus & dedicatio 13.d
faselus quid 14.e.15.c.17.d
fastidia Deus odit 456.e
fastus & superbia locum habent in superciliis. 742.b
fatum 252.b.519.d
fatorum irreuocabile carmen 840.c
Quid de fato senserint idonei scriptores explicatio ibid.c.d.e
fatum malum, bonum 47.c
fauea, παιδίσκη 843.d
faueus, παῖς. ibid.
fauere linguis 477.c.831.d
fauere lingua 474 d.476.e
fauonius 70.e.242.b
faustulus pastor 790.a
faunus 461.e
febrium varia origo 584.d

feciales, qui 164.b
fel pro amaritudine 489.b
feliciter: fausta precatio in conuentionibus nuptiarum vel sponsaliorum factis 523.e
felix qui alieno dolore sapit 532.a.534.c
fellare 140.a
femen 455.b
femina sine diphthongo 431.b
ferarum capita, cornua, ac pedes, Dianæ dicata 670.b
feriæ in foro 610.e
ferox homo 231.d.240.c.d
ferox & ferus quid differant 248.a
ferre dicitur fluuius ea quæ alit 262.c
ferri inuentores 289.a
ferreus homo 397.d
ferreum os 111.d
ferrugo 241.d.e.250.c.260.a.420.b
feruere, media breui 645.d.e
feruere, media correpta 692.b
ferus, absolutè 211.e.212.a
fescenninum carmẽ. 145.c.147.c.148.d.153.a.157.b 165.c.174.d.178.d
festa lumina, & limina 198.b
festis diebus à labore requies 469.a.472.c.a
fiber. 470.a.b. & Fibra ibid.
fibra, fibrum, fimbria. 795.d.e. Aruspicina per fibras ibid.e
ficella 481.e
fictiles Dii 393.d.e
fictilia in diuitiis habita ibid.
fictilia quid 397.a
fidenates 793.e
fides prisca 460.e
fides profluuia 335.e
fides, pro ope 250.a
fidelis vir nullus in amore 258.a
fidem dare, & Fidẽ habere differunt. 82.e. in fi.
figere dona ante deos 392.b
figere ceruos 553.d
figulinæ artis inuentor 714.c
filius similis patri 158.c.171.c
filiorum appellatione non veniunt nepotes & alii descendentes. 163.d. Differentia inter filios & liberos 170.a.c.b.c
filia sanguis est matris 440.c
finis in fœmin. gen. 609.b
fistula à φυσῶ 495.c
fistulæ descriptio 498.e.502.b
fistulæ inuentrix Cybele 472.a
flagellum 193.c
flaminibus non cõcedebatur diuortium 155.b
flamma dimanat sub artus 126.d.e
flammas transilire ad expiationem 501.a
flammatus 243b
flammeum. 145.b.152.a.155.b.e.159.a.173.e 174.a
flauus color 248.a
flauus color in amante Veneri gratus 259.e
flauus hospes pro pulchro 257.c
fletus continuus faciem perdit 505.a
fletus ad res inanimes 606.b
flora scortum Pompeii 296.c
floralia 468.c
flos & floscul⁹ trãslatiuè ad homines 65.b.66.a
flos spiritus ibid.66.b
flos vltimus prati 36.a.37.c.38.a
flos iuuenum 369.a
flos, de adolescentia 51.b
floris cum puella comparatio. 190.e.199 b.c.d
floribus amantes ornabãt amicarũ fores 405.d
fluere, de veste 439.a
fluere sinus etiam dicuntur 465.b
fluminum simulacra 705.a
fluuius, adiectiuum 648.a
focus algens 827.d
fœdus 340.a
fœmina viro silente frangitur 667.a
fœmina vbi pudicitiæ laxauit habenas, nullum amplius tenet modum 773.c.774.a.b.c.d
fœminæ non sui iuris sunt 196.d.e
fœminæ propriis capillis destitutæ alienos emunt 605.b
fœminarum laus maxima 111.e
fœminarum genus crudele. 520.a. varium, infidum, insolens ibid.& b
fœminarum iræ acres 595.c
fœnus 505.b.c
fœnus agrorum 506.b
fons Ægeriæ. 781.b. & Iuturnæ, ibid.
fontes Bœotiæ 146.e
foret, præteritum 461.c
forma hominis caduca 167.b.c.d
forma comparata rosæ. ibid. a. Parthenicæ & papaueri 169.b
formæ descriptio ibid.
forma magicis non vtitur auxiliis 455.a
formæ gratia nulla in longo corpore 350.c.d
forma grata, quæ 351.d
formæ commendatio genarum à rubore. 422.b
formæ atque pudicitiæ rara concordia 703.a
formæ artificium improbatũ. 576.e.577.d.a.b
Certamen propter formam mulierum, 577.a
formicæ Indicæ 759.d.e
formosæ puellæ laus 576.c.a.b.c
formosis hæc datur venia, vt bis impunè peccare possint. 703.c. quod exemplis probatur. ibid.d
formosis leuitas semper amica fuit 663.a
formositas Nirea 772.c.d
foris, forem. fore, in singul. 185.c
formiæ 381.b
formido Deos fecit 518.c
fors 272.b.c
fors-sitan 648.e
fortassis & fortasse, nomen ibid.
fortes Iapydæ 544.b
Quæ res fortem hominum reddunt. 544 c
fortuna & casus quid differant 321.b
fortuna hera, Respiciens 272.c.d
fortunæ rota. 429.c. 645.a. imò globus 434.a
fortunæ leuitas 598.d
fortunæ oraculum 701.a.b
fortunæ varietas, quæ iocatur in rebus humanis 547.b.c
fortuna vtendum 659.d
fortunari 195.b
forum boarium neque canes, neque muscæ ingrediebantur. 853. b. Cur id forum dictum boarium ibid.

forum insanum 796.e
forum velis inumbrauit Cæsar, tum Marcellus Octauiæ filius, pro litigantium commodo 771.e
fossa & fouea 543.b
fossa magica 818.c
frater correptus amore sororis 299.d
framea, Germanorum telum 857.d
fratris amissi deploratio 321.d
fratris adempti inferiæ 369.
fratrum inimicitiæ 587.a
fratres per mutua vulnera pereuntes 750.d
fregisti commoda 321.e
frenum 410.d
frondator 247.b
fructus pro arbore 388.a
fructuum primitiæ Vertumno dicatæ 802.d
frugalitas antiqua 393.b
frugalitas prisca Sabinorum 703.d
fruges à fruendo, vel à frumine 802.d
fucare faciem, & quæ ad hibeantur in fuco. 668. c.d.e
fucus reprobatus 577.a
fuci faciendi ars 453.b.c.*
fuci tria genera 669.a
fugit me ratio 35.d
fulcire, pro calcare 591.b
fulcrum 656.e.858.b
fulices 68.b
fulmen sulfur sacrum 849.c
fulmina antemerè prouenlant 712.c
fumus patrius 659.b.c
fumi falerni. 476.b. Massilitani ibid.
funebre carmen ibid.b
funebris pompa 656.c.d.e.a.b
funus 250.b.256.d.c.643.c
funerum ritus 512.a.b.c.511.e.a.*
furari per iocum prohibitum 39.b
fures 389.b
fures nocte latent 195.d
fures balnearii. 88.c.d. eorumque pœnæ. ib.e
furta dulcissima in amore 559.a.560.b
furta, pro adulteriis 629.b
furiosi ad agnatos & gentiles deducebantur 108.c.d
fuscina 738.e.a
fuscinula ibid.a
fuscus color 483.b
futuri antiqui exemplum, vt pote attigit pro attigat, seu attingat 594.c

G

GAbii 793.c
galea 305.a
Galea lupina Romuli 856.d
galeę crista olim ex cauda cuiusdā animalis. ib.e
galathea 589.b
galerus 792.d
galeritus. 810.c. Tyberis cursum vertit 807.b
galesus 713.b.c
galli obsidentes Romam 723.c
galli Delphis bellum gerentes dissipati 699.e
galli per Italiam, Græciam, Macedoniam, 657.a.b
galli vocabātur sacerdotes Cybeles 202.c. 205.d 214.c
gallia in tres partes diuisa 78.d
galliambicon metrum. 201.b. 207.b.d. 212.c.d.e 213.a.b.c.d
gallicus pro Troiano 658.a
gallicus miles pro temerario ibid.d
gallus fluuius 203.a.107.a.657.b
gallus gallinaceus lucis auctor 815.b
gallorum vestes militares. 857.e. thoraces, & torques 858.a
gallorum veterum idioma Teutonicum. ibid.c
gallorum familiæ nomen Romanum 345.e
garumna magnus 444.b
gaudere in sinu. 566.c.683.a.684.c. gaudium tacitum, & communicatum 136.a
gaudia, absolutè, pro opere Venereo 472.c
gauiæ 66.b
gazæ Ptolemeorum spoliatæ ab Augusto 753.d
gellius homo impurissimus 337.d
gello 850.a
gelu pigrum 403.a
gemina anchora 677.b.c
geminas ad aures 216.c.a
geminata negatio 45.e
geminorum signum nauigantibus faustum 317.b.c
gemma 604.c
gemma Indica 675.d
genæ 668.c.d
genas radere fœminis interdictum ibid.
genæ succo illitæ ad fucum 453.b.c.*
genæ sunt palpebræ 756 c
genethliaci vani 689.b.
generibus perturbata videri non debet oratio 56 a
genius 477.c478.a.848.d
genius natalis Deus, & naturæ 560.e
genialis dies 478.a
genio indulgendum 697.d
genium venerantes frontem tangebant 590.c
gens Romuli & Anci 93.b
gentilis 319.c.328.e
gerere: de terra 491.b
germania horrida 544.e
gerundium passiuum 777.a
gerundia in do, quid ab impersonalibus differant. 529.c.d.e. Hæc supina participalia esse existimant Probus ibid.
geryon 852.b
gesa, Gallorum telum 857.e
gestire 249.d
getæ 54.e
geta & dauus nomina seruilia 825.c
gigantum quorundam nomina. 746.c. In Phlegræa regione eorum bellum. ibid. & 617.b.c
gindes flu. 545.e
glaber 139.c.153.d
gladiatores saginabantur vt robustiores efficerentur 845 a.b
glans aluit veteres 483.d
glarea 446.c
glastum 668.b

glaucopides 817.a
glaucus Deus 687.c
glaucus color ibid.
gloria petit ardua 855.a
gloria vulgi radix inuidiæ 566.c
gloriarum plenus ibid.e
gloriari non decet ante victoriam 684.a
glubere 139.d.140.a.c
glyconicum carmen 90.a.173.c.d
gnidon 95.d.c.96.b
gnosus 580.b.652.d
goerus 302.c
golgos 267.e
gorgon 629.d
gorgonis Medusæ fabula 684.b
gorgoneæ insulæ ibid.
gorgonius lacus 724.d
gortinia tecta 248.b. gradatio 58.a
gradus theatrales apud priscos cespititii 791.a
græci auctores sæpe falluntur in nominibus Romanorum 754.c
graiugenæ 274.d
grates ago 115.a
gratia tibi, Diis, musis 422.c
grauedo 114.c.e
grauis 10.b
gulioca 453.b
gutta cauat lapidem 425.a.e
gygeus lacus 751.d
gylippus. 548.e.a.gymnasium 203.c
gymnasiorum institutio 762.d
gynæcia 436.a.172.e.a.b
gynæciarii ibid.b
Γυναικοκρατία 800.e
gypsati pedes 483.c
gyrus 293.a.b.302.e

H

H. An sit litera 349.a
habe tibi 7.e
habere, in turpi significatione 562.d
habere, verbum in amore proprium 404.c
habere fidem. 82.e.in fi.
halitus fœdior incuruorum hominum 668.a
hæmon sibi mortem consciuit ad tumulum Antigones 645.a
hæmonia regio 602.b.606.c.650.c
hamadriades nymphæ. 146.c.156 b.157.d.183.d 618.b.
hamatæ sagittæ 652.d
hammon 25.c
hamus priore breui & longa diuersa ratione 505.c
hannibal reuocatus ad tutandã patriam. 723.a.b
Idem ad portas Romæ ibid.
harpocrates Deus silentii 337.c.a
harpocratem reddere aliquem ibid.& 338.b
harpigiæ 731.b
hastile 723.b
haue, atque vale 588.e
hasta pura 816.a
hasta, pertica tristis 796.b
hastarium.ib.c.hîc tamen reprehensus Beroaldus 800.c
hebe 172.c.325.c.328.b
hebrus 545.c
hecatæ canes 401.c.a.d
hectoris cadauer tractum ab Achille 646.a
hedera cur in Liberi tutela 531.b
hedera tenax. ib.156.d.161.e
hederæ descriptio 162.a.183.a
hederæ tres species 152.a
helena nuptiis infausta auis 827.e
helenæ simulacrum a Zeuxi depictum 633.c
helena scortum Simonis Magi 829.d
helenium, herba 661.b
helle 687.a
hellas vrbes 780.e
hellespontus 618.c
hellesponti latitudo septem stadia 614.b
hellesponti vina vada 614.b
helleborum 567.c.e
helluo. 77.d.& helluari 79.c
heniochus 689.a
hemisphæria duo, & eorum Præsides 525.b.c
heraclea 780.c.d
herba Sabina. 815.e. Mala 641.b
herbæ fallaces 469.b.c
herbæ pallentes 455.a.*
hercules cur Alcides dictus. 853 d. eius ærumnæ. ibid.e, & epitheta. 854.a. Cur gestet terjuis pellem: & clauam ibid.b
hercules inter fœminas ibid.b
herculi decimæ bonorum ibid.c
hercules Musagetes. ibid.d. Deus Thebanus 771.b
hercules primus, Ægyptius: hercules Græcorum nempe Amphitryoniades, plus mille annis post eum floruit 852.d.e
hercules ἥρας & κλέος. i. aeris gloria: qui sol. ibid.
hercules ob facinorum gloriam in cœlum receptus 539.b
herculis etymon 165.a
herculis sacramentum nil ad fœminas ibid.d
herculis sacris cur mulieribus interesse non licet 853.a
herculis ærumnæ 678.e
herculis columnæ 751.d.e
herculis amor insanus erga Iolen 519.b.c
herculis interitus 602.b.c
hercules in cœlum receptus Heben duxit vxorem. ibid.d.603.c. Apud inferos eius tantum simulacrum ibid.
herculaneum, ciuitas 597.e
herculaneus nodus 8.b.c
herculeius 184.d
here, pro heri 674.a
heredes liberos non relinquere durum. 326.a
heredipeta 319.b.416.c
herifugæ famuli 216.b
hermione 581.c
heroes vnde dicti 572.b
heroes Deum genus 254.e
heroici carminis inuentor 193.e
heroydæ & heroynæ 602.e.a616.b.
herophile 500.b.c.505.a
heryna 633.b
hesiodus cum Homero contendit 651.b
hesperia 633 c.d
hesperides 681. c.d

hesperus.192.b.c.crudelis.193.e.iucundus.194.a
hesperus pro Lucifero 459.b.c
hetruria 104.e
hetruscus obesus 104.e.105 d
hiacinthus flos,& eius vis. 147.b.153 c.165.d.e
hibridæ 670.e
hinnulus 66.c.760.e.761.e
hinnula 66.c
hio 722 c
hispanis, flu. 600.b.c
hippice herba 815.b
hippotamiæ fabula. 577.c.d. & raptus 629.e 630.a
hippolyte regina Amazonum 815.e.a
hippomanes 489.e.491.b.c 823.c.d
hippomenes 8.d.9.a
hircani populi 36.c
hircinus odor 100.a.331.b.332.b
hircus riuales non odit 99.e
hispani capillati,non tonsi seculo Catulli 102.d
hispanorũ sorditas & spurcitia. 100.b.104.b 106.b
hispania audax fera 544.e
hispaniæ triplex natio 29.c
hodie atque heri 188.b
hodiernus, pro hodie,vel eo qui venturus est hodie 448.e
homerus vaniloquus 543.b
homerus æternus 547.a.551.a
homeri patria 548.b
homo cur è luto formatus 728.b.c
homo cur languescat & dissoluatur post coitum 676.e.a.b
homo longus 311.a. Porrectus ibid.
homo P. Quintii, proseruo:more nostro. 33.c
homines ad lecticam 35.b
homines punicati 8.a
homicida primus Ixion 415.e
hora nigra 525.a
horæ ab Horo, id est sole 203.a
horatius Cocles 754.a.b
horchia 806.c
hornus 816.c.817.e
horrere:sordere 482.b
horribilis ventus 70.e
horror 584.d
hortensius Volusius Poëta nugatorius 358.e 359.d.361.a
horti Alcinoi 720.c.d
hortos Athenis primus instituit Epicurus: vbi scholam habebat 778.c
hortorum cultores 147.b
horus Astrologus 794.d.b
hospitalitas 604.b.605.d
hospitum, pro hospite 606 e
hospitum mactator Talus 135.e
hostia prima à suillo genere incepit 462.a.b 464.a
hostia non fiebat olim in natali die. Cur. ibid.
hostia, ab hostibus domitis 437.b
hostia cadere dicitur, pro immolari 393.b
hostia maxima taurus 549.e
hostia pulla 404.a
hostius, à quo Virgilius multa accepit 776.a
humanitatis & lenitatis descriptio 518.b.c.d
humare & sepelire in quo differant 767.c
humeri:scribendum Vmeri sine h. 424.a.Vmeris ferre ibid.
humor dicitur alere, nutrire,educare, 196.b.c
hyancinthus 839.b.c
hydra 651.b
hydrochous 291.a.b.293.b
hydromantia 796.a.b
hylæ raptus 617.e.618.a.b.e.619.d.e.a.d
hymen 821.e
hymenæus Veneris & Bacchi fil. 145.d. cur ad nuptias celebrandas inuocatus 151.c.159.c
hymenæi habitus 174.c
hymetus 446.a
hymnus, votiua vox 413.a
hypallage.17.d.193.c.242.b.444 a.450.d.544.c 612.c.749.a.470.a
hyperbole 38.a. 62.e.154 b.c.170.c.381.c.514.a
hyperborei 381.c.e
hyperboræi populi longæui 544.d
hypotiposis 186.c
hypsipyle 606 e
hyrus 728 e

I

I, pro V. 90.b
I,longum per ei antiqui scribebant 212.d
i.pro (e) in multis dictionibus olim 512.b
iac.Cuiacius iurisconsultissimus 6.d
iacchus 250.d.261.c.d.e
iacere maledicta, contumeliam 384.c
iambus versus. 95.e. Vibrare iambos ibid.
ianiculi nomen quando ablatum 807.b
ianira 606.e
ianitores olim catenis ligati in ianuis 439.a
ianua non crepans 400.e
ianua difficilis potentis indicium 406.d
ianuis côuiciari solent amantes 400.e.402.b.c
Ianus propriè est ipse deus,qui oratur in principio rei inchoandæ.805. c. ianus quasi Eanus quod cœlum eat ac vertat.ibid.b.Idem & Vertumnus. ibid.d.e. & Protheus & Vadimon.ibid. b.eius vxor Vesta.ibid.d. ianus pictus in formã draconis caudam in os reflectentis.ibid.d. Cur quadrifrons.ibid e. explicatio fabulæ. 806. a b. Cur solis nomen sortitus.ibid.b.c.Cur bifrons. ibid.c. 808.c. Diespiter.ibid. Hic Iupiter opt.max.cæteris Iouib⁹ prçest.ibid.d. Habet in veste formas omnium rerum. ibid.b. Noe iustus is est quem Ianum dixerunt. ibid. a. Quando & vbi cœpit dici Vertumnus.807. c. d. Deus fœderis & pacis.ibid. e.& concordiæ.808.a. Cur Vertumnus dictas.808.b. Iani prudentia. 808.c. d. ianus templa & sacrorum ritus instituit.808 e.Docuit rationes bene viuendi, & totius agriculturæ. ibid.a.itẽ vestium ibid.b. Data ei falx fænaria. ibid. c. Docuit artem militarem & duodecim secures.ibid. d.e. Rationes summarias iudicandi. 809.a Dictus est priscus œnotrius. ibid. Ianus nomen Scythicum,quod est Vinosus. ibid.b Iain Hebraicè est vinum.ibid. Docuit falces & vestes pontificias. ibid. c. Astronomiam. ibid. d. & 812. a.Venationem & aucupium, piscationẽ,nauigia,& institoriam.ib.e.a.&c.

quæ multa in sequentibus. Ianus sator deorum: nomen ei soli proprium 810. e. Quando posita eius statua bifrons Romæ: Cur, & à quo. ibid. d. e. Cur lignea. ibid. & 811. a. Tum ærea. ib. b. c. Vbique terrarum veneratus est Ianus, contra Berosi auctoritatem. 811. e. Cur ei duodecim aræ subditæ 812. a. b. Cur sceptrum & claues teneat ibid
iapidia 553. b. d. 544. b
iapys ibid.
iapidum fortitudo ibid
iasonis nauigatio in Colchos 256. b
ialius 573. a. b. 574. e
iberes 29 b. e
icarius pater Penelopes 759. d
icarus 519. a
icere 583. b
ida 201. e. 204. e
ida mons, duplex 252. a. 719. c
idalium oppidum 95. b. 96. a. 657. e
idalium nemus 159. e
idmenei montes 240. b
ieiunium Isidi 694. e
ignis elementorum liquidissimus 540. b
ignis & aqua in nuptiis antiquis præferri solita 146. a
ignis & aquæ sacramento nuptiæ contractæ 814. e
ignis Vestæ extinctus quomodo suscitabatur 810. d
ignis præcipuum domus ornamentum 391. d
ignis felicia sunt ostenta 832. e
igne carere summa paupertas 64 c. d. e
ignorare: aspernari 630. c
ilia tellus, pro Iliensis 761. d
ilion in fœminino genere, & neutro 494. d
illyria, & Illyrium 589. d
illyrium in Macedonia 666. c
imaginari 108. e
imagines 109. d
imagines auorum in atriis quondam nobilium 584. a
imaginosus morbus ibid.
imber quid à nimbo differat 400. c
imber adoratus sicut aqua in epitoniis sparsus in antiquis spectaculis 798. a. b. c. d
imber Neptuni 197. b
imbuo 15. d. 27. e
imi artus, sensus 540. b
immatura mors 506. d
imminere 180. c
immolare 518. c
immolandi initium à suillo pecore 791. d
imperatori equum suum pectere & ornare nō indecorum 810. d
imprecatorum consecratio 842. d. e
impersonalia verba quid à gerundiis in *do* differant 529. c. d. e
impiger: præstans animi & corporis viribus 499 b
impossibilia 660. e
imprecatio infelix 420. a. 424. d. b
imperatio in munera data 457. a
imprecationes paternæ exauditæ 617. c. 747. a
imprecatio in seipsum 406. c
imprecatio in milites, seu tubæ & valli inuertores 814. c. d. e
impudicitiæ origo 641. d
impudicitiæ exempla 774. a. b. c. d. e
impudicitiæ pœna, fabula vulgi 704. a
imula oricilla 69. c. imulum ibid
In in compositione 246. e
in sinum inspuere 404. a. 405. b
in te. i. propter te 648. c
inachiæ 602. e. a 603. d
inachis 706. b
incæstus, quasi incastus 10. a
incana. i. valde cana 361. c
incantamenta æris sonitu repelluntur 455. c. a 453. d. *
incantamentorum vi cogere ad amorem 581. a
incanus pro valde canus 273. d
incendere odores 479. b
incestus 378. 774. c. d. e. Vide incæstus
incestus in larga & stricta significatione 752. e
incestus quis 401. c
incesti vitium apud Persas familiare 354. c. d. b
incestus, Vide Ceston, & Incæstus.
incidere: de ventis 18. e
incino 675. d
incentio ibid.
incolumis 29. e
incrementum pro liberabitate 798. d. e
indago 557. b
index: titulus 551. e
india duplex 118. b. 117. d
india, vltima terra 727. c
indi 36. b
indi gemmiferi 727 e
apud Indos vxor illa quæ ex pluribus est charissima cum defuncto marito crematur 759. e
indi mittunt legatos ad Augustum, qui quadriennium in via consumpserunt 650. d. e
indociles viæ. nouè 578. d. e
indus dens 247. d. 255. e
inducere 438. c. d
infectæ manus 666. d
inferiæ Catulli ad fratris tumulum 369.
infernus tertium regnum 525. e
inferorum iter irremeabile 690. b
inferos negat esse Plinius 730. e. Pœnas apud inferos esse negat Lucretius ibid. & 731. a. e. item Seneca & Cicero. ibid. d. e
infestus 383. a. b
inficetum 87. e
infinitiuus pro definito tempore 303 d
infinitiuus pro gerundio 512. e. 511. d. *. 513. e
infra: τὰ κάτω, & τὰ νέρθε 464. e
ingenij immortalis gloria 721 e
ingenuus 581. d
ingerere calices 71. e 72. a
ingerere maledicta 501 e
ingrata mens 340. d
inguen 141. c
initia, pro sacris 208. d. e. 214. d
imò pro crepundiis 215. c. d
iniuriæ persecutio 530. c. d
iniuriam non patitur etiam pusillum animal 638. b
iniuriarum patientia 681. a

innocentis vitæ declaratio 859.b.c.d.e
innupta 196.e
ino 687.d
inobseruabilis' 248.d
inopes scortari signum indomitæ libidinis 58. d
inrumare 48.e
insanire amores 710.c
insatiabilitas 627.d.e
insepultum iacere quàm horrendum antiquis 240.c.249.c.267.e
insignia suspensa fanis 490.e
insitionum plura genera 802.e
insolenter, pro insuetè 67.c
instita 277.e.437.d
institit 295.a
institor 803.b.c
insulsus 31.d.100.a
insultare 638.d
insultare. i. insilire 645.d
intemperantiæ signum in fœmina quando ad secunda vota transit 169.e
inter opus 505.e
interficere mulierem cur iniquius est quàm virum 645.b
interficere, ad inanima translatum 331.a
interlunium 729.c
interpolles 786.c
inuidia 590.c.& Inuidorum supplicium ib.& d
inuidiam quod habet non solet esse diu 683.b. 685.b
inuitus qui facit grauiorem pœnam meretur 507.a
inula 67.d
inuocatus, non vocatus 324.a
inuolare 67.a.b.68.b
inurere notam 69.d
io 389.c
inachi filia 590.b.quæ & Isis 706.b.e
io triumphe, militaris exclamatio 498.c.501.d
iocum me putant esse 110.c.d
iole vxor Herculis 319.b.c
ionia mollis 886.a
ionium mare 687.a
iphicles 633.e.634.a.b.c.d
iphigenia 737.d
iphigeniæ loco cerua supposita 781.c
ira fœminea 765.c
iræ fœminarum acres 595.c
ira in muliere, signum amoris 357.b
iræ sedes cur in præcordiis 637.c
irascentis signa 636.b.637.e
ire molliter 653.b
ire præcipitem per caput pedesque 51.c
iris vnde fiat 730.b
ironia 100.b.308.d.440.b.702.d.a
irrediuiuus 50.b.53.b
irreducem viam 12.d.13.d
irritum aliquid fieri votum 512.b.c
irrumatores Prætores Ro. 30.e
irus, Vide Hyrus
is pro es terminatio frequens olim 380.c
ischomache 629.e.630.a
isis 410.a. huic ægrotantes liberati tabellas suspendebant ibi.d
isidis nomina, templum sacerdotes 706.b.c.d
isidi bis in die laudes dicebantur 416.e
ismarus 541.b. ismara 655.e
ismarium vinum 541.b
issa 590.b
isthmus 249.d.777.d
itasim felix 588.a
itali & Latini quod sint barbari præclara testimonia ab ipsis
italis & Latinis, imò & Græcis prodita 499.b.c
iter Dædalium 659.e
iterare dicta turpe 695.a
ithynon 241.e.250.a
ithyphallicum carmen 53.d.55.d.e. quod & Priapeium vocatur ibid.&.55.a
ito 269.c
itonia Minerua 260.c.d.e
itys 283.b
iuba leonis 206.c
iuba equi 820.d
iubere 258.c.d
iubeo saluere 86.d
iudices, iudiciaque inferorum 673.c.d
iudicium inferni per sortem 861.c
iudicium auaritia notata 760.c
iuerint, pro iuuerit 299.b. quod improbat Scal. 303.a
iuga vitium 445.a
iugare 254.d
iugerum 387.a
iugera multa, pauca: non magna, parua 391.c.a
iuglandes, quasi Iouis glandes 148.a
iugum 469.b
iugurtha triumpho ductus 834.a
iuliorum familia à Venere 793.c.d
iuliæ vita infamis ob quam relegata 865.e.866.a
iulia citius calua quàm cana 456.b
iulius Cæsar, pocillator Regis Nicodemiæ 847.a
iulio Cæsare mortuo stella amplissima apparuit de qua vide 835.e.a
iuno à mulieribus præcipuè venerata 638.a.b eius varia nomina ibid.
iuno eadem Lunæ 89.c.e
iuno Dea natalis 479.d
iuno sospita 844.e.845.e
iuno cur Gamalia dicta 561. Genialis: Natio. ibi. d. Genius fœminarum 567.b
iusiurandum fœminarum per Iunonem ibi.
iunonem suam iurabant mulieres 533.d.e
iupiter, exclamantis 4.b.c. siue admirantis 5.a. 6.b.7.d.e
iupiter secundus ib.b
iupiter Stygius 775.e
iupiter alumnus 802.a
iupiter indiges 495.d
iupiter xenius 855.c
iupiter Cretes 539.c
iupiter æstuosus 25.b.e
iupiter pluuius, pro cœlo 445.c.449.b
iouis Feretri encomia 855.856. huic templum dicatum à Romulo ib.e. vnde sic nominatus ibi.b.& 858.c.859.b
iupiter Thetidis connubia vitat 243.a.246.c. 266.a

iupiter

iupiter quas amauerit mulieres 665.d
iupiter vectus curru leui 551.c.552.a
iupiter Parcis subditus 270.b
iupiter ipse si peteret 333.b
iouis cunabula 718.a
iouis cognomina 790.d
iouis ab Europa liberi 247.b.c
iouis Hammonis templum 25.b
iouis Dodonei templum, & oraculum 593.a.b
iouis vox 260.a
iurare, pro promittere 83.c
iurandi varia genera 483.a
iurabant suam Iunonem mulieres 533.d.e
ius castum 297.c
iura mariti 305.a
ius trium liberorum 156.b
ius pro religione 371.c
iusiurandum fœminarum per Iunonem 567.b
iusiurandum per oculos 559.d
iusta 736.e
iusta in alia significatione 748.e
iusta, pro iuxta 382.d
iustitia & Mens Deæ in eadem æde consecratæ 785.a.
iustitium 610.e
iuturnæ fons 781.c.d. Salubris 782.c
iuuenis 255.c
iuuenis gratus 375.b
iuuenes pinguntur Bacchus, & Apollo 420.a.b
iuuenes quid deceant 697.d
ad iuuenes admonitio 405.e.a.418.c.420.a
iuuenta, & iuuentas, pro Dea 172.e
iuuentia gens apud Ro. 122.a
iuuentus cana 158.a.168.d.e
iuuentutis descriptio elegans 327.e
ixion 411.b.415.e
ixionis rota 593.a.b

K

Κανηφόροι 261.c
Καταγεγράφειν 68.c
καταγεγραφα ib. d. & 69.c
κατα χουσματα 188.e
κίσσας 16.e
κοιμητήρια 21.a
κῦρος 253.c
κύκλος poema 362.d

L

L, pro N, positum ab antiquis 533.b
labella 134.a.e
labores lunæ. syderum 718.a
laborum tolerantia 405.a.e
laboriosus 5.a
labrum 134.a.c.136.d
labris columbari 316.e
labyrinthus 659.a
labyrinthi quatuor 239.b.248.d
lacerna 756.b
lacerna: & Lacernarum varia genera 814.b
laconica palæstra 761.c.762.a.b.c
lacte dij agrestes piabantur 498.d.502.b
lactes 201.a
lacturcia Dea 802.d
lacus 388.d
lacus Albanus & Nemorensis 781.a.b
ladas 133.a.134.a.136.b
ladas cursor celerrimus 745.d
læda 602.d
læuius vetus Poeta 362.d
lagopos, perdix alba 817.b
lais meretrix 640.c.641.e
lamna, supplicij genus 839.e 942.a
lampetie 757.a.b
lances 656.b. quinquaginta & centum librarum ibid.
lancinare 77.d.78.b
languidior beta 312.e
lanificium fœmineus labor 469.c.471.a. ibidemque b. minerua pro lanificio
lanificium conuenit pudicis mulieribus 738.c
lanuuium 104.c.844.c. idem cum lauinio 845.d.850.e
laodamiæ amor coniugalis 317.a.327.e
laodamiæ duæ ib.
lapis candidus 320.e
lapis inscriptus super ossa 415.d
lapis in via vnguento delibutus pro numine adoratus 583.e
lapides gammati 395.d
lapithæ, & eorum rex Pirithous 630.a
laqueus hominis strangulati pollere fertur ad magiam 734.e
lar, dignitatis, non hominis nomen 858.a.b
lar, pro ædibus 84.d
ante larem domesticum fiebant adoptiones, & alia 778.d
lares 388. d. & Lara ibid. e. Quibus muneribus placandi Lares 389.a
lares compitales 393.a
lares Dij præstites 858.a
lares celebrati cum multis oblationibus 471.a
larium cultus 433.e
larum victima, porcus 465.b
lararium 815.b
lardum igne liquefactum & in terga mancipiorum stillans, miserum supplicium 843.a
largitio prodiga cynædo mamurræ facta 77.e 80.e
larissa 237.d.247.e
larius lacus 94.b.a
Λάρος χάσκει 69.e
larus 69.a
lascia 441.d
lasciuitas notata ab crinii & vestis compositura 436.d.e.
laserpicium 17.a.26.a
latera exhausta Venere 23.a læduntur 23.e
latex 688.e
latmia saxa 291.d
latona 89.e. eius partus 91.d.e
latria 841.b
latro famosus Scyron 766.d.e.781.c
lauinium & Lanuuium, idem 845.d.850.e
lauinium 496.e
lauit antiquè, pro lauat 305.e
laureati cur milites in triumphis 501.e

laurens oppidum 495.c
laurus 251.b
laurus cur Soli dicata: Cur à dæmonibus exosa 693.b
laurus sacras vesci; vaticinari 496.e. Lauri variæ species 498.c
laurus crepitans signum fertilitatis 497.c
laurus, accus. cas. 262.d.499.e
laus ab ore principis criminationem omnem reiicit 865.c.d
laus deorum diverso nomine vocatur secundû numinum qualitatem 493.c
laus à forma 576.e.a.b.c.578.b.c
laus à felicitate 125.b
laus à proauis 156.e
laus Romæ à commodis quæ adsunt, & incommodis quæ absunt 779.e.a.b c.d
laudes bis in die Isidi canebant eius sacerdotes 416 c.417.a
lautitia 121.c
lechæus portus Corinthiacus 777.c
Λέχη 136.b
lectarij 32.c.d
lectus aduersus 311.d
lectus aduersus quid 866. c. a. quem Græci ἀντίκλινον ibid.
lectus odorantis descriptio 257.d
lecti tres erant in tricliniis 635.d
lectis insidebant epulantes 154.c
leænæ feritas 520.c
legati Romani à Fidenatibus interfecti 857.b
legere, pro furari 358.e
legio 73.e
legitimorum liberorum prærogatiua 147.c. 156.b.163 b 187.b
lemmata 854.c
lena merobiba, multibiba 824.e
lenæ ad puellas corrumpendas 823. 824. &c. artificium & amatores emungendos
lenæus Bacchus à lemendo 513.a
lenitatis & humanitatis descriptio 518. b.c.d
leo signum celeste 290.c.795.d
leo cur cæsius dictus 118.b.c
leo caudæ verberibus in furorem se concitat 204.c.206.b
leones ad currum primus iunxit M. Antonius ib.a. currus Cybeles à leonibus trahitur 204.d
ad leonum pugnas qui Romæ exhibuerint ib.
leones Lybici 141.e
lepidum.i. col.2.& 2.c.5.e.6.b
Λεπτίζειν 6.b
lesbia impudicissima 703.c
lestrigones 542.a.b
lethe 282 c
leti caussa, pro leto ipso 739.b
leuare curas 9.d
leucothoa 687.c
leuis, prima producta 632.e
lex Postumiæ 73.b
legem de maritandis ordinibus Augustus ferre non potuit 642.d
lex eiusdem de pudicitia ibi.
leges Romuli de connubiis 155.b.c
liba 446.d.e.448.b.561.b.& Libus 479.d
libatio vini 831.d
libellare 115 a
libelli vetiti 506.a
liber malus, criminum 114.e.115.a
liberi cognomen apud Romanos vnde originem habuit. 349.b.c
libri punice expoliri solebant 5.e
libri quondam maxima cura ornabâtur 510.a.b
librarii, & eorum tabernæ 44.c
liberalitas à Libero patre 456.c. *
liberalitas sinistra. pro stulta 80.c.81.b
liberati morbo aut naufragio Isidi tabellas suspendebant 410.d
liberorum nomine quid intelligendum 163.b. 147.b.170.e.a.b.c
libido fœminea 773.e.774.a.b
libitina 390.a
libitinarij 803.d
libitinariorum vota ibid.e
libo 130.c
liburnæ naues 752.e
libyci leones 141.e.142.d
licentia poetica 10.e.12 b
licia 438.a
lictores cum securibus habuerunt Reges Romani 753.c
ligeris 444.b. Carnutus fluuius 450.c
liguria 50.b.51.e.in fi.
lilium 652.c
limen, vnde 641.c
limen mortis, vitæ 322.d.327.e
limen domus cur pedibus non tangebant ipsæ 149.c.154.a.158.a.168.a 179 d.c.185.a.b
limen tangere aliis quam nubentibus ominosum 180.a
limina tepida 211.a.216.d
limis quid 641.c
limites celi 297.b
lingua mala 26.d
lini inuentor Osyris: ideo Aegyptij in sacris vestibus eo vtuntur 410.c.413.b
linigeri sacerdotes Isidis 706.c.d
linigeri Calui, qui Iliaca sacra gestabant 416.d
lintea Setabina 39.c
linter 428 d.e.604.a
linter tibinat in aqua liquida 432.b.441.c
linus 656.a
liptote 14.a.496.c.518.e.521.e
litare 792.b.c
litus scribendum cum simplici T.255 e
litus pro ripa 93.b
litus Eoa tunditur vnda 37.e
litera testis 443.c.447.a
literator 43.d.44.a.45.b
liuor 590.d.e. Pascitur in viuis liuor, &c. 718.a
locus medicus honoratior in conuiuiis 635.d.e. Primus digniori datur ib.e.636.a
loci mutatione mutatur mentis affectus 777.e.b contra ibid.e
loci muliebres 795.c
loca solitaria musis apta 315.e
locutio Comica: Scelus viri. pro scelesto 708.e
locutio Propertiana, Error Hercules, pro errante Hercule, &c ibid.
locutionis vitia non in dicto, sed in significatione veteres posuere 123.d

locutiones

locutiones contradictoriæ & repugnantes vno tenore 267.d.272.d.275.b
longæui homines 544.d
longè 588.b
longus homo 311.a
loqui notis,vultu,nutu 402.b.c 406.a
lora 62.b
lorica 815.a
lorum 796.d
loton 756.e
lotophagi 756.d
lubricus vultus:lubricum femur 569.d
lucellum 75.a.b.c.d
lucerna cubicularis 661.e
lucet,absolutè 45.e
luci,nemora,syluæ 515.a
lucifer 192.e
lucifer, & eius varia nomina 671.a
luciferi equi 459.d.e
lucifer manè & sero oritur ibi.d
lucilius,& eius fortuna 483.a
lucina 89.c.90.a.91.d.e
lucina vnde dicta 795.c
lucretia 412.a
lucretij interitus 681.d
lucrinus lacus 597.a
lucumones 810.e
ludi compitalitij 673.b.677.e
ludi magni,qui 772.a
ludi pueriles 157.c.d
ludi Romani corruptelæ puellarum 670.d
ludius 86.d.e
ludiæ vndæ 68.a
lugubria,absolute 864.b
lumbi 48.d.664.c.d
lumina saturata 260.e
luna Triuia 89.d. 90.b. vnde dicta ibid. an proprio lumine luceat 92.d. et de maculis quæ in ea apparent ibi.b.c
luna sicca 667.c.d
luna cur aerem secans dicta 301.a
luna non est inter errantes stellas 798.a.b.c
luna an rubeat 595.e
lunæ incrementum & decrementum 712.a
lune vehiculo cur muli adhibiti 673.a
lunæ χαθαίρεσις: solis ἔκλειψις 453.c.*
lunæ cursus 729.a. Quis hunc primus deprehendit ibid.b
lunæ defectus non semper ab interpositione terræ 731.c.d
lunæ orbes implere 424.e
lunam credebant veteres in cantamentis vim pati 455.c.a.453.d.*
lunam Thessali credunt veneficiis obnoxiam 453.a
luna menstrua 729.b
lunata acies 831.e
lupa pro meretrice 367.c
lupanar ibi.b
lupanar olidum 110.d
lupercalia 792.c.d.e
verbera lupercorum 791.e
luridus 838.b
luscinia 282.e.577.a
lustrare 389.b.393.b.650.a.b
lustratio magica 404.e
lustrationes 791.a
lustrum 791.c.a
lustra 650.a.b
lusus de carminibus 151.c
lusus puerorum 9.a
luteus color 152.a.155.d
luteus color amantium 455.e
lutum,de mœcha, & de lenone 111.c
lux purpurea 261.a
lux, pro vita 19.b.20.c.d.319 e.321.a
lucis auctores:de gallis gallinaceis 815.b
luxti,pro luxisti 281.a
luxuria,luxuries,luxuriare 578.c.d
luxus Romanorum 628.b.c.720.c.728.d.e. castigatus 738.c
luxus militaris 792.a.b
lyæus annosus 511.b.*
lycaon 292.d
lycantropos 814.c
lychnobij 741.b
lycoris 715.e
lycurgus vesanus vites amputans non impunè tulit 769.e
lydia in Ital. 84.b.85.d
lygdami tumulus 512.e.513.a.*
lygmon 791.d
lympha,pro nympha 533.b
lympha Martia,pro Tyberi ibid.
lynx 768.a.b
lynceus ibid.b.c
lyra Arionia 687.a.b
lyræ inuentor 556.a
lyram pulsare 628.b
lyrarum ornamenta 522.a
lyrici carminis apud Latinos primus scriptor Horatius 717.b.719.d
lysippi statuarij opera 744.d. huius encomium ab Alexandro magno ibi.
Λυκίζουσαι puellæ Venerem expertæ 10.a.d

M

MAcedonia cur Æmathia 244.b
Machaon 627.b
macilenti libidinosiores 353.e
madere:ebrium esse 470.d.473.b.474.a
mænades 202.c.205.a. vi iaciunt capita 215.a
mæotis palus 632.c
mæuania 799.c.800.a
magini populi 545.e.554.e
magis magis 103.c.262.a
magisteria,pro præceptis 424.e.425.b
magistratui ea vis inest vt vtenti virtutes inferat,vitia depellat 128.e
magistratum gerere non poterant apud Ro. illegitimi 187.b
magistratum indignis obtigisse conqueritur author 127.d.e
magistratum qui in prouincias mittebantur comites,& horum præmia 75.a.b
magna Dea 214.c
magna mater 94.c.215.b
magnes vnde sic appellatus 824.a.b.quomodo

inuentus ib. qui meliores ibid. Templum cōcameratum de magnete lapide ibi.
magnus minórque 646.a
magno, absolutè: pro magno pretio 771.e.a
magus 354.c.e.d
magi apud Persas cum matribus congrediuntur 354.c.b.d
magorum commentum in nuptiis 168. b
magæ in sepulchris 140.a. Deuorant ossa mortuorum ib.a
magica vis 824.e
magicæ vis 573.d
magicæ mulieres, anus 455.a.b.c
magicæ artes 401.a.b. c.d.403.e.a.b.c.404.a.b
magica lustratio 404.e
malabathon 21.d
malabatrum quod est Indicum cur Syrium dictum 579. a
malea 774.a
male poetæ, coniunctim 45. e
malleatus liber 510.e
malleoli 387.e
malum nascens facilè opprimitur &c. 395. b
mala lingua 26.d
mala bestia es 332.a.b.c
mala an diuinitus dentur 737.d
malè marem dicimus effeminatum 49. d
malùm 78.a.c
malum aureolum 8.a
malum Cydonium comedēdum dabatur spōsæ 167.c.d
mala cotonea 760.c
mamertini populi 689. e
mammæ pannosæ, inclinatæ 661.d
mamurius faber ærarius 804.d
idem fusor anciliorum, & simulachri ænei quod Iano bifronti dicauit Numa. 811. b. c.d
mamurræ diuitiæ 77.e.78.b.80.e
mamurra notatus sub mentulæ nomine, qui ex ea multas sibi diuitias comparauerat 380.e 381.e.a.b
manacus 784.c
mancipiorum pedes cretati 828.d.e.829.b
mancipiorum vendendorum ritus ibid. d. e. 829.a
maneo te, pro expecto te 437.b
manes Dij 615.a.b.c
manes defunctorum lædi credebat veterum superstitio 390.b 397.e
manibus Diis sacrificium vinum & lac. 525. e
mangones puerorum venditores 374.e
mangonum ars vt pueros non crescere cogerent 850.a
manibus puris accedendum ad deum 469.e
manicæ 765.b.c
mannulus 844.b
mannus ib.& 845.c
manus mala] 526.c
manu, pro manuf 598.c
manu caua pecuniam flagitare 490.c.d
manus tollere 130.c
M. Marcelli virtus, & gesta: qui gladius Romanorum dictus 772.c.d
marcelli Octauiæ sororis Augusti filij interitus & eiusdem deploratio 770.b.c.d.e. in quo reprehensus Propertius 773. c
mare cur Amphitrite nominatur 540.a
mare cur accessu fluuiorum non crescat 606.a. 730.b.c
mare Carpathium 638.a
mare Ionium 687.a
mare rubrum 154.c.d.170.c.478.d.e.a.604.c.d
mare magnum 69.a
mare canum 254.a
mare in ablat. 16.d
maria & montes polliceri 382.e
marem in votis sibi gigni exoptant vir & vxor 151.c
margaritæ 604.b. ex concha sumitur 515.c
margaritæ, & margaritum 590.a. quomodo generentur ibid.
margaritæ concharum partus 759.a
mariſchalcus 851.d
marita domus, pecunia, ianua, &c. 311.c
mariti iura 305.a
marito nouo conuicia fieri solita 178.e
marmor 482.b
marmor Pœnum, Numidicum 698.c. Clarium 700.b
marmor Tænarium viri colore 720.a
maro, pro vino 553.b
maron 704.e.705.a
marpesa 577.b.c.578.a
marpesia Sibylla 502.e
marpissa, Vide Marpesa
marrucinus, & Marrucini populi 38.d.40.b
mars cum Venere 482.d.e
mars primus mensis anni 544. b
mars, quòd magna vertat 555.e
mars secundus, aduersus 464.b
martius primus anni mensis 510.c
mater filium occidens vt alteri nubat 253.e
materfamilias quid differat à matrona 149.a
materia scriptori sumenda suis viribus æqua 539.b
matricida Alcmæon 731.a
matrimi 7.b
matrimonium, pro matrona 761.c
matrimoni munus liberorum procreatio 172.d
matrimonij castitas & concordia 478.c
matronæ defunctæ ornamentis consularibus efferebantur, quarum scilicet filij magistratus curules gessissent 866.b.b
matronæ sponsam in mariti lecto collocabant 169.e
matronæ ianitrices 311.d
matronæ Romanæ veneficæ 703.b
matronalia calendis Martiis 555.c
matuta 687.c.d
mauors 689.d.& Mamers ibi.
mausoleum 721.d
mecœnas Augusto fidelissimus, arcanum tamē tenere non potuit 745.c
mecœnatis encomia 742.e.743.c
mecœnatis laus à fidelitate 626.a
medea Citeis 573.e
medeæ veneficia 626.d.e
medi populi 756.d
medicina tarda 659.b. quod improbatur 660.b
medius locus honoratior 635.d.e

medius vir 344.d.345.e.c
melampus 544.a.633.e.634.b.c.d.e
meleager 781.a.b
melior, pro elegantior, vrbanior 714.b
melissa 471.a
melium 844.d
mella, flu. 308.c.312.a
mellis tria genera 471.b
mellitus 13.d
membrana 59.e.60.a. 510.d.511.b. in neutro genere 62.b
memmij varij 73.c.76.a
memnon 295. b. c. 585. e. eius statua mirabilis 301.a.b.c.d
memnonis interitus 668.a
memoria madida 333.c
memphis, is, itis, itidis 445.d
memphis, & eiusdem pyramides 752.a
menander Comicus 640.d.a
menandri sales 778.a
Μηνίσκοι capitibus statuarum apud priscos, vt hodie, imponebantur, ne ab auibus conspurcarentur 569.d
mens Dea 785.b.c
mens animi 284.b.e
mens mala, non sana 501.c.a
mens secta 195.c
mentis innocuæ testimonium 524.c.d
mentem vincite Lyæo 732.b
mensæ orbiculares olim 438.e
mensis periodicus & synodicus 92.d
menstruus & Menstruum 410.b
mentor 603.e
mentum nulli est præterquam homini 738.b
merces in malam partem 342.a.b.e
mercurius Deus communis 598.b. cur eloquentiæ præses ibid.
mercurius cur talaria gerat 697.a.b.c
meretrix, & meritorium 456.d.a
meretrices vulturiis similes 326.c
meretrices succinctiori veste vtebantur 678.b
meridiari 86.d.87.a.c
meroe 834.a
merum in lucerna 816.e
messala, & vnde id nomen 409. b. 412. b. 415.b
messala eloquens 543.b
messalæ encomia 442.c
messalæ panegyricus 535.536.537.538.
messionis tria genera 547.b
metalepsis 50.c
metalla 759.e.a
metaphora 80. d. 121. c. 609. d. 610. e. 637.b. 650. c. 651. b. 652. c. 659. c. d. 678. c. 684.a 697. d. 712. d. 717. a. c. 723. c. 744. b. 745.c 746. a. 785.a. 797. a. 856. b. 864. c.
metaplasmus 106.a.620.c.721.a
Qu. Metelli Macedonici gloria in funere 864.b
metellus vittatus 853.a
methymneus 847.b
metonymia 602. e. 609. d. 632. b. 725.a. 727.c. 752.b.755.a.b.849.c
metupolis 312.a
metus fecit religionem 791.d
meus: i. propitius 516.b
mi, in femini. gen. 441.c
mi, pro mihi 125.c.675.a
mica salis 350.d.351.a
mica saliente: i. sale 518.d
mictilis 368.d
mihi & capiti meo 402.d.406.a
mihi, ad aliam personam pertinens 66.d
miles non factus amori 826. c. contrarium tamen in Marte cum Venere
militis veterani missio 685.d
milites cur laureati in triumphis 50.1.c
militum animos excitat iusta causa 853.e
militum luxus in armis recentioribus temporibus 792.a.b
militibus pro virtute certus agri modus assignabatur 858.c.a
militaria execratio assiduum certamen laudis 543.c.d
militia amatoria 504.d
millum 844.c
mimalion 572.d.c
mimnermus 193.d
minerua Poetarum patrona, domina, hera 4. d. εὐπατέρεια 7.b.c. ἀμάτωρ patrima ib.c
minerua dicata in bibliothecis 7.d
minerua cur Sais dicta 630.b.b
minerua Itonia 260.c.d
minerua, pro lanificio, metonymicôs 471.b
minister 71.e.72.d
minium 471.d.632.d
minos 136.a.238.d.247.b
minois tributum 238. e. 248. a. eius liberi 247. c. cur malè semper audierit 267.d.c
minois iustitia 775.b
minoes duo 239.a.247.c
minotauro 14. iuuenes nobiles in stipendium singulis annis dabantur. 240.a.248.c. Huius fabulæ interpretatio 240.a
minyasis 277.b
minxit in gremium gnati 309.e
misenum promontorium 771.a
misериter 210.d.214.e
misti, syncopa 44.b
mitis hominis descriptio 518.c
mitra 238.e.247.d.695.e
Μνημόσυνον 39.b.a.e
mnemosyne 261.a.b
mniosius 241.c
modestia in muliere 578.d
modi, pro versibus 148.d.156.d
modiperator 72.a
modo non 393.d
mœcha comica 826.b
mœchi semitarij 99.d.100.c.101.c
mœchorum in masculos suplicium 46.e.47.d.e 48.b
mœchilia 379.e
mœnia augusta 275.a
mœnia pro ciuibus 256.d
mœreo cum datiuo casu 513.d
mœrorem capitis fœdatione demonstrabant 241.c

mola: vnde immolare 518.c
mola salsa in omnibus sacrificiis 430.d
molarum duplex genus 364.e
molles Arabes, Sabæi 479.b.c
mollia verba frangunt dura pectora 518.a
mollicellus, diminut. 66.d
mollior anseris medulla, &c. 66.e. infima auricula 69.c
molorchus 539.c
momen, pro momento 272.a
monobiblos 575.d.e.a.b
monstrum quid 237.a.372.d.e
montis ascensus 258.a
montis medullæ 328.d
montes auri 382.d
montes nobiles in Attica 241.b
montium septem Romæ nomina 496.e
monumentum 721.a
monumentum, non Monimentum, in veteribus 57.b
monumenta Cæsaris in Gallia 36.c
mopsopius 446.e.a
mora agrestia 760.c
moræ victrices Fabij 723.d
morbus animi 106.a
morbus imaginosus 109.d
morbus, de perturbationibus animi 340.a
morbi omnes sonabiles præter amorem 627.a
morborum causæ præcipuæ 636.e
morbos animi sanat mors sola 481.d
mori in felicitate felicitas est 729.a
mori in patria dulce 412.e
mori in aqua durum 738.e.739.a.b
moror, primâ productâ, insanio 615.d
morpheus 863.d
mors extrema 340.a
mors atra 409.d.412.d
mors nox longa 662.b
mors sine pompa 394.c
mors communis omnibus, 772.b. aqua reuocat nemo ib.c.d
de morte opinio antiquorum 21 a
mortis signum primum in oculis 240.c
morsus labrorum in deliciis Venereis 28.c
morsus amantium 436.a
mortuorum appellandorum lugendorum, & condendorum antiqua consuetudo 512.a.b.c 511.e.a.*.512.b.c.*
mortuis an sit aliquis sensus eorum quæ hic aguntur 363.b.c
mortuis vltimum vale dicebant Græci 370.c.e
mortuos non responsuros appellare magnum solatium 371.a
morus quomodo fit ferax & quot eius species 803.a
mostrum, pro monstrum: & Mostellaria, pro monstellaria, antiquè 276.a
motus terræ origo & causæ 730.c
mugil 46.e
mulcere 258.d.e
mulgere turpiter 345.a.b
mulier legitimè coniuncta fortunæ & sacrorũ socia esto 175.b
mulier quæ laudatur post mortem verè vixit in laude 863.b
mulier formosa non eget speculo 733.d
mulier in iudicio absoluta cum corpus formosissimum denudasset 640.b
mulier senex 441.a
mulier senex effecta negligitur 454.d.e
mulieris ira aut conuicium signum amoris 357.b
in mulieris constantia spes non ponenda 428.c.d
mulieri nefas castra sequi 815.e
mulier de via 69.a
mulierem interficere cur iniquius est quàm virum 645.b
mulieres etiam nuptæ olim in potestate parentum 168.a.b
mulieres extremis diebus feliciores quàm primis 692.e.a
mulieres in luctu albis vestibus indutæ 839 e
mulieres tardiusculæ in se poliendo 452.d
mulierum venena quæ 435.d
mulierum illecebræ 533.d
mulierum leuitas 648.d.e
mulierum in amore inconstantia 332.d
mulieri non credendum, ne mortuæ quidem 335.d
mulierum ornatus nimius 489.d
mulierum Cymbricarum virtus 624.b
mulierum fidelissimarum exempla 605.a.b.c
muliebrem libidinem cohibere impossibile 319.a
multus homo 378.e
munatius Plancus 113.c.114.e
mundus vnde dicitur 540.c
mundus & cœlum pro eodem 240.e
mundus an æternus 819.e.730.a
municipes 51.a
munuscula non negligenda 539.d
munus supremum 370.c.d.e
munus suscipiendum à rogato, non à rogante 177.b
munera prisca 760.c
munera Calendarum 509.d.510.a.b.c
munera patronis mittebant clientes Saturnalibus 43.a
munera in exequiis 490.c
murex 515.c
murex Tyrius 489.a
murrheus onyx, crinis 748.e
murrhina vasa 825.e.828.b
musæ quot 410.b. earum varia nomina 650.e. harum musas alii tres, alii nouem statuerunt 551.d
musa decima 94.e
musæ quomodo sorores 519.d
musæ patronæ Poetarum 2.c
musæ mortales immortalitate donant 420.e
musæ præclare gestorum conseruatrices 327.a.b
musæ omnes nuptiarum præsides præter Erato 173.c
musæ non omnes virgines 704.d
musca armatum petit 384.e

muscus

mufcus 671 b
mufica laus Apollinis maxima:& alia de Mufica 494.d
mufica Phrygia religiofa 531.e
muftum pingue 431.b.c
mutabilitas Syrtium & mulierum 648.e
mutare,pro emere 39.a.40.d
mutatione loci mutatur mẽtis affectus.777.e.b Contra ibid.e
mutum fepulchrum, muticineres,&c. pro mortuis 363.e
mygdonia 831.d.e.835.b
Μύιας ἀγρεῖον. 384.c
myos artificum in cælatura 744.d
myron 699.a
myrrha, Arabum gramen 695.a
myrrha Orontea cur dicatur 579.a
myrrha infando amore correpta 774.c
myrtus 239.c.411.e
myrtus Afia 183.a
myrti tria genera 146.c.152.a.156.c.160.a.b
myrtus Veneri facra.ibid.& 175.c.in coniugiis adhibita ibid.
Coronæ ex myrto 160.a.b
myrteus color 523.b.c
myfia 618.d
Μύσται 527.e.a.b.c.d 528.a.b.c
myftæ Chriftiani ibid.528.b
myfterium vnde dictum 527.b
myfteria Eleufinia 527.e.a.b.c.d
Pythagorica ibid.e.528.a.b.c

N

N.nota numeri 50. mutatum in L. Vnde Lympha pro nympha 533 b
næ 57.e
nænia 312.a.386.e.571.d
nam,pro non 312.d
nanus 847 d.e
naphta 616.e
narbonenfis gallia verius italia, quàm prouincia 727.a
nardinum vnguentum 834.c.835.c.d
nardum & nardus 478.a.b
nafcentibus fata à Parcis fcribuntur. 450.a
nafi magnitudo ingrata 112.e.a
natalis dies 446.d
natalis Deus Genius:natalis Dea Iuno. 560.e 561.d
natalis diei celebratio 477.d.e
natalis Dea Iuno 479.d
natali die hoftia cur non fiebat olim 462. b
natare, de nauibus 253.b
nati an patrem femper referant 171 e
naturæ decus præftantius artificiali 576.e
naturam definire difficile 737.b
Quodnam prius,Deus,an natura ib.c
Quid natura ibid.
naualia,pro nauibus 274.c
naufragis vngues à cute recedũt.740.a. Superftitiò veterum fuper hac re. ibid.
nauigatio quando cõmoda, quando non 589 a
nauigatio tuta 722.a.725.b
nauia 431.a
nauis tranflatiuè currus, vehiculum, equus ligneus 236.c.254.b.c.271 c
nauis primus ductor 611.e
nauis tua nat in aqua liquida 432.b.441.c
naues Græcorum mille ad Troiam 688.b
naues veteres 683.c
nauium primus inuentor 256.c.d.265.e
nauplius 688.b.796.c.d
nauta peritus præfagit tempeftatem futuram. 750.b
naxus infula. 238. b.c.247.a.255.e.259.a.261.d e 769. b
ne,dictio confirmatiua 259.b.c.268.c
nẽ,pro quidem 114.c
nec,pro non,veteri more 83.c.216.e
ne quid alieni 406.e
neæra 513.b.d
neceffis & neceffe 648.e
ne cromantici 796.a
nefarii qui & vnde dicti 821.b
nefarium 114.d
negatiuæ duæ.15.d.17.c.27.a.45.e.562.e.b.671.e 821.d
neleus 633.d.e.634.b.c.d.e
neleus & Pelias 600.e
nemefis 123.d.124.c.245.a.178.c
nemefis amica Tibulli 482.e.501 b
nemora,luci, filuæ 515.a.b
nemorẽfis lacus.781.b.Speculum Dianæ.782.c
nemoriuagus 211.d
nemus Aricinum 702.b
nepotari 719.a
nepotes,qui 718.e
nepotes appellatione filii non veniunt. 163 d 170.a.b.c
neptunus 246.b
neptunus vterque 84.c.85.a
neptuni filii 541.d
neptuni filii crudeles finguntur 403.d
nequam ibid.
nequitia 586.d.e
nequidquam 21.e.22.b
nereides 237.a
nereides in littore Galliarum.687.a. Nyfee & & Cymothoe Nereidum nomina ibid.
nereus cur mniofius 242.e
nerio 617.b
neronis turpitudo 173.e
nerui inftrumenta bellica 543.c
neftor trifeclis 657.a
neftoris anni 540.d.544.d
neunt [Parcæ]non à neo,fed ne eo 516.d
nexus 750.a
nicæa 119.a.b.c
nigri cur indi & Æthiopes 483.b.c
nigro turbine 317.a
nigror vnde prouenit in Æthiopis, & orientalibus 706.e
nihil effe 431.d
nilus tepens 706.d
nilus feptemgeminus 36.c.38.d
nili feptem oftia 625.d
nili aquæ inundantes æftiuo tempore 445.b
eius ortus ignoratus ibid.c 447.d
nilus,Ofyris,& Bacchus,pro eodem 447.e
nilotica regio 780.d

nimbus quid à pluuia differat 406.c
nimbus odoratus sparsus in antiquis spectaculis 798.a.b.c.d
niobe.672.c. Sipyleia mater ibid.d
niobes lachrymæ 748.c
nirea formositas 772.c.d
nisus 410.c
noctua auis inauspicata 816.a
nodus magicus 452.c.454.b
noe, cognomine Ianus 811.d. Vide Ianus
nomen pro familia 170.d
nomen dominorum acciepiebant serui manumissi 171.a
nominis mutatio ibid.b
nomina in *er* veteribus magna ex parte communia fuerunt 56.a
nomina non exprimebantur in nuptiis contrahendis 161.e
nomina aduerbialiter posita 210.b.c
nomina ficta à Poëtis 387.c
nomina ex Græcis deriuata in *tinus* ferè omnia penult correptam habent 565.d
nomina multa verborum penuria variis rebus accommodantur quasi precariò & commodatò 848.a
nominatiuus pro accusatiuo eleganter 181.a
nominatiuus pro vocatiuo.569.a.b.& accusatiuo.ib.c. & contra.ibi. Vide Antiptosis.
non non 633.e
nonacris 243.a
nonius 127.d.e.128.c
nortia Dea 802.e
notus 510.d
nota: notare 613.b
nota candidior 374.d
nota, pro cognata 330.c
nothus 89.d.90.b.91.a
notis colloqui inter se amātes que modo possint 406.a
nouocomum 93.a.94.a
nouus maritus, noua nupta 176.c.d
nox vaga cur dicatur 177.d.e
nox δυΐφερος 195.b
nox perpetua 19.b.20.d.e.21.c
nox vidua 23.e
nox extrema 523.c
nox tacens, silens 26.a.b
nox polluta solo somno: ideo manuum ablutio 469.e
nox vigilata cantibus 869.d
nox in quatuor vigilias diuiditur 821.e
nox omnium antiquissima ac productrix, deorumque obstetrix 475.e.a
nox siderum mater.474.e.d.& nutrix 475.c.d
nocti tribuuntur equi & currus. 474.e. interdum bigæ, interdum quadrigæ 475.b
noctifer 191.b.c
nocturnus pro Hespero 459.b
noxa & noxia: dissidium: Gal. *Noise* 569.d
nubere, in abusu, pro scortari 23.c.d
nubes vnde oriatur 729.d.e
nugæ 1.col.2.& 2.e.& 4.a.5.a
numen, pro nutu 272.a
numina quondam humanis mixta locis. 271.a 273. a 273.a
numisma consecrationis Constantini 842.d
numerare pecus 428.e
numerus finitus pro infinito. 1.c. 2.37. b.e.70.c 421.c.448.e
numerus ternarius, quaterna. septenar. 401.a 406.d
numeri ignoratio fascinationem impedit. 21. a 24. d.25.d. Contra numerus præfinitus fascino obnoxius 26.e
nunc, aduersatiua 384.c
nunciare bona, mala, verba 37.d
naucum 578.a
nuncius omnis debet esse veridicus 732.e
nuptiæ castæ 478.c.d
nuptiæ non nisi nocte fiebant 194.c
nuptiæ sacramento ignis & aquæ sancitæ 814.e infaustarum nuptiarum deploratio.ib.& 813.
nuptiæ Pelei & Thetidos 228.266.c.d
nuptiæ per scelus occisi matre filii.253.e.264.e
nuptiarum antiquarum ritus 142.145.
nuptiarum contrahendarum ritus 161.a.b
in Nuptiis Dii quinque inuocari soliti 164.a
nuptiis præest Iuno 515.e
nuptialis pompæ descriptio 178.a.b
nuptiale carmen Iuliæ & Manlii. 142.143.190. Quis primus nuptiale carmen cantauerit 145.b.c. Eius formula apud Græcos. 159.bc.
nuptialia munera. ἔδνα. 606.e
nupturæ virgines à parētibus tradi solitæ 196.d
nurus a patre sui mariti compressa propter sterilitatem ipsius mariti: carmen impudicum. 306.
nutare 60.d
nutricis ingenium & mores retinent infantes. 821. c
nutrices, pro mammis 265.e
nutus loquax 402.b.406.a
nutu capitis Dii & reges voluntatem indicant suam 544.d
nux vnde dicta 453.b
nuces puerorum ludus. 148.e. In nuptiis spargebātur.ibid.a.153.a. in Iouis tutela.ib.& b. Spargi solitæ intrante sponsa in domū.157.c 166.c.a.b.c.d.178.d
nuces ocellatæ, quid 166.d.e
nuces nuptialium comites 188.e
nucum sparsiones testamento relictæ 798.d
nymphæ 4.152.d
nysa 769.d

O

O Factum malè! 12.e.13.e
ὦ Ζεῦ! admirantis 6.b.c
obducere 766.d
obesus 104.e
obliterare 250.a.261.a
oblitus media breui 812.d.814.c
obscinere 69.e
obsequium plurima vincit 423.b
obserere tabellam 87.d
occasione vtendum 432.b. 441.c
occidens solis stabulum 543.c
occupatio 248.e
oceanus 246.d
oceanus pater 255.b

octophoron 31.d
octauius Cæsar, pro Octauiano 329.b
ocellus, de re charissima 84.c.85.c.a
oculus, pro re charissima: 12.d: (Vnde oculissimus, ibid. & 13. c.) oculorum sensus nobis charissimus 13.c
oculi totius hominis pars optima 559.e
oculi propria, & encomia: itemque etymon 572.a
oculi nigri venustatem habent 112.d.a.e.113.a
oculi loquaces 505.d
oculi duces in amore 660.b.661.a.662.b
in oculis tota luxuria ibid.
oculi insatiabiles ibid
oculi glauci in Pallade laudati 692.e
oculi ex fletu turgescunt 12.a.13.a
oculi geminæ lampades 555.d
oculorum fulmina 548.a
oculi sideribus comparati 632.e
oculos pascere 260.e
oculitus amare 13.c
odium fraternum 587.a
odium Vatinianum 42.b.45.a
odium & amor erga eandem 549.e
odor, quid 354.c
odores Assyrii 409.a.& Arabici 412.b
oe 241.d.e
oetæus 718.d
olea 469.b
oleum pro palæstra 203.d.211.a
olim 246.b
oliuum Assyrium 21.e.22.d.c
olla legit olera 358.c.b
olympus 550.d.e
olympus quid 811.e.a
omen 154.b.168.d
omen à crepitu flammæ vino obrutæ 817.d
omentum 354.e.a.c.355.c
ominat, & ominatur 612.c
omnes lætitiæ 340.c
omnia experiri 57.b
omnia non vni Dii dederunt 744.c
omphale cui seruiuit Hercules 751.b
onatas faber 746.c
onychites lapis 604.d
onyx 291.b.293.a.297. d. 656.e.657.a
onyx murrheus 748.e
opacare 101.d
operari, verbum sacrificiis aptum 469.b. 706.b
operatio & functio idem 507.e
operire fores 310.c
opes Cambysis & Lydii Regis 687.c.d
opibus non mentes, non curæ hominum leuantur 514.b.516.a.d
ὅπλα 381.e
opponere, pro oppignerare 70.c
ops 421.a.b
opis Deæ varia nomina 718.a
optimus, maximus cur antiquè Optumus, maxumus 90.b
optimus, in malam partem 88.c
opus, absolutè 472.e
opus Lybici dentis 699.c.d
ora 88.b.243.d.263.c
oraculum quid 482.a
oraculum Iouis Dodonei 593.a.b
oraculum Atheniensibus de persoluenda pœna Androgeneæ cædis 274.c.275.a
orandi mos per genium 560.c
oratio genetibus perturbata videri non debet 56.a
oratoris arma eloquentia 778.a
oratori non licet excitare fletum apud Athen. 104.c
orbis in quinque partes diuisus 537.e.546.e
orbita 673.a
orcus. 775.c.12.b.d.13.a.515. Luridus. 516.c.e. pro Plutone, ibid. pro Charonte ib.a
orci leges inexorabiles 859.c.861.a
orcini liberti 516.a
ordo poëticus 238.d
ordo poëticus & oratorius differunt 203.a
ore fauere 831.d
orestes pro mortuo habitus 659.d
orgia 717.c.242.a.b.251.a.269.b.276.e
orgia Veneris 261.a.b
orchia terebinthi 740.e
oricilla 69.c
oricos 589.c.590.d
orion 291.a.293.b.300.b.e.302.c.d.e.a.b.688.e
ornari satis non possunt duo: nauis & fœmina 605.c
orpheus 581.b.e
ortalus 283.e.284.a
ortygia 91.a.b.832.a
otus Thebanus 411.d
orythia 618.a
os leue, pro imberbi 455.e
os purpureum 117.a
os magnum 650.a
os turpe 698.c
os ferreum 110.c.111.d. durum. ibid.
osci populi 804.e
oscilla 469.e
oscillorum ludus 166.d
oscinentes 68.a.b
oscitare 67.a
osculum 29.e. in oculis. ibid
oscula. 122.c.d. osculorum seges ibid.
oscula χύτρα 501.b
oscula dedisse noctes 432.e
oscula morientibus data 390.a
oscula cur olim data mulieribus. 540.d. Vide Basia
osculandi tria genera 695.c
osiridis pater Saturnus 805.e
osiridis mors 445.c.d
hic Bacchus apud Græcos 445.c.d
ossa defuncti legere pium 412.a
odoribus condiebantur ibid.c
ostium taciturnum, oculissimum 609.d
ostrum 604.c
ostrum Sarranum 555.e
ostrina tunica 695.a
otho Trib. plebis 130.b
otii mala 125.d.126.a.c.d
otium molestum podagrici pedes 126.c
ouidius & Tibullus eodem die nati. 328.a.b
ouidius relegatus ob Iuliæ infamiam, non ob

libros amatorios 865.c.866.a
ouium duo genera 790.b
oues pellitæ ibid.
Οξύμωρον 23.c.339.b

P

PActolus 586.a
Pactolus Lydius aurifer amnis 515.c
padæi populi 545.a.554.d
pæan 765.b
pæones 544.b
pæstum 827.b
pagani 821.c
pagina 674.b
palæstina 444.d
palæstra Laconica 761.e.762.a.b.c
palæstræ auctor 203.b
palatinus mons 790.c
palatium 790.b.c.852.c
pales 389.d.791.e
palimpsešton 59.d.60.a.61.d
palla 519.d.521.c
pallas p.o Vesta 821.a
pallas in tutela Vestæ 822.c.a
pallas cæsia 116.d
pallas Ithonia,& Parthenonia dicta 241.c.a
pallas cur Tritonia 245.c.253.d
pallas arcium tutrix 236.b
palladis artes 776.b
palilia festa 500.e.791.d.a.821.e
pallidior inaurata statua 346.e
palliditas,color informis 558.c
pallor amantum color 453.e
pallor,pro squalore,vel carie 569.a
pallor aptus amanti 572.c
palma 251.b
palma Ægyptia situm sedat 825.d
pan 614.a.724.c
pan Syringæ amore captus 495.b.c
panchaia 511.b
pancratium 762.c
pancratiastæ ib.& 763.a
pandare 24.a
pandion 618.a
panegyricus Messalæ 535.536.537.538.
pannonius fallax 544.b.553.b.c
pantis,icis:Gal. *Pance* 569.e
papaueris satiui tria genera. 150.a.154.a. quatuor 169 b
papyrus 93.c
paragoge 152.b
paragrammatismus 34.c
paranymphus 150.a.b
parare.i.emere 31.d.32.b.33.a.35.c.35.a
parastades 154.b
parcæ 443.d
parcæ nent simul & canunt die nostro natali. 446.e
nascentibus fata scribunt 450.a
parcæ cantasse feruntur in Pelei nuptiis. 263.d
Has plato refert albis indutas esse vestibus. ib.
parcæ Iouis librariæ 840.e
parcitas antiqua 393.b
parentes 672.e.673.a
parentes nunquam certi nisi in nuptiis 184.a
parentum similitudo in filiis,181.b.186.c.Cuius defectus calamitatem portendit ib.186.
paridis iudicium 630.d
paridis concubitus cum Helena 661.b
parietaria herba 641.b
parietes crusta marmoris primus operuit Mamurra 77.c.78.b
parturientium mos 91.b
parius lapis 743.c
parma 683.d
parnassus 245.d
paronomasia 158.a
paronomia 33.a
parotides 634.b
parrhasius vindicatus cõtra Beroaldum.746.d
parrhasii opus 744.bc.
parricida Scylla propter turpẽ amorẽ. 420.c.d
parricidæ furiis agitati 731.a
parthenius mons 573.b
parthenice 150.d,169.a
parthus lingua Scythica,exul. 36.b.756.b
parthorum olim regna XVIII. ibid.
parthi Sagittiferi ibid.d
parthi Augustum timentes, remittunt ad eum quæcunque à Crasso acceperant 650.a.b
parthi à tergo bellum inferunt ibid.c
partus quomodo accelerandus 734.a
partus in vndecimo mense 633.a
partu,pro partui 602.d
pasiphaes amor insanus in taurum 703.e
pasithea 203.c.205.c.214.d.e
passer Lesbiæ.7.e. Luctus de eius interitu 21.c
pater patratus dici non poterat nisi qui patrem & filios ciere posset. 164.a. eius munus. ib.b
pater cœnæ,esuritionum 57.e
pater minxit in gremium gnati 306.d.c.309.e
patris nomen tributum Diis omnibus 266.e
patres & Patricii 790.c
paternæ imprecationes exauditæ 627.c
patria creatrix.210.a.patriæ desiderium 659.b.c
patrimi 7.b
patrare,& Patratio 80.a 81.c
pathici,cynædi,catamiti,iidem ferè 48.c
patiens,pro durus 609.c
patientia,pro duritia 513.c
patientia laborum 405.a
patientia vincit. 417.c.419.c.a. 422.c.d.415.c.1.e
patroa,& Patrona 1.col.2.4.c.d
patrocli mors vindicata 645.c
patronymica Græca 246.d
patruus 338.e
paupertas non est apta Musis 717.e
paupertas diues 391.c
paupertatis descriptio,& eius commoda 62.a.e
paupertatis extremæ indicium 141.b
pax κουρότροφος θεά 501.a
pax cum Cerere coniuncta tenens spicam in manu.465.a.pacis commoda & encomia.461.e a.d.464.a.b.501.a
eius simulacrum 463.c
pace,pro pacis tempore 464.c
pace tua 682.a.683.a
parilia,Vide Pallilia
pectere,pro pectore,in antiq.libb. 115.c
pecunia 31.a
pecunia à pecudis nota 792.c

pecuniæ

pecuniæ abundantia possessionum auget pretium 753.e
pectore læto.i.animo 565.e
pecus de omni bruto 211.b
pecus tardum 548.e
pecoris appellatione quid continetur 471.c
pecorosa palatia 852.c
pede candido, pro felici accessu 148.a
pede inuito redire 684.e
pedes iustitiæ lanati 735.a
pedes gypsati. 483.c. cretati 485.d
pedum laus à candore 429.c
pedum obseruatio superstitiosa in limine 409.c 413.b
pedestri itinere: sicco sinu 500.d
peditus, & Peditum 131.c.132.a
pegasæ 618.b
pegasides cur Musæ dicantur 718.a
pegasus 133.c.696.d.e
pegaseus volatus 134.a.135.c
pegasa vehitur Aurora 304.b
pelagiæ 247.d
pelasgi 692.d
pelei & Thetidos nuptiæ 228.266.c.d
pelias & Neleus 600.e
pelion 242.b.251.a
pellere humum pedibus 145.c.152.b.174.c
pelops 244.a
pelopes duo 420.e
peloponesus vnde dicta 590.a
pelusiacum vltimum ostium Nili 746.e
pelusiotæ non edunt cæpe, &c. 746.e
penates 209.b.275
penates Dii 245.d
penelope libidinis notata 186.d.e
penelopes castitas 151.c.d.172.c.d
penelopes tela 647.d
peneus flu. 242.d.251.a.318.b.c.325.a.330.d
peninsula 84.b.c
penis 46.c.47.b
penite! pro penitus, antiquè 154.d.169.a
penitus, Penus, Penates 185.d
pennæ ventorum 135.c
pennæ felices, pro felicibus auguriis 748.d.e
pentapolis 283.c
pentathlos 763.b
penthesilea 750.c.751.a
pentheus 781.b
pentheus Bacchi cōtemptor dilaceratus, 250.c à fulmine ictus 530.c.d
pentheus à matre discerptus 765.a
per, auget orationem 533.e
per causam 436.b.439.b
perambulare cubilia 81.d
percussus amore 406.b.c
perditè amare 117.b
peregrè redeuntes Deos penates ibant salutatum 415.c
præmittebant nuncios ad vxores 416.a
peregrinum Lacedæmonii sibi ducem non faciebant 711.c
perenne, Aduerb. 2.b.5.a
perfidus & infidus 249.c
perfugia duo seruorum, ara, & deprecator. 567.d
perfundere amorem 263.b
pergama 623.a
pergamenum 59.e
pergula 829.c.d.e
pergulæ ædificiorum ibid.c
perili taurus ahenus 683.c.684.a
perimede 636.c.637.d
periphrasis 553.c.782.b.833.e
perire, pro *pereundi*, seu *vt periret* 512.e.512.d.* 513.c
periurium 739.e
periuria Veneris venti ferunt irrita per auras 417.c.419.b.422.b.c.d
periuria ridet amantum Iupiter 533.e
periuria non semper ridet amantum Iupiter. 663.e 664.a
perizomata 728.a
permessus 651.c.d
permittere vela 460.b
permutatio sola, olim in vsu. 39.a. De permutatione 40.d
pernix 8.b.9.a
pero Nelei filia 633.d.e.634.b
peroratio 864.c
perpetuitas 411.a
persæ infidi 546.a
perscindere genas 465.c
perse, pro Perseo 865.b
persephone 656.c.d
persephone laudanda Dea. 527.d. Vide Proserpina
perses captus à Paulo Æmilio 723.c
perseus 133.b.136.c
perseus dimicaturus contra Medusam. 696.e 697.a
pertendere 661.c
pertinacia 661.c
pertundæ deæ 87.c.a
peruigilium Veneris, quid. 869. e. Item fortunæ, Cereris ibid.a.b
perusinum bellum, & Perusina fames 620.e
perusium fœmin. gen. 621.c.a
pes, pars veli, aut funis 15.a.e.16.b.c.18.c.a
pes exiguus in fœmina 112.c
pessum 341.c
pestis, 332.c.341.d
petasus 667.c
Φάεα pro diebus 302.a
phæacia tellus 409.c. 412.c.543.e
phaëton duarum syllabarum per sinæresim. 243.c
Phaetontis sorores 251.c
phaëtusa 757.a
phalaridis taurus 683.c.684.a
phalerius Athenarum portus 777.c
phalernum 457.a.e
phaleucius versus 2.b
pharaones 625.e
pharetra Gnosia 652.d
pharmacum nomen anceps 653.a
pharos 625.c.d
pharsalia 247.a
phaselus 777.d
phasis fluuius 236.d.253.b.265.a.618.e

pheneus 325.a.330.d
pherecides 261.d
pherecration carmen 173.e
phidias 744.e. & eius opera.ibid.& 745.a.b
philæ, insula 850.b
philetas 831.e
philetas poëta purus 747.b
philetas prælatus Callimacho. 714.b.c. Eius fatum 719.d
philippos ciuitas 624.e
philoctetes 927.a.b
philosophia expultrix vitiorum 778.b
philosophia ætati maturæ apta 729.a
phineus 731.c
phlegræus campus 617.b.626.e
phœbus futura nouit reuelante Ioue 519.d
phœbi elegantia tam forma, quàm habitu. 517.b.c.d.e
phœbus cur Medicinæ magister. 558.b. Salutifer, Artemis.ibid.. ἀκερσεκόμης. ibid.e
phœbo votum 491.
phœnix Amyntoris fil. 627.c
phorcis Medusa à patre Phorco. 780.e.a. siue Forcinis ibid.a
phosphoros 192.c.193.a
φρενίτης 109.d.e
Φελλὸς 261.d
phrixus 687.a
phthia 292.d.295.c.d
phthius 657.c
phyllira inuentor herbariæ medicinæ. 617.d
phyrne 505.d
phyrne pulchritudine corporis absoluta in iudicio. 640.b.641.d. eius diuitiæ immensæ meretricio quæstu comparatræ ibid.
pictorum ignorantia notata in pingendis imaginibus 569.d
picturæ commendatio 778.b.c
picturarum obscœnarum vitium 641.d.e.a
Nullæ figuræ obscœnæ apud priscos ibid.
pignora sua cedere 567.b
pigrum gelu 405.a
pila Romanorum telum 857.d
pila ærata 794.a
pilæ 99.d.100 e
pilare 417.c
pilei militares ex pellibus 856.e
pileati 99.e
pileati Castor & Pollux 100.e.101.b
pilum 723.b
pili facere 30.e.50.e.51.c
pimplæus mons 373.c
pindari encomium: cuius & familiæ pepercit Alexander Magnus 770.c
pinus.613.e. In tutela Cybeles ibid. & 614.a
Fabula de pinu & Borea amatore suo. ibid e
pinus 239.a.246.b
pinea tæda nuptiis prælata 174.c.a.b.186. d
pipare, & Pipillare 12.a. e.13.c
pipulus ibid.13.c
piræos Athenarum portus 777.e
piræus longo muro Athenis coniunctus. 778.a
pirithous 628.d
pisanorum regnum 590.e
pisaurum 346.c
pisces cur aquiticis nutriuntur alimentis 632.b
pisces signum celeste 795.c
piscium vsum in rebus illicitis ducunt Ægyptii 449.c.a
piscinæ marinæ 482.c
pisonis mores notati 73.c
pisones vnde dicti ibid.
planctus vndæ 273.b
platanus 243.b.251.b
platanus in delitiis habita 160.c
platani in pretio habiti 702.c
platea 46.b
plato mihi est vnus instar omnium 712.a
plaustrum pro naui 236.c.254.b.c
plausus 727.d
plectrum 632.d.841.d
pleiades 730.b.731.c
pleiadum chorus ibid.
pleonasmos 214.c
ploxemus 363.e.364.b
plumipes 133.c.136. d
plumbi duo genera 60.b
pluteus 849.c
pluto, & eius cognomina 861.b
pluto cur Dis 780.d
plutus 387.d
pluuiæ cur somnum prouocent 401.b
pocula Phædræ 626.b.c
pocula gemmata in luxu 728.d.e
podagra, ex coitu 334.c
podagra secari ibid.b
podagra vxorites amara 457.
Otium molestum podagrici pedes 116.c
poema quid 124.c
pœna, pro lege in quam fœdus initum est 646.b
poenas apud inferos vllas esse negat Lucretius. 730.e.731. a.c. Item Seneca & Cicero. ibid.d.e
poeta castus esse debet 519.b.c
poeta castus, versus lasciui 48.a.c.e.49.c
poeta versibus milites ad prelium exacuens. 711.a.b.c.
poetæ dat ingenium sua puella 498.b
poetæ sunt in tutela Deorum 501.b.519.b
poetæ Dii appellati.587.b.c. quod reprehenditur. ibid.e
poetæ Musarum & Apollinis sacerdotes 494.a.717.b.719.e
poetæ nemorum secessus & antra quærunt. 717.c.d
poetæ hedera coronati 638.c
poetæ ad omnia carminum genera non sunt nati 626.d
poetæ sua carmina publicabant apud librarios, aut pilis agglutinabant 43.a
poetæ mordaces ib.b.44.c
poetarum licentia, qui sæpe vltro emittunt dictiones, interdum reticent. 10.e. Item aliæ licentiæ variæ 12.b
poetarum licentia 237.c.d
à Poetis sperare pretium scelus est 420.b
poetica ars otium languidum, ignobile. 547.b
poetice quid à poemate & poesi distet. 124.b

poetriæ tres veteres 634.c.d
poetus per auaritiam submersus. 736.d.737.c 740.c
Ποιητὴς 494.b
polire 5.e
polliceri montes 382.e
pollinctores 390.e.803.d
pollux pyx agathos 763.b
pollucis & Castoris signum faustum.517.b.521.c
polydamas 718.c.719.c
polymnestoris auaritia 761.a
polynices & Etheocles 648.b
polyphemus 541.c.d.e.a
pomaria 720.d
pomona 806.c
pompeius ter triumphauit. 752.b. eius mors deplorata ibid.c
pomum, quid 388.e
pondera, pro testiculis 214.a
ponè: i. à tergo 765.d
ponere vota ante deos 392.e.b
ponticus Poeta 587.e
ponticus sinus trux 14.b.15.b.16.e.17.b
pontus 589.d.e
popa 816.c
popinæ ibid.d
populi Romani tres partes initio 793.a
populi arboris tria genera 853.b
porcus Græcum vocabulum. 462. a. A porcis cœperunt fieri sacrificia ibid.464.a
porci sæcres 791.c
porrectus homo 311.a
porrigere 646.b
porta cœli 325.c
porta prætoria in castris 792.b.c
porticus ab Augusto extructæ. 698.b. porticus Apollinis ibid.d.700.a
pompeia 702.d
porticus Romæ vbi matronæ spatiari solebant 678.d
portorium Charonti soluitur à defunctis. 861.d.e
portunus 687.d
posiui 90.d
posse, pro audere 586.c
postilla, pro postea 349.a
postumia mulier vinosa 71.e.c
postumus & postuma appellatione filii veniũt 170.a
potare in galea mos militum 756.c
pote 307.a.340.a.341.a.626.a.636.e
potis in singulari de pluribus 341.c
præcones 714.c
præconium ibid.& 547.d
præfari animam 513.e
præmetium 391.d
præneste 701.a
præportat 250.b
præsagire 750.b
præses prouinciæ esse non poterat nisi qui ex legitimo matrimonio procreatus. 147.c. 156.b.164.c
præsumptio Thamyræ vindicata 676.d.e
præteritus 657.d
prætexta 169.a.b.180.c.764.d
prætexta pulla nulli licebat vti præterquam ei qui faciebat funus 839.d
prætextata verba ibid.c.d
prætor 664.b.724.d
prætor Macedoniæ & Achaiæ idem 666.c
prætores Ro. irrumatores 30.e
prætorium 792.b.c
prætoria: tabernacula imperatoria 820 b
prætorium ius, honorarium 866.b.c
prati vltimus flos 36.a.37.c.38.a
praxitelis signum 640.b.c
praxitelis opus 745.b
precari. Bene precandi modus 531.b
precatio fausta 477.d.e.a.b
precatio duta, 420.a. Optima ibid.
precatio à prosperis 76.e
precatio fausta in conuentionibus nuptiarum aut sponsaliorum 524.e
precatio ad Proserpinam pro vita producenda 524.e
precatio pro mortuis 505.b
pretium grãde puellas corrumpit. 488.c.491.d
pretium, in malam partem 342.a.b.d
priapus custos hortorum ruber. 388.b. falcem habuisse fingitur ibid.
priapus Deorum antiquissimus. 55.a. Vnde dictus ibid. Priapus Bacchi filius, virginalis Deus. 419.d.425.c.d
priapi cognomina. 569. c. Imprecatio Priapi aduersum se si sciens fallat ibid.d
priapeium carmen. 52.e, 53.d. quod alii angelicum 49.e.50.d.137.e.a
primitiæ fructuum Deo dicatæ 802.d
primitu 55.b
primoribus labris 10.a
primus digitus, pro prima parte digiti. 8. c.e. 9.a.10.e.11.a
primus locus digniori datur 636.a
primum 8.c
principium elegans: Placet? Verum est? 569.a Vide ergo, & Sic.
priscus parens 456.d
prisca simplicitas 760.b.e.a.b.c
prisca fides 460.e
prisci seculi felicitas ib.461.e
priscorum temporum mores 760.b.c.ab.c
prius. i. olim 16.e
probrum & opprobrium 820.c
procæcion 172.a
procella 67.e
proci à procando. i. petendo 333.c
procul-procul 477.a
procumbere magicorum 433.c
procurare verbum in religionibus idem ferè quod Expiare 430.c.432.c
proditores inuisi, infestique 822.b.c
prognes & Philomelæ metamorphosis. 672.c
prognosticon ex hespero sidere 192.b
proh aliquando aduerb. admirantis sicut interiect. dolentis 292.b
prolis generosæ promissio 263.d
promethei fabula 243.e.a. 251.d.270.a.b.c. 600.c. Quomodo liberatus 266.a

promethea iuga ibid.d
promissa inania, à ventis ferri dicuntur 83.a
promittere pro vouere 257.e
pronomina maximum habent pondus 854.a
pronuba 158.c.189.b
pronunciatio barbara reprehensa 348.d
properiter 214.a
propertius mendacii officiosi notatus 773.a.b
propertius Callimachus Romanus 794.b,c
propertii patria Vmbria 621.d
propertii patria hactenus ignorata. 799.c. quæ est Ameria 808. a.in Vmbria
propertii elegantia, patria, parẽtes, amici, amores 572.a.b.c.d
propertii habitatio Romæ in Exquiliis 783.d.e
propes 18.b
propinqui furiosorum curam habebãt. 108 c.d
propontis 14.a.15.b.780.a
proserpinæ ius in res mortalium 525.a.b
Hec eadem quæ Iuno ibid
proserpinæ varia nomina 656.a
Προσφθέγματα. 370.e
protelo, aduerb. 138 ac.d
protesilaus. 615.e.317.b. Primus ex Græcis perimendus ad Troiam. ibid. Qualis fuerit. 319.e
prouincia 111.b
prouincia à procul vincendo 727.e.a
prouinciæ dictæ sunt regiones longè ab Italia acquisitæ 727.e.a
prouinciarum nomina in plur. numero efferre solenne Romanorum 118.e
prouinciarum aliæ proconsulares, aliæ prætoriæ, aliæ præsidiales 164.d
prudentia omnes virtutes metitur 808.c
pruina 589 e
pruina vnde gignatur 648.a
pruina matutina ibid.e
prurire 352.c
psilæ 565.a
psilei rami 573.c
ptolemei quando vocari cœperint 615.a
pudet nos nostri 795.a
pudica seruari non debet: impudica non potest 641.b
pudica & proba, feminarum laus maxima. 111.e
pudicitia tempore Satur. Sed iam &c. 703.e
pudicitia semel læsa, nullus modus seruatur. 774.a.b.c.d
pudicitiæ templum Romæ 641.d
pudicitiæ attẽtator Ixion. 417.b. itẽq; Tityus. ib.
pudicitiæ maternæ comprobatio. 151.c.171.e
pudicus quis more poetarum 58.d.e
pudicum neminem existimabat Nero 57.d
pudor 110.c
pudor sponsis excita lachrymas 164.d.e
pudor laudatur in iuuenibus, damnatur in senibus 156.d.164.c. Vide. 177.b.184.c
puella placens satis culta est 576.c.578.e
puellæ venustæ descriptio 312.b
puella, pro scorto 565.d
puella vaga 584.e
puella bona, mala, 490.c.d
puella comparata floribus. 194.e. & viti ibid.e
puellæ formosæ olim AlphesibϾ nominabantur 606.d
puellæ cingulo præcingebantur ad pudicitiæ custodiam 8.b.9.c.10.c.d
puellæ nuptiarum die fugiunt quod cupiunt. 197.c.d
puellæ promiscuè cum iuuenibus in palæstra Laconica 762.b.763.b.d
puellæ Rom. in theatris 675.b
puellarum superbiam qui vult domare duas amet 336.a
puellis ingenium amatorium placet, non philosophicum 712.d
puer, de seruo 580.a
puer è triuiis adhibebatur in sortibus faciendis 416.b
puera 20.c
pueri triplex significatio 165.b
pueri tres patrimi & matrimi in nuptiis adhibiti 148.c.189.a
pueri formosi vendebantur 374 e
pueri mangonum non crescere cogebantur vt fierent nani 850.a
pueriles ludi 137.c.d
puerorum cynædorum vitium 65.e.66.a
puerorum amores prohibiti 149.d
pugillares & Pugillaria 110.e
pugillaria 783.c.a
pugna pro stupro 294.d.e
pugna in curribus olim 134.b
pugnare bella 101.b
pulcher & formosus quid differant 351.d
pulchrè, pro bene ac beatè 64.b
pulchritudo ingenua & naturalis. 577.e.578.b.c.d
pulchritudo consistit in magno corpore 629.b
pulchritudinis propria 112.b
pulchritudinis descriptio. 180.b. Vide forma
pulchritudinis Iuliæ comparatio cum Venere, floridis myrti ramulis, &c. 152 c.d
pulchritudini mulierum succubuit robur Herculeum 751.b.c
puluinar, & Puluinas 22.d
puluis in fœmin. gen. 621.b
puluis, in genit casu. 186.b. puluis Etrusca. 325.b
puluis Erythræus 150.d.e
pumex poliendis libris aptus 510.e
pumex in masc. & in fœmin. genere. 1.col. 2.& 2 c.3.b.c. Eius vsus. 3.d.5.e.6.a
pumicis farina ad prouocandam sitim 717.b
pumice eradebant pubertatem cinædi 149.c
pumicare. 511.b. pumicare gingiuam 105.a
pumicati homines, pumicatæ manus 6.a.b
puniceus color 724.d
punicum bellum 624.c
pupula pro oculo 210.b
pupus & Pupulus 137.a
pupi amabiles parentibus 171.b.c
puræ manus 340.b
purgatio ante sacrificium 831.c
purgatio per sulfur 849.b
purificatio pecoris 389.c
purior salillo 64.c
puriter 105.e
purpura 247.d.604.e
purpura conchilis 238.a.255.c
purpuræ duplex color 483.c.485.c

pustula 481.e
putare dente 440.a.441.d
pylus 540.d
pyræus 838.c.248.b
pyramides Aegyptiæ 721.a.b
Πυῤῥία 355.b
pyreicus 744.c
pyrene prima syll. anceps 443.c
pyropus 857.a
pyrus Malus 388.a
pythagoræ opinio de transmigratione animorum post mortem 548.c
pythagoricæ philosophiæ mysteria 527.e. 528.a.b.c
pythius 699.b
python 482.c.486.e.a.832.833.a

Q

QVadriga 712.a.b
Quadriga, pro quaternis 782.d.e
quadriga tyrannorum ibid.a
quærere, pro quæsere & implorare 612.b
quærere sibi vulnus 677.e
quærere vrbes 773.c
quæsitor inferni 861.c
qualis quantusque 532.c
quam, relatiuum præcedens 433.c
quàm, pro quantum 50.b
quando 596.a
quanta, pro quot 584.c
quantum est hominum 12.b.13.c
quasillus 564.d.e
ancilla quasillaria ibi.
quatere, turpe aliquid significans 297.e
querela. In querelis est aliquod leuamentum 589.d
querelas conicere 456.b
querulæ voces dolentis 271.c.d.e. 272.a.b.c
quæstus ad res inanimes 606.b
quicum 9.c.a
quidque, pro quiduis 309.a
quinctia & Quintia apud veteres 351.c
quis, pro quibus 239.a.542.b.590.b.&c.
quisquam quidquam 309.e
quite, pro Quinte 312.c
quoi 1.col.1.& 2.c.3.b
quondam 246.b
quot, pro quotquot 111.b
quum, pro quandoquidem 11.c. &, quoniam ibidem.

R

RAnæ rubetæ 734.c
Rapere virginem, in bonam partem 145.e 146.e
rapi fæx etiam dicitur ib.145.
rapi virgo dicitur etiamsi viro desponsanda 159.b.176.e.182.a
raptores vestium nocturno tempore 407.d
raptus Sabinarum virginum à Romulo 641.a
raphani in vsu ad mœchorum supplicium 46.e. 47.d.48.b
Ῥαφανιδοῦν 46.e
rarior vsus rem commendat 708.a
ratem quis inuenerit 611.e
ratio mutanda 311.e
rationum liber, Vide Diarium.
raudus 106.d
re, præpositio veteribus producta 708.a
re, plerumque in composito significat contrarium primitiui 454.e
rebelles Deus crudelius vrit 450.d
recepso 114.e.d.115.a
rechamata vestis 483.a.b
recoctus 132.b.c
rectus homo. i. procerus 32.e
recurare 114.d.c.115.d
redhibitoria actio 508.c.e
redictus quàm gratus è longo itinere 83.e
reducere.i. remouere 340.e
referre datum 74.d.75.a
reglutinare 67.b
regna Lydia 548.e
regnum tertium 525.c
rei causam dicentes iurabant se non mentituros 865.a
reiecta veste.i.deposita 297.c.d
religare, pro soluere 211.e
religionem fecit timor 791.d
remedium vulneris sumptum ab eadem cuspide quæ vulnerauit 627.b
remedium aduersus nocturnas formidines 406.b
remex 690.a
remi mors 494.e
remittere: relaxare, aperire 524.e
remora 169.d.616.e
remuria 993.e
renidere 104.a.105.e
reprehendere, pro sistere, compescere 775.d
repulsam passus sæpius Sysypso comparatus 866.e
requærere 384.d
requiescere, actiuè cum accusatiuo 715.a
res ipsæ, pro iis qui eas exercent aut faciunt. Vide exempla 755.a.b.761.c
res gestæ intereūt, nisi Musarum beneficio seruentur 327.a.b
res multæ sine nomine, quæ alienis appellationibus notantur 848.a
residere 243.d
resolutus amore 458.e. corpus resolutum 459.a
restrigare 845.e
resupicare, pro euertere 848.e
retritum rutabulum 67.e
reus 104.c
reum agi, & peragi 697.e
rex per sortis iactum 530.c
regis Alcinoi opes & viridaria 604.b
rhamnusia 124.c.245.a.278.e
rhenus duplex 36.c.d.e
rhenus Thraciæ rex 133.b
rhodanus celer 444.a
rhodus 14.e. cur nobilis 14.a.15.e
rhœsus flu. 780.d
rhœteum 282.d
rhombus 692.e.693.a.734.d
rictus qualis mulæ meientis cunnus 363.b

ridere ore catuli Gallicani 110.a
ridere in natalibus liberorum consuetudo antiqua 189.b.c.d.e
ridere, dictum de domo Iouis Musicæ concentu respersa 269.c
ridendum non est in miseriis alienis 433.a
risus ineptus 104.b.106.c
risus in infante bonum omen 171.c
riuales 139.a.590.b
riuus 589.b
rogare sacram viam 679.d
rogus 104.d.645.e
rogo superinfundere solebāt aromata 409.e.a.412.b
rogo iniiciebantur vnguēta, vinum, hiacinthus & quinque prætiosa 839.a.b
roma terrarum caput 780.e
romæ laus à commodis 779.e.a.b.c.d
roma vrbs æterna 498.c
roma septimontialis 753.c
de nomine Vrbi imponendo certamen inter fratres 614.c
romæ primordia, & Romanorum prisca simplicitas 494.e.495.a.b.787.788.789.790.e
romæ fata ex vaticinio Sibyllæ 491.d.492.499.d
roma degenerans 797.d.e
roma propriis appugnata triumphis 661.b
romanæ ciuitatis partes 793.a.b
romani ad Iudæos transeuntes circumcidebātur 120.d
romani imperij amplitudo 496.a.b.c
romulus & Remus vnde sic nominati 640.e
romulus, pro romano 77.a.78.e.80.c. vide 81.d
romuli triumphus 793.b.c
romuli mater trinomina 496.e.
romuli casa 790.a
romuli galea lupina 856.d.e. clypeus simplex 857.a. & balteus ibi.a
ros Arabius 519.b.521.a.b
rosa humanæ comparata formæ 167.d
rostrum 246.e.482.a
rubeta 754.c
rubigalia 468.e
rubigo ib.
rubiginis vis 682.d
rubor in genis formam auget 422.b
rubus 557.b. rubi non æqui ibi.c
ruborum. ciuitas Italiæ ibi.c
rugosi senes 827.b
ruma 640.e
rumis: mamma: Vnde Romulus & Remus 746.d
rumor 567.c.584.b
rus colere non turpe 481.a.b.c.484.c.486.a.b.c
ruris desiderium 84.d
rursus, pro retrorsum 714.d
rustica vita 480.a.b.c
rutabulum 67.e.309.c
rymbus 208.c.d

S

S, ablata in fine dictionis more antiquorum licentioso 383.c.d.384.d
sabbati dies itinerantibus exitialis 409.e
sabini 104.d.113.a.b
sabinorum frugalitas 703.d
sacculus, pro crumena. Vnde Sacculus plenus aranearum, pro crumena vacua 41.b.42.b
sacæ populi 36.a.37.a
sacellum 670.a
sacer, pro execrabili 334.b
sacer homo, scelestissimus 45.d
sacer esto: imprecantis 742.d.e
sacerdotes musarum Poetæ 494.a
sacerdotes Isidis semiuiri 410.b. calui 416.d. stipem emendicantes ibid.e
sacerdotes Cybeles & Bellonæ suo cruore incisis brachiis & virilibus 676.a.b.c.d
sacerdotes aruorum 468.e
sacerdotes ambaruales spicis coronati 469.b
sacerdotum Bellonæ sacrificia cruenta 437.a.d
sacerdotum integritas notata 437.c
sacres 469.b
sacrum fit 561.a
sacri instituti initium à suillo genere cœptum 462.a.464.a
sacra externa vetita 791.c
sacra diis peregrinis facere non licuit 55.c
sacra deorum non reuelanda 525.c.d.527.c
a sacris Bonæ Deæ viri arcentur 853.c.d.e
sacra acutis vlulatibus agitare 209.c
sacrata quæ 371.e. & cur sacrati Christiani ibi.
sacrificaturus manus abluebat 469.e.472.b
sacrificaturi quomodo purgantur 831.c
sacrificaturi se à coitu temperabant 410.c.413.e.a
sacrificia prisca ad fistulæ sonitum 792.a
sacrificia prisca ex vilibus & ineptis rebus 463.d
sacrificia in excelsis quæ Banoth ab Hebræis vocantur, à Persis deriuata 355.c
sacrificiorum diuersæ qualitates 437.b
saga 401.a.b.c.d.403.e.a.b.c.636.d
sage epitheton, verax 407.a
saga vetula, interpres somniorum 637.b
saginarium 791.d
sagire 750.b
sagittæ hamatæ 652.d. achæmeniæ 655.a
sagulum 857.e. virgatum 858.e
saitæ populi 630.b
sal, pro mari 267.a
sal, lepor 41.c
habere sal 351.c
solis pascua seu stabula, Occidens 543.c
salis mica 350.d.351.a
salsum, quid 350.c
salsus 39.e
salapentium 129.c
salaputium 130.e
salax 99.c.100.c
salebræ 767.a
sales 778.a
salicippium 129.c.130.b
salij 380.a
salij sacerdotes Martis 50.c.e. imò ludii ad sacra Herculis saltantes 54.a
salisubsulus Mars 52.b.54.a. salisubsuli 53.e
saliua vino inest 840.c.847.b
saliua in expiationibus 840.a
salmoneus, à quo Salmonea ciuitas 601.e
saltatio Ionica 675.c

salta-

ſaltationis difinitio 145.c
ſaltationes ad lucernas 741.b
ſaltus 782.a
ſalutare non modo accedentibus, ſed etiam abeuntibus tribuitur 510. d. larga donare ſalute ibidem.
ſalutare ſepultos mos erat apud antiquos 370.c
ſalutatio regionis ad quam è longinquo veniebatur 85.c.d
ſalutatorium 842.e
ſamaritani cur Cutæi dicti 576.d
ſampſycus, herba 159.e
ſancti Dij veteres dicti 97.a.b
ſanctones 443.d
ſandix 684.e.685.a
ſanguis integer in iuuene 817.a
ſanguis auitus 681.b
ſanguis frigidus tardi ingenij hominem ſignificat 162.b
ſanguinis effuſione vaticinabantur & ſuo cruore ſacrificabant Cybeles & Bellonæ ſacerdotes 675.c.676.a.b.c.d
ſapientia veterum 541.a
ſapo, quo capillos rutilamus 668.d.669.a
ſapor, pro lachryma: Græcè χύλος 519. d
ſappho Muſa decima 94.e
ſapphus poetriæ verſus 117.c
ſapphicum carmen 36.a. licentia in Sapphico carmine 37.d
ſariſſæ Macædonum telum 857.d
ſarra 664.a
ſarranum oſtrum 555.e
ſatisfactionis formula 398.d
ſaturni pater Sol 805.c. & cœlum ibi.
ſaturno cur falx data 421. d
ſaturnia regna 410.c.d.e.413.e.414.a.b.c.460.461.462.e
ſaturnalia 43.e.44.b. optimus dierum 46.a
ſatyri 241.c. capripedes 769.c
ſatyrus ad Syllam perductus 250.d
ſcabillum 850.b
ſcæa porta Troiana 745.e
ſcæi, qui? ib.
ſcalæ à quo repertæ 606. d
ſcalarum oppugnatio à quo inuenta 712.c
ſcaligeri Principes 86.a
ſcaligeri in pædagogos odium 369.b
ſcamander 244.b
ſcelerare 245.d
ſcelus eluere aqua aut igni 784.c.785.a
ſcinis arboreæ cruces 781.d
ſcintilla parua contempta magnum excitat incendium 593.c.a
ſcipio, pro re turpi 100.b
ſcipio Africanus 754.d
ſcipionum geſta 862.b.b
ſcombri 359.b.e
ſcopare 826.e
ſcortum 22.c
ſcortum deuium 670.c
ſcorti plebeij & vulgaris deſcriptio 678.e. huiuſmodi ſcortum, diabolare ib.d
ſcorta vulgaria minus infamant 680.c
ſcorta in quadriuis & angiportis 140. b. & in ſepulchris mortuorum 141.a.b
ſcoti, & eorum antiquitas 554.a.b.c.d.
ſcotobrigantes 554.a
ſcribere in vento & aqua 333.c.a.b.c
ſcribendi error antiquus 11. d. e. & ſæpe alibi maxime in Scaligeri annotationibus.
ſcribendum pauca & breuia 359.a
ſcripta priuſquam edas nouem annos in iis elaboraſſe oportet 362.a
ſcribentes ſeſe venerantur amentque 61.b.c.d
ſcripta dare tardipedi Deo 97.c.d. aut mercibus complicandis 98.e
ſcriptor debet ſumere materiam ſuis viribus æquam 539.b
ſcriptorum conſuetudo antiqua 115.a.b
ſcriptura antiqua, in palmarum foliis, & arborum libris 783.e
ſcurræ 61.a.62.c
ſcylla, & de ea fabula 520.b.c
ſcylla & Charybdis 249.a
ſcyllæ duæ 142.a.b.574.a
ſcyllæ impudicitia 774.e.775.a
ſcyphus Herculis 462.a
ſcyron latro famoſus 766.d.e.781.e
ſcyros Inſula 237.c.246.e.648.b.c
ſcythia pterophoros 632.d
ſcythiæ barbara tellus 520. d
ſcythica herba & eius vis 600.d
ſcythicæ ſolitudines 766.e
ſecari podagra 334.e
ſecreti proditor Tantalus 411.d.415.a
ſecta 202.e
ſeculum 2.c.608.e
ſeculum quo literas ſcire barbaries erat 6.e
ſæculi priſci ſimplicitas 470.e.a.b.c.d.e. vide Roma.
ſecundarii 588.d
ſecures, pro magiſtratu 586.b. cui vſui ibi.e
ſecures & lictores XII. habebant Reges Romani 753.e
ſecuritatis notæ 394.a
ſedare ignobile vulgus ſolus ſapiens poteſt 540.c
ſedere, obſcœnum verbum 579.e
ſedendi ritus in adoratione 694.b
ſegnis & iners quid differant 390.d
ſella curulis 128.a.b.863.c.a
ſella Conſularis ibi.
ſemen genitale cur non eſt in ſenibus 719.b.c
ſemiraſi, qui ad opus publicum damnati 141.e
ſemita 639.b
ſemitarii mœchi 99.d.100.c.101.e
ſemper, dictio frequenter otioſè poſita à Propertio 614.e
ſenatores pulſi à Paulo Æmilio Cenſore 863.e
ſenatores abortiui 790.e
ſenatorum creatio 790.e. & auctio ibid.
ſenecta curua 525.b. tardo pede ibid.
ſenectæ alacris exemplum 537.d.544.d
ſenectum corpus 17.a
ſenectus humilis 464.e
ſenectus miſera 405.a
ſeneo 16.a.17.a.18.d
ſenex, in fœmin. gen. 29.c
ſenex mulier, fama 442.e
ſenex libidinoſus, turpe 390.d

senex recoctus 132.c.b
senis nomine aliquando significantur Epicurus, Socrates, Homerus, Hesiodus, aut Epimenides 711.d.e
senes quid deceant 697.d
senes leueriores 20.b
senes laudant præterita 462.c.464.a
senes tremuli annuere dicuntur 188.d.cur? 185.a
senes cur frigidi ad Venerem 729.b.c. in senectute philosophari ibid.e
sepelire & humare in quo differant 767.c
sepulchrum, pro mortuo 365.c
sepultura 240.c.249.e.267.e
sepultura in dolio fictili 767.b
sepultura Varronis 611.e
sepulturæ genera duo 645.d
sepulturæ officium morte mulctatum ibi a
sepulturæ genus antiquissimum corpus terra condere 390.d
septem in conuiuiis 635.d
septem viæ Nili & Rhœsi 780.d
septem geminus Nilus 36.b.d
septimontium 753.c
septenarius numerus religionibus aptissimus 401.a
septenarium carmen 66.b
septentrionales regiones sole carentes 546.e.a
sepulchra eorum qui in detestatione erant lapidibus petita 829.a
sera medicina 659.b. quod improbatur 660.b
serapea extra pomerium 35.c
serapis 31.b
serapis is est & Bacchus 446.e
serica quid iuuant? 604.c.a
serpens nouus 420.a.423.e
serta annua tumulo data 490.d.e
sertæ 503.e
seruus testis esse non potest 735.b
serui compediti 487.b.505.d
serui stigmatici & in fronte notati 826.c.828.b.c
cretati eorum pedes 828.d.829.b
serui cur sæpe mentiantur dominis 734.d
serui à patria nomen habebant 826.c
seruorum vendendorum ritus 818.d.e.829.a
serui dominorum nomen accipiebant cum manu mitterentur 171.a
seruorum dominatio in dominos 802.e
seruorum multitudo tẽpestatis bonæ signũ 472.e
seruorum duo perfugia 567.d
serum 481.e
serum, pro spermate 345.a.c
sese 98.a.b
sesquipedalis, sesquihora 363.e
sestertium 63.c.71.b
sestertia centum annui reditus à diis precabantur pauperes ib. & 64.d
sestertia decem 372.a
setabis 39.c.a
setabina sudaria ib. & 66.a
sextius, pro quo Cic. orauit 113.c.114.b
SI FALLO 865.a
sibyllæ 630.d.e
sibylla Cumana 494.a
sibyllæ Cumanæ vaticinium de magnitudine imperii Romani 793.e
sibyllæ vaticinium de Roma condenda 495.e
sibyllæ decem & earum vaticinia 497.a.b.c. 502.b.c
sibyllinorum librorum cura ad xv. viros pertinebat 501.e. vide 502.b. hos condiderat Augustus ibid.
sibilum 17.d
sic, particula optantis 419.b.421.a
sic, dictio vsurpari solita in obsecrationibus 52.b
sic, hac dictione vtuntur Poetæ cum vtilia precari volunt 529.b.531.b
sica 308.b
sicambri 834.e
sicania, & Sicani populi 609.c
sicco sinu. i. pedestri itinere 500.d
siccius cornu 62.a
sicelices 303.c
sicilire prata ibid.d
sicilia Vulcano sacra 541.e.542.a
sicula, pro mentula 307.c.309.c.310.e
sidera à considendo 632.e
sydera certa sunt certis populis fausta 456.b.e
siderum chorus interdum de sideribus vniuersis, interdum de solis errantibus intelligitur 475.a
siderum lasciuus chorus 475.a.476.b.c
siderum cursum à sole pendere nonnullorum opinio 476.a.b
siderum cur alia noxia, alia salutaria 795.b
sideribus exactis 581.b
sido 815.b
sidon 665.e.666.a
signa Romanorum in bello 725.a.c.795.b
signa recepta 160.e
signa viuida 698.c.699.b
signa nocturna Martis 391.c
signa Crasso & Antonio adempta Augusto à Parthis reddita 834.b
signa cœlestia certa vice aguntur 411.e.a
signare literas 783.b
sileni 703.c.a
silentium 371.c
silentium Pytagoricum & Eleusiniacum 527.c. 528.a.b.c
silentium immodicum reprehensibile 595.c
silentij Deus Harpocrates 337.e
silentium postulare variis modis olim solitum 842.c.d.e
silenus 241.d
silice virilia amputabant sibi Cybeles sacerdotes 207.d
silicernium 668.a
silicernia 241.a
silones 43.d
sylua comata 14.c
siluæ, luci, nemora 515.a
siluanus cupressum tenens pingitur 262.c
siluicultrix 211.d
similis patri filius 181.b.186.c
simitu 55.b
simonides poeta 102.c.103.a
simplex verbum pro composito 31.d.245.a. 247.a.558.c.559.a

simplicitas

simplicitas prisci sæculi 470.e.a.b.c.d.e.760.b e.a.vide Roma
simulachra proiecta, quæ scillis herbis Græci impetebāt,&inde χαθάρματα καὶ φάρμακα exigere solebant 569.e
singultus 249.b
singulum 380.b
sinistra nobis dextra cœlitibus,& cōtra 116. d.e
sinistra liberalitas,pro stulta 80.e
sinus 146. c
sipla 565. a
sipylum 672.d
sirmio Scaligerorum principium secessus 86. a
sirpiculum 804.a
sistrum 410.b.413.c.752.c
sisyphium saxum,quid 666.e
siticines 643.b
smaragdus 390.b
smyrna 359.a
soccus 152.a.159.b.174.c.678.c
sociei,pro socij 139.a
socrates pictor fuit 814.e
socrates nihil literis scriptum reliquit, sed 710. d
sol genitor astrorum 474.e
sol non est inter errantes stellas 798.a.b.c
sol vagus cur 242.c
solis equi 496.d
solis boues 757.a
solis defectus portentosus 500.a.502.d.e
solis eclipseos causæ 730.e.731.c.d.732.a
solis deliquium ignorantes prisci homines, pauebant,eius interitum timentes 732.a
soles 19.c.27.d.a.419.b.soles candidi 27.d.a
soles condere 424.c
solatia nostra tecum perierunt 322.e
solea 695.c.d
solea arguta 317.c.324.e
solea piscis ibi.
soleæ equinæ 54.d
solet, absque infinitiuo seq. 109.c.d
solitaurilia 468.d
solitudo tori 458.e
solitudo musis apta 315.e
solitudinis incommoda 193.b
sollicitare,solocitare 445.a
solopachium 129.c.d.e
soluere 264.d
soluit trisyllabum 9.c.d
solum 515.c
somnium 821.b
somnium & insomnium 518.e
somniorum obseruatio 695.a
somniorum portæ duæ 841.c
somniorum interpretes 637.a
somnus Deus ibid.
somnus alatus 581.c
somnus pomeridianus 345.d
somnus cur dulcis ibid.b
mollem somnum dura tellus dabat 407.b
somnum discutere lympha pura 747.a.748.e
somnum cur prouocent pluuiæ 401.b
somni vincula 272.e.a
somni & somniorum fuscæ alæ 476.d
sonipes 803.b
sontica causa 456.e.a.454.b.*
sonticus morbus 453.c.454.b.*
sopor consanguineus lethi 20.e
sordere,pro displicere 149.a
sororem vxorē ducere nefas apud Rom. apud Græcos contra 511.a
sors per talorū iactum 409.b.per carmina 412.d
sortes quid 416.a
sortes,pro oraculis 498.b.503.b
sortibus sublatis,in veterib.inscription. ibid.
sospitare 92.b
sparsio croci in antiquis spectaculis: Vide Crocus.
sparsiones nucum quotannis testamento relictæ 798.d
sparta 761.c
spartum 812.b
species 692.e
specie decipimur 710.c
spectatores auri 369.a
speculum imaginosum 108.b
speculum cur inuentum 733.d
specula optima quæ,& vbi ibi.mulier formosa non eget speculo 733.d
spes agricolæ 388.b.c
spes amantis 505.b
spes in genere 506.e.a.b.c.508.b. c
spes dea 508.c
spica à spe 396.a
spica nardi 834.c.835.
spica Cilissa 835.c.d.e
spina nuptiarum facibus auspicatissima 145.e. 152.b.155.e.159.c.d.174.a.182.c
spolia 723.c. d. spolia opima quæ 856. a. trina vsque ad Plutarchi tempora ibidē. Ioui Feretrio dicata ibid.vide 857.c
sponsus cur spōsæ in tenebris iungitur 150.b,c. 159.d
sponsa prior in lecto collocabatur 169.a
sponsam mitem & suauem,non difficilem esse quomodo significarint veteres 157.e
sponsæ deductio in domum 159.c
sponsam pater sponso manu dabat 310.d
spurcus 84.c
spurij,qui 165.e
sputum quo fucus efficitur 453.c.d.*
sputum frequens res inuenusta 112 b.113.a
stacte 577.d
stadium 206.c
statua miro artificio expressa 698.e.699.b
statuarum capitibus quondam vmbellæ imponebantur (quod & hodie fit à Christianis) ne ab auibus conspurcarentur 569.d
in statuas Deorum vel magnatum mingebant quidam per contemptum 569.b.c
statuæ proiectæ,vide Simulachra.
statuas inaurare 346.d
stella à stando 632.d
stellæ errantes quinque 798.a b
stellarum cur aliæ beneficiæ,aliæ contra 689.d
stercorandum quando 729.c.
sternumentum signum augurale,& sacrum 117.e.d.633.c.635.b
sternutamentis cur salutamur ibi.& d

ſtimulus 389.b
ſtipendia Minotauro data 240.a.248.c.249.c
ſtipes in limite pro Deo habitus 388.d
ſtipes in via dolamine effigiatus pro nomine adoratus 583.a
ſtipites Atiniæ 396.d
ſtirps, pro liberis 176.b
ſtoicorum de Deo opinio 90.c
ſtola, matronarum indumentum 628.e
ſtola ſignum pudicitiæ 437.d
ſtragula 401.c
ſtridit 414.d
ſtrigare 845.d
ſtrix 429.a
ſtriges ib.b.& 734.d
ſtriges, quas in veneficiis conſulunt ſagæ 825.b
ſtrophion 238.a.b.247.d.256.d.266.c.272.c. 854.c.d
ſtruma 127.d.c.128.b.e.c
Στηθόδιος 10.b
ſtudia ſeceſſum quærunt 717.c.d
ſtupor ſuperueniens ex maieſtate alicuius 556.c
ſtupor, pro homine ſtupido 50.b
ſtupri tentati ſupplicium 593.b
ſtupri argumentum ceruix tumens 278.d
ſtymphalia monſtra 318.e.328.e
ſtymphalis palus 319.a
ſuaueolens 155.a
ſub 251.d
ſubducere lectum 566.d
ſubducto vultu 650.d
ſubhaſtatio 796.b.c. vbi tamen reprehenſus Beroaldus 800.c
ſubiicere alicui, i. dictare 588.d
ſubire 812.c
ſublimen 684.d.685.b
ſublimes docti: vulgus habet nubila terræ, 717.c
ſubpernare 54.b
ſubſalij 50.c
ſubſellia 204.c
ſubſido 815.b
ſubtemina 263.b
ſubtexere cœlum, nubes 425.c
ſuburranæ meretrices 838.e.839.a
ſuccus ſplendens 453.b.*c.
ſuda tempeſtas 639.a
ſudarium Setabum 39.c.a.& 66.a
ſudes 463.b
ſudor laſſus 824.c
ſudor frigidus 675.e
ſuffenus Poeta 43.b
ſuffeni mores deſcripti 58.d.c
ſufficere 17.e
ſuffimen 389.e
ſuffocare, ſecundâ longâ aut breui differentia 850.d
ſuggrundarium 505.a
ſulfur valet ad expiandas ſuffitu domos 849.b.
fulmen ſufur ſacrum ibid.
ſulpur ſine h. 450.a
ſulpur adhibitum in ſacris ib.d
ſummanus 861.b.c
ſunt quibus, Helleniſmus 747.a
ſuper opus 505.e
ſuperbiæ vindicatrix Nemeſis 124.c
ſupercilium 309.a
ſupercilium cenſorium ibid.
ſupercilia tollere geſtas hominis impudentis 310.e.311.c.d.e
ſupercilia in tutela Iunonis Lucinæ 742.b
ſuperfluens homo 80.d
ſupernati 51.d
ſuperſtitio veterum 395.b.c
ſuperſtitio in numeris 26.e
ſuperſtitionis mater Etruria 521.d.522.d
ſuperſtitioſa pedum obſeruatio in limine 409.e.413.b
ſupinus, pro otioſo 50.c
ſupplices ad deos accedentes olim velabantur 410.a.413.b
ſupplicia inferorum nulla ſecundum quoſdam Vide Pœnas.
ſuprema 370.c.d.e
ſuprema hora dies, &c. 272.d.e
ſura 249.a
ſuræ ſunt hominis tantùm 670.b
ſurrepſti 341.d
ſus, ὗς Græcè, olim θύειν. Cur ita 462.a
ſues agreſtes 670.e
ſues quando ſacris idoneæ 791.c
ſuſa 655.b.c
ſuſcipere 352.d
ſuſpirare alios amores 559.e
ſuum quemque ſcelus agitat 525.a
ſuis, pro ipſarum 352.c
ſylla literator 42.b.44.a.45.b
ſyllabæ breues productæ 183.b
Σύλλαπτρα 139.d
ſyllepſis 497.a
ſymplegades inſulæ 688.d
ſynæreſis 56.c
ſynecdoche 16.c.31.b.86.d.133.a.191.e.404.a. 443.c.a.b.450.c.519.c.668.c.469.b
ſynnada 514.c.d.e
ſyphax 753.d
ſyrenes meretrices 542.d.e.543.a
ſyrenum fabula & hiſtoria 737.d.e
ſyria multis diſtincta nominibus 657.b
ſyria duplex 444.b.e
ſyrorum ſuperſtitio, qui nec columbas nec piſces menſis apponunt 449.c.d.e
ſyrium oliuum 23.a
ſyrma 769.d
ſyrmio peninſula, item oppidum 84.a.b
ſyrtis 520.d
ſyrtes duæ 249.a.648.e
ſyſtole 559.d

T

T, Nota ſuperſtitis: Θ, mortui 312.d.*
tabella pro ianua 86.d
tabellæ 505.e.507.b.783.e.b.505.e
tabellæ in ſinu portari ſolitæ: ſæpè ab ancillis 507.b
taberna 100.d.102.a
tabernæ 136.b.d
tabeſcere 606.c
tabulæ 74.c

tabulis pictis delectati sunt Romani: imò & Athenienses 778.b.c
tabum ibi.d.eius plures species ibid.
tacere: de ianua 609.d
tacitum res tacenda 371.a
tædæ,pro matrimonio 266.c
tædæ,in sacris Deorum 704.c
tænarus 514.c.720.b
tæniæ laneæ in sepulchris 735.c
tagus 78.c
talaria Mercurij 697.a.b.c
tali 680.c.d
talorum ludus 157.c.d
talorum ludus,in quo Veneris felix,canis damnosus iactus 848.b.c
talio 269.a
talus 519.e.talaris ibid.
tam magis,quàm magis 123.c
tamen pro tandem 187.d.638.e
tamen παρέλκει positum 704.c
tanais 545.e.696.d
tangere absolutè 621.d
tangere,pro grauiter percutere 58.b.c
tantalus 411.d.415.a.b.c.d
tanto pessimus quanto optimus 122.d.123.b
tantundem,pro tantùm 50.b
tapeta,Vide Psilæ,Sipla.
tapinolis 518.e
tappones 573.d
tarbella 449.e.450.b
tardipes Deus 95.a.e.97.d
tarpeia clypeis obruta 819.e.821.c.ab hac mons Tarpeius,qui antè Saturnius ib.hæc prodidit Sabinis arcem ibid.& 820.a.d.e.erat que Vestalis ibi.e
tarpeius mons,è quo sontes præcipitabantur 753.b.c
tarpeius ante Romam conditam 790.e
tartari portæ adamantinæ 861.a
tatius 703.d.791.e
taurus mons 239.a.248.b.444.e.a b
taurus Perilli 683.e.684.a
tauri terga,pro tympano 208.e
taygeta 763.e
tectamus 247.b
tela 477.a
tela instrumenta textoria 441.c
tela Penelopes 647.d
telephus ab Achille vulneratus 627.b
tempe 242.d,e.246.e.262.a
tempestas,pro tempore 256.b.c
tempestatibus agitati inuocant tyndaridas 611.b.c
templum Iouis Elæi 721.c
templum Hammonis 25.b
tēplū Apollinis palatini 790.a.b.797.a.b.832.a
templum λυγό ζῶνον Dianæ dicatum 10.a
templum Dianæ Romæ 847.e
templum tribus modis dicitur 290.a
templa omnia loca vocabantur à veteribus 274.e
templa diuersoria libidinum 670.d.e
tempus pro tempore 9.a.330.d.vide
tempus pro parte capitis 185.e.668.e.669.a
tempus fugit 394.a.402.b
tempora tria frugibus periculosa 468.e
tenaron 602.a
tenebricosum iter 22.b.d
tensum 345.d.e
tentare & attentare 411.b.415.d
tentum,pro mentula 345.e
tenus 237.c.246.a
terebinthi materia fidelis ad vetustatem 738.b
terere saxosam viam d
tereus 283.a
terga(i.tergora)tauri ex quibus fiebant cymbala 214.b
tergeminus 520.a
terminus 395.b.396.d.410.e.753.b
terminus Deus 583.a
termo olim:nunc terminus 433.b
termen,inis ibid.
ternarius numerus 748.a.832.e
ternarius numerus perfectissimus 401.a.certissimi ominis numerus 416.b
terna despuere deprecatione in carminibus necessarium ib.& 403.e.404.a
ternarius numerus in rebus diuinis 406.d
terra 539.e.540.a. terræ situs & habitatio 546.c
terra pēdet in aere & ab aqua sustinetur 552.c.d.e
terra prima infelix ex qua fictus homo 732.d
terræ vmbilicus 253.c.d
terræ motûs origo & causæ 730.e
terræ fides, quæ plus reddit quàm accepit 485.c.a.b
terram vertere,versare 484.b. terram iniicere 267.c.268.a.terrā proscīdere,effringere.456.a.
terreri solent fortissimi homines sub ipso conflictu 391.b
tesseræ 680.d
tesserarum ludus 157.d.a.b
tessere 549.a
testa 462.e
testa Samia 205.a.482.d
testis cum nomine neutro 648.a.649.c
testis littora 445.c.447.a
teste,pro testi 735.b
testium audiendorum in iudicio mos antiquus 864.d.e.a
testudo 713.d
tethys & Thetis in quo differant 255.b
teutates 597.b
textrinum 274.b
texere naues ibi.
thais à Menandro celebrata 640.d
thalamus cœlebs 322.e
thalamus in somnio vxorem significat 172.e
thalassij nomen in nuptiis inuocatum 148.d.153.b.159.c
thalia conuiuiorum antistites 199.b
thal⁹ celer 134.e.135.b.d.e.cur æneus dictus 136.a
thamyras Musas in certamē prouocauit,quod illi malè cessit 676.d.e
theatra varia Romæ 675.b.c
thebæ 825.c.thebæ triplices 769.e.thebæ quatuor 645.b.c. thebæ Cadmeæ 587.a. thebæ Echioniæ 745.e.thebæ captæ & dirutæ ib.d
thebarum conditor Cadmus ib.
thelegonus 701.c
themis 320.d.322.c

thera 283.d.545.a.b
thermodon 763.
termopylæ 316.d.321.a
theseus 239.a.primus Athenas muros cinxit ib. b.Herculem imitatus 241.a
theseus apud inferos, Achilles apud superos 628.c.d
thesei profectio ad inferos 626.a.b
thesmophoria 791.d
thespis filias genuit quinquaginta 146.d.157.e
thespia vrbs,rupes 152.e.157.e.160.e
thesproti regnum 597.e.e.599 b.c
thessalia 237.c.288.d
thessalia veneficiorum ferax 489.d.e.584.a.b
thetys 237.c.d.b
thetys Delphine vecta 431.e
thetys cur dia mater dicta 68.b
thetys & Thetys quomodo differant 255.b
thia,arbor 738.a
eius materia incorrupta manet in tectis contra vitia omnia 738.b
thoris insidebant epulantes 154.c
thracia horrida 14.a.15.a
thus scribendum Tus sine h. 413.d.e
thusci 84.a.b
thusci aruspicinæ artis repertores 518.b
thuscia & Tuscia quid differant 807.a.b
thyadæ 253.e
thyasus 250.d.269.e
thyesteæ dapes 781.a
thyni populi,à quibus Bithyni 618.c.620.a
thynia 84.d.85.a
thyoneus 71.a.72.c.b
thyrsus 241.e.250.d.714.e
thyrsus pro furore ibid.
tibia 202.a
tibia Phrygia 205.a
tibia nuptialis 645.d.e
tibia buxa 850.b
tibia in sacris Bacchi 251.e
tibiæ inuentor 242.c
tibiæ obliquæ inuentor Mydas 247.a.b
tibiarum tres modi ib c.&c 251.e
tibullus Veneris Poeta 411.b
tibullus Messalæ in bello Gallico commilito 443.c
de tibullo Ouidij testimonia 438.a
tibullus profuso patrimonio in agellum secessit 395.c.d.e
tibullus ex diuite pauper effectus 547.b.c.d.e.548.a
tibullus & Virgilius vno tempore vita functi 568.b
tibullus & Ouidius eodem die nati 528.a.b
tibullus mortuus iuuenis ibi.c
tibulli amica Nemesis 501.b
tibulli encomia & amores 391.b.c.d
tibulli amor deperditus 487.c.d.e.489.c
tiburs 104.d.115.c
tignum 470.c.d.186.b
tigillum ib.
timor deos fecit 518.c
timor fecit religionem 791.d
tinnitus 372.e
tiresias excæcatus quod Palladem nudam conspexisset 854.e
titanes 623.c
tithonus 668.e
titulus 862.c.d
titulus quid 540.a
titulus rei venali præpositus 491.a.b
tityrus 713.c
tityus 411.c.415.e.a.731.d.fabulæ
tityj explicatio 416.c.d.e
tityj supplicium 673.e
tmesis 327.d.515.e
toga libera 796.d.e
toga pura ibid.
toga pura adolescentibus data 158.c
toga,meretricis nota 564.c.a.e
tolerantia laborum magnum in amore adiumentum 572.d.e
tollere alicui prouerbium 330.c. gaudium
tollere supercilia 310.c.311.c.d.e
tolumnius Veientium rex 857.b
tomyris 545.a
tondi iuuentus Romana non poterat vsque ad xl.annum 470.e
tonitru.Non frustra tonat Iupiter 665.e
tonitrui fulgor cur prius videtur quàm sonus audiatur 712.c
tensores cur cinerarij dicti 267.b.185.c
torculum,torcular,& torcularium 388.d
tornus 712.d
torquato vnde nomen inditum 151.a.155.a
toreeo 323.e
torus Attalicus 656.e. torus vacuus 410.d.
tori solitudo 458.e
tori geniales vestibus contegi soliti 276.c
totum 108.c
toxicum 584.b
trabs,pro naui 16.e.trabs, pro mentula 75.a
trabs Peliaca: Argôs 780.a.b
tracta & Tractæ 441.c.d
tradere 331.d
tradi asino 364.d
traducere 680.a.b
traductio 182.e
traianus herba parietaria nominatus 641.b
tramites 782.a
transidere in otium 331.c
transiet 423.a.425.c
transpadana regio 104.c.105.a
trecenti 37.e
trecenta 29.e
trepidis rebus 482.a
tribus chartis explicare 4.b.7.d
tribus initio tres Romæ 793.a
tribus vnde dictæ ibid.
tributum æreum Charonti soluitur à defunctis 861.d.e
tributum 14. iuuenum Minoi solutũ ab Atheniensibus 238.c.148.a
triens, mensuræ genus 748.b.c
triga,pro ternis 782.e
trinacria rupes 321.e
trinomius Deus 855.a
triphallus,& Tripallus 569.c
tripudium 202.d
trisæclis Nestor 657.a

triton

tricon 702.c
triuia 89.d.90.b.92.a.392.c
triuia rusticorum sacris attributa 388.c
triumphantis habitus 404.d
triumphantes via sacra ibant in Capitolium. 728.c.731.b
triumphos 498.e.502.d
triumphus Macedonicus 723.c
triumphi solemnia quædam 608.c.d
triumphi tres Augusti 615.b.c
triumphum agere non decet ante victoriam. 684.a
trochos, 762.d
trochæus ibid.
troïa, trisyllabum 282.d
troia ab Hercule capta 718.d.729.c.d
troia commune sepulchrum Europæ Asiæque 325.a
troiæ felix ruina 799.a.b
troiæ mœniorum constructores Apollo & Neptunus 746.a
trophæa 723.c.d
Trusare 137.a.d
trusatilis mola ibid.a
tuba funebris 656.d
tuba & tympanum sunt crepundia Cybeles. 215.d
tubæ primus inuentor. 814.d. Ex bubulo cornu primùm fiebant ibid.
tulerunt, penult. breui 633.e
tullus Proconsul Bithyniæ 782.d
tumultus 650.d
Bellum sine tumultu esse potest, non contra. ibid.
tumulus fratris Poetæ Catulli 369.
tumuli honor 490.d.e.491.a
turben & Turbo 430.b.c.433.a
turgiduli ocelli 13.a
turma 820.b
turnus ab Ænea victus. 495. Eius origo. 496.a.b
turpiculum 109.a
turreni populi 806.c
tus, non thus scribendum 415.d.e
tus masculum 670.a
turis honores 446.d
tura blanda 515.c
tusca 806.e
Differentia inter Tusciam & Thusciam. 807.a.b
tusculum 446.b.701.b.748.e
tussi vrtica medetur 114.d
tuta nauigatio 722.a.725.b
tutela nauis 835.d
tuus: i. tibi propitius 516.b
tyberis ante Romam conditam 790.e
tyberis cursum quondam mutauit. 802.b Quando 807.b
tybur cur Herculeum 701.e
tygris flu. 727.c.d
tygres Armeniæ 530.a
tympanum 724.a.b
tympana ibid.
tympana in sacris Cybeles 205.b.c.208.a
tympana ex tauri tergo facta ibid.e.a
tyndaridæ 611.b.c.d
tyrannus in bonam partem 541.d
tyrium stamen, subtegmen 544.a
tyro 693.e.796.e
tyrrheni nautę à Baccho in delphines mutati. 769.a.b
tyrteus 711.a.b.c
tyrus 444.e.445.a.664.e
tyrium ostrum, Purpura Tyria, Tyria dona. 664.a

V

VAcare, absolutè: pro Viro carere: vnde Vacans mulier 770.d
vadimon Etruscè, Vertumnus Latinè. 805.e Cur Ianus Vadimon dictus. 810.b. quasi sponsor ibid.a.b.c
vadimonis lacus 671.d
vadimonium. 804.a. Vnde dictum. 810.a.b.c
vadum. Res est in vado 659.d.e
vagare 704.b
valere 505.a
valeant, verbum imprecationis 717.a
valerius Coruinus 754.c.b.c.d
valet 24.e
valgius 547.e
vallus 462.b.463.a.814.c.d
vanus 580.d
vanitas & Vanitudo ibid.
vappa homo nihili 73.b.74.a
varius 30.b.32.a
varronis sepultura 611.e
varrones duo 713.a.b
varrus 30.b.32.a
vascularius peritissimus, Mentor 603.e
vasa Mentoria ib. & 603.a
vates vnde dicti 494.b.794.a.b
vaticinaturi laurum comedebant 502.a
vatinius 127.d.e
vatinii consulatus 127.d.e.128.b
vbera adulta 56.
ve 259.e
ve te, ve me 330.c
vehiculum pro naui 236.c.254.b.c
veiorum vrbs opulentissima & potens viribus. 857.d.e Eius ruina ibid.
vela in theatris 791.a
velabrum 495.d
velabrum, vicus Romæ 852.e
vellicare 638.d
vellus 664.e
vellus aureum 236.e.265.b.687.b
venali rei titulus præponebatur 491.a.b
vendere totam familiam ob certa delicta. 334.e
vendicandi solennia 440.a
venditare 87.e
venditio sub hasta 796.b.e
venefica 402.a.b.c.d.403.e.a.b.e
veneficam artem exercebant matronæ Romanæ permultæ 703.b
veneficiis cogere ad amorem 581.a
venenum, pro conuiciis 113.d.114.e
venena certa 525.e
venerari 432.d.392.a.b
venerantibus numen diuinum omnia ex voto

succedunt 594.c.595.a
veniam petere pudentem 47.c
venire, ὑπάρχειν. 628.d
venire: de re turpi 669.c.b
venire in ora vulgi 107.d.b.c
venire domum 484.a
venter mendax, de notho 310.a
ventus quid 18,b.333.a.b
ventum veteres appellauere Iouem ibid.
ventus, aura 119.c
ventus alisequus 296.a
ventus vesaniens 589.d
venti carbasei 511.b.*
venti alati 133.c
venti insani 489.a
venti ferre dicuntur temeraria vota. 530.c. 532.a
venti desidere quando dicantur 791.e
ventos petere in exequiis 842.b
venus exhaurit opes 759.d
venus sanguinis expers 300.a
venus Erycina 247.e
venus aphrodite, aphrogenia, Cythera, 95.b 96.d
venus bona 146.b.150.b
venus bona & mala 162.c
venus duplex 316.b
venus fortes adiuuat 400.a.401.e.a
Securum facit in tenebris 401.d
Celari vult sua furta 403.b
E` sanguine nata ibid.c
veneris Poeta Tibullus 411.b
veneris prælia 414.e.a
veneris periuria venti ferunt irrita per auras. 417.c.419.b.422.b.c.d
venus furtiua 456.c
venus ad turpes nuptias non venit 478.d
venus olim publica 480.c.484.c.486.a.b
venus vnguento stimulatur 22.d.23.e
venus elegantiæ Dea 11.e
venus fauet supplicibus 567.e
venus gaudet verbosa loquela 132.b.133.c
venus ex spuma 400.d
venus Zephyritis 289.a.b.296.c.d
veneris gremium ibid.d
veneris encomium 176.a.b
veneris vincula 590.c
veneris peruigilium 867.868.
veneris otia 506.b
veneris stella 192.c.d.193.a
veneris in talorum ludo felix iactus 848.b.c
veneris inconstantia 598.d
veneri dediti sunt macilenti 353.d.e
veneres. i. venustates 11.e.12.a
veneres plures 12.d.13.b.400.e
venustas mulieris, dignitas viri 550.b c
venustatis delineatio 112.b
venustum quid ibid.
venustus 59.c.e
ver 119.c
ver ætatis 322.b
verannius 28.d
verba facere ad populum volentes variis olim signis postularunt silentium 842.c.d.e
verba bona dicere 477.b.478.c.479.b
verba dare suo seculo 609.b
verba inania 238.d
verba mollia dura pectora frangunt 518.a
verba nocere solent 683.b
verbena. 815.d. Eius vis, & nobilitas ibid.
verbera Lupercorum 792.e
verecundia à peccatis auocat 320.b
vergiliæ 589.a
verna 428.e.429.a
vernaculus ibid.
vero 94.a
verpa 75.b.d.76.d
verpus 111.c
verrere æquora 854.a
versari 258.b
versicolor 760.d
versicoloria prohibet 604.a
versipelles 824.c.825.a
versus rithmici in medio & fine 590.e
versus malè tornati 712.d
vertex 325.e
vertumnus 555.e.556.c
vertumnus Deus 802.c.b.803.c
vertumnus propriè est Deus, quem Ianum appellauerunt veteres. 805.d. e. Priscè Volturnus. ib. a. Dictus & Vadimon. ib. b. Idem & Protheus. ib. d. Deus Etruriæ. 806. c. quando translatus Romam. ib. e. 807. b. Tres rationes cur Vertumnus dicatur. 808. b. Vide Ianus.
veru, pro instrumento ad eliciendum sanguinem 437.e
vesper. 194.d. desideratus amantibus 199.b
vespillones 141.c.390.e
vesta: ignis 810.c.d
vestæ sacra prisca 791.b
vestalis Tarpeia Tatium dum perditè amat arcem prodit 820.821.822
vestales ab Alba Romam translatæ 821.c.d
vestalium munus 727.b
vestibulum 6.9.e
vestibulum quid & vnde 242.a.251.e
vesticontubernium 869.b
vestis pura 321.c.327.c.462.b
vestis talaris 519.e
vestis effluens. 439.a.b. Coa vestis 490.a
vestis demissio lasciuitatis indicium 436.d.e
vestium raptores 407.d
vestes bombycinas quis primus texuerit. 577.b
veternum 50.c.51.e
vetustas destruit omnia 711.e
vetustatis veneratio 392.b.c
vexare 689.b
via Herculea 597.c.d
via irredux 12.d
via, pro sulco 457.e
viæ silicatæ 446.c
victimæ optimæ, boues. 791. e. quæ macræ initio. ibid.
victoria alata 499 d.e.a
victoriæ imago in Senatu ibid.a
vicus Thuscus Romæ. 804.d.e.807.a. cæteris vicis nobilior & opulentior, Iano dicatus. 809.a. b
vidua etiam illa quæ nunquam nupsit. 197.e

viduus torus 649.a
victus 456.d
vigere 120.a
vigilata nox 869.d
vigiliæ noctis quatuor 821.e
vigiliæ votiuæ Isidi 694.d.e
villa 114.b.471.c
vilior ficco lacu 658.c
vincla detrahere de niueo pede 432.e
vincula pro compedibus, 436.c
vincula somni.272.e.a. Ad vincula parat⁹.487.b
vinea, machina bellica 857.b
vinum Falernum. 470.b.c. Chium ibid.c.d
vinum Lesbium 603.d
vinum vetus amarum 71.c.72.b
vinum iracundos facit, audaces, &c. 708.a
vinum fœcunda ingenia reddit: 530.e.a.532.b immodicè sumptū facit cōtumeliosos.ib.b.c
vinum cur non ebrium, cū alios inebriet.439.c vino tenui amantes in mensa notas faciebāt. 438.d.e. vinum docuit vocem inflectere cantu 448.a. & saltare.ibid.b. Tollit curas.ibid.d
vinū antiqui Diis Manibus sacrificabant.511.a*
in Vino veritas.460.c. vini incommoda, 729.b
vini effectus & vis.768.d.e.769.b. vini libatio. 831. d. vini odore quod rogo iniiciebatur putabant animas elici ad bibendum. 842.e
vino saliua inest. 840.c.847.b. vino pingebantur olim inter conuiuiares quæ narrabantur. 462. c
vina parant animos Veneri 400.b
vinum fundere 401.c.402.a
vina coronant 501.d
vinalia festa 469.a
vir, pro ea parte qua viri sumus.214.a. vir lassus receptus ab vxore.464.a. vir caput mulieris. 168.a. vir mulierque faue. 479.a. viri magni pro Diis celebrati.541 e. virorum fortium facta intereunt, nisi literarum beneficio seruētur.327.a.b. viris non fidendum in re amatoria. 249.d.258.e
virilia sibi amputabāt sacerdotes.galli 676.b.cd
virilia sibi amputabant Cybeles sacerdotes. 205.a.421.d.424.c virilia, arma. 580.b.581.e.a
virdomarus Gallorū Rex victus. 857.c.d. 858.c
vires. Vltra vires nihil aggrediendum. 743.a
virgæ magistratuum 586.c
virgatus: i. purpuratus 858.a
virgatum sagulum.858.e. Virgata tigris.ibid.& 859.a
virgilius adhuc puer moriente Catullo. 10.d
virgilius tres æmulos poetas ineptos habuit. 715.b. virgilium senem: Tibullum iuuenem mors rapuit 568.a.b
virgilianorum poematum laudes 709.c.d
virgo 1.c.e
virginis cum flore comparatio 157.a
virgines nupturæ à parētibus tradi solitæ.196.d
virginum Sabinarum raptus 641.a
virginitas quomodo explorata 253.a.b
viridaria regis Alcinoi 604.b
virtus ardua.717.c. virtus, pro sufficientia. 552.b
visum: quod Græci φάντασμα 580.e
visa 700.a
vita humana foliis & florib⁹ comparata. 662.d
vita cur longa expetitur 655.e
vitas breuis 19.b
vita pro marito exposita 486.c
vita ignaua, pia, & vtilis 387.c
vita rustica 480.a.b.c
vitæ longioris postulatio 527.e
vitam viuere: seruitutem seruire: noxam nocere: nauem nauigare 583.b
vitelliani 505.e
vitia spreta exolescunt: si irascare, agnita vidētur 547.e
vitia aliena videmus, nostra non 59.a.d
vitia pro rebus vitiosis posita 50.b.52.b
vitis cum puella comparatio 191.b.196.a
vites tribus modis inseruntur 388.a
vites amputabat Lycurgus 769.c
vites arboribus applicātur in Italia, 153.d.157.b
vitium iuga 445.a
vitri æstiua supellex 849.e
vitta coniugalis 814.a.b
vitta signū integritatis ī sacerdote. 427.c.440.c
vittæ laneæ in sepulchris 735.c
vituli sacrificandi probatio 791.e
viuere, pro genio indulgere 19.c.20.a.b.21.a
viuere ad naturā. 389.c. viuere ad lucernā.741.b
vlnæ 51.b
vltimus, pro primo 15.d.16.a.17.d
vltimum pratum 38.b
vltio Deorum in reduces Græcos 740.b
vltionis Dea 124.e
vltro 323.e
vlysses inter procellas maris. 688.a. vlysses cur iactatus fluctibus. 757.b. vlysses ad inferos. ib.e. Syrenum cantus fugit. ib. d. e. Penelopes procos occidit ibid.e
vlyssis peregrinationes & errores. 541. a. b. & pericula.ibid.e.a.b.542.543. vlyssis socii 541.d 542.c.d, 543.c. vlyssis descēs⁹ ad inferos.542.c.d
vlyssis mentula. 542. d. 543. e. Fabulosa quæ de Vlysse feruntur ibid.a.b
vmbellæ, Vide Muliercu
vmbilicus libri 59.e.60.a
vmbra pro ramis arboris.255.a. Opinio fuit antiquorum quod post combustionē corporis homines in vmbrā mutarētur.511.c.512.a*
vmbræ noctu vagantur, interdiu reuertuntur. 842.a
vmbria 104.d.e
vmbria Propertii patria 621.d
vmbrorum conuiuia 105.d
vnco trahebantur capite damnati. 797.b. In gulam scilicet impacto 800.d
vnctum caput 32.e.33.d
vncti veteres in conuiuiis discūbebant. 41.e.d
vndæ pallentes Erebi 526.e
vndarum horror 261.d
vnedo 577.e
vnguentum 21.e
vnguentum ad capillos oblinendos 577.a.c
vnguento Venus stimulatur 22.d
vnguenta in rogum congesta in honorem cadauerum 839.e.a
vnguentorum origo 290.c
vnguentorum primi inuentores 636.c
vnguentis emolliebantur veteres Ro. super

conuiuiis 446.c
vnguentatus 179.c
vnguibus resecandis tōsoris officio quondam. vtebantur 451.a
vniones 590.a
vnus, pro præcipuo 1.c.2.& 2.c.2
vna salus 341.a
vni, in genit.° 50.e
vnius æstimemus assis 19.b.d.20.d
vne, vocat.cas. 101.d
vnicus antonomasticè 79.a
vnigena 304.b
vocalis, e, in principio dictionis elisa 303.b
vocare, absolutè 121.e
vocatiuus pro nominatiuo 114.d.569 c
vocator ibid.d.a.112.a
vol dictio prisca 811.b
volsum 845.e
volturna 811.b
volturreni 807.d
voluisse sat est in magnis 535.b.539.c.549.c. 552.d. 650 d
voluptates commendat rarior vsus 708.a
volusius Poëta 95.d.96.c.e
volusii Poetæ annales 358.e.359.d
vorare viam 93.b.94.a
vos, de vno 502.d
votum, pro desiderio 561.e
vota facere.558.e.Debita.i.vota 559.b
vota reddenda alacriter ibid.c
vota tacita 560.c
vota taciti veteres concipiebant. 477.b.479.d
vota cadunt 478.b.479.a
vota nouem 428.c.430.e.433.c
vota insculpta aut inscripta in cera in genibus statuarum 835.d
vota temeraria feruntur in auras 693.c
votiua vox 413.a
vouere pro amica 428.b
vox Iouis 260. a
voces querulę doloris.259.a.271.c.d.e.272.a.b.c
vrania 151.d.158.e.159.a
vrbs æterna 498.c
vrbium nomina in vis fœminina 277.a
vrbanus 59.c.e.61.c.62.c
vrceolaris herba 641,b
vrere 10.b
vri intimo pectore 180.d
vria 95.c.96.a.97.e.a.98.b
vrtica 113.d
vstores.140.b.d.Semirasi 141.a.b.c
vstulare 95.a
vsus rarior rem commendat 708.a
vt, admirantis.294.a.optantis 298.d
vt, dolentis 597.c
vt, pro vtinam.ib.& 633.d.vt, pro vbi 50.a
vt, pro qua parte.52.b.vt, pro vbi, postquā. 32.c
vterus 795.c
vtinam, subauditum 10.c.11.a
vuæ quib⁹ modis in hieme seruari possint. 51.c
vulcanus ἀπάτωρ. 7.c
vulcanus tardipes.95.e.96.d.97.d. Cur claudus fingitur 98.a
vulgi famam captare 107.d.b
vulgo concepti, qui 165.e
vultúres cur potissimum in auguriis 833.c
vulturius heredipeta 319.b.316.c
vultus habet vocem tacitam 436.c
vultus loquax 402.b.406.a
vultus componere 562.b.c
vulua 795.c
vxor quasi vnxor 140.c.d
vxor cur dicta domina 161.d
vxor domicilium viri sequitur 168.b.c
vxor prodens maritum 761.a
vxor viro insidiatur propter libidinem. 774.c 664.e
vxor illa quæ est charissima cum defuncto marito crematur apud Indos 759.e
vxoris amor 486.c.606
vxoris amor erga maritum 641.b
vxorem raptam repetit aduersus Apollinem Idas 577.b.c
vxores, celare debent suum amorem 150.b.c 154.b.158.e

X

X, pro R. 553.c
X, pro, S. 305.a
Xantus Achillis equus vocalis a Iunone redditus 711.d
Xanthi fluminis in Achillem impetus 718.d.e
Xerxes, id est bellator 414 c
Xerxis historiæ scriptores 613.c
Eius expeditio aduersus Græcos 614.a.b

Z

Zephyritis 289.b.296.c.d.e
Zephyrus 119.d 613.a
Zephyrus manè non flat 269.d
Zephyrus eques 296.b
Zethus & Amphion 765.d.e
Zeugma 702.a
Zeuxis Helenæ simulacrum picturus virgines nudas elegit 633.c
Zeuxidis opus, & certamen cum Parrhasio. 744.b. c
Zmaragdus 490.e
Zodiaci obliquitatem quis primus nouit.795.b
Zona arctica & antarctica 289.c
Zonæ quinque cœli. 796. b. quod interpretatur de quinque stellis errantibus 798.c
Vide tamen 799.c
Zonam soluere virgineam 8.b.c.91.d.11. b.311.a
Hæc zona fuit pellicea 10.a.d
Zonula virginalis 146.b.162.c.d.e

FINIS.

THEODORI MARCILII
PROFESSORIS ELOQVENTIÆ REGII

In C. Valerium Catullum Asterismi.

MEDENDI LAVDE

C TR Q. ORN. CL. V. ANDREAE LAVRENTIO, HENRICI IV. Galliæ & Nauarræ Regis, Consiliario, Medicoque ordinario. S.

Theodorus Marcilius.

POETA venit in clientelam tuam V. C. neque plebeij spiritus & de triuio aliquis Poëta, sed Valerius Catullus Poëticæ nationis flos ipse, qui quantò συντέχνοις suis siue vt locuti olim *conforaneis* in pretio fuerit,

Vtque viro Phœbi chorus adsurrexerit omnis, vt omnium suffragiis vnus docti Poëtæ nomen tulerit, longissimus sermo esset; vt quidem metus non sit quin huiusce sortis clientelam, quiuis patronus sibi honestissimam arbitretur. Tuæ ille familiæ V. C. in primis conueniens. Quid enim verius quàm filiofamiliæ adsignari aliquem à patre, aut commendatione Apollinis placere Poëtam Æsculapio? Facetum quoque facinus principem poetarum, in cuius, quæ plurima sunt, vulneribus sanandis, multorum sudauit industria, & nos quoque tangere ausi aliqua, hunc principi medicorum tibi offerri, qui non solum de corporum sed ingeniorum quoque curationibus, existimare potes vnus omnium optimè. Notissima enim acies ingenij tui, & copia humanitatis tanta, vt in genere humanitatis laudatissimo, illud Comici rectè vsurpes si velis, *Humani à me nihil alienum puto.* Humani nempe ad humanitatem illam pertinentis, quæ φιλολογία & παιδεία Græcis, quámque nemo vnquam sapiens, à scientiarum genere vllo distrahendam iudicauit. Poëticā quidem patris Apollinis donum, qui ex filij Æsculapij finib. pellendam arbitretur amens sit. Nam ijdem plerique & Poetæ & Medici esse voluêre. Orpheus Poeticæ militiæ signifer ille, sic vtroque genere laudis floruit, vt & Poetæ suum, & Asclepiadæ suum esse glorientur. Placet Galenum paullisper, Hippocratis genium illum & animam, testem audiamus? Posteriore de antidotis libro, recensens illos qui de ratione miscendi venena scripsêre, Οἱ εἰσὶ, inquit, Ὀρφεὺς ὁ ἐπικληθεὶς θεολόγος, καὶ Ὧρος ὁ Μενδήσιος ὁ νεώτερος, καὶ Ἡλιόδωρος ὁ Ἀθηναῖος τραγῳδιῶν ποιητὴς, καὶ Ἄρατος. *In quibus est Orpheus cognomento theologus, & Orus Mendesius ille iunior, & Heliodorus Atheniensis tragicus Poeta, & Aratus*, &c. Etiam Plinius Orpheum

vt medicæ rei ſcriptorem ſæpe laudauit. Neque ſolus autem Orpheus, ita cionus artis vtriuſque, ſed & alij præterea multi boniquc, vt Heſiodus, de quo Plutarchus in conuiuio, Ἰατρικὸς γάρ, inquit, ὁ Ἡσίοδος, *Medicæ arti deditus Heſiodus*: vt Aratus, cui tantæ laudis, Galenus teſtis locupletiſſimus, & qui Polluci aliiſque non ſemel laudatus, ἐν τοῖς ἰατρικοῖς: vt Nicander, vt alij. Ipſe denique Homerus qui pater Poetarum audit, anne minus Aſclepiadarum ſcientiæ fons & principium eſt? Mirum & inſolens forte hoc alicui, non tibi V. C. cui in numerato ille ſapientiæ Homericæ theſaurus eſt. Ad alium hic ſermo ſi eſſet, argumentorum acie inſtructiſſima vincerem, omnem medendi vim & induſtriam, huiuſque ſeruatricis hominum ſcientiæ, partes omnes tanquam ex Homerici poëmatis fonte perenni riuulos eſſe, ſiue ſigna illæ, ſiue cauſas noſcere & intueri docent, ſiue de victu præcipiunt, ſiue de remediis, ſiue de manuum miniſterio. Neque Latini à medicæ & Poeticæ palmæ geminatione hac vnquam alieni, vt Valerij noſtri ciuis, ſiue caſtrenſi verbo, conterraneus, Macer Æmilius Veronenſis, Q. Serenus Sammonicus, Vindicianus, alij, quos enumerare omnes longum eſſet. Nullus ergo nunc iam dubitandi relictus angulus opinor, quin apte conuenienterque facta ſit à me tibi hæc donatio: ſed quæri poteſt, anne decorum, te ſingulari & vnica laude archiatrum, ſiue principis medicum, ſiue vt Græci locuti olim σωτῆρα, ſiue ſeruatorem, pauculis in Poëtam illum hiſce à me notatis, donari? Breuis ad hanc mihi rem oratio eſt. Etenim ſi præclarior aliquis ingenij mei fetus, lucem videre poſſet, tuus ille verna eſſet: hic quidem qualis qualis eſt, optimo iure tuus eſt: hanc quaſi glebam tibi offero, in qua fundum ipſum vti optumus maxumus eſt, vindicare poſſis. Lutetiæ Pariſiorum e. a. d. III. Id. Mart. CIↃ. IↃCIV.

EXERRATIONES SCRIPTVRÆ.

CARMINE II.

VErſu x. lege, *fiet doloris. Credo.*

CARM. V.

Verſu IV. DA MI BASIA MILLE.

CARM. IX.

Verſu XVI. *μητέρος ἴχνια*, &c.

Verſu XIIX. *μαστιγία.*

CARM. XI.

Verſu III. lege, *Longè vbi littus reſonante Eoa.*

CARM. XXIIX.

Verſu XVI. melius tamen. Poeticè.

Verſu XX. Larie lacus vicine.

CARM. XXXI.

Verſu VI. Lauerniones hi fures primum, deinde & alij.

CARM. XXXIIII.

Verſu II. Voluêre aliqui.

CARM. LXII.

Pag. XI. c. II. verſu LVI. *diuidit æquor?*

CARM. C.

Verſu VII. *ad exſequias Accipe.*

THEODORI MARCILII PROFESSORIS ELOQVENTIÆ REGII

In C. Valerium Catullum Aſteriſmi.

EPIGRAM. I.

ARIDA MODO.

IC meliùs, quàm *arido.* Etſi *arido* legit Terentian. lib. de metris. Victorinus lib. IV. Atilius Fortunatianus. Iſidorus c. XI. lib. VI. Item alij.

PVMICE EXPOLITVM.

Tangit hunc locum Plinius c. XXI. lib. XXXVI.

MEAS ESSE ALIQVID.

Durus hic viſus numerus C. Plinio in Præfatione hiſtoriæ. Maluiſſet ipſe. *Noſtras eſſe aliquid,* &c. Haud dubiéq. ſcripſerat ita Plinius, non vt hodie eſt, *Meas eſſe aliquid.* Cum enim ait, *vt obiter emolliam Catullum conterraneum meum*, intelligi vult *noſtras* illud eſſe mollius, quàm meas. Molle viſum Plinio Phalæcos verſus ordiri à ſpon-
C deo: ſed bene artigraphi laudauêre varietatem qua vſus Valerius, ordiendi à ſpondeo, vel iambo, vel trochæo. Terentianus de metris. Atilius, item alij. Nouitij tamen Poëtæ conſenſere in ſpondeum vt patet iunioris Plinij epiſt. XVI. lib. I. Cui & Catulli verſus *duriuſculi.*

TRIBVS CHARTIS.

Cornel. Nepos in I. Chronicorum. A. Gell. c. XXI. lib. XVII. Laudat magnificè nunc Valerius, ſed tanquam apologos & fabellas ridet.
D Auſonius epiſt. XVI.

QVALECVMQVE QVIDEM ORA PER VIRORVM.

Alij, *Qualecunque quod ò patrima virgo.*
Alij, *Qualecunque quidem: Patrona virgo.*
Non minus rectum fuerit,
Qualecunque quidem, perenniuirgo.

[illegible] vt Plauti Perſa. Sc. XI. *Perenniſeruus.* Et diſcrimen hoc. Nam & aliqua Minerua non *Perenniuirgo.* Tullij III. de Nat. Deor. Arnob. lib. IV. Hygin. fabul. c. CLXVI. Apollodor. lib. III. Ouid. III. Faſtor. Præterea & luſus in *perenniuir-*
A *gine*, & Catulli dono *perenni.* Et fortè an ex inſolentia nominis *perenniuirgo.* Natum illud, *patrona virgo*, aut vt alij libri, *patroa virgo.* Sed vt Plauti verbum vſurpem, *Hic niſi de opinione certum nihil dico.* Patrima illud tenere volenti, elegantius tamen fuerit.

Qualecunque quidem, patrima virgo, &c.

EPIGR. II.

VT SOLATIOLVM SVI DOLORIS.

B Libri veteres.

Et ſolatiolum ſui doloris
Credo, vt cum grauis acquieſcet ardor
Tecum ludere, &c. Correxêre.
Et ſolatiolum ſui doloris
Credunt, cum grauis acquieſcit ardor,
Tecum ludere, &c.

Fortè an Catullus voluit.

Vt ſolatiolum ſiet doloris
Credo. Vt mi grauis acquieſcat ardor,
Tecum ludere ——

C Tu paſſer puellæ ſolatiolum doloris. Credo ita eſſe, eoque impenſius, quia optem & ego tecum ludere, vt amoris ardor mihi acquieſcat.

EPIGR. III.

FLENDO TVRGIDVLI RVBENT OCELLI.

BEnè *turgiduli.* Iuuenal. tamen principio Sat. VI. videtur legiſſe *turbiduli.*

EPIGR. IV.

D SEQ. DEDICAT TIBI.

VT Corinthi Argo nauis dedicata Neptuno ab Iaſone L. Dio Chryſoſt. in Corinthiaca.

EPIGR. V.

MEA LESBIA.

DIo Chryſoſt. orat. I. de Gloria, [illegible] Ouid. II. Triſt. Apuleius Apol. I.

Da mi baſia mille.

Martial. epigr. XXIV. lib. VI.

INVIDERE.

Faſcinare, vt epigr. VII. Hinc *multare* numerare.

EPIGR. VI.

NAM NI PRÆVALET ISTA.

PVto Catullus voluit.

Nei tu quid facias ineptiarum,
Nei res prævalet ista, nil taceres
Cur nunc tam, &c.

EPIGR. IIX.

AMATA NOBIS.

SIc meliùs, quàm voluere aliqui, *amata vobis.*

TV QVOQVE IMPOTENS ESTO.

Minus lectio illa conuenit. *Tu quoque impotens ne sis*, Benè alij,

Nunc iam illa non vult, tu quoque impotens esto,
Nec quæ fugit, sectare ——

Tu quoque esto in amore impotens æquo animo, nec, &c. Contra in amore potens, vt epigr. de Cœlio.

Sis felix Cœli, sis in amore potens.

SCELESTA TENE?

Reticentia Scelesta tene, ego si viuo, &c. Vt Terent. Heaut. Act. v. Sc. I. *Sed Syrum.* Scilicet nunc mihi dare velim. Inelegans autem lectio illa. *Scelesta rere*, &c.

AT TV CATVLLE DESTINATVS OBDVRA.

Correxêre aliqui,

At tu Catulle d obstinatus obdura.

Alij,

At tu Catulle te obstinatus obdura.

Alij aliter. Optimum quod in membranis expressim, & sine litura.

——*destinatus obdura.*

Destinatus quasi aliquis certus mori. Amantium discidium quasi mors aliqua, amica enim vita. Fabius siue is Calpurnius aliquis Declam. IIX. *Impellit longus ordo vinctorum, & inter tot destinatos, totq. perituros*, &c. *Destinatus morti.* Valerius c. II. lib. I. *Relinquendæ vitæ certus.* C. Tacitus annali IV.

IX.

TVAMQVE MATREM.

ALij ——*suámque matrem.* Aut,
——*senemque matrem.*

In membranis quidem plerisque locus hic in litura sic tamen vt elici possit ex illo ipso lituræ vestigio, fuisse *nouamque matrem.* Ingenium suum Catullus fecit, iocosè ac mimicè, nouæ matris siue nouercæ mentionem iecit in gratulatione sua. Quasi valde hoc Verannio gratum reduci nouam domi matrem siue nouercam inuenire. *Nouerca* noua vxor. Festus. Sed vrbanè Catullus quasi lenire nouercæ nomen odiosum volens, dixit nouam matrem. Nouerca est quasi mater, vt apud Spartian. in Caracal. *Nouercam non alio dicendam nomine quàm matrem.* Et Phocylides, nouercam *μητρὸς ἴχνια βαίνειν*, *incedere vestigijs matris*, siue matri similem esse. Itaque ex Græcis *μητρυιὰ* quasi *μητήρ*. Herennius Philo, item alij.

X.

NEC PRÆTORIBVS.

REscripsêre aliqui. *Nec quæstoribus.* Sed neque ipsis cõmentum placet. Aliqui vt Aduers. c. XXII. l. XV. item alij retinuere illud. Nec Prætoribus, & eos qui cohortis Prætoriæ dici prætores figuratè. Sed frigida schema illa. Scripserat haud dubiè Valerius. *Nec praconibus.* Rectè iungit se, præcones, cohortem. Præcones generatim pro accensis. Præcones illi prouinciales luctiones, quia officium eorum & munus apud Prætorem multiplex. Sed operæ nunc mihi non est pluribus exsequi. Planissima quidem Catulli hæc manus & mens. *Nec præconibus.*

NEC FACERET.

Nihil facit correctio illa, *Nec facerent.*

INQVIVNT.

Nec magis quod reposuêre, *inquijt.* Valerius voluit *inquiunt*, scilicet vulgo siue fama est.

XI.

LITTVS VT.

MEmbranæ. *Littus vbi longè*, &c. Fuit fortè. *Littus vbi longè sonante Eoa*, &c.

ET VLTIMOSQVE BRITANNOS.

Intelligi vult. *Et vltimos quoque* Britannos, vt *hodieque*, hodie quoque. Plinius c. II. lib. VII. Sic Salust. orat. II. de Rep. ord. *Postereque tempore*, postero quoque. Valerius c. II. lib. I. *Cererique*, pro Cereri quoque. Sic membranæ, sed vulgus maluit. *Cereri quoque.* Propert. eleg. I. lib. III. *Méque*, pro, me quoque. Et Virgilij Æneide III. *Famulamque*, famulam quoque. Nazarius Panegyr. *Maximorumque*, Maximorum quoque. Marcellin. lib. XXXI. *Barbarique*, Barbari quoque.

XII.

ΜΝΗΜΟΣΥΝΟΝ.

NOn ausus dicere Latinum. Sed in Glossis *Μνημόσυνον memorabile.* Alijs quoque, *memorale & memoriale.*

XIII.

DONARVNT VENERES.

PRopert. eleg. XXIX. lib. II.

——*non Arabum de gramine odores,*
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.

TOTVM FABVLLE NASVM.

Vt *τοὺς μύρους.* Aeliani. Var. c. VI. lib. VII.

XIV.

SATVRNALIBVS OPTIMO DIERVM.

MActob. Saturn. c. I. lib. II. *Saturnalibus*, inquit, *optimo dierum, vt ait Veronensis Poeta.*

SVFFENVM.

Membranæ, *Suffena omnia colligam venena*, pro Suffeniana.

PEDEM ADTVLISTIS.

Alij ——*pedem tulistis*, minus expressim ad dilogiam pedis in corpore, & pedis in versu.

XVI.

SI QVA FORTE MEARVM.

DIsconuenire huic loco hunc versum, & duos sequentes, ipsa Valerij series arguit, & vetus scriptura. Alius his locus quærendus, alicubi, alio epigrammate.

XIX.

SVFFENVS ISTE.

LEgere aliqui, *Suffenas iste*. Sed hos quidem syllaba ipsa refellit. Neque rectiùs alij Fuffenus.

AVT PLVRA PERSCRIPTA.

Γεγραμμένα εἰς καινὸς. Contra in schidis & libris liturarijs res perscriptæ. Sic præscriptiones & lituras Cicero dixit pro Q. Roscio. *Suarum*, inquit, *præscriptionum, & liturarum aduersaria proferre, &c.* Ausi mutare, suarum perscriptionum, vt Aduersar.c.xxxvi.lib.xxix.

IN PALIMPSESTO.

B Glossæ. *παλιμψηστρον. Deletitia*. Lege *παλίμψηστον*. Sic l.iv.D.De bonor. possess. sec. tab. oppositæ. *Charta noua & deletitia*. Sic Plutarchi lib. *ἐν μέλανι τοῖς ὑγροῖς*, &c. Dionysij tyranni animus *βιβλίον παλίμψηστον, ἤδη μολυσμῶν ἀνάπλεων*. *Libellus palimpsestus, lituris & maculis obsitus*. Aliis palimpsestus charta in qua scribimus ea quæ transferamus in aliam. Sed hoc schidæ magis conuenit.

AVT SI QVID HAC RE TRITIVS.

Τρῖμμα, περίτριμμα, ἐπίτριμμα, τρίμματον. Interpres Aristoph. in Nebulas & Aues.

XX.

C FABA ET LAPILLIS.

FRustra nonnullis in mentem fuit legere. *Faba & lupinis*.

XXI.

QVAM ISTI, CVI NEQVE SERVVS EST NEQVE ARCA.

FVrio, de quo est, Epigr.xx.

XXII.

FLAGELLA CONSCRIBILLENT.

ALiqui, *concribillent*, Malim, *conserillent*, id est, iterum, iterumque conserant. Finxit à sero serillo, consero conserillo, vt naues serillæ à cōserendo, apud Festum. Insolentia verbi Catulliani attonitos habuit criticos, & contra legem D carminis expressit *conscribillent*.

XXIV.

INGER MI.

GLossæ *Inger*, *ἐπίχεον*. Puto fuit. *Inger*, *ἐπίχεον*.

EBRIOSA ACINO.

Melius, *acina*. Glossæ. *ῥώξ*, *Acinus, acina*.

THYONIANVS.

Veteres aliqui, *Thyonicus*.

XXVII.

IN CÆSAREM.

E PRopter hæc aliaq. in Cæsarem, Velleius lib.2. *Opus* Catulli *suspectum* vocauit, nempe quasi reum maiestatis, vt seruus suspectus in adulterio l. Prospexit §.pen. D. Qui & à quib. manum. Idemq. ibi *seruus destinatus*. Digna itaq. vox illa Velleio adsentatore, neq. rescribere oportuit, *suscepti operis*, aut putare suspectum ibi esse conspectum & *ἐπιβλεπτόν*.

EXPATRAVIT.

Glossæ *expatrauit ἐκτίνησεν*. Sed Valerio sensus nunc obscœnus est.

A IBERA, QVAM SCIT.

Erroris manifestaria lectio. Ex M.S. vestigiis patet in Valerij stilo fuisse.

Ibera, quam auxit amnis aurifer Tagus.

Intelligi vult ex vniuersa prædam illam Hispania fuisse, etiam extrema eius parte Lusitania. *Auxit*, nempe cumulauit.

XXIIX.

EHEV QVID FACIANT, DICO, HOMINES.

ALij, *Eheu quid faciant, dic, homines &c.* Quæ B pereruditis placuit, puto vt Trimalcioni Petroniano deliciæ, puer vetulus, lippus, domino Trimalcione deformior. In membranis autem est.

E heu quid faciant dico homines &c.

Apertissimo sinceræ lectionis vestigio. Valerij stilo fuisse scilicet.

E heu quid faciant, o Dij, homines &c.

Plautus Menæhm. Sc.vii.

Vbi ego dum herco, Menahmus se subterduxit mihi.

Nam sic libri hodie: at veteres.

Vbi egomet Dij Menahmus se subtraxit mihi.

Etiam illi veræ lectionis indicio. Voluisse Plautum scil.

C *Quàm hodie: cum in concionem mediam me immersi miser*

Egomet, vbi, ô Dij, Menahmus sese subtraxit mihi.

CERTE TVTE IVBEBAS.

Melius membranæ.

Certè tute videbas animam tradere, inique, me.

Videbas amoris in te mei fiduciam, vt ea quæ oculis cernimus.

INIQVE ME.

Sic magis ad Catulli sensum hoc quàm alij *iniquè me*, aduerbio, Nam *πάθος* è versu tollunt.

XXIX.

THYNIAM ATQ. BITHYNOS CAMPOS.

D THynia & Bithynia, inquiunt, pro eodem. Frustra illi Duo enim populi Thyni & Bithyni, sed finitimi. Differit Eustathius in Dionysium.

VENIMVS LAREM AD NOSTRVM.

Voluit forte Valerius. -- *Venimus larem nostrum*, vt Propert. eleg.xx.lib.iii.

Iret vt Aesonias aurea lana domos.

Attius. *Iussit proficisci exsilium*. Marcellus in *Vastescere*, Apuleius lib. vii. *Castra nostra remeastis*. Aeneide vi. *Mittimur Elysium*.

LYDIÆ LACVS VNDÆ.

Correxere aliqui, *Ludiæ*, quasi ludibundæ. Sed *Ludium* hoc. In membranis est. *Lariæ lacus vndæ*. E In litura quidē hoc, melius tamē. Poeticè Catullus exaggerans etiam Larium lacum, propter viciniratem gaudere iubet. nempe

Gaudete vosq. Lariæ lacus vndæ. Gaude tu quoq. Larie lacus vicinæ. Larius lacus Veronæ vicinus vt infra Epigr. xxxiii. ad Cæcilium. Geographus lib.v.

XXX.

ILLVD ADIVVATO.

MAluere. *Illud & iubeto*, aut, *illud adiubeto*, vt in Aduersar.c.i.lib.xii. Sed est *adiuuato*, ad-

dito. Vt C. Sallustij orat. II. de Repub. ordin. *Reliqui de factione sunt, inertissimi nobiles, in quibus sicut in statua, præter nomen nihil additamenti, &c.* Scio qui correxêre aliter, sed lego, *in quibus sicuti statuæ* &c. Quod nunc additamentum, id post paullo Sallustius idem dixit *adiutamentum. Homines*, inquit, *nobiles cum paucis Senatoriis, quos adiumenta factionis habent, &c.* Res nempe adsines addere & adiuuare. Sed forte an vetere manu scriptum loco illo C Sallustij priore *aditamenti.* Nota res *iuo* pro iuuo. Sic *adito* pro adiuto, vt T. Liuij lib. XXIV. *Aditusq.* pro adiutusq.

NE QVIS LIMINIS OBSERET TABELLAM.

Ritus obsignandi amicarũ fores, vt intelligeretur Lõgarenus esse intus. Propert. eleg. I. lib. IV.

--- Nec te signata iuuabunt limina.

XXXI.

O FVRVM OPTIME BALNEARIORVM.

HI olim dicti *lauatores*, quod quasi lauare volentes in balnea siue lauatrinas inreperent. Hinc itaq. *Lauerna* & *Lauerniones*. Hi fures primum deinde & alij. Sic Acro capiendus ad Horat. epist. XVI.

XXXII.

CARMEN SÆCVLARE.

[illegible]. Nam carmen est indictum pueris patrimis & matrimis, cum libri Sibyllini adirentur ætate Catulli. Narraui rem ad Horatium Oda XXI lib. I.

ANTIQVAM VT SOLITA ES.

Noluit Valerius *Ancique*, sed *antiquam* nobilem, vt Æneide I. *Vrbs antiqua*, nobilis. *Terra antiqua*, nobilis. Et Æneide IV. *Antiqua Tyros*, nobilis. Et XI. *Antiqua Vrbs*, nobilis. Bene ita Seruius. In membranis plerisq. *Antiquùm.* Esset pro antiquitùs siue olim.

XXXIII.

INCHOATAM DINDYMI DOMINAM.

VOluêre antiqui, *entheatam*. Pessimè. Vel quia non est entheata illa, sed facit entheos: vel quia versu epigrammatis vltimo disconuenit, venustè & *entheata*, vel quia consensu librorum est *inchoata.*

XXXIV.

CACATA CHARTA.

Paullinus epist. IV. lib. II. Obscurata nænijs insipientiæ meæ, & vt digno meis versibus verbo vtar Caccabata, ridentib. multis & nauseantibus. &c. *Caccabata*, cacata charta. Sic loquuti videntur olim Christiani, refugientes Catulliani verbi obscœnitatem.

IOCOSÈ ET LEPIDÈ.

Meliùs membranæ *εὐχαρίτως*, *Iocosè*, *lepidè*, &c. Illi autem Catullùm ex Catullo visi tollere quibus placuit. *Iocose, lepidè*, &c.

PLENI TVBIS.

Haud dubiè melius, *Pleni ruris.*

XXXV.

FRONTEM TABERNÆ SCIPIONIBVS SCRIBAM.

FOrte --- *Scriptionibus scribam.* Scriptionibus. Epigrammatis vt apud Cic. pro Licinio. Atticè *χαρὰς χαίρειν.* Xenoph. II. Rer. Græcar. *Θεραπεία θεραπεύειν.* Catullus Epigr. XIV. Odisse odio. C. Sallustius orat. I. de Republ. ord. *Populos nationesq. magnis auctionibus auxissent.* T. Liuius lib. XXIX. Eaque omnia bonis auctibus auxitis. Forte an & apud Petronium vbi est. *Et non sententis labra humerosque sopitionib. pinxit*, fuit olim, *Scriptionibus pinxit. Scriptionibus* lineamentis, ductibus. Nam qui reposuêre, *Sopitis titionibus*, verbo magis quam re adpropinquauêre.

IBERA VRINA

Hunc Iberiæ ritum Diodorus Siculus notauit lib. V. *οὔρῳ τοὺς ὀδόντας ἀποτρίβειν*, *Dentes vrina defricare.* Et Geographus lib. III. Hispanos *τοὺς ὀδόντας οὔρῳ σμήχεσθαι ἐν δεξαμεναῖς παλαιωθέντι, αὐτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν.* *Dentes sibi vrina in cisternis inueterata pumicare ipsos & mulieres eorum.* Tangit & Apuleius Apolog. I.

XXXVII.

QVOD CANDIDOS HABET DENTES, RENIDET.

ALexis comicus Athenæi lib. XIII. & Clemẽs, Alexandr. Pædag. c. II. lib. III. matronarum delicias pingens.

Εὐφυεῖς ὀδόντας ἔσχεν, ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν
Ἵνα θεωρῶσ' οἱ παρόντες τὸ στόμ' ὡς κομψὸν φορεῖ
Ἂν δ' ὁ μὴ χαίρῃ γελῶσα, διημερεύει τὴν ἡμέραν.

Dixeris Latinè.

Dentibus, renidet vsque si qua forte candidis,
Vt venusti ostentet oris sæpe pulchritudinem
Et dies renidet, etsi læta non est, integros.

Tertio enim versu lego.

Κ' ἂν ὁ μὴ χαίρῃ, γελῶσα διημερεύει τὴν ἡμέραν.

DENTEM ATQVE RVFAM DEFRICARE GINGIVAM.

Apuleij lectio melior, Apolog. I.

Dentem, atque russam pumicare gingiuam.

XXXIIX.

PERVENIAS IN ORA VVLGI.

IN *memorias exire.* Minutius Felix Octauio.

XXXIX.

ACME.

IN eandem epigramma. XLI. vbi & eadem *Decoctoris amica Formiani.* Neq. vllus hic mutationi locus.

NEC ROGATE, QVALIS SIT.

Trimodiæ verborum hic effusæ hactenus, sed Passerina prandia. Valerius voluit.

Non est sana puella. Nec rogate
Qualis sit. Sonit hac imaginosum.

Sonat imaginosum, delirat vt propinqua iam funeri imaginatio. Loquitur siue sonat deliramenta. Qui nesciuere sonit esse sonat, fecere solet. Simul & dilogia. Sonat imaginosum, delirat vt propinqua funeri, aut sonat imaginosum, *φανταστιώδης*, Bella enim sibi videtur neq. est. Glossæ *φαντάζομαι imaginor. φαντασία, ἡ [illegible] visio, imago.*

Sonit autem videlicet tinnitu illo, cum *tota milia decem poposcit.* A

XL.

VESTRA REDDITVRAM.

Carisius lib.I. *nostra redditurum.*

MYRMICE AC MOLESTE.

Myrmicè hoc, refellit, analogia.

XLI.

In eandem epigr. XXXIX. & XLIII.

XLII.

ET ME RECVRAVI.

PLinius c.XII. lib.XIII. *Qua non esset ita recurata,* &c. Tertyllian. c.LX. lib. de resurrectione. *Redactis & recuratis omnibus membris.* c. III. de Pallio. *Cum squamas & anni recurantur,* Aduersus Marcionem lib.V. c. XX. lib.I. *Adulteratam recurasse.* Qui reponunt procuraui, Catullo linguæ proprietatem eripiunt. Procurant se qui sani: recurant qui ægroti. Indicio & Valerius ipse cum sequitur, *Quare refectus.*

XLIII.

AMOR SINISTRA, VT ANTE.

Lego. ——*Amor sinistra inante,*
Dextram sternuit adprobationem.

Inante pro ante, vt nota res. Amor sinistra ex parte antrorsum sternuit dextram adprobationem. C Ergo neq. vt putauêre quod sequitur ——*Amor sinistrâ vt ante* &c. rectum est. Sed reponendum ibi quoq. *Amor sinistrâ inante.*

Dextram, &c. Vrbanè autem ac mimicè Valerius, Amor inquit à læua dextrè sternuit ridens Acmæ ac Septimij amores vt miseros, & turpiculæ cum Turpione. Nec enim à læua, sed dextra sternutationes faustæ. Plutarchus Themistocle. Ἅμα δ᾽ πταρμὸς ἐκ τῶν δεξιῶν ἐσήμηνε. vbi felix ea sternutatio: at à leua infelix Theocriti Idyllio VII.

XLIV.

IAM COELI FVROR ÆQVINOCTIALIS. D

ÆEquinoctialem cœli furorem voluere intelligi, hiemem frigore ac ventis furentem, vt Aduersar. c. I. lib XIV. Atqui non æquinoctij sed brumæ & solstitij magis furor ille. Haud dubie Valerius ita voluit.

Iam cœli furor, æquinoctialis
Iucunda Zephyri silescit aura. Iucunda & tepida Zephyri aura sub vernum æquinoctium spirantis, pellit hiemem. Vestigium huiusce lectionis in membranis, vbi *aura* est, deinde nesapi liturarii fecere *auru.* Bene itaq. Catullus Ver & Zephyrum æquinoctialem iunxit & cœli furori, siue aëris frigori opposuit. E

XLIIX.

VT CONVENERAT ESSE DELICATOS.

Rectius alij. *Vt conuenerat esse, delicatos*
Scribens versiculos, ——&c. Quod qui refellunt, cum ritu Romano pugnant non potandi solum sed & poëtandi in epulis. Neq. *vt conuenerat esse,* est, quo loco condictum ad cœnam, vt opinati aliqui, sed quo tempore, siue tempore cœnæ.

DESPVAS OCELLE.

Libri aliqui, *ocello*, sed ocelle magis ad Catulli adfectum vt ante, *iucunde.*

XLIX.

QVI SEDENS ADVERSVS.

VT in medio lectulo. Sic apud Tatium in Leucippa lib.I.

L.

PER CONSVLATVM PEIERAT VATINIVS. B

VAtinius Cos. fuit anno IↃCXCII. Cæsare dictatore iterum. Dio lib. XLII. Cos. nempe suffectus anni exitu. Macrob. Saturn. c. III. lib. II. Quo pacto igitur Eusebio in Chronicis ratio constare potest, qui Catullum mortuum scribit Olympiade CXXC. ante bellum ciuile Cæsaris & Pompeij? Deinde & Macrobij loco anted. παροίμια illud cum Tullij dictum quod iecit in C. Caninium ponit, quasi in P. Vatinium.

LIII.

ORAMVS.

HOc epigramma ingenij Catulliani luminibus distinctum plerisq. sed magnam partem quasi Protogenis Ialysus, si oblitus cœno esset. Adspersa enim pleraq. non modo non Catullo digna, sed neq. aliquo melioris æui Poëta.

SI LINGVAM CLAVSO.

Sidonius *dianies* legit, *clauso.* Patet eius imitatione in Narbone Martio.

Hoc centesima laudum tuarum est. Sic mox.
Ventosa gaudet Venus loquela.

LIX.

IN NVPTIIS IVLIÆ ET MANLII.

MEmbranæ. *Epithalamium Iuliæ & Manlij.* Sed siue hoc, siue illud, à Grammaticis est, qui ordinem illum ex Catullo sumsere cũ ait. *Namq. Iulia Manlio nubit,* &c. Hic ante Manliũ Iulia, sed non etiam esse debuit prior Iulia in ἐξοχῇ.

PINEAM QVATE TÆDAM.

Spineam, Valerius voluit. Testes multi boniq. M. Varro lib. II de vita populi Rom. apud Marcellum in *Fax.* Et Carisium lib. I. in *Spino.* Festus in *Patrimi & matrimi.* Massurius apud Plinium c.XIIX. lib.XVI.

Aliqui tamen contra veniunt & mordicus tenent arcteq. defendunt, pineam rectius esse, & Poëtarum testimonia proferũt, apud quos sæpe in nuptiis faces pineæ. Narro ego. Multæ in nuptiis faces, sed vna præcipua, nempe spinea quã Valerius nunc tangit. Spinea illa fax præcipua, quia vestigium prisci ritus, nempe spineæ in nuptiis faces, quoniam è spina faces in nuptiis militum Romuli & Sabinarũ. Plinius loco anted. Deinde quia spinea fax illa è spina alba, quæ credita vim habere amoliendi siue auerruncandi mali. Ouid. VI. Fastor. Præter hanc spineam facem aliæ quinque, quos nominare soliti cereos. Plutarchus in Romanicis Quæst. II.

At olim quidem faces nuptiales omnes spineæ: sed postmodo receptæ item ex carpino & corylo Plinius loco eod. Quod accipe seruato ritu spineæ vnius, contra quam est Aduersarijs. c. XXIX. lib. XXI.

Sed, inquiunt, vbi tæda in spina? vbi & corylo, cerea nempe.

AC DOMVM DOMINAM VOCA.

Melius hoc, quàm quod alij. *Ad domum*, aut, *Ac domus*, &c.

HVC ADITVM FERAT.

Mala interpunctione hactenus.

Vt lubentiùs audiat
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferens,
Dux bona Veneris, boni
Coniugator amoris.

Lege. *Vt lubentiùs audiat*
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat.
Dux bona Veneris, boni
Coniugator amoris,

Quis Deus &c. Auertit Poëta orationem ad Hymenæũ Ergo & sequitur. *Te suis tremul⁹ parẽs*, &c.

QVIS DEVS MAGIS OPTIMIS.

Alij, *Quis Deus magis à magris*. Sed macerrima correctio illa est. Alij, *Quis Deus magis ab magis* Neq. illi optimè. Frigida enim hic commiseratio illa. Manu Valerij fuit. *Quis Deus magis ac magis*, &c. *Magis ac magis*, magis magisq. μᾶλλον καὶ μᾶλλον. Sisenna apud Marcellum in *Discedere. Armata dextra ductis, magisq. in latitudinem discedunt.* &c. Lego *magis magisq.* Terent. Eunucho. ---*Impendio magis animus gaudebat mihi.* --- Lego, *Impendio magis magisq.* &c. Afranius Vopisco apud Sosip. lib. II. *Cecidit spes reducendi domum quam cupio, Cursus ego indies impendio ex desiderio magis magisq. maceror.*

PROBRA TVRPIA PERSEQVENS.

Mutauere aliqui, *proqua*, vt sit adultera proqua siue proca. Sed neq. rectè duo illa sic iũcta, & insolẽs *proca* pro vitiosa. Valerius probra turpia dixit, vt ante *malam adulteram*, & carmine ad ianuã, *malum adulterium*. Adulterium malum quo violatur matrimonium: adulterium simpliciter quod amantes faciunt vt Propertij lib. II.

Adspice ne in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio. Lege, *motus.*

Sic itaq. aliud *probrum*, aliud *probrum turpe*. Adulterium autem & probrum inter amantes quia soliti coniurare.

CANDIDO PEDE LECTVLI.

Vulgarij. *O cubile, quot omne*
Candido pede lectuli
Quæ tibi veniunt bona,
Gaudeas, &c. Membranæ.
O cubile quod in omnibus,
Candido pede leti. Falsa, inquies, scriptura. Sanè, sed veræ index. Fuisse nempe,
O cubile, quot omnibus
Candido pede lectulis,
Quæ tibi veniunt bona,
Gaudeas, &c.

Cubili ait venire bona, & omnibus lectulis cãdido pede siue ἐλεφαντόποσι, ἀργυρόποσι. Cubile accipit lectum nuptialẽ, siue genialem in atrio, in aula, qui post nuptias iugalis, siue coniugalis, siue aduersus: candido autem pede lectulos qui in cubiculis, qui quo numero, quantoq adparatu in ædib. diuitũ, historia longa esset. Tangit eos Lucian. in Tyranno. Τὰ ἐκπώματα ἀπόφερε, καὶ τὰς

A κλίνας τὰς ἀργυρόποδας. *Pocula gemmata, & lectulos argentipedes.* Clemens Alexandr. Pædag. c. III lib. II. κλίναι τε ἀργυρόποδες καὶ ἐλεφαντόποδες. *Lectuli argentipedes, & eborati.* Copiam siue numerum eiusmodi lectulorum Valerius respiciens, dixit *omnibus*: adparatũ autem, *cãdido pede*. Et cubile & omnes cubiculorũ lectulos huius gaudij nuptialis ait fore participes, & gaudere iubet cubile, nihilo insolẽtius, opinor, quã Properti⁹ dixit eleg. XV. lib. II.

O me felicem, nox ò mihi candida, & ò tu,
Lectule delicijs facte beate meis.

Vt gaudij nuptialis & matrimonialis, genialis & B aduersus, lectuliq. alij participes, sic funeris quoq. & luctus eos participes facere voluêre. Vnde lectulorum illa in funeribus frequentia, quæ in triuiis nota est. Sic vtriq. Libitinæ sui lectuli. Scio qui digessêre hunc Valerij locum aliter, sed & toto eos cælo aberrare scio.

ILLE PVLVERIS ERYTHREI.

Alij. *Ille pulueris interim.* aut. *Ille pulueris Antai*, aut. *Ereti.* Alij, Ille pulueris Enthei. Membranæ, *erutei.* Indicio veræ lectionis. Fuisse scilicet. *Ille pulueris ætheres.* Puluis æthere⁹ aut aëreus, corpuscula in sole, de quib. Lucretius lib. IV. Aut puluis æthereus, siue aëreus qui excitatur de terra in aërem, vt cum Maroni — *stat puluere cælum.*

C SEMIHIANTE LABELLO.

Apuleius, Florida II *Canticum ore tereti, semihiantibus in conatu labellis eliquare.*

L X.

NIMIRVM EOOS OSTENDIT NOCTIFER IMBRES.

MAnifestariò falsa lectio, sed nihilo melior quam aliqui reposuere.

Nimirum Oceano se ostendit noctifer imbre. Dixi nihilo melior, verius peiorem aut pessimam dixeris. Ex antiquæ scripturæ vestigiis coniectura facilis, Valerij manum fuisse.

Nimirum Oetæo se ostendit noctifer igne. Persuasi ab Oeta Thessaliæ mõte oriri Hesperum. Maro D Ecloga IIX. — *Tibi deserit Hesperus Oetã.* Et Culice.

Et piger aurato procedit Vesper ab Oeta,

CANENT QVOS VINCERE PAR EST.

Membranæ. —— *Canent quo visere parent.* Hinc fecere aliqui —— *Canent quo iure parent se.* Haud vidi magis. Longissimo deuergio à carmine nuptiali ad cautiones. Voluit Valerius —— *Canent quod vincere par est.* Id est, carmen dignũ victoria.

L X I I.

DE NVPTIIS PELEI ET THETIDIS.

IN mẽbranis inscriptio est, Argonautica. Non aliunde hoc ita in mentem illis quiquĩ fuere, quam quia principio carminis aliqua mẽtio argonautarum est. Epithalamium autem esse perspicuum fiet legenti quod Rhetor Menander in E Epithalamij præceptis tradit c. VI. lib. II. de genere demonstratiuo. Sed propriè quidem Epithalamium est quod Parcæ canunt. *O decus eximium* &c. Vbi & in membranis rectè notatur. *Epithalamium Thetidis & Pelei.* Cetera vero descriptionem habent lecti genialis.

Etiam de auctore huius Epithalamij dubitatum est. Nam Isidorus non Catullo sed Heluio Cinnæ tribuit c. II. & penult. lib. XIX. Maior tamen Tibullo fides qui Catullum auctorem facit eleg. VI. lib. III. cum ait.

Gnosia Theseæ quondam periuria linguæ
Flevisti, ignoto sola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus Minos Catullus
Ingrati referens impia facta viri.

Verbo illo, *Theseæ periuria linguæ*, tangit versum illum huius epithalamij. ——*Ab deuota domum periuria portas.* Profert & Marcellus Grammaticus versum huius epithalamij in *Carchesia*. & auctorem facit Catullum. Sed nec versus ille, nec Catulli nomen est, in libris Marcelli antiquis.

PINEA TEXTA.

Ouid lib. XI. ——*Intra cana texta carinæ*. Et I. Fastor. *Pinea non sano ter pede texta ferit.* Et eleg. III. lib. I. Trist. *Pinea texta sonant.* Et lib. XIV. ——*Fert ecce auidas in pinea Turnus.* *Tecta faces* —— melius fuerit, *tecta*.

O BONA MATER.

Argo nauis in cuius ventre Argonautæ, siue quæ quasi peperit Argonautas. Sic Apollonij lib. IV. Argo nauis *ματήρ*. Et *ματέρες νηῶν*. Scholiastes Thucydidi ad lib. I. Aliter neq. recte est in Aduersariis c. IX. lib. XXIV.

NEPTVNINE.

Vt Oceanine, Adrastine. Neq. recte in Aduersar. aliter loco anted.

GRAIVGENASQ. DOMOS.

Bene sic in membranis. Catullus velificari voluit honori Thessaliæ, & Achillis, & Graiugenas domos intelligi locum Thessaliæ vbi Græcus rex natus. Hunc natum in Thessalia notat Plinius c. VII. lib. IV. Thessalia itaq. Graiugena domus, quia inde Græciæ & Graiorum nomen. Plinius loco anted. Seruius ad Æneid. II. Frustra itaq. doctissimi viri vt in Aduersar. c. eod Et Petr. Victor. Variis c. XXIV. lib. XX. mutauere. *Cranonisq. domos*.

PHARSALIAM COEVNT.

Correxere. *Pharsalum coeunt*. Nihil necesse. Communis enim hæc Valerio syllaba vt in nomine Dianæ & Apuliæ Horatio, Italiæ Virgilio liquidi Lucretio lib. IV. Hac de re Victorinus, item alij.

CANDET EBVR SOLIIS.

Refer ad *sollisternium* de quo Festus.

NEC DVM ETIAM SESEQ. SVI TVM CREDIDIT ESSE.

In membranis.

Nec dum etiam seseq. sui tui se credit. Fecere hinc aliqui.

Necdum etiam sese quæ sit, vix & sibi credit.

Alij,

Necdum etiam sese quæ sit tum credidit esse.

Excidisse reor nomen perditæ, & fuisse.

Necdum etiam sese quæ sit, tum perdita credit.

Necdum credit se vt est esse perditam ac desertam à Theseo. Sic ipsa post paullo. ——*Quali spe perdita nitar?*

NON TERETI STROPHIO.

Cinnæ hunc versum tribuit Isidor. c. XXVIII. lib XIX. neq. recte legit, *lactantes*, item, *cincta*.

LVCTANTES VINCTA PAPILLAS.

Apuleius lib. X. *Tania quoq. qua decoras deuinxerat papillas.*

TOTO DELAPSA E CORPORE.

Meliùs, *dilapsa*.

ADLVDEBAT.

Male in plerisq. *allidebat*.

QVEIS ANGVSTA MALIS CVM MOENIA.

Peccant qui corrigunt, *angusta*. Nec enim *angusta*, sed *angusta* illa mœnia tempore Thesei. L. Plutarch in Theseo.

FVNERA NEC FVNERA.

Manilius lib. V.

Virginis & nuec rapitur sine funere funus.

EXARSIT TOTA MEDVLLIS.

Lege cum aliis,

——*Exarsit tota medullis,*
Heu miserè exagitans, immiti corde furores.
Sancte puer —— &c.

Cor Ariadnæ inmite, vulnere scil. amoris crudo siue acerbo, vt Æschyli Prometheo *ὠμόφρων θυμός*.

AVT MORTEM OPPETERET THESEVS.

Meliùs, *Aut mortem adpeteret*, —— Vt IV. Georg. ——*Pulchramque petunt per vulnera mortem.*

CONIGERAM PINVM.

Frustra voluere aliqui, *cornigeram*. Rari scilicet venatores in summo Tauro, aut nulli verius, itaque nec pinus *cornigeræ*.

DVLCI DEVINCTAM LVMINA SOMNO.

Dulci vt si esset cum Theseo suo. Peccant qui corrigunt, *tristi*.

CLARISONAS VOCES.

Rectius ita quam vt reposuere, *clarificas*. Sic infra, *Fluentisonum littus*. Et Propert. eleg. XIX. lib. III. *Vndisoni Dij*.

INMITE VT NOSTRI.

Sic melius quàm, *Inmite vt monstri*.

RELIGASSET NAVITA FVNEM.

Adpulisset, non autem vt arbitrati aliqui, soluisset nauim Ouid. IV. Fastor.

Nox aderat, querno religant in stipite funem,
Lux aderat, querno soluunt à stipite funem.

ISTHMONEOSNE PETAM MONTES.

Membranæ *Isthmoinesne petam montes?* Sed litura illa & incorrecta correctio est. Fecere aliqui *Isthmon, ecsne petam montes?* &c. Scripserat Valerius haud dubiè.

Idæosne petam montes? &c. Intelligi Ariadna vult Anne in patriam meam Cretam redibo? Subijcit respondens ipsa sibi,

——*At gurgite lato,*
Discernens patriam truculentum diuidit æquor.

Maro Æneide III. agens de Creta. *Mons Idæus vbi*, &c.

DIVIDIT ÆQVOR.

Ne rectè alij, ——*ab gurgite lato,*
Discernens pontum truculentum diuidit æquor.

PRÆTEREO LITVS.

Membranæ,

Præterea littus, nullo, sola insula, tecto.

Tullius epist. XV. lib. I. ad Attic. *Litus atque aër & solitudo mera.*

QVÆ NOSTRVM GENVS.

Hæc parenthesis siue interpositio,

(*Quæ nostrum genus at sedes defendere fretis.*
Annuis) ——Intelligi vult Aegeus. Quod si

Pallas Itonia tibi concesserit, vt taurum vincas &c. Minus recte in Aduersariis est. c. ix. lib. xxiv.

QVAM PRIMVM.

Ante hunc versum interpositus à plerisq. ille.

Lucida qua splendent summi carchesia mali.

Isidorus Heluio Cinnæ hunc tribuit c. pen. lib. xix. Eundem Marcellus in membranis profert ex Heluio Cinna in *Carchesia*. Vterq. legisse poema hoc videtur nomine Heluij Cinnæ inscriptum. Isidorus quidem c. ii. lib. eiusdem etiam illum versum.

Non tereti strophio luctantes vincta papillas. Ex Cinna profert, qui haud dubie huiusce poematis est.

MORTE FEROX THESEVS.

Rectum. *Marte ferox Theseus.* Marte, pugna cum Tauro pugnata, & victoria. Vt Horatij Oda xiv. lib. iii. *Morte venalem petiisse laurum.* Rectè in membranis. *Marte venalem*, &c.

PROCEDVNT, LEVITERQ. SONANT PLANGORE CACHINNI.

Membranæ similiter, sed in litura, tali vt tamen adpareat prior lectio.

Procedunt: leni resonant plangore cachinni.

Fecere,

Prociduum leni resonant plangore cachinnum.

Sed Catullus voluit, *procedunt*. Patet cum antecessit, tardè, Tardæ procedunt videlicet vndæ, alia post aliam, vt cũ Dijs cõueniens sit qui processuri mox tarde alius post alium. Tarde ad pompam & fercula refert, procedere ad seriem. Præterea *procliues*, siue vt veteres libri, *procliuas* vndas Valerius ante dixerat, neq. rursus exprimi nunc necesse vndarum illam procliuitatem voce procidui. Vera lectio.

Procedunt: leni resonant plangore cachinni.

Signanter leni, nec enim irati maris hi cachinni: & leuis strepitus Deorum venientium ad nuptias, cum suo sibi quisq. natalitio dono, siue sportula nuptiali.

Vrbane & Valerius *plangorem cachinni* dixit, quasi ludens, & plangoris nomen quod vsurpari solitum in luctu, transferens ad cachinnum. Glossæ *Plangoribus* κοπετοῖς, θρήνοις.

Cachinnus absq. sonitu non est. Siue cachinnus *risus lasciuior est cum voce*. Cornutus in Persij Sat. i. Sic in vndarum cachinno est risus siue γέλασμα, vt Aeschylus vocat Prometheo, & καχλάζειν siue *plangere*, vt Apollon. Argonaut. Quemadmodum autem dicatur τὸ κῦμα γελᾶν differit Aristoteles siue is Alexander est Problem. xxiv. Partis xxiii. Huius problematis particula est problema i Partis eiusdem quod male distractum manu librariorum.

PVRPVREA PROCVL NANTES A LVCE REFVLGENT.

Voluêre aliqui, *Variantes à luce*, Nesciuere scilicet, *nare* esse fluere. L. Festus in Amnis. Sic & Q. Ennius dixerat *fluctus natantes*. Vt Seruius notauit ad Æneid. vi. Manilius lib. i. ——*Fluctusq. natantes*.

NON VACVVS. NAMQ. IPSE TVLIT.

Totus hic in membranis locus sic habet.

A *Confestim Peneios adeunt viridantia Tempe,*
Tempe quæ siluæ cingunt superimpendentes,
Minosim linquens doris celebranda choreis
Nonacrios. Namq. ille tulit, &c.

Totum sic alium fecêre.

Confestim Peneos adest, viridantia Tempe
Tempe quæ siluæ cingunt superimpendentes,
Minyasin linquens doris celebranda choreis
Cranona, crisonamq., tulit radicitus altas
Fagos.——

Sed paruula librariorum exertatio & ψευδεπιγραφία, hunc locũ ita infuscauit, vt doctissimorum

B ingenia fatigarit. Fecerat nempe Valerius,

Confestim Peneos adit, viridantia Tempe
Tempe, quæ siluæ cingunt superimpendentes
Aeriæ, linquens doris celebranda choreis
Minyadum. Namq. inde tulit radicitus altas
Fagos, &c. ——Traiectio verbi aeriæ omnem illum puluerem excitauit, qui oculis obiectus in voce illa somnorina *nonacrios*.

LENTAQ. SORORE.

Sic in membranis quoq expressim quidem & sine litura.

ET AERIA CVPRESSV.

Quo iure cupressus in nuptiis? Quo & Virgilij Culice est *læta cupressus*. Vbi frustra sunt, qui

C correxêre *lenta*, aut *letea*. Cupressus enim quoq. in amœnitate vt Plinij c. xxxiii. lib. xvi.

CVLTRICEM MONTIBVS IDÆ.

Membranæ——*cultricem montibus ydri*. Hinc natum illud plerisq. ——*cultricem montibus hydri*. Nempe vt montes hydri sint, Delphici montes, vbi Apollinis de Pythone serpente victoria. Sed longe quæsitum hoc, neq. Catullianæ felicitati conueniens. Dixerim fuisse,

Vnigenamq. simul cultricem montibus vdis. Et facili sententia & felice. Catullus nempe vrbanè. Omnes cælites venisse ad nuptias Pelei, Phœbo & Diana exceptis. Nempe à Ioue hos relictos quasi vt domi viderent, siue seruarent. Phœbus

D in cœlo: Diana in montibus, metu videlicet, iocemur enim hoc verbum, ne quid turbetur dum Iupiter in nuptiis.

Quomodo autem montibus vdis? Quia venationes Dianæ propter fontes ac fluuios. Itaq. Horatij Oda xxi. lib. i. *Diana læta fluuijs & nemorum coma.* Vbi & caussam explico.

Nascitur itẽ eccilla quæstiuncula. Cur Apollo & Diana potissimum domi relicti. Ex Physicis commentum hoc. Phœbi nomine sol accipitur. Sol honestare Pelei nuptias munere suo dignatus non est, siue adspernatus Peleũ est, quia serenitatem ei negauit, totumq. illud tẽpus geniale, pluuiis fuscatum. Narrat copiosè Staphylus lib.

E iii. rerum Thessalicarũ apud Tharræum in Apollonij Argonaut. lib iv. Perstrinxit quoq. interpres Aristophanis in Nebulas At, inquies, Phœbum Aeschylus nuptiis Pelei ait interfuisse, ac de fortuna Pelei vaticinatũ esse: Quid ni? Poëticè hoc Aeschylus & κατ᾽ αὐτόν, ad fabulæ suæ argumentum. At Staphylus rem ipsam dissetuit: eamq. Catullus nunc velatam πάντα μάλα ποιητικῶς, tetigit.

Ecce autem paruula etiam nunc dubietas. Esto, inquies, Phœbus abfuit, quia pluuium illud tempus,

tempus, Phœbe autem siue Diana curabsentiua esse voluit? Quia scilicet ipsa quoq. nubibus obscurata noctu siue vt Maro diceret,

Et lunam in nimbo nox intempesta tenebat.

Siue plouium illud Pelei nuptiale tempus, noctu atque interdiu. Petrus Victorius tamen sine fuco & supercilio longe doctissimus variis c.xx. lib.xvi. Phœbi sororem Mineruam intelligi voluit, sed iam à Mureti stilo refutatus ille, neque ipse tamen eruere verum potuit.

His corpus tremulum.

Membranæ,

His corpus tremulum complectens vndique questus,
Candida purpurea tuos intinxerat ora.

Hinc excudere aliqui,

His corpus tremulum complectens vndique vestis,
Candida purpurea talos intinxerat ora.

Alij,

Candida purpurea Tyros intertinxerat ora.

Alij,

Candida purpurea Tyrios excinxerat ora.

Excinxerat, inquiunt, spoliarat Tyrios institores. Sed menda illa *tuos* inuexit quoque *Tyrios*, aut *Tyros*. Scripserat ante aliquis *tacos* pro *talos*, hinc deinde tuos, & Tyrios & Tyros. Hæc quidem aliqua dubitandi seges; at illud mirari licet, non obseruatum *intinxerat* pro *incinxerat*. Instita incingit talos, quemadmodum Horatij Sat. II. lib.I. ——*substricta talos tegit instita veste.*

Sic enim recte Seruius legit ad Æneid.II. Non vt vulgo est *subsuta*. Explico hunc locum plenius ad Horatij Satyram illam.

Cum tremulo incanos soluent a vertice crines.

Membranæ,

Cum incinerem canos soluent à vertice crines.

Legêre aliqui,

Cum incurua incanos soluens, &c.

Alij,

Cum cineri incanos soluent, &c.

Sed verum illud,

Cum in cinerem canos soluent,—— &c.

Soluent crines in cinerem, vt cinere conspergantur, siue in vsum spargendi caput cinere. Nā mulieres in luctu spargentes cinere caput, etiam solutis siue passis crinibus, Seneca Troad.

Soluite crinem, per colla fluant
Mœsta capilli; tepido Troiæ
Puluere turpes——

Percussæ virginis.

In membranis plerisque, *Perculsa virginis*. Sed culpa librarij.

Domos invisere castas sæpius.

Membranæ, ——*Domos inuisere castas Nereus.*

Rectè in aliis, ——*Domos inuisere castas Heroum.*

LXIII.

Sevocat a doctis Ortale virginibus.

Etiam, *seuocat*, in membranis, sed non sine litura & vt loquuti aliqui charaxatione, sic tamen vt vestigij aliquid, fuisse *Seiugat*.

Dvlcis Musarum expromere.

Sic in membranis meliús, quam quod notauêre in margine aliqui,

A *Nec potis est harum dulcis expromere fetus.*

Prius *virgines* dixit, deinde quasi ἐπεξηγητικῶς, *Musas*. *Alloquar? audierone vnquam tua verba loquentem.*

Membranæ,

——*tua dicta loquentem.*

Suspicati aliqui fuisse,

——*tria verba loquentem.*

Semper moesta tua carmina morte canam.

Membranæ,

Semper mœsta tua carmina morte tegam.

B Hinc excudere olim,

Semper mœsta tua carmina morte legam.

Sed vetus scriptura illa verissima. Ortalo enim petenti carmina, respondet Valerius. Sibi decretum tegere semper deinceps carmina sua, quia mœsta sint morte fratris: tamen in Ortali gratiam mittere, &c. *Sed tamen in tantis*, &c.

Assvmti fata gemens Ityli.

Rectum haud dubiè, *Absumti fata gemens Ityli*. Membranæ *Iteli*, sed errore librarij.

Hæc expressa.

Melius haud dubiè in membranis, *Hæc excerpta*,

C vt iam monuêre alij.

Vt missvm.

Male hoc referunt aliqui interpretes ad antecedens illud, *Effluxisse animo*, &c. Referri debuit ad verbum *mitto*.

At quæ ibi pro cunctis, pro dulci coniuge divis.

Membranæ,

Atque ibi pro cunctis, &c.

Fecere aliqui,

At quæ ibi, pro cunctis, &c.

Alij,

At quæ ibi, proh, cunctis, &c.

D Sed librarij traiectio nebulam offudit. Nam fuit,

At quæ ibi prædulci cunctis pro coniuge Diuis.

Si redityum tetvlisset is, havd, &c.

Vulgarij,

Si reditum tetulisset is, haud in tempore longo, &
Captam Asiam Aegypti finibus adyceret.

Membranæ,

Si reditum tetulisset is, aut in tempore longo,
Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.

Condemnauere hanc Critici lectionem, sed non perspectam.

Qvem maxima in oris.

E Sic vulgo est. Nempe.

Ille quoque euersus mons est, quem maxima in oris,
Progenies Phthiæ clara superuehitur.

Neque dissimiliter in membranis plerisque. Sed cogitemus anne fuerit Valerij manu,

——*quem maxima in armis,*
Progenies Phthiæ clara superuehitur.

Reges Macetum progenies Phthiæ. Nā Phthius Achilles. Achillis progenies Macetum reges. Itaque Propert. eleg. vlt. lib. IV.

Et Persen proaui stimulantem pectus Achillis.

Silius de Philippo Persei patre,

——*proauoque tumebat Achille.*

Et Virgilij Æneide VI. Perses Aeacides.

CVM MEDI INRVPERE NOVVM MARE. A
In membranis est,

Cum Medi propere nouum———

Putarunt fuisse,

Cum Medi properare nouum———

Cum Medi properabant, &c. Sed Valerij fortè stilo fuit,

Cum Medi propereque nouum mare———

Cum Medi properè siue celeriter nauêre mare nouum, & iuuentus barbara montem Athonem. Expressit Callimachus & celeritatem Persarum in opere illius noui maris ac montis perfossi, & molitionis magnitudinem.

IVPITER, VT χαλύβων.

Sic Politianus. Necdum reperere aliquid alij melius. Etenim & Callimachus, & Catullus chalybes gentem dixere non ferrum. Non necesse autem χαλύβων esse, potest Latinis literis Chalybum esse. Bene autem Callimachus τῶν χαλύβων γένος. Chalybes enim alij Asiæ, alij Europæ nempe in Iberia.

ABIVNCTÆ PAVLLO ANTE COMÆ.

Sic in membranis plerisque.

ET VENERIS CASTO COLLOCAT IN GREMIO.

Hæc in membranis lectio sed charaxata. Fuisse autem adparet,

Et Veneris casto consociat in gremio.

Metuentes versiculo ruinam, fecere *conlocat in gremio*, melius facturi articulo in deleto, *consociat gremio*.

Bene autem qui monuêre traiectionem hic versuum factam esse, & ita disposuêre.

Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Grata Canopijs incola litoribus,
Isque per ætherias me tollens auolat auras:
Et Veneris casto consociat gremio.

SCILICET IN VARIO.

Membranæ,

Hi dij ven ibi vario ne solum in numine cæli.

Distortissimè hoc quidem, rectius tamen illis de triuio, *Scilicet in vario*. Nam menda illa veræ lectioni propior. Illud nempe. *Hi dij ven ibi vario*, natum opinor ex iugulatis Valerij verbis.

Di bene fecerunt, ne solum in lumine cæli, &c.

Maluêre aliqui, *Ludit vbi, vario ne solum*, &c. Sed hoc quidem serie versuum ipsa refellitur.

EX ARIADNEIS.

Similiter & manuscripti aliqui. Contexere tamen. *Aut Ariadnæis aurea temporibus.*

Sed melius, *Ex Ariadnæis*. Etsi enim Poetæ aliqui Ariadnam quoque ipsam collocauere in cœlo, tamen Callimachi stilo nunc disconuenit lectio illa, comparare volentis non Ariadnam & Berenicen: sed comam Berenicæ cum Ariadnæ corona. Neque credibile à Conone ipso Callimachum, aut à Callimacho Catullum abire voluisse. Cononi autem Bernica ipsa in cœlo non est. Catullus infra,

Tu vero regina tuens cum sidera, &c.

QVAM ME ABFORE SEMPER.

In triuio sic est,

———Quàm me abfore semper,
Abfore me à dominæ vertice discrucior.

Ex membranarum autem lituris perspexerit facillimè aliquis non planè Cæcilius, à Catulli manu illud fuisse ἡμιπαγὲς.

———Quam me ab fore semper,
Ab fore me à dominæ vertice discrucior.

Argutè. Non tam lætor, inquit, me sidus esse, quam quod semper futura sum sidus à vertice dominæ. Vellem esse sidus, sed sidus in vertice, non sidus à vertice. Atque hic locus eos planissimè arguit, qui scripsere, *Aut Ariadnæis*, de quo ante monui. causa corruptionis à antique scriptum pro *ab*.

B OMNIBVS EXPERS VNGVENTIS.

Lectio vulgi.

Qui cum ego, dum virgo quondam fuit omnibus expers,
Vnguentis vna millia multa bibi.

Intellexere virginem omnibus expertem, intactam: sed Catullus voluit.

Qui cum egò, dum virgo quondam fuit, omnib. aspersa,
Vnguentis, &c.

Aspersa, factum *espersa*, deinde *oxpersa*, postremo *expers*.

NVNC VOS OPTATO QVAS, &c.

In manu exaratis.

Nunc nos optato quem iunxit lumine teda,
Non post vno animus corpora coniugibus.

C Hinc excudere alij,

Nunc vos optato queis iunxit lumine teda,
Non prius vnanimis corpora coniugibus. Alij,
At vos, optato quæ iunxit lumine teda,
Non post vnanimis corpora coniugibus.

Veriùs, fuisse.

Nunc vos optato queis iunxit lumine teda,
Non postunanimis corpora coniugibus.

Non sat rectè dixeris corpora vnanima aut nec vnanima. Iunxit autem Catullus καὶ ὡς *post vnanimis*, quasi opponens anteunanimis postunanimos. Sic postrincipia & id genus alia.

D QVAM IVCVNDA.

Fuit opinor,

Quum iucunda mihi munera libat onyx.

Quando libat, siue dum libabit, siue inter vnguenti libationem.

SIDERA CVR ITERENT.

Hæc vetus scriptura. Pontanus fecit. *Sidera cur retinent?* Statius, *Sidera cum intereant, vt tunc*, &c. Sed fuerat, *Sidera cur inter?* Cur inter sidera ego? Vtinam, &c. Metuentes ruinam versiculo fulciuêre, sed ἀχρεῖον ἐπικουρίαν vel ἐπικουρίᾳ potius. Intelligi vult Bostrychus ille. Quid inter sidera ego. Iucundior mihi reginæ vertex vertice Olympi.

E PROXIMVS HYDROCHOI FVLGERET OARION.

Vetus hæc scriptura, probaque sed non intellecta. Nam arbitrati à fulgerare esse fulgeret, vt pigneret, temperet. Non est, sed à fulgo fulgeret, Fulgere olim correptè, quod nunc fulgere productè. L. Seneca Nat. Quæst. c. LVI. lib. II. Marcellus, Seruius, Priscianus Alij, Si coma, inquit, regia fieri possem, vt fui, me volente, vel Orion esset proximus Aquario. Non laborarem quo quicque sidus loco esset. Mihi enim locus inuentus esset, omni loco cælesti optatior.

EPIGR. LXV.

DIC AGEDVM NOBIS.

Membranæ, *Dic age de nobis* ——

Fuit nempe,

Dic age dic nobis ——

QVOD POSSVM?

Vetus scriptura. *Quid possum?* Non placet illud à plerisque inuentum. *Quid possis.* Neque sub Catulli hoc persona, sed ianuæ accipiendum.

NOS VOLVMVS.

Non ianuæ hoc iam verbum vt arbitrati plerique, sed Catulli. Ianua respondet, *Primum igitur,* &c. Peccant qui legunt, *Vobis, dicere.*

NAMQVE ILLAM.

Falsa lectio. Bona & vetus illa,

Falsum est. Non illam vir prior adtigerat. A quo pendet deinde versus tertius sequens,

Sed pater —— &c.

SOLAM CONSILIIS.

Veteres libri aliqui, *Solam cum ancillis.*

CÆCA NOCTE TEGAT STVDIVM.

Vetus scriptura melior.

Nec fugiens sæclis obliuescentibus ætas,
Illius hoc cæca nocte tegat studium.

Fuit scilicet,

—— *nocte teget studium.*

QVA MANLIVS IN RE IVVERIT.

Membranæ, *quam fallius in re.* Hinc procudere, *qua me Alius in re.* Et alterum huic Manlio cognomentum fuisse aiunt, *Alius* aut Allius. Quale obsecro illud aut vbi inuentum? Quod autem veriti ne non sit rectè, —*Qua Manlius in re Iuuerit.* Pro, *Qua me Manlius in re iuuerit.* Cassa terricula illa. Immo enim Atticè & solita sic prouocabula se, me, te, &c. Res notissima in triuiis.

OMNIBVS INQVE LOCIS.

Hic ita versus in vulgariis.

Omnibus inque locis vulgetur fama sepulti.

Impense doctissimis faueo, qui expunxêre ex hoc manipulo versum ita ignauum vt ignauiorem facere ignauiam possit. At ille in nostris membranis anne melior?

Omnibus & triuijs vulgetur fabula passim.

Puto equidem de eadem, aut non meliore fidelia est.

DESERTO IN MANLI NOMINE.

Vetus scriptura. *In deserto alijs nomine.* Correxêre. In deserto *Ali*, & cognomentum hoc quoque aiunt illud esse alterum. Sed magis est vt prænomen sit Auli. Nempe Aulus ille Manlius, Scripsit Valerius, *In deserto Auli nomine*, &c. Nouo genere vrbanitatis ex A. Manlio, Allium Mallium fecere.

LYMPHAQVE IN OETEIS MALLIA THERMOPYLIS.

Apex philologiæ Hadrianus Turnebus Aduersarius c. v. lib. xxiv. Manliam aquam in Thermopylis à Manlio dictam censet. Ἀνεπικρίτως exagitauere hoc iam. Sed neque Maliæ illorum aquæ hic locus. Neque Manlia, inquam, aqua neque Malia volenti Catullo est. Scripserat enim.

Lymphaque in Oeteis, Manlie, Thermopylis.

Librarioli non arbitrati *Manlie*, rectum esse pro

A Manli. Fecere itaque pro sapientia sua & acumine aquam Manliam.

IS CLAVSVM LATO.

Sic & veteres aliquæ scripturæ.

ARGVTA CONSTITIT IN SOLEA.

Vulgariæ ita lectiones, nempe

& trito fulgentem in limine plantam,
Innixa, arguta constitit in solea.

Veteres autem,

& trito fulgentem in limite plantam,
Innixa, arguta constituit solea.

Sed vulgaria lectio melior.

B DESIDERET ARA CRVOREM.

Vetus scriptura.

—— *deficeret ara cruorem.*

Voluit, opinor, Catullus,

—— *defigeret ara cruorem.*

Defigeret diris ac morti. Legere aliqui, *Desugeret.*

QVÆ NEMPE ET NOSTRO.

Membranæ,

Quæ vectes id nostra ——

Fecere. *Quæ, ve, ter nostro,*

Aut quæ ve te ---

Neutrum facit Valerio. Nam hic quidem

C voluit. *Quæ nunc & nostro* ---

DETINET A NOSTRO TERRA ALIENA SOLO.

Membranæ,

Detinet extremo terra aliena solo.

Aiunt posse legi *externo.* Sed verum *extremo.* Troia *extremum solum*, vt noua Roma, *Europæ tenus*, Ausonio Parentalibus. Glossæ *Tenus, πέρας,* Magis itaque Troia extremum solum.

AD QVAM TVM PROPERANS.

Vulgo est,

Ad quam tum properans fertur simul vndiq. pubes.

D In membranis autem nusquam illud *simul*, sed locelli aliquid vacui. Hiatus ille sic opinor extitit. Librarius aliquis exerrans scripserat,

Ad quam tum properans fertur vndique & vndique pubes, &c. Videre post arietinæ litterionum mentes non stare versum, priore itaque *Vndique* deleto *simul* reposuêre. Quomodo igitur, inquies, potuit rectius? Minimè quidem oportuit Valerio ἀφαιρεῖν, *vndique & vndique*, ereptum ire, sed facere.

Ad quam tunc fertur propera vndiq. & vndiq. pubes
Graia, penetrales deseruisse domos.

Hæc Valerij manus ipsissima.

E NAM NEQVE TAM CARVM.

Plebeia lectio.

Nam neque tam carum confecto ætate parenti, &c.

Ex priscæ autem scripturæ vestigio. *Nam neque tam sacrum.* Sacrum patri filij, auo nepotis caput, eius quem habet in potestate, quia per id iurare soliti l. III. & seq. D. De Iureiur. *Per caput tuum iurasti, vel filiorum tuorum.* Plenissimi hoc ritu libri philologiæ.

Maximè autem sacrum ita caput filij aut nepotis si vnicus, qualis nepos hic, neque vnicus tantum, sed & *serus*, siue γηραιὸς qui etiam vnico carior. Sacrum autem quam carum dicere magis Valerius voluit, quia mox etiam dicturus, *caro capiti.*

VNA CAPVT.

Vna pro vnica, vt epithal. *Manlij. Adspice vnus vt accubans.* Plautus Friuolaria.

O amice & multis, at mihi vne Cephalio, apud Priscian.

QVI CVM DIVITIIS.

Vetus scriptura & vnius mutatione apicis proba. *Qui tum diuitijs*, *Antonianæ* autem illa. *Qui quum in diuitijs.* Nec enim tam capiendus in diuitiis inuentus, quam vix tandem diuitiis inuentus videlicet heres.

Impia derisi gentilis gaudia tollens, Siue qui proximum agnatum excluderet, inhiantem successioni.

SVSCITAT ET CANO VVLTVRIVM CAPITI.

Membranæ.

Suscitat à caro volturium capiti.

Caput Valerius intelligi vult non canum illius gentilis volturij ac heredipetæ, vt opinati omnes hactenus, aut vt aliqui, canum aui caput: sed carum nepotuli vnici ac seri caput, quod & *sacrum* ante vocauit. Fraudi eis fuit *capiti* illud pro *capite*, vt & Lucret. lib. I.

Cum lapidi lapidem terimus.

Et Æneide IIX.

Aduectum Aeneam classi victosque penates.

Alia item apud alios. Suscitat itaque vna illa siue vnica nata volturium gentilem à capite filioli sui. Martial.

Et sedeo quà te suscitat Oceanus.

Hinc seriem horum versuum turbatum vulgo esse perspexeris. Sic enim triuialiter dispositi.

Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Vna caput seri gnata nepotis alit.
Qui cum diuitijs vix tandem inuentus auitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat & cano volturium capiti.

Catullus voluit,

Nam neque tam sacrum confecto ætate parenti,
Vna caput seri nata nepotis alit:
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat & caro volturium capiti,
Qui tum diuitijs vix tandem inuentus auitis
Nomen testatas intulit in tabulas.

Cur hanc traiectionis fraudem frausi, librarij an critici? causa fuit metus ne illud ἀναφορικὸν *Qui*, minus rectè cum volturio conueniret. Atqui nec debuit volturius intelligi, sed nepos.

Planissima itaque nunc Valerij mens. Nam neque tam auo sacrum caput parui nepotis vnici & seri, quod filia ei alit, & tollit siue aufert gentili siue agnato proximo gaudium siue spem qua iam deuorauit hereditatem, eumque volturium suscitat siue arcet à caro illius nepotis capite, ne insidiis & veneno tentare possit nepotem illum, qui tum demum siue sero patritis & auitis diuitiis inuentus heres, & institutus siue scriptus in tabulis testamenti.

Frustratoriæ verò illæ rescriptiones legentium,

Suscitat ab cano volturium capiti. Aut interpretantium tollere gaudium volturio, esse dare ansam aliis gaudendi de frustratione volturij. De-

A nique crepusculum hactenus huic Valerij loco, aut & nox intempesta fuit.

QVANTVM PRÆCIPVE MVLTIVOLA EST MVLIER.

Membranæ melius,

Quanquam præcipuè multiuola est mulier.

Perargutè autem Valerius vocat *multiuolam mulierem*, vt & infra, *Ionem omniuolum*. Itaque multiuolam mulierem cum multo columbæ osculantis rostro comparat. Dixit enim,

Nec tantum niueo gauisa est vlla columbo
Compar quæ multo dicitur improbius,
B *Oscula mordenti semper decerpere rostro:*
Quanquam —— &c.

Multo rostro dixit comparem, columbi oscula improbè siue impudenter & adsiduè decerpere. Non sat intellectus interpretum vulgo lusus hic Valerij.

INGRATVM TREMVLI TOLLE PARENTIS ONVS.

Ante hunc versum aliquos excidisse verum est, falsum vellem. Carminis enim longè omnium quæ cantata vnquam mellitissimi parte aliqua inuitus careo: sed aliquammulti excidere, frustraque de patris senis odio narrauere hic
C aliqua, vt benè aptam seriem ostenderent.

NIGRA MVNVSCVLA NOCTE.

Membranæ, *mira.* Fuit fortè an, *rigua.* Nox rigua quia & rigat membra somno, & pratum veneris, rore. Hanc quæsisse, Catullus videtur dilogiam.

SI NOBIS ID DATVR VNIS.

Non aliter vetus scriptura. Nam quod in plerisque est.

——si nobis is datur vnis. Aut,
——si nobis is datur vnus.

Ex imperiti alicuius litura esse in membranis
D patet. In his ita perscriptum est.

Quare illud satis est, si nobis is datur vnis,
Quem lapide illa dies candidiore notat.

Fuit nempe Valerij manu,

Quare illud satis est, si nobis id datur vnis,
Quum lapide illa dies candidiore notat.

Quare inquit, hoc satis est, si nobis vnis mihi & viro suo tantum exclusis aliis omnibus adulteris siue mœchis dat Lesbia id, nempe gaudium, quod dat, cum lapide candidiore dies notat, cum dies felices facit siue candidos. Respicit autem ad illud tractatum principio,

——Quod hic quisquis de meliore nota. Longissime à Valerij mente abierit, si quis correxerit,
E *Quare illud satis est, si nobis is datur imus,*
Quem lapide illa diem candidiore notat.

PRO MVLTIS ALIIS.

Lege. *Pro multis, Aule, redditur officijs.*

EPIGR. LXVII.

TRVX HABITARE CAPER.

Ovid. III. Nequit.

Quàm sæpe admonui, ne trux caper iret in alas,

NEC QVI CVM BELLA PVELLA CVBET.

Odyss. IV.

Τίς κέν ἂν ἀνδρὶ τοιῷδε παρ' αὐτοῖσιν κοιμηθείη;

A

LXIX.

SI CVI IVRE BONO.

FAlsam esse hanc scripturam patet cum sequitur. *Aemulus iste tuus*, &c. Indicio enim hoc eius ad quem scriptum est epigramma, nomen primo versu editum fuisse. Et vero in membranis primo versu expressum Virronis nomen est. In veteris nempe scripturæ parietinis est.

Si qua viro bono sacrorum obstitit hircus,

Fecere aliqui,

Si cui iure bono, sacer alarum obstit hircus.

Alij.

Si cui, Virro, homini, sacer alarum obstitit hircus,

Alij.

Si qua, Virro, bono sacro ritu obstitit hircus.

Sed fuisse scil.

Si quos, Virro, bono ritu, sacer obstitit hircus.

Bono ritu, dixit, quod versu sequente, *meritò*. *Bono ritu* sc. rite. Neq. ritum intelligi voluit τὸ Ἀφροδίτης ὄζημα.

MIRIFICE EST ACTV.

Membranæ. *Mirifice est à te.* Fecere. *Mirificè est actu.* Aut. *Mirifico est actu.* Fuit, opinor, *Mirifica est arti.* *Arti* pro *arte*, vt supra, *capiti* pro capite. Æneide IIX. *Classi* pro classe. Quia insolens visum hoc literionum genti, natum illud, *à te.*

LXX.

SED BENE VELLE MINVS.

HOc dicit, Ante & amicus & amator fui: nunc amator sum, sed amicus esse desij. Amicus bene vult: amator desiderat. Bene ita in hunc locum interpres Terentij ad Andriæ Act. IV. Sc. III. De quo discrimine & L. Seneca epist. XXXIV.

LXXI.

AVT ALIQVEM FIERI POSSE PVTARE TVVM.

MEliùs membranæ.

Aut aliquem fieri posse putare pium

IMO ETIAM TÆDET, TÆDET OBESTQ. MAGIS. In membranis,

Imo etiam tædet, stet magisq. magisq.

Placuit hæc scriptura nonnullis, & sane triuiali melior est, neq. rectissima tamen. Fuit enim à Valerio.

Immo etiam tædet, & magis atq. magis.

Tædet iam nunc, & quotidie magis magisq. tædere pergit. Obiectus librariis & Grammaticis error, metuétibus ne in *tædet*, syllaba sic stare non posset.

VT MIHI.

Sic & membranæ. Sed Catulli stilo. *Vt mehe.* Mehe pro me. Fabius c. v. lib. I. Atq. huius quoq. rei inscitia peperit veruecinum illum, —— *Tædet obestq. magis.* Nam videre συνώνυμα non dici Latinè, *tædet mihi*, fecere pro sapientia sua, *obestq.* Ne rectè, qui pro, *vt mihi*, *ve mihi*.

LXXII.

PATRVVM OBIVRGARE SOLERE.

HInc Apuleij Florida III. *Patruus obiurgator.*

LXXIII.

HVC EST MENS DEDVCTA.

SImiliter & vetus scriptura. Sed melius alij. *Nunc est mens adducta.* Iidémque rectè hoc carmen iungunt illi quod XXCV. est, meliùs quàm pleriq. addi voluêre LXX.

LXXIV.

QVIN TE ANIMO AFFIRMAS.

VEtus scriptura.

Quin tu animo affirmas, atq. instinctoq. reducis.

B Voluere aliqui.

Quin tu animum offirmas, atq. istinc vsq. reducis.

Alij.

Quin te animo affirmas, teq. adstringisq. reducisq.

Alij.

Quin tu animum offirmas, itaq. instructoq. reducis.

Sed voluit opinor Valerius

Quin tu animũ obfirmas itaque, in gyrumq. reducis.

Gyrus ille mirificus visus librariis, itaq. somnia sua commenti sunt. *In gyrum*, scil. rationis, Tullius I de offic. *In gyrum rationis & doctrinæ ducere.* Experiris ingratum, & perire beneficia tua sentis. Quin itaq. desinis excruciare te, quin animum obfirmas, &c.

LXXV.

NEC QVICQVAM CREDITE AMICE.

C HOc & veteres ita libri meliùs quam alij, —— *necquicquam cognite amice*, &c.

LXXVI.

SED NVNC ID DOLEO.

SVspicati ingeniosè, hos versus IV. iungendos cum carmine antecedente.

XXCII.

SIC LIBER AVVNCVLVS EIVS.

FVerit forte an Valerij manu —— *Sic Iber auunculus eius.* Qui nesciuere quid *iber* *Liberum* fecère. Iber siue Ibrida mixti generis. Vt

D ciue & peregrina qualis C. Antonius Cos. Plinij c. LIII. lib. IIX. Q. Varius. Valerij c. VI. lib. IIX. Persius. Horatij Sat. VII lib. I. Glossæ Iber ἡμίονος. Aliter in vetere epigrammate de ambigenis.

Apris atq. sue setosus nascitur ibris. Similiter Festus *Ibris*, inquit, *ex apro & scrofa domestica.* Et Plinius loco anted.

XXCIV.

HÆC EGO SIC SINGVLA CONFITEOR.

EAdem & vetus scriptura.

E

XXCIIX.

NAM MAGVS EX MATRE ET GNATO.

DE hoc magorum impio ritu Tatianus oratione pro barbaris. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. III.

XCI.

NIL NIMIVM.

HÆc *insania Catulli*, apud Fabium c. I. lib. XI.

XCII.

MENTVLA MOECHATVR.

Bene qui notauêre in Mamurram esse, neq. iidem tamen recte hoc & antecedens epigramma vnum esse.

XCIV.

AT POPVLVS TVMIDO GAVDEAT ANTIMACHO.

Neq. tamen populo valde gratum, aut valde popularem illum Poëtam fuisse, liquet Dionis Hadriano. Sed nunc Cinna Catullo Antimachus. Vterq. nempe Cyclicus. De Antimacho res notissima: de Cinna suspicère facile ex versu illo quem ex Cinnæ Smyrna Priscianus laudat lib VI.

At scelus incesto Cinyræ crescebat in aluo.

XCVI.

ET NON PISTRINO TRADITVR ATQ. ASINO.

Pistrino atq. asino, pistrino & molæ. Vt recte M. Antonius Muretus variis c. xv. lib. IIX.

XCIIX.

MVLTIS DILVTA LABELLA GVTTIS.

——*Nullis diluta labella Guttis* &c. —— Vt si diceret, abstersisti, etsi ne abstergendum quidem quicquam. Expressio illa maioris fastidij.

XCIX.

PERSPECTA EXIGITVR.

Melius aliqui. *Perspecta est igitur*, &c.

C.

TETE ABSTVLIT IPSVM.

Veteres libri. ——*te abstulit ipsum.* Fuerat nempe *ted abstulit ipsum.* Hinc, *tete.*

NVNC TAMEN INTEREA.

Vulgatij.

Nunc tamen interea prisco quæ more parentum,
Tradita sunt tristes munera ad exsequias.
Accipe, &c.

Vetus scriptura est.

Nunc tamen interea hac prisco de more parentum,
Tradita sunt tristi munere ad inferias.
Accipe, &c.

Hinc facilis coniectura manum Catulli esse.

Hæc tamen interea, prisco de more parentum,
Tradita nunc tristes munera ad inferias
Accipe, &c.——

CI.

SI QVICQVAM TACITE'.

Lectio in triuiis.

Si quicquam tacitè commissum est fido ab amico.

Merito repudiauêre hanc aliqui, sed nihilo meliorem subiecêre.

Si quoiquam tacitum——vel. *Si quicquam taciti*..--

In antiqua manu ac fide libris est.

Si quicquam tacito, commissum est fido sub amico.

Mirari licet ne disertissimis quidem occurrisse veram Catulli scripturam: fuisse scilicet.

Si quicquam tacito, commissum est sub fide amico.

A Traiectio illa librariorum est *fido sub*, pro, *sub fide.*

ME VNVM ESSE INVENIES.

Bene iam hoc alij ex membranis.

Meq. esse inuenies——pro. *Me quoq. esse inuenies.* *Que* est quoq. dixi ad carmen XI.

CIII.

MEÆ MALEDICERE VITÆ.

Maledictum hoc est carmine LXX.

Multò mi tamen es vilior & leuior. Neq. rescriptio illa vtilis, *Valedicere.* Est autem hæc Catulli quasi satisfactio.

B

OMNIA MONSTRA FACIS.

Ἀμφιλογία. Monstra vel veneris, vt apud Festum: vel opinionum & sermonum. *Monstra*, obscurè dicta, vt ænigmata. Glossæ *Αἰνιγματώδης Monstruosus. Αἴνιγμα Quæstio, prodigium.*

CVI.

SI QVICQVAM CVPIDO.

Ex antiquæ scripturæ vestigio, suscipemur licet fuisse. *Si quicquam cupido mi optantiq.* &c.

INSPERANTI.

Voluit, opinor, Catullus.

Si quidquam cupido mi optantiq. obtegit vnquam, &
C *Insperanti*: —— Gratissimum inquit, mihi quod cupido & optanti quidem, sed nec speranti obtingit. Nam quo insperatius eò gratius.

QVARE HOC EST GRATVM.

Ergo, inquit, gratissimum quod tu Lesbia mihi cupienti quidem & optanti, sed nec speranti te restituis. Quomodo nec speranti? Propter maledicta in eam carmine LXX. Sed nunc habita satisfactione Lesbia se restituit.

NOBIS QVOQ. CARIVS AVRO.

Fuerit forte an ——*contra quoq. carius auro.*

O MIHI CARA MAGIS.

Mera putilago, & carminis Catulliani dedecus, quod merito auersemur. Membranæ, *Nobis*
D *ô luce candidiore nota.* Putant fuisse. *Nobis ô lucem candidiore nota.* Esse nempe *cupido atq. insperanti nobis*, vt absente, præsente nobis, & apud Tibullum ---- *Nec merito nobis inimica merenti.* Sed neq. Tibullus voluit, *inimica nobis merenti.* Scripsit enim,

Perfida nec merito nobis inimica: merenti
Perfida, sed quamuis perfida, cara tamen.

Neq. similia, *præsente nobis*, &, *cupido atq. insperanti nobis.* Catullus voluit. *Restituis cupido atque insperanti: ipsa refers te Nobis. O lucem &c.*

AVT MAGIS HAC EST OPTANDVS VITA.

Reposuêre aliqui,

E ----*Magis mi esse optandum in vita,*

Vetus scriptura,

----*aut magis me est optandus vita.*

Fecêre,

----*aut magis est me optandus vita.*

Sed fuit opinor,

Quis me vno viuit felicior? Aut magis me esse
Optandum vitam dicere quis poterit?

Aut quis dicere poterit sibi magis optandum vitam esse quam mihi---*magis me* siue mihi, pro

magis quàm mihi. Quàm sæpe omittitur, vt A supra ---- *amplius horam.* Propert. lib.II. *Et se plus vni si qua parare potest*, Sempronius Asellio apud A.Gellium c.XIII.lib.II. *Nam Graccbus domo quum proficisceretur nunquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur. Me* autem pro mihi notissima res ex Pompeio Festo, & aliis.

CIX.

FRAVDANDO, EFFICITVR.

REfecere. *Fraudando, effexis* &c. id est, *fraudando* effecerit scil. facinus. Sed manu exaratis verbum *effecit* in litura est. Fuit enim, officit. B Forte anscriptum ante *Fraudando, efficium* &c.

CXI.

MVLTVS HOMO.

IOcus ex dilogia. *Molitus* multus & molitus.

CXII.

CREVERVNT MILLIA IN VNVM SINGVLA.

SIc & vetus scriptura. Est vero *In vnum.* In vnum quemq. *εἰς ἕνα ἕκαστον.*

CXV.

TELA INFESTA MEVM MITTERE IN VSQ. CAPVT.

LEgêre aliqui. *Telis infestãs mi icere, musca, caput.*
Alij. *Telis infesto mi, icere, musca, caput.*
Et accepere. *Telis infesto mihi*, armato mihi.
B Veteres. *Telis infestum mittere musq. caput.*
Fuit opinor. *Telis infestum icere mi vsq. caput.*
Cur *infestum* illud mutauere omnes? Quia non adtendere *infestum*, vsurpari pro infestato. L. A. Gellius c.XII. lib. IX. M. verò literam sic manere in versu nota res.

FINIS DEOQ. GLORIA.

LECTORI MEO S.

PAVCVLA in Valerium Catullum hæc notata mihi, Lector amicißime, diecula operam, vt δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε accipias velim. Potui plura. Nam quæ vberior meßis quàm Catullum aut recensere aut interpretari, cuius & libri mendis oppleti, & carmina ingenij acumine doctrinaq. copia singulari sunt? Docti nomen olim titulúmq. omnibus nationis Poëticæ suffragijs tulit. Tibullus, Naso, Martialis, Terentianus, alij hoc eum nomine insignem fecêre. Sed quo, inquiunt aliqui, merito, tanta illa Poëtis omnibus de Catulli poëtica laude doctrinaq. opinio est? Qui satisfacere his velit longißimi sermonis tela ei ordienda esset, quam huius curriculi angustiæ pertexi non paterentur. Hoc tantum breue nunc, & ei quo de agitur conueniens dicam. In Latinis Poëtis neminem vnum Valerio Catullo parem esse, versiculis cum vi naturaq. rerum ipsarum sic æquandis, vt mirêre tanquam ex rebus ipsis, non ex Poëtæ ingenio efflorescentes, ipsasq. res illis versiculis tecum agere, videre videaris. Sed vt excusare iam cœpi, longißima & moræ & operæ hic sermo esset. Itaq. alia ei videnda occasio: nunc illud moneo. Asterismis meis in carmen ad A. Manlium, versum qui populariter habet,

Pro multis aliis redditur officiis, *reposui ego.*

Pro multis Auli, redditur officiis. *Figuratè ibi esse persona mutata illud*, pro multis Auli officiis, *vt si diceret, pro multis tuis. Venustius hoc, quàm vt facere iis potuerit, quibus insolens nitor Veneris Poëticæ. A. verò Manlius ille, opinor, A. Manlius Torquatus, cui scriptum & Epithalamium. Sic enim verius quàm illum in Epithalamio Manlium esse cuius mentio Macrobij Saturnalibus c.III.lib.II. quemadmodum opinati aliqui.*

Inuitißimus equidem finem facio, Lector amicißime, quia perlibenter de laudibus Valerij dico, sed iam negocij mei, forte & tui tẽpus admonet, vt votum tibi meum adponam, optantis te bellißimè valere. Lutetiæ e. a. d. III. Id. Martij cIↃ. IↃcIv.

Q. VAL. CATVLLI, ALBII TIBVLLI, SEXT. AVR. PROPERTII,

NOVA EDITIO.

IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆSARIS F. RECENSVIT.

AMPLISSIMO VIRO

CL. PVTEANO

CONSILIARIO REGIO IN SVPREMA CVRIA PARISIENSI,

IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆSARIS F.

S. P. D.

Accidit mihi anno, Cl. Pvteane, quod ne tu quidem nescis, vt ex graui valetudine is status me exceperit, vt nondum cumam statuerem, e re mea fuerit magis cum illo morbo conflictari, quam ea tædia pati, quæ postea magno studiorum meorum impedimento expertus sum. Quod etsi graue erat, quia ea re studiorum meorum impetum, sine quibus vita mihi acerba est, retardari videbam: tamen in eo malo hoc bonum sensi, eoque multum molestiæ leuatum est, quod tametsi omnem grauiorem literarum & vsum & fructum mihi ademtum viderem, tamen non ita nobis fuit male & moleste, vt eorum studiorum lectioni operam dare non licuerit, quæ neque morositate sua ægri animi fastidia augerent potius, quam detergerent, neque non sine aliquo fructu legi possent. Primum igitur, ita me Deus amet, Catullum, qui tum forte se obtulerat, in manus sumsi. quumque, vt fit, inter legendum multa occurrerent partim vetustate obsoleta, partim temeritate Correctorum, quæ vna fatalis librorum pestis est, interpolata: cæpi ea cum libri scripti lectione conferre. atque ita eum politissimum scriptorem versauimus, vt eius laboris, si sapiam, pœnitere me non debeat. Multa enim, quæ ignoratione priscæ lectionis Grammatistæ contaminauerant, restituimus: non pauca, quæ aliquot ab hinc sæculis vitio potius ætatis suæ, quam suo, imperiti homines illi prætermiserant, è penetralibus vetustatis in lucem protulimus. Quid multa? nolui simplicem insaniam insanire. idem enim & in Tibullo & Propertio

tentauimus : quia eos, vt scis, vulgatæ editiones coniungere solent. &, nisi fallor, feliciter successit nobis: quamuis, Deum testem laudo, ne integrum quidem mensem illis tribus poëtis recensendis impendimus. Tamen, ne quid dissimulem, meliorem partem harum Criticarum commentationum vindicat sibi stilus, & scriptio. Quum enim quæ in animo habebam, ea chartæ commendarem, cui rei viginti tantum dies dedimus, sub acumen calami, vt solet, longe plura cadebant, quam inter legendum auctores ipsos commentati fueramus. Id quod testatum volumus, ne forte quispiam putet nihil aliud nos, quam hæc Aristarchea nec velle nec posse tractare. quæ tamen Critices pars per se ita grauis est, vt nesciam, an quosdam melius fuerit eam non attigisse, quam alus eam feliciter tractasse, gloriæ & ornamento fuiß. Nos profecto in his non nimium, quod isti sciant, æstuauimus. &, vt libere & vere loquamur, hæc nobis pene dixerim aliud agentibus excidere solent. Quum igitur Cato etiam otij rationem reddi velit, nos egregium otij nostri testimonium edimus, quoties aliquid tale publicamus. Non enim hæc frequentius nobis succurrunt, quam quum maxime otiosi sumus. Nam grauiorum studiorum, vt in seriis occupationibus locum tantum habent, ita grauius testimonium esse debet. Interea ista non vlli venient ingrata legenti, vt ait ille: atque adeo si quis est, qui humanioris musæ aliquem sensum habet, etiam non in postremis habebit. Hoc dico, quia δοκησίσοφοι quidam adeo sua admirantur, vt ista negligant, ob vnam illam caussam, quod quum harum literarum omnino ignari sint, tanti illas non esse aiunt, vt iterum sibi repuerascere necesse sit, & quæ pueri didicere, senes perdenda fateantur. Nos contra, qui non solum illa habemus omnia, quæ illos commendant, sed & ea præterea, quæ illi in nobis negligunt, quia in se non esse sentiunt, nunquam parcemus operæ, quin quodcunque nobis à grauioribus studiis vacabit, totum id bonis auctoribus iuuandis impendamus. id quod in istis tribus luminibus poëtices Romanæ præstitimus. in quibus vix est, vt vllum animaduersione dignum locum prætermiserimus, præterquam si quæ sunt, quæ castæ aures ferre non possunt. Ea enim attingere neque partes meæ sunt, neque alius cuiuspiam, qui aliquem saltem pudorem habet. In istis commentatiunculis nostris ne verbulum quidem extat, quod me præteriisse melius fuerit, quam scripsisse. Vellem equidem ipsi veteres pudoris aliquam rationem habuissent: neque tot infamibus scriptis hominibus sese traduxissent. Sed quia aliter contigisse videmus, interea nos isto Catone contenti erimus. nam ex quibus Latinitatem, quam ex istis fontibus hauriemus? Et tamen isti tres poëtæ flagitiosius non loquuntur, quam vel vna Aristophanis Comœdia. cuiusmodi tamen multas semper lectitasse Chrysostomum proditur. at quantum virum? Cui profecto eloquentia, probitate, pietate parem alium nulla post ætas tulit. Lectionem poëtarum ego mari comparo. in eo sunt scopuli, ad quos tamen peritus nunquam nauem offendit. In poësi sunt quædam non bona dicta, in quæ nunquam pius animus offendit, sed ea strenuus secure præteruehitur. Quare vt quosdam rogatos volo, quos delectant poëtica, vt ab illis prætextatis verbis aures, oculos, linguam, animum denique abstineant: ita alios castigandos censeo, qui propter vnam, aut alteram, vel denique paucas aspersas labeculas totum opus maculosum putant. Sed his nunc locus non est. Ego vero, qui scirem istos tres poëtas ab omnibus magnifieri, vt qui vnum ex illis intelligere possit, non parum se in literis profecisse glorietur: quare pauculas

horas male me collocasse putabo, si effeci, vt illos tres simul vel quiuis mediocriter doctus nunc intelligat? vt taceam, quod hæc malui facere, quam nihil omnino facere. Scio magnæ eruditionis viros non parum his auctoribus illustrandis contulisse. Equidem illis suam gloriam non inuideo. sed neque ipsi meam mihi præripere, si bene operam collocaui: neque, si male, conatum saltem vituperare possunt. Eum vero modum in istis breuibus, ac pene nudis notis seruaui, vt neminem viuum ne minima quidem animaduersione perstrinxerim: mortuos autem, etiam quum ab eis dissentio, nunquam nisi honorificentissime appellarim. Illiberale enim facinus, propter nescio quas verborum quisquilias, aut propter errorem aliquem, qui humanitus contigerit, tantorum hominum eruditionem, atque adeo totum nomem & famam in periculum vocare. Hoc solent facere stolide arguti homunciones, qui in huiusmodi ἀχθυθολογίαις totam ætatem contriuerunt, diuina autem sapientiæ mysteria ignorant. Sed næ stultus sum, mi PVTEANE*, qui hæc notis prædicem, hoc est tibi, quem nihil latet, quod hominem liberaliter educatum scire oportet: aut qui me hac eruditis auribus probare diffidam, si modo tibi probare possim: quem ego non tantum ex omni amicorum meorum numero, in quibus tu familiam ducis, sed ex omnium doctissimorum nostri temporis delegi, cui hæc dedicarem: tum vt hoc mei in te amoris fidissimum pignus extaret, tum etiam vt non nisi à te probata in lucem exirent. Non enim, aut ego fallor, tam leuiter amicitia nostra perfungi velles, vt non animaduertas in ea, quæcunque forte hic occurrent, quæ illo acutissimo ingenio tuo corrigi, aut meliora fieri possunt: quod genus multa esse puto. sed quæ, & qualia sint, nisi tute indicaueris, profecto cur aliorum de iis iudicium expectem, non est. Te enim harum rerum acerrimum æstimatorem re ipsa expertus sum, vt instar omnium vnus mihi esse possis. Accedit his, quod amicitiæ nostræ instituendæ nullus casus fortuitus auctor fuit, nulla occasio interuenit, nullus proxeneta aut pararius intercessit præter admirabilem virtutem, ac doctrinam tuam, cuius nomen multo ante mirifico tui videndi desiderio animum meum accenderat. neque frustra fui. nam vt te cognoui, & virtutes illas, quas animo præceperam, agnoui: & vt vidi, illico mihi species illa virtutis tuæ percussit animum. Quare duo à te pro iure amicitiæ nostræ peto: vnum, vt non nisi te auctore liber iste prodeat. alterum, vt hoc munusculum æqui boni consulas. Quod si feceris, abunde ac plene mihi satisfactum putabo. Vale. Abenni in Pictonibus, IIII. Nonas Aug.* CIↃ IↃ LXXVI.

IN CATVLLVM, TIBVLLVM ET PROPERTIVM A IOS. SCALIGERO IVVENE NOBILI, VERONA ORIVNDO, nuper emendatos,

IO. AVRATVS POETA REGIVS.

GRAECIA iactabat ſibi tres in Amore Poëtas
 Eſſe, velut Charitum dona beata trium.
Carmine te vario qui ludis Anacreon, & te
 Docte Phileta, tuo non ſine Callimacho.
Roma ſuos totidem iactet licet ipſa Poëtas,
 Dicta quibus Venus eſt carmine, dictus Amor.
Te Verona Teon numeris quo prouocat, & vos
 Roma quibus Coos, Vmbria Battiadas.
Sed ſors quæ Graiis, eadem ventura Latinis,
 Vt peritura ſi tu carmina docta forent:
Ni pius à ſenio popularis ſcripta Catulli
 Aſſerat iniecta SCALIGER ecce manu.
Aſſerat & vos culte Tibulle, & blande Propertj,
 Vt ſocios labis, ſic ſimul auxilij.
Vt tres quum rapidi iunctos tulit impetus amnis,
 Vnum qui ſeruat, ſeruat & ille duos.
Mantua væ miſeræ gemuit vicina Cremonæ:
 Veronæ gaudent proximitate duæ.
Ergo docta ſuo quantum Verona Catullo,
 SCALIGERO tantum debet & illa ſuo.

IN CATVLLVM, TIBVLLVM ET PROPERTIVM A IOS. SCALIGERO DIVINI INGENII VIRO, CASTIGATOS ET ILLVSTRATOS.

ILLE sui decus æui, & nobilis umbra Catullus,
Quo Verona bono patria vate tumet,
Benaci quondam Phœbo secessit ad oram
Insula qua felix Sirmio pæne sita est.
Quæ loca natura peramæna situque beata
Carmenibus fecit nobiliora suis,
Venturo celebranda atque inuidiosa nepoti:
Tanta huius quondam gloria sedis erat!
Hinc & Principibus, quos clarat adorea Martis,
Scaligeris statio grata domusque fuit,
Ex quo a Scaligero primum Attila pulsus Alano est,
Veronæ & Veneti pestis acerba soli:
Et tota eiectis ditione ferocibus Hunnis
Scaliger hic meruit Principis esse loco.
Nempe Camænarum fortis sacraria Virtus
Quæris, & in docto vult habitare sinu.
Sedibus his multos suboles successit in annos
Scaligera, & vatum semina cæca dedit.
Donec posteritas sua sceptra patrita relinquens
Imperio populi deteriore fugit.
Pars in Aquitana figens regione penates
Cogitur externos hospes amare focos.
Magnam Athesis laudem Nitiobrix asserit, & sub
Pondere Cæsareo magne Garumna gemis.
IVLIVS hic CÆSAR Sophia illibata medulla,
Musarumque, licet Martis alumnus, amor.
Ipse colens Phœbum amissi solatia regni,
Sed gentis Princeps vere Heliconiadu:
Voce sui potuit Manes arcessere ciuis,
Scilicet ingratæ sic meminens patriæ.
Reddidit & luci vatem qui rursus vt olim
Iuli etiam meruit Cæsaris hospitium.
Patris in exemplum it IOSEPHVS SCALIGER, altis
Clarus auis, magno clarior ingenio,

Cui chorus aſsurgit Phœbi, cui doctior orbis
Submiſsis defert faſcibus imperium:
Ille habitat docti pectus pro cede Catulli,
Vt cui nota ſua eſt lingua, domuſque ſua.
Quis poſſet linguam melius callere Catulli,
Quam quibus vna fuit patria & vna domus?
Sic hæc Scaligero lingua eſt vernacula, quæ non
Intellecta aliјs, aut peregrina fuit.
Credibile eſt tanto gaudere interprete vatem
Ciue ſuo, aut potius Principe iure ſuo.
Tuque foci ô iuuenis ſemper-lucentis amator
Coruini ille cliens aſsiduuſque comes:
Qui ſine IOSEPHO *poteras obſcurus haberi,*
Acceptam huic lucem gratus opemque refer,
Et gaude, quod Coruini de gente propages
Temporis & belli vulnera magna ſecat.
Hoc quoque Callimachus debere fatebitur Vmber,
Iamque ſuum tali vindice carmen amat.
Cui tanti vates debent ſua lumina, quã nos
Digna reponemus præmia SCALIGERO*?*
Tres igitur gaudete, Catulle, Tibulle, Properti,
Omnis laudabit gaudia veſtra liber.

Q. SEPT. FLORENS
CHRISTIANVS.



Q. VALERII CATVLLI VERONENSIS

AD CORNELIVM NEPOTEM.

LIBER.

Pagina 6. & 7. *VOI dono lepidum nouum libellum,*
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi. namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Iam tum, quum ausus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter, & laboriosis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli est
Qualecunque: quod, ô patrima Virgo,
Plus vno maneat perenne sæclo.

PASSER *delitiæ meæ puellæ,*
Pag. 11. *Quicum ludere, quem in sinu tenere,*
Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acris solet incitare morsus:
Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet iocari,
(Vt solatiolum sui doloris
Credunt, quum grauis acquiescit ardor)
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristis animi leuare curas:
Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

Pag. 13. LVGETE *ô Veneres, Cupidinésque,*
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer delitiæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suámque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese à gremio illius mouebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam vsque pipilabat.
A *Qui nunc it per iter tenebricosum*
Illuc, vnde negant redire quenquam.
At vobis male sit malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella deuoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male, ô miselle passer,
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

PHASELLVS *ille, quem videtis hospites,* Pag. 18.
Ait fuisse nauium celerrimus,
Neque vllius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, siue palmulis
B *Opus foret volare, siue linteo.*
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulásve Cycladas,
Rhodúmve nobilem, horridámve Thraciam,
Propontida, trucémve Ponticum sinum.
Vbi iste post phasellus antea fuit
Comata silua. nam Cytorio in iugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri pontica, & Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait phasellus. vltima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine:
Tuo imbuisse palmulas in æquore:
Et inde tot per impotentia freta
C *Herum tulisse, læua, siue dextera*
Vocaret aura, siue vtrunque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem:
Neque vlla vota littoralibus Deis
Sibi esse facta, quum veniret à mare
Nouissimo hunc ad vsque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere. nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

VIVAMVS, *mea Lesbia, atque amemus,* Pag. 21.
Rumorésque senum seueriorum
Omnis vnius æstimemus assis,

LECTORI MEO S.

PAVCVLA in Valerium Catullum hæc notata mihi, Lector amicißime, dieculæ operam, vt δόσιν ὀλίγην τε φίλην τε *accipias velim. Potui plura. Nam quæ vberior meßis quàm Catullum aut recensere aut interpretari, cuius & libri mendis oppleti, & carmina ingenij acumine doctrinaq. copia singulari sunt? Docti nomen olim titulúmq. omnibus nationu Poëticæ suffragijs tulit. Tibullus, Naso, Martialis, Terentianus, alij hoc eum nomine insignem fecêre. Sed quo, inquiunt aliqui, merito, tanta illa Poëtis omnibus de Catulli poëtica laude doctrinaq. opinio est? Qui satisfacere his velit longißimi sermonis tela ei ordienda esset, quam huius curriculi angustiæ pertexi non paterentur. Hoc tantum breue nunc, & ei quo de agitur conueniens dicam. In Latinis Poëtis neminem vnum Valerio Catullo parem esse, versiculis cum vi naturaq. rerum ipsarum sic æquandis, vt mirêre tanquam ex rebus ipsis, non ex Poëtæ ingenio efflorescentes, ipsasq. res illis versiculis tecum agere, videre videaris. Sed vt excusare iam cœpi, longißima & moræ & operæ hic sermo esset. Itaq. alia ei videnda occasio: nunc illud moneo. Asterismis meis in carmen ad A. Manlium, versum qui populariter habet,*

Pro multis aliis redditur officiis, *reposui ego.*

Pro multis Auli, redditur officiis. *Figuratè ibi esse persona mutata* illud, pro multis Auli officiis, *vt si diceret, pro multis tuis. Venustius hoc, quàm vt facere iis potuerit, quibus insolens nitor Veneris Poëticæ. A. verò Manlius ille, opinor, A. Manlius Torquatus, cui scriptum & Epithalamium. Sic enim verius quàm illum in Epithalamio Manlium esse cuius mentio Macrobij Saturnalibus c.III.lib.II. quemadmodum opinati aliqui.*

Inuitißimus equidem finem facio, Lector amicißime, quia perlibenter de laudibus Valerij dico, sed iam negocij mei, forte & tui tēpus admonet, vt votum tibi meum adponam, optantis te bellißimè valere. Lutetiæ e. a. d. III. Id. Martij cIↃ. IↃCIƲ.

Q. VAL. CATVLLI, ALBII TIBVLLI, SEXT. AVR. PROPERTII,

NOVA EDITIO.

IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆSARIS F. RECENSVIT.



AMPLISSIMO VIRO

CL. PVTEANO

CONSILIARIO REGIO IN SVPREMA CVRIA PARISIENSI,

IOSEPHVS SCALIGER IVL. CÆSARIS F.

S. P. D.

Accidit mihi anno, Cl. Pvteane, quod ne tu quidem nescis, vt ex graui valetudine is status me exceperit, vt nondum cumam statuerem, e re mea fueris magis cum illo morbo conflictari, quam ea tædia pati, quæ postea magno studiorum meorum impedimento expertus sum. Quod etsi graue erat, quia ea re studiorum meorum impetum, sine quibus vita mihi acerba est, retardari videbam: tamen in eo malo hoc bonum sensi, eoque multum molestiæ leuatum est, quod tametsi omnem grauiorem literarum & vsum & fructum mihi ademtum viderem, tamen non ita nobis fuit male & moleste, vt eorum studiorum lectioni operam dare non licuerit, quæ neque morositate sua ægri animi fastidia augerent potius, quam detergerent, neque non sine aliquo fructu legi possent. Primum igitur, ita me Deus amet, Catullum, *qui tum forte se obtulerat, in manus sumsi. quumque, vt fit, inter legendum multa occurrerent partim vetustate obsoleta, partim temeritate* Correctorum, *quæ vna fatalis librorum pestis est, interpolata: cœpi ea cum libri scripti lectione conferre. atque ita eum politissimum scriptorem versauimus, vt eius laboris, si sapiam, pœnitere me non debeat. Multa enim, quæ ignoratione priscæ lectionis* Grammatistæ *contaminauerant, restituimus: non pauca, quæ aliquot ab hinc seculis vitio potius ætatis suæ, quam suo, imperiti homines illi prætermiserant, è penetralibus vetustatis in lucem protulimus. Quid multa? nolui simplicem insaniam insanire. idem enim &* in Tibullo & Propertio

tentauimus : quia eos, vt scis, vulgatæ editiones coniungere solent. &, nisi fallor, feliciter successit nobis : quamuis, Deum testem laudo, ne integrum quidem mensem illis tribus poëtis recensendis impendimus. Tamen, ne quid dissimulem, meliorem partem harum Criticarum commentationum vindicat sibi stilus, & scriptio. Quum enim quæ in animo habebam, ea chartæ commendarem, cui rei viginti tantum dies dedimus, sub acumen calami, vt solet, longe plura cadebant, quam inter legendum auctores ipsos commentati fueramus. Id quod testatum volumus, ne forte quispiam putet nihil aliud nos, quam hæc Aristarchea nec velle nec posse tractare. quæ tamen Critices pars per se ita grauis est, vt nesciam, an quosdam melius fuerit eam non attigisse, quam alios eam feliciter tractasse, gloriæ & ornamento fuiṡ. Nos profecto in his non nimium, quod isti sciant, æstuauimus. &, vt libere & vere loquamur, hæc nobis pene dixerim aliud agentibus excidere solent. Quum igitur Cato etiam otij rationem reddi velit, nos egregium otij nostri testimonium edimus, quoties aliquid tale publicamus. Non enim hæc frequentius nobis succurrunt, quam quum maxime otiosi sumus. Nam grauiorum studiorum, vt in seriis occupationibus locum tantum habent, ita grauius testimonium esse debet. Interea ista non vlli venient ingrata legenti, vt ait ille : atque adeo si quis est, qui humanioris musæ aliquem sensum habet, etiam non in postremis habebit. Hoc dico, quia δοκησίσοφοι quidam adeo sua admirantur, vt ista negligant, ob vnam illam caussam, quod quum harum literarum omnino ignari sint, tanti illas non esse aiunt, vt iterum sibi repuerascere necesse sit, & quæ pueri didicere, senes perdenda fateantur. Nos contra, qui non solum illa habemus omnia, quæ illos commendant, sed & ea præterea, quæ illi in nobis negligunt, quia in se non esse sentiunt, nunquam parcemus operæ, quin quodcunque nobis à grauioribus studiis vacabit, totum id bonis auctoribus iuuandis impendamus. id quod in istis tribus luminibus poëtices Romanæ præstitimus. in quibus vix est, vt vllum animaduersione dignum locum prætermiserimus, præterquam si quæ sunt, quæ castæ aures ferre non possunt. Ea enim attingere neque partes meæ sunt, neque alius cuiuspiam, qui aliquem saltem pudorem habet. In istis commentatiunculis nostris ne verbulum quidem extat, quod me præteriisse melius fuerit, quam scripsisse. Vellem equidem ipsi veteres pudoris aliquam rationem habuissent : neque tot infamibus scriptis hominibus sese traduxissent. Sed quia aliter contigisse videmus, interea nos isto Catone contenti erimus. nam ex quibus Latinitatem, quam ex istis fontibus hauriemus? Et tamen isti tres poëtæ flagitiosius non loquuntur, quam vel vna Aristophanis Comœdia. cuiusmodi tamen multas semper lectitasse Chrysostomum proditur. at quantum virum? Cui profecto eloquentia, probitate, pietate parem alium nulla post ætas tulit. Lectionem poëtarum ego mari comparo. in eo sunt scopuli, ad quos tamen peritus nunquam nauem offendit. In poësi sunt quædam non bona dicta, in quæ nunquam pius animus offendit, sed ea strenuus secure præteruehitur. Quare vt quosdam rogatos volo, quos delectant poëtica, vt ab illis prætextatis verbis aures, oculos, linguam, animum denique abstineant: ita alios castigandos censeo, qui propter vnam, aut alteram, vel denique paucas aspersas labeculas totum opus maculosum putant. Sed his nunc locus non est. Ego vero, qui scirem istos tres poëtas ab omnibus magnifieri, vt qui vnum ex illis intelligere possit, non parum se in literis profecisse glorietur : quare pauculas

horas male me collocasse putabo, si effeci, vt illos tres simul vel quivis mediocriter doctus nunc intelligat? vt taceam, quod hæc malui facere, quam nihil omnino facere. Scio magnæ eruditionis viros non parum his auctoribus illustrandis contulisse. Equidem illis suam gloriam non inuideo. sed neque ipsi meam mihi præripere, si bene operam collocaui: neque, si male, conatum saltem vituperare possunt. Eum vero modum in istis breuibus, ac pene nudis notis seruaui, vt neminem viuum ne minima quidem animaduersione perstrinxerim: mortuos autem, etiam quum ab eis dissentio, nunquam nisi honorificentißime appellarim. Illiberale enim facinus, propter nescio quas verborum quisquilias, aut propter errorem aliquem, qui humanitus contigerit, tantorum hominum eruditionem, atque adeo totum nomem & famam in periculum vocare. Hoc solent facere stolide arguti homunciones, qui in huiusmodi ἀχθυθολογίαις totam ætatem contriuerunt, diuina autem sapientiæ mysteria ignorant. Sed næ stultus sum, mi PVTEANE, *qui hæc notis prædicem, hoc est tibi, quem nihil latet, quod hominem liberaliter educatum scire oportet: aut qui me hæc eruditis auribus probare diffidam, si modo tibi probare poßim: quem ego non tantum ex omni amicorum meorum numero, in quibus tu familiam ducis, sed ex omnium doctißimorum nostri temporis delegi, cui hæc dedicarem: tum vt hoc mei in te amoris fidißimum pignus extaret, tum etiam vt non nisi à te probata in lucem exirent. Non enim, aut ego fallor, tam leuiter amicitia nostra persungi velles, vt non animaduertas in ea, quæcunque forte hic occurrent, quæ illo acutißimo ingenio tuo corrigi, aut meliora fieri possunt: quod genus multa esse puto. sed quæ, & qualia sint, nisi tute indicaueris, profecto cur aliorum de iis iudicium expectem, non est. Te enim harum rerum acerrimum æstimatorem re ipsa expertus sum, vt instar omnium vnus mihi esse poßis. Accedit his, quod amicitiæ nostræ instituendæ nullus casus fortuitus auctor fuit, nulla occasio interuenit, nullus proxeneta aut pararius intercesßit præter admirabilem virtutem, ac doctrinam tuam, cuius nomen multo ante mirifico tui videndi desiderio animum meum accenderat. neque frustra fui. nam vt te cognoui, & virtutes illas, quas animo præceperam, agnoui: & vt vidi, illico mihi species illa virtutis tuæ percußit animum. Quare duo à te pro iure amicitiæ nostræ peto: vnum, vt non nisi te auctore liber iste prodeat. alterum, vt hoc munusculum æqui boni consulas. Quod si feceris, abunde ac plene mihi satisfactum putabo. Vale. Abenni in Pictonibus, IIII. Nonas Aug.* CIↃ IↃ LXXVI.

IN CATVLLVM, TIBVLLVM ET PROPERTIVM A IOS. SCALIGERO IVVENE NOBILI, VERONA ORIVNDO, nuper emendatos,

IO. AVRATVS POETA REGIVS.

GRAECIA iactabat ſibi tres in Amore Poëtas
Eſſe, velut Charitum dona beata trium.
Carmine te vario qui ludis Anacreon, & te
Docte Phileta, tuo non ſine Callimacho.
Roma ſuos totidem iactet licet ipſa Poëtas,
Dicta quibus Venus eſt carmine, dictus Amor.
Te Verona Teon numeris quo prouocat, & vos
Roma quibus Coos, Vmbria Battiadas.
Sed ſors quæ Graiis, eadem ventura Latinis,
Vt peritura ſi tu carmina docta forent:
Ni pius à ſenio popularis ſcripta Catulli
Aſſerat iniecta SCALIGER ecce manu.
Aſſerat & vos culte Tibulle, & blande Propertj,
Vt ſocios labis, ſic ſimul auxilij.
Vt tres quum rapidi iunctos tulit impetus amnis,
Vnum qui ſeruat, ſeruat & ille duos.
Mantua væ miſeræ gemuit vicina Cremonæ:
Veronæ gaudent proximitate duæ.
Ergo docta ſuo quantum Verona Catullo,
SCALIGERO tantum debet & illa ſuo.

IN CATVLLVM, TIBVLLVM ET PROPERTIVM A IOS. SCALIGERO DIVINI INGENII VIRO, CASTIGATOS ET ILLVSTRATOS.

ILLE sui decus aui, & nobilis umbra Catullus,
Quo Verona bono patria vate tumet,
Benaci quondam Phœbo secesßit ad oram
Insula qua felix Sirmio pæne sita est.
Quæ loca natura peramœna situque beata
Carmenibus fecit nobiliora suis,
Venturo celebranda atque inuidiosa nepoti:
Tanta huius quondam gloria sedis erat!
Hinc & Principibus, quos clarat adorea Martis,
Scaligeris statio grata domusque fuit,
Ex quo a Scaligero primum Attila pulsus Alano est,
Veronæ & Veneti pestis acerba soli:
Et tota eiectis ditione ferocibus Hunnis
Scaliger hic meruit Principis esse loco.
Nempe Camœnarum fortis sacraria Virtus
Quærit, & in docto vult habitare sinu.
Sedibus his multos suboles successit in annos
Scaligera, & vatum semina cæca dedit.
Donec posteritas sua sceptra patrita relinquens
Imperio populi deteriore fugit.
Pars in Aquitana figens regione penates
Cogitur externos hospes amare focos.
Magnam Athesis laudem Nitiobrix asserit, & sub
Pondere Cæsareo magne Garumna gemis.
IVLIVS hic CÆSAR Sophia illibata medulla,
Musarumque, licet Martis alumnus, amor.
Ipse colens Phœbum amißi solatia regni,
Sed gentis Princeps vere Heliconiadu:
Voce sui potuit Manes arcessere ciuis,
Scilicet ingratæ sic meminens patriæ.
Reddidit & luci vatem qui rursus vt olim
Iuli etiam meruit Cæsaris hospitium.
Patris in exemplum it IOSEPHVS SCALIGER, altis
Clarus auis, magno clarior ingenio,

Cui chorus assurgit Phœbi, cui doctior orbis
Submissis defert fascibus imperium:
Ille habitat docti pectus pro cede Catulli,
Vt cui nota sua est lingua, domusque sua.
Quis posset linguam melius callere Catulli,
Quam quibus vna fuit patria & vna domus?
Sic hæc Scaligero lingua est vernacula, quæ non
Intellecta aliis, aut peregrina fuit.
Credibile est tanto gaudere interprete vatem
Ciue suo, aut potius Principe iure suo.
Tuque foci ô iuuenis semper-lucentis amator
Coruini ille cliens assiduusque comes:
Qui sine IOSEPHO *poteras obscurus haberi,*
Acceptam huic lucem gratus opemque refer,
Et gaude, quod Coruini de gente propages
Temporis & belli vulnera magna secat.
Hoc quoque Callimachus debere fatebitur Vmber,
Iamque suum tali vindice carmen amat.
Cui tanti vates debent sua lumina, quæ nos
Digna reponemus præmia SCALIGERO?
Tres igitur gaudete, Catulle, Tibulle, Properti,
Omnis laudabit gaudia vestra liber.

Q. SEPT. FLORENS
CHRISTIANVS.

Q. VALERII CATVLLI VERONENSIS

AD CORNELIVM NEPOTEM.

LIBER.

Pagina 6. & 7.

VOI dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi. namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Iam tum, quum ausus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter, & laboriosis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli est
Qualecunque: quod, ô patrima Virgo,
Plus vno maneat perenne sæclo.

Pag. 11.

PASSER *deliciæ meæ puellæ,*
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,
Et acris solet incitare morsus:
Quum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet iocari,
(Vt solatiolum sui doloris
Credunt, quum grauis acquiescit ardor)
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristis animi leuare curas:
Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

Pag. 13.

LVGETE *ô Veneres, Cupidinésque,*
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer deliciæ meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suámque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese à gremio illius mouebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
Ad solam dominam vsque pipilabat.
A *Qui nunc it per iter tenebricosum*
Illuc, vnde negant redire quenquam.
At vobis male sit malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella deuoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male, ô miselle passer,
Tua nunc opera meæ puellæ
Flendo turgiduli rubent ocelli.

PHASELLVS *ille, quem videtis hospites,* Pag. 18.
Ait fuisse nauium celerrimus,
Neque vllius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, siue palmulis
B *Opus foret volare, siue linteo.*
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulásve Cycladas,
Rhodúmve nobilem, horridámve Thraciam,
Propontida, trucémve Ponticum sinum.
Vbi iste post phasellus antea fuit
Comata silua. nam Cytorio in iugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri pontica, & Cytore buxifer,
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait phasellus. vltima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine:
Tuo imbuisse palmulas in æquore:
Et inde tot per impotentia freta
C *Herum tulisse, læua, siue dextera*
Vocaret aura, siue vtrunque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem:
Neque vlla vota litoralibus Deis
Sibi esse facta, quum veniret à mare
Nouissimo hunc ad vsque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere. nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

VIVAMVS, *mea Lesbia, atque amemus,* Pag. 21.
Rumorésque senum seueriorum
Omnis vnius æstimemus assis,

Soles occidere, & redire possunt.
Nobis, quum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein vsque altera mille, deinde centum.
Dein quum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus:
Aut ne quis malus inuidere possit,
Quum tantum sciat esse basiorum.

Pag.24. FLAVI *delitias tuas Catullo,*
Ni sint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti diliges. hoc pudet fateri.
Nam te non viduas iacere noctes
Nequicquam tacitum cubile clamat,
Sertis ac Syrio flagrans oliuo.
Puluinúsque peræque & hic, & illic
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio, inambulatióque.
Nam ni stupra, valet nihil tacere,
(Cur? non tam latera exfututa pandant?)
Nec tu quid facias ineptiarum.
Quare quicquid habes boni, malique,
Dic nobis. volo te, ac tuos amores
Ad cœlum lepido vocare versu.

Pag.26. QVÆRIS *quot mihi basiationes*
Tuæ, Lesbia, sint satis, superque?
Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis iacet Cyrenis
Oraclum Iouis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulchrum:
Aut quam sidera multa, quum tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores:
Tam te basia multa basiare
Vesano satis, & super Catullo est,
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Pag.28. MISER *Catulle desinas ineptire,*
Et quod vides perisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Quum ventitabas, quo puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tam iocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non volt, tu quoque impote
Nec quæ fugit sectare, nec miser viue:
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale puella, iam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
At tu dolebis, quum rogaberis nulla.
Scelesta rere, quæ tibi manet vita.
Quis nunc te adibit? quoi videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? quoi labella mordebis?
At tu Catulle destinatus obdura.

Pag.30. VERANI *omnibus è meis amicis*
Antistans mihi millibus trecentis:
Venistine domum ad tuos penatis,
A *Fratrisque vnanimos, tuámque matrem?*
Venisti? ô mihi nuncij beati.
Visam te incolumem, audiámque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationis,
Vt mos est tuus: applicansque collum,
Iucundum os, oculósque suauiabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est, beatiúsue?

VARRVS *me meus ad suos amores* Pag.34.
Visum duxerat e foro otiosum:
Scortillum vt mihi tum repente visum est
Non sane inlepidum, nec inuenustum.
B *Huc vt venimus, incidere nobis*
Sermones varij: in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quomodo se haberet,
Et quantum mihi profuisset ære.
Respondi, id quod erat: mihi neque ipsi,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Quur quisquam caput vnctius referret:
Præsertim quibus esset irrumator
Prætor, non facerent pili cohortem.
At certe tamen, inquit, quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam homines. ego, vt puellæ
Vnum me facerem beatiorem:
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
C *Vt, prouincia quod mala incidisset,*
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat nec hic, neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, vt decuit cinædiorem:
Quæso, inquit, mihi, mi Catulle, paulum
Istos. commodo nam volo ad Serapim
Deferri. mane, inquij puellæ:
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. meus sodalis
Cinna est Caius, is sibi parauit.
Verum vtrum illius, an mei, quid ad me?
D *Vtor tam bene, quam mihi pararim.*
Sed tu insulsa male, & molesta viuis,
Per quam non licet esse negligentem.

FVRI, & *Aureli comites Catulli:*
Siue in extremos penetrabit Indos
Litus vt longe resonante Eoa
Tunditur vnda:
Siue in Hircanos, Arabasque mollis,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Siue qua septem geminus colorat
Aequora Nilus:
Siue trans altas gradietur Alpis,
Cæsaris visens monumenta magni
E *Gallicum Rhenum, horribilis &, vlti-*
mosque Britannos:
Omnia hæc, quæcunque feret voluntas
Cælitum, tentare simul parati,
Pauca nunciate meæ puellæ
Non bona dicta:
Cum suis viuat, valeátque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens.
Nec meum respectet, vt ante, amorem:

Qui illius culpa cecidit, velut prati
Vltimi flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

Pag.40. MARRVCINE *Asini, manu sinistra*
Non belle vteris in ioco, atque vino.
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te inepte,
Quamuis sordida res, & inuenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit, est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte,
Quod me non mouet æstimatione,
Verum est mnemosinum mei sodalis.
Nam sudaria Setaba ex Hyberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Veranius, hoc amem necesse est,
Vt Veraniolum meum, & Fabullum.

Pag.42. CÆNABIS *bene, mi Fabulle, apud me*
Paucis, si tibi dij fauent, diebus:
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cœnam, non sine candida puella,
Et vino, & sale, & omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cœnabis bene. nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores:
Seu quid suauius, elegantiúsve est.
Nam vnguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinésque:
Quod tu quum olfacies, deos rogabis,
Totum vt te faciant, Fabulle, nasum.

Pag.45. NI *te plus oculis meis amarem,*
Iucundissime Calue, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Qur me tot male perderes poetis?
Isti dij mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, vt suspicor, hoc nouum, ac repertum
Munus dat tibi Sulla literator:
Non est mi male, sed bene, ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Dij magni horribilem, & sacrum libellum,
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo vt die periret
Saturnalibus optimo dierum.
Non non hoc tibi, salse, sic abibit.
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia. Cæsios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, vnde malum pedem tulistis,
Sæcli incommoda, pessimi poetæ.

COMMENDO *tibi me, ac meos amores,*
Aureli. veniam peto pudentem,
Vt si quicquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, & integellum:

A *Conserues puerum mihi pudice,*
Non dico à populo. nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt sua occupati:
Verum à te metuo, tuoque pene
Infesto pueris bonis, malísque.
Quem tu, qua lubet, vt lubet, moueto
Quantum vis, vbi erit foris, paratum.
Hunc vnum excipio, vt puto, pudenter.
Quod si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit, scelesle, culpam,
Vt nostrum insidiis caput lacessas:
B *Ah tum te miserum, malique fati,*
Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique, mugilésque.

PÆDICABO *ego vos, & irrumabo* Pag.49.
Aureli pathice, & cinæde Furi:
Qui me ex versiculis meis putatis,
Quod sint molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum. versiculos nihil necesse est:
Qui tum denique habent salem, ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et quod pruriat incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis,
C *Qui duros nequeunt mouere lumbos:*
Vos, quod millia multa basiorum
Legistis; male me marem putatis:
Si qua forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manúsque vestras
Non horrebitis admouere nobis:
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

O colonia, quæ cupis ponte ludere longo, Pag. 53.
Et salire paratum habes: sed vereris inepta
Crura ponticuli adsultantis, inrediuiuus
Ne supinus eat, cauaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto:
D *Munus hoc mihi maximi da, colonia, risus.*
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque, pedésque:
Verum totius vt lacus putidéque paludis
Liuidissima, maximéque est profunda vorago,
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in vlna.
Quoi quum sit viridissimo nupta flore puella,
Vt puella tenellulo delicatior hœdo,
Asseruanda nigerrimis diligentius vuis:
Ludere hanc sinit, vt lubet, nec pilisacit vni,
Nec se subleuat ex sua parte: sed velut alnus
In fossa liguri iacet suppernata securi,
Tantundem omnia sentiens, quam si nulla sit vsquã:
E *Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.*
Ipse qui sit, vtrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in graui derelinquere cœno:
Ferream vt soleam tenaci in voragine mula.

AVRELI *pater esuritionum,* Pag. 58.
Non harum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis:
Pædicare cupis meos amores,

Nec clam: nam simul exiocaris vna,
Hærens ad latus, omnia experibis.
Frustra. nam insidias mihi instruentem
Tangam te prius irrumatione.
Atqui si id faceres satur, tacerem.
Nunc ipsum id doleo, quod esurire
Ah me me puer, & sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico:
Ne finem facias, sed irrumatus.

Pag.61. SVFFENVS iste, Varre, quem probe nosti,
Homo est venustus, & dicax, & vrbanus,
Idémque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta: nec sic, vt fit, in palimpsesto
Relata. chartæ regiæ, noui libri,
Noui vmbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc quum legas, tum bellus ille, & vrbanus
Suffenus vnus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure:
Simul poemata attigit. neque idem vnquam
Aeque est beatus, ac poëma quum scribit,
Tam gaudet in se, támque seipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur. neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus quoique attributus est error.
Sed non videmus, manticæ quid in tergo est.

Pag.65. FVRI, quoi neque seruus est, neque arca,
Nec cimex, neque araneus, neque ignis:
Verum est & pater, & nouerca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt:
Est pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum. bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis. nihil timetis,
Non incendia, non graues ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione:
Quare non tibi sit bene, ac beate?
A te sudor abest, abest saliua,
Muccusque, & mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est,
Nec toto decies cacas in anno,
Atque id durius est faba, & lapillis:
Quod tu si manibus teras, fricésque,
Non vnquam digitum inquinare posses.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parui.
Et sestertia, quæ soles precari,
Centum, desine. nam sat es beatus.

Pag.66. O qui flosculus es Iuuentiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis:
Mallem diuitias mihi dedisses
Isti, quoi neque seruus est, neque arca:

A Quam sic te sineres ab illo amari.
Quis? non est homo bellus, inquies? est:
Sed bello huic neque seruus est, neque arca.
Hæc tu quam lubet abiice, eleuáque:
Nec seruum tamen ille habet, neque arcam.

CINÆDE Thalle mollior cuniculi capillo, Pag.69.
Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido senis, situque araneoso:
Idémque Thalle turbida rapacior procella,
Quum de via mulier aues ostendit oscitantes.
Remitte pallium mihi meum, quod inuolasti,
B Sudariúmque Setabum, catagraphósque thynos
Inepte: quæ palam soles habere tanquam auita.
Quæ nunc tuis ab vnguibus reglutina, & remitte,
Ne laneum latusculum, manúsque mollicellas
Inlusa turpiter tibi flagella conscribillent.
Et insolenter æstues, velut minuta magno
Deprensa nauis in mari vesaniente vento.

FVRI, villula nostra non ad Austri Pag.71.
Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
Nec sæui Boreæ, aut Apeliotæ:
Verum ad millia quindecim, & ducentos.
O ventum horribilem, atque pestilentem.
C
MINISTER vetuli puer falerni, Pag.73.
Inger mi calices amariores,
Vt lex Posthumiæ iubet magistræ
Ebriosa acina ebriosioris,
At vos quo lubet hinc abite lymphæ,
Vini pernicies, & ad seueros
Migrate. hic merus est Thyonianus.

PISONIS comites, cohors inanis, Pag.74.
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Verani optime, tuque mi Fabulle:
Quid rerum geritis? satísne cum isto
Vappa, frigoráque, & famem tulistis?
D Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? vt mihi, qui meum secutus
Prætorem, refero datum lucello:

O Memmi bene me, ac diu supinum Pag.76.
Tota ista trabe lentus irrumasti:
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu. nam nihilo minore verpa
Farti estis. pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dii Deæque
Dent, opprobria, Romuli, Remique.

QVIS hoc potest videre, quis potest pati, Pag.80.
E Nisi impudicus, & vorax, & helluo:
Mamurram habere, quod comata Gallia
Habebat vnctum, & vltima Britannia?
Cinæde Romule hæc videbis & feres?
Es impudicus, & vorax, & helluo.
Et ille nunc superbus, & superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Vt albulus columbus, aut Adoneus?
Cinæde Romule hoc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & helluo.
Eone nomine, imperator vnice,
Fuisti in vltima Occidentis insula:
Vt ista vostra diffututa mentula

Ducenties comisset, aut trecenties?
Quid? est alid, sinistra liberalitas?
Parum expatrauit? an parum helluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda præda Pontica: inde tertia
Hibera: quas & amnis aurifer Tagus
* *Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ.**
Quid hunc, malum, fouetis? aut quid hic potest,
Nisi vncta deuorare patrimonia?
Eone nomine, imperator vnice,
Socer, generque perdidistis omnia?

Pag.83. ALPHENE *immemor, atque vnanimis falsè sodalibus:*
Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi.
Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide.
Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent,
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Heu heu quid faciant, dic, homines, quoiue habeant fidē?
Certe tute iubebas animam tradere, inique me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factáque
Ventos irrita ferre, & nebulas aëreas sinis.
Si tu oblitus es, at dij meminerunt, meminit Fides.
Quæ te vt pœniteat postmodo facti, faciet, tui.

Pag.86. PENINSVLARVM *Sirmio, insularúmque*
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert vterque Neptunus:
Quam te libenter, quamque lætus inuiso,
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos, & videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Quum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratóque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod vnum est pro laboribus tantis.
Salue, ô venusta Sirmio, atque hero gaude,
Gaudete, vósque ludiæ lacus vndæ.
Ridete quicquid est domi cachinnorum.

Pag.87. AMABO *mea dulcis Hypsithilla,*
Meæ delitiæ, mei lepores,
Iube ad te veniam meridiatum.
Quod si iusseris, illud adiuuato,
Ne quis liminis obseret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, paréſque nobis
Nouem continuas fututiones.
Verum si quid ages, statim iubeto:
Nam pransus iaceo, & satur supinus
Pertundo tunicámque, palliúmque.

Pag.88. O FVRVM *optime balneariorum*
Vibenni pater, & cinæde fili:
Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore:
Quur non exilium, maláſque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo, & natis pilosas,
Fili, non potes asse venditare?

Pag.93. DIANÆ *sumus in fide*
Puellæ, & pueri integri:
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.

A *O Latonia maximi*
Magna progenies Iouis,
Quam mater prope Deliam
Deposiuit oliuam,
Montium domina vt fores,
Siluarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis:
Tu potens triuia, & notho es
Dicta lumine luna.
Tu cursu, dea, menstruo
B *Metiens iter annuum,*
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine, Romulique
Ancique, vt solita es, bona
Sospites ope gentem.

POETÆ *tenero meo sodali*
Velim Cæcilio, papyre, dicas:
Veronam veniat, Noui relinquens
Comi mœnia, Lariúmque litus.
Nam quasdam volo cogitationes
C *Amici accipiat sui, meique.*
Quare si sapiet, viam vorabit,
Quamuis candida millies puella
Euntem reuocet, manuſque collo
Ambas iniiciens roget morari:
Quæ nunc, si mihi vera nunciantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam: ex eo misellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi Sapphica, puella,
Musa doctior. est enim venuste
Magna Cæcilio incohata mater.

D ANNALES *Volusi cacata charta,* Pag.98.
Votum soluite pro mea puella.
Nam sancta Veneri, Cupidinique
Vouit, si sibi restitutus essem,
Desissémque truces vibrare iambos:
Electissima pessimi poetæ
Scripta, tardipedi deo daturam
Infelicibus vstulanda lignis.
Et hæc pessima se puella vidit
Ioco se lepide vouere diuis.
Nunc ô cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Vriosque apertos,*
Quæque Ancona: Cnidumque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
E *Quæque Durachium Adriæ tabernam:*
Acceptum face, redditúmque votum,
Si non illepidum, neque inuenustum est.
At vos interea venite in ignem
Pleni ruris, & inficetiarum
Annales Volusi cacata charta.

SALAX *taberna, vósque contubernales,* Pagina 101.
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
Solis licere, quicquid est puellarum

Confutuere, & putare cæteros hircos?
An, continenter quod sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me vna ducentos irrumare sessores?
Atqui putate. namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.
Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni, beatique
Omnes amatis: & quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli, & semitarij mœchi.
Tu præter omnis vne de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili
Egnati, opaca quem facit bonum barba,
Et dens Hibera defricatus vrina.

Pagina 103. MALE *est Cornifici tuo Catullo,*
Male est mehercule, & laboriose:
Magisque, & magis in dies, & horas
Irascor tibi, sic meos amores.
Quem tu, quod minimum, facillimúmque est,
Qua solatus es adlocutione?
Paulum quidlibet adlocutionis,
Mœstius lacrimis Simonideis.

Pagina 106. EGNATIVS, *quod candidos habet dentis,*
Renidet vsquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, quum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pij ad rogum filij
Lugetur, orba quum flet vnicum mater,
Renidet ille: quicquid est, vbicunque est,
Quodcunque agit, renidet. hunc habet morbum
Neque elegantem, vt arbitror, neque vrbanum.
Quare monendus es mihi. bone Egnati,
Si vrbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Vmber, aut obesus Hetruscus,
Aut Lanuuinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, vt meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lauit dentis:
Tamen renidere vsquequaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc solet sibi mane
Dentem, atque russam defricare gingiuam.
Vt quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

Pagina 107. QVÆNAM *te mala mens, miselle Rauide,*
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene aduocatus,
Vecordem parat excitare rixam?
Anne vt peruenias in ora volgi?
Quid vis? qua lubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

Pagina 109. AH *me, an illa puella defututa*
Tota millia me decem poposcit?
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani?
Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos, medicósque conuocate.
Non est sana puella, nec rogate
Qualis sit. solet hæc imaginosum.

A ADESTE *hendecasyllabi, quot estis* Pagina 111.
Omnes vndique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat mihi vostra redditura
Pugillaria: si pati potestis,
Persequamur eam, & reflagitemus.
Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere mimice, ac moleste,
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, & reflagitate:
Mœcha putida redde codicillos.
Redde putida mœcha codicillos.
Non assis facis? ô lutum, lupanar,
B *Aut si perditius potest quid esse.*
Sed non est tamē hoc satis putandū.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore,
Conclamate iterum altiore voce:
Mœcha putida redde codicillos.
Redde putida mœcha codicillos.
Sed nil proficimus, nihil mouetur.
Mutanda est ratio, modúsque vobis,
Si quid proficere amplius potestis.
Pudica, & proba redde codicillos.

SALVE *nec nimio puella naso,* Pagina 113.
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
C *Nec longis digitis, nec ore sicco,*
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' prouincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens, & infacetum.

O FVNDE *noster, seu Sabine, seu Tiburs,* Pagina 115.
Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere. at quibus cordi est,
Quouis Sabinum pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, siue verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
D *Villa, malámque pectore expui tussim:*
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas appeto, dedit, cœnas.
Nam Sextianus dum volo esse conuiua,
Orationem in Attium petitorem
Plenam veneni, & pestilentiæ legit,
Hic me grauedo frigida, & frequens tussis
Quassauit, vsquedum in tuum sinum fugi,
Et me procuraui ocimoque, & vrtica.
Quare refectus maximas tibi gratis
Ago, meum quod non es vlta peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sexti recepso, quin grauedinem, & tussim
E *Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,*
Qui tunc vocat me, quum malum legit librum.

ACMEN *Septimius suos amores* Pagina 118.
Tenens in gremio, Mea inquit Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omnis sum assiduè paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire:
Solus in Lybia, Indiaque tosta,
Cæsio veniam obuius leoni.
Hoc vt dixit, Amor sinistra vt ante,*
Dextram sternuit adprobationem.

At Acme leniter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos,
Illo purpureo ore suauiata,
Sic, inquit, mea vita Septimille,
Huic vno domino vsque seruiamus:
Vt multo mihi maior, acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc vt dixit, Amor sinistra, vt ante,
Dextram sternuit approbationem.
Nunc ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Vnam Septimius misellus Acmen
Mauolt, quam Syrias, Britanniasq;.
Vno in Septimio fidelis Acme
Facit delitias, libidinésque.
Quis vllos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

Pagina 120. IAM *ver egelidos refert tepores,*
Iam cæli furor æquinoctialis
Iucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygij, Catulle, campi,
Niceæque ager vber æstuosæ.
Ad claras Asiæ volemus vrbis.
Iam mens prætrepidans auet vagari.
Iam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul à domo profectos,
Diuersæ variæ viæ reportant.

Pagina 122. PORCI, *& Socration, duæ sinistræ*
*Pisonis scabies, famésq; * Memmi:*
Vos Veraniolo meo, & Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille?
Vos conuiuia lauta sumptuose
De die facitis, mei sodales
Quærunt in triuio vocationes?

MELLITOS *oculos tuos, Iuuenti,*
Si quis me sinat vsque basiare,
Vsque ad millia basiem trecenta,
Nec vnquam saturum inde cor futurum est:
Non si densior aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

DISERTISSIME *Romuli nepotum,*
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis:
Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium poeta:
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Pagina 125. HESTERNO, *Licini, die otiosi*
Multum lusimus in meis tabellis,
Vt conuenerat esse delicatos.
Scribens versiculos vterque nostrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per iocum, atque vinum.
Atque illinc abij, tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Vt nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos:
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
A *Vt tecum loquerer, simúlque vt essem.*
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,
Hoc, iucunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax, caue, sis: precésque nostras
Oramus, caue despuas ocello,
Ne pœnas Nemesis reposcat à te.
Est vehemens dea, lædere hanc caueto.

ILLE *mi par esse deo videtur,* Pagina 127.
Ille si fas est, superare diuos,
B *Qui sedens aduersus identidem te*
Spectat, & audit
Dulce ridentem, misero quod omnis
Eripit sensus mihi: nam simul te
Lesbia adspexi, nihil est super mi
* *
Lingua sed torpet. tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tintinant aures. gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est.
Otio exultas: nimiúmque gaudes.
Otium reges prius, & beatas
C *Perdidit vrbes.*

QVID *est, Catulle, quid moraris emori?* Pagina 128.
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum peierat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

RISI *nescio quem modo in corona,* Pagina 130.
Qui quum mirifice Vatiniana
Meus crimina Caluus explicasset,
Admirans ait hæc, manusque tollens:
Di magni, salaputium disertum.

OTHONIS *caput oppido pusillum* Pagina 131.
D *Peri, rustice. semilauta crura,*
Subtile, & leue peditum Libonis:
Si non omnia displicere vellem
Tibi, & Fuffitio seni recocto.
Irascere iterum meis Iambis
Immerentibus, vnice imperator.

ORAMVS *si forte non molestum est,* Pagina 136.
Demonstres vbi sint tuæ tenebræ.
Te campo quæsiuimus minore
Te in circo, te in omnibus libellis.
Te in templo superi Iouis sacrato,
In Magni simul ambulatione:
E *Fœmellas omnis, amice, prendi.*
Quas vultu vidi tamen sereno,
Has vel te sic ipse flagitabam:
Camerium mihi, pessimæ puellæ.
Quædam, inquit, nudum sinum reducens.
En hic in roseis latet papillis.
Sed te iam ferre Herculei labos est.
Tanto te in fastu negas, amice.
Dic nobis vbi sis futurus. ede hoc
Audacter committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proiicies amoris omnis.

Verbosa gaudet Venus loquela.
Vel si vis, licet obseres palatum,
Dum vestri sim particeps amoris:
Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Nō Ladas si ego, pennipésve Perseus,
Non Rhesi niueæ citæque bigæ:
Adde huc plumipedes, volatilésque,
Ventorumq́; simul require cursum,
Quos iunctos, Cameri, mihi dicares:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem, te, mi amice, quæritando.

Pagina 138. O REM *ridiculā, Cato, & iocosam,*
Dignamq́; auribus, & tuo cachinno.
Ride, quicquid amas, Cato, Catullū:
Res est ridicula, & nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellæ
Trusantem. hūc ego, si placet Dionæ,
Protelo rigida mea cecidi.

Pagina 139. PVLCHRE *conuenit improbis cinædis*
Mamurræ pathicóque, Cæsarîque,
Nec mirum: maculæ pares vtrisque,
Vrbana altera, & illa Formiana,
Impressæ resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli vtrique.
Vno in lectulo, erudituli ambo:
Non hic, quam ille magis vorax adulter.
Riuales socij puellularum.
Pulchre conuenit improbis cinædis.

CÆLI, *Lesbia nostra, Lesbia illa,*
Illa Lesbia, quam Catullus vnam
Plus, quam se, atque suos amauit omnis:
Nunc in quadriuiis, & angiportis,
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Pagina 141. BONONIENSIS *Rufa Rufulum fallat.*
Vxorne Meni, sæpe quam in sepulchretis
Vidistis ipso rapere de rogo cœnam,
Quum deuolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur vstore?
Pagina 142. *Num te leæna montibus Libystinis,*
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreauit, ac tetra:
Vt supplicis vocem in nouissimo casu
Contemtam haberes? ô nimis fero corde.

Pagina 186. COLLIS *ô Heliconei*
Cultor, Vraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem ô Hymenæe Hymen,
O Hymen Hymenæe.
Cinge tempora floribus
Suaueolentis amaraci.
Flammeum cape. lætus huc
Huc veni niueo gerens
Luteum pede soccum.
Excitúsque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus. manu
A *Pineam quate tedam.*
Namque Iulia Manlio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Iudicem, bona cum bona
Nubit alite virgo,
Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
Quos Hamadryades deæ
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.
Quare age huc aditum ferens
Perge linquere Thespiæ
Rupis Aonios specus,
B *Lympha quos super irrigat*
Frigerans Aganippe.
Ac domum dominam voca
Coniugis cupidam noui,
Mentem amore reuinciens,
Vt tenax hedera huc, & huc
Arborem implicat errans.
Vos item simul integræ
Virgines, quibus aduenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe:
Vt lubentius audiens,
Se citarier ad suum
C *Munus, huc aditum ferat*
Dux bonæ Veneris, boni
Coniugator amoris.
Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Cælitum? ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe.
Te suis tremulus parens
Inuocat, tibi virgines
Zonula soluunt sinus,
Te timens cupida nouos
Captat aure maritos.
D *Tu fero iuueni in manus*
Floridam ipse puellulam
Matris è gremio suæ
Dedis. ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe.
Nil potest sine te Venus
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere. at potest,
Te volente. quis huic deo
Compararier ausit?
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
E *Stirpe iungier. at potest,*
Te volente, quis huic Deo
Compararier ausit?
Quæ tuis careat sacris
Non queat dare præsides
Terra finibus. at queat,
Te volente. quis huic deo
Compararier ausit?
Claustra pandite ianuæ.
Virgo adest. viden, vt faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies,

Prodeas noua nupta.
Tardet ingenuus pudor,
Qua tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas noua nupta.
Flere desine. non tibi
Aurunculeia periculum est,
Nequa fœmina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Diuitis domini hortulo
Stare flos Hiacynthinus.
Sed moraris, abit dies,
Prodeas noua nupta.
Prodeas noua nupta sis:
(Iam videtur) vt audias
Nostra verba. (viden'? faces
Aureas quatiunt comas.)
Prodeas noua nupta.
Non tuus leuis in mala
Deditus vir adultera
Proca, turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta qui velut assitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. sed abit dies,
Prodeas noua nupta.
* *
* *
* *
O cubile, quot (ò nimis
Candido pede Lecti)
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat. sed abit dies,
Prodeas noua nupta.
Tollite, ò pueri, faces,
Flammeum videor venire.
Ite, concinite in modum,
Io Hymen Hymenæ io,
Io Hymen Hymenæe.
Nec diu taceat procax
Fescenina locutio,
Neu nuces pueris neges
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris iners
Concubine. satis diu
Lusisti nucibus. lubet
Iam seruire Thalasio.
Concubine nuces da.
Sordebam tibi villice.
Concubine hodie atque heri.
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miser ah miser
Concubine, nuces da.
Diceris male te à tuis
Vnguentate glabris, marite
Abstinere, sed abstine,
Io Hymen Hymenæe io,

A *Io Hymen Hymenæe.*
Scimus hæc tibi, quæ licent
Sola cognita: sed marito
Ista non eadem licent.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, caue ne neges,
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
En tibi domus vt potens,
Et beata viri tui,
B *Quæ tibi sine seruiet:*
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe:
Vsque dum tremulum mouens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilémque subi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Adspice intus vt accubans
C *Vir tuus Tyrio in toro,*
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Illi non minus, ac tibi
Pectore vritur intimo
Flamma, sed penite magis.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellula.
Iam cubile adeant viri.
Io Hymen Hymenæe io,
D *Io Hymen Hymenæe.*
Vos bonæ senibus viris
Cognitæ breue fœminæ,
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
Iam licet venias, marite.
Vxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens:
Alba parthenice velut,
Luteumve papauer.
At, marite, ita me iuuent
Cælites, nihilominus
Pulcher es: neque te Venus
E *Negligit. sed abit dies:*
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Iam venis. bona te Venus
Iuuerit: quoniam palam
Quod cupis, capis, & bonum
Non abscondis amorem.
*Ille pulueris * erithei*
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vostri numerare volt

Multa millia ludi.
Ludite, vt lubet, & breui
Liberos date. non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse: sed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus volo paruolus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, & facile insciis
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.
Talis illius à bona
Matre laus genus approbet,
Qualis vnica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo.
Claudite ostia virgines.
Lusimus satis. at boni
Coniuges bene viuite, &
Munere assiduo valentem
Exercete iuuentam.

Pagina 197.
VESPER adest, iuuenes. consurgite. Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pinguis linquere mensas.
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenæus.
Hymen, ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.
Cernitis, innuptæ, iuuenes? consurgite contra.
* Nimirum Eoos ostendit Noctifer imbres.*
Sic certe. viden' vt perniciter exiluere?
* Non temere exiluere. canent quo vincere par est.*
Hymen ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.
Non facilis nobis, æquales, palma parata est.
Adspicite, innuptæ secum vt meditata requirunt.
Non frustra meditantur. habent memorabile quod sit.
Nos alio mentis, alio diuisimus auris.
Iure igitur vincemur. amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros:
Dicere iam incipient, iam respondere decebit:
Hymen, ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.
Hespere, qui cælo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu auellere matris,
Complexu matris retinentem auellere natam,
Et iuueni ardenti castam donare puellam?
Quid faciant hostes capta crudelius vrbe?
Hymen, ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.
Hespere, qui cælo lucet iucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma?
Quod pepigere viri, pepigerunt ante parentes,
Nec iunxere prius, quam se tuus extulit ardor.
Quid datur à diuis felici optatius hora?
Hymen, ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.
Hesperus è nobis, æquales, abstulit vnam.

Nanque tuo aduentu vigilat custodia semper.

A Nocte latent fures, quos idem sæpe reuertens
Hespere mutato comprendis nomine eosdem.
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum si carpunt tacita quem mente requirunt?
Hymen, ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.
Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ,
Idem quum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
Sic virgo dum intacta manet, tum cara suis. sed
Quum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.
B Hymen, ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.
Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur aruo,
Nunquam se extollit, nunquam mitem educat vuam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Iam iam contingit summum radice flagellum,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere iuuenci:
At si forte eadem est vlmo coniuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere iuuenci:
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit,
Quum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, & minus est inuisa parenti.
At tu ne pugna cum tali coniuge virgo.
Non æquum est pugnare, pater quoi tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
C Virginitas non tota tua est. ex parte parentum est.
Tertia pars matri data, pars data tertia patri,
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
Hymen, ô Hymenae Hymen ades, ô Hymenae.

SVPER alta vectus Atys celeri rate maria Pagina 215.
Phrygium nemus citato cupide pede tetigit,
Adiitque opaca siluis redimita loca deæ:
Stimulatus vbi furenti rabie, vagus animi
Deuoluit illa acuta sibi pondera silice.
Itaque vt relicta sensit sibi membra sine viro:
Et iam recente terræ sola sanguine maculans,
D Niueis citata cœpit manibus leue typanum.
Typanum, tubam, Cybelle, tua, mater, initia:
Quatiensque terga tauri teneris caua digitis,
Canere hoc suis adorta est tremebunda comitibus:
Agite ite ad alta, Gallæ, Cybeles nemora simul,
Simul ite, Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exules, loca
Sectam meam executæ, duce me, mihi comites
Rapidum salum tulistis, truculentáque pelagi,
Et corpus euirastis Veneris nimio odio.
Hilarate excitatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat. simul ite: sequimini
E Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora deæ,
Vbi cymbalum sonat vox, vbi tympana reboant,
Tibicen vbi canit Phryx curuo graue calamo,
Vbi capita Mænades vi iaciunt hederigeræ,
Vbi sacra sancta acutis vlulatibus agitant,
Vbi sueuit illa diuæ volitare vaga cohors.
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit noua mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus vlulat,
Leue tympanum remugit, caua cymbala recrepant.
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul anhelans vaga vadit animo egens

Comitata tympano Atys per opaca nemora dux,
Veluti iuuenca vitans onus indomita iugi.
Rapida ducem sequuntur Gallæ pede propero.
Itaque, vt domum Cybelles tetigere lassulæ,
Nimio è labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labante langore oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed vbi oris aurei sol radiantibus oculis
Lustrauit æthera album, sola dura, mare ferum:
Pepulitque noctis vmbras vegetis sonipedibus,
Ibi somnus excitum Atyn fugiens citus abiit.
Trepidantem eum recepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rabida sine rabie
Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit,
Liquidaq; mente vidit sine queis, vbique foret,
Animo æstuante rursum reditum ad vada tetulit.
Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
Patriam allocuta voce est ita mœsta miseriter:
Patria ô mea creatrix, patria ô mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos vt herifugæ
Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem:
Vt apud (miser) ferarum gelida stabula forem,
Et vt omnia earum adirem furibunda latibula:
Vbi nam, aut quibus locis te positam, patria, rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breue tempus animus est.
Egone à mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæstra, stadio, & gymnasiis?
Miser ah miser querendum est etiã atque etiam anime.
Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?
Ego puber, ego adolescens, ego ephæbus, ego puer,
Ego gymnasij fui flos, ego eram decus olei.
Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum vbi esset orto mihi sole cubiculum.
Egone deum ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idæ niue amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus:
Vbi cerua siluicultrix, vbi aper nemoriuagus?
Iam iam dolet, quod egi, iam iamque pœnitet.
Roseis vt huic labellis palans sonitus abiit,
Ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus,
Geminas eorum ad aures noua nunciat ferens,
Læuumque pecoris hostem stimulans ita loquitur:
Agedum inquit, age ferox, i, face vt hinc furoribus,
Face vt hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea liber ah nimis qui fugere imperia cupit.
Age, cæde terga cauda: tua verbera patere.
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.
Rutilam ferox torosa ceruice quate iubam.
Ait hæc minax Cybelle, religatq; iuga manu,
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum:
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At vbi vltima albicantis loca litoris adiit,
Teneramque vidit Atyn prope marmora pelagi:
Facit impetum. ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit,
Dea, magna dea, Cybele, Didymi, dea, domina,
Procul à mea tuus sit furor omnis, hera, domo.
Alios age incitatos, alios age rabidos.

Pagina P E L I A C O *quondam prognata vertice pinus*
274. *Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas*
A *Phasidos ad fluctus, & finis Aeetæos:*
Quum lecti iuuenes Argiuæ robora pubis
Auratam optantes Colchis auertere pellem
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diua quibus retinens in summis vrbibus arces
Ipsa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simulac rostro ventosum proscidit æquor,
Totáque remigio spumis incanuit vnda,
Emersere feri candenti è gurgite vultus
B *Aequoreæ monstrum Nereides admirantes,*
Illaq;, atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus extantis è gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes saluete, deum genus, ô bona mater:
Vos ego sæpe meo vos carmine compellabo,
Teque adeo eximia tedis felicibus aucte
Thessaliæ columen Peleu, quoi Iuppiter ipse,
Ipse suos diuum genitor concessit amores.
C *Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?*
Tene suam Tethys concessit ducere neptem?
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ simul optatæ finito tempore luces
Aduenere, domum conuentu tota frequentat
Thessalia. oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt: præse declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros: linquunt Phthiotica Tempe,
Craimgenásque domos, ac mœnia Larissæa.
Pharsalon coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla iuuencis.
Non humilis curuis purgatur vinea rastris.
Non glebam prono conuellit vomere taurus.
Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram.
D *Squalida desertis robigo infertur aratris.*
Ipsius at sedes, quacunque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento.
Candet ebur soliis, collucent pocula mensæ.
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Puluinar vero diuæ geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchilis purpura fuco.
Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
E *Necdum etiam, sesesque sui cui * credet.*
Vtpote fallaci quæ tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at iuuenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.
Quem procul ex alga mœstis Minois ocellis,
Saxea vt effigies bacchantis prospicit Euæ,
Prospicit, & magnis curarum fluctuat vndis,
Non flauo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta leui velatum pectus amictu,
Non tereti strophio lactantis vincta papillas:
Omnia quæ toto delapsa è corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebat,

Sed neque tum mitra, neque tum fluitantes amictus
Illa vicem curans, toto te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
Ah miseram assiduis quam luctibus externauit
Spinosas Erycina serens in pectore curas.
Illa tempestate ferox, & tempore Theseus
Egressus curuis è littoribus Pyræi
Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneæ pœnas exoluere cædis,
Electos iuuenes simul & decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Queis angusta malis quum mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proycere optauit potius, quam talia Cretam
Funera Cecropia ne funera portarentur.
Atque ita naue leui nitens, ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit, sedésque superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suauis expirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat:
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtus,
Aurave distinctos educit verna colores:
Non prius ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.
Heu misere exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum,
Qualibus incensam iactastis mente puellam
Fluctibus, in flauo sæpe hospite suspirantem?
Quantos illa tulit languenti corde timores?
Quantum sæpe magis fulgore expalluit auri?
Quum sæuum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula diuis
Promittens tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum,
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus exturbata
Prona cadit, lateque & comminus obuia frangens:
Sic domito sæuum prosternit corpore Theseus
Nequicquam vanis iactantem cornua ventis.
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne labyrintheis flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobseruabilis error.
Sed quid ego à primo digressus carmine, plura
Commemorem? vt linquens genitoris filia vultum,
Vt consanguineæ complexum, vt denique matris,
Quæ misera in gnata deperdita læta
Omnibus his Thesei dulcem præoptarit amorem?
Aut vt vecta ratis spumosa ad litora Diæ?
Aut vt eam tristi deuinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore coniunx?
Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse è pectore voces.
Aut tum præruptos tristem conscendere montis,
Vnde aciem in pelagi vastos protenderet æstus:
Tum tremuli salis aduersas procurrere in vndas
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ:
Atque hæc extremis mœstam dixisse querelis,
Frigidulos vdo singultus ore cientem:
Siccine me patriis auectam, perfide, ab oris,
A Perfide deserto liquisti in litore Theseu?
Siccine discedens neglecto numine diuum
Immemor ah deuota domum periuria portas?
Nulla ne res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,
Immite vt nostri vellet miserescere pectus?
At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce mihi: non hoc miseram sperare iubebas:
Sed connubia læta, sed optatos hymeneos.
Quæ cuncta aerij discerpunt irrita venti.
Tum iam nulla viro iuranti fœmina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles:
B Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.
Sed simulac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, & potius germanum amittere creui,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deessem.
Pro qua dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, neque iniecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit vndis?
Quæ Syrtis, quæ Scilla vorax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci pręmia vita?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
C Sæua quod horrebas prisci præcepta parentis,
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi iucundo famularer serua labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequicquam conqueror auris,
Externata malo, quæ nullis sensibus auctæ
Nec missas audire queunt, nec reddere voces?
Ille autem prope iam mediis versatur in vndis,
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore sæua
Fors etiam nostris inuidit questibus aures.
Iuppiter omnipotens vtinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent littora puppes:
D Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset nauita funem:
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Isthmon, eósne petam montis, ah gurgite lato
Discernens pontum truculentum vbi diuidit æquor?
An patris auxilium sperem, quemne ipsa reliqui
Respersum iuuenem fraterna cæde secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incuruans gurgite remos?
Præterea nullo litus, sola insula, tecto.
Nec patet egressus pelagi cingentibus vndis.
Nulla fugæ ratio, nulla spes, omnia muta,
E Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius à fesso secedent corpore sensus:
Quam iustam à diuis exposcam prodita multam,
Cælestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virum multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons expirantis præportat pectoris iras,
Huc huc aduentate, meas audite querelas,
Quas ego, væ miserę, extremis proferre medullis,
Cogor inops, ardens, amenti cęca furore.

Quę

Quæ quoniam vere nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, deæ, funestet séque suósque.
Has postquam mæsto profudit pectore voces,
Supplicium sæuis exposcens anxia factis:
Annuit inuicto cælestum numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Aequora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec mæsto sustollens signa parenti,
Sospitem, & ereptum se ostendit visere portum.
Nanque ferunt, olim classi quum mœnia diuæ
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia complexum iuueni mandata dedisse:
Gnate mihi longa iucundior vnice vita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus.
Reddite in extrema nuper mihi fine senecta:
Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida virtus
Eripit inuito mihi te, quoi languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam Fortunæ signa secundæ.
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso puluere fœdans,
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros vt luctus, nostraque incendia mentis,
Carbasus obscura dicat ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
Annuit, vt tauri respargas sanguine dextram:
Tum vero facito, vt memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec vlla obliteret ætas.
Vt simulac nostros inuisent lumina collis,
Funestam antennæ deponant vndique vestem,
Candidáque intorti sustollant vela rudentes:
Quamprimum cernens vt læta gaudia mente
Agnoscam, quum te reducem ætas prospera sistet.
Hæc mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aerium niuei montis liquere cacumen.
At pater, vt summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus;
Quum primum inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum è vertice iecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tamen adspectans cedentem mæsta carinam
Multiplicis animo voluebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens, Ariadna, tuoque incensus amore:
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Euoe bacchantes, euoe capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.
Pars è diuolso raptabant membra iuuenco.
Pars sese tortis serpentibus incingebant.
Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis,
Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.
Plangebant aliæ proceris tympana palmis,
Aut tereti tenuis tinnitus ære ciebant.

A *Multis raucisonos efflabant cornua bombos,*
Barbaráque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Puluinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere diuis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclinas incitat vndas
Aurora exoriente vagi sub limina solis:
Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ
Procedunt, leni resonant plangore cachinni:
Post vento crescente, magis magis increbrescunt,
Purpureáque procul nantes à luce refulgent:
B *Sic tum vestibuli linquentes regia tecta*
A se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps è vertice Pelij
Aduenit Chiron portans siluestria dona.
Nam quotcunque ferunt campi, quas Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis vndas
Aura parit floris tepidi fœcunda Fauoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus iucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quæ siluæ cingunt superimpendentes,
Minyasin linquens Doris celebranda choreis,
Cranona erisonámque, tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
C *Non sine nutanti platano, flettáque sorore*
Flammati Phaethontis, & aeria cupressu,
Hæc circum sedes late contexta locauit,
Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ:
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persoluit, pendens è verticibus præruptis.
Inde pater diuum sancta cum coniuge, natisque
Aduenit cœlo, te solum Phœbe relinquens,
Vnigenámque simul cultricem montibus Hydri.
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis tædas voluit celebrare iugalis.
D *Qui postquam niueos flexerunt sedibus artus,*
Large multiplici constructæ sunt dape mensæ.
Quum interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus,
His corpus tremulum complectens vndique vestis
Candida purpurea Tyrios intexerat ora.
At roseo niueæ residebant vertice vittæ,
Aeternúmque manus carpebant rite laborem.
Læua colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis: tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens:
Laneáque aridulis hærebant morsa labellis,
E *Quæ prius in leui fuerant extantia filo.*
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisona pellentes vellera voce
Talia diuino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas:
O Decus eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiæ columen Peleu, clarissime nato.
Accipe, quod læta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraculum. sed vos, quæ fata sequuntur,
Currite ducentes subtemina, currite fusi.

Adueniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus. adueniet fausto cum sidere coniunx,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulósque pares tecum coniungere somnos,
Leuis substernens robusto brachia collo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flammea prænorter celeris vestigia ceruæ.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Quum Phrygij Teucro manabunt sanguine riui:
Troicaq; obsidens longinquo mœnia bello
Periuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Illius egregias virtutes, claráque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres:
Quum cinere incanos soluent à vertice crines,
Putridáque infirmis varsabunt pectora palmis.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nanque velut densas præsternens cultor aristas
Sole sub ardenti flauentia demetit arua:
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto:
Quoius iter cæsis angustans corporum aceruis
Alta tepefaciet permista flumina cæde.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Denique testis erit morti quoque reddita præda:
Quum teres excelso coacernatum aggere bustum
Excipiet niueos perculsæ virginis artus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nam simulac fessis dederis fors copiam Achiuis
Vrbis Dardaniæ Neptunia soluere vincla:
Alta Polyxenia madefient cæde sepulchra.
Quæ velut ancipiti succumbens victima ferro
Proiiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Quare agite optatos animi coniungite amores,
Accipiat coniunx felici fœdere diuam.
Dedatur cupido iam dudum nupta marito.
Currite ducentes subtemina, currite fusi,
Non illam nutrix orienti luce reuisens
Hesterno collum poterit circundare filo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Anxia nec mater discordis mœsta puellæ
Secubitu caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Talia præfantes quondam felicia Pelei
Carmina diuino cecinerunt omine Parcæ.
Præsentes namque ante domos inuisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu
Cælicolæ nondum spreta pietate solebant.
Sæpe pater diuûm templo in fulgente reuisens,
Annua dum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnasi vertice summo
Thyadas effusis euantis crinibus egit:
Quum Delphi tota certatim ex vrbe ruentes
Acciperent læti diuum fumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mauors,
Aut rapidi Tritonis Hera, aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est præsens hortata cateruas.

A *Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,*
Iustitiámque omnes cupida de mente fugarunt:
Perfudere manus fraterno sanguine fratres:
Destitit extinctos natus lugere parenteis:
Optauit genitor primæui funera nati,
Liber vt innuptæ potiretur flore nouercæ:
Ignaro mater substernens se impia nato
Impia non verita est diuos scelerare parentes.
Omnia fanda, nefanda malo permista furore
Iustificam nobis mentem auertere deorum.
Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

E T S I *me adsiduo confectum cura dolore* Pagina
Seuocat à doctis, Ortale, virginibus: 285.
B *Nec potis est dulcis Musarum expromere fœtus*
Mens animi. tantis fluctuat ipsa malis.
Nanque mei nuper Lethæo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit vnda pedem,
Troia Rhœteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis
* * * *
Nunquam ego te vita frater amabilior
Aspiciam posthac? at certe semper amabo,
Semper mœsta tua carmina morte legam:
Qualia sub densis ramorum concinit vmbris
Daulias absumti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mœroribus, Ortale, mitto
C *Hæc excerpta tibi carmina Battiadæ:*
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo:
Vt missum sponsi furtiuo munere malum
Procurrit casto virginis è gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum aduentu matris prosilit, excutitur,
Atque illud prono præceps agitur decursu.
Huic manat tristi conscius ore rubor.

O M N I A *qui magni dispexit lumina mundi,* Pagina
Qui stellarum ortus comperit, atque obitus: 302.
Flammeus vt rapidi solis nitor obscuretur,
Vt cedant certis sidera temporibus,
D *Vt Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans*
Dulcis amor gyro deuocet aërio:
Idem me ille Conon cælesti lumine vidit
E Bereniceo vertice cæsariem
Fulgentem clare: quam multis illa deorum
Leuia protendens brachia pollicita est.
Qua rex tempestate nouo auctus Hymenæo
Vastatum finis iuerat Assyrios
Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
Quam de virgineis gesserat exuuiis.
Estne nouis nuptis odio Venus? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
E *Vbertim thalami quas intra limina fundunt?*
Non, ita me diui, vera gemunt, iuuerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Inuisente nouo prælia torua viro.
At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium:
Quum penitus mœstas exedit cura medullas.
Vt tibi tunc toto pectore sollicitæ
Sensibus ereptis mens excidit? atqui ego certe
Cognoram à parua virgine magnanimam.
Anne bonam oblita es facinus, quod regium adepta es
Coniugium? quod non fortior aut sit alis?

Sed tum mœsta virum mittens, qua verba locuta es?
Iuppiter, vt tristi lumina sæpe manu.
Quis te mutauit tantus deus? an quod amanteis
Non longe à caro corpore abesse volunt?
At quæ ibi, proh, cunctis pro dulci coniuge diuis
Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset is, aut in tempore longo
Captam Asiam Aegypti finibus adiiceret?
Queis ego pro factis cœlesti reddita cœtu
Pristina vota nouo munere dissoluo.
Inuita, ô regina, tuo de vertice cessi,
Inuita. adiuro teque, tuumque caput
Digna ferat, quod si quis inaniter adiurarit.
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque euersus mons est, quem maximum in oris
Progenies Phthia clara superuehitur:
Quum medi properare nouum mare: quumque iuuentus
Per medium classi barbara nauit Athon.
Quid facient crines, quum ferro talia cedant?
*Iuppiter, vt * ··· omne genus pereat.*
Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, ac ferri frangere duritiem.
Abruptæ paulo ante comæ mea fata sorores
Lugebant, quum se Memnonis Aethiopis
Vnigena impellens nutantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.
Isque per ætherias me tollens aduolat vmbras,
Et veneris casto conlocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Gnata Canopiis incola litoribus
Ludit vbi, vario ne solum in lumine cœli
Aut Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret: sed nos quoque fulgeremus
Deuotæ flaui verticis exuuiæ.
Vmidulo à flatu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquis diua nouum posuit.
Virginis & saui contingens nanque leonis
Lumina, Callisto iuxta Lycaonida,
Vertor in occasum tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quanquam me nocte premunt vestigia diuum,
Luce autem cana Tethyi restituor:
(Pace tua fari hæc liceat Rhamnusia virgo:
Nanque ego non vllo vera timore tegam,
Non si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin veri pectoris euoluam)
Non his tam lætor rebus, quam me abfore semper,
Abfore meæ dominæ vertice discrucior.
Qui cum ego, quum virgo quondam fuit, omnibus expers
Vnguentis, vna millia multa bibi.
Nunc vos, optato quæ iunxit lumine tæda
Non post vnanimis, corpora, coniugibus:
Tradite nudantes reiecta veste papillas,
Quæ iucunda mihi munera libet onyx:
Vester onyx, casto petitis quæ iura cubili.
Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona leuis bibat irrita puluis.
Nanque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sed magis, ô nuptæ, semper concordia vostras,
Semper amor sedes incolat adsiduus.
Tu vero, regina, tuens quum sidera diuam
Placabis festis luminibus Venerem:
Sanguinis expertem non sueris esse tuam me,
Sed potius largis adfice muneribus.
Sidera cur iterent? vtinam coma regia fiam.
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

A O DVLCI *iucunda viro, iucunda parenti,* Pagina 312.
Salue, téque bona Iuppiter auctet ope
Ianua: quam Balbo dicunt seruisse benigne
Olim, quum sedis ipse senex tenuit:
Quamque ferunt rursus voto seruisse maligno,
Postquam es porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.
Non, ita Cæcilio placeam, quoi tradita nunc sum,
Culpa mea est, quanquam dicitur esse mea.
Nec peccatum à me quisquam pote dicere quidquam.
Verum isti populi nænia, Quinte, facit:
B *Qui quacunque aliquid reperitur non bene factum,*
Ad me omnes clamant: Ianua culpa tua est,
Non istuc satis est vno te dicere verbo:
Sed facere, vt quiuis sentiat, & videat.
Quid possis, nemo quærit, nec scire laborat.
Nos volumus vobis dicere. ne dubita.
Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
Falsum est. non qui illam vir prior attigerit,
Languidior tenera quoi pendens sicula beta
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam.
Sed pater ille sui nati violasse cubile
Dicitur, & miseram conscelerasse domum:
Siue quod impia mens cæco flagrabat amore:
C *Seu quod iners sterili semine natus erat.*
Et quærendum vnde vnde foret neruosius illud,
Quod posset Zonam soluere virgineam.
Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.
Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia Chinæa supposita specula:
Flauus quam molli percurrit flumine Mela:
Brixia Veronæ mater amata meæ:
Sed de Posthumio, & Corneli narrat amore:
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis, Qui tu isthæc, Ianua, nosti,
Quoi nunquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare: sed huic suffixa tigillo
D *Tantum operire soles, aut aperire domum?*
Sæpe illam audiui furtiua voce loquentem
Solam consciolis hæc sua flagitia,
Nomine dicentem, quos diximus: vt pote quæ mi
Speraret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

QVOD *mihi fortuna, casuque oppressus acerbo,* Pagina 329.
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium:
Naufragum vt eiectum spumantibus æquoris vndis
Subleuem, & à mortis limine restituam:
E *Quem neque sancta Venus molli requiescere somno*
Desertum in lecto cœlibe perpetitur:
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
Oblectant, quum mens anxia peruigilet:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum:
Muneraq́, & Musarum hinc petis, & Veneris.
Sed, tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
Neu me odisse putes hospitis officium:
Accipe queis merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius à misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita pura est,

Iucundum quum ætas florida ver ageret:
Multa satis lusi. non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abscidit. ò misero frater adempte mihi.
Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater.
Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quoius ego interitu tota de mente fugaui
Hæc studia, atque omnis delicias animi,
Quare, quod scribis Veronæ turpe Catullo
Esse: quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefecit membra cubili:
Id, Manli, non est turpe: magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, quum nequeo.
Nam quod scriptorum non magna est copia, apud me,
Hoc fit, quod Romæ viuimus. illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod quum ita sit, nolim statuas me mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo:
Quod tibi non utriusque petiti copia facta est:
Vltro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere, deæ, qua me Allius in re
Iuuerit, aut quantis iuuerit officiis:
Ne fugiens sæclis obliuiscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis. vos porro dicite multis
Millibus: & facite hæc charta loquatur anus.
*　　　　*　　　　*
Notescatq; magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telam
In deserto Allii nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
Scitis, & in quo me corruerit genere:
Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphâque in Oetæis Malia Thermopylis.
Mœsta neque assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, tristique imbre madere genæ:
Qualis in aerii pellucens vertice montis
Riuus, muscoso prosilit e lapide.
Qui quum de prona præceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore leuamen,
Quum grauis exustos æstus hiulcat agros.
Ac velut in nigro iactatis turbine nautis
Lenius aspirans aura secunda venit,
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata:
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is laxum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam:
Ad quam communes exerceremus amores,
Quo mea se molli candida diua pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constituit solea:
Coniugis vt quondam flagrans aduenit amore,
Protesilaeam Laodamia domum
Inceptam frustra, nondum quum sanguine sacro
Hostia cælestis pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
Quam temere inuitis suscipiatur heris.
Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro
Coniugis ante coacta noui dimittere collum,

A Quam veniens una atque altera rursus hyems
Noctibus in longis auidum saturasset amorem,
Posset vt abrupto viuere coniugio.
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Nam tum Helenæ raptu primores Argiuorum
Cœperat ad sese Troia ciere viros:
Troia nefas, commune sepulchrum Asiæ, Europæque,
Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis.
Quæ (ve te) nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater adempte mihi.
Hei misero fratri iucundum lumen ademptum.
Tecum una tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
B Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulchra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troia obscœna, Troia infelice sepultum
Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur • vndique pubes
Græca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abducta gauisus libera mœcha
Otia pacato degeret in thalamo:
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laodamia,
Ereptum est vita dulcius, atque anima
Coniugium. tanto te absorbens vertice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum:
Quale ferunt Graii Pheneum prope Cyllenæum
C Siccari è mulsa pingue palude solum.
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audet falsiparens Amphitryoniades:
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri:
Pluribus vt cœli tereretur ianua diuis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Quod diuumdomitum ferre iugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Vna caput seri nata nepotis alit:
Qui quum diuitiis vix tandem inuentus auitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
D Impia derisi gentilis gaudia tollens
Suscitat ab cano vulturium capiti.
Nec tantum niueo gauisa est vlla columbo
Compar, quæ multo dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro,
Quanquam præcipue multiuola est mulier.
Sed tu olim magnos vicisti sola furores,
Vt semel es flauo conciliata viro.
Aut nihil aut paulo quoi tum concedere digna
Lux mea se nostrum contulit in gremium.
Quam circum cursans hinc illinc sæpe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.
E Quæ tamen etsi vno non est contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ:
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Sæpe etiam Iuno maxima cælicolum
Coniugis in culpa flagrauit quotidiana,
Noscens omniuoli plurima furta Iouis:
Atqui nec diuis homines componier, æquum est:
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum:
Sed furtiua dedit mira munuscula nocte
Ipsius ex ipso dempta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis id datur vnis,

Quod lapide illa dies candidiore notat.
Hoc tibi quod potui confectum carmine munus
Pro multis, Alli, redditur officiis:
Ne vostrum scabra tangat robigine nomen
Hac atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addent diui quam plurima, quæ Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices & tu simul, & tua vita,
Et domus, ipse in qua lusimus, & domina.
*Et qui principio nobis te trandedit * aufert*
A quo primo sunt omnia nata bona.
Et longe ante omnis mihi quæ me carior ipso est
Lux mea: qua viua viuere dulce mihi est.

Pagina 332. N o l i *admirari, quare tibi fœmina nulla,*
Rufe, velit tenerum supposuisse femur,
Non illam raræ labefactes munere vestis,
Aut perlucidui deliciis lapidis.
Lædit te quædam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes: neque mirum. nam mala valde est
Bestia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem:
Aut admirari desine, qur fugiunt.

Pagina 333. N v l l i *se dicit mulier mea nubere malle,*
Quam mihi: non si se Iuppiter ipse petat.
Dicit. sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida scribere oportet aqua.

Pagina 334. S i *qua, Virro, bono sacrorum * obstitit hircus*
Aut si quem merito tarda podagra secat:
Aemulus iste tuus, qui vostrum exercet amorem,
Mirifice est à te nactus vtrumque malum.
Nam quoties futuunt, toties vlciscitur ambo.
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

D i c e b a s *quondam, solum te nosse Catullum,*
Lesbia: nec, præ me, velle tenere Iouem.
Dilexi tum te, non tantum vt volgus amicam,
Sed pater vt gnatos diligit, & generos.
Nunc te cognoui. quare etsi impensius vror,
Multo mi tamen es vilior, & leuior.
Qui potis est? inquis. quod amantem iniuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

Pagina 337. D e s i n e *de quoquam quicquam bene velle mereri,*
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est:
Imo etiam tædet, státque magísque magis.
Ve mihi, quem nemo grauius, nec acerbius vrget:
Quam modo qui me vnum, atque vnicum amicum ha-(buit.

Pagina 338. G e l l i v s *audierat, patruum obiurgare solere,*
Si quis delitias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit. nam, quamuis irrumet ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

N v l l a *potest mulier tantum se dicere amatam,*
Vere, quantum à me, Lesbia, amata mea es.
Nulla fides vllo fuit vnquam fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.
Pagina 239. *Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa,*

A *Atque ita se officio perdidit ipsa pio:*
Vt iam nec bene velle queam tibi, si optuma fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

S i q v a *recordanti bene facta priora voluptas* Pagina 341.
Est homini, quum se cogitat esse pium:
Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in vllo
Diuum ad fallendos numine abusum homines:
Multa parata manent in longa ætate Catulle
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcunque homines bene cuiquam aut dicere pos-(sunt,
Aut facere: hæc à te dictáque, factaque sunt.
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
B *Quare iam te qur amplius excrucies?*
Quin te animo offirmas itaque instrictúque reducis?
Et, diis inuitis, desinis esse miser?
Difficile est, longum subito deponere amorem.
Difficile est: verum hoc qua lubet, efficias.
Vna salus hæc est, hoc est tibi peruincendum.
Hoc facies, siue id non pote, siue pote.
O dij, si vostrum est misereri, aut si quibus vnquam
Extrema iam ipsa in morte tulistis opem:
Me miserum adspicite: &, si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem, perniciémque mihi.
Seu mihi subrepens imos, vt torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore lætitias.
Non iam illud quæro, contra vt me diligat illa,
C *Aut, quod non potis est, esse pudica velit:*
Ipse valere opto, & tetrum hunc deponere morbum.
O dij reddite mi hoc pro pietate mea.

R v f e *mihi frustra, ac nequicquam cognite amice.* Pagina 342.
Frustra? imo magno cum precio, atque malo:
Siccine subrepsti mi, atque intestina perurens
Mi misero eripuisti? omnia nostra bona
Eripuisti, heu heu nostræ crudele venenum
Vitæ, heu heu nostræ pestis amicitiæ?
Sed nunc id doleo, quod puræ pura puella
Sauia comminxit spurca saliua tua.
Verum id non impune feres. nam te omnia secla
D *Noscent, & qui sis, fama loquetur anus.*

G a l l v s *habet fratres: quorũ est lepidissima cõiunx*
Alterius: lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus. nam dulcis iungit amores,
Cum puero vt bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.

G e l l i v s *est pulcher: quidni? quem Lesbia malit,* Pagina 344.
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum, sauia reppererit.

E Q v i d *dicam, Gelli, quare rosea ista labella* Pagina 345.
Hiberna fiant candidiora niue?
Mane domo quum exis, & quum te octaua quiete
E mollis longo suscitat hora die:
Nescio quid certe est. an vere fama susurrat,
Grandia te medij tenta vorare viri?
Sic certe. clamant Victoris rupta miselli
Ilia, & emulso labra notata sero.

N e m o n e *in tanto potuit populo esse, Iuuenti,* Pagina 346.
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,

Præterquam iste tuus moribunda à sede Pisauri
Hospes, inaurata pallidior statua,
Qui tibi nunc cordi est, quem tu præponere nobis
Audes? Ah nescis, quod facinus facias.

QVINTI, *si tibi vis oculos debere Catullum,*
Aut aliud, si quid carius est oculis:
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, seu quid carius est oculis.

Pagina 348. LESBIA *mi præsente viro mala plurima dicit.*
Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule nihil sentis. si nostri oblita taceret,
Sana esset. quod nunc gannit, & obloquitur,
Non solum meminit: sed, quæ multo acrior est res,
Irata est: hoc est, vritur, & loquitur.

Pagina 349. CHOMMODA *dicebat, siquando commoda vellet*
Dicere, & hinsidias Arius insidias.
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Quum quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerit, atque auia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures,
Audibant eadem hæc leniter, & leuiter.
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Quum subito adfertur nuntius horribilis:
Ionios fluctus, postquam illuc Arius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

ODI, *& amo. quare id faciam, fortasse requiris.*
Nescio: sed fieri sentio, & excrucior.

Pagina 351. QVINTIA *formosa est multis: mihi candida, longa,*
Recta est. hoc ego. sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego. nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est: quæ cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus vna omnis surripuit Veneres.

Pagina 353. QVID *facit is, Gelli, qui cum matre, atque sorore*
Prurit, & abiectis peruigilat tunicis?
Quid facit is, patruum, qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, ô Gelli, quantum non vltima Tethys,
Non genitor Nympharum abluit Oceanus.
Nam nihil est quicquam sceleris, quod prodeat vltra.
Non si demisso se ipse voret capite.

Pagina 354. GELLIVS *est tenuis, quidni? quoi tám bona mater,*
Tamq; valens viuat, tamque venusta soror,
Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis. quare is desinat esse macer?
Qui vt nihil adtingit, nisi quod fas tangere non est,
Quantum vis quare sit macer, inuenies.

Pagina 354. NASCATVR *Magus ex Gelli matrisque nefando*
Coniugio, & discat Persicum haruspicium.
Nam Magus ex matre & gnato gignatur oportet,
Si vera est Persarum impia religio,
Gnatus vt accepto veneretur carmine diuos
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Pagina 356. NON *ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum*
In misero hoc nostro perdito amore fore:

A *Qui te cognossem bene, constantérque putarem*
Haud posse à turpi mentem inhibere probro.
Sed neque quod matrem, nec germanam esse videbam
Hanc tibi, quoius me magnus edebat amor.
Et quamuis tecum multo coniungerer vsu,
Non satis id causæ credideram esse tibi.
Tu satis id duxti. tantum tibi gaudium in omni
Culpa est, in quacunque est aliquid sceleris.

LESBIA *mi dicit semper male, nec tacet vnquam* Pagina 357.
De me: Lesbia me, dispeream, nisi amat.
Quo signo? quasi non totidem mox deprecor illi
B *Assidue: verum dispeream, nisi amo.*

NIL *nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere:* Pagina 368.
Nec scire vtrum sis albus, an ater homo.
Mentula mœchatur. mœchatur mentula. certe
Hoc est, quod dicunt, Ipsa olera olla legit.

SMYRNA *mei Cinnæ nonam post denique messem* Pagina 361.
Quam cœpta est, nonámque edita post hiemem,
Millia quum interea quingenta Hortensius vno

Smyrna cauas Atracis penitus mittetur ad vndas.
Smyrnam incana diu sæcula peruoluent.
At Volusij annales * * *
C *Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.*
Parua mei mihi sunt cordi monumenta laboris.
At populus tumido gaudeat Antimacho.

SI *quicquam mutis gratum acceptúmve sepulchris* Pagina 363.
Accidere à nostro, Calue, dolore potest,
Quo desiderio veteres renouamus amores,
Atque olim missas flemus amicitias:
Certe non tanto mors immatura dolori est
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

NON, *ita me dij ament, quicquam referre putaui,* Pagina 364.
Vtrumne os an culum olfacerem Aemilio.
Nil immundius hoc, nihilóque immundius illud.
D *Verum etiam culus mundior, & melior.*
Nam sine dentibus est. hoc dentis sesquipedalis,
Gingiuas vero ploxemi habet veteris.
Præterea rictum, qualem defessus in æstum
Meientis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, & se facit esse venustum.
Et non pistrino traditur, atque asino?
Quem si qua attingit, non illam posse putemus
Aegroti culum lingere carnificis?

IN *te si quicquam, dici pote, putide Victi,* Pagina 366.
Id quod verbosis dicitur, & fatuis:
Ista cum lingua, si vsus veniat tibi, possis
Culos & crepidas lingere carbatinas.
E *Si nos omnino vis omnis perdere Victi,*
Dicas. omnino quod cupis efficies.

SVBRIPVI *tibi, dum ludis, mellite Iuuenti,* Pagina 369.
Sauiolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non impune tuli. namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce:
Dum tibi me purgo, nec possim fletibus vllis
Tantillum vestræ demere sæuitiæ.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
Guttis abstersisti omnibus articulis:

Ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
Tanquam comminctæ spurca salina lupæ.
Præterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti, omnique excruciare modo:
Vt mi ex ambrosia mutatum iam foret illud
Saviolum tristi tristius belleboro.
Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
Non vnquam posthac basia subripiam.

COELIVS *Aufilenum, & Quintius Aufilenam*
Flos Veronensium depereunt iuuenum,
Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Quoi faueam potius? Cœli, tibi. nam tua nobis
Perspecta exigitur vnica amicitia:
Quum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix Cœli, sis in amore potens.

Pagina MVLTAS *per gentes, & multa per æquora vectus*
371. *Aduenio has miseras, frater, ad inferias:*
Vt te postremo donarem munere mortis,
Et mutum nequicquam alloquerer cinerem.
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea prisco quæ more parentum
Tradita sunt tristis munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu:
Atque in perpetuum, frater, aue, atque vale.

Pagina SI *quicquam tacito commissum est fido ab amico,*
371. *Quoius sit penitus nota fides animi:*
Meque esse inuenies illorum iure sacratum,
Corneli, & factum me esse puta Harpocratem.

AVT *sodes mihi redde decem sestertia, Silo,*
Deinde esto quamuis sæuus & indomitus.
Aut, si te nummi delectant, desine quæso
Leno esse, atque idem sæuus & indomitus.

Pagina CREDIS, *me potuisse meæ maledicere vitæ,*
373. *Ambobus mihi quæ carior est oculis?*
Non potui, nec si possem, tam perdite amarem:
Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

Pagina MENTVLA *conatur Pimpleum scandere montem.*
374. *Musæ furcillis præcipitem eiiciunt.*

CVM *puero bello præconem qui videt esse,*
Quid credat, nisi se vendere discupere?

Pagina SI *quicquam cupidoque, optantique obtigit vnquam*
375. *Insperanti, hoc est gratum animo proprie.*
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro:
Quod te restituis Lesbia mi cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. o lucem candidiore nota.
Quis me vno viuit felicior, aut magis est me
Optandus vita, dicere quis poterit?

A SI, *Comini, populi arbitrio tua cana senectus* Pagina
Spurcata impuris moribus intereat: 376.
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua execta auido sit data vulturio:
Effossos oculos voret atro gutture coruus:
Intestina canes, cætera membra lupi.

IVCVNDVM, *mea vita, mihi proponis amorem*
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore.
Dij magni, facite, vt vere promittere possit:
Atque id sincere dicat, & ex animo,
Vt liceat nobis tota perducere vita
Alternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

B AVFILENA, *bonæ semper laudantur amicæ.* Pagina
Accipiunt precium, quæ facere instituunt. 377.
Tu quod promisti mihi, quod mentita inimica es,
Quod nec das; & fers sæpe, facis facinus.
Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ,
Aufilena, fuit. Sed data corripere
Fraudando, effecit plusquam meretricis auaræ,
Quæ sese toto corpore prostituit.

AVFILENA, *viro contentas viuere solo* Pagina
Nuptarum laus è laudibus eximiis. 378.
Sed quoiuis quamuis potius succumbere fas est,
Quam matrem fratres efficere ex patruo.

C MVLTVS *homo est, Naso, (nam tecum multus homo es) (qui* Pagina
Descendit? Naso, multus es & pathicus? 378.

CONSVLE *Pompeio primum duo, Cinna, solebant* Pagina
Mœchi. illi ab facto consule nunc iterum 379.
Manserunt duo. sed creuerunt millia in vnum
Singulum. fœcundum semen adulterio.

FORMIANVS *saltus non falso, Mentula, diues* Pagina
Fertur. qui quot res in se habet egregias? 381.
Aucupia omne genus, pisces, prata, arua, ferásque.
Nequicquam. fructus sumtibus exuperas.
D *Quare concedo sit diues, dum omnia desint.*
Saltum laudemus, dum modo ipse egeas.

MENTVLA *habet iusta triginta iugera prati,* Pagina
Quadraginta arui. cætera sunt maria. 382.
Cur non diuitiis Crœsum superare potis sit.
Vno qui in saltu tot moda possideat?
Prata, arua, ingentis siluas, saltúsque paludésque
Vsque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.
Omnia magna hæc sunt. tamen ipse est maximu' ultro,
Non homo, sed vere mentula magna, minax.

SÆPE *tibi studioso animo venanda requirens* Pagina
E *Carmina vti possem mittere Battiadæ,* 384.
Queis te lenirem nobis, neu conarere
Telis infesto mittere musca caput:
Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem,
Gelli, nec nostras hinc valuisse preces.
Contra nos tela ista tua euitamus amictu.
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

ALBII TIBVLLI

LIBER I.

Pagina 395.

DIVITIAS alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera multa soli.
Quem labor adsiduus vicino terreat hoste:
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vita traducat inerti,
Rusticus, & facili grandia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper aceruos
Dum meus assiduo luceat igne focus:
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boues.
Non agnámve sinu pigeat fœtúmve capellæ
Desertum oblita matre referre domum.
Hic ego pastorémque meum lustrare quotannis,
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florea serta lapis.
Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante Deo.
Flaua Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomosísque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat vt sæua falce Priapus aues.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra, Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa iuuencos.
Nunc agna exigui est hostia magna soli,
Agna cadet vobis: quam circum rustica pubes
Clamet: io messes, & bona vina date.
Adsitis, Diui. nec vos è paupere mensa
Dona, nec è paruis spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula de facili, composuitque luto.
At vos exiguo pecori furésque, lupique
Parcite. de magno est præda petenda grege.
Non ego diuitias patrum fructúsque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis auo.
Parua seges satis est. satis est, requiescere lecto
Si licet, & solo membra leuare toro.
Quam iuuat immites ventos audire cubantem,
A Et dominam tenero continuisse sinu:
Aut, gelidas hibernus aquas quum fuderit Auster,
Securum somnos imbre iuuante sequi.
Hoc mihi contingat. sit diues iure, furorem
Qui maris, & tristes ferre potest pluuias.
Quippe ego iam possum contentus viuere paruo,
Nec semper longæ deditus esse viæ:
Sed Canis æstiuos ortus vitare sub vmbra
Arboris, ad riuos prætereuntis aquæ.
O quantum est auri pereat, potiúsque smaragdi,
Quam fleat ob nostras vlla puella vias.
Te bellare decet terra, Messala, marique,
Vt domus hostiles præferat exuuias.
B Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ,
Et sedeo duras ianitor ante fores.
Non ego laudari cupio, mea Delia. tecum
Dum modo sim, quæso segnis, inérsque vocer.
Ipse boues, mea sim tecum modo, Delia, possim
Iungere, & in solo pascere monte pecus.
Et, te dum teneris liceat retinere lacertis,
Mollis & inculta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, quum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ.
Ferreus ille fuat, qui, te quum possit habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi.
C Ille licet Cilicum victas agat ante cateruas,
Ponat & in capto Martia castra solo:
Totus & argento contextus, totus & auro
Insideat celeri conspiciendus equo.
Te spectem, suprema mihi quum venerit hora.
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis & arsuro positum me, Delia, lecto,
Tristibus & lacrimis oscula mista dabis.
Flebis. non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuuenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu manes ne lede meos: sed parce solutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores.
Iam veniet tenebris mors adoperta caput.
Iam subrepet iners ætas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc leuis est tractanda Venus: dum frangere postes

Non pudet. & rixas inseruisse iuuat.
Hic ego dux milésque bonus. vos signa, tubæque
Ite procul. cupidis vulnera ferte viris.
Ferte & opes. ego composito securus aceruo
Dites despiciam, despiciámque famem.

Pagina 407. ADDE merum, vinóque nouos compesce dolores,
Occupet vt fessi lumina victa sopor.
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor.
Nam posita est nostræ custodia sæua puellæ,
Clauditur & dura ianua firma sera.
Ianua difficilis domini, te verberet imber,
Te Iouis imperio fulmina missa petant.
Ianua iam pateas vni mihi victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas. capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet quæ plurima voce peregi
Supplice, quum posti florida serta darem.
Tu quoque ne timide custodes Delia falle.
Audendum est. Fortes adiuuat ipsa Venus.
Illa fauet, seu quis iuuenis noua limina tentat,
Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli decedere lecto.
Illa pedem nullo ponere posse sono.
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandásque compositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes: sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
Nec finit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutúsque sacérque
Qua libet. insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigore noctis,
Non mihi, quum multa decidit imber aqua.
Non labor hic lædit, reseret modo Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu fœmina sias
Obuia. celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum, neu quærite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Siquis & imprudens aspexerit, occulat ille,
Perque deos omneis se meminisse neget.
Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem è rapido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet coniunx tuus, vt mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi.
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque solum, manésque sepulchris
Elicit, & tepido deuocat ossa rogo.
Iam ciet infernas magico stridore cateruas.
Iam iubet aspersas lacte referre pedem.
Quum libet, hæc tristi depellit nubila cœlo:
Quum libet, æstiuo conuocat orbe niues.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas.
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, quîs fallere posses.
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam:
Non sibi, si in molli viderit ipse toro.
Tu tamen abstineas aliis. nam cætera cernet
Omnia. de me vno sentiet esse nihil.
Quid credam? nempe hæc eadem se dixit amores

A Cantibus, aut herbis soluere posse meos.
Et me lustrauit tædis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam: nec te posse carere velim.

IBITIS Aegeas sine me, Messala, per vndas, Pagina 416.
O vtinam memores ipse, cohórsque mei.
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.
Abstineas auidas mors modo nigra manus.
Abstineas, mors atra, precor. non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus:
B Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulchra comis:
Delia non vsquam, quæ me quum mitteret vrbe,
Dicitur ante omnes consuluisse Deos,
Illa sacras pueri sortes ter sustulit. illi
Rettulit è triuiis omnia certa puer.
Cuncta dabant reditus. tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret, nostras respicerétque vias.
Ipse ego solator, quum iam mandata dedissem,
Quærebam tardas anxius vsque moras.
Aut ego sum caussatus aues, aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
C Offensum in porta signa dedisse pedem.
Audeat inuito ne quis discedere amore.
Aut sciat egressum se prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis tibi, Delia: quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu?
Quidve, pie dum sacra colis, puréque lauari
Te memini, & puro secubuisse toro?
Nunc, dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.
Et mea votiuas persoluens Delia noctes
Ante sacras lino tecta fores sedeat:
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare penates,
D Redderéque antiquo menstrua thura Lari.
Quam bene Saturno viuebant rege prius, quam
Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempserat vndas,
Effusum ventis præbueratque sinum:
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa nauita merce ratem.
Illo non validus subiit iuga tempore taurus.
Non domito frenos ore momordit equus:
Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arua, lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, vltróque ferebant
Obuia securis vbera lactis oues.
E Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses
Immiti sæuus duxerat arte faber.
Nunc Ioue sub domino cædes, & vulnera semper:
Nunc mare, nunc leti mille repente viæ.
Parce pater. timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc expleuimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequitúrque mari.
Sed me, quod facilis tenero sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ, cantúsque vigent, passímque vagantes

Dulce sonant tenui gutture carmen aues.
Fert casiam non culta seges, totósque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Ac iuuenum series teneris immista puellis
Ludit, & assidue prælia miscet Amor.
Illic est cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphonéque impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta Serpens: tum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota.
Porrectúsque nouem Tityus per iugera terræ
Adsiduas atro viscere pascit aues.
Tantalus est illic & circum stagna. sed acrem
Iam iam poturi deserit vnda sitim.
Et Danai proles, Veneris quod numina læsit,
In caua lethæas dolia portat aquas.
Illic sit, quicunque meos violauit amores,
Optauit lentas & mihi militias.
At tu casta precor, maneas, sanctique pudoris
Adsideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positáque lucerna
Deducat plena stamina longa colo.
Ac circa grauibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito, nec quisquam nunciet ante.
Sed videar cœlo missus adesse tibi.
Tunc mihi qualis eris longos turbata capillos
Obuia nudato, Delia, curre pede.
Hoc precor. hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

Pagina 425. Sic vmbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceántque niues:
Quæ tua formosos cœpit solertia? certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstiui tempora sicca canis.
Sic ego tum Bacchi respondet rustica proles
Armatus curua sic mihi falce Deus:
Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit,
Cedas. Obsequio plurima vincit amor.
Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
Tædia. paulatim sub iuga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus vuas,
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time. Veneris periuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.
Gratia magna Ioui. vetuit pater ipse valere,
Iurasset cupide quicquid ineptus amor.
Perque suas impune sinit Dictynna sagittas
Affirmes, crines perque Minerua suos.
Ah si tardus eris, errabis. transiet ætas.
Quam cito non segnis it remeátque dies:
Quam cito purpureos deperdit terra colores.
Quam cito formosas populus ante comas.
Quam iacet, infirmæ venere vbi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus equus.
Vidi iam iuuenem, premeret quum serior ætas,

A Mœrentem stultos præteriisse dies.
Crudeles diui, serpens nouus exuit annos.
Formæ non vllam fata dedere moram.
Solis æterna est Phœbo, Bacchóque iuuenta:
Nam decet intonsus crinis vtrunque deum.
Nec comes ire neges, quamuis via longa paretur,
Et canis arenti torreat arua siti.
Quamuis prætexens picta ferrugine cœlum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel si cæruleas puppi volet ire per vndas,
Ipse leuem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duros subiisse labores,
Aut operi insuetas adteruisse manus.
B Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeri retia ferre negent.
Si volet arma, leui tentabis ludere dextra.
Sæpe dabis nudum, vincat vt ille, latus.
Tunc tibi mitis erit. rapias tum cara licebit
Oscula. pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo: post offeret ipse volenti,
Post etiam collo se implicuisse volet.
Heu male nunc artes miseras hæc secula tractant.
Iam tener assueuit munera velle puer.
Iam tua, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix vrgeat ossa lapis.
Pieridas pueri, doctos & amate poetas.
Aurea nec superent munera Pieridas.
C Carmine purpurea est Nisi coma. carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, viuet: dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit Amorem:
Idææ currus ille sequatur Opis:
Et ter centenas erroribus expleat vrbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditiis vult esse locum Venus ipsa querelis.
Supplicibus, miseris fletibus illa fauet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, Deus edidit ore,
Sed Titium coniunx hæc meminisse vetat:
O fuge te teneræ puerorum credere turbæ.
Nam caussam iusti semper amoris habent.
D Hic placet, angustis quod equum compescit habenis.
Hic placidam niueo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adest audacia, cœpit. at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Pareat ille suæ. vos me celebrate magistrum,
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est. me, qui spernentur amantes,
Consultent. cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, quum me Veneris præcepta ferentem
Deducat iuuenum sedula turba senem.
Eheu quam Marathus lento me torquet amore.
Deficiunt artes, deficiúntque doli.
E Parce puer quæso, ne turpis fabula fiam:
Quum mea ridebunt vana magisteria.

Asper eram, & bene discidiū me ferre loquebar. Pagina 433.
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Nanque agor, vt per plana citus sola verbere turben,
Quem celer assueta versat ab arte puer.
Vre ferum, & torque: libeat ne dicere quicquam
Magnificum posthac, horrida verba doma.
Parce tamen, per te furtiui fœdera lecti,
Per Venerem quæso, compositúmque caput.
Ille ego, quum tristi morbo defessa iaceres,

Te dicor votis eripuisse meis.
Ipséque te circum lustraui sulfure puro,
Carmine quum magico procubuisset anus.
Ipse procuraui, ne possent sæua nocere
Somnia, ter sancta deueneranda mola.
Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
Vota nouem Triuiæ nocte silente dedi.
Omnia persolui. fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix vtitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salua fuisses,
Fingebam demens, sed renuente Deo.
Rura colam, frugúmque aderit mea Delia custos,
Areadum messes sole calente teret.
Aut mihi seruabit plenis in lintribus vuas,
Pressáq; veloci candida musta pede.
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominæ ludere verna sinu.
Illa Deo sciet agricolæ pro vitibus vuam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ,
Et iuuet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messala meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus.
Et tantum venerata virum, hunc sedula curet.
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.
Hæc mihi fingebam. quæ nunc Eurúsque Notúsque
Iactat odoratos vota per Armenios.
Num Veneris magnæ violaui numina verbo?
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse Deorum,
Sertáque de sanctis deripuisse focis?
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput:
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.
At tu, qui lætus vides mala nostra, caueto
Mox tibi. non vnus sæuiet vsque Deus.
Vidi ego, qui iuuenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem.
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, caræue puellæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuuenis turba circumstrepit arcta.
Despuit in molles & sibi quisque sinus.
At mihi parce, Venus. semper tibi dedita seruiit.
Mens mea. quid messes vris acerba tuas?

SÆPE *ego tentaui curas depellere vino,*
At dolor in lacrimas verterat omne merum.
Sæpe aliam tenui: sed iam quum gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deseruitque Venus.
Tunc me discedens deuotum fœmina dixit.
Et, pudet heu, narrat scire nefanda mea.
Non facit hoc verbis. facie tenerisque lacertis
Deuouet, & flauis nostra puella comis.
Talis ad Æmonium Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato cærula pisce Thetis.
Hæc nocuere mihi, quod adest huic diues amator.
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animæ circum sua fata querentes
Semper, & e tectis strix violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens herbásque sepulchris

A *Quærat, & à sæuis ossa relicta lupis.*
Currat & inguinibus nudis, vlulétque per vrbes.
Post agat à triuiis aspera turba canum.
Eueniet. dat signa Deus. sunt numina amanti:
Sæuit & iniusta lege relicta Venus.
At tu quam primum sagæ præcepta rapacis
Desere. nam donis vincitur omnis amor.
Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus, & in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ
Subiiciétque manus, efficiétque viam.
Pauper ad occultos furtim deducit amicos.
B *Vincláque de niueo detrahit ipse pede.*
Heu canimus frustra, nec verbis victa patescit
Ianua. sed plena est percutienda manu.
At tu qui potior nunc es, mea furta caueto.
Versatur celeri sors leuis orbe cito.

SEMPER *vt inducar, blandos offers mihi vultus,* Pagina 440.
Post tamen es misero tristis & asper, Amor.
Quid tibi sæuitiæ mecum est? an gloria magna est,
Insidias homini composuisse Deum?
Iam mihi tenduntur casses. iam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fouet.
Illa quidem tam multa negat. sed credere durum est.
C *Sic etiam de me pernegat vsque viro.*
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes. eheu nunc premor arte mea.
Fingere nunc didicit caussas, quur sola cubaret:
Cardine nunc tacito vertere posse fores.
Tum succos, herbásque dedi, queis liuor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus:
At tu fallacis coniunx incaute puellæ,
Me quoque seruato, peccet vt illa nihil.
Neu iuuenes celebret multo sermone caueto,
Néue cubet laxo pectus aperta sinu:
Neu te decipiat nutu, digitóque liquorem
Ne trahat, & mensæ ducat in orbe notas.
Exibit quam sæpe, time: seu visere dicet
D *Sacra bonæ maribus non adeunda Deæ.*
At mihi si credas, illam sequar vnus ad aram.
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Sæpe velut gemmas eius, signúmque probarem,
Per caussam me memini tetigisse manum.
Sæpe mero somnum peperi tibi. at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te læsi prudens. ignosce fatenti.
Iussit amor. Contra quis ferat arma Deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit:
E *Et simulat transire domum: mox deinde recurrit*
Solus, & ante ipsas excreat vsque fores.
Nescio quid furtiuus amor parat. vtere quæso
Dum licet. in liquida nat tibi linter aqua.
Quid tenera tibi coniuge opus, tua si bona nescis
Seruare? frustra clauis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores,
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi seruandam credas. non sæua recuso
Verbera. detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul absitis quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu.
Quisquis & occurret, ne possit crimen habere,

Stet procul, aut alia stet procul ante via.
Sic fieri iubet ipse Deus. sic magna sacerdos
Est mihi diuino vaticinata sono.
Hæc vbi Bellonæ motu est agitata, nec acrem
Flammam, non & amans verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos,
Sanguinéque effuso spargit inulta Deam.
Státque latus præfixa veru, stat saucia pectus:
Et canit euentus, quos dea magna monet.
Parcite, quam custodit Amor, violare puellam:
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigerit, labentur opes: vt vulnere nostro
Sanguis, vt hic ventis diripitúrque cinis.
Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas.
Si tamen admittas, sit precor illa leuis.
Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me monet, atque iras aurea vincit anus.
Hæc mihi te adducit tenebris, multóque timore
Coniungit nostras clam taciturna manus.
Hæc foribúsque manet noctu me affixa, procúlque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Viue diu, mi dulcis anus. proprios ego tecum,
Sit modo fas, annos contribuisse velim,
Te semper, natámque tuam te propter amabo.
Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes,
Et mihi sint duræ leges, laudare nec vllam
Possim ego, quin oculos appetat illa meos.
Et si quid peccasse putor, ducárque capillis
Immerito, properas proripiárque vias:
Non ego te pulsare velim. sed venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus,
Ne sæuo sis casta metu, sed mente fideli
Mutuus absenti te mihi seruet amor.
At quæ fida fuit nulli, post victa senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu:
Firmáque conductus adnectit licia telis,
Tractáque de niueo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident, iuuenúmque caterua
Commemorant merito tot mala ferre senem:
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat, &, infidis quod sit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant. nos, Delia, amoris
Exemplum cana simus vterque coma.

Pagina 449. HVNC *cecinere diem Parcæ fatalia nentes*
Stamina, non vlli dissoluenda Deo,
Hunc fore, Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atur.
Euenere. nouos pubes Romana triumphos
Vidit, & euinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros Messala gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanúsque celer, magnúsq; Garumna;
Carnuti & flauii cærula lympha Liger.
At te Cydne canam, tacitis qui leniter vndis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis.
Quantus & æthereo contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus arat Cilicas.
Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes,
Alba Palæstino sancta columba Syro?
Vtque maris vastum prospectet turribus æquor,
A *Prima ratem ventis credere docta Tyros?*
Qualis &, arentes quum findit Sirius agros,
Fertilis æstiua Nilus abundet aqua?
Nile pater, qua nam possum te dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui,
Te canit, atque suum pubes miratur Osirim
Barbara, Memphiten plangere docta bouem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomáque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem.
B *Hic viridem dura cædere falce comam.*
Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis vua dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, nec luctus Osiri:
Sed chorus, & cantus, & leuis aptus Amor,
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
Et Tyriæ vestes, & dulcis tibia cantu,
C *Et leuis occultis conscia cista sacris.*
Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius & nitido stillent vnguenta capillo,
Et capite & collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne. tibi dem thuris honores,
Liba & Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi subcrescat proles, quæ facta parentis
Augeat, & circa stet venerata senem.
Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuscula tellus.
Candidáque antiquo detinet Alba Lare.
Námque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur. hic apta iungitur arte silex.
D *Te canit agricola è magna quum venerit vrbe*
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu, natalis, multos celebrande per annos;
Candidior semper, candidiórque veni.

NON *ego celari possim, quid nutus amantis,* Pagina 453.
Quidue ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum.
Præcinit euentus nec mihi cantus auis.
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.
Desine dissimulare. Deus crudelius vrit,
E *Quos videt inuitos succubuisse sibi.*
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos?
Sæpéque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente comas ornare? quid vngues
Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansáque compressos colligat arta pedes.
Ipsa placet, quamuis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Deuouit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris:

Cantus & iratæ detinet anguis iter.
Cantus & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma nihil magicis vtitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento.
Persequitur pœnis tristia facta Venus.
Munera ne poscas, det munera canus amator:
Vt foueat molli frigida membra sinu.
Carior est auro iuuenis, cui leuia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnæ despiciantur opes.
At Venus inueniet, puero succumbere furtim,
Dum tumet, & teneros conserit vsque sinus:
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, & in collo figere dente notas.
Non lapis hanc, gemmæque iuuant, quæ frigore sola
Dormiet: & nulli sit cupienda viro.
Heu sero reuocatur Amor, seróque iuuentus,
Quum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ est, coma tum mutatur, vt annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis.
Tollere tunc cura est albos à stirpe capillos,
Et faciem dempta pelle referre nouam,
At tu dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere, non tardo labitur illa pede.
Neu Marathum torque. puero quæ gloria victo est?
In veteres esto dura puella senes.
Parce precor tenero. non illi sontica caussa est,
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Veh miser, absenti mœstas quam sæpe querelas
Conicit, & lacrimis omnia plena madent.
Quid me spernis? ait. poterat custodia vinci,
Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.
Nota Venus furtiua mihi est, vt lenis agatur
Spiritus, vt nec dent oscula rapta sonum.
Et possum media quamuis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernis amantem,
Et fugit ex ipso sæua puella toro?
Vel quum promittit subito, sed perfida fallit:
Est mihi nox multis euigilanda modis,
Dum mihi venturam fingo. quodcunque mouetur,
Illius credo tunc sonuisse pedem.
Ah pereant artes, & mollia iura colendi.
Horrida villosa corpora veste tegam.
Nunc, si clausa mea est: si copia nulla videndi,
Me miserum, laxam quid iuuat esse togam?
Desistas lacrimare puer. non frangitur illa.
Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt Pholoe, moneo, fastidia diui:
Nec prodest sanctis thura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
Nescius vltorem post caput esse Deum.
Sæpe etiam lacrimas fertur risisse dolentis,
Et cupidum ficta detinuisse mora.
Nunc omneis odit fastus, nunc displicet illi
Quæcunque opposita est ianua dura sera.
At te pœna manet, nisi desinis esse superba.
Quam cupies votis hunc reuocare diem?

A QVID *mihi, si fueras miseros læsurus amantes,*
Fœdera per diuos iam violanda dabas?
Ah miser, etsi quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Parcite cælestes. æquum est impune licere
Numina formosis lædere vestra semel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro,
Et durum terræ rusticus vrget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.
Muneribus meus est captus puer. at Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.
B *Iam mihi persoluet pœnas, puluisque decorem*
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Vretur facies, vrentur sole capilli:
Deteret inualidos & via longa pedes.
Admonui quoties? auro ne pollue formam.
Sæpe solent auro multa subesse mala.
Diuitiis captus si quis violauit Amorem,
Asperáque est illi, difficilisque Venus.
Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.
Nec tibi celandi spes sit peccare paranti.
Est Deus, occultos qui vetat esse dolos.
C *Ipse Deus tacito permisit vela ministro,*
Ederet vt multo libera verba mero.
Ipse Deus somno domitos emittere vocem
Iussit, & inuitos facta tegenda loqui.
Hæc ego dicebam. nunc me fleuisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tunc mihi iurabas, nullo te diuitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si precium Campanæ terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera cæli
Lucere, & puras fluminis esse vias.
Quinetiam flebas. at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus vsque genas.
Quid faceres nisi & ipse fores in amore puellæ?
D *Sit precor exemplo sed leuis illa tuo.*
O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli.
Sæpe insperanti venit tibi munere nostro,
Sed latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interij stulte confisus amari.
Non poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quinetiam attonita laudes tibi mente canebam.
At me nunc nostri, Pieridúmque pudet.
Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.
Sit procul à nobis, formam cui vendere cura est.
Et precium plena grande referre manu.
E *At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,*
Rideat assiduis vxor inulta dolis.
Et quum furtiuo iuuenem lassauerit vsu,
Tecum interposita languida veste cubet.
Sint externa tuo semper vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus.
Nec lasciua soror dicatur plura bibisse
Pocula, vel plures emeruisse viros.
Illam sæpe ferunt conuiuia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi prouocet orta diem.
Illa nulla queat melius consumere noctem,
Atque operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit, nec tu stultissime sentis,

Quum tibi non solita corpus ab arte mouet.
Tunc putas illam pro te disponere crines?
  Aut tenues denso pectere dente comas?
Ista haec persuadet facies, auróque lacertos
  Vinciat, & Tyrio prodeat apta sinu?
Non tibi, sed iuueni cuidam vult bella videri:
  Deuoueat pro quo rémque, domúmque tuam.
Non facit hoc vitio, sed corpora fœda podagra,
  Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer. hunc ego credam
  Cum trucibus venerem iungere posse feris.
Blanditiásne meas aliis tu vendere es ausus?
  Tune aliis demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, quum me vinctum puer alter habebit,
  Et geret in gremio regna superba tuo.
At tua tum me pœna iuuet, Venerique merenti
  Fixa notet casus aurea palma meos:
Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
  Dedicat: & grata sis, Dea, mente, rogat.

Pagina 461. QVIS fuit horrendos primus qui protulit enses?
  Quam ferus, & vere ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
  Tum breuior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit. nos ad mala nostra
  Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc vitium est auri. nec bella fuerunt,
  Faginus astabat quum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnúmque petebat
  Securus varias dux gregis inter oues.
Tunc mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem
  Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor, & iam quis forsitan hostis
  Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrij seruate Lares: aluistis & iidem,
  Cursarem vestros quum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos è stipite factos,
  Sic veteres ædes incoluistis aui.
Tunc melius tenuere fidem, quum paupere cultu
  Stabat in exigua ligneus æde Deus.
Hic placatus erat, seu quis libauerat vuam,
  Seu dederat sancta spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat,
  Postq́; comes purum filia parua fauum.
A At nobis ærata, Lares, depellite tela,
  Hostiáque è plena rustica porcus hara.
Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra
  Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.
Sic placeam vobis. alius sit fortis in armis,
  Sternat & aduersos Marte fauente duces.
Vt mihi potanti possit sua dicere facta
  Miles, & in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis arcessere mortem?
  Imminet, & tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra, non vinea culta, sed audax
  Cerberus, & Stygiæ nauita puppis aquæ.
Illic persciβisque genis, vstoque capillo
  Errat ad obscuros pallida turba lacus.
B Quam potius laudandus hic est, quem prole parata
  Occupat in parua pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oues, at filius agnos,
  Et calidam fesso comparat vxor aquam.
Sic ego sim, liceátque caput candescere canis,
  Temporis & prisci facta referre senem.
Interea Pax arua colat. Pax candida primum
  Duxit araturos sub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & succos condidit vuæ,
  Funderet vt nato testa paterna merum.
Pace bidens, vomérque vigent. at tristia duri
  Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus è lucóque vehit male sobrius ipso
  Vxorem plaustro, progeniémque domum.
C Sed Veneris tunc bella calent, scissósque capillos
  Fœmina, perfractas conqueritúrque fores.
Flet teneras subfusa genas. sed victor & ipse
  Flet, sibi dementes tam valuisse manus.
At lasciuus Amor rixæ mala verba ministrat,
  Inter & iratum lentus vtrunque sedet.
Ah lapis est, ferrúmque, suam quicunque puellam
  Verberat. è cælo deripit ille Deos.
Sit satis è membris tenuem perscindere vestem.
  Sit satis ornatus dissoluisse comæ.
Sit lacrimas mouisse satis. quater ille beatus,
  Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui sæuus erit, scutúmque, sudémque
  Is gerat, & miti sit procul à Venere.
At nobis Pax alma veni, spicámque teneto.
  Præfluat & pomis candidus ante sinus.

ALBII TIBVLLI

LIBER II.

Pagina 474.

VISQVIS adest, faueat. fruges lustramus, & agros,
Ritus vt à prisco traditus extat auo.
Bacche veni, dulcisque tuis è cornibus vua
Pendeat, & spicis tempora cinge Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.
Soluite vincla iugis. nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata Deo. non audeat vlla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo (discedite ab aris)
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis. pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes vt eat sacer agnus ad aras,
Vinctáque post olea candida turba comas.
Dij patrij, purgamus agros, purgamus agrestes.
Vos mala de nostris pellite limitibus:
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres segnior agna lupos.
Tunc nitidus plenis confisus rusticus areis
Ingerat ardenti grandia ligna foco.
Turbáque vernarum saturi bona signa coloni
Ludet, & ex virgis extruet ante casas.
Euentura precor, viden' vt felicibus extis
Significet placidos nuncia fibra Deos?
Nunc mihi fumosum veteris proferte Falernum
Consulis, & Chio soluite vincla cado.
Vina diem celebrent. non festa luce madere
Est rubor, errantes & male ferre pedes.
Sed bene Messalam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis
Et magna intonsis gloria victor auis,
Huc ades, adspiráque mihi: dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia cœlitibus.
Rura cano, rurisque Deos. his vita magistris
Desueuit querna pellere glande famem,
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primum docuisse feruntur

A Seruitium, & plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas.
Aurea tunc pressos pedibus dedit vua liquores,
Mistáque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris æstu
Deponit flauas annua terra comas.
Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,
Compleat vt dulci sedula melle fauos.
Agricola adsiduo primum satiatus aratro
Cantauit certo rustica verba pede:
Et satur arenti primum est modulatus auena
Carmen, vt ornatos duceret ante Deos,
B Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros:
Huic datus à pleno memorabile munus ouili
Dux pecoris hircus. duxerat hircus oues.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit Laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ouis.
Hinc & fœmineus labor est, hinc pensa, colúsque,
Fusus & apposito pollice versat opus.
Atque aliqua adsidue textrix operata Mineruam
Cantat, & adpulso tela sonant latere.
Ipse quoque inter agros, intérque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
C Hei mihi quam doctas nunc habet ille manus.
Nec pecudes velut ante petit. fixisse puellas
Gestit, & audaces perdomuisse viros.
Hic iuueni detraxit opes: hic dicere iussit
Limen ad irata verba pudenda senem.
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
Ad iuuenem tenebris sola puella venit:
Et pedibus prætentat iter suspensa timore,
Explorat cæcas cui manus ante vias.
Ah miseri, quos hic grauiter Deus vrget. at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte veni dapibus festis, sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc procul abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate
Voce, palam pecori, clam sibi quisque vocet:
Aut etiam sibi quisque palam. nam turba iocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curua sono.
Ludite, iam nox iungit equos, currúmque sequuntur

Matris lasciuo sidera fulua choro.
Postque venit tacitus fuluis circumdatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

Pagina 479. DICAMVS *bona verba. venit natalis ad aras.*
Quisquis ades, lingua vir, mulierque faue.
Vrantur pia thura focis, vrantur odores,
Quos tener è terra diuite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo.
Atque satur libo sit, madeátque mero.
Annuat & Cerinthe tibi quodcunque rogabis.
En age, quid cessas? annuit ille rega.
Auguror, vxoris fidos optabis amores.
Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris totum quæcunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arua boue.
Nec tibi gemmarum quicquid felicibus vndis
Nascitur, Eoi qua maris vnda rubet.
Vota cadunt. vtinam strepitantibus aduolet alis,
Flauáque coniugio vincula portet Amor.
Vincula quæ maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiátque comas.
Huc veniat natalis auis, prolémque ministret.
Ludat & ante tuos turba nouella pedes.

Pagina 487. RVRA *tenent, Cornute, meam villaque puellam.*
Ferreus est eheu quisquis in vrbe manet.
Ipsa Venus latos iam nunc migrauit in agros,
Verbáque aratoris rustica discit Amor.
O ego, quum dominam adspicerem, quam fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum:
Agricolæque modo curuum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arua serenda boues.
Nec quererer, quod sol graciles exureret artus,
Læderet & teneras pustula rupta manus.
Pauit & Admeti tauros formosus Apollo:
Nec cithara, intonsæ profueruntve comæ.
Nec potuit curas sanare salubribus herbis.
Quicquid erat medicæ vicerat artis Amor.
Tunc fistella leui detexta est vimine iunci,
Raráque per nexus est via facta sero.
O quoties illo vitulum gestante per agros
Dicitur occurrens erubuisse soror.
O quoties ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boues.
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus:
Venit & è templis irrita turba domum.
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa nouerca prius.
Quisquis inornatúmque caput, crinésque solutos
Adspiceret, Phœbi quæreret ille comam.
Delos vbi nunc, Phœbe, tua est? vbi Delphica Pytho?
Nempe Amor in parua te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri quum fertur aperte
Seruire æternos non puduisse Deos.
Fabula nunc ille est. sed cui sua cura puella est,
Fabula sit, mauult, quam sine amore Deus.
At tibi dura seges, Nemesin qua abducis ab vrbe,
Persoluat nulla femina terra fide.
Et tu, Bacche tener, iucunda consitor vuæ,
Tu quoque deuotos, Bacche, relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
Abdere. non tanti sunt tua musta, pater.
A *O valeant fruges. ne sint modo rure puellæ,*
Glans alat, & prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres, & passim semper amarunt.
Quid nocuit, sulcos non habuisse satos?
Tum quibus adspirabat amor, præbebat aperte
Mitis in vmbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura volentes
Ianua. si fas est, mos, precor, ille redi.
Ducite. ad imperium dominæ sulcabimus agros.
Non ego me vinclis verberibúsque nego.

HIC *mihi seruitium video, dominámque paratam:* Pagina 491.
Iam mihi libertas illa paterna vale.
B *Seruitium sed triste datur, teneórque catenis,*
Et nunquam misero vincla remittet Amor.
Et, seu quid merui, seu quid peccauimus, vrit.
Vror. io remoue, sæua puella, faces.
O ego ne possim tales sentire dolores,
Quam mallem in gelidis montibus esse lapis.
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet vnda maris.
Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra est.
Omnia nam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt Elegi, nec carminis auctor Apollo.
Illa caua pretium flagitat vsque manu.
Ite procul Musæ, si non prodestis amanti.
Non ego vos, vt sint bella canenda, colo.
C *Nec refero Solísque vias, & qualis, vbi orbem*
Compleuit, versis Luna recurrit equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
Ite procul Musæ, si nihil ista valent.
At mihi per cædem & facinus sunt dona paranda,
Ne iacem clausam flebilis ante domum.
Aut rapiam suspensa focis insignia sacris.
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet, dominámque rapacem
Dat mihi. sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat quicunque legit viridésque smaragdos,
Et niueam Tyrio murice tingit ouem.
Hic dat auaritiæ caussas, & Coa puellis
D *Vestis, & è rubro lucida concha mari.*
Hæc fecere malas. hinc clauim ianua sensit,
Et cœpit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victa est:
Nec prohibent claues, & canis ipse tacet.
Heu quicunque dedit formam cælestis auaræ,
Quale bonum multis attulit ipse malis?
Hinc fletus, rixæque sonant. hæc denique caussa
Fecit, vt infamis hic Deus esset Amor.
At tibi, quæ precio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus & ignis opes.
Quin tua tunc iuuenes spectent incendia læti,
Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam.
E *Seu veniat tibi mors, nec erit qui lugeat vllus,*
Nec qui det mœstas munus in exequias.
At bona, quæ nec auara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo,
Et bene discedens dicet, placidéque quiescat.
Terráque securæ sit super ossa leuis.
Vera quidem moneo. sed prosunt quid mihi vera?
Illius est nobis lege colendus Amor.
Quinetiam sedes iubeat si vendere auitas:
Ite sub imperium, sub titulumque lares.

Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni,
Quicquid & herbarum Thessala terra gerit:
Et quod, vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ:
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa: bibam.

Pagina 502.

PHOEBE *faue, nouus ingreditur tua templa sacerdos,*
Huc age cum cithara, carminibúsque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triumphali deuinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni.
Sed nitidus, pulchérque veni. nunc indue vestem
Sepositam: longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant Saturno rege fugato
Victori laudes concinuisse Ioui.
Tu procul euentura vides. tibi debitus augur
Scit bene quid fati prouida cantet auis.
Tuque regis sortes. per te præsentit aruspex.
Lubrica signauit quum Deus exta notis.
Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla est,
Abdita quæ senis fata canit pedibus.
Phœbe sacras Messalinum sine tangere chartas
Vatis: & ipse, precor, quod canat illa, doce.
Hæc dedit Aeneæ sortes, postquam ille parentem
Dicitur, & raptos sustinuisse Lares.
Hæc fore credebat Romam, quum mœstus ab alto
Ilion, ardentes respiceretque Deos.
Romulus æternæ nondum formauerat vrbis
Mœnia consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ,
Et stabant humiles in Iouis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis vmbræ,
Et facta agresti lignea falce Pales:
Pendebátque vagi pastoris in arbore votum
Garrula siluestri fistula sacra Deo.
Fistula cui semper decrescit arundinis ordo.
Nam calamus cera iungitur vsque minor.
At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua.
Illa sæpe gregis diti placitura magistro
Ad iuuenem festa est vecta puella die.
Cum qua fœcundi redierunt munera ruris
Caseus, & niueæ candidus agnus ouis.
Impiger Aenea volitantis frater Amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes adsignat Iuppiter agros.
Iam vocat errantes hospita terra Lares.
Troia quidem tum se mirabitur, & sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.
Illic sanctus eris, quum te veneranda Numici
Vnda Deum cælo miserit indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes.
Tandem ad Troianos diua superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris,
Iam tibi prædico, barbare Turne, necem.
Ante oculos Laurens castrum, murúsque Lauini est,
Albáque ab Ascanio condita longa duce.
Te quoque iam video Marti placitura sacerdos
Ilia, vestales deseruisse focos:
Concubitúsque tuos furtim, vittásque iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta Dei.
Carpite nunc tauri de septem montibus herbas,
Dum licet. hic magnæ iam locus vrbis erit,

A *Roma tuum nomen terris fatale regendis*
Qua sua de cælo prospicit arua Ceres:
Quáque patent ortus, & qua fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Vera cano. sic vsque sacras innoxia lauros
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.
Hæc cecinit vates, & te sibi, Phœbe, vocauit,
Iactauit fusa sed caput ante coma.
Quicquid Amalthea, quicquid Marpessia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit:
Quodque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco perlueritque sinu:
B *Hæ fore dixerunt belli mala signa cometen,*
Multus vt in terras deplueréque lapis:
Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cœlo
Audita, & lucos præcinuisse fugam.
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos.
Et simulachra Deum lacrimas fudisse tepentes,
Fatáque vocales præmonuisse boues.
Hæc fuerunt olim. sed tu iam, mitis Apollo,
Prodigia indomitis merge sub æquoribus.
Vt succensa sacris crepitet bene laurea flammis,
Omine quo felix, & sacer annus eat.
At laurus bona signa dedit. gaudete coloni,
C *Distendet spicis horrea plena Ceres.*
Oblitus & musto feriet pede rusticus vuas,
Dolia dum, magni deficiúntque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet. à stabulis tunc procul este lupi.
Ille leuis stipulæ sollennes potus aceruos
Accendet, flammas transiliétque sacras.
Et fœtus matrona dabit, natúsque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec tædebit auum paruo aduigilare nepoti,
Balbáque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquæ qua leuis vmbra cadet.
Aut è veste sua tendent vmbracula sertis
D *Vincta. coronatus stabit & ipse calix.*
At sibi quisque dapes, & festas extruet alte
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hic potus iuuenis maledicta puellæ,
Postmodo quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem,
Et se iurabit mente fuisse mala.
Parce tua pereant arcus, pereántque sagittæ
Phœbe: modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona, sed postquam sumsit sibi tela Cupido,
Eheu quam multis ars dedit illa malum,
Et mihi præcipue, iaceo quum saucius annum:
Et faueo morbo, quum iuuat ipse dolor,
E *Vixque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus*
Verba potest, iustos aut reperire pedes.
Acer Amor, fractas vtinam tua tela sagittas
Si licet, extinctas adspiciámque faces.
Tu miserum torques, tu me mihi dira precari
Cogis & insana mente nefanda loqui.
At tu, nam diuum seruat tutela poetas,
Præmoneo vati parce, puella, sacro,
Vt Messalinum celebrem. quum præmia belli
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus, lauro deuinctus agresti
Miles io magna voce triumphe canam.
Tunc Messala meus pia det spectacula turbæ,

Et plaudat curru prætereunte pater.
Annue. sic tibi sint intonsi, Phœbe, capilli.
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

Pagina 507. C A S T R A *Macer sequitur. tenero quid fiet Amori?*
Si comes & collo fortiter arma geret,
Et, seu longa virum terra via, seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet?
Vre, puer, quæso, tua qui ferus otia liquit.
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quod si militibus parces, erit hic quoque miles
Ipse, levem galea qui sibi portet aquam:
Castra peto, valeátque Venus, valeantque puellæ.
Et mihi sunt vires, & mihi facta tuba est.
Magna loquor. sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausæ fortia verba fores.
Iuravi quoties rediturum ad limina nunquam?
Quum bene iuravi, pes tamen ipse redit.
At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo.
Ferrea non Venerem, sed prædam sæcula laudant.
Præda tamen multis est operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis.
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiórque venit.
Præda vago iussit geminare pericula ponto,
Bellica quum dubiis rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsistere campos,
Vt multa innumera iugera pascat ove.
Cui lapis externus curæ est, urbisque tumultu
Portatur validis mille columna iugis:
Claudit & indomitum moles mare, lentus ut intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.
At tibi læta trahant Samiæ convivia testæ,
Fictáque Cumana lubrica terra rota.
Heu heu divitibus video gaudere puellas.
Iam veniant prædæ, si Venus optat opes:
Vt mea luxuria Nemesis fluat: utque per urbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit, auratas disposuitque vias,
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.
A *Illi selectos certent præbere colores*
Africa puniceum, purpureúmque Tyros.
Nota loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

F I N I R E N T *multi leto mala. credula vitam*
Spes fovet, & melius cras fore semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Quum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum.
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
B *Spes facilem Nemesim spondet mihi. sed negat illa.*
Hei mihi, ne vincas, dura puella, deam.
Parce per immatura tuæ precor ossa sororis.
Sic bene sub tenera parva quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulchro,
Et madefacta meis serta feram lacrimis.
Illius ad tumulum fugiam, suppléxque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret usque suum te propter flere clientem.
Illius ut verbis sis mihi lenta, veto,
Ne tibi neglecti mittant nova somnia manes,
Mœstáque sopita stet soror ante torum.
Qualis ab excelsa præceps delapsa fenestra
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
C *Desino, ne dominæ luctus renoventur acerbi.*
Non ego sum tanti, ploret ut illa semel.
Nec lacrimis oculos digna est fœdare loquaces.
Lena nocet nobis, ipsa puella bona est.
Lena vetat miserum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque reditq; sinu.
Sæpe, ego quum dominæ dulces à limine duro
Agnosco voces, hæc negat esse domi.
Sæpe, ubi nox promissa mihi est, languere puellam
Nunciat, aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneátve modis.
Tunc tibi, lena, precor diras. satis anxia vivas,
Moverit è votis pars quotacunque deos.

ALBII TIBVLLI

LIBER III.

Pagina 512.

ARTIS *Romani festæ venere calendæ.*
Exoriens nostris hinc fuit annus auis,
Et vaga nunc certa discurrunt vndique pompæ
Perque vias vrbis munera, pérque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen.
Carmine formosæ, precio capiuntur auaræ.
Gaudeat, vt digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum,
Pumex & canas tondeat ante comas:
Summáque prætexat tenuis fastigia chartæ,
Indicet vt nomen littera facta tuum.
Atque inter geminas pingantur cornua frontes.
Sic etiam comptum mittere oportet opus.
Per vos auctores huius mihi carminis oro,
Castaliámque vmbram, Pieriósque lacus,
Ite domum, cultúmque illi donate libellum
Sicut erit. nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primum meritam longa donate salute,
Atque hæc submisso dicite verba sono:
Hæc tibi, vir quondam, nunc frater casta Neæra,
Mittit & accipias munera parua, rogat.
Teque suis iurat caram magis esse medullis:
Siue sibi coniunx, siue futura soror.
Sed potius coniunx. huius spem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.

Pagina 513.

QVI *primum caram iuueni, carúmque puellæ*
Eripuit iuuenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Viuere & erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc, non hæc patientia nostro
Ingenio. frangit fortia corda dolor.
Hæc mihi verba loqui pudor est, vitaque fateri
Tot mala perpessæ tædia nota meæ.
Ergo ego quum tenuem fuero mutatus in vmbram,
Candidáque ossa super nigra fauilla teget,
Ante meum veniat longos incomta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
A *Sed veniat caræ matris comitata dolore.*
Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animámque, rigatæ,
Perfusæque pias ante liquore manus,
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant.
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic quas mittit diues Panchaia merces,
Eoique Arabes, diues & Assyria:
Et nostri memores lacrimæ fundantur eodem.
B *Sic ego componi versus in ossa velim.*
Sed tristem mortis demonstret litera caussam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hic situs est. dolor huic, & caussa Neæræ
Coniugis ereptæ, caussa perire fuit.

QVID *prodest cœlum votis implesse, Neæra?* Pagina 516.
Blandáque cum multa thura dedisse prece?
Non vt marmorei prodirem è limine tecti
Insignis clara, conspicuúsque domo:
Aut vt multa mei renouarent iugera tauri,
Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum vt longæ satiarem gaudia vitæ,
Inque tuo caderet nostra senecta sinu
Tunc, quum permenso defunctus tempore lucis
C *Nudus Lethæa cogerer ire rate.*
Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri?
Aruáque si findant pinguia mille boues?
Quidve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare siue tuis, siue Caryste tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos?
Auratæque trabes, marmoreúmque solum?
Quidve, in Erythræo legitur quæ litore concha,
Tinctáque Sidonio murice lana iuuat,
Et quæ præterea populus miratur? an illis
Inuidia est. falso plurima volgus amat.
Non opibus mentes hominum curæque leuantur.
Nam fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neæra.
At sine te, regum munera nulla volo.
O niueam, quæ te poterit mihi reddere, lucem.
O mihi felicem térque, quatérque diem.
At si pro dulci reditu quæcunque vouentur,

Audiat auersa non meus aure Deus:
Nec me regna iuuant, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Hæc alij cupiant. liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge posse frui.
Adsis, & timidis faueas, Saturnia, votis,
Et faueas concha Cypria vecta tua.
Aut si fata negant reditum, tristésque sorores
Stamina quæ ducunt, quæque futura neunt:
Me vocet in vastos amnes, nigramq́; paludem
Diues in ignaua luridus Orcus aqua.

Pagina 523.

DI meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quæ tulit extrema proxima nocte quies.
Ite procul. vanum, falsumq́; auertite visum.
Desinite in vobis quærere velle fidem.
Diui vera monent venturæ nuncia sortis
Vera monent Thuscis exta probata viris,
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent,
Et vanum ventura hominum genus omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale.
Et tamen, vtcunque est, siue illi vera moneri,
Mendaci somno credere siue volent:
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum pertimuisse velit,
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec læsit magnos impia lingua Deos.
Iam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundum cæruleas lauerat amne rotas:
Nec me sopierat mentis Deus vtilis ægræ
Somnus. sollicitas deficit ante domos.
Tandem quum summo Phœbus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuuenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius vlla priorum
Aetas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa ceruice fluebant.
Stillabat Tyrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus:
Vt iuueni primum virgo deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas:
Vt quum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & Autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla.
Námque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ fulgens testudine & auro
Pendebat læua garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc tristi dulcia verba modo:
Salue cura deum. casto nam rite poetæ
Phœbusque, & Bacchus, Pieridésque fauent.
Sed proles Semeles Bacchus, doctæque sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, æuique futuri
Euentura pater posse videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, vates:
Quodque Deus vero Cynthius ore ferat.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro:
Pro qua sollicitas cœlestia numina votis,
A Quæ tibi securos non sinit ire dies:
Et quum te fusco somnus velauit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus,
Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
Alterius mauult esse puella viri.
Diuersásque suas agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum fœmina nomen.
Ah pereat, didicit fallere siqua virum.
Sed flecti poterit. mens est mutabilis illis.
Tu modo cum multa brachia tende fide.
Sæuus Amor docuit validos tentare labores.
B Sæuus Amor docuit verbera sæua pati.
Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas
Non est in vanum fabula ficta iocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos:
Sed perlucenti cantus meditabar auena,
Ille ego Latonæ filius, atque Iouis.
Nescis quid sit Amor, iuuenis, si ferre recusas
Immitem dominam, coniugiumq́; ferum.
Ergo ne dubita blandas adhibere querelas.
Vincuntur molli pectora dura prece.
Quod si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer:
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse.
C Felix hoc. alium desine velle virum.
Dixit, & ignauus defluxit pectore somnus.
Ah ego non possum tanta videre mala,
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectori inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt æquora Ponti,
Nec flammam voluens ore Chimæra fero:
Nec canis anguinea redimitus terga caterua,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumq́; caput:
Scyllaq́; virgineam canibus subcincta figuram:
Nec te conceptam sæua leæna tulit:
Barbara nec Scythiæ tellus, horrendave Syrtis:
Sed culta, & duris non habitanda domus:
Et longe ante alios omnes mitissima mater,
D Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

VOs tenet, Etruscis manat quæ fontibus vnda, Pagina 527.
Vnda sub æstiuum non adeunda Canem.
Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
Quum se purpureo vere remittit hiems.
At mihi Persephone nigram denunciat horam.
Immerito iuueni parce nocere, Dea.
Non ego tentaui nulli temeranda virorum
Audax laudandæ sacra docere Deæ.
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam tetra venena dedit.
E Nec nos sacrilegi templis admouimus ergo.
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.
Nec nos insanæ meditantis iurgia linguæ
Impia in aduersos soluimus ora deos.
Et nondum cani nigros læsere capillos,
Nec venit tardo curua senecta pede.
Natalem primo nostrum vidêre parentes
Quum cecidit fato consul vterque pari.
Quid fraudare iuuat vitem crescentibus vuis?
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes vmbras quicunque tenetis,

Duráque sortiti tertia regna Dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethæámque ratem, Cimmeriósque lacus,
Quum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque vtinam vano nequicquam terrear æstu.
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Thusca celebrantur numina lympha,
Et facilis lenta pellitur vnda manu.
Viuite felices, memores & viuite nostri:
Siue erimus, seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Ditis,
Et niuei lactis pocula mista mero.

Pagina 532. CANDIDE *Liber ades. sic sit tibi mystica vitis*
Semper. sic edera tempora vincta feras.
Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem.
Sæpe tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho,
Et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores.
Fulserit hic niueis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faueatis amici,
Neue neget quisquam me duce se comitem.
Aut si quis vini certamen mite recuset,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos Deus. ille ferocem
Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fuluas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & maiora volet. sed poscite Bacchi
Munera. quem vestrum pocula sicca iuuant?
Conuenit ex æquo, nec toruus Liber in illos,
Qui se, quique vna vina iocosa colunt.
Iam venit iratus nimium, nimiumque seuerus.
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his pœnas qualis quantásque minetur,
Cadmææ matris præda cruenta docet.
Sed procul à nobis hic sit timor: illáque, si qua est,

A *Quid valeat læsi, sentiat, ira Dei.*
Quid precor ah demens? venti temeraria vota,
Aeria & nubes diripienda ferant.
Quamuis nulla mei superest tibi cura, Neæra:
Sis felix, & sint candida fata tua.
At nos securæ reddamus tempora mensæ.
Venit post multos vna serena dies.
Hei mihi, difficile est imitari gaudia falsa. Pagina 534.
Difficile est tristi fingere mente iocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore,
Nec bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curæ.
Odit Lenæus tristia verba pater.
B *Gnosia, Thesea quondam periuria linguæ*
Fleuisti ignoto sola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo: Felix, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo.
Non vos decipiant pendentia brachia collo,
Nec capiat blanda sordida lingua prece.
Etsi perque suos fallax iurauit ocellos,
Iunonémque suam, pérque suam Venerem,
Nulla fides inerit. periuria ridet amantum
Iuppiter, & ventos irrita ferre iubet.
Ergo qui toties fallacis verba puellæ
Conqueror, ite à me seria verba, precor.
C *Quam vellem tecum longas requiescere noctes,*
Et tecum longos peruigilare dies:
Perfida nec merito nobis inimica merenti.
Perfida, sed quamuis perfida, cara tamen.
Naida Bacchus amat. cessas ô lente minister?
Temperet annosum Martia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostræ conuiuia mensæ
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte.
Tu puer, liquidum fortius adde merum.
Iandudum Tyrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

ALBII TIBVLLI

LIBER IIII.

PANEGYRICVS AD MESSALAM.

Pagina 552.

E, Messala, canam. Quanquam me cognita virtus
Terret, vt infirmæ nequeant subsistere vires,
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua præter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis vt non maiora supersint:
Est nobis voluisse satis. Nec carmina parua
Respueris. etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit, & cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, vt puro testantur sidera cælo,
Erigonéque, Canisque, neget ne longior ætas.
Quinetiam Alcides Deus ascensurus Olympum
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Paruáque cælestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus paruus labor, vt tibi possim
Inde alios, aliósque memor componere versus.
Alter dicet opus magni mirabile mundi,
Qualis in immensum desederit aëra tellus,
Qualis & in curuum pontus confluxerit orbem,
Et vagus è terris qua surgere nititur aër,
Huic & contextus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur vt omnia cælo.
At quodcunque meæ poterunt audere camœnæ,
Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit, vltra,
Siue minus, certéque canent minus, omne vouemus
Hoc tibi, nec tanto careat mihi carmine charta.
Nam, quanquam antiquæ gentis superant tibi laudes,
Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quæris quid quaque index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores, maius decus ipse futurus.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Aeterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Conuenientque tuas cupidi componere laudes
Vndique quique canent vincto pede, quique soluto,
A *Queis potius certamen erit. sim victor in illis,*
Vt nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te maiora gerit castrisve, forove?
Nec tamen hinc aut hinc tibi laus maiorve, minorve,
Iusta pari premitur veluti quum pondere libra
Prona, nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.
Qualis, inæquatum si quando onus vrget vtrinque
Instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diuersi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat. seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel paruæ magnum decus vrbis Vlyssem.
B *Vixerit ille senex quamuis, dum terna per orbem*
Sæcula fertilibus Titan decurrerit horis:
Ille per ignotas audax errauerit vrbes,
Qua maris extremis tellus includitur vndis.
Nam Ciconúmque manus aduersis reppulit armis:
Non valuit Lotos captos auertere cursus:
Cessit & Aetnææ Neptunius incola rupis
Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Aeolios placidum per Nerea ventos.
Incultos adiit Læstrygonas, Antiphatenque,
Mobilis Artaciæ gelidos quos irrigat vnda.
Solum nec docta verterunt pocula Circes:
Quamuis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptáque vel cantu veteres mutare figuras.
C *Cimmerion etiam obscuras accessit ad arces:*
Queis nunquam candente dies apparuit ortu,
Siue supra terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit vt inferno Plutoni subdita regna
Magna Deum proles leuibus discurreret vmbris,
Præteriitque cita Sirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis
Nec Scyllæ sæuo conterruit impetus ore,
Quum canibus rapidas inter freta serperet vndas,
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua Solis,
Non Amor, & fœcunda Atlantidos arua Calypsus,

Finis, & erroris miseri Phæacia tellus.
Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula siue nouum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia maior.
Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Qua deceat tutam castris præducere fossam,
Qualiter aduersos hosti defigere ceruos:
Quemve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus vt dulces erumpat terra liquores:
Vt facilisque tuis aditus sit, & arduus hosti,
Laudis & adsiduo vigeat certamine miles.
Quis tardamve sudem melius, celeremve sagittam,
Iecerit, aut lento perfregerit obuia pilo?
Aut quis equum celeremve arcto compescere freno
Possit, & effusas tardo permittere habenas,
Inque vicem modo directo contendere passu,
Seu libeat curuo melius contendere gyro?
Quis parma seu dextra velit, seu leua tueri,
Siue hac, siue illac veniat grauis impetus hastæ,
Amplior, aut signata cita loca tangere funda?
Iam simul audacis veniant certamina Martis,
Aduersisque parent acies concurrere signis,
Tunc tibi non desit faciem componere pugnæ,
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus vt æquatis decurrat frontibus ordo,
Seu libeat duplicem, seu iunctum cernere Martem,
Dexter vti læuum teneat, dextrúmque sinister
Miles, sitque duplex gemini victoria casus.
At non per dubias errant mea carmina laudes.
Nam bellis experta experta cano. testis mihi victæ
Fortis Iapidiæ miles. testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes.
Testis Arupinis & pauper natus in armis.
Quem si quis videat, vetus vt non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ.
Centum fœcundos Titan renouauerit annos,
Ipse tamen velox celerem superedere corpus
Audet equum, validisque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conuersus terga domator
Libera Romanæ subiecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris, maiora peractis
Instant, compertum est veracibus vt mihi signis,
Queis Amythaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtemine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis quum Sol caput extulit vndis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curua nec assuetos egerunt flumina cursus.
Quin rapidum placidis etiam mare constitit vndis;
Vlla nec aerias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera siluas.
Quin largita tuis sunt multa silentia votis.
Iuppiter ipse leui vectus per inania curru
Adfuit, & cœlo vicinum liquit Olympum.
Intentáque tuis precibus se præbuit aure,
Cunctáque veraci capite annuit abditus aris.
Lætior eiuxit structos super ignis aceruos.
Quin hortante Deo magnus insistere rebus
Incipe. non iidem tibi sint, aliisque triumphi.
Non te vicino remorabitur obuia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris.
Nec fera te Tyrio tellus obsessa colono.
Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit, aut rapidus Cyri dementia Gyndes,
Ardet Arectæis aut vnda perhospita campis.
A Nec qua regna vago Tomyris finiuit Araxe.
Impia nec sæuis celebrans conuiuia mensis
Vltima vicinus Phœbo tenet arua Padæus,
Quaque Hebrus, Tanaisque Getas rigat, atque Magynos.
Quid moror? Oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi aduersis regio sese offeret armis.
Te manet inuictus Romano Marte Britannus,
Teque interiecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso consistit in aëre tellus,
Et quinque in partes toto disponitur orbe.
Atque duæ gelido vastantur frigore semper.
Illic & densa tellus absconditur vmbra,
B Et nulla incepto perlabitur vnda liquore,
Sed durata riget densam in glaciémque, niuémque,
Quippe vbi non vnquam Titan superegerit ortus.
At media est Phœbi semper subiecta calori,
Seu propior terris æstiuum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro,
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terra.
Non illic colit arua Deus, Bacchúsve, Ceresve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita est, intérque rigentes,
Nostráque & huic aduersa solo pars altera nostro;
Quas similis vtrinque tenens vicinia cœli
C Temperat, alter & alterius vires necat aër.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.
Hic & colla iugo didicit summittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos.
Tondeturque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære.
Quin etiam structis exurgunt oppida muris.
Ergo vbi per claros ierint tua facta triumphos,
Solus vtroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tanta præconia laudis,
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi qui possit magnis se accingere rebus
Valgius. æterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamuis
D Fortuna, vt mos est illi, me aduersa fatigit.
Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret.
Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci
Horrea, fœcundas ad deficientia messes:
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupoque:
Nunc desiderium superest. nam cura nouatur,
Quum memor anteactos semper dolor admonet annos:
Sed licet asperiora cadant, spoliérque relictis:
Non te deficient nostræ memorare camœnæ.
Nec solum tibi Pierij tribuentur honores.
Pro te vel rapidas ausim maris ire per vndas,
Aduersis hiberna licet tumeant freta ventis.
E Pro te vel solus densis subsistere turmis,
Vel paruum Aetnææ corpus committere flammæ,
Dum quodcunque tuum est. nostri si paruula cura
Sit tibi quanta libet, si sit modo, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi.
Posse Meleteas nec mallem vincere chartas,
Quod tibi si versus noster totusue minusue,
Vel bene si totus summo vel inerret in ore:
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam mea tunc tumulus quum texerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
Longa manet seu vita tamen mutata figuram,
Seu me finget equum rigidos percurrere campos

Doctum, seu tardis pecoris sim gloria taurus:
Sine ego per liquidum volucris vehar aëra pennis:
In quemcunque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

Pagina 556. SVLPITIA *est tibi culta tuis, Mars magne, calendis.*
Spectatum è cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet. at tu, violente, caueto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, quum vult exurere diuos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quicquid agit, quoquo vestigia mouit,
Componit furtim, subsequitúrque decor.
Seu soluit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comtis est veneranda comis.
Vrit, seu Tyria voluit procedere palla:
Vrit, seu niuea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vortumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideátque, metit quicquid bene olentibus aruis
Cultor odoratæ diues Arabs segetis:
Et quascunque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus equis.
Hanc vos, Pierides, festis cantate calendis,
Et testudinea Phœbe superbe lyra.
Hoc solenne sacrum multos consumet in annos.
Dignior est vestro nulla puella choro.

Pagina 558. PARCE *meo iuueni, seu quis bona pascua campi,*
Seu colis vmbrosi deuia montis, aper.
Nec tibi sit duros acuisse in prælia dentes.
Incolumem custos hunc mihi seruet Amor.
Sed procul abducit venandi deuia cura.
O pereant siluæ, deficiántque canes.
Quis furor est, quæ mens, densos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus?
Quidve iuuat furtim latebras intrare ferarum,
Candidáque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, vt tecum liceat, Cerinthe, vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quæram vestigia cerui,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi tunc placeant siluæ, si, lux mea, tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit,
Ne Veneris cupidæ gaudia turbet, aper.
Tunc sine me sit nulla Venus. sed lege Dianæ
Caste puer casta retia tange manu.
Et quæcunque meo furtim subrepit amori,
Incidat in sæuas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

Pagina 559. HVC *ades, & teneræ morbos expelle puellæ:*
Huc ades intonsa Phœbe superbe coma.
Crede mihi propera, nec te iam Phœbe pigebit
Formosæ medicas applicuisse manus.
Effice, ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcunque mali est, & quicquid triste timemus,
In pelagus rapidis euehat amnis aquis.
Sancte veni, tecumque feras quicunque sapores,
Quicunque & cantus corpora fessa leuant.

A *Neu iuuenem torque, metuit qui fata puellæ,*
Votáque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vouet: interdum, quod langueat illa,
Dicit in æternos aspera verba Deos.
Pone metum, Cerinthe. Deus non lædit amantes.
Tu modo semper ama. salua puella tibi est.
At nunc tota tua est. te solum candida secum
Cogitat, & frustra credula turba sedet.
Phœbe faue. laus magna tibi tribuetur, in vno
Corpore seruato, restituisse duos.
Nil opus est fletu. lacrimis erit aptius vti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
Iam celeber, iam lætus eris, quum debita reddet
B *Certatim sanctis lætus vterque focis.*
Tunc te felicem dicet pia turba Deorum.
Optabunt artes & sibi quisque tuas.

QVI *mihi te, Cerinthe, dies dedit, hic mihi sanctus,* Pagina 560.
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente nouum Parcæ cecinere puellis
Seruitium: & dederunt regna superba tibi.
Vror ego ante alias. iuuat hoc, Cerinthe, quod vror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus adsit amor. per te dulcissima furta,
Perque tuos oculos, per geniumque rogo.
Magne Geni, cape thura libens, votisque faueto:
Si modo, quum de me cogitat ille, volet,
C *Quod si forte alios iam nunc suspirat amores,*
Tunc, precor, infidos, sancte, relinque focos.
Nec tu sis iniusta Venus. vel seruiat æque
Vinctus vterque tibi, vel mea vincla leua.
Sed potius valida teneamur vterque catena,
Nulla queat posthac nos soluisse dies.
Optat idem iuuenis, quod nos: sed tutius optat.
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu, Natalis, quoniam Deus omnia sentis,
Adnue. quid refert clamve, palamve roget?

NATALIS *Iuno, sanctos cape thuris aceruos,* Pagina 561.
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
D *Tota tibi est hodie, tibi se lætissima compsit:*
Staret vt ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi caussas tibi, diua, relegat.
Est tamen, occulte cui placuisse velit.
At tu, sancta, faue, ne quis diuellat amantes:
Sed iuueni, quæso, mutua vincla para.
Sic bene compones. vlla non ille puellæ
Seruire, aut cuiquam dignior illa viro:
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
Fallendique vias mille ministret Amor.
Adnue, purpureáque veni perlucida palla.
Ter tibi fit libo, ter, dea casta, mero.
Præcipit & natæ mater studiosa, quod optet.
Illa aliud tacita iam sua mente rogat.
E *Vritur, vt celeres vrunt altaria flammæ,*
Nec, liceat quamuis, sana fuisse velit.
Sic iuueni grata, veniet quum proximus annus.
Hic idem votis iam vetus esset amor.

TANDEM *venit Amor, qualem texisse pudori,* Pagina 562.
Quam nudasse alicui, sit mihi, fama, magis.
Exorata meis illum Cytherea camœnis
Attulit in nostrum, deposuitque sinum.
Exoluit promissa Venus. mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse sua.

Non

Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quam meus ante, velim.
Sed peccasse iuuat. vultus componere famæ
Tædet. cum digno digna fuisse ferar.

Pagina 563. INVISVS *natalis adest, qui rure molesto,*
Et sine Cerintho tristis agendus erit.
Dulcius vrbe quid est? an villa sit apta puellis,
Atque Aretino frigidus amnis agro?
Iam nimium, Messala, mei studiose quiescas,
Non tempestiuæ sæpe propinque viæ.
Hic animum, sensusque meos abducta relinquo,
Arbitrio quamuis non sinis esse meo.

Pagina 563. SCIS *iter ex animo sublatum triste puellæ,*
Natali Romæ iam licet esse tuo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

Pagina 564. GRATVM *est, securus multum quod iam mibi de me*
Permittis subito, ne male inepta cadam.
Sit tibi cura togæ potior, pressúmque quasillo
Scortum, quam Serui filia Sulpitia.
Sollicíti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,
Ne credam ignoto, maxima caussa, toro.

Pagina 565. ESTNE *tibi, Cerinthe tuæ placiture puellæ,*
Quæ mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes euincere morbos
Optarim, quam te si quoque velle putem.
Ah mihi quid prosit morbos euincere, quod tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

Pagina 565. NE TIBI *sim, mea lux, æque iam feruida cura,*
Vt videor paucos ante fuisse dies,
Si quicquam tota commisi stulta iuuenta,
Cuius me fatear pœnituisse magis,
Hesterna quam te solum quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum.

Pagina 567. NVLLA *tuum nobis subducet fœmina lectum.*
Hoc primum iuncta est fœdere nostra Venus.
Tu modo sola places: nec iam, te præter, in vrbe
Formosa est oculis vlla puella meis.
Atque vtinam posses vni mihi bella videri.
Displiceas aliis. sic ego tutus ero.
Nil opus inuidia est. procul absit gloria volgi.
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene viuere siluis,
Qua nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, & in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet è cœlo mittatur amica Tibullo:
Mittetur frustra, deficiétque Venus.
Hæc tibi sancta tuæ Iunonis numina iuro,
Quæ sola ante alios est mihi magna deos.
Quid facio demens? heu heu mea pignora cedo.
Iuraui stulte: proderit iste timor.
Nunc tu fortis eris, nunc tu me audacius vres,
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam faciam quodcunque voles tuus vsque manebo,
Nec fugiam notæ seruitium dominæ.
Sed Veneris sancta considam vinctus ad aras.
Hæc notat iniustos, supplicibúsque fauet.

A RVMOR *ait, crebro nostram peccare puellam.*
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine ficta dolore.
Quid miserum torques? rumor acerbe tace.

VILLICVS *ærari quondam, nunc cultor agelli*
Hæc tibi Perspectus templa, Priape, dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte, paciscor,
Adsiduus custos ruris vt esse velis.
Improbus vt si quis nostrum violarit agellum.
Hunc tu, sed taceo. scis, puto, quod sequitur.

QVID *hoc noui est? quid ira nunciat Deum?* Pagina 568.
B *Silente nocte candidus mihi puer*
Tepente quum iaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.
Places, Priape? qui sub arboris coma
Sacrum soles reuinctle pampino caput
Ruber sedere cum rubente fascino.
At, ô Tripalle, sæpe floribus nouis
Tuas sine arte deligauimus comas,
Abegimúsque voce sæpe, quum tibi
Senexve coruus, impigerve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput.
Vale nefande destitutor inguinum,
Vale, Priape. debeo tibi nihil.
C *Iacebis inter arua pallidus situ.*
Canisque sæua, susque ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus.
Scelesté penis, ô meum malum graue,
Graui, piáque lege noxiam lues.
Licet querare. nec tibi tener puer
Patebit vllus. imminente qui toro,
Iuuante verset arte mobilem natem.
Puella nec iocosa te leui manu
Fouebit, adpriméve lubricum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur, inter atra cuius inguina
Latet iacente pantice abditus specus,
D *Vagáque pelle tectus annuo gelu*
Araneosus obsidet forem situs.
Tibi hæc paratur, vt tuum ter, aut quater
Voret profunda fossa lubricum caput.
Licebit ager angue lentior cubes,
Tereris vsque donec ah miser miser
Triplexque quadruplexque compleas specum.
Superbia ista proderit nihil, simul
Vagum sonante merseris caput luto.
Quid est, iners? pigétne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel.
Sed ille quum redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede,
E *Rigente neruus excubet libidine,*
Et inquietus inguina adrigat tumor.
Neque incitare cesset, vsque dum mihi
Venus iocosa molle ruperit latus.

DOMITII MARSI.

TE *quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,* Pagina 568.
Mors iuuenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

FINIS.

d

SEXTI AVRELII PROPERTII

LIBER I.

Pagina 575.

YNTHIA *prima suis miserum me cepit ocellis* A
Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus.
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, & nullo viuere consilio.
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
Quum tamen aduersos cogor habere deos.
Minalion nullos fugiendo, Tulle, labores
Sæuitiam duræ contudit Iasidos.
Nam modo Parthenijs amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.
Ille etiam Hylæi percussus vulnere rami
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam.
Tantum in amore preces, & bene facta valent.
In me tardus Amor non vllas cogitat artes:
Nec meminit notas, vt prius, ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunæ,
Et labor in magicis sacra piare focis:
En agedum dominæ mentem conuertite nostræ,
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
Posse Cytæeis ducere carminibus.
Et vos, qui sero lapsum reuocatis, amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sæuos patiemur & ignes:
Sit modo libertas, quæ velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, & ferte per vndas,
Qua non vlla meum femina norit iter.
Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,
Sitis & in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore defit Amor.
Hoc, moneo, vitate malum. sua quenque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quod siquis monitis tardas aduerterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea.

QVID *iuuat ornato procedere, vita, capillo?* Pagina 579.
Et tenues Coa veste mouere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæque decus mercato perdere cultu?
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non vlla tuæ medicina figuræ est.
Nudus Amor formæ non amat artificem.
Adspice quos summittit humus formosa colores,
Et veniant ederæ sponte sua melius:
B *Surgat & in solis formosius arbutus antris,*
Et sciat indociles currere lympha vias:
Litora natiuos per se dent picta lapillos,
Et volucres nulla dulcius arte canant.
Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Telaira soror.
Non Idæ, & cupido quondam discordia Phœbo
Eueni patriis filia litoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Auecta externis Hippodamia rotis:
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.
C *Vni siqua places, culta puella sat est.*
Quum tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,
Aoniámque libens Calliopea lyram:
Vnica nec desit iucundis gratia verbis,
Omnia quæque Venus, quæque Minerua probat.
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

QVALIS *Thesea iacuit cedente carina* Pagina 581.
Languida desertis Gnosia litoribus:
Qualis & accubuit primo Cepheia somno,
Libera iam duris cotibus Andromede:

Nec minus aßiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano:
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia non certis nixa caput manibus.
Ebria quum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego nondum etiam sensus deperditus omneis
Molliter impresso conor adire toro.
Et quamuis duplici correptum ardore iuberent
Hac Amor, hac Liber, durus vterque Deus
Subiecto leniter positam tentare lacerto,
Osculáque admota sumere, & arma manu:
Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens verbera sæuitiæ.
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus vti notis cornibus Inachidos.
Et modo soluebam nostra de fronte corollas,
Ponebámque tuis, Cynthia, temporibus.
Et modo gaudebam lapsos formare capillos,
Nunc furtiua cauis poma dabam manibus.
Omniáque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono sæpe voluta sinu.
Et quoties raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio:
Nequa tibi insolitos portarent visa timores,
Néue quis inuitam cogeret esse suam.
Donec diuisas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos leuibus radiis patefecit ocellos.
Sic ait in molli fixa toro cubitum,
Tandem te nostro referens iniuria lecto
Alterius clausis reppulit è foribus.
Namque vbi longa meæ consumpsti tempora noctis
Languidus exactis hei mihi sideribus?
O vtinam tales perducas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere iubes.
Nam modo purpureo fallebam stamine somnum,
Rursus & Orpheæ carmine fessa lyræ.
Interdum grauiter mecum deserta querebar
Externo longas sæpe in amore moras:
Dum me iucundis lapsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrimis vltima cura meis.

Pagina 583. QVID mihi tam multas laudando, Basse, puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitæ quodcunque sequetur,
Hoc magis assueto viuere seruitio?
Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Spartanæ referas laudibus Hermionæ,
Et quascunque tulit formosi temporis ætas,
Cynthia non illas nomen habere sinat:
Ne dum, si leuibus fuerit collata figuris,
Inferior duro iudice turpis eat.
Hæc sed forma mei pars est extrema furoris.
Sunt maiora, quibus, Basse, perire iuuat.
Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita dicere veste libet.
Quo magis & nostros contendis soluere amores,
Hoc magis accepta fallit vterque fide.
Non impune feres. sciet hæc insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me post hæc committet Cynthia, nec te
Quæret, erit tanti criminis illa memor.
Et te circum omneis alias irata puellas
Differet. heu nullo limine carus eris.

A Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicunque sacer, qualis vbique, lapis.
Non vllo grauius tentatur Cynthia damno,
Quam sibi cum rapto cessat amore Deus,
Præcipue nostri. maneat sic semper, adoro:
Ne quicquam ex illa quod querar, inueniam.

INVIDE tu tandem voces compesce molestas, Pagina 584.
Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis, insane? meos sentire furores?
Infelix. properas vltima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere tota toxica Thessalia.
B Non est illa vagis similis conlata puellis.
Molliter irasci non sciet illa tibi.
Aut si forte ausis non est contraria nostris,
At tibi curarum millia quanta dabit?
Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animos adligat vna viros.
Ah mea contemtus quoties ad limina curres,
Quum tibi singultu fortia verba cadent:
Et tremulus mœstis orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam:
Et quæcunque voles fugient tibi verba querenti:
Nec poteris qui sis, aut vbi, nosse miser.
Tum graue seruitium nostræ cogere puellæ
Discere, & exclusum quid sit abire domum.
C Nec iam pallorem toties mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego:
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.
Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Quod si parua tuæ dederis vestigia culpæ,
Quam cito de tanto nomine rumor eris?
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Quum mihi nulla mei sit medicina mali.
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
Quærere. non impune illa rogata venit.

D NON ego nunc Hadriæ vereor mare noscere tecum Pagina 586.
Tulle, neque Aegæo ducere vela salo:
Cum quo Riphæos possim conscendere montes,
Vlteriúsque domos vadere Memnonias.
Sed me complexæ remorantur verba puellæ,
Mutatóque graues sæpe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta deos.
Illa meam mihi iam se denegat, illa minatur,
Quæ solet irato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis.
Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere diuitias:
E Vt mihi deducta faciat conuicia puppi
Cynthia, & insanis ora notet manibus:
Osculáque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis iura refer sociis.
Nam tua non ætas vnquam cessauit Amori,
Semper at armatæ cura fuit patriæ.
Et tibi non vnquam nostros puer iste labores
Adferat, & lacrimis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit Fortuna iacere,

Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis qua tendit Ionia, seu qua
Lydia Pactoli tinguit arata liquor:
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, & accepti pars eris imperij:
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Viuere me duro sidere certus eris.

Pagina 588. DVM *tibi Cadmeæ ducuntur, Pontice, Thebæ,*
Armáque fraternæ tristia militiæ:
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus:
Nos, vt consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quærimus in dominam.
Nec tantum ingenio, quantum seruire dolori
Cogor, & ætatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitæ modus, hæc mea fama est.
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctæ solum placuisse puellæ
Pontice, & iniustas sæpe tulisse minas.
Me legat aßidue post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros euiolasse deos:
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis in æterno surda iacere situ,
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subiiciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere sæpe poetam.
Tunc ego Romanis præferar ingeniis.
Nec poterunt iuuenes nostro reticere sepulchro,
Ardoris nostri magne poeta vale.
Tu caue nostra tuo contemnas carmina fastu.
Sæpe venit magno fœnore tardus Amor.

Pagina 591. TVNE *igitur demens? nec te mea cura moratur?*
An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi iam tanti quæcunque est iste, videtur:
Vt sine me vento quolibet ire velis?
Tune audire potes vesani murmura ponti
Fortis, & in dura naue iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire ruinas?
Tu potes insolitas, Cynthia, ferre niues?
O vtinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,
Et sit iners tardis nauita Vergiliis:
Ne tibi Tyrrhena soluatur funis arena,
Néve inimica meas eleuet aura preces:
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta sæpe vocare manu.
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Quum tibi prouectas auferet vnda rates.
Sed quodcunque modo de me, periura, mereris,
Sit Galatea tuæ non aliena viæ:
Vt te felici præuecta Ceraunia remo,
Accipiat placidis Oricos æquoribus.
Nam me non vllæ poterunt corrumpere, de te
Quin ego, vita, tuo limine acerba querar.
Nec me deficiet nautas rogitare citatos:
Dicite, quo portu clausa puella mea est.
Et dicam, licet Atraciis considat in oris,
Et licet Eleis, illa futura mea est.

A *Hic erit hic. iurata mea est. rumpantur iniqui.*
Vicimus. aßiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia liuor.
Destitit ire nouas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego. per me carißima Roma
Dicitur: & sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocunque modo maluit esse mea:
Quam sibi dotata regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes ante pararat equis:
Quamuis magna daret, quamuis maiora daturus.
Non tamen illa meos fugit auara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
B *Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo:*
Queis ego fretus amo. Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.
Siue dies, seu nox venerit, illa mea est.
Nec mihi riualis certos subducet amores.
Ista meam norit gloria canitiem.

DICEBAM *tibi venturos, irrisor, amores,*
Nec tibi perpetuo libera verba fore.
Ecce iaces, supplexque venis ad iura puellæ,
Et tibi nunc quouis imperat emta modo.
Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere quos iuuenes quæque puella domet.
Me dolor & lacrimæ merito fecere peritum.
C *Atque vtinam posito dicar amore rudis.*
Quid tibi nunc misero prodest graue dicere carmen,
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?
Plus in Amore valet Mimnermi versus Homero.
Carmina mansuetus lenia quærit Amor.
I, quæso, & tristeis istos depone libellos:
Et cane, quod quæuis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.
Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni.
Hæc est venturi prima fauilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernæ vincula nosse rotæ:
D *Quam pueri toties arcum sentire medullis,*
Et nihil iratæ posse negare tuæ.
Nullus Amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Vt non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat, quod sit satis illa parata.
Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.
Quippe vbi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor,
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa,
Quisquis es, aßiduas aufuge blanditias.
Illis & silices, & possunt cedere quercus:
Nedum tu possis spiritus iste leuis.
E *Quare, si pudor est, quamprimum errata fatere.*
Dicere quo pereas sæpe in amore leuat.

O IVCVNDA *quies, primo quum testis amori* Pagina 596.
Affueram vestris conscius in lacrimis.
O noctem meminisse mihi iucunda voluptas.
O quoties votis illa vocanda meis.
Quum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus in longam ducere verba moram.
Quamuis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis cœlo luna ruberet equis:
Non tamen à vestro potui secedere lusu,

Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis,
Accipe commissæ munera lætitiæ.
Non solum vestros didici reticere dolores.
Est quiddam in nobis maius, amice, fide.
Possum ego diuisos iterum coniungere amantes,
Et dominæ tardas possum aperire fores:
Et possum alterius curas sanare recenteis,
Nec leuis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper quæcunque petenda,
Quæque verenda forent: non nihil egit Amor.
Tu caue ne tristi cupias pugnare puellæ,
Neue superba loqui, neue tacere diu:
Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa:
Nec meminit iustas ponere læsa minas.
At quo sis humilis magis, & subiectus Amori,
Hoc magis effectu sæpe fruare bono.
Is poterit felix vna remanere puella,
Qui nunquam vacuo pectore liber erit.

Pagina 599.

ECQVID *te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,*
Qua iacet Herculeis semita litoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Et modo Misenis æquora nobilibus,
Nostri cura subit memores ah ducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
Ante nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit è nostris, Cynthia, carminibus?
Atque vtinam mage te remis confisa minutis
Paruula Lucrina cymba moretur aqua:
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in vnda
Alterna facilis cedere lympha manu:
Quam vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito litore compositam,
Vt solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse deos.
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri. culpa timentis erit.
An mihi non maior caræ custodia matris
Aut sine te vitæ cura sit vlla meæ?
Tu mihi sola domus, tu, Cynthia, sola parentes,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.
Seu tristis veniam, seu contra lætus amicis.
Quicquid ero, dicam, Cynthia caussa fuit.
Tu modo quamprimum corruptas desere Baias.
Multis ista dabunt litora dissidium:
Litora quæ fuerunt castis inimica puellis.
Ah pereant Baiæ crimen amoris aquæ.

QVID *mihi desidiæ non cessas fingere crimen,*
Quod faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo diuisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram. non illo tempore cuiquam
Contigit, vt simili posset amare fide.
Inuidiæ fuimus. num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?
Non sum ego, qui fueram. mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit Amor.

A *Nunc primum longas solus cognoscere noctes*
Cogor, & ipse meis auribus esse grauis.
Felix qui potuit præsenti flere puellæ.
Non nihil aspersis gaudet Amor lacrimis.
Aut si despectus potuit mutare calores,
Sunt quoque translato gaudia seruitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

TV, *quod sæpe soles, nostro lætabere casu* Pagina 603.
Galle, quod abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor, perfide, voces.
Fallere te nunquam, Galle, puella velit.
B *Dum tibi deceptis augetur fama puellis,*
Certus & in nullo quæris amore moram:
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis. & primo lapsus adire gradu.
Hæc erit illarum contemti pœna doloris.
Multarum miseras exigit vna vices.
Hæc tibi vulgares istos compescet amores.
Nec noua quærendo semper amicus eris.
Hæc ego non rumore malo, non augure doctus,
Vidi ego. me, quæso, teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere iniectis, Galle, diu manibus:
Et cupere optatis animam deponere verbis.
C *Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.*
Non ego complexus potui diducere vestros.
Tantus erat demens inter vtrosque furor.
Non sic Aemonio Salmonida mixtus Enipeo,
Tænarius facili pressit amore Deus:
Nec sic cœlestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oetæis gaudia prima iugis.
Vna dies omneis potuit præcurrere amantes,
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.
Nec tibi præteritos passa est succedere fastus,
Nec sinet abduci. te tuus ardor aget.
Nec mirum, quum sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu gratior vna tribus
Illa sit Inachiis. & blandior Heroinis,
D *Illa suis verbis cogat amare Iouem.*
Tu vero quoniam semel es periturus amore,
Vtere. non alio limine dignus eras.
Quæ tibi sit felix, quoniam nouus incidit error.
Et quodcunque voles, vna sit ista tibi.

TV *licet abiectus Tiberina molliter vnda* Pagina 607.
Lesbia Mentoreo vina bibas opere:
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
Et modo tam tardas funibus ire rates:
Et nemus omne satas intendat vertice siluas,
Vrgetur quantis Caucasus arboribus:
Non tamen ista meo valeant contendere amori.
Nescit Amor magnis cedere diuitiis.
E *Nam sine optatam mecum trahit illa quietem,*
Seu facili totum ducit amore diem:
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub æquoribus.
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges.
Quæ maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis diuitiis aduerso gaudet amore?
Nulla mihi tristi præmia sint Venere.
Illa potest magnas heroum infringere vires.
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit conscendere limen,

Nec timet ostrino, Tulle, subire toro,
Et miserum toto iuuenem versare cubili.
Quid releuant variis serica textilibus?
Quæ mihi dum placata aderit, non vlla verebor
Regna, vel Alcinoi munera despicere.

Pagina 607. SÆPE ego multa tuæ leuitatis dura timebam,
Hac tamen excepta, Cynthia, perfidia.
Adspice me quanto rapiat Fortuna periclo.
Tu tamen in nostro lenta timore venis:
Et potes externos manibus componere crines,
Et longa faciem quærere desidia:
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Vt formosa nouo quæ parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleuerat æquoribus.
Multos illa dies incomptis mœsta capillis
Sederat iniusto multa locuta salo,
Et, quamuis nunquam posthac visura dolebat,
Illa tamen longæ conscia lætitiæ.
Alphesibœa suos vlta est pro coniuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit Amor.
Nec sic Aesonidem rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Vt semel Aemonio tabuit hospitio.
Coniugis Euadne miseros elata per ignes
Occidit Argiuæ fama pudicitiæ.
Quarum nulla tuos potuit conuertere mores,
Tu quoque vti fieres nobilis historia.
Desine iam reuocare tuis periuria verbis
Cynthia, & oblitos parce mouere Deos.
Audax ah nimium, nostro dolitura periclo,
Si quid forte tibi durius inciderit.
Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus & inuersas duxerit ante vices:
Quam tua sub nostro mutetur pectore cura,
Sis quodcunque voles, non aliena tamen:
Quamne mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est,
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Vt tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hoc attollere solem?
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum inuitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditiis.

Pagina 610. QVÆ fueram magis olim patefacta triumphis
Ianua Tarpeiæ nota pudicitiæ,
Cuius inaurati celebrarunt limina currus
Captorum lacrimis humida supplicibus:
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis
Pulsata indignis sæpe queror manibus.
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, & exclusi signa iacere faces.
Nec possum infamis dominæ defendere noctes
Nobilis obscœnis tradita carminibus.
Nec tamen illa suæ reuocatur parcere famæ,
Turpior & sæcli viuere luxuria.
Has inter grauius cogor deflere querelas
Supplicis à longis tristior excubiis.
Ille meos nunquam patitur requiescere postes,
Arguta referens carmina blanditia:
A Ianua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Quur nunquam reserata meos admittis amores
Nescia furtiuas reddere mota preces?
Nulláne finis erit nostro concessa dolori?
Tristis & intepido limine somnus erit?
Me mediæ noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidáque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos nunquam miserata labores
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O vtinam traiecta caua mea vocula rima,
Percussas dominæ vertat in auriculas.
Sit licet & saxo patientior illa Sicano,
Sit licet & ferro durior, & chalybe:
B Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget & inuitis spiritus in lacrimis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto.
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei tu maxima caussa doloris
Victa meis nunquam, ianua, muneribus.
Te non vlla meæ læsit petulantia linguæ
Quæ solet iratus dicere tuta loco:
Vt me tam longa raucum patiare querela
Sollicitas triuio peruigilare moras.
At tibi sæpe nouo deduxi carmina versu,
Osculáque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quoties verti me perfida postes,
Debitáque occultis vota tuli manibus?
C Hæc ille, & si quæ miseri nouistis amantes,
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominæ vitiis, & semper amantis
Fletibus æterna differor inuidia.

ET merito, quoniam potui fugisse puellam, Pagina 612.
Nunc ego desertas alloquor Alcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam.
Omniáque ingrato litore vota cadunt.
Quinetiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti,
Aspice quam sæuas increpat aura minas.
Nulláne placata veniet fortuna procella?
Hæccine parua meum funus arena teget?
D Tu tamen in melius sæuas conuerte querelas.
Sat tibi sit pœnæ nox, & iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
Ossáque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat quicunque rateis, & vela parauit
Primus, & inuito gurgite fecit iter.
Nonne fuit melius dominæ peruincere mores?
Quamuis dura tamen rara puella fuit:
Quam sic ignotis circundata litora siluis
Cernere, & optatos quærere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelirent fata dolorem,
Vltimus & posito staret amore lapis:
E Illa meo caros donasset funere crines:
Molliter & tenera poneret ossa rosa.
Illa meum extremo clamasset puluere nomen,
Vt mihi non vllo pondere terra foret.
At vos æquoreæ formosa Doride natæ
Candida felici soluite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit vndas,
Mansuetis socio parcite litoribus.

HÆC certe deserta loca, & taciturna querenti, Pagina 614.
Et vacuum Zephyri possidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,

Si modo sola queant saxa tenere fidem.
Vnde tuos primum repetam, mea Cynthia, fastus?
Quod mihi das flendi, Cynthia, principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?
An noua tristitiæ causa puella tua?
Sic mihi te referas leuis, vt non altera nostro
Limine formosos intulit vlla pedes.
Quamuis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita sæua tamen venerit ira mea:
Vt tibi sim merito semper furor, & tua flendo
Lumina deiectis turpia sint lacrimis.
An quia parua damus mutato signa calore?
Et non vlla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata Deo.
Ah quoties teneras resonant mea verba sub vmbras,
Scribitur & vestris Cynthia corticibus.
An, tua quod peperit nobis iniuria curas,
Quæ solum tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consueui timidus perferre superbæ
Iussa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo, Di, viui fontes, & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies.
Et, quodcunque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aues.
Sed qualiscunque es, resonant mihi, Cynthia, siluæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacant.

NON *ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes,*
Nec moror extremo debita fata rogo.
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore.
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeo leuiter nostris puer hæsit ocellis,
Vt meus oblito puluis amore vacet.
Illic Phylacides iucundæ coniugis heros
Non potuit cæcis immemor esse locis:
Sed cupidus falsis attingere gaudia palmis
Thessalus antiquam venerat vmbra domum.
Illic quicquid ero, semper tua dicar imago.
Traiicit & fati litora magnus amor.
Illic formosæ veniant chorus heroinæ,
Quas dedit Argiuis Dardana præda viris,
Quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
Gratior & tellus hoc ita iusta sinat.
Quamuis te longæ remorentur fata senectæ,
Cara tamen lacrimis ossa futura tuis,
Quæ tu viua mea possis sentire fauilla.
Tum mihi non vllo mors sit amara loco.
Quam vereor, ne te contempto, Cynthia, busto,
Abstrahat à nostro puluere iniquus Amor:
Cogat & inuitam lacrimas siccare cadentes.
Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos lætemur amantes.
Non satis est vllo tempore longus amor.

Pagina 620. HOC *pro continuo te, Galle, monemus amore.*
Id tibi ne vacuo defluat ex animo.
Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti
Crudelis Minyis dixerit Ascanius.
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar
Thiodamanteo proximus ardor Hylæ.
Nunc tu siue leges vmbrosæ flumina siluæ,
Siue Amerina tuos tinxerit vnda pedes:
Siue Gigantea spatiabere litoris ora,
A *Siue vbicunque vago fluminis hospitio:*
Nympharum semper cupidas defende rapinas.
Non minor Ausoniis est amor ab Dryasin.
Ne tibi sit duro montes & frigida saxa,
Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleuerat Ascanio.
Namque ferunt olim Pegasæ naualibus Argo
Egressam longe Phasidos isse viam,
Et iam præteritis labentem Athamantidos vndis
Mysorum scopulis adplicuisse ratem.
Hic manus heroum placidis vt constitit oris,
Mollia composita litora fronde tegit,
B *At comes inuicti iuuenis processerat vltra*
Raram sepositi quærere fontis aquam.
Hunc duo sectati fratres aquilonia proles.
Hunc super & Zethes, hunc super & Calais
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula & alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submouet insidias.
Iam Pandioniæ cessit genus Orithyiæ:
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganthi Pega sub vertice montis
Grata domus Nymphis humida Thyniasin.
Quam supra nullæ pendebant debita curæ
C *Roscida desertis poma sub arboribus.*
Et circumriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mista papaueribus.
Quæ modo decerpens tenero pueriliter vngui.
Proposito florem prætulit officio.
Et modo formosis incumbens nescius vndis
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
Innixus dextro plena trahens humero.
Cuius & accensæ Dryades candore puellæ
Miratæ solitos destituere choros.
Prolapsum leuiter facili traxere liquore.
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa. sed illi
D *Nomen ab extremis fontibus aura refert.*
His, ô Galle, tuos monitus seruabis amores,
Formosum Nymphis credere tutus Hylam.

TV*, qui consortem properas euadere casum,* Pagina 621.
Miles ab Hetruscis saucius aggeribus:
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te seruato possint gaudere parentes,
Hæc soror Acca tuis sentiat è lacrimis,
Gallum per medios ereptum Cæsaris enses
Effugere ignotas non potuisse manus.
Et quæcunque super dispersa inuenerit ossa
Montibus Hetruscis, hæc sciat esse mea.

E QVALIS, *& vnde genus, qui sint mihi, Tulle, penates:* Pagina 621.
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra
Italiæ duris funera temporibus,
Quum Romana suos egit discordia ciues
(Sis mihi præcipue puluis Hetrusca dolor.
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa solo:)
Proxima supposito contingens Vmbria campo
Me genuit, terris fertilis vberibus.

SEXTI AVRELII

PROPERTII

LIBER II.

Pagina 628.

QVÆRITIS vnde mihi toties scribantur amores?
Vnde meus veniat mollis in ore liber?
Non hoc Calliope, non hoc mihi cantat Apollo.
Ingenium nobis ipsa puella facit. A
Siue togis illam fulgentem incedere Cois,
Hoc totum è Coa veste volumen erit.
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis.
Siue lyræ carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, faciles vt premat arte manus.
Seu quum poscentes somnum declinat ocellos,
Inuenio caussas mille poeta nouas.
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc vero longas condimus Iliadas.
Seu quicquid fecit, siue est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Mecœnas, fata dedissent,
Vt possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, vt cœli Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis & imperio bina coisse vada:
Regnave prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorúmque minas, & benefacta Mari.
Belláque, résque tui memorarem Cæsaris. & tu
Cæsare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut ciuilia busta Philippos,
Aut canerem Siculæ classica bella fugæ:
Euersósque focos antiquæ gentis Hetruscæ,
Et Ptolemæaeæ litora capta Phari:
Aut canerem Aegyptũ, & Nilũ, quum tractus in vrbẽ
Septem captiuus debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circundata colla catenis,
Actiáque in Sacra currere rostra via:
Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta, & posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.
Sed neque Phlegræos Iouis, Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus.
Nec mea conueniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen auos.
Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oues,
Nos contra angusto versamus prælia lecto.
Qua pote quisque in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori. laus altera, si datur vno
Posse frui. fruar ô solus amore meo,
His saltem vt tenear iam finibus: aut, mihi siquis
Veneris alter amor, acrius vt moriar.
B *Si memini, solet illa leues culpare puellas:*
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sint tangenda nouercæ pocula Phædræ,
Pocula priuigno non nocitura suo:
Seu mihi Circæo pereundum est gramine, siue
Colchis Colchiacis vrat aena focis:
Vna meos quoniam prædata est fœmina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores.
Solus Amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides.
Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.
Mysus & Hæmonia iuuenis qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem,
C *Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus*
Tantaleæ poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleuerit vrnis,
Ne tenera assidua colla grauentur aqua.
Idem Caucasea soluet de rupe Promethei
Brachia, & à medio pectore pellet auem.
Non hic herba valet: non hic nocturna Cytæis:
Non Perimedea gramina cocta manu.
Quippe vbi nec caussas, nec apertos cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala, cæca via est.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger.
Huic nullum cœli tempus, & aura nocet.
Ambulat, & subito mirantur funus amici.

Sic est incautum quicquid habetur amor.
Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breue in exiguo marmore nomen ero:
Mecœnas nostræ spes inuidiosa iuuentæ,
Et vitæ & mortis gloria iusta meæ:
Si te forte meo ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna iugis.
Taliáque illacrimans mutæ iace verba fauillæ:
Huic misero fatum dura puella fuit.

Pagina 635. QVI *nihilum tibi dicebas iam posse nocere,*
Hæsisti. cecidit spiritus ille tuus.
Vix vnum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te iam liber alter erit.
Liber eram, & vacuo quærebam viuere lecto.
At me composita pace fefellit Amor.
Quærebam sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto viuere toruus aper,
Aut ego si possem studiis vigilare seueris.
Differtur, nunquam tollitur vllus amor.
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Mox venit adsueto mollis ad arua iugo:
Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua, & iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus
Cognitus Iphicli subripuisse boues:
Quem non lucra, magis Pero formosa coëgit,
Mox Amythaonia nupta futura domo.
Nec me tam facies, quamuis sit candida, cepit.
Lilia non dominæ sint magis alba meæ:
Vt Mæotica nix minio si certet Hibero,
Vtque rosæ puro lacte natant folia:
Nec de more comæ per læuia colla fluentes,
Non oculi geminæ sidera nostra faces:
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.
Non sum de nihilo blandus amator ego.
Quantum quod posito formose saltat Iaccho,
Egit vt euantes dux Ariadna choros.
Et quantum, Aeolio quum tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyræ.
Et sua quum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carminaque æquauis non putat esse suis.
Num tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum sternuit omen amor?
Hæc tibi contulerunt cælestia munera diui,
Hæc tibi: ne matrem forte dedisse putes.
Non non humani sunt partus talia dona.
Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis vna es tu rara puellis.
Romano accumbes prima puella loco.
Nec semper mecum Romana cubilia vises.
Post Helenam hæc terris forma secunda redit.
Hac ego non mirer si flagret nostra iuuentus.
Pulchrius hac fuerat, Troia, perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europe, atque Asiæ caussa puella fuit.
Nunc, Pari, tu sapiens, & tu, Menelae, fuisti:
Tu, quia poscebas: tu, quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamus. belli caussa probanda fuit.
Siquis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in ante meam.
Siue illam Hesperiis, siue illam ostendet Eois,
Vret & Eoos, vret & Hesperios.
Quur hæc in terris facies humana moratur?
A *Iuppiter, ignosco pristina furta tua.*
Fulua coma est, longæque manus, & maxima toto
Corpore: & incedit vel Ioue digna soror:
Aut quum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis. Pagina 630.
Qualis & Ischomache Lapithæ genus heroine
Centauris medio grata rapina mero:
Mercurio & sanctis fertur Bœbeidos vndis
Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite iam, Diuæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicas ponere verticibus.
Hanc vtinam faciem nolit mutare vetustas,
B *Et si Cumææ sæcula vatis aget.*

MVLTA *prius dominæ delicta queraris oportet,* Pagina 637.
Sæpe roges aliquid, sæpe repulsus eas:
Et sæpe immeritos corrumpas dentibus vngues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede:
Nequicquam perfusa meis vnguenta capillis.
Ibat & expenso planta morata gradu.
Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis, amet ipse puellas.
Gaudeat in puero si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba.
C *Quid tibi tam parui litoris vnda nocet?*
Alter sæpe vno mutat præcordia verbo.
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

HOC *verum est tota te ferri, Cynthia, Roma,* Pagina 639.
Et non ignota viuere nequitia?
Hæc merui sperare? dabis mihi, perfida, pœnas.
Et nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.
Inueniam tamen è multis fallacibus vnam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit:
Nec mihi tam duris insultet moribus, & te
Vellicet. heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens, nunc est discedere tempus.
Si dolor absuerit, crede, redibit amor.
D *Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ,*
Nec dubio nubes vertitur atra Noto:
Quam facile irati verbo mutantur amantes.
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte dolebis.
Omne in amore malum, si patiare, leue est.
At tu per dominæ Iunonis dulcia iura
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solum taurus ferit vncis cornibus hostem;
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.
Nec tibi periuro scindam de corpore vestes,
Nec mea præclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
E *Nec duris ausim lædere pollicibus.*
Rusticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat,
Cuius non ederæ circumiere caput.
Scribam igitur quod non vnquam tua deleat ætas,
Cynthia forma potens, Cynthia verba leues.
Crede mihi, quamuis contemnas murmura famæ,
Hic tibi pallori, Cynthia, versus erit.

NON *ita complebant Ephyreæ Laidos ædes,* Pagina 642.
Ad cuius iacuit Græcia tota fores:
Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius:
Nec quæ deletas potuit componere Thebas

Phryne tam multis facta beata viris.
Quinetiam falsos finges tibi sæpe propinquos.
Oscula nec desunt qui tibi iure ferant.
Me iuuenum facies picta, me nomina lædunt,
Me tener in cunis, & sine voce puer:
Me lædit. si multa tibi dedit oscula, mater.
Me soror, &, cum qua dormit, amica simul:
Omnia me lædent. timidus sum. ignosce timori.
Et miser in tunica suspicor esse virum.
Felix Admeti coniunx, & lectus Vlyssis,
Et quæcunque viri fœmina limen amat.
Templa pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuiuis nuptæ quidlibet esse licet?
Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo:
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque suæ noluit esse rudes.
Ah gemat in terris ista qui protulit arte
Iurgia sub tacita condita lætitia.
Non istis olim variabant tecta figuris,
Quum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immerito velauit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba Deos.
Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil inuitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.

Pagina 643. GAVISA *est certe sublatam Cynthia legem,*
Qua quondam edicta flemus vterque diu,
Ne nos diuideret. quamuis diducere amanteis
Non queat inuitos Iuppiter ipse duos.
At magnus Cæsar, sed magnus Cæsar in armis.
Deuictæ gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quam possem nuptæ perdere amore faces,
Aut ego transirem tua limina clausa maritus
Respiciens vdis prodita luminibus.
Aut mea quum tales caneret tibi Cynthia somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba.
Vnde mihi patriis gnatos præbere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quod si Romanæ comitarent castra puellæ,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places. placeam tibi Cynthia solus:
Hic erit & patrio sanguine pluris amor.
Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica.
Semper amica mihi, semper & vxor eris.

Pagina 646. ERIPITVR *nobis iam pridem cara puella.*
Et tu me lacrimas fundere, amice, vetas?
Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ.
Ipsum me iugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est?
Hic olim ignaros luctus populauit Achiuos,
Atridæ magno quum stetit alter amor.
His olim, vt fama est, vitiis ad prælia ventum est,
His Troiana vides funera principiis.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in aduersum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor
Nutritus duro, Romule, lacte lupæ.
A *Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas.*
Per te nunc Romæ quodlibet audet amor.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fuga tractos in litore Achiuos,
Feruere & Hectorea Dorica castra face.
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, & sparsas cæde iacere comas,
Omnia formosam propter Briseida passus.
Tantus in erepto sæuit amore dolor.
At postquam sera captiua est reddita pœna,
Fortem illum Hæmoniis Hectora traxit equis.
B *Inferior multo quum sim vel Marte, vel armis,*
Mirum si de me iure triumphat amor?
Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni.
Et Thebæ steterunt, altáque Troia fuit.
Omnia vertuntur. certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis: hæc in amore rota est.
Iste quod est ego sæpe fui. sed forsit in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit. Pagina 648.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci?
Illa tamen nunquam ferrea dixit, amo.
Ergo iam multos nimium temerarius annos.
Improba, qui tulerim teque tuámque domum.
Ecquandone tibi liber sum visus? an vsque
In nostrum iacies verba superba caput?
C *Penelope poterat bis denos salua per annos*
Viuere, tam multis fœmina digna procis:
Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo:
Visura & quamuis nunquam speraret Vlyssem,
Illum expectando facta remansit anus.
Necnon exanimem amplectens Briseis Achillem,
Candida vesana verberat ora manu.
Et dominum lauit mœrens captiua cruentum,
** Appositum flauis in Simoenta vadis.**
Fœdauitque comas. & tanti corpus Achillis,
Maximáque in parua sustulit ossa manu.
Quum tibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro.
D *Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis.*
Tunc etiam felix inter & arma pudor.
At tu non vna potuisti nocte vacare
Impia: non vnum sola manere diem.
Quinetiam multo duxisti pocula luxu.
Forsitan & de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Di faciant isto capta fruare viro.
Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Quum capite hoc Stygiæ iam peterentur aquæ:
Et lectum flentes circumstaremus amici
Hic vbi tum, pro di, perfida, quisve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si staret nauis in Oceano?
E. *Sed vobis facile est verba, & componere fraudes.*
Hoc vnum didicit fœmina semper opus,
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto:
Quam cito fœminea non constat fœdus in ira,
Siue ea caussa grauis, siue ea caussa leuis.
Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor pueri promite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi soluite vitam.
Sanguis erit vobis maxima palma meus.
Sic igitur prima moriere ætate, Properti.

Sed morere. interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manes, sectetur & vmbras,
Insultétque rogis, calcet & ossa mea.
Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies, mecum moriaris oportet.
Hoc eodem telo stillet vterque cruor.
Quamuis ista mihi mors est inhonesta futura,
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.
Sidera sunt testes, & matutina pruina,
Et furtim misero ianua aperta mihi:
Te nihil in vita nobis acceptius vnquam.
Nunc quoque eris, quamuis sis inimica mihi.
Nec domina vlla meo ponet vestigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque vtinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.

NON *ob regna magis diris cecidere sub armis*
Thebani, media non sine matre, duces:
Quam, mihi si media liceat pugnare puella,
Mortem ego non fugiam morte subire tua.
Pagina 651. *Sed tempus lustrare aliis Helicona choreis,*
Et campum Hæmonio iam dare tempus equo.
Iam libet & fortes memorare ad prælia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit. in magnis & voluisse, sat est.
Aetas prima canat veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto grauior procedere vultu.
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili iam carmine, sumite vires
Pierides. magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equites post terga tueri
Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.
India quin, Auguste, tuo dat colla triumpho.
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et, si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas postmodo capta manus.
Hac ego castra sequar, vates tua castra canendo
Magnus ero. seruent hunc mihi fata diem.
Vt caput in magnis, vbi non est tangere, signis
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos, nunc inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia thura damus.
Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lauit amor.
Pagina 651. *Scribant de te alij, vel sis ignota licebit.*
Laudet qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, tecum vno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies.
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, Cinis hic, docta puella fuit.

Pagina 654. QVICVNQVE *ille fuit, puerum qui pinxit amorẽ,*
Nonne putas miras hunc habuisse manus?
Hic primum vidit sine sensu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostráque non vllis permanet aura locis.
A *Et merito hamatis manus est armata sagittis,*
Et pharetra ex humero Gnosia vtroque iacet:
Ante ferit quoniam, tuti quam cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago.
Sed certe pennas perdidit ille suas:
Euolat è nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduusque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio traiice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno:
Non ego, sed tenuis vapulat vmbra mea.
B *Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?*
Hæc mea Musa leuis gloria magna tua est,
Quæ caput, & digitos & lumina nigra puellæ,
Et canit, vt soleant molliter ire pedes.

NON *tot Achæmeniis armantur Susa sagittis,* Pagina 558.
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas,
Iussit & Ascræum sic habitare nemus.
Non vt Pieriæ quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras:
Sed magis vt nostro stupefiat Cynthia versu.
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
C *Non ego sum formæ tantum mirator honestæ:*
Nec si qua illustres fœmina iactat auos.
Me iuuat in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea.
Hæc vbi contigerint, populi confusa valeto
Fabula. nam domina iudice tutus ero.
Quæ si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Iouis.
Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quæ serues funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.
Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
D *Desit odoriferis ordo mihi lancibus. adsint*
Plebei paruæ funeris exequiæ.
Sat sit magna mei si tres sint pompa libelli:
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequare,
Nec fueris nomen lassa vocare meum.
Osculáque in gelidis pones suprema labellis,
Quum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde vbi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes paruula testa meos:
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.
Et duo sint versus, Qui nunc iacet horrida puluis,
E *Vnius hic quondam seruus Amoris erat.*
Nec minus hæc nostri notescet fama sepulchri,
Quam fuerant Phthij busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, memento
Hoc iter ad lapides cana venire meos.
Interea caue sis nos aspernata sepultos.
Non nihil ad verum conscia terra sapit.
Atque vtinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quæuis de tribus vna soror.
Nam quo tam dubiæ seruetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Quis tam longæuæ meminisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus?

Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
Diceret aut, O mors cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso non nunquam flebis amico.
Fas est præteritos semper amare viros.
Testis, qui niueum quondam percussit Adonem
Venantem Idalio vertice durus aper.
Illis formosum lauisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu Venus isse coma.
Sed frustra mutos reuocabis, Cynthia, manes.
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

Pagina 660. NON *ita Dardanio gauisus Atrida triumpho est,*
Quum caderent magnæ Laomedontis opes:
Nec sic errore exacto lætatus Vlysses,
Quum tetigit caræ litora Dulichiæ:
Nec sic Electra, saluum quum aspexit Orestem,
Cuius falsa tenens fleuerat ossa soror:
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Dædaleum lino quum duce rexit iter:
Quanta ego præterita collegi gaudia nocte:
Immortalis ero, si altera talis erit.
At dum demissis supplex ceruicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi iam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque vtinam non tam sero mihi nota fuisset
Conditio. cineri nunc medicina datur.
Ante pedes cæcis lucebat semita nobis.
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis. contemnite amantes.
Sic hodie veniet, si qua negauit heri.
Pulsabant alij frustra, dominámque vocabant.
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Hæc mihi deuictis potior victoria Parthis.
Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam, Cytherea, columna,
Taléque sub nostro munere carmen erit:
Has pono ante tuam tibi, diua, Propertius ædem
Exuuias tota nocte receptus amans.
Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore nauis
Seruata, an mediis sidat onusta vadis,
(Quod, si forte aliqua nobis mutabere culpa)
Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

Pagina 662. O ME *felicem, ô nox mihi candida, & ô tu*
Lectule deliciis facte beate meis.
Quam multa apposita narramus verba lucerna?
Quantáque sublato lumine rixa fuit?
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis.
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lassos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit, siccine lente iaces?
Quam vario amplexu mutamus brachia? quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis?
Non iuuat in cæco venerem corrumpere motu.
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacæna,
Cum Menelaeo surgeret e thalamo.
Nudus & Endimion Phœbi cepisse sororem
Dicitur, & nudæ concubuisse deæ.
Quod si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste meas experiere manus.
Quinetiam si me vlterius prouexerit ira,
Ostendes matri brachia læsa tuæ.
Nec dum inclinatæ prohibent te ludere mammæ.

A *Viderit hoc, si quis iam peperisse putet.*
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque vtinam hærentes sic nos vincere catena
Velles, vt nunquam solueret vlla dies.
Exemplo iunctæ sic sint in amore columbæ,
Masculus & totum fœmina coniugium.
Errat, qui finem vesani quærit amoris.
Verus amor nullum nouit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros Sol agitabit equos:
Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores,
B *Aridus & sicco gurgite piscis erit:*
Quam possim nostros alio transferre calores.
Huius ero viuus, mortuus huius ero.
Quod mihi si tecum tales concedere noctes
Illa velit, vitæ longus & annus erit.
Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte vna quiuis vel Deus esse potest.
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra iacere mero:
Non ferrum crudele neque esset bellica nauis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare.
Nec toties propriis circum oppugnata triumphis,
Lassa foret crines soluere Roma suos.
C *Hæc certe merito poterunt laudare minores.*
Læserunt nullos pocula nostra Deos.
Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ.
Omnia si dederis oscula, pauca dabis.
Ac veluti folia arentes liquere corollas,
Quæ passim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

PRÆTOR *ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris,* Pagina 664.
Maxima præda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno.
Ah, Neptune, tibi qualia dona darem.
Nunc sine me plena fiunt conuiuia mensa.
D *Nunc sine me tota ianua nocte patet.*
Quare si sapis, oblatas ne desere messes:
Et stolidum pleno vellere carpe pecus,
Deinde vbi consumpto restabit munere pauper,
Dic alias iterum nauiget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores.
Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro, Venus ô, succurre dolori,
Rumpat vt assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quiuis mercatur amorem?
Iuppiter, indigna merce puella perit,
Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.
E *Atque vtinam Romæ nemo esset diues, & ipse*
Graminea posset dux habitare casa.
Nunquam venales essent ad munus amicæ,
Atque vna fieret cana puella domo.
Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
Candida tam fœdo brachia fusa viro:
Non quia peccaris testor te, sed quia vulgo
Formosis leuitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
Et subito felix nunc mea regna tenet.
Aspice quid donis Eriphyla inuenit amaris,
Arserit & quantis nupta Creusa malis.
Nullane sedabit nostros iniuria fletus?

An

An dolor hic vitiis nescit abesse suis?
Tot tam abiere dies, quum me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Musa iuuat.
Ah pudeat certe, pudeat: nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu compleuit inani
Actia damnatis æquora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Iussit, & externo quærere in orbe fugam.
Cæsaris hæc virtus, & gloria Cæsaris hæc est.
Illa qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascunque tibi vestes, quoscunque smaragdos,
Quósve dedit flauo lumine chrysolithos:
Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas.
Quæ tibi terra, velim, quæ tibi fiat aqua.
Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter, & surda negligit aure preces.
Vidistin' toto sonitus percurrere cælo?
Fulminaque æthereа desiluisse domo?
Non hæc Pleiades faciunt, neque aquosus Orion.
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam fleuit & ipse Deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis:
Vt timeas, quoties nubilus auster erit.
Pagina 667. *Mentiri noctem, promissis ducere amantem,*
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Expleui noctes, fractus vtroque toro.
Vel tu Tantalea moueare ad flumina sorte,
Vt liquor arenti fallat ab ore sitim,
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile vt toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est quod viuat amante,
Nec, modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem inuidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc iacere è duro corpus iuuat, impia, saxo,
Sumere & in nostras trita venena manus.
Nunc licet in triuiis sicca requiescere Luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamuis ita sit, dominam mutare cauebo.
Tum flebit, quum in me senserit esse fidem.

Pagina 669. ASSIDVÆ *multis odium peperere querelæ.*
Frangitur in tacito fœmina sæpe viro.
Siquid vidisti, semper vidisse negato.
Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quin ego deminuo curam, quod sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.
Quid si iam canis ætas mea caneret annis?
Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa iacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fouit in vlnis,
Quam prius abiunctos sedula lauit equos.
Illum ad vicinos quum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies,
Illa Deos, currum conscendens, dixit iniquos:
Inuitum & terris præstitit officium:
Cui maiora senis Tithoni gaudia viui,
Quam grauis amisso Memnone luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canæ toties oscula ferre comæ.
At tu etiam iuuenem odisti me perfida, quum sis
A *Ipsa anus haud longa curua futura die.*
Quum tibi nec frater, nec sit tibi filius vllus;
Frater ego, & tibi sim filius vnus ego.
Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.
An si cæruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?
Vt natura dedit, sic omnis recta figura.
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita suas vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri,
Mi formosa satis si modo sæpe venis.
B *Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,*
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famæ.
Et terram rumor transilit, & maria.

ETSI *me inuito discedis, Cynthia, Roma,* Pagina 671.
Lætor, quod sine me deuia rura colis.
Nullus erit castis iuuenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinit esse probam:
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamata somnus amarus erit.
Sola eris, & solos spectabis, Cynthia, montes,
Et pecus, & fines pauperis agricolæ.
C *Illic te nulli poterunt corrumpere ludi:*
Fanáque peccatis plurima caussa tuis.
Illic assidue tauros spectabis arantes,
Et vitem doctam ponere falce comas.
Atque ibi rara feres inculto thura sacello,
Hœdus vbi agrestes corruet ante focos.
Protinus & nuda choreas imitabere sura,
Omnia ab externo sint modo tuta viro.
Ipse ego venabor. iam nunc me sacra Dianæ
Suscipere, & Veneri ponere vota iuuat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipse monere canes:
Non tamen vt vastos ausim tentare leones,
Aut celer agrestes comminus ire sues.
D *Hæc igitur mihi sit lepores audacia molles*
Excipere, & stricto figere auem calamo:
Qua formosa suo Clitumnus flumina luco
Integit, & niueos abluit vnda boues.
Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solæ poterunt auertere siluæ,
Nec vaga muscosis flumina fusa iugis:
Quin ego in assidua mutem tua nomina lingua.
Absenti nemo non nocuisse velit.

QVID *fles abducta grauius Briseide? quid fles* Pagina 673.
Anxia captiua tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude Deôs, vesana, fatigas?
E *Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?*
Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis:
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrimas depluit à Sipylo.
Me licet æratis adstringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaes condita membra domo:
In te ego & æratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaes transiliámque domum.
De te, quodcunque ad surdas mihi dicitur aures,
Tu modo ne dubita de grauitate mea.

Ossa tibi iuro per matris, & ossa parentis:
(Si fallo, cinis heu sit mihi vterque grauis)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
Ambos vna fides auferet, vna dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset seruitium mite tenere tuum.
Septima iam plenæ deducitur orbita Lunæ:
Quum de me, & de te compita nulla tacent.
Interea nobis non nunquam ianua mollis,
Non nunquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox vlla est empta beatis.
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Quum te tam multi peterent, tu me vna petisti.
Possum ego naturæ non meminisse tuæ?
Tunc me vel tragicæ vexetis Erynnies, & me
Inferno damnes, Aeace, iudicio:
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur,
Tumque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
Vltima talis erit, quæ mea prima fides.
Hoc mihi perpetuo ius est, quod solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

Pagina 674.

AH quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus.
Sed tibi iam videor Dodona verior augur.
Vxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere. nihil pudet? adspice cantat
Liber. tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es. te ille superbus
Dicit se inuito sæpe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud, quam gloria de te
Quæritur. has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason.
Eiecta est. tenuit námque Creusa domum.
Sic à Dulichio iuuene est elusa Calypso.
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem præbere puellæ,
Discite desertæ non temere esse bonæ.
Huic quoque, qui restat, iam pridem quæritur alter,
Experta in primo stulta cauere potes.
Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum
Siue ægra pariter, siue valente sumus.

Pagina 677.

SCIS here mi multas pariter placuisse puellas,
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis,
O nimis exitio nata theatra meo.
Siue aliquis molli deducit candida gestu
Brachia, seu varios incinit ore modos.
Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli.
Candida non tecto pectore siqua sedet.
Siue vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quæ si forte aliquid vultu mihi dura negauit.
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?
Quod quæris, quare non habet vllus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
Vnicuique dedit vitium natura creato.
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur,
Nunquam ad formosas, inuide, cæcus ero,
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,

A *Falleris. haud vnquam est culta labore Venus.*
Percontere licet. sæpe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Iuppiter Alcmenæ geminas requieuerat arctos,
Et cœlum noctu bis sine rege fuit.
Nec tamen idcirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? quum è complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachæ lecto quum surgeret Hector?
Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros,
B *Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.*
Aspice vti cælo modo Sol, modo Luna ministret.
Sic etiam nobis vna puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foueátque lacertis,
Altera si quando non sinit esse locum.
Aut si forte irata meo sit facta ministro,
Vt sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula nauem,
Tutius & geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid iuuat in nullo pondere verba loqui?
Hic vnus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.
C *Quanta illum toto versant suspiria lecto,*
Quum recipi, quem non nouerit illa, vetat?
Et rursum puerum quærendo audita fatigat
Quem quæ scire timet, quærere plura iubet.
Cui fuit indocto fugienda hæc semita vulgi, Pagina 679.
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera seruo,
Vt commissa suæ verba ferat dominæ?
Et quærit toties, quænam nunc porticus illam
Integit? & campo quo mouet illa pedes?
Deinde vbi pertuleris quos dicit fama labores
Herculis, vt scribat muneris ecquid habes?
Et modo pauonis caudæ flabella superbæ,
Et manibus dura frigus habere pila:
D *Et cupit iratum talos me poscere eburnos,*
Quæque nitent Sacra vilia dona via.
Ah peream, si me ista mouent dispendia: verum
Fallaci dominæ iam pudet esse iocum.
Cernere vis possis vultum custodis auari,
Captus & immunda sæpe latere casa,
Quam care semel in toto nox vertitur anno?
Ah pereant, si quos ianua clausa iuuat.
Contra reiecto quæ libera vadit amictu,
Custodum & nullo septa timore, placet.
Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit,
Differet hæc nunquam, nec poscet garrula, quæ te
E *Astrictus ploret sæpe dedisse pater.*
Nec dicet, timeo, propera iam surgere, quæso:
Infelix. hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes
Me capiant. nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet:
Tu loqueris, quum sis iam noto fabula libro: Pagina 682.
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?
Cui non his verbis aspergat tempora sudor
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quod si tam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiæ dicerer esse caput.

Nec sic per totam infamis traducerer vrbem:
Vreret. & quamuis nomine, verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quærere viles.
Parcius infamant. num tibi caussa leuis?

Pagina 682.

HOC *erat in primis quod me gaudere iubebas?*
Tam te formosam non pudet esse leuem?
Vna aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam grauis esse tuo.
Me modo laudabas, & carmina nostra legebas.
Ille tuus pennas tam cito vertit amor?
Contendat mecum ingenio, contendat & arte,
In primis vna discat amare domo:
Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat:
Tetra venena libens, & naufragus ebibat vndas,
Et nunquam pro te deneget esse miser:
(Quos vtinam in nobis, vita, experiare labores)
Iam tibi de timidis iste proteruus erit,
Qui nunc se in tumidum iactando venit honorem.
Dissidium vobis proximus annus erit.
Dura est, quæ multis simulatum ducit amorem,
Et se plus vni siqua parare potest.
At me non ætas mutabit tota Sibyllæ.
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices, Ossa, Properti,
Hæc tua sunt. eheu tu mihi certus eras.
Certus eras eheu, quamuis nec sanguine auito
Nobilis, & quamuis non ita diues eras.
Nil ego non patiar. nunquam me iniuria mutat.
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego, non paucos ista periisse figura.
Credo ego, sed multos non habuisse fidem.
Paruo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon: hospes vterque malus.
Iam tibi Iasonia nota est Medea carina,
Et modo seruato sola relicta viro.
Noli nobilibus, noli conferre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus. sed tu potius, precor, vt me
Demissis plangas pectore nuda comis.

Pagina 685.

Vnica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea, sæpe venis.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calue, tua venia: pace, Catulle, tua.
Miles depositis annosus secubat armis,
Grandæuique negant ducere aratra boues:
Putris & in vacua requiescit nauis arena,
Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
Siue ego Tithonus, siue ego Nestor ero.
Et si sæcla forent, antiquis grata puellis
Essem ego, quod nunc tu: tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt sæcula mores.
Vnusquisque sua nouerit ire via.
Nonne fuit satius duro seruire tyranno?
Et gemere in tauro, sæue Perille, tuo?
Gorgonis & satius fuit obdurescere vultu?
Caucasias etiam si pateremur aues?
Sed tamen obscura teritur rubigine mucro
Ferreus, & paruo sæpe liquore silex.
At nullo de me teritur sub limine amor, qui
Restat: & immerita sustinet aure minas.
Vltro contemtus rogat, & peccasse fatetur
Læsus, & inuitis ipse redit pedibus.
Tu quoque qui pleno fastus assumis amore

A *Credule, nulla diu fœmina pondus habet.*
An quisquam in mediis persoluit vota procellis,
Quum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit præmia cursu,
Septima quam metam triuerit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi.
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamuis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamuis te persæpe vocet, semel ire memento.
Inuidiam quod habet, non solet esse diu.
B *At vos, qui officia in multos reuocatis amores,*
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor.
Vidistis pleno teneram candore puellam:
Vidistis fusco. ducit vterque color.
Vidistis quandam Argiua prodire figura:
Vidistis nostras. vtraque forma rapit.
Illáque plebeio, vel sit sandicis amictu:
Hæc atque illa mali vulneris vna via est.
Quum satis vna tuis insomnia portet ocellis,
Vna sit & cuiuis fœmina multa mala.

Pagina 689.

VIDI *te in somnis fracta, mea vita, carina*
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quæcunque in me fueras mentita, fateri:
C *Nec iam humore graues tollere posse comas.*
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ouis.
Quam timui ne forte tuum mare nomen haberet,
Atque tua labens nauita fleret aqua.
Quæ tum ego Neptuno, quæ tum cum Castore fratri,
Quæque tibi excepi tum Dea Leucothoe?
At tu vix primas extollens gurgite palmas
Sæpe meum nomen iam peritura vocas.
Quod si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionij facta puella maris.
Et tibi præ inuidia Nereides increpitarent,
Candida Nisæe, cærula Cymothoe.
Sed tibi subsidio delphinum currere vidi,
D *Qui, puto, Arioniam vexerat ante lyram.*
Iamque ego conabar summo me mittere saxo,
Quum mihi discussit talia visa metus.
Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
Seruiat, & tota dicar in vrbe potens.
Non, si Cambysæ redeant, & flumina Crœsi,
Dicat: De nostro surge poeta toro.
Nam mea quum recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest.
Qui dare multa potest. multa & amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, & fidos vna aget aura duos.
Vnum litus erit sopitis, vnaque tecto
E *Arbor, & ex vna sæpe bibemus aqua.*
Et tabula vna duos poterit componere amantes.
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, sæuus licet vrgeat Eurus,
Veláque in incertum frigidus Auster agat.
Quicunque & venti miserum vexastis Vlyssem,
Et Danaum Euboico litore mille rates:
Et qui mouistis duo litora, quum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non vnquam desit ocellis,
Incendat nauem Iuppiter ipse licet.

Certe isdem nudi pariter iactabimur oris,
Me licet vnda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Ioui.
Testis Amymone, latices quum ferret in aruis
Compressa, & Lerne pulsa tridente palus.
Iam Deus amplexu votum persoluit. at illi
Aurea diuinas vrna profudit aquas.
Crudelem & Boream rapta Orithyia negauit.
Hic Deus & terras & maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec vnquam
Alternante vorans vasta Charybdis aqua.
Ipsáque sidera erunt nullis obscura tenebris.
Purus & Orion, purus & Hædus erit,
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.
Pagina 690. *At vos incertam mortales funeris horam*
Quæritis, & qua sit mors aditura via:
Quæritis & cælo Phœnicum inuenta sereno,
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala:
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos:
Et maris & terræ cæca pericla viæ.
Rursus & obiectum fletis capiti esse tumultum,
Quum Mauors dubias miscet vtrinque manus.
Præterea domibus flammam, domibúsque ruinam:
Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans nouit, quando periturus, & à qua
Morte, neque hic Boreæ flabra, neque arma timet.
Iam licet & Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat & infernæ tristia vela ratis:
Si modo clamantis reuocauerit aura puellæ,
Concessum nulla lege redibit iter.
Pagina 694. *IVPPITER affectæ tandem miserere puellæ.*
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus æstuat aer,
Incipit & sicco feruere terra cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina cæli:
Quam toties sanctos non habuisse Deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas.
Quicquid iurarunt, ventus, & vnda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus illa peræque
Præ se formosis inuidiosa Dea est.
An contemta tibi Iunonis templa Pelasgæ?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper, formosæ, non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi vexatæ per multa pericula vitæ,
Extremo veniet mollior hora die.
Io versa caput primos mugiuerat annos:
Nunc Dea, quæ Nili flumine vacca bibit.
Ino etiam prima terras ætate vagata est.
Hanc miser implorat nauita Leucothoen.
Andromede monstris fuerat deuota marinis.
Hæc eadem Persei nobilis vxor erat.
Callisto Arcadios errauerat vrsa per agros.
Hæc nocturna suo sidere vela regit.
Quod si forte tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturæ fata beata tuæ,
Narrabis Semelæ quo sit formosa periclo,
Credet & illa suo docta puella malo.
Et tibi Mæonias inter Heroidas omneis
Primus erit nulla non tribuente locus.
Nunc vtcunque potes fato gere saucia morem.
Et Deus, & durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit coniux ignoscere Iuno,
A *Frangitur & Iuno, si qua puella perit.*
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et iacet extincto laurus adusta foco.
Et iam Luna negat toties descendere cælo,
Nigráque funestum concidit omen auis.
Vna ratis fati nostros portabit amores
Cærula ad infernos velificata lacus.
Si non vnius, quæso miserere duorum.
Viuam, si viuet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego, Per magnum est salua puella Iouem.
Ante tuosque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
B *Narrabitque sedens longa pericla sua.*
Hæc tua, Persephone, maneat clementia, nec tu
Persephones coniux sæuior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum.
Pulchra sit in superis scilicet illa locis.
Vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae:
Et quot Iona tulit, vetus & quod Achaia formas,
Et Thebæ, & Priami diruta regna senis:
Et quæcunque erat in numero Romana puella,
Occidit. has omnes ignis auarus habet.
Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis.
Longius, aut propius mors sua quenque manet.
C *Tu quoniam es, mea lux, magno demissa periclo,*
Munera Dianæ debita redde choros.
Redde etiam excubias diuæ nunc, ante iuuencæ.
Votiuas noctes & mihi redde decem.
HESTERNA, mea lux, quum potus nocte vagarer, Pagina 696.
Nec me seruorum duceret vlla manus,
Obuia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat. hos vetuit me numerare timor.
Quorum alij faculas, alij retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant. quorum lasciuior vnus,
Arripite hunc, inquit. nam bene nostis eum.
Hic erat hunc mulier nobis irata locauit.
Dixit, & in collo iam mihi nodus erat.
D *Hic alter iubet in medium propellere. at alter,*
Intereat, qui nos non putat esse Deos.
Hæc te non meritum totas expectat in horas.
At tu nescio quas quæris, inepte, fores.
Quæ quum Sidoniæ nocturna ligamina mitræ
Soluerit, atque oculos mouerit illa graues:
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite iam, fratres. iam certos spondet amores.
Et iam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita me iniecto duxerunt rursus amictu.
I nunc, & noctes disce manere domi.
Mane erat, & volui, si sola quiesceret illa,
E *Visere. at in lecto Cynthia sola fuit.*
Obstupui. non illa mihi formosior vnquam
Visa, neque ostrina quum fuit in tunica.
Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Neu sibi, neve mihi quæ nocitura forent.
Talis visa mihi somno demissa recenti.
Heu quantum per se candida forma valet.
Quid tu matutinus, ait, speculator amicæ,
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis. sat erit mihi cognitus vnus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non vlla toro vestigia presso,
Signa voluptatis nec iacuisse duos.

Aspice vt in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, & opposita propellens suauia dextra,
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custode reclùdor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Pagina 699. Q*VÆRIS, cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi*
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in species Pœnis digesta columnis:
Inter quas Danai fœmina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis
Quattuor artificis viuida signa boues.
B *Tum medium clario surgebat marmore templum,*
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valuæ Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem Deus ipse, intérque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.
Illic adspicias scopulis hærere sorores,
Et cauere antiqui dulcia furta Iouis:
Vt Semele est combustus, vt est deperditus Io.
Denique vt ad Troiæ tecta volarit auis?
Pagina 704. *Qui videt, is peccat. qui non & viderit, ergo*
C *Non cupiet. facti crimina lumen habet.*
Quod si nemo extat, qui vicerit aliitis arma,
Communis culpæ cur reus vnus agor?
Vna contentum pudeat me viuere amica.
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit:
Mi nemo obiiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
Roscida muscosis antra tenere iugis.
Nec tu Virginibus reuerentia moueris ora.
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus:
Si tamen Oeagri quædam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.
Hic vbi me prima statuent in parte choreæ,
Et medius tecta cuspide Bacchus erit:
D *Tum capiti sacros patiar pendere corymbos.*
Nam sine te nostrum non valet ingenium.
Hoc vtinam spatiere loco, quodcunque vacabis,
Cynthia. sed tibi me credere turba vetat,
Quum videt accensis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre Deæ.
Nam quid Prænestis dubias, ô Cynthia, sortes?
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?
Curve te in Herculeum deportant esseda Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?
Scilicet vmbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis,
Et creber pariter platanis surgentibus ordo.
E *Flumina sopito quæque Marone cadunt:*
Et leuiter nymphis tota crepitantibus vrbe,
Quum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris ista tui furtum via monstrat amoris.
Non vrbem, demens: lumina nostra fugis.
Quo fugis, ah demens? nulla est fuga. tu licet vsque
Ad Tanaim fugias, vsque sequetur amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aera dorso:
Nec, tibi si Persei mouerit ala pedes:
Vel, si te sectæ moueant talaribus auræ:
Nil tibi Mercurij proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput. instat amanti,
A *Et grauis ipse super libera colla sedet.*
Excubat ille acer custos, & tollere nunquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, Deus exorabilis ille est,
Si modo præsentes viderit esse preces.
Num iam, dura, paras Phrygias nunc ire per vndas,
Et petere Hyrcani litora nota maris?
Spargeréque alterna communes cæde penates,
Et ferre ad patrios præmia dira lares?
Nil agis. insidias in me componis inanes.
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minor est famæ iactura pudicæ.
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me lædit ad aures
B *Rumor, & in tota non bonus vrbe fuit.*
Sed te non debes inimicæ credere linguæ,
Semper formosis fabula pœna fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno.
Testis eris puras, Phœbe, videre manus.
Sin autem longo nox vna, aut altera luxu
Consumpta est, non me crimina parua mouent,
Ista senes licet accusent conuiuia duri.
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures.
Hic locus est, in quo tibia docta sones:
Quæ non iure vado Mæandri iacta natasti,
Turpia quum faceret Palladis ora tumor,
Tyndaris externo patriam mutauit amore,
C *Et sine decreto viua reducta domum est.*
Ipsa Venus quamuis corrupta libidine Martis,
Nec minus in cælo semper honesta fuit.
Quamuis Ida Parim pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes accubuisse Deam:
Hoc & Hamadryadum spectauit turba sororum.
Silenique senes, & pater ipse chori.
Cum quibus Idæo legisti poma sub antro
Supposita excipiens, Nai, caduca manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quærit
Cur hæc tam diues? quis dedit? vnde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores vna puella facit.
D *Hæc eadem hæc ante illam impune & Lesbia fecit.*
Quæ sequitur, certe est inuidiosa minus.
Qui quærit Tatios veteres, durósque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in vrbe locum.
Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altáque mortali deligere astra manu:
Quam facere vt nostræ nolint peccare puellæ.
Is mos Saturno regna tenente fuit.
Et quum Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum seruare pudicum?
Quæ Dea cum solo viuere sola Deo?
E *Vxorem quondam magni Minois, vt aiunt,*
Corrupit torui candida forma bouis.
Nec minus ærato Danae circundata muro,
Non potuit magno casta negare Ioui.
Quod si tu Graias, siue es imitata Latinas:
Semper viue meo libera iudicio.

T*RISTIA iam redeunt iterum solennia nobis.* Pagina
Cynthia iam noctes est operata decem. 708.
Atque vtinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quæ Dea tam cupidos toties diuisit amantes,
Quæcunque illa fuit, semper amara fuit.

Tu certe Iouis occultis in amoribus, Io,
Sensisti, multas quid sit inire vias:
Quum te iussit habere puellam cornua Iuno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora:
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iuppiter, idcirco facta superba Dea es?
An tibi non satis est fuscis Aegyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via est?
Quid tibi quid prodest viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.
Aut nos è nostra te sæua, fugabimus vrbe.
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuat.
At tu quæ nostro nimium placata dolori es,
Noctibus his vacui reficiamus iter.
Non audis, & verba sinis mea ludere: quum iam
Flectant Icarij sidera tarda boues.
Lenta bibis, mediæ nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat quicunque meracas repperit vuas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Icare Cecropiis merito iugulate colonis,
Pampineus, nosti, quam sit amarus odor.
Tu quoque, ô Eurytion, vino, Centaure, peristi,
Necnon Ismario tu, Polypheme, mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum, vt multo nihil es mutata Lyæo.
Iam bibe, formosa es, nil tibi vina nocent,
Quum tua præpendent demissa in pocula serta,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno,
Spumet & aurato mollius in calice:
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter.
Est quiddam, quod vos quærere cogat Amor.
Semper in absenteis felicior æstus amantes.
Eleuat assiduos copia longa viros.

Pagina 714.

CVR quisquam faciem dominæ iam credat Amori?
Sic erepta mihi pene puella mea est.
Expertus dico, nemo est in amore fidelis.
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille Deus cognatos, soluit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter.
Colchis & ignotum nonne secuta virum est?
Lynceu, tu ne meam potuisti tangere curam?
Perfide, nonne tuæ tunc cecidere manus?
Quid si non constans illa & tam certa fuisset?
Posses in tanto viuere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno:
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitæ, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus, amice, meis.
Lecto te solum, lecto te deprecor vno.
Riualem possum non ego ferre Iouem.
Ipse meas solus, quod nil est, æmulor vmbras,
Stultus, quod stulto sæpe timore tremo.
Vna tamen caussa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed nunquam vita me fallet ruga seueræ.
Omnes iam norunt, quam sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores.
Solum te nostros lætor adire Deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit? aut rerum dicere posse vias?

A Aut quid * Cretæi tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuuat in magno vester amore senex.
Tu satius musis meliorem imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Non rursus licet Aetoli referas Acheloi
Fluxerit vt magno factus amore liquor.
Atque etiam vt Phrygio fallax Mæandria campo
Errat, & ipsa suas decipit vnda vias.
Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arion,
Tristis ad Archemori funera victor equus.
Non non Amphiaraeæ tibi fata quadrigæ
Prosint, aut Capanei grata ruina Ioui.
Desine Achilleo componere verba cothurno,
Desine, & ad molles membra resolue choros.
B Incipe iam angusto versus componere torno.
Inque tuos ignes, dure poeta, veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.
Despicit & magnos recta puella deos.
Sed non ante grauis taurus succumbit aratro,
Cornua quam validis hæserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen à nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis Luna laboret equis:
Nec si post Stygias aliquid restauerit vndas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Aspice me, cui parua domi fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus aui:
C Vt regnem mistas inter conuiua puellas
Hoc, ego quo tibi nunc eleuor, ingenio.
Me iuuet hesternis positum languere corollis,
Quem tetigit iactu certus ad ossa Deus.
Actia Vergilium custodis litora Phœbi,
Cæsaris & fortes dicere posse rates:
Qui nunc Aeneæ Troiani suscitat arma,
Iactáque Lauinis mœnia litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graij.
Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis vmbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus:
D Vtque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus & impressis hædus ab vberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores,
Huic licet ingratæ Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delitias.
Quamuis ille suam lassus requiescat auenam,
Laudatur facileis inter Hamadryadas.
Tu canis Ascræi veteris præcepta poetæ,
Quo seges in campo, quo viret vua iugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen hæc vlli venient ingrata legenti,
E Siue in amore rudis, siue peritus erit.
Nec minor his animis, nec se minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Hæc quoque perfecto ludebas Iasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.
Hæc quoque lasciui cantarunt scripta Catulli,
Lesbia queis ipsa notior est Helena.
Hæc etiam docti confessa est pagina Calui,
Quum caneret miseræ funera Quintiliæ.
Et modo formosa qui multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lauit aqua.
Cynthia quinetiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere fama volet.

SEXTI AVRELII

PROPERTII

LIBER III.

Pagina 719.

ALLIMACHI manes & Coi sacra Philetæ
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quove pede ingressi, quamve bibistis aquam.
Ah valeat Phœbum quicunque moratur in armis:
Exactus tenui pumice versus eat.
Quo me fama levat terra sublimis, & à me
Nata coronatis Musa triumphat equis,
Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
Scriptorumque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere lata via.
Multi, Roma, suas laudes annalibus addent,
Qui finem imperij Bactra futura canent.
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia, Pegasides, vestro date serta poëtæ.
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi quod vivo detraxerit invida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet honos,
Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exequiis nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminàque Hæmonio comminus isse viro?
Idæum Simoenta Iovis cunabula parvi?
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobúmque, Helenumq; & Polydamãta sine armis,
Qualemcunque Parin vix sua nosset humus,
Exiguo sermone fores nunc, Ilion, & tu
Troia bis Oetæi numine capta Dei.
Necnon ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Meque inter seros laudabit Roma nepotes,
Illum post cineres auguror esse diem.

A Ne mea contemto lapis indicet ossa sepulchro
Provisum est, Lycio vota probante Deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat ut soluto tacta puella sono.
Orphea detenuisse feras, & concita dicunt Pagina 721.
Flumina Threicia detenuisse lyra.
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quinetiam, Polypheme, fera Galatea sub Aetna
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur nobis & Baccho & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit,
Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes,
B Nec mea Phæacas æquant pomaria silvas,
Non operosa rigat Martius antra liquor:
At Musæ comites, & carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata meo si qua es celebrata libello,
Carmina erunt formæ tot monimenta tuæ.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti;
Nec Iovis Elæi cælum imitata domus:
Nec Mausolei dives fortuna sepulchri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab ævo
Excidet, ingenio stat sine morte decus.

C VISUS eram molli recubans Heliconis in umbra, Pagina 725.
Bellerophontei qua fluit humor equi:
Reges, Alba, tuos, & regum facta tuorum
Tantum operis nervis hiscere posse meis:
Parváque iam magnis admoram fontibus ora,
Unde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiáque Aemilia vecta tropæa rate,
Victorisque moram Fabij, pugnámque sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota Deos,
Hannibalémque Lares Romana sede fugantes,
Anseris & tutum voce fuisse Iovem:

Quum me Castalia speculans ex arbore Phœbus
Sic ait aurata nixus ad antra lyra,
Quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hic vlla tibi speranda est fama, Properti.
Mollia sunt paruis prata terenda rotis,
Vt tuus in scamno iactetur sæpe libellus,
Quem legat expectans sola puella virum.
Cur tua præscriptos euecta est pagina gyros?
Non est ingenij cymba grauanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas,
Tutus eris. medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
Qua noua muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebántque cauis tympana punicibus.
Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami, Pan Tegeæe, tui,
Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu,
Diuersaque nouem sortita iura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc ederas legit in thyrsos, hæc carmina neruis
Aptat, & illa manu texit vtraque rosam,
E quarum numero me contigit vna dearum.
Vt reor à facie, Calliopea fuit.
Contentus niueis semper vectabere cygnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco præconia classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus:
Aut quibus in campis Mariano prælia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes,
Barbarus aut Sueuo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aqua:
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnaque canes ebria signa fugæ.
Vt per te clausas sciat excantare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque à fonte petitis,
Ora Philotea nostra rigauit aqua.

Pagina 732.

ARMA Deus Cæsar dites meditatur ad Indos
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces. parat vltima terra triumphos.
Tigris, & Euphrates sub tua iura fluent.
Sera sub Ausoniis veniet prouincia virgis.
Assuescent Latio Partha trophæa Ioui.
Ite agite expertæ bello date lintea proræ,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omina fausta cano. Crassos, cladésque piate:
Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit, precor, illa dies:
Qua videam spoliis onerato Cæsaris axe
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.
Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam.
Tela fugacis equi, & braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serua Venus. hoc sit in æuum,
Cernis ab Aenea quod superesse caput.
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores:
Me sat erit Sacra plaudere posse via.
Pacis Amor Deus est, pacem veneramur amantes.
Stant mihi cum domina prælia dura mea.

A Nec tamen inuiso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit è gemma diuite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser æra peto classe, Corinthe, tua.
O prima infelix fingenti terra Prometheo.
Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum ventis iactamur, & hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma noua.
Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas.
Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.
B Victor cum victis pariter miscebitur vmbris.
Consule cum Mario capte Iugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parca quæ venit apta die.
Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,
Musarúmque choris implicuisse manus.
Me iuuat & multo mentem vincere Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque vbi iam venerem grauis interceperit ætas,
Sparserit integras alba senecta comas:
Tum mihi Naturæ libeat perdiscere mores,
Quis Deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit. vnde coactis
Cornibus in plenum menstrua Luna redit.
C Vnde salo superant venti. quid flamine captet
Eurus, & in nubes vnde perennis aqua:
Sit ventura dies mundi quæ subruat arces,
Purpureus pluuias cur bibit arcus aquas:
Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis:
Cur serus versare boues, & plaustra Bootes:
Pleiadum spisso cur coit igne chorus:
Curve suos fines altum non exeat æquor,
Plenus & in partes quattuor annus eat:
Sub terris sint iura Deum & tormenta Gigantum,
Tisiphones atra si sugit angue caput:
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut ieiunia Phinei:
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas:
D Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus & Tityo iugera pauca nouem:
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud vltra, quam rogus, esse potest.
Exitus hic vitæ superest mihi. Vos quibus arma
Grata magis, Crassi signa referte domum.

DIC mihi de nostra, quæ sentis vera puella: Pagina 735.
Sic tibi sint dominæ, Lygdame, dempta iuga:
Dum me lætitia tumefactum fallis inani,
Hæc referens, quæ me credere velle putas.
Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Maiorémque timens seruus habere fidem.
Nunc mihi si qua tenes, ab origine dicere prima
E Incipe. suspensis auribus ista bibam.
Sicccine eam incomptis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti, Lygdame, lecto?
Ornabat niueas nullave gemma manus?
Ac mœstam teneris vestem pendere lacertis?
Scriniáque ad lecti clausa iacere pedes?
Tristis erat domus? & tristes sua pensa ministræ
Carpebant? medio nebat & ipsa loco?
Humidáque impressa siccabat lumina lana?
Rettulit & querulo iurgia nostra sono?

Hæc te teste mihi promissa est, Lygdame, merces?
Est pœna seruo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
Ac qualem nulla dicere habere domo?
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
Si placet insultet, Lygdame, morte mea.
Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.
Staminea rhombi ducitur ille rota.
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exectis anguibus ossa trahunt.
Et strigis inuentæ per busta iacentia plumæ,
Cinctáque funesto lanea vitta viro.
Si non vana canunt mea somnia, Lygdame, testor:
Pœna erit ante meos sera, sed ampla pedes.
Putris & in vacuo texetur aranea lecto.
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quæ tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus, Lygdame, curre via:
Et mea cum multis lacrimis mandata reporta:
Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni.
Iurabo & bis sex integer esse dies.
Quod mihi si tanto felix concordia bello
Extiterit, per me, Lygdame, liber eris.

Pagina 739. ERGO sollicitæ tu caussa, pecunia, vitæ es.
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes.
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Patum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano terque quaterque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit æuo,
Et noua longinquis piscibus esca natat.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Quum moribunda niger clauderet ora liquor:
Di maris, Ægeo quos sunt penes æquora ponti,
Et quæcunque meum degrauat vnda caput:
Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Adtulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser, Alcyonum scopulis adfigar acutis.
In me cæruleo fuscina sumpta Deo est.
Ad saltem Italiæ regionibus aduehat æstus.
Hoc de me, sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus:
Vltima quæ Pæto noxque diesque fuit.
Pæte, quid ætatem numeras? quid cara natanti
Mater in ore tibi est? non habet vnda Deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Et mater non iusta piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos.
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ.
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?
Portabat sanctos alueus ille viros.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu nocturno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso subponere brachia mento.
Non poterat vestras ille grauare manus.
Reddite corpus humo, positáque in gurgite vita
Pætum sponte tua vilis arena tegas.
Vt, quoties Pæti transibit nauta sepulchrum,
Dicat: Et audaci tu timor esse potes.

A Ite rates curuæ, & leti texite caussam.
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat, fatis adiecimus vndas.
Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas cui sua terra parum est?
Natura insidians pontum substrauit auaris.
Vt tibi succedat, vix semel esse potest.
Ventorum est quodcunque paras, haud vlla carina
Consenuit, fallit portus & ipse fidem.
Sunt Agamemnonias testantia litora curas,
Quæ notat Argyni pœna natantis aqua.
Hoc iuuene amisso classem non soluit Atrides.
B Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Saxa triumphales fregere Caphareа puppes,
Naufraga quum vasto Græcia tracta salo est.
Paulatim socium iacturam fleuit Vlysses,
In mare cui soli non valuere doli.
Hunc paruo ferri vidit nox improba ligno.
Pætus vt occideret, tot coiere mala.
Non tulit huic pectus stridorem audire procellæ,
Et duro teneras lædere fune manus:
Sed thyiæ thalamo, aut Oriciæ terebinthi
Effulto pluma versicolore caput.
Huic fluctus viuo radicitus abstulit vngues,
Et miser inuitam traxit hiatus aquam.
Quod si contentus patrio boue verteret agros,
C Verbáque duxisset pondus habere mea:
Viueret ante suos dulcis conuiua penates
Pauper, & in terra, nil vbi flere potest.
At tu, sæue Aquilo, nunquam mea vela videbis.
Ante fores dominæ condar oportet iners.

DVLCIS ad externas fuerat mihi rixa lucernas, Pagina
Vocis & insanæ tot maledicta tuæ. 742.
Cur furibunda mero mensam propellis, & in me
Proiicis insana cymbia plena manu?
Tu vero nostros audax inuade capillos.
Et mea formosis vnguibus ora nota.
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma.
D Fac mea rescisso pectore nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris.
Nam sine amore graui fœmina nulla dolet.
Quæ mulier rabida iactat conuicia lingua,
Et Veneris magnæ voluitur ante pedes:
Custodum gregibus circum se stipat euntem,
Seu sequitur medias Mænas vt acta vias:
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella monet:
His ego tormentis animi sum verus aruspex.
Nam didici certas sæpe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria versat.
Hostibus eueniat lenta puella meis.
In morso æquales videant mea vulnera collo.
E Me doceat liuor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem:
Siue meas lacrimas, siue videre tuas.
Tecta superciliis si quando verba remittis,
Aut tua quum digitis scripta silenda notas.
Odi ego quæ nunquam pungunt suspiria somnos.
Semper in iratam pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, quum grata per arma
Thyndaridi poterat gaudia ferre sua.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector:
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.

Aut tecum, aut pro te mihi cum riualibus arma
Semper erunt. in te pax mihi nulla placet.
Gaude quod nulla est æque formosa. doleres,
Si qua foret. nunc sis iure superba, licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto:
Sit socer æternum, nec sine matre domus.
Qui nunc si qua data est, furandæ copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

Pagina 746.
MÆCENAS *eques Hetrusco de sanguine regum,*
Intra fortunam qui cupis esse tuam:
Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas, capiti committere pondus:
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur illa iugo.
Gloria Lysippo est animosa effingere signa.
Exactis calamis se mihi iactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles.
Parrhasius parua vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ.
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno,
Praxitelem proprius vindicat arte lapis.
Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ,
Est quibus in celeres gloria nata pedes,
Hic satus ad pacem, hic castrensibus vtilis armis.
Naturæ sequitur semina quisque suæ.
At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi,
Cogor & exemplis te superare tuis.
Quum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro:
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum:
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes:
Parcis, & in tenues humilem te colligis vmbras,
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi, magnos æquabunt ista Camillos
Iudicia, & venies tu quoque in ora virum:
Cæsaris & famæ vestigia iuncta tenebis.
Mæcenatis erunt vera tropæa fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina.
Tota sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec semper prælia clade pari:
Nec referam Scæas, & Pergama Apollinis arces,
Et Danaum decimo vere redisse rates,
Mœnia quum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis, pure poeta, tuis.
Hæc current pueri, hæc current scripta puellæ,
Meque Deum clament, & mihi sacra ferant.
Te duce vel Iouis arma canam, cæloque minantem
Cœum, & Phlegræis Oromedonta iugis:
Celsaque Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo:
Eductosque pares siluestri ex vbere reges,
Crescet & ingenium sub tua iussa meum.
Prosequar & currus vtroque ab littore ouantes
Parthorum, astutæ tela remissa fugæ:
Castraque Pelusi Romano subruta ferro,
Antonijque graues in sua fata manus.

A *Mollis tu cœptæ fautor cape lora iuuentæ,*
Dexteráque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis. & à te est
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

MIRABAR *quidnam misissent mane Camœnæ* Pagina 748.
Ante meum stantes sole rubente torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
Ponat & in sicco molliter vnda minas.
Aspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobes lacrimas supprimat ipse lapis.
Alcyonum positis requiescant ora querelis.
B *Increpet absumptum nec sua mater Ityn.*
Tuque, ô cara, mihi felicibus edita pennis
Surge, & poscentes iusta precare Deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein qua primum oculos cœpisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput.
Et pete, qua polles, vt sit tibi forma perennis:
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas vbi thure piaueris aras,
Luxerit & tota flamma secunda domo:
Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murreus vngat onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
C *Et sint nequitiæ libera verba tuæ.*
Dulciáque ingratos adimant conuiuia somnos.
Publica vicinæ perstrepat aura viæ.
Sit sors & nobis talorum interprete iactu,
Quem grauibus pennis verberet ille puer.
Quum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus:
Annua soluamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

QVID *mirare, meam si versat fœmina vitam,* Pagina 755.
Et trahit addictum sub sua iura virum?
Criminàque ignaui capitis mihi turpia fingis,
D *Quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?*
Venturam melius præsagit nauita mortem.
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego præterita iactaui verba iuuenta.
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagranteis adamantina sub iuga tauros
Egit, & armigera prælia seuit humo:
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret vt Æsonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Mæotis Danaum Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudauit cassida frontem,
E *Vicit victorem candida forma virum.*
Omphale in tantum formæ processit honorem
Lydia Gygæo tincta puella lacu:
Vt qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt solidum cocto tolleret aggere opus.
Et duo in aduersum misit per mœnia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit & Eufratem medium, qua condidit arces,
Iussit & imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina diuos?

Iuppiter infamat seque, suámque domum.
Quid modo quæ nostris opprobria vexerit armis,
Et famulos inter fœmina trita suos,
Coniugis obscœni precium Romana poposcit
Mœnia, & addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandrina dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,
Tres vbi Pompeio detraxit arena triumphos,
Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.
Issent Phlegræo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi
Vna Philippeo sanguine inusta nota
Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanámque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi,
Fœdáque Tarpeio conopea tendere saxo,
Iura dare statuas inter & arma Mari.
Quid nunc Tarquinij fractas iuuat esse secures,
Nomine quem simili vita superba vocas,
Si mulier patienda fuit? cape, Roma, triumphum,
Et longam Augusto salue precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili.
Accepere tua Romula vincla manus.
Brachia spectaui sacris admorsa colubris:
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non hæc, Roma, fuit tanto tibi ciue verenda
Dixit & assiduo lingua sepulta mero.
Septem vrbs alta iugis, toto quæ præsides orbi,
Fœmineas timuit territa Marte minas.
Hannibalis spolia, & victi monumenta Siphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monimenta lacunis:
At Decius misso prælia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Et cui cognomen coruus habere dedit.
Hæc Dij condiderunt, hæc Dij quoque mœnia seruant.
Vix timeat saluo Cæsare Roma Iouem.
Nunc vbi Scipiadæ classes? vbi signa Camilli?
Aut modo Pompei Bosphora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit vna dies.
At tu siue petes portus, seu, nauita, linques:
Cæsaris in toto sis memor Ionio.

Pagina 757.

POSTVME *plorantem potuisti linquere Gallam?*
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantine vlla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis, auari,
Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen iniecta tectus, vesane, lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi:
Néue tua Meda lætentur cæde sagitta,
Ferreus aurato neu cataphractus equo:
Néue aliquid de te flendum referatur in vrna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater incasta felix, ô Postume, Galla.
Moribus his alia coniuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sis luxuriæ norma magistra tuæ?
Sed securus eas. Gallam non munera vincent,

A *Duritiæque tuæ non erit illa memor.*
Nam quocunque die sanum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter eris miranda coniuge Vlysses.
Non illi longa tot nocuere mora:
Castra decem annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustæque tuæ mox, Polypheme, genæ:
Et Circæ fraudes, lotósque, herbæque tenaces,
Scyllàque, & alternas scissa Charybdis aquas:
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuuencos,
(Pauerat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Aeææ flentis fugisse puellæ,
Totque hiemis noctes, totque natasse dies,
B *Nigrantésque domos animarum intrasse silentum;*
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renouasse procorum,
Errorisque sui sic statuisse modum.
Nec frustra, quia casta domi persederat vxor.
Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

QVÆRITIS *vnde auidis nox sit preciosa puellis,* Pagina 761.
Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certa quidem tantis caussa est manifesta ruinis:
Luxuriæ nimium libera facta via est.
Inda cauis aurum mittit formica metallis,
Et venit è rubro concha Erycina salo:
Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
C *Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.*
Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæque terunt fastus, Icarioti, tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrij nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reuerentia dandi:
Aut si qua est, precio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris vna maritis,
Quos Aurora suis rubra colorat equis.
Nanque vbi mortifero iacta est fax vltima lecto,
Vxorum fusis stat pia turba comis:
Et certamen habent leti, quæ viua sequatur
Coniugium. pudor est, non licuisse mori,
D *Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,*
Imponúntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella,
Nec fida Euadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuuentus,
Diuitiæ quarum messis, & arbor erant.
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis:
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia virgineos lucida per calathos:
Et portare suis vestitas frondibus vuas,
Aut variam plumæ versicoloris auem.
His tum blanditiis furtiua per antra puellæ
Oscula siluicolis empta dedere viris.
E *Hinuleí pellis totos operibat amantes,*
Altáque natiuo creuerat herba toro.
Pinus & incumbens latas circumdabat vmbras,
Nec fuerat nudas pœna videre deas.
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oues.
Dique, deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant versis verba secunda focis.
Et leporem quicunque venis venaberis, hospes,
Et si forte meo tramite quæris auem.
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato:

Siue petas calamo præmia, siue cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis.
Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Aurea nunc vere sunt secula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur limina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice diras
Gallica Parnasi sparsit in arma niues.
Te scelus accepto Thracis Polymnestoris auro
Nutrit in hospitio non Polydore, pio.
Tu quoque, vt auratos gereres, Eriphyla, lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque vtinam patriæ sim vanus aruspex:
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides. neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.
Sola Parim Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equum.
Ille furor patriæ fuit vtilis, ille parenti.
Experta est veros irrita lingua Deos.

Pagina 763. MVLTA *tuæ, Sparte, miramur iura palæstræ,*
Sed mage virginei tot bona gymnasij:
Quod non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros:
Quum pila veloci fallit per brachia iactu,
Increpat & versi clauis adunca trochi:
Puluerulentáque ad extremas stat fœmina metas,
Et patitur duro vulnera Pancratio:
Nunc ligat ad cestum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat:
Gyrum pulsat equis, niueum latus ense reuincit,
Virgineúmque cauo protegit ære caput.
Et modo Taygeti crines aspersa pruina
Sectatur patrios per iuga longa canes.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodoontess turba lauatur aquis.
Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis.
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse Deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triuiis ad latus esse suæ.
Nec timor, aut vlla est clausæ tutela puellæ,
Nec grauis austeri pœna cauenda viri.
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis, longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratæ cura molesta domi.
At nostra ingenti vadit circundata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via.
Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi
Inuenias. cæcum versat amator iter.
Quod si iura fores, pugnásque imitata Laconum:
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

Pagina 765. SIC *ego non vllos iam norim in amore tumultus,*
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi:
Vt mihi prætextæ pudor exuelatus amictu,
Et data libertas noscere Amoris iter,
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.

A *Tertius haud multo minus est quum ducitur annus,*
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepeliuit amor: nec fœmina post te
Vlla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine sæua
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros vssit regina capillos,
Molliáque immites fixit in ora manus.
Ah quoties famulam pensis onerauit iniquis,
Et caput in dura ponere iussit humo.
Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris:
Vilem ieiunæ sæpe negauit aquam.
Iuppiter Antiopæ nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
B *Si Deus es, tibi turpe tuam seruire puellam.*
Inuocet Antiope quem nisi vincta Iouem?
Sola tamen, quæcunque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit vtraque manu.
Inde Cythæronis timido pede currit in arces.
Nox erat, & sparso triste cubile gelu.
Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominæ pone venire pedes.
Et durum Zethum, & lacrimis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos quum ponunt æquora motus,
Eurus in aduersos desinit ire notos,
Littore si tacito sonitus rarescit arenæ:
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
C *Sera tamen pietas, natis est cognitus error.*
Digne Iouis natos qui tueare senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bouis.
Antiope cognosce Iouem, tibi gloria Dirce
Ducitur in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zeti, Victórque canebat
Pæana Amphion rupe, Aracynthe, tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures.
Te solam & lignis funeris vstus amem.

D NOX *media, & dominæ mihi venit epistola nostræ.* Pagina 767.
Tibure me missa iussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam mene tenebris,
Vt timeam audaces in mea membra manus?
At si hæc distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus sæuior hoste mihi.
Peccaram semel, & totum sum pulsus in annum.
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes,
Scironis media si licet ire via.
E *Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris.*
Nemo adeo, vt noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras.
Ipse Amor accensas percutit ante faces.
Sæua canum rabies morsus auertit hianteis.
Huic generi quouis tempore tuta via est.
Sanguine tam paruo quis enim spargatur amantis
Improbus? exclusis fit comes ipsa Venus.
Quod si certa meos sequerentur funera casus,
Talis mors precio vel sit emenda mihi,
Afferet huc vnguenta mihi, sertisque sepulchrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.

Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Qua facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea deuia terra coma.
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ.
Non iuuat in media nomen habere via.

Pagina 770. NVNC, ô Bacche, tuis humiles aduoluimur aris.
Da mihi pacato vela secunda, pater.
Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarúmque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te soluuntur amantes.
Tu vitium ex animo dilue, Bacche, meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus in cœlum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spesque timorque animum versat vtroque modo.
Quod si, Bacche, tuis per feruida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangámque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ me vigilante feræ:
Dummodo purpureo spument mihi dolia musto,
Et noua pressantes inquinet vua pedes.
Quod superest vitæ, per te, & tua cornua, viuam:
Virtutisque tuæ, Bacche, poëta ferar.
Dicam ego maternos Aetnæo fulmine partus,
Indicam Nysæis arma fugata choris:
Vesanúmque noua nequicquam in vite Lycurgum:
Pentheos in triplices funera grata greges:
Curuáque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate.
Et tibi per mediam beneolentis flumina Naxon,
Vnde tuum potant Naxia turba merum,
Candida laxatus onerato colla corymbis,
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.
Leuis odorato ceruix manabit oliuo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircææ pulsabunt tympana Thebæ.
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero iuxta Dea magna Cybelle
Tundet ad Idæos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Hæc ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo seruitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

Pagina 773. PLAVSVS ab vmbroso qua ludit Pontus Auerno
Humida Baiarum stagna tepentis aquæ,
Qua iacet & Troiæ tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via:
Hic vbi mortaleis dextra quum quæreret vrbes,
Cymbala Thebano concrepuere Deo:
At nunc inuisæ magno cum crimine Baiæ,
Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demisit in vndas,
Errat & in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexo Cæsaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
A Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam paruo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos,
Stantiáque in plausum tota theatra iuuent.
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes: huc primus, & vltimus ordo.
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla.
Scandenda est torui publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære:
B Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
At tibi, nauta, pias hominum qui traiicis vmbras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ:
Qua Siculæ victor telluris Claudius, & qua
Cæsar ab humana cessit in astra via.

OBIICITVR toties à te mihi nostra libido.
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos, vbi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
C Flamma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminiáque ad fontis sint reditura caput:
Et placidum Syrtes portum, & bona litora nautis
Præbeat hospitio sæua Malea suo:
Quam possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitiæ.
Testis, Cretæi fastus quæ passa iuuenci
Induit abiegnæ cornua falsa bouis.
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire Deo.
Crimen & illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha nouæ.
Nam quid Medeæ referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piauit amor?
D Quidve Clytæmnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Tuque ô Minoa venundata, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti.
Nise, tuas portas fraude reclusit amor.
At vos, innuptæ, felicius vrite tædas.
Pendet Cretæa tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter Orci.
Victor erat quamuis, æquus in hoste fuit.
Credis eum iam posse tuæ meminisse figuræ, Pagina
Vidisti à lecto quem dare vela tuo? 776.
Durus, qui lucro potuit mutare puellam.
E Tantisne in lacrimis Africa tota fuit?
At tu, stulta, Deos, tu fingis inania verba.
Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidáque à docto fama refulget auo.
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.
Fidus ero. in nostros curre, puella, toros.

NOX mihi prima venit. primæ data tempora noctis. Pagina
Longius in primo, Luna, morare toro. 776.
Tu quoque, qui æstiuos spatiosius exigis ignes,
Phœbe, moratura contrahe lucis iter.

Fœdera sunt ponenda prius, signandáque iura,
Et scribenda mihi lex in amore nouo,
Quam multa ante meis cedant sermonibus horæ,
Dulcia quam nobis concitet arma Venus.
Hæc Amor ipse suo constringit pignora signo.
Testis siderea torta corona Deæ.
Namque vbi non certo vincitur fœdere lectus,
Non habet vltores nox vigilanda Deos.
Et quibus imposuit, soluit mox vincla libido.
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo qui pactas in fœdera ruperit aras,
Pollueritque nouo facta marita toro:
Illi sint quicunque solent in amore dolores,
Et caput argutæ præbeat historiæ.
Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ.
Semper amet, fructu semper amoris egens.

Pagina 779.

MAGNVM iter ad doctas proficisci cogor Athenas,
Vt me longa graui soluat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellæ.
Ipse alimenta sibi maxima præbet Amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacunque fugari
Possit. at ex omni me premit ipse Deus.
Vix tamen aut semel admittit, quum sæpe negauit:
Seu venit, extremo dormit amicta toro.
Vnum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris.
Quantum oculis, animo tam procul ibit Amor.
Nunc agite, ô socij, propellite in æquora nauem,
Remorúmque pares ducite sorte vices,
Iungitéque extremo felicia lintea malo.
Iam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanæ turres, & vos valeatis amici,
Qualiscunque mihi tuque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes,
Cogar & vndisonos nunc prece adire Deos.
Deinde per Ionium vectus quum fessa Lechæo
Sedarit placida vela phaselus aqua:
Quod superest sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos qua terris arcet vtrinque mare.
Inde vbi Piræi capient me litora portus,
Scandam ego Thesea brachia longa via.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis:
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorúmque tuos docte Menandre sales:
Aut certe tabulæ capient mea lumina pictæ,
Siue ebore exactæ, seu magis ære manus:
Aut spatia annorum, & longa interualla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar fato, non turpi fractus amore.
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

Pagina 782.

FRIGIDA tam multos placuit tibi Cyzicus annos
Tulle, Propontiaca qua fluit Isthmos aqua,
Dindymus, & sacra fabricata inuenta Cybelle,
Raptorísque tulit qua via Ditis equos.
Si te forte iuuant Helles Athamantidos vrbes,
Et desiderio, Tulle, mouere meo:
Tu licet aspicias cœlum omne Atlanta gerentem,
Sectáque Persea Phorcidos ora manu,
Geryonæ stabula, & luctantum in puluere signa
Herculis, Antæique Hesperidúmque choros:
Túque tuo Colchon propellas remige Phasin,

A *Peliacæque trabis totum iter ipse legas,*
Qua rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem proræ pinus adacta nouæ:
Et si quadrigæ visenda est ora Caystri,
Et qua septenas temperat vnda vias:
Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic posuit quicquid vbique fuit.
Armis apta magis tellus, quam commoda noxæ:
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus. victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburne fluis, Clitumnus ab Vmbro
Tramite, & æternum Martius humor opus.
B *Albanúsque lacus socij Nemorensis ab vnda,*
Potáque Pollucis nympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastæ,
Itala portentis nec furit vnda nouis:
Non hic Andromeda resonant pro matre catenæ,
Nec tremis Ausonias, Phœbe fugate, dapes:
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes.
Exitium nato matre parante suo:
Penthea non sæuæ venantur in arbore Bacchæ,
Nec soluit Danaas subdita cerua rates:
Cornua nec valuit curuare in pellice Iuno,
Aut faciem turpi dedecorare boue:
Arboreásque cruces Scinis, & non hospita Graiis
Saxa & curuatas in sua fata trabes.
C *Hæc tibi, Tulle, parens, hæc est pulcherrima sedes.*
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium ciues, hic ampla nepotum
Spes, & venturæ coniugis aptus amor.

ERGO tam doctæ nobis periere tabellæ, Pagina 784.
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriuerat vsus,
Qui non signatas iussit habere fidem.
Illæ iam sine me norant placare puellas,
Et quædam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum.
D *Vulgari buxo sordida cera fuit.*
Qualescunque mihi semper mansere fideles,
Semper & effectus promeruere bonos.
Forsitan hæc illis fuerant mandata tabellis:
Irascor, quoniam es lente moratus heri.
An tibi nescio quæ visa est formosior? an tu
Non bona de nobis crimina ficta iacis?
Aut dixit, Venias hodie, cessauimus vna.
Hospitium tota nocte parauit amor:
Et quæcunque dolens reperit non stulta puella,
Garrula quum blandis ducitur hora dolis.
Me miserum his aliquis rationem scribit auari,
Et ponit duras inter ephemeridas.
E *Quas siquis mihi rettulerit, donabitur auro.*
Quis pro diuitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus hæc aliqua propone columna:
Et dominum Exquiliis scribe habitare tuum.

FALSA est ista tua, mulier, fiducia formæ, Pagina 785.
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi, Cynthia, laudes.
Versibus insignem te pudet esse meis.
Mistam te varia laudaui sæpe figura,
Vt quod non esses, esse putaret amor.

Et color est toties roseo collatus Eoo,
Quum tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrij poterant auertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari.
Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsa
Naufragus Aegæa verba fatebar aqua.
Correptus sæuo Veneris torrebar aheno.
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatæ portum tetigere carinæ,
Traiectæ Syrtes, anchora iacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulnera & ad sanum nunc coiere mea,
Mens bona, si qua Dea es, tua me in sacraria dono.
Exciderunt surdo tot mea vota Ioui.
Pagina 786. *Risus eram positis inter conuiuia mensis,*
Et de me poterat quilibet esse loquax.

A *Quinque tibi potui seruire fideliter annos.*
Vngue meam morso sæpe querere fidem.
Nil moueor lacrimis. ista sum captus ab arte.
Semper ab insidiis, Cynthia, flere soles.
Flebo ego discedens, sed fletum iniuria vincit.
Tu bene conueniens non sinis esse iugum.
Limina iam nostris valeant lacrimantia verbis,
Nec tamen irata ianua fracta manu.
At te celatis ætas grauis vrgeat annis,
Et veniat formæ ruga sinistra tuæ.
B *Vellere tum cupies albos à stirpe capillos,*
Ab speculo rugas increpitante tibi.
Exclusa inque vicem fastus patiare superbos:
Et quæ fecisti, facta queraris anus.
Has tibi fataleis cecinit mea pagina Diras.
Euentum formæ disce timere tuæ.

SEXTI AVRELII
PROPERTII
LIBER IIII.

Pagina 798.

HOC quodcunque vides, hospes, quam maxima Roma est,
  Ante Phrygem Aeneã collis & herba fuit.
Atque vbi nauali stant sacra palatia Phœbo,
  Euandri profugæ procubuere boues.
Fictilibus creuere Deis hæc aurea templa.
  Non fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpeiúsque pater nuda de rupe tonabat,
  Et Tiberis nostris aduena bobus erat,
Quo gradibus domus ista Remi se sustulit olim,
  Vnus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
  Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
  Centum illi in prato sæpe senatus erat.
Nec sinuosa cauo pendebant vela theatro.
  Pulpita solenneis non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere diuos,
  Quum tremeret patrio pendula turba sacro.
Annuáque accenso celebrare Palilia fœno,
  Qualia nunc curto lustra nouantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis.
  Ducebant macræ vilia sacra boues.
Parua saginati lustrabant compita porci.
  Pastor & ad calamos exta litabat ouis.
Verbera pellitus setosa mouebat arator,
  Vnde licens Fabius sacra Lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis,
  Miscebant vsta prælia nuda sude.
Prima galericus posuit prætoria Lucmo.
  Magnáque pars Tatio rerum erat inter oues.
Hinc Titiens Ramnésque viri Lucerésque coloni.
  Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbanæ parua minus vrbe Bouillæ,
  Et qui nunc nulli, maxima turba Gabij:
Et stetit Alba potens albæ suis omine nata,
  Hac, vbi Fidenas longe erat ire, via.

A Nil patrium nisi nomen habet Romanus alumnus,
  Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti Troia penates.
  O quali vecta est Dardana puppis aue.
Iam bene spondebant tunc omina, quod nihil illam
  Læserat abiegni venter apertus equi,
Quum pater in nati tremulus ceruice pependit,
  Et verita est humeros vrere flamma pios.
Tunc animi venere Decij, Brutique secures,
  Vexit & ipsa sui Cæsaris arma Venus,
Arma resurgentis portans victricia Troiæ.
  Felix terra tuos cœpit, Iule, Deos:
Si modo Auernalis tremulæ cortina Sibyllæ
  Dixit Auentino rura pianda Remo:
B Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis
  Longæuum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum Danai. male vincitis. Ilia tellus
  Vincet, & huic cineri Iuppiter arma dabit.
Optima nutricum nostris Lupa martia rebus.
  Qualia creuerunt mœnia lacte tuo.
Mœnia namque pio conor disponere versu,
  Hei mihi quod nostro est paruus in ore sonus.
Sed tamen exiguo quodcunque è pectore riui
  Fluxerit, hoc patriæ seruiat omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona.
  Mi folia ex edera porrige, Bacche, tua,
Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
  Vmbria Romani patria Callimachi.
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
  Ingenio muros æstimet ille meo.
C Roma faue, tibi surgit opus. date candida ciues
  Omina, & inceptis dextera cantet auis.
Sacra, diésque canam, & cognomina prisca locorum.
  Has meus ad metas sudet oportet equus.
Dicam, Troia cades, & Troica Roma resurges.
  Et maris, & terræ longa sepulchra canam.
Quo ruis imprudens vage dicere facta Properti?
  Non sunt à dextra condita fila colo.
Arcessis lacrimis Charites. auersus Apollo.
  Poscis ab inuita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus. haud ego vates

Nescius arata signa mouere pila.
Me creat Archita soboles Babylonius Horos,
Horos, & à proauo ducta Conone domus,
Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquis,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc precium fecere Deos, & fallitur auro
Iuppiter obliqua signa iterata rota.
Dixi ego quum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante Deo)
Non posse ad patrios sua pila referre penates.
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus, equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cauit equo.
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.
Fatales pueri duo funera matris auaræ.
Vera sed inuito contigit ista fides.
Idem ego quum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent vteri pondera lenta moram:
Iunoni votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit. libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyæ Iouis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta Deos.
Aut siquis motas cornicis senserit alas,
Vmbra neque hæc magicis mortua prodit aquis:
Aspicienda via est cæli, versusque per astra
Trames, & ab zonis quinque petenda fides,
Felicésque Iouis stella, Martisque rapacis,
Et graue Saturni sidus in omne caput.
Quid moueant Pisces, animosáque signa Leonis,
Lotus & Hesperia quid Capricornus aqua.
Exemplum graue erit Calchas, namque Aulide soluit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum ceruice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
Supprime, & Euboicos respice, Troia, sinus.
Nauplius vltores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuuiis Græcia pressa suis.
Victor Oilide rape nunc, & dilige vatem,
Quam vetat auelli veste Minerua sua.
Hactenus historia, nunc ad tua deuehor astra.
Incipe tu lacrimis æquus adesse nouis.
Vmbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior? an patriæ tangitur ora tuæ?
Qua nebulosa cauo rorat Meuania campo,
Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis,
Scandentisque axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossáque legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam tua quum multi versarent rura iuuenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox vbi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumpta toga:
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos fallax opus. hæc tua castra:
Scribat vt exemplo cætera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris vtilis hostis eris.
Nam tibi victrices, quascunque labore parasti,
Eludet palmas vna puella tuas.
Et bene quum fixum mento discusseris vncum,
Nil erit hoc. rostro te premet ansa suo.

A Illius arbitrio noctem, lucémque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet,
Nec mille excubiæ, nec te signata iuuabunt
Limina. persuasæ fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in vndis,
Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel [illegible]efacta cauo tellus diducat hiatum:
Octipedis cancri terga sinistra time.

QVID mirare meas tot in vno corpore formas? Pagina 812.
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Thuscus ego, & Thuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.
Nec me turba iuuat, nec templo lætor eburno.
B Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat: & aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus.
Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liuentibus vua racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstiuo mora rubere die.
Insitor hic soluit pomosa vota corona.
Quum pirus inuito stipite mala tulit.
Mendax fama noces. alius mihi nominis index.
C De se narranti tu modo crede Deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
In quamcunque voles verte, decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puella.
Atque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam, &, memini, laudabar in illis:
Corbis & imposito pondere messor eram.
Sobrius ad lites. at quum est imposta corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi,
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.
D Cassibus impositis venor: sed arundine sumpta,
Faunus plumoso sum Deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus, & eius,
Traiicit alterno qui leue pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo prædabor, & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio puluere ferre rosam.
Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidáque cucurbita ventre
Me notat, & iunco brassica vincta leui.
E Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante mea.
At mihi, quod formas vnus vertebar in omnes,
Nomen ab euentu patria lingua dedit.
At tu, Roma, meis tribuisti præmia Thuscis,
Vnde hodie vicus nomina Thuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati:
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias diuum sator, vt Romana per æuum
Transeat ante meos turba togata pedes.

Sex superant versus. te, qui ad vadimonia curris,
Non moror. hæc spatiis vltima creta meis.
Stipes acernus eram properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in vrbe Deus.
At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ,
Tellus artifices ne terat Osca manus:
Qui me tam dociles potuisti fundere in vsus
Vnum opus est, operi non datur vnus honos.

Pagina 817. HÆC Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,
Quum toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit è lacrimis facta litura meis.
Aut si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meæ dextræ iam morientis erunt,
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Beticus hostis equo,
Hibernique Getæ, pictóque Britannia curru,
Vstus & Eoa discolor Indus aqua.
Hæcne maritæ fides, & pactæ iam mihi noctes,
Quum rudis vrgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab euerso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est. nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.
Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas:
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno:
Aeternúsque tuam pascat, aselle, famem.
Dic mihi, num teneros vrit lorica lacertos?
Num grauis imbelles atterit hasta manus?
Hæc noceant potius, quam dentibus vlla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris & macie vultum tenuasse. sed opto,
E desiderio sit color iste meo.
At mihi quum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror, in toto non sidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aues.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in gladios vellera secta suos.
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aqua Parthus millia currat eques.
Cogor & è tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positura Dei:
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet vna soror, curis & pallida nutrix
Peierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte. nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis vtinam patuissent castra puellis:
Essem militiæ sarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ iuga, quum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior.
Hanc Venus, vt viuat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi, quo Pœnis tibi purpura fulgeat ostris,
Crystallúsque tuas ornet aquosa manus,
Omnia surda tacent. raris assueta calendis,
Vix aperit clausos vna puella lares.
Glaucidos & catulæ vox est mihi grata querentis,
Illa tui partem vindicat vna tori.

A Flore sacella tego, verbenis compita velo,
Et crepat ad veteres herba Sabina focos.
Siue in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero:
Illa dies hornis cædem denunciat agnis,
Succinctique calent ad noua lucra popæ.
Ne, precor, ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptáve odorato carbasa lina duci,
Plumbea quum torta sparguntur pondera funda,
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed tua sic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphanteis hasta sequatur equos.
Incorrupta mei conserua fœdera lecti.
B Hac ego te sola lege redisse velim.
Armáque quum tulero portæ votiua Capenæ
Subscribam, Saluo grata puella viro.

TARPEIVM nemus, & Tarpeiæ turpe sepulchrum Pagina 822.
Fabor, & antiqui limina capta Iouis.
Lucus erat felix ederoso conditus antro,
Multáque natiuis obstrepit arbor aquis:
Siluani ramosa domus. quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire iubebat oues.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidáque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Quum quateret lento murmure saxa Iouis?
C Atque vbi nunc terris dicuntur iura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro?
Murus erant montes. vbi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia Deæ fontem libauit, at illi
Vrgebat medium fictilis vrna caput.
Et satis vna malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere, Vesta, tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere campis,
Pictáque per flauas arma leuare iubas.
Obstupuit regis facie, & regalibus armis,
Intérque oblitas excidit vrna manus.
Sæpe illa immeritæ caussata est omina Lunæ,
D Et sibi tingendas dixit in amne comas.
Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dumque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis.
Et sua Tarpeia residens ita fleuit ab arce
Vulnera, vicino non patienda Ioui:
Ignes castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O vtinam ad vestros sedeam captiua penates,
Dum captiua mei conspicer esse Tati.
Romani montes, & montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
E Ille equus ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.
Quid mirum, in patrios Scyllam sæuisse capillos?
Candidáque in sæuos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Quum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis
Improba virgineo lecta ministra foco.
Palladis extinctos siquis mirabitur ignes.
Ignoscat. lacrimis spargitur ara meis.
Cras, vt rumor ait, tota pugnabitur vrbe.
Tu cape spinosi roscida terga iugi.

Lubrica tota via est, & persida. quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.
O vtinam magica nossem cantamina Musæ.
Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet: non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Sic hospes, pariamne tua regina sub aula,
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Si minus, at rapta ne sint impune Sabinæ,
Me rape, & alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum soluere. nuptæ
Vos medium palla fœdus inite mea.
Adde Hymenæe modos. tubicen fera murmura conde.
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et iam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsáque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum. de te mihi somnia quæram:
Fac venias oculis vmbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno,
Nesciane furiis accubuisse nouis.
Nam Vesta Iliacæ felix tutela fauillæ
Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodoonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Vrbi festus erat, dixere Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum conuiuia, lusus in vrbe,
Quum pagana madent fercula diuitiis.
Quumque super raros fœni flammantis aceruos
Traiicit immundas ebria turba dapes.
Romulus excubias decreuit in otia solui,
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata, conuenit hostem.
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
Mons erat ascensu dubius, festoque remissus.
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos. sed Iuppiter vnus
Decreuit pœnis inuigilare suis.
Prodiderat portæque fidem, patriámque iacentem:
Nubendique petit, quem velit ipsa, diem.
At Tatius, neque enim sceleri dedit hostis honorem,
Nube ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum superobruit armis.
Hæc, virgo, officiis dos erat apta tuis.
A duce Tarpeia mons est cognomen adeptus.
O vigil, iniustæ præmia sortis habes.

Pagina 828.
TERRA *tuum spinis obducat, lena, sepulchrum,*
Et tua, quod non vis, sentiat vmbra sitim:
Nec sedeant cineri manes, & Cerberus vltor
Turpia ieiuno terreat ossa sono:
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper auis.
Penelopen quoque neglecto rumore mariti
Nubere lasciuo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse nouerca suis.
Quippe & Collinas ad fossam mouerit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua.
Audâx cantatæ leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo.
Posset & intentos astu cæcare maritos.
Cornicum immeritas eruit vngue genas:
Consuluitque striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.

A *Exornabat opus verbis, ceu blanda peruret,*
Saxosámque terat sedula culpa viam:
Si te Eoa, Dorixanium, iuuat aurea ripa,
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua:
Eurypylique placet Coæ textura Mineruæ,
Sectáque ab Attalicis putria signa toris:
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
Murrtáque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, prouolue Deos, mendacia vincant,
Frange & damnosæ iura pudicitiæ.
Et simulare virum, precium facit, vtere caussis,
Maior dilata nocte recurret amor.
B *Si tibi forte comas vexauerit vtilis ira,*
Post modo mercata pace premendus erit.
Denique vbi amplexu Venerem promiseris empto,
Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi: tundat Amycle,
Natalem Maiis idibus esse tuum.
Supplex ille sedet. posita tu scribe cathedra
Quidlibet. has artes si pauet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Non te Medeæ delectent probra sequacis.
Nempe tulit fastus ausa rogare prior:
Sed potius mundi Thais preciosa Menandri,
C *Quum ferit astutos comica mœcha Getas.*
In mores te verte viri. si cantica iactat,
I comes, & voces ebria iunge tuas.
Ianitor ad dantes vigilet. si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet vsque seram.
Nec tibi displiceat miles non factus amori,
Nauta nec, attrita si ferat æra manu:
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Calati medio quum saliere foro.
Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis quid nisi verba feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Ipsius tibi sit surda sine arte lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
D *Vtere, ne quis eat liber amore dies.*
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti,
Sub matutino cocta iacere Noto.
His animum nostræ dum versat Acanthis amica,

* * *

Sed cape torquatæ, Venus ô regina, columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputáque per dentes ire cruenta cauos,
Atque animam in tegetes putrem expirare paternas.
Horruit algenti pergula curta foco.
Exequiæ fuerant rari furtiua capilli
Vincula, & immundo pallida mitra situ,
E *Et canis in nostros nimis experrecta dolores,*
Quum fallenda meo pollice claustra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo.
Vrgeat hunc supra vis, caprifice, tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistáque cum saxis addite verba mala.

SACRA *facit vates. sint ora fauentia sacris,* Pagina 834.
Et cadat ante meos icta iuuenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas vrna ministret aquas.
Costum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis eat.

Spargite me lymphis, carménque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis.
Ite procul fraudes. alio sint aere noxæ.
Pura nouum vati laurea mollit iter.
Musa, Palatini referamus Apollinis ædem.
Res est, Calliope, digna fauore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina. Cæsar
Dum canitur, quæso, Iuppiter, ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad litora portus,
Qua sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Iuleæ pelagus monumenta carinæ
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus. stetit æquore moles
Pinea, nec remis æqua fauebat auis.
Altera classis erat teucro damnata Quirino,
Pilàque fœminea turpiter apta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Iouis omine velis,
Signáque iam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua:
Quum Phœbus linquens stantem se vindice Delon:
(Nam tulit iratos mobilis vna Notos)
Astitit Augusti puppem super. & noua flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyræ.
Sed quali aspexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egessitque auidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos soluit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, ô longa mundi seruator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite maior auis:
Vince mari. iam terra tua est. tibi militat arcus,
Et fauet ex humeris hoc onus omne meis.
Solue metu patriam, quæ nunc te vindice freta
Imposuit proræ publica vota tuæ.
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aues.
Et nimium remis audent, proh turpe, Latinis,
Principe te, fluctus regia vela pati.
Nec te, quod classis centenis remiget alis,
Terreat. inuito labitur illa mari.
Quodque vehunt proræ Centaurica saxa minantes,
Tigna caua, & pictos experiare metus.
Frangit, & attollit vires in milite caussa:
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tempus adest, committe rates. ego temporis auctor
Ducam laurigera Iulia rostra manu.
Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phœbi. dat fœmina pœnas.
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnésque marinæ
Plauserunt circa libera signa Deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc vnum iusso non moritura die.
Di melius quantus mulier foret vna triumphus,
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias.
Actius hinc traxit Phœbus monumenta, quod eius
Vna decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini. citharam iam poscit Apollo
Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant conuiuia luco,
A *Blanditaque fluant per mea colla rosæ:*
Vináque fundantur prælis elisa Falernis,
Terque lauet nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritat Musa poetis.
Bacche, soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret seruire Sicambros.
Cepheam hic Meroen fuscáque regna canat.
Hic referat sero confessum fœdere Parthum.
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Siue aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista trophæa suos.
Gaude, Crasse, nigras si quid sapis inter arenas.
B *Ire per Euphraten ad tua busta licet.*
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Iniiciat radios in mea vina dies.

SVNT *aliquid manes, letum non omnia finit.* Pagina
Lucidáque euictos effugit vmbra rogos. 842.
Cynthia nanque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremæ nuper humata viæ:
Quum mihi ab exequiis somnus penderet amaris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos,
Eosdem oculos. lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summáque Lethæus triuerat ora liquor:
C *Spirantísque animos, & vocem misit. at illi*
Pollicibus fragiles increpuere manus:
Perfide, nec cuiquam melior sperande puellæ,
In te iam vires somnus habere potest?
Iamne tibi exciderunt vigilacis furta Suburræ,
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi
Alterna veniens in tua colla manu.
Sæpe Venus triuio commissa est pectore mixto.
Fecerunt tepidas pallia nostra vias
Nec crepuit fixa me propter arundine custos.
Læsit & obiectum tegula curta caput.
Fœderis heu taciti, cuius fallacia verba
Non audituri diripuere Noti.
D *At mihi non oculos quisquam inclamauit euntes.*
Vnum impetrassem te reuocante diem.
Denique quis nostro curuum te funere vidit?
Atram quis lacrimis incaluisse togam?
Si piguit portas vltra procedere, at illud
Iussisses, lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis, ingrate, petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?
Hoc etiam graue erat nulla mercede hiacynthos
Iniicere, & fracto busta piare cado.
Quæ modo per viles inspecta est publica noctes,
Hæc nunc aurata cyclade signat humum.
Et grauiora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.
E *Nostráque quod Petale tulit ad monumenta corollas,*
Codicis immundi vincula sentit anus.
Cæditur & Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Lygdamus vratur. candescat lamina vernæ.
(Sensi ego, quum insidiis pallida vina bibi.)
Aut Nomas arcanas tollat versuta salinas.
Ducet damnatas ignea testa manus.
Te patiente mea conflauit imaginis aurum.
Ardeat è nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector quamuis mereare, Properti.

Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego fatorum nulli reuocabile carmen,
Tergeminusque canis sic mihi molle sonet:
Me seruasse fidem. si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem,
Turbaque diuersa remigat omnis aqua.
Vna Clytæmnestræ stuprum vehit, altera Cressæ
Portat mentita lignea monstra bouis.
Ecce coronato pars altera parta phaselo,
Mulcet vbi Elysias aura beata rosas.
Qua numerosa fides, quaque æra rotunda Cybelles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris,
Andromedeque, & Hypermnestre sine fraude maritæ
Narrant historiæ corpora nota suæ.
Hæc sua maternis queritur liuere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermnestra magnum ausas esse sorores.
In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrimis vitæ sanamus amores.
Celo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus; si forte moueris,
Si te non totum Chloridos herba tenet.
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis
Parthenie. patuit, nec tibi auara fuit.
Delitiaque mea Latris, cui nomen ab vsu est,
Ne speculum dominæ porrigat illa nouæ.
Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
Vre mihi. laudes desine habere meas.
Pelle ederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Ramosis Anio qua pomifer incubat aruis,
Et nunquam Herculeo numine pallet ebur:
Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breue quod currens vector ab vrbe legat:
Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra.
Accessit ripæ laus, Aniene, tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Quum pia venerunt somnia pondus habent.
Nocte vagæ ferimur. nox clausas liberat vmbras,
Errat & abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethæa ad stagna reuerti.
Nos vehimur. vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliæ. mox sola tenebo.
Mecum eris, & mistis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querula mecum sub voce peregit,
Inter complexus excidit vmbra meos.

Pagina 845.

DISCE, *quid Exquilias hac nocte fugarit aquosas,*
Quum vicina nouis turba cucurrit agris.
Lanuuium annosi vetus est tutela Draconis,
Hic vbi Tartareæ non perit hora moræ.
Qua sacer abripitur cæco descensus hiatu,
Qua penetral, (virgo, tale iter omne caue.)
Ieiuni serpentis honos, quum pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ:
Quum temere anguineo creditur ore manus.
Ille sibi admotas à virgine corripit escas.
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum,
Clamantque agricolæ, Fertilis annus erit.
Huc mea detonsis auecta est Cynthia mannis.
Caussa fuit Iuno, sed mage caussa Venus.
Appia, dic, quæso, quantum te teste triumphum

A *Egerit effusis per tua saxa rotis,*
Turpis in arcana sonuit quum rixa taberna:
Si sine me, famæ non sine labe meæ.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit
Ausa per impuros frena mouere locus.
Striga. nam rapto volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos colla Molossa canes.
Qui dabit immundæ venalia farta saginæ,
Vincet vbi erasas barba pudenda genas.
Quum fieret nostro toties iniuria lecto,
Mutato volui castra mouere toro. Pagina 849.
Phyllis Auentinæ quædam est vicina Dianæ:
Sobria grata parum: quum bibit, omne decet.
B *Altera Tarpeios est inter Teia lucos*
Candida, sed potæ non satis vnus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta nouare mea.
Vnus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quæris concubitus? inter vtramque fui.
Lygdamus ad cyathos, æstiua vtrique supellex,
Et Metymnæi Græca salina meri.
Niloties tibicen erat, crotalistria Phylis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus & ipse suos breuiter curuatus in artus
Iactabat truncas ad caua buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Decidit inque suos mensa supina pedes.
C *Me quoque per talos Venerem quærente secundos,*
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo nudabant pectora cæco.
Lanuuij ad portas heu mihi solus eram:
Quum subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et leuia ad primos murmura facta lares.
Nec mora cum totas resupinat Cynthia valuas,
Non operosa comis, sed furibunda decens,
Pocula mi digitos inter cecidere remissos,
Pallueruntque ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, & quantum fœmina sæuit,
Spectaclum capta nec minus vrbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum coniicit vngues.
D *Territa vicinas Teia clamat aquas.*
Lumina sopitos turbant elata Quirites.
Omnis & insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis, tunicisque solutis
Excipit obscuræ prima taberna viæ:
Cynthia in exuuiis gaudet, victrixque recurrit,
Et mea peruersa sauciat ora manu:
Imponitque notam collo, morsuque cruentat:
Præcipueque oculos, qui meruere, ferit.
Atque vbi iam nostris lassauit brachia plagis,
Lygdamus ad pluteí fulcra sinistra iacens
Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.
Lygdame nil potui. tecum ego captus eram.
E *Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,*
Quum vix tangendos præbuit illa pedes.
Atque ait, Admissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in vmbra,
Nec quum lasciuum sternet arena forum.
Colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ sudet aperta moræ.
Lygdamus in primis omnis mihi caussa querelæ
Veneat, & pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi, Ego legibus vtar.
Riserat imperio facta superba dato.

Dein quæcunque locum externæ tetigere puellæ
Suffocas, & pura limina tergis aqua.
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto,
Respondi: & toto soluimus arma toro.

Pagina 855. AMPHITRYONIADES qua tempestate iuuencos
Egerat à stabulis ô Erythea tuis,
Venit ad inuictos pecorosa palatia montes,
Et statuit fessos fessus & ipse boues,
Qua Velabra suo stagnabant flumine, quaque
Nauta per vrbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes. furto polluit ille Iouem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora sonos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Auersos cauda traxit in antra boues.
Nec sine teste Deo furem sonuere iuuenci.
Furis & implacidas diruit ira fores.
Mænalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus. & Alcides sic ait, Ite boues,
Herculis ite boues, nostræ labor vltime clauæ,
Bis mihi quæsitæ, bis mea præda boues:
Aruáque mugitu sancite boaria longo.
Nobile erit Romæ pascua vestra forum.
Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
Terráque non vllas fœta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab vmbroso fecerat orbe nemus,
Fœmineæ loca clausa Deæ, fontésque piandos,
Impune & nullis sacra retecta viris.
Deuia puniceæ velabant limina vittæ.
Putris odorato luxerat igne casa.
Populus & longis ornabat frondibus ædem.
Multáque cantantes vmbra tegebat aues.
Huc ruit in siccam congesto puluere barbam,
Et iacit ante fores verba minora Deo:
Vos precor ô luci sacro quæ luditis antro,
Pandite defessis hospita fana viris.
Fontis egens erro, circúque sonantia lymphis.
Et caua suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clauæ?
Et nunquam ad natas irrita tela feras?
Atque vni Stygias hominum luxisse tenebras?
* * *

Quod si Iunoni sacrum faceretis amaræ,
Non clausisset aquas ipsa nouerca suas.
Sin aliquam vultúsque meus, setæque Leonis
Terrent, & Libyco sole perusta coma:
Idem ego Sidonia feci seruilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colu.
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides. at talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas:
Parce oculis, hospes, lucóque abscede verendo.
Cede agedum, & tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quæ se summota vindicat ara casa.
Magnam Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lauat.

A Dij tibi dent alios fontes, hæc lympha puellis
Auia secreti liminis vna fuit.
Sic anus. ille humeris postes concussit opacos,
Nec tulit iratam ianua clausa sitim.
At postquam exhausto iam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia iura labris:
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit. hæc fesso vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus deuota est ara repertis,
Ara per has, inquit, maxima facta manus,
Hæc nullis vnquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximij ne sit inulta sitis.
Sancte pater salue, cui iam fauet aspera Iuno.
B Sancte, velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatij composuere Cures.

NVNC Iouis incipiam caussas aperire Feretri, Pagina 858.
Armáque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Huius, & exuuiis plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Ceninum Acrona petentem
Victor in euersum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Cenina ductor ab arce,
C Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirinis
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cauas vibrantem spicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Iuppiter, hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Vouerat, & spolium corruit ille Ioui.
Vrbis, virtutisque parens sic vincere sueuit.
Qui tulit aprico frigida castra lare,
Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris.
Et galea hirsuta compta lupina iuba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo,
Præbebant cæsi baltea lenta boues.
Cossus at insequitur Veientis cæde Tolumni,
D Vincere quum Veios posse laboris erat.
Nec dum vltra Tiberim belli sonus, vltima præda
Nomentum, & captæ iugera pauca Coræ.
Et Veij veteres & vos tum præda fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro.
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arua metunt.
Forte super portæ dux Veius astitit arcem,
Colloquiúmque sua fretus ab vrbe dedit.
Dumque aries murum cornu pulsabat aheno,
Vineáque inductum longa tegebat opus,
Cosse ait, Forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit vterque gradu.
Di Latias iuuere manus. desecta Tolumni
E Ceruix Romanos sanguine lauit equos.
Claudius à Reno traiectos arcuit hostes
Belligerans. vasti parma relata ducis
Virdomari. genus hic Reno iactabat ab ipso
Nobilis erectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab agmine brachis
Torquis ab incisa decidit vnca gula.
Nunc spolia in templo tria condita. caussa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis.

Pagina 865. *DESINE, Paule, meum lacrimis vrgere sepulchrum.* A
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Quum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ Deus audiat aulæ,
Nempe tuas lacrimas litora surda bibent.
Vota mouent superos: vbi portitor æra recepit,
Obserat herbosos lurida porta rogos.
Sic mœstæ cecinere tubæ, quum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Pauli, quid currus auorum
Profuit, aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habui Cornelia Parcas,
Et sum quod digitis quinque leuatur onus?
Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quæcunque meos implicat vnda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni,
Det pater huic vmbræ mollia iura meæ.
Aut si quis posita iudex sedet Aeacus vrna,
In mea sortita iudicet ossa pila.
Assideant fratres. iuxta Minoia sella, &
Eumenidum intento turba seuera foro.
Sisyphe mole vaces, taceant Ixionis orbes,
Fallax Tantaleo corripiare liquor:
Cerberus & nullas hodie petat improbus vmbras,
Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me. si fallo, pœna sororum
Infelix humeros vrgeat vrna meos.
Si cui fama fuit per auita decora trophæis,
Afra Numantinos regna loquuntur auos.
Altera maternos exæquat turba Libones.
Et domus est titulis vtraque fulta suis.
Mox vbi iam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas:
Iungor, Paule, tuo sic discessura cubili.
In lapide hoc vni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi, Roma, colendos,
Sub quorum titulis Africa tanta iaces:
Et Persen proaui simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proauus fregit, Achille, domos:
Me neque censuræ legem mollisse, nec vlla
Labe mea vestros erubuisse focos.
Non erat exuuiis tantis Cornelia damnum:
Quin & erat magnæ pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas, sine crimine tota est.
Viximus insignes inter vtranque facem.
Mi natura dedit leges à sanguine ductas,
Nec possim melior iudicis esse metu.
Qualibet austeras de me ferat vrna tabellas,
Turpior assensu non erit vlla meo.
Vel tu, quæ tardam mouisti fune Cybellem,
Claudia turritæ rara ministra Deæ:
Vel cui commissos quum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit viuos carbasus alba focos.
Nec te dulce caput mater Scribonia læsi.
In me mutatum quid, nisi fata, velis?
Maternis laudor lacrimis, vrbisque querelis,
Defensa & gemitu Cæsaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat: & lacrimas vidimus ire Deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo.
Te, Lepide, & te, Paule, meum post fata leuamen,
(Condita sunt vestro lumina nostra sinu)
Vidimus, & fratrem sellam geminasse curulem:
Consule quo facto tempore rapta soror.
B *Et bene habet. nunquam mater lugubria sumsi.*
Venit in exequias tota caterna meas.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus, pater. illa meorum
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula quum dederis tua flentibus, adiice matris.
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis.
Quum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sint noctes, quas de me, Paule, fatiges:
Somniáque in faciem credita sæpe meam.
Atque vbi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Vt responsura singula verba iace.
Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,
Sederit & nostro cauta nouerca toro:
C *Coniugium, pueri, laudate & ferte paternum.*
Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis. collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit vmbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos:
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
Cœlibis ad curas nec vacet vlla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos,
Prole mea Paulum sic iuuat esse senem.
Filia tu specimen censuræ nacta paternæ
Fac teneas vnum nos imitata virum.
Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti
Soluitur aucturis tot mea fata malis.
Hæc est feminei merces extrema triumphi,
Laudat vbi emeritum libera fama rogum.
Caussa perorata est. flentes me surgite testes.
Dum pretium vitæ grata rependit humus,
Moribus & cœlum patuit, sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur equis.

FINIS.

Q. VALERII CATVLLI VERONENSIS AD CORN. NEPOTEM LIBER.

EPIGR. I.

voi dono lepidum nouum libellum, A
Aridâ modò pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum, cum ausus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis,
Doctis, Iupiter, & laboriosis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli est, B
Qualecumque. quod ô patrona virgo,
Plus vno maneat perenne seclo.

ANTONIVS PARTHENIVS.

VOI DONO LEPIDVM NOVVM LIBELLVM.] In hoc primo Epigrammate poeta Cornelio Nepoti amico suo libellum hunc dicat, atque in eius nomine opus edit: assignans huius dicationis rationem, videlicet: quia Cornelius poetæ scripta iam dudum plurimi semper fecerit. Quis autem fuerit hic Cornelius quidam docti viri à me dissentiunt. Cornelium Gallum elegiarum scriptorem fuisse complures coniectant. Ego autem Eusebij tempora secutus Cornelium Gallum intelligi posse negauerim: repugnante temporum ordine. Nam anno, quo Catullus vita functus est, Cornelius Gallus vix infantiæ suæ trimatum attigisse inuenitur. Præterea hunc, de quo ait poeta, Cornelium historiæ scriptorem fuisse carmen ipsum demõstrat: Cornelium autem Gallum Elegiarum poetam fuisse constat. Vero igitur similius est intelligi Cornelium Nepotem historiographum: quem Padi accolam scripsit Pli. Vnde docti viri eum Veronensem fuisse suspicantur. C

QVOI.] Datiuus antiquus ex analogia formatus, quo & Marcus Varro plerunque vsus est.

LEPIDVM.] Splendidum: elegantem.

NOVVM.] Nuper absolutum: ac nondum editum.

ARIDO PVMICE.] Hunc puto locum esse, in quo Seruius à Catullo pumicem fœminino genere positũ asserit: vt Catullum arida pumice credam protulisse. Pumices (vt scribit Plinius) sunt in vsu corporum leuigandorum, fœminis, iam quidem & viris, & libris expoliendis: vt idem Catulli auctoritate affirmatur. Martialis lib. xiij. *Nondum murice cultus, asperoque Morsu pumicis aridi politus: Artanum properas sequi libelle.*

NAMQVE TV SOLEBAS.] Rationem reddit cur potius Cornelio quàm alteri dedicet libellum.

MEAS NVGAS.] Sic poetæ suos versus, lusus, & nugas verecunde nuncupare consueuerunt. Hora. de se ipso: *Nescio quid meditans nugarum totus in illis.* Martialis in sexto: *Dum nostras legis, exigisque nugas.* & alibi: *Qui vis archetypas habere nugas.*

VNVS ITALORVM.] Præcipuus ex omnibus Italicis. Vnus pro præcipuo. Virgilius: *Tum senior Nautes: vnum, quem maximè Pallas Edocuit.*

OMNE ÆVVM.] Omne sæculum præteritum. Cùm autem dicit omne æuum, plane indicat Cornelij Nepotis chronica, quorum meminit Gellius in noctibus Atticis.

TRIBVS CHARTIS.] Ex mira operis breuitate scriptoris ingenium singulare demõstrat: & est numerus finitus pro infinito.

IVPPITER.] Per exclamationem legitur: & est parenthesis.

QVARE.] Concludit dicationem operis.

PATROA VIRGO.] Sensus est: Virgo & puella mea Lesbia, in his carminibus in tuo nomine editis, diutissime maneat in hominum memoria. Et per hoc poeta libello suo perpetuam optat vitam & immortalem auctoritatem.

VIRGO.] Puella mea: nam apud priscos virgo non tantum innupta intelligebatur, verum etiam puellam teneram ab ætatis qualitate significabat. Virgi. in Bucolicis: *Ah virgo infelix quæ te dementia cepit.*

PATROA.] i. patria: hoc est (vt ita dixerim) compatriota mea, vel tua ciuis: est autem Græcum adiectiuum πατρῷος. alij vero legunt

Patrona.ſ.mea:pattonam vſurpauit pro matrona. i. domina mea, in cuius ſum patrocinio, quemadmodum ſerui ſub dominorum iure. nã patroni pro dominis accepti ſunt. alibi poeta de hac ait: *Iſque domum nobis, Iſque dedit dominam.* ſ. Mallius dedit mihi Leſbiam meam. & amatorum more amicam ſuam patronam, ideſt dominam appellauit. Nam amantes ſuas amicas dicere dominas ſolent. Tibul. *Hic mihi ſeruitium video dominamque paratam: Iam mihi libertas illa patrona vale.* Proper. *Stant mihi cum domina prælia dura mea.*

PERENNE.] Aduerbium eſt: & erit ordo: *Virgo maneat plus perenne.* i. perennius vno ſæclo.

PALLADIVS FVSCVS.

QVOI DONO.] Verſus eſt hendecaſyllabus. Idem Phaleucius ab inuentore dictus: conſtat ex Spondæo, Dactylo, & tribus Trochæis. Catullus hoc primo Epigrammate alloquitur Cornelium Nepotem: cui opus ſuum dedicat: ſimulque optat vt muſa fauente opus ipſum plus vno duret ſæculo.

QVOI.] Caſus eſt datiui, de quo in primo inſtitutionum ita ſcribit Quintilianus: *Illud nunc melius quod cui tribus* (quas propoſui) *literis enotamus: in quo pueris nobis ad pinguem ſane ſonum qui vtebantur tantum: vt ab illo qui diſtingueretur.*

LEPIDVM.] Verborum acumine venuſtum.

NOVVM.] Nuper compoſitum.

ARIDO.] Aridum (vt Nonius aſſerit) dicitur ſiccum: & eſt proprium pumicis epitheton. Plautus in aulularia: *Quid negocij ſit rogas pumex non æque aridus: atque hic eſt ſenex.*

PVMICE EXPOLITVM. Quod olim etiã vt nunc, pumices leuigandis libris adhiberentur, præter poëtas, indicat etiam Plinius his quidem verbis: *Sed & pumices: qui ſunt in vſu corporum leuigandorum fœminis, iam quidem & viris: Atque (vt ait Catullus) libris, laudatiſſimi ſunt in Melo, Scyroque, & Æoliis inſulis.*

CORNELII.] Fuerunt eodem tempore plures hoc nomine viri illuſtres, & quorum auctores meminerunt. Cornelius Phagita: cuius nocturnas inſidias Cæſar æger ac latens ne perduceretur ad Scyllam, vix præmio dato euaſerat. Cornelius Cinna, qui pridie quàm idem Cæſar occideretur de eo grauiter concionatus erat. Cornelius Balbus eiuſdem Cæſaris in bello ciuili legatus, Oppiique collega. Cornelius Gallus quamuis aliquanto iunior, qui elegiarum poeta, ab Auguſto Ægypto præfectus, cum in ſuſpitionem veniſſet, quòd contra principem coniuraſſet, propria manu ſe interfecit. Et Cornel. Nepos Padi (vt Pli. inquit) accola: qui ſcriptis, editiſque aliquot voluminibus diui Auguſti principatu obiit. Hunc procul dubio alloquitur Catullus.

NAMQVE TV SOLEBAS.] Ratio dedicationis.

PVTARE NVGAS.] Poetæ cum ſuos verſus extenuare volunt, eos vel luſus, vel nugas vocant. Martialis: *Qui meruit nugas primus habe-*

A *re meas:* & alibi: *A Valeriano Polio petes quinto: Per quem perire non licet meis nugis.*

IAM TVM.] Ex quo. ſ. tu vnus Italorum auſus es explicare omne æuum tribus chartis: hoc eſt memorias virorum illuſtrium ſcriptis tuis comprehendere. Quod autem de temporibus ſcripſerit Nepos teſtatur Gellius lib. xvj. noctium atticarum.

VNVS.] Solus.

OMNE ÆVVM.] Omnẽ tempus præteritum: ortus enim, idem Cornelius ab vrbis, vel (vt alij volunt) orbis primordio, viros omnes memoria dignos breui libello complexus erat.

B Dictum eſt autem æuum (vt placet Varroni) ab ætate omnium annorum: & ab eo æuiternum, quod factum eſt æternum.

IVPPITER.] Exclamatio emiſſa per admirationem.

DOCTIS.] Ad ſenſa.

LABORIOSIS.] Ad verba: ſtuduerat enim Nepos breuitati ſimul & eruditioni.

QVARE HA.] Concluſio.

QVICQVID EST LIBELLI.] Quicquid ad magnitudinem: ſicut qualecunque ad bonitatem.

C PATRONA VIRGO.] Muſam inuocat vel Melpomenem, vel Thaliam, vel quamcunque aliam. Muſæ enim ſunt patronæ poetarum, eorumque carmina aduerſus omnes iniurias ſollicitè defendunt.

MANEAT PERENNE.] Duret.

PLVS VNO SÆC.] Plus centum annis. Ad id autem alludit Catullus quod malorum poetarum carmina non diu leguntur. Quidam non muſam (vt nos) ſed Dianam intelligunt: quæ vt Hora. apertè indicat ſæculo præerat vna cum Apolline. Alij Palladem, quem dicunt ideo à Catullo inuocari: quia eius (vt Liui. oſté-

D dit) eſt numerus. Nonnulli pro patrona Leſbiã accipiunt. Sed quonam modo ad Leſbiam apoſtrophat, cum ſerio Nepotem alloquitur? Cæterum Pontanus ſcriba regius vir impenſe doctus: & qui Romæ profitentur verba mutantes, verſum hunc ita ſcribunt: *Qualecunque per ora quod virorum.*

ACHILLES STATIVS.

DE CATVLLO plura dixiſſem, niſi hoc Crinitum munere præclare functum viderem. ſed tamen, quod ille mihi reliqui fecit, id

E in principio mearũ in optimum poetam commentationum eſſe ponendum duxi. ac mihi quidem Criniti ipſius ſcripta legenti valde probatur, quod prænomen CAI Catullo præpoſuerit, auctorem opinor Appuleium, atq. Hieronymum Euſebij interpretem, quod tamen non exprimit, ſecutus, illum in Apologia. I. Antonius Auguſtinus, Ilerdæ Epiſcopus, præſtante vir ingenio, pariq. probitate, nummum mihi Romæ oſtendit æreum, cuius in altera parte videre erat expreſſam incudem, tum hæc in orbem ducta, atq. exſtantia verba, III. VIR. A. A. A. F. F. in altera item in orbem, L. VALERIVS CATVLLVS. intra quæ, litteræ ſin-

gulares erant, s. c. quæ nisi omnia patere iam, ac nota omnibus esse putarem, interpretarer scilicet. Octauiæ Catullæ nomine in hortis Rodulfi Pij Card. amplissimi, hodieq. exstat inscriptum monumentum.

DIS. MANIB.
OCTAVIÆ. P. F. CATVLLÆ
GELADI. DIVÆ. AVGVST. L
VXORI

Grauissimum sane testimonium summo huius ingenio Poëtæ tribuit Cornelius Nepos in T. Pomponi Attici vita, *L.* inquit, *Iulium Calidium, quem post Lucreti, Catulliq. mortem multo elegantissimum Poëtam nostram tulisse ætatem vere videor posse contendere.* & quæ sequuntur. Hunc ego ipse Valerium esse puto, quem Cicero in vij. epist. ad Trebatium nominat, *Deniq.* inquit, *si cito te rettuleris, sermo nullus erit. Si diutius frustra afueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. mira enim persona induci potest Britannici Iureconsulti. &c.* Nam quod Laberium mimorum scriptorem nominat, eumq. dicacem, hoc probabilius etiam fit, Valerium quem addit, esse Catullum, acrem in dicendo hominem, atq. in eodem genere acerbitatis prope singularem. In hoc enim, & Bibaculo, & Horatio iambi acerbitatem fuisse scribit in x. Quinctilianus. Sodalem vero vocat ob vsum, credo, domesticum, summamq. familiaritatem. qui pro illo etiam dixerit. Nam Q. Catullum intelligere nullo modo possumus, qui antiquior fuerit. auctor Gellius in xix. cap. ix. Catullum idem Gellius in vij. cap. xx. poëtarum dicit elegantissimum. Sed accidit tamen, vt pro antiquiore illo hunc nostrum, ac pro nostro illum fortasse nonnumquam accipiamus. & difficile quidem est iudicium, an illius quoq. nomen Catullus per LL duplex scribatur. varie enim legi video. apud Gellium geminato LL impressum lego Q. Catullum antiquiorem illum. at apud Paterculum anceps id quoq. horum vtrum intelligamus. apud quem vulgatis in libris per L vnicum legitur scriptum. *Auctoresq. carminum,* inquit, *Varronem ac Lucretium, neq. vllo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum,* & quæ sequuntur. Hunc ego tamen ab eo dici intelligebam, Nepotis, quę supra posui, verbis adductus. Martialis in v. propter varietatem, credo, carminum, Scænam Catulli facundi poëtæ dicit. sic enim ad Varronem. *Differ opus, nec te facundi Scæna Catulli Detineat.* Neq. enim fabulam illum aliquam docuisse legi. At Diomedes in iambici carminis illum auctoribus numerat, vt & Quinctilianus, *Iambici,* inquit, *carminis scriptores præcipui apud Græcos Archilochus, & Hipponax. apud Latinos Lucilius, Catullus, Horatius, Bibaculus.* Hieronymus Eusebij interpres Lyricum vocat, ac xxx. ætatis anno Romæ mortuum scribit. Ouidius non vna Catullum Lesbia contentum fuisse declarat in II. Tristium, apud quem est, *Sic sua lasciuo cantata est sæpe Catullo Femina, cui falsum Lesbia nomen erat. Nec contentus ea multos vulgauit amores, In quibus ipse suum fassus adulterium est.* Lesbiam vero idest Clodiam sororem Clodij fuisse dicit Sidonius Apollinaris. Ille vero versus apud

A Nonium Marcellum de indiscretis aduerbiis, *Animula miserula properiter abit,* vereor vt Catuli siue Catulli sit antiquioris illius. Ad quem autem Catullum referamus etiam illud, quod adducit Seruius interpretans Vergilij versum, *Purpureæ, pretiaq. Hanc vuam,* inquit, *præcipue Cato laudat in libris, quos scripsit ad filium. contra Catullus eam vituperat, & dicit nulli rei esse aptam, miraturq. cur eam laudauerit Cato.* Versus ipsi, quibus vtitur primoribus, hendecasyllabi, ab Sentio Augurino in Epigrammate apud Plinium iuniorem minuti dicuntur. *Canto carmina versibus minutis, Hıs olim quibus & meus Catullus, Et Caluus, veteresq.*

B

CVI *dono lepidum nouum libellum.*] In duobus manuscriptis, CVI, vt est etiam impressum: in vno QVOI. in Patauino altero QVIN. quæ scriptura ad eam, quam veteres in scribenda voce hac tenebant, consuetudinem propius accedit, si tantum modo N litteram à fine sustuleris. cuius rei auctor Donatus, illud in Andria Terentij interpretans, *Exorandus. Legitur,* inquit, *& Expurgandus. si Expurgandus, lege* CVI, *non* QVI. *quia Cui per Q. veteres scripsere.*

ARIDII *modo pumice expolitum Corneli.*] Praue ante, Arida. quod cum est ipsum contra manu-

C scriptorum librorum fidem, tum veterum omnium auctoritatem. eodem enim modo Plautus in Aulul. Pumex non æque est aridus, atq. hic est senex. Seruius tamen Arida Catullum scripsisse testatur, qui verba interpretans poetæ in XII. Æneid. illa, *Inclusas vt cum latebroso Pumice pastor Vestigauit apes. Pumicem,* inquit, *iste in genere masculino posuit, & hunc sequimur. licet Catullus dixerit in genere feminino,* sed & Atilius Fortunatianus, & Victorinus celebres grammatici, Arido legunt hoc ipso in loco. Eam lectionem Plinius videtur agnoscere, cuius in xxxvj. Nat. Hist. verba sunt hæc, *Sed & ij pumices, qui sunt in*

D *vsu corporum leuigandorum feminis, iam quidem & viris, atq. vt ait Catullus, libris,* & quæ sequuntur. Et Martialis in VIII. *Nondum murice cultus asperoq. Morsu pumicis aridi expolitus.* Hunc ipsum pumicis vsum in leuigandis, & tondendis libris idem Catullus post significat, *Et pumice omnia æquata.* & Tibullus in I. *Pumicet & canas tondeat ante comas.* siue aliter, *Pumex & canas tondeat ante comas.* summam vero ariditatem qui significant, pumicem adhibent. vt auctor obsceni carminis, *Quæ suco caret, vt putrisq. pumex. Nemo viderit hanc vt exspuentem.* sed quod expolitum dicit, elegantem nitidumq. significat, cuius contrarium, Impoli-

E tum. Quod Gellius in IV. cap. XII. quid sit, docet, *Item si quis eques Romanus equum habere gracilentum, aut parum nitidum visus erat, impolitiæ notabatur. id verbum significat, quasi tu dicas, Incuriæ.* Cornelium vero hunc alij Gallum, alij Nepotem putant. hunc autem Chronicon libros scripsisse, declarat Gellius in XVII. Noct. Att. cap. XXI. Et Lactantius Firmian. in I. Nepotis historiam commemorans. Et Iulius Solinus cap. II. Macrobius in I. Satur. Cornelium Labeonem nominat, qui eius generis aliquid videtur scripsisse. Ego eundem Cornelium esse existimo, ad quem etiam post, *Si quidquam tacito,* &c.

Iornandis quoq. in libro rerum Geticarum de Britannia, *In extrema*, inquit, *eius parte Memma, quam Cornelius etiam, Annalium scriptor, narrat, metallis plurimis copiosam*, &c. Figura vero orationis eadem, quæ post, *Cui faueam potius Cali, tibi.* Et apud Hom. in α. Iliad. τίς τ' ἄρ σφωε θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι; Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός.

MEAS *esse aliquid putare nugas*] Per ταπείνωσιν Nugas. vt & Horat. & Martialis. Iam vero, cur duriusculum conterraneum suum Plinius dicat, equidem non dispicio. procœmio enim operis scribit, *Namq. tu solebas meas esse aliquid putare nugas, vt obiter emolliam Catullum cõterraneum meum. agnoscis & hoc castrense verbum. ille enim, vt scis. permutatis prioribus syllabis duriusculum se fecit, quam volebat existimari à Veraniolis suis, & Fabullis.* Hæc ille. Quod si vitio vertit, quod principes versuum huius generis pedes non semper spondæos, sed & trochæos, & iambos ponit, in idem crimen optimum quemq. vocet Grœcorum poëtarum, quorum hic non dubitauit exemplum sequi. De quo Atilius Fortunatianus de metris hæc scribit: *Nam & Hendecasyllabus, quem Phalæcium vocamus, apud antiquos auctores eodem modo solebat incipere, alias à spondæo, alias ab iambico, alias à trochæo, vt apud Catullum, Arido modo pumice expolitum. ab iambo, Meas esse aliquid putare nugas. quæ omnia genera hendecasyllabi Catullus, & Sappho, & Anacreonta, & alios auctores secutus, non tamquam vitiosa vitauit, sed tamquam legitima inseruit.* Hæc Fortunatianus. Mihi quidem hæc scribenti veniebat in mentem versus Alphæi Mitylenæi, ab iambo incipiens. τὸ μηδὲν γὰρ ἄγαν, ἄγαν μὲ τέρπει. Cur autem Catullum Plinius duriusculum existimarit pedes syllabasq. priores permutantem in prima sede, caussa erat nimirum suis illis temporibus eius rei, vt ita dicam, insolẽtia. Nec enim fere aliter Martialis, aut Statius, aut illorum æqualis temporum aliquis poëta fecit; nisi solus, vt opinor, Martialis, idq. semel in II. *Iter imgere quæris ad camenas.* Quamobrem etiam Plinius maioris nepos, præter cetera duriusculos Catulli, & Calui versus fuisse significat in I. ad Erucium. De Saturnino enim Pompeio hæc, *Præterea*, inquit, *facit versus, quales Catullus, aut Caluus. quantum illis dulcedinis, amaritudinis, amoris inserit. Sane, sed data opera mollius, leuiusq. duriusculos quosdam, & hoc quasi Catullus, aut Caluus.* Probus in Institutis artium huius generis phalæcium, hendecasyllabum Sapphicum dicit, credo quod eo frequenter Sappho sit vsa.

IAM *tum, cum ausus es vnus Italorum*] Notatio temporum, ad Corneli laudem omnino pertinens. Nam quod more aliorum fecisset, si Consulum vsus nominibus fuisset, maluit historiam Corneli adhiberi, itaq. tum tempus scriptionis quoq: suæ significare, atq. illum summis laudibus adficere.

OMNE ÆVVM] Res omnis æui. omnem rerum memoriam. sic Cic. in Bruto de Attico, *An mihi potuit vnquam esse aut gratior vlla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam illius liber, quo me hic adfatus quasi iacentem excitauit.* Tum ille, *Nempe enim dicis*, inquit, *quo iste omnem rerum memoriam breuiter, & vt mihi visum est, perdiligenter complexus*

A *est*, Ac post idem Cicero, *Ille vero & noua, inquam, mihi quidem multa, & eam vtilitatem, quam requirebam, vt explicatis ordinibus temporum, vno in conspectu omnia viderem.* Ego hæc Ciceroni de Attici dici Annalibus puto, quos citat Pedianus in commentatione in Orationem contra Pisonem. *Tradunt*, inquit, *& Antiochi regis filio obsidi domum publice ædificatam, inter quos Atticus in Annalibus.* Et Corneli quidem huius Annales fuisse existimo. Valerius Max. in procemio totius operis, omnis æui gesta dixit. *Quis enim*, inquit, *omnis æui gesta modico volumine numero cõprehenderit.* ἐν ὀλίγῳ πολλά. Legi aliquid Græcè scriptũ eiusdem

B sentẽtiæ, inscriptũ sic, Ἑρμηνείας ἐν ὀλίγῳ πολὺ τῶν χρόνων.

TRIBVS *explicare chartis*] Eodem prope modo Martialis, *Versibus explicitum est omne duobus opus.* Et Cicero, *Explicatis ordinibus temporum.* Tribus autem quod dicit, paucitatem eo numero sic alibi significat, *Si tria amatorũ basia reppererit.* Et tribus verbis, cum paucissimis, etiã dicimus.

DOCTIS, *Iuppiter, & laboriosis*] Similiter Cato senex, *Vita deum immortalium.* quam Statilius Maximus, vt scribit in II. Carisius, ἱερώτατον ἀρχαϊκὸν, ὡς ὁ πόνος dicebat. Sic Terentius in Eunucho, *Iuppiter magne, ô scelestum, atq. audacem hominem.* Idem Catullus, alijq. similiter dicunt,

C *Di magni.* Et idem Catullus alibi, *Iuppiter vt tristi lumina sæpe manu.* Liuius, vt opinor, Andronicus apud Festum in verbo, *Quande, Iuppiter vt muro fretus magis.* & quæ sequuntur. similiter Aristophanes, Ω Ζεῦ τῆς λεπτολόγου τῶν φρενῶν.

QVALECVMQ. *quidem ora per virorum*] In manuscriptis omnibus erat, Qualecumq. quod patrona virgo. Alij, quo versus staret, fecerunt, Qualecumq. quidem patrona virgo. Alij etiam non Patrona, sed Patroa legendum censent. idq. fortasse propter πατρῴους θεὺς, in quibus est, Minerua. quorum Deorum & Pausanias, & Macrobius in III. Saturn. meminere. quibusdam

D etiam venit in mentem hoc loco Chartæ Virginis, cuius & Martialis, &, vt opinor, etiam Plinius mentionem fecerunt. Ego vero, quid scriptum viderim, testari volui, legebam tamen, Qualecumq. quod est, patrona virgo. sed ante hunc verbum desit fortasse quippiam. aut si nihil deest, ea sententia sit, quod qualecumq. est, id tu Minerua diu viuere, ac peruenire ad posteros velis. Patronam enim Mineruam dicit, cuius in clientela, tutelaq. sint ingenia. Eam vero vt hic Patronam, Ennius & Dominam, & Heram dixit. & eandem virginem dici, Delphica illa tabula, de qua Plinius in VII. Nat. hist.

E indicio est, cuius verba sunt, *Veteres Græcas, fuisse easdem pæne, quæ nunc Latinæ, indicio erit Delphica Tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio dono principum Mineruæ dicata in bibliotheca, cum inscriptione tali.* ΝΑΥΣΙΚΡΑΤΗϹ. ΤΙΣΑΜΕΝΟΥ. ΑΘΗΝΑΙΟϹ. ΚΟΡΑΙ. ΚΑΙ. ΑΘΗΝΑΙ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. Sic enim est nonnullis in libris. Κόρη vero etiam Virginem significat. Romæ quoq. in Ædib. Melinorum eandem Deam virginemq. significare videtur monumentum vetus,

ΘΕΑΝ. ΚΟΡΗΝ

ϹΑΡΔΙΑΝΟΙϹ

Α. ΑΥΡ.

A. ΑΥΡ. CΑΤΥΡΟC
ΑΓΕΑ. CΕΒΑC
ΑΝΕΘΗΚΕΝ

PERENNE] Metaphora nota, non vt torrens aliquis, qui, cum imbre creuerit, fertur, idem mox defecit, sed vt maiora flumina sempiterno cursu feruntur, sic etiam hoc opus duret in omnis æui memoriam. Græci Perenne sic ἀέναον dicunt, vt in Antipatri carmine in 1. Epigram. Πάσας ἀενάου ἐργατίδας σελίδων. Vergil. in XI. Æn. famam perennem, perpetuam dicit & constantem. *Dicite, prisca fides facta, sed fama perennis*. sic etiam Horat. *Exegi monumentum ære perennius. plus vno sæclo*, idest sæcula. Cinna de Diana Catonis, vt est apud Sueton. de inlustribus Grammat. *Sæcula permaneat nostri Diana Catonis.*

M. ANT. MVRETVS.

QVOI DONO] quis hic Cornelius fuerit, diu, multumque dubitatum est. dubitandi autem nulla fuisset occasio, si in veteribus libris hæc, quæ nunc in omnibus legitur, inscriptio fuisset, C. VALERII CATVLLI AD CORNELIVM NEPOTEM LIBELLVS. sed profecto & hæc, & ceteræ, quæ sunt singulorum epigrammatum, factæ sunt, non ab ipso poëta, sed vel a grammaticis, vel a librariis, cui rei si nihil aliud, certe illud indicio est, quod multæ in eis absurdissimæ, & ab auctorum sententia alienissimæ reperiuntur. Neque de hoc tantum libro loquor. idem in Tibullo, Propertio, odis Horatij à quolibet non imperitissimo homine animaduerti potest. Vtinam quidem, quæ deberet, ea in tractandis veterum monimentis & seruata esset à superioribus, & hodie seruaretur religio, simpliciora haud dubie omnia, & integriora legerentur. nunc, dum quisque, pro suo arbitratu, addit, delet, immutat, fiunt ex non integerrimis voluminibus manu scriptis impressa vitiosissima. Neque vero improbo, magnopere etiam laudo, qui modeste coniecturas suas proponunt: certorum audaciam non approbo. At de his satis. Quod hic Cornelium Nepotem intelligi aiunt, mihi quoque probatur. Cornelium quidem ipsum magnifice de Catullo sensisse, ex eo liquet, quod in vita Attici, cum L. Iulium Calidum à poëmatum suauitate ita laudaret, vt eum cæteris ætatis suæ omnibus anteponeret, Lucretium modo, & Catullum excipiendos putauit.

LEPIDVM] Modeste commendat munus suum. lepidum enim paruis tantum in rebus dicimus, vt pote quod dictum sit ἀπὸ τῆς λεπίδος. λεπὶς autem ἀπὸ τοῦ λέπω.

ARIDA] Ita legendum esse ex testimonio Seruij, alij quoque annotarunt.

PVMICE *expolitum?*] Pellibus, vt nunc fit, libri etiam olim obtegebantur: eæque pumice poliri, ac leuigari solebant. Ouidius,

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes:
Hirsutus passis vt videare comis.

Verbum ipsum poliendi ductum est ἀπὸ τῆς πόλεως. quod vrbana omnia politiora esse soleant.

A NVGAS] Alibi ineptias vocat. *Si qui fortè mearum ineptiarum Lectores eritis.*

VNVS *Italorum*] nam etsi alij quoque scripsere historias, nemo tamen aggressus est id, quod tu, omnis æui memoriam vnius libelli explicatione complecti.

TRIBVS *chartis*,] breui libello.

IVPPITER,] admirantis est, eandemque vim habet, quam Græcorum ἡράκλεις, sic alibi, *Iuppiter, vt tersti lumina sæpe manu.*

LABORIOSIS.] laboriosus homo, industrius, & φιλόπονος. laboriosus etiam, impeditus, quique se ex molestia aliqua explicare non potest.
B Cicero, *Quid nobis duobus laboriosius, inducis?* laboriosus locus, in quo multum laboratur. Gallus poematis, *Durum rus fugite, & laboriosum.* citat Nonius. Hic tamen ipse versus apud Gellium, sub Calui nomine, leuiter immutatus citatur. Hic autem chartas laboriosas dicit, μεγάλῃ καὶ ἀκριβεῖ σπουδῇ τε καὶ ἐπιμελείᾳ πεποιημένας.

QVALECVNQVE *quidem*] huius versus altera pars desideratur. Quod autem vulgo legitur, *Ora per virorum*, additum est à Iouiano Pontano, vt & alia nonnulla in hoc libro: quod & Palladius indicat, & aperte ex hoc ad ipsum Sannazarij epigrammate cognoscitur,

C *Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,*
Et trahat ingratos Lesbia sola choros:
Non tam mandosi mœrebit damna libelli,
Gestiet officio quam Iouiane tuo.
Ille tibi amplexus, atque oscula grata referet,
Mallet & hos numeros, quam meminisse suos.

amice Sannazarius, & venuste. sed Catullus mallet profecto, vt opinor, suos. Ego, etsi non video, quid aptius appingi potuerit; satius tamen duco, esse lacunas in bonis libris, quam easdem cuiusquam ingenio expleri.

IANVS DOVSA FIL.

D QVANTVMVIS in perpurgando Catullo laboratum iampridem sit à doctissimis eâ curâ ac diligentia, quam merebatur auctor tantus; tamen ex tam vberi messe spicas etiamnum aliquas esse reliqui erroris, quæ à nobis legi mereantur, atque aliquid etiam ab illis relictum desiderari, quod nouis operis expleri atque sarciri possit, facilè mihi æqui omnes & boni dabunt. Neque enim in vllius homini esse arbitror potestate, vt exhauriat sequentium ingeniorum fœcunditatem, præsertim in hoc studio,
E quod velut Africa est, & in quo, vt in humana vitæ curriculo, nunquam ita quisquam bene rationes subduxit, *Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui.* Quod cum viderem, neque summos illos viros viam posteriorum industriæ obstruere voluisse existimarē collocatos in ea laudis arce quam ad omnem posteritatis memoriam sibi exædificassent: facilè me in eam sententiam pertrahi passus sum, vt nihil eruditissimorum Interpretū maiestate deterritus, in hac silua si quid materia superesset nondum ab aliis edolatum, efformare atque exasciare tentarem, & opis aliquid afferre politissimo Scriptori,

præsertim iis in locis, qui aut mendosi aut obscuri aut à nemine hactenus satis explicati essent. Ad principium huius libri:

QVOI *dono lepidum nouum libellum, Arida modò pumice expolitum.*] respexisse Pliniũ Natur. Hist. lib. xxxv. cap. xxi. his verbis: *Sed & ij pumices, qui sunt in vsu corporum leuigandorum fæminis, iam quidem & viris, atque, vt ait Catullus, libris*, alij monuerunt: illud non perinde vulgatum, homines *pumicatos* dictos, qui hoc leuigandi corporis studio siue potius morbo laborabant. Plinius Iunior Epistolarum lib. II. *Qui titulus à vita hominis comti semper & pumicati non abhorrebat.* Martialis lib. v. *Et pumicata pauperes manu monstras.* huc pertinuit & illud Lucilij in VII. Satyrarum: *Scabor, subuellor, desquamor, pumicor, ornor.* Vbi si argutari liberet, dicerem *desquamor* & *pumicor* respondere illis Catullianis; *lepidum* & *pumice expolitum.* de altero clarum est. de priori ita probarem: *lepidum* dici ἀπὸ τῆς λεπίδος, vnde λεπίζειν, quod *desquamare* significat, deriuetur. Lexicon Græcolatinum vetus: Λεπίζω *Squameo*; correxerim *Desquamo.* Eodem Epigrammate.

DOCTIS, *Iuppiter, & laboriosis.*] *Iuppiter* θαυμαστικῶς est. notandum autem etiam Græcos ita loqui atque vti suo ὦ Ζεῦ. Philemo apud Athenæum:

Σὺ γὰρ λέγουσι προσέχειν αὐτὸ τοῖς ἰδίοις
Δουλεύειν, ὦ Ζεῦ, πράγμασι καὶ συντόνως.

Eubulus Comicus:

αἰγίδιον σοὶ δ' ὑπὸ τῶνδε φορεῖτε
σίραιον πολυτίμητον ὦ θεῶν
χυμοῖσιν χαρίεσσιν, ὦ Ζεῦ.

Sic enim distinguo eos versus, qui apud Athenæum indiuulsi leguntur & laborant ab interpunctis.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

C. VALERI.] In manuscripto iurisconsultissimi viri Iacobi Cuiacij non Caius, sed Quintus prænomen exaratum est. idque videtur confirmari carmine in ianuam, illo versiculo: *Verum isti populi nænia, Quinte, facit.* Quare, qui illi Caio prænomen faciunt, possunt hac auctoritate permoti sententiam suam mutare. Porro liber ille, quo vsi sumus, cuiusque iam mentionem fecimus, longe alios huius poetæ manuscriptos bonitate superat, quum tamen omnes ex vno exemplari descripti fuerint. Id exemplar ab homine Veronensi, quisquis ille fuit, in Gallijs repertum omnes illos codices eius poetæ, qui in Italia extant, propagauit. Et quum multi extiterint, quorum pars vitam poetæ collegerint, pars in eum Commentarios ediderint: miror a nemine illorum memoriæ proditum, quando, & a quo, & vbi hic liber repertus in manus nostras peruenerit. Solus Volaterranus, quod sciam, memoria auorum suorũ e situ erutum scribit. Sed in Gallijs se eum reperisse ille ipse, qui publicauit, epigrammate testatus est. Quod quamuis dignum est elegantia sæculi illius, quo literas scire, barbaries erat: tamen nequid sine teste dicerem, id æquo A animo hic adposui.

Ad patriam redeo longis a finibus exul.
Caussa meì reditus compatriota fuit,
Scilicet a Calamis tribuit cui Francia nomen:
Quique notat cursum prætereuntis iter.
Quo licet ingenio vestrum reuocate Catullum,
Quoius sub modio clausa papyrus erat.

Et si, candide lector, hoc epigrammate patienter carere poteras, habet tamẽ, quod te scire melius fuit, quam ignorare. Non repetam de Catullo, quæ vulgatissima alij atque alij tanquam noua nobis obtrudunt. Id tantum dicam: vrbicarium & Mimographum poetam huic nostro cognominem fuisse: cuius meminit Iuuenalis. Et for-B tasse is fuit auctor carminis de Vere, ex quo hoc citat Erasmus: *Sic Amyclas, dum tacebant, perdidit silentium.* Suspicor autem illud Gallicanum exemplar Langobardicis literis scriptum fuisse: quia errores, qui in postremis codicibus ab imperitis librariis disseminati sunt, non aliter videntur, quam a morosis illis characteribus nati. id quod suo loco diligenter admonebimus. Præterea non character solum menda propagauit, sed & antiquaria lectio. Nam librarius semper scripserat QVOR, QVOM, LVDEI, LVCEI, ADEPTA'S, M'ALIVS, OCEANO'S, POPVL' ARBITRIO, DEVOLVIT ILL' ACVTO, ILI' ET. Item multa alia præterea, quorum C ignoratione quantum in hoc auctore edendo peccatum sit, postea docebo. Miraberis enim, studiose lector, tantam mendorum segetem hũc politissimum auctorem occupasse. quam si non omnem extirpauero. tamen non magnum post me spicilegium relinquam. Dubitandum vero minime est opus Catulli ad nos lacerum peruenisse. Longe enim plura scripsisse testes sunt veteres Grammatici, qui de eius poematijs ea producunt, quæ hodie non extant. Itaque apud Virgilium lib. v. *per mille coloribus arcum*: ibi Seruius, *De iride arcum in genere masculino dixit. Virgilius, Catullus & alij in fœminino referẽtes ad originem.* D Atqui tale nihil hodie in Catullianis. Præterea eius opus videtur in genera carminum distinctũ fuisse, Hendecasyllabos, Heroica, Lyrica, Elegiaca. Itaque Charisius citat Catullum in Hendecasyllabis. quod sane non fecisset, nisi ita tributum fuisset volumen. Rursus apud Virgilium legimus: —*Et quo te carmine dicam Rætica?*—Ibi Seruius refert, Virgilium, quum sciret Ræticum vinum summopere laudari a Catone, contra autem vituperari a Catullo, ne se in eam dissensionem interponeret, hoc modo locutum. Atqui in hodiernis Catullianis nulla nota eius rei extat. E Denique Nonius ex Priapeo Catulli adducit: *De meo Ligurure libido est.* Quare admodum mutilum opus Catullianum ad nos peruenisse minime dubium. Quid præterea dicam, quæ citat ex Catullo Maurus Terentianus, quæ nusquam comparent?

AD *Cor. Nepotem*] Ineptum est dubitare de Cor. Nepote, quem Plinius & accolam Padi, & Transpadanum vocat. Sed Ausonius omnem prorsus dubitationem tollit, qui eum Gallum vocat, & Nepotis cognomen attribuit.

Cui dono lepidum nouum libellum,

Veronensis ait poeta quondam: A
Inuentoque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum
Credemus gremio eius souendum?
Inueni, (trepidæ silete nugæ)
Nec doctum minus, & magis benignum,
Quam quem Gallia præbuit Catullo.

ARIDA *modo.*] Cur dubites de hac lectione, caussæ non est, si Seruium locupletissimum auctorem habes. Quare enim illi minus, quam libris abhinc centum annis scriptis tribuendum sit, non video.

CORNELI] Male hoc distinguitur vulgo. Ita B enim scripsit Catullus:

Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi. - - Sic in Epigrammatis:
Quæ potius faucam? Cæli, tibi.

OMNE *æuum tribus.*] Dupliciter peccant docti viri in huius loci enarratione, primum, quum Annales Nepotis intelligunt: quorum quum Grammatici decimum quintum citent, non efficient, id quod volunt, nempe illud, *Tribus chartis* esse, breuiter & compendiose, vt ipsi exponunt. Nam quomodo compendiose scribere potuit, qui ad decimum quintum, aut vlte- C tius fortasse scripserit? Alter error, quum *Tribus chartis*, vt iam monui, pro breuiter accipiunt. Quid ergo? Intelligit Chronicon Nepotis, quod antiquissima etiam mythologica complectebatur instar Apollodori Bibliothecæ. Ausonius: *Apologos Titiani, & Nepotis Chronica, quasi alios apologos, nam & ipsa instar, fabularum sunt, ad nobilitatem tuam misi.* Deinde aperte hoc Catullus ipse docet. Nam τὸ *Omne æuum* plane ad Chronica refertur, Chronicorum scriptio omne omnium gentium æuum complectitur, Annales tantum vnius nationis gesta. *At tribus chartis* quod dixit, pene pueri ipsi explicauerint, tribus libris. Ita Q. Serenus: *Tertius nanque Titi si-* D *mul & centesima Liui Charta* - - An censes aliud quam centesimum tertium librum indicari? Quare doctis viris, qui id prouerbialiter dictum interpretantur, per me quidem tacere licet. Quid enim breuius scribere potuit, quam omne æuum ab vltima antiquitate tribus libris complecti?

DOCTIS, *Iuppiter,*] ἐκφώνησις satis nota. Ei similis ea apud Florum: *In loco, quem Aquas Sextias vocant, quo, fides numinum, prælio oppressit.* Sic apud Catonem: *Vita Deum immortalium.* vbi Statilius Maximus vetustissim. Criticus. ἐκφώνησις, inquit, ἀρχαϊκή, ὡς, ὦ θεοί. Antipater Sidonius in E Alcæum: - - οὐ γὰρ ἐν ἄλλα ἱερόν, ἀλλ᾽ ἐν ἱερᾷ ... ἔλαχεν, ὦ ... τῷ παγκρατής. Nã vltima verba eodem modo ἐκφωνητικῶς pronuncianda. Terentius Andria: *Pietatem nati, nonne te miseret mei.* vt ἐκφώνησις per ea, quæ nobis augustissima, Deos, templa Deorum: sic & per ea, quæ nobis charissima, parentes, liberos. Itaque *vitam Deorum immortalium,* & *Pietatem nati* eodem modo enunciatum, nimirum ἐκφωνητικῶς.

QVARE HABE,] Ita lege ex veteri scriptura: *Quare habe tibi, quicquid hoc libelli est, Qualecumque* - - Quod est elegantiæ priscæ ac Latinæ.

QVALECVNQVE *quidem.*] Iam deuenimus eum locum, qui adeo vulgus Grammaticorum torsit. Notum commentum Pontani, ipso Pontano indignum, quod multi ita amplexi sunt, vt quum se belle Catullum imitari profiterentur, id totum tanquam γνώμην Catulli in suos hendecasyllabos incularint. Librorum scriptorum lectio, vt iam multi monuerunt, ita concepta est. - *quod o patrona virgo.* In nostro erat *patrima.* Parua quidem menda, si leuiusculam mutationem, quæ hic commissa est, spectes: sed non parui momenti, si nos quidem recte diuinauimus. id quod tamen nos fecisse fortasse non inepte affirmare possumus. Legimus ergo:

Quare habe tibi quicquid hoc libelli est,
Qualecumque. quod, o patrima Virgo,
Plus vno maneat perenne sæclo.

Quibus vterque parens superstes erat ij, Græcis ἀμφιθαλεῖς, Latinis patrimi matrimi dicebantur. Contra quibus alter tantum parens erat, ἑτεροθαλεῖς. & Latine, quibus pater decesserat, ij matrimi: quibus mater, ij patrimi erant. Eleganter vero Catullus Mineruam, quæ tantum patrem habebat, patrimam vocat. Eo nomine ἀμήτωρ a Græcis poetis vocatur. vt,

καὶ δή μου δίχα ... Τριτωνὶς ἀμήτωρ.

Nam, vt inquit Callimachus - μάτηρ δ᾽ οὐκ ἔτεκεν θεάν, ἀλλὰ Διὸς κορυφά - Quare propterea ἀμήτωρ dicta. Euripides Phœnissis, διὰ ... Παλλάδος φραδαῖσιν. Hoc est, Diuæ patrimæ Mineruæ consiliis. Sic quum Volcanus a Græcis dicitur ἀπάτωρ, iure vertere potes, matrimus. Patre enim caret, vt Minerua matre. Perperam vero alteram ab vltima corripuit Politianus, quum analogia aliter doceat. Ita enim producimus, Primus, Bimus, Trimus, Quadrimus. Ad quod exemplum formatur, Patrimus, Matrimus. Quod si *patrona* retines, non deterius erit altero, propterea quod in Bibliothecis Minerua dicata erat. Iuuenalis Satira III. *Hic libros dabit & forulos, mediamque Mineruam.* Mediam Mineruam vocat, ἐσχάτην Mineruæ, quæ in omnibus bibliothecis dedicabatur: quo nomine patronam librorum vocauerit. Itaque non immerito librum plus vno sæclo viuere optat, quem Minerua in Bibliothecas receperit. Magister quidam, cui editio horum trium poetarum impotentem zelotypiam expressit, clamabat ex suggestu, flagitium esse Mineruam inuocari in poemate lasciuo. Sed æmulatio eum ad tam nugatoriam obiectionem impulit, non vlla ratio. Nam quis poeta non de amore locutus? & tamen quis non eorum inuocauit Mineruam? propter pædagogulorum fastidium vnus Catullus ab inuocatione Mineruæ facessat?

Ad passerem Lesbiæ. II.

PASSER, deliciæ meæ puellæ,
Qui cum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti,

Et acris solet incitare morsus,
Cum desiderio meo nitenti,
Carum nescio quid lubet iocari,
Vt solaciolum sui doloris:
Credo, vt tum grauis acquiescat ardor,
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristes animi leuare curas,
Tam gratum mihi, quàm ferunt puellæ,
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

ANTONIVS PARTHENIVS.

PASSER, *deliciæ meæ puellæ.*] Ex hoc carmine Mart. hoc opus passerem appellari fortasse suspicatus est. In hoc autem poeta Lesbiæ passerem deflet: quem quanto maiori voluptati fuisse Lesbiæ ostendit, puellam tanto acerbiore mœrore affectam ex auiculæ illius interitu significat. Commendat prius passeris delitias, & iocos: Deinde mortem eius fletu ac lamentationibus prosequitur: mala multa imprecatus Orci tenebris omnia deuorantibus.

PRIMVM.] Pro primo, aduerbium est: aut certe appetenti primum ipsum digitum: quasi ante omnia digitum appeteret. & sic distinguendum est: aut primum digitum pro prima parte digiti, vt Vir. *Primaque vetant consistere terra.* & Teren. *Lenoni eripuit meretricem in prima fabula*: pro prima parte terræ, & prima parte fabulæ. Ordo est: O passer deliciæ meæ puellæ lubet nunc mihi iocari tecum, scil. desiderio meo.

NITENTI.] Nitido, splendido, & ob hoc grato: nam quæ nitent grata esse solent.

DESIDERIO.] Amore meo. nam amicæ res caræ sunt amatori.

LVBET.] Mihi, subaudi.

IOCARI *nescio quid carum.*] Quendam paruum iocum exercere.

CARVM.] Scilicet mihi.

ET *solatiolum sui do.*] Sensus est: Et credo hoc etiam solatium doloris Lesbiæ, vt ego quoque possem ludere tecum, ô passer, sicut ipsa olim ludere solebat.

SOLATIOLVM *credo.*] s. quod sequitur, vt tecum ego possem ludere sicut ipsa.

SOLATIOLVM *sui doloris.*] Sui pro eius posuit satis impropriè.

GRAVIS *ardor.*] Diffinitio iracundiæ amatoriæ: nam amantium iræ facillime accenduntur. In amore enim hæc omnia sunt vitia: iniuriæ, suspitiones, inimicitiæ, induciæ, bellum, pax rursum. vt ait Teren.

ACQVIESCET.] Restinctus esset aduersum me, pro acquieuisset: alij legunt acquiescet futuri temporis: quod minime probo.

ET *tr. an. le. cu. tam gratum est mihi.*] Non enim solum credo idem esse solatiolum eius doloris, quod accipiet ex meis cum passere iocis, sed etiam hoc mihi quoque gratissimum est si leuauero puellæ meæ tristes animi curas. Possumus tamen alium afferre sensum.

SOLATIOLVM *doloris.*] i. credo hanc vnam esse meæ puellæ consolationem, pro minuendo eius mœrore ex passeris morte suscepto: si possem tecum, ô passer, ludere.

ET *grauis ardor.*] i. grauis mœror ex passeris interitu proueniens.

AVREOLVM *malum.*] Apud Ouidium hæc fabula latissimè patet: quemadmodum Hippomenes aureis malis, à Venere acceptis, Atalantam puellam in cursus certamine deceperit, ac vicerit, nuptiisque eius sit potitus.

PERNICI.] Veloci. nam pedum pernicitate multos iuuenes inpigros superauerat puella.

QVOD.] Malum aureum ex Hesperidum hortis à Venere decerptum.

SOLVIT *zonam diu ligatam.*] Virginalē puellæ pudicitiam tradidit Hippomeni solutam. Nam virginalis puellarum venter pro pudicitiæ custodia cingulo laneo cinctus seruabatur, nec licebat sponso noua nupta potiri, nisi prius zonam illam soluisset: & hoc est, quod Festus inquit: *Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis: vt sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctusque esset. hoc Herculaneo nodo vinctum vir soluit ominis gratia: vt sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit. Cinxia item Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio coniugij solutio erat cinguli quo noua nupta erat cincta.* alibi: *Tibi virgines zonula soluunt sinus.* Alibi: *Quod posset zonam soluere virgineam.*

DIV *ligatam.*] Vsque ad nuptiarū tempus.

PALLADIVS FVSCVS.

PASSER *delitiæ.*] Versus est eius generis cuius superior. Catullus hinc amore, inde ira æstuans, quod ab amica exclusus foret, passerem alloquitur: demiratus tum eius lusus, tum voluptatem, quam ex eo irritando Lesbia capiebat. Quare, inquit, si cum hic ardor qui nunc me tenet quiescat, ego item, vt puella solet, tecum ludere, ludendoque curas animi leuare possem: tam gratum mihi tuum esset beneficium, quam gratum ferunt fuisse malum aureum Atalantæ puellæ, quod ab Hippomene in cursus certamine iactum, vt assequeretur, pudicitiæ famam contempsit, & patris spreuit imperium.

DELITIÆ.] Oblectamenta. Virgilius: *Formosum pastor Corydon ardebat Alexin Delitias domini.*

QVI *cum.*] Cum quo.

PRIMVM *digitum.*] Primam digiti partem.

ET *acris solet incitare morsus.*] Acriter mordentem irritare.

CVM *desiderio meo nitenti.*] Huius & duorum qui subsequuntur versuum sensus & ordo est: Cum lubet meo desiderio nitenti iocari nescio quid carum & solatiolum sui doloris. Appellat autem amicam desiderium, quæ mœrore aliquo affecta, si cum passere luderet, eius lusibus exhilarabatur. Dixit autem iocari pro ludere.

VT *cum grauis acquiescat ardor.*] Credo inquit vt si possem ludere tecum, sicut ipsa: & ludendo leuare

leuare curas animi, cum grauis ardor acquiescat: tam gratum est mihi:&reliqua. A

GRAVIS *ardor.*] Molestus ignis.

CVRAS.] Sollicitudines.

EST.] Pro esset: tempus pro tempore: ἐναλλαγή.

PERNICI.] Veloci: aciter currenti: vt pote quæ cum procis cursu certabat. Fabula autem talis est. Ex Scheno ciuitate fuit virgo Atalanta cursu præpotens sic vt sponsos prouocatos & victos occideret. postea Hippomenes Venerem vt sibi adesset rogauit: à qua cum accepisset de horto Hesperidum vel Damasceno Cypri agro tria mala aurea puellam prouocauit, Et singula B cœpit iacere: Tum Atalanta cupidine colligendorum malorum retenta superata est: sed Hippomenes potitus victoria in luco Matris deum amoris impatientia cum victa concubuit: vnde irata dea in leones eos mutauit, & currui suo subdidit.

AVREOLVM.] Amat hic poeta inserere suis versibus nomina diminutiua, quia hęc ad aurem legentis dulcius sonant.

QVOD *zonam soluit diu ligatam.*] Quod malum causa fuit, vt Atalanta virginitatem amitteret.

SOLVIT.] Diæresis. Nam nisi soluit trisyllabum sit, versus stare non potest. C

ZONAM.] Cingulum: quod ex lana ouis fiebat, eo virginalis venter præcingebatur: Verum cum puella nupsisset, illud prima nocte vir in lecto soluebat: Verrius est auctor. Quidam vero pro tecum legunt secum: & pro ipsa legunt ipse. Quæ lectio si placet dicendum est Catullum, non cum passere sed cum Lesbia ludere exoptasse.

ACHILLES STATIVS.

PASSER, *deliciæ meæ puellæ*] sic erat omnibus D in manuscriptis. alij se legisse adfirmant, pro Deliciæ, Delicium. sed illo modo scriptum fuisse, videtur indicare Martialis in. VII. de sua puella, illis versibus. *Accidit infandum nostræ scelus Aule puellæ, Amisit lusus delicias q. suas. Non quales teneri plorauit amica Catulli, Lesbia, nequitiis passeris orba sui.* Hoc autem blandimento vtebantur in reb. carissimis appellandis. Idem post, *Amabo mea dulcis Ipsithilla, Meæ deliciæ, mei lepores.* In veterib. monumentis, quæ Romæ viderim, mariti coniuges suas, & matres filias blande vocant, DELICIO. & DELICIO. SVO. & DELICIO SVO CARISSIMO. Ego vero post hunc versum legerem li- E benter illum, Et solaciolum sui doloris. minus enim molestiæ legentib. adferet horum sententia, atq. ordo versuum. nec erit, cur, Et, in, Vt, mutemus, cum sit illo modo scriptum in libris omnibus. sæpe vero factum id animaduertimus in hoc præsertim poeta, vt suis locis moti versus alienissimis legantur.

QVI *cum ludere, quem in sinu tenere*] similis sæpe apud optimos auctores frequentatio. Cic. *Cui in manu sit, quem esse dementem velit, quem sapere, quem insanire, quem in morbum inici, quem contra amari, quem accersiri, quem expeti.*

QVI *cum ludere*] Ingenuorum lusus hic puerorum olim fuit. Plaut. in Capt. *Nam, vbi illo adueni, quasi patriciis pueris aut monedulæ, aut anates, aut coturnices dantur, quicum lusitent.* Et Ouid. in. x. Metam. de Pygmalcone, & virginis statua, quam ille amabat, *Munera fert illi conchas, teretesq. lapillos, Et paruas volucres, & flores mille colorum.*

CVI *primum digitum dare adpetenti.*] Theocritus — ἄκρα δὲ χειρὸς δάκτυλα. — Vno in manuscripto veterum more Qui, pro cui scriptum legebatur. Primum vero digitum dicit, quod Chrysostomus, τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου. & Hippocrates in Aphorismo XII. τὰ ἄκρα τῶν δακτύλων.

ET *acris solet incitare morsus.*] Acris morsus etiā dicit Cic. in. II. de Offic. *Acriores autem morsus, inquit, sunt amissæ libertatis, quam retentæ.*

CVM *desiderio meo nitenti.*] idest puellæ meæ, sic Cic. ad Terentiam, opinor, *Meum desiderium, mea lux.* Sic Phanocles de Orpheo, πολλάκι δὲ σκιεροῖς ἐν ἄλσεσιν ἕζετ' ἀείδων Ὃν πόθον. οὐδ' ἦν οἱ θυμὸς ἐν ἡσυχίῃ. Et Bion in Bucolicis, θνατοῖς ἀθανάτοιο πόθοιο. Et in veteribus monumentis Romæ nomen puellæ legitur, inde deductum, POTHVSÆ.

CARVM *nescio quid lubet iocari.*] In Maffei libro erat Ratum. quod factū opinor ex eo quod erat Karum. sic enim id verbum veteres scripsisse nonnumquam, multa vetustatis monumenta declarant. Carum autem id exprimit hoc loco, quod etiam Græcis est φίλον τι.

CREDO, *vt cum grauis acquiescet ardor.* legendum censeo, vt & Aldus olim impressit, *Credo vt tum grauis acquiescat ardor.* Similiter Tibullus in. I. *Infelix dum requiescit amor.*

TECVM *ludere, sicut ipsa, possem.*] sic quoq. erat in manuscriptis omnibus. Aldus olim impressit, *Secum ludere, sicut ipse, possem.*

ET *tristes animi leuare curas.*] In manuscriptis veterum more, Tristis. vt supra Acris, non, Acres. *Tristes*: amaras. Horat. in IV. *amaraque curarum.* Namque triste, amarum dicitur. Idem alibi de Venere: *Quæ dulcem curis miscet amaritiem. Leuare*, κουφίζειν. Theocritus in Αἰτήσει; Οὐ λόγος οὐχ φάρμακα τὸ κουφίζει τὸν ἔρωτα.

TAM *gratum mihi.*] In manuscriptis omnibus Tam gratum est mihi. Guarinus signum ἐλλείψεως suo in libro fuisse demonstrat. Et vero hæc cum superioribus vsquequaq. non cohærent.

QVOD *zonam soluit diu ligatam.*] Adducit in. I. Priscianus, quo doceat consonantem. v. pro vocali accipi. Ab huiusmodi vero zona Βαθύζωνοι, & Χρυσόζωνοι Γυναῖκες a Græcis dicuntur. Eadem de zona Martialis, *Longa satis nunc sum: dulci sed pondere venter Si tumeat, fiam tunc tibi zona breuis.* Soluendæ zonæ morem referunt ad Lycurgum auctorem. Sed, cum fere zonam soluere plerīq. intelligant id esse tantum quod vitiare, aut grauidam relinquere, Hyperides etiam parere videtur interpretari, cuius verba sunt apud Hermogenis interpretem hæc. Λέγεται γὰρ τὴν Λητὼ κύουσαν τοὺς παῖδας ἐκ Διὸς ἐλαύνεσθαι ὑπὸ τῆς Ἥρας κατὰ γῆν πᾶσαν καὶ θάλατταν. ἤδη δὲ αὐτὴν βαρυνομένην καὶ ἀπορουμένην εἰς τὴν γῆν ἐλθεῖν τὴν ἡμετέραν, καὶ λῦσαι τὴν ζώνην ἐν τῷ τόπῳ, ὃς νῦν Ζωστὴρ καλεῖται. Idem scribit Stephanus περὶ πόλεων, in verbo Ζωστήρ. Interpres quoq.

Apollonij templum Athenis fuisse dicit Dianæ dicatum λυσιζώνῳ. quod parturientibus scilicet præesse putabatur. quam ob caussam etiam auctor Hymni in Dianam, λυσιζώνην eandem vocat. Hanc pelliceam zonam fuisse docet Placiades in Glossis. *Incæstum*, inquit, *puto. A. litteram debere retinere: ab eo quod est Incastum venit.* Cæstum dicunt zonam pelliceam Veneris, quæ legitimas nuptias ligat. Si quis ergo alieni legitimiq. matrimonij iura violauerit, incæstum dicitur admisisse, id est, quasi castitatis vinculum, zonamq. Veneris violasse.

M. ANT. MVRETVS.

PASSER.] Politianus, leui, aut nullo potius argumento ductus, obscœnum quiddam huius passeris nomine obtegi credidit. in quo, merito, vt mihi quidem videtur, a Sannazario, aliisque derisus est. Narrat quidem Festus στρουθὸν nomine vocatam in mimis obscœnam partem virilem, a passerum videlicet salacitate: sed hic tam multa sunt, quæ nisi de aue intelligi non queunt, vt nihil tale liceat suspicari. Quo fit, vt magis admirer, quod audio, Benedictum quoque Lampridium, hominem alioqui eruditissimum, raræque cuiusdam in pangendis versibus elegantiæ, hanc Politiani sententiam in omni sermone approbare solitum fuisse. Facere etiam imperite puto, qui illud Martialis, *Sic forsan tener ausus est Catullus Magno mittere passerem Maroni*, perinde accipiunt, ac si ab historico, non a poeta, dictum esset. Primum illud, *Forsan*, satis indicat exemplum hoc esse ex genere eorum, quæ poetæ apte ad rem propositam sæpe comminisci solent: qualia sunt illa,

Fratris in Aeneæ sic illum funere dicunt
Egressum c. stris pulcher Iule tuis: &c,
Teucer Salamina patremque
Cum fugeret, tamen vda Lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona:

& innumerabilia ad eundem modum. Qua in re tanta est eorum licentia, vt sæpe etiam alij alijs pugnantia confingant. *-quod erat longissima*, ait Ouidius, *nunquam Thebais Hectoreo nupta resedit equo.* at ille alter narrat impuræ libidini indulgere solitos seruos, *Hectoreo quoties sederat vxor equo.* Deinde non erat sane tam magnus Maro, quo tempore hæc scripta sunt, vt iudicium illius Catullus requireret, aut vero de eo quidquam cogitare deberet. quippe, si Crinitum ipsum sequamur, cum Catullus migrauit è vita, P. Maro Cremonæ studiis operam dabat, vixque annum ætatis duodecimum impleuerat. Non est autem dissimulandum, in quibusdam libris illud, quod est paulo infra, *Lugete o Veneres*, esse principium epigrammatis; in aliis hoc totum de passere continenter legi. ego, cum quod pro certo affirmem, non habeam: labor tamen, vt putem duo esse epigrammata, quorum priore viuum adhuc passerem alloquitur: posteriore eundem mortuum deflet.

DELICIÆ.] τὸ παιδικόν.

PRIMVM *digitum.* summam digiti partem. ita Terentius primam fabulam, & vltimam plateam dixit: ita M. Tullius primoribus labris gustare, & extremis digitis attingere.

APPETENTI,] apprehendere cupienti, ὀρεγομένῳ. Homerus, οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος ἕκτωρ.

CVM *desiderio.*) cum puellæ ipsi, (eam enim desiderium suum vocat) aliquam animo ægritudinem sentienti, libet carum & amabile quiddam iocari, atque ex tuorum lusuum festiuitate aliquod doloris sui solatium quærere, efficereque, vt, tecum lusitando, ardor ille animi acquiescat.

TVM.) interim dum ipsa ita iocatur.

GRAVIS.) graue, proprie est τὸ βαρύ. sed per translationem significat, quidquid molestum est, vt Græcis τὸ δεινόν.

ARDOR;) ille doloris quasi morsus. Est autem valde apta tralatio, nam &, vrere, interdum valet molestiam exhibere. Terentius Eunucho, *Vro hominem:* & in eadem fabula, *- te vt male vrat.* Horatius, *Vrit enim fulgore suo, qui prægrauat artes Infra se positas.*

TECVM *ludere, sicut ipsa, possem,*) vtinam, inquit, sicut ipsa tecum ludendo doloris sui ardorem mitigat, possem ego quoque eadem conditione tecum ludere, & talibus lusiunculis leuare curas, quibus conficior. In hoc autem versu nihil mutauimus, sed veterum librorum scripturam, temere, vt visum est, ab aliis loco motam, reposuimus.

POSSEM.) subaudi vtinam. Sic sæpe apud Græcos Euripides, vt Oreste, αἰωρούμενος ἱερὸν μέσον χθονὸς πετρώδεσι ἀιωρήμασι πέτρας. & Phœnissis, χορὸς γενοίμαν ἄφοβος.

TAM *gratum id mihi.*) subaudi, esset.

PVELLÆ *pernici.*) Atalantæ, fabula ex metamorphosi Ouidij, aut ex commentario in Comasten Theocriti nullo negocio peti potest.

QVOD *zonam soluit.*) Festus, *Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, vt sicut illa, in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctusque esset. Hoc Herculaneo nodo vinctum vir soluit, ominis gratia, vt sic ille felix sit in suscipiendis liberis, vt fuit Hercules, qui LXX. liberos reliquit,* & paulo infra, *Cinxiæ item Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptijs, quod initio coniugij solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta.* Hæc Festus. Catullus alibi, *-tibi virgines Zonula soluunt sinus.* Idem, *Ne quærendum aliunde foret neruosius illud, Quod zonam soluere virgineam*, citatur & Varronis versus apud Nonium, γάμος διδασκαλικόν. *Nonos maritus is soluebat cingulum.* Græci quoque λυσιζώνους puellas Venerem expertas vocant.

IANVS DOVSA FIL.

QVI *cum ludere, quem in sinu tenere.*] Particulam in à, mala manu esse vt suspicer, facit Poëtarum consuetudo, qui eam aliásque similes in sermone creberrime emittunt, vt ecce infra: *Puella namque quæ meo sinu fugit*, vult enim dicere è meo sinu quare si & hic legamus, *quem sinu tenere*, nihil aut Catullianæ venustati aut sententiæ decedet. Sequitur,

QVOI *primum dig. dare appetenti.*] Sic & Pro-

pertius illo versu libri II. *At tu vix primas extollens gurgite palmas*, *primas palmas* pro primoribus digitis, Plautus alibi *postremam comœdiam* pro extremo Comœdię posuit, vt Terentius *Primam Fabulam* pro principio Fabulæ.

Credo, vt tum grauis acquiescat ardor, Tecum ludere, sicut ipsa, possem. Nō displicet hoc loco Patris mei coniectura, qui hos duos versus ita rescribendos censet: *Cedo, vt tam grauis acquiescat ardor, Tecum ludere, sicut ipsa, possim.* Quam lectionem si recipimus, hæc erit sententia: Da, siue fac mihi istam gratiam, (id enim *Cedo* significat) vt tecum ludēdo, sicut ipsa, doloris mei ardorem mitigare possim.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PASSER.] Nimis argutantur Politianus, & Turnebus. alter, quod nescio quid subturpiculum sub passeris nomine Catullum αἰνίττεσθαι vult: alter quod passerem amicæ à Catullo commendatum vult, quia secundum Sappho currum Veneris passeres trahunt. docti quidem ambo, sed quos mallem hoc tacuisse. Quod autem hactenus hoc epigramma à nemine intellectum sit, nisi ex ijs, quæ sequuntur, conijcero, oleum & operam me perdidisse dicito.

CVM *desiderio meo nitenti.*] Scribendum est QVVM. Quum libet, hoc est, quandoquidem libet. In plerisque veterum libris QVONIAM pro QVVM substitutum est. & vt alios taceam. Institutiones Iustiniani Imp. manuscriptæ semper habent QVVM, vbi vulgo QVANDO, aut QVONIAM interpolatum est. Hoc maioris est momenti, quam pædagoguli prima fronte iudicare possent. Quid enim sequitur, vide. Male vero desiderium puellam ipsam, & amores poëtæ interpretantur vulgo.

CREDO *vt tum.*] Corruptissima hæc sunt, si quæ alia in Catullo. &, si qui putant se totum Catullum tenere, verum fateri volunt, profecto se in hoc loco nihil penitus videre fateantur necesse est. Vetus scriptorum librorum lectio: *Credo vt quom grauis acquescet error.* Magnum mendum, sed parua labe contractum. Nam vetus codex Gallicanus sine dubio habuit *credont* pro *credunt*. Ita enim non raro scribebant, vt in lapide Narbonensi:

VIVONT
A. SEMPRONIO
GALLÆCI. L. LÆTO
PVRPVRARIO
ET. SEMPRONIÆ. MODESTÆ
VXORI.

Et in aliis eiusdem vrbis inscriptionibus legitur VIVONT pro *viuunt*. *Acquescet* autem pro *acquiescit* scriptum fuisse non mirum videri debet. Ita enim sæpissime in hoc libro. vt IPSE, QVE, LVCE, & similia. pro *Ipsi, qui, luci*. Mens Catulli hæc est. O passer, quandoquidem libet mihi dare ludum desiderio meo, hoc est: Quando libet mihi animi gratia iocari (vt homines tunc credunt se defunctos dolore, quando eo intermittente leuantur, puta interiecto aliquo ludicro) vtinam tecum ludere, sicut ipsa possem,

A ac tam leui opera, æstu ac dolore meo defungi. Errori etiam ansam dare potuit nomen supplendum, ad quod refertur τὸ *credunt*. Ita enim sæpe loquuntur veteres. Propertius: *Non ita complebant Ephyreæ Laidos ædes.* Complebant, qui? homines, amatores. Theocritus. ἄνω ἐμῶν τοῦ παιδὸς μᾶλλον ἢ ματρὸς ἀκίων. Subaudimus enim παιδὸς: & hæc quoque sunt inusitatæ elegantiæ: quæ tamen hactenus nemo intelligebat.

TECVM *ludere.*] Non expressum est τὸ εὐκτικὸν Vtinam. Virgilius: — *Troum socia arma secutum Obruerent Rutuli* — vtinam obruerent. Legēdum vero, vt in manuscriptis, *Tecum ludere, sicut ipsa, possem*, non autem, *Secum ludere, sicut ipse, possem*.
B Ouid. *Me quoque qua fratrem mactasses, improbe, dextra.* Subaudiendum & hic, vtinam. Tibullus: *Tum mihi vita foret.* Vtinam foret.

QVOD *zonam soluit.*] Zonam soluere aliter Romanis, aliter Græcis accipitur. Nam Latinis zonam soluere dicitur quæ traditur viro: Græcis autem quæ primum parit. Apollonius Rhodius libro primo: — ᾗ ἔπι μούνῳ Μητέρα πορσύνων λῦσεν καὶ ὄπασσε. Scholiastes λύειν γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρωτοτόκοι τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι. ὅθεν καὶ Λυσιζώνου Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις. tamen scimus & de illis, quibus virginitas minuitur apud Græcos vsurpari. Theocritus: νῦν δὲ οἱ μητέρα, καὶ οἱ λέχος
C ἐννοεῖ ὥρας. Neque audiendus ille Scholiastes. Debebat enim dicere, αἱ διαπαρθενευθεῖσαι: non autem αἱ πρωτοτόκοι τίκτουσαι. Sic Apollonius lib. IIII. — ἰδ᾽ ἵνα μήτηρ φίλη, ὡς ἐπὶ πατρὶς Δώμασιν ἄχραντος καὶ ἀκήρατος —

Luctus in morte passeris. III.

LVGETE, ô Veneres, Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum:
Passer mortuus est meæ puellæ,
D *Quem plus illa oculis suis amabat.*
Nam mellitus erat, suamque norat
Ipsam tam bene, quam puella matrem:
Nec sese à gremio illius mouebat,
Sed circumsiliens modò huc, modò illuc,
Ad solam dominam vsque pipilabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum,
Illud, vnde negant redire quemquam.
At vobis, malè sit malæ tenebræ
E *Orci, quæ omnia bella deuoratis,*
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum malè, ô miselle passer,
Tua nunc opera meæ puellæ,
Flendo turgiduli rubent ocelli.

ANT. PARTHENIVS.

VENERES.) venustates, elegantiæ: nā Venus non solum amorum sed etiam omnium elegantiarum dea est, vt scribit doctissi-

mus Porphyrio. Horatius: *ordinis hæc virtus erit & Venus*: id est decus, & venustas. A

Mellitvs.) dulcis, iucundus: alibi,

Mellitos oculos tuos iuuenti.

Pvella.) mea Lesbia.

Pipillabat.) diminutiuum verbum à pipo. as. Varro tamen in originibus latinæ linguæ inquit: *Mugit bos, balat ouis, hinnit equus, gallina pipat*: sed Oui. diuersa sentiens scribit, *Accipitres pipant, miluus hiansque lipit: Cucurire solet gallus, gallina gracillat, Papulat & pauo, trisat hirundo vaga.*

Ad *dominam*) apud dominam: ad pro apud. Virg. *prima quod ad Troiam pro charis gesserat Argis.* B

Tenebricosvm.) tenebricosum hic legendum est: vnde fit tenebriculosissimum apud Ciceronem in Vatinium: Item in L. pisonem: *Tu ex tenebricosa popina consul extractus, cum illa saltatrice tonsa, senatum populi ro. occasum interitumque lugere vetuisti.*

Orci.) ab vrgendo dictus est orcus: & apud Euripidem Deus infernus accipitur in Alceside. *O factum male ò misselle passer*, hic versus per poeticam licentiam, collisionis regulam non seruat: quod rarissime inuenies: nisi vocali longa præcedente: vt *Insulæ Ionio in magno*: & *Te Corydon ò Alexi.* C

Flendo *turgiduli tument ocelli.*) hinc illud Iuuenalis: *aut tibi cuius Turbauit nitidos extinctus passer ocellos.*

Tvrgidvli *ocelli.*) super omnes poetas amauit Catullus diminutiuas vocabulorum formas: vt supra, solariolum, aureolum, misellę.

PALLADIVS FVSCVS.

Lvgete ô *veneres.*] Versus est hendecasyllabus. Poeta in gratiam Lesbiæ amicæ suæ, passeris cuius lusus antea laudauit mirificè deflet interitum. D

Lvgete] luctu dolorem indicate.

Veneres *cupidinesque.*] Antiqui non solum veneres sed cupidines quoque plures esse crediderunt: Vnde Statius in primo syluarum sic ait.

Hic puer e turba volucrum cui plurimus ignis.

Et *quantum est hominum venustiorum.*] quicquid lætum inquit & elegans est lugeat.

Qvem *plus illa oculis suis amabat.*] posuit oculos pro preciosissima corporis parte: vt qui lucis vsu, teste Plinio, vitam a morte distinguant: & quia quanto res preciosior est tantò nobis charior est: ideo Plautus oculissimum dixit pro charissimo. E

Mellitvs.] dulcis vel suauis à melle.

Svamqve *norat ipsam.*] expone tu dominam: laudat autem per transitum passeris ipsius ingenium.

Ad] pro apud. Sic Virgilius,

Tu ne ille Æneas quem Dardanio Anchisę
Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam.

Vsqve.] semper.

Pipillabat.] a pipo venit pipillo frequẽtatiuum. Est autem pipere minorum pullorum uocem emittere.

Redire *quemque.*] communis sententia neminem ab inferis reuerti.

At *vobis male sit.*) irritatus poeta morte passeris, male imprecatur tenebris inferni.

Devoratis.) in mortem trahitis.

Tam *bellum mihi passerem abstulistis.*) tam pulchram mihi auiculam ademistis. quæ merito pulchritudinis suæ longiori vita digna erat.

Tva.) emẽdo vestra. vt hoc referatur ad tenebras inferni, & sit sensus. vestro hoc malo facinore ocelli meæ puellæ rubent.

Tvrgidvli.) tumiduli quod solet euenire in longiore fletu. hinc est illud apud Iuuenalem.

— *Cuius Turbauit nitidos extinctus passer ocellos.*

ACHILLES STATIVS.

Et *quantum est hominum venustiorum*] sic Plaut. in Capt. *O mihi quantum est Hominum optimorũ optime.* Et Terent, *Quantum hominum est in foro.* Et alibi, in Phorm. vt opinor, *O omnium, quantum est qui viuant, hominum honoratissime.*

Passer *mortuus est meæ puellæ.*] Post hunc versum in Aldi libro sequitur ille, quem supra posuit, *Passer, deliciæ meæ puellæ*, qui tamen in manuscriptis hoc loco non legitur.

Qvem *plus illa oculis suis amabat.*] sic veteres de his quæ sibi essent carissima. Terent. in Adel. *Di me pater omnes oderint. ni magis te, quam oculos nũc amo meos.* sic quoq. Callimachus in hymno in Dianam. — Καί δέ σε φαεὶ

Καλὸν ἀντέχεμαι ἶσον φαέεσσιν ὀπάσσω.

Ipsam *tam bene*] In manuscriptis quibusdam Ipsa, quod placet etiam.

Ad *solam dominam vsq. pipillabat.*] In Maffei libro erat, Piplabat, scriptum fuisse opinor, Piplilabat. alij viderint, nihil enim adfirmo.

Qvi *nunc it per iter tenebricosum*] In manuscriptis omnibus, Tenebrosum, sed illud rectius. Per iter tenebricosum, idest sub terras, vt ait poëta: similiter Theocritus in epigrammate.

Οἴχεται ἁ χίμαρος τὸ καλὸν τέκος, ᾤχετ᾽ ἐς ἅδαν.

Illvc.] In manuscriptis omnibus, Illud. quod non displicet. Seneca ludo suo de morte Claudij Cæsaris versiculum hunc Catulli vno verbo minus inseruit. Nec mora, inquit, *Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos è cælo, vnde negant redire quemquam.* Sic autem significat quam alij dicunt viam irreducem, ἀνάστροφον.

Qvæ *omnia bella deuoratis.*] Metitis. Horat. *Si metit Orcus Grandia cum paruis.*

O *factum male, o miselle passer.*] Aldus olim edidit, *O factum male, bellus ille passer.* In manuscriptis omnibus erat, *Bonum factum male, bonus ille passer.* Ego vero, Latini sermonis adductus proprietate legendum puto, quomodo supra posui, *O factum male, o miselle passer.* in rebus enim tristibus vsurpabant, O factum male. Cic. in. xv. Epist. ad Att. *O factum male de Alexione.* Contra in secundis rebus, Factum bene. Plaut. in Mostellaria, *Factum optime.* Ac post, *Malo hercle factum.*

Tva *nunc opera.*] sic etiam est omnibus in manuscriptis. Aldus tamen impressit olim, Vestra nunc opera. sed illud aptius videtur. in ad passerem scilicet referamus. est autem Tua opera, idem quod Propter te, Tua caussa: sic enim veteres loquebantur. quale illud Atti apud Non

Mar.

Mar. *Nunquam erit tam immanis, cum mea opera extinctum sciat, quin frangescat.* & *Aemili Probi illud de Lysandro. Hac victoria Lysander elatus, cum antea semper factiosus, audaxq; fuisset, sic sibi indulsit, vt eius opera in maximum odium Graciæ Lacedæmonij peruenerint.* A

FLENDO *turgiduli rubent ocelli.*] sic melioribus in libris. in aliis, pro Rubent, Tument. quod esse superuacaneum videtur, cum Turgidulos dicat. quomodo etiam Propert. in. I. *Quid nostro gemitu turgentia lumina torques.* Martialis hunc Lesbiæ fletum commemorans in. XIIII. de cauea lusit, *Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo* B
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

M. ANT. MVRET.

LVGETE.) ad exemplum huius passeris; defleuit Ouidius psittacum, Stella columbam, alij alia: Stella quidem tanta nonnullorum approbatione, vt Valerius Martialis, non dubitauerit ipsum Catullo anteponere: sed ego Martialem (dicam libere, quod sentio) valde bonum harum rerum æstimatorem fuisse non puto.

VENERES, *Cupidinesque.*) & Veneres, & Cupidines multos fuisse, docet M. Tullius secundo de natura deorum. C

ET *quantum est.*) & quidquid vsquam est. Sic infra, *O quantum est hominum beatiorum,*
Quid me lætius est, beatiusve?

PLVS *oculis suis.*) sic infra, *Ni te plus oculis meis amarem, Iucundissime Calue.* & alibi, *Ambobus mihi quæ carior est oculis.* Oculorum sensus nobis omnium carissimus est, vt præclare disputat Aristoteles libro primo de sapientia, ideo oculorum in experimenda vi amoris crebra fit mentio. Plautus quidem, oculitus amare, pro eo quod est singulariter amare, & oculissimum ostium, ocullissumumque hominem pro carissimo dixit.

MELLITVS.) Sic infra, *Mellitos oculos tuos Iuuenti,* &c, *Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuuenti.* Ita Græci, quidquid suaue, & amabile est, *μελιτώδες* vocant. D

PIPILABAT.) hoc verbi neque vsquam, opinor, legitur: &, si legeretur, tamen analogia videretur exigere, vt scriberemus pipillo, sicut, focillo, titillo, cantillo. vidit hoc accuratus homo, & diligens, Auancius, sensitque ea caussa legendum, *Pipulabat,* mihi neutrum valde probatur: potiusque, si coniecturæ locus sit, cum eruditissimo, acerrimique iudicij viro, Paulo Manutio legendum censuerim, *Pippiebat.*

AT *vobis male sit.*) Particula, *At,* male precantibus conuenit. Virgilius, E
At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis. Tibul.
At te qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis vxor inulta dolis. Noster vero,
At vobis multa di deæque
Dent, opprobria Romuli Remique.

O FACTVM *male,*) ita dicebant, vbi quid infeliciter euenerat: contraque in rebus lætis, O factum bene, vtriusque exempla apud Plautum, & Terentium crebra sunt. Itemque, vbi aliquid nunciatur, quod nolumus, Male narras; at in prosperis nūciis, Bene narras, dicere assueuimus.

O MALÆ *tenebræ, Vestra.*) in aliis, *O misselle passer Tua,* sed illam veriorem puto.

TVRGIDVLI.) Inflantur enim oculi lacrumando. Tibullus, *Et tua iā fletu lumina fessa tument.*

IANVS DOVSA FIL.

ILLVC *vnde negant redire quemquam.*] Philetas de Orco eodem modo quo Catullus: *τὴν οὔπω τις ἀνιὼν ἦλθεν ὁδίτης.* hinc & *ἐκ ἀνέξοδος ἅδης* dicitur Æschylo, *δύστονος,* Epigrammatis Græcis. Sed & Anacreon huc respexit:
Ἀΐδεω γάρ ἐστι δεινὸς
Μυχός, ἀργαλῆ δ' ἐς αὐτὸν
Κάθοδος. καὶ γὰρ ἑτοῖμον
Καταβάντι μὴ ἀναβῆναι.
Quæ nos puris iambis ita ex tempore vertebamus.
Quia Acherontis aspera est
Specus, pedémque nemini
Datur referre ab horridâ
Styge, vt quis intulit pedem.
Item Antipater Antholog. III. *ἐς γὰρ ἀναγκαῖον ἐς τὸν ἀνόστιμον χῶρον ἔβης ἐνέρων.* Seneca autem hunc Catulli versum mutuatus est in *ἀποκολοκυνθώσει.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PASSER *mortuus est.*) Post hunc versiculum in manuscripto nostro, itemque in primitus excusis repetitur versiculus ille: *Passer deliciæ meæ puellæ.* Nimis sane morosi, qui illa repetitione offensi sunt.

19. PIPILABAT.) Recte. a ventulo, ventilare. a pipulo, pipilare. Quid sit pipulus, explicat Varro apud Plautum Aulularia. Mattius Mimiambis: *Dein cocenti vasa cuncta deiectat, Nequamque scitamenta pipulo poscit.* Quare hoc verbo docti offendantur, causam adhuc comminisci non potui.

ILLVC *vnde negant.*) Theocritus *ἀνέξοδον εἰς Ἀχέροντα.* Nicander, *δυσεξάγρετον.* Lucanus irreducem id est, *ἀνέξοδον* lib. ix. *Irreduc[illegible]que viam deserto limite carpit.* Sed non loquitur d[illegible]a inferorum.

TVA *nunc opera.*) Recte *Tua,* ad passerem. Iuuenal. *cuius Turbauit nitidos extinctus passer ocellos.*

Faselli laus, & dedicatio. IIII.

PHASELLVS ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus,
Neque vllius natantis impetum trabis
Nequisse præterire, siue palmulis
Opus foret volare, siue linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus, insulásve Cycladas,
Rhodumque nobilem, horridámve Thraciam,
Propontida, trucémve Ponticum sinum,

Vbi iste, post phasellus, antea fuit
Comata sylua. nam Cythorio in iugo
Loquente sæpè sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cythore buxifer
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima
Ait phasellus: vltima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine:
Tuo imbuisse palmulas in æquore.
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse, læua, siue dextera
Vocaret aura, siue vtrũque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem,
Nec vlla vota litoralibus diis
Sibi esse facta, cùm veniret à mare
Nouißimo hũc ad vsque limpidũ lacũ,
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

ANTONIVS PARTHENIVS.

PHASELLVS *ille quem videtis hospites.*) iambico trimetro nauim, qua ex Bithynia vsque per diuersa maria Syrmionem in patriam fuerat reuersus, Castori ac Polluci nautarum tutelari sideri consecrat. laudans phaselli & celeritatem, & nobili ex monte originem.

PHASELLVS *ille.*) melius masculino genere quam fœminino.

AIT.) legendum est singulari numero, non autem, aiunt: solœcismus enim esset ne in pueris quidem ferendus.

CELERRIMVS.) sic quoque casu nominatiuo legatur: non autem celerrimum, vt imperiti volunt. Hæc autem duo in hoc versu verba, octauo superiore anno, quo Catulli lectionem in patria primus publicè professus essem: sic in hanc veram lectionem correxi: ac, reclamantibus inuidis, magis ratione quàm opinione in hũc sensum adductus, meam expositionem, atque huius loci emendationem sum tutatus, cum reliquorum versuum in hoc epigrammate comprehensorum, capitibus omnibus à iambo inchoantibus: tum necessaria congruentis latinitatis consequentia, lepidoque Maronis epigrammate, quod in Sabinum quendam scriptum: ex hoc totum pene ad verbum effictum est.

NEQVE *nequisse.*) idest quiuisse: liptotes est: & subaudias, ait.

PALMVLIS.) remis: pars pro toto.

LINTEO.) velo.

NEGAT *negare.*] affirmat affirmare: ingeniosa liptotes.

CYCLADAS.] ἀπὸ τῶ κύκλου, idest ab orbe: in quo, Mella Plinioque auctoribus, dispositæ sunt: quod à Seruio alioquin doctissimo grammatico negatum esse miror.

RHODVM.] à Rhodo puella Neptuni filia

A dicitur, vt scribit Diodorus Siculus: & est insula, & vrbs eodem nomine.

NOBILEM.] nobilitatam Solis colosso: quem Strabo Iouis esse sentit. Horatius, *laudabunt alij claram Rhodon*: Lucanus: *claramque reliquit Sole Rhodon*: Martialis, *aut claram Rhodon aut libidinosæ.*

HORRIDAM.] aut propter frigora, aut certe bellicosam, & feram. Horatius, *otium bello furiosa Thrace.*

PROPONTIDA.] Propontis pars est maris: quod, teste Mella, nostrum dicitur inter Hellespontum, & Bosphoron protensa.

TRVCEM-VE *ponticum sinum.*] supra bos-
B phoron Thracium, Septentrionem versus est Pontus Euxinus: quem hic poeta trucem sinum ingeniosè, ac perite dixit: Nam incuruus est maxime ad arcus Scythici formam, breuis, atrox, nebulosus, raris stationibus, vicinus Aquilonibus: & quia non profundus est, fluctuosus, atque feruens: olim excolentium sæuo admodum ingenio, axenus, idest inhospitalis, post commertio aliarum gentium mollitis aliquanto moribus, dictus Euxinus. Plura legito apud Plinium libro sexto.

CYTHORIO *in iugo.*] Cythorus, vt Solinus & Plinius scribunt, mons est Paphlagoniæ, apud Amastrin vrbem, buxo abundans: Strabo autem
C Cythoron esse vrbem olim Synopensium emporium dictum, à Cythoro Phryxi filio. Homerus, libro Iliados secundo, vrbem esse hoc versu indicat: οἱ ῥα Κύτωρον ἔχον καὶ Σήσαμον ἀμφενέμοντο.

COMATA *sylua.*] frondosa: venusta translatio à capite humano: Horatius in epodo. *Diffugere niues: redeũt iã gramina cãpis, Arboribusque comæ.*

AMASTRI *Pontica.*] in Paphlagonia, post Parthenium amnem, auctore Strabone, est Amastris, de Conditoris nomine appellata, ea posita in peninsula portum habet. Amastris fuit vxor Dionysij Heracliæ tyranni, & Oxyartis filia, fratris Darij, qui cum Alexandro bellum gessit. plura legito apud Strabonem.

D CYTHORE *buxifer.*] in Amastriano enim agro, plurima, atque optima buxus nascitur. Virgi. *Et iuuat vndantem buxo spectare Cythorum.*

HÆC *tibi esse cognitissima.*] hæc quæ dicta sunt superius de velocitate phaselli.

IMPOTENTIA.] ad malum potentia, & violenta.

HERVM.] me:

LÆVA.] noxia Virg. *& læuo cõtristat lumine cælũ.*

DEXTERA.] prospera, propitia, Horatius in sermonibus. *Quum vellem mittere operto Me capite in flumen, dexter stetit*, aut. Dextra siue læua, idest, ab
E vtroque veli latere. Virg. in quinto, *Pariterque sinistros Nunc dextros soluere sinus.*

IVPPITER.] aer. Virg. *Maturisque nimis metuendus Iuppiter vuis.* Horatius. *Manet sub Ioue frigido venator Teneræ coniugis immemor.*

SECVNDVS.] prosper. Virg. *Neptunus ventis impleuit vela secundis*: à quibusdam exponitur secundus Iuppiter, idest, Neptunus cuius regnum à Ioue secundum est iuxta fabulam: Sic Statius,
Ibo tamen pelagique deos dextramque secundi
Quod superest complexa Iouis. Sed tamen aer, non Neptunus solet in vela incidere.

IN *pedem,*] pars veli: vel funis est. Virgilius, *Vna omnes fecere pedem.*

NEQVE *vlla vota littoralibus diis facta sibi esse.*] magna laus est ex summa fœlicitate fatali.

DIIS *littoralibus.*] diis in littore templa habentibus: quales sunt Glaucus, Nereus, Melicerta, Neptunus, Tethys, Castor & Pollux.

HVNC *ad limpidum lacum.*] Benacum: Gardæ lacum in Veronẽsi agro situm, ingeniosè laudat.

LIMPIDVM.] clarum, splendidum.

RECONDITA *quiete.*] composito & collocato otio.

SENET.] consenescit in quiete: Seneo primitiuum, vnde senesco.

SENET.] phasellus dicatus Castori & Polluci à nauigatione emeritus: Castor & Pollux in geminorum sidus translati feruntur nauigantibus propitij: vnde Martialis, *& gratum nautis sidus fulgere Laconum:* Horatius, *Clarũ Tyndaridæ sidus ab infimis Quassas eripiunt æquoribus rates:* horum fabulam in Fastis Ouidius latè conscripsit: Hyginius vero plura quàm Ouid. & alia multa de his geminis latiùs tradidit. Cur autem gemini nauigantibus præsint ac faueant, legito apud Diodorum libro quinto.

PALLADIVS FVSCVS.

PHASELLVS *ille.*] Versus est iambicus trimeter: Cuius inuentor Archilochus ex sex Iambis eum primum constituit: Sed paulatim in cunctis sedibus, secunda & quarta exceptis, spõdæum recepit. Hoc epigrammate Catullus laudat & primum quidem à celeritate phasellum: qui in Paphlagonia sumptibus poetæ ædificatus eundem Sirmionem vsque in patriam feliciter reportauerat. Carminis autem gratia ex locorum commemoratione plurimum augetur.

PHASELLVS *ille.*] phasellus antiquis erat genus nauigij quod in vtroque genere inuenitur, frequentius tamen in masculino.

NEQVE *nequisse potuisse.*] duæ enim negatiuæ faciunt vnam affirmatiuam: tres vero negatiuæ pro vna negatiua accipiuntur: neque est necesse in re manifesta inculcare exempla.

PRÆTERIRE.] cursu vincere.

PALMVLIS.] remis pars pro toto. Plinius scribit lib. vij. hist. Nat. Copas inuenisse remum: latitudinem vero eius, quæ proprie palmula dicitur, Plateas.

OPVS *foret.*] oporteret.

LINTEO.] velo.

NEGAT *negare.*] ait affirmare.

ADRIATICI.] quod ante Adriacum dicebatur ab Adria Thuscorum vrbe, Pli. lib. iij. *Nobili portu oppidi Thuscorum Adriæ, à quo Adriaticum antea mare appellatum: quod nunc Adriaticum.*

CYCLADAS.] quas attigit Phasellus inter nauigandum. Sunt autem insulæ in mari Ægeo circa Delum in orbem sitę: vnde nomẽ traxerũt.

RHODVM.] Rhodus insula est in mari Lycio: cui, vt Diodorus ait, Rhodos Neptuni filia nomen dedit.

NOBILEM.] scilicet solis colosso: quem fecerat Chares Lydius Lysippi discipulus. is, LXX.

A Cubitorum fuisse dicitur: tantæ quidẽ admirationis, vt ab eo Rhodij Colossẽses sint appellati.

HORRIDAM.] Frigidam aut incolarum feritate asperam.

THRACIAM.] pars est Europæ, ad Septentrionẽ olim in strategeas L. diuisa: cuius termini sunt à Septẽtrione Ister: ab ortu Pontus, ac propontis: à meridie Ægeum mare. In ea autẽ pręter alias celebratas ab auctoribus vrbes, est Bizãtiũ: vbi nunc sedes habet Thurcarum imperator: viris, equis & armis, haud dubiè potentissimus.

PROPONTIDA.] sic habent exẽplaria. Ego autem emendo propontidem. Nam si aliter legas

B versus non stat, cum in secunda sede non ponatur nisi iambus. Propontis autem mare est inter Hellespontum & Bosphorum Thracium, de quo Plinius lib. iiij. ita disserit. *Inde expatiatur æquor, rursusque in arctum coit: laxitas Propõtis appellatur: Angustiæ Thracius Bosphorus, latitudine quingentorũ passuũ: qua Darius Xerxis pater, copias põte trãsuexit.*

PONTICVM *sinum.*] põtum Euxinum: quem ideo trucem vocat: quia, vt Mella Pomponius asserit, breuis est, atrox, nebulosus, raris stationibus, non molli atque harenoso circundatus littore, vicinus Aquilonibus: & quia non profundus est, fluctuosus atque feruens.

VBI.] in cuius ora.

C ANTEA *quam ædificaretur.*]

COMATA *silua.*] frondosæ arbores: ex quibus phasellus ipse constructus est: non enim vna arbor tãtum materiæ habere potuit, vt ex ea sola nauis fieret.

CYTHREIO *in iugo.*] Cythorus mons Paphlagoniæ, olim buxo virẽs: de quo Virgilius. *Et iuuat vndantem buxo spectare Cythorũ.* & Plinius. lib. xvi. *Buxus Pyreneis ac Cythoro monte plurima.*

AMASTRI.] Amastris vt scribit Strabo oppidum est in eadem Paphlagonia ante Sisamon appellatum.

CYTHORE *buxifer.*] qui buxo abundas.

D HÆC.] quæ de celeritate sua dixit phasellus.

VLTIMA.] vltima dixit pro prima: sic Quintilianus. *Sed opus est modo vt neque crebra sint hæc, nec manifesta: quia nihil est odiosius affectatione, nec vtique ab vltimis etiam obliterata temporibus, qualia sunt Topper & Antegerio.*

TVO *æquore.*] ponto Euxino.

IMBVISSE.] madefecisse. Vergilius. *Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.* Imbuet, madefaciet aram scilicet suo sanguine.

INDE.] ex Ponto.

IMPOTENTIA.] tempestuosa & quæ in vna facie persistere nequeunt.

HERVM *tulisse.*] Catullum vexisse.

E LÆVA *siue dextera vocaret aura.*] Siue à dextera siue à sinistra ventus flaret.

SIVE *vtrunque Iuppiter simul secundus incidisset in pedem.*] Siue ventus à puppi veniens inter vtrumque pedem velum impelleret. Est enim pes inter nautica instrumenta, pars veli inferior, vel potius funis: quo ipsum velum foris aut transtris alligatur. Verg. *Omnes vna fecere pedẽ.* & Plin. li. ij. iisdẽ autẽ ventis in contrariũ nauigatur prolatis pedibus, vt noctu plerũq; aduersa vela cõcurrãt.

IVPPITER.] aer in quo quidem ventorum

est regnum, itaque præcipua eorum ibi natura.

Littoralibvs *diis.*] Glauco, Nereo & Melicertæ, quibus templa in littoribus erigebantur. Verg. *Votaque seruati soluent in littore nautæ, Glauco Panopeæq; & Inoo Melicertæ.*

Novissime.] ad postremum.

Limpidvm.] perspicuum.

Lacvm.] intelligit Benacum qui hodie Gardæ vocatus: Mintium amnem Vergilij præconio insignem transmittit.

Senet.] senescens quiescit. Priscianus, senesco inchoatiuum est: nam positiuum eius seneo inuenitur in vsu. Actius in Telepho. *Iam iam stupido Thessala somno, pectora languent senentque.*

Gemelle *Castor Pollux.*] Castorem & Pollucē fratres fuisse nemo est vel semidoctus qui nesciat. Cur ante iide nautis olim præessent, Diodorus in quinto, & in ij. Plin. pluribus declarāt.

ACHILLES STATIVS.

Phasellvs *ille.*] sic omnino scribendum verbum, Phasellus, auctoribus libris duobus antiquissimis Vergilij, Vaticano, & illo altero Rodulfi Pij Cardinalis Carpensis, in quibus versus ille in IIII. Georg. scriptus legitur hoc modo, *Et circum pictis vehitur sua rura phasellis.*

Ait *fuisse nauium celerrimus.*] sic omnino legendum vel auctore illo, qui, Catulli ab vsus versibus his, Sabido cuidam conuicium fecit. & sane Græca tota ratio est.

Neqve *vllius natantis impetum trabis.*] Impetū dixit nauis ipsius celerem cursum, vt etiā Ennius in XIIII. Annal. vt Macrobius citat. *Labitur vncta carina, volat super impetus vndas.* Et auctor Hymni in Neptunum, Καὶ πᾶν ὕδρομον ὁρμᾷ. Et idem in Leucotheā, Ἐν σοὶ γὰρ πᾶν πλαγκτῶν νεῶν ἀσφαλὲς ἔμμεν. Ennius quoque Trabem pro Naui posuit, apud Varronem in VI. de lingua Lat. illius versus est non integer, *Vna trabes remis rostrata per altum.*

Sive *pal. Op. for.*] Ouid. in I. Trist. videtur imitatus, *Est mihi, sitque precor flauæ tutela Mineruæ Nauis, & à picta casside nomen habet.*
Siue opus est velis, minimā bene currit ad vndam,
Siue opus est remo, remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu,
Occupat egressas quamlibet ante rates.

Propontida, trucem-ve Ponticum sinum.] vltimam syllabam verbi Propontida producit, propter duas verbi sequentis consonantes principes litteras, vt post, *Per impotentia freta.* Et alibi. *Nec deprecor tā si nefaria scripta.* Et Ennius apud Cic. in I. Diuin. *Conspicit inde sibi data Romulus esse priora Auspicio regni stabilita scamna soluitque.* Quod est factū more Græcorum. Trucē sinum sic dixit, vt Hor. in I. Carm. *Qui fragilem truci commisit pelago ratem.*

Vbi *iste, post phasellus.*] Post phasellus. τὸ ὕστερον πρότερον. more enim Græco dixit.

Loqvente *sæpe sibilum edidit coma.*] sibilum ψιθύρισμα, vt Theocritus. Verg. *Argutumque nemus, pinosque loquentes.* sic etiam apud Athenæum Bion in Bucolicis. Ἔνθα δὲ καὶ πίτυες ... λαλεῦσι. Lycophron Argo nauem Κίσσαν λάλαγα, sed alia de causa. namque κίσσαν auem esse dicunt humanæ imitatricem vocis, eoque sic dictam nauem illam, quod è lignis Dodonæ, vnde reddebantur oracula, facta esset. Id quod & Claudianus de bello Getico significat. *-licet omnia vates In maius celebrata ferant, ipsamque secandis trabibus iactent sudasse Mineruam, Nec nemoris tantum vinxisse carentia sensu Robora, sed cæso monitu Iouis augure luco, Arbore præsaga tabulas animasse loquaces.*

Et *Cytore buxifer.*] Vibius Sequester de montibus. *Cytorus in Ponto Paphlagoniæ buxo potens.*

Vltima *ex origine.*] sic Corn. Nepos in vita Attici. *Pomponius Atticus ab origine vltima, stirpis Romanæ fuit.*

Tvo *stetisse dicit in cacumine.*] Tuo in vertice. Verg. *Nos sumus idææ sacro de vertice pinus.*

Stetisse.] sic Columella in V. cap. VIII. *Vel vbi arbutus, aut ilex steterant.*

Ivppiter *Simul secundus incidisset in pedem.*] Iuppiter secundus is ab eo dicitur, qui à Pausania in Laconis Ζεὺς οὔριος. Cuius esse illis in locis templum scribit. De eodē Ioue Papinius, *Ductorque secūdi Quod superest connexa Iouis.* Pedem vero quid in naui diceret, alij docent. Cic. in III. de Orat. *Nam, si res, inquit, suum nomen & proprium vocabulum nō habet, vt pes in naui.* Et Plin. in II. Nat. hist. *Isdem autem ventis in contrarium nauigatur prolatis pedibus, vt noctu plerumque vela concurrant.* Et Seneca tragicus in Medea *Nūc prælato pede transuersos captare notos.* Euripides in Iphigenia. Αἴεσθ', ἱστία, πρότονοι, κῶ πρότονοι ... Lusitani dicunt, Poia, rudentem scilicet, siue funem, quo velum trahitur, ac tenetur, pes ipse & quasi veli radix.

Incidisset.] De ventis etiam Homer. ... Ζέφυρος ... Et Apoll. in I. Argon. totidem prope verbis, quot Catullus eandem efferens sententiam, ... Sic etiam Cic. in Arateis versibus, *Sin grauis inciderit vehementi flamine ventus.* Et Verg. *Aut vbi nauigijs violentior incidit Eurus.*

Nec *vlla vota litoralibus dijs.*] αἰγιαλείοις. Ouid. Di maris, & terræ. Hoc de genere votorum intelligendum illud Poetæ. *Votaque seruati soluunt in litore nautæ.* Diis autem ... etiam Lucan. extulit in II. *O vtinam cælique dijs, erebique liceret.* sic enim est in vetusto, optimoque Fuluij Vrsini libro.

Cvm *veniret à mari.*] In Maffei libro, A mare, in alijs, Amaret, itaque legendum omnino, A mare. quod & Grammatici veteres Priscian. & Caris. in I. notarunt, & Lucreti versus in I. posse fieri declarat, *E mare primum homines, è terra posset oriri Squamigerum genus.* Et Ouid. in Ibin, *Et summam Libyco de mare carpat aquam.*

Novissime.] sic omnibus in manuscriptis, non, Nouissimo.

Hvnc *ad vsque limpidum lacum.*] Idem post de eodem lacu. *Saluete vósque Lydiæ lacus vndæ.*

Sed *hæc prius fuere.*] prius, Olim. Idem alibi, *Otium & Cives prius & beatas Perdidit vrbes.* Et Hom. Iliad. Σ. Πρὶν μὲν γὰρ Πριάμοιο πόλιν μέροπες ἄνθρωποι Πάντες μυθέσκοντο πολύχρυσον, πολύχαλκον. Similiter Cic. ad Cornificium, *Sed illud & præteryt, & leuius est.*

Nvnc *recondita Senet quiete.*] Mirari satis non possum, cur hos versus contra metricam

rationem aliter Priscianus legerit in VIII. cuius verba sunt. *Et multa praeterea à vetustissimis similiter sunt prolata participia praeteriti à neutralibus verbis, vt à Seneo, Senectus.* Ac deinde exempli caussa subijcit, Catullus. *Sed haec fuere, nunc recondita Senecta quiete.* Senesco enim inchoatiuum est. Sallust. in IIII. histor. *Omnes, quibus senecto corpore animus militaris erat.* Qui autem versus in Sabinum fecit, legisse hoc loco videtur, Sedet. quo modo hoc ipso in genere Claudius Rutilius in Itinerario loquitur, *Tranquillae puppes in statione sedent.* Tametsi Carisius, quo loco de Inchoatiuis disputat, & Diomedes Senet agnoscere, ac legere videntur hoc loco. Eodem verbo Lucretius vtitur in V. *Nunc etiam senet, & trepido terrore repleta est.* Vide Nonium Marcell. in verbo Macore. Sententia vero similis Enniana illa apud Cic. *Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo Vicit Olympia, nunc senio confectus quiescit.*

M. ANT. MVRETVS.

FASELVS.] commendat faselum, quo diu vsus fuerat, eumque Castoris ac Pollucis numini consecrat. Est autem carmen è meris Iambis: vt admirari liceat tantum leporem in tanta numerorum necessitate. talia nō nulla sunt & in Priapeijs: quorum, vereor, ne magna pars ex hoc ipso fonte fluxerit. habet enim Catullus *γρῖφον* quiddam, quò se, etiam tacitus, prodit detorsit hoc totum epigramma in Sabinum quēdam incertus aliquis auctor, non sane inuenuste: hoc modo. *Sabinus ille, quem videtis hospites,*

Ait fuisse mulio celerrimus;
Nec vllius volantis impetum cisi
Nequisse praeterire, siue Mantuam
Opus foret volare, siue Brixiam.

parcam cetera adscribere: sunt enim in prōptu.

FASELVS.] Campanum nauigium est, ait Nonius. Plura nihil necesse: Baifij enim scrinia, vt ille ait, compilare hoc loco nolumus.

FASELVS ille.] dicitur & femineo genere. Ouid. *-ventis discordibus acta faselus.*

CELERRIMVS.) Graeca constructio, qualis in illo Virg. *-sensit medios delapsus in hostes.* & in illo Hor. *-patiens vocari Caesaris vltor.* Arist. *μανθάνει ἐς οὖν τὸ*; notauit hoc & Thomas Linacer.

TRABIS.] nauis hypallage. Virg. *-vastumque caua trabe currimus aequor.* Horatius, *vt trabe Cypria Myrtoum pauidus nauta secet mare.*

SIVE *palmulis.*] ita pene commendat nauim quandam suam Ouid.

Siue opus est velis, minimam bene currit ad auram;
Siue opus est remo, remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu:
Occupat egressas quamlibet ante rates.

PALMVLIS.] remis. Virg. *Littus ama, & laeuas stringat, sine palmula, cautes.*

MINACIS *Adriatici.*] Horat. *-improbo iracundior Adria.*

NEGAT *negare,*] affirmare ac testificari ait, duae igitur negationes affirmant, vt & supra, *Neque nequisse.* at olim, vt apud Graecos, magis etiam negabanti. Lucillius libro satyrarum XVII. *Cetera cō-*

A *temnit, & in vsura omnia ponit Non magna, proprium vero nil neminem habere.* Id est, neminem quidquā, aut nihil quenquam habere proprium. Varro Bimargo, *Qui non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnes heroas negat nescisse.* Idem libro II. de vita pop. Rom. *Qua abstinentia viri mulieresque Romanae fuerint, quod a rege munera eorum nemo noluerit accipere.* id est, negat scisse, & nemo voluerit.

RHODVM-VE *nobilem.*] siue ob colossum, siue ob mercaturas;

HORRIDAM-VE *Thraciam,*] & a frigore, & ab incolarum immanitate.

TRVCEM-VE *Ponticum sinum:*] eū intelligit, qui B olim Axenus, postea Euxinus vocatus est. In illo autem, *Propontida*, vltimam syllabam, propter principes dictionis, quae subsequitur, literas, Graeco more produxit: frustraque se torquent, qui versus caussa, *Propontidem* legere se aiunt. sic paulo infra, *Et inde tot per impotentia freta*: milleque aliis locis.

NAM *Cytorio in iugo.*] significat contextum esse ex arboribus è monte Cytoro caesis.

LOQVENTE *saepe sibilū edidit coma.*] aiūt vitiosum esse, semel susceptam metaphoram non perducere ad extremum, neque in ea insistere, sed ab vna ad aliam transilire. hic vero, talium praeceptionum securus, tres hoc versu metaphoras per- C miscuit. nam & comam dixit pro frondibus, & comam loquentem; & postremo sibilum a serpentibus mutuatus est. Simili libertate supra in carmine ad passerem, cum ardorem pro dolore dixisset, quod ab igne sumptum est, addidit epitheton, *Grauis*, ductum nō ab igne, sed ab ijs corporibus, in quibus est pondus. cumque ignem restinguere, & quae grauia sunt, leuare dicamus, ipse aliunde accersijt verbum, *Acquiescat*, & paulo ante in hoc ipso carmine idem permisit sibi: *Neque vllius natantis impetum trabis Nequisse praeterire, siue palmulis Opus foret volare, siue linteo.* natare D enim aquatilium est, ire terrestrium, volare alitū.

SIBILVM.] id quod Theocritus vocat *ψιθύρισμα*.

CYTORE *buxifer.*] Virgilius, *Et iuuat vndantem buxo spectare Cytorum.*

VLTIMA *ex origine.*] id est, a prima origine, sic enim Virgil. *-prima repetens ab origine pandam.* Et Ouidius, *-primaque ab origine mundi.* sic Terentius extrema amoris lineam vocauit, quae prima etiā dicitur. idque quoniam, vt Philosophi docent, idem quodam modo est primum, & vltimum. Cicero, *pueritiae memoriam recordari vltimam.* Virgilius, *-isque parentem Te Saturne refert: tu sanguinis vltimus auctor.*

E IMBVISSE.] imbuere proprie est tingere, aspergere. Virg. *-illius aram Saepe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.* Idem, *-sanguis nouus imbuit arma.* inde transfertur ad alia. Horatius, *Literulis Graecis imbutus, idoneus arti Cuilibet.* Varro Agathone, *Virgo de conuiuio abducatur ideo, quod maiores nostri virginis acerbae aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.* M. Tullius in Hortensio, *Vti qui purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam: sic literis, talibusque doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, et praeparari decet.* in quo exemplo notandum est etiam verbum, *sufficere*, aliter positum, quam vulgo solet.

Æ Q V O R E.] æquor maris. Virg. *-longum maris æquor arandum est.* Æquor terræ. Cicero, *Babylonem in camporum patentium æquoribus habitantes.* &, quod haud scio an quisquã adhuc annotauerit, æquor cæli. Accius Atreo, *Sed quid tonitru turbida torno Concussa repente æquora cæli Sensimus sonere?*

I M P O T E N T I A.] æstuosa.

L Æ V A, *siue dextera.*] omisit alterum, siue, vsitatius enim erat, siue læua siue dextera. sic Horat. *Cantamus, vacui, siue quid vrimur.* Idem. *Quo non arbiter Adriæ Maior, tollere, seu ponere vult freta.* Idem *& Sthenelus sciens Pugnæ, siue opus est imperitare equis Non auriga piger.*

B I V P P I T E R.] ventus. quidam enim philosophorum, vt Anaximãder, & Stoici, putant, nihil aliud esse ventum, quam agitatum aera aut quendam aeris veluti fluxum. qua in sententia est etiam is, cuius est liber ad Alexandrum de mundo. aerem porro ipsum antiqui vocabãt Iouem, Horatius,

-manet sub Ioue frigido Venator. Idem.

Quod latus mũdi, nebulæ malusq; Iuppiter vrget, Enn. *Aspice hoc sublime candẽs, quẽ vocãt omnes Ioue.* Idem *Istic est is Iuppiter, quem dico, quem Græci vocant Aerem, qui ventus est, & nubes, imber postea, Atque ex imbre frigus ventus, post fit aer denuo.*

P E D E M.] velu, synecdoche. Facere pedẽ etiã dicitur pro, vela facere. Virg. *Vna omnes fecere pede, pariterque sinistros, Nũc dextros soluere sinus.* Plautus Menæchmis remiges ipsos videtur vocasse C nauales pedes. *Asseruatote hoc, fultis, nauales pedes.*

L I T T O R A L I B V S *dijs.*] Nempe ijs, quos ait Virg. Glauco, & Panopææ, & Inoo Melicertæ.

N O V I S S I M O.] hoc verbum refugisse Ciceronem annotat Gellius, falso: eo enim & in libris de oratore, & in oratione pro Q. Roscio comœdo, vsus est, & in Epistola ad Octauianum, si modo ea epistola Ciceronis est: quod non puto.

L A C V M.] Benacum.

S E N E T.] Antiquum verbũ. Pacuuius Peribœa, *Corpusque meũ tali Mœrore, errore, macore senet.* Actius D *Iam iam stupido Thessala somno Pectora languentque, senentque.* eleganter autem, quod proprium est animalium, ad rem inanimam transtulit.

G E M E L L E *Castor, & gemelle Castoris.*] hi enim dij sunt nauigantibus maxime propitij. Horatius, *Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis Quassas eripiunt æquoribus rates,* Vide Theocritum Dioscuris.

IANVS DOVSA FIL.

N E Q V E *vllius natantis impetum trabis.*] Natare hic pro nauigare posuit, vt & alibi: *-cumque iuuentus Per medium classi barbara nauit Athon.* Studiosum fuisse Callimachi imitatorem poëtam E nostrum ex multis eius locis colligi potest, quorum aliqua notarunt viri docti, sed ita, vt iis addi nonnulla à diligenti obseruatore possint. quale hoc est in Faselo:

C O M A T A *silua nam Cytorio in iugo Loquente sæpe sibilum edidit coma.*] Sic enim Callimachus loquutus Hymno in Dianam: *Ἄλσεα ἔθι κρείων ἴρος ... ὄρη*, quod respondet pulchre *Cytorio iugo*, in quo *Comata silua.* Elegantissimã porro mortis descriptionẽ habes in Carmine ad Lesbiam, diuinis, vt Iulius Scaliger eos appellat, versibus:

A IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

M I N A C I S *Adriatici.*] ἴσιμα ἀκίνητα. Nam ex Adria in Cycladas, hinc Rhodum, Rhodo in Thraciam, à Thracia in Pontum venit: Sed contra in ora Pontica fabricato Phaselo hinc profectus per illa loca in Adriã peruenit. Deinde ingressus Padusam alueo Padi exceptus aduerso Mincio ad Benacum lacum, Sirmionem appulit.

I N C I D I S S E T *in pedem.*] Pes est funiculus, quo angulus veli religatur. Inde facere pedem est contrarium ei, quod hic volebat Catullus. Nam ventus medios sinus veli inflans, dicitur nautica locutione incidere in vtrunque pedem. Contra, quum læua siue dextera vocat, aura, dicitur *ποδιαῖος* facere pedem. Itaque facere pedem est, quod nautæ nostri dicunt dimidio vento nauigare. Quare insigniter errat vir disertissimus, qui facere pedem accipit pro vela facere. Atqui vela facere est velificari. At non omnis velificans facit pedẽ. Non enim est *πρότονος ἄνεμος* quũ facit pedẽ, sed quũ medios sinus implet. Cæcilius: *Venerãq cursu veni prolato pede vsque ad Saphonc.* Vbi pes est angulus veli, vt alibi recte exponit Isidorus. Propedem vocat Turpilius: *- -quasi quum ventus fert nauim in mare Secundus, si quis propedem misit veli sinistrum- -* Virgilius recte demonstrat quid sit facere pedem, quum dicit *nunc sinistros, nunc dextros soluere sinus.*

N E Q V E *vlla vota*] ἐξεπνεῖνε εὐχάς.

A M A R E *Nouissime.*] Ita liber noster. Sed profecto recte faciebant qui legebant *Nouissimo.* Quis nescit nauigationem ad ea loca, *ὑγρὰν τὴν* dictam? versus prouerbialis: *ὡς φασι, τῆς ταύτης ὑγρᾶς ὁρμῆς.* Allusit Propertius: *- -longe Phasidos isse viam.*

G E M E L L E *Castor.*] Prior Castor habetur. Atque adeo ambo vno nomine dicuntur Castores. Vnde eorum ædes Ædes Castrorum Suetonio in Cæsare Dictatore. Sic Græcis quoque *τὼ Κάστορε* dicebantur: Euripedes Electra: *...* *Κάστορ' . ὦ ... , οἷς ... , ἐμ' ... ...* Vbi plane *τὼ Κάστορε* ambo dicuntur. quod, quia raro occurrit, eo minime animaduersum est, notent studiosi. Vt autem studiosi adolescentes Latina Græcis reddere assuescant, Phaselum Catulli totidem Græcis Iambis puris olim à nobis adolescentibus expressum, nunc vero alicubi meliorem factum infra subiecimus. Quanto autem difficilius est tam absolutam Latini carminis elegantiam Græcis numeris exprimere, tanto nos iustiorem veniam merebimur, si minus assecuti sumus. Hoc vnum certo spondemus, Græca esse, quæ proponemus, & ex Græcorum Iamborum lege, quam pauci etiam qui nomen in Poeticis habent, intelligunt.

Phaselus Catulli Iambis puris Græcis.

Κέλης ἐκεῖνος, ὃν θεᾶσθ' ὁδοιπόροι,
Τρέχειν νεῶν φησ' ἄχρι γενέσθαι θοώτατος.
Σκάφους ὅπου δὲ νηΐου γ' μηδενὸς
Δρομηλατοῦντος, οὔ τί μοι χείρων ἐλᾶν
Πλάτησιν, εἴτε λαίφεσ' ἐδέσποινεν.
Τόδ' οὔ τι φησιν ἀρνεῖσθ' ἐς Ἀδρίαν
Νησοὺς ἐπὶ Κυκλάδας ἀμειβόντας.

Ῥόδον κλυτὴν, δυσήμερόν τε Θρηκίαν,
Προποντίδ' ἀγρίαν τε ποντίαν ἅλα,
Ἵν' οὗτος ὕστερον κέλης πάροιθεν ἦν
Ῥίνος πολυξιφυλλος, ἐν Κυτωρίαις
Ῥάχεις ἐνεῖσε' λαλῶν φόβη θαμά.
Κύτωρε πυξόδενδρ' Ἀμάστρι ποντικὴ,
Τάδ' εἰδέναι σ' ἄριστα νῦν τε καὶ πάλαι
Λέγει κέλης ἅτ. ἀρχῆς ἐκ γενεθλίου
Τεαῖσι φησὶν ἐν κάραις πεφυκέναι,
Τεῇσι κῶπ' ἐν οἴδμασιν νέας πλατὺν,
Κλύδωνα δ' ἰθὺν ἐν πολυρρόθοις ἐὸν
Πορεῖν ἄνακτα, λαιὸς εἴτε δέξιος
Ὀρνύμενος οὖρος. εἴτ' ἅμα περιπεσὼν
Ἔπνευσε πανταλαφὶς ἀμφὶν ποδί.
Ἐπευχθῆναι δ' οὔ ποτ' ἐξεγένετο
Θεοῖσι πυξαδι, ὡς ἀπ' ἐσχάτης ἁλὸς
Ἀφίκετο τὴν δὲ λιμνίαν ἐς ἠόνα.
Τὰ μὲν πάροιθε. νῦν δ' ἡσυχίᾳ γήρᾳ
Σχολὰς πέτρῃσι, σοὶ δ' αὐτὸν ἀνατίθησι
Διός τε κοῦρε, καὶ Διοσκόρε κάσι.

Ad Lesbiam. V.

Viuamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum seueriorum
Omnes vnius æstimemus assis.
Soles occidere, & redire possunt:
Nobis, cùm semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum:
Dein vsque altera mille, deinde centum.
Dein cùm millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus inuidere possit,
Cùm tantum sciat esse basiorum.

ANT. PARTHENIVS.

VIVAMVS *mea Lesbia atque amemus.*] Lesbiam amicam suam hortatur vt contemptis seueriorum hominum increpationibus, in iuueniles amores concitatis, det operam voluptati: dum vita & tempus permittit amoris occasionem.

VIVAMVS.] Epicureo more ait viuamus: Epicurei enim veram vitam in doloris atque curarum vacuitate ac voluptatis plenitudine posuerunt. hanc vitam solam ac veram putat vbique Martialis. Cicero in primo de natura deorum ex Epicuri verbis inquit: *Nos autem beatam vitam in animi securitate & in omni vacatione munerũ ponimus.* Talis est Horatij exhortatio ad amicam *Miserum est neque amori dare ludum: Neque dulci mala vino lauere: Aut exanimari metuentes patruæ verbera linguæ.*

VNIVS *assis.*] pro minimo pretio posuit.

NOX *est perpetua vna dormienda.* sic Tibullus, mortis mentione facta, suadet amorum occasionem esse rapiendam, *Interea dum fata sinunt*

A *iungamus amores Iam veniet tenebris mors adoperta caput.* & Propertius, *Quum semel infernas intrarunt funera leges, Non exorato stant Adamante viæ.*

AVT *ne quis malus inuidere possit.*] Ait basiorum numerum multiplicatione esse confundendum, ne cognito numero inuidus aliquis ea fascinare possit. fertur enim in fascinis tantummodo vim esse, quum rem certam & cognitam veneficio illo contaminare contendant. Hic Martialis, *Nolo quot arguto dedit exorata Catullo Lesbia pauca cupit qui numerare potest.*

SOLET.] Dies. Tangit Epicureorum opinionem, qui putarunt multos fieri & nasci soles: Plinius etiam multos soles visos fuisse tradit.

B BREVIS *lux.*] Lucem pro vita, vt Virg. *Lucemque perosi proiecere animas.*

BREVIS.] quid enim vita humana breuius: vnde Cicero in Tusculanis, *quæ vero ætas longa est? aut quid omnino homini longum? nonne modo pueros modo adolescentes in cursu à tergo insequens nec opinantis assecuta est senectus.*

NOX *perpetua.*] Virg. *Olli dura quies oculos & ferreus vrget Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.*

PALLADIVS FVSCVS.

C VIVAMVS *mea Lesbia.*] Versus est hendecasyllabus. Hortatur Lesbiam Catullus, vt ipsa spretis senum susurris secum indulgeat voluptati, memineritque nullum vnquam post obitum ad vitam reuocari.

VIVAMVS.] Viuere apud hunc & alios lætiores poetas idem est quod genio indulgere. Martialis. *Non est crede mihi sapientis dicere viuam. Sera nimis vita est crastina: viue hodie.* & Virgilius, *Pone merum & talos, pereat qui crastina curat: Mors aurem vellens viuite ait venio.*

RVMORES.] Susurros, Cum enim Lesbia senes quosdam de sua & Catulli libidine susurrare cognouisset, ipsa in amore refrixisse videba-
D tur: Quare poeta eam hortatur, vt illos despiciat.

VNIVS *assis.*] Vili moneta ex ære: scilicet, quippe decem assibus & nonnunquam sexdecim denarius permutabatur. Plinius lib. xxxiij. hist. natu. *Postea Annibale vrgente, Q. Fabio Maximo dictatore, asses vnciales facti: placuitque denarium xvi. assibus permutari: Quinarium octonis: Sestertium quaternis. ita respu. dimidium lucrata est:* In militari tamen stipendio semper denarius pro x. assibus datus.

SOLES *occidere & redire possunt.*] Secundum
E vulgi opinionem. credunt enim vulgares Solem mori cum tendit ad occasum, & rursus emergentem nasci.

BREVIS *lux.*] Vitæ diffinitio.

NOX *est perpetua vna dormienda.*] Ouidius, *Stulte quid est somnus gelida nisi mortis imago, Longa quiescendi tempora fata dabunt.*

DA *mi basia*] Hortatus amicam ad voluptatem, petit ab ea oscula.

DEIN *cum milia multa fecerimus, conturbabimus illa.*] Sensus est, vbi dederis mihi plurima basia, numero custodito, alia dabis eodem numero

confuso: vt verum numerum basiorum ignoremus: aut ne quis per inuidiam nocere possit fascinando. Negant enim quibus curæ fuit talia sectari, fascinum habere vim nocendi, si nomen vel numerus rei, cui per fascinum exitium paratur, à veneficis ignoretur.

ACHILLES STATIVS.

VIVAMVS, *mea Lesbia.*] Fuluius Vrsinus meus ζῆν sic Græcos quoq. dicere annotauit, quale illud Agathiæ, Πῖνε γέρων, ζῆθι. Sic quoq. Cic. *Quando viuemus.* Et Martial. *Postume viue hodie.* Et Nonius Marcellus, *Vitulantes veteres gaudentes dixerunt, sicuti qui nunc est in summa lætitia viuere eum dicimus.*

RVMORESQ. *senum seueriorum, Omnes vnius æstimemus assis.*] Mimnermus eodem prope modo, μή με κακῶν φρένα τέρπε δυσηλεγέων δὲ πολιτῶν Ἄλλος τίς σε κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ. Simillimis verbis & sententia Cato apud Festum Pompeium in verbo, Obstinato. *Rumorem famam flocci fecit, captus stupris, obstinatus insignibus flagitijs.* Seueriores senes morosos dicit. Horat in I. Carm. *Donec virenti canicies abest morosa.*

OMNES *vnius æstimemus assis.*] Nihil curemus. Sic obsceni auctor carminis, *Matronæ procul hinc abite castæ, Turpe vos legere impudica verba, Non assis faciunt, eumq. recta.* Et Plaut. in Capt. *Neq. ridiculos iam terunciȷ faciunt.* Augent huius leporem carminis, ἀντίθεσιν, Omnes, Vnius.

SOLES *occidere, & redire possunt.*] Eiusdem sententiæ totum est illud asma in IIII. Carm. apud Flaccum. *Diffugere niues,* & quæ sequuntur.

NOBIS *cum semel occidit breuis lux.*]Sic omnino distinguendum, vt sit, *Nobis cum occidit.* Sic Homer. in Odyss. Οἱ ζωοὶ δὲ οἱ αἰεὶ, φθίνουσιν νύκτες τε καὶ ἤματα δακρυχεούσῃ.

NOX *est perpetua vna dormienda.*] Hoc ipso de somno etiam auctor hymni in Mortem, Τὸν μακρὸν ζωοῖς φέρεις αἰώνιον ὕπνον. Venustissime vero monosyllabum superioris versus, Lux, excipit sequentis monosyllabum, Nox.

DA *mi basia mille, deinde centum, Dein mille altera, da secunda centum.*] Posterior versus in manuscriptis legitur, *Dein mille altera, Deinde secunda centum.* legendum puto, Dein mille altera, dein secunda centum.

DEIN *vsq. altera.*] In manuscriptis, *Deinde vsq. altera.* quod retinendum censeo, ne semper, Dein dicat, & εὐφωνίαν videtur propter sequentem dictionem à vocali incipientem.

MILLIA *multa.*] Sic alibi, *Multa millia lusuum.*

CONTVRBABIMVS *illa.*] Proprie dixit. Namq. rationes conturbari proprie dicuntur.

AVT *ne quis malus inuidere possit.*] Malus, inuidus. Vt post, *Nec possit mala fascinare lingua.* Et Vergil. *Ne noceat vati mala lingua futuro.*

CVM *tantum sciat esse basiorum.*] Quam post segetem dicit osculationis.

M. ANT. MVRETVS.

VIVAMVS.] Admonitu mortis, puellam ad fruendas secum voluptates cohortatur. Est

A autem hoc argumentum poetis perfamiliare. Virgilius,

Pone merum, & tales: pereat, qui crastina curat.
Mors aurem vellens, viuite, ait, venio. Tibullus,
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
Iam veniet tenebris mors adoperta caput. Propert.
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.
Nox tibi longa venit, nec reditura dies. Martialis,
Viuamus: mortem fallere nemo potest. Idem,
Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse deus. Actius Sincerus.
Ah genus imprudens hominum, quid gaudia differs?
Falle diem: medijs mors venit atra iocis.

B Horatius autem ea in re pene immodicus est. sed & scite admodum Bacchis Plautina hoc ipso argumento ad senem vtitur, *Non tibi venit in mentem, amabo, si, dum viuas, tibi benefacias, Iam pol id quidem esse haud per longinquum? neque, si hoc hodie amiseris, Post mortem id eventurum esse vnquam?* Porro hunc sermonem inter pocula vsitatum fuisse, indicat Lucretius his versibus,

Hoc etiam faciunt, vbi discubuere, tenentque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis:
Ex animo vt dicant. breuis est hic fructus homullis.
Iam fuerit: neque post vnquam reuocare licebit.

VIVAMVS.] Viuere sæpe dicunt poetæ pro
C eo, quod est, genialiter viuere; & vitam eam demum vocant, quæ voluptaria est. Martialis,

Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam:
Sera nimis vita est crastina: viue hodie. Idem,
Non impudenter vita, quod reliquum est, petis,
Cum fama, quod satis est, habet. Cæcil. Hymnide,
Sex menses mihi sati sunt vitæ: septimum Orco spondeo.

Lucillius, *Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.*

Varro περὶ [illegible], *Properare viuere puera, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, & Veneris tenere bigas.*

SOLES *occidere.*] Argumentum à dissimili. non vt Soli, ita & hominis fas est, vbi semel occi-
D dit, in vitam redire. Lucretius.

— nec quisquam expergitus extat,
Frigida quem semel est vitai pausa secuta.

LVX.] vita. Virgilius, *-quæ lucis miseris tam dira cupido?* hinc carentes luce, & cassos lumine, pro mortuis poetæ dicunt: & lumina, aut lucem relinquere, mori. Virgilius,

Quo magis inceptũ peragat, lucemq; relinquat. Ennius.
Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit.

quem versum pene totum vsurpauit Lucretius inquiens,

Lumina sic etiam solis bonus Ancu' reliquit.

Nouius, *--vbi bipedes volucres lino linquant lumina.*

E NOX.] Mortem indicat, quam & Græci poetæ ὕπνον interdum vocant, & χάλκεον ὕπνον. est enim, vt docent Homerus, & Virgilius, -consanguineus Lethi Sopor. sed & Orpheus ad Somnum,

Αὐτοκασίγνητος γὰρ ἔφυς λήθης θανάτου τε. Virgilius,
Olli dura quies oculos & ferreus vrget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.

Lucretius, *—vnus Homerus,*
Sceptra potitus, eadem alijs sopitu' quiete est.

Horatius, *Ergo Quintilium perpetuus sopor Vrget?* Propertius,
Nox tibi longa venit, nec reditura dies,

A Quæ omnia loquendi genera fluxere à falsa illa opinione, qua imbuti erant multorum animi, eadem nos in causa mortuos fore, qua dormientes sumus. Lucretius,

Tu quidem vt es lecto sopitus, sic eris, aui
Quod superest, cunctis priuatu' doloribus ægris.

Anaxagoras dicebat duarum rerum cogitatione posse nos intelligere, quales post mortem futuri essemus: somni, & eius temporis, quod nostrum cuiusque ortum antecessit. In diuinis quoque literis (sed lõge alia de caussa) mors sæpe somni ac quietis nomine afficitur. vnde & à nostræ religionis hominibus sepulcreta Græco vocabulo, B quod à dormiendo inflexum est, κοιμητήρια nominantur.

N E *sciamus, Aut ne quis malus.*] Putabatur enim fascinatio eis rebus nocere non posse, quarum vel nomen vel numerus ignoretur. nostrates quidem rustici, poma in nouellis arboribus crescentia numerare, hodieq; religioni habent.

IANVS DOVSA FIL.

NOBIS *cùm semel occidit breuis lux, Nox est perpetua vna dormienda.*] Quam illustrem sen- C tentiam expressam moneo ex Platonis Apologia Socratica, vbi sic de tempore post mortem loquitur: ϗ γὸ ὐδὲν πλείων ὁ πᾶς χρόνος φαίνεται. ὄυτω δὴ ἢ ἔιναι μία νύξ. Sed & Orpheus in Hymnis de Morte.

Τὸν μακρὸν ζώοισι φέρων αἰώνιον ὕπνον.

Item Moschus in Epicedio Bionis:

Ὁππότ' ἀρ πρᾶτα θάνωμες ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ,
Εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον.

Vnde fortasse interpretandum etiam illud Horatij in Odis: *Sed omnes vna manet nox.* vt non *nox* simpliciter, sed *vna nox* pro morte accipiatur. Et considerandа hîc Catulli curiosa felicitas, qui D ex illis duobus Orphei ac Platonis sententiis vnum versum concinnauit. Illo enim *nox vna,* Platonis μία νύξ, *perpetua dormienda* αἰώνιον ὕπνον Orphei expressit. *Noctem* autem hanc etiam Senecæ Tragico velim restitui in Hercule Furente. vbi enim ita somnum affatur:

Pauidum leti genus humanum
Cogis longam discere mortem,

correxerim audacter *noctem*, vel vnius Propertij auctoritate, qui dixit:

Nox tibi longa venit nec reditura dies.

Et alterum illud in contextum obrepsisse E suspicer ex alicuius nota marginali, qui *longam noctem* pro morte positum adscripserat. hinc *noctem vltimam* etiam Petronius Arbiter de morte dixit, vt quidem eo loco restituit Pater: *& continuat in noctem vltimam Somnus.* Sed ab *vltima* nocte ad *viduam* transeamus, quam ex sequenti Carmine in Satyricon suum transtulit idem ille eruditæ luxuriæ arbiter, sic enim Catullus:

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

VIVAMVS.] Satis notum, quid sit hic VIVAMVS. Hoc idem ostendit vetus inscriptio Narbone,

ÆLIÆ. RESTITVTÆ. ANIMÆ
DVLCISSIMÆ. BELLATOR. AVG. LIB
CONIVGI. RARISSIMÆ. BENE. MERENTI
AMICI
DVM. VIVIMVS
VIVAMVS.

Ad Flauium. VI.

FLAVI delicias tuas Catullo,
Ni sint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verùm nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam, te non viduas iacere noctes,
Nequidquam tacitum cubile clamat,
Sertisque ac Syrio flagrans oliuo,
Puluinusque peræquè & hic, & illic
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio, inambulatioque.
Nam nil præualet ista, nil tacere.
Cur nunc tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?
Quare quidquid habes boni, malique
Dic nobis. volo te, ac tuos amores
Ad cælum lepido vocare versu.

ANTONIVS PARTHENIVS.

FLAVI *delicias.*] Flauij familiaris sui illepidos & ineptos in quoddam sordidum scortum amores redarguens, hortatur eundẽ vt sibi amorum suorum notitiam faciat: quoniam ipsum Flauium & eius amicam laudibus ad cælum efferre cupit poeta.

FLAVI *delicias.*] Sensus: nisi illepidam & fœdam amicam possideres mihi diceres nec tacere posses: sed quia cum sordido atque ægroto scorto dormis: propterea pudet te tuas has ineptias amorum fateri.

ILLEPIDÆ.] Turpes, deformes.

DELICIAS.] Delicatam amicam.

INELEGANTES.] Vulgares, sordidæ.

VERVM *nescio quid febriculosi scorti diligis.*] Eleganter procedit Catullus, duplici enthymemate, probans Flauium & amore & illepida muliere potiri: quod illepidam teneat amicam ratio est, quoniam nisi esset illepida eam non occultaret: quod autem habeat scortum, lecti argutatio & strepitus indicant planissime.

NEQVIDQVAM *tacitum.*] Non tacitum: nequidquam pro non: Persius,

Nequidquam fundo susurret nummus in imo:

Virg. *Et summo clypei nequidquam vmbone pependit.*

ASSYRIO *oliuo.*] Vnguento seu odore amomi: amomum enim est Assyriæ peculiare, ex quo fit optimum vnguentum: vnguenta vero vt scribit Plin. optimè seruantur in alabastris: odores autem in oleo.

ATTRITVS *hic & illic.*] Idest duorum in lo-

cis duobus corporũ pressu illisus, quod signum est te non solum iacere noctu.

A

PERÆQVE.] Æque, per abundat.

ARGVTATIO.] Strepitus resonans concussio.

NAM.] Pro igitur, & est conclusio ab antecedentibus.

ISTA.] Ratio scilicet supradicta: ista autem est dialecticorum frequens terminus: frequenter enim vsurpant, pono tibi istam: probo istam, & pleraque alia huiusmodi.

EXFVTVTA.] Coitu exhausta: nam nimius coitus laterũ debilitatem atque illium dolores parere consueuit, & in senibus præsertim: vnde Iuuenalis,

B

Quod lateri parcas nec quantum iussis anheles.

VERSV.] Carminibus meis: hoc exemplum esse potest versum singulari numero significare etiam plura carmina.

PALLADIVS FVSCVS.

FLAVI *delicias.*] Versus est eius generis cuius superior. Rogat Flauium sodalem, vt suos amores sibi aperiat: quos se carmine celebraturum pollicetur. Verum cum ad id Flauius tardus sit, poeta hoc ideo accidere suspicatur, quod scortum illud sit inelegans atque macilentum.

C

TVAS *delicias.*] Tua oblectamenta.

ILLEPIDÆ.] Sine lepore.

INELEGANTES.] Sine ornatu.

SCORTI *diligis.*] Scorta appellantur meretrices quod vt pelliculæ subigãtur omnia: namque ex pellibus facta scorta vocantur. Auctor est Sex. Pompeius.

FEBRICVLOSI.] Macilenti quales sunt qui febre laborant.

NAM *te non videas.*] Sensus est: multa esse quæ indicant Flauium non solum cubare.

D

SERTIS *ac Syrio fragrans oliuo.*] Pro Syrio oliuo non amomum, vt alij, sed malabathon accipio: de qua ita scribit Plinius, *Dat & malabathron Syria arborem, folio conuoluto, arido colore, ex quo exprimitur oleum ad vnguenta*: & Horatius in secundo carminum ad Pompeium sodalem. *Cum quo morantem sæpe diem mero Fregi coronatus nitentes malobathro Syrio capillos.* Hoc addimus quod ad rem hanc maxime facere videtur. Veteres scilicet ante coitum vngi solitos: quia venerem vnguentis stimulari facile credebant. Quod affirmat Apuleius his quidem verbis, *Vino pulcherrimo atque copioso memet madefeceram, & vnguento fragrantissimo proluuium veneris suscitaram.*

E

PERÆQVE.] Similiter.

ATTRITVS.] Vehementi Flauij & eius scorti volutatione.

ARGVTATIO.] Sonoritas. Argutum enim, præter breue & callidum, significat etiam sonorum: vnde est Argutatio pro sonoritate.

INAMBVLATIO.] Mobilitas: illis namque cocuntibus lectus cum quodam strepitu ambulare videbatur.

NEC *tu quid facias ineptiarum.*] Ordo est, cur tu nec pandas quid ineptiarum facias.

QVARE *quidquid habes.*] Conclusio.

BONI *malique.*] Honesti vel inhonesti scortis. Sic alibi, *pueris bonis malisque.*

AD *cælum lepido vocare versu.*] Volo, inquit, donare te atque tuam amicam immortalitate.

ACHILLES STATIVS.

FLAVI *delicias tuas Catullo.*] An Flauius hic Caper fuit, Ennij, atque vt opinor antiquiorum interpres poetarum, quem sæpe citat Carisius: an potius ille, cuius meminit Horat. in I. Serm. sat. vj. quem veteres interpretes fuisse calculatorem scribunt: an Flauius tribunus plebis factus biennio ante Cæsarem Consulem primo: an alter ille, cuius in I. Epist. ad Q. Fratrem meminit Cic.

NAM, *te non viduas iacere noctes.*] Sic noctes viduas videtur dicere, vt & alibi, *Lectum cælibem.*

NEQVIDQVAM *tacitum cubile clamet.*] Frustra tacitum cum vestros lusus tam multis rebus alijs prodat. Nisi si forte legendum sit, *Nequaquam tacitum cubile clamet.* sin illo modo malumus, sit, quale Ciceronis illud in Diuin. *Etiam si tacent, satis dicunt.* & quod addit Pedianus, *Cum tacent, clamant.*

SERTISQVE *Assyrio fragrans oliuo.*] In manuscriptis, *Sertis Assyrio.* legendum omnino, Sertis, ac Syrio. Assyrij namq. idem postea dicti Syrij. auctor Iustinus in I. Hoc opinor de genere oliui Martialis in VIII.

Si sapis Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat.

Et Propert. in II.

Lenis odorato ceruix manabit oliuo.

Et ante hos Callimachus in Hymno in Apollinem, *Αἱ δὲ κόμαι θυόεντα πέδῳ λείβουσιν ἔλαια.* Horat. in II. Carm. Malobatrum Syrium vocat.

PVLVINVSQVE *peraque & hic, & illic.*] In manuscriptis omnibus non Illic, sed Ille. subaudiendum, Puluinus. Potest & illo etiam modo subaudiri, vt sit Illic nomen, non aduerbium. Ouid. in III. Amor. similiter, *Cur pressus prior est, interiorque torus.* *Puluinus*, inquit Placiades in Glossis, *priuati hominis ceruical, vel culcitra; puluinar vero, ac puluinaria principum sunt, vel regum. id est lectisternia.*

TREMVLIQVE *quassa lecti Argutatio.*] Illa vt ita dicam, lecti garrulitas. Fest. Pomp. in verbo, Tacitus, *Tacitus inquit, etiam argutus, quia potest aliquando tacere.* Sic alibi idem Catul. argutam soleam dixit crepitantem. nisi qui breuem malit intelligere. Cratinus apud Ephaestionem hanc dicere videtur, *ἐρίου ψόφημα.* eius enim versum illum ponit, *Εὐδαίμον᾽ ὕπνον οἱ μέτοχοι ἐρίου ψόφησις.* Ouidius in III. Amor. similiter, *Spondaque lasciua mobilitate premat.*

INAMBVLATIOQ.] Verbo Perambulare vti videtur eodem in genere alibi, *Perambulabit omnium cubilia.*

NAM *ni praualet ista, nil taceres, Cur non tam latera exfututa pandas, Ne tu quid facias ineptiarum.*] In manuscriptis omnibus leguntur hi versus hoc modo, *Nam in ista praualet nihil*

tacere, Cur non tam latera & futura panda, Nec tu quid facias ineptiarum. Difficilis omnino veræ, germanæq. lectionis inuestigatio. conabar tamen ipse à scriptæ lectionis vestigiis quam poteram minime longe discedens, *Nam ni est turpe, volens nihil taceres, Cur nunc tam latera exfututa, pandas Ni tu quid facias ineptiarum.* Res ipsa tota obscænissima. latus autem exhauriri nimia venere, & consumi solet. Ouid. in II. Amor.

Et lateri dabit in vires alimenta voluptas.

Et in III. *Inualidum referens emeritumque latus.*

Facere vero ineptias sic dixit, vt Plautus Stultitiam facere. *Indidem,* inquit, *vnde oritur, facito vt facias stultitiam insepilibilem.*

QVIDQVID *habes boni malique.*] Venusti, inuenustique Belli, non belli. Idem alibi, *Verum à te metuo, tuoque pene, Infesto pueris bonis, malisque.* *Habes:* Græce, ἴσχε, possides. Vergil.

Postquam nos Amaryllis habet. ——

VOLO *te, ac tuos amores Ad cælum lepido vocare versu.*] Sic Cic. in II. de Legibus, *Et illos, quos in cælum merita vocauerint.* Et pro Deiotaro. *Rex enim Deiotarus vestram familiam abiectam & obscuram è tenebris in lucem vocauit.*

M. ANT. MVRETVS.

FLAVI.] Ex eo quod Flauius amores suos detegere nolebat, colligit eum laborare in vili aliqua morbosaque meretrice: tamenque ad id, quidquid est, libere detegendum inuitat.

NON *viduas.*] Non expertes Venereorum lusuum. Ouidius,

Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?

Veteres sæpe nuptialibus vocabulis ad omne libidinis genus abutebantur. Martialis,

Nolite fronti credere: nupsit heri.

Idem, ——*ne Talassionem*
Indicas manibus libidinosis:
Et fias sine fœmina maritus. Plautus,
——*hæc quidem acastor quotidie viro*
Nubit, nupsitque hodie, nubet mox noctu, nunquam ego hanc
Viduam cubare sini. nam si hæc non nubat, lugubre
Fame familia pereat.

Demosthenes quoque Æschinis matrem meretricem fuisse indicans, dicit eam solitam χρῆσθαι τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις.

NEQVICQVAM *tacitum cubile clamat.*] ὀξύμωρον, quale illud Ciceronis in Verrem, *si tacent, satis clamant.* & in Catilinam, *cum tacent, clamant.* Frustra, inquit, cubile tuum tacitum est, vt pote inanimum. Ipsum enim, quanuis tacitum, clamat, id est, multis indiciis patefacit, te non pernoctare solum. Quæ autem ea indicia sint, statim aperit.

SERTIS, *ac Syrio fragrans oliuo.*] Nam in hac quoque palæstra luctaturi, prius odorato aliquo oleo corpora perungere solebant, vt hac ratione & libidinis excitaretur ardor, & teter ille sudantium membrorum halitus depelleretur.

Horat. *Quis multa gracilis te puer in rosa*
Perfusus liquidis vrget odoribus,
Grato Pyrrha sub antro?

A SYRIO.] E Syria præcipui odores afferebantur. Infra,

Fragrantem Assyrio venit odore domum. Tibullus.
Non soror Assyrios cineri quæ dedat odores.

ARGVTATIO.] Creber ille succussi & identidem velut ingemiscentis lectuli sonus. nam argutare est tenui quodam sono aurem ferire. Propertius, *Illa mihi totis argutat noctibus ignes.* & ab eiusmodi sono argutam ilicem vocauit Maro, id est, ἠχοῦ, καὶ λιγεῖαν ψιθυρίζουσαν.

NAM, *ni præualet ista.*] Locum hunc integrum non esse constat. & video fuisse, qui ex ingenio emendare conati sint: quos, quia neque
B quidquam adferunt magnopere probandum, & valde ab vsitata scriptura recedunt, non sequor. quod, si quis ex tribus versiculis faciat duos, hoc modo,

Nam cur tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?

Exhausti enim nimia Venere, crebro, vt Plautino verbo vtar, pandiculari solent. in hoc autem libro tam multa impressa sunt alienæ audaciæ vestigia, vt versus vnus facile additus esse possit. quod tamen, vt in re dubia, propositum à me,
C non etiam affirmatum velim. liber calamo exaratus, qui penes me est, habet, *Nam in ista preualet nihil tacere.* vnde erant ex amicis meis, qui conijcerent legendum,

Nam ista in parte valet nihil tacere.

LATERA.] Ea enim pars immoderato coitu insigniter læditur. vnde est illud in Priapeiis.

Defecit latus & periculosam
Cum tussi miser expuo saliuam. & alibi.
——*vsque dum mihi Venus iocosa molle ruperit latus.*

Martialis, *Tu tenebris gaudes: me ludere teste lucerna,*
Et iuuat admissa rumpere luce latus. Iuuenalis,
——*nec queritur, quod*
D *Et lateri parcas, nec, quantum iussit, anheles.*

AD *cælum vocare.*] Antiqua locutio. Cicero in ijs legibus, quas ipse sciscit II. de legibus, *Et ollos, quos endo cælo merita vocauerint.* ita enim & in quibusdam libris legitur, & ego legendum puto.

IANVS DOVSA FIL.

NAM *te non viduas iacere noctes.*] Sic Petronius: *Narra mihi inquam frater, sed tua fide, eâ nocte, qua te mihi Ascyltos subduxit, vsque in iniuriam vigilauit? an contentus fuit vidua pudicaque*
E *nocte.* Vbi quid *vidua nox* sit, ipse explicat, cum dicit *pudica.* Facere non possum, quin Catulliani maximè loci occasione Tullianum quendam paulò accuratius examinem atque excutiam, vt euellatur mendum quod ibi radices egit. id est in secundo de Legibus inter eas quas ipse sciuit: *Diuos & ollos, qui cælestes semper habiti sunt, colunto, & ollos quos endo cælo merita vocauerunt.* Quæ verba si exigere vellem ad normam Catulliani versus:

AD *cælum lepido vocare versu.*] Corrigerem: *endo cælum merita vocauerunt.* verùm hoc arbitrarij iuris esse volo: alterum quod proferam, certius duco, scilicet legendum esse: *endo cælo merita locauerunt.* Et vix est, vt aliter scripserit

disertissimus ille Romuli nepotum. *calo* autem *locare* vel *in calo* perquam honesta loquẽdi ratio. Iuuenalis: ——*sed te*

Nos facimus Fortuna Deam caloque locamus.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Ni *sunt inlepida.*] Prouerbium Græcorum, κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾷν τοῦ λάθρᾳ. Plato Symposio, ἐνθυμηθέντι γὰρ ὅτι λέγεται, κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾷν τοῦ λάθρᾳ, καὶ μάλιστα τῶν γενναιοτάτων ἀρίστων, κἂν αἰσχίους ἄλλων ὦσι, &c. Horatius:

Dicat Opuntia
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, qua pereat sagitta.

B

Hæc huius poematij mẽtem non parũ aperiunt.

Nam *ni praualet.*] Hæc omnia commentitia, & adulterina. Prisca lectio:

Nam ni ista praualet nihil tacere,
Cur non tam latera e. pandam,
Nec tu quid facias ineptiarum.

Multum opis ea scriptura adtulerit ad verum eliciendum:

Nam, ni stupra, valet nihil tacere,
(Cur? non tam latera e. pandant?)
Nec tu quid facias ineptiarum.

C

Nam nisi, inquit, stuprum est, quod fateri non audes, nihil est cur taceas quid noctu facias, nec, nisi quid ineptiarum facis, puta quod febriculosum quid amas. Ordo erat: Nam ni struprum est, aut aliud quid ineptiarum quod facis. nihil refert facere. Alioqui num minus latera exhausta sunt, tametsi taces id est, an minus tua latera quæ exhausta sunt, id aperiunt? quum exhaustæ vires, & pandum latus id prodat. In primo versu quod *Stupra* eruimus, hoc factum, quia sæpe in hoc libro *u* pro *a* scriptum fuit. Et Langobardus character non distinguit has duas literas. In multis alijs bonis scriptoribus non raro idem commissum reperias. Apud Ciceronem ad Qu. Fratrem Epistola prima libri tertij: *In Balnearijs assa in alterum apodyterij angulum promoui. propterea quod ita erant posita, vt eorum vaporarium, ex quo ignis erumpit, esset sub tectum cubiculi subgrande.* legendum, *Esset subiectum cubiculi subgrunda. a*, in *u*, in quibus verbis Ciceronis non solum hoc emendauimus, sed glossema illud delemus, *Ex quo ignis erumpit*. Lego igitur: *vt eorum vaporarium esset subiectum cubiculi subgrunda.* Quid sit subgrunda & mediocriter docti sciunt. Assa vocat hypocaustum, cuius ignis potuit subgrundam cubiculi incendere, quia illi subiectum erat hypocausti præfurnium, quod ipse vocat vaporarium. Glossa: *Assa cella:* ἀγιθερμασιον. Porro, *valet*, est quod Græci dicunt, ἰσχύει. ἰσχύει ὑγιῶν. Idem verbum eodem sensu positum reperi in vetustissimo Epitaphio pueri Narbone, quod dignum visum vt non illic tantum legeretur. Est autem tale:

D

E

* * *

* *nec duro iam doleas obitu.*
Nec tibi, nec nobis aeternum viuere cessit.
Quod pueri occidimus, fata querenda putas?
Dum sis in vita, dolor est amittere vitam.
Dum semel occidimus, omnia despicias.

A

Orbem sub leges si habeas, num viuis ad orchum?
Quid vales? hic nulla est diuitiis ambitio.

Nam *ni stupra.*] Aut cum ingenua rem habet nupta, aut vidua, quod stuprum est, & legibus vindicatur: aut cum scorto, sed morboso, quod pudet fateri. Stuprum tacere cogit pœnæ metus, vt illud alterum pudor. Stuprum pro turpi veteribus vsurpabatur, quomodo hic accipiendum.

Cur? *non tam latera.*] Etiam si taceas, num latera minus pandant? Pandare & pandari ligna dicuntur, quæ incuruantur. Cur latera pandari dicat nimio vsu rerum Veneris, otiosum est dicere.

Nec *tu.*] Subaubi nisi. Nec nisi tu quid facias ineptiarum, id est, nec nisi aliquid ames quod te pudeat profiteri. In priore editione locum hunc non rectè capiebamus.

Qvare *quicquid habes boni malique Dic nobis.*] Callimachus. φίλῳ δ᾿ ἄγγελον μηδὲν ἔχοιμι κακόν.

Ad Lesbiam. VII.

Qværis, quot mihi basiationes
Tuæ Lesbia sint satis superque?
Quàm magnus numerus Libyssæ harenæ
Laserpiciferis iacet Cyrenis,
Oraclum Iouis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum:
Aut quàm sidera multa, cùm tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores:
Tam te basia multa basiare,
Vesano satis, & super Catullo est:
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

ANTONIVS PARTHENIVS.

Qværis *quot mihi basiationes.*] Amatoriè petit ab amica innumerabiles basiationes: vt multiplicium osculorum confusio incomprehensibilis contra fascinationes amantibus tutam securitatem præstet.

Sint *satis superque.*] Sufficiant mihi.

Qvam *magnus numerus Libyssæ arenæ Laserpiciferis iacet Cyrenis.*] Hoc dicit quam infinitus est numerus arenæ Libycæ in Mauritania apud Hammonis oraculum: tam infinita etiam est basiorum quæ ex te opto multitudo. Hinc illud Virg. ait. ——*Libyci velit aequoris idem*
Dicere quam multa Zephyro turbentur arenæ.
Martialis item,
Basia da nobis Diadumene pressa: quot inquis
Oceani fluctus me numerare iubes.

Cyrenis *laserpiciferis.*] Cyrenas condidit Aristæus: qui Battus ob linguæ obligationem dictus fuit. vrbem autem Cyrenen vocauit à nomine puellæ Hisperi Thessaliæ Regis filiæ ab Apolline in ea loca deportatæ: atque quattuor

ibi

ibi ex Apolline filios olim enixæ. Legito plura apud Iustinum.

CYRENIS.] & singulariter & pluraliter declinatur. huius vrbis nomen apud Strabonem, Iustinum, Plinium.

LASERPICIFERIS.] in Cyrenaico agro locus est stadiorum quattuor producens preciosissimæ ac medicinis optimæ herbæ genus: laserpicium Latini Græci verò Silphion vocant: succus eius laser, folium autem maspetum dicitur: Succi duo genera alterũ ex radice rhizias, alterum ex caule caulias appellatum. huius herbæ folia apio maxime similia: plura legito apud Plinium libro xix. publicam ob vectigalium auariciam pro pecorum pascuis, id herbæ genus depascendo perdiderunt, vt idem Plinius scribit: Strabo autem à barbaris Nomadibus ob inuidiam in id incursantibus penitus deletam sentit.

ORACVLVM *Iouis inter æstuosi.*] Iouis Hãmonis templum apud Garamantas à Libero patre conditum est in torrida Libya: vel ab arenis, in quibus situm est, vel ab Hãmone pastore, vt scribit Hyginius ex Hermippi auctoritate, appellatum. Inter septem mirabilia mundi ædificia recensetur: cuius excellentiam atque oraculi præstantiam, cùm multi poëtæ, tùm præsertim Qu. Curtius atque Lucanus elegantissime scripserunt: Sed accumulatissime Curtius. Martialis de hoc,

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

IOVIS *æstuosi.*] Iouis Hãmonis cuius templum est in medio arenarum ritu maris æstuantium: Nam vt Lucanus in nono eleganter scribit, his in aridis locis arenæ cumuli in modum marinorum fluctuum à ventis cõcitantur: hunc locum Hammonem appellatũ Hyginius tradit.

IOVIS *æstuosi.*] id quod est loci ad personam transtulit.

BATTI.] qui Cyrenarum conditor fuit: hunc Callimachus progenitorẽ suum fuisse scripsit: inde à Papinio & Catullo Battiades dictus est.

FVRTIVOS *hominum vident amores.*] Iuuenalis hinc illud:

— Sed luna videt, sed sidera testes
Intendunt oculos.

VESANO.] male sano ob amoris impotentia.

POSSIT *nec mala fascinare lingua.*] nam (vt supra meminimus) constat veneficia fascinationésq; tantum nocere his rebus: quarum cognitionem veneficus aut fascinator habeat: quod & superiori tertio epigrammate, & hîc apertissime indicat poëta.

PALLADIVS FVSCVS.

QVÆRIS *quot mihi.*] Versus est hendecasyllabus. Respondet Catullus amicæ de basiis interroganti.

LIBYSSÆ.] Africa est tertia orbis pars, quæ à Græcis Libya appellata de se, facit nomina Libicus, Libyssus & Libyssinus.

LASERPICIFERIS.] ferentibus laserpicium: Quod apio simile Græci Silphion vocant, in Cyrenaica prouincia repertum. Ferunt autem natum imbre piceo repente madefacta tellure circa Hesperidum hortos, Syrtimq; maiorem, annis septem ante oppidum Cyrenarum. Vim verò illam per quatuor stadiorum spatium inualuisse. succus eius laser appellatus est, magnificus in vsu medicamentisque, & ad argentei pondus denarij pensus. auctor est Plinius.

CYRENIS. Cyrenas à Batto conditas perhibent: quem Callimachus dixit progenitorem suum fuisse: vnde is ab Ouidio Battiades est appellatus.

ORACLVM *Iouis inter æstuosi.*] templum Hammonis proculdubio intelligit: quod celeberrimum, si Plinio & aliis item auctoribus de eo scribentibus credimus: aberat à Cyrenis quadringentis millibus passuum.

ET *Batti veteris sacrum sepulchrum.*] Battum Cyrenis sepultum fuisse indicat Catullus: simul vastas arenas esse inter Iouis Hammonis oraculum & oppidum Cyrenarum.

ÆSTVOSI. fluctus agentis. illis enim in locis, vt Mella Pomponius est auctor, rupes est Austro sacra: Quæ cum manu hominum attingitur, ille immodicus exurgit, arenáque quasi maria agens sic sæuit vt fluctibus æquor. Scribit præterea Trogus Pompeius in primo historiarum, exercitum à Cambise rege Persarum ad spoliandum templum Hammonis in Africam missum, tempestatibus & arenarum molibus oppressum interiisse.

FVRTIVOS *hominum.*] amatores vt plurimum noctu vagantes accedunt ad amicas. Propertius,

Me mediæ noctes me sidera plena tuentur
Frigidáque Eoo me videt aura gelu.

TAM *te basia multa basiare.*] quàm multæ scilicet arenæ sunt in Africa inter Cyrenas & Hammonis oraculum: aut quam multa sidera sunt in cœlo.

VESANO.] ob amoris incendium furenti.

CVRIOSI.] curiosi sunt qui nimis anxie omnia perquirunt, ea etiam quæ non ad ipsos pertinent.

FASCINARE *lingua.*] fascinare est aliquo veneficio nocere, vt pote verbis vel visu vel etiã tactu.

ACHILLES STATIVS.

QVAM *magnus numerus Libyssæ harenæ.*] Eodem genere contentionis vtitur Callimachus in Hymno in Dianam.

Εἰ δὲ σπανιν ἰχνευομένων Ηραν ημμεέαν ψαμαδοιον.

Et idem Catullus alibi,

Illa pulueris Eretrij,
Siderúmque micantium
Subducat numerum prius.

Quod autem modo Harenam, modo Puluerem dicit, vtrumque Ομηρικῶς.

——Οσα ψαμαθός τε κόνις τε.

LASERPICIFERIS *iacet Cyrenis.*] Laser herba. cur autem Laserpiciferas Cyrenas dicat,

intelligi poteſt ex iis, quæ ſcribit Suidas in verbo Σίλφιον. Caper Grammat. *Laſerpicium, inquit, florē, aut caulem aiunt.* Sic autem Ouid. in xv. Metam. Lentiſciferum linternum dicit.

Et *Batti veteris.*] Battus vrbem Cyrenas condidit, de quo Callimachus in Hymno in Apollinem, Φοῖβος καὶ βαθύγειον ἐμὴν πόλιν ἔφρασε Βάττῳ. Battum verò veterem ſic dixit, vt & Horat. in iii. Carm. Saturnum veterem.

Avt *quam ſidera multa, cùm tacet nox, Furtiuos hominum vident amores.*] & ſilentem, & tacentem noctem dicunt. Tibul.

Deuenit tacito tempore noctis anus. Vergil.

Aut intempeſta ſilet nox. Et, *Sub nocte ſilenti.*

Et, —— *Per amica ſilentia noctis.* Et Tibul.

Vota nouem Veneri nocte ſilente tuli.

Neque verò ſemper mediam, atque intempeſtam noctem debemus intelligere, quotiens ſilentem audimus. ſed nonnumquam etiam ſerenam, &, vt Vergil. vocat, puram:

Quid quæ te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram.

Plinius Silens cælum dicit in xviii. cap. xxviii. *Alia ſunt illa, quæ ſilente cælo, ſereniſq. noctibus fiunt.*

Fvrtivos *hominum vident amores.*] Auctor Hymni in Apollinem aſtra ipſa noctis oculos dicit, & ſilentem noctem, ſilenſq. cælum, & pacatum ſignificat,

Νυκτὸς ἐν ἡσυχίαισιν ἐπ' ἀστραίοισιν ὀπωπαῖς.

Et Iuuenalis in viii. de nocturnis adulteris,

Nocte quidem ſed Luna videt, ſed ſidera teſtes
Intendunt oculos. ——

De nocte namque circum vagantur amatores. Ex hoc genere eſt illud Theocriti, Ἅμα πολλὰ φαῖν' καλά.

Tam *te baſia multa baſiare.*] velut,

Te ipſe baſia tam multa baſier. vel potius vt,
Tu tam multa baſiere baſia. dixit enim ante,
Da mi baſia mille.

Nec *poſſit mala faſcinare lingua.*] Malam, Inuidam dici, iam monui. ſic Vergil.

Ne noceat vati mala lingua futuro.

& auctor incertus carminis illius,

Effundit mala lingua virus atrum.

Callimachus in Hymno in Delum, mala lingua feminam dixit,

Σὺ δὲ τῖνα κακογλώσσοιο γυναικὸς Ἔλαχες.

M. ANT. MVRETVS.

Qværis.] infinitatem quandam baſiorum à Leſbia petit.

Basiationes.] ſic infra oſculationem dixit. talia ſunt apud Plautum, *amatio, tactio*: apud Ciceronem *delitio*, aliáque id genus.

Libyssæ.] talia ſunt illa Virgilij,

— *vel qualis equos Threiſſa fatigat Harpalice,* - &,
Inter quas Phœniſſa recens à vulnere Dido.

Idem etiam à nomine Libs, inflexit Libyſtida,

Horridus in iaculis, & pelle Libyſtidis vrſæ.

Laserpiciferis.] Cyrenaicus ager herba Laſerpitio abundat. vide Plinium libro decimonono.

Iovis *æſtuoſi.*] Ammonis, cuius templum æſtuoſis admodum arenoſiſq; extructum eſt locis. vide Lucanum lib. nono. Q. Curtium lib.

A iiii. Herodotum lib. ii.

Et *Batti.*] qui Cyrenen condidit.

Cvm *tacet nox.*] vnde & conticinium dicitur.

Fvrtivos.] occultos. furtum vocabant, quicquid occulte fieret. Tibullus,

—— *Veneris per dulcia furta.* Virgilius.

—— *neque ego hanc abſcondere furto*
Speraui, ne finge, fugam. Idem,

—— *hic furto feruidus inſtat:* cum de cæde, & ſtrage nocturna loquatur.

Vident.] nam & cæli oculos pro ſideribus dicimus: vnde eſt mellitiſſimum illud Platonis poëma, quo, cum puerum ſuum, cui nomen erat Stella, de nocte in cælum ſuſpicientem videret, ipſe cælum fieri optat, vt pluribus cum oculis obtueri queat. verſus quoque propter ſingularem ipſorum mollitiem adſcribam,

B

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμός. εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω. id eſt,
Stellas meus, ſtellas dum ſuſpicis, ipſe vtinam ſim
Cælum, oculis vt te pluribus aſpiciam.

elegantes quoque Papinius, cum Achilles puellæ in modum ornatus, noctu in agris Deidamiæ pudicitiam eriperet, ita iucundum ait fuiſſe hoc ſpectaculum ſideribus, vt etiam riſerint:

C

—— *riſit chorus ab alto*
Aſtrorum, & teneræ rubuerunt cornua Lunæ.

Cvriosi.] verbum hoc fere ſemper in reprehenſione ponebant Cicero, *nam vt Terentianus Chremes non inhumanus, qui nouum vicinum non vult Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique: ſic iſti curioſi, quos offendit noſter minime nobis iucundus labor.* Plautus Sticho,

Nam curioſus nemo eſt, quin ſit maleuolus.

Nec *mala.*] de hoc aliquid ſupra tetigimus. Malam autem linguam eodem ſenſu dixit &

D

Virgilius, —— *baccare frontem*
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. & hic noſter ſupra, *Aut ne quis malus inuidere poſſit.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Laserpiciferis *iacet Cyrenis.*] Corripuit ſyllabam, quæ aliis producitur, nec tamen id ſine exemplo. Callimachus

- πεῖμα τιν γε μὴ ἄσυ κυρλώνης. Hermeſianax:
αἰδρα κυρλαυᾶσι δ' ἵππος παῖδας ἴσαμαν ἰσθμοῦ.

Qvæ *nec pernumerare curioſi.*] Et ſupra:

E

Conturbabimus illa, ne ſciamus,
Aut nequis malus inuidere poſſit.

Superſtitio veterum, qui finitum numerum obnoxium faſcino credebant. Itaque laudantes, aut numerantes dicebant, *Præfiſcini.* hoc verbo omnem inuidiam ſe amoliri putabant. vt quum in culleum primam vrnam vini indidiſſent, dicebant, *Multa.* Nam multum non eſt numerus præfinitus. Hoc enim & ad faſcinum depellendum faciebant. Notum enim, vt quæ nimium laudabantur, faſcino obnoxia putabant. Virgil.

Aut ſi vltra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Tertull. de virginibus velandis: *Nam eſt aliquid etiam apud Ethnicos metuendum, quod faſcinum vocāt, infeliciorem laudis, & gloriæ enormioris euentum.*

Ad seipsum VIII.

MISER Catulle, desinas ineptire,
Et, quod vides perisse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi Soles,
Cùm ventitabas, quò puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tum iocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat.
Fulsere verè candidi tibi soles.
Nunc iam illa non vult, tu quoque impotens ne sis:
Nec, quæ fugit, sectare: nec miser viue:
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale puella: iam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
At tu dolebis, cùm rogaberis nulla.
Scelesta téne? quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse dicêris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?
At tu Catulle destinatus obdura.

ANTONIVS PARTHENIVS.

MISER *Catulle designas ineptire.*] Lesbiæ puellæ suæ repudium atque vltimum vale mittens, ei desolatæ, atque in miseria victuræ insultat. primùm se ipsum ad deserendam puellam hortatur: Deinde repudium indicit: postremo amicæ destitutæ miseriis insultat.

MISER.] qui amant miseri sunt. Virg.

Sed misera ante diem subitóque accensa furore.

QVOD *vides periisse.*] tempus, inanem laborem, inutile studium amoris.

QVONDAM.] dum puella tua potiebaris.

CANDIDI *soles.*] felices dies, qui lapillo albo notantur: vnde contra infelices dies appellantur atri: vt Festus, Seruius, Varro testantur.

QVIQVE.] pariter.

IMPOTENS.] impatiens & non tolerans puellæ fastus & infinita tædia.

NEC *quæ fugit.*] ordo est nec sectare illam, quæ te fugit: nec viue miser, sed illam desere: ac viue quietus & felix sine amorum molestiis.

OBDVRA.] quod maius est quam perferre.

AT *tu dolebis.*] insultat puellæ miseriis.

BELLA.] facilis aut pulchra: vt Martialis,

Bellus homo inflexos qui dirigit ordine crines.

PALLADIVS FVSCVS.

MISER *Catulle.*] Versus est iambicus trimeter. de quo antea dictum est. Catullus cum nullo pacto amicam sibi recōciliare possit, hortatur seipsum ad illam penitus deserendam: ita

A tamen vt doceat se de eius scelere postmodum pœnas sumpturum.

INEPTIRE.] facere ineptias. inepti proprietatem luculenter declarat Cicero in libris de Oratore.

CANDIDI *soles.*] felices dies per quod ostendit se olim multum voluptatis habuisse. scribit namque Plutarchus Periclem imperatotorem cùm videret Athenienses moræ pertæsos ad prælium maxime spectare: nec eos à se facile contineri posse, diuiso in octo partes omni exercitu, rem ad sortem traduxisse: vt cui parti alba faba obuenisset, ei epulari atque in ocio

B esse liceret, cæteris pugnantibus. Iccirco, inquit idem Plutarchus, dicitur posteros cum voluptatibus operam darent album illum diem ab alba faba nūcupare solitos: vel ad id alludit Catullus quod maiores nostri dies omnes lapillis notabant: felices albis: infelices nigris. cuius moris meminit Plinius lib. VII. historiæ Natu. eumque improbat.

VENTITABAS.] frequenter veniebas.

FVLSERE *vere.*] recordatus præteritæ voluptatis ait se vere felicem fuisse.

IMPOTENS. impatiens: vel indicat sanguinem non ita sibi feruere vt ante.

C OBDVRA.] fac te durū in Lesbiam, cum illa contra te respuat.

VALE *puella.*] coactus necessitate exit in hæc verba.

AT *tu dolebis*] insultans futuris puellæ malis, ait forè, vt ipsa à nullo amplius ametur.

ACHILLES STATIVS.

ET, *quod vides periisse, perditum ducas.*] Pro perdito habeas, vt loquitur Festus in verbo Vallescit. Plautus in Cistellaria similiter,

Quod periit, perit.

D Et alibi sic verbo Duco est vsus Plautus,

Ego illum perisse duco, cui perit pudor.

FVLSERE *quondam candidi tibi soles.*] Dies ipsos poetæ Soles dicunt. Lucretius in VI. *Nec tamen omnino temere illis solibus vlla comparebat auis.*

Et Vergil.

Cantando longos memini me condere soles.

Et apud Stobæum Euphorion.

Ἠελίους ὅτε οἱ … [illegible]

Candidum solem felicem diem Catullus appellat, vt Horat. nigrum, infelicem.

—— Huncccine solem Tam nigrum surrexe mihi.

E Lucret. candētem solem, diem cùm significaret, etiam dixit, in VI.

Octauóque fere candenti lumine solis.

est enim is lucis color. Sic Ennius apud Festum,

Prodinunt famuli, tum candida lumina lucent.

IBI *illa multa tum iocosa fiebant.*] πολλὰ νεωτερά, quomodo apud Stobæum Tyrtæus loquitur.

QVÆ *tu volebas, nec puella nolebat.*] similiter Ouid in III. Amor.

—— Cupiens pariter cupiente puella.

NVNC *iam illa non vult, tu quoque impotens esto.*] In manuscriptis & mancus hic versus, & varie legitur. In aliis, pro, Impotens, Impote,

In aliis, Inepte. atque in omnibus pes deest extremus. Ego coniecturam faciebam hanc,

Nunc iam illa non vult, tu quoque impotens noli.

sic vt Impotens ἀθυμητικῶς dictum accipiamus. Vel illo modo legamus,

Nunc iam illa non vult, tuque inepte iam nolis.

Nec *quæ fugit sectare.*] Theocritus in Ciclope: Τὸν φεύγοντα διώκεις.

Nec *miser viue.*] Græcorum more, vt & Horat. *Et fine viuat ineptus.* Idem post,

Sed tu insulsa male, & molesta viuis.

Perfer, *obdura*] sic Ouid. in III. Amor.

Perfer & obdura, postmodo mitis erit.

At *tu dolebis, cum rogaberis nulli. Scelesta te ne.*] In manuscriptis aliis,

Cum rogaberis nulla Scelesta ne te. In aliis,

Cum rogaberis nulla Scelesta nec te.

Legendum puto,

Cum rogaberis nulla Scelesta nocte.

Vtitur eodem verbo, atque eodem in genere Ouidius, —— *Casta est, quam nemo rogauit.*

Quæ *tibi manet vita.*] Idem pæne dixit Arrianus illis verbis, Βιώσῃ ὡς κ' ἔζησας Σαρδανάπαλος.

M. ANT. MVRETVS.

Miser *Catulle.*] à Lesbia sperni se videns, se ipsum ad eam vicissim spernedam cohortatur.

Scelesta *te ne? quæ tibi manet vita?*] habui puer librum veterem, in quo memini versum hunc ita scriptum esse,

Scelesta, quæ nunc quæ tibi manet vita? neque tamen illam alteram scripturam improbandam puto.

Cui *labella mordebis?*] in Venereis deliciis, illud quoq; numeratur, labella, inter basiandum, teneris morsiunculis leniter stringere. itaq; Flora meretrix, cui cum Cn. Pompeio stupri consuetudo fuerat, ita eum commendabat, quod nunquam ab eo potuisset non morsa discedere. Plutarchus, φλῶραν δὲ τὴν ἑταίραν ἤδη πρεσβυτέραν οὖσαν, ἀεὶ ἡδέως ἀπομνημονεύειν τῆς γενομένης αὐτῇ πρὸς τὸν Πομπήϊον ὁμιλίας, λέγουσαν, ὡς οὐκ ἦν, ἐκείνῳ συναναπαυσαμένην, ἀδήκτως ἀπελθεῖν. Plautus Pseudolo,

Iocus, ludus, sermo suauis, sauiatio,
Compressiones arctæ amantum comparum,
Teneris labellis molles morsiunculæ,
Papillarum horridularum oppressiunculæ.

Horatius, —— *siue puer furens*
Impressit memorem dente labris notam.

IANVS DOVSA FIL.

Cum *ventitabas, quo puella duc.*] Concinnius multò fuerit meo quidem animo: *quo puella dicebat. dicebat*, id est, condicebat: loco nimirum & tempore constituto, cùm ego quasi ad condictum venirem. *condicere* enim est συντάσσεσθαι, συνθέσθαι. & quasi dicendo denuntiare, vt explicat Festus & I.C. §. appellamus. Instit. de Action. sequitur ibidem,

Sed *obstinata mente, perfer obdura.*] Sic Gallio apud Senecam Controu. II. *Animo dura, heri fortior eras.* Plinius Epistolarum lib. I. *Nihil iam ne me quidem impetraturum, tam obstinatè magis ac magis indurussse.* etiam *durare animum in tormenta* dixit I.C. in l. 18. ff. de peculio. Ennius Andromacha: *Quasi ferrum aut lapis durat.* Glossæ veteres: *Durat* καρτερεῖ. & : *Durauit* ἐκαρτέρησεν. Vt autem *obstinatam mentem* Catullus sic *obstinatum animum* Accius, & *obstinatam frontem* Firmicus dixit octauo Astronomicon.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Nunc *iam illa non vult.*] Scriptus liber mutilum parte vltima versum habet,

Nunc iam illa non vult. tu quoque impote, Puto, *tu quoque impotens ne sis.* Primus Hieronymus Auantius conatus emendare, *impotens noli.*

Quum *rogaberis nulli.* & scriptura, & excusæ editiones, nulla. ἀρχαϊκῶς. Terentius:

Nullus dixeris.

Scelesta *te ne.* Liber scriptus, *Scelesta, rere quæ tibi manet vita.* quod mutare nolim. Nunc, inquit, tecum reputa, quæ te manet vita. Sed in margine erat Scelesta te ne? quod & ipsum non deterius altero.

At *tu, Catulle, destinatus.*] Turnebus voluit,

At tu, Catulle, obstinatus obdura. Quæ lectio Næuio, aut Andronico, quam Catullo dignior est. Sed destinatus animus recte apud veteres dictum inuenies. & vetera colloquia puerilia Græcolatina: *Vno animo destinati aut perire, aut punire Alexandrum.* ὁμοψύχοι ἀποτεταγμένοι ἢ ἀπολέσθαι, ἢ τιμωρῆσαι Ἀλέξανδρον. Glossæ: *Destinus,* ἀποτεταγμένος, *Pertinax.*

Ad Verannium.

Veranni, omnibus è meis amicis
Antistes mihi millibus trecentis,
Venistine domum ad tuos penates,
Fratrésque vnanimos tuámq; matrem?
Venisti. ô mihi nuntij beati!
Visam te incolumẽ, audiámque Iberûm
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus: applicánsque collum
Iucundum os, oculósque suauiabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est, beatiúsve!

ANTONIVS PARTHENIVS.

Veranni *omnibus è meis amicis.*] Verannium familiarẽ suum Catullus humanissime alloquitur, ac amicissime percontatur de illius ex Hispania reditu in patriam: optans & præsentiam & confabulationem amici: Hic enim Verannius & Fabullus cum Caio Pisone quæstore in Hispaniam profectus fuerant,

vt latius dicetur in epigrammate,

Pisonis comites cohors inanis.

Omnibus è *meis amicis mihi millibus trecentis.*] Ordo est, Veranni antistes è meis omnibus amicis trecentis millibus: Nam si conuertas, casus mutabitur sequens: sic, antistes è trecentis millibus omnium meorum amicorum: nec aliter recta Latinitas posset procedere: vnde illud in sacris literis male congrueret duodecim millia signati, nisi per anastrophem prolatum intelligas: vt ordo sit, signati duodecim millia: aliter incongruum sit pro duodecim millia signatorum, scilicet hominum.

Antistes.] princeps: laus amicitiæ ab excellentia & principatu beniuolentiæ.

Venisti *ne domum.*] scilicet ex Hispania vbi fuisti cum Pisone quæstore, atque inde mihi sudaria setaba misisti: vt paulo infra dicetur alio in epigrammate.

Vnanimes.] non solum ab amicitia, sed etiam à fraterna pietate laudat Verannium.

Nuntii.] hic nuncius & hoc nuntium dicitur res quæ nuntiatur, vt paulo post probabimus in Atynis fabula.

Beati.] ab effectu facientis me beatum.

Iberum.] fluuius Hispaniæ est. Iberes teste Strabone, sunt Orientis populi, vnde venerunt prisci Hispaniæ incolæ, qui Iberi dicti sunt: & inde fluuius & prouincia dicuntur: sed oriētales tertiæ sunt declinationis, Hispani verò secundæ.

Facta.] tua scilicet.

Nationes.] triplex enim potissimum est Hispaniæ natio, & triplex distinctio: alia enim pars Taraconensis à Taracone vrbe in qua parte sunt Celtiberi, natio quidem Gallica sed mixto nomine: alia Betica à Beti flumine: tertia Lusitania à Lusitanis natione sic dicta.

Applicansque *collum.*] Terentius aliter, hoc verbum applico cum præpositione, *Tum ille egens forte applicat primum ad Chrysidis patrem.*

PALLADIVS FVSCVS.

Veranni *omnibus.*] Versus est hendecasyllabus. Nimio gaudio exultat Catullus, quia audiuit Verannium sodalem suum, de quo alibi mentionem facit, ex Hispania ad vrbem saluum rediisse.

Antistes.] caput siue princeps: sunt qui legant, Antistans, quæ lectio mihi non displicet.

Incolumem.] saluum. Incolumes dicuntur, qui sunt citra calamitatem. Calamitas verò à rusticis, vt ait Donatus, dicitur grando: quod comminuat calamū, hoc est culmum & segetē.

Hiberum.] pro Hiberorum. Hiberus autem, teste Plinio, fluuius est Hispaniæ citerioris: propter quem Græci vniuersam Hispaniam Hiberiam & Hispanos Iberos dixerunt.

Vt *mos est tuus.*] Verannius vbi ex aliqua prouincia domum redierat.

Quæ *ipse vidisset.*] ea amicis narrare consueuerat.

Applicansque *collum.*] collo innixus.

Oculósque *suauiabor.*] Plinius lib. xi. *hos cum osculamur animum ipsum videmur attingere.*

A

ACHILLES STATIVS.

Veranni, *omnibus è meis amicis Antistas mihi mil. trecentis.*] In manuscriptis omnibus Antistes, vt nomen id sit, non verbū, quasi id dicat, Veranni trecētis millibus, ex omnibus meis amicis, præpositè, ac prælatè. Verbum verò ipsum trāslatum à religionibus. Placidus in Glossis interpretans, *Antistans*, inquit, *meliores sunt.* Macrobius in III. Saturn. Veranium quendam citat de verbis Pontificalibus, quem esse eundem puto, cuius vtitur testimonio Festus in verbo
B Oletum. Et, quod ad hunc ipsum scriberet Catullus, propterea fortasse Pontificali verbo libentius est vsus.

Venisti *ne domum ad tuos penates, Fratrésque vnanimes, tuámque matrem.*] In manuscriptis aliis,

Fratrésque vno animo, suámque matrem. In aliis,

Fratrésque vno animo, suámque matrem. Gabriel Faernus, vir acerrimo iudicio, præstantéque doctrina, legendum putabat,

Fratrésque vnanimes, anumque matrem. quod eò probabilius esse dicebat, quod meminisset Gellium in III. cap. XV. *in Annalibus Romanis scriptum commemorare, qua tempestate apud Cannas exercitus*
C *Pop. Ro. cæsus est, anum matrē nuntio de morte filij allato luctu atque mærore adfectam esse.* Legi etiam possit,

Fratrésque vnanimos, tuamque matrem. Et,

Fratrésque vnanimos senémque matrem. Senem enim feminino etiam genere dicebant. Varro in v. de ling. Lat. versus ponit Pomponij.

Ridiculum est cum te Cascam tua dicit amica.

Casca Philotonis ipsa senex puerum.

Vnanimos fratres & Vergil. in VII. sic dixit,

Tu potes vnanimos miscere in prælia fratres: Et in IV.

Cum sic vnanimem adloquitur male sana sororem.

D Vnanimos autem, pro Vnanimes, etiam alibi idem posuit.

Vnanimis falsæ sodalibus. Et alibi,

Non prius vnanimis corpora coniugibus.

Visam *te incolumem.*] Εὐτυχοῦντα καὶ σεσωσμένον. vt Menander apud Macrobium in v. Saturn. loquitur.

M. ANT. MVRETVS.

Veranni.] de Verannij ex Hispania reditu, & sibi & ipsi gratulatur.

E Antistes.] qui alios omnes antecedis. videtur ductum à militia: vt sit quasi προστάτης, aut προμάχος.

Millibus *trecentis.*] longissimo interuallo & venuste: quasi de itinere aliquo sermo esset. Trecenta autem dicebāt pro quamlibet multis. Sic infra, *Quare aut hendecasyllabos trecentos Expecta,* & *Quos simul complexa tenet trecentos.*

Applicansque *collum.*] id est, collū ad te molliter plicans, & inflectens. Hunc gestum ita expressit Horatius,

Cum fragrantia detorquet ad oscula Ceruicem.

Suauiabor.] mos antiquus fuit, qui hodiéq; in Italia viget, abeuntes ac redeuntes amicos exosculari. oculos autem præcipuè petebant osculo; quod ij sūt, vt ait Cic. quasi fenestræ quædā animi: eósq; (ait Plin.) cùm osculamur, animū

ipsum videmur attingere. Horatius,

Qui nunc Hesperia sospes ab vltima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen diuidit oscula,
Quam dulci Lamiæ. Q. Cicero Tironi: *Ego vos ad III. cal. videbo, tuosque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, dissuauiabor.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ANTISTES.] Scrip. liber, & vet. editiones Antistans.

FRATRESQ. *vnanimes.*] Quid de hoc loco certi pronunciem, non habeo. Noster liber habet, *Fratresque vnanimes, suámque matrem.* Ex quo Hieronym. Auantius faciebat, *senemque matrem.* alij legunt *anumque matrem.*

De Varri scorto. X.

VARRVS me meus ad suos amores
Visum duxerat è foro otiosum,
Scortillum vt mihi tum repente visum est,
Non sanè illepidum, nec inuenustum,
Huc vt venimus, incidêre nobis
Sermones varij: in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,
Et quo nam mihi profuisset ære?
Respondi, id quod erat, mihi nec ipsi,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput vnctius referret:
Præsertim quibus esset inrumator
Prætor, nec faceret pili cohortem.
At certè tamen, inquiit, quod illic
Natum dicitur, ære comparasti
Ad lecticam homines. ego, vt puellæ
Vnum me facerem beatiorum,
Non, inquam, mihi tam fuit malignè,
Vt, prouincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos
At mi nullus erat neque hic, neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, vt decuit cinædiorem,
Quæso, inquit, mihi mi Catulle paulùm
Istos commodò nam volo ad Serapin
Deferri. mane, inquio puellæ:
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. meus sodalis
Cinna est Caius: is sibi parauit.
Verùm, vtrum illius, an mei, quid ad me?
Vtor tam bene, quàm mihi pararim.
A *Sed tu insulsa malè, & molesta viuis,*
Per quam non licet esse negligentem.

ANTONIVS PARTHENIVS.

VARRVS *me meus ad suos amores.*] Varri amici sui amores meretricios facete describẽs, impudentem meretricum petitionem, lepidè ostendit: ait enim se a Varro amico è foro ad amicam visendam deductum, post multa verba de Bithynicis & locis & magistratibus habita, insidiosis meretricis precibus ac petitionibus
B pænè deceptum: quum illa, sub mutui nomine, callidè seruos a Catullo petere non erubuerit.

VARRVS.] ea ætate duos Varros fuisse, multi nominis similitudine decepti crediderunt: scilicet Quintilium Varrum poëtam Cremonensem Horatij atque Virgilij familiarem: sed hic Varius dictus est: qui postea Virgilij Æneida emendandam, mandante Augusto, suscepit: quẽquam apud Eusebium corruptè legitur Varrus pro Varius. huius meminit Porphyrio. Virgilius, *Sed neque iam vario videor neque dicere Cinna Digna.* Alterum vero Varrum ducem, ad quem Vir. in
C Bucolicis scribit sic, *Varre tuum nomen superet modo Mantua nobis Cantantes sublime ferent ad sidera cygni:* hinc Seruius scribit: *Varus poëta fuit de quo Hora. Scriberis Vario fortis & hostium Victor:* Varrus autem fuit dux.

QVID *esset iam Bythynnia quomodo se haberet.*] Bithynniam Asiæ prouinciam ab oriente, Paphlagones & Mariandyni terminant populi: à Septentrione mare Ponticum habet, ab occidente Propontis est: ad Austrum Misia & Phrygia sunt confines. dicta Bithynnia à Thynnis & Bithynnis Thracia natione: qui ex Thracia, in eam quæ
D prius Bebricia dicebatur, transgressi, regioni occupatæ à se nomen dederunt, siue à rege Bithynno denominata est. Bithynnia vero condita fuit à Phænice. primum Mariãdyna vocabatur. Hæc ex Eusebio, Solino atque Strabone auctoribus.

PROFVISSET.] scilicet Bithynnia.

ÆRE.] stipendio Memmij prætoris mei, quocum illuc profectus fueram.

COHORTI.] Prætoriæ scilicet.

CVR *quisquam caput vnctius referret.*] idest nullam nobis fuisse pecuniã ex qua lautius aut delicatius viueremus: nam lauti, & delicati homi-
E nes vnguentis odoribusq; caput sibi collinunt: vnde Horatius, *Vngere si caules oleo meliore, caputque Cœperis impexa fœdum porrigine.*

Mart. *Si sapis Assyrio, semper tibi crinis amomo*
Splendeat, & cingant florea serta caput.

IRRVMATOR.] libere in Romanorum Prætorum mores inuehitur, qui clientes aut comites suos stuprarent, ac cinædis auari nihil tamen conferrent. sic Neuolus de his apud Iuuenalem conqueritur. *Quod tamen vlterius mõstrum quam mollis auarus.*

FACERENT *pili.*] anastrophe est: nã pilifacio est paruifacio, & Catulli sermo patrius. in Gardẽsi enim regione, in qua omnia Benaci oppida nos Veronenses recensemus, sic loquuntur vt in frequenti sermone pilum vsurpent, & dicãt pro

quaque te minima: cuius rei ego his in locis plurimum versatus certissimum affero testimoniũ, præsertim patris mei iisdem ex locis oriundi sermone monitus: sic Catullus alibi. *Ludere hanc sinit vt lubet nec pili facit vni.*

Æ r e.] pecunia quæ apud Romanos, Seruio Tullio regnante, ære signata est pecudis imagine, vt scribit Plinius.

B e a t i o r e m.] ditiorem: vt Iuuenalis, *Vetulæ vesica beata*: Horatius,

Quæritur argento puerisque beata creandis Vxor.

R e c t o s.] proceros: altos. Iuuenalis *quos recto vertice portas Seruulus infelix.*

O c t o *homines.*] ad lecticam octophoron.

P e d e m *fractum.* asserem lecticæ: partem pro toto posuit.

G r a b a t i.] lecti vilissimi.

V e t e r i s.] ad rei contemptum dixit: vt Terentius, *vetus, vietus, veternosus.*

C i n æ d i o r e m.] molliorem, impudiciorem.

Q v æ s o *inquito mihi.*] Ordo est: puella inquit mihi, ô mi Catulle, quæso accommoda istos mihi.

S a r a p i n.] Ægyptiorum deus maximus, aliis vocabulis appellatus Osiris, Horus, diuersis cærimoniis Sol apud illos significatur: Legito Macrobium libro primo: huius autem dei templum & cærimonias Romani receperunt: Lucanus. *In romana tuam nos templa recepimus Isim: Semideosque canes:* nam & Sarapidis simulacrum, canino lupino atque leonino capitibus, figurabatur. ad huius igitur dei templum Romæ se deferri velle dicebat puella.

I n q v i o.] dico: alij legunt, inquij: præteritum antiquum a b inquio.

M a n e.] expecta. Verba Catulli monentis puellam ne tam citò poetæ verba impudenter dicta capiat pro veris, *& mane* breui posteriore dixit à tertia coniugatione: vt ipse alibi caue a tertia breuem protulit, *Oramus caue despuas ocello.*

C i n n a.] Cornelius Cinna epigrammatum auctor, de quo Naso inquit, *Cinna quoque his comes est Cinnaque procacior anser.*

G r a v i s.] ægrotus.

I n s v l s a.] insuauis, insipiens, sine sale, hoc est sine suauitate, condimento sapientiæ atque leporis.

N e g l i g e n t e m.] scilicet in loquendo: nam insulsa es & stulta quia non putas multa dici ac fingi ad iactionem, sed tanquam vera dixerim à me seruos exigis: insulsa es igitur.

PALLADIVS FVSCVS.

V a r r v s *me mevs.*] Versus est hendecasyllabus. Varrus forte perduxerat Catullum ad meretriculam, quam ipse tunc amabat: illa autem cum audiuisset poetam e Bythinia nuper esse reuersum, continuo orauit, vt seruos quos rumor erat eum in prouincia emisse, sibi commodaret. at Catullus vt aliquid lucri in eadem Bythinia fecisse videretur, non negauit se seruos mercatum esse: sed cum puella magis instaret, nõ se, sed C. Cinnam seruos habere dixit: & ita meretriculæ elusit petulantiam.

A d *suos amores.*] ad suam amicam.

S c o r t i l l v m.] paruum scortum. Quid autem sint scorta: iam diximus.

N e q v e *illepidum:*] leporis expers.

N e q v e *inuenustum.*] neque deforme.

V a r i i:] variis de rebus.

I a m *Bythinia.*] que ab Hellesponto ad Tracium Bosphorum iuxta Propontidem se protendit.

E t *quonam mihi profuisset ære.*] Qua pecunia me iuuisset. Seruius rex, vt tradit Plin. primus æs signauit, ante rudi vsos Romæ Tymeus est auctor. signatum est nota pecudum, vnde & pecunia appellata.

N e q v e *ipsis.*] scilicet Bythinis.

N e c *cohorti.*] neque familiæ & comitibus ipsorum prætorum.

C a p v t *vnctius.*] censum ditiorẽ: caput enim est vera summa quam vulgo capitale appellamus: eadem sors quoque vocatur. Horatius,

Quinas hic capiti mercedes exigit.

P r æ s e r t i m *quibus esset irrumator prætor.*] Poëta hoc in loco taxat Memium prætorem qui in Bythiniam missus, cùm illuc ab vrbe egregios iuuenes, inter quos fuit etiam Catullus, secum duxisset, eos irrumabat. Rumam veteres vocabant Mammam, à qua rumare pro lactare dictum: vnde & irrumare deductum, fœdæ significationis verbum quod mentula in os alterius quasi sugenda immittatur.

N e c *faceret pili cohortem.*] familiam vel comites negligeret.

A t *certe tamen.*] loquitur scortum.

I n q v i v n t *illic natum dicitur esse comparasti ad lecticam homines.*] ordo & sensus est: inquiunt tamen te comparasse, quod dicitur natum esse illic, homines scilicet ad lecticam.

B e a t i o r e m.] magis beatum.

P a r a r e.] comparare. simplex verbum pro composito.

R e c t o s.] quia serui lecticam gestantes recti incedebãt. octo autem dixit, alludes ad octophorum: quod genus lecticæ octo hominu ceruicibus gestabatur.

V e t e r i s *pedem grabati.*] annosæ lecticæ sustentaculum.

C y n æ d i o r e m.] procatiorem: hoc est cynedicis artibus bene instructam.

C o m m o d a.] commodantur quæ eadem restituuntur, vt libri & vestes: mutuantur quæ non eadem redduntur, vt pecunia, triticum & oleum.

S e r a p i.] Serapis deus erat Ægyptiorũ qui Romæ etiam templum habuit. Quanta autem virorum fœminarumque lasciuia idem in Ægypto coleretur, Strabo indicat lib. vltimo geographiæ.

M a n e *inquio.*] ne corripitur cum natura lõga sit, quia sequitur vocalis.

C i n n a *est Caius.*] ita est legendum: sed tamẽ in dubium venit hic ne fuerit Cinna qui annis ix. vt auctor est Quintilianus, Smyrna scripsit & emendauit. an alius eodem nomine.

I s *sibi parauit.*] is emit sibi seruos.

INSVLSA.] sine sale.

NEGLIGENTEM.] in loquendo vel promittendo.

ACHILLES STATIVS.

VARRVS *me meus ad suos amores Visum duxerat.*] Alij Varum per vnum R. scribunt, & Quinctilium Varum hunc esse adfirmāt. In manuscriptis omnibus erat, Varius. quod quidem ipsum vitiosum est, sed ad eam propius scripturam, quam sequimur. ac nescio an Q. Varrum intelligat, præfectum equitum Domitij, de quo Cæsar in III. de bello ciuili: an potius, si modo non idem est, Varrum Cinnæ contubernalem de quo L. Cæcilius Minutianus de Batto iambico poëta Ouidi contubernali, in ijs fragmentis, quæ scripta extant apud paucos, *De quo*, inquit, *Varrus & Cinna contubernales in suis poematis meminere.* Seruius in illud Vergili in Bucolicis,

Tu post carecta latebas.

Varrum tragœdiarum scriptorem appellat. Ad eundem, credo, post scribit illa,

Suffenus iste, Varre, quem probe nosti, & quæ sequuntur. Quod autem dicit se à Varro ad suos amores ductum esse visum, simile hoc illius est Plautini in Pœnulo,

Hem amores tuos si vis spectare.

SCORTILLVM *mihi tum repente visum est.*] In manuscriptis omnibus,

Scortillum vt mihi tum repente visum est.

quod est probandum. Vt, autem, pro vbi. sic post, *Litus vt longe.* Et alibi,

Verum totius vt lacus.

HVC *vt venimus.*] Ad eam postquam propius accessimus ad colloquium, sic Horat. *vt huc nouus incola venit.* Et Æmil. Probus in vita Pausaniæ, *Huc vt venit, ab Ephoris in vincula publica coniectus est.*

QVOMODO *se haberet.*] In manuscriptis, Quomodo posse haberet. quod factum puto, quod supra verbum: Modo, scriptum esset Pacto: è quo & sequente verbo: se coaluit alienum huic loco verbum Posse.

ET *quonam mihi profuisset ære.*] In manuscriptis omnibus eodem modo. Legendum forte, Ecquonam. Sic post,

Ecquidnam in tabulis patet lucelli.

Sic Cic. in Part. Orat. *Ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent.*

RESPONDI, *id quod erat, nihil nec ipsi.*] In manuscriptis omnibus, *Nihil neq. in ipsis.* Ego legendum putabam, *Mihi nec ipsi.* Idq. eo magis, quod & Ciceronem, & Cæsarem sic fere loqui animaduerto, *Est cur, Non est cur.*

CVR *quisquam caput vnctius referret.*] Vnctum caput, diuitiarum argumentum. Lucil.

Hi, quos diuitiæ producunt, & caput vngunt.

& Vncti diuites dicuntur. Iuuenal.

Vnctámque Corinthon. Facete Cic. in IIII. contra Verrem, *Ita palestritas*, inquit *defendebat, vt ab illis vnctior discederet.* Itaque. ære dirutos omnes ea in prouincia fuisse dicit, idq. prætoris culpa ipsius.

PRÆSERTIM *quibus esset irrumator Prætor.*] Qui prætorem haberent libidinosum, ac luxu perditum.

NEC *faceret pili cohortem.*] sic post, *Nec pili facit vni.*

AT *certè tamen inquiunt.*] sententia postulare videtur, & dialogi ratio, vt Hadriani Turnebi, eruditi viri, cōiecturam sequamur, *At certe tamen, inquit, id quod illic.*

QVOD *illic Natum dicitur, ære comparasti.*] In manuscriptis omnibus non Ære, sed Esse, idest, quod illic esse natum dicitur, nisi quis Esse, in Asse, mutandum putet. Quod natum, genere neutro sic dixit, cum de homine loquatur, vt & Terent. in Andria,

Nam quod peperisset, iussit tolli.

Item Plautus in Amphitruone,

Verum quod erit natum, tollito, & Cic. in XI. Epist. ad Atticum. *Hæc ad te die natali meo scripsi. quo vtinam susceptus non essem, aut nequid ex eadem matre postea natum esset.* Et Horat. in V. Carm. de diis. *At ô deorum quidquid in cælo regis Terras, & humanum genus.*

ÆRE *comparasti.*] sic Sallust. in Iugurth. *Serui ære parati iniusta imperia dominorum non perferunt.* Et Colum. in IX. *Sequitur, vt examina desideremus. ea porro vel ære parta, vel gratuita contingunt, sed quæ pretio comparabimus, studiosius prædictis comprobemus notis.*

AD *lecticam homines.*] Non lecticarios. hi namq. lecticarum fabri sunt. sed qui portant. a quibus exaphorum, & octophorum lecticarum genera a portantium numero, qui fere Cappadoces erant. Lecticarios esse docui fabros lecticarum. Si quis autem in eo error est meus, Ciceronis verbis eo sum inductus illis in orat. pro Sex. Roscio Am. *Familiam vero quantam, & quam varijs cum artificijs habeat, quid ego dicam, mitto hasce artes vulgares, coquos, pictores, lecticarios.* & veteri inscriptione Romæ in æde D. Cæciliæ.

D. M.
TIB. CLAVDIO. AVG. LIB
TIGRANO. EX CORPORE
LECTICARIORVM. CÆSARIS. &c.

Namq. Corpora non nisi artificum opinor, & fabrum dicuntur esse. fieri vero potuit, vt qui portarent, idem lecticas facerent. Lecticariorum quoq. mentionem facit in prooemio lib. I. Columella.

VNVM *me facerem beatiorum.*] In manuscriptis omnibus, Beatiorem. illud rectius videtur. Sic Cic. pro Plancio. *feci me vnum ex his, qui ad aquas venerant.*

VT *prouincia quod mala incidisset.*] sic in Maffei libro. in aliis, Qui mala incidisset. legēdum forte, *Vt prouincia quum mala incidisset.*

NON *possem octo homines parare rectos.*] octophorum significat. Rectos autem, proceros, præstanti corpore. Sic post de Quinctia.

Mihi Candida, Longa, Recta est.

Et Horat. in I. Serm.

Candida, rectaq. sit.

Parare, pro Emere etiam Horat. A

Opinor, pretio maiore parandi.

Et Plinius in. XXXVII. Nat. hist. *Sed Nero, vt par erat, inetum omnes. CCC. sestertijs capidem vnam parando. memoranda res, tanti imperatorem, patremq. patriæ bibisse.*

FRACTVM *qui veteris pedem grabati.*] Maior esse extenuatio non potest. Vetus autem grabatum sic dicit, vt alibi, *Vetus ploxemum.*

IN *collo sibi collocare posset.*] Venuste ὑπερβατῶς, In collo collocare.

VT *decuit cinædiorem.*] Impudentiorem, callidiorem. Vt a Cinædo autem Cinædiorem Catullus, sic a Patico Paticissimos fecit Martialis in XII. ad Rufum, *Musæ paticissimos libellos.* B

QVÆSO, *inquit, mihi mi Catulle paulum Istos commoda. nam volo ad Serapin.*] sic etiam erat omnibus in manuscriptis, præterquam in vno, in quo erat, Paululum. vt vltima syllaba à sequenti excipiatur. Versus autem ipse stare, ac procedere non videtur, impediente extrema syllaba verbi Commoda. nam, quod ante Aldus impressit Commodita, id sine consensu scriptorum librorum fecit. Ego sic emendabam.

Quæso, inquit, mihi mi Catulle paululum
Istos. nam volo commode ad Serapin. vt illud C

prius ἐπαλλήλως dixerit. cuius generis multa sunt exempla. Serapis autem Romæ post Pisonem, & Gabinum Cos. coli coepit. auctor Arnobius.

DEFERRI, *mane me inquio puellæ.*] In manuscriptis omnibus.

Deferri, mane me inquit puellæ.

Nec dubitandum, quin, Inquio, legendum sit. Ego vero legendum puto,

Deferri, mane inquio puellæ.

Abundare namq. Me, vsus ipse antiquorum docet. De quo Caris. in II.

Mane mane, inquit, porro vt audias, cupiditatis adfectus est.

Sic Plaut. in Casin.

Cedo, mane, vnum venit in mentem modo. Et alibi,

Sed mane dum, num ista populna sors, aut abiegna est tua. Et in Pseud.

Hem mane quanti istuc vnum coquinare doces.

Et Plin. in. VIII. Epist. ad Motanum,

Finem existimas mane dum, & maiora accipe.

Et eodem modo Sophocles in Oedipo Tyr.

Ποῖον μένων, τίς δή μ' ἐκ τοῦ βροτῶν.

CINNA *est Caius.*] C. Heluius Cinna cuius citat epigrammata Nonius in verbo Clypeat. E

VTOR *tam bene, quam mihi pararim.*] In manuscriptis quibusdam extrema littera verbi Pararim sic scribit, vt a figura s, elementi parum absit. quomodo hodieq. nonnumquam. M. scribimus in extremo. legendum fortasse sit,

Vtor tam bene, quam mihi paratæ.

Sic enim nihil desideremus.

SED *tu insulsa male.*] sic legendum videtur coniuncte, Male in sulsa. vt apud Horat. Male salsus. quo modo, molestum sibi id esse, cui adderetur verbum. Male, significabant.

M. ANT. MVRETVS.

VARVS.] Quinctilium Varum Cremonensem dicit, hominem belli, pacisque artibus clarissimum, qui postea in Germania cum tribus legionibus cæsus est.

VT *mihi tum repente visum est.*] quantum ego ex primo illo aspectu iudicare potui.

BITHYNIA.] ex qua ego haud ita pridem redieram, cum prætore Memmio illuc profectus.

NEC *prætoribus.*] puto locum hunc non vacare mendo. neque enim plures prætores in vnam prouinciam mittebantur, fortasse legendum sit, *quæstoribus.*

CVR *quisquam caput vnctius referret.*] cur quisquam, propter lucrum in prouincia factum, quidquam adijceret ad solitum victus cultusque splendorem. Olim elegantiores homines odoratis vnguentis caput perfundere solebant. Horatius, *coronatus nitenteis Malobathro Syrio capillos.* Martialis, *Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat.* Plautus Casina.

vnde hic, amabo, vnguenta olent: St. ob, peri.
Manufesto miser teneor, cesso caput pallio obtergere?

PRÆTOR.] C. Memmius Gemellus.

QVOD *illic Natum dicitur, ære.*] pecunia, quam in prouincia quæsisse diceris, Eadem autem figura dixit, æs natum, qua, parere pecuniam, aut parere diuitias, dicimus.

HOMINES.] Id est, seruos, ita enim nonnunquam eos peculiariter nominabant: quodque nos vulgari lingua vtentes, huius aut illius hominem dicimus, cum seruum, aut certe famulum indicamus, id latine quoque probe admodum dicitur. Cicero, *Hominem P. Quintij deprehendis in publico: conaris abducere: non patitur Alphenus.*

BEATIORVM.] diuitiorum. beatos enim vocabant qui abundarent opibus. Plau. Pœnulo, D

Aurum in fortuna inuenitur: natura ingenium bonum.
Bonam, ego, quam beatam, me esse, nimio dici mauolo.

sic & Græci non nunquam homines copiosos ὀλβίους vocant. Euripides.

Γαμοῦσι δ' ὑπερβάλλοντες εὐτυχεῖς γάμους.
Τὴν μὲν γὰρ ἀξίαν αἱροῦσι βροτοί,
Μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς ὀλβίοις.

NON *possem.*] ex pecunia, quam in prouincia collegissem.

Parare.] emere. Cic. ad Att. *Cogito trans Tiberim hortos aliquot parare.* Atque inde intelligendum est illud Terentij, non satis à quoquam adhuc, quod sciam animaduersum,

Vahquenquam ne hominem posse in animo instituere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi?

in adoptione enim, de qua ibi sermo est, genus quoddam emptionis intercedebat. Inde &, reparare: quod est, nummis ex venditione constatis aliquid aliud emere. Horatius,

Vina Syra reparata merce.

quomodo hoc verbum sæpe a iurisconsultis accipi primus docuit Fr. Duarenus lib. I. anniuersariarum.

CINÆDIOREM.] molliorem, & improbiorem.

SERAPIN.] hic Ægyptius deus etiam Romæ templum habebat. In quibusdam est, *ad Serapis:* quod non displicet: ita enim dicebant, ad Cereris, ad Dianæ, & similia, cum subintelligerent, templum.

MANE, *Mane,*] prius aduerbium est, posterius verbum. Est autem admodum iucunda παρήχησις.

ISTVD, *quod modo dixeram,*] Id est, quantum attinet ad istud, quod modo dixeram.

FVGIT *me ratio,*] hæc locutio est eius, qui aliud dixit, aliud dicere voluit. Plautus Amphitruone,

Mer. Amphitruonis te esse aiebas Sosiam, Sos. peccaueram.
Nam Amphitruonis socium næ me volui esse dicere.
Mer. Scibam equidem nullum esse nobis, nisi me seruum Sosiam.
Fugit te ratio. Sos. vtinam istuc pugni fecissent tui.

CINNA.] is est, qui Smyrnam, de qua infra agetur, nouem annis elaborauit. eundemque puto esse, cuius epigrammata citantur a Nonio; quæ quidam apud Gelliũ, vt illepida, calumniatur.

QVAM *mihi pararim,*] quam si ipse mea eos pecunia emerim.

IANVS DOVSA.

SCORTILLVM, *vt mihi tum repente visum est, Non sane illepidum nec inuenustum*] Simile huic illud Aristæneti in Epistolis: τὸ θεῖον, ἀστεῖον τὸ γύναιον ... In carmine eodem retineo lectionẽ, quam ad marginem posui,

FERRI *mane, mane inquio puellæ.*] quæ cur displicuerit viris doctis, caussam non video. ludit enim in ambigua significatione verbi *mane,* quod & verbum est & aduerbium. Et est elegans παρονομασία, quo sæpe vsi sunt Plautus, Terentius, Virgilius, Ausonius, Homerus, Sophocles, Æschylus, etiam Callimachus aliique, vt ostendam infra. Quin Catullus hoc ipso Carmine:

IN *collo sibi collocare posset.* quare nihil mutandum. *Per quam non licet esse ne licentem.* Timidè hoc dicam, sed tamen magis videatur ad Catulli elegantiam facere, si legamus: *neglegentem.* Cicero ad Atticum lib. II. *Quid dicam in publicare, quo in genere mihi neglegenti esse non licet.* Martialis, lib. IX. *Nobis non licet esse tam disertis,*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

VARRVS.] Doctus vir in hunc locum dicit hunc Varrum eundem esse, qui cum legionibus tribus cæsus in Germania, quum tamen, vt minimum quinquaginta septem annis posterior fuerit clades Variana.

ET *quonam mihi.*] Optime scriptura, & antiquæ editiones. *Et quantum mihi profuisset are.* Nam vulgata lectio commentitia est, & barbara. Quis Latine dictum putet, quo ære tibi hoc constat? Sed ne sic quidem huic loco consultum videtur. Vereor enim, vt satis Latinum sit, quantum mihi ære prodest. Itaque ante multos annos fuit quum legeremus:

Et quantum mihi profuisset. Ere
Respondi id, quod erat. Ere nata. αὐτόθεν. Statim. Mihi videtur ita Catullum scripsisse, neque vero sententiam mutare possumus.

RESPONDI *id quod erat.*] Legendum potius:

Respondi id quod erat: mihi nec ipsis
Nec prætoribus esse, nec cohorti
Quur quisquam caput vnctius referret.

Caussæ non esse, cur aut mihi, aut cohorti melius sit.

NEC *Prætoribus.*] Cohors sunt comites & socij negotiorum gerendorum, qui dabantur magistratui a Rep. Alij erant ex domestico cõuictu Proconsulis: qui quasi prætoriani dicebantur, vt scribit Cicero in illa nobilissima Epistola ad Q. Fratrem. Eos facete prætores vocat Catullus, quod congerrones & cõuictores Prætoris essent. Sic enim solebant veteres ea figura in hac re loqui. Iuuenalis.

Virro sibi & reliquis Virronibus illa iubebit
Poma dari — At quidam non bene hic *Quæstoribus* pro *Prætoribus* substituebant.

CVR *quisquam caput vnctius.*] Sine metaphora dixit Plautus Pseudolo: *En excetra tu, quæ tibi amicos tot habes tam probe oleo onustos:*
Num quoipiam est hodie tua tuorum opera conseruorum
Nitidiusculum caput? —

NEC *faceret pili cohortem.*] Scriptus liber, NON FACERENT. quæ recta est lectio. Præsertim, inquit, prouinciales, quibus esset Prætor homo nihili, ipsi nos pili non facerent. Nam de lucello intelligit, quod prouinciales dabant prætorianis, vt alibi dicturi sumus. Fœdum verbum, quo prætorem hic appellat, non prima sua notione accipiendum est. Sed ita vocabant homines infestos. vt contra Spurci eadem tralatione dicebantur homines nulli rei. Quod dixi, ne quis aliquid fœdi sub ea appellatione enunciari putet. Glossæ: *Spurcus* ἀχρεῖος. & apud Lucillium, *Spurco ore,* non est id, quod explicare non sinit me pudor meus, sed tralatitie dictum. Lucillius:

Prætor noster adhuc quam spurco est ore, quod omnes
Extra castra, vt stercus, foras eiecit ad vnum.

Hic locus illustratione indigebat.

AT *certe tamen inquiunt.*] Scribe, *inquit,* non *inquiunt.*

QVOD *illic natum dicitur esse.*] In vulgatis. *natum dicitur are.* Diligenter hæc cõsideranda sunt. Nam diuersum est, æs natũ in prouincia, ab eo, quod dixit, quantum prouincia profuisset ære. Comites proconsulum duplicia commoda in prouincia percipiebant: alterum ex negotiatione sua, quod hic more Græcorum argentum natum dicitur. Nam id illis est, τὸ γινόμενον ἀργύριον. alterum ex prouincia illis obueniebat opera magistratus ipsius, quod lucellum vocabatur, vt alibi docebimus ex Cicerone. Quod ergo dicitur, *& quantum mihi profuisset are,* hoc est, ecquid lucelli mihi obuenisset ex Bithynia. hoc vero, *quod natum dicitur,* hoc est, quod quæsiuisti negotiatione tua. Notum ex Sallustio in Iugurtha, quæ sint negotiationes togatorum, vt ipse vocat.

VNVM *me facerem beatiorem.*] Ita Auantius olim mutauit, praue, quum & sententia *beatiorem* postulet & vetus scriptura non aliter habeat. Vt ego, inquit, me reliquis prætorianis vnum beatiorẽ facerẽ, id cõfessus sum: me scilicet cõparasse lecticarios, quũ illi socij mei prorsus egeni essẽt.

PARARE *rectos.*] Parare Græcorum est πορίζειν. Sed doctus vir in hunc locum ait apud Terentium quoque eodem modo accipiendum: *posse in animo instituere ac parare.* vbi sane turpiter hallucinatur. Nam quis sanus dixerit, Ego in animo meo me comparaui, asse emi aliquid? Atqui idem est: Ego me comparaui hoc facere, & ego in animo meo paraui hoc facere. Quod si parare in loco Terentij est emere. Ego in animo paraui est Græcorum [illegible]. Habes etiam apud Plinium Cæcilium in Epistolis.

A

AT *mi nullus erat.*] At ego, inquit, quanquam iactassem me puellæ, tamen illud falso dixeram, me illos homines comparasse. *homines ad lecticam* eodem modo dictum, quo Propertio, Pastor ad baculum, homo ad lites, puer ad cyathos.

B

VT *decuit cinædiorem.*] Eodem modo formauit, quo Græci [illegible]. quod Atticorum proprium est.

ISTOS *commoda.*] Falsus modulus syllabæ. Legendum censeo:

Quæso, inquit, mi Catulle, paulum
Istos. commodo nam volo ad Serapin
Deferri-Commodo, hoc est in tempore. Plautus Friuolaria: *Commodo dixissemus.* Titinius Iurisperita: *Nunc adeo visam: rem magnam aiebat sese mecum loqui. Et commodo eccum exit.* Sisenna Milesiarum decimotertio. *Eamus ad ipsum atque ipse commodo de parte superiore descendebat.* Eleganter ergo, reticuit verbum, mutua mihi. *paulum istos* mutua mihi. Si quibus placet recepta lectio, poterunt eam defendere exemplo veterum qui eam syllabam corripiebant aliquando. In Epigrammate.

C

Vt Phabo puta, filioque Phabi. Martialis.
In solio puta te mergere, Flacce, caput.

AD *Serapin.*] Quare petit lectica deferri ad Serapin? an non pedes ire poterat: Sciendum illis temporibus non licuisse Serapea intra vrbem habere, sed extra pomerium. Dio libro quadragesimo: [illegible Greek]

D

MANE *Me inquio puellæ.*] Antiqua lectio, *inquit puella.* Lege, *inquij.* Abundat autem τὸ ME, *-mane, inquij puellæ.* dictum, vt illud-*vale vale, inquit, Iola.*

FVGIT *me ratio.*] Hoc est, vt Græci dicunt, ἀγνοῶ. Secundo Rhetoric. ad Herennium: *Nam qui se propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugisse rationem dicet, is animi vitio videbitur nescisse, non imprudentia.* Gallice, *se mesconter.*

E

CINNA *est Caius.*] Nam Cinna se in Bithynia fuisse testatur ipse his versiculis, quibus Aratea Phænomena amico mittit.

Hæc tibi Arateis, multum vigilata Lucernis
Carmina, quis ignes nouimus aerios:
Leuis in aridulo malua descripta libello
Prusiaca vexi munera nauicula.

Ad Furium & Aurelium. XI.

FVRI, & Aureli, comites Catulli,
Siue in extremos penetrarit Indos,
Litus vt longè resonante Eoa
Tunditur vnda,
Siue in Hircanos, Arabasque mollis,
Seu Sacas, sagittiferosque Parthos,
Siue qua septem geminus colorat
Æquora Nilus:
Siue trans altas gradietur Alpes,
Cæsaris visens monumenta magni,
Gallicũ Rhenum, horribilesque & vltimosque Britannos:
Omnia hæc, quæcunque feret voluntas
Cælitum tentare simul parati,
Pauca nuntiate meæ puellæ
Non bona dicta.
Cum suis viuat, valeatque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullũ amans verè, sed identidem omniũ
Ilia rumpens.
Nec meum respectes, vt antè, amorem,
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Vltimi flos, prætereunte postquàm
Tactus aratro est.

ANT. PARTHENIVS.

FVRI *& Aureli Comites Catulli.*] per Furium & Aurelium comites ac sodales suos, poëta diuortium puellæ suæ indicit. laudat prius arctissimam secum suorum sodalium amicitiam, vt eos minime pigeret comitari Catullum suum vsque ad vltimas & periculosissimas mundi regiones. versus autem Saphicus notissimus habetur. hic est ille Marcus Furius cognomento Bibaculus inter iambicos auctores à Quintiliano numeratus: cuius Eusebius meminit, scribens eum Cremonæ natum fuisse. de hoc Horatius ait,

Furius hybernas cana niue conspuit alpes.

PENETRABIT.] Catullus de se loquitur in tertia persona.

EXTREMOS.] in vltimo oriente positos.

EOA *vnda.*] orientali oceano.

HIRCANOS.] Hircania ab oriente Septentrionem versus extenditur.

ARABS.] Arabia in meridiem extensa duplex fertur, eudemon & petrea, id est fœlix & deserta:

plura legito apud Solinum, Mellam, aliósq; cosmographos.

Molles.) propter cæli temperiem: nam vt ait Lucanus,

Quicquid ad Eoos tractus mundiq; tepores
Nascitur: emollit gentes clementia cæli.

aut *molles* effeminatos: Virg.

—— molles sua thura Sabæi.

Sacas.) Scythæ à Caspio mari incipientes magna ex parte Dacæ appellantur: qui orientaliores sunt, Massagetæ dicuntur & Sacæ: Strabo hæc: Plinius autem scribit: vltra sunt Scytharum populi Persæ, illos Sacas vniuersos appellauere: à proxima gente celeberrimi eorum Sacæ Massagetæ. Parthi verò Scythis conterminati inter septentrionem & orientem extenduntur. à Scythis oriundi: ac lingua Scythica exules dicuntur Parthi, vt scribit Iustinus.

Septemgeminvs.) tota vna dictio: Ægyptum autem intelligit: quam Nilus in septem alueos diuisus permeat. Virg.

Et diuersa sonans septem discurrit in ora:
Et viridem Aegyptum nigra fœcundat harena.

Et in sexto,

Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

Colorat.) denigrat limo: quem plurimum vehere fertur: nam ideo Nilus quasi νέα ἰλὺς: quanquam Diodorus à Nilo rege denominatum arbitratur.

Monvmenta] castrorum munitiones, quas contra Gallos sæpissime rebellantes extruxit: quarum meminit ipse Cæsar in Commentariis, & Suetonius: aut monumēta id est trophæa & alia signa victoriarum Cæsarianarum, quæ ipse Cæsar extruxit.

Rhenvm.) Rhenus fluuius Germanias à Gallia disterminat.

Gallicvm.) ad differentiā Rheni fluminis, qui per Bononiensem agrum fluit: de quo Syllius in VIII. ait,

O cui prisca domus paruique Bononia Rheni.

defertur autem in Padum: Plinius libro XVI. *nullus sagittis aptior calamus quàm in Rheno Bononiensi amne.*

Britannias.) insula Britannia, vt Mella & Plinius tradunt, inter occidentem & septentrionem porrigitur: hæc insula nunc Anglia dicitur: priscis temporibus Olbion nominata.

Horribiles.) asperos, incultos: nam Britanniæ populi sunt inculti omnes ac corpora infecti: plurima de horum moribus Mella tradit & Cæsar, quinto belli Gallici commentario: Horatius, —— *Visam Britannos hospitibus feros.*

Vltimósqve *Britannos.*) temesin fecit duos in versus, vnam dictionem distinguens.

Omnia *hæc.*) supradicta loca.

Cælitvm *voluntas.*) secundum Stoicos, qui putant omnia Dei prouidentia fieri.

Trecentos.) finitus numerus pro infinito.

Trecentos *complexa nullum amans vere.*) Nullum vero amore prosequens, sed omnes falsis blandiciis detinens: quod meretricum est.

Rvmpens *ilia.*) nam vt supradictum, coitus frequentia ilium dolores contrahit.

A Cvlpa.) læsione.

Velvt *prati Vltimus flos.*) flos positus in vltima prati margine: & est lepida similitudo ad demonstrandam sui amoris pulchritudinem extinctam: hinc illud Virg. in nono dictum,

Purpureus veluti quum flos succisus aratro
Languescit moriens. ——

PALLADIVS FVSCVS.

Fvri *& Aureli.*) Metrum est hendecasyllabum Sapphicum, cuius inuentio Sapho puellæ

B assignatur: pedes eius sunt Trochæus, Spondęus, Dactylus & duo Trochæi, tres autem versus sunt æquales: quartus verò quisque ex Dactylo & Spondæo constat, & Adonicus vocatur. Poëta per Furium & Aurelium quos fore vbique sibi fidos confidit, mittit amicæ suæ repudium, quia audiuit eam pluribus sui copiam facere.

Comites *Catulli*) non qui estis, Sed qui eritis, si ita opus fit. Sic Dido apud Vergilium in quarto Æneidos,

Quos ego sum toties iam dedignata maritos.

Indos.) sunt Indi vltimi Asiæ populi ad

C orientem: quorum regioni Indus amnis nomen dedit.

Longe *vbi littus resonante Eoa Tunditur vnda.*) vbi aquis Oceani orientalis resonantibus, tellus vehementer pulsatur.

Sive *in Hircanos.*) Hircani sunt populi ad mare Caspium tygribus noti. Plinius libro octauo Histo. natu. *Tygrim Hircani & Indi ferunt animal tremendæ velocitatis.*

Arabesqve *molles.*) Triplex est Arabia, felix, petrea, & deserta, cuius incolæ à poëtis molles dicuntur, quoniam thure & aliis abundāt odoribus, vel quia parū viriliter loquuntur,

D aut quod est verisimilius, quoniam sunt sub aëre clementiore.

Sacas.) populi sunt Asiæ qui vergunt ad septentrionem.

Parthos.) Parthi Medis vicini olim bella magna ex parte sagittis conficiebant. Ideo à Catullo sagittiferi dicuntur.

Septemgeminvs.) septem habens ostia. nam licet plura sint vt Plinius demonstrat: septem tamen tantummodo celebrantur.

Colorat.) limo inficit. expressit fluminis naturam.

Gradietvr *Alpes.*] Alpes montes sunt al-

E tissimi, qui, vt Mella Pomponius ait, à Genua Liguriæ oppido inchoantes in Thraciam vsque penetrant.

Cæsaris *visens monumenta magna.*) Quæ Cæsar in Gallia fecit: dum aduersus Barbaros bellum gerit.

Gallicvm *Rhenum.*) Rhenus fluuius est qui in Alpibus ortus, exonerat se in Oceanum Britannicum, Galliam comatam à Germania disterminans: adiecit autem Gallicum ad differentiam alterius Rheni, qui Bononiensem agrum irrigat.

Hor-

Horribiles *vltimosque Britannos.*] Britannia insularum maxima in oceano inter septentrionem & occidentem, ante Albion appellata est, cum omnes quæ ibi sunt insulæ Britanniæ vocarentur, ambitu colligit, vt auctor est Diodorus quadraginta duo milia stadiorum, ea postea à Seuero principe acto Euripo in duas partes diuisa est, cuius incolæ ideo à Catullo horribiles dicuntur, quia ipsi olim succo herbæ, quæ glastum vocatur, incertum, vt Mella Pomponius tradit, ob decorem, an quid aliud, corpora sibi inficiebant.

Et *vltimosque Britannos.*] Lyrici, vt scribit Seruius, etiam incompositam partem orationis in duos nonnunquam diuidunt versus. sic Horatius. *Neque purpuram-ve nale neque auro.*

Cælitvm.] deorum.

Pavca *nunciate.*] abusus est pede secundo in loco: nam pro spondęo posuit Trochęum.

Non *bona dicta.*] verba minime placitura.

Cvm *suis viuat.*] verba irascentis poetæ.

Valeatqve *mœchis.*] Græci appellant mœchos, quos latini adulteros.

Trecentos.] numerus finitus pro infinito.

Omnivm *ilia rumpens.*] omnes exhauriens nimia palestra.

Qvi *illius culpa cecidit velut prati Vltimus flos.*] pulcherrima comparatio à flore ad amorem poetæ, qui amor læsus culpa puellæ, elanguit non aliter, quàm flos, vbi ab aratro prætereunte tractus est.

ACHILLES STATIVS.

Fvri, *& Aureli, comites Catulli.*] Furius opinor, hic est Bibaculus, siue, si modo non idem est, P. Furius, quem accusauit Cato pro direptis Lusitanis. Auctor Ascon. in extrema commentatione in Diuin. Aurelius autem sit ille fortasse, L. Aurelius Cotta prætor, qui legem promulgarat de restituendis iudiciis equestri ordini. Idem Ascon. in II. contra Verr. Ad eundem credo post, *Aureli, pater esuritionum.* Et, *Aureli, veniam peto pudentem.*

Litvs *vt longe resonante Eoa Tunditur vnda.*] sic non semel loqui Catullum docui, nunc ostendam ἵνα suo Græcos etiam sic vti. Sophocles in Oedipo Tyranno. σὺ δ' ἐν ἡδοναῖς, κἂν ἵν' ἐνοῦς ἦ κακοῦ. Euripides in Phœnissis, Κασταλίας ὕδατος ἵνα τε Νεῖλος ... Et in Bacchis, ἵνα ... Et in Alcesti, ἵν' ὁ ... Et Hymni auctor in Parcas, Ὠκεανοῖο, ἵνα λευκὸν ὕδωρ ... Et Callimachus in lauacro Palladis, ... ἵνα οἱ ...

Litvs *vt longe resonante Eoa Tunditur vnda.*] Boetius, auctor non contemnendus, in IIII. de Consol. philosophica similiter, *Nemo miratur flamina Cori litus furenti tundere flatu.* Et multo ante Tibullus in II. *Stare vel insanis cautes obnoxia ventis Naufraga quam vasti tunderet vnda maris.* Eodem modo Priscianus, siue quisquis alius interpres Dionysi de situ orbis, *Post hæc Aeoliæ tellus protenditur ora, Fluctibus Aegypti primis quæ tunditur alti.*

A Et legendum forte, *Litus vt longe resonans Eoa Tunditur vnda.* sic Verg. in I. Georg. *Aut resonantia longe litora.*

Arabasqve *mollis.*] Tenetos. Tibul. *Quos tener è terra diuite mittit Arabs.*

Sev *Sacas, sagittiferosque Parthos.*] sic etiam post secunda sede Trochæum posuit, *Pauca nuntiate meæ puellæ.* quod ad Græcorum fecit imitationē, eodē enim modo Sappho, Ποικιλόθρον' ἀθανάτ' Ἀφροδίτα. Et eodem modo sæpe in eodem asmate.

Qva *septemgeminus colorat Aequora Nilus.*] In manuscriptis quibusdam, non Qua, sed Qui. In Maffei libro Quę. legendum puto, Quæ. Septemgeminus, ἑπτάπορος.

B Cæsaris *visens monimenta magni.*] In veteribus monimentis quotquot aut Romæ, aut alibi mihi videre contigit, in verbo Monimentum, quarta semper est v. Vt vetustissimo in saxo ad eam portam, quæ sancti Pancratij hodie Romæ dicitur. Quid autem Monumentum sit, indicant insignes loci apud Cic. in Oratione pro Marcello, *Obstupescent posteri certe, imperia, Prouincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos.* Et pro Fonteio, *Partim modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti, modo triumphis, ac monumentis notati, modo ab Senatu agris*

C *vrbibusque multati.* Et apud Ennium Africanus patriam adloquens, *Namque tibi monumenta mei peperere labores.* Et Propert. in III. *Hannibalis spolia, & victi monumenta Siphacis.* Et idem in IIII. *Actia Iuleæ pelagus monumenta carinæ.* Nicolaus Florentinus Batauus gemmam veteris artificij mihi ostendit Romæ, Victoriæ imagine ac tropheo insignem, & singularibus notatam litteris, his, H. V. M. Quas interpretabatur, Hispaniæ vtriusque monumentum, vel, Hoc victoriæ monimentum. vel, Hostium victorum monumentum. Callimachus in Hymno in Dianam, Σημεῖα νίκης videtur dicere. Οὔρεα ... ἀρχαῖα ... σημεῖα νίκης Ἀρκαδίην ... ἴδε ...

D Gallicvm *Rhenum, horribilis & vlti mosque Britannos.*] In manuscriptis omnibus est, *Horribilesque vlti mosque Britannos.*. itaque legendum censeo, vt inoffense concurrant vocales, E, &, V. Sic enim Catullus solet, & sit qui sequitur versus συνάφεια. quod cum multi non intelligerent, poetæ numeros corrupere.

Pavca *nuntiate meæ puellæ Non bona dicta.*] Translata omnia ab augurali disciplina, è qua sunt, Nuntiare, & Nuntiatum, & Bona, & mala

E verba.

Cvm *suis viuat, valeatque mœchis.*] sic veteres, vt Terent. in Adelph. *An pro huius peccatis ego supplicium sufferam. immo habeat, valeat, viuat cum illa.*

Qvos *simul complexa tenet trecentos.*] Hoc vtebantur numero, cum nimis multos significabant. Idem alibi, *Quare aut hendecasyllabos trecentos expecta.* Horat. in I. Sermon. *Trecentos ingeris ohe.* At apud Iulium Capitolinum in probrosis versibus, in eandem factis sententiam, centum sic moechi dicuntur. *Vidimus in somnis ciues, nisi fallor, & istud Antoninorum nomen puer ille gerebat, Qui patre venalis genitus, sed matre pudica. Centum*

nam mœchos passa est, centumque rogauit. Ipse etenim Caluus mœchus fuit, inde maritus, En prius, en Marcus, Verus nam non fuit ille.

Sed *identidem omnium Ilia rumpens.*] Sic Verg. *Rumpantur vt ilia codro.* Et Martial. opinor de quodam, *Rumpitur inuidia.* Sic autem dicebant de his, quos agi rabie, & furore significabant.

Nec *meum spectet, velut ante, amorem.*] legi omnino debet, vt est in manuscriptis omnibus, *Nec meum respectet vt ante amorem.*

Qui *illius culpa cecidit, velut prati Vltimus flos.*] In manuscriptis omnibus haud paullo concinnius legitur, *Vltimi flos.* Vltimũ enim pratũ elegãter dicit, partẽ extremã & quasi orã prati ipsius.

B Prætereunte *postquam Tactus aratro est.*] Idem alibi de Flore, *Nullo contusus aratro.*

M. ANT. MVRETVS.

Furi, & *Aureli.*] per Furium & Aurelium, quasi nuncium remittit Lesbiæ.

Comites *Catulli.*] significat se ab eis valde amari. est enim magni amoris indicium, velle cum aliquo longum ac periculosum iter, ipsius caussa, suscipere. Sic Horatius,

Septimi Gades aditure mecum, &
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, &
Barbara Syrtes, vbi Maura semper
Aestuat vnda.

Cum horum tamen vtroque graues postea inimicitias gessit, eosque acerbissimis versibus insectatus est, tum quod ipsum, vt mollem, notassent: tum quod puerum ipsi carum Aurelius quidem tentasset, Furius vero etiam constuprasset.

In *extremos Indos,*] in extremas Indiæ oras. Sic & apud Horatium.

Impiger extremos curris mercator ad Indos.

Littus *vt longe.*] ita est in libris Aldinis, melius puto, quam in aliis, *Longe vbi littus:* nam particula *Vt,* in epigrammate quoque ad Coloniam, eodem modo vsus est.

Longe *resonante.*] πολυφλοίσβῳ.

Sagittiferosque *Parthos.*] annotandus est choreus in secunda sede Sapphici, vt & paulo post, *Pauca nunciate meæ puellæ.* & alibi,

Otium Catulle tibi molestum est.

id ex posterioribus solus, quod sciam, imitari ausus est diuinus poeta, Michael Marullus. Sappho autem, quæ nomen huic generi versuum dedit, sæpe admodum id fecerat.

Septemgeminus.] qui septem ostiis exit in mare. Virgilius,

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili,

Sic idem centumgeminum Briarea à centum manibus, & tergeminum canem, Cerberũ dixit.

Colorat.] limo, cuius magnam copiam secum trahit.

Monimenta.] trophæa.

Gallicum *Rhenum.*] epitheton addit, ad discrimen Rheni Bononiensis.

Horribiles.] hospitibus feros, vt eos Horatius vocat. Vltimos autem, diuisos toto orbe, vt Virgilius loquitur, infra quoque, vltimam Britanniam vocat. Horatius,

A *Serues iturum Cæsarem in vltimos Orbis Britannos.*

Trecentos.] hyperbole.

Velut *prati Vltimus flos*] vltimos prati flores vocamus, qui sunt proxime viam. ij autem fere aut viatorum pedibus, aut curruum prætereuntium rotis obteri solet. Respicit autem Catullus ad vetus prouerbium, quo, cum, aliquid plane periisse, indicare volebant, dicebant, Tam periisse, quam extremam famam. Vide Festum.

In Asinium. XII.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non bellè vteris in ioco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te inepte.
Quamuis sordida res, & inuenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri; qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim lepôrum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
C *Exspecta, aut mihi linteum remitte:*
Quod me non mouet æstimatione,
Verum est μνημόσυνον mei sodalis.
Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Veranius. hoc amem necesse est,
Et Veraniolum meum, & Fabullum.

ANT. PARTHENIVS.

D Marrucine *Asini manu sinistra.*] Marrucinũ Asinij Pollionis fratrem sudariorum furem monet, ni sibi reddat sudarium, quod ipsi in conuiuio abstulit, se furta illius trecentorum versuum criminatione vlturum: quia non potest nisi valde ac necessario amare id sudarium sibi ab amicissimis donatum.

Marrucine.] Marrucini populi sunt Campaniæ iuxta Pelignos & Vestinos: vt Strabo & Plinius tradiderunt. hic autem Marrucinus fuit Asinij Pollionis oratoris atque poetæ frater.

Asini.] est vocatiuus cognominis: nam Pollionis domus Asinij dicti sunt.

Non *belle.*] male.

E In *ioco atque vino.*] in iocoso conuiuio: vinum pro conuiuio: Horatius, *Vino & lucernis Medus acinaces Immane quantum discrepat.*

Fugit *te.*] scilicet ratio: hoc est, insanis si putas me falsum dicere.

Sordida *res est.*] scilicet furari lintea.

Pollioni *fratri.*] scilicet tuo, cui multa furto abstulisti: de hoc Asinio Pollione Quintilianus sic scribit, *Multa in Asinio Pollione inuenio summa elegantia: adeo vt quibusdam etiam nimia videatur & consilij & animi satis: à nitore & iucunditate Cice-*

ronis ita longe abest vt videri poßit secundo prior: A Hunc Horatius tragœdiarum scriptorem fuisse testatur: vnde Virgilius, *Pollio & ipse facit noua carmina:* & alibi: *Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno.*

MVTARI.] posse redimi: mutari dixit ex antiqua consuetudine: nam temporibus primis omne mercimonium, emptio, venditio, rerum commutatione constabat, vt Seruius Georgicorum tertio dixit, & instituta de emptione & venditione: Persius *Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti Rugosum piper:* Emere autem & vendere instituit Liber pater, vt testatur Plinius. B

EST *enim disertus puer leporum.*] Pollionis eloquentiam laudat, Quintiliano astipulans.

HENDECASYLLABOS.] Versus Phaleucius à Phaleuco inuentore: hendecasyllabus à syllabarum vndecim numero dictus est. In hoc carminis genere plurimum gratiæ ac venustatis habuit Catullus.

VERVM *est mnemosynon mei sod.* μνημόσυνον dicitur Memoriale, siue monumentum: munus enim à Fabullo & Veranio datum est Catullo monumentum, & pignus amoris. Virg. *Accipe & hæc tibi quæ manuum monumenta mearum Sint puer & longum Andromachæ testentur amorem* C

SETABA.] Sudaria, siue lintea Setabina: nam (vt Strabo est auctor) Setabis Hispaniæ vrbs est, in cuius agro campus est nominatus spartarius, à sparto lini genere. Plinius autem scribit, & Hispania citerior habet splendorem lini præcipuum torrentis in quo politur natura qui alluit Taraconem.

IBERIS.] Iber Hispaniæ populus: Lucanus. *Si tibi durus Iber, vel si tibi terga dedisse Cantaber.*

PALLADIVS FVSCVS.

MATRVCINE *Asini.*] Versus est hendecasyllabus. Monet Matrucinum Asinium Asinij Pollionis fratrem, qui mapparum fur erat: vt sibi remittat linteum quod nuper in conuiuio surripuit: vel trecentos expectet hendecasyllabos qui in ipsum scribentur. D

MATRVCINE.] Quidam eruditorum legunt non Matrucine, sed inter cœnam, quod mihi valde placet.

MANV SINISTRA.] dextra enim vescendo occupata, læua inuolabat.

NON *belle.*] ergo male.

IN *ioco atque vino.*] dum socij iocantes bibunt.

NEGLIGENTIORVM.] qui sibi cauere nesciunt.

HOC.] surripere scilicet mappas. E

SALSVM *esse putas.*] hominis salsi idest faceti. Quid salsus significet in vj. exactissime docet Quintilianus.

FVGIT *te inepte.*] sensus est. Si putas hoc esse salsum, non recte sentis.

QVAMVIS *sordida.*] quantumuis turpis.

NON *credis mihi.*] quærit sibi fidem ex verbis Asinij fratris ipsius Matrucini.

EST *enim leporum.*] ad id alludere videtur quod Matrucinus, in quem est epigramma, insulsus erat.

QVARE *aut*,] ponit Matrucino optionem.

ÆSTIMATIONE.] pretio sui.

Mnemosynon.] monimentum siue memoriale, est autem Græcum verbum. Nam qui apud nos faciunt epigrammata ipsi plerunque inserunt suis versibus græcas dictiones.

SETABA.] Setabis vrbs est Hispaniæ citerioris, vbi olim telæ pulcherrimæ texebantur: Silius Italicus. *Setabis & telas Arabum spreuisse superbas:* & infra Catullus. *Sudariumque setabum, cathagraphonque linon.*

ACHILLES STATIVS.

MARRVCINE *Asini, manu sinistra Non belle vteris in ioco, atque vino.*] læua, furto infamis. Plaut. in Per. *Vbi altera est furtifica læua.*

In ioco, atque vino] Idem alibi, *Reddens mutua per iocum, atque vinum.* Furandi morem per iocum refert Sueton. in Nerone Claudio, *Vetiti*, inquit, *quadrigariorum lusus, quibus inueterata licentia paßim vagantibus fallere ac furari per iocum ius erat.*

HOC *salsum esse putas.*] Eodem modo obsceni auctor carminis, *Nimirum tibi salsa res videtur.*

QVAMVIS *sordida res, & inuenusta est.*] Eodẽ modo loqui Cic. videtur in orat. VII. in Verr. *Expectate facinus quam vultis improbum,* Et Ouid. in IIII. Fast. *Nulla mora est operi: vestrum dare, vincere nostrum est, Quam velis Aeneas ista negata mihi.*

NON *credis mihi, crede Pollioni Fratri.*] Ex his verbis intelligitur hic Asinij Pollionis frater fuisse. Et Pollio ipse Marrucinus fuisse, qui tum puer esset, æqualis Horatij.

MVTARI *velit.*] sic Horat. *Hic mutat merces surgenti ab sole.* Et Vergil. in III. Georg. *Quamuis Milesia magno Vellera mutentur.* Mutator hoc modo Græcis opinor dicitur, Μεταβολεύς. Demosthen. Εἰ δ᾽ κάπηλος, ὢν πονείας ἢ παλιγκάπηλος, ἢ μεταβολεύς. Est enim, vt Grãmatici tradunt, μέξεις ἐμπορίας. ὅτι μεταβολεῖς ὁ βολῶν, ἢ ἀλφίτων, ἢ τῶν πιόντων, οἱ αὐτοὶ καπηλεύοντες. Mutari ergo, redimere. Plin. in XIX. *Quaternis denarys stipula eius permutata quondam, frater Pollio tua furta vel talento emeris. nam, vt & lepidus, & facetus, tua furta minime celas.*

QVOD *me non monet æstimatione.*] Tanti mihi non est.

VERVM *est* μνημόσυνον *mei sodalis.*] Monumentum, memoriæ causa donum. Sic enim est in veteri monumento Romæ in ædibus Angeli Colotij.

IVLIVS . VALENTIO
ET . ANTONIA. ERMI
ONE. IVLIÆ. VALEN
TINIÆ. FILIÆ. BENE
MERENTI . MEMORI
Æ. CAVSÆ. DONVM
DEDERVNT. AN. V. P.M.II

Erat autem scalptum ibidem Causæ, cum Causa esse debeat.

Hoc *amem, necesse est.*] Rectius in manuscriptis omnibus, *Hac amem, necesse est.* Sudaria, scilicet.

A

Vt *Veraniolum meum, & Fabullum.*] Nec male iisdem in libris, *Et Veraniolum meum, & Fabullum.*

M. ANT. MVRET.

Marrvcine *Asini.*] cum in veteribus libris aperte legeretur, *Marrucine Asini*, nescio, qua ratione moti eruditi quidam, illius loco substituerunt, *Inter cenam Asini*, vt ex Palladij interpretatione cognoscitur: qui etiam hoc ipsum sibi valde placere ait, mihi quidem, ne quid dissimulem, non placet, tum aliis de caussis, tum quia poeta ipse indicat furta hæc non tam inter cenam fieri solita esse, quo tempore, vix est, vt quisquam patiatur sibi linteum suum eripi, quam peracta iam cena, cum, sublatis epulis, iocari conuiuæ inter se, & maioribus poculis poscere consueuerant. id enim tempus non obscure innuit, cum ait, *In ioco atque vino*: vt & infra, *Reddens mutua per iocum atque vinum.* Marrucinos quidem populos Italiæ esse constat. itaque nihil video, cur veterem scripturam mutare oporteat. non enim, si de hoc Asinio, qui Marrucinus fuerit, nihil alibi proditum est, idcirco à veterum librorum fide recedi par est.

B

Salsvm.] vrbanum.

Fvgit *te.*] erras.

Qvamvis *sordida.*] id est, admodum sordida. Sic Plautus Menæchmis,

Solet iocari sæpe mecum illo modo:
Quamuis ridiculus est, vbi vxor non adest.

id est, nihil eo magis ridiculum ne optari quidem potest. Quo autem vitio notatur hic Asinius, eodem Martialis Hermogenem quendam notat, de quo ita scribit,

Ad cenam Hermogenes mappam non attulit vnquã:
A cena semper rettulit Hermogenes.

C

Mvtari.] id est, qui ait cupere se furta tua vel talento redimere. Mutare autem, pro eo quod est emere, aut vendere, antiqui sæpe dicebant. Columella: *Porcus lactens ære mutandus est.* Idque Græcorum exemplo apud quos sæpe hoc ipso modo ponitur verbum ἀλλάττειν. eo autem id fit, quia antiquissima ratio contrahendi, vt Aristoteles, & iurisconsulti docent, permutatio est, quin ipsum permutationis nomẽ cõmune est omnibus, vt prudentes loquuntur, contractibus. tantum enim valet Latine permutatio, quantum Aristoteli συνάλλαγμα. ideoque numeratur inter eos contractus, quibus proprium nomen inditum non est. Sed iis de rebus à nobis & magis suo loco, & copiosius disputatum est in commentariis, quos in quintum Ethicorum scripsimus.

D

Disertvs *puer.*] in aliis, *Disertus pater.* mihi, & si non sum nescius, patrem leporum ac facetiarum Latine admodum dici, & nomen, disertus, cum generandi casu, ita rarum esse, vt fortasse vix vsquam alibi legatur, tamen nescio quo modo prius illud venustius videtur.

E

Svdaria *setaba.*] Ex lino setabo, quod optimũ in Hispania crescit ad fluuium Tarraconẽ.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Marrvcine *Asini.*] Hieronymus Auantius, qui non veritus est integros locos huius cultissimi poetæ contaminare, pro *Marrucine*, legebat, *Inter cenam*, à quo postea illa mendi indoles in omnibus libris propagata est. At *Marrucine* rectum erat: non vtique quod ex Marrucinis populis Campaniæ ortus fuerit: sed quia conuicium stupidis eo nomine fiebat. Tertullianus quinto in Marcionem: *Sicubi alibi dixit, & non hic, Marrucine*, hoc est, ἀναίσθητε & ἀμαθεῖς. Paulinus epistola vii. libri primi: *Neue iterum tuas nobis literas Marrucinus adferat*: Quem Paulinus hic Marrucinum vocat, supra monachum inspiritualem dixit. Sunt tamen qui apud Tertullianum Marrucinum natione interpretentur. In quo vere Marrucinos sese ostendunt. Quis tam puer in sermone Latino, qui non videat apud Tertullianum conuicium esse, non appellationem? Sed quia nos indicauimus, propterea verum non est, Et quid facient illo loco Paulini, qui tam aperte Marrucinitatem eorum exagitat. Næ Auantius quoque Marrucinus fuit, qui hoc mutauit.

In *ioco atque vino.*] Et apud in Plautum *in vino*, vt hic dicitur imitatione Græcorum. Aristophanes λυσιστράτη. ἡμῖν δ' ἐν οἴνῳ συμπόταις προσθαλεῖ.

Mvtari *velit.*) Hoc est, qui te furti purum esse magno mercetur. qui te furem non esse talento contra carum non habeat. Sallustius oratione L. Philippi: *At tum erat Lepidus Latro cum calonibus, & paucis sicarijs, quorum diurna mercede vitam non mutauerit.* Euripides Medea.

-- τῶ δ' ἐμῶν ψυχῶν φυγάς
ψυχὰς ἂν ἀντηλλαξάμεθ' οὐ χρυσοῦ μόνον.

Ad Fabullum. XIII.

*C*enabis *bene, mi Fabulle, apud me*
Paucis, si tibi Dij fauent, diebus,
Si tecum attuleris bonam, atque magnam
Cenam, non sine candida puella,
Et vino & sale, & omnibus cachinnis.
Hæc si inquam, attuleris venuste noster,
Cenabis bene. nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contrà accipies meros amores,
Seu quid suauius, elegantiúsve est:
Nam vnguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinésque:
Quod tu cùm olfacies, Deos rogabis,
Totum vt te faciant, Fabulle, nasum.

ANT. PARTHENIVS.

CENABIS *bene mi Fabulle apud me.*] ad cœnam Fabullum sibi familiarem iocosè inuitans, facetè monet secum afferat cum amica cœnæ opiparæ apparatum, si commode cœnare desiderat: simulque poeta suæ rei familiaris egestatem excusat, promittens suaue conuiuij vnguentum, ac gratiosi animi amorem atque hilaritatem conuiuatoris.

PAVCIS *diebus.*] breui tempore.

VINO.] quod mihi non est nisi vappa.

SALE.] salibus facetis: singularis pro plurali.

NON *sine candida puella.*] pro Epicureo conuiuio: quod omnium voluptatum generibus celebratur. Martialis ad Liberum: *& caleat blando mollis amore torus:* Item de vnguento, quo discubituri pervngebant capita: *Si sapis Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat, & cingant florea serta caput:* & de optimo vino: *Candida nigrescant vetulo crystalla Phalerno.*

SACCVLVS.] promptus, id est promptuaria cella.

PLENVS *est aranearum.*] eleganter, & facete ab effectu, & consequentibus pauperiem & egestatem suam expressit.

MEOS *amores.*] beniuolum, & hilarem conuiuatoris animum: vt Ouidius, *Super omnia vultus accessere boni:* Alij legunt. *Meros amores.* hoc est purum & non fictum animum conuiuatoris.

VENERES.] amores aut elegantiæ: nam & Venus elegantiam significat, vt diximus.

OLFACIES.] odoraberis.

TOTVM *vt te Faciant Fabulle nasum.*] Iocose ac facetè dictum.

PALLADIVS FVSCVS.

COENABIS *bene.*] Versus est eius generis, cuius est superior. Inuitat Fabullum sodalem ad cœnam, ea tamen lege, vt is secum ferat cœnam & candidam ducat puellam. Verum vt Fabullus libétius veniat, pollicetur se ei daturum vnguentum fragrantissimum: quod olfaciens, deos rogabit vt se totum nasum faciant.

APVD *me.*] honestissima est elocutio, sic Cicero in primo epistolarum familiarium. *Et ego ea die casu apud Pompeium, cœnaui.*

BONAM *atque magnam.*] bonam ad condimenta, magnam vero ad copiam ferculorum.

SALE.] pro salibus. Sales autem in numero pluratiuo sunt facetiæ.

SACCVLVS *est aranearum.*] sensus in sacculo siue marsupio tui catulli nihil est preter araneas.

SED *contra accipies meos amores.*] audies inquit versus, quos de meis amoribus feci. Accipio enim interdum significat audire. Cicer. *Quæ hic gerãtur accipite à Pollione,* & Ouidi. in primo Fastorum, *accipio renocamur* ait.

NAM *vnguentum dabo:*] Veteres in conuiuiis nisi vncti discumbebant: Quam rem multis in locis indicat nobis Martialis. erant autem vnguenta vt docet Plinius lib. XIII. hist. nat. odores ex multis variisque rebus compositi: quibus

A prisci corpus sibi illinebant, vt melius olerent.

OLFACIES.] olfacere est odorari. Martialis: *Mentula tanta tibi est, tantus tibi Neuole nasus: Vt possis quoties arrigis olfacere.*

TOTVM *n. sum.*] tanta erit vis odoris & olfaciendi voluptas.

ACHILLES STATIVS.

NON *sine candida puella.*] Idem alibi, *Quamuis candida millies puella Euntem reuocet.*

ET *sale.*] Lepore, Facetijs.

HÆC *si, inquam, attuleris, Fabulle noster.*] In manuscriptis omnibus, *Venuste noster,* quod retinen-

B dum censeo.

NAM *tui Catulli, Plenus sac. &c.*] summam inopiam sic, & egestatem significabant. Sacculum vero pro crumena posuit. Placiades enim in Glossis crumenam sacculum interpretatur. *In arca vero & sacculo reponebant pecunias.* Iuuenal. Sat. XI. *Ignorat quantum ferrata distat ab arca Sacculus.* Et Horat. *Congestis vndique saccis Indormis inhians.* Dicit ergo pecuniæ sibi tantum non esse, vnde cenam paret.

SED *contra accipies meros amores.*] Vt alia vlla de te sermo sit omnino nullus, nihil nisi amores audiantur, id enim meros amores dicit. Sic meros honores Horatius dixit, cum nihil illi inter

C se nisi honores & speciosos titulos alter alteri tribuentes loquerentur, in II. Epist. ad Florum: *Vt alter Alterius sermone meros audiret honores.* Possit etiam legi, Meos amores, idest meæ quoque amicæ copiam tibi faciam. Atque alibi idem Horat. *Sulcos, & vineta crepat mera.* Et Cic. in IX. Epist. ad Attic. *Dolabella suis litteris id. Mar. datis merum bellum loquitur.* Accipere vero, si illo modo interpretamur, sic dixit, vt & alibi, *Nam quasdam volo cogitationes Amici accipiat sui, meique.*

NAM *vnguentum dabo.*] Eadem vtitur permutatione Horat. in IIII. Carm. ad Vergil. *Nardi parvus onyx eliciet cadum.*

D TOTVM *vt te faciant, Fabulle, nasum.*] Sic Martial. *Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus.*

M. ANT. MVRETVS.

CENABIS.] Fabullum ad cenam inuitat, ea lege, vt Fabullus quidem cenam secum afferat, ipse autem nihil suppeditet præter vnguentum. Sciendum autem est, veteres floribus redimitos vnguentisque delibutos cenitasse, vbi se liberalius inuitare decreuerant: tum voluptatis caussa, tum quod crederent odoramentis

E ebrietatem impediri. Nonnunquam etiam, vt est apud Festum, auiculas quasdam corollis suis alligabant; quarum & cantu assiduo, & crebris rostri vnguiumque puncturis efficeretur, ne ipsi inter potandum obdormiscerent. Horatius,

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu, iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos
Potamus vncti? Idem,
Huc vina, & vnguenta, & nimium breuis
Flores amœnæ ferre iube rosæ.

ceterum huiusmodi conuiuatorem, qui vn-

guentum modo præberet, alicubi irridet Martialis, hoc versu,

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
Conniuis here, sed nihil scidisti.
Res salsa est, bene olere, & esurire,
Qui non cenat, & vngitur, Fabulle,
Hic vero mihi mortuus videtur.

Pavcis *diebus.*] intra paucos dies. Hoc modo etiam Propertius locutus est,

Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.

Sale.] facetiis.

Plenvs *sacculus est aranearum.*] id est, pridem inanis est. Afranius apud Festum, *Tam ne arcula tua plena est aranearum?* Plautus Aulularia,

-anne quis ædes auferat?
Nam hic apud nos nihil est aliud quæsti furibus:
Ita inaniis sunt oppletæ atque araneis.

Meros *amores.*] ita lego, non, vt alij, *meus amores*: & de ipso vnguento hoc dictum accipio.

IANVS DOVSA. FIL.

Cenabis *bene, mi Fabulle, apud me.*] Martial. *Cenabis bellè Iuli Cerealis apud me.* Lucillius: *Cenasti in vita nunquam bene.* Qui locus me in memoriam inducit Centonis cuiusdam, quem ex diuersissimis eius Satyrographi Fragmentis in vnius sententiæ corpus coëgit & conglutinauit Pater, quem, vt hoc velut tragemate fessum lectorem recrearem, haud ab re visum est hic inserere, neque displicere poterit illis, quibus non obbrutuit palatum ad has antiquitatis delicias.

Cento Lucillianus ex xv. diuersis Fragmentis concinnatus à
Iano Dovsa Patre.

** Legem* 1
*Vitemus Licini * Fanni centusse misello,* 2
** Quæ Gallam bibere ac rugas conducere ventris* 3
Farre aceroso, oleo, & Cumano pane coëgit.
** Ostrea nulla fuit, non purpura nulla Pelori,* 4
** Pulmentaria, vt intybus, aut aliqua id genus herba,* 5
** Asparagi molles, * fici comedantur & vuæ,* 6.7
** Flebile cæpe simul lachrymosæque ordine thallæ* 8
** Et ius mænarum; bene habet. sin mictyris hæc merx* 9
** Cäseus allia mollibit, * cum pulte adipata.* 10.11
** O Lapathe, vt iactare necesse est, cognitu' cui sis.* 12
In quo Lælius clamores sophos ille solebat
Edere compellans gumiæs ex ordine nostros:
** O Publi, ô gurges Galloni, es homo miser, inquit:* 13
Cenasti in vita nunquam bene, quum omnia in isto
Consumis, squillâ atque acipensere cum decumano.
** Occidunt Lupe, saperda te & iura siluri,*
*Sumina te atque amiæ, * ne dicam viscus aprugnum.* 15

In his multa emendatius legi, alitérque quàm apud Grammaticos produci vides, sed ea accuratius explicare non est huius loci, & ratio correctionum singularum alibi reddetur. More suo facit Catullus vt persequendis Græcorum vestigiis loquendi genera sumat à plebe semota, quale hoc est, quod in eodem Carmine legitur:

Nam *tui Catulli Plenus sacculus est aranearum.*] Cratinus enim Comicus dixerat de Paupertate: *Ἀραχνίων μεστὴν ἔχω τὴν γαστέρα.* Etiam illa A loquendi ratio:

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Plenvs *sacculus.*] Martialis, *nescit sacculus ista meus.* Glossæ: *Sacculus βαλλάντιον, βαλλαντίδιον.*

Ad Licinium Caluum. XIIII.

Ni te plus oculis meis amarem,
Iucundißime Calue, munere isto
B *Odissem te odio Vatiniano.*
Nã, quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot malè perderes poëtis?
Isti dij mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quòd si, vt suspicor, hoc nouũ, ac repertũ
Munus dat tibi Sylla litterator,
Non est mi malè, sed bene, ac beatè,
Quòd non dispereunt tui labores.
C *Dij magni, horribilẽ, & sacrum libellũ,*
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuò vt die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.
Non, non hoc tibi, salse, sic abibit.
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Cæsios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis rumenerabor.
D *Vos hinc interea valere, abite*
Illuc, vnde malum pedem tulistis,
Sæcli incommoda, peßimi poëtæ.

ANT. PARTHENIVS.

Ni te *plus oculis meis amarem.*] Conqueritur de inhumanitate Calui, qui Saturnalibus pro xeniis muneribus Catullo flagiosissima quorundam maledicorum poetarum carmina miserat: minatur itaque Catullus se parem Caluo malis carminibus gratiam relaturum.

E Ivcvndissime *Calue.*] duos ea ætate Caluos nomine fuisse comperio: alterum Licinium Caluum poetam cuius meminit Horatius, *Nil præter Caluum & doctum cantare Catullum*: & Ouidius, *Par fuit exigui similisque licentia Calui*: hic enim tenui carmine Quintiliam amicam defleuit: Propertius, *Hæc etiam docti confessa est pagina Calui Quum caneret miseræ funera Quintiliæ.* De poeta hic intelligit Catullus: alterum vero Caluum fuisse Oratorem apud Quintilianum legimus: de quo Plinius libro xxxiii. scribit, *vasa coquinaria ex argento fieri Caluus orator queritur*: hic autem appellatus fuit Cornelius Licinius

Caluus, vt idem Plinius scribit libro vij.

ISTA.] Cum contemptu dicit: vt Virgilius, *aut quis petus istus.*

MVNERE.] Saturnalitio, scilicet odissem te.

ODIO *Vatiniano.*] Odio quo dignus est Vatinius. In Vatinium enim quædam odiosa ac mordacissima est Ciceronis oratio, pro quo postea Cicero depositis inimicitiis orauit. aut certè *Odio Vatiniano*, tali ac tam acerbo odio quali tota fere ciuitas Romana Vatinium insecuta est. Vatinium enim populo odiosum fuisse testatur Macrobius: scribens eum à populo ludis gladiatoriis lapidatū fuisse: Cicero in Vatinium, *Odio enim tui in quo & si omnes propter tuum in me scelus B superare debeo, tamen ab omnibus pene vincor: sic sum incitatus, vt quum te non minus contemnerem quam odissem, tamen vexatum potius quam despectum vellem dimittere.* Seneca ad Nouatum: *Vatinium hominem natum & ad risum & ad odium scurram fuisse & venustum & dicacem memoriæ proditum est.*

QVID *feci quidue sum locutus.*] Nec facto nec dicto te læsi.

MALIS *poetis.*] sceleratis malorum poetarum scriptis.

ISTI *clienti.*] Tuo scil. nam iocosus cliens, Caluo, ea carmina donauerat in Saturnalibus: C Caluus autem Catullo misit.

TANTVM *impiorum.*] Tam flagitiosa carmina.

NOVVM.] Nuper factum ab ipso fortasse litteratore Sillone.

AC *repertum.*] Inuentum ab ipso Sillone.

AC.] pro aut.

SILLO.] Alij legunt Sulla sed de Sillone intelligo, ad quem alibi Catullus scribit,

Aut sodes mihi redde decem sestertia Sillo:

Sillus enim appellatur nasus sursum versus & repandus: hic puto dictum Sillonem & Sillium propria nomina. Sillones autem dicti sunt superciliis seruientes significatione manifesta: vt D ait No. Marcellus.

LITTERATOR.] Pro grammatico ponebatur ab antiquis. Initio enim litterati dicebantur Poetarum interpretes: qui à Græcis grammatici nominantur. Messalla Coruinus eosdem litteratores vocitatos ostendit: Orbilius autem litteratum absolute doctum: Litteratorem vero mediocriter doctum diffiniuit.

MI.] Pro mihi.

NON *est mi male.*] Non male tamen, sed bene me habeo: possum enim te tuo gladio iugulare, his & talibus donis remunerando. E

SACRVM.] Execrandum.

MISTI.] Pro misisti.

PERIRET.] Catullus.

SATVRNALIBVS *die optimo dierum.*] Saturnalia mense decembri quinque vel septem cōtinius diebus, festa celebrabātur. legito plura apud Macrobium. optimo autem die dixit; quoniam his diebus omnes omni cura laboribus vacui, iocis & lusibus dediti genio inseruiebant; domini quoque seruos imperio, ac ministerio seruili per id tempus liberatos, conuiuio accipiebant.

DIE *optimo.*] Aut opinionem eorum tangit, qui vno die Saturnalia constare dixerunt, aut A singularis pro plurali numero positus est.

NON *non.*] More Græco, duplex negatio magis negat.

SIC *abibis.*] Sic impune feres vt falso speras.

FALSE.] ô decepte vana spe.

NAM *si luxerit.*] In vespera enim id munus acceperat.

AD *librariorum.*] Nam apud librarios seu bibliopolas in tabernis poetæ sua edebant atque publicabant carmina; aut pilis agglutinabant, vt publicè legerentur. Horatius,

Nulla taberna meos habeat neque pila libellos:

& Martialis, *Contra Cæsaris est forum taberna*

Scriptus postibus hinc & inde totus

Omnes vt cito perlegas poetas.

SCRINIA.] Sunt capsæ librorum receptacula: Martialis,

Scrinia da magnis me manus vna capit: Horatius,

Ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes.

CÆSIOS.] Nomen proprium poetarum: Cæsius autem non lentiginosum, sed glaucum oculis significat: vt Gellius testatur: est autem epitheton Palladis ad oculorū qualitatem relatum.

AQVINOS.] Cæsium & Aquinum maledicos ac mordaces, impudicorum carminum scriptores fuisse, Catullus indicat.

SVPHENVM.] Hic fuit dicax atque insulsus poeta, vt infra poeta dicet: *Suphenus iste Varre quem probe nosti.*

VENENA.] Venenosa. atque mordacia carmina.

SI *quis forte mearum ineptiarum.*] Suorum scriptorum modestam humanitatem ostendit: vt qui ea legerit nil sit moleste laturus.

MEARVM *ineptiarum.*] Poetarum est, suorum scriptorum merita, humili appellatione verecundè attenuare.

PALLADIVS FVSCVS.

NI *te plus oculis.*] Versus est hendecasyllabus. Minatur se param gratiam Caluo relaturum, qui in saturnalibus in quibus voluptati indulgebatur, miserat amico impia carmina legenda.

IVCVNDISSIME *Calue.*] Legimus duos Caluos eodem tempore fuisse; vnum poetam, & alterum Oratorem: ad quem proculdubio nunc scribit Catullus, licet multi hoc pernegent.

MVNERE *isto.*] Quod mihi misisti.

ODIO *Vatiniano.*] Quo Cicero prosecutus est Vatinium. extat Ciceronis Oratio, in qua Vatini insectantur flagitia.

NAM *quid feci ego.*] Quasi dicat neque re, neque verbo te læsi.

MALIS.] Emendo male.

ISTI *dij mala.*] Catullus malum imprecatur illi clienti, qui Caluo patrono suo miserat tam impia carmina; quod autem clientes in saturnalibus munera patronis mittere soliti essent, non vno in loco indicat Martialis.

NOVVM.] Nuper factum.

AC *repertum.*] Atque inuentum. vt hoc referas ad inuentionem; illud vero ad compositionem.

SYLLA *litterator.*] Sylla grammaticus: ita enim priscis temporibus appellabant poetarum interpretes; quibus noua poemata dabantur castiganda: vt dicas, Syllam litteratorem carmina maledicorum poetarum, quæ ipse nuperrime castigauerat atque transcripserat, tanquam rem magnam Caluo, à quo sæpius in iudicio defensus fuerat, dono dedisse: Caluum vero Catullo.

NON *est mi male.*] Non est mihi molestum. est autem ironia.

TVOS *labores.*) Quos tulisti dum Syllæ caussas agis.

DII *magni.*) Exclamatio.

MISTI.) Misisti: sincopa.

SATVRNALIBVS *optimo dierum.*) Ideo sic ait: quia cum saturnalia dies quinque vel vt aliis placet, septem durarent: vltimus omnium optimus putabatur: quoniam homines postridie ad negocia redituri eo die maxime se oblectabant.

NON *non.*] Caluo sed pene ridendo minatur: Est autem negantis confirmatio. Sic Propertius,

Non non humani sunt partus talia dona.

SI *luxerit.*] Si dies orietur, quæ nihil aliud est quam solis lux.

LIBRARIORVM.] Librarij sunt, qui libros transscribunt, eosque vendunt. Ij Romæ in Argileto tabernas habebant. Martialis,

Argiletanas mauis habitare tabernas:
Cum tibi parue liber scrinia nostra vacent.

CÆSIOS, *Aquinos Suphênum.*] Malos ac mordaces temporis illius poetas. de Supheno autem infra dicetur.

VENENA.] Venenosos versus quales illi faciebant.

VOS *hinc.*] Remittit eo carmina vnde missa venerunt. cum quibus etiam paciscitur.

SI *qui forte mearum ineptiarum.*] Sensus est; Si forte vobis contigerit legere meas ineptias: vt mihi vestras contigit: concedo vt me quoque repellatis.

ACHILLES STATIVS.

MVNERE *isto Odissem te odio Vatiniano*] Propter id munus. διὰ τὸ δῶρον. Odisse odio dicit, vt Græci, ἔχθος ἐχθαίρειν. Sophocles in Philoctete, πρὸς δ' ὡς τοῖς ... Στρατηγοῖς ... ἔχθος ἐχθαίρεις μέγα.

CVR *me tot male perderes poetis.*] In manuscriptis omnibus erat Malis, pro Male. Sed hoc omnino male.

ISTI *di mala multa dent clienti.*] Malefaciant. Quale illud Metelli Consulis in Næuium poetam, apud Ascon. Pedianum, *Dabunt malum Metelli Næuio poetæ.*

QVI *tantum tibi misit impiorum.*] Dirarum. Græci opinor dicunt, Ἀσεβῆ. Et eodem prope modo Aristophanes in Auibus dixit, Ἀσεβῆ τ' ἐπιδοθέν.

NOVVM, *ac repertum.*] Sic etiam in manuscriptis. Mi legendum videbatur, —*hoc nouum, hoc repertum Munus.* Sic enim solet, vt alibi, *In misero hoc nostro hoc perdito amore fore.* Et id videtur esse concinnius. Munus autem repertum dicit, A in quod ille forte incidisset.

SED *bene ac beate.*] Sic sæpe Cic. *Bene, ac beate viuere.* vt Plato in VII. de legibus, ζῆν εὖ τε καὶ εὐδαιμόνως.

QVOD *non disperennt tui labores.*] Dispereunt, οἴχονται. Sic Cicer. ad Att. *Non οἴχεται industria tua.* Et apud Gellium Musonius, ὁ δὲ πόνος οἴχεται.

DI *magni, horribilem, & sacrum libellum.*] Di magni: quale apud Græcos, ὦ θεοί. Sic autem Sacrum dixit, vt & Afranius in Fratribus, *O sacrum scurram, & malum.*

QVEM *tu scilicet ad tuum Catullum Misti, continuo vt die periret, Saturnalibus, optimo dierum.*] Ego B vero sic dispungo. Quem tu scilicet ad tuum Catullum Misti continuo, Deinde sequitur, vt die periret Saturnalibus, scilicet optimo dierum omnium. Nam Saturnalium diem vnum fuisse, demonstrant Porcij Latronis verba in oratione contra Catilinam, *Quos vero,* inquit, *tetenderis sibi coniurationis laqueos, aut quas catenas scelerum conflaueris nobis, ac facultatib. nostris, Saturnalium dies patefactura fuerat.* Ac post, *Præsto sunt Saturnalia nobis otiosis, atq. oscitantibus, quem vnum diem sæpenumero nuncupare solitus es euersorem superbissimi ordinis.* Et Macrobius, multorum tamen varias ea de re sententias exponens, declarat, & diserte C Festus Pompeius in verbo, Quinquatrus, optimum dierum dicit, vt & Plutarch. in rerum Romanarum quæsitis, μεγίστην Ῥωμαίων ἑορτὴν ... ἀρίστην.

NON, *non hoc tibi salse sic abibit.*] Sic Terent. *Mirabar, si sic abiret.*

CÆSIOS, *Aquinos.*] Cæsij cuiusdam meminit Cic. in epist. ad Q. Fratrem. *Si quis est,* inquit, *eorum, qui tibi biennij spatio numquam in suspicionem venerit, vt ego Cæsium, & Cherippum, & Labeonem audio.* Et in III. contra Ver. *Namq. & prætores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, & M. Cæsius.* Aquini vero idem meminit in V. Tuscul.

D OMNIA *colligam venena.*] Sic inepta, atque incondita vocabant poemata conuiciātes. Hor. in II. epist. ad August. *Defluxit numerus Saturnius, & graue virus Munditiæ pepulere.* Et in I. Serm. de inepto scurra, *Proscripti regis Rupili pus, atque venenum.*

ILLVC, *vnde malum pedem attulistis.*] Læuum. Ouid. in Ibin,

Ominibusque malis, pedibusque occurrite læuis.

Contra Faustum pedem dixit Horat. in II. Epist. ad Florum, *I pede fausto.* Malim autem legere, Tulistis, quam, Attulistis. sic enim Terent.

Numquam hoc tetulissem pedem. Et Verg.

E *Ferte citi Faunique pedem, Dryadesque puellæ.*

Et Horat. *Quam nec ferre pedem dedecuit choris.*

SÆCLI *incommoda, pessimi poetæ.*] Eodem modo sæcli luxuriam Propertius, opinor, dixit, *Nec tamen illa suæ reuocatur parcere famæ Turpior, & sæcli viuere luxuria.* Qui sequitur versus, Legistis, malem me marem putastis, & reliqui tres, alieno loco ponuntur.

M. ANT. MVRETVS.

NI *te plus oculis.*] Non est, cur ambigatur, ad poetam Caluum, an ad oratorem scriptum

fuerit hoc carmen. idem enim C. Licinius Caluus C. Licinij Macri filius, & poeta, & orator clarus fuit: ex quo imperiti duos, vnum poetam, & alterum oratorem, faciunt.

ODIO *Vatiniano.*] Macrobius lib. II. *Lapidatus à populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, vt ædiles edicerent, ne quis in arenam, nisi pomum, misisse vellet. forte ijs diebus Cascellius iurisconsultus, consultus à quodam, num nux pinea pomum esset, si in Vatinium missurus es, inquit, pomum est.* Cicero interrogatione in Vatinium, *Odio enim tui, in quo etsi omnes, propter tuum in me scelus, superare debeo, tamen ab omnibus pene vincor, &c.* Hinc intelligi potest, cur dicat poeta odium Vatinianum. eo autem libentius id facit, quod Vatinium Caluus ipse acerbissimis orationibus insectatus erat. qua de re infra quoque agetur.

MVNVS.] Fortasse, quod ipsum in causa aliqua defenderis.

SYLLA.] De Sylla grammatico nihil alibi legere memini: tantum reperio fuisse Cornelium quendam Epicadum, Syllæ libertum; qui, fieri potest, vt, cum sibi de more patroni nomen assumpsisset, etiam ipso eiusdem cognomine à populo afficeretur.

LITERATOR.] Ita vocabant grammaticos, id est poetarum interpretes. Alij distinguebant ita, vt dicerent tantum interesse inter literatum, & literatorem, quantum inter grammaticum, & grammatistam. vide Suetonium in libello de claris grammaticis.

NON *est mi male, sed bene ac beate.*] Gaudeo enim, quod labores tuos tam bellis muneribus pensari videam. Ironia est.

SACRVM.] Festus: *homo sacer is est, quem populus iudicauit ob maleficium: neque fas est eum immolari: sed qui occidit, parricidij non damnatur. nam lege tribunicia prima cauetur, si quis eum, qui plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit, ex quo quiuis homo malus atque improbus sacer appellari solet.* Afranius Fratribus,

--O sacram scurram, & malum. Turpil. Demetrio,

Etiam me irrides pessime, & sacerrume?

Plau. Pœnulo:

Vendidque has omneis, & nutricem, & virgines,
Præsenti argento, homini (si modo leno est homo)
Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo.

Sic igitur dixit sacrum libellum, vt Virgilius sacram auri famem, &c. *--sacras depellere tedas.*

SATVRNALIBVS, *optimo dierum.*] Nullum enim alium diem veteres tanta hilaritate celebrabant. is dies erat XIIII. cal. Ian. vide Macrobium.

NON, *non hoc tibi.*] Iocose se Caluo par pro pari rediturum, & vicissim quasi struem quandam pessimorum poetarum ipsi missurum minatur.

NON, *non.*] Eleganter geminata negatio. Sic Propertius, *Non, non humani sunt partus talia dona.* Interdum etiam aliquid interponebant. Cicero lib. X. ad Atticum, *Non sunt ab obsequio nostro, non: habent suas radices.* ita enim erudite hunc locum emendat Manutius, qui etiam in eo explicando multa similia exempla colligit.

SALSE.] Derisor.

SIC.] Impune.

NAM *si luxerit.*] Id est, vbi primum dies apparere cœperit. Particula, *Si*, hoc loco non conditionem, sed tempus indicat. Sic Virgilius,

Heu quantum inter se bellum, si lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, stragesque ciebunt. Idem;
Præterea si nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radijsque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina classis:

Lucere autem valet, diem esse. Cicero ad Att. *Catilina, si indicatum erit meridie non lucere, certus erit competitor:* Idem pro Sex. Roscio, *occisus est à cœna rediens. nondum lucebat, cum Ameriæ scitum est.* Pro Cluentio, *ante noctem mortuus, & postridie, antequam luceret, combustus est.* Plautus Milite;

Priusquam lucet, assunt: rogitant, noctu an somnum ceperim.

Nonnunquam etiam dicebant, lucet hoc, aut lucescit hoc, cum videlicet cælum, aut inane illud spatiū intelligerent. Plaut. Amphitruone;

Eamus Amphitruo, lucescit hoc iam.

Idem Curculione,

Quid tu, Venerin' peruigilare te vouisti Phædrome?
Nam hoc quidem æpol haud multo post luce lucebit.

Idem Milite,

Vigila, expergiscere, inquam: lucet hoc, inquam.

Terentius Heautontimorumeno,

Lucescit hoc iam: cesso pulsare ostium
Vicini, &c. Hunc autem postremum locum ita interpungēdum esse, primus me, ante hoc biennium, admonuit vir omni elegantis doctrinæ genere politissimus, Adrianus Turnebus, regius Lutetiæ Græcarum literarum professor.

CÆSIOS, *Aquinos, Suffenum.*] De Cæsio nihil memini legere. Aquinum quidem M. Tullius in Tusculanis nominat, vt poetam insigniter malum. de Suffeno inferius agetur.

IANVS DOVSA FIL.

VNDE *malum pedem tulistis.*] Affinis est illi Græcorum quam Callimachus vsurpat in Epigrammatis: [illegible] φέρεις πόδα.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

NI *te plus oculis.*] Saturnalibus Licinius Caluus miserat Catullo sodali suo quædam ineptorum anonymorum poetarum poematia, vt Catullo aut stomachum aut risum moueret. Ni te, inquit, iam antea te plurimum amarem, odissem te iure propter illud ineptum munus, nempe epigrammata malorum poetarum, quæ mihi misisti. Non assecutus est doctus vir, quid per munus, cuius hic mentio, intelligeretur.

QVVR *me tot male perderes poetis.*] Malepoetæ vno verbo, vt malegenius, maledeus Senecæ in Thyeste, *κακοδαίμων.*

QVI *tantum tibi misit impiorum.*] Impia neutro genere, impias res, id est, mala poemata. Nam ne doctus quidem vir hæc intellexit.

QVOD *non disperennt tui labores.*] Sullam literatorem defenderat Caluus in quadam causa. Sulla enim remuneratur his poematiis malorum poetarum, quæ tamen bona literatori videbantur. Est Ironia.

D I *magni horribilem.*] Isti quatuor versus debebant poni post tertium versum, vbi omnino tam necessarij sunt, quam hic incommodi. Me tacente res ipsa satis loquitur. Certe nihil verius.

S A T V R N A L I B V S *optimo dierum.*] Optimum dierum Saturnalia dixit κατὰ συνήθειαν, quia pueri plaudentes dicebant, *Hodie bona Saturnalia.* Epictetus apud Arrianum: πῶς γὰρ παιδίοις ὅταν προσελθόντα κροτῇ, καὶ λέγῃ, σήμερον σατουρνάλια ἀγαθὰ, λέγομεν, οὐκ ἔστιν ἀγαθὰ ταῦτα, οὐδαμῶς. ἀλλὰ καὶ αὐτοὶ ἐπικροτοῦμεν. Martialis allusit:

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus.

Idem volebant, quum clamabant, *io Saturnalia.* B
Idem Martialis:

Clamant ecce mei, io Saturnalia, versus.

Dio libro quinquagesimo octauo: τότε γὰρ πολύ τι μᾶλλον ἐπ᾽ αὐτῷ ἀχθεσθέντες ὅτι ... ἐπιτρέψαι συμβοήσαντες ἐξαίφνης τοῦ δὲ τὸ ὑποκρινόμενον, ἰὼ σατουρνάλια, &c.

C Æ S I O S, *Aquinos.*] Pari merce te remunerabor. malos poetas malorum poetarum vicem, quos scilicet mihi misisti, ἀντιδωρήσομαι.

V N D E *malum pedem attulistis.*] Latinitatis ratio postulat *tulistis.*

P E S S I M I *poetæ.*] Quos ad me misit Licinius Caluus meus. Perperam totum epigramma interpretatus est vir facundissimus. Ideo etiam minima quæque in eo persequuti sumus, ne adolescentes in scopulo hærerent.

Ad Aurelium. XV.

C O M M E N D O tibi me, ac meos amores,
Aureli, veniam peto pudentem:
Vt, si quidquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, & integellum,
Conserues puerum mihi pudicè:
Non dico, à populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modò huc, modò illuc
In re prætereunt sua occupati:
Verum à te metuo, tuoque pene,
Infesto pueris bonis, malisque:
Quem tu, quà lubet, vt lubet, moueto
Quantum vis, vbi erit foris paratum.
Hunc vnum excipio, vt puto, pudenter.
Quòd si te mala mens, furorque vecors
In tantam impulerit sceleste culpam,
Vt nostrum insidiis caput lacessas,
A te tum miseri, malique fati,
Quem, attractis pedibus, patente porta,
Percurrent rhaphanique, mugilesque.

ANTONIVS PARTHENIVS.

C O M M E N D O *tibi me ac meos amores.*] Aurelio familiari puerum suum modeste ac caste A commendans, iocose monet vt impudico pueri sui amore ac malo cupidine, abstineat: quod ni faciat, impudico homini stuprum, & raphanorum vltionem minitatur.

M E.] Animum meum: qui est in puero meo: Se pro ministro suo: posuit personam pro persona:

V E N I A M *pudentem.*] Verecundum, beneficum; veniam pro beneficio: Virgil.

——*Orantes veniam:*

Q V O D *castum & integellum.*] Sensus est si vnquam puerum quemquam castum & integrum appetisti: peto, meum ne appetas; Sed mihi conserues tua libidine intactum.

E X P E T E R E S] Pro appeteres; nam expetimus tantummodo bona: appetimus autem tam bona quam mala.

P L A T E A.] Via publica lata. ἡ πλατεῖα Græce dicitur. Sed detracto iota, corripuit mediam.

A *ge metuo.*] Proprie locutus est. malum quod metuimus, per accusatiuum prolatum, huic verbo iungimus: res seu persona pro qua suscipitur metus, in datiuo profertur: vt *metuo Pamphili vitæ:* res autem vnde malum impendet, ablatiuum sibi postulat: vt *metus à Chryside.*

P E N E.] Penem à pendendo dictum dicebant C caudam, nunc autem in obscenis est: & significat virile membrum. Ideo caudam salacem appellauit Horatius.

Q V A L I B E T.] Per quoscumque locos, per quæcumque hominum membra.

M A L A *mens.*] Prauum consilium: mala cupiditas.

F V R O R *vecors.*] Insani amoris diffinitio, quia facit homines vecordes.

C V L P A M.] Pro crimine: vt *huic vni forsan potui succumbere culpæ:* item crimen pro culpa, Cicero ad Curionem: *ego te condemnabo eodem crimine.*

D C A P V T.] Vitam.

A H.] Dolentis & exclamantis est.

M A L I *fati.*] Infœlicis & malæ fortunæ; fatum enim pro fortuna sæpissime legitur.

P O R T A *patente.*] Quidam pro aperto podice accipiunt: ego vero portam pro domus ianua positam intelligo: nam extra ianuam aut ante ianuam apertam in maius Aurelij dedecus hoc se facturum minatur: vt Iuuenalis,

Duceris planta velut ictus ab Hercule cacus:

——*& ponere foris.*

R H A P H A N I.] Tangit rem impudicam, contra adulteros atque puerorum sectatores: hoc E vltionis genus antiqui excogitarunt: deprehensos enim quadrupedes constituebant, ac violenter partibus posterioribus expilatis, per podicem summo cum cruciatu, grandiores rhaphanos aut mugiles immittebant: Inde apud Græcos verbum ῥαφανιδῶ Aristophanes protulit: Rhaphani in Germania ad infantium magnitudinem extrescunt; frigore gaudent, fimum oderunt; apud Plinium plura legito.

M V G I L E S.] Ad idem in impudicos supplicium pisce mugile plerumque vtebantur, Iuuen.

——*Quosdam mœchos & mugilis intrat.*

Mugilum natura ridetur in metu capite abscon-

dito totos se occultari credentium. & mugil & mugilis vtraque terminatione dici apud Strabonem, & Plinium inuenitur: hunc piscem nūc vocari cephalum plerique arbitrantur.

PALLADIVS FVSCVS.

COMMENDO *tibi me.*] Versus est eius generis, cuius est superior. Poeta ab vrbe discessurus commendat se, ac puerum suum, Aurelio contubernali, quem apertissime ostendit fuisse pædiconem.

MEOS *amores.*] Meum puerum.

VENIAM *peto pudentem.*] Deposco inquit cum pudore hanc mihi indulgentiam. B

VT, *si quicquam animo.*] Iam indicat quid se absente, ab Aurelio fieri cupiat, vt puerum seruet sibi pudicè.

IN *platea.*] Plateæ sunt viæ in vrbibus latiores: vt angiporti angustiores.

TVO *pene.*] Tua mentula. Veteres caudam penem appellarunt: Sed quia membrum virile homini est instar caudæ: ideo id quoque penis vocatur. Iuuenalis,

An facile & pronum est agere intra viscera penem
Legitimum & Martialis lib. x. epigram. C
Arrectum quoties Marulla penem.

BONIS *malisque.*] Formosis pariter & deformibus.

VBI *erit foris paratum.*] Vbi foris puerum habebis: qui se tibi indulgeat.

MALA *mens.*] Amentia.

VECORS.] Ab effectu quod nos vecordes faciat.

VT *nostrum insidijs caput lacessas.*] Vt puerum inclinando nobis insidieris.

AH.] Interiectio dolentis.

QVEM *attractis pedibus.*] Hoc supplicio deprehensi mœchi, apud Græcos affici solebant: qui Rhaphanis in annum receptis cruciabantur, pilis prius circa inguina euulsis. D

PATENTE *porta.*] Aperto podice. Ouidius in obscæno carmine.

Ad portam veniet salax asellus.

Rhaphani autē, teste Plinio, gaudent frigoribus: ideo in Germania, infantium puerorum æquant magnitudinem; atque vt idem tradit auctor, vt est Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis, adeo cæteris cibis prelatus Rhaphanus, vt ex auro dicaretur.

MVGILESQVE.] Pisces sunt quos Græci cephalos nuncupant: Eorum natura ridetur in metu capite abscondito totos se occultari credentium. E

ACHILLES STATIVS.

AVRELI, *veniam peto pudentem.*] Id est, vt Cic. loquitur pro Sex. Roscio Amer. *Postulationem hanc adfero sane aequam. significat enim se ab Aurelio rem petere, quam honeste ille negare nō possit.* Idem paulo post, *Hunc vnum excipio, vt puto, pudenter.*

VT, *si quidquam animo tuo cupisti.*] Ennius, Corde cupitus, dixit. Sunt eius illa,

Nec sese dedit in conspectum corde cupitus.

A *Quamquam multa manus ad cæli cærula templa*
Tendebam lacrimans, & blanda voce vocabam.
Vix ægrorum corde meō me somnus reliquit.

Extremus versus sic opinor legendus, *Vix ægro cum corde meo me somnus reliquit.*

IN *re prætereunt sua occupati.*] Sic Terent. in Eautontimorum. *Tantum ne est otij tibi ab re tua.*

INFESTO *pueris bonis, malisque.*] Bellis, & non bellis. venustis, inuenustisque.

QVEM *tu, qua lubet, vt lubet, moneto.*] In manuscriptis deerant illa verba, *Vt lubet.* in meo erat, *Quem tu qualubet ve moneto.* Scriptum fortasse fuit, *Quem tu, qualubet, vt velis, moneto.* Sed illud rectius. Simili concessione Plautus vtitur in Amphitruone, *Vt lubet, quod tibi lubet, fac.*

VBI *erit foris paratum.*] In quod impetum facias. In Maffei quidem libro sic erat. In aliis,

—tibi erit foris paratum.

VT *nostrum insidijs caput lacessas.*] Nobis carissimum puerum. Pythagoram, opinor, solitum dicere, scribit Plutarchus, Φίλος ἄλλος αὐτὸς ἐμῆς κεφαλῆ.

A *te tum miseri, malique fati.*] A interiectio sine aspiratione scribenda, vt est vetustissimis in libris. Etsi Græci ἆ suum aspirant. Bionis enim adducit illud Stobæus, Ες ποτὸν ἃ δηλοῖ τελεσάτως κ' εἰς ἔργα ποιῶμες. At cōtra sine aspiratione apud Callimachum in Hymno in Dianam scriptum lego, ἆ δηλὶς βασιλεια. Sed erudite, & copiose de toto hoc genere Hysychius, suī illius operis principio, & Suidas.

MALIQVE *fati.*] Malum fatum dicit etiam Sophocles in Oedipo Tyranno, Κακαίαν ὄλοιτο μοίρα. Et Moschus: Τίπτε φίλη τέκνον γοῦνας τίκτεν ἄνερ, Δύσμορος. Contra Boni homines fati Ὀλβιόμοιροι quo sæpe verbo vtitur in Hymnis auctor is, qui falso Orpheus creditur. Et Callimachus Boni fati mortales Εὐμοίρους dicit in Hymno in Delum. Simplicius in Epictetum, Bonum fatum dicit Εὐμοιρίαν. Valer. Max. in IIII. de amore coniugali, ac de Admeto agens ipso, dixit, *Diri fati crimine.* Fatum melius dixit Iuuen. in Sat. XIIII.

Longa tibi posthac fato meliore dabuntur.

QVEM, *attractis pedibus.*] Cic. in VII. Epist. ad Volumn. sed aliud opinor, significans, *Trahantur, inquit, per me pedibus omnes res, non laboro.* Idem fortasse significat apud Macrobium Lucilius,

Non male sic ille vt dico me extenderat vnus.

Et obsceni auctor carminis,

Traiectus conto sic extendere pedali,
Vt culum rugas non habuisse putes.

PERCVRRENT *Rhaphanique, mugilesque.*] Hoc quoque supplicij genus declarat ἐν συναγωγῇ, Tarrhæus, & Didymus in verbo ὦ κακόδαι, his verbis, Ἐπὶ τῶν μοιχῶν λέγεται. δῆμος γὰρ τοὺς ἀθλίους οἱ κακόδαι. ἐν οἷς ῥαφανῖδας ποιεῖ, ὡς ἐχρῶντο κατὰ τῶν κωφύοντων μοιχῶν ἐνσβείζοντες. καὶ τιλμοῖς δὲ ἐχρῶντο καὶ πυρούσης τέφρας ἀναβάσεις. Idem fortasse significat Flaccus in I. Serm. *Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama.*

M. ANT. MVRETVS.

COMMENDO.] Hunc puerum postea Aurelius corrumpere conatus est; vnde graues

inter eum, & Catullum inimicitiæ extiterunt.

Occvpati.] Ociosorum enim hominum hic morbus est.

Bonis, *malisque.*] Et formosis, & deformibus.

Attractis *pedibus.*] Diductis, diuaricatis.

Patente *porta.*] τὸ πρωκτόν. Portam autem dicit, vt indicet pathicum fuisse Aurelium, &, vt Aristophanes loquitur, εὐρύπρωκτον. In Priapeijs.

Iam primum stato hic libidinosus,
Alternus & eundo, & exeundo,
Porta te faciet patentiorem.

Percvrrent *Rhaphanique, mugilesque.*] Alludit ad supplicium, quo olim Athenienses afficiebant pauperes in adulterio deprehensos. eis enim depilabant nates cinere calido, deinde etiam Rhaphanos prægrandes in podicem immittebant. hanc pœnam vocabant παρατιλμόν, & ῥαφανίδωσιν. Mugiles autem etiam interdum ad hanc rem adhiberi solitos, indicat Iuuenalis,

——*Quosdam mœchos & mugilis intrat.*

Atque ita hunc locum recte ex interprete Aristophanis interpretatus est Parthenius.

Ad Aurelium, & Furium. XVI.

Pædicabo ego vos, & inrumabo
Aureli pathice, & cinæde Furi,
Qui me ex versiculis meis putastis,
Quòd sint molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est:
Qui tũ deniq; habent salem, ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parum pudici,
Et, quod pruriat, incitare possunt,
Non dico pueris, sed ijs pilosis.
Qui duros nequeunt mouere lumbos.
Vos, qui millia multa basiorum
Legistis, malè me marem putastis.
Si qui fortè mearum ineptiarum
Lectores eritis, manusq́ vestras
Non horrebitis admouere nobis,
Pædicabo ego vos, & inrumabo.

ANTONIVS PARTHENIVS.

Pædicabo *ego vos & inrumabo.*] Aurelio & Furio Bibaculo familiarib. male de Catullo, ob lasciua scripta suspicantibus, poeta stuprum iocose minatur; excusatque simul lasciuam mollium verborum licentiam: quia liceat etiam honestis poetis obscœnis vti verbis.

Pathici.] Pathici & Cinædi atque Catamyti & Concubini ijdem fere sunt.

Inrvmare.] A rumi id est à mãma dicitur: nam rumis apud priscos dicebatur mãma.

A Mollievli.] Libidinosi: vt Iuuenalis,

Magna inter molles concordia.——

Nam *castum esse decet pium poetam Ipsum.*] Hinc Martialis,

Innocuos censura potest permittere lusus:
Lasciua est nobis pagina: vita proba est.

Salem.] Condimentum, suauitatem, saporem voluptatis:

Incitare *possint.*] Commouere possint in sensu corporeo aliquid, quod pruritum venereum faciat non iunioribus, qui facillime arrigunt, sed senioribus, qui arrigere desierunt.

Pilosis.] Barbatis senioribus.

B Dvros.] Aridos non molles: atque immobiles ob sanguinis defectum.

Lvmbos.] In quibus consistit obscænus veneris humor.

Male.] Parum vel non marem: male pro parum aut non, posuit etiam Lucanus,

O male concordes nimiaque cupidine cæci:

Inde malesanus, id est, non sanus.

PALLADIVS FVSCVS.

Pædicabo *ego vos.*] Versus est hendecasyllabus. Excusaturus carminum suorum lasci-
C uiam: minatur se Furium & Aurelium pædicaturum inrumaturumque: qui cum lasciuos Catulli versus legissent; poeta quoque parum pudicum esse putabant.

Qvod *sint molliculi.*] Quia sunt lasciuiusculi.

Nam *castum.*] Hunc & sequentem versum adducit Apuleius: dum suorum carminum excusat molliciem.

Salem.] Saporem: ostendit autem qui versus salem ac saporem habere existimentur.

His *pilosis.*] Senioribus.

Qvi *duros nequeunt mouere lumbos.*] A cinctura
D ad nates lumbi vocantur vbi sedes est libidinis; Persius, ——*Cum carmina lumbos intrant.*
Eos autem intelligit qui propter annos iam agere nequeunt.

Vos, *qui millia multa basiorum.*] Sensus est cum legeritis mea carmina: in quibus ab amica basia tantum peto: putatis me non posse nisi basiare: sed pædicabo: & reliqua.

ACHILLES STATIVS.

Qvod *sint molliculi*] Obscæni. Vibius Sequester de Fontibus. *Salmacis,* inquit, *Cariæ,*
E *ex quo qui bibit, mollescit,* id est obscænus fit.

Nam *castum esse decet pium poetam Ipsum.*] Hos adducit versus, & Plinius in IIII. Epist ad Paternum. & Appuleius in I. Apologia.

Qvi *tam denique habent salem, ac leporem.*] Suauitatem habent. Plaut. in Asin. *Quasi piscis, itidem est amator lenæ. nequam est, nisi recens. Is habet succum, is suauitatem, eum quouis pacto condias.* Quod vero addidit, Leporem; quid salem dicant, explicat in eandem prope sententiam Plutarchus in Symp. Κινδυνεύει γὰρ ὁ ἅλς τῶν ἄλλων εἶναι ὄψον ὄψων, καὶ ἥδυσμα. διὸ καὶ χάριτας ἔνιοι προσαγορεύουσιν αὐτὸν, ὅτι τῆς τροφῆς τὸ ἀναγκαῖον ἡδὺ ποιεῖ.

Et, quod

Et *quod pruriat, incitare possunt.*] Eodem alibi verbo est vsus, A

Pruriat, & abiectis peruigilat tunicis.

Et Martialis in I. ad Cornelium in eandem prope sententiam.

Lex hæc carminibus data est iocosis,
Ne possint, nisi pruriant, iuuare.
Quare deposita seueritate
Parcas lusibus, & iocis, rogamus.
Nec castrare velis meos libellos.
Gallo turpius est nihil Priapo.

Et in XII. ad Rufum,

Musas paticissimos libellos,
Qui certant Sybariticis libellis, B
Et tinctas sali pruriente Chartas.

Qvi *duros nequeunt mouere lumbos.*] Auctor obsceni carminis, *Nec deus mouere lumbos in crocotula.* Atque alibi, *Crissabit tibi fluctuante lumbo.* Sequütur hunc versum in manuscriptis omnibus.

Vos, qui millia multa basiorum
Legistis, male me marem putastis.
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

Illi vero tres alij, *Si qui forte mearum ineptiarum*, & qui sequuntur, absunt. & quidem hic alieno esse videntur loco.

M. ANT. MVRETVS. C

Pædicabo.] Furius & Aurelius de Catullo, tanquam effeminato, & impudico, ob mollitiem carminum, senserant. id nunc eis irascitur, negatque poetarum mores è scriptis spectari oportere. eadem excusatione vtitur. Ouidius,

Crede mihi, distant mores à carmine nostri.
Vita verecunda est, musa iocosa mihi.

Et Martialis,

Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

Et notum est illud in Voconium,

Lasciuus versu, mente pudicus eras.

Male *marem.*] Mollem & effeminatum. mares enim vocabant fortes. Horatius, D

Et maribus Curijs, & decantata Camillis.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Vos, *qui millia multa basiorum Legistis.*] Vetus scriptura *vos quot millia* priscus mos scribendi, *quot* pro *quod*, *set* pro *sed*, & similia. Lege igitur & distingue ita:

Vos, quod millia multa basiorum
Legistis, male me marem putastis,
Si qui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis—— E

Supplendum autem *Qui.* vos, qui, quod millia multa basiorum legistis, male marem me putastis. Sic alibi,

Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore,
Conclamate iterum altiore voce.

Hoc est, quod si nil aliud potest, vt exprimamus ruborem. Deest enim τὸ VT. Sic apud Manilium. *Ingenium natura dedit.* id est, Cui ingenium natura dedit.

Ad Coloniam. XVII.

O Colonia, *quæ cupis ponte*
ludere longo,
Et salire paratū habes: sed vereris inepta
Crura pōticuli adsulitantis, inrediuiuus,
Ne supinus eat, cauaque in palude re-
cumbat.
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsuli sacra suscipiunto:
Munus hoc mihi maximi da Colonia
risus.
Quendā municipē meū de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum, per caputque,
pedesque.
Verùm totius vt lacus, putidæq; paludis
Liuidißima, maximeque est profunda
vorago.
Insulsißimus est homo, nec sapit pueri
instar
Bimuli tremula patris dormiētis in vlna;
cui cùm sit viridißimo nupta flore puella,
Et puella, tenellulo delicatior hædo,
Asseruanda nigerrimis diligentiùs vuis,
Ludere hāc sinit, vt lubet, nec pili facit vni,
Nec se subleuat ex sua parte, sed velut
alnus
In fossā Liguri iacet suppernata securi,
Tantumdem omnia sentiens, quam si
nulla sit vsquam.
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit,
Ipse quis sit, vtrum sit, an non sit, id quo-
que nescit.
Hūc ego volo de tuo ponte mittere pronū,
si pote stolidū repente excitare veternum,
Et supinum animum in graui derelin-
quere cœno,
Ferreā vt soleā tenaci in voragine mula.

ANTONIVS PARTHENIVS.

O Colonia *quem cupis ponte ledere longo.*] Carmen quod angelicum dicitur à nuntij celeritate denominatum: à Stesichoro repertum, ac ex duobus diuersorum versuum commatibus compositum: à numero pedum heptametrum dictum. constat enim duobus trocheis, duobus iambis, trocheo, dactylo, trocheo: admittit tamen in primo & vltimo spondæum. coloniam quondam locum nobis incognitum impense

precatur: vt quendam stolidum hominum, sibi A inimicum, de ponte quodam, in fossas cœnosas præcipitem excutiat: quoniam homo sit stolidus ac nullius pretij. Coloniæ & municipij proprietatem legito apud A. Gellium: incognitum autem est qua de colonia poeta loquatur.

O *colonia.*] Ordo & sensus est, ô colonia habes hominem paratum, quem cupis lędere & de tuo ponte salire: Sed times stulta ne pontis columnæ corruant. age tamen, præcipita eum quia insulsissimus ac stolidissimus est.

CRVRA.] Columnas ligneas.

IRREDIVIVVS.] Irreparabilis non instaurabilis: rediuiuus est ex venusto nouatus. B

SIC.] Vtinam, aduerbium optantis bonum alicui: Horatius, *Sic te diua potens Cypri.*—— Tibullus, *Sic vmbrosa tibi contingant tecta Priape.*

LIBIDINE.] Voluntate: Salustius, *ea vero cunctas res ex libidine moderatur.*

IN *quo vel salij vel subsalij sacra suscipiant.*] Hunc versum & corruptissimum esse, & minime probabiliter exponi posse, tum verba à sententia carminis aliena, tum multarum syllabarum deprauatio ac pedum confusio, demonstrat: Igitur de hoc valde quærendum arbitror: possumus tamen, ex his verbis deprauatis, hunc sensum afferre: vtinam hic tuus pons sic bonus fiat & instauretur tuo arbitrio, vt sit stolidus ac fortis, ad saliorum sacerdotum graues saltus sustinendos. Salij sacerdotes Martis à saltu dicti, à Numa Pomp. instituti, Martis ancilia per vrbem discurrentes, humeris vsque ad defatigationem gestabant. C

SVBSALII.] Saliorum ministri possunt interpretari: sed hoc vocabulum quod meminerim nusquam legimus: igitur puto deprauatum. facile enim est falsum cognoscere, sed verum inuenire difficillimum.

SVSCIPIANT.] Syllabarum & pedum ratio, hoc verbum, à poeta nō fuisse scriptum, indicat. alij legunt supinant, id est resupinando extollūt. D

SACRA.] Ancilia.

MVNICIPEM *meum.*] Ex meo municipio oriundum, idest Veronensem.

VERVM *totius vt lacus.*] Sensus est: sed hic sine hominum damno meritò præcipitabitur: quia insulsissimus ita ac stolidissimus est, sicut totius lacus & paludis sordissima est vorago.

VORAGO *lacus & paludis.*] In quam ex ponte tuo eum præcipitari peto.

LIVIDISSIMA.] Sordidissima est; & ideo bene conueniet insulso homini. E

INSTAR *pueri.*] Pro infante puerum dixit, & est faceta ac lepida similitudo.

CVI *sit iocus puella.*] Maximum stoliditatis indicium, quum paruifaciat suam delicatissimam sponsam.

FLORE.] Pulchritudine & præstantia. Terentius, *Anni quod sexdecim, flos ipse.*

NIGERRIMIS.] Maturissimis, quæ magno in acris discrimine sunt: Virg.

Maturisque nimis metuendus Iuppiter vuis.

NEC *pili facit.*] Nullius pretij facit, contemnit: pili facere paruifacere est, vt supra dictum est.

VNI.] Pro vnius genitiuus antiquus: paruifacit autem quia nuptiarum dulcedines non præcipit.

NEC *se subleuat.*] Nihil prouidet, nihilque consulit sibi coniugij oneribus oppresso.

EX *sua parte.*] quantum in ipso est.

ALNVS.] Arbor sub aquis diutissime perdurans: & ideo apud quosdam apta nauigiis: commoda comparatio: Nam quemadmodum alnus sumersa numquam emergit, Ita hic stolidus atque segnis se matrimonio pressum non subleuat.

SEPARATA.] Scissa aut à radicibus diuulsa, alij pro naui alnum positam accipiunt.

IN *fossa Liguri.*] Liguria Italiæ pars contigua: quo in tractu Genensis ager habetur. hic & hæc ligur vel ligus dicitur, duplici terminatione, vt ait Priscianus.

TANTVMDEM.] Pro tantum.

QVAM.] Pro quantum.

NVLLA *sit vsquam.*] Scilicet sua puella.

STVPOR.] Stupidus homo.

MEVS.] Ironicos, nam meum dicimus de familiari homine & amico atque beneuolo.

IPSE *qui sit vtrum sit an non.*] Nescit an ipse sit viuus an mortuus: vt in prouerbio contra ignauos ac somnolentos dicitur.

OLIDVM.] Fœtidum.

VETERNVM.] Morbum intercutem; Græcè dicitur hydropisis & hydrops. Horatius, *Crescit Indulgens sibi dirus hydrops:* & in Epistolis, *Cur me funesto properent arcere veterno:* Virgil.

Nec torpere graui passus sua regna veterno,

Pro segnitie dixit. In quo sensu hic possumus accipere veternum: nam multi ignaui in periculo segnitiem exuunt.

SVPINVM.] Iacentem: iacens otiosum notat, otiosus segnem & inertem, supinum ergo segnem vt sit metalepsis.

GRAVI.] Ponderoso.

FERREAM *soleam.*] Mulæ calciamentum ferreum: apta & lepida similitudo.

PALLADIVS FVSCVS.

O COLONIA *quæ cupis.*] Versus est angelicus. Qui cōstat ex duobus trocheis, duobus iambis, Trochæo, dactylo, & trochæo. primo tamen & vltimo loco nonnumquam pro trochæo, ponitur spondæus. Petit autem Catullus à Colonia oppidulo, vt Veronensem quendam stupidum, qui vxorem seruare nesciebat, de suo ponte in cœnosam paludem cadere sinat: vt metu expergiscatur. Sunt enim morbi, Cornelio Celso auctore, qui aliquo subito timore excutiuntur.

O *colonia quem cupis.*] Ordo est, ô Colonia en habes paratum salire: quem cupis lædere longo ponte.

SED *vereris inepta crura ponticuli.*] Sed tu, inquit, inepta times, si pons ipse cadat, ne amplius instauretur.

CAVA *palude.*] Quæ ponti suberat.

EX *tua libidine.*] Pro vt optas.

IN *quo vel saliaribus sacra suscipiantur.*] Tam validus, vt in eo sacerdotes Martis, qui salij & saliares sunt appellati; rem diuinam facere possint. Illi enim quodam anni tempore per vias vrbis

cum Ancilibus saltantes sacra sua faciebant. De Saliis autem plura legito apud Liuium & Halicarnasseum Dionysium.

Mvnvs *hoc mihi maximi.*] Quia à primis verbis nimis abscessit; icirco ea repetit, priusquam perueniat ad verbum principale.

Mevm *municipem.*] Qui ex eodem mecum est municipio: erant municipes (vt Gel. docet lib. xv. noct. attic.) ciues Romani, ex municipiis iure suo & legibus suis vtentes, muneris tantum cum populo Romano participes: à quo munere capescendo appellati videntur.

Vt.] Pro vbi.

Pvtidæq. *paludis.*] Hoc est male olentis.

B Vorago.] Voragines, sunt paludes à vorando dictæ, quod cadentia enim sustineant.

Insvlsissimvs *est homo, nec sapit pueri instar Bimuli.*] Nec plus cordis habet; quam puer duorum annorum.

Dormientis *in vlna.*] Vlnæ, vt interpres Aristotelis ostendit in primo de animalibus, vocantur brachia: verba eius sunt, membri vero superioris, bipartitam cōpactionem, brachium siue vlnam appellamus: cuius partes lacertus, agilis, giber, cubitus, & manus.

C Viridissimo *flore puella.*] Adolescentia flori comparatur. Terentius in Eunucho.

Corpus solidum & succi plenum anni sexdecim:
Flos ipse.——

Delicatior *hædo.*] Hædina carne sapidior.

Asservanda *nigerrimis diligentius vuis.*] Quot & quibus modis vuæ in hiemem seruari possint, vt sint recentes, docent Pli. Palladius & Columella.

Vt *lubet.*] Ipsi puellæ.

Nec *pili facit vni.*] Pili facere apud hunc poetam est minimi facere, & quasi aspernari.

D Nec *se subleuat ex sua parte.*] Nec se sponte sua attollit ad complexus puellæ: sed iacet in lecto, vt alnus in fossa, postea quam cæsa ictibus securis, decidit.

Alnvs.] Arbor est, quæ amat paludes. Virg. *Fluminibus salices crassisque paludibus alni.*

Ligvri.] Species pro genere. vel quia olim in Liguria optimæ secures fiebant.

Separata.] Cæsa; sed nonnulli legunt supernata: Supernati autem dicuntur vt Sex. Pompeius ait, quibus succisa sunt fœmina in modum suillarum pernarum.

E Qvam *si nulla sit vsquam.*] Quam si nullam puellam in lecto secum habeat.

Stvpor.] Stupidus.

Nvnc.] Cum per pontem sit transiturus.

Olidvm.] Fœtidum.

Vetervm.] Lethargus, vt scribit Cornelius Celsus: *Est inexpugnabilis pene dormiendi necessitas, ea à nostris veternum dicitur: licet hoc multi negant dictitantes, hac voce, Hydropim tantum significari:* Virg. *Nec torpere graui passus sua regna veterno:* Et Plini. libro viij. vbi de vrsis sermo habetur: *Primis diebus septenis tam graui somno premuntur, vt ne vulneribus quidem excitari queant: tunc mirum in modum veterno pinguescunt.*

Svpinvm.] Iacentem quasi sopitum.

Ferream *vt soleam.*] Vt mula per cœnum gradiens in eo nonnunquam relinquit ferreum calciamentum.

ACHILLES STATIVS.

A O Colonia, *quem cupis ponte ludere longo.*] In manuscriptis omnibus erat, *O Colonia, quæ cupis ponte ludere longo.* Legendum forte, *Quæ cupis ponte ludere longo.* id est, quæ ludos facere, atque adparare vis.

En *salire paratum habes.*] In manuscriptis omnibus, *Et Salire*, & quidem habes iam paratum hominem ad saliendum.

B Crvra *ponticuli, sub his totus inrediuius.*] In manuscriptis omnibus, *Crura ponticuli, ac sulcis tantis inrediuus.* Ego vero legendum suspicabar, *Crura ponticuli assulis tantus inrediuiuus Ne supinus eat.* Vereris, inquit, ne tantus homo, tamque vastus ex assulis, è quibus pons is esset factus, eat inrediuiuus, id est, eo casu vitam amittat.

Salisvbsvli.] In manuscriptis, *Salisubsuli*, à Subsiliendo. Sed, cum in manuscriptis hic versus sic legatur, *In quo vel Salisubsili sacra suscipiant*, legendum puto, *In quo vel Salisubsilis sacra suscipiantur.*

C Mvnvs *hoc mihi.*] Munus, vt in ludis, in quibus munera exhibebantur. feræ, gladiatores, & cetera eius generis.

Ire *præcipitem in lutum, per caputque, pedesque.*] Id est nulla vt eius pars extet: Sed altissimo luto totus obruatur. Sic Horat. *Aliena negotia centum Per caput, atque pedes saliunt.*

Nec *sapit pueri instar.*] Nihil sapere, dixit Cic. In Diuinatione contra Verr. *Nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, numquam proferet.* Et in II. Philipp. *Vt tanta mercede nihil sapere disceres.*

Cvi *cum sit viridissimo nupta flore puella.*] Viridem Calain sic dixit Phanocles in Elegia, Θαλερὸν

D δερκομένου Κάλαϊν, & ante hunc Hom. in IIII. Iliad. ἠΐθεον, θαλερόν. Et Horat. ——*Ille virentis &* *Docta psallere Chiæ.* Florentem autem dixit Terentius, de florente ætate, *Flos ipse.*

Nec *se subleuat ex sua parte.*] Idem alibi, *Ex parte reperta mea.* Sic & opinor Plato, Τὸ σὸν μέρος, dicit. Varro, Pro sua parte. cuius verba sunt apud Non. Marcell. hæc, *Si quis patrem, maiorem parentem, extinguit, in ea est culpa, quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat.*

Sed *velut alnus.*] Simile videtur illud Homericum in IIII. Iliad. Ὁ δ' ἐν κονίῃ χαμαὶ πέσεν αἴγειρος

E ὥς Ἥ ῥά τ' ἐν εἱαμενῇ ἕλεος μεγάλοιο πεφύκει Λείη, ἀτάρ τέ οἱ ὄζοι ἐπ' ἀκροτάτῃ πεφύκασι τὴν μέν θ' ἁρματοπηγὸς ἀνὴρ αἴθωνι σιδήρῳ Ἐξέταμ' ὄφρα ἴτυν κάμψῃ περικαλλέϊ δίφρῳ. Ἡ μέν τ' ἀζομένη κεῖται ποταμοῖο παρ' ὄχθας.

In *fossa Liguris iacet separata securi.*] Legendum omnino, *Suppernata*, vt apparet è vestigiis iis, quæ sunt apud Festum, quem Antonius Augustinus, Episcopus Ilerdensis, nouissime edidit. Nam in verbo Supernati hæc adhuc leguntur fragmenta. *Et Catu... fossa Ligari in.* Nec dubitandum, quin illud, In, fuerit, Ia, principium verbi Iacet. & Ligari, Liguri. Quamobrem miror extitisse, qui Politianum eo nomine reprehenderit, cuius castigatio Festi Pompei verbis, & auctoritate nitatur. Liguris autem dixit, quod Ligures, qui ad

Apenninum siti sunt, lignariæ negotiationi vel in primis studerent. quod facile intelligitur ex Iulij Capitolini verbis, quæ in Pertinace prima posuit.

TANTVNDEM *omnia sentiens, quam si nulla sit vsquam.*] Legendum suspicor non *Quam si*; sed *Quasi*. & stabit enim versus, & eodem modo, quo Ennius apud Varronem in VI. de ling. Lat. dixerit, *Tantumdem quasi feta canes sine dentibus latrat.* apud Varronem tamen praue, opinor, legitur, *Tantidem*. Et in verbo, *Quasi*, vltima est anceps.

TALIS *iste meus stupor.*] Vitia ipsa pro vitiosis ponimus, cum insigniter, ac summe vitiosos significamus. Sic dictus olim à Bibaculo Orbilius Litterarum obliuio.

IPSE *quis sit.*] Legendum è manuscriptis, *Qui sit.*

HVNC *ego.*] Legendum omnino vt est in manuscriptis omnibus, *Nunc eum.*

SI *potest olidum.*] Recte Victorius, *Si pote stolidum*. Et eodem vero genere versuum poema illud Catulli in Priapum fuit, è quo versus tantum quattuor Priapei carminis exempli caussa Terentianus posuit,

Hunc lucum tibi dedico, consecroque Priape,
Qua domus tua Lampsaci est, quoque Priape:
Nam te præcipue in suis vrbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostriosior oris.

Sed in secundo versu pes vnus desideratur. Secundus autem pes dactylus. Finalem enim vocalem prioris verbi excipiunt duæ principes consonantes litteræ sequentis verbi. quod more suo, atque aliorum fecit Catullus.

M. ANT. MVRET.

O COLONIA.] De genere ipso carminis ad finem disputabimus: valde enim inepta sunt quæ hoc loco à ceteris afferuntur. nunc quidem argumentum epigrammatis, quantum in nobis erit, coniectura comprehendere studeamus. Coloniam (fortasse oppidum haud procul Verona, quod hodieque nomen illud retinet) alloquitur: &, vt mihi videtur, de duobus agit: quorum alterum ipsi Coloniæ subodiosum fuisse significat, cum ait, *Quem cupis, &c.* neque tamen ita infensum, vt eum vellent ciues insigniter lædere: idque ex eo intelligitur, quod vereri eos ait, ne ille, quisquis erat, irrediuiuus in palude recumberet. atque eum quidem videtur præsentem sistere, quasique obijcere, vt de ponte præceps agatur; cum ait, *En salire paratum habes.* Agi autem postea, non de eodem, sed de alio quopiam, vel id satis argumento est, quod, quasi nouam quandam narrationem exorsus, ait, *Quendam municipem meum, &c.* absurda enim plane fuerint hæc, si ad eum referantur, de quo paulo ante, & quasi ipsi Coloniæ noto dixerat, *Quem cupis*; & quasi præsente, *En salire paratum habes.* agit igitur de alio quodam, eoque Veronensi: quem, cupere se ait, de ponte deturbari: idque, magni muneris loco, sibi à Colonia concedi petit. quod certe non faceret, si de eo ageret, quem ipsa suapte sponte Colonia, vt

A initio dictum est, deijcere cupiebat.

LVDERE.] Ita est in quibusdam libris: egoque ita malo, quam, vt in alijs, *Ladere* ludibrij enim potius, quam atrocis contumeliæ caussa, comparatum hoc fuisse, indicant illa, salire; &, sed vereris inepta; &, Munus hoc mihi maximi de Colonia risus.

CRVRA.] Sublicas dicit, siue columellas ligneas quibus pons fulciebatur.

PONTICVLI.] Quo modo ponticulum vocat, quem antea pontem longum dixerat? an, quod parum latus esset, an quod infirmus?

TOTVS *irrediuiuus.*] Ita vt extrahi postea B non queat.

SIC *tibi.*] Eiusmodi obsecrationibus vti solebant, vbi aliquid petituri sumus.

EX *tua libidine.*] Arbitratu tuo.

IN *quo vel Salisubsuli.*] Ita latus, firmusque, vt etiam possit Martis sacra peragentes salios sustinere. Salisubsulum vocat Martem. Pacuuius,

Pro imperio sic Salisubsulus vostro excubet.

MVNICIPEM *meum.*] Veronensem.

VT.] Qua parte.

VT *puella.*] Delicatior tenello hœdo: quantum tanta teneritas potest in puellam conue- C nire. Significat enim ita delicatam esse, vt tamen sit in ea roboris ad rem gerendam, quantum in puella est satis.

NEC *se subleuat ex sua parte.*] Assentior ijs, qui hoc ad Venereos lusus referendum putant.

IN *fossa Ligeris.*] Fossam vocare videtur ipsum alueum fluminis. Ligeris autem, fluuius Galliæ. Alij legunt, *In fossa Liguri*, aut *Liguris*. amplius igitur quærendum est.

SEPARATA.] Excisa. Politianus legebat, *expernata*, aut, quod magis suspicor, *suppernata*: vt esset metaphora ducta ab ijs, quibus in morem pernarum suillarum, femina excisa sunt. D Marullus autem, qui, quasi dedita opera, omnes Politiani emendationes irridebat, hanc exagitauit hoc epigrammate,

Quid separatam, insane, supernas, roge,
Alnum Catulli nobilem?
Plebi otiosæ scilicet risum parans,
Oblitus, vt soles, pedis.

Non putauit igitur Marullus, in hoc versu, quarto loco spondæum recipi posse: in quo falsus est, vt infra docebimus. vsitatam tamen lectionem sequendam puto.

SI *pote stolidum.*] Recte emendauit Victorius hunc locum, cum antea legeretur, *Si po-* E *test olidum*: magnumque putarent fecisse se, qui caussas exquirebant, cur Catullus olidum veternum nominasset.

SVPINVM *animum.*] Stuporem illum, torporemque animi. Nunc, vti recepimus, de genere ipso carminis dissèremus. Est igitur genus quoddam hexametri, ex heroico effictum: sed molle, eneruatumque, describendisque rebus tantum ludicris, non etiam serijs & grauibus aptum. Priapeium Censorinus vocat: ponitque hoc exemplum,

Hunc lucum tibi dedico, consecroque Priape.

& addit, tertium pedem pro dactylo creticum

esse debere: alioqui enim hexametrum heroicũ fore. Quod tamen non perpetuo verum est. Diomedes vocat Angelicum, à Terpsichoro repertum, additque exemplum. A

Incidi patulum in specum, procumbente Priapo.

Terentianus autem Maurus, qui asperitatem grammaticarũ præceptionum inusitata quadam numerorum suauitate condiuit, ita de hoc genere versus disputat.

Hexametrum pedibus cernes constare receptis,
Qui tamen heroum factis indignus habetur.
Namque tome media est versu non apta seuero:
Fitque soluta magis, quoties spondæus inest pes
*Tertius & quartus. non hunc * incolumem ergo,* B
Sed de commatibus tradunt constare duobus.
Ipse enim sonus indicat esse hoc lusibus aptum,
Et ferme modus hic datur à plerisque Priapo,
Inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus.
Hunc lucum tibi dedico, consecroque Priape,
** Qua domus tua Lampsaci est, quaque Priape.*
Nam te præcipue in suis vrbibus colit ora
Hellespontia, ceteris ostriosior oris.
Et similes plures sic conscripsisse Catullum
Scimus.

Hæc verba optimi ac festiuissimi grammatici apposuimus, vt ex eis intelligeretur, quanta esset huius versus cum heroico affinitas: tanta ea quidem, vt Virgilius quoque in hoc genus interdum incidat, non in Bucolicis modo, C

Quod nunquam veriti sumus, vt possessor agelli

aut Georgicis,

Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos?

Sed in ea etiam, quæ vna Græciæ fastum retundit, Æneide,

Troas, relliquias Danaum, atque immitis Achilli.

Vt tamen versus hic insigni aliqua nota ab heroico distingueretur; receptum est, vt, primo quartoque loco, pro spondæo choreus, iambusve; tertio, creticus pro dactylo poneretur. D

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

O Colonia *quem cupis.*] Totum huius lepidissimi poematij principium deprauatum doctos viros in magnum errorem impulit, ita vt aduersus Catulli sententiam hunc locum interpretati sint. Ita enim legendum docet nos vetus scriptura:

O colonia, quæ cupis ponte ludere longo,
Et salire paratum habes: sed vereris inepta E
Crura ponticuli adsulitantis, inrediuiuus
Ne supinus eat, cauaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat.

O colonia, inquit, quæ lubenter in tuo ponte ludere velles, nisi metueres tremuli pontis adsultus periculosos dum pedibus illum persultas: ne scilicet ex crebra pedum concussione totus procumbat, vt rediuiuus restitui non possit, &c. Nunc rationem reddam. In toto opere Catulliano, dicam libere, nulla à nobis emendatio præstita est, quæ nobilior sit ista. Et tamen quibusdam doctis viris displicet, qui in hac parte vincuntur vel à tironibus sermonis Romani, qui ridebunt aliter sentientes.

Ponte *ludere.*] Quia prisca scriptura videtur fuisse in Gallicano exemplari *loedere* pro *ludere*, vt *poenire* pro *punire*, *loeber* pro *liber*: propterea *ledere* scripserunt.

Et *salire paratum habes.*] Liquida scriptura, & veteres editiones idem retinent. Est Hellenismus, *salire paratum habes*: ὀρχεῖσθαι ἑτοίμως ἔχεις. At qui de municipe Catulli intelligunt, quem ille volebat de ponte dare pronum. næ illi tota via errarunt. Bis enim Catullus idem dixisset. quod absurdum est.

Svb *his totus inrediuiuus.*] Hic vero audacia correctorum peruagata est. Nam antiquitus scriptum fuit *Crura ponticuli ac sulitantis inrediuiuus*, vt clare extabat in nostro libro, & in altero scripto, qui penes nos fuit. Certe legendum, *adsulitantis, inrediuiuus Ne supinus eat.* Pontem hunc sublicium arrectariis gracilioribus, quæ hic vocantur crura, male fultum, tremere ac veluti adsultare concussu pedum ait. adsulitare, & per syncopen adsultare. ausiculitare, auscultare ab ausiculis, id est, auriculis. Rediuiuum ædificium, est ex venusto renouatum. Est enim verbum tectonicũ. vnde Cicero in Verrem: *Vtrum existimatis minus operis esse, vnam columnam efficere ab integra nouam nullo lapide rediuiuo?* Itaque veteres magistri *Rediuiuus* vertunt παλίμπηκτος. Pontem inrediuiuum ergo dicit, qui prolapsus denuo instaurari non posset. Ἀρχαϊσμὸς autem dictum veteris crura, ne sub his, id est, veteris ne sub cruribus. Terentius: *Metuo lenonem ne aliquid suo suat capiti.* id est: metuo ne leno aliquid suo suat capiti. Vide ergo quantum differt sententia, quam efficiebat vulgata lectio, ab ea, quam præfert nostra emendatio: præsertim quum illud *inrediuiuus* viri docti ad municipem illum referrent. Nunc plana est sententia. Ego possem ex illa veteri scriptura assulas nescio quas & alia comminisci. sed hoc esset ineptire. De huius autem metri, id est, Ithyphallici genere, ita Diomedes scribit: *Priapeium*, inquit, *quo Virgilius in prolusionibus suis vsus fuit:*

Incidi in patulum specum procumbente Priapo.

Ita enim sarciendus locus ille Diomedis ex optimo manuscripto. Ex quo loco Grammatici omnino conuincitur eiusdem generis metrum, quod in custodem horti scriptum est inter Catalecta Virgiliana, recte Virgilio attribui: quanquam docti Catullo adscripserint. Anacreon quoque eo genere lusit:

Ἠρίστησα μὲν ἰτρίου λεπτοῦ μικρὸν ἀποκλάς.
Οἴνου δ' ἐξέπιον κάδον. νῦν δ' ἁβρῶς ἐρόεσσαν
Ψάλλω πηκτίδα τῇ φίλῃ, κωμάζων παιδὶ ἁβρῇ.

Et Mæcenas:

Debilem facito manu, debilem pede, coxa.
Tuber adstrue gibberum, lubricos quate dentes.
Vita dum superest, bene est. hanc mihi, vel acutam,
Si das, sustineam, crucem

Coloniam vero hanc non dubito, quin nouum Comum paulo ante à Cæsare deductam: Lacum autem Larium ad quam sita est, intelligat.

Salisvbsvli.] Omnes ludij & saltatores, qui ad cantum & tibiam in sacris ludunt, salij & salisubsuli dicuntur. Virgilius libro octauo:

Tum salij ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt euincti tempora ramis.

Ibi simpliciter salij sunt ludij ad sacra Herculis saltantes. Qui enim primi ἐνόπλιον ὄρχησιν doctore Ænea in Italia saltarunt, Salij dicti sunt, auctore Polemone vetere scriptore rerum Italicarum. Quare frustra hic argutatur Macrobius, dum quærit, quare Salios Herculi attribuit Virgilius potius quam Marti. Itaque recte ὑμνῳδὸς *Salius* vertitur à vetere Glossario. vnde Virgilius dixit Salios ad cantum, vt Propertius, Pastor ad baculum. κατ' ἐξοχὴν autem ludij Martis dicuntur Salij, & Mars ipse Salisubsulus. Pacuuius: *Pro imperio sic Salisubsulus vostro excubet.* Quod procul dubio est ex fine Prologi cuiusdam, vt illud Plautinum. *Vt vos item alias, pariter nunc vos Mars adiuuet.*

SEPARATA *securi.*] Iam doctis notius est, quam vt admonendi sint, hic est Festo legendum, *Subpernata. In fossa Liguri iacet subpernata securi.* cuius lectionis vestigia retinet codex noster, in quo legitur, *superata.* subpernare idem fere ac Suffraginare, quod Græci magistri vertunt ἀγκυλοκοπεῖν. notum anatomicæ peritis quid sit ἀγκύλη. Septuaginta interpretes hoc vocant ἐκνευρίζειν. Gallice, *esiarreter.* Marullus ingenio, quam doctrina paratior, stolide conatum Politiani ridet. Ego eum Græculum tanti non facio, vt eius rationem habendam esse putem.

TALIS *iste meus stupor.*] In prolusionibus Virgilianis: *Tuoque nunc puella talis, heu tuo*
Stupore pressa.——

Stuporem vocat virum puellæ, quomodo hic Catullus accipit.

NVNC *ego volo de tuo.*] Scripta lectio: *Nunc eum volo me de tuo ponte mittere pronum.* Videtur ergo τὸ *de* abundare. Itaque erit ἀρχαϊσμός. *Volo me mittere eum tuo ponte.* vt Sallustius: *Omnes qui sese student cæteris præstare animantibus.* Nam & ibi τὸ *sese* abundat. Potest etiam legi: *Nunc eum volo me è tuo ponte mittere pronum.*

FERREAM *vt soleam.*] Soleæ equis inducebantur, non, vt nunc clauis suppingebantur. propterea Græcis illud, vt in homine, est ὑποδεδέσθαι. Artemidorus, ἔδοξέ τις ὑποδήματα ἵππου ὑποδεδέσθαι. Et Arrianus soleas equinas ὑποδήματα eodem modo appellat. χαλκᾶ εἶναι τὰ ὑπὸ ... ὑποδήματα. κριθαί, χόρτος. Xiphilinus in Nerone σπαρτία vocat. τὰς ἡμιόνους σπαρτία ὑπόχρυσα ὑποδεδέσθαι.

Ad Hortorum deum. XVIII.

HVNC lucum tibi dedico, consecroque Priape.
Qua domus tua Lampsaci est, quaque silua Priape.
Nam te præcipuè in suis vrbibus colit ora
Hellespontia, cæteris ostreosior oris.

Hortorum deus. XIX.

HVNC ego iuuenes locum, villulamque palustrem,
Tectam vimine iunceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica cõformata securi
Nutriui: magis, & magis, vt beata quotannis:
Huius nam domini colunt me, deumque salutant,
Pauperis tugurij Pater, filiusque
Alter assidua colens diligentia, vt herba
Dumosa, asperaque à meo sit remota sacello:
Alter parua ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu: & tenera virens spica mollis arista:
Luteæ violæ mihi, luteumque papauer,
Pallentesque cucurbitæ, & suaue olentia mala,
Vua pãpineâ rubens educata sub vmbrâ.
Sanguine hanc etiam mihi (sed iacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella,
Pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, & domini hortulum, vineamque tueri.
Quare hinc ô pueri malas abstinete rapinas.
Vicinus propè diues est, neglegensque Priapus.
Inde sumite, semita hæc deinde vos feret ipsa.

M. ANT. MVRETVS.

QVONIAM Terentianus admonet, hortorum deo cecinisse Catullum huius generis versus: extantque inter Virgilianos lusus nonnulli, quos eruditi homines Catullo tribuunt, & nos quoque nunquam aliter credidimus: ascripsimus eos, tum vt, quasi postliminio, ad auctorem redeant suum, tum vt cursim à nobis non nulla in eis, quæ ceteros fugere, annotentur.

HVNC *ego.*] putabatur hic deus, quibus in agris statueretur, colereturque, eis fœcunditatem afferre. Hoc igitur se facere prædicat, additque caussam, nempe quod ab agelli dominis diligenter ac religiose colatur. Ad postremum admonet pueros, ne quid ex eo agro furentur, cui sit & dominus pauper, & ipse diligens additus custos: indicatque eis agrum vicinum, vnde commodius eripere aliquid possint; quod & dominum diuitem habeat, & negligentem Priapum. Porro Priapum Orpheus deorum antiquissimum esse dicit: videturque eundem cum Sole, ac Baccho facere. Dictus est autem *πρίηπος* vel quasi *βοήπυος*, id est, clamosus, propter clamores, qui in Bacchi sacris excitabantur, vel quasi *ὡς περιέχων τὸ σπέρμα*, vt annotat interpres Theocriti.

MAGIS, *& magis vt beata quotannis.*] ita vt assidue posterior annus prioris fertilitatē vinceret.

PRIMITV.] antiquū aduerbium, quale apud Plautum, *simitu.* Qui autem vocem hanc, vt insolentem, aspernati, eius loco substituerunt, *Primitiæ*, deprauarunt versum.

SANGVINE.] in aliis, *Sanguinea arma*, cōtra metri legem. Hunc autem locum ex ingenio emendauimus: neque sane dubitauimus, quin omnes intelligentes homines nobis sint assenturi. Sic & Græci *αἱμάσσειν βωμοὺς* dicunt *ἀντὶ τοῦ ἱερουργεῖν.*

SED *tacebitis.*] hoc inserit, quia, legibus XII. sacra facere peregrinis dijs, nisi qui publice asciti essent, non licebat.

HÆC *necesse.*] in aliis, hoc necesse: contra grammatices regulas.

IANVS DOVSA FIL.

FLORIDO *mihi ponitur picta vere corolla.*] Idem de Apolline Callimachus:

> -- *αἰεὶ δὲ βωμοὶ*
> *Ἄνθεα μὲν φορέουσιν ἐν εἴαρι, τοσσὰ περ ὧραι*
> *Ποικίλ' ἀγινεῦσι ζεφύρου πνείοντος ἐέρσην.*

Eadem autem omnia verba sunt in Carmine sequenti: *Mihi corolla picta vere ponitur.* Et sanè videtur alterutrum ex altero effictum. quod satis testantur priores versus huius Ithyphalici Carminis:

> *Hunc ego iuuenes locum, villulamq́; palustrem,*
> *Tectam vimine iunceo, caricisq́; maniplis,*
> *Quercus arida, rustica conformata securi.*
> *Nunc tuor.*

Ita enim cum Scaligero legendum puto, & lectioni huic ex ipso auctore auctoritatem addo. nempe ex hoc principio Iambici Carminis:

> *Ego hæc, ego arte fabricata rusticā,*
> *Ego arida, ô viator, ecce populus*
> *Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,*
> *Heriq́; villulam, hortulumq́; pauperis*
> *Tuor.* Quæ planè gemina sunt.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

HVNC *ego.*] Hoc quoque Ithyphallicum Catulli esse, placet doctis hominibus, tum propter stili affinitatem, tum quod eum tali carmine lusisse in Priapum auctor est Maurus Terentianus. Ithyphallicum quoque metrum à magistris Priapeium vocari, idem politissimus, & eruditissimus Grāmaticus docet nos. quemadmodum & *φαλλικὰ ᾄσματα* (nam differunt ab Ithyphallicis) Priapo quoque canebantur. Scholiastes Aristophanis: *ᾄσματα ᾖδε) φαλλικὰ τὰ ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδόμενα μέλη, ἐπεὶ ἦν εἰς ἀπόκαρπον.* Lege, *ὁ ᾄδων εἰς πρίαπον.*

NVTRIVI *magis.*] Hæc non sunt nauci. Lego, *Nunc tuor magis.* Deinde sequentem versum puto ita explendum:

> *Pauperis tugurii pater, filiusque coloni.*

Hortorum deus. XX.

Ego hæc, ego arte fabricata rustica,
Ego arida, ô viator, ecce populus
Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Heriqúe villulā, hortulúmque pauperis
Tuor, maláśque furis arceo manus.
Mihi corolla picta Vere ponitur:
Mihi rubens arista Sole feruido:
Mihi virente dulcis vua pampino:
Mihique glauca duro oliua frigore,
Meis capella delicata pascuis
In vrbem adulta lacte portat vbera:
Meisque pinguis agnus ex ouilibus
Grauem domum remittit ære dexteram,
Tenérque, matre mugiente, vaccula
Deûm profundit ante templa sanguinem.
Proin' viator hunc Deum vereberis,
Manúmque sorsum habebis: hoc tibi expedit.
Parata namque crux, sine arte mentula.
Velim pol, inquis, at pol' ecce, villicus
Venit: valente cui reuulsa brachio
Fit ista mentula, apta claua dexteræ.

M. ANT. MVRETVS.

SINISTRA.] è regione agelli ad sinistram sita.

TVOR.] antique, pro tueor.

MALAS *manus,*] sic Tibullus,

> *Quid fraudare iuuat vitem crescentibus vuis,*
> *Et modo nata mala vellere poma manu?*

MIHIQVE *glauca.*] in aliis, *Mihi glauca dura cocta oliua frigore,* in Aldinis, *Mihi glauca duro cocta oliua frigore.* in quibusdam veteribus, *Mihi glauca duro oliua frigore.* vnde apparet vocem, *cocta,* additam ab aliquo, qui versum mutilum perficere vellet. sed, cum è meris iambis carmen hoc sit, præstare opinor, vt legamus, *Mihique glauca,*

& illud, *colla* repudiemus.

ADVLTA.] distenta.

AGNVS *ex ouilibus.*] Virgilius,

ab ouilibus imbuet agnus.

GRAVEM *domum remittit ære dexteram.*] Virg.

Non vnquam grauis ære domum mihi dextra redibat.

TENERQVE.] ita legendum, non, vt in aliis, *Teneraque.* carmen enim, vt ante dixi, est ex solis iambis. Neque est, quod cuiquam perturbata generibus videri debeat oratio, qui meminerit, vnum ouem, non vnam ouem, veteres protulisse. Preterea nomina, quæ er syllaba finiuntur, veteribus, maximam partem communia fuerunt. non ea tantum, quæ generibus variari non possunt, vber, celer, & similia, sed alia quoque pauperem feminam dicimus, cum tamen pauperam dicere liceat. Terent.

Quæ sese inhoneste optauit parere hic diuitias
Potius quam in patria honeste pauperа viuere.

ita enim locus ille legendus est, ex veteribus libris, & ex Prisciano. Cato II. originum, *Itaque res vber fuit, antequam vastassent regiones.* Næuius de bello Punico,

Fames acer augescit hostibus. Ennius,

Æstatem autumnus sequitur, post acer hiems hunc. at vtrobique acris dici poterat. Pueram nonnunquam dicebant. Liuius Odyssea,

Mea puera, quid verbi ex tuo ore profluit?

quo versu interpretatus est illum Homericum,

Τέκνον ἐμόν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων,

At puerum tamen vtroque genere efferebant. Næuius secundo belli Punici,

Prima incedit Cereris Proserpina puer.

SEORSVM *habebis.*] continebis, ne quid præripias. *In seorsum* autem est synæresis, qualis in illo Virgilij,

Vna eademque via sanguisque animusque sequuntur.

& in illo Propertij.

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos.

SINE *arte mentula.*] in veteribus, *Parata namque crux*ˆ *arte mentula.* itaque alij fecerunt, *Parata namque crux & arte mentula:* in quo illud, &, redundare, nemo non videt: alij, *Parata namque crux est arte mentula:* sed hos ipsa versus ratio coarguit. nos, quod reposuimus, verum esse arbitramur.

AT *pol.*] repetitio eiusdem verbi valde irrisioni conueniens. Est autem iocus elegans, sed obscœnus. cùm enim diceret viator, se nihil metuere, aut appetere etiam vsitatum illud supplicium; illudens deus, longe alio eum, quam putabat, modo acceptum iri respondet.

IANVS DOVSA FIL.

MANVMQVE *sorsum habebis.*] *Sorsum* hîc pro *seorsum* accipiunt Petrus Victorius Variar. Lect. lib. XXV. cap. XII. Ios. Scaliger in versione Græcâ, aliique. tamen nescio quomodo magis arridet Patris coniectura, qui legit *sursum.* fures enim in sinu demissas habent manus, seu potius furtificam læuam. Euphron Comicus:

[illegible]
[illegible]
[illegible]

A Itaque *Manumque sursum habebis,* esset Græcè: ἄνω δὲ χεῖρας ἕξεις.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

EGO *hæc.*] Catulli esse hoc, itemque alterum poematium & doctissimi iam viri admonuerunt, & mihi non inuito persuadent. Cuius eo elegantia maior est, quo difficilius fuit eam in iambis puris consequi posse, totidem Iambis puris.

ΕΓΩ τέχνημα φαυλοτέκτονος χερὸς,
B Ἐγὼ δὲ [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
C [illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible]

HOC *tibi expedit.*] Attici dicunt: [illegible] ἄξιον. Vnde Euripides Telepho, ἄξιον γὰρ [illegible]. Quod in legationibus semper apponi, & concludi solebat. Sallustius in Iugurthino: *censere eos ab armis discedere. ita seque illisque dignum esse.* vt in

D principiis edictorum dicebant, *Bonum factum est.*

PARATA *namque.*] Secuti sumus lectionem Mureti nostri: *crux sine arte.* Proinde Græce est redditum [illegible]. Ita enim vocant Græci non quidem quod omnino sine ascia factum est, sed rude, & impolitum. Columella in eandem sententiam:

——*sed truncum forte dolatum*
Arboris antiquæ numen venerare Ithyphalli.

truncum forte dolatum, αὐτόργυρον, [illegible].

E

Ad Aurelium. XXI.

AVRELI, pater esuritionum,
Non harum modò, sed quot aut fuerunt,
Aut sunt, aut aliis erunt in annis,
Pædicare cupis meos amores;
Nec clam. nam simul & iocaris vnà,
Hæres ad latus, omnia experiris.
Frustrà: nam insidias mihi instruentem

Tangam te priùs irrumatione.
Atqui, si id faceres satur, tacerem:
Nunc ipsum id doleo, quòd esurire
Nè meus puer & sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico,
Ne finem facias sed irrumatus.

ANT. PARTHENIVS.

AVRELI *pater esuritionum.*] Scribit in Aurelium pauperrimum ac maxime famelicum: qui in summa fame, oblitus egestatis suæ, ac libidinis nefandæ vitio, cæcus, Catulli puero stuprum intendebat. Minatur itaque poeta perfido Aurelio irrumationem nisi desinat suo insidiari puero: hinc totum effictum est illud Martialis epigramma:

Sæpe mihi queritur non siccis cæstus ocellis
Tangi se digito Mammuriane tuo.

MEOS *amores.*] meum puerum delicias meas.

EXPERIRIS.] alij Codices ex antiqua lectione habent, experibis, sed minime placet.

SI *faceres satur.*] nam esset aliqua tuæ libidinis excusatio in saturitatis causa: nunc autem quum sis famelicus, ac sine Cerere & Libero frigeat Venus; nulla est tui flagitij causa excusabilis: ideo irrumationis supplicio dignus es.

ATQVI.] certe equidem.

NÆ.] certe: alij legunt Nemeus, vt sit pueri nomen proprium.

PVDICO.] tibi meis stupris intacto.

DVM *licet.*] dum iniuriis tuis ego non irritatus te nondum stupro vlciscor.

FACIAS *finem.*] scilicet meis iniuriis.

PALLADIVS FVSCVS.

AVRELI *pater esuritionum.*] Versus est hendecasyllabus. Minatur Catullus cuidam Aurelio irrumationem: Qui in extrema egestate constitutus puerum poetæ præcidere cupiebat.

ESVRITIONVM.] esuritio est fames maxima.

MEOS *amores.*] meum puerum.

CLAM.] latenter.

INSIDIAS *mibi instruentem.*] te mihi insidiantem.

ATQVI.] certe.

SATVR *tacerem.*] si satur puerum ad stuprum sollicitares.

NÆ.] hæc particula cum dipthongo capitur pro certe. Terentius. *Faciunt vt næ intelligendo, vt nihil intelligant:* & M. Tullius lib. tertio de Oratore: *næ illud haud sane quemadmodum verba fernet atque illuminet, à magistris istis requiret.*

QVARE *desinem:*] conclusio.

NE *finem facias.*] sollicitandi puerum.

SED *irrumatus.*) posteaquam te irrumauero,

A

ACHILLES STATIVS.

AVRELI, *pater esuritionum.*) Quid Esuritio sit, indicant Martialis versus illi in. v. ad Torannium.

Post hac omnia forte si mouebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Huc current tibi nobiles oliua,
Piceni modo quas tulere rami.
Et feruens cicer, & tepens lupinus.

Sed Catullus alibi pro esurie, posuit: Sole, & frigore, & esuritione.

B

NEC *clam. nam simul & iocaris vna, Harens ad latus omnia experiris.*) In manuscriptis omnibus erat, *Nec clam. nam simul exiocaru vna, Harens ad latus omnia experibis.* Ego vero sic legebam, *Nec clam. nam simul, & iocaris vna* & *Harens ad latus omnia experiris.*

OMNIA *experiris.*) Dispungendum hoc loco. Vt quod sequitur, Frustra, vnum id verbum per se legatur. Omnia vero experiri dicebant in rebus iis, ad quas efficiendas omnem operam contulissent. Cæsar in. VII. de bello Gall. *Omnia experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium ceperunt oppido fugere.* Et Cic. in. I. ad Attic. *Quod ad me sæpe scripsisti de nostro amico placando, feci, & expertus sum omnia. sed incredibili modum est animo ab alienato.*

C

TANGAM *te prius irrumatione.*) legendum, vt est omnibus in manuscriptis, *Prior*, non, *Prius.*

ATQVI, *si id faceres.*) In manuscriptis omnibus, *Atque ipsi faceres.* legendum videtur, *Atque id si faceres.*

NE *meus puer.*) In manuscriptis omnibus, *Me me.* legendum forte, *Me meus*, Vt me absentem esuriat, ac sitiat. quod eum haud paulo, quam tu, liberalius tractarem. quod tamen vsquequaque non placet. Faernus legendum putabat, *Ve meus.*

D

DVM *licet pudico.*) Eodem modo Pudicum dixit Sueton. in Claudio Nerone. *Ex nonnullis comperi persuasissimum habuisse eum, neminem hominem pudicum, aut vlla corporis parte pudicum esse.*

NE *finem facias, sed irrumatus.*) Sed, alieno loco positum videtur. Itaque legendos hos duos versus putabam hoc modo, *Quare desine, dum licet, pudicus Ne finem facias, sed irrumatus.* vel illo modo, *Quare desine, dum licet pudico, Ne finem facias, sat irrumatus.* Nam pro varietate lectionis varie quoque dispungendum.

M. ANT. MVRETVS.

E

AVRELI.) irascitur Aurelio, quod puerum, quem vt ex superioribus intelligitur, ipse eius fidei commiserat, corrumpere moliatur.

PATER *esuritionum.*) significat eum sordide & tenuiter conuiuari, ita vt cenæ ipsius non cenæ vocandæ sint, sed esuritiones. Cenæ patrem vocabant τὸν ἑστιάτορα, quem etiam Cicero dominum epuli vocat. Horatius,

In primus Lucanus aper leni fuit austro
Captus, vt aiebat cenæ pater.

Nonius eum & dominum conuiuij, & domi-

num, sine vlla additione, vocari solitũ admonet. A

N O N *harum modo.*] hæc gradatio familiaris est huic poetæ. Sic infra,

> *O, qui flosculus es Iuuentiorum,*
> *Non horum modo, sed quot aut fuerunt,*
> *Aut posthac aliis erunt in annis.* &
> *Disertißime Romuli nepotum,*
> *Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli,*
> *Quotque post aliis erunt in annis.*

E X P E R I R I S.] in antiquis codicibus *Experibis*, quod non temere reiiciendum est. ita enim multa veteres dixere agendi voce, quæ nunc tantum ea, quæ patiendi est, efferuntur: & contra. Quin hoc quoque ipso alicubi vtitur Plautus. B

T A N G A M *te prius.*] est genus figuræ, quod Græci μείωσιν, Latini imminutionem aut extenuationem vocant. eo qui vti volunt, vbi quis alium percusserit, pupugeritve, aut insigniter etiam læserit, tetigisse dicunt. ea caussa est, cur nonnumquam ipsum tangendi verbum idem valeat, quod percutere, pungere, lædere. Terentius Eunucho,

> *Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio.*

id est, acerbo aculeatoque dicto quasi pupugerim. Propertius,

> *Quem tetigit iactu certus ad ossa deus.*

Vbi etiam videtur ducta tralatio à sagittariis, C qui tangere dicuntur, ὅταν τῷ σκοπῷ ἐπιτύχωσιν. Plautus Pseudolo,

> *Si neminem alium potero, tuum tangam patrem.*

id est, eum multabo hoc damno, emungam eum hac pecunia. idem Pœnulo,

> *Qui i cernit amare. hominem volt leno tangere.*

Catullus supra, ——*velut prati*
Vltimus flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est. Græci quoque ἁψάμενον γυναικὸς dicunt eum, qui mulierem quampiam depereat, quo modo & Latini dicunt amore percussum. Virgilius,

> *Quarum sacra fero ingenti percussus amore.* D

Lucretius,

> *Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.*

S I *id faceres satur.*] Sic Martialis,

> *Denique pedica Mamuriane satur.*

etenim, cum saturi, & deliciis affluentes homines ista conquirunt, minus mirum est: at, si idem faciant inopes, & famelici, id vero indomitæ libidinis signum est.

D V M *licet pudico.*] impudicos vocabant, qui parte aliqua corporis sui alienam libidinem excepissent: pudicos, qui nihil tale perpessi essent. in Priapeiis, E

> *Prædictum tibi ne negare possis,*
> *Si fur veneris, impudicus ibis.*

Plautus Amphitruone.

> *Ego tibi istam hodie sceleste comprimam linguam. S. haud potes*
> *Bene pudiceque asseruatur.*

Et pudicas virgines vocabant, quarum nemo pudicitiam delibasset. Plautus Curculione,

> ——*iam ne ea fert iugum?*
> *Tam à me pudica est, quasi soror mea sit.*

& paulo post,

> *At illa est pudica, neque dum cubitat cum viris.*

IANVS DOVSA FIL.

A V R E L I *pater esuritionum, Non harum modò, sed quot aut fuerunt, Aut sunt, aut aliis erunt in annis.*] Sic enim Xenophon in Symposio: καὶ ὁ Ἀντισθένης, πῶς ἂν ἐγὼ ὦ Σώκρατες, ὅτι γελάσκειν, ὁ καὶ τὸ πρόσθεν Σαρδανάπαλον ἀλλὰ κατὰ γυναικὶ τῆς νῦν ὥρας καὶ τῷ χθιζινῷ ἢ τῷ ἑωθινῷ χαριτιζέτω. Sed apertius multò expressit hæc infra:

> *Disertißime Romuli nepotum*
> *Quot sunt, quotq; fuère Marce Tulli*
> *Quótque post aliis erunt in annis.*

Exemplum Xenophontis video notasse etiam Lucam Fruterium acutissimi ingenij iuuenem in Epistola ad Gulielmum Canterum non edita.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

N E C *clam. nam simul & iocaris vna.*] Hiulca sunt hæc, nec bene cohærent, si sequentia spectes. Sed quomodo legendum sit, docet nos scriptus codex. *Nec clam. Nam simul exiocaris vna,*

> *Hærens ad latus omnia experibis.*

Sic habet noster codex ne vna quidem litera minus. Exiocari est, ἀφομιλῆσαι, ἀφεψιάσαι. Postquam ludo lassus modum feceris, alia experiere. Antiquitus autem dictum experio, non experior, vt alia multa.

N E *meus puer.*] Quis non videt hæc omnia commentitia esse? Atqui satius fuit veterem lectionem securam in suis sedibus relinquere, quam suam ineptam supponere. Legi igitur in nostro libro, *Me me puer.* Deest ἐπίφθεγμα Ah. *Ah me me puer.* vel, *Ve me me.* vt in Elegiis. *Quæ, ve te, misero letum miserabile fratri Adtulit* — Apud Senecam Apocolocynthosi, *Ve me.* Græcum est, οἴμοι μοι. & ὤ μοι μοι. Infra. *Ah me an illa puella d. Tota millia me decem poposcit?*

Ad Varrum. XXII.

S V F F E N V S iste, Varre, quẽ probè nosti,
Homo est venustus, & dicax, & vrban⁹.
Idémque longè plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decẽ, aut plura
Perscripta, nec sic, vt fit, in palimpsesto
Relata; chartæ regiæ, noui libri,
Noui vmbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia æquata.
Hæc cùm legas, tũ bellus ille, & vrbanus
Suffenus, vnus, caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tãtũ abhorret, ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modò scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem inficeto est inficetior rure,
Simul poëmata attigit: neq; idẽ vnquã
Æquè est beatus, ac poëma cùm scribit:

Tã gaudet in se, tàmque se ipse miratur. A
Nimirum idem omnes fallimur; neque est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Poßis. SVVS cuique attributus est error:
SED nõ videmus, mãticæ quod in tergo est.

ANT. PARTHENIVS.

SVFFENVS *iste Varre quem probe nosti.*] Varrum alloquens vanam & falsam Suffeni poetæ insulsi auctoritatem demonstrat: Nam Suffenus verborum ostentatione dicax, & vrbanus atque doctissimus, videbatur: præsertim quum insulsorum versuum suorum libros magnifica impensa ornatos ostentaret: Sed in carminum illorum lectione, maximam insulsamque ignorantiam, homines comprehendebant. Quod & si maximum est vani hominis vitium: tamen aliquid excusationis meretur: quia nemo est adeo peritus, qui aliqua in re non appareat vanus & ineptus: Sed suum errorẽ quisque minime videt. B

SVFFENVS.] de quo supra:

Suffenum omnia colligam venena:

alij legunt Ruffenum.

VENVSTVS.] elegans.

DICAX.] garrulus: mordax in dicendo: aut certe dicax sermonis risu aliquos incessens: venustus autem est qui cum gratia quadam ex venere dictus apparet: vrbanus vero dicitur qui in sermone, rebus & verbis, sono & visu, quendam gustum vrbis, & sumptam ex conuersatione doctorum tacitam eruditionem præ se fert: Sic & vrbanitas, venustas, dicacitasque inter se differunt, teste Fabio Quintiliano. C

PVTO.] coniecto ex eius ostentatione.

DECEM *millia.*] scilicet versuum.

NEC *relata in palimpsesto.*] Scilicet puto illa: sed in regia charta membrana. D

PALIMPSESTO.] palimpseston vilior charta est iterum delita & iterum rescripta, derasis prioribus litteris. πάλιν rursum dicitur, ψάω delino, tergeo: palimpseston igitur charta iterum delita, & derasis prioribus litteris rescripta. palimpseston à iurisconsultis interpretari chartam deliticiam legimus.

SICVT *fit.*] apud pauperes scilicet.

CHARTÆ *regiæ.*] scilicet sunt: regiæ pro regalibus dixit, sumptu regali comparatæ.

VMBILICI.] signa sunt quædam, quibus librorum fines concludebant antiqui. Ideo Porphirio supra id Horatianum Ad vmbilicũ, ad finem interpretatur. Martialis, in eodem significato posuit, *iam peruenimus vsque ad vmbilicum.* Alij vmbilicos pro clauis, quibus librorum anguli ornantur, accipiunt. E

LORA *rubra.*] quibus elegantiores libri vestiuntur.

MEMBRANÆ.] scilicet chartæ sunt. Membrana charta primum inuenta fuit Pergami, inde pergamena dicta fuit, testãte Varrone, ac Plinio referente. de hac Martialis scribit:

Esse puta ceras licet hæc membrana vocetur:
Delebis quotiens scripta nouare voles.

DESECTA *plumbo.*] ordo & sensus: omnia sunt plumbeis lineis quadrata, & pumice æquata, hoc est derasa.

HÆC.] scripta Suffeni.

BELLVS.] venustus nobis visus.

CAPRIMVLGVS.] caprimulgus hic æpolum significat. Caprimulgus item auis est de qua Plinius hæc tradit, lib. x cap. xl. *Caprimulgi appellantur grandiores merulæ aspectu, fures nocturni. Interdiu enim visu carent: intrant pastorum stabula, caprarum vberibus aduolant suctum propter lactis: qua iniuria vber emoritur: Caprisque cæcitas, quas ita mulsere, oboritur.*

ABHORRET.] scilicet à iactationis suæ veritate.

MVTAT.] quum scribit aliquid.

QVI *modo scurra.*] ordo est: idem qui modo scurra videbatur, aut si aliquod nomen est tristius scurra est infacetior rure, & omni rusticitate.

TRISTIVS.] peius quàm sit scurra: vt parasitus, morio, leno.

NEQVE *idem vnquam æque est beatus.*] id est neque vnquam videtur sibi tam beatus quàm quum poemata facit.

EST.] pro videtur.

GAVDET *in se.*] sibi placet, quod vitiũ est stultitiæ.

SE *miratur.*] se extollit ac superbe vaneque laudat: quod est vitium insaniæ.

SIMVL.] postquam.

ÆQVE.] tam.

AC.] quàm.

IDEM *nimirum.*] deest ob vt sit ob idem, idest, propter idem proprij amoris vitium.

POSSIS *videre Suffenum.*] idest quasi Suffenum: & similem Suffeni stolidi ac inepti: *nemo enim est, qui aliqua ex parte asini auriculas non habeat.*

SVVS *cuique attributus est error.* Horat. *nã vitiis nemo sine nascitur: optimus ille Qui minimis vrgetur.*

SED *non videmus manticæ quod in tergo est.*] Æsopi fabula tradit vnum quemque hominem duas habere manticas: vnam ante se ad sinum: alteram retro à tergo: in anteriorem, quæ facillime visui subest, aliena vitia mittimus: in posteriore, quæ minime cerni à nobis possit, nostra peccata abscondimus. sic Horatius, *despicere ignoto discat pendentia tergo*: Persius, *sed præcedenti spectatur mantica tergo.*

QVOD *est in tergo mantica.*) idest, non consideramus neque videmus errores nostros, quos post terga reiicimus.

PALLADIVS FVSCVS.

SVFFENVS *ille.*) Versus est iambicus trimeter, de quo iam diximus: scribit Catullus ad Varrum, de quodam Suffeno, qui inter amicos vrbanus erat: sed cum idem ad scribenda poemata se contulisset, infacetissimus videbatur: ipse tamen sibi placebat.

VENVSTVS.) Quintilian. pluribus explicat quid venustus, quid dicax, & quid vrbanus significet. quod si quis parum credit, apud eundem in octauo requirat.

DECEM.] subaudi millia versuum.

AVT *plura.*] x. supple millibus.

PALIMPSESTO.] græca est dictio, qua charta illa significatur quæ derasis prioribus litteris rescripta est.

VMBILICI.] claui sunt, vt mea fert opinio, quibus librorum anguli ornantur, simul & muniuntur. Martialis; *Sed pumicata fronte si quis est nondum, Neque vmbilicis cultus, neque membrana.*

LORA *rubra.*] vincula rubri coloris.

MEMBRANÆ.] quibus infectis libri teguntur. Tibullus. *lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.* membranæ autem sunt pelles ita dictæ, quod ab animalium membris educantur.

DISECTA.] emendo directa.

PLVMBO.] plumbeis lineis. Sunt autem duo plumbi genera, nigrum, & album, quod pretiosius est, & à græcis cassiterium appellatur, Sed ex eo non fit argentum, cum fiat ex nigro. Auctor est Plin.

PVMICE *omnia aquata.*] nouos libros pumicibus expoliri præter Tibullum Catullumque & Martialem, indicat etiam Plin. cuius verba superius annotauimus.

HÆC.] scilicet carmina.

CAPRIMVLGVS.] hac voce æpolus significatur. Sunt etiam Caprimulgi aues quædam merularum aspectu; quæ interdiu visu carent; intrant pastorum stabula, caprarumque vberibus aduolant ad lactis haustum.

FOSSOR.] qui terram fodit: nomen verbale.

AC *mutat.*] vt non cognoscas eundem esse.

SCVRRA.] scurra est qui risum ab audientibus captat: non salua personæ dignitate.

RVRE.] pro rustico.

SIMVL *poemata attigit.*] postquam accessit ad scribenda carmina.

AEQVE *est beatus.*] ita est felix.

GAVDET *in se.*] intrinsecus lætatur.

NIMIRVM.] certe.

IDEM.] omnes fallimur quia nostra nimis diligimus.

SVVS *cuique attributus est error.*] Horatius.

Nam vitiis nemo sine nascitur:

& Propertius,

Vnicuique dedit vitium natura creato.
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.

SED *non videmus manticæ quod in tergo est.*] non videmus nostra vitia siue nostros errores: quos in tergo gestamus; & hoc secundum Aesopum qui fingit vnumquemque habere binas manticas, vnam in pectore & alteram in dorso: in anteriore gestare aliena vitia, in posteriore vero, sua. Persius.

Vt nemo in sese tentat descendere nemo.
Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

ACHILLES STATIVS.

SVFFENVS.] dubito legendum ne sit, *Suffenas.* de quo Plin. *Rheatini Trebulani, qui cognominantur Mutisci & Suffenates.* quæ dubitatio tolleretur, si de vltimæ syllabæ in verbo Suffenas quantitate constaret. Certe Volcatius Sedigitus

A in Iambis de comicis poëtis spondæum quoque secundo loco ponere non dubitauit.

HOMO *est venustus, & dicax, & vrbanus.*] *Tu vero festiuus, tu elegans, tu solus vrbanus.* Cic. in Clodium, & Curionem, vt citat Rufinianus in exemplo Ironiæ.

PVTO *esse ego illi.*] sic erat in Maffei libro, & in meo. in aliis, *Puto ego.* quod minime probandum.

NEC *scit.*] In manuscriptis tribus, *Nec sit.* in vno, *Nec sat.* itaque legendum, vt ante Aldus impressit, *Nec sic.*

NOVI *libri.*] Nescio, an per Libros ipsa librorum tegumenta dicat, atque inuolucra.

B NOVI *vmbilici.*] De quibus interpretes Horatij in .v. Carm. in illud, *Ad vmbilicum adducere.*

LORA *rubra.*] Quibus stringerentur, & quasi clauderentur.

MEMBRANA *Directa plumbo.*] In manuscriptis omnibus, *Detecta*, non, *Directa.* Legendum videtur, *Derecta.* sic enim veteres, *Derigere*, & *Derectus*, quod in meo vetustissimo Commentariorum Cæsaris exemplo videre est, & in veteri inscriptione, quæ est Romæ in Basilica Sancti Petri, in qua nomen equi, Derector. itaque ex Derecta, factum Detecta. hodieque scriptores ad derigendum plumbo vtuntur.

C ET *pumice omnia aquata.*] complanata. sic Plin. Silicem æquatam in. xxxvi. Nat. hist. *Græci*, inquit, *è lapide duro, ac silice aquato construunt veluti latericios parietes.*

HÆC *cum legas, tum bellus ille.*] In manuscriptis omnibus, *Hæc cum legas tu.*

SVFFENVS *vnus.*] Hoc loco dispungendum censeo.

CAPRIMVLGVS.] Eiusdem formæ est apud Callimachum in Hymno in Dianam. Ιππημολγὸν ὄγκγε ναμιλέιων.

D TANTVM *abhorret, ac mutat.*] Tam dissimilis suorum est ipse ornamentorum, aut ipse sui, qui alioqui vrbanus esset. Est autem in manuscriptis omnibus *Mutat*, non *Nutat.*

TANTVM *abhorret, ac nutat.*] Id est, à se ipse altero illo in genere differt, ac degenerat. Sic Gell. in II. Cap. xxiii. Nutare videtur posuisse. *Sed enim*, inquit, *postquam in manus Menander venit, à principio statim, di boni, quantum stupere, ac frigere, quantumque nutare à Menandro Cæcilius visus est.* Verbo ipso Abhorrere, eodem modo Liuius videtur vsus in v. ab v. c. *Tum septem & viginti virgines, longam indutæ vestem, Carmen in Iunonem reginam canentes ibant, illa tem-*

E *pestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens, & inconditum, si referatur.* Et Q. Curtius in VI. *Turbæ quippe captiuæ feminarum iubebantur suo ritu canere inconditum, & abhorrens peregrinis auribus carmen.*

HOC *quid putemus esse.*] Adeo ne quemquam sibi placere, & iis ornamentis indignissimos versus adficere.

QVI *modo scurra, Aut si quid hac re tristius videbatur, Idem inficeto est inficetior rure: Simul poemata attigit.*] Quid hoc putemus esse, quasi id dicat, an non mirandum, eum, qui nuper scurra & ridicula

& ridicula multa diceret, tam inficetos versus facere. In manuscriptis autẽ omnib. erat, *Tristius* non *Tritius*, hoc enim post fecerunt Pontanus, alijq. quod ipsum placet, vt tritum scurram sic dicat, vt Demosthenes Æschinem περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς, Callidum scilicet, & versatum diu in eo genere. Nisi Tristius, odiosius quis interpretari malit. Poëmata verò attingere, id est, poëtica studia colere, ac tractare, sic dixit, vt & Cicero, Remp. attingere. Et Sueton. in Caligula, *Militiam résque bellicas semel attigit.*

A C *poëma cum scribit.*] cum versus facit. Sic Cic. in Pisonem, *Poema porro facit ita festiuum, ita concinnum, ita elegans, nihil vt fieri possit argutius.*

N E Q V E *idem vnquam Aeque est beatus.*] cuiusmodi fere sunt omnes κακοποιηταί.

T A M *gaudet in se.*] Horat. in II. Epist. ad Florum de eodem genere,

Gaudent scribentes, & se venerantur amántque.

I D E M *omnes fallimur.*] Accusatiui figura, idque more Græcorum. vel sit ἔλλειψις τοῦ κατά.

M. ANT. MVRETVS.

SVFFENVS.] vereor, ne Fufenum hoc loco, non Suffenum, legere oporteat. sic enim & apud Liuium pro Fufetio vulgò legitur Suffetius.

V R B A N V S.] Vrbani nonnunquam dicuntur, qui doctis dictis victum aucupantur. quos & ab affectandis diuitibus scurras vocabant itaque vrbani nomen sæpe idem, quod ridiculum, valet. Horatius,

Menius, vt, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis, vrbanus cœpit haberi,
Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret.

Plautus Trinummo,

Nihil est profecto stultius, nec stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis;
Neque confidentiloquius, neque periurius,
Quam vrbani assidui ciues, quos scurras vocant.

Cicero in Bruto, *Tu elegans, tu solus vrbanus.*

I D E M Q V E *longe plurimos facit versus.*] propria ac pene perpetua malorum poëtarum nota.

S I C.] negligenter.

V T *fit.*] vt fieri solet.

I N *palimpsesto.*] in charta deleticia. i. ex qua deletum est aliquid, vt aliud denuo scriberetur. Cicero Trebatio, *Nam quod in palimpsesto; laudo equidem parsimoniam: sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris: nisi forte tuas formulas. non enim puto te meas epistolas delere; vt reponas tuas.* Locus autem ille Ciceronis in vulgaribus libris, vocularum aliquot interpositu, deprauatus est.

H Æ C *cum legas.*] vbi carmina illa tam diligenter, támque eleganter ornata legere incipias.

T V M *bellus ille & vrbanus Suffenus.*] tum Suffenus ille, qui antea tam bellus, támque vrbanus videbatur.

V N V S *caprimulgus, aut fossor Rursus videtur.*] ita inelegantes, & illepidos versus facit.

A V T *si quid hac re.*] facete adhibet rei nomen, quasi scurras hominum nomine satis dignos non putet. Sic Cicero Verrem, importunum animal vocat.

A T R I T I V S.] insalse legunt alij, *tristius.* in quo risi equidem non mediocriter & Parthenium, & Guarinum: qui cum viderent in scurras, homines ad risum factos, nullo modo tristitiam conuenire; tristésque homines vulgari Italorũ lingua vocari scirent homines nequam, ac nullius bonæ frugi; hoc loco, tristius, idem, quod peius, valere dixerunt. *Tritius,* legẽdum est. scurrarũ enim est, tritos esse atq. exercitatos in omni genere rerum agendarum, omninoque minime fatuos, vt qui & sibi ex aliena fatuitate victum colligant, & omnibus se omnium negociis immisceant: vt præclare describit Plautus eo ipso, B quem paulo ante citauimus, loco

N E Q V E *idem vnquam.*) beati sunt, qui suo contenti sunt. Quod igitur ait, nunquam æque esse beatum Suffenum, atque cum versus facit, significat videlicet, eum nunquam sibi magis placere, numquam sibi magis satisfacere. Porrò cùm omnibus in rebus verum illud est, suum cuique opus placere; tum nusquam verius, quã in ratione scribendorum carminum. id & hoc tempore experimur; quo se homines ita imperiti, vt in ipsa syllabarum ratione sæpe peccent, non poëtas modo tamẽ, sed etiam illustres poëtas inscribere audent: & celeberrimi olim scriptores memoriæ prodiderunt nam & apud Pla- C tonem Socrates, cum admirari se dixisset, quod Cephalus, qui opes suo ipse sibi labore pepererat, immodicè eas tamen non amaret, hac comparatione vsus est, ὥσπερ γὰρ οἱ ποιηταὶ τὰ αὐτῶν ποιήματα, καὶ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας ἀγαπῶσι. ταύτῃ τε δὴ καὶ οἱ χρηματισάμενοι περὶ τὰ χρήματα σπουδάζουσιν, ὡς ἔργον ἑαυτῶν· quem locum Aristoteles in quartum de moribus ad Nicomachũ transtulit: qui cum dixisset eo propesiores esse ad liberalitatem eos, qui opes à parentibus accepissent, quàm qui eas industria quæsissent sua, quod illi inopiam nunquam experti essent, addit statim aliam caussam, D inquiens, καὶ πάντες ἀγαπῶσι μᾶλλον τὰ ἔργα αὐτῶν, ὥσπερ οἱ γονεῖς, καὶ οἱ ποιηταί. idémq. hoc etiã apertius ponit nono eorundem librorum, his verbis, πᾶς γὰρ τὸ οἰκεῖον ἔργον ἀγαπᾷ μᾶλλον, ἢ ἀγαπηθείη ἂν ὑπὸ τοῦ ἔργου ἐμψύχου γενομένου. μάλιστα δ᾽ ἴσως τοῦτο περὶ τοὺς ποιητὰς συμβαίνει· ὑπεραγαπῶσι γὰρ οὗτοι τὰ οἰκεῖα ποιήματα, στέργοντες, ὥσπερ τέκνα. sed & M. Tullius Tusculanarum disputationum libro quinto, cùm de Dionysio tyranno loqueretur, *Musicorum verò,* inquit, *perstudiosum accepimus, poëtam etiam tragicum, quã bonum, nihil ad rem. in hoc enim genere nescio quo pacto magis, quàm in aliis, suum cuique pulchrum est. Adhuc neminem cognoui poëtam (& mihi fuit cum Aquino* E *amicitia) qui sibi non optimus videretur. Sic se res habet: te tua, me delectant mea.* & libro secundo ad Q. fratrem, *Non me hercule quisquam μανοπολεξως libentius sua recentia poëmata legit, quam ego te audio.*

N I M I R V M *idem omnes fallimur.*) grauis sententia, & ab optimis quibúsque auctoribus maximopere celebrata.

I D E M *fallimur.*) eadem in re fallimur. Horatius, *Vt scriptor si peccat, idem librarius.*

S V F F E N V M.) Suffeni similem, ad sua vitia conniuentem, nimium amantem sui. Quomodo autem quisque seipsum amare debeat, præclare disputat Aristoteles lib. IX. de moribus.

F

SED *non videmus.*] respicit ad fabulam Æsopicam, quæ his verbis apud Stobæum explicata legitur, Αἴσωπος ἔφη, δύο πήρας ἕκαστον ἡμῶν φέρειν, τὴν μὲν ἔμπροσθεν, τὴν δὲ ὄπισθεν· καὶ εἰς μὲν τὴν ἔμπροσθεν ἀποτίθεσθαι τὰ τῶν ἄλλων ἁμαρτήματα, εἰς δὲ τὴν ὄπισθεν τὰ ἑαυτοῦ. διὸ οὐδὲ καθορῶμεν αὐτά.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SVFFENVS *iste.*] Suffenas, ait quidam, hic legendum. Sed delirat. Quomodo enim constaret versus?

LORA *rubra.*] σιττύβαι. Hesychius: σιττύβαι, διφθέριναι στολαί, μικρὰ ἱμαντίδια. Duas dat notiones eius verbi Hesychius, priore membranam significari, qua tegerétur libri: posteriore, lora, vt hic apud Catullum. In epistolarum ad Atticum quarto ex editione Victoriana: *Bibliothecam mihi tui pinxerunt constructione & sittybis*. Legendum *constrictione*.

MEMBRANA.] Genere neutro. Glossæ quoque: *Membranum* διφθέρα, ὑμένιον. Item *Membranum* ὑμήν.

TANTVM *abhorret ac nutat.*] Flagitium Hieronymi Auantij, qui ex MVTAT fecit NVTAT. In quo profecto ipse multum nutauit.

SCVRRA.] Quem modo vrbanum vocauit. Notum enim ex Plauto scurras & vrbanos eosdem esse. Quare & dicteriis sibi victum aucupabantur. Quia autem scenatici homines, quos Βιολόγους vocant Græci, dicteria funditabant ad risum spectatoribus tollendum, propterea factum, vt Mimi Scurræ, & vrbani vocarentur. Iuuenalis: —— *mimum agis ille*

Vrbani qualem facundus scurra Catulli.

Prudentius: *Dum scurra saltas fabulam.* Et mimum scurram Iuuenalis vocat, & vrbanum mimographum ipsum Catullum. quem aliter vrbicum Martialis poëta, vrbicarium Fulgentius. Hinc quum idem Iuuenalis dixit *Trascurria patritiorum*, palam est eum intelligere ad scurras, hoc est, ad orchestram patritios transiisse. Male enim hodie legunt *Triscurria*. cui ineptum quoque interpretamentum apponunt.

AVT *si quid hac re tritius.*] Suspicor Catullum scripsisse: *Aut si quid hoc retritius videbatur.* Retritum παλαιότριβης. Metaphora à veteribus & obsoletis vestimentis. Itaq. & huiusmodi homines Græci τρίβωνας vocant, quasi retrita pallia.

Ad Furium XXIII.

FVRI, cui neque seruus est, neq; arca,
Nec cimex, nec araneus, nec ignis,
Verùm est & pater, & nouerca, quorum
Dentes, vel silicem comesse possunt;
Est pulchrè tibi cum tuo parente,
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum bene nam valetis omnes.
Pulcrè concoquitis: nihil timetis:
A *Non incendia, non graues ruinas,*
Non facta impia, non dolos veneni;
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora ficciora cornu,
Aut, si quid magis aridum est, habetis,
Sole, & frigore, & esuritione.
Quare non tibi sit bene, ac beatè?
A te sudor abest, abest saliua,
Mucúsque, & mala pituita nasi.
B *Hanc ad munditiem adde mundiorem,*
Quod culus tibi purior salillo est,
Nec toto decies cacas in anno:
Atque id durius est faba, & lapillis:
Quod tu si manibus teras, fricésque,
Non vnquam digitum inquinare possis.
Hæc tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere, nec putare parui.
Et sestertia quæ soles, precari
C *Centum desine: nam sat es beatus.*

ANTONIVS PARTHENIVS.

FVRI, *cui neque seruus est, neque arca.*] Miserrimam egestatem Furio iocose obiiciens, facete contendit eum in pauperiem multis commodis instructum esse: ideo monet ne à Catullo multa sestertia precibus exposcat.

FVRI *cui neque.*] ordo est, Furi est tibi pulchre cum tuo parente: id est pulchre vales cum parentibus tuis.

CVI *neque seruus est nec arca.*] qui caret seruo, D pauper est: at cui nihil domi sit, egenus est.

ARCA.] loculus pecuniarum. Iuuenalis,

—— *posita sed luditur arca.*

Item alibi,

Interdúmque aliena sumitur arca.

Martialis,

Calidus effracta nummos fur auferet arca.

CIMEX.] lectus. contentum pro continenti. Sic Mart. in x.

Nec toga, nec focus est nec tritus cimice lectus:
Nec tibi de bibula sarta palude teges. Et alibi,
Sed si nec focus est, nec vilis sponda grabati.

QVORVM *dentes comesse possunt silicem.*] E Hyperbole ad summam famem demonstrandum.

LIGNEA.] arida quale lignum est.

PVLCHRE *concoquitis.*] quia parum comeditis citissime digeritis cibum: nimius enim cibus est indigestionis causa: vt Iuuenalis,

— *& crudum pauonem in balnea portas.*

NIHIL *timetis.*] quia nihil boni amittere potestis: nam vobis nihil domi est.

FACTA IMPIA.] veneficia cognatorum aut affinium: impias ob hæreditatem insidias.

SICCIORA *cornu.*] ob famē atque perpetuā

inediam: ordo est, habetis corpora cornu ficciora ob frigus, solem & esuritionem.

Svdor, *saliua, muccus.*] hæc omnia ex ciborum superfluitate proueniunt.

Nec *toto decies cacas in anno.*] vnum sequitur ex reliquo, nam qui nõ comedit nec cacat quidẽ.

Cvlvs *purior salillo.*] hinc Martialis,

—— neque enim est culus qui non cacat olim.

Desine.] subaudi iterum precari.

PALLADIVS FVSCVS.

Fvri *cui neque.*] Versus est hendecasyllabus. Monet Furium Catullus vt centum sestertia à diis petere designat, quia pauper, immò inops vacat multis incommodis, quibus si diues fieret non vacaret.

Neqve *arca.*] Arca est repositorium pecuniarum, ab arcendo dicta, vt quibusdam placet, quod furum manus arceat. Martialis,

Callidus effracta nummos fur auferet arca:
Prosternet patrios impia flamma lares.

Neqve *cimex.*] neque araneus, neque lectus, neq. domus. contentum pro continenti. Cimex autem & Araneus inter insecta connumerantur, de quibus Aristo. & Plini. multa.

Vel *silicem.*] adeo esuriunt.

Lignea.] propter maciem & nimiam corporis siccitatem.

Nihil *timetis.*] quia nihil est vobis quod amittere possitis.

Facta *impia.*] impiorum hominum maleficia.

Dolos *veneni.*] quod quis det, vt vobis pariter sublatis, bona vestra protinus inuadat.

Atqvi.] hinc poëta, ironicè tamen, Furij commoda commemorare incipit.

Sole *& frigore & esuritione.*] his enim tribus humana corpora in maximam siccitatem adducuntur.

Svdor *abest.*] nunquam sudas.

Saliva.] sputum, dicta quod salis habeat saporem.

Mvcvs.] narium humiditas: à quo mucidus, & mucosus deriuantur.

Pitvita.] quæ à Græcis flegma vocatur.

Salillo.] in quo sal seruatur, cuius natura est per se ignea, & ignibus inimica, eos fugiens, omnia erodens, corpora verò astringens, siccans, alligans. defuncta autem ac putrescentia vendicans, vt durent ea per secula.

Nec *toto decies cacas in anno.*] Qui enim raro & parum comedit, is rarius excernat est necesse.

Inqvinare.] fœdare.

Hæc *tu commoda.*] quod nec sudas, nec emungeris, quodque rarissime cacas.

Sestertia *quæ soles precari Centum desine.*] Hæc summa apud Romanos & magna & honesta habebatur: vt pote quam multi voto & precibus peterent. Sane sestertium ex dipondio & semisse constabat. Plinius lib. xxxiii. *Et placuit denarius pro x. libris, quinarius pro quinque, sestertium pro dipondio & semisse.* dipondium autẽ libras duas cõtinebat, semis vero dimidiũ libre vnius. Quod vt veteres indicarent sestertiũ per notas scribentes tris tantum literas faciebant II. duplicatum, & S. quas postea ducta per medium virgula, colligabant hoc quidem modo H-S.

ACHILLES STATIVS.

Fvri, *cui neque seruus est, neque arca.*] Idem post, *Isti, cui neque seruus est, nec arca.* Hæc autem omnia sunt egestatis argumenta. Sic Lucil. apud Non. in verbo Bulga.

Cui neque iumentum est, nec seruus, nec comes vllus.

Et Cato apud Gell. in xiii. cap. xxii. *Neque mihi ædificatio, neque vasum, neque vestimentum vllum*
B *est in manu pretiosum, neque pretiosus seruus, neque ancilla. Si quid est, quo vtar, vtor. si non est, ego sum, cui per me vti ac frui licet.* Erat autem in manuscriptis,

Furi, cui neque serno, neque arca.

quod scriptum forte veteri in libro fuisset, *Seruos est.*

Neqve *arca,*] Titinius apud Festum in verbo Succerda. *Quid habes nisi vnam arcam sine claui, eo condis succerdas.*

Dentes *vel silicem comesse possent.*] Comesse, non Comedere, fere dicebant. Fauorinus apud Gell. de cena lauta. *Qui negant vllam auem, præter*
C *Ficedulam, totam comesse oportere.*

Est *pulchre tibi cum tuo parente.*] idem post,

Pulchre conuenit, improbus cinædis.

Et *cum coniuge lignea parentis.*] Ligneam dicit, tenuem. Admonitus sum à Fuluio Vrsino meo, sic tenues etiam Græcis dici. apud Athenæum enim legerat Alexidis illud,

Ἀπροσίτωροι, τὸ δ᾽ ἄλλο σῶμα ἀπέξυλον.

Græci eodem modo graciles, ac macilentos Κανάβους vocant. à ligno scilicet, ad quod certæ finguntur imagines. Lucret. in iiii.

—— *Neruosa & lignea dorcas.* Terentius, *Puellas curatura iunceas reddi*, dixit, id est tenues.

D Nec *mirum.*] Eodem modo post,

Nec mirum maculæ pares vtrisque.

Vtrumq. enim poëma eodẽ versatur in genere.

Pvlchre *concoquitis.*] Id est bene. Cato de re rust. *Farinam in mortarium indito, aqua paulatim addito, subigitóque pulchre. vbi bene subegeris, defingito. Pulchre concoquitis:* cibum scilicet. Varro in iii. de re rust. *Bis die cibum dant, obseruantes ex quibusdam signis, vt prior sit concoctus.*

Atqvi *corpora ficciora cornu.*] In duobus libris Maffei scilicet, ac meo legebatur, *Aut qui*, legendum puto ad sententiã aptius, *Vt qui.* Cornu quoque comparat tenuissimam puellam au-
E ctor Lusus in Priapum. quod quia totum huius est poëma sententiæ, ponam.

Vtis aridior puella passis,
Buxo pallidior, nouáque cera,
Collata sibi quæ suísque membris,
Formicas facit altiles videri.
Cuius viscera non aperta Tuscus
Per pellem poterit videre haruspex.
Quæ succo caret vt putrísque pumex,
Nemo viderit hanc vt exspuentem,
Quam pro sanguine puluerem scobémque
In venis medici putant habere.
Ad me nocte solet venire, & adfert

Pallorem, maciémque larualem.
Ductor ferreus insularis aque
Laterna videor fricare carnu.

PVRIOR *salillo.*] Vt Salillum purum Catullus, & Horat. & Mortarium purum Cato de re rustica dixit, *Alicam in aquam fundito, vbi mollis erit, in mortarium purum indito.*

ET *sestertia, quæ soles precari Centum desine.*] Ego vero sic distinguo, *Et sestertia, quæ soles, precari centum desine.*

NAM *sat es beatus.*] In omnibus manuscriptis, *Satis beatus.* sed illud rectius.

M. ANT. MVRETVS.

FVRI *cui neque.*] iratus Furio Pisaurensi, quod is Iuuentio puero, quem ipse diligebat, stuprum obtulisset, paupertatem illius salsissimo iucundissimóque versu insectatur.

NEQVE *seruus.*] talem quempiam describit Lucillius his versibus, qui sunt apud Nonium,

Cui neque inuentum est, nec seruus, nec comes vllus.
Bulgã, & quidquid habet nummorũ, secum habet ipse:
Cum bulga cœnat, dormit, lauit: omnis in vna
Spes hominis bulga: hac deuincta est cætera vita.

NEC *cimex, nec araneus.*] facete, vt omnia deesse dicat: ea quoque deesse dicit, quæ vsum nullum habent, quæq. non habere potius quilibet, quàm habere, præoptet sibi.

NEC *ignis.*] summam paupertatem notat. quippe & Tibullus, cùm paupertatem à se non deprecetur, hanc tamen exceptionem adhibet, vt sibi focus perpetuo luceat.

Me (inquit) *mea paupertas vitæ traducat inerti;*
Dum meus assiduo luceat igne focus.

In ædibus quoque senis illius Plautini, qui in summis opibus summa inopia laborabat, tamen ignis fuisse dicitur, sed quem ipse abiens extingui imperat: & vero quoniam locus ipse Plauti, vbi hoc agitur, deprauatus est, neque adhuc à quoquam, quod sciam, animaduersus; dabunt mihi, opinor, lectores hanc veniam, vt, paulisper digrediens à re proposita, auctori optimo opis aliquid afferam. locus igitur in impressis libris sic habet,

Caue quenquam alienum in adeis intromiseris.
ST. Quid si quispiam ignẽ quærit? Eu. extingui volo;
Ne caussæ quid sit quo te quisquam quæritet.
Nam, si ignis viuet, tu extinguere extemplo.

at in calamo notatis hæc omnia continenter ab Euclione dicuntur, multo sane rectius.

Caue quenquam alienum in ædis intromiseris.
Quod quispiam ignem quærat, extingui volo,
Ne caussæ quid sit, cur te quisquam quæritet.
Nam, si ignis viuet, tu extinguere ex tempulo.

Occasionem vero præfidentibus hominibus deprauandi loci dedit ignorata vis particulæ *quod,* quia hic senex indicat, si quis, vt inter vicinos assolet ignem quærere se dicat, nihilo magis ea de caussa, velle ipsum intromitti, imo velle etiã ignem extingui, vt omnis eiusmodi tollatur occasio. atque hoc non tam verbis exprimi, quàm prolatis exemplis patefieri potest. Plautus ipse Asinaria.

Alienum hominem intromittat ad se neminem.
Quod ila aut amicum eum, aut patronum nominet,
Aut quod ila amica amatorem esse prædicet,
Fores occlusæ sint omnibus, nisi tibi.

& vno versu interiecto,

Aut quod ila dicat peregre allatam epistulam,
Ne epistula quidem sit vlla in ædibus.

Idem Milite, qui etiam locus in impressis deprauatus est.

Quenq; à milite hic videritis hominẽ in nostris tegulis,
Extra vnum Palæstrionem, hunc deturbatote in viã.
Quod ille gallinam aut columbam se sectari, aut simiã
Dicat, perijstis, nisi vsque ad mortem multatis male.

Ouidius quoque eodem modo locutus videtur,

Illa quod est virgo, quod tela cupidinis odit,
Multa dedit multis vulnera, multa dabit.

Et quidam in Priapeiis,

Quod sim ligneus, vt vides, Priapus,
Et falx lignea, ligneusque penis,
Prendam te tamen, & tenebo prensam.

ita enim & in veterib. & in Gryphianis legitur.

EST *pulchre tibi.*] pulchrum nonnunquam valet beatum. Cicero pro Murena, *Prætor quoque ne se pulchrum ac beatum putaret.* Idem de natura deorum, *Propone ante oculos deum nihil aliud in omni æternitate cogitantem, nisi, mihi pulchre est, & ego sum beatus, &c.*

SOLE, *& frigore, & esuritione.*] sol exsiccat, frigus contrahit, esuritio extenuat.

PITVITA.] diæresis, vt cùm siluam tribus syllabis dicimus: nam pituita naturaliter trisyllabum est. Horatius,

Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

PVRIOR *salillo.*] summam veteres puritatem tribuebant sali. Ouidius,

Mica salis puri pacificabat heros. Idem,
Far erat & puri lucida mica salis. Horatius,
——purum & sine labe salinum. Idem,
——cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

ET *sestertia.*] scio Budæum reprehensum esse à multis, quod sestertia & sestertios distinxisset, tradidissetque singula sestertia valere mille sestertiis nummis. at ego eos, qui sestertia & sestertios pro eodem accipiunt, longe ipsos errare arbitror. nam quis tandem credat, Furium hunc non plus sibi optare solitum à diis, quàm centum sestertios? multo vero diuitior fuisset, si monetæ nostræ tres aureos nummos. aut paulo amplius habuisset. infra quoque, in epigrammate,

Aut sodes mihi redde decem sestertia Silo.

credimus, poetam, si decem modo ei sestertios, id est aurei nummi minus tertiam partem, dedisset, tantillæ pecuniæ rationem habiturum fuisse? quid apud Horat. vbi Philippus Vulteio.

Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet, vti mercetur agellum:

qualem tandem illum agellum fuisse dicemus? nempe minorem eo, de quo est apud Martialem,

Donasti Lupe rus sub vrbe nobis:
Sed rus est mihi maius in fenestra:

& eo de quo Cicero,

Fundum Varro vocas, quem possim mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

certe enim talem fuisse oportet: cuius pretium essent quatuordecim sestertij.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

FVRI, *quoi neque seruus est, neque arca.*] Iuuenal.

—— quantum ferrata distet ab arca
Sacculus. —— Idem, — *posita sed luditur arca.*

Cicero Pæto: *Nos iam ex arcis tantum habemus, vt Verrium tuum, & Camillum, qua munditia homines? vocare sæpius audeamus.*

Ad Iuuentitium puerum XXIIII.

O QVI flosculus es Iuuentiorum,
Non aurum modò, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis,
Mallem delicias mihi dedisses;
Quàm isti, cui neq; seruus est, nec arca:
Quàm sic te sineres ab isto amari.
Qui? non est homo bellus. inquies? est:
Sed bello huic neq; seruus est, neque arca.
Hæc tu, quàm lubet, abice, eleuáque.
Nec seruum tamē ille habet, neq. arcam.

ANTONIVS PARTHENIVS.

O QVI *flosculus es Iuuenciorum.*] Iuuencium puerum alloquitur: increpans eum, quod Furio pauperculo amoris delicias dederit: ô, admirantis est interiectio.

QVI.] qualis.

FLOSCVLVS.] pulchritudo.

IVVENCIORVM.] Iuuencij nobilis Romæ familia fuit. cuius Liuius & Plinius meminerunt. Ad eundum infra scribit sic, *mellitos oculos tuos Iuuenci: Si quis me finat vsque basiare.*

ARCA.] pecuniarum loculus.

DELICIAS.] amorum suauitates: puto, amplexus & oscula: nam de eodem alibi dicit, *Si quis me finat vsque basiare Vsque ad millia basiem trecenta.*

BELLVS.] pulcher. Martialis,

Bellus homo inflexos qui dirigit ordine crines:

HOC.] scilicet quod Bellus homo sit.

OBIICE.] mihi te reprehendenti oppone ad tuam excusationem: aliter legitur *abiice*, id est contemne & deprime: vnde abiectus dicitur vilis contemptus. vel hoc s. quod dico.

NEQVE *est huic seruus neque arca.*] aut paruifacias aut magnifacias vt lubet non curo.

ELEVA.] verbis extolle: pro tua defensione.

TAMEN.] quamuis Bellus sit, tamen pauperrimus est.

PALLADIVS FVSCVS.

O QVI *flosculus es.*] Versus est eius generis cuius est superior. Cōqueritur poëta, quod puer quem ipse vnicè amabat, Furio omnium pauperrimo se indulserit.

MALLEM.] magis vellem.

DELITIAS.] oblectamenta.

A QVAM *isti.*] Furio.

QVI *non est homo.*] vide Catulli insolentiam, qui negat pauperem esse hominem.

BELLVS,] pulcher. diminutiuum à bono.

OBIICE.] oppone.

ELEVA.] attolle: vt dicas bellus est.

NEC *seruum tamen.*] nunquam inquit efficies, vt iste tuus Furius non sit pauperrimus.

ACHILLES STATIVS.

O QVI *flosculus es Iuuentilorum.*] In manuscriptis omnibus est, *Iuuentiorum.* quod est
B etiam ab aliis iampridem animaduersum. sed, id quoque confirmari scriptorum librorum testimoniis, dicere volui. Flosculum vero dixit, illius præstantiam, atque excellentiam formæ significans. Sic idem alibi,

Flos Veronensium depereunt iuuenum.

Plautus quoque in Casina, excellentes poëtas intelligens, dixit,

Ea tempestate flos poetarum fuit. Et Theocritus,

[illegible]

Et sæpe Pindarus ἄωτον [illegible] sic dicit.

MALLEM *delicias mihi dedisses, Quam isti, cui neque seruus est, nec arca.*] In manuscriptis omni-
C bus erat, *Mallem diuitias mihi dedisses,*

Isti, cui neque seruus est, nec arca.

Ea sane sententia. Mallem, inquit, tu homini diuitias egenti dares, quā paterere ab illo te amari. nā, Mihi, sic nonnunquā ponunt scriptores, cum suum id esse consiliū significant, & iudiciū interponunt suum. duriusculum tamen hoc loco sic positum videatur. sed aptius nihil in mentem veniebat. inconcinne enim Quam, particulam repeteret, & sententia esset ipsa sane inelegantior. sin hoc non probatur, vidēdum etiam, atq; etiam mendose ne legatur hic versus.

QVAM *sic te sineres ab isto amari.*] In manu-
D scriptis omnibus, non *ab isto*, sed *ab illo.* quod est ei, quam dixi, sententiæ aptissimum.

QVI *non est homo.*] legendum puto, ac dispungendum hoc modo,

Cui non est. homo bellus, inquies est.

Bellum vero hominem dicebant elegantem, atque vrbanum. Sic Cic. in VII. ep. ad Trebat. *Ego, si foris cenitarem, Cn. Octauio familiari tuo non defuissem, cui tamen dixi, cum me aliquotiens inuitaret, Quis tu es. sed mercules, extra iocum, homo bellus est.* Et in I. ad Att. *Durius accipere hoc mihi visus est, quam vellem, & quam homines belli solent.*

HÆC *tu quamlibet abice, eleuaque.*] In manu-
E scriptis omnibus, *hoc* non *hæc.*

M. ANT. MVRETVS.

O QVI *flosculus.*] conqueritur cum Iuuentio, quod Furium, mendicum penè hominem, potissimum elegerit, cui florem ætatis suæ fruendum daret. Idem argumentum est epigrammatis alternis imparibus numeris facti, cuius principium est, *Nemo ne in tanto potuit populo esse Iuuenti.* Porro hoc cōmune vitium esse puerorum omnium, qui sibi conscij sunt alicuius elegantiæ, vt ex amatoribus suis vilissimum fere quenque &

abiectissimum amplexentur, ex Aristophanis equitibus annotat amœnissimi homo ingenij, eruditionisque summæ, Petrus Victorius Variarum lectionum lib. xxii. cap. xi. vbi multa disserit, quæ valde pertinent ad percipiendam huius carminis venustatem. A

FLOSCVLVS.] Præcipuũ Iuuentiæ familiæ ornamentũ. Quod in quaq; re pulcherrimum, purissimúmque est, id floris nomine indicatur. sic Theocritus Hyla, Argonautas vocauit diuinum heroum florem. sic honestissimus ille adolescens, qui amatorios diuini Platonis versus diuine interpretatus est, puriorem illam animæ partem, quæ basiando attrahitur, florem spiritus nominat. B

Dum semihulco suauio
Meum puellum suauior,
Dulcémque florem spiritus
Duco ex aperto tramite.

sic Plautina quædam vetula generosum vinum, florem Liberi vocat. sic ab Ennio Cethegus elegantissime dictus est

Flos inlibatus populi, suadaque medulla.

Simonides in epigrammate quo Sophoclem laudat, Ἐσβέσθης γεραιὲ Σοφόκλεες, ἄνθος ἀοιδῶν.
Plautus Casina, *Ea tempestate flos poetarum fuit.*
Lucanus, *Tunc flos Hesperiæ, Latij tum sola iuuentus* C
Concidit. Catullus infra,
Ego Gymnasi fui flos, ego eram decus olei.
Et alibi, *Flos Veronensum depereunt iuuenum.*
sed & apud Ciceronem sæpissime.

MALLEM *delicias mihi dedisses, Quam isti.*] hoc vel iniurato facile credi potest. Terentius,

Verum illud verbum est, volgo quod dici solet,
Omnes sibi melius malle esse, quàm alteri.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

MALLEM *delitias mihi dedisses.*] Longe aliter concepta est vetus scriptura, atq; meo iudicio, melius & concinnius: D

Mallem diuitias mihi dedisses
Isti, quoi neque seruus est, neque arca,
Quam sic te sineres ab illo amari.

τὸ *Mihi* autem Attice περισσὸν, & ad aliam personam pertinet. Sic apud Euripidem Andromacha: τί σοι θεῶν καταφεύξομαι; Clarius in Helena: τί σοι ἀφθέγκτω δίνη τοῦ πόσιος. Quod eodem prope modo dictum est, atque hic. diuitias potius conuenire Furio, quàm delitias, cur dicat, non est pluribus disputandum: siquidem constat ipsum egentissimum fuisse, cui neque seruus fuerit, neque arca. E

CVI *non est.*] Inepta lectio. vetus, *Qui non est.* Lege ergo, *Qui? non est homo bellus, inquies? est.*
Sed bello huic neq; seruus est, neque arca.
Quis dubitat hæc meliora esse, quã illa vulgata?

Ad Thallum XXV.

Cinæde Thalle, mollior cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel imula oricilla,
Vel pene languido senis, sitúq. araneoso;
Idéq; Thalle turbida rapacior procella,
Cùm diua mulier alites ostẽdit occinẽtes;
Remitte palliũ mihi meũ, quod inuolasti,
Sudariúmque Setabum, catagraphósque Thynos,
Inepte, quæ palam soles habere tanquam auita:
Quæ nunc tuis ab vnguibus reglutina, & remitte:
Ne laneũ latusculũ, natésq; mollicellas
Inusta turpiter tibi flagella conscribillẽt,
Et insolẽter æstues, velut minuta magno
Deprensa nauis in mari, vesaniente vẽto.

ANT. PARTHENIVS.

CINÆDE *Thalle mollior cuniculi capillo.*] Septenarius est versus, qui fit, cùm Iambico trimetro additur pes amphibrachus. Thallum impudicum adolescentem monet, vt sibi Catullo remittat pallium & sudarium, quæ furto subtracta pro suis vsurpat, atque ostentat: quæ nisi reddat, poëta flagra Thallo minitatur.

MOLLIOR.] tenerior: hinc Virgilius in obscœno carmine sumpsit:

Quidam mollior anseris medulla

CAPILLO.] pilo. Sic Persius:

Iam liber & bicolor positis membrana capillis.

HINNVLA.] pelle hinnuli, qui vt Varro & Plinius tradunt, ex equo & asina nascitur: sed vt Solinus scribit, hinnulus est cerui pullus, quod melius cum Catulli verbis facit. Igitur hinnula id est pelle hinnuli pulli ceruini. hinnula item herba est, quæ datur stomachis fastidiosis: Horatius, *atque acidas mauult hinnulas.*

MOLLICELLA.] mollis facit diminutiua molliculus & inde mollicellus.

SITV *araneoso.*] id est mollior & tenerior situ & lanugine aranearum.

RAPACIOR.] furacior, & maior raptor.

TVRBIDA.] tempestuosa.

QVVM *diua mulier aues ostendit oscitantes.*] rapacior quam turbida procella sit, quum Tethys diua, hoc est mare, tempestatem facit: nam tunc rapax procella pronunciatur à quibusdam auibus, quas alij alcyones intelligunt: hæ enim aues vt scribit Plinius in vergiliarum occasu, qui cum hædis tempestuosus est, apparent: fœtificant autem bruma: qui dies Alcyonides vocantur. faciũt septem ante brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt, quibus omnibus maris tranquillitas est, vt indicat hic Theocriti versus,

Χ' ἁλκυόνες στορεσεῦντι τὰ κύματα τάν τε θάλασσαν.

partis autem &iam hiantibus pullis statim insequitur vehemens maris procella. Ergo quãtum ad hasce alcyones exponatur.

QVVM *mulier dia.*] id est alcyon, quæ fuit mulier. dia id est generosa, vt *dia Camilla*, & Homerus, Δῖος Ἀχιλλεύς, id est generosus Achilles.

OSTENDIT.] demonstrauit: nam septem post brumam diebus partis pullis discedunt, &

continuo sequitur procella rapax.

AVES.] pullos suos.

OSCITANTES.] proprium est pullorum escam appetentium: dicitur autem oscito & oscitor in eodem significato: Ego vero potius sentirem hoc dictum de fulicis, quæ, vt scribit Plinius, clangore suo, qui sine oscitatione non fit, ventum prænunciant, & tunc dicatur Dia mulier Tethys.

AVES *oscitantes.*] fulicas oscitatione clangorem edentes.

INVOLASTI.] furatus es à vola manus parte. alibi inuolare est irruere, inuadere. Conuolate in aliquem à volando dictum. Plautus in Amphytrione, *Cum clamore inuolant impetu alacri.*

SETABVM.] Hispanum à Setabi vrbe vt dictum est superius.

CATAGRAPHÓNQVE *linum.*] id est linteũ variis filis inscriptum: vt Iuuenalis,

——*inscriptáque lintea vendit.*

καταγράφω est inscribo.

REGLVTINA.] gluten Latinè, Græcè chola. inde glutino, coniungo: reglutino, separo, disjungo.

INVSTA.] inflicta.

CONSCRIBILLENT.] vibicibus insigniãt & depingant, aut lacerent, vt

——*versa puluis inscribitur hasta.* Plautus, *Corpus tuum virgis vlmeis inscribam.* & Catullus alibi, *Frontem tabernæ scipionibus scribam.*

VELVTI.] amat Catullus in carminum conclusionibus similitudines, & comparationes facere.

MINVTA.] parua, vt Cymba.

INSOLENTER.] inusitate, præter solitum.

ÆSTVES.] commoueris vt maris æstus.

PALLADIVS FVSCVS.

CYNÆDE *Thalle.*] Versus est iambicus septenarius. Sed septimus quisq; pes, est amphibrachus. Monet Thallum Cynedum, vt sibi remittat quæ surripuit, pallium scilicet & sudarium: quod nisi fecerit, fœdè vapulabit.

CVNICVLI.] genus est leporis. sed hic Plinium audire non pigeat ita scribentem, *leporum generis sunt & quos Hispania cuniculos appellat: fecunditatis innumeræ famémq. Balearibus insulis, populatis earum messibus afferentes: fœtus ventre exectos, aut vberibus ablatos, nonq́ repurgatis interaneis, gratissimo in cibatu habent, laurices vocant.*

CAPILLO.] pilo, quem tactu mollissimum esse constat.

VEL *Anseris medullula.*] Ouidius in obscœno carmine; *Quid:m mollior anseris medulla Furatum venit huc amore pœna.*

HINNVLA *molicella.*] Hinnuli sunt ceruorum filij, quorum pelles albis maculis distinctæ, nebrides vocantur.

PENE *languido.*] languida senis mentula.

SITVQVE *araneoso.*] telis quas texunt araneæ ad capiendas muscas.

TVRBIDA *rapacior procella.*] assimilat hominem furacem fœdæ tempestati, quæ in agris sæuiens omnia rapit. est enim procella vis ventorum cum pluuia, dicta ab eo quod cuncta procellat.

AVES *ostendis oscitantes.*] legendum est vt nos emendauimus occinentes. *Aues enim quædam*, vt scribit Plinius lib. XVIII. *continuo clangore intempestiuæ futuras tempestates prænunciare creduntur.* vt dicat Catullus Thallum esse rapaciorem turbida tempestate, quam aues intempestiuis cantibus pronunciant. Sed quia quæri potest, cur nobilis poëta dixerit, diua mulier, Iccirco illud addam, eam circa cantus auium obseruationem esse potissimum fœminarum, vt diua pro diuina accipiatur.

QVOD *inuolasti.*] quod surripuisti, à vola quæ est media pars manus.

CATAGRAPHONQVE *linon.*] quodam texturæ genere inscriptum. de huiusmodi linteis videtur intelligere Iuuenal. cùm ait,

——*Damasippus ad illos*
Thermarum calices inscriptáque lintea vadit.

TANQVAM *auita.*] ab auo tibi relicta.

REGLVTINA.] disiunge. fures enim manus nunc glutino, nunc pice inquinatas habere dicũtur. Martialis, *Non fuit Autolici tam piccata manus.*

LANEVM.] molle à lana.

INVSTA.] emendo iniecta.

FLAGELLA.] quæ sunt summæ arborum partes.

CONSCRIBILLENT.] signent vel pingant. Inscribo enim & conscribo nonnunquam significant pingere. Plautus,

——*corpus tuum virgis inscribam.*

INSOLENTER.] præter solitum.

ÆSTVES.] iacteris ab æstu: quæ vox significat præter solis & æstiui temporis fragrantiam, maris etiam commotionem. Lucretius lib. IIII. *Frigus vt à pluuiis, calor à sole, æstus ab vndis aquoris.* & Plautus in Asinaria:

Quo magis te in altum capessis: æstus te in portũ refert. est autem translatio à nauigantibus, qui mari vndicante, modo in hanc, modo in illam partem iactantur.

ACHILLES STATIVS.

VEL *anseris medullula, vel inula molicella.*] In manuscriptis omnibus erat,

Vel anseris medulla, vel inula moricula.

& emendatum in nonnullis *Moricilla.* Ego coniecturam faciebam legendum,

Vel anseris medullula, vel inula amaricilla.

Inulam enim amaram esse, Plin. docet in XIX. *Breuior*, inquit, *his est, sed torosior, amariórque inula per se stomacho inimicissima.* Etenim verbum scriptę lectioni nullũ hoc propius inueniri potest. Quod si quis inusitatum dicat, sciat apud Catullum esse etiam quæ sic noua dici possint quod apud alios non reperiantur. Versus autem procedit ipse, & tribrachus par iambo eius loco rectè ponitur.

VEL *pene languido senis.*] Retrito rutabulo, vt dixit Næuius apud Festum in verbo *Rutabulum.* *Næuius*, inquit Festus, *obscenam viri partem describens, vel quæ sperat se nupturam viro adulescentulo, ea licet senile tractet retritum rutabulum.*

SITVQVE *araneoso.*] situ ipso araneoso nihil mollius, facillimeque omnium cedit ponderi.

CVM *diua mater alites ostendit occinentes.*] In manuscriptis sic legitur hic versus,

Cum diua mulier aues ostendit oscitantes: In aliis,

Cum diua mulier alios ostendit oscitantes.

Videndum autem, an Diua mulier ab eo dicatur Iuno, quæ præest aëri, cuius in primis aues mutationem sentiunt. qua de re multa Aratus, multa Vergil. in I. Georg. Mulier verò Iuno sic ab eo dicatur: vt ab Horatio, atque aliis eadem Matrona dicitur. Faërnus de verbo Oscitantes, siue occinentes, faciebat Oscinentes. quod scilicet Oscines aues dicerentur, quæ voce augurium facerent. Quomodo Horatius in III. Carm.

Oscinem coruum dixit. —— Itaque legendus sic forte sit hic versus,

Cum diua mulier alites ostendit oscinentes.

REMITTE *pallium mihi meum, quod inuolasti.*] Inuolare, furari dicebant. Cornelius Fronto, de nominum, verborúmque differentiis, *Furtim, & furaciter, & furtiue. furtim cùm incipit, furaciter quasi artificiosè, à consuetudine inuolandi.*

CATAGRAPHÓSQVE *Thynnos.*] Thynnos in sudario ποικιλτικῶς acu pictos fuisse significat, vt ποικιλτικῶς aulæis Britannos intextos Vergil. ostendit in III. Georg.

Purpurea intexti tollunt, aulæa Britanni.

Καταγράφειν enim est vnguibus, & manibus quasi scribere, quo verbo Homerus vtitur,

Ἔγραψε δὲ χεῖρα καλήν. Et Herodotus de partu leænæ vtitur apud Gellium in XIII. cap. VII. de fetu namque leænæ scribit, Ὁ δὲ ἔχων ὄνυχας θηρίων πολλὸν πάντων ὀξυτάτους, ἀμύσσει τὰς μήτρας, αὐξανόμενός τε δὴ πολλῷ μᾶλλον ἐσικνέεται καταγράφων. Et Theophrast. in II. Πλείω ἐστὶ τὰ ὅλοις ἐπεστιγμένα ποικίλως, ὥσπερ ἐγγεγραμμένα Sed hæc exempla magis ad ostendendam verbi Scribo significationem fortasse pertinent, quo statim vtitur,

Inusta turpiter tibi flagella conscribillent.

Plinius in XXXV. Κατάγραφα, vt est quibusdam in libris vt in aliis, καταγλυφα, obliquas imagines interpretatur. *Quique inuenta, inquit, eius excolueris, Cimonem Cleonæum.* Hic Κατάγραφα, inuenit, hoc est obliquas imagines. Viderint alij, vtrum in Plinio magis probent. Hoc è genere videtur esse, quod adducit Iulius Pollux in V. è Sophocle. Καὶ πορνεία δὲ παρ' Ὑπερείδῃ ἐστὶν ἐν τοῖς κύναξι. καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν τῷ Ἰωνικῷ λέγεται. ἀλλὰ καὶ λογχάφορος πωλεία.

INVSTA *turpiter tibi flagella conscribellent.*] sic in manuscriptis, nisi quod pro *Inusta*, vitiose est *Insula*. Extremus vero pes omnino molestus, quod sit is pro iambo spondæus. Mihi verò veniebat in mentem verbi Conserillent, à serillibus facti. quid ea sint, docet Festus.

M. ANT. MVRETVS.

CINÆDE *Thalle.*] rationem horum versuum Diomedis verbis explicabo. Septenarium, ait ille, versum Varro fieri dicit hoc modo. cùm ad iambum trimetrum syllaba, & pes additur, fit tale, *Quid immerentibus noces? quid inuides amicis?* Similis in Terentio,

Nam si remittant quippiam Philumenæ dolores.

A & in Plauto sæpius tales reperiuntur. Sed & apud Græcos, vt

Ὡς ἔδομαι, καὶ πίομαι, καὶ βούλομαι χορβίων.

Citat & tales Nonius ex Varronis satyra quæ inscribitur, ὄνος [illegible].

CINÆDE *Thalle.*] rapacitatem, commune τῶν πορνῶν vitium, in Thallo quodam exagitat.

VEL *anseris medullula.*] imitatus est hoc nescio quis in Priapeiis,

Quidam mollior anseris medulla

Furatum venit huc amore pœnæ.

VEL *hinnula tenella.*] sic supra, tenellulo hœdo delicatiorem puellam dixit.

B CVM *dia mater.*] Tethys videlicet, quæ eadem est cum mari. Mater autē dicitur, quod, ex Thaletis Milesij sententia, principium ceterarum omnium rerum aqua sit. Notum vero est, Platoni quoque primam illam rerum materiam, matrem vocari. Sed & Homerus,

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

& eadem de caussa cecinisse creditur Pindarus Ἄριστον μὲν ὕδωρ.

ALITES.] fulices intelligit, quæ fugientes è mari, cantu suo tempestatem iam iámque imminere indicant. Cicero Prognosticis,

C *Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti*

Nunciat horribiles clamans instare procellas,

Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus.

CATAGRAPHÓNQVE *linum.*] linteum variis figuris notatum: & depictum.

REGLVTINA.] facete: siquidem etiam vulgari ioco furum manus visco esse illitas dicimus.

CONSCRIBILLENT.] aptum omnino est hoc verbum ad sententiam, nam & Plautus virgis dorsum scribere eodem modo dixit: & ipsum siue conscribillandi, siue conscribellandi verbum (vtroque enim modo legitur) antiquum, & Varroni quoque vsitatum esse, ex Nonio con-
D stat sed repugnare videtur syllabæ modus. itaq; alij hoc loco legunt, *Consigillent.* ego interponere me in istam dissensionem non audeo, donec veterem aliquem librum, qui me adiuuet, viderim.

INSOLENTER.] insolens enim & inusitatum erit tibi tam tenero, támque delicato, verberibus cædi.

ÆSTVES.] æstuare dicuntur qui in aliquam difficultatem adducti, neque quid agant, neque quid consilij capiant, sciunt. æstuare etiam est, fluctuum in morem, modo huc, modo illuc agi. Horat. *Aestuat, & vitæ disconuenit ordine toto.* & æstuare, calere. Plautus,

E —— *nunc dum scriblitæ æstuant.*

IANVS DOVSA FIL.

VELVT *minuta magno Deprensa nauis in mari vesaniente vento.*] Quid esset *mare magnum* hoc loco, primus indicauit Pater in Præcidaneis, adductisq; ex Sallustio & Lucretio exemplis cōfirmauit; quibus quid vetat nonnulla adstruere de meo? Ennius Asoto:

Alius in mari vult magno tenere tonsam.

Virgil. Æneid. III.

Continuo venti voluunt mare, magnáq; surgūt Aequora.

Et quidem ad hæc Virgilij verba nihil dicit Seruius, sed ad illud Æneid. v. *dum per mare magnum*

Italiam sequimur fugientem & voluimur vndis.

magnum procellosum interpretatur, quod tamen ei loco minimè conuenit. itaque ea explicatio huc transferenda. Virgilianum porrò versum imitatus est Ausonius in Mosella:

—— magnáque surgunt

Aequora, vicinique timent decrescere montes.

Expressit autem hanc Ausonianam sententiam Constantinus Porphyrogennetes, vbi de mari Ægeo agit: ϗ κύματα μακρὰ ὡς ὄρεσιν εἰκότα ἀνεγείρει τοῖς πλέουσιν. Vnde aptissimè doctissiméque id verbum μακρὰ Moscho apposuit B. Vulcanius:

Ἀλλ᾽ ὅταν ἀχήσῃ πολιὸς βυθὸς, ἁ δὲ θάλασσα

Κυρτὸν ἐπαφρίζῃ, τὰ δὲ κύματα μακρὰ μεμήνῃ.

Quod nos ita putamus Latinè conuerti posse.

At fretum vt infremuit canum spumantibus vndis.

Et magnum insanis surrexit fluctibus æquor.

Idem enim sunt Moscho κύματα μακρὰ quod Virgilio *magna æquora.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

VEL *inula mollicella.*] Morosa lectio, quæ in manuscriptis legitur, hæc portenta verborum nobis peperit. Qui hæc mutarunt, quare saltem vitium in syllaba commissum non animaduerterunt? alij pudentius: *vel binnula tenella.* Sed si liceret nobis hoc modo omnia interpolare, nihil nobis difficile, aut arduum esset. Prisca lectio hæc fuit: *vel inula moricilla.* Vtinam in allis tam facile verum erui posset, vt in hoc loco speramus nos eruisse. Legimus enim *vel imula oricilla.* Prouerbium Latinorum fuit: Auricula infima mollior. Alterum ὑποκοριστικὸν est Auricilla, quod veteres Oricilla dicebant. vnde Celso Oricularius clyster. hoc est ὠτεγχύτης. Imulum pro imo dixit, vt Plautus primulū. Quæ omnia sunt venustatis Catullianæ. Glossæ: *Summa auricula,* ὑπερώϊον. Item *Lamna* λεπίς Quod rectum erat Lamnę. Porro de huius metri genere non disputabo, quum id abunde doceant veteres. Hoc vnum admonebo extare huius generis στίχοι προσοδιακοὶ apud antiquum Grammaticum Marium Plotium Sacerdotem. Est autem eiusmodi Δηλιὰς ὦ ὄρθριος, τὸν γὰρ ὀδυνώμενον δίκης. Qui versus iambis puris cōceptus est, præter quintum pedem: qualis ille: *Quid immerentibus noces? quid inuides puellis?*

QVVM *diua mulier aues.*] Hæc est manuscriptorum lectio, sed vitiosa, vt apparet ex modulis syllabarū. Nam quod alij substituerunt, QVVM DIVA MATER ALITES, audacter fecerunt. Quare eorum licentiam nihil moror. Sed non minore impudentia OSCITANTES in OCCINENTES mutarunt. Alij OCCINENTES in OSCINENTES: quia meminerant in augurali disciplina esse aues, quæ, quod ore auspicium facerent ab eo oscines dictę essent. Sed non aduerterut idē esse occinere, & obscinere: vt ostendere & obstendere. Nam alterum vsitatius, alterum ἀρχαϊκώτερον. Ego quid de hac lectione statuam nihil habeo. Equidem facile persuadeo mihi ex ueteri scriptura vitium natum esse, idque fuisse in exemplari Gallicano. Nam Diua veteres Dei-

A ua scribebant. Itaque librarius Gallicani exemplaris, quum legeret, *Quum de via mulier*, putauit ἀρχαϊκῶς scribendum, *Quum deiua.* At mulier de via, est ἡ τριοδῖτις, quæuis saga. Sic Tibullus puerum è triuiis dixit ἐκ τριόδου. Eiusmodi enim mulieres, aut pueros de sortibus, aut præsagiis consulebant, quæ sibi notæ non essent. Marinæ tempestatis præsensione fugere aues marinas id notum ex prognosticis Arati & Virgilij. Recte autem *oscitantes.* Nam agitatione fluctus id vult accidisse: vnde marina auis Larus semper id facere dicitur. Prouerbium enim est λάρος χάσκει. Sed non dubito quin aues oscitantes ἀντονομαστικῶς Ga-

B uiæ seu Lari ipsi dicantur, qui semper in fluctu degunt, marinam spumam pascentes: sed tempestate in littus eiiciuntur. Itaque mulier saga, quam hic vocat mulierem de via, vt Tragicus dixit, de Circo aruspices, ex eo coniicit tempestatem esse, aut aliud nescio quid. Sane verum est, nisi fallor, quod diximus antonomasian esse, aues oscitantes, hoc est, laros. Nam quum id genus semper in fluctibus versetur, vt spumam depascatur tempestate eiecti in siccum pene fame tabescunt. vnde facile est colligere illis in sicco visis tempestatem in mari esse. Hæc est, nisi fallor, vera mens Catulli, quam alij suis ineptis

C emendationibus totam peruerterant.

CATAGRAPHÓSQVE *thynos.* Aiunt esse scriptorum librorum lectionem. Sed nos in nostro reperimus: *— Cyrographósque thynos.* Quæ lectio multum à vulgata discrepat. Fortasse Chirographos quod proximum vero videtur. Ego scio quid de Catagraphis dicatur. neque aliud scilicet ab illis adfertur, quod à nobis olim adolescentibus animaduersum non fuerit. Proprie Catagrapha sunt opisthographa: vt ex Hipparcho cognoscimus.

MANVSQVE *mollicellas.*] Scio & ferulæ & scuticæ manum solere pueros in scholis porri-

D gere. Sed profecto hoc non vult Catullus neque hæc est proba lectio: quum ita scribendum fuerit: *natisque mollicellas.* Hæc enim recte conueniunt cum latusculo lanceo, vt ipse loquitur. Quia nudi non manus, sed ilia & nates cædi solent.

INVSTA *turpiter.*] Inurere notam recte Latinitas patitur. concedam etiam inurere plagam, & vrere flagris. at inurere flagra ne infimæ quidem vetustatis scriptores vnquam dixerunt. Sed hæc est audacia Hieronymi Auantij, qui ita legit ex prisca lectione, *Insula.* Ego puto inuersum pro, *Inlusa.* Catullus minitatus erat flagra

E puero, quæ ille irridebat. propterea vocat flagra illusa, hoc est derisa ab illo.

CONSCRIBILLENT.] Varro columna Herculis, περὶ δόξης. *Itaque eas in ceram conscribillauit Hercules athleta.* Idem Marcipore: *Astrologi non sunt qui conscribillarunt pingentes cælum.* Sed laborat syllaba antepenultima, inquiunt quidam docti quod sit longa. Itaque vidi, qui legerent *concribillent*, à cribello, sed falluntur. Syllaba enim corripitur.

Ad Furium XXVI.

FVRI, villula nostra non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Fauoni,
Nec saeui Boreae, aut Apeliotae,
Verùm ad millia quindecim, & ducētos.
O ventum horribilem, atq; pestilentem!

ANT. PARTHENIVS.

FVRI *villula vestra non ad Austri.*] ad Furium Bibaculum poëta scribit: sensus autem est, Furi vestra villa non solo vento (vt caeterorum hominū villae agitantur) perturbatur: Sed quindecim millibus & ducentis ventis vexatur.

AVSTRI *flatus.*] tangit quatuor cardinales ventos.

FAVONI.] Zephyri: Lucre.

Et reserata diu genitalibus aura Fauoni.

BOREAE.] Latinè Aquilo dicitur: flat inter exortum aestiuum, & Septentrionem: vt Plinius & Gell. tradunt.

APELIOTAE.] subsolanus Latinè dictus, flat ab exortu aequinoctiali.

QVINDECIM *mi.*] s. ventorum: numerus finitus pro infinito. Loca in qua vndique venti conflant, conflages dicuntur.

HOR.] horrendum, asperum, terribilem.

PESTILENTEM.] augmentum malitiae, nam nullus ventus peior pestilenti est: alius tamen sensus elici potest hoc modo, vt iocans dicat: quum aliae villae aliquo vento infestentur, vestra villa non ob aliquem vētum incommoda est, verū quum ab vrbe distent quindecim millia & ducentos passus, hoc incommodum longinquitatis habetur tanquam horribilis & pestilens ventus.

O VENTVM *hor. at. pest.*] totum hoc iocose dictum est, in incommodam villae longinquitatem, qua defatigabantur illuc ex vrbe secedētes.

PALLADIVS FVSCVS.

FVRI VILLVLA.] Versus est hendecasyllabus. Non conueniunt literati, in huius epigrammatis expositione. Quidam enim eorum dicunt poëtam conqueri, de nimia villae suae ab vrbe distantia: alij quod in villam suam propter vrbis vicinitatem, plurimi ventitent, quos pascere sit necesse. Sed ego illorum accedo sententiae, qui asserunt Catullum habuisse villam, omnibus flatibus expositam: & ideo eum conqueri.

AVSTRI.] Auster ventus est qui flat à Meridie, & à Graecis dicitur Notus quod sit humidus.

FAVONI.] Fauonius item ventus est, qui spirat ab occasu brumali; hunc Graeci Zephyrum nominant.

SAEVI *Boreae.*] qui flat ab ortu solstitiali: Latine dicitur Aquilo à celeritate.

APELIOTAE.] ventus est qui spirat ab ortu aequinoctiali: & à nobis, subsolanus nominatur.

A Sed tu de ventis plura legito apud Aristotelem, Strabonem, Senecam, Plinium, & Aulum Gellium.

AD *quindecim mil.*] supple ventorum.

ET *ducentos.*] s. ventos.

O VENTVM.] exclamatio.

ATQVE *pestilentem.*] corporibus nocentem. Hermolaus Barbarus vir saeculi huius eruditissimus, cuius immaturo obitu literae tum Graecae tum Latinae maximam iacturam fecerunt, in Plinianis castigationibus, hoc epigramma ad verbum ita exponit, *non enim pretium aut sum-* B *ptum id videri: sed aeris alieni summam, quam futurum esset, vt nominibus dissoluendis villa diuenderetur, & quasi licitaturus opponeretur.* quae opinio si placet pro nostra scribendum erit vestra.

ACHILLES STATIVS.

FVRI, *villula nostra non ad Austri.*] Huius loci facetia in verbo. ducitur enim ab ambiguo cuius generis vt belle, & litterate dicta laudantur à Cic. in II. de Orator. *Ingeniosi enim, inquit, videntur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere.* Opponere autem est etiam Op- C pignerare. quo verbo sic accepto vsus est Iuuenalis in Sat. XI. *Lancibus oppositis.* ——
Ex eodem prorsus genere est cum hoc Catulli, illud Bibaculi apud Tranquillum de illustrib. Grāmat. In Catonem. nam vt hic verbo ambiguo Oppono est vsus, sic ille Nodo. est enim apud illum hoc modo.

Catonis modo Galle Tusculanum,
Tota creditor vrbe venditabat.
Mirati sumus vnicum magistrum,
Summum grammaticum, optimum poetam,
Omnis soluere posse quaestiones,
D *Vnum difficile expedire nodum.*
En cor Zenodoti, en iecur Cratetis.

Opponere etiam vento dixit Plinius in XVII. sed idem aliter ac ceteri. A vento dixit opponere, nisi si mendi quid in verbis. *Aquilone, inquit, maxime gaudent, densiores ab afflatu eius laetioresq́; & materiae firmioris.* Qua in re plerique falluntur, cùm in vineis pedamenta non sint à vento eo opponenda, & id tantum à Septentrione seruandum. Sic Verg. in III. Georg.

Et stabula à ventis hiberno opponere Soli.

Quibus ex verbis intellegitur, quid eodem mo- E do locutus Plinius sibi voluerit.

O VENTVM *horribilem atque pestilentem.*] Horat. *-- nec pestilentem sentiet Africum.*

HORRIBILEM.] δυσαῆ, Hom.

Σὺν δ' Εὖρός τ' ἔπεσε Ζέφυρός τε Νότος τε δυσαής.

M. ANT. MVRETVS.

FVRI.] vrget adhuc Furij paupertatem, cuius villulam, quae ei, vt verisimile est, vnica erat, dicit non eo incommodam esse, quod ad huius aut illius venti flatum opposita sit, sed quod omni vento deterius est, quod opposita sit pignori pro tanta pecunia, vt nihil iam sit, cur eam Furius suam dicere debeat. iocatur autem in ambiguitate vocabuli opposita.

VILLVLA *nostra.*] aut legendum *vestra*, aut ex sua persona dicit, quod tamen de Furio intelligi cupit.

AD MILLIA *quindecim & ducenta.*] subaudiendum, H--S.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

VERVM *ad millia quindecim & ducenta.*] vetus scriptura, *& ducentos* rectè. Alioqui immanis nimis fuisset summa illa. neque puto tam copiosum Catullum fuisse. Quindecim millia ducenta sestertia, item quindecim millia ducenti sestertij immane quantū discrepant. Priore summa fiunt denarium millia quadringenta viginti quinque, hoc est, Solatorum aureorum Francicorum millia quinque & triginta, quadringenti sexdecim cum denariis excurrentibus octo. Nam vnum sestertium imputatur in vicenos aureos solatos cum decem denariis excurrentibus. Posterior summa conficit tantum denarios quadringentos viginti quinque, id est, aureos solatos triginta quinque cum quinque denariis excurrentibus. Hęc melius conueniunt villulæ, quam illa immanis summa, cui nullus sacculus par esse potest. De Catulli autem villa intelligendum, non de Furij, quod somniat vir discretus.

Ad puerum suum XXVII.

Minister vetuli puer Falerni
Inger mî calices amariores,
Vt lex Postumiæ iubet magistræ,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos, quò lubet, hinc abite lymphæ,
Vini pernicies, & ad seueros
Migrate: hic merus est Thyonianus.

ANTONIVS PARTHENIVS.

MINISTER *vetuli puer Falerni.*] Ministrum suum hortatur, vt sibi temperet atque porrigat capaciora pocula: imperátque vt à mensis suis aquas maximum hominibus nocumentum excludat.

FALERNI.] nigrum est vinum à Campaniæ agro dictum: Martialis,

Candida nigrescant vetulo cristalla Falerno.

INGER.] porrige: Inger pro ingere legatur per Apocopen vt versus stet Phaleucius.

MI.] pro mihi.

AMARIORES.] fumosiores ipsius vini austeritate, aut asperiores haustu propter amplam capacitatem.

POSTVMIÆ] hæc illis temporibus fuit mulier vinosissima & maxime bibula: quæ compotricibus ac compotoribus suis lege bibendi à se lata, tam grandia indicebat pocula: vt amarum ac difficile cuique foret, illa vno haustu ebibere.

EBRIOSA *ac. ebriosio.* hic versus corrupte, ac per quam vitiose legitur in omnibus fere codicibus: sed elegantissima A. Gellij enarratione emendetur in hanc formulam: vt ebriosa acina genere fœminino casu ablatiuo legatur, quamquam alias acinum neutro genere profertur: acinum enim totum vini plenum est.

LYMPHÆ.] aquæ.

SEVEROS.] graues, austeros, atque abstemios.

THYONIANVS.] Bacchicus. i. merum vinum, quale Bacchus Thyoneus inuenit. Bacchus fertur, Ioue patre concedente, matrem Semelem ab inferis eduxisse, & immortalitate donatam, Thyonem à sacris quæ illi attribuit, denominasse: nam θύω sacra facio dicitur, inde ipse Liber ex materno nomine Thyoneus appellatus est, vt scribit Diodorus.

PALLADIVS FVSCVS.

MINISTER *vetuli.*] Versus est eius generis cuius superior. Poëta imperat ministro, vt is sibi hilarius potanti calices ingerat.

FALERNI.] cui, teste Plinio, inter generosa vina Italiæ secunda nobilitas erat: nam prima pucino dabatur. genera autem Falerni tria erant, austerum, dulce & tenue.

INGER.] ingere.

AMARIORES.] vini austerioris. Vina enim vetusta amaritudine quadam, sed qualis est in pipere, infestantur. Plinius, *hæc natura vinis in vetustate est ne potari per se queant, nisi peruincat aqua, vsque in amaritudinem carie indomita.*

VT *lex Posthum. i. m.*] habebant prisci magistros conuiuiorum, qui leges dabant ad potandum, secundum quem morem Posthumia mulier cōuiuij magistra legem tulerat, qua conuiuæ plurimos ac capacissimos calices, haurire cogebātur.

EBRIOSA *acina ebriosioris.* maluit dicere acina in genere fœminino, quā acino in masculino vel neutro, vt versus melius ad aurem sonaret, nam A vocalis in præcedenti verbo postrema, eadémque in sequenti prima, canoro simul atq; iucundo hiatu tractim sonat. Idem facit Virgil. in secundo Georgico.

Talem diues arat Capua, & vicina Vesevo
Ora iugo. nam O vocalis in priori versu vltima, eadémque in sequenti prima, suauem facit hiatum.

AT *vos quo lubet.*] summouet aquas.

VINI *pernicies*] quæ vinum iugulatis.

SEVEROS.] graues, qui nollunt inebriari.

HIC *merus est Thyonianus.*] hic est, inquit, meri vini liquor.

ACHILLES STATIVS.

MINISTER *vetuli puer Falerni.*] Ministrum absolute posuit Tibullus pro Pocillatore in III. ——*cessas dente olente minister,*

Temperat annosum Martia lympha merum.

Horat. verbo ministrare sic est vsus.

Mensa ministratur pueris tribus.

INGERE *mi calices amariores.*] Dactylum posuit κατ' αἰῶνα spondæi. Ingerere verò μεταφορικῶς, opinor posuit. Vergil. proprie in XII.

Aut raptas fugientibus ingerit hastas. Et Horat.

Tum pueri nautis, pueris conuitia nautæ
Ingerere. Et apud eundem,

Trecentos ingeris obe. Et Sueton. in Claudio Nerone, *Ingestaq; anes, ac lemnisci, & bellaria.* Eo autem verbo frequentiam, & crebritatem significant rerum esculentarum, poculentarum, iniectarum. Itaque hoc loco Calices ingerere, id est, quod ἀθρόον τὸ ποτὸν ἐγχεῖν. sic enim Xenophon loquitur in VIII. Pæd. οὕτω δὲ ὑμεῖς, ἐὰν μὲν ἀθρόον τὸ ποτὸν ἐγχέωμεν, ταχὺ ἡμῖν καὶ τὰ σώματα καὶ αἱ γνῶμαι σφαλοῦνται. Nemesianus in Cynegetico sic, vt Catullus,

Castaliusq; mihi noua pocula fontis alumno
Ingerit. Amariores vero quod dicit, eo vini præstantiam, ac vetustatem significat. de quo Plin. in XXIII. *Quo generosius,* inquit, *vinum est, hoc magis vetustate crassescit, & in amaritudinem corpori minime vtilem coit.* Et in XIII. *Vina primo dulcia austeritatem annis accipiunt, & rubra fiunt.*

Ebriosa *acinæ.*] In manuscriptis, *Ebriosæ acino.* Legendum omnino de Gellij sententia, *Ebriosa acino.* Cic. tamen de Senectute, siquidem libri non fallunt, Acino vinaceo dixit, Ebriosam vero acinum dicit ab effecto, quod ea, id est, vinum ipsum ebrios faciat. Sic Tibul. in I. Sobria dicit pocula, quibus aquæ multum esset admixtum,

——*at ipse bibebam*
Sobria suppositæ pocula victor aquæ.

Plinius tamē, Inebriari vuas, dicit in XIV. histor. nat. *Conduntur,* inquit, *& musto vuæ, ipsæq; vino suo inebriantur.*

Vini *pernicies.*] sic fere Σίνιν dicunt poëtæ Græci, vt Callimach. quemadmodum citat interpres Apollonij, βοῶν σίνιν βαιστιάων.

Hic *merus est Thyonianus.*] Bacchus quem Ouid. in IIII. Metam. Thyoneum vocat. *Indetonsusque Thyoneus.* Ausonius ad Paulinum Thyonianum etiam dixit. *Accipe igitur,* inquit, *opusculum de inconnexis continuum, de diuersis vnum, de seriis ludicrum, de alieno nostrum. ne in sacris, & fabulis aut Thyonianum mireris, aut Virbium. illum de Dionysio, hunc de Hippolyto reformatum.* Interpres Lycophronis Θυώνην illum dici adfirmat, Θυώνιος, inquit, ὁ δυνάμενος, quasi vini potens. quæ vox Thyonei nō multum dissimilis.

M. ANT. MVRETVS.

Minister *veteli puer Falerni.*] hic vna voce à Græcis οἰνοχόος, à Latinis pocillator dicitur, aut, vt hic, minister. nam & in hac re ministrandi verbum proprie admodum ponitur. Cicero Frumentaria: *Cum in eis conuiuiis symphonia caneret maximisque poculis ministraretur.*

Ingere*mi.*] aut notandus est dactylus in prima sede: aut pro *Ingere,* legendum *Inger.*

Calices *amariores.*] meraciores, & vetustioris vini, in quo sentitur amarus quidam sapor. Erat autem hæc à Græcis dicta consuetudo, procedente conuiuio, poscendi maioribus assidue, & meracioribus poculis. cuius consuetudinis siue Alexander Aphrodisiensis, siue quis alius auctor est eorum problematum, quæ sub ipsius nomine circūferuntur, & meminit Problemate

A LXXX. & caussas quasdam probabiles reddit.

Vt *lex Postumia iubet magistra.*] in cōuiuiis olim mos erat, talorum iactu vnum aliquem creare, qui præscriberet, quantum quisque, & quo modo temperatum biberet. eum Græci συμποσίαρχον, aut etiam βασιλέα, rem vero, id est, potestatem ipsam, ἀρχιποσίαν vocabant. Horat. regnum vini, & bibendi arbitrū dicit. *Nec regna vini sortiere talis.* & alibi, —*Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?* Varro modiperatorem. Magistros etiam eos, & hanc ludicram dignitatem magisterium nominabant. Cicero de senectute, *Me vero & magisteria delectant à maioribus instituta, & is sermo, qui more*

B *maiorum à summo adhibetur magistro in poculo.* Postumiā igitur eodē sensu magistrā vocari intelligo.

Ebriosa *a.*] de hoc loco vide Gell. c. XX. l. VII.

Thyonianvs.] nomen Liberi patris, à Thyone matre ipsius; quæ & Semele dicitur.

IANVS DOVSA FIL.

Minister *veteli puer Falerni.*] Notandum Epithetu *Falerni,* quod reperies item apud Mart. *Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno.* & Macrobium Saturn. VII. cap. XII. in prouerbio illo quo gulones ait vti: *Mulsum quod probè temperes, miscendum esse nouo Hymettio & Falerno vetulo.*

C Inger *mi calices amariores.*] In veteri quodam Cod. est: *Misce mi c. a.* quæ lectio non plane obiicienda est. neque turbet aliquem, quòd hîc de mero agatur nō misto. *Misce* enim, si admittimus hanc lectionem, nihil aliud erit, quàm infunde seu ingere. Martialis,

Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Aeacides & bibit ipse merum.

Glossarium vetus Arabicum, quod est penes humanissimum & Orientalium linguarum peritissimum virum Franc. Raphelengium: *Misceo, infundo.* atq; ita ad verbum expresserit illud Homeri: ζωρότερον δὲ κέραιε. Porrò *amariores calices* pro

D meraciorib. cum doctissimo Scaligero accipio. Obseruo præterea totum carmen expressum è Græco Diphili. Sic enim ille: —ἔγχεον σὺ δὴ πιεῖν.

Εὐζωρέστερον νὴ Δία, ὦ παῖ, δός. τὸ γὰρ
Ὑδαρὲς ἅπαν τοῦτ' ἐστι τῇ ψυχῇ κακόν.

Planè ipsissima est sententia. Si quis cum Brodæo vinum annosum ac vetustate edentulum, vt cum Plauto loquar, intelligere velit per *amariores calices,* nihil obstabo. Sed & sententia eius adminiculari potest hoc exemplo Plinij ex lib. XIV. cap. IV. quod ipse omisit: *Hæc natura vinis in vetustate est, ne potari per se queant, nisi peruincat aqua,*

E *vsque in amaritudinem carie indomita.* Et quod sequitur de *ebriosa acina,* huc pertinet. multa enim non inebriant teste Macrobio Saturn. VII. capite VII. Et nihil naturali ratione ebrietati magis repugnat dulcedine. quod & in libro de mistorum affectibus itemque in Problematis scriptum reliquit Aristoteles. Verùm vt semel absoluam, vtrumque per *amariores calices* & meracum & vetus vinum intelligi nihil obstat. longinquitate enim temporis vinum meracius fieri idem Macrobius auctor est. τὸ γὰρ ἐν αὐτοῖς ὑδατῶδες ὁ χρόνος ἀναλίσκει, vt ait auctor Geoponicon. Ad priorem interpreta-

pretationem etiam facit, quod ἀκρήτου pro meracius posuerit Nicander, cùm tamen ἁλμυρὸν salsuginosum & amarum significet.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

INGER *mi calices amariores.*] Manifesto *amariores* pro meraciores intelligit, alludens ad Homericum illud, ζωρότερον δὲ κέραιε. Quod diuerse à veteribus exponi solitum cognosces ex Plutarcho. Martialis autem aliter etiam exponit:

Hic scyphus est, in quo misceri iussit amicis
Largius Aeacides viuidiusque merum.

Hic largius & viuidius est ζωρότερον.

VT *lex Posthumiæ.*] Lex Posthumiæ magistræ, est lex magistra Posthumia, vt vrbs Pataui. vide quæ in coniectaneis olim notauimus.

EBRIOSA.] Mirum, quum Gellius monuerit, *ebriosa acina* legendum esse, neminem eorum, qui hunc poetam enarrarint, id animaduertisse: sed omnes legere, *Ebriosa acino ebriosioris.* Quod quid sit, nescio.

Ad Verannium, & Fabullum. XXVIII.

PISONIS comites, cohors inanis,
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Verani optime, túque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satísne cum isto
Vappâ, frigoráque & famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? vt mihi, qui, meum secutus
Prætorem, refero datum lucello.

ANT. PARTHENIVS.

PISONIS *comites cohors inanis.*] Ad Verannium & Fabullum Pisonis Hispaniæ quæstoris comites, seu commilitones, scribens: eos interrogat de lucro quod à Pisone auarissimo sint cõsecuti: ac simul inuehitur in flagitiosam Romanorum libidinem, qui comites ac milites suos magistratum, officij causa secutos, nefario concubitu contaminabant.

PISONIS.] hic Piso à Salustio sic describitur. *Cneus Piso adolescens nobilis, summa audacia, egens, factiosus, in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est, adnitente Crasso: quod eum infestum, inimicumque Cn. Pomp. cognouerat: neque tamen senatus inuitus prouinciam dederat: quippe fœdum hominem à rep. procul esse volebat:* & infra: *sed is Piso in prouinciam ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens, occisus est.* Pisones, appellati sunt quidam Romani nobiles, quòd optimè pisa sererent: sicut à lente Lentuli. Plinius tamen aliter lib. XVIII. cap. III. *Cognomina,* inquit, *etiam prima inde, Pilumni, qui pilum pistrinis inuenerat: Pisones à pisendo.* Sic etiam Ouidius in Carmine ad Pisonem,

A *—nam quid memorare necesse est.*
Vt domus à Calpo nomen Calphurnia ducat?
Claraque Pisonis tulerit cognomina prima,
Humida callosa quum pinseret horrea dextra?

COHORS.] milites in cohorte prætoria.

INANIS.] inaniter militãtes, nulla vtilitate vobis parata.

APTIS *sarcinulis & expeditis.*] hoc iocose in tenuitatem eorum qui erãt pauperrimi sine sarcinularum impedimentis.

CVM *isto vappâ.*] cum Pisone homine vili B ac sordido qualis est Vappa vinum corruptum. Vappa pro vilissimo, ac sordido homine posuit: & Persius, *Vappa lippus & in tenui farragine mendax.* de Vappa legito Plin. lib. XIIII. ca. XX.

IN *tabulis.*] in quibus lucri & impensarum computationes scribitis.

ECQVIDNAM *m.*] an aliquid lucri, ac stipendij vobis dati.

PATET *expensum.*] manifestatur vobis dinumeratum. nam expendere est dare & soluere pecuniam alicui: antiqui enim omnes pecunias pendebant, vnde impendere, & impensa, atque C expensa.

VT *mihi.*] scilicet patet, qui nihil à meo prætore Memmio ex Bithynia retuli.

MEVM *prætorem.*] C. Memmium Bithyniæ prætorem cũ quo fuit Catullus, vt superius dixit. huius C. Memmij asperrimis orationibus sæpe proscissus Cæsar ad cyathum & vinum stetisse diffamatus: postea Mẽmio adeo humane indulsit, vt in petitione consulatus se illi suffragatorem præstiterit. Memmio item cuidam suum opus inscripsit Lucretius. Item, fuit Caius Mẽmius tribunus pl. infestus nobilitati, cuius meminit Salustius in Iugurtha.

DATVM *lucello.*] idest refero stuprum mihi D datum lucro: alij legunt refero lucellum mihi datum.

PALLADIVS FVSCVS.

PISONIS *comites.*] Versus est eius generis, cuius est superior. detestaturus nefandam Romanorum magistratuum libidinem, qui in prouinciis comites suos irrumabant: interrogat Verannium & Fabullum sodales, quid lucri fecerint in Hispania sub Pisone.

COHORS.] accipitur aliquando cohors pro familia & amicis, Catullus *Respondi id quod erat: nihil nec ipsis: Nec prætoribus esse: nec cohorti.* Et Sue- E tonius in Nerone. *Si quis comes ad orientem C. Cæsaris iuuenis occiso liberto suo, quod quantum potare iubebatur recusaret: dimissus è cohorte amicorum nihilo modestius vixit.* Cæterum in legione apud Romanos erant Gellij tempestate LX. centuriæ. XXX. Manipuli. & X. cohortes. Cohors autẽ, vt Varro ait, dicta est, quod vt in villa ex pluribus tectis coniungitur, ac quiddam fit vnum: Sic ex manipulis pluribus copulatur.

APTIS *sarcinulis & expeditis.*] Sarcina est fasciculus rerum vtensilium: indicat autem Verannij & Fabulli tenuitatem, cum dicat sarcinas

eorum aptas esse & expeditas.

QVID *rerum geritis.*] quas res agitis.

VAPPA.] qui a suis degenerauit. Plinius lib. XIIII. *vitiumque musto quibusdam in locis, iterum sponte feruere: qua calamitate cum deferbuit, deperit sapor: vappaque accipit nomen, probrosum etiam hominum, cum degenerauerit animus.*

ET *quidnam in tabulis patet lucelli Expensum.*] quidnam, inquit, lucri fecistis: quid expensum pateat in vestris rationibus.

QVI *meum secutus pratorem.*] intelligit Memmium, quem in Bithyniam secutus se ab eo irrumatum fuisse non dissimulat.

ACHILLES STATIVS.

PISONIS *comites.*] De quo postea.

Porci & Socration duæ sinistræ
Pisonis scabies.

Is autem Piso prætor Hispaniam obtinuit. auctor Sallustius.

SATIS *ne cum isto Vappa.*] Plin. in XIIII. *Vitiumque musto quibusdam in locis, iterum feruere. qua calamitate deperit sapor, vappaque accipit nomen probrosum etiam hominum, cum degenerauerit animus.*

ECQVIDNAM *in tabulis patet lucelli Expensum.*] Quod mihi accidit, qui refero datum lucello. Tabulas autem milites circumferebant, quæ consignabantur. secundum quas, opinor, stipendium his denumerabatur. Plaut. in Mil. glor.

Videtur tempus esse, vt eamus ad forum,
Vt in tabellis, quas consignaui hic heri latronibus,
Ego denumerem stipendium.

Alij tabulas stipendiorum apud Quæstorem fuisse adfirmant. Patêre verbo hoc in genere Cicer. est vsus in. II. Philippic. *Vbi est,* inquit, *septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat.* Et pro Roscio, *Non habere se hoc nomen in codice accepti & expensi relatum confitetur, sed in aduersariis patere contendit.*

REFERO *datum lucello.*] singulare opinor hoc apud Catullum, *Referre datum*, sed iocus id ipse poscebat. vel, *Refero datum.* id est expensum fero lucello, vt pro lucro sumptum se fecisse dicat.

M. ANT. MVRETVS.

PISONIS *comites.*) iocatur cum Verannio, & Fabullo; indicatque ipsos, Pisonem in Hispaniam secutos, nihilo plus lucri fecisse, quam ipse lucri fecerat, Memmium in Bithyniam secutus.

VAPPA.) homine nihili.

PATET.) verbum valde proprium in hac ratione tabularum, vt & verbum referendi, quo statim vtitur. Cicero pro Roscio comœdo: Non habere se hoc nomen in codice accepti, & expensi relatum confitetur, sed in aduersariis patere contendit.

EXPENSVM.) iucunde, & παρὰ προσδοκίαν. id enim, quod expensum est, non in lucro, sed in

A damno potius ponitur. sed videlicet indicat in eorum tabulis nihil patere præter expensum; lucri eos nihil omnino fecisse.

REFERO *datum lucello.*) significat se quoque nihil lucri fecisse; itaque in tabulis suis nihil patere, præter ea quæ ipse Memmio prætori dederat; eaque lucri locum occupare.

IANVS DOVSA FIL.

APTIS *sarcinulis & expeditis.*) Sic Petronius Satyrico: *Itaque quod bene eueniat, expedite sarcinulas.* *Aptis* autem est constrictis & colligatis, quod in præsenti *apo* vel *apio* esse verisimiliter suspicor. Glossarium Arabico-Latinum: *Apio, ligo.* huc etiam pertinet illud Festi: *Apex, qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo, quod comprehendere antiqui vinculo, apere dicebant, vnde aptus is, qui conuenienter alicui iunctus est.*

B

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

VT *mihi, qui meum secutus Prætorem refero datum lucello.*) Multa sunt in Catullo parum hactenus à magistris animaduersa. in nullo tamen magis cæcutiuerunt, quam isto. Sed error hinc fluxit, quod ab hoc versiculo ea, quæ sequuntur, distraxerunt. Continuanda enim erant ita:

C

——vt mihi, qui meum secutus
Prætorem, refero datum lucello:
O Memmi, bene me, &c.

Non potest dici, quanta vrbanitate Prætoris sui Memmij auaritiam perstringit. Vos, inquit, à Pisone proprætore vestro ita accepti estis, quomodo ego à Memmio proprętore meo. Nam, quum deberem in tabulis scribere: acceptum refero lucello L-LXXX. vicem eius scribo: ô Memmi bene mihi illusisti, qui in contubernio tuo pollicebar mihi montes auri: Sed quantum ego video, non minus vobis illusit Prætor vester Piso, quam Memmius mihi. Hæc nunc sunt luce clariora, vt valde decepti sint, qui putarint Catullum à Memmio turpitudinem passum esse, quam pudor meus dicere vetat. Verbum enim flagitiosum, quo vtitur Catullus, non in eam significationem accipiendum est, sed in eam, in quam superius accepimus, quum eundem Prætorem ita appellauit in epigrammate,

D

Varrus me meus ad suos amores.

Verbum enim illud eo tempore ἀντὶ τοῦ ἀτιμοῦν accipiebatur. Quemadmodum contra τὸ ἀτιμοῦν dicebatur altero verbo obscœno, quod huic è regione respondet, quod quidem verbum vltimum est in Scazonte Martialis, cuius initium:

E

Conuiua quisquis Zoili potest esse.

Nam ibi illud verbum non in obscœnam partem, quæ prima eius est notio, sed pro ἀτιμοῦν sumitur, exponi contumeliæ, stupidum esse, illudi.

DATVM *lucello.*] Titius dat, Mæuius accipit. Mæuius acceptum refert Titio: Titius datum &

expenſum refert Mæuio. Hoc & ipſi pueri ſciũt. ſed quia ſunt τῶν πρός τι, conuertuntur, ſi perſonam commutes. Nam Mæuius poteſt ſcribere: Refero datum mihi. idem enim ac ſi dicat, acceptum refero Quæſtori. Itaque Catullus refert ſibi datum lucello. hoc eſt refert acceptum Memmio. Quid? illud, quod ſequitur. *ô Memmi.* Hæc ſunt verba, quæ Catullus in rationibus accepti vult referre. Sed prius ſciendum, id quod ſupra attigimus, comites & adiutores negotiorum publicorum, qui dabantur magiſtratibus à Republica, vel cæteros ex domeſticis conuictionibus, quos Cicero teſtatur quaſi ex cohorte prætoris appellari ſolitos, pro opera egregie in magiſtratum nauata duplex emolumentum à prætore conſequi ſolitos: alterum in prouincia, quod lucellum vocabatur: alterum in vrbe poſt reditum è prouincia: quum eorum nomina à magiſtratu in ærarium referebantur, & in beneficiariis proconſulis, ſiue proprætoris vocabantur. Nam magiſtratum, qui iuſſu populi prouinciam regeret, proconſulem, aut proprætorem vocare ſuſque deque habeo. Cicero in Frumentaria: *Age: quid tum ſi Apronio deditus Prætoris lucelli aliquid iuſſo ſunt dare? Putato Apronio datum, ſi Apronianum lucellũ ac nõ prætoria præda vel is videlicet.* Idem ad Rufum quæſtorem ſuum libro quinto epiſtolarum: *Sed ego putaui eſſe viri boni, quum populus ſuum ſeruaret, conſulere fortunis tot vel amicorũ vel ciuium. Nam de lucello eſt ita actũ vt auctore Cn. Pompeio illa pecunia in fano poneretur. id ego agnoui meo iuſſu eſſe factum. qua pecunia Pompeius eſt vſus vt tua, quam tu depoſueras, vextius.* Vides ex his verbis Ciceronis priuatam pecuniam amicorũ, & ciuium vocari lucellum: Quod nomen ἀντονομαστικῶς attribuebatur commodis prætorianorum. quod vero dabatur ipſi prætori, dicebatur honorariũ. Sed qui, quid ſit lucellum, ſcire cupit, legat epiſtolam illam Ciceronis. in qua tamen non inueniet eam lectionem, quam adduximus: ſed ineptiſſimam, nempe Lucceio pro lucello, qui error & infra in eadem epiſtola quanquam aliis literis diſſimulatus eſt, illis verbis. *Sed ſi quid eſt, quum de logeo parum gratum viſum eſt, quod ego in rationibus referendis etiam nũc corrigere poſſim.* Ibi enim *de lucello* legendum eſt ex ſuperioribus verbis. Ita & epiſtolam Ciceronis emendamus, & locum Catulli, ex quo illam emendauimus, illuſtramus. Antea quid eſſet lucellum ignorabatur, neque vllus illius rei odor Criticos hodiernos afflauerat.

Ad Memnium. XXIX.

O Memmi, bene me, ac diu ſupinum,
Tota iſta trabe lentus irrumaſti:
Sed, quantum video; pari fuiſti
Caſu: nam nihilo minore verpa
Es fartus. pete nobiles amicos.
At vobis mala multa Dij, Deæque
Dent, opprobria Romuli, Remique.

ANT. PARTHENIVS.

Tota *iſta trabe.*] mentula tua longa quanta eſt trabs: vt Mar. *tanta eſt quæ Tityo columna pendet.*

Fvisti *pari caſu.*] pari conditione ac ſorte mecum: nam nullo accepto lucro ſtuprati fuiſtis.

Verpa.] mentula: verpus autem Iudæus circuncíſus: Iuuen. *Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.*

Nihilo *minore.*] quàm ſim fartus ego.

Pete *nobiles amicos.*] Prohibitio artificioſa, & vehemens facta per ironicam conceſſionem.

Pete *nobiles amicos.*] quia ſtupraberis ab illis: pete autem pro appete per aphereſin: ſic igitur ſatyrico morſu, ac felle, flagitioſos Romanorum nobilium mores aſperſit.

Dii *deæ.*] & ſuperi & inferi.

Dent, *opp.*] qui talia in amicos flagitia committitis.

Mvlta *mala opprobria.*] qualia & vos in familiares facitis.

Romvli *Remique.*] vobis ô Romani. vocatiuus eſt: Romulus pro Romano: vt Perſius *Bellum eſt an Romule ceues.*

PALLADIVS FVSCVS.

Tota *iſta trabe.*] tota iſta mentula, quæ eſt inſtar trabis.

Pari *fuiſſe caſu.*] Pari mecum conditione. *Eſt autem caſus* vt ait Ariſto. *rei inopinatæ ventus.*

Verpa.] mentula ſine preputio. Verpi enim dicuntur Iudei quod ſint circuncíſi. Martialis. *Delapſa eſt miſero fibula: verpus erat.*

Pete *nobiles amicos.*] elegans ironia.

At *vobis mala.*] irritatus poeta nefanda Romanorum magiſtratuum libidine in eos imprecatur: ordo autem eſt, opprobria Romuli & Remi dij & deæ dent vobis multa mala.

Opprobria.] dedecora: poſuit autem Romulum & Remum vrbis conditores pro omnibus Romanis.

ACHILLES STATIVS.

O Memmi, *bene me, ac diu ſupinum Tota iſta trabe lentus irrumaſti.*] Hoc vero poema mihi quoque videtur factum de incõnexis continuũ, de diuerſis vnũ, in manuſcriptis enim libris, qui ſequuntur verſus, aliter leguntur, quos nonnulli antea, quo cum his duobus cohærerent, mutarũt etiam repugnante ſententia. quod iam oſtende-

mus. Hic vero Memmius is est Poeta, cuius & A Ouid. meminit in II. Trist.

Quid referam Ticidæ, quid Memmi carmen, apud quos
Nomen adest rebus, nominibusque pudor.

Et Gell. in XIX. cap. IX. *Nam Nænius implicata, & Hortensius inuenusta, & Cinna inlepida, & Memmius dura.* Credo ego eundem hunc esse C. Memmium, cuius asperrimis orationibus, vt inquit Suetonius, C. Cæsar non minore acerbitate rescripserat, eidemque suffragator mox in petitione Consulatus fuerit.

Tota *ista trabe lentas inrumasti.*] sic Afranius in Emancipato, vt est apud Carisium, Lente, posuit. *Quam lente tractat me, atque inludit.*

Sed, *quantum video, pari fuisti Casu.*] In manuscriptis omnibus non *Fuisti*, sed *Fuistis*. Et, quod sequitur, *Nam nihilo minore verba Farti estis.* vt appareat hæc esse coniungenda, seiungenda vero & à superioribus illis versibus, & ab eo, quod sequitur, *Pete nobiles amicos.* vt fragmentum hoc sit, & auolsum aliunde. vt superiora illa. Qui vero sequuntur versus duo, *At vobis mala multa di deæque, Dent opprobria Romuli, Remique*, hæc quoque ἰδίᾳ πρὸς ἴως. & alieno loco ponuntur. Nec enim, si quis recte consideret, vllam omnia probabilem sententiam, & Catullo dignam efficiunt.

C

M. ANT. MVRETVS.

O Memmi.] nisi me valde animus fallit, poeta hic non ex sua persona loquitur, sed imitatur vocem alicuius, qui à Memmio prætore turpitudinem hanc passus fuerat. nam neque credendum est, generosæ hominem indolis tantam suo corpore spurcitiem pertulisse; neque, si eo vsque processisset impudentiæ, tamen fuisse tam prodigiose stultum, vt eam notam sibi ipse versibus suis inurere voluerit.

Trabe.] quam trabem dicat, notum est. eandem & columnam, & pyramidem vocabant, D vt in Priapeiis,

Nimirum tibi salsa res videtur
Astans inguinibus columna nostris. & alibi,
Accedit istis impudentiæ signum,
Libidinoso tenta pyramis neruo.
& palum. Horatius.
Obscænoque ruber porrectus ab inguine palus.

Nam *nihilo minore verpa Es fartus.*] significat, Memmium quoque eodem modo acceptum ab alio quopiam æque bene, atque ipse erat, peculiato. Verpam autem vocabant eam partem à vertendo. In Priapeiis,

Quæ quot nocte viros peregit vna,
Tot verpas tibi dedicat salignas

Pete *nobiles amicos.*] hactenus ex aliena, nunc ex sua persona loquitur. I nunc, inquit, quisquis es, & te ad nobiles amicos applicato, à quibus tam pulchra facinora edi videas.

At *vobis mala multa di deæque dent.*] contra Plautus Pœnulo,

— ô, multa di tibi dent bona,
Quom hoc mi obtulisti tam lepidum spectaculum.
& in eadem fabula,
Di deæque vobis multa bona dent, cum mihi
Et bene præcipitis, & bonam prædam datis.
& rursum,
Multa tibi di dent bona, cum me saluum esse vis.

Opprobria *Romuli, Remique.*] ita eos vocat, quod factorum suorum turpitudine veteribus Romanis, ipsisque adeo vrbis fundatoribus dedecori esse viderentur.

IANVS DOVSA FIL.

Nihilo *minore verpa Es fartus. pete nobiles amicos.*] ἐμφαντικώτερον erit si legamus:

—nam nihilo minore verpa es
Fartus. i pete nobiles amicos.

B Coniecturam nostram confirmat veteris codicis lectio, quæ est: *Farti estis. pete n. a.* vbi manifesta vestigia vides illius *i*, quod repono. Et quamuis hæc loquendi ratio rarius occurrat apud Poëtas, qui sæpissime vtuntur ea: *I nunc &*; tamen neque exempla huius desunt. Virgil. IV. Æneid. *I sequere Italiam ventis.* & in VII. eiusdem operis: *Tyrrhenas, i, sterne acies.* Apollonius Rhodius Argonaut. IV. ---ἀπ' ἔρχεο, τῆλε δ' ἱκάνεις
ἢ ποντί' ἐπ' οἶδμα πολύστονον ἄλγος ἄειραι.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

O Memmi.] Procul dubio est is ipse C. Memmius cui libros suos dicat Lucretius. Hic ex prætura prouinciam Bithyniam sortitus, quo eum sequutus erat Catullus, mox Romam inde reuersus repetundarum postulatus est à C. Iulio Cæsare, ex cuius oratione hæc extant apud Gellium: *Vel pro hospitio Regis Nicomedis, vel pro horum necessitate hoc munus, Memmi, refugere non potui.* Quare auaritiam eius à Catullo exagitari mirum non est, qui repetundarum postulatus sit.

Pari *fuisti casu.*] Ex veteri libro legendum pluraliter *Fuistis.* item, *Farti estis.* Sed, inquit, quantum video, non minore fortuna accepti estis à prætore vestro, quam ego à meo.

Pete *nobiles amicos.*] Insultatio. vt illa:

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno—

Facilis sententia, & plana.

At *vobis mala multa.*] Postquam illis, qui se ad magnas amicitias applicant, satis illusit, postea ad illos ipsos, qui amicis ipsis abutuntur, sermonem dirigit. At vobis, inquit, ô Romuli, Remique, opprobria, dij deæque mala multa dent. E *Romuli Remique.* nominandi casu. nam proceres Romanos, & qui in Republica aliquid poterant, ita vocabant. Infra, *Cinæde Romule hæc videbis, & feres.* & in Declamatione *Orote, Romule Arpinas.* *Opprobria* eodem casu. Græce κῶβαι, vt in prouerbio, ἐρῶσιν παῖδες κῶβαι. & ἐλέγχεα. vt κάκ' ἐλέγχεα Homero. Quam male non solum finis Epigrammatis, sed etiam totum poematium vulgo accipiatur, nescio an aliis exploratum sit. mihi sane ita liquido constat, aut non parum hac in parte ab interpretibus erratum esse videatur.

In Cæsarem. XXX.

Qvis hoc potest videre? quis potest pati,
Nisi impudicus, & vorax, & aleo?
Mamurrã habere, quod comata Gallia
Habebat vnctum & vltima Britannia?
Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & oleo.
Et ille nunc superbus, & superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Vt albulus columbus aut Adoneus?
Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?
Et impudicus, & vorax, & aleo.
Eóne nomine Imperator vnice
Fuisti in vltima occidentis insula,
Vt ista vestra diffututa mentula
Ducenties comisset, aut trecenties?
Quid est? an hæc sinistra liberalitas
Parum expatrauit? an parũ helluatus es?
Paterna prima lancinata sunt bona,
Secunda præda Pontica, inde tertia
Ibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ?
Quid hunc (malum) fouetis, aut quid hic potest,
Nisi vncta deuorare patrimonia?
Eóne nomine Imperator vnice,
Socer genérque perdidistis omnia?

ANT. PARTHENIVS.

QVIS *hoc potest vi. quis potest pati.*] iambico trimetro exclamat in prodigam Caij Cæsaris largitionem: qui Mamurram Phormianum, cum quo stupri mutui commercium habebat, adeò locupletauerat: vt is opum elegantia totius Galliæ, ac Britanniæ diuitias exuperaret.

QVIS *hoc potest videre.*] percontatio est: & talis sensus. Nemo nisi impudicus atque sceleratus posset ferre, ac pati Mamurram Pathicum habere totius Galliæ atque Britanniæ diuitias.

NISI *impudicus.*] oblique in Cæsarem dixit.

MAMVRRAM.] Cornelius Nepos tradit primum Romæ parietes crustâ marmoris operuisse totius domus suæ in Cælio mõte, Mamurram Phormiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum Caij Cæsaris in Gallia. Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus: quem, vt res est, domus ipsius clarius, quàm Catullus, dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia. hæc Plinius.

A COMATA *Gallia.*] Transalpina à Cæsare domita.

CINÆDE *Romule.*] impudice Cæsar. vehemens fama fuit C. Cæsarem quum esset adolescens apud Nicomedem Bithyniæ regem pudicitiam deposuisse: vnde postea in eius triumphis tale carmen à militibus & ciuibus iactatum est: Gallias Cæsar subegit: Nicomedes Cæsarem. in hunc eundem Cæsarem atque Mamurram infra est illud epigramma: *pulchre conuenit improbis Cinædis Mamurræ Pathicoque Cæsarique.*

ROMVLE.] pro Romano vt supra: *Romuli Remique.*

SVPERFLVENS.] diuitiis superabun- B dans.

OMNIVM *cubilia.*] quia mœchus est, temerarius & superbus, præ pecuniis.

DIONEVS.] venereus, à Dione Venere cui dicatæ sunt columbæ: Dione Veneris mater fuit, à qua & filia denominata est.

EO *ne nomine.*] sensus est, ea ne de causa bellis es deprædatus Britanniam, vt mentula & libido Mamurræ, tot sestertia illa à te data consumeret?

EO *nomine.*] ea causa: vt Cicero, *quamquam me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo.*

VNICE.] singularis.

VLTIMA *insula.*] Britanniam dicit: quam C Cæsar bis aggressus subegit, vt ipse in commentariis suis late scribit.

OCCIDENTIS.] Britannia tamen, vt Mella, & Plinius tradunt, inter septentrionem, & occidentem porrigitur.

ISTA *vestra mentula.*] Mamurræ scilicet.

DIFFVTVTA.] coitu exhausta: vt superius, *Cur non tam latera effututa pandas.*

SINISTRA *liberalitas.*] diffinitio prodigalitatis. hac de liberalitate Cæsaris legito Ciceronem primo Officiorum.

SINISTRA.] noxia, vitiosa.

D LIBERALITAS.] Cæsaris scilicet.

ALIT.] Mamurræ libidinem.

PARVM *expatrauit.*] parum ne libidine perdidit, & absumpsit.

EST *helluatus.*] diglutiuit, consumpsit. helluones dicuntur immoderate bona sua consumentes ab helluendo quod aspiratur, vt auiditas magis exprobretur: helluari, est bona sua gulose, ac immoderate absumere.

PATERNA.] patris ipsius Mamurræ.

LANCINATA.] lacerata: lancinare est dilacerare: Plinius, *Tot sinus Peloponensem oram lancinant.*

E SECVNDA *præda Pontica.*] quam Cæsar ex profligato Pharnace Mitridatis filio cæpit: & Mamurræ tradidit.

PONTICA.] nam Pharnaces Ponti rex fuit.

TERTIA *Ibera.*] Hispania: prædam dicit qua potitus est Cæsar quum Hispaniam prouinciam bellis ciuilibus Pompeio ademit Petreo & Affranio Pompeij ducibus apud Serdam perdomitis: vt in quarto Lucanus eleganter scribit: *Tagus Hispaniæ fluuius aureis aquis diuulgatus.*

HVNC.] Mamurram.

TIMET.] quia tantam rapiendi licentiam

habebat à Cæsare.

MALVM.] in malam rem: aduerbium est per parenthesin, & exclamationem: vt sæpe apud Terentium.

VRBIS.] Romæ.

EO *nomine.*] ea causa: vt Mamurra à vobis locupletatus omnia libidinibus absumeret.

PERDIDISTIS *omnia.*] opes, & Imperium Romanum, quod occupasse Cæsar videtur: vt Mamurræ libidinibus opes suppeditaret.

PALLADIVS FVSCVS.

QVIS *hoc potest videre.*) Versus est iābicus trimeter. Duos insectatur Catullus, C. Cæsarem & Mamurram Formianum, quem Cæsar ob mutui stupri consuetudinem rebus plurimis atque pulcherrimis dono datis, ditissimum reddiderat. De hoc ita scribit Plinius. lib. xxxvi. Hist. nat. *Primùm Romæ parietes crusta marmoris operuisse totius domus suæ in Cælio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, Equitem Romanum, Præfectum Fabrorum C. Cæsaris in Gallia. Neque indignatio sit tali auctore inuenta re. Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, vt res est, domus ipsius clarius, quam Catullus dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia.* & Sueton. in Cæsare. *Valerium Catullum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat: satisfacientem eadem die adhibuit cœnæ, hospitioque patris sui, sicut consueuerat, vti perseuerauit.*

NISI *impudicus.*) nisi sit talis qualis est Cæsar. pudicitiæ autem Cæsaris famam nihil quidem præter Nicomedis contubernium læsit, graui tamen & perenni opprobrio & ad omnium conuitia exposito, auctor est idem Suetonius.

VORAX.) Voracem fuisse Cæsarem infra indicat Catullus cum inquit,

Parum expatrauit: an parum helluatus est
Paterna primum lancinata sunt bona.

& reliqua.

ALEO.) alea vocatur quilibet ludus in fortunæ varietate consistens. Vnde aleones & aleatores dicuntur lusores.

GALLIA.) Quæ vt scribit Plinius in tria populorum genera diuiditur, amnibus maxime distincta: à Scaldi enim ad Sequanam Belgica est: ab eo ad Garunnam Celtica: eademque Lugdunensis: inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania, Aremorica ante dicta.

VLTIMA *Britannia.*) De hac ante diximus.

CINEDE *Romule.*) posuit Romulum vrbis conditorem, pro quolibet Romano. Sic Persius, *bellum hoc bellum est an Romule ceues.*

ET *ille*) Mamurra.

SVPERFLVENS.) diuitiis abundans.

PERAMBVLAVIT *omnium cubilia.*) fuit Romæ publicus adulter vel pathicus.

VT *albulus columbus.*] columbos maxime salaces esse multorum confirmat opinio.

DIONEVS.) Venerius à Dione matre Veneris: cui antiquitas columbos dicauerat.

ES *impudicus & vorax & aleo.*) Siquidem hæc pateris, Mamurram, scilicet, habere quicquid ante diximus.

EO *ne nomine.*) ea de causa.

IMPERATOR *vnice.*) Cæsar qui es vnicus imperator & belli gerendi magister.

VLTIMA *occidentis insula.*) intelligit Britanniam.

DIFFVTVTA.) crebris fututionibus exhausta.

DVCENTIES *comesset aut trecenties.*) ducenta aut trecenta pro vnu coitu daret.

ALIT.] emendo, an hæc.

SINISTRA.) mala, nocens, aduersa.

HELLVATVS *est.*) vorando consumpsit: Nam nihil aliud est helluari, quàm immoderato sumptu bona sua consumere: vnde helluones dicuntur voraces.

PATERNA.) à patre relicta.

LANCINATA.) lacerata. Plinius lib. VIII. *et ij in ipsa nare caput condunt, pariterque spiritum præcludunt, & mollissimas lancinant partes.*

PRÆDA.) hac voce significantur res & corpora in bello capta.

PONTICA.) quam Cæsar ipse cœpit post deuictum Pharnacem Mithridatis filium.

HIBERA.) Hispania ab amne vt ante dictum est.

SCIT.) nouit.

AMNIS *aurifer.*) Plin. lib. IIII. *Tagus auriferis harenis celebratur:* & Iuue. *Tanti tibi non sit opaci omnis harena Tagi: quodque in mare voluitur aurum.*

HVNC.) Cæsarem, non autem Mamurram.

MALVM.) aduerbium est interpositæ indignationis. Teren. *quas malum ambages mihi narrare occepit.* & Plautus in Cassina. *Non mihi licere meam rem me solum vt volo loqui atque cogitare sine te arbitro: quid tu malum me sequere.* Plinius quoque lib. VII.

QVÆ *malum.*) ista dementia iterari vitam mortemque.

DEVORARE.) deglutire. Ouidius, *deuorer ante precor subito telluris hiatu.*

EO *ne nomine.*) eam ob causam.

VRBIS *opulentissima*) Romæ.

SOCER.) Cæsar.

GENER.) Pompeius. Lucanus, *Hinc socer inde gener.* nota est autem historia, cum ea à pluribus partim Græcis partim Latinis auctoribus, facundè narretur.

ACHILLES STATIVS.

QVIS *hoc potest videre. quis potest pati.*) Hi atque illi post, *Pulchre conuenit improbis cinædis*, &c. sunt versus illi, quibus Cæsari perpetua imposita stigmata, scribit Suetonius. sic enim scribit in C. Cæsaris vita. *Valerium Catullum, à quo sibi versiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satisfacientem eadem die adhibuit cena. hospitioque patris eius, sicut consueuerat, vti perseuerauit.* Et Plin. in XXXVI. *Primum*, inquit, *Romæ parietes operuisse totius domus suæ in Cælio monte Corn. Nepos tradit, Mamurram Formiis natum, præfectum fabrum C. Cæsaris. Neque indignatio sit tali auctore inuenta re. Hic namque est Mamurra, Catulli Veronensis carminibus*

profectus, quem, vt res est, domus ipsius clarius, quam Catullus dixit habere, quidquid habuisset comata Gallia.

MAMVRRAM *habere, quod comata Gallia Habebat & cuncta vltima Britannia.*] Posterior versus in manuscriptis legitur,

Habebat cum te & vltima Britannia.

Ingeniose Faernus ex *Cum te* fecit *Vncti:* vt sic legatur, *Habebat vncti & vltima Britannia.* idem enim alibi sic Vncta dicit patrimonia. Legi etiam possit, *Habebat ante & vltima Britannia.*

CINÆDE *Romule.*] In P.R. aut ipsũ Cæsarem.

ET *ille nunc superbus, & superfluens.*] Sic Cic. in v. contra Verrem, *Istum rebus omnibus vndique ereptis impune eludentem circumfluere, & abundare.* Et Tibull. in II. *Vt mea luxuria Nemesis fluat.*

VT *albulus columbulus Dionæus.*] In manuscriptis hic versus legitur hoc modo,

Vt albulus columbus aut idoneus.

Itaque est in Maffei libro. In meo,

Vt albulus columbus aut ydoneus.

Itaque coniecturam faciebam legendum omnino, *Vt albulus columbus, aut Adoneus.*

Sic enim Adoneum efferunt Latini. Plaut. in Menœch. *Vbi Aquila Catamitum raperet, aut vbi Venus Adoneum.* Et Ausonius in Myhobarbo,

Ogygiæ me Bacchum vocant,
Osyrim Ægyptus putat.
Mystæ Phanacem nominant:
Dionyson Indi existimant.
Romana sacra Liberum.
Arabica gens Adoneum.

Sic Vlyssеum & Achilleum dicebant. ac denique ea sic efferebant, nomina, quæ in Ευς Græcis desinerent. Romæ vetus monumentum vidi huiusmodi.

D. M.
APHNIO . QVI
VIXIT. ANN. XIII
MENS. XI. DIEBVS
XVI. ACHILLEVS. ET
CLEOPATRA . PA
RENT. FIL. DVLCISSI

Et Horat. *Nec cursus duplices per mare Vlyssei.* Et idem, —— *Currus Achillei.* Nam cur penultimam in Dionæus corripiamus, cõtra omnium quotquot vnquam eo verbo sint vsi, normam. Vergilius enim quotiescumq; est vsus, produxit,

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum.

Et, *Sacra Dionææ matri.* —— Et Horat. ——*Mecum Dionæo sub antro.* Album vero columbum dicit hunc pulchrum concubinum. Sic alibi Niueum columbum dixit,

Nec tantum niueo gauisa est vlla columbo Compar. —— Sin autem columbum Dionæũ hoc omnino loco dici, ac retineri velimus, interpretemur Columbum Dionæum sic à Catullo dictum, vt ab aliis Pullum Iouis. Nam auctore Q. Fabio apud Festum Pompeium in verbis Pullus Iouis, puerum quem quis amabat, pullum eius dicebant. Columbum autem Dionæum, qui & auis sacra Veneri sit, à qua dea genus Cæsar ducere putabatur. quamuis Fabij verba non Pullus Iouis, sed Pullus eius apud Festum legendum esse demonstrant. quod si est, illud omnino

A malim; & Columbum pro Pullo, id est speciem pro genere positam dicamus. Exstat autem apud Athenæum versus Alexidis, quo albus Veneris Columbus dicitur; Ο λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμὶ γὰρ περιστερός. Itaque Catullus & versum expressit Alexidis, & Adonei illum pulchritudine atque elegantia cumulauit.

EO *ne nomine imperator vnice.*] Vnicos imperatores honoris caussa dicebant. Sueton. in Othone Siluo. *Fortissimum virum, vnicum imperatorem prædicantes.*

QVID *est. an hæc sinistra liberalitas.*] In manuscriptis, *Quid est, alit sinistra liberalitas.* Faernus ex

B eo faciebat, *Quid abstulit.* —— Ego vero, sic, vt est in manuscriptis, lego. & interpretor,

Quid est alit, quid est aliud, sinistra liberalitas.

Et commode quidem reticetur, nisi hoc. nam Alid, siue Alit, pro Aliud, dixerunt antiqui. & eo nonnumquam Lucretius vtitur. & vt in veteribus monumentis hodieque Romæ, & veteribus in libris Aliut, pro Aliud, legimus: sic illud etiam Alit. Apud Soderinos enim Romæ, intra Augusti Mausolæum in veteri saxo est, HOC. EST. SIC. EST. ALIVT. FIERI. NON. LICET. Et sæpe in veteri Vergilii exemplo sic legebam.

PARVM *expatrauit.*] Indignatur. an parum

C expatrauit. Sic etiam Suetonius. *Paternas facultates consumpsit, & expatrauit.* Qua de re etiam Plutarchus.

AN *parum helluatus est.*] citat Calphurnius Brixiensis versum hunc in Heautontim. Terentij interpretans, Helluo, Vorax, inquit. Catull. in Cæsarem, ——*An parum helluatus est.* An vero particula sic vsurpatur ab optimis auctoribus, cum quid ἐμφαντικῶς, siue ἐμφατικῶς dicunt. Cornelius Tacit. in XI. *An parum, quod Veneti, & Insubres curiam inruperint, nisi cœtus alienigenarum velut captiuitas inferatur.* Et Ouid in Epist.

An si quis rapiat stabulis armenta reclusis,

D *Arma feras, rapta coniuge lentus eris.*

PATERNA *primum.*] Placet Hadriani sententia, qui legendum putauit, Prima, quo sint omnes iam bipedes.

HVNC *Galliæ timent, timent Britanniæ.*] In manuscriptis, *Hunc Galliæ timet, & Britanniæ.* Sed sic tamen, vt inter verbum Timet, & id quod sequitur, paululum quid desit. Itaque acute Faernus legendum coniiciebat, *Hunc Galliæ timetis, & Britanniæ.* quod etiam faciebat probabilius, quod Gellium meminisset in extremo XVIII. libro scribere Metricorum id esse præceptum, duos primos pedes, item extremos duos habere singulas

E posse integras partis orationis, medios haud vmquam posse. quod accideret, si sic hunc versum, vt est impressus, legeremus, & alienum id foret à consuetudine Catulli, quam semper tenuit in Senariis. nusquam enim contra metricorum hoc præceptum fecit. Nam monosyllaba cum sequentibus sic cohærent, vt eius partes esse videantur. contra hoc præceptum fecit Volcatius Sedigitus in Iambis, quos de comicis poetis scripsit, *Si quid quarto detur, dabitur Licinnio.* Si modo versus deprauatus non est. Britannias vero vt Gallias multitudinis numero dixit Plinius in XXXIII. *Galliæ, Britanniaque inde modico dicuntur vsæ.*

NISI *uncta deuorare patrimonia.*] Sic etiam Macrobius est locutus in III. Saturn. *Et vt,* inquit, *taceam Gurgitem, à deuorato patrimonio cognominatum.* Insigne vero illud, quod & Cic. de Cæsaris rapinis in II. Officiorum scripsit. *Cæsar,* inquit, *suos non poterat remunerari, nisi diuites bonis spoliarentur ab illo.*

SOCER, *generque.*] In Pompeium, etiam, vt videtur, hoc extremum.

M. ANT. MVRET.

QVIS *hoc potest videre?*] Indignatur. Mamurram Formianum stulta Cæsaris, cum quo stupri consuetudinem habebat, liberalitate ad tantas pecunias venisse, vt solus aliquot prouinciarum opes possidere videretur. De huius opibus, & luxuria vide Plinium li. XXXVI. Est autem memorabile, quod narrat Tranquillus, ita leni Cæsarem fuisse ingenio, vt, cum sibi perpetua his versibus imposita esse stigmata intelligeret, tamen Catullum satisfacientem sibi (id est, testibus præsentibus affirmantem, pœnitere se, quod ea scripsisset: hanc enim esse vim in his rebus verbi, satisfacio, satis ex Amphitruone Plauti, & Terentij Adelphis, & Cicerone pro Roscio Comœdo intelligi potest) eandem die adhibuerit cenæ, hospitioque patris ipsius, sicuti consueuerat, vti perseuerauerit.

COMATA *Gallia.*] Ita omnem transalpinam Galliam nominabant.

CINÆDE.] Notum est illud.

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias.
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

ROMVLE.] Hoc nomine sæpe vtebantur in eos, quos significare volebant dissimillimos esse Romuli, multumque ab illius præstanti virtute abesse. auctor declamationis illius in Ciceronẽ, quæ tribuitur Sallustio, *Oro te Romule Arpinas.* Persius, ——*Num Romule caues?*

SVPERFLVENS.] Ita vocantur, qui, vt vulgo loquimur, continere se in sua pelle præ superbia non queunt. atque hoc vitium in iuuenibus notatum puto ab Homero, cum eos dixit esse ὑπερφιάλους, etsi non sum nescius, Græcos grammaticos longe aliter hanc vocem interpretari. sed de hoc alias. metaphora est à vasis nimium plenis.

DIONEVS.] Venerius. Detrita autem est vna litera è diphthongo, propter metrum. rectum enim erat, Dionæus. Virgilius,

Sacra Dionææ matri, diuisque ferebam.

DVCENTIES, *aut trecenties.*] Id est, ducenties, aut trecenties centena millia H-S. ducenties autem efficiunt monetæ Venetæ aureos nummos 588235. & præterea marculos quadraginta: trecenties, 882353 aureos nummos, octo marculis minus, ea ratione, vt sestertios quidem singulos quaternis marculis, aureos autem singulos tricenis quaternis grossulis æstimemus.

SINISTRA.] Stulta, & præpostera. nam & Græci sæpe σκαιὸν pro stulto dicunt. sic & Horat.

——*O ego læuus,*
Qui purgor bilem verni sub temporis horam.

EXPATRAVIT?] Libidinibus absumpsit. Patrare, honestum olim verbum, postea ad obscœnitatem tralatum fuisse, indicat Fabius lib. viij. Quo autem sensu, ex Boetio de definitione intelligitur, qui patrationem esse ait fractæ Veneris lacrymas, itaque Persius oculum molliter ac libidinose natantem patrantem vocauit,

——*Patranti fractus ocello,*

quod id videlicet, in re Venerea, perficientibus eueniat. Iuuenalis, --*Oculosque in fine trementes.*

HELLVATVS *est?*] de Cæsare ipso loquitur.

PRÆDA *Pontica.*] Superato Pharnace Mithridatis, aut, vt ego in tribus peruetéribus æreis nomismatis Græce insculptum animaduerti, Mithridatis filio. de quo notum est illud Cęsaris, Veni, vidi, vici.

IBERA.] Superatis in Hispania Petreio, & Afranio. historia satis nota est.

HVNC.] ἐμφατικῶς, & cum indignatione legendum est. Hunccine, tantum helluonem, Galliæ, & Britannia timent?

QVID *hunc (malum) fouetis?*] Apostrophe ad populum Romanum.

VNCTA.] Pinguia, opulenta, & copiosa.

IANVS DOVSA FIL.

NISI *uncta deuorare patrimonia?*] Didymus apud Diomedem lib. I. *Comesta patrimonia.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVOD *comata Gallia habebat cuncta, & vltima.*] Postrema non Catulliana sunt, sed ex officina Hieronymi Auantij prodierunt, quum & veteres editiones, & scriptæ membranæ præferrent: *Habebat cuncta, & vltima Britannia.* Parua admodum licentia legendum: *Habebat vnct' & vltima Britannia.* Nam in Gallicano exemplari, vt iam monui, quod Langobardicis literis scriptum fuisse putamus, V & A vicissim se commutant. quod nulla sit inter illas literas differentia in charactere Langobardico. Sic in Coma Berenices. -*quem maximu' in oris*, pro *maximum in oris.* Sic hic *vnctu*, pro *vnctum*, sequente vocali: Cuiusmodi quędam in Varrone notauimus, vt *datu' iri*, & similia. Hic autem virulentus iambus non in Cæsarem, quod video omnes fere sibi persuasisse, sed in Mamurram scriptum est. sed expostulat cum Cæsare Catullus de copia & superfluentia Mamurræ.

QVOD *comata Gallia.*] Plinius libro tricesimo sexto, capite sexto: *Hic namque est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem, vt res, domus ipsius clarius, quam Catullus dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia. namque adiecit idem Nepos eum primum totis ædibus nullam nisi è marmore columnam habuisse.* In toto Plinio non est locus isto corruptior. quem valde gaudeo mihi sese tam opportune obtulisse. Mirum vero Catullum, qui toties in Mamurram versuum suorũ aciem distrinxerit, de hac domo tacuisse. Atqui, si ita res se haberet, non tacuisset, nisi me fallit augurium meum. Deinde, quid sibi volunt illa, VT RES. Sed nolo in nugis lectorem diutius tenere. Sane

Plinius ita scripsit: *quem Metrodorus Scepsius clarius, quam Catullus, dixit habere, quicquid habuisset comata Gallia.* Atqui, quum hunc locum Plinij legerem, sine vlla cunctatione suspitio de mendo animum percussit: atque è vestigio locum emendauimus. Sciebam enim Metrodorum Scepsium hominem malæ linguæ virulentis scriptis populi Romani procerum luxum exagitasse. Ouidius quarto de Ponto ad Tuticanum:

Non loca, sed mores scriptis vexauit amaris
Scepsius Ausonios, actaque Roma rea est.

Quanquam in Ouidio male *Septius* vulgo legitur. Quare ille vir μισορωμαῖος dictus. Plinius libro tricesimo quarto, capite septimo: *Metrodorus Scepsius, cui cognomen à Romani nominis odio inditum est.* Floruit autem Cæsarianis temporibus. nam Bruto familiaris vixit: ex cuius epistola ad Cæsarem Charisius produxit: *à Scepsio familiari meo.* Sed verba Plinij, quæ correximus, nondum ex toto menda vacant. Nam glossema est τὸ IDEM NEPOS. Nepotis enim nomen interiectum ideo, quia superius eius mentionem fecerat Plinius. Quare ita totum eum locum legito: *Hic est Mamurra Catulli Veronensis carminibus proscissus, quem Metrodorus Scepsius clarius, quam Catullus, dixit habere quicquid habuisset comata Gallia. Namque adiecit eum primũ totis ædibus nullam nisi è marmore columnam habuisse.* Quare autem dictum sit eum habuisse, quicquid habebat Gallia, cognoscimus ex eodem Plinio, qui nos docet, Mamurram Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæsaris in Gallia fuisse. Quum & verissima & præclarissima sit emendatio illa Pliniana, tamen ad stomachum quorundam Criticorum non facit. Adeo rari sunt, qui falsa veris sciant discernere.

CINÆDE *Romule.*] Hoc est, o Cæsar, vt supra non dudum monuimus. Hæc, inquit, ô Cæsar patieris? Nam Romulus non pro quouis Romano, vt vult Parthenius, sed pro eo, qui ita gratia populari valebat, vt regnum, tanquam alter Romulus obtinere videretur. Sallustius in oratione Lepidi Consulis ad populum: *Quæ cuncta, scæuus iste Romulus, quasi externis rapta tenet.*

ES *impudicus & vorax.*] Iste versus aberat à nostro scripto.

PERAMBVLABIT *omnium cubilia.*] Verbum Perambulare ad eam rem aptissimum. vt supra. *Tremulique quassa lecti Argutatio, inambulatioque.* Sic verbo βαίνω vtuntur Græci. vnde ἐμβαίνουσι, aut ἐμβαινόμενοι dicũtur eiusmodi homines, cuiusmodi hic intelligitur Mamurra.

VT *albulus columbulus, dioneus.*] Hæc sunt correctorum commenta: præsertim quum in scriptis libris exaratum sit: *vt albulus columbus, aut idoneus.* Quum ego Valentiæ Cauarum hunc locum scriptæ lectionis perpenderem, succurrit posse legi. *Aut albulus columbus, aut Adoneus.* quia Adoneus pro Adonis Plauto, & Ausonio antiquario dictum memineram. Itaque nondum me eius coniecturæ pœnitet.

VT *ista vostra.*] Id est, vt iste lastaurus vestet Mamurra. Falluntur enim, qui ad ipsum met Cæsarem referunt. Nam, vt dixi, in solu Mamurram Epigramma scriptum est: quanquam cum Cæsare expostulat Catullus. Quum libidinosum Mamurram vocat, quo nomine vocare soleat Catullus, clarius est, quam vt à me dici debeat.

QVID *est? an hac sinistra liberalitas.*] Hæc omnia ita, vti leguntur hodie, commentus est Hieronymus Auantius. Recta scriptura est:

Quid? est alit, sinistra liberalitas?

Alit pro *alid* scriptum, vt supra *Quot*, pro *quod.* vt à Quis, quid. sic ab Alis, alid faciebant. Quid? inquit, est aliud, quod illi expatrandum, & abliguriendum obiicias? quasi parum expatrauerit, qui paterna bona primum, deinde tantum bellorum prædam deuorauerit. Facete autem Cæsarem vocat sinistram liberalitatem, vt Bibaculus Orbilium Grammaticum vocauit literarum obliuionem. Quare hæc hactenus parum intellecta fuerant. Iam scimus libros scriptos, & antiquitus excusos ita habere. Sed noster non *alit*, sed *ait* habebat. mendose, vt puto. Nisi legendum esset: *Quid est, ai sinistra liberalitas.* vt Næuius, auctore Prisciano dixit, *—vel ai, vel nega.*

PARVM *expatrauit.*] Hunc locum habebat in animo auctor Glossarij, quum scribebat, *Vatrat*, μασᾶται, καταφαγεῖν, εἰς τὰ αἰσχρά. Nam non semper significat μασᾶσθαι. Sed expatrare est scortando μασᾶσθαι imo ἀσωτεύεσθαι. Sed omnium linguarum felicissime Germanica *Verburen.* In vetusto Glossario Latinoarabico: *Patratio est rei Veneriæ consummatio.* Aliæ Glossæ: ἐκτελῶ τὰ ἀφροδίσια, *Expatro.*

PATERNA *primum.*] Vel puer diuinauerit legendum esse, *Paterna prima.* Quia omnes sunt meri Iambi.

QVAM *scis amnis aurifer Tagus.*] Miror doctis viris de huius loci absurditate nihil in mentem venisse, aut saltem nihil admonuisse. Atqui ista lectio à scriptura & illa quoque mendosa discrepat. Ita enim scriptum est, *Ibera, quæ se amnis aurifer Tagus.* Sed quomodo legendum sit, mox sequenti versu aperiam.

HVNC *Galliæ timent.*] Quorsum hæc, obsecro? aut vnde tam interruptus sermo? aut quid habebant in mente correctores, qui ista monstra nobis pepererunt? Noster liber plane habet: *Hunc Galliæ timet tellus, & Britanniæ.* prodigiosa prorsus lectio, & quæ oscitabundum correctorem non postulet. Nam sane primum hoc satis acceptum esto, Catullum hic non nisi iambis puris vsum esse. Deinde antecedens versiculus sententiam cum hoc claudit. Quare ita Catullum scripsisse quauis sponsione ausim contendere.

——Quas & amnis aurifer Tagus: subaudi quas prædas attulit Tagus. De sequenti versiculo quid faciam, non liquet, quanquam olim multas machinas adhibuimus, vt ex eo veram aliquam sententiam extunderemus. Sed frustra. Nam puto esse spurium, quod res ipsa loquitur. Neque enim syllabæ conueniunt, neque sententia cohæret. Nam quorsum Mamurram timeri?

QVID *hunc malum fouetis?*] O Cæsar, quid hunc Mamurram fouetis? Nam sane hic perperam τὸ *Hunc*, Cæsarem exponebant.

NISI *uncta deuorare.*] Propterea semper vocatur

Decoctor. vt in illo, *Decoctoris amica Formiani.*

Eone *nomine vrbis opulentissimæ.*] Si hæc natio correctorum viueret, nihil est, quod e re illorum melius optem, quam bonam mentem. Nam sane hic eorum iudicium requiro. quid enim est illud, *vrbis opulentissimæ?* Sane ad quid referam, nescio. Deinde quid opus est vrbis opulentissimæ mentionem facere, si hic Roma intelligitur, quum hoc non Catullus voluerit? Postremo quomodo constabit Iamborum purorum modus, si hanc lectionem recipiamus? Quid ergo? Quid? nisi hunc versum intercalarem dimidium tantum à librario positum fuisse, quia satis notus esset, & à quouis expleri posset, quum superius integer appositus sit:

Eone nomine, imperator vnice
Socer, generque perdidistis omnia?

Eone nomine, inquit, tu Cæsar, & tu Pompei, ita omnia perdidistis, vt iste illa deuoraret? Pompeius & Cæsar perdiderunt omnia: quia ipsi caussa fuerunt bellorum ciuilium. ex quibus præda opima obtigit Mamurræ quam ille in voraginem ventris sui omnem immersit. Propterea perdita bona vocat, quæ Mamurra abligurriuit.

Socer *generque.*] Facete in alium sensum detorsit Virgilius in Prolusionibus:

Socer beate nec tibi, nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput:
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore pressa rus abibit? hei mihi
Vt ille versus vsquequaque conuenit:
Gener, Socerque perdidistis omnia.

Ad Alphenum. XXXI.

Alphene immemor, atque vnanimis falsе sodalibus,
Iam te nil miseret, dure tui dulcis amiculi.
Iam me prodere, iam non dubitas fallere perfide.
Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent.
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciant, dic, homines, cuive habeant fidem?
Certè tute iubebas animam tradere, inique me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mî forent.
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre & nebulas aërias sinis.
A *Si tu oblitus es, at Dij meminerunt, meminit Fides:*
Quæ, te vt pœniteat postmodò facti, faciet, tui.

ANTONIVS PARTHENIVS.

Alphene *immemor, atque vnanimis falsе sodalibus.*] Alphenum iurisconsultum, fallaciæ ac perfidiæ arguit: monens eum deos hominum
B fraudibus, & periuriis iratos esse. Alphenus Varus Cremonensis abiecta sutrina, quam in municipio suo exercuerat, Romam petiit: magistroque vsus Sulpitio iurisconsulto, ad tantum peruenit, vt & consulatum gereret, & publico funere efferretur. Huius Alpheni Gellius & Porphyrio meminerunt: Horatius, de hoc: *vt Alphenus vafer omni abiecto instrumento artis: clausaque taberna. Sutor erat sapiens operis.*

Falsе.] Fallax.

Vnanimis.] Datiuus pluralis est.

Amiculi.] Mei Catulli.

Fallacum.] Legendum enim est fallacum per syncopen vt stet versus: hoc enim epigramma habet metrum Choriambicum, quod dicitur
C phaleucium hexdecasyllabum: Choriambicum appellatur à pede: nam constat ex spondæo tribus choriābis: & pyrrichio: phaleucium autem ab auctore: qui eo plurimum vsus fuit: hexdecasyllabum à syllabarum numero: Constat enim ex sexdecim syllabis ad differentiam phaleucij hendecasyllabi.

Deseris.] Bene deseris: nam Deserere est rem quam quispiam tueri debeat destituere: vnde Virgil. desertorem Asiæ dixit de Ænea: Alphenus vt coniectare licet Catulli causam deseruerat.

D Cui *habeant fidem.*] Si iurisconsultus perfidus est.

Ventos *irrita ferre finis.*] In vanum & incassum dicta fuisse facis: nam quæ nullum effectum consequuntur à ventis & nubibus abripi dicuntur: Ouidius.

Irrita ventosæ rapiebant cuncta procellæ: & alibi,
Et iubet æolios irrita ferre notos.

PALLADIVS FVSCVS.

Alphene *immemor.*] Versus est choriambicus: qui quidem constat ex spondæo: tribus
E choriābis & pyrrichio. Conqueritur poeta quod Alphenus puer quem ipse vnice amabat, fidem sibi datam violauerit.

Immemor.] Qui tuorum verborum non meministi.

Amiculi.] Catulli: diminutiuū ab amico.

Perfide.] Qui fidem mihi datam fregisti.

In *malis.*] In suspiriis & luctu.

Cui *habeant fidem.*] Cui credant. nam non idem est dare fidem, quod habere fidem; dare fidem est aliquid sancte promittere. Terentius: *grauidaque facta fidem dat vxorem sibi fore hanc.* & Virgil. *Accipe daque fidem.* at habere fidem est

verbis alterius credere.

Ventos *irrita ferre.*] Dicta hominũ à ventis & nubibus ferri dicuntur, si ab iis non fiant, quæ sese facturos promiserunt. Catull.

At non hæc quondam blanda promissa dedisti
Voce mihi: non hoc miseram sperare iubebas:
Sed connubia læta: sed optatos Hymenæos:
Quæ cuncta aerij discerpunt irrita venti. Et Ouid.
Demophoon ventis & vela & verba dedisti.
Vela queror reditu, verba carere fide.

Meminit *fides.*] Vt dea. Iuuenalis.
Vt colitur Pax atque Fides: Victoria virtus.

B

ACHILLES STATIVS.

Atqve *vnanimis falsæ sodalibus,*] Falsæ, actiue, qui fefellerit. Sic Verg. in I. Georg. *Sol tibi signa dabit. solem quis dicere falsum Audeat.*

Dvlcis *amiculi.*] Horat. *Dulcis amicis occurram in triuijs.* Amiculus, idem Horat. *Pauper amiculus.* Et Plaut. in Cistellaria, *Amiculum hoc sustolle saltem.*

Iam *me prodere, iam non dubitas fallere perfide.*] In manuscriptis, *Iam me non dubitas.* Me cum supra positum fuisset à Grammatico, interpretante hæc ipsa, irrepsit inde in contextum.

C

Nec *facta impia.*] Nec, pro Non, posuit more veterum. Cic. in III. de Legibus, *Magistratus nec obedientem, & noxium ciuem mulcta, vinculis, verberibusque coercento.*

Eheu, *quid faciant, dico, homines, cui ve habeant fidem.*] Sic etiam erat in manuscriptis. Pontanus pro, Dico, fecerat, Dic. Ego legendum putabam, *Dehinc homines.* aptius id mihi videbatur sententiæ, & mutatio non magna.

Certe *tute iurabas animam tradere.*] In manuscriptis, vt multis in impressis, non Iurabas, sed Iubebas. Illud enim est contra legem carminis. Sic idem alibi, *Non hoc miseram sperare iubebas.*

D

& Verg. *Quid me cælum sperare iubebas.* Animam vero tradere, idest summam meam tibi voluntatem deferre, nihil vt reliqui esset meum, quod eodem iure tuum non foret. Sic de eo, qui nihil non debet, Animam debere, dicit Comicus.

Indvcens *in amorem.*] Tanquam in laqueos. Sic Tibullus. *Semper vt inducar, blandos offers mihi vultus.*

Idem *nunc retrahis te.*] Sic Horat. *At ne te retrahas.*

Ac *tua dicta.*] Promissa. Idem alibi,

E

Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.
Sed simulac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.

Ventos *irrita ferre ad nebulas aërias sinis.*] Legendum omnino, vt est in manuscriptis,
Ventos irrita ferre, ac nebulas aërias sinis.

Si *tu oblitus es, at di meminerunt, meminit fides.*] In manuscriptis, *Vt di meminerunt.* Illud itaque probabilius. sic Vergil. *At sperate deos memores fandi, atque nefandi.*

Meminit *fides.*] Cic. in II. de Legib. *Ast olla, propter quæ datur homini ascensus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumq. laudum delubra sunto. nec vlla vitiorum sacra solemnia obeunto.*

A

M. ANT. MVRETVS.

Alphene.] Alphenum (nescio an iurisconsultum, illum Ser. Sulpitij discipulum, cuius frequens & in Pandectis, & in aliis scriptis veterum mentio est) vt in ratione colendæ amicitiæ perfidiosum, accusat: minaturque fore; vt dij tandem meritas ab eo violatæ fidei poenas exigant. Facile autem crediderim, etiam carmen infra positum, cuius principium est, *Desine de quoquam,* ad hunc ipsum Alphenum pertinere.

Nec *facta impia.*] expressisse videtur versum Homeri,

B

Οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν.

Tvte *iubebas animam tradere.*] Tu ipse iubebas, vt tibi animam traderem, id est, vt me totum ad te amandum darem.

At *di meminerunt.*] In meo illo libro, cuius bonitatem numquam tantopere perspexi, quam cum hæc scriberem: (eo autem magis memini, quod eo vtens, totum Catullum, etiam tum puerulus, sæpe relegendo edidiceram) in eo igitur versus hic ita scriptus erat, *Si tu oblitus es, at di meminere, at meminit Fides:* quæ lectio quanto sit elegantior, nemo non videt.

C

Fides.] Hanc quoque inter deos numeratam fuisse, omnes iam sciunt.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Alfene.] Alfenus Varus idem cum eo, de quo supra, *Varus me meus ad suos amores.* Conciliauerat cum Catullo studiorum similitudo. Erat enim & Iurisconsultus & poëta. Seruius: *Alfenus Varus licet iurisconsultus, & successor Seruij Sulpitij esset, etiam carmina aliqua composuisse dicitur.*

Iniqve *me inducens in amorem.*] Putant τὸ *inique* vocandi casu enunciatum. ego puto aduerbium, & vltimam correptam more antiquo.

D

Horatius, ——*per aquas dure volubiles.* Virgilius, *Flos adprime tenax.* non *adprima*, vt magistelli edendum curarunt.

Ad Sirmionem, peninsulam.
XXXII.

E

Peninsvlarvm Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumq; in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert vterque Neptunus,
Quàm te libenter, quamque lætus inuiso,
Vix mi ipse credens Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos, & videre te in tuto.
O qvid solutis est beatius curis!
Cùm mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum,
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod vnũ est pro laboribus tãtis.

Salue, ô venusta Sirmio, atq; hero gaude:
Gaudete vosque Lydiæ lacus vndæ:
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

ANT. PARTHENIVS.

PENINSVLARVM *Sirmio, insularumque.*] Poëta ex Bithynia in patriam Syrmionem reuersus: summo gaudio eam sibi omnium rerum charissimam inuisit, omnique hilaritate salutat. versus autem est scazon Iambicus: Syrmio est peninsula Benaci, quem nunc Gardæ lacum vocamus in agro Veronensi. putatur à multis Catulli nostri patria, quum tamen eum non Syrmione, sed Veronæ natum esse scribat Eusebius. nunc quidem est angustum cum theatri latericij reliquiis oppidum: olim autem vrbs neque exigua neque obscura, à Pannonicis siue Vngaris aliquando instaurata: vt ego in quodam eleganti atque antiquo grammatici cuiusdam epigrammate comperi. Syrmium item oppidum Dalmatiæ & ibi Syrmiensium ciuitas, vt scribit Plinius.

PENINSVLARVM.] Peninsula dicitur terra in mare lacumue longe porrecta, quasi insula; ex vno tantum sed angusto latere inhærens continenti: Græcè dicitur Chersonesus quasi χέρσος terra continens, & νῆσος insula.

OCELLE.] Res charissima: nam rem charam nobis, solemus appellare oculum nostrum.

INSVLARVM.] Insula terra est tota vndique aquis circundata.

VTERQVE *Neptunus.*] Idest, vtriusque & maris & lacuum numen: nam Neptunus duplicem habet potestatem, scilicet, in mari & lacubus dominatur. Vterque enim dixit ad vtrumque Neptuni numen significandum, vt Mar. de Diana, *Experta est numen moriens vtriusque Diana.*

INVISO.] Ad videndum venio: Virgilius.
Vrbis ne inuisere Cæsar: terrarumque velis curam.

THYNIAM, *atque Bithynos.*] Thynia, & Bithynia eadem est, de qua superius dicta sunt multa ex Strabone, Solino, Plinio auctoribus. Plin. tamen Bithyniæ incolas duas in partes distribuisse videtur, quum scribat, *Tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni.*

O QVID *solutis est beatius curis.*] Tædio inutilium negotiorum peregre affectus, laudat quietum domi otium: hinc Horat.

O rus quando te aspiciam, quandoque licebit,
Nunc veterum libris, nunc somno, & inertibus horis,
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ.

CVRIS *solutis.*] Curis studiorum & musarum, quæ sunt ab omni negotio solutæ.

HOC *est quod vnum est pro laboribus tantis.*] Sensus: hoc quietum otium est quod per tantos vitæ nostræ labores quærimus: nam omnes mortales, suas omnes curas, labores, negotia, ad hunc dirigunt finem, vt partis diuitiis & honoribus, beato fruantur otio: Hor. *Hac mente laborem*
Sese ferre senes, vt in otia tuta recedant.

HERO.] Me domino tuo.

LYDIÆ *lacus vndæ.*] Benacum Lydiam vndam appellat: nam Lydi Thusci sunt. Thuscorũ A autem reges metropolin habuerunt Mantuam, quę, Plinio auctore, Thuscorum transpadum sola reliqua. sub Thuscorum iure Benaci accolæ fuerunt, quos Virg. Thusco Tarconte duce, ad Æneæ auxilium contra Mezentium profectos, describit

Mantua diues auis: sed non genus omnibus vnum,
Gens illi triplex, populi sub gente quaterni,
Ipsa caput populis: Thusco de sanguine vires:
Hinc quoque quingentos in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.

LYDIÆ.] Thuscæ sub iure Thusco, aut vsq; B Mantuam Thuscam Mincium influentes. item, eodem Plinio auctore, Rhætorum & Euganeorum Verona est. Rhæti à Thuscis oriũdi: Benacus autem Veronæ est: Thuscus igitur, id est Lydius, Benacus est. Thusci enim habuerunt originem à Lydis, qui ex Mæonia, quę postea Lydia dicta est, Tyrrheno Lydi fratre duce, in [illegible] Italiæ partem profecti sunt.

PALLADIVS FVSCVS.

PENINSVLARVM *Sirmio.*] Versus est Iambicus trimeter. Poeta ex longa molestaque C peregrinatione, domum reuersus, Sirmionem patriam procul visam salutat.

PENINSVLARVM.] Peninsula terra est in mari, & lacu quæ à tribus lateribus aqua pulsata, quarto latere continenti annectitur: & à Græcis tum Cheronesus, tum Chersonesus dicitur.

LIQVENTIBVS *stagnis.*] Aquis fluentibus.

VTROQVE *interno.*] Scilicet & externo.

THYNIAM, *atque Bithynos.*] Bithynia regio Asiæ est, monumentis veterum abunde celebrata: quæ ab Hellesponto ad Bosphorum Thracium protenditur: eius oram, vt scribit Plinius, tenent Thyni, interiora vero Bithyni.

D O *quid solutis est beatius curis.*] Sensus est: beatissimum esse, cum homines, labore peregrino fessi, domum redeũt; vt in desiderato lecto quiescant.

SOLVTIS.] Summotis.

ONVS.] Scilicet curarum.

LAREM *ad nostrum.*] Ad nostras ædes.

DESIDERATO.] Quem peregre euntes desiderauimus.

HOC *est quod vnum est pro laboribus tantis.*] Ideo ait se tantos labores tulisse: vt domum aliquando rediret in optato lecto quieturus.

VOSQVE *Lydiæ lacus vndæ.*] Catul. vt aquis Benaci, in quo est Sirmio, maxime blãdiatur, eas E Lydias appellat, quasi auri genitrices. alludit enim ad Hermum & Pactolum auriferos Lydiæ amnes.

CACHINNORVM.] Cachinnus est effusior risus, qui reprehendi consueuit.

ACHILLES STATIVS.

PENINSVLARVM *Sirmio, insularumque Ocelle.*] Locus hic multis optimorum auctorũ similibus exemplis à Petro Victorio est inlustratus. Addam præterea Sapphus illud apud Achillem Statium in II. de Leucippes & Clitophontis amoribus

amoribus, de rosa; Τῆς δὲ κόμας, φυτῶν ἀγλάϊσμα ὀφθαλμὸς ἀνθέων. Plin. simile quiddam significare videtur in III. *Ab altero*, inquit, *eius latere ad Padum amnem ditissimum omnia nobilib. oppidis nitent.*

M A R I Q V E *vasto fert vterque Neptunus.*] Superum inferumque mare. vel, Tyrrhenum mare, atque Oceanus.

T H Y N I A M, *atque Bithynos Liquisse campos.*] Idem verumque Claudianus. *Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.* Sed Thyniam barbaros dicere, quā Græci Thyniada, scribit Apollonius grammaticus in II. cuius hæc sunt. Περὶ τῆς Θυνιάδος νήσου προείρηται. ἧς μέμνηται Νύμφις ὁ Ἡρακλεώτης. Φησὶ δὲ αὐτὴν ἑπτὰ σταδίους ἔχειν τὸ περίμετρον. Καλλισθένης δὲ ἐν τῷ περίπλῳ, ὑπὸ μὲν Ἑλλήνων φησὶ, προσαγορεύεσθαι τήν τε χώραν, καὶ τὴν νῆσον, Θυνιάδα· ὑπὸ δὲ τῶν βαρβάρων Θυνίας. A Thynia Sinus Thyniacos fecit Ouid. in I. Tristium. *Thyniacosque sinus, & ab his per Apollinis vrbem.* Bithynia diues à Manilio dicitur in IIII. Astronomicon. Bithynos campos, vt ante Phrygios campos dixit.

O *quid solutis est beatius curis.*] Sic & Vergil. loquitur in I. Georg. *Indulget genialis hiems, curasque resoluit.* Et Sappho in amate in Venerem, Ἔλθέ μοι καὶ νῦν, χαλεπᾶν δὲ λῦσον ἐκ μεριμνᾶν. Et Martialis in X. *Nox non ebria, sed soluta curis.* Solutis autem, id est, solutis hominibus curarum pondere, ac magnitudine.

V E N I M V S *larem ad nostrum.*] Sic Cic. in xvj. ad Att. *Ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum.*

S A L V E, *ô venusta Sirmio.*] Eodem modo Aristophanes in Georgicis, vt citat Hephæstio de pæonico metro, Ὦ πόλι φίλη Κέκροπος αὐτοφυὲς Ἀττικὴ. χαῖρε λιπαρὸν δάπεδον, οὖθαρ ἀγαθῆς χθονός.

A T Q V E *hero gaude.*] Mihi gaude. Vel vt illud, Gaude hac sorte tua, quod me receperis.

G A V D E T E *vos quoque Lydiæ lacus vndæ.*] In manuscriptis etiam non nullis, *Gaudete vosque Lydiæ lacus vndæ*. Lydium lacum Benacum dicit. Etenim transpadanam regionem Veronam vsque Tuscos tenuisse aiunt. Lydij vero Tusci dicuntur, quo modo accepit Vergilius in II. Æneid. ——*Vbi Lydius arua,*

Inter opima virum leni fluit agmine Tibris.

Et in X.

Classem conscendit iussis gens Lydia diuum.

Caussam docet Seruius.

R I D E T E *quidquid est domi cachinnorum.*] Sic dixit Cachinnum ridere, vt & Ridere risum, & Gaudere gaudium, dicunt optimi auctores. Cachinni vero de aquis cur dicantur, alibi pluribus verbis docebimus.

M. ANT. MVRETVS.

P E N I N S V L A R V M.] Gaudet, gratulaturque sibi, è Bithynia in insulam Sirmionem reuersus. Sirmio autem putatur esse in agro Veronensi, quem hodie Gardæ lacum vocant. ibi possessiones habuit Catullus.

O C E L L E.] Locum hunc summa elegantia tractat Petrus Victorius, variarum lectionum lib. IX. cap. IX. eodem autem modo Cytheronem montem in Phœnissis Euripides [illegible]

A vocat, & apud eundem Andromacha filium, quem è Pyrrho susceperat, vocat oculum vitæ suæ.

V T E R Q V E *Neptunus.*] Mare superum, & inferum significat.

V I X *mi ipse credens.*] Nam, quæ nimiopere optamus, difficillime credimus. inde sunt illa,

Teneon' ego te Antiphila? &,

Vera ne te facies, verus mihi nuncius offers,

Nate dea? & similia.

B T H Y N I A M.] Vt Syriam, & Assyriam, ita Thyniam, & Bithyniam pro eodem sæpe dicebant. neque sum nescius, aliam Syriam esse, aliam Assyriam. sed à poetis hæc nomina confundi aio.

O *quid solutis.*] Quinque, meo quidem animo, supra quam dici potest, pulcherrimis versibus exponit voluptatem, qua perfunduntur ij, qui ex lōga laboriosaque peregrinatione reuersi domum, omnia ibi quieta, & composita reperiunt. Et solutas autem curas, vt hic, & solutum curis animum, vt sæpe Cicero, & simpliciter, solutum animum pro libero, & quieto dicimus; vt in his pulcherrimis Varronis versibus, qui quoniam apud Nonium deprauati leguntur, adscri-C bam equidem eos ita, vt emendandos puto.

Varro ἀνθρωπουπόλις, ὁ περὶ γενεθλιακῆς,

Non fit thesauris, non auro pectu' solutum,

Non animis demunt curas, ac relligiones

Persarum montes non atria diuiti' Crassi.

S A L V E, *ô venusta Sirmio.*] Mos erat, vt, qui primum ingrederentur regionem aliquam, ad eamve ex interuallo reuerterentur, religiose eam salutarent: idque, quoniam cuique loco suum quendam genium præesse arbitrabantur. itaque Pythagorici ob id alijs alios locis fortunatiores esse rebantur: prout videlicet cum cuiusque lo-D ci genio cuiusque hominis genius conueniret.

Virg. *Ignarus, genium ne loci, famulum ne parentis*

Esse putet. idem,

Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo

Implicat, & geniumque loci, primamque deorum

Tellurem, nymphasque & adhuc ignota precatur

Flumina. Ouidius,

Cadmus agit grates, peregrinaque oscula terræ

Figit, & ignotos montesque, agrosque salutat.

Et quidam apud Menandrum,

Χαῖρ' ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ' ἰδὼν

Ἀσπάζομαι. & seruus quidam Plaut. Bacchidib.

E *Herilis patria salue, quam ego biennio*

Postquam in Ephesum abij, conspicio lubens.

Et alter in Sticho,

Saluete Athenæ, quæ nutrices Græciæ.

O terra herilis patria, te video lubens.

L Y D I Æ *lacus vndæ.*] Vndas Benaci Lydias vocat à similitudine quadam: nam vt Pactolus, ita Benacus quoque aureas arenas voluere dicitur. forte etiam Lydias vocat Etruscorum ditioni subditas, quod à Lydis Etrusci originem ducunt.

IANVS DOVSA FIL.

[illegible]NSVLARVM *Sirmio, insularumque Ocelle.*] [illegible]stolis Damascum vrbem, [illegible] in III. de natura deorū,

Corinthum & Carthaginem duos oræ maritimæ oculos, illam quoque pro lege Manilia *totius Graciæ lumen* appellat.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PENINSVLARVM *Sirmio.*] Scaligerorum principum amœnissimus secessus Sirmio, à Theodorico vsque Scaligero, quem *Diedrich von Berna* vocant Germani, ad auum vsque meum Benedictum Scaligerum, qui profugit ad gentilem suum Matthiam regem Vngariæ cognomine Coruinum. Ab eo Theodorico, qui patruelis fuit Theodorici magni Gotthorum Regis, ad Guillelmum vsque historiam Scaligerorum quatuor libris complexus est Paulus Æmilius Veronensis. Is Guillelmus abauus fuit patris mei Iulij. Oppida quædam Benaci paruerunt etiamnum auo meo Benedicto. Parthenius in hunc locum ita scribit de Sirmione: *Nunc quidem est angustum cum theatri lateritij reliquijs oppidum. Olim autem vrbs neque exigua, neque obscura à Pannonicis siue Vngaris aliquando instaurata, vt ego in quodam eleganti, atque antiquo Grammatici cuiusdam epigrammate comperi.* Bene sane Parthenius. Nam verum est Vngaros Attila duce ea loca deuenisse, & quum iam se in agrum Veronensem effundere vellent, repulsi sunt à Theodorico Scaligero Tiroliæ principe, quem, vt dixi, Germani Theodoricum Veronensem vocant. illa vero nubes in Aquileiam incubuit, vt inde Veneti subito Barbarorum aduentu consternati proximas insulas Adriatici maris petere coacti fuerint. Hæc fuerunt incunabula Venetiarum. vide rerum vicissitudinem. Si Theodoricus Scaliger non fuisset, numquam fuissent Venetiæ. Si Venetiæ nunquam fuissent, nunc esset imperium Scaligerorum. Hæc volebam nescius ne esses, candide lector.

OCELLE.] Euripides Ἀρτίμωδος χρυσέων ὄμμα Κιθαιρών. Hoc autem Epigramma tempore coniunctum est cum Epigrāmate de Phaselis. Nam Phaselo vectus est Sirmionem.

LYDIÆ *lacus vndæ.*] Hic viri docti colonias nescio quas Tyrrhenorum somniant. Laudo conatum: sed sane longe aliud voluit poeta. neque vlla hic historia est. Nam si ita esset, legendum erat, *Lidij lacus vndæ.* At falsa omnia sunt ista: Itaque aliud quærendum. Legendum enim *Saluete vosque ludiæ lacus vndæ.* Ludius proprie est ὀρχηστής. Ouidius:

Ludius æquatam ter pede pulsat humum.

Statius:

Hoc plaudunt grege ludiæ tumentes.

Prudentius:

Saltat Tonantem tauricornem ludius.

At vbique semper hoc nomen per ypsilon scribitur, male. adeo vt eximius vir Adrianus Turnebus grauiter peccauerit, qui vult apud Statium Lydias tumentes dici, quia Lyde apud Iuuenalem dicitur turgida. quasi Lyde idem sit cum Ludia. alterum Latinum purum putum est, alterum Græcum καὶ proprium. At ludius, vt iam dixi, saltatorem significat. vnde eo nomine Luperci dicti, quod per totam vrbem

A discurrerent saltitando. auctor Tertullian. Hinc Plautus: *Pessuli heus pessuli, vos saluto lubens. Fite caussa mea ludij barbari, Subsilite, obsecro, & mittite istam foras.* Varro rerum rusticarum tertio: *Quum insulas ludianorum choreusas vidisses.* Lege, *Quum insulas ludiano ritu choreusas vidisses.* hoc est, ὀρχοῦν δίκην χορεύουσι. Hinc duæ stellæ in cauda Cynosuræ, quæ præcedunt vltimam, dicuntur Græce χορευταί, quia circa vltimam mouentur, LVDENTES autem ab interprete Germanici. Ludius igitur & Ludens ὀρχηστὴς. χορευτής. Glossæ, ὀρχηστής. ὁ ἐκλυτικός, *Ludio.* Hic igitur ludiæ vndæ

B dictæ, quæ perpetuo motu agitantur. Nemo paulo doctior negauerit hunc sensum Catulli fuisse. Itaque totam Lydiam cum Turrhenis missam faciamus. Quibusdam tamen non probatur, vt solet.

Ad Ipsithillam. XXXIII.

AMABO mea dulcis Ipsithilla.
Meæ deliciæ, mei lepôres,
Iube, ad te veniam meridiatum.
Quod si iusseris, illud adiuuato,
C *Ne quis liminis obseret tabellam,*
Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, paresque nobis
Nouem continuas fututiones.
Verùm, si quid ages, statim iubeto.
Nam pransus iaceo, & satur supinus
Pertundo tunicamque, palliumque.

ANT. PARTHENIVS.

D AMABO *mea dulcis Ipsithilla.*] Cibo potuque satur, atque repletus, & tentigine commotus, Ipsitillam amicam rogat, vt domi maneat, multiplicesque coitus Cat. præparet.

AMABO.] Blandientis est aduerbium.

IVBE.] Velis: vt Terent. *Iubeo Chrementem saluere.*

MERIDIATVM.] Ad meridiem agendum dicitur meridio & meridior, vtraque terminatione, teste Prisciano: & idem est quod meridiem ago, seu tracto: vnde meridiationes apud Cicer. in libro de diuinatione legimus.

TABELLAM.] Ianuam: postes, pars pro toto:

E aut materiæ, pro re, denominatio.

NOVEM *continuas fututiones.*] Nouem diuersa concubitus genera secundum Elephantidis poetæ libellos intelligit, quorum concubituum meminit Naso in fine artis: & Virg. in obscæno carmine. *Obscænas rigido Deo tabellas,*

Ducens ex Elephantidis libellis,
Dat donum Lalage, rogatque tentes
Si pictas opus edat ad figuras.

PRANSVS.] Hic locus me monet vt ego mirer cur Seruius scripserit, apud priscos in vsu non fuisse prandia, quod falsum esse constat.

PERTVNDO.] Perforo, inguine teso & saliente.

PALLADIVS FVSCVS.

AMABO *mea dulcis.*] Versus est hendecasyllabus. poeta satur cùm tentigine vexetur, orat Hypsitillā, vt sibi venire iusso paret nouem fututiones.

AMABO.] Aduerbium est blandientis, quo nostri comici frequenter vtuntur.

MEÆ *deliciæ.*] Mea oblectamenta.

MEI *lepores.*] Meæ facetiæ.

MERIDIATVM.] Per meridiem dormitum. Meridiare enim est meridianum somnum capere. Cornel. Cel. *Longis diebus meridiare potius ante cibum vtile est: Sin minus post eum: per hyemem potius totis noctibus conquiescere.* Et Sueton. in Caligula. *gloriatusque est expergefactæ somno Cæsoniæ quantum egisset: dum ea meridiaret.*

SI *iusseris.*] Me venire.

ILLVD *adiuuato.*] Id quoque mihi præstabis.

OBSERET.] Tabellam fores claudat.

SI *quid ages.*] Si me venire voles.

PRANSVS.] Postquam prandi.

SVPINVS.] Supini dicuntur qui in dorsum cubant.

PERTVNDO.] Pulso, percutio.

TVNICAMQVE, *palliumque.*] Nimia scilicet tentigine.

ACHILLES STATIVS.

IVBE, *ad te veniam meridiatum.*] Meridiari nonnumquam in obscenis est. significat enim rem cum amica habere. sic alibi, *Quanta gaudia, quæ vaga Nocte, quæ medio die Gaudeas.* Eodem modo & Græci Δειλινάζειν. Cleomedes enim Περὶ κυκλικῆς θεωρίας de Epicuro, Καὶ τὰς παννυχίδας, μεθ' ἃς ἐπὶ ταῖς κοίταις δημερεύουσιν Et Ouid. nisi fallor, in eodem genere, *Proueniant medij sic mihi sæpe dies.*

ILLVD *adiuuato.*] Adde ad id. Sic prope Liuius eodem verbo vtitur in II. ab. v. c. de bonis Tarquini regis, *Ne non reddita,* inquit, *belli caussa, reddita belli materia & adiumentum essent.* Ac post, de insula in Tiberi, *Postea additas credo moles, manuque adiutum.*

NE QVIS *liminis obseret tabellam.*] Sic legendum è manuscriptorum consensu. Obserere tabellam, perinde est, ac si dixisset, Obdat pessulum ostio.

VERVM, *si quid ages, statim iubeto.*] Statim id significare hoc loco videtur, quod re perfecta, Continuo. quasi id dicat, simul id quod agis confeceris, statim ad me mitte. Nonius Statim, id est, perseueranter, priore ait esse producta. sed id alij viderint.

NAM *pransus iaceo, & satur supinus Pertundo tunicamque, palliumque.*] Sic etiam in manuscriptis. At ego haud paullo concinniorem fieri sententiam existimo, si pro Satur, Sathe legamus. quod verbum Græcum quidem est ipsum, sed quo etiam, vt nonnullis alijs, vsus Catullus videri possit. significat autem membrum virile. auctor Macrob. in I. Saturn. Sed verbo Pertundere idem proprie vtitur. ab hoc enim verbo

A deæ Pertundæ nomen finxerant. Auctor Arnobius in IIII. aduersus gentes. *Etiamne Pertunda,* inquit, *quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis.* Et quæ sequuntur.

M. ANT. MVRET.

ADIVVATO.] Antique, pro, addito.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

AMABO *mea dulcis Hypsithilla.*] Hypsithea, Græcum ὑψίθεα. ὑποκοριστικῶς Latinum Hypsi-
B thilla. Non est ergo vt Turnebi sententia hic locum habeat, qui hospitilla legit.

ILLVD *adiuuato.*] Ita etiam Ciceronem in epistolis ad Atticum locutum memini. Plautus Prologo Pœnoli: *Valete atque adiuuate vt nos seruet salus.* Petronius: *Quod si non adiuuissetis de hac medicina, quam peto, iam parata erat in crastinum turba.* At Turnebus hoc mutare voluit: & legendum censet, *adiubeto.* male. Vltimum autem versiculum pene ad verbum exprimit ille in Cyclope Euripidis:

Ἐκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα πέπλον κρούω.

C In Vibennios. XXXIIII.

O FVRVM optime balneariorum,
Vibenni pater, & cinæde fili.
Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore.
Cur non exilium, malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo, & nates pilosas
D *Fili non potes asse venditare.*

ANT. PARTHENIVS.

O FVRVM *optime balneariorum.*] In Vibennios patrem & filium inuehitur, alteri furta, alteri stupra nefanda obiiciens, monensque vt ab hominum conspectu diffugiant.

FVRVM *balneariorum.*] Maxime furum qui furantur in balneis vestes hominum se lauātium.

VIBENNI *pater.*] Intelligitur etiam filium eodem nomine fuisse appellatum.

IN *oras ma.*] Regiones infelices, vbi pereatis.

QVANDOQVE.] Pro siquidem, idest, quia.

E NON *potes asse vendicare.*] Idest, nates tuas pilosas à pilorum sylua liberare non potes, totius tuæ pecuniæ impensa.

ASSE.] Tota pecunia: nam tota & integra summa cuiusque pecuniæ as dicitur, & in duodecim vncias diuiditur, vt Pris. & Var. scribunt. legitur & venditare, idest, venundare vt sit frequentatiuum à vendo, & tunc assem pro nummo accipias: vt sit sensus. Abite Roma, vbi amplius viuere nō potestis, quoniam patris furta detecta sunt: & tu ô fili pilosas nates, omnibus molestas & inuisas, asse vno vendere non potes.

PALLADIVS FVSCVS.

O FVRVM *optime.*] Versus est hendecasyllabus. Monet duos Vibennios, patrem & filium, vt, vrbe vltro relicta, alio se conferant: cum alterius furta nota sint populo, & alter propter annos non amplius pædicetur: & ita ostendit patrem fuisse furem, filium vero cinædum.

BALNEARIORVM.] Qui circa balnea versantes furantur.

NAM *dextra pater inquinatiore.*] Quia furatur. nam vt iam diximus furaces homines manus visco vel pisce inquinatas habere finguntur.

CVLO *filius est voraciore.*] Quia est cinædus.

CVR *non exilium.*] Cur sponte non exulatis.

MALASQVE *in oras.*] In pestilentes orbis partes. Ora enim sine aspiratione duo significat, terram mari vicinam, & funem, quo nauis terræ alligatur. Quintilianus, *& oram soluentibus bene precemur.*

QVANDOQVIDEM.] Ratio cur abire debeant.

ASSE.] Vili pecuniola. de asse iam diximus.

VENDITARE.] Frequenter védere, vt prius, antequam fieres hispidus.

ACHILLES STATIVS.

O FVRVM *optime balneariorum.*] Optimum furum, id est furum omnium furacissimum, & furandi magistrũ. In balneis autem fures versari solitos, etiam Epictetus in Enchiridio, Ἐὰν λουσόμενος ἀπίῃς, πρόβαλε σεαυτῷ τὰ γινόμενα ἐν βαλανείῳ, τοὺς ἀπορραίνοντας, τοὺς ἐγκρουομένους, τοὺς λοιδοροῦντας, τοὺς κλέπτοντας. Et in furem balnearium dictum extat Diogenis ἐπ' ἀλειμμάτιον, ἢ ἐπ' ἄλλ' ἱμάτιον. Fures balnearum, dicit etiam Tertullianus in extremo libro de fuga in persecutione.

NAM *dextra pater inquinatiore.*] Comparatiuis vtitur pro primitiuis. Inquinatas autem manus vel propter furta, vel obscenitatem aliquam dixit, qua se ille dexteramque coinquinaret.

M. ANT. MVRETVS.

O FVRVM *optime balneariorum.*] Fures balnearios vocabant, qui surripere solerent vestimenta eorum, qui lauatum ierant. hi autem capitali supplicio afficiebantur; cum ceteris dupli tantum pœna proposita esset. cuius rei multas caussas reddit Aristoteles in problematis. Primum, quod facillimum est in balneis furari. quare, ne magna illa efficiendi facultas cuiquam occasionem peccandi daret, voluit legislator quasi ex aduerso opponere maioris pœnæ metum. Deinde, si quis tuum aliquid è domo tua surripuerit, iam tua, ex parte aliqua, culpa est; qui non vel fores occluseris, vel quoquo modo parum tibi spectatæ fidei hominem ædium tuarum aditu prohibueris. at balneator, velit, nolit, omnes sine discrimine in balineas recipere cogitur. merito igitur lex plus ei opis afferre debuit. Adde, quod, qui conuicti sunt furti alicuius alio in loco non ita celebri admissi, postea tamen interdum sese ad bonam frugem recipiunt, omnique studio moliuntur efficere, vt maculam illam insequentis vitæ continentia deleant: at hi, qui prauitatem suam toti populo patefactam vident, abiecta omni spe, fore vt illud famæ dispendium vlla vnquam ratione sarcire possint, ne conantur quidem animum ad bonas partes adducere: itaque merito, tanquam depositi penitus, desperatique, à corpore reipublicæ excinduntur. Præterea, vt qui publice egregium aliquod facinus obeunt, plus præstant reipub. quàm qui priuatim; ideoque maioribus præmiis honorantur: ita qui publice scelus aliquod obeunt, insignius lædunt ciuitatem, quam si eodem se, aliquibus in latebris, contaminarent: neque facto tantum, verum etiam exemplo nocent: quare & grauioribus eos suppliciis affici par est. Addit & alias quasdam, quibus, ne nimium excrescat oratio, recensendis supersedebimus. Lepide autem optimum furem dixit Catullus, cum callidissimum, & furacissimum significet: quasi vlla in vitiis bonitas esse possit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NAM *dextra pater inquinatiore.*] Qui in hoc versu VORACIORE reponunt, & in altero INQVINATIORE, tantum eos rogabo, vt resipiscant, & patiantur receptam lectionem antiquum jus suum obtinere, & quod in altero versu τὸ VORACIORE eos offendat, discant prius, quam alios docere instituant. Discant, inquam, quare βαλανοβόρον vocauit Diogenes adolescentem Διδυμίων. Nam quis dextram voracem diceret?

Seculare carmen ad Dianam.

XXXV.

DIANÆ sumus in fide
Puella & pueri integri.
Dianam pueri integri,
Puellæque canamus.
O Latonia, maximi
Magna progenies Iouis,
Quam mater prope Deliam
Deposiuit Oliuam.
Montium domina vt fores,
Siluarumque virentium,
Saltuumque reconditorum,
Amniumque sonantium,
Tu Lucina dolentibus,
Iuno dicta puerperis,
Tu potens Triuia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Tu cursu Dea menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocunque placet tibi
Sancta nomine, Romulique
Ancique, vt solita es, bona
Sospites ope gentem.

ANTONIVS PARTHENIVS.

DIANÆ *sumus in fide Puellæ.*] Puellæ in templo Dianæ secularem hymnum celeberrime concinunt: petentes à Dea, mensium, temporis, & anni duce, felices omniũ frugum & fructuum prouentus, ac Romanæ gentis sospitatem.

IN *fide.*] Idest, tutela: vt Ter. in Eunucho, *Tuæ me commendo ac committo fidei*, alij legunt *æde*, id est templo, vtra lectio sit probabilior, versus deprauatus syllabarum quantitate non discernit: nam tres primi versus nullam certam, nec secum, nec cum sequentibus versibus dimensionem habent: post enim tres primos, reliqui fere omnes sunt Glyconici ex spondæo & duobus dactylis: alij vero sunt dimetri trochaici, ex tribus trochæis & duobus iambis, alij ex duobus iambis & duobus trochæis, incerta versuum omnium distributione sequenti.

INTEGRI.] Incorrupti, omni libidine intacti, pudici.

PVELLÆ *Canamus.*] Hic versus vt puto deprauatus est: nam vna syllaba breuior est superioribus.

PVELLÆ *canamus.*] Nam quãuis pueri etiam his hymnis interessent, solæ tamen puellæ Dianæ laudes decantabant: pueri vero Apollini pæanes celebrabant: vnde Horatius,

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonsum pueri dicite Cynthium.

Aliquando vero pueri & puellæ simul seculare carmen canebant: vt apud Horatium,

Phœbe syluarumque potens Diana,
Lucidum cœli decus ò colendi.

QVAM *mater prope Deliam Deposuit Oliuam.*] In Ægeo pelago Delos insula eminet, & illi circunstantes cyclades, habet vrbem in plano positam & Apollinis atque Latonæ templum. Cynthus autem mons sublimis & asper incumbit vrbi. Hanc insulam prisci Ortygiam nominarunt: Fabulæ autem tradunt Latonam hoc in loco pariendi soluisse dolores, Apolline simul & Diana in lucem editis. Delos autem vocata fuit, quoniam, vt scribit Aristoteles, repente apparuit nata: nam δῆλος manifestus dicitur: vel vt sentit Macrobius, quia ortus est quasi partus luminum, & omnia facit δῆλα id est aperta clarescere.

MATER.] Latona, quam physici terram videri volunt. Legito Macrobium in libro primo, hanc fabulam latissime interpretantem.

DEPOSVIT.] In lucem edidit.

PROPE *Oliuam Deliam.*] Vtrum Catullus an Strabo errauerit me latet: nam Strabo libro decimo Delon describens & Latonæ partum, de

A hac oliua nullũ verbum protulit, sed libro xiiij. In Ioniæ descriptione post Ephesi mentionem, ait: *Paulo supra mare est Ortygia, lucus omnis generis materiæ pulcherrimus, præsertim Cyparisso: per eum Cenchrius amnis fluit: in quo dicunt Latonam ex partu lotam, nam hoc in loco fabulantur, & partum eius, & nutricem, & aditum in quo peperit, & proximam oleam ad quam tradunt eam primo post partum quieuisse.* Ex his Strabonis verbis planũ est Ortygiam esse lucum Ioniæ in quo Latona post partum oliuæ incubuerit: Catullus autem clare ait Latonam apud Deliam oliuam partum deposuisse. Vtrũ igitur olea illa cui inhæsit Latona sit, vt scribit Catul-
B lus in Delo, quæ & Ortygia dicitur: an magis sit olea Ortygia Ioniæ luco. Vterue horum auctorum nominis similitudine errauerit, aliorum sit iudicium, mihi satis fuerit opinionum diuersitatem ostendisse.

MONTIVM *domina vt fores.*] Nam Diana venationum, quæ vt plurimum in montibus & syluis fiunt, dea est. Hor.

Montium custos, nemorumque virgo,
Quæ laborantes vtero puellas
Ter vocata audis, adimisque letho
Diua Triformis.

C SALTVVMQVE *reconditorum.*] Versus hic est hypermeter, abijcitque vltimam syllabam collisione insequentis versus.

TV *Luc. dol.*] Apud diuersos auctores Lucina, modo Iuno, modo Luna, & Diana legitur: & recte quidem: nam, vt scribit Macrobius, maiores nostri Lunam ac Iunonem eandem putauerunt. legito Macrobium libro primo.

LVCINA.] Vt sentit Plinius à luco Romæ nominatur: vel, vt asserit Varro, Iuno Lucina dicta est, quod è terra, vt physici dicunt, lucet: vel ab luce eius, qua quisq; cõceptus est. Ouid. in Fastis
D vtrũq; tetigit. *Gratia Lucinæ, dedit tibi nomina lucus,*
Vel quia principium tu dea lucis habes.
Iuno aëris arbitra est.

TRIVIA.] Luna, triuia dicit, vt Varroni placet, quod in triuio ponitur fere in oppidis Græcis, vel quod Luna dicitur esse, quæ in cælo tribus viis mouetur, in altitudinem, latitudinem, & longitudinem.

NOTHO.] Non naturali neque legitimo: vt filij non legitimi, dicuntur nothi, priore syllaba breui: & sic legendũ est, vt stet versus. Luna enim suum naturale lumen non habet: nam, vt scribit
E Macrobius; *Quia sola ipsa sub sole est, & caducorũ iam regioni luce sua carenti proxima, lucem nisi desuper posito sole cui resplendet, habere non potuit.*

A *lumine.*] Quod à sole mutuatur Luna: Varro tamen aliud sentire videtur scribens, *Luna dicitur quod sola lucet noctu, itaque & dicta noctiluca in palatio: nam ibi noctu lucet.*

MENSTRVA.] A mense, quem cursu suo diebus viginti octo fere absoluto conficit: nam vt Macrobius tradit, *maiores nostri mensium initium ab exortu Lunæ seruauerunt, ideo Iunoni, calendas omnes addixerunt, Lunam ac Iunonem eandem appellantes.*

EXPLEAS.] Impleas.

AGRICOLÆ.] Singularis pro plurali numero.

SOSPITES.] Sospitem facias: nam vt Macrobius peritè docet, *vitam nostram præcipue solet Luna*

moderari: Strabo autem libro xiiij. sic scribit, *Artemis Luna dicitur, eo quod integros faciat. Sol quoque & Luna causa sunt temperiei aeris, & pestes, & spontanea his mortes applicantur.*

BONA *ope.*] Bono auxilio salubri aëris influentia.

PALLADIVS FVSCVS.

DIANAE *sumus in fide.*] Versus est glyconicus, qui constat ex spondæo & duobus dactylis, sed quartus quisque loco secundi dactyli habet spondæum: sicut in aliis nonnumquam pro spondæo ponitur iambus vel trochæus. Hymnus est, quem pueri & puellæ canunt in laudem Dianæ à qua demum petunt, vt ipsa sospitet rem Romanam.

IN *fide.*] In tutela.

INTEGRI.] Casti, siue incorrupti. Propertius. *Iurabor bis sex integer esse dies.* Sed lector aduerte, quod in nouis codicibus, tam impressis quam manuscriptis, deest tertius versus: quem nos in vetustiore exemplari inuentum suo loco audacter reposuimus.

LATONIA.] Diana Latonæ filia.

MAXIMI.] Optimus & maximus, asserente Quintiliano. vt mediam. I, litteram quæ veteribus V fuerat, acceperent, C. primum Cæsaris inscriptione factum traditur.

MAGNA *progenies Iouis.*] Ex Ioue, & Latona, vt tradunt fabulæ, nati sunt Apollo & Diana.

MATER.] Latona.

DELIAM.] Delos Cycladum media templo Apollinis ac mercatu celebrata est: quæ diu fluctuata, vt proditur, sola motum terræ non sensit ad M. Varronis ætatem: sed de ea plura legito apud Strabonem, Pliniumque. assurgit tamen Cyntho monte sublimi & aspero. est & alius mons eodem nomine in Bœotia vt auctor est Plutarchus in Pelopida: fuit ibidem templum Apollinis Tegyreæ, & post ipsum duo mirabiles suauitate fontes, quorum alter palma, alter oliua appellatus est, ad quem nunc alludere videtur Catullus.

DEPOSVIT.] Emendo deposiuit: Nam si legas deposuit, vt habent exemplaria, non stat versus: hoc autem præterito quod nunc penitus exoleuit, vsos esse veteres indicat Priscianus. eius verba sunt. *In no. O vel G antecedentibus per us. diuisas syllabas faciunt præteritum vt pono posui, & ab eo composita suppono supposui, compono composui.* Antiqua tamen posiui protulisse inueniuntur. Plautus, *Nunc apud vitulum sequestrem posiuimus.* & Apuleius in primo Hermagoræ, *Et cibatum quem iucundũ nobis esse aduerterant, eum apposiuerunt.*

MONTIVM *domina vt fores.*] Ea breuitur attingunt, quæ maiores nostri deæ huius numini subiecta esse voluerunt.

MONTIVM.] Horatius in carmine seculari, *Montium custos nemorumque virgo.*

TV *Lucina dolentibus.*] Stoici, vt Seruius attestatur, contendebant esse nisi vnum deum & vnam deam, eandemque esse potestatem, quæ pro ratione officiorum variis nominibus appellatur. vnde eundem Solem, eundem Apollinem vocauerunt: Item Lunam eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Iunonem, eandem Proserpinam dixerunt: quod ideo huic loco inserendum esse putaui, ne cui sit mirum, si eadem dea à Catullo, pluribus ac variis nominibus, vocetur.

TV *Lucina dolentibus, Dicta Iuno puerperis.*] Terentius in Andria. *Iuno Lucina fer opem: salua me obsecro.* & Vergil. in Bucolicis.

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet. ac toto surget gens aurea mundo:
Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Iuno autem à iuuando dicta est. Lucina vero quod partum in lucem prodat: siue quod oculis prosit & luci; siue à luco, quem Romæ in exquiliis habebat.

TRIVIA.] Hic Varronem audire non pigeat ita scribentem, *Triuia est Diana ab eo dicta quod in triuio ponitur fere in oppidis Græcis: vel quod luna esse dicitur quæ in cælo tribus vijs mouetur, in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem.*

NOTHO.] Non naturali sed aliunde accepto.

DICTA *lumine Luna.*] Luna (vt quibusdam placet) dicta est quasi lux aliena, quia luce propria carens, id lucis quod habet à Sole mutuatur. vnde Verg. *Nec fratris radiis obnoxia surgere Luna.*

MENSTRVA.] Ad cuius cursum mensis ordinatus est.

RVSTICA *agricolæ bonis Tecta frugibus exples.*] Hic poeta aperte indicat eandem esse Cererem, quæ Diana, Lucina, Lunaque & Triuia.

SANCTA.] Veneranda.

SOSPITES.] Bona spe afficias, aut bonam eius spem non fallas. Talis enim est verbi huius significatio.

ACHILLES STATIVS.

DIANAE *sumus in fide Puellæ, & pueri integri.*] Integros dicit virgines, intactos. quod ita esse, cum aliorum, tum Cn. Gellij verba è. III. Annali illa apud Gellium in XIII. cap. XXI. ostendunt, *Vti nos itidem integras raperent vnde liberos sibi, & suis posteris patriæ pararent.*

DIANAE *pueri integri.*] Impressit hunc olim versum Aldus, qui tamen nullo est in manuscripto. Itaque addititium puto, atque alienum, ac germanum Catulli versum desiderari.

QVAM *mater prope Deliam Deposiuit oliuam.*] Petrus Victorius, singuli doctrina vir, & industria, primus docuit legendum hoc loco, Deposiuit, antiquorum more.

MONTIVM *domina vt fores.*] Euripid. in Iphigenia Δίκτυν' ὀρεία. Horat.

Montium custos, nemorumque virgo.

AMNIVMQVE *sonantium.*] Sic etiam Græci Sonantes fluuios vocant, vt est in Sibyllæ Acrostich. Σὺν πηγαῖς ποταμοί κα χλάζοντες λείπον. Et Theocritus in Ptolemæo, Καὶ πόταμοὶ κελάδοντες. Et Vergil. *Transque sonantem Ascanium.* Et in XII. Æneid. *Stagnis quæ fluminibusque sonoris Præsidet.*

TV *Luc. dol.*) ὠδῖνεσς. Dolores etiam in hoc genere videtur dicere Festus in verbo Molucrum.

TV *potens Triuia.*) Hæc de diis dicebãtur, Potẽs, Pollens, Potentiæ, Potestates. Auctor Arnobius.

ET *notho es Dicta lumine Luna.*) Eodem modo Lucret. in V.

Lunaque siue notho fertur loca lumine lustrans,
Siue suam proprio iactat de lumine lucem. Quinctilianus, opinor, testari Catonem in oratione

quadam scribit. Latinum se nomen pro eo quod A
est Νόθος non habere. Quamobrem Græco verbo sunt vsi Lucretius, & Catullus.

SIS *quocumque places tibi Sancta nomine.*] Expressisse sic videtur id, quod in extremis Hymnis fere ponunt Græci poetæ, Χαῖρε.

ANTIQVAM.] vno in manuscripto, Antiqui. vt ad Romuli referatur.

BONA *Sospites ope gentem.*] sic post, *Salue, teque bona Iuppiter auctet ope.*

M. ANT. MVRETVS.

DIANÆ *sumus in fide.*] ludis sæcularibus, B
pueri puellæque Apollinis ac Dianæ laudes canere consueuerant. In eum igitur vsum hymnus hic factus est, quo Dianæ laudes continentur. Tres eiusdem generis hymni apud Horatium leguntur. De his autem ludis multa admodum digna cognitu collegit Politianus in miscellaneis.

IN *fide.*] in tutela, in clientela.

INTEGRI.] nam & ipsa virgo est; vtque semper virgo esse posset, recens nata, obtinuit à Ioue. vnde apud Ouidium Daphne,

Da mihi perpetua genitor carissime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianæ. C

quo loco dubium non est, quin Ouidius Callimachum exprimere voluerit, apud quem Diana ipsa ita loquitur,

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

Quin & Socrates apud Platonem in Cratylo, cum varias causas tradat, cur hæc dea Græcè ἄρτεμις nominetur, illam primam ponit, quod ἄρτεμις integrum valeat, & incorruptum; ideoque recte illi hoc nomen tribui, διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν.

DEPOSIVIT.] enixa est. ἀπεθήκατο κόλπου, Callimachus. *Deposiuit* autem antique, pro deposuit. Priscianus lib. x. Antiqui, inquit, & posiui protulisse inueniuntur. Plautus in Vidularia,

Nunc apud sequestrum vidulum posiuimus. D

Apuleius in primo Hermagoræ, *Et cibatum, quem iocundum esse nobis animaduerterant, eum apposiuerunt.*

PROPE *Deliam oliuam.*] de Latonæ partu varia antiqui scriptores literis prodiderunt. Sunt, qui dicant ab ea in Delo Apollinem Dianamque vno partu editos. Cicero in Verrem, *Si tu pueritia non iis artibus & disciplinis institutus eras, vt ea, quæ literis mandata sunt, disceres atque cognosceres: ne postea quidem, cum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id, quod est proditum memoriæ ac literis? Latonam ex longo errore, & fuga, grauidam, & iam ad pariendũ vicinam, temporibus exactis fugisse Delum, atque ibi Apollinem, Dianamque peperisse: qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur.* Atque ea sententia plurimos assertores habet vnde Latonam Orpheus διδυματόκον, Ouidius gemelliparam vocat. Alij Apollinem & Dianam ne eodem quidem loco, nedum eodem partu, editos esse aiunt, sed Dianam quidem in Ortygia, Apollinem vero in Delo. idque ex Orpheo ipso colligunt.

Γειναμένη Φοῖβόν τε, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
Τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὴν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ.

Sed & Homerus,

Χαῖρε μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
Τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὴν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ,

Rursum alij Ortygiam & Delum eandem esse dicunt. Ouidius,

—tempusque fuit, quo nauit in vndis,
Nunc sedet Ortygie:

vbi aperte Ortygiam, Delum vocat. Strabo quoque Delum olim Ortygiam vocatam admonet. distinguuntur tamen in iis, quos citauimus, Orphei, & Homeri versibus; & Strabo ipse libro XIIII, aliam quandam à Delo Ortygiam describit, vbi de non nullorum sententia ait Dianam & Apollinem natos esse. Neque minus habet dubitationis, ad quam arborem Latona pepererit. Catullus hic oliuam nominat; in eademque sententia sunt Strabo, & Hyginus. at palmam, ait Plinius, in Delo, Apollinis & Dianæ natalibus nobilem conspici. idque Homerus, Theognis, Callimachus comprobant. interpres quoque Apollonij, Mos, inquit, parturientium est, proxima quæque apprehendere, vt sic dolores aliqua ex parte subleuent: sic Latona palmam apprehendit. interpres Iliados Homericæ vtranque arborem ponit, & palmam videlicet, & oliuam: idemque etiam Ouidio placuit, cuius illud est,

Illic incumbens cum Palladis arbore palma,
Edidit inuita geminos Latona nouerca.

at Plutarchus in Pelopida, & in libro de defectu oraculorum, Deli, qui Bœotiæ mons est, accolas Apollinis & Dianæ ortum sibi vendicare ait; illic esse Apollinis Gytæi ædem, ad cuius posteriorem partem duos fontes fluere aqua dulcissima, plurima, frigidissima, quorum alterum palmam, alterum oliuam vocari. Euripides autem in Hecuba, duas arbores è terra extitisse in Delo, palmam, & laurum; cum ibi Latona partu leuaretur.

D MONTIVM *domina.*] sic Horatius,

Montium custos, nemorumque virgo.

& ipsa apud Callimachum Iouem alloquens, Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα. & paulo post, Οὔρεσιν οἰκήσω.

TV *Lucina.*] eadem est Iuno Lucina, & Diana Lucifera, vt ex hoc loco cognoscitur, & ex Cicerone II. de natura deorum. Sic Horatius,

Siue tu Lucina probas vocari.
Seu genitalis Diua. Idem,
Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia tuere matres.

E Hesiodus tamen & Pindarus, & Callimachus aliam à Diana Ilithyian faciunt: immo vero parienti Latonæ ait Pausanias Ilithyian affuisse, cum ex Hyperboreis ad eam parturientem accurrisset. Seruius, Dianam ipsam matri obstetricis munus præstitisse. Apud Callimachum Diana sibi datum ait à fatis, vt parientibus opituletur, quod ipsa sine vllo materno dolore edita fuerit. Contra Homerus, totos nouem dies laborasse Latonam, donec Iris partu eam leuatura, inscia Iunone, adueniret. Sed quis in fabulis firmum aliquid, aut constans requirat?

POTENS *Triuia.*] eadem enim est cum

Hecate, quæ in triuiis colebatur. Virgilius.

Nocturnisque Hecate triuiis vlulata per vrbes.

Potentis autem epithetō ei proprium est. Idem,

Voce vocans Hecaten, cæloque ereboque potentem.

Notho *lumine.*] lucet enim aliena luce, vt ait Cicero. vnde & mulos eius vehiculo dabant, quod vt mulus non suo genere, sed equis creetur, sic ea solis, non suo, fulgore luceat. auctor Festus.

Tu *cursu dea menstrue.*] vnde & mensis ipse dictus est, ἀπὸ τῆς μήνης.

Rustica *agricolæ.*] Callimachus,

Οὓς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσηαι,
Κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν.

hoc autem non sine ratione physica dictum est. humori enim præest Luna, quo omnia nutriuntur.

Sis, *quocunque tibi placet.*] erudite, & eleganter explicat hunc locum Petrus Victorius variarum lectionum lib. XIII. cap. II.

Bona *ope.*] sic infra.

Salue, teque bona Iuppiter auctet ope,

Sospites.] sospitare est bona spe afficere, aut bonam spem non fallere. Festus. Sospitent, seruent. Ennius Menalippa,

Regnumque vostrum sospitent, superstitentque. Nonius.

IANVS DOVSA FIL.

Tv *potens Triuiæ & notho es Dicta lumine Luna.*] Locus hic me commodè admonuit, vt in Arnobio eruditissimo Scriptore tollam leue quidem mendum, sed tamen à nemine adhuc animaduersum. vbi enim legitur lib. II. aduersus Gentes: *Quid est vobis vestigare, conquirere, quisnam hominem fecerit? animarum origo quæ sit? quis malorum excogitauerit caussas? orbe sit Sol amplior, an pedis vnius latitudine metiatur? alieno ex lumine, ac propriis luceat fulgoribus Luna?* quis non videat legendum, qui modo ἀκολουθίαν sermonis consideret; *an propriis luceat fulgoribus Luna?* distinguit enim hæc: *alieno ex lumine* & *propriis fulgoribus lucere.* Lucretius lib. v.

Lunaq́, siue notho fertur loca lumine lustrans,
Siue suam proprio iactat de corpore lucem.

Vt autem hîc *suam lucem*, sic *suos ignes* dixit Seneca in Hippolyto loquens de Luna:

Cùm suos ignes trepidante cornu
Iunxit.

sequutus eos qui proprio Lunam lumine lucere opinati sunt, quales fuere ex Philosophis, Anaximander, Xenophanes & Berosus, cuius postremi sententiam enarrare voluisse Lucretium his versibus mox ostendam:

Est etiam quoque vti proprio cum lumine possit
Voluier, & varias splendoris sumere formas.

Et paucis versibus interiectis.

Versarię, potest, globus vt si (lego sit) fortè pilai
Dimidia ex parti candenti lumine tinctus,
Versandoq́, globum variantes edere formas:
Denique eam partē, quæcunque est ignibus aucta,
Ad speciem vertit nobis oculósque patentes,
Inde minutatim retro contorquet & aufert
Dimidiam partem glomeraminis atque pilai:
Vt Babylonica Chaldæum doctrina refutans
Astrologorum artem contra conuincere tendit.

A Hos versus adduxi, quòd viderem pessimè ab Interpretibus acceptos hactenus, dum alij *Chaldæûm* ad Astrologos referunt, alij *Chaldeam* legunt, neutri rectè. neque enim intellexerunt per Chaldæos Berosum intelligi, *qui à Chaldæorum ciuitate siue natione progressus in Asiam, ibi* (ita lego) *disciplinam Chaldaicam patefecit*, vt ait Vitruuius. Sic etiam intelligendus ille Apuleij locus de Deo Socratis: *seu illa* (scil. Luna) *proprio seu* (malim &) *perpeti candore, vt Chaldæi interpretantur, parte luminis compos, parte altera cassa, fulgoris, pro circumuersione orsi, discoloris, multiuiga, pollens speciem sui variat.* Ita enim distinguo eum locum non

B bene in vulgatis libris interpunctum. Berosi porro doctrina hæc multis verbis à Vitruuio explicatur lib. IX. cap. IV. sed sententia eius, vt breuissimè perstringam, hæc est: corpus Lunę pilam esse dimidia parte candidam: altera cęruleam: in coitu Solis ardore corripi, conuertique partem eius candentem proprietate quadam naturæ luminis ad lumen trahendi, atque ita fieri auersam nobis & cæruleam, hoc est, inferiorem eius partem, quod candens non sit, propter aëris similitudinem obscuram videri. Porrò septimo die à coitu siue plenilunio, quod dimidio cæli spatio Luna distet à Sole, item dimidiam candentiæ partem ad nos conuersam esse. quartadecima

C autem die pleno orbe totam candentem partem nobis ostendi, à qua reliquis diebus vsque ad plenilunium quotidiana decrescentia aliquid minuatur. Tangit hanc Berosi opinionem etiam Plutarchus lib. II. De Placitis Philosophorum: vbi ait eum existimasse Eclipsim fieri κατὰ τὴν πρὸς ἡμᾶς ἀποστροφὴν τοῦ ἀπυρώτου μέρους. quod repetit etiam Stobæus in Physicis. Hinc ergo clarissimam lucem accipit Lucretij locus, qui antea dimidia parte Lunæ obscurior erat. Sequitur:

Tv *cursu dea menstrue Metiens iter annuum.*] Sic Cicero lib. II. de Natura Deor. *Iam Solis annuos cursus spatiis menstruis Luna consequitur.* De men-

D struo cursu Lunæ etiam locus Apuleij mihi nūc examinandus in mentem venit ex libro De dogmate Platonis. vbi ex Philosophi illius sententia dicit *menses effici, cùm Luna circuli sui completo curriculo ad eundem locum, à quo discesserit, reuertatur.* neque enim rectè conuertit illud Platonis: Μεὶς δὲ ἐπειδὰν Σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον ἥλιον ἐπικαταλάβῃ, nisi tamen hic exscriptorum non Apuleij error est, cuius in exprimendis Græcis summa peritia cum pari elegantia coniuncta meritò viris doctis admirationi est. alioqui pessimè confudisset Periodicum mensem cum Synodico, cùm hic viginti nouem diebus & dimidio, ille vicenis septenisque & tertia diei parte constet.

E tot enim diebus Signiferi orbem ambit Luna, & ab eodem puncto Zodiaci profecta ad idem reuertitur. quum autem Sol interea duodecimam cæli partem absoluerit, biduum & paulò amplius consumit Luna antequam Solem assequatur progressum à loco vbi illum ante mensem reliquerat. atque hęc dicitur συνοδικὸς σεληνιακός, illa περιοδικὸς siue περιοδικὸς σεληνιακός. Plato autem de Synodico loquutus est, vt & Alcinous de dogmate Platonis, καὶ σελήνη μὲν μηνιαῖον μέτρον ποιεῖ ἀναπληρώσασα τὸν ἑαυτῆς κύκλον καὶ καταλαβοῦσα τὸν ἥλιον ἐν το-

vire. frustra in hac re multa verba consumam, quam intelligent facilè, qui eruditum illum puluerem attigerunt. De Periodico etiam Varro apud Gellium lib. III. cap. IX. *duodetricesimo Luna,* inquit, *ex quo vestigio profecta est, eodem redit.* vnde errauit, Lactantius, cùm scribit: *Sed Luna, quæ orbem illum Signiferi triginta dierum spatio lustrat.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DIANAM *pueri integri.*] Quum deesset hic versus in manuscriptis, ἀνεγνῶται hunc supplerunt docti viri. neque puto aliter Catullum scripsisse.

ROMVLIQVE *antiquam, vt solita es.*] vetus scriptura: *Romulique Antiquæ.* lege, *Romulique, Ancique.* Romulus & Ancus reges Romæ. Quoties hic acciderit, vt C, & T, se commutauerint, longum esset in vnum ostendere. gens Romuli, & Anci, est Populus Romanus.

Cæcilium accersit. XXXVI.

POETÆ tenero, meo sodali,
Velim Cæcilio papyre dicas,
Veronam veniat Noui relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui, meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit.
Quamuis candida millies puella
Euntem reuocet, manúsque collo
Ambas iniiciens roget morari:
Quæ nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam, quo tempore legit inchoatam
Dindymi dominam, ex eo misellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi, Sapphica puella,
Musa doctior. est enim venustè,
Magna Cæcilio inchoata mater.

ANT. PARTHENIVS.

POETÆ *tenero meo sodali.*] Chartam suam alloquens, monet Cæcilium sodalem suum Comi morantem vt, Como atque Lario lacu relictis, statim Veronam ad Catullum se conferat: quoniam quædam consilia cuiusdam amici, habet poeta cum Cæcilio cõmunicanda: significátque neque puellæ dilectæ amoribus, neque alio impedimento, Cæcilium morari debere, quamuis à blandissima puella fuerit detentus. Cæcilius Catul. fuit secundi belli Punici temporibus: fuit item Statius Cæcilius Mediolanensis Ennij contubernalis: de quo hic nullo modo potest intelligi.

A PAPYRE.] ô charta mea: alij, quod mihi non placet, intelligunt esse proprium nuntij nomen.

NOVI *Comi.*] Comum ciuitas Galliæ Cisalpinæ, à Gallis, duce Brenno, condita, vt sentit Iustinus. de hac Strabo scribit, *Comum, mediocris erat Colonia: cæterum Pompeius Strabo Pompeij magni pater Colonos in eam restituit: quam incumbentes Rheti vastauerant: idem Cn. Scipio tria hominum millia insuper adiecit: postmodum diuus Cæsar quinque inquilinorum millia ad habitandum deduxit: è quibus quingenti illustrissimi fuêre Græci. Hos etiam ciuitate donatos in habitatorum numero descripsit, haud tamen ibidem domicilium habuêre: sed oppido nomen relinquentes & nouum Comum appellantes, Nouocomenses* B *oppidanos vocauere: huic loco finitimus lacus Larius est.*

LITVS.] pro ripa posuit: nam litus maris tantum est: ripa vero fluuiorum & lacuum: De Lario Virgilius. Inquit.

An ne lacus tantos te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino.

VORABIT.] cito conficiet.

QVÆ.] puella, Cæcilij amica.

IMPOTENTE.] impatiente.

LEGIT.] elegit Cæcilius.

ENTHEATAM.] diuino spiritu plenam: alij indotatam legunt: sed male.

DINDYMI *dominam.*] aut Dindymenem aut Cybelem appellatam: quo nomine deorum mater C Dindymi Phrygij montis domina vocabatur: vnde Dindymene dicitur.

IGNES.] amores; vt Virg. *& cæco carpitur igni.*

MISERÆ.] scilicet puellæ, Cæcilij amicæ.

EDVNT *medullam.*] nam vehemens amor medullas interiores calefacit atque consumit. Virg. *est mollis flamma medullas.*

IGNOSCO.] ordo & sensus, ô puella doctior musa Sapphica, ignoscendum est tibi, si Cæcilij vxorem ducentis amore carperis: Etenim tanta est Cæcilij sapientia, vt eius vxor ex eo grauida, iam magna mater vocetur: quo nomine deorum mater appellabatur.

D DOCTIOR *Sapphica musa.*] poetica mulier Mytilenæa Phaonem mercatorem indoctum adamauit: hæc Cæcilij amica prudentius facit, quæ Cæcilium perdoctum, ac generosum iuuenem deperit.

INVOCATA *magna mater.*] propter sponsi sui sapientiam.

INVOCATA.] appellata. Alij legunt inchoata magna mater Cæcilij, idest iam facta prægnans incæpta est mater infantis Cæcilij, à patre nominandi.

E PALLADIVS FVSCVS.

POETÆ *tenero.*] Versus est hendecasyllabus. Chartam suam alloquens Catullus, eam monet, vt Comum eat, dicatque Cæcilio, vt, auditurus quædam amici communis consilia, Veronam properet.

TENERO.] Iuueni.

PAPYRE.] charta. Plinius, *Prius tamen quam digrediamur ab Aegypto & papyri natura dicetur: cùm chartæ vsu maxime humanitas vita constet, & memoria. & hanc Alexandri magni victoria repertam, auctor est*

M. Varro: condita in Aegypto Alexandria. antea non fuisse chartarum usum, palmarumque folijs primum scriptitatum, deinde quarundam arborum libris. postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici coepta aut scheis.

VERONAM *veniat.*] Verona vrbs est Galliæ Cisalpinæ, à Gallis trans Alpes profectis condita.

NOVI *relinquens Comi mœnia.*] Strabo, de Como ita disserit. *hæc mediocris erat Colonia: caterum Pompeius Strabo magni Pompei pater, Colonos in eam restituit: quam incumbentes Rheti vastauerant. Inde, C. Scipio tria millia hominum insuper adiecit: postmodum diuus Cæsar, quinque inquilinorum millia ad habitandum deduxit, è quibus quingenti illustres fuere Graci: hos etiam ciuitate donatos in habitatorum numero descripsit, haud tamen ibidem domicilium habuerunt: sed oppido nomen relinquentes & nouum Comum appellantes, Nouocomenses oppidanos appellauerit.*

MOENIA.] hæc pro muris accipi solent, & pro ædificiis ipsius vrbis.

LARIVMQVE *litus.*] Plinius. *In hac regione & quinque lacus inclyti sunt, amnesque eorum partus aut alumni: si modo acceptos reddunt: vt Adduam Larius: Ticinum Verbanus: Mincium Benacus: Olium Lebinus: Lambrum Eupilis: omnes incolas Padi.*

NAM *quasdam volo cogitationes.*] ratio cur Cæcilium Veronam ire velit.

COGITATIONES.] consilia.

ACCIPIAT.] audiat, intelligat, cognoscat.

VIAM *vorabit.*] properabit.

ROGET *morari.*] oret vt moretur.

DEPERIT.] impotenter amat.

LEGIT.] vel Cæcilius vel eius amica.

INCHOATAM.] incœptam.

DINDYMI *dominam.*] intelligit Cybelem: Est enim Dindymus, mons in Phrygia, in quo sibi Cybele per Corybantes sacra instituit. Propertius, *Dindymus & sacræ fabricata inuenta Cybeles.* Ego diu & multum quæsiui quid hic sibi vellet Catullus, sed repudiatis aliorum sententiis, quæ sane plures & diuersæ fuerunt, in eam tandem adductus sum opinionem, vt credam Cæcilium, poema quoddam de Cybele inchoasse, quod forte cum legisset puella cum ardentius amare cœperat, tanta erat poematis ipsius, tum venustas, tum eruditio.

EX *eo*] scilicet tempore.

IGNES.] amores.

EDVNT.] absumunt. Vergilij. *Est mollis flamma medullas.* ordo autẽ hic erit. ex eo tempore ignes edunt medullam misellæ, quo Cæcilius legit inchoatam Dindymi dominam, hoc est poema de Cybele feliciter incœptum.

IGNOSCO *tibi Sapphica puella Musa doctior.*] ait Catullus amicã Cæcilij esse Sappho doctiorem: quia amat Cæcilium iuuenem eruditissimum: cum Sappho amauerit Phaonem litterarum ignarum.

VENVSTE.] pulchre.

MAGNA *mater.*] Sic enim appellata est Cybele à priscis.

CÆCILII.] emendo Cæcilio.

INCHOATA.] incepta.

ACHILLES STATIVS.

LARIVMQVE *litus.*] Cato in Originibus ait Larium lacum vicinum Alpibus per LX. tendi milliaria. Hæc Seruius. *Itaque Litus dixisse propterea videri possit. quanquam de fluminibus Litus etiam dicitur.* Vergil. *Quique Numici litus arant.*

VIAM *vorabit.*] ἰδιωτισμὸς hoc opinor. Alij, Viam, & spatium corripere.

QVAMVIS *candida millies puella Euntem reuocet.*] similiter Horat. *Et nisi cena prior, potiorque puella Sabinum Detinet.*

QVÆ *nunc, si mihi vera nuntiantur.*] similiter Pollio in x. Epist. apud Cic. *Nam & robur, & suboles militum interiit, siquidem, quæ nuntiantur, vlla ex parte vera sunt.*

ILLVM *deperit impotente amore.*] Deperit, perdite amat. Placidus Grammat. in Glossis. Idem Catullus alibi, *Cœlius Aufilenum, & Quinctius Aufilenam Flos Veronensium depereunt iuuenum.* Terent. in Heautontimorumeno, *Minimeque miror Clinia hanc si deperit.* Plaut. in Mil. glor. Demori dixit. *Non me,* inquit, *dico, sed heram meam, quæ te demoritur.*

IMPOTENTE *amore.*] Impotente. Catullus. *Deperit impotente amore.* quod itaque dictum notat Plinius. Carisius in I. *Impotens, impos, vel sine potentia: interdum præpotens.* Placidus in Glossis.

EX *eo.*] Sueton. in Domitiano absolute posuit. *Neque cessauit ex eo insidias struere fratri clam, palam.*

M. ANT. MVRETVS.

POETÆ *tenero.*] Cæcilium Nouocomo Veronam accersit.

DICAS.] chartæ enim tabulæque quodam modo loqui videntur.

LARIVMQVE *litus.*] Lacus Larij ripam.

INCHOATAM *Dindymi dominam.*] inchoatum à Cæcilio poema de Cybele.

INTERIOREM *edunt medullam.*] sic Virgil.

——*est mollis flamma medullas.*

Catullus ipse infra,

——*cuius me magnus edebat amor.* Virgil.

Nec te tantus edat tacitam dolor. Cicero.

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Horatius, ——*si, quod*

Est animum, differs curandi tempus in annum.

quæ exempla congessi, vt magis perspiciatur huius verbi in talibus exprimendis elegantia.

SAPPHICA *musa.*] Sapphicam musam vocat Sappho ipsam, quam Græci poetæ, propter suauitatem versuum, decimam musam esse dixerunt.

In Annales Volusij. XXXVII.

ANNALES Volusi, cacata charta,
Votum soluite pro mea puella.
Nam sanctæ Veneri, Cupidinique
Vouit, si sibi restitutus essem,

Desissemque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poetæ
Scripta tardipedi Deo daturam
Infelicibus vstulanda lignis:
Et hoc pessima se puella vidit.
Iocosè, & lepidè vouere Diuis.
Nunc, ô cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Vriosque apertos,
Quæque Ancona, Gnidúmque arundinosam
Colis, quæque Amathunta, quæque Golgos,
Quæque Dyrrhachium, Hadriæ tabernam,
Acceptum face, redditúmque votum,
Si non inlepidum, neque inuenustum est.
At vos intereà venite in ignem
Pleni ruris & inficetiarum,
Annales Volusi cacata charta.

ANT. PARTHENIVS.

ANNALES *Volusi cacata charta.*] Ipsitilla Veronensis Catulli amica vouerat, Si Catullus sibi foret restitutus: Veneri atque Cupidini se fore concrematuram Volusij insulsi poetæ scripta & annales: quos Volusius ambitiosus poeta pro gratia consequenda puellæ donauerat. Nunc autem Catullus in patriam Veronam reuersus, exultat atque à puella Veneri & Cupidini votum solui debere, Volusij nugatoriis chartis insultans, proclamat.

ANNALES.] quid intersit inter historias & annales Seruius atque Gellius contraria fere tradentes exponunt.

VOLVSII.] poeta fuit Patauinus: vnde alibi Catullus ait, *Volusij annales Paduam morientur ad vrbem: Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.*

PRO *mea puella.*] Ipsitilla de qua superius, *amabo mea dulcis Ipsitilla.*

RESTITVTVS *essem.*] scilicet Veronæ: vnde abfui, aliquandiu in Bithynia & Romæ moratus.

DEDISSEM.] ipsi puellæ.

IAMBOS.] meos iambicos versus.

VIBRARE. Celeriter immittere in Volusium: allusit autem ad deriuationem & velocitatem iambici: nam iambus, vt scribit Diomedes, dicitur ἀπὸ τοῦ ἰάπτειν, id est, à crebriter torquendo.

TRVCES. asperos.

TARDIPEDI.] Vulcanus tardipes dicitur: quia è cælo à Iunone precipitatus: aut, vt scribit Flaccus in Argonauticon IIII. à Ioue: quia Iunonem matrem à suspendio liberauit, è cælo

A deiectus in Lemnon cadens crus infregit: Columella: *quin & tardipedi sacris iam rite solutis.*

VSTVLANDA.] inurenda: nam vstulare est inurere. Virgilius in obscæno carmine,

——*Feruenti caput vstulare ferro.*

INFELICIBVS *lignis.*] infelicium arborum lignis: Prisci enim arborum alias felices, alias infelices, dixerunt: nam vt Macrobius tradit, *Verannius de pontificalibus verbis ait: felices arbores putantur esse quercus, æsculus, ilex, fagus, corylus, sorbus, ficus, alba, pyrus, malus, vitis, prunus, cornus, lotus. Tarquinius autem Priscus in ostentario arborario* B *sic ait: arbores quæque inferum deorum, auertentiumque in tutela sunt: eas infelices nominant. ficus nigra, inter infelices recensetur.*

NVNC *ô cæruleo creata ponto.*] Venus ex maris spuma Cæli testibus agitata non procul à Cytheris insulis creata dicitur: inde Aphrodite & aphrogenia à Græcis vocatur, ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ, id est à spuma: à Cytheris, Cythera: inde in Cypron insulam propinquam quum transiisset Cypris, & Cyprogenia denominata est. Hæc Hesiodus in theogonia.

SANCTVM *Idalium.*] Idalium & Idalia Cypri nemus est, in quo oppidum breue est, vt scri- C bit Seruius: Virgil. *Idaliæ lucos.* Item,

—— *Idaliumque nemus:*

Plinius autem Idalium Cypri oppidum ponit.

VRIOSQVE *apertos.*] Vriæ vrbis incolans. est autem Vria vrbs Apuliæ in Appia via, non longe à Venusia distans: vbi cultam Venerem dicit Catullus: hinc Venus Appias ab Ouidio, dicta videtur: quoniam in Appia via ad Vriam celebri templo solemniter colebatur: est item Vria lacus in Ætolia.

APERTOS.] patentes: in loco patenti sitos: aut mœnibus disiectis non clausos.

ANCONA.] in agro Piceno. *Ancon ciuitas est à Syracusanis condita, Dionysij tyrannidem fugienti-* D *bus. Sita est in promontorio, inclusum complectēte pontum, dum ad Septentriones circumflectitur: vini autem ac frugum vberrima.* hæc ex Strabone. habebat item Ancon Veneris templum, cuius meminit sic Iuuenalis. *Ante domum Veneris quam Dorica sustinet Ancon.*

GNIDOMQVE *arundinosam.*] in Cariæ Asiaticæ partis fronte insula est, quæ septem stadiorum ambitum habet theatralis, & alta, & aggeribus iuncta continenti. faciens Gnidon quodammodo biurbem: nam maxima eius pars insulam habitat.

ARVNDINOSAM.] Gnidos arundinibus E abundat & piscibus. Ouidius, *Piscosamque Gnidon:* ibi colitur Venus, vt testis est Horatius, *ô Venus regina Gnidi Paphique.* Gnidon nobilitauit Venus Praxitelis opus, in toto terrarum orbe celeberrimum, quam vt viderent multi Gnidon nauigarunt, vt scribit Plinius.

AMATHVNTA.] Amathus ciuitas est Cypri, vnde Cyprij, Amathusii sunt dicti. Amathus etiam vrbs est Laconiæ vt Strabo scribit. Item Amathus, fluuius Arcadiæ, idem Parnisus appellatus: ætate vero Strabonis, Mamaus dicebatur. hic poeta de Cypri vrbe intellexit. Amathunta item in Iudæa scribit Iosephus.

Colchos.] apud Colchos cultam esse Venerem, testis est Valerius Flaccus, in Argonautis.

Dyrrachivm *Adriæ tabernam.*] Dyrrachium Epiri vrbs olim Epidānos dicta. Romani nomen mutauére quia velut in damnum ituris id nomen visum est. auctores Mella; & Plinius: Sed Plinius neutro genere protulit, Mella & Lucanus feminino: Lucanus, *Lyris Ionias vergens Epidamnus in vndas.*

Tabernam.] hospitium.

Adriæ.] maris Adriatici; huc enim est fuga nautarum, quum totas Adria vires mouit, & in nubes abiere Ceraunia.

Pleni *thuris.*] nam ex vilioribus chartis fiunt rerum venalium inuolucra; vt Persius ait:

Nec scombros metuentia carmina nec thus,

Et Martialis:

Et thuris piperisque sis cucullus:

de libro suo inquit.

Infacetiarvm.] rerum inelegātium & sordidarum.

PALLADIVS FVSCVS.

Annales *Volusi.*] Versus est eius generis, cuius est superior. Vouerat amica Catulli, Veneri & Cupidini, si eorum ope Catullus sibi redditus foret, se pessimi poetæ scripta continuo crematuram. Quare Catullus Romam reuersus, vt ipsemet votum soluat pro puella, incendit per contemptum Volusij annales.

Volvsi.] hic fuit poeta Patauinus; de quo infra Catullus. *At Volusi annales Pataui morientur ad vrbem, Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas. Annales autem*, vt tradit Gellius. lib. v. Noctium atticarum, *sunt: cum res gestæ plurium annorum obseruato cuiusque anni ordine, deinceps componuntur.*

Nam *sanctæ.*] Exponit votum simul & causam voti. Venus autem sancta dicitur respectu amantium: quibus ipsa præsidet.

Vovit.] votum fecit.

Restitvtvs.] redditus.

Trvces.] asperos. Deo tardipedi. Vulcano qui ideo tardipes dicitur, quia è cælo deiectus, cum alterum crus sibi fregisset, postea semper claudicauit.

Infelicibvs.] quæ pessimi poetæ scripta cremabunt. Cato autem dixit, *felices arbores esse quæ fructum ferunt: infelices quæ non ferunt.*

Vstvlanda.] vrenda.

Nvnc ô *Cæruleo creata ponto.*] orat Venerem, vt votum lubens suscipiat. Hanc poetæ fabulantur è spuma testiculorum, quos cælo patri Saturnus amputauit, & in mare proiecit, exortam vnde eā Græci Aphroditin nuncupant. Ouid. lib. III. Fasto.

Sed Veneris mensem Graio sermone notatum
Auguror: à spumis est dea nata maris.

& in quarto Metamorphoseos.

Si tamen in medio quondam generata profundo
Spuma fui: gratumque manet mihi nomen ab illa.

Cærvleo.] viridi: qui color à Græcis glaucus dicitur.

A Idalivm.] Nemus est in Cypro, de quo Vergil. *Idaliumque nemus.* ea autem attingit loca in quibus olim Venus ipsa colebatur.

Vriisqve.] apertos: nullis montibus, nullisque aggeribus inclusos. Intelligit autem accolas eius sinus, qui ad Garganum Apuliæ promontorium continuo littore incingitur, Vriasque appellatur. Auctor est Mella Pomponius.

Qvæqve *Ancona.*] Ancon vrbs est Piceni: de qua Plinius, *Numana à Siculis condita, ab iisdem Colonia Ancon, apposita promontorio Cumero in ipso flectentis se ore cubito.* quod ibi quoque Ve- B nus coleretur, indicat hoc versu Iuuenalis,

Ante domum Veneris quam Dorica sustinet
Ancon.

Gnidvmqve *arundinosam.*] Gnidos vrbs fuit Cariæ in peninsula, simulachro Veneris Praxitelicæ nobilitata. Horatius.

O Venus regina Gnidi Paphique.

Sed eam dixit Catullus arundinosam propter calamos, qui optimi ad scribendum ibi olim nascebantur. Plinius, *Chartis quoque seruiunt calami Aegyptij, maxime quadam cognatione papyri: probatiores tamen Gnidij.*

Amathvnta.] Amathus vrbs est in eadem Cypro.

C Qvæqve *Colchos.*] Venerem apud Colchos quoque antiquitus cultam esse, præter Valerium Flaccum, hoc versu indicat etiam Theocritus.

Διώνα τ' ἁ Γολγώς τε ϗ Ἰδάλιον ἐφίλασας.

Dyrrachivm.] vrbs est Macedoniæ ad mare Ionium: quæ ante Epidamnum dicebatur. Romani nomen mutarunt, quia velut in damnum ituris id nomen visum est.

Adriæ.] maris Adriatici. sic etiam Horatius,

Quo non arbiter Adriæ
D *Maior tollere seu ponere vult freta.*

Idem:

Quid bellicosus Cantaber, & Scythes
Hyrpine Quinti cogitet Adria
Diuisus obiecto remittas
Quærere.

& Lucanus,

Sonat Ionio vagus Adria ponto.

Tabernam.] emporium, pars pro toto.

Acceptvm.] tibi scilicet & filio.

Redditvm.] à me & amica mea, quæ illud fecit.

Illepidvm.] impolitum.

Invenvstvm.] deforme.

E Thvris.] emendo ruris: posuit enim rus pro rusticitate: quæ optime cum infacetiis conuenit.

ACHILLES STATIVS.

Annales *Volusi.*] Maliuolentia fecisse Catullum apparet, si quidem hic est Volusius, de quo & Vatinius in Epistol. ad Cicer. honorificentius videtur sentire, *Defenditur*, inquit, *à Quint. Volusio tuo discipulo, si forte*

forte ea res poterit aduersarios fugare, in eo maxima spes est. Et Cornelius Tacitus in III. de L. Volusio, si forte hic idem est, de quo Catullus. *Fine anni, inquit, concessere vita insignes viri L. Volusius, & Sallustius Crispus. Volusio vetus familia, neque tamen praeturam egressa. ipse consulatum intulit. censoria etiam potestate legendis equitum decuriis functus, opúmque, quis domus illa immensum viguit adcumulator.* A

Nam *sancta Veneri.*] Idem post,

Quem neque sancta Venus.

Et in I. Annali Ennius, *Te nunc sancta precor Venus, & genetrix patris nostri.* Et idem Catullus post de Cupidine, *Sancte puer.* De aliis quoque diuis eodem modo, vt Romae in Diui Pauli. B

DIS. SECVRITATIS
Q. VIBIVS. HERMA
ANTISTES
SANCTI. SILVANI
ANNVM. AGENS
LXX. FECIT
SIBI. B. B

Et Interamnae apud Statium Donatum.

IVLIO. EVBVLIDAE
C. V. CORR. TVSCIAE
XVIRO. PRAEFECTO
AERARII. S. SATVRNI
OB. INLVSTRIA. IPSIVS
MERITA. ET. AMOREM. IVX
TA. CIVES. ORDO. INTE
RAMNATIVM. PATRONO C

Vibrare *iambos.*] Apte ad iamborum impet. παρὰ τὸ ἰαμβίζω

Scripta *tardipedi deo daturam.*] Quae scripta perire volumus, hoc fere modo perdimus. Tibullus in I.

Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat. D

Et Propert. in IIII.

Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
Vre. —— Et Aug. de Vergili scriptis,
—— *Ergo ibit in ignes,*
Magnáque doctiloqui morietur Musa Maronis.

Tardipedem deum, id est Volcanum, etiam dixit Columella in X. de cultu hortorum.

Quin & tardipedi sacris iam rite solutis
Nube noua feritur.

Vstulanda *lignis.*] In manuscriptis omnibus, *Vstilanda.* quae opinor vetus est, & vera scriptura.

Et *hoc pessima se puella vidit Iocose, & lepide vouere diuis.*] In manuscriptis omnibus, E

Et hac pessima se puella vidit
Iocose lepide vouere diuis.

Atque in nonnullis etiam non, Haec, sed Hoc.

Nvnc, *ô caeruleo creata ponto.*] Versus antiqui poëtae citatur à veteribus Grammaticis hic,

Candida caeruleo nata Venus pelago.

Qvae *sanctum Idalium, Vriósque apertos*] Aldus olim pro Vrios, Erios impressit. de sententia credo Petri Bembi, quem audio ita sensisse legendum hoc loco. ac dictos populos sic ab Eria, conditore templi Veneris Paphiae. Ego vero suspicor legendum Arios. de quibus in XI Strabo, Qui populi vel in solitudine sunt, de qua eo ipso loco Strabo, vel Eremo proximi. Eos autem apertos dicit, quod is locus vastus, nec vllis sit consitus arboribus. scribit enim. Μεταξὺ δ' αὐτῶν, καὶ τῆς ἐρημίας καὶ τῆς περιοικίας, μέχρι Ἀρείων ἔρημος κατεῖται πολλὴ καὶ ἄνυδρος. Quibus in locis etiam Venerem αἰσίλωδα coli, idem Strabo docet.

Cnidvmqve *arundinosam Colis, quaeque Amathunta.*] Ouidius in decimo Metamorph. de Venere,

Piscosamq́; Cnidon, grauidámq; Amathunta metallis.

Si non *inlepidum neque inuenustum.*] Idem alibi, *Non sane inlepidum, neque inuenustum.*

Venite *in ignem.*] Eodem modo Propertius in II.

Inque tuos ignes, dure poëta, veni.

Pleni *turis, & inficetiarum.*] Quod Turis sine aspiratione veteres scribebant, factum similitudine vtriusque litterae, vt alij aliud legerint. Sed & vtrumque legi potest Turis, quod chartis etiam tus, & odores inuoluti darentur emptori. Horatius,

Deferar in vicum vendentem tus & odores.

Sed & Ruris legi potest, eodem Horatio auctore. cuius in eadem ad Augustum Epistola, & haec ipsa sunt,

—— *sed in longum tamen aeuum*
Manserunt, hodiéque manent vestigia ruris.

Et idem Catull. alibi,

Idem infaceto est inficetior rure.

Inficetum autem, non, Infacetum veteres dixisse constat. Sic in veteri exemplo Plinij lib. XXXV. *Ostendens in tabula inficetissime Gallum exerentem linguam.* Et Solinus capite quarto, *Non inficete Torannius.*

M. ANT. MVRETVS.

Annales *Volusi.*] siue hoc verum est argumentum, siue fictum, nihil salsius dici potuit in annales Volusianos. sed, quia caeteri interpretes huius carminis sensum satis nō sunt assecuti, faciendum est mihi, vt illius argumentum explicem. Catullus, vt in amore saepe accidere solet, puellae suae iratus erat, coeperátque in eam versus iambicos scribere: quorum illa aculeos extimescens, Veneri ac Cupidini vouerat, si Catullus sibi restitutus foret, se pessima pessimi poëtae scripta igni daturam, quod votum suum cum mitigato iam ipsi aperuisset, ridens Catullus, Volusianos annales, vt ipsa voti religione soluatur, cremandos esse ait. eius autem libri ineptiam alio etiam loco notat. affirmans, vsum illius, nisi in complicandis scombris, nullum fore.

Annales *Volusi.*] suspicatus sum aliquando, horum annalium mentionem fieri à Seneca lib. XIIII. epistolarum, his verbis: *Et paucorum versuum liber est, & quidam laudandus, atque vtilis, annales Volusii. scis, quam non decori sint, & qui vocentur.* Haec autem postrema verba huc referebam, vbi eos Catullus chartam cacatam vocat, sed tamen hoc non valde asseueranter affirma-

uerim. etenim apud Senecam, *Tanusii*, non *Volusii*, legitur.

RESTITVTVS.] reconciliatus, non, vt alij exponunt, reuersus ex Bithynia. sic & infra,

Quod te restituis Lesbia mi Cupido.

TARDIPEDI.] Vulcano: qui eo claudus fingitur, quod flama trepido sursum motu tendens quasi claudicare videatur.

INFELICIBVS.] quæ dicantur infelices arbores, vide Macrobium.

NVNC *ô cæruleo creata ponto.*] Venerem inuocat, vt libro comburendo assit, puellámque voti religione liberet. Vt autem dea illa è mari enata fuerit, copiose enarrat Hesiodus Theogonia.

QVÆ *sanctum Idalium.*] enumerat multos locos Veneri sacros, more veterum, qui in diis appellandis celebrandísque solebant multa ipsorum epitheta congerere, ac percensere locos, quibus ipsi præessent: quod in Homeri præcipue, Orpheique hymnis animaduerti potest.

VRIÓSQVE *apertos.*] plano ac patente sitos loco. In quibusdam scriptis libris, *Aerios*, non *Vrios*, legitur: suntque, qui populos Cypri fuisse dicant. ego de Aeriis nihil reperio. Vriæ oppidi meminit & Homerus in Bœotia, Οἵ θ' Ὑρίην ἐνέμοντο: & Dionysius, qui Vrium vocat: & Herodotus in Polymnia, & Strabo, & Stephanus, & alij. sed cum eo nomine varia diuersis locis oppida fuisse reperiam: illud nondum reperire potui, ecquod illorum Veneri sacrum fuerit.

DYRRHACHIVM *Adriæ tabernam.*] quod illuc diuertere solerent, qui per Adriaticum nauigassent.

ACCEPTVM *face.*] verbum sumptum ab argentariis, qui acceptam, redditámve pecuniam facere dicuntur, cum in tabulas suas referunt, eam sibi solutam fuisse.

PLENI *ruris.*] ita legendum, non vt vulgo, *turis*. atque hoc recte ex veteribus libris emendauit Palladius. Rus autem pro rusticitate dicit, vt supra, *Idem infaceto est infacetior rure.*
Sic ancilla quædam, apud Plautum Truculento, seruum, à quo rustice excipiebatur, rus merum esse dicit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ANNALES *Volusi cacata charta.*] Ita dicebatur de omnibus ridiculis scriptis. Seneca: *Annales Tanusii scis quam non dedecores sint, & quid vocentur.* Innuit Seneca annales Tanusij eadem appellatione exagitatos, qua Annales Volusianos. Martialis:

Scribat carmina, quæ legant cacantes.

Annales Volusij poësim fuisse non prorsam orationem, quales Ennianos & Furij Bibaculi, ex hoc ipso epigrammate colligimus.

TARDIPEDI *Deo daturam.*] Nescio, an Catullus dixerit, illa vouit daturam. Melius *datura*. Vouit datura. vt, *Ait fuisse nauium celerrimus.* Propert. *Visura & quantus nunquam sperasset Vlysse.* Vulgaris lectio tamen Latina est. Tibullus:

Iurans quoties reditu-rum ad limina nunquam?

IOCOSE *& lepide vouere diuis.*] copula ET

A addita à correctoribus. nam libri scripti non habent, ne antiquæ quidem editiones. *Ioco se* autem duabus vocibus non vna legendum. Hic est argutia Epigrammatis. Inter Catullum & Lesbiam dissidium interuenerat. Lesbia ioco vouit Veneri, si reconcilietur sibi Catullus, se Annales Volusij illi crematuram. Catullus, qui illius poëtæ annalibus iniquior erat, quod puella ioco vouerat, id vti serio fieret, effecit: atque amicæ in gratiam rediit. Venustum sane argumentum, & elegantia Catulli dignum. Nam totus, vt dixi, nodus erat in illa voce *ioco*. Repetitur autem bis *se se*, more Græcorum, præser-
B tim Atticorum, vt ego innumeris locis apud Demosthenem notaui. Euripides Phœnissis.

ἐμοὶ μὲν οἱ δὲ μὴ καθ' ἡμέραν χθόνα
Τεθράμμεθ' αἰεὶ σὺν ξυνωνὶ μοι δοκεῖ λόγῳ.

Hic enim τὸ ἐμοὶ repetitur eodem modo, quo hic *Se*.

VRIÓSQVE *apertos.*] Hos, nisi fallor, Strabo Vxios appellat: apud quos Ἀφροδίτη αἰολὶς colebatur, vt in alterutro vitiū esse necesse sit. At quid voluit Turnebus, quum Marios legit? oblitus enim pedis ponit dactylum pro trochæo.

ACCEPTVM *face.*] Tertullianus dixit, Accepto facere, non Acceptum, libro de pudicitia,
C *Quanto delicta ista ante lauacrum accepto facis, tanto post lauacrum irremissibilia constituis.*

PLENI *thuris* Hæc est lectio, quæ inuenitur non solum in nostro scripto, sed & in antiquis editionibus. Notum Persianum:

- nec scombros metuentia carmina nec thus.

Horatius,

Deferar in vicum vendentem thus, & odores.

Martialis,

Et thuris piperisque sis cucullus.

Athenæus de Anaxandride poëta: πικρὸς δ' ἦν τὸ ἦθος· ἐποίει τι τοιοῦτον περὶ τὰς κωμῳδίας. ὅτε γὰρ νικῴη, λαμβάνων ἐδίδου εἰς τὸν λιβανωτὸν κατατέμνειν. Sed &
D *ruris* legi potest, præsertim quum sequatur *infacetiarum*. melius enim hæc inter se conueniunt. Sic Græci ἀγροῦ παιδός. Glossæ Hesychij: ἀγροῦ παιδός, ἀγροικίας πλήρους.

Ad Contubernales XXXVIII.

SALAX taberna, vósque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?
E *Solis, licere, quidquid est puellarum,*
Confutuere, & putare ceteris hircos?
An, continenter quòd sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me vnà ducentos inrumare sessores?
Atqui putate: namque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.
Puella nam mea, quæ meo sinu fugit,

Amata tantùm, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni beatique
Omnes amatis: & quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli, & semitarij mœchi.
Tu præter omnes vne de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili,
Egnati, opaca quem bonum facit barba,
Et dens ibera defricatus vrina.

ANTONIVS PARTHENIVS.

SALAX *taberna.*] Scazone trimetro insectatur quosdam socios, in eadem officina seu taberna contubernales, qui detinebant puellam, quæ à Catullo fugerat, & apud hos contubernales eandem subagitantes delitescebat. Itaque illis poëta & stuprum, & verbera, in suarum iniuriarum vltionem minatur.

SALAX.] libidinosa: nam salire est coire, & fœminam inire. Ouidius,

Sitque salax aries. alibi,

Nec minus erucas aptum est vitare salaces,

Horatius,

Testes caudámque salacem Demeterent ferro.

TABERNA.] forensis officina, à tabulis ex quibus cõstat dicta; vulgo dicimus apothecam.

CONTVBERNALES] socij sub eodem contubernio habitantes. Contubernium dicitur, contubernalium habitatio. Contubernales dicuntur à tabernis quæ fiebant ex tabulis, vnde & tabernacula sunt dicta, licet ex tentoriis & pellibus fiant.

NONA *pila.*] appositio est.

PILA.] officina, ad pilam nonam structa: sic expressit locum certum, quem intelligat. Nam pilæ in Romano foro erant quædam, tanquam columnæ, ad quas rerum venalium tabernæ habebantur. Martialis,

Nulla cathenatis præcincta est pila legenis.

ad has pilas in apertissimo sitas ambitiosi poëtæ carmina sua vt vulgo legerẽtur apponere solebant. Horatius;

Nulla taberna meos habeat, neque pila libellos.

A *pileatis fratribus.*] i. à fratribus libertis, olim seruis pileatis, hoc est, quæ est pila nona in ordine post pileatorum fratrum stationem. Serui quum manumittebantur, à dominis pilea capitibus imponebant, vnde libertini dicuntur pileati. Persius,

Hæc mera libertas, hanc nobis pilea donat. Plautus,

Vt summo hoc beneficio hodie capiam pileum.

PVTATIS.] quia soli meam puellam subagitare vultis.

HIRCOS.] riualium contemptores. Hircus enim solus ex omnib. animalib. riualẽ suis feminis non odit aut cauet. Alia autẽ fere omnia animalia de Venere cum riualibus certant. hinc est quod hominẽ vxori suæ riuales & adulteros non cauẽtem, hircum seu caprũ vulgo appellamus.

CONTINENTER.] continuato sedendi ordine sine vllo interuallo iuxta sedeatis. *Continenter*, continuate sine interuallo. Cicero in quarto Rhetoricorum: *Et si non vtemur continenter similiter cadentibus.* item in eodem, *Repetitio est quum continenter ab vno & eodem verbo, in rebus similibus ac diuersis principia sumuntur.*

INSVLSI.] dementes, sine ingenij sale. verbum est Catullo familiarissimum.

DVCENTOS.] vos cum contubernalibus vestris.

SESSORES.] sedentes frequentissime. Horatius,

In vacuo letus sessor, plausórque theatro.

VNA.] Simul. se salacissimum ostendit poëta in riualium suorum indignationem.

ATQVI.] certe.

NAMQVE *totius vobis frontem tabernæ scipionibus scribam.*) i. omnium vestrum frontem ita soporifera virga percutiam, vt omnes in soporem solutos, facillime possim irrumare. Virgulti genus quoddam est, cuius virga si cuipiã tempora tangantur, ille statim in profundum soporem resoluitur: de quo virgulto Sillius in x. loquens de somno, inquit, *Oculísque quietem Irrorat tangens lethæa tempora virga.* ideo apud Virg. somnus fingitur ramo lethæis aquis madido Palinuro tempora percussisse, atque in altissimum soporem resoluisse.

PVELLA.) incertum est an de Lesbia, an de Ipsithilla, an de alia loquatur puella.

ISTIC.] apud vos.

BONI.) Ironicos.

BEATI.) vt videmini vobis induxisse dixit.

PVSILLI.) contemptibiles & viles. Iuuenalis, ——— *nec vnquam Sanguine causidici maduerunt rostra pusilli.*

alias pusillus, paruus dicitur. Martialis pusillum pro pusillanimem posuit.

SEMITARII.) vulgares & in semitis, ad vulgaria & vilia scorta versantes: nam viliores homines in semitis, & angiportis ad viles mulierculas inspectandas captandásq. versantur.

TV *præter omnes vne de capillatis.*) inuehitur in Egnatium natione Hispanum, qui nulla locorum, rerum, temporum, ratione habita, ineptissime ridebat, in aduersis hominum rebus, in lætis autem insulsissimos cachinnos effundebat: Ridendi enim atque cachinnandi morbo laborabat. Incertum habeo an hic sit Lucius Egnatius eques Romanus, quem Cicero in XIII. epistolarum, sibi familiarissimum fuisse asseuerat. Versus dissimiles sunt, nam primi sunt scazones, interdum interponitur hendecasyllabus; nonnulli verò deprauati, vt opinor, ac corrupti, dimensione carent.

PRÆTER *omnes.*) supra omnes.

VNE.) præcipue Virg.

Tum senior Nautes vnum tritonia Pallas Quem docuit.

CELTIB.) Hispaniæ, pars est Taraconensis, in qua Celtiberi continẽtur populi, ex Celtis Gallis

in eam Iberiæ partem delati, & inde miſto nomine nuncupati. Lucanus, *Gallorum Celtæ miſcentes nomen Iberis.*

Cvnicvlosæ.] cauernoſæ, & plurimis effodiendorum metallorum cauernis & cuniculis eſt pleniſſima. ibi enim præter cæteras regiones, aurum, & argentum effoditur copioſè.

De *capillatis vne.*] id eſt præcipue de omnibus capillatis, nam Hiſpani, longas nutriunt comas. Martialis,

Hiſpanis ego contumax capillis.

Egnati.] fortaſſe denominatus ab Egna quam Strabo inter Hiſpanas vrbes recenſet. Et item Egnatia vrbs Apuliæ in via quæ per Daunios, Samnitéſque, vſque Beneuentum tendit.

Opaca.] denſa, & obſcura.

Facit *bonum.*] probum eſſe oſtendit.

Et *dens Ibera.*] Hiſpani adeo ſordidis moribus viuunt, vt ex vrina diu inter cloacas collecta, ſibi lauacra faciant. Strabo de his ſcribit: *Hiſpani nulla educatione inſtituti, ſed neceſſitatis magis & brutorum animantium affectione, & deprauatis moribus vitam agunt, niſi quiſpiam ad educationem bonam eos vitam degere, exiſtimet: qui ex lotio diutius inter cloacas ſeruato, lauacra ſibi conficiant: quiq; ſibi, ſuiſque vxoribus intritis purgamentis dentes obtergeant. quemadmodum Cantabros, confiniſque illis factitare fama eſt.*

PALLADIVS FVSCVS.

Salax *taberna.*] Verſus eſt iambicus trimeter. Iratus poëta, minatur ſe quoſdam contubernales irrumaturum, qui puellam quæ è Catulli ſinu fugerat, detinentes eam per vices ſubagitabant.

Salax.] Salaces dicuntur libidinoſi. Ouid. in Faſtis, *Sitq; ſalax aries.*
& in obſceno carmine,

Vicinæ ſine fine prurientes
Vernis paſſeribus ſalaciores.

Taberna.] locus eſt vbi opera ipſæque merces venduntur: vnde opifices etiam tabernarij vocantur. Cicero pro L. Flacco, *opifices tabernarios atque omnem illam fæcem Ciuitatis.*

Contvbernales.] contubernium eſt cohabitatio, vnde contubernales dicuntur, qui ſub vno tecto habitant.

A pileatis *nona fratribus pila.*] Antiqui, vt Sex. Pompeius aſſerit, Caſtori & Polluci pilea dederunt: & ideo ij fratres pileati ſunt appellati. Quorum vtriq; cùm ædes in foro conſtituta eſſet, ea vnius tantum Caſtoris dicebatur. Auctor eſt Suetonius. Vt igitur oſtendat Catullus in qua vrbis parte habitarent, quibus excandeſcens minatur irrumationem, ait eos incolere nonam ab Æde Caſtoris & Pollucis tabernam.

Pila.] hæc vox quando primam producit, ſignificat columnam. poëtarum autem mos eſt, vt ſæpiſſimè ponant partem pro toto, ſicut interdum totum pro parte: Quod quidem fit per figuram quam Græci ſynecdochen appellant.

Solis pvtatis *eſſe mentulas vobis.*] for-
A ſitan, inquit, arbitramini vos ſolos eſſe mentulatos.

Cæteros *hircos.*] hircino odore fœtere, & ideo puellis inuiſos eſſe. Quibus enim membra & præcipue alæ malè olent: ij hircis comparantur, vel hircum ferre dicuntur. Catullus,

Lædit te quadam mala fabula: qua tibi fertur
Valle ſub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes, & reliqua.

Continenter.] iunctim ſine interuallo, quo aduerbio vſi ſunt pleriqúe veterum, & ante alios, M Cicero.

Insvlsi.] inſulſus eſt, qui ſale caret.

B Atqvi.] aduerbium affirmandi. putate me ſcilicet auſurum.

Scipionibvs.] Scipio Græcè, Latinè baculus. minatur autem ſe frontem totius tabernæ ſcipionibus, hoc eſt mentulis picturum.

Scribam.] pingam.

Pro *qua ſunt mihi magna bella pugnata.*] pro qua cum æmulis ſæpe & acriter pugnaui.

Consedit *iſtic.*] apud vos hæſit.

Boni *beatiq;.*] ironia. Vtrumque enim per contrarium eſt intelligendum.

Pvsilli.] exigui animi ad ſumptum faciendum.

C Et *ſemitarij mœchi.*] qui in ſemitis verſantes, meretriculas, alloquiis & blanditiis, captatis.

Cvnicvlosæ *Celtiberiæ fili.*] Qui natus es in Hiſpania cuniculos ferente: eſt autem Celtiberia pars Hiſpaniæ citerioris, in qua fuerunt Bilbilis & Numantia. quod Hiſpania cuniculis abundet, plures indicant, & in primis Strabo, cuius verba ſunt: *Pecorum omnis generis abundantia, nec minor venationum, pernicioſarum raritas belluarum, præterquam effodientium terras cuniculorum, quos plerique lepuſculos appellant.*

Opaca *quem bonum facit barba.*] quem den-
D ſitas barbæ pulchrum reddit.

ACHILLES STATIVS.

Salax *taberna, vóſque contubernales.*] In tabernis fere perditi homines verſabantur. Porcius Latro contra Catilinam, *Quæ vero non tabernæ potius, aut quæ non greges infamium hominum Sibyllinum iſtum principem concelebrarunt.* Atque idem Catullus alibi, ſi Aldinam ſequimur lectionem,

Te quæſiuimus in minore campo,
Te in circo, te in omnibus tabernis.

E Verbum autem militare, Contubernales. Vegetius in II. *Contubernium autem manipulus vocabatur ab eo, quod coniunctis manibus pariter dimicabant.* atque alibi, *Erant decani, qui decem militibus præpoſiti, nunc Caput contubernij vocantur.*

A *pileatis nona fratribus pila.*] *Pilea Caſtori & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pileatis pugnare mos eſt.* Feſt. Pomp. At Mart. etiã Parthos pileatos dicit in x. *Ad Parthos procul ite pileatos.* Arnob. lib. VI. aduerſus gentes Pileum etiã Vulcano tributũ ſignificat. *Cum pileo,* inquit, *Vulcanus & malleo.* Ego verò nummũ ſæpe Romę

vidi argenteum, cuius in parte altera verbum erat ROMA. in altera fratres hi pileati, equis insidentes ac præfulgentibus stellis.

ET *putare ceteros hircos.*] vel, nondum maturos, atque aptos Veneri, vel, aptos tantum glubere.

AN, *continenter quod sedetis insulsi.*] Sedere, in obscenis est.

FRONTEM *tabernæ scipionibus scribam.*] στιγματίζειν, id Græci dicunt. Eodem modo Macrobius in I. Satur. *Seruus compeditus inscripta fronte.*

PVELLA *nam mea, quæ meo sinu fugit.*] sic prorsus legendum, cum omnibus in manuscriptis sit, *Puella nam, me quæ meo sinu fugit.* In vno quidem, *Quæ meo è sinu fugit.* Fugisse è sinu dicit, quam valde amaret. Terent. in Adelph.

Hic non amandus, hicine non gestandus in sinu.

PRO *qua mihi sunt magna bella pugnata.*] sic Græci & Latini veteres loquebantur. Demosthen. περὶ σκέψεω. Οἱ πόλεμοι συνεχῆ & μακρὸν πολεμούμενοι ὑμῖν. Et Xiphilinus, siue potius Dio, Πόλεμος πολεμηθείς. Vergil. in VIII.

——— *Pugnatáque in ordine bella.*

Et Lucil. apud Donatum in commentationibus in Eunuch. Terentij.

Vicimus; ô socij, & magnam pugnauimus pugnam.

C Et idem Donatus in Adelph. verba interpretans illa, *Vitam duram, quam vixi*, Ἀρχαϊσμὸς, inquit. vt Lucil. ——— *magnam pugnauimus pugnam.*

ET *semitarij mœchi.*] sic in manuscriptis omnibus. Semitarij autem, in semitis vsque versantes, viles, abiecti. qui tenuiorum vxores in semitis sectarentur. aut qui cenas, & prandia captarent in semitis. Cic. in II. Offic. *Et, si quando aliqua res maior, atque vtilior populari largitione adquiritur, vt Orestis nuper prandia in semitis decumæ nomine magno honori fuerunt.*

TV *præter omnes vne de Capillatis Cuniculosæ Celtiberiæ fili.*] His Catulli versibus Caper Grammaticus Vne vocandi casu dictum à veteribus ostendebat. auctor Priscian. in V. apud quem posterior versus aliter legitur, praue omnino, *Celtiberose Celtiberiæ fili.*

EGNATI, *opaca quem bonum facit barba.*] Bonum, καλὸν, pulchrum, vt sæpe alibi. vt Terent. in Phorm. *Et, ni vis boni in ipsa inesset forma, hæc formam extinguerent.* Et Propertius in II.

Palladis aut oculos ausa negare bonos.

Opacam barbam dicit illum βαθυπώγωνα, ἢ βαθυχαίτην significans. Verbo Opacare eodem in genere est vsus Pacuuius apud Festum Pompeium in verbo Genas.

Nunc primum opacat flore lanugo genas.

Et Sophocles in Trachiniis idem prope quod Catullus de Acheloo fluuio.

Ἐκ δ' ἐκ δασκίου γενειάδος κρουνοὶ διερραίνοντο κρηναίου ποτοῦ.

ET *dens, Ibera defricatus vrina.*] Ab eodem verbo, Defricate, Næuius in Tarentilla,

Facete, & defricate.

Catis in II.

A M. ANT. MVRETVS.

SALAX *taberna.*] minitatur & verbera, & multo fœdius aliquid contubernalibus quibusdam, qui puellam, quæ ab ipso aufugerat, detinebant.

TABERNA.] συνεκδοχικῶς tabernam pro ipsis contubernalibus ponit: itaque, quod addit, *Vósque contubernales*, quasi expositio quædam est eius, quod præcesserat. *Contubernales*, ait Festus, *dicuntur à tabernis, quæ fiebant ex tabulis: vnde & tabernacula sunt dicta, licet ex tentoriis & pellibus fiat.*

B A PILEATIS *nona fratribus pila.*] indicat, quos contubernales alloquatur; eos nempe, qui tabernam haberent ad pilam nonam à Castorú templo, quod in foro ad lacum Iuturnæ fuit, à Castore tantum nominari solitum: etsi tum ipsi, tum Polluci sacrum foret. Castorem autem & Pollucem pileatos fratres vocat, quod eis, vt pote Laconibus, eo ornatu statuæ ponerentur.

HIRCOS.] ita fœdos, vt eorum congressum puellæ omnes æque, atque hircorum, refugere, atque aspernari debeant.

NANQVE *totius vobis Frontem tabernæ scipionibus scribam.*] etsi scipionem proprie dicimus baculum, quo infirmiores inter incedendú niti solent: tamen hic scipiones eos vocat, è quibus merces in taberna appenderentur. eis igitur ait se scripturum contubernalibus frontem, id est, ita valido percussurú, vt cicatrices imprimantur.

PVELLA *n. q.*] in aliis, *Puella nã, modo quæ è meo sinu fugit.* quæ lectio mihi quidẽ magis probatur.

BONI *beatiq;.*] ironia.

PVSILLI.] abiecti, & contemptæ sortis.

ET *semitarij.*] qui plerunque vulgaria modo scorta, & in semitis prostantia consectemini. in aliis *sellularij.*

D TV *præter omnes.*] hos versus temere ab aliis loco motos è veterib. libris hic reposuimus. Hic autem, quisquis es, Egnatius vnus videlicet ex illis contubernalibus fuit: qui quod, se formosum putãs, puellam præter cæteros affectaretur, ei quoque poëta, præter ceteros irascitur.

VNE.] Priscianus lib. V. de nomine, vnus, loquens, De cuius inquit, vocatiuo quia quidam dubitãt, Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc vsum Catullú, & Plautú. Catullus, *Tu præter omnes vne de capillatis.*

Plautus in Fribolaria,

O amice & multis, & mihi vne Cephalio.

E EGNATI, *opaca quem bonum facit barba, Et dens, &c.*] qui nihil habes, quo bonus, i. formosus, videri queas, præter opacã barbam, & dentiú candorem multa vrinæ fricatione quæsitum.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

AN *continenter.*] Illud continenter Heroici poëtæ ἐπισχερὼ dicunt, vt ἐπισχερὼ ἑδριάασθαι. quod hic quoq; dicitur. imo duo hi versus ad verbum heroico & carmine, & charactere reddere possumus:

Νήπιοι, ἦ ῥ' ἔτι δὴ ἑκατόν τε διηκόσιοί τε
Ἀγλαοθύμενοι ἢ ἐπισχερὼ ἑδριάασθε.

Nā ſedere hic eſt καθιζόμενοι λεσχηνεύεσθαι. Taberna, quam vocat, eſt λέσχη, ad quam iocandi & confabulandi gratia conueniebant. vt alibi,

Oramus ſi forte non moleſtum eſt,
Demonſtres, vbi ſint tuæ tabernæ.

Heſiodus, — ἢ ἐπαλέα λέσχην.

M E *vna ducentos.*] Flagitioſum verbum, quo hîc vtitur, nihil habet flagitij, quod ad iſtam quidem ſententiam ſpectat. eſt enim ἐνυβρίζειν. Sic ſupra: *O Memmi bene me, &c.* Quem ἐνυβρισμὸν intelligit, ſubiungit. —*nanque totius vobis*

Frontem tabernæ ſcipionibus ſcribam.

Nam ſi quis flagitium hic intelligit, multum à ſententia Catulli abhorret.

N A N Q V E *totius vobis frontem tabernæ.*] Si Synecdochicōs tabernam accipimus, eodem modo intelligemus tabernam ſcipionibus ſcriptā, quomodo apud Ariſtophanem:

Ἀπόλωλα· δηλοῖ σίσυφος βακτηρία.

Nam σίσυφος βακτηρία dictum, vt hic ſcipionibus ſcribere. Sed ita non eſt. Nam frons tabernæ ſine vlla figura ſimpliciter ponitur. Tertullianus de anima: *Ipſi poſtremo philoſophi, ipſiq; medici, quamuis de animo quoque diſputarunt, faciem tamen operis frontémque materiæ de anima vnuſquiſque proſcripſit.* Alludit enim Tertullianus ad illos, qui rerum promercalium titulos in fronte tabernæ proſcribunt. Minatur haud dubie Catullus, ſe elegiorū carbonibus, vt Plautus loquitur, frontem tabernæ ſcripturum.

S C I P I O N I B V S *ſcribam.*] Scipionibus præuſtis ſcilicet. Nam frons tabernæ omni ſtatura humana editior nō poterat pingi carbone, quia manus Catulli illam propter altitudinem contingere non poſſet. Igitur, quod ſolet, longis ſcipionibus obuſtis vicem carbonis, ſe famoſum carmen tabernæ inſcripturum minatur.

M A G N A *bella pugnata.*] Noſter codex *bella parata.* Fortaſſe ſcripſit Catullus *patrata.*

O M N E S *puſilli.*] Poſt hunc verſiculum ſequuntur illi in veteribus ſcriptis: *Tu præter omnes.* & rectè. Itaque eos ſuis ſedibus ſollicitare noluimus.

V N E *de capillatis.*] Hiſpani enim capillati, non tonſi etiam ſæculo Martialis:

Hiſpanus ego contumax capillis.

Ad Cornificium XXXIX.

M A L E eſt, Cornifici, tuo Catullo.
Malè eſt, me hercule, & laborioſè,
Et magis magis in dies, & horas:
Quem tu, quod minimum, facillimumque eſt,
Qua ſolatus es adlocutione?
Iraſcor tibi. ſic meos amores?
Paulum quidlibet adlocutionis
Mæſtius lacrymis Simonideis.

A

ANTONIVS PARTHENIVS.

M A L E *eſt tuo Cat.*] id eſt, ego tuus Catullus male me habeo. Hic poëtæ in Egnatium iracundia excandeſcit, qui quum eſſet in luctu ac mœrore, Egnatius, ad ipſum accedens conſolandi gratia, riſus & cachinnos effudit. hinc igitur merito poëta conqueritur.

C A R N I F I C I.] ſe crucianti.

Q V E M.] me Catullum.

Q V A.] quali ? per contatio, quaſi dicat, quā importuniſſima meſalutaſti allocutione, meis

B ærumnis minime conuenienti.

M E O S *amores.*] quos perditos mærore proſequebar.

S I C *meos amores.*] ſ. ſolatus es, ſic tam ineptè ridendo, quum potius flere deberes. Nam vt præcipit Quintilianus in XI. *Nec tocus lachrymas vbi opus erit. ſed miſeratione ſiccabimus.*

P A V L V L V M *quidlubet allocutionis Mæſtius lachrymis Simonideis.*] Hic locus mancus, ac maximè deprauatus, nullam accipit interpretationē: verſuum enim circiter trium ratio & ſenſus deeſt.

L A C H R Y M I S *Simonideis.*] lachrymabili

C commiſeratione tali, qualem Simonides defunctos vita, deflens conſcripſit. Simonides ex inſula Cēa oriundus, lyricus poëta inſignis, ac Bacchilide lyrici patruus condendorum carminum auctor egregius, θρήνους id eſt lamentationes, quas alij ἐπικήδεια dixerunt. i. funebres orationes, optimè omnium conſcripſit, nam, teſte Fabio, præcipua eius eſt virtus in commendanda miſeratione. hic inter cæteras funebres laudationes ſingulari carminum commiſeratione perſecutus fuit conuiuas ſuos, apud Scopam Theſſalum cœnaculi ruina colliſos, vnde etiam artificioſæ memoriæ obſeruationem reperiſſe

D traditur.

S I M O N I D E I S.] i. talibus & tam mœſtis qualibus Simonides defunctos defleuit. Horat. de Simonidis oratione flebili:

Cēa retractes munera neniæ.

PALLADIVS FVSCVS.

M A L E *eſt Cornifici.*] Verſus eſt hendecaſyllabus. conqueritur Catullus, quod Cornificius ſodalis nunquam viſerit ſe ob amiſſam puellam maxime mœrentem.

M A L E *eſt Cornifici tuo Catullo.*] tuus, inquit,

E Catullus male habet.

E T *magis magis in dies & horas.*] ſupple, creſcit ægritudo.

Q V O D *minimum facillimúmque eſt.*] nihil enim facilius nobis eſſe poteſt, quā conſolari amicos male habentes.

S I C *meos amores.*] ſubaudi contemnis.

P A V L V L V M *quodlubet allocutionis.*] poſt querelam mox oſtendit, quid ipſe velit: vult autem aliquid ſermonis mœſtius lachrymis Simonidis poëtæ: quibus proſequutus eſt mortes illorum adoleſcentium, quos in curſus certamine victos Hippodomia necauerat. De Simonide autem

sic scribit Quintilianus. *Simonides tenuis alioquin sermone proprio & iocunditate quadam commendari potest, præcipua tamen eius in commouenda miseratione virtus, vt quidam eum hac in parte omnibus eiusdem operis auctoribus præferant.* A

ACHILLES STATIVS.

MALE *est, Cornifici, tuo Catullo.*] Cornificium poëtam etiam fuisse, declarat Ouid. in II. de Tristibus,

Cinna quoque his comes est, Cinnáque procacior anser,
Et leue Cornifici, párque Catonis opus.

B Atque is opinor est Cornificius, ad quem tot extant Cic. Epistolæ. versus eius ponit in VI. Macrob. *Deducta mi voce garrienti.* Et è Glauco eius hos. *Centauros fodere bimembres, Caprigenúmque genus nullo custode per herbas.* Loquitur autem eodem modo Plautus in Cistell. quo hic Catullus, *Male excrucior Gymnasium mea. male mihi est, male maceror.*

MEHERCVLE.] scriptum fortasse fuit Mercule. quomodo in vetustissimis libris scriptum animaduerto. Sed & illud stare etiam potest. E vero finalem syllabam non elisit.

C ET *magis magis.*] sic alibi,

Post vento crescente magis magis increbrescunt.

QVA *solatus es adlocutione.*] Adloqui & Hortari pro Consolari, nonnumquam ponebant. quo de nos in Commentationibus in Horat. Græci poëtæ, Παραιφάμεν & Παραμυθίαν. sic in hoc genere, vt Latini adlocutionem, dicebant. Naumachius apud Stobæum,

Ἀνδρὶ γὰρ ἀχνυμένῳ [illegible]

IRASCOR *tibi.*] Dispungendum hoc loco. Eodem modo Statius in IIII. Siluar. in risu Saturnalitio ad Grippum, *Irascor tibi, Grippe.*

D SIC *meos amores Paulum.*] & hoc loco distinguendum.

QVIDLVBET *adlocutionis.*] Versum desidero qui post hunc sequeretur. nisi si cui videtur Mæstius in Misisses, mutandum. Ea sententia, saltem aliquid solatij, & adlocutionis misisses lacrimis Simonideis, id est, meis.

LACRIMIS *Simonideis.*] τοὺς θρήνους intelligit Simonidis. qui & ab interprete Theocriti, & Stobæo citantur.

M. ANT. MVRETVS.

E MALE *est Cornifici.*] conqueritur cum Cornificio, qui ipsum, in magno dolore animi positum, ne allocutione quidem vlla solatum accesserat.

ET *magis magis.*] ita est in meo manuscripto, aliisque veteribus: & sic quoque Catullus alio loco locutus est,

Post, vento crescente, magis magis increbrescunt.

vt, quin hæc vera lectio sit, dubitari non oporteat.

ALLOCVTIONE?] proprie admodum. Varro, *Allocutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquam locutum, consolandi caussa.* ita enim eum locum Varronis, ope veteris libri, emendauit Victorius, cum in aliis legeretur, *consulendi.*

A SIC *meos amores?*] post hunc versum, equidem non dubito, quin aliquid desit, sine quo insequentium versuum sententia explicari non queat. sunt tamen quidam in primis eruditi homines, qui putent fieri posse, vt nihil desideretur: exponántque ad hunc modum: adhibuisse quidem Cornificium Catullo consolationem aliquam, sed & breuem, & eiusmodi, vt lamentationi alicui, quàm consolationi, similior videretur: hanc autem orationem concisam esse, & [illegible], ad indicandam vim & magnitudinem doloris: vt intelligamus, *Sic meos amores?* id est, siccine meos amores à te parui fieri, vt

B meliorem mihi consolationem nullam afferas? quid enim tandẽ à te allatum est? *Paulum quidlubet adlocutionis*, atque id quoque ipsum *Mæstius lacrumis Simonideis.* excelluisse autem Simonidem poëtam in tractatione rerũ tristium, cum aliunde, tum ex Fabij testimonio intelligi potest. Sũt, vt dixi, qui hunc locum ita interpretentur ego deduci de sententia non possum: omninóque deesse aliquid existimo.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

C ET MAGIS *magis in dies & horas.*] Transpositio facta est versuum hoc loco. Nam post hunc versiculum sequi debebat, *Irascor tibi*, sic:

Et magis magis in dies, & horas.
Irascor, tibi sic meos amores.
Quem tu. quod minimum facillimúmque est,
Qua solatus es adlocutione?
Paulum quidlibet adlocutionis
Mœstius lacrimis Simonideis.

Irascor, inquit, tibi te ita puerum meos amores accepisse. Quem puerum quo solatus es colloquio? Parum quidpiam consolationis adhibui-

D sti: si modo ea est consolatio, quæ tristior est threnis Simonidis. Hæc est vera huius poëmatij difficultatum explicatio. Nam omnis difficultas inde nata, quod, *meos amores* non accipiebant de puero, quem Cornificius mœstum consolatus non erat. Idcirco facta erat transpositio.

In Egnatium XL.

EGNATIVS, quòd candidos habet dentes,
E *Renidet vsque quaque. seu ad rei ventum est*
Subsellium, cùm orator excitat fletum,
Renidet ille, seu pij ad rogum filî
Lugetur, orba cùm flet vnicum mater,
Renidet ille: quidquid est, vbicunque est,
Quodcunque agit; renidet. hunc habet morbum,
Neque elegantem, vt arbitror, neque vrbanum.
Quare monendus es mihi: bone Egnati,

Si vrbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut porcus Vmber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuuinus ater, atque dentatus,
Aut Transpadanus, vt meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lauit dentes,
Tamen renidere vsquequaque te nollem.
Nam RISV inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem, atque russam defricare gingiuam:
Vt, quò iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

A

B

ANTONIVS PARTHENIVS.

REI.] reus dicitur non solum noxius & accusatus, sed etiam quicunque cuius caussa in iudicio agitur, auctor Cicero. Ridet autem contra naturæ legem. Nam vt ait Iuue.

Plorare ergo iubet caussam lugentis amici
Squaloremque rei.

AD pij rogum filij.] Iuue.

Naturæ imperio gemimus cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terra clauditur infans,
Et minor igne rogi.

SVBSELLIVM.] tribunal iudicij. Subsellia, vt Asconius exponit, sunt in quibus Triumuiri, Tribuni ple. Quæstores, & alij minores magistratus, ius dicebant.

VRBANVS.] vrbis & ciuitatis moribus institutus.

AVT *Sabinus.*] Nam Sabini graues & rigidi fuerunt. Hor. *Vel Gabiis vel cum rigidis æquata Sabinis.*

TIBVRS.] Tiburtinus. Tibur oppidum Argeo positum, colono in Latio, dicatum Herculi.

VMBER.] Vmbria pars Thusciæ. Plinius: *Vmbrorum gens antiquissima Italiæ existimabitur, vt quos Ombrios à Græcis dictos putent, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent.*

HETRVSCVS.] item Hetruria Thusciæ pars Latio finitima: interdum pro tota Thuscia ponitur.

OBESVS.] propinguis: alias obesus gracilentum signat, vt scribit Gellius.

ACER.] fortis.

TRANSPADANVS.] regio Transpadana à Pado appellatur: tota est mediterranea. vltra Padum vsque ad confinia protenditur Venetiæ: quam Plinius à Transpadana regione separat. Sed Catullus Venetiam, in qua est Verona, in Transpadanis intelligit, quum dicit,

Vt meos quoque attingam.

C

D

E

RENIDERE.] ridendo abblandiri.

RISV *inepto.*] definitio cachinni.

RVSSAM.] rubram. epitheton gingiuæ.

VT *quo iste vester expolitior dens est.*] sensus est. adeo quisque matutina sua vrina lauat gingiuam & dentem, vt quanto tersior & expolitior est dens vester, tanto plus vrinę vos bibisse significet.

QVO.] quanto.

HOC.] tanto.

LOTVS.] dens vester.

PRÆDICET.] publice significet. legitur & *Amplius loti.* i. plus vrinæ: lotium enim vrina est.

PALLADIVS FVSCVS.

EGNATIVS *quod Candidos habet.*] Versus est iambicus trimeter: vt sciamus quid sibi velit Catullus, res paulo altius est repetenda. Igitur cùm Hispani in cæteris vitæ partibus maxime mundi existant, in hac vna spurcissimi existimātur, quod lauacra ex lotio conficientes, non os solum & dentes, sed etiam totum corpus, vrina sibi lauant. Auctores sunt, Strabo, & Diodorus. Catullus igitur gnarus tantæ fœditatis: irridet hoc epigrammate Egnatium Hispanum, qui vsquequaque ridebat, vt occurrentibus dentes ostenderet: quos sibi, crebris vrinæ lauacris, candidos effecerat.

QVOD.] quia.

VSQVEQVAQVE.] semper.

SVBSELLIA.] Asconius Pedianus, *Subsellia erant Tribunorum, Triumuirorum, Quæstorum & huiusmodi minora iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, neque tribunalibus, sed in subselliis considebant.*

CVM *excitat orator fletum.*] Quod apud Romanos licebat. Athenienses autem oratorem inter agendum affectus mouere vetabant.

ROGVS.] erat strues lignorum in qua cadauer cremabatur. ipsum autem cremare, teste Plinio, non fuit veteris instituti. terra ante condebantur, at postquam longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc institutum.

HVNC *habet morbum.*] s. ridendi.

SI *vrbanus.*] id est, Romanus.

AVT *Sabinus.*] Sabini sunt populi Italiæ, de quibus sic scribit Plinius, *Sabini vt quidam existimant à religione & deorum cultu Sevini appellati, Velinos accolunt lacus roscidis collibus.*

TIBVRS.] Tiburtinus ex Tibure oppido: quod Herculi dicatum in confinio Latij & Sabiniæ. vt Cato Portius docuit à Catillo Arcade classis Euandri præfecto, vt Sextus ab Argiua iuuentute, conditum est.

VMBRI.] populi sunt in eadem Italia, qui vtroque mari supero & infero illiduntur: oppida eorum ad mare superum sunt, Senegallia, Fanum fortunæ, & Pisaurum.

OBESVS *Hethruscus.*] pinguis vel gracilis Thuscus. Obesum enim, vt scribit Gellius lib. XVIII. noctium atticarū, proprie significat exile & gracilentum: improprie pingue atque vber.

LAVINIVS.] emendo Lanuuinus, à Lanuuio. Quod oppidum ad viam Appiam à Dio-

mede conditũ fuiſſe ſcribit Appianus: vbi etiam Iunonis ſoſpitæ fanum erat, cui omnes conſules ſacrificabant.

TRANSPADANVS.] Tranſpadana eſt Italiæ pars, quæ inter Apenninum & alpes ſita eſt. de qua Strabo ita diſſerit. *Regionem igitur Tranſpadanam incolunt Veneti, & alij vſque polam. ſuper Venetos Carni & Cenomani & Medoaci.*

PVRITER.] vino vel aqua, vt mos eſt eorum qui ſtudent munditiis.

NVNC *Celtiber.*]. emendo Celtiberus, vt ſtet verſus: alioquin minor erit vna ſyllaba. detegit autem inſpuendam Hiſpanorum fæditatem.

VT *quo iſte veſter.*] ſenſus eſt, quiſq; inter Celtiberos mane fricat ſibi dentes & gingiuas vrina: vt quanto quis habet dentes candidiores, tanto plus lotij bibiſſe dicatur.

LOTI.] pro lotij, ſyneręſis. Eſt autem lotium vrina, nec ſolum hominis, ſed cæterorum quoque animalium.

ACHILLES STATIVS.

EGNATIVS, *quod candidos habet dentes.*] Egnati poëtæ meminit Macrob. in VI. Saturn. Cuius etiam verſus è libris de rerum natura ponit. Cic. in XIII. Epiſt. ad Q. Galliu, L. Egnati mentionem facit, quem ſuum vocat familiariſſimum. Plin in X. de rerum natura, M. Egnatium Caluinum commemorat præfectum Alpium. Quorum aliquis an hic idem ſit, mihi quidem non liquet. Plinianus Egnatius omnino poſterior, quã vt eius fieri mentio poſſit à Catullo.

RENIDET *vſquequaque.*] Diductis labris vt dentes exſerat, nec enim plane ridentem ſignificat.

SEV *ad rei.*] Diphtongum eliſit.

CVM *orator excitat fletum.*] Vbi riſui nullus eſt locus. & cùm maxime eſt παθητικὸς λόγος.

LVGETVR.] ἀνεφώνησις.

AVT *parcus Vmber.*] Vmbrorum conuiuia pro parciſſimis dicebant. Auctor, opinor, Plutarchus.

AVT *obeſus Etruſcus.*] pinguis. Vergil. in II. Georg. *Hic Laticem qualem pateris libamus & auro.*
Inflauit cum pinguis ebur Tyrrhenus.

Dionyſius in IX. de L. agens Æmilio, Etruſcos laute ſolitos viuere ſcribit.

AVT *Tranſpadanus.*] Ex Italia Tranſpadana. Plin. in XVIII.

PVRITER.] Ennius, vt ſcribit Priſcianus, his vtebatur aduerbiis, Proteruiter, Ignauiter, Inimiciter, Superbiter, Temeriter, Præclariter, Toruiter, Puriter, Reuerecunditer, Miſeriter, Properiter.

LAVIT.] Antique, pro lauat.

NVNC *Celtiberus, Celtiberia in terra.*] In manuſcriptis, *Nunc Celtiber Celtiberia in terra.*
Gabriel Faernus legendum putabat,
Nunc Celtiberque, Celtiberáque in terra.

Mihi verò, ſi ſic legerem, nouum omnino, atque inſolens videretur, in penultima ſcazontis ſede poſitum fuiſſe ſpondæum. Celtiberiam vero terram ſi dixit, ſic ſcilicet dixit, vt & C. Cæſar Galliam terram, & Africam terram in Com-

A mentariis de bello Gallico, ac Ciuili. Et Gellius in II. Noct. Att. cap. XXII. *Sed, quod ait ventum, qui ex terra Gallia flaret, Circium appellari.* Atque idem alibi Gellius, in VII. opinor, *Ex terra Phocide.*

DENTEM, *atque ruſam defricare gingiuam.*] In manuſcriptis omnibus, Ruſam, non Ruſam. ſed facilis hic lapſus fuit, niſi Ruſſam legamus. quod verbum in veteribus libris etiam legitur. Appuleius eodem modo videtur legiſſe, ac pro defricare, Pumicare, in I. Apologia. *Quem multo, inquit, aquius erat ſpurciſſimo ritu Hiberorum vt ait Catullus, Dentem, atque ruſſam pumicare gingiuam.*

B ISTE *veſter.*] Veſter, de vno, per indignationem. Sic Poëta, *Crimen amor veſtrum.*

M. ANT. MVRETVS.

EGNATIVS.] ineptiam Egnatij exagitat; qui cum de cãdore dentium, quem ſibi ſpurciſſime parabat, vt de magno aliquo bono, magnopere ſe amaret, eius oſtentandi cauſſa, ſæpe, nulla occaſione ridebat, aut ea etiam excipiebat riſu, quæ lachrymis potius excipi par foret. Eodem modo Alexis comicus mulieres quoque laborare ait lepidiſſimis verſibus, quos è Clemente Alexandrino Petrus Victorius in libros
C ſuos tranſtulit: quos, quoniam nondum ſatis emendatos puto, ita proferam, vt legi oportere arbitror, neque me id etiam cum bona ipſius Victorij gratia facturum eſſe diffido. ſunt autem trochaici octonarij catalectici.

Εὐφυεῖς ὀδόντας ἔσχεν· ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν.
Ἵνα θεωρῶσ' οἱ παρόντες, τὸ στόμ' ὡς κομψὸν φορεῖ.
Καὶ δὲ μὴ χαίρῃ, γελῶσα διατελεῖ τὴν ἡμέραν,
Μυῤῥίνης ξυλήφιον ἔχουσα λεπτὸν ἐν τοῖς χείλεσιν,
Ὡς τῷ χρόνῳ σεσηρεν, ἄντε βούλητ' ἄν τε μή.

RENIDET.] ridet. Renidere dicitur, quicquid hilarem aliquam ſpeciem præ ſe fert. quo
D ſenſu transfertur etiam ad inanimata.

SEV *ad.*] huius συνεκφωνήσεως rara admodum exempla reperiri puto.

SEV *ad rei ventum eſt Subſellium.*] ſiue quis cum amicus in graui aliqua cauſſa periclitans aduocatum adduxit ſibi. quis autem locus alienior à riſu, quàm iudicium?

CVM *orator excitat fletum.*] cùm ad eam orationis partem ventum eſt, in qua orator, velut habenas eloquentiæ laxens, omnia permiſcet affectibus, ita vt ſæpe è corona aſtante ij quoque, ad quos nihil res attinet, lacrumare cogantur;
E eo inquam tempore, quo ſubſellia ceterorum gemitu planctúque reſonant, *Renidet ille.* Addit etiam, quod ſit abſurdius.

SEV *pij ad rogum fili Lugetur: orba cum flet vnicum mater.*] in ſingulis autem verbis ineſt pondus. nam & nullus acerbior luctus eſt, quam ob amiſſum filium, & in eo minus ſibi matres, quàm patres, temperant: idque præcipue, ſi lugeatur & pius, & vnicus, & eo maxime temporis puncto, quo miſeræ matres illa ſibi tantopere dilecta ora flamis feralibus depaſci vident: in quo tanti eiulatus excitari ſolent, vt ipſa pene ſaxa perrumpat dolor. At Egnatius dum dentes oſtẽdat, iſtis rebus non valde mouetur. itaque in tam

mæsto spectaculo, lamentantibus cæteris, *Renidet ille.* ac denique,

QVICQVID *est, vbicunque est, Quodcunque agit, renidet; hunc habet morbum.*) morbos vocabant prauitates quasdam animi, consuetudinésque vitiosas. Cicero in Verrem, de signis, *Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; vt amici eius morbum, & insaniam; vt Siculi, latrocinium.* Apposite autem id verbi adhibuit poëta, quo in amicorum vitiis vterentur; qui & se amicum esse Egnatio simulet, & admonere eum, quasi amice, velit.

B QVARE *monendus est mihi.*) hactenus de eo locutus est: nunc ad eum orationem conuertit, inquiens,

BONE *Egnati, &c.*) subest autem vis argumenti ἀπὸ τοῦ ἥττονος, hoc modo. Etiam si oriundus esses ex aliqua earum gentium, quæ sibi dentium candorem sine vlla spurcitia comparant: tamen, ita frequenter, ac nulla occasione eos retegere, ineptum esset. quanto igitur id ineptius est, cum originem ex ea gente hominum ducas, quæ sibi non horret quotidie vrina confricare gingiuas, vt dentes efficiat candidos?

SI *vrbanus esses.*] id est, in vrbe natus.

C AVT *parcus Vmber.*] videtur frugalitatem & parsimoniam Vmbris tribuere. contra tamen eorum luxus à multis idoneisque scriptoribus incessitur.

AVT *obesus Etruscus.*] è copiosis videlicet, frequentibúsque sacrificiorum epulis, quibus ea gens plurimum dedita fuisse dicitur.

AVT *Lanuuinus ater.*[in aliis, *acer.*

VT *meos quoque attingam.*] Verona enim est ex Italia Transpadana.

LAVIT.] ita dicebant veteres, non, vt nunc lauat. Virg. - *lauit improba teter Ora cruor.*

D NAM *risu inepto.*] ob id etiam Græci quos significare volunt insigniter fatuos, ἀχρειογέλωτας vocant.

CELTIBERIA *in terra.*]antique additũ *terra.*

IANVS DOVSA FIL.

TENVE est illud Epigrammate in Egnatiũ, sed peccatum tamen.

RENIDET *vsquequaque, seu ad rei ventum est Subsellium, cum orator excitat fletum.*] Quis vero non libens id credat mihi, vt versus ratio habeatur rescribendum: *seu rei ventum ad Subsellium est.*

E IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVVM *flet vnicum mater.*] Cicero ad Pætum: *Patriam eluxi iam & grauius, quam vlla mater vnicum filium.*

AVT *parcus vmber.*] Iam notum studiosis, olim adolescẽtes nos hic *porcus* pro *parcus* legisse. Ea emendatio confirmatur Lexico P. Danielis, cui parile ego vidi in Monasterio Vindocinensi. In eo Glossario antiquo hic versus producitur cum interpretamento, *id est, grassus, pinguis.*

NAM *risu inepto.*] versus παροιμιώδης Græcorum,

Γέλως ἄκαιρος δεινὸν ἐν βροτοῖς κακόν.

NVNC CELTIBERVS.] Scriptus liber,

A & veteres editiones:

Nunc Celtiber ex Celtiberia in terra. Lege:

Nunc Celtiber in Celtiberia terra.

Nam metaplasmo isto vsi sunt veteres. Horat.

Discet Iber, Rhodaniq́; potor. Lucanus:

—— occurras Iberibus alter. Sillius:

Omnis Iber, omnis Latio sub nomine miles. Idem:

Omnis Iber, omnis rapidis fera Gallia turmis. Idem:

—— ceditque loco Libys asper, & omnis
Late cedit Iber. ——

Sic eodem Metaplasmo dicebant *Illuribus & Megaribus.* vt Plautus.

B ATQVE *russam.*] Olim adolescentes *Russam* ex Apuleio reposuimus. Hunc autem spurcum morem præter Strabonem notat & Diodorus libro quinto. καὶ ἐκπλύειν τὸ σῶμα λούουσιν οὔρῳ, καὶ τοὺς ὀδόντας παρατρίβοντες τούτῳ, ἡγοῦνται θεραπείαν τῶν σωμάτων.

Ad Rauidum XLI.

Quænã te mala mens, miselle Rauide,
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An vt peruenias in ora vulgi?
Quid vis? qualubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

ANTONIVS PARTHENIVS.

D QVÆNAM *te mala mens misella Raude.*] excandescit in Raudum riualem suum, qui poëtæ amicam, aut amabat, aut abduxerat: minatur itaque illi Catullus rabiosam iambicorum versuum vltionem: quoniam Raudus nulla alia ratione in vulgi ora deuenire potuisse videtur.

MALA *mens.*] malum consilium.

RAVDE.] alij legũt Rauide, sed nõ stat versus, nisi forte per syncopẽ proferatur. alij Raui. Raudus vel raudum dicebatur æs ab antiquis, vt Varro & Festus scribunt.

E IN *meos iambos.*] in meam iracundiam & rabiosum odium: ab effectu causam intelligi voluit.

NON *bene.*] male.

EXCITARE.] mecum contrahere.

AN *vt peruenias in ora vulgi.*] quandoquidem laudibus in hominum notitiam atque cognitionem deuenire non potest, meis famosis versibus cupis cum tuo dedecore dignosci.

MEOS *amores.*] meam puellam.

CVM *pœna.*] cum infamia.

LONGA.] lõgo tempore in carminibus meis duratura.

QVALIBET.] per quamlibet rationem & & viam, vel per famam vel per infamiam.

A

PALLADIVS FVSCVS.

QVÆNAM *te mala mens.*] Versus est hendecasyllabus. Poëta ægrè ferens Raudu quendam factum esse sibi riualem, minatur se in eum iambos iaculaturum.

MALA *mens.*] insania.

AGIT *præcipitem.*] te præcipitat.

IN *meos iambos*] in meos versus, sed quales in eos scribimus, qui vel re, vel verbis nos læserunt.

NON *bene aduocatus.*] tibi non propitius.

AN *ne vt peruenias in ora vulgi.*] an, inquit, hoc facis vt meis versibus notus fias?

B MEOS *amores.*] meam amicam, vel Lesbiam, vel aliam puellam.

CVM *longa voluisti amare pœna.*] vt ab hominibus tam diu irridearis, quousque mea in te carmina legentur.

ACHILLES STATIVS.

QVÆNAM *te mala mens, miselle Rauide, Agit præcipitem in meos iambos.*] Faërnus pro Rauide, Raude, legendum censebat. cùm mutare nihil necesse esset. Agit præcipitem, sic dixit. aliter quoque Latine dicimus eodem vsi verbo,

C Diuersum agi. Cic. in III. in Verrem eodem modo, *Agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Romanorum. id est, in supplicium rapiunt.* Ouid. in V. Metam. verbo eodem vsus,

Et mentem adhibens quæ te germane furentem
Mens agit in facinus.

MALA *mens.*] Dira. Vergil. in II. Æneid.

- Quæ mens tam dira miserrime coniunx.
Impulit his cingi telis. - Agere autem nonnumquam persequi, exagitare, torquere. Horat. *Diris agam te. -* Et idem Horatius alibi,

Non res, & agentia verba Lycambem.

D QVIS *deus tibi non bene aduocatus.*] Inauspicato vocatus.

AN *vt peruenias in ora vulgi.*] In manuscriptis omnibus. Perueniamus. praue omnino. Loquitur autem eodem modo etiam Hor. in I. epist. ad Florū, *Quid Titius, Romana breui venturus in ora.*

QVID *vis, qualubet esse notus optas.*] sic omnino distinguendum. Vis inquit esse notus quiduis qualubet. nec enim laboras, quæ sit hominum de te opinio, quis populi sermo, dum innotescas modo. Vno tamen in manuscripto legebatur, Quia vis. Ego posse etiam legi putabam,

Quouis qualibet esse notus optas.

E Esse verò aliquem quid vis, Horat dixit,

Imbecillus, iners, si in quid vis, adde popino.

Cic in Epist. ad Luceium, *Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias.* Et in IIII. Tusc. *Qui autem dicuntur iracundi, aut misericordes, aut inuidi, aut tale quid.*

ERIS.] Mos, inquit, tibi geretur. téque æternis figam maledictis.

CVM *longa voluisti amare pœna.*] Longa, Sempiterna. Cum, præpositionem addidit suo, & veterum more. Idem alibi,

Magno cum pretio, atque malo.

M. ANT. MVRETVS.

QVÆNAM *te mala mens.*] huius versus postrema syllaba à principe subsequentis assumitur.

AGIT *præcipitem.*] cum enim meos amores attētare audes, tum videris vltro in ipsam meorum versuum aciem incurrere, téque in eos præcipitem dare.

QVIS *deus.*] à diis enim iratis, mala consilia in hominum mentes immitti putabant. Cic. pro Milone, *Hic dij immortales, vt supra dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioso, vt illi faceret insidias, aliter perire pestis illa non poterat.* Aut ad eorum sententiam respicit, qui affectiones, quibus agitatur animus, deos vocabāt. in Græcorum enim commentariis reperio, dei nomen quinque fere modis vsurpari solere, vt modo sapientes homines, modo reges ac potentes deos vocemus, modo elementa, modo fatum, modo etiam facultates animi, ipsásque illius agitationes. quo etiam respexit Virg. *- dy ne hunc ardorem mentibus addunt, Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?*

VT *peruenias in ora vulgi?*] vt meis versibus traductus ad infamiā, nobilis & decantatus euadas? Hæc aute locutio, venire in ora, & in vitio, & in laude etiam ponitur. Liuius lib. II. *timorem iniecit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret.* Propert.

Crede mihi: magnos æquabunt ista triumphos
Iudicia: & venies tu quoque in ora virum.

IANVS DOVSA FIL.

QVIS *Deus tibi non bene aduocatus Vecordem parat excitare rixam.*] *Deus non bene aduocatus* videtur idem esse qui Pindaro *δαίμων ἕτερος.* sic enim is Oda III. Pythiorum: *- δαίμων δ' ἕτερος ἐς κακὸν τρέψαις ἐδαμάσσατό νιν.* Et puto *ἕτερος* dictū hic, vt apud Latinos *altera aues* pro infausta.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVÆNAM *te mala mens.*] Omnino huic simile illud ex epodis Archilochi:

Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;
Τίς σὰς παρήειρε φρένας;

AGIT *præcipitem.*] Præcipitem in meos Iambos. Lucianus dixisset *ἐμπεσεῖν τοῖς ἰάμβοις.* Sic enim, *ἐν τῷ περὶ ἀποφράδος.* de Archilocho loquēs: *μηδὲν ὀκνοῦντα ὑβρίζειν, εἰ καὶ ὅτι μάλιστα λυπήσειν ἔμελλε τοὺς ἐμπεσουμένους τῇ χολῇ τῶν ἰάμβων αὐτοῦ.*

De Acme XLII.

ACME illa, illa puella defututa.
Tota millia me decem poposcit:
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos, medicósque conuocate.

Non est sana puella: nec rogate
Qualis sit. solet hæc imaginosum.

ANT. PARTHENIVS.

ACME *an illa puella defututa.*] Catullus Acmes meretriculæ blanditiis ac deliciis pellectus illic (vt amantes solent) promiserat per codicillos decem millia nummum. puella verò credens sibi rem factam, allatis codicillis, iure promissionis à Catullo decem millia poposcit: poëta itaque in iracundiam exit, exclamans: Illa ne Acme toties futura poscit à me tota illa decē millia, reddat mihi meos codicillos.

ACME.] nomen meretriculæ puto legendum esse per C. nam ἡ ἀκμὴ vigor dicitur & flos ætatis, quod nomen conuenit puellæ. Acmen Iuliæ Augusti filiæ ancillam, Cæsaris iussu interemptam, scribit Iosephus.

AN *illa puella.*] interrogatiue & cum percontatione legitur. Legitur & ancilla, pro an illa, quod non placet.

DEFVTVTA.] cum vehemente iracundia dixit: quasi sit ratio cur tam impudicæ mulieri nullum seruetur promissum, aut nihil illi omnino credatur.

TOTA] integra.

DECEM *millia.* s. nummorum.

ISTA *turpiculo.*] hæ omnes vituperationes cum ingenti felle dicuntur, tanquam rationes & argumenta contra fidem meretriculæ, vt omnino nihil illi sit credendum: nam tam deformi mulieri, quicquam tam grande serio promitti, non est verisimile.

DECOCTORIS.] decoctor is dicitur qui grandi ære alieno oppressus, creditores fallens aufugit.

FORMIANI.] vtrum Mamurram Formianum, an alium intelligat, vide.

PROPINQVI *quibus est puell. cu.*] hæc dicit vt eius petitioni fidem deroget, quasi non ratione, sed insania moueatur ad poscendum.

QVALIS *sit.*] an insana, an ægrota, an phrænetica, an certa.

IMAGINOSVM.] laruarum imaginationes.

SOLET.] s. videre.

MEDICOS.] vt mediam pertundant venam furentis.

PALLADIVS FVSCVS.

ACME *puella.*] Versus est eius generis cuius est superior. conuitiatur Acme puellæ, quæ pugillares à poëta sibi traditos reddere nollebat, nisi Catullus x. mil. nummum daret.

DEFVTVTA.] de auget.

ISTA *turpiculo puella naso.*] quod Acme turpem nasum haberet, sequenti epigrammate indicat Catullus.

DECOCTORIS.] decoctores sunt qui gula ad inopiam redacti fallunt creditores. Crassus ille qui primus diues cognominatus est, dictus est decoctor: quod substantia omnis absumpta,

A decoxisset creditoribus.

PROPINQVI *quibus est puella curæ.*] monet Acmes ipsius propinquos, vt amicos & medicos accersant, qui sibi dicant, quo insaniæ genere puella laboret: nisi enim insana esset, non putaret se formosam, & ideo tanta mercede dignam, cùm sit maxime deformis.

SANA.] sanæ mentis.

NEC *rogare qualis sit: solet hæc imaginosum.*] nunquam, inquit, speculum consulit, vt ex eius inspectione cognoscat qualis ipsa sit Catullus, nouo quidem sed eleganti vocabulo, speculum appellat imaginosum ab imaginibus, quæ innu-
B meræ ab eo visuntur. Hoc autem referimus acceptum à Philippo Beroaldo.

ACHILLES STATIVS.

ACME *illa, illa puella defututa.*] omnibus in manuscriptis est, *Ameana puella defututa.* quod retinendum censeo: aut mutandum sic,

Acme, vna puella defututa. vt E postrema littera verbi Acme, à principe sequentis V non elidatur.

TOTA *millia me decem poposcit.*] Cic. ad Att. Tota tempora pomeridiana dicit. Et Virg in 1. Æneid. *Hic iam trecentum totos regnabitur annos.*
C Verbum enim, totum, apponebant, cùm certam summam, ac numerum significabant.

DECOCTORIS *amica Formiani*] si vel Amæanam, vel Acmæanam legimus, non est hæc illa Acme Septimij.

PROPINQVI, *quibus est puella curæ.*] Esse enim hæc cognatorum cura solet, ac debet. nam eorum fidei salus, & pecunia insanientis committitur. Sic in lege XII. *Si furiosus est, agnatum gentiliúmque in eum, pecuniámque eius potestas esto.* Et Horat. in II. Epist. ad Florum.

Hic vbi cognatorum opibus, curisq; refectus,
Expulit helleboro morbum. & quæ sequun-
D tur. Columella in I. *Quorum si alterum deesset; ac nihilominus quis vellet incolere, mente e. e captum, atque eum ad agnatos & gentiles deducendum.*

NEC *rogate Qualis sit, solet.*] In manuscriptis aliis sic, —— *Nec rogare*
Qualis sit solet, & imaginosum. In aliis sic,
—— *Nec rogare*
Qualis sit solet, nec imaginosum.

Quæ sit aliorum loci huius interpretatio, scio, quam sequerer, si liqueret modo Latine speculum, etiam hoc verbo Imaginosum dici. Alij hoc modo legunt, —— *Nec rogare*
Qualis sit, solet hæc imaginosum.
E Quasi id dicat, ne nunc illud quærite, quo morbo hæc laborat, solet hæc imaginosum, id est, solet ea φαντάζεσθαι τι νοσεῖν. Seneca in I. Nat. Quæst. morbum eiusmodi commemorat. *Quidam*, inquit, *hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant.* Imaginari autē dicitur is etiam, qui sibi visum, vt sic hoc dicam, sibi videtur videre. Sueton. in vita C. Cæsaris. *Et Calpurnia vxor imaginata est conlabi fastigium domus, maritumq; in gremio suo confodi.* Sed deest hoc loco fortasse quippiam. itaque, quid affirmem, prorsus non habeo.

M. ANT.

M. ANT. MVRET.

ACME *illa.*] indignatur, Acmen ausam esse à se decem millia pro mercede concubitus poscere.

TVRPICVLO.] Cicero II. de Oratore, *Gratiæ, ss honestis in rebus seuere, iocus in turpiculis, & quasi deformibus ponitur.*

FORMIANI.] Septimij; vt infra,

Acmen Septimius suos amores.

PROPINQVI.] aduocandos ait esse amicos puellæ, & medicos ad eam curandam: furere enim, & atra bili percitam esse.

NEC *rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosum.*] id est, speculum de forma sua consulere non solet. id enim si faceret, quamuis sana non est, cognosceret tamen deformiorem esse se, quam vt tantum poscere debeat. Imaginosum autem vocat speculum à reddendis intuentium imaginibus.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ACME *illa illa puella.*] vetus scriptura. *Amean.* Recte. *A* pro *Ab* semper in hoc libro exaratum fuit. *Ab me.* ἀπ' ἐμοῦ. Supra: *—quod esurire Ab meme puer, & sitire dicis.* At docti viri Acmen Septimij hic imaginati sunt: & decoctorem Formianum Septimium intelligunt. ἅπαντα ἀδύνατα.

DECOCTORIS *amica Formiani.*] Mamurræ. Infra:

Salue nec nimio puella naso, postea:

Decoctoris amica Formiani.

SOLET *hac imaginosum.*] verbo *solet*, infinitiuum non subiungebant veteres Latini. In Epigrammatis:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant

Mœchi— Subaudiendum μοιχεύειν. Plautus Cistellaria: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Non est obscurum quid subaudiatur. Hic solere imaginosum est, solere imaginosum morbum ægrotare. Imaginosus morbus est φρενῖτις quum φαντάσματα animo occurrunt. De quo satis Celsus libro tertio, & Cælius Aurelianus. Alius est morbus imaginosus κορυβαντιασμὸς Græcis dictus, cuius medicini libri mentionem non faciunt. Imagines sunt sonores, quales tinnitus, quibus aures nostræ personantur. vnde ἦχος Græcorum Latini vertunt imagines. Horatius,

——Cuius recinet iocosa Nomen imago.

Varro de apibus, *sonoram imagines*, hoc est, ἦχοι. οἱ κορυβαντιῶντες videbantur sibi semper aures musica & carminum sonoribus personari. Plato Critone: ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν. Item: ταῦτα, ὦ φίλε ἑταῖρε Κρίτων, εὖ ἴσθι ὅτι ἐγὼ δοκῶ ἀκούειν, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν, καὶ ἐν ἐμοὶ ἡ αὐτὴ ἠχὴ τούτων τῶν λόγων βομβεῖ, καὶ ποιεῖ μὴ δύνασθαι τῶν ἄλλων ἀκούειν. Qui autem hoc morbo laborant, insomnia & vigiliis vexantur, aut saltem patentibus oculis dormiunt. Semper enim illis imaginibus intentum animum habent. Vnde eos, qui patentibus oculis dormiunt, Corybantiare dice-

A bant, hoc est, κορυβαντιᾶν. Quicunque enim patentibus oculis dormiunt, intutum somnum propter imagines & sonores habent. quod superstitiosa vetustas à Corybantibus immitti credebat. Plinius loquens de oculis animalium: *Dormiunt & quidam patentibus, quos Corybantia regrediunt.* Hæc est veterum Plinij manu scriptorum lectio, ex qua monstrum ipsis Corybantibus formidolosius confinxit princeps harum literarum Adrian. Turnebus, quum legit, *quos Corybantia regrediuntur.* Putauit nostræ ætatis doctissimus vir posse Latine dici: Medicina salutem regreditur ægris:

B quia scilicet apud Ennium legerat regredi gressum: quum ibi sit eodem modo dictum, quo, currere cursum, seruitutem seruire, & similia. Deinde fœdissime lapsus est, quum putauit à Corybantibus morbum illum sanari, qui contra à Corybantibus immitti vulgo putabatur. Sed indubitata emendatio est: *quos Corybantiare credunt.* Qui enim patentibus oculis dormirent, putabantur imaginosum pati, idque à Corybantibus immitti. Alij scripti codices Pliniani habent: *quas Corybantias Græci dicunt.* optime, modo *quos* non *quas* legeris: vt ij homines κορυβαντιᾶν dicti fuerint. Nam verum est, qui hoc imaginoso morbo conflictan-

C tur, insomnia, aut saltem leui somno vexari, neque oculos illis claudi etiam dormientibus. Varro Prometheo:

Leuisomna mens sonorinas imagines

Adfatur. non vmbrantur somno pupulæ. Quibus versibus quid aptius excogitari potuit ad Plin. explicandum? Nam in illis versibus sonorinæ imagines sunt ἦχοι ἐναυλοι. & manifesto indicat imaginosis seu κορυβαντιῶσι non vmbrari somno pupulas, quod de patentibus oculis iam Plinius dixerat. Qui in verbis Varronis legunt, *somnorinas* à somno ostendant mihi, vbi legerint somnorem pro somno Nugæ. Igitur,

D *Solet imaginosum*, hoc est, κορυβαντιᾶ, nisi mauis, φρενιτίζει, interpretatione, quam primo loco posuimus, Memineris ergo τὸ *solet imaginosum*, sine infinitiuo alterius verbi dictum, vt supra ex Plauto docuimus: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Honeste enim hæc subintelliguntur. Sic apud Euripidem Iphigenia in Aulide: ὡς ἐγὼ λέγω ὑμῖν ἐπαρθένω, supple. μιγῆναι. Turnebus legit *—nec rogare Qualis sit, solet hæc imaginosum.* & amicus noster imaginosum pro speculo sumit: quod Catulli interpretes omnes iam ante eum fecerant. Frustra.

E

In quandam. XLIII.

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
Omnes vndique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat, mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.

Non est sana puella: nec rogate
Qualis sit. solet hæc imaginosum.

ANT. PARTHENIVS.

ACME *an illa puella defututa.*] Catullus Acmes meretriculæ blanditiis ac deliciis pellectus illic (vt amantes solent) promiserat per codicillos decem millia nummum. puella verò credens sibi rem factam, allatis codicillis, iure promissionis à Catullo decem millia poposcit: poëta itaque in iracundiam exit, exclamans: Illa ne Acme toties fututa poscit à me tota illa decẽ millia, reddat mihi meos codicillos.

ACME.] nomen meretriculæ puto legendum esse per C. nam ἡ ἀκμὴ vigor dicitur & flos ætatis, quod nomen conuenit puellæ. Acmen Iuliæ Augusti filiæ ancillam, Cæsaris iussu interemptam, scribit Iosephus.

AN *illa puella.*] interrogatiue & cum percontatione legitur. Legitur & ancilla, pro an illa, quod non placet.

DEFVTVTA.] cum vehemente iracundia dixit: quasi sit ratio cur tam impudicæ mulieri nullum seruetur promissum, aut nihil illi omnino credatur.

TOTA] integra.

DECEM *millia.* s. nummorum.

ISTA *turpiculo.*] hæ omnes vituperationes cum ingenti felle dicuntur, tanquam rationes & argumenta contra fidem meretriculæ, vt omnino nihil illi sit credendum: nam tam deformi mulieri, quicquam tam grande serio promitti, non est verisimile.

DECOCTORIS.] decoctor is dicitur qui grandi ære alieno oppressus, creditores fallens aufugit.

FORMIANI.] vtrum Mamurram Formianum, an alium intelligat, vide.

PROPINQVI *quibus est puell. cu.*] hæc dicit vt eius petitioni fidem deroget, quasi non ratione, sed insania moueatur ad poscendum.

QVALIS *sit.*] an insana, an ægrota, an phrænetica, an certa.

IMAGINOSVM.] laruarum imaginationes.

SOLET.] s. videre.

MEDICOS.] vt mediam pertundant venam furentis.

PALLADIVS FVSCVS.

ACME *puella.*] Versus est eius generis cuius est superior. conuitiatur Acme puellæ, quæ pugillares à poëta sibi traditos reddere nollebat, nisi Catullus x. mil. nummum daret.

DEFVTVTA.] de auget.

ISTA *turpiculo puella naso.*] quod Acme turpem nasum haberet, sequenti epigrammate indicat Catullus.

DECOCTORIS.] decoctores sunt qui gula ad inopiam redacti fallunt creditores. Crassus ille qui primus diues cognominatus est, dictus est decoctor: quod substantia omnis absumpta,

A d ecoxisset creditoribus.

PROPINQVI *quibus est puella cura.*] monet Acmes ipsius propinquos, vt amicos & medicos accersant, qui sibi dicant, quo insaniæ genere puella laboret: nisi enim insana esset, non putaret se formosam, & ideo tanta mercede dignam, cùm sit maxime deformis.

SANA.] sanæ mentis.

NEC *rogare qualis sit: solet hæc imaginosum.*] nunquam, inquit, speculum consulit, vt ex eius inspectione cognoscat qualis ipsa sit Catullus, nouo quidem sed eleganti vocabulo, speculum appellat imaginosum ab imaginibus, quæ innu-B meræ ab eo visuntur. Hoc autem referimus acceptum à Philippo Beroaldo.

ACHILLES STATIVS.

ACME *illa, illa puella defututa.*] omnibus in manuscriptis est, *Ameana puella defututa.* quod retinendum censeo: aut mutandum sic,

Acme, vna puella defututa. vt E postrema littera verbi Acme, à principe sequentis V non elidatur.

TOTA *millia me decem poposcit.*] Cic. ad Att. Tota tempora pomeridiana dicit. Et Virg in 1. Æneid. *Hic iam trecentum totos regnabitur annos.*

C Verbum enim, totum, apponebant, cùm certam summam, ac numerum significabant.

DECOCTORIS *amica Formiani*] si vel Amæanam, vel Acmæanam legimus, non est hæc illa Acme Septimij.

PROPINQVI, *quibus est puella cura.*] Esse enim hæc cognatorum cura solet, ac debet. nam eorum fidei salus, & pecunia insanientis committitur. Sic in lege XII. *Si furiosus est, agnatum gentiliúmque in eum, pecuniámque eius potestas esto.* Et Horat. in II. Epist. ad Florum.

Hic vbi cognatorum opibus, curisq́; refectus,
Expulit helleboro morbum. & quæ sequun-

D tur. Columella in I. *Quorum si alterum deesset; ac nihilominus quis vellet incolere, mente eius captum, atque eum ad agnatos & gentiles deducendum.*

NEC *rogate Qualis sit, solet.*] In manuscriptis aliis sic, ——— *Nec rogare*
Qualis sit solet, & imaginosum. In aliis sic,
——— *Nec rogare*
Qualis sit solet, nec imaginosum.

Quæ sit aliorum loci huius interpretatio, scio, quam sequerer, si liqueret modo Latine speculum, etiam hoc verbo Imaginosum dici. Alij hoc modo legunt, ——— *Nec rogare*
Qualis sit, solet hæc imaginosum.

E Quasi id dicat, ne nunc illud quærite, quo morbo hæc laborat, solet hæc imaginosum, id est, solet ea φαντάζεσθαι vel sim. Seneca in I. Nat. Quæst. morbum eiusmodi commemorat. *Quidam*, inquit, *hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant.* Imaginari autẽ dicitur is etiam, qui sibi visum, vt sic hoc dicam, sibi videtur videre. Sueton. in vita C. Cæsaris. *Et Calpurnia vxor imaginata est conlabi fastigium domus, maritumq́; in gremio suo confodi.* Sed desit hoc loco fortasse quippiam. itaque, quid affirmem, prorsus non habeo.

M. ANT.

M. ANT. MVRET.

ACME *illa.*] indignatur, Acmen ausam esse à se decem millia pro mercede concubitus poscere.

TVRPICVLO.] Cicero II. de Oratore, *Grauitas honestis in rebus seuere, iocus in turpiculis, & quasi deformibus ponitur.*

FORMIANI.] Septimij; vt infra,

Acmen Septimius suos amores.

PROPINQVI.] aduocandos ait esse amicos puellæ, & medicos ad eam curandam: furere enim, & atra bili percitam esse.

NEC *rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosum.*] id est, speculum de forma sua consulere non solet. id enim si faceret, quamuis sana non est, cognosceret tamen deformiorem esse se, quam vt tantum poscere debeat. Imaginosum autem vocat speculum à reddendis intuentium imaginibus.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ACME *illa illa puella.*] vetus scriptura. *A mean.* Recte. *A* pro *Ab* semper in hoc libro exaratum fuit. *Ab me.* εἶμαι. Supra: *--quod esurire Ab meme puer, & sitire discit.* At docti viri Acmen Septimij hic imaginati sunt: & decoctorem
C Formianum Septimium intelligunt. ὄναρον δ' Ἀστυάγας.

DECOCTORIS *amica Formiani.*] Mamurræ. Infra:

Salue nec minimo puella naso, postea:
Decoctoris amica Formiani.

SOLET *hæc imaginosum.*] verbo *solet*, infinitiuum non subiungebant veteres Latini. In Epigrammatis:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Machi-- Subaudiendum μοιχᾶσθαι. Plautus Cistellaria: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Non est obscurum quid subaudiatur. Hic solere imaginosum est, solere imaginosum morbum ægrotare. Imaginosus morbus est φρενῖτις quum φαντάσματα animo occurrunt. De quo satis Celsus libro tertio, & Cælius Aurelianus. Alius est morbus imaginosus κορυβαντιασμὸς Græcis dictus, cuius medicini libri mentionem non faciunt. Imagines sunt sonores, quales tinnitus, quibus aures nostræ personantur. vnde ἦχος Græcorum Latini vertunt imagines. Horatius,

——Cuius recinet iocosa Nomen imago.

Varro de apibus, *sonorum imagines*, hoc est, ἦχος. οἱ κορυβαντιῶντες videbantur sibi semper aures mu-
E sica & carminum sonoribus personari. Plato Critone: ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν. Item: ταῦτα, ὦ φίλε ἑταῖρε Κρίτων, εὖ ἴσθι ὅτι ἐγὼ δοκῶ ἀκούειν, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν, καὶ ἐν ἐμοὶ ἡ αὕτη ἠχὴ τούτων τῶν λόγων βομβεῖ, καὶ ποιεῖ μὴ δύνασθαι τῶν ἄλλων ἀκούειν. Qui autem hoc morbo laborant, insomnia & vigiliis vexantur, aut saltem patentibus oculis dormiunt. Semper enim illis imaginibus intentum animum habent. Vnde eos, qui patentibus oculis dormiunt, Corybantiare dice-
A bant, hoc est, κορυβαντιᾷν. Quicunque enim patentibus oculis dormiunt, intutum somnum propter imagines & sonores habent. quod superstitiosa vetustas à Corybantibus immitti credebat. Plinius loquens de oculis animalium: *Dormiunt & quidam patentibus, quos Corybantia regrediunt.* Hæc est veterum Plinij manu scriptorum lectio, ex qua monstrum ipsis Corybantibus formidolosius confinxit princeps harum literarum Adrian. Turnebus, quum legit, *quos Corybantia regrediuntur.* Putauit nostræ ætatis doctissimus vir posse Latine dici: Medicina salutem regreditur ægris:
B quia scilicet apud Ennium legerat regredi gressum: quum ibi sit eodem modo dictum, quo, currere cursum, seruitutem seruire, & similia. Deinde fœdissime lapsus est, quum putauit à Corybantibus morbum illum sanari, qui contra à Corybantibus immitti vulgo putabatur. Sed indubitata emendatio est: *quos Corybantiare credunt.* Qui enim patentibus oculis dormirent, putabantur imaginosum pati, idque à Corybantibus immitti. Alij scripti codices Pliniani habent: *quas Corybantias Græci dicunt.* optume, modo *quos* non *quas* legeris: vt ij homines κορυβαντιᾶν dicti fuerint. Nam verum est, qui hoc imaginoso morbo conflictan-
C tur, insomnia, aut saltem leui somno vexari, neque oculos illis claudi etiam dormientibus. Varro Prometheo:

Leuisomna mens sonorinas imagines
Adfatur. non vmbrantur somno pupulæ. Quibus versibus quid aptius excogitari potuit ad Plin. explicandum? Nam in illis versibus sonorinæ imagines sunt ἦχοι ἔναυλοι. & manifesto indicat imaginosis seu κορυβαντιῶσι non vmbrari somno pupulas, quod de patentibus oculis iam Plinius dixerat. Qui in verbis Varronis legunt, *somnorinas* à somno ostendant mihi, vbi legerint somnorem pro somno Nugæ. Igitur,
D *Solet imaginosum*, hoc est, κορυβαντιᾷ, nisi mauis, φρενιτιᾷ. interpretatione, quam primo loco posuimus, Memineris ergo τὸ *solet imaginosum*, sine infinitiuo alterius verbi dictum, vt supra ex Plauto docuimus: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Honeste enim hæc subintelliguntur. Sic apud Euripidem Iphigenia in Aulide: ὡς ἴσχα Λῆδ' ἔρωτι ἐναρχόμαι, supple. μιγῆναι. Turnebus legit *--nec rogare Qualis sit, solet hæc imaginosum.* & amicus noster imaginosum pro speculo sumit: quod Catulli interpretes omnes iam ante eum fecerant. Frustra.

In quandam. XLIII.

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
Omnes vndique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat, mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.

Non est sana puella: nec rogate
Qualis sit. solet hæc imaginosum.

ANT. PARTHENIVS.

ACME *an illa puella defututa.*] Catullus Acmes meretriculæ blanditiis ac deliciis pellectus illic (vt amantes solent) promiserat per codicillos decem millia nummum. puella verò credens sibi rem factam, allatis codicillis, iure promissionis à Catullo decem millia poposcit: poëta itaque in iracundiam exit, exclamans: Illane Acme toties fututa poscit à me tota illa decẽ millia, reddat mihi meos codicillos.

ACME.] nomen meretriculæ puto legendum esse per C. nam ἡ ἀκμὴ vigor dicitur & flos ætatis, quod nomen conuenit puellæ. Acmen Iuliæ Augusti filiæ ancillam, Cæsaris iussu interemptam, scribit Iosephus.

AN *illa puella.*] interrogatiue & cum percontatione legitur. Legitur & ancilla, pro an illa, quod non placet.

DEFVTVTA.] cum vehemente iracundia dixit: quasi sit ratio cur tam impudicæ mulieri nullum seruetur promissum, aut nihil illi omnino credatur.

TOTA] integra.

DECEM *millia.* s. nummorum.

ISTA *turpiculo.*] hæ omnes vituperationes cum ingenti felle dicuntur, tanquam rationes & argumenta contra fidem meretriculæ, vt omnino nihil illi sit credendum: nam tam deformi mulieri, quicquam tam grande serio promitti, non est verisimile.

DECOCTORIS.] decoctor is dicitur qui grandi ære alieno oppressus, creditores fallens aufugit.

FORMIANI.] vtrum Mamurram Formianum, an alium intelligat, vide.

PROPINQVI *quibus est puell. cu.*] hæc dicit vt eius petitioni fidem deroget, quasi non ratione, sed insania moueatur ad poscendum.

QVALIS *sit.*] an insana, an ægrota, an phrænetica, an certa.

IMAGINOSVM.] laruarum imaginationes.

SOLET.] s. videre.

MEDICOS.] vt mediam pertundant venam furentis.

PALLADIVS FVSCVS.

ACME *puella.*] Versus est eius generis cuius est superior. conuitiatur Acme puellæ, quæ pugillares à poëta sibi traditos reddere nollebat, nisi Catullus x. mil. nummum daret.

DEFVTVTA.] de auget.

ISTA *turpiculo puella naso.*] quod Acme turpem nasum haberet, sequenti epigrammate indicat Catullus.

DECOCTORIS.] decoctores sunt qui gula ad inopiam redacti fallunt creditores. Crassus ille qui primus diues cognominatus est, dictus est decoctor: quod substantia omnis absumpta,

A decoxisset creditoribus.

PROPINQVI *quibus est puella curæ.*] monet Acmes ipsius propinquos, vt amicos & medicos accersant, qui sibi dicant, quo insaniæ genere puella laboret: nisi enim insana esset, non putaret se formosam, & ideo tanta mercede dignam, cùm sit maxime deformis.

SANA.] sanæ mentis.

NEC *rogare qualis sit: solet hæc imaginosum.*] nunquam, inquit, speculum consulit, vt ex eius inspectione cognoscat qualis ipsa sit Catullus, nouo quidem sed eleganti vocabulo, speculum appellat imaginosum ab imaginibus, quæ innu-
B meræ ab eo visuntur. Hoc autem referimus acceptum à Philippo Beroaldo.

ACHILLES STATIVS.

ACME *illa, illa puella defututa.*] omnibus in manuscriptis est, *Ameana puella defututa.* quod retinendum censeo: aut mutandum sic,

Acme, vna puella defututa. vt E postrema littera verbi Acme, à principe sequentis V non elidatur.

TOTA *millia me decem poposcit.*] Cic. ad Att. Tota tempora pomeridiana dicit. Et Virg in I. Æneid. *Hic iam trecentum totos regnabitur annos.*
C Verbum enim, totum, apponebant, cùm certam summam, ac numerum significabant.

DECOCTORIS *amica Formiani.*] si vel Amæanam, vel Acmæanam legimus, non est hæc illa Acme Septimij.

PROPINQVI, *quibus est puella curæ.*] Esse enim hæc cognatorum cura solet, ac debet. nam eorum fidei salus, & pecunia insanientis committitur. Sic in lege XII. *Si furiosus est, agnatum gentiliúmque in eum, pecuniámque eius potestas esto.* Et Horat. in II. Epist. ad Florum.

Hic vbi cognatorum opibus, curisq; refectus,
Expulit helleboro morbum. & quæ sequun-
D tur. Columella in I. *Quorum si alterum deesset; ac nihilominus quis vellet incolere, mente eius captum, atque eum ad agnatos & gentiles deducendum.*

NEC *rogate Qualis sit, solet.*] In manuscriptis aliis sic, ——— *Nec rogare*
Qualis sit solet, & imaginosum. In aliis sic,
——— *Nec rogare*
Qualis sit solet, nec imaginosum.

Quæ sit aliorum loci huius interpretatio, scio, quam sequerer, si liqueret modo Latine speculum, etiam hoc verbo Imaginosum dici. Alij hoc modo legunt, ——— *Nec rogare*
Qualis sit, solet hæc imaginosum.
E Quasi id dicat, ne nunc illud quærite, quo morbo hæc laborat, solet hæc imaginosum, id est, solet ea φαντάζεσθαι τι ποιεῖν. Seneca in I. Nat. Quæst. morbum eiusmodi commemorat. *Quidam, inquit, hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant.* Imaginari autẽ dicitur is etiam, qui sibi visum, vt sic hoc dicam, sibi videtur videre. Sueton. in vita C. Cæsaris. *Et Calpurnia vxor imaginata est conlabi fastigium domus, maritumq; in gremio suo confodi.* Sed deest hoc loco fortasse quippiam. itaque, quid affirmem, prorsus non habeo.

M. ANT.

M. ANT. MVRET.

ACME *illa.*] indignatur, Acmen ausam esse à se decem millia pro mercede concubitus poscere.

TVRPICVLO.] Cicero II. de Oratore, *Grauitas honestis in rebus seuere, iocus in turpiculis, & quasi deformibus ponitur.*

FORMIANI.] Septimij; vt infra,

Acmen Septimius suos amores.

PROPINQVI.] aduocandos ait esse amicos puellæ, & medicos ad eam curandam: furere enim, & atra bili percitam esse.

NEC *rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosum.*] id est, speculum de forma sua consulere non solet. id enim si faceret, quamuis sana non est, cognosceret tamen deformiorem esse se, quam vt tantum poscere debeat. Imaginosum autem vocat speculum à reddendis intuentium imaginibus.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ACME *illa illa puella.*] vetus scriptura. *A mean.* Recte. *A* pro *Ab* semper in hoc libro exaratum fuit. *Ab me.* εἴμοι. Supra: --*quod esuriue Ab meme puer, & sitire discit.* At docti viri Acmen Septimij hic imaginati sunt: & decoctorem C Formianum Septimium intelligunt. ἡμάρτω δ' ἀστόχας.

DECOCTORIS *amica Formiani.*] Mamurræ. Infra:

Salue nec nimio puella naso, postea:

Decoctoris amica Formiani.

SOLET *hac imaginosum.*] verbo *solet*, infinitiuum non subiungebant veteres Latini. In Epigrammatis:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant

Mæchi-- Subaudiendum μοιχεύειν. Plautus Cistellaria: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Non est obscurum quid subaudiatur. Hic solere D imaginosum est, solere imaginosum morbum ægrotare. Imaginosus morbus est φρενῖτις quum φαντάσματα animo occurrunt. De quo satis Celsus libro tertio, & Cælius Aurelianus. Alius est morbus imaginosus κορυβαντιασμὸς Græcis dictus, cuius medicini libri mentionem non faciunt. Imagines sunt sonores, quales tinnitus, quibus aures nostræ personantur. vnde ἦχος Græcorum Latini vertunt imagines. Horatius,

——*Cuius recinet iocosa Nomen imago.*

Varro de apibus, *sonorum imagines*, hoc est, ἦχοι. οἱ κορυβαντιῶντες videbantur sibi semper aures mu- E sica & carminum sonoribus personari. Plato Critone: ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν. Item: ταῦτα, ὦ φίλε ἑταῖρε Κρίτων, εὖ ἴσθι ὅτι ἐγὼ δοκῶ ἀκούειν, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν, καὶ ἐν ἐμοὶ ὁ αὐτὸς ἠχὴ τούτων τῶν λόγων βομβεῖ, καὶ ποιεῖ μὴ δύνασθαι τῶν ἄλλων ἀκούειν. Qui autem hoc morbo laborant, insomnia & vigiliis vexantur, aut saltem patentibus oculis dormiunt. Semper enim illis imaginibus intentum animum habent. Vnde eos, qui patentibus oculis dormiunt, Corybantiare dice- A bant, hoc est, κορυβαντιᾶν. Quicunque enim patentibus oculis dormiunt, intutum somnum propter imagines & sonores habent. quod superstitiosa vetustas à Corybantibus immitti credebat. Plinius loquens de oculis animalium: *Dormiunt & quidam patentibus, quos Corybantia regrediunt.* Hæc est veterum Plinij manu scriptorum lectio, ex qua monstrum ipsis Corybantibus formidolosius confinxit princeps harum literarum Adrian. Turnebus, quum legit, *quos Corybantia regrediuntur.* Putauit nostræ ætatis doctissimus vir posse Latine dici: Medicina salutem regreditur ægris: B quia scilicet apud Ennium legerat regredi gressum: quum ibi sit eodem modo dictum, quo, currere cursum, seruitutem seruire, & similia. Deinde fœdissime lapsus est, quum putauit à Corybantibus morbum illum sanari, qui contra à Corybantibus immitti vulgo putabatur. Sed indubitata emendatio est: *quos Corybantiare credunt.* Qui enim patentibus oculis dormirent, putabantur imaginosum pati, idque à Corybantibus immitti. Alij scripti codices Pliniani habent: *quas Corybantias Græci dicunt.* optime, modo *quos* non *quas* legeris: vt ij homines κορυβαντιᾶν dicti fuerint. Nam verum est, qui hoc imaginoso morbo conflictan- C tur, insomnia, aut saltem leui somno vexari, neque oculos illis claudi etiam dormientibus. Varro Prometheo:

Leuisomna mens sonorinas imagines

Adfatur. non vmbrantur somno pupulæ. Quibus versibus quid aptius excogitari potuit ad Plin. explicandum? Nam in illis versibus sonorinæ imagines sunt ἦχοι ἐναυλοι. & manifesto indicat imaginosis seu κορυβαντιῶσι non vmbrari somno pupulas, quod de patentibus oculis iam Plinius dixerat. Qui in verbis Varronis legunt, *somnorinas* à somno ostendant mihi, vbi legerint somnorem pro somno Nugæ. Igitur, D *Solet imaginosum*, hoc est, κορυβαντιᾶν, nisi manis, φρενιτιᾶν, interpretatione, quam primo loco posuimus, Memineris ergo τὸ *solet imaginosum*, sine infinitiuo alterius verbi dictum, vt supra ex Plauto docuimus: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Honeste enim hæc subintelliguntur. Sic apud Euripidem Iphigenia in Aulide: ὡς ἐνοχ' Ἀιδ' ἐμοὶ ἐμάρψεν, supple. μιγῆναι. Turnebus legit --*nec rogare Qualis sit, solet hæc imaginosum.* & amicus noster imaginosum pro speculo sumit: quod Catulli interpretes omnes iam ante eum fecerant. Frustra.

In quandam. XLIII.

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
Omnes vndique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat, mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.

K

Non est sana puella: nec rogate
Qualis sit. solet hæc imaginosum.

ANT. PARTHENIVS.

ACME *an illa puella defututa.*] Catullus Acmes meretriculæ blanditiis ac deliciis pellectus illic (vt amantes solent) promiserat per codicillos decem millia nummum. puella verò credens sibi rem factam, allatis codicillis, iure promissionis à Catullo decem millia poposcit: poëta itaque in iracundiam exit, exclamans: Illa ne Acme toties fututa poscit à me tota illa decẽ millia, reddat mihi meos codicillos.

ACME.] nomen meretriculæ puto legendum esse per C. nam ἡ ἀκμὴ vigor dicitur & flos ætatis, quod nomen conuenit puellæ. Acmen Iuliæ Augusti filiæ ancillam, Cæsaris iussu interemptam, scribit Iosephus.

AN *illa puella.*] interrogatiue & cum percontatione legitur. Legitur & ancilla, pro an illa, quod non placet.

DEFVTVTA.] cum vehemente iracundia dixit: quasi sit ratio cur tam impudicæ mulieri nullum seruetur promissum, aut nihil illi omnino credatur.

TOTA] integra.

DECEM *millia.* s. nummorum.

ISTA *turpiculo.*] hæ omnes vituperationes cum ingenti felle dicuntur, tanquam rationes & argumenta contra fidem meretriculæ, vt omnino nihil illi sit credendum: nam tam deformi mulieri, quicquam tam grande serio promitti, non est verisimile.

DECOCTORIS.] decoctor is dicitur qui grandi ære alieno oppressus, creditores fallens aufugit.

FORMIANI.] vtrum Mamurram Formianum, an alium intelligat, vide.

PROPINQVI *quibus est puell. cu.*] hæc dicit vt eius petitioni fidem derogет, quasi non ratione, sed insania moueatur ad poscendum.

QVALIS *sit.*] an insana, an ægrota, an phrænetica, an cerita.

IMAGINOSVM.] laruarum imaginationes.

SOLET.] s. videre.

MEDICOS.] vt mediam pertundant venam furentis.

PALLADIVS FVSCVS.

ACME *puella.*] Versus est eius generis cuius est superior. conuitiatur Acme puellæ, quæ pugillares à poëta sibi traditos reddere nollebat, nisi Catullus x. mil. nummum daret.

DEFVTVTA.] de auget.

ISTA *turpiculo puella naso.*] quod Acme turpem nasum haberet, sequenti epigrammate indicat Catullus.

DECOCTORIS.] decoctores sunt qui gula ad inopiam redacti fallunt creditores. Crassus ille qui primus diues cognominatus est, dictus est decoctor: quod substantia omnis absumpta,

A decoxisset creditoribus.

PROPINQVI *quibus est puella cura.*] monet Acmes ipsius propinquos, vt amicos & medicos accersant, qui sibi dicant, quo insaniæ genere puella laboret: nisi enim insana esset, non putaret se formosam, & ideo tanta mercede dignam, cùm sit maxime deformis.

SANA.] sanæ mentis.

NEC *rogare qualis sit: solet hæc imaginosum.*] nunquam, inquit, speculum consulit, vt ex eius inspectione cognoscat qualis ipsa sit Catullus, nouo quidem sed eleganti vocabulo, speculum appellat imaginosum ab imaginibus, quæ innu-

B meræ ab eo visuntur. Hoc autem referimus acceptum à Philippo Beroaldo.

ACHILLES STATIVS.

ACME *illa, illa puella defututa.*] omnibus in manuscriptis est, *Ameana puella defututa.* quod retinendum censeo: aut mutandum sic, *Acme, vna puella defututa.* vt E postrema littera verbi Acme, à principe sequentis V non elidatur.

TOTA *millia me decem poposcit.*] Cic. ad Att. Tota tempora pomeridiana dicit. Et Virg in 1. Æneid. *Hic iam trecentum totos regnabitur annos.*

C Verbum enim, totum, apponebant, cùm certam summam, ac numerum significabant.

DECOCTORIS *amica Formiani*] si vel Amæanam, vel Acmæanam legimus, non est hæc illa Acme Septimij.

PROPINQVI, *quibus est puella curæ.*] Esse enim hæc cognatorum cura solet, ac debet. nam eorum fidei salus, & pecunia insanientis committitur. Sic in lege XII. *Si furiosus est, agnatum gentiliùmque in eum, pecuniámque eius potestas esto.* Et Horat. in II. Epist. ad Florum.

Hic vbi cognatorum opibus, curisq; refectus,
Expulit helleboro morbum. & quæ sequun-

D tur. Columella in 1. *Quorum si alterum deesset; ac nihilominus quis vellet incolere, mente e e captum, atque eum ad agnatos & gentiles deducendum.*

NEC *rogate Qualis sit, solet.*] In manuscriptis aliis sic, —— *Nec rogare*
Qualis sit solet, & imaginosum. In aliis sic,
—— *Nec rogare*
Qualis sit solet, nec imaginosum.

Quæ sit aliorum loci huius interpretatio, scio, quam sequerer, si liqueret modo Latine speculum, etiam hoc verbo Imaginosum dici. Alij hoc modo legunt, —— *Nec rogare*
Qualis sit, solet hæc imaginosum.

E Quasi id dicat, ne nunc illud quærite, quo morbo hæc laborat, solet hæc imaginosum, id est, solet ea φαντάζεσθαι τι νοεῖν. Seneca in 1. Nat. Quæst. morbum eiusmodi commemorat. *Quidam, inquit, hoc genere valetudinis laborant, vt ipsi sibi videantur occurrere, vt vbique imaginem suam cernant.* Imaginari autẽ dicitur is etiam, qui sibi visum, vt sic hoc dicam, sibi videtur videre. Sueton. in vita C. Cæsaris. *Et Calpurnia vxor imaginata est conlabi fastigium domus, maritumq; in gremio suo confodi.* Sed deest hoc loco fortasse quippiam. itaque, quid affirmem, prorsus non habeo.

M. ANT.

M. ANT. MVRET.

ACME *illa.*] indignatur, Acmen ausam esse à se decem millia pro mercede concubitus poscere.

TVRPICVLO.] Cicero II. de Oratore, *Grauitas honestis in rebus seuere, iocus in turpiculis, & quasi deformibus ponitur.*

FORMIANI.] Septimij; vt infra,

Acmen Septimius suos amores.

PROPINQVI.] aduocandos ait esse amicos puellæ, & medicos ad eam curandam: furere enim, & atra bili percitam esse.

NEC *rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosum.*] id est, speculum de forma sua consulere non solet. id enim si faceret, quamuis sana non est, cognosceret tamen deformiorem esse se, quam vt tantum poscere debeat. Imaginosum autem vocat speculum à reddendis intuentium imaginibus.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ACME *illa illa puella.*] vetus scriptura. *A mean.* Recte. *A* pro *Ab* semper in hoc libro exaratum fuit. *Ab me.* εἰμοι. Supra: —*quod esuriet Ab meme puer, & sitire discet.* At docti viri Acmen Septimij hic imaginati sunt: & decoctorem Formianum Septimium intelligunt. ὥσπερ ἀπ' ἀἰσχύας.

DECOCTORIS *amica Formiani.*] Mamurræ. Infra:

Salue nec nimio puella naso, postea:

Decoctoris amica Formiani.

SOLET *hæc imaginosum.*] verbo *solet*, infinitiuum non subiungebant veteres Latini. In Epigrammatis:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant Machi— Subaudiendum μοιχᾶσθαι. Plautus Cistellaria: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Non est obscurum quid subaudiatur. Hic solere imaginosum est, solere imaginosum morbum ægrotare. Imaginosus morbus est φρενῖτις quum φαντάσματα animo occurrunt. De quo satis Celsus libro tertio, & Cælius Aurelianus. Alius est morbus imaginosus κορυβαντιασμὸς Græcis dictus, cuius medicini libri mentionem non faciunt. Imagines sunt sonores, quales tinnitus, quibus aures nostræ personantur. vnde ἦχος Græcorum Latini vertunt imagines. Horatius,

——*Cuius recinet iocosa Nomen imago.*

Varro de apibus, *sonorum imagines*, hoc est, ἦχοι. οἱ κορυβαντιῶντες videbantur sibi semper aures musica & carminum sonoribus personari. Plato Critone: ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν. Item: ταῦτα, ὦ φίλε ἑταῖρε Κρίτων, εὖ ἴσθι ὅτι ἐγὼ δοκῶ ἀκούειν, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν, καὶ ἐν ἐμοὶ αὕτη ἡ ἠχὴ τούτων τῶν λόγων βομβεῖ, καὶ ποιεῖ μὴ δύνασθαι τῶν ἄλλων ἀκούειν. Qui autem hoc morbo laborant, insomnia & vigiliis vexantur, aut saltem patentibus oculis dormiunt. Semper enim illis imaginibus intentum animum habent. Vnde eos, qui patentibus oculis dormiunt, Corybantiare dicebant, hoc est, κορυβαντιᾶν. Quicunque enim patentibus oculis dormiunt, intutum somnum propter imagines & sonores habent. quod superstitiosa vetustas à Corybantibus immitti credebat. Plinius loquens de oculis animalium: *Dormiunt & quadam patentibus, quos Corybantia regrediunt.* Hæc est veterum Plinij manu scriptorum lectio, ex qua monstrum ipsis Corybantibus formidolosius confinxit princeps harum literarum Adrian. Turnebus, quum legit, *quos Corybantia regrediuntur.* Putauit nostræ ætatis doctissimus vir posse Latine dici: Medicina salutem regreditur ægris: quia scilicet apud Ennium legerat regredi gressum: quum ibi sit eodem modo dictum, quo, currere cursum, seruitutem seruire, & similia. Deinde fœdissime lapsus est, quum putauit à Corybantibus morbum illum sanari, qui contra à Corybantibus immitti vulgo putabatur. Sed indubitata emendatio est: *quos Corybantiare credunt.* Qui enim patentibus oculis dormirent, putabantur imaginosum pati, idque à Corybantibus immitti. Alij scripti codices Pliniani habent: *quas Corybantias Græci dicunt.* optume, modo *quos* non *quas* legeris: vt ij homines κορυβαντιᾶν dicti fuerint. Nam verum est, qui hoc imaginoso morbo conflictantur, insomnia, aut saltem leui somno vexari, neque oculos illis claudi etiam dormientibus. Varro Prometheo:

Leuisomna mens sonorinas imagines

Adfatur. non vmbrantur somno pupulæ. Quibus versibus quid aptius excogitari potuit ad Plin. explicandum? Nam in illis versibus sonorinæ imagines sunt ἦχοι ἱκανοί. & manifesto indicat imaginosis seu κορυβαντιῶσι non vmbrari somno pupulas, quod de patentibus oculis iam Plinius dixerat. Qui in verbis Varronis legunt, *somnorinas* à somno ostendant mihi, vbi legerint somnorem pro somno Nugæ. Igitur, *Solet imaginosum*, hoc est, κορυβαντιᾶ, nisi mauis, φρενιτιᾶ, interpretatione, quam primo loco posuimus, Memineris ergo τὸ *solet imaginosum*, sine infinitiuo alterius verbi dictum, vt supra ex Plauto docuimus: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Honeste enim hæc subintelliguntur. Sic apud Euripidem Iphigenia in Aulide: ὡς ἐνεχ' Ἀνδ' ἐμοῦ ἀμφότερος, supple. μιγῆναι. Turnebus legit —*nec rogare Qualis sit, solet hæc imaginosum.* & amicus noster imaginosum pro speculo sumit: quod Catulli interpretes omnes iam ante eum fecerant. Frustra.

In quandam. XLIII.

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
Omnes vndique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat, mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.

mæsto spectaculo, lamentantibus cæteris, *Renidet ille.* ac denique,

QVICQVID *est, vbicunque est, Quodcunque agit, renidet; hunc habet morbum.*) morbos vocabant prauitates quasdam animi, consuetudinésque vitiosas. Cicero in Verrem, de signis, *Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; vt amici eius morbum, & insaniam; vt Siculi, Latrocinium.* Apposite autem id verbi adhibuit poëta, quo in amicorum vitiis vterentur; qui & se amicum esse Egnatio simulet, & admonere eum, quasi amice, velit.

QVARE *monendus est mihi.*) hactenus de eo locutus est: nunc ad eum orationem conuertit, inquiens,

BONE *Egnati, &c.*) subest autem vis argumenti ἀπὸ τοῦ ἥττονος, hoc modo. Etiam si oriundus esses ex aliqua earum gentium, quæ sibi dentium candorem sine vlla spurcitia comparant: tamen, ita frequenter, ac nulla occasione eos retegere, ineptum esset. quanto igitur id ineptius est, cum originem ex ea gente hominum ducas, quæ sibi non horret quotidie vrina confricare gingiuas, vt dentes efficiat candidos?

SI *vrbanus esses.*] id est, in vrbe natus.

C AVT *parcus Vmber.*] videtur frugalitatem & parsimoniam Vmbris tribuere. contra tamen eorum luxus à multis idoneisque scriptoribus incessitur.

AVT *obesus Etruscus.*] è copiosis videlicet, frequentibúsque sacrificiorum epulis, quibus ea gens plurimum dedita fuisse dicitur.

AVT *Lanuuinus ater.*[in aliis, *acer.*

VT *meos quoque attingam.*] Verona enim est ex Italia Transpadana.

LAVIT.] ita dicebant veteres, non, vt nunc lauat. Virg. *-lauit improba teter Or cruor.*

D NAM *risu inepto.*] ob id etiam Græci quos significare volunt insigniter fatuos, ἀχρειογέλωτας vocant.

CELTIBERIA *in terra.*] antique additū *terra.*

IANVS DOVSA FIL.

TENVE est illud Epigrammate in Egnatiū, sed peccatum tamen.

RENIDET *vsquequaque, seu ad rei ventum est Subsellium, cùm orator excitat fletum.*] Quis vero non libens id credat mihi, vt versus ratio habeatur rescribendum: *seu rei ventum ad Subsellium est.* E

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVVM *flet vnicum mater.*] Cicero ad Pætum: *Patriam eluxi iam & grauius, quam vlla mater vnicum filium.*

AVT *parcus vmber.*] Iam notum studiosis, olim adolescētes nos hic *porcus* pro *parcus* legisse. Ea emendatio confirmatur Lexico P. Danielis, cui parile ego vidi in Monasterio Vindocinensi. In eo Glossario antiquo hic versus producitur cum interpretamento, *id est, grassus, pinguis.*

NAM *risu inepto.*] versus παροιμιώδης Græcorum, Γέλως ἄκαιρος δεινὸν ἐν βροτοῖς κακόν.

NVNC CELTIBERVS.] Scriptus liber, A & veteres editiones:

Nunc Celtiber ex Celtiberia in terra. Lege:

Nunc Celtiber in Celtiberia terra.

Nam metaplasmo isto vsi sunt veteres. Horat.

Discet Iber, Rhodaniq; potor. Lucanus:

—— occurrat Iberibus alter. Sillius:

Omnis Iber, omnis Latio sub nomine miles. Idem:

Omnis Iber, omnis rapidis fera Gallia turmis. Idem:

—— ceditque loco Libys asper, & omnis
Late cedit Iber. ——

Sic eodem Metaplasmo dicebant *Illuribus & Megaribus.* vt Plautus.

B ATQVE *russam.*] Olim adolescentes *Russam* ex Apuleio reposuimus. Hunc autem spurcum morem præter Strabonem notat & Diodorus libro quinto. παρ' ἕκαστον τὸ σῶμα λούουσιν οὔρῳ, καὶ τοὺς ὀδόντας ἀποτρίβοντες τούτῳ, ὑγιεινὴν θεραπείαν τοῦ σώματος.

Ad Rauidum XLI.

Quenā te mala mens, miselle Rauide,
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis Deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An vt peruenias in ora vulgi?
Quid vis? qualubet esse notus optas?
Eris: quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

ANTONIVS PARTHENIVS.

QVÆNAM *te mala mens misselle Raude.*] excandescit in Raudum riualem suum, qui poëtæ amicam, aut amabat, aut abduxerat: minatur itaque illi Catullus rabiosam iambicorum versuum vltionem: quoniam Raudus nulla alia ratione in vulgi ora deuenire potuisse videtur.

MALA *mens.*] malum consilium.

RAVDE.] alij legūt Rauide, sed nō stat versus, nisi forte per syncopē proferatur. alij Raui. Raudus vel raudum dicebatur æs ab antiquis, vt Varro & Festus scribunt.

IN *meos iambos.*] in meam iracundiam & rabiosum odium: ab effectu causam intelligi voluit.

NON *bene.*] male.

EXCITARE.] mecum contrahere.

AN *vt peruenias in ora vulgi.*] quandoquidem laudibus in hominum notitiam atque cognitionem deuenire non potest, meis famosis versibus cupis cum tuo dedecore dignosci.

MEOS *amores.*] meam puellam.

CVM *pœna.*] cum infamia.

LONGA.] lōgo tempore in carminibus meis duratura.

QVALIBET.] per quamlibet rationem & & viam, vel per famam vel per infamiam.

A

PALLADIVS FVSCVS.

QVÆNAM *te mala mens.*] Versus est hendecasyllabus. Poëta ægrè ferens Raudu quendam factum esse sibi riualem, minatur se in eum iambos iaculaturum.

MALA *mens.*] insania.

AGIT *præcipitem.*] te præcipitat.

IN *meos iambos*] in meos versus, sed quales in eos scribimus, qui vel re, vel verbis nos læserunt.

NON *bene aduocatus.*] tibi non propitius.

AN *ne vt peruenias in ora vulgi.*] an, inquit, hoc facis vt meis versibus notus fias?

B MEOS *amores.*] meam amicam, vel Lesbiam, vel aliam puellam.

CVM *longa voluisti amare pœna.*] vt ab hominibus tam diu irridearis, quousque mea in te carmina legentur.

ACHILLES STATIVS.

QVÆNAM *te mala mens, misselle Rauide, Agit præcipitem in meos iambos.*] Faërnus pro Rauide, Raude, legendum censebat. cùm mutare nihil necesse esset. Agit præcipitem, sic dixit. aliter quoque Latine dicimus eodem vsi verbo,

C Diuersum agi. Cic. in III. in Verrem eodem modo, *Agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Romanorum, id est, in supplicium rapiunt.* Ouid. in V. Metam. verbo eodem vsus,

Et mentem adhibens quæ te germane furentem
Mens agit in facinus.

MALA *mens.*] Dira. Vergil. in II. Æneid.

– Quæ mens tam dira miserrime coniunx.
Impulit his cingi telis. –

Agere autem nonnumquam persequi, exagitare, torquere. Horat.
Diris agam te. – Et idem Horatius alibi,
Non res, & agentia verba Lycambem.

D QVIS *deus tibi non bene aduocatus.*] Inauspicato vocatus.

AN *vt peruenias in ora vulgi.*] In manuscriptis omnibus. Perueniamus. praue omnino. Loquitur autem eodem modo etiam Hor. in I. epist. ad Florū, *Quid Titius, Romana breui venturus in ora.*

QVID *vis, qualubet esse notus optas.*] sic omnino distinguendum. Vis inquit esse notus quiduis qualubet. nec enim laboras, quæ sit hominum de te opinio, quis populi sermo, dum innotescas modo. Vno tamen in manuscripto legebatur, Quia vis. Ego posse etiam legi putabam,

Quouis qualibet esse notus optas.

E Esse verò aliquem quid vis, Horat dixit,
Imbecillus, iners, si in quid vis, adde popino.

Cic in Epist. ad Luceium, *Neque enim tu is es, qui, quid sis, nescias.* Et in IIII. Tusc. *Qui autem dicuntur iracundi, aut misericordes, aut inuidi, aut tale quid.*

ERIS.] Mos, inquit, tibi geretur. téque æternis figam maledictis.

CVM *longa voluisti amare pœna.*] Longa, Sempiterna. Cum, præpositionem addidit suo, & veterum more. Idem alibi,

Magno cum pretio, atque malo.

M. ANT. MVRETVS.

QVÆNAM *te mala mens.*] huius versus postrema syllaba à principe subsequentis assumitur.

AGIT *præcipitem.*] cum enim meos amores attētare audes, tum videris vltro in ipsam meorum versuum aciem incurrere, téque in eos præcipitem dare.

QVIS *deus.*] à diis enim iratis mala consilia in hominum mentes immitti putabant. Cic. pro Milone, *Hic dij immortales, vt supra dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioso, vt illi faceret insidias, aliter perire pestis illa non poterat.* Aut ad eorum sententiam respicit, qui affectiones, quibus agitatur animus, deos vocabāt. in Græcorum enim commentariis reperio, dei nomen quinque fere modis vsurpari solere, vt modo sapientes homines, modo reges ac potentes deos vocemus, modo elementa, modo fatum, modo etiam facultates animi, ipsásque illius agitationes. quo etiam respexit Virg. *– dy ne hunc ardorem mentibus addunt,*
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?

VT *peruenias in ora vulgi?*] vt meis versibus traductus ad infamiā, nobilis & decantatus euadas? Hæc aute locutio, venire in ora, & in vitio, & in laude etiam ponitur. Liuius lib. II. *timorem iniecit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret.* Propert.

Crede mihi: magnos æquabunt ista triumphos
Indicia: & venies tu quoque in ora virum.

IANVS DOVSA FIL.

QVIS *Deus tibi non bene aduocatus Vecordem parat excitare rixam.*] *Deus non bene aduocatus* videtur idem esse qui Pindaro *δαίμων ἕτερος.* sic enim is Oda III. Pythiorum: *– δαίμων δ' ἕτερος ἐς κακὸν τρέψαις ἐδαμάσσατό νιν.* Et puto ἕτερος dictū hic, vt apud Latinos *altera auis* pro infausta.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVÆNAM *te mala mens.*] Omnino huic simile illud ex epodis Archilochi:

Πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε;
Τίς σὰς παρήειρε φρένας;

AGIT *præcipitem.*] Præcipitem in meos Iambos. Lucianus dixisset *ἐμπεσόντα τοῖς ἰάμβοις.* Sic enim, *ἐν τῷ περὶ ἀποφράδος.* de Archilocho loquēs: *μηδὲν ἐκεῖνα ὀνειδίζειν, εἰ καί τι ἔτι μαίνοιτο, σεσηπότι ἐμβάλλειν τοῖς ὀξυτάτοις ἰάμβοις, τῇ χολῇ τῶν ἰάμβων αὐτοῦ.*

De Acme XLII.

ACME illa, illa puella defututa.
Tota millia me decem poposcit:
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curæ,
Amicos, medicósque conuocate.

M. ANT. MVRET.

ACME *illa.*] indignatur, Acmen ausam esse à se decem millia pro mercede concubitus poscere.

TVRPICVLO.] Cicero II. de Oratore, *Grauitas honestis in rebus seuere, iocus in turpiculis, & quasi deformibus ponitur.*

FORMIANI.] Septimij; vt infra,

Acmen Septimius suos amores.

PROPINQVI.] aduocandos ait esse amicos puellæ, & medicos ad eam curandam: furere enim, & atra bili percitam esse.

NEC *rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosum.*] id est, speculum de forma sua consulere non solet. id enim si faceret, quamuis sana non est, cognosceret tamen deformiorem esse se, quam vt tantum poscere debeat. Imaginosum autem vocat speculum à reddendis intuentium imaginibus.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ACME *illa illa puella.*] vetus scriptura. *A mean.* Recte. *A* pro *Ab* semper in hoc libro exaratum fuit. *Ab me.* εἶμαι. Supra: *--quod esurire Ab meme puer, & sitire discis.* At docti viri Acmen Septimij hic imaginati sunt: & decoctorem Formianum Septimium intelligunt. ὅπερ ἀβλεψίας.

DECOCTORIS *amica Formiani.*] Mamurræ. Infra:

Salue nec minimo puella naso, postea:
Decoctoris amica Formiani.

SOLET *hæc imaginosum.*] verbo *solet*, infinitiuum non subiungebant veteres Latini. In Epigrammatis:

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Machi-- Subaudiendum μοιχεύειν. Plautus Cistellaria: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Non est obscurum quid subaudiatur. Hic solere imaginosum est, solere imaginosum morbum ægrotare. Imaginosus morbus est φρενῖτις quum φαντάσματα animo occurrunt. De quo satis Celsus libro tertio, & Cælius Aurelianus. Alius est morbus imaginosus κορυβαντιασμὸς Græcis dictus, cuius medicini libri mentionem non faciunt. Imagines sunt sonores, quales tinnitus, quibus aures nostræ personantur. vnde ἦχος Græcorum Latini vertunt imagines. Horatius,

——Cuius recinet iocosa Nomen imago.

Varro de apibus, *sonorum imagines*, hoc est, ἦχος. οἱ κορυβαντιῶντες videbantur sibi semper aures musica & carminum sonoribus personari. Plato
E Critone: ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν. Item: ταῦτα, ὦ φίλε ἑταῖρε Κρίτων, εὖ ἴσθι ὅτι ἐγὼ δοκῶ ἀκούειν, ὥσπερ οἱ κορυβαντιῶντες τῶν αὐλῶν δοκοῦσιν ἀκούειν, καὶ ἐν ἐμοὶ αὕτη ἡ ἠχὴ τούτων τῶν λόγων βομβεῖ, καὶ ποιεῖ μὴ δύνασθαι τῶν ἄλλων ἀκούειν. Qui autem hoc morbo laborant, insomnia & vigiliis vexantur, aut saltem patentibus oculis dormiunt. Semper enim illis imaginibus intentum animum habent. Vnde eos, qui patentibus oculis dormiunt, Corybantiare dice-
A bant, hoc est, κορυβαντιᾶν. Quicunque enim patentibus oculis dormiunt, intutum somnum propter imagines & sonores habent. quod superstitiosa vetustas à Corybantibus immitti credebat. Plinius loquens de oculis animalium: *Dormiunt & quidam patentibus, quos Corybantia regrediunt.* Hæc est veterum Plinij manu scriptorum lectio, ex qua monstrum ipsis Corybantibus formidolosius confinxit princeps harum literarum Adrian. Turnebus, quum legit, *quos Corybantia regrediuntur.* Putauit nostræ ætatis doctissimus vir posse Latine dici: Medicina salutem regreditur ægris:
B quia scilicet apud Ennium legerat regredi gressum: quum ibi sit eodem modo dictum, quo, currere cursum, seruitutem seruire, & similia. Deinde fœdissime lapsus est, quum putauit à Corybantibus morbum illum sanari, qui contra à Corybantibus immitti vulgo putabatur. Sed indubitata emendatio est: *quos Corybantiare credunt.* Qui enim patentibus oculis dormirent, putabantur imaginosum pati, idque à Corybantibus immitti. Alij scripti codices Pliniani habent: *quas Corybantias Græci dicunt.* optime, modo *quos* non *quas* legeris: vt ij homines κορυβαντιᾶν dicti fuerint. Nam verum est, qui hoc imaginoso morbo conflictan-
C tur, insomnia, aut saltem leui somno vexari, neque oculos illis claudi etiam dormientibus. Varro Prometheo:

Leuisomna mens sonorinas imagines
Adfatur. non vmbrantur somno pupulæ. Quibus versibus quid aptius excogitari potuit ad Plin. explicandum? Nam in illis versibus sonorinæ imagines sunt ἦχοι ἐναυλοι. & manifesto indicat imaginosis seu κορυβαντιῶσι non vmbrari somno pupulas, quod de patentibus oculis iam Plinius dixerat. Qui in verbis Varronis legunt, *somnorinas* à somno ostendant mihi, vbi legerint somnorem pro somno Nugæ. Igitur,
D *Solet imaginosum*, hoc est, κορυβαντιᾶ, nisi mauis, φρενιτιᾶ, interpretatione, quam primo loco posuimus, Memineris ergo τὸ *solet imaginosum*, sine infinitiuo alterius verbi dictum, vt supra ex Plauto docuimus: *Quæ cum viris suis prædicant nos solere.* Honeste enim hæc subintelliguntur. Sic apud Euripidem Iphigenia in Aulide: ὡς ἔτυχ' ἀνδρὶ ἐμοὶ ἐσπαρμένην, supple. μιγῆναι. Turnebus legit *--nec rogare Qualis sit, solet hæc imaginosum.* & amicus noster imaginosum pro speculo sumit: quod Catulli interpretes omnes iam ante eum fecerant. Frustra.

In quandam. XLIII.

ADESTE hendecasyllabi, quot estis
Omnes vndique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis,
Et negat, mihi vestra redditurum
Pugillaria, si pati potestis.

Perſequamur eam, & reflagitemus.
Quæ ſit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimicè, ac moleſtè,
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circunſiſtite eam, & reflagitate.
Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.
Non aßis facis ô lutum, lupanar,
Aut ſi perditius pote eſt quid eſſe.
Sed non eſt tamen hoc ſatis putandum,
Quod ſi non aliud poteſt, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce,
Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.
Sed nil proficimus: nihil mouetur,
Mutanda eſt ratio, modúſque vobis,
Si quid proficere ampliùs poteſtis,
Pudica, & proba redde codicillos.

ANT. PARTHENIVS.

IOCVM *me putat.*] id eſt ridiculum me habet: aut quia me decipit, aut quia per pugillaria petit ea quæ minime debeat.

PVGILLARIA.] meas tabellas in quibus amatoria promiſſa continentur.

MYRMICE.] tarde, gradu formicino: nam ὁ μύρμηξ formica dicitur.

AC *modeſte.*] gradu matronali: & bene incedere dixit quod eſt proprie grauium perſonarum: Alij legunt moleſte, ſed non conuenit cum præcedentibus verbis.

ORE.] rictu.

NON *facis.*] non æſtimas vno aſſe: aut lupanaris quæſtum minorem vno aſſe facis, tam vilem tui corporis proſtitutionem auara facis.

OLIDVM.] epitheton lupanaris: Horatius.

Contra alius nullam niſi olenti in fornice ſtantem.

Et Iuuenalis.

——*Fumoque lucernæ*
Fœda lupanaris tulit ad puluinar odorem.

RVBOREM.] verecundiam, pudorem, qui oris ſubito rubore demonſtratur.

FERREO.] duro.

CANIS.] rabidi.

RATIO.] oratio, aut conſilium.

PALLADIVS FVSCVS.

ADESTE *Hendecaſyllabi quot eſtis.*] Poeta conuocat hendecaſyllabos in ſui vltionem.

VESTRA *pugillaria.*] in quibus vos notare conſueui. Hos pugillares & hæc pugillaria veteres dixiſſe, nonnullorum confirmat auctoritas. Pugillarium vſum vetuſtiſſimum eſſe,

A & ante Troiana tempora, Homerus indicat in Iliade. ſcribit enim Bellerophontem ad Euriem à Præto cum pugillaribus miſſum.

REFLAGITEMVS.] inſtanter repoſcamus.

MYRMICE.] in modum formicarum.

MOLESTE.] vt incedens aliqua mole premi videatur.

CATVLI *ore Gallicani.*] magnos & acres in Gallia canes eſſe oſtendit Plin. his verbis lib. VIII. cap. XL. *E tigribus eos Indi volunt concipi, & ob id in ſyluis coitus tempore alligant fœminas. Primo & ſecundo fœtu nimis feroces putant gigni: Tertio demum educant. hoc idem è lupis Galli, quorum greges* B *ſuum quiſque ductorem & ducem è canibus habent, Illum in venatu comitantur, illi parent.* Ouidius quoque in primo metamorphoſeos:

Vt canis in vacuo leporem cum Gallicus aruo
Vidit, & hic prædam pedibus, petit, ille ſalutem.

CIRCVNSISTITE.] circunſiſtere eſt inuadere. Virgili.

At feßi tandem ciues nefanda furentis
Armati circunſiſtunt.

& alibi:

Ac me tum primum ſæuus circunſtetit horror.

REFLAGITATE.] cum clamore repoſcite.

OLIDVM.] fœtidum. hic poeta vehementer excandeſcit.

C RVBOREM.] pudorem, eſt autem pudor timor iuſtæ reprehenſionis, cuius index eſt rubor. Terentius.

Vide num eius color pudoris ſignum vſquã indicet.

FERREO.] duro, infatigabili.

NIHIL *mouetur noſtris.*] ſcilicet conuiciis.

RATIO.] ſcilicet repoſcendi.

PVDICA *& proba.*] cum iurgando nihil profecerit, ad preces deſcendit.

ACHILLES STATIVS.

D IOCVM *me putat eſſe mœcha turpis.*] ſic Horat. in II. Serm. *Nequid tu perdas, neu ſis iocus.* Et Propert. in II. *A peream, ſi me iſta mouẽt diſpendia, ſed me*
Fallaci dominæ iam pudet eſſe iocum.

ET *negat, mihi noſtra reddituram Pugillaria.*] In manuſcriptis, Veſtra, non Noſtra. quod eſt aptius. Caris. in I. *Pugillaria,* inquit, *ſæpius neutrum dicit idem Catullus.*

TVRPE *incidere, myrmice.*] Videndum, an Myrmex veſtis id nomen ſit; qualis Syrma, & Cyclas; an Turpe in Turpi mutandum ſit. Deinde, quod ſequitur coniungendum cum ſequenti verſu, *Ac moleſte Ridentem Catuli ora Gallicani.* ſed E Myrmice cur legendum ſit non video, cum nec penultimam μυρμηκὶ verſus ferat, & libri manuſcripti repugnent, in quibus fere legitur, Mirtinæ, & Murmire, praue vtrumque ac perplexe. In Maffei libro erat, Mirmice. Ego, dum quid norim rectius, leuiter mutans legebam, *Illa, quam videtis Turpe,* ſiue Turpem, *incedere mimice, ac moleſte Ridentem catuli ore Gallicani.* Mimice autem, id eſt, ſcænicæ, turpiterque geſticulantem, ac mollem. Porcius Latro contra Catilinam, *Omitto,* inquit, *peſtis huius impuriſſimas voces, mollitiem ſcænicam, obtutus impudicos, blanditias muliebres, & omnem denique copiam non mediocrium vitio-*

rum. Ore autem catuli Gallicani ridentem dicit, aut impudentem risum, aut mordacem significans. E Gallia diuersos optimosque canes esse, scribit Gratius. & Gallicanum, pro Gallicum dicebant. Sic Cato in II. Originum, *Papauer Gallicanus.* Auctor Caris. in I. nisi homines Gallicos, res Gallicanas dici velis.

MOECHA *putida redde codicillos, Redde putida mœcha codicillos.*] Verbum, Redde, geminauit, vt reflagitantium morem, & furtum opprobrantium significaret. Sic Ouid. in III. de Arte amãdi.

Redde meum clamant spoliatæ sæpe puellæ,
Redde meum toto voce boante foro.

NON *assis facis ô lutum, lupanar.*] sic in manuscriptis. sed, sententia quæ sit, non apparet. legendum suspicabar, O lutum, ô lupanar. vel illo modo potius, O lutum luparum. Plautus in Pseudolo simile quiddam significare videtur,

Turba est nunc apud deã, an ibi vis inter istas versarier
Prosedas, pistorum amicas, reliquias, alicarias,
Miseras, cæno delibutas, seruilicolas sordidas.

Et post, *Magisque meretricem pudorem, quam aurum congerere condecet. Pulchrum ornatum turpes mores peius cæno collinunt.* Legendum forte etiam. Os litum. Nam Placidus in Glossis, *Lutum os patientiam calcatam, vel crudelitatem in rictu.* Cic. in Pisonem. *O tenebræ, ô lutum, ô sordes, ô paterni generis oblite, materni vix memor.* Vir quidam eruditus legit, O blitum. duobus verbis. Et à Plauto Blitera meretrix dicitur. Lupæ vero meretrices dicebantur, vt post magis etiam docebimus. Inde Lupariæ in Suburra, reg. II. Cælimontana: auctor est Victor.

QVOD *si non aliud potest, ruborem, Afferre ô canis exprimamus ore.*] legendum omnino, vt est in manuscriptis, *Quod si non aliud potest, ruborem, Ferreo canis exprimamus ore.* Alij pro, Potest, Pote est faciunt. Ergo vel post duos hosce versus aliquid deest: vel hæc sit sententia, quando nihil aliud fieri potest, saltem hunc illi pudorem incutiamus. sed apte quæ per se ipsa significant insignem impudentiam coniunxit, Ferreum os. Tale illud in Nerone Claudio Suetonij, vel potius Licinij Crassi oratoris, *In hunc,* inquit, *dixit Licinius Crassus orator non esse mirandum, quod aeneam barbam haberet, cui esset os ferreum, cor plumbeum.* Artemidorus in I. de insomniis impudentiam quoque eiusmodi ore significari scribit, capite, περὶ μετώπου. cuius hæc sunt: Χάλκεον δὲ ἢ σιδήρεον, ἢ λίθινον μέτωπον δοκεῖν ἔχειν, πόρναις καὶ καπήλοις καὶ τοῖς μετ' ἀναιδείας ζῶσι μόνοις συμφέρει. Os canis etiam significauit Homer. illis verbis. Κυνὸς ὄμματ' ἔχων.

MVTANDA *est ratio.*] sic Cic. pro Muræna, *Abiit illud tempus, mutata ratio est.* Et in VII. Epist. ad Trebatium, *Posteaquam mea mutata ratio est.*

PVDICA, *& proba.*] Feminarum laus vel maxima. Sic Afran. Epistula Commissa. *Nam, proba, & pudica quod sum, consulo, & parco mihi, Quoniam comparatum est, vno vt simus contentæ viro.* Et Horat. in V. Carm.

Tu pudica, tu proba, Perambulabis astra sidus aureum.

Et Pompon. Mela in II. *Proba, formosaque in pretio sunt.* Proba, casta, incorrupta. Ouidius in I. de rem. amoris,

Et poterit dici rustica, si qua proba est.

Et Prop. in II.

Nullus erit castis iuuenis corruptor in agris,
Quo te blanditiis non sinat esse probam.

Atque alibi, *Nec proba Pasiphae.*

M. ANT. MVRETVS.

ADESTE *hendecasyllabi.*] hendecasyllaborum opem implorat, ad extorquenda pugillaria, sibi à meretrice quadam subrepta: ac primum quidem eam conuiciis persequitur, ad postremum etiam blanditiis tentat.

QVOT *estis.*] id est, quotquot estis. sic supra, *Et quantum est hominum venustiorum,* pro quantum quantum est. sic sæpe apud Ciceronem, quo modo, pro quoquo modo, & cuiusmodi, pro cuicuimodi. sic quot calendis Plautus, & nos quotannis, pro eo quod Varronem quotquot annis dicere solitum tradunt: quam Varronis consuetudinem imitatus videtur Horatius illo versu,

Non si trecentis, quotquot eunt dies,
Amice places illacrymabilem Plutona tauris.

VESTRA.] scribendis vobis quasi dicata.

TVRPE.] turpiter.

MYRMICE.] pari figura formicinum gradum dixit Plautus Menæchmis.

O LVTVM.] eodem modo seruus quidam in Persa lenonem, lutum lenonium vocat. hac quoque contumelia Cicero in Pisonem vsus est.

QVOD *si non aliud pote est.*] si nihil, inquit, aliud possumus, saltem incutiamus ei ruborem. etsi hoc propter ipsius impudentiam difficile erit.

FERREO.] impudentiam significat, vt apud Aristophanem σιδηροῦς ἀνήρ. sic & apud Ouidium,

——*duri puer oris, & audax.*

Cicero quoque pro P. Quintio, eodem sensu, durissimo ore esse eos ait, qui præsente Roscio gestum agere conarentur. Idem valet, quod statim additur, *Canis*: nota enim est eius bestiæ impudentia: vnde & Homericum illud κυνώπης, & Cynicorum appellatio fluxit. sed & apud Terentium Eunucho & canis, & os durum, impudentiam significant; vt pridem in eam fabulam scripsimus.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET NEGAT *mihi vestra redditurum.*] Puto Catullum scripsisse, *redditura.* vide supra. *Vouit datura.* Quamquam vulgatam lectionem scimus probam esse.

TVRPE *incedere.*] Iamdudum docti viri hic *mimice* legunt. Quod valde placet. Sic Seneca libro septimo Declamationum: *Nihil est tam mimicum, quam manifesta præparatio.* Ego admodum adolescens legebam, *ritmice.* ita enim scribebant pro *rhythmice.* Et fortasse non omnino male coniiciebam. Sic Petronius: *Quo incessus tuus compositus, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram*

aberrantia, nisi quod formam prostituis, vt vendas? A Illa verò:

Quod si nil aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore,
Conclamate iterum altiore voce.

Illa, inquam, hoc significant: Quod si nil aliud potest efficere, vt exprimamus ruborem. & ita, vti distinximus, legendum. Subauditur enim VT. Sic in illis: *Vtor tam bene, quam mihi pararim.* subauditur, *si.* quam si mihi pararim.

In Acmen. XLIIII.

B

SALVE, nec minimo puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco.
Nec sanè nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten' prouincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens, & inficetum!

ANTON. PARTHENIVS.

C

SALVE *nec minimo puella naso.*] sectatur & exagitat eandem Acmen, omnem fere puellarem deformitatem obiiciens illi: quæ & bella esse dicebatur, & cum Lesbia ineptè atque iniustè comparabatur.

NEC *mi.*] maximo: nasi magnitudo cum in viris sit deformis, in muliere deformior habetur.

NEC *bello pede.*]aut tortuoso, & claudo, aut nimis longo. pedis enim longitudo in puella laxioris naturæ suspicionem facit, vnde. Ouid. in III. amorum de puellari venustate loquens, ait,

Pes erat exiguus: pedis hæc aptissima forma est.

NEC *nigris ocellis.*] oculorum & superciliorum nigrities in muliebri venustate quæritur: nam quæ mulieres natura nigra non habebant supercilia denigrabant arte: quod tetigit Iuuenalis, scribens,

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos.

NEC *longis digitis nec ore sicco.*] quæ omnia insignem deformitatem faciunt: Iuuenalis,

——Sicco venit altera naso &
Iam grauis es nobis & sæpe emungeris.

LINGVA.] oratione quæ plurimum potest ad amorem & gratiam comparandam.

PALLADIVS FVSCVS.

SALVE *nec minimo.*] Catullus ægre ferens quod Acme puella inuenusta, cum Lesbia, puellarum pulcherrima, comparetur, ei obiicit omnem corporis deformitatem.

NASO.] magnitudo nasi multum dedecet mulierem. Horatius,

Depygis, nasuta, breui latere ac pede longo.

Maiores autem nostri, vt tradit Plinius, dicauerant nasum subdolæ irrisioni, vnde hodie quoque nasuti dicuntur astuti derisores.

NEC *bello.*) nec paruo. Ouidius.

Pes erat exiguus, pedis est aptissima forma.

NEC *nigris ocellis.*) oculi nigri coloris in homine plurimum laudantur. Horatius.

Et Lycum nigris oculis, nigroque crine decorum.

Plin. lib. XI, hist. natu. *oculi homini tantum diuerso colore: cæteris in suo cuique genere similes: & equorum quibusdam glauci, sed in homine numerosissima diuersitatis atque differentiæ.*

NEC *ore sicco.*) nimia saliuæ abundantia, quod quidem fœdissimum est.

DECOCTORIS.) dictum est superius, qui vocentur decoctores.

TEN'.) tene.

PROVINCIA.) regiones longe ab Italia à Romanis bello acquisitæ, prouinciæ dicebantur, quarum aliæ erant consulares: aliæ prætoriæ. consulares, Asia & Africa: reliquæ prætoriæ. Strabo est auctor.

NOSTRA.) subaudi amica.

O SÆCLVM *insipiens & infacetum.*) in quo deformes cum formosis comparantur.

ACHILLES STATIVS.

SALVE.) *nec minimo puella naso.*) In Acmē hæc, opinor, dicuntur, & Septimium, cum hic quoque sit idem versus, qui supra, Decoctoris amica Formiani. formæ vitium vel maximum nasus grandior. Horatius, *Depygis, nasuta.*

NEC *bello pede.*) Horat. ibidem,

Ne crure malo, ne sit pede turpi. Et paulo hæc ante *Breui latere, ac pede longo.* idque vitio ducens.

O SÆCLVM *insipiens*) omnibus in manuscriptis, Insapiens. Sic autem in sæculum inuehi solitos veteres, declarant Senecæ verba in proœmio libri primi declamationum ad Nouatum, *Solebat autem & hoc genere exercitationis vti, vt nihil* D *præter epiphonemata scriberet aliquo die, nihil præter enthymemata aliquo die, nihil præter translatiuas, quas dicimus, sententias. tamquam quæ de fortuna, de crudelitate, de sæculo, de diuitiis dicuntur.*

M. ANT. MVRETVS.

SALVE.) enumerat multa in Acme, quæ parum venusta sint. tum vrbane admodum admodum admiratur, infacetos vsque eo esse homines, vt eam non modo bellam putent, sed etiam cum Lesbia comparare audeant.

E

NEC *bello pede.*) breuitas pedis in puellis laudatur. Ouidius.

Pes erat exiguus pedis hæc aptissima forma est.

Contra Virgilius de rustica,

--spatiosa prodiga planta. Horatius.

Depygis, nasuta, breui latere, ac pede longo.

Aristoteles quoque (si eius sunt τὰ φυσιογνωμικὰ) longum latumque pedem roboris, breuem mollitiei notam esse affirmat, virisque illum, hunc mulieribus esse aptiorem.

NEC *nigris ocellis.*) nigros oculos antiqui in non minima pulchritudinis laude ponebant.

Horatius, *Et Lycum nigris oculis, nigroque*
Crine decorum. Idem,
Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.
Pindarus Pythiis ἑλικώπιδα Venerem vocat, Hesiodus Theogonia ἑλικοβλέφαρον. Homerus primo Iliados Chryseida ἑλικώπιδα κούρην, idemque in hymno Castorum Musas ἑλικώπιδας nominat.

Nec *longis digitis.*) contra Propertius de Cynthia.
Fulua coma est, longaque manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.

Nec *ore sicco.*) significat eam frequenter spuere: quod cum omnibus, tum puellis pręcipue indecorum est. sic Iuuenalis nasum siccum vocauit eius mulieris, quæ non sæpe emungeretur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Salve.) *nec minimo.*) Noster libet melius, meo iudicio, *Salue nec nimio*, Indicat enim pene nullum nasum habuisse. Propterea alibi dixit esse turpiculo naso. Neque enim de immani naso turpiculum dixisset.

I ten *prouincia.*) Provincia, hoc est, Prouincia Gallia, cuius pars Transpadana, in qua & amica Mamurtæ, & Catullus, quum hæc scriberet, erant. Ibi enim Mamurra præfectus fabrorum Cæsaris erat. quod supra ex Plinio attigimus.

Ad Fundum. XLV.

O Funde noster, seu Sabine, seu Tiburs,
Nam, te esse Tiburtem, autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere: at, quibus cordi est,
Quouis Sabinũ pignore esse contendunt.
Sed seu Sabine, siue veriùs Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malámque pectore expuli tussim:
Non immerẽti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.
Nam Sextianus dum volo esse conuiua,
Orationem in Attium petitorem
Plenam veneni, & pestilentiæ, legit.
Hìc me grauedo frigida, & frequẽs tussis
Quassauit, vsquedum in tuũ sinum fugi,
Et me recuraui ocimóque, & vrtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quòd non es vlta peccatum.
Nec iam recuso, si nefaria scripta
Sextî recepso, quin grauedinẽ, & tussim,
Non mî, sed ipsi Sextio ferat frigus:
A *Qui tunc vocat me, cùm malum legit librum.*

ANT. PARTHENIVS.

O Funde *noster seu Sabine seu Tiburs.*) Agro suo Tiburtino seu Sabino gratulatur, agitque maximas gratias, quod ab eo sit commodissimè hospitatus, ac libentissimè in eius villa per aliquot dies moratus: quum à Sextij conuiuio incommodissimo euasisset. Sabini Latij populi Tiburtinis confines: vnde dissensio erat, vtrum Catulli prædium inter Sabinos, an magis in Ti-
B burtinis recenseretur. Plin. *Sabini vt quidam existimauere à religione & deorum cultu Seuini appellati sunt:* Aulus Gellius ex M. Var. sententia, refert Sabellos & Saunites à Græcis appellari eos, qui à Latinis Samnites dicuntur, qui à Sabinis orti fuerunt.

Avtvmant.) opinantur, censent, existimant.

Non *est cordi.* non placet.

Lædere *Catullum.*) qui fundum suum Tiburtem appellari vult.

Alia *qui tam pectore expulsus sim.*) sensus est, qui ego Catullum ex alia villa Sextiana sum ob eius incommoda expulsus, tam merito pectore, quam mihi mea mens & animus malo consilio
C illac ductus meretur.

Alia.) ex alia villa Sextij.

Pectore *non immerenti.*) mei pectoris meriti tussim & exagitationem grauedinosam: aer enim ibi grauedinosus est.

Dedit *villa Sextij.*) Sextianus id est Sextij pro quo, egregio ciue Romano, Tullius orauit, extatque adhuc Ciceronis pro Sextio Oratio.

Mvnatii.) Munatius Plancus orator non incelebris fuit, Ciceronis temporibus: ac, vt quibusdam placet, Ciceronis discipulus.

Petitorvm.) ordo est, orationem petito-
D rum Munacij, idest petitionem ipsius Munacij.

Veneni.] rabiei venenosæ criminationis.

Pestilentiæ.) pestiferorum scelerum ac conuiciorum, scelerata enim cõuicia venenum appellat: vt superius, *Suphenum omnia colligam venena.*

Otio.) quieta, tranquilla & otiosa.

Vrtica.) aut pro quacunque vili herba, aut quia vrtica medetur tussi, vt scribit Plin. de vrticæ medicinis. legas Plin. lib. xxii. est item vrtica marinus piscis, qui à Græcis dicitur, ἡ ἀκαλήφη.

Deprecor.) recuso. Virgilius.
Equidem merui nec deprecor inquit.
E de huius verbi significatis plura differit Gellius.

Cepso.) incepero siue incipiam: futurum antiquum, imitatione Græca.

Sentire.) audire: vix auribus admittere.

Gravedinem.] catharrum.

Non *mihi sed Sextio.*) vrbane dictum.

PALLADIVS FVSCVS.

O Fvnde *noster.*) Versus est trimeter iambicus. Catullus à Sextio amico ad cœnam inuitatus, cum orationem, quam maledictis ple-

nam Munacij Planci competitores fecerant, legisset: ipse repente in grauissimam tussim incidit: qua cum cuperet liberari, & sciret ei ocium & vrticam mederi, in agrum se recepit, vbi & ocium & vrticæ copiam esset habiturus: nunc autem postquam videt sibi bene esse, ad vrbem rediturus, villæ gratias maximas agit, quod eius beneficio tanto malo sit liberatus.

QVIBVS *non est cordi.*) quibus non placet. Terentius.

Aut si has nuptiæ sunt tibi cordi.

AT *quibus cordi est.*) quibus placet scilicet lædere Catullum. Cum enim hic noster fundum haberet in agri Sabini Tiburtinique confinio, de eo ambigebatur: amici contendebant ipsum esse in agro Tiburtino: Inimici vero in agro Sabino. sed quantum illi adderent aut hi adimerent rebus Catulli, non est nostrum quærere.

VILLA.) villæ sunt domus in agris lapideæ: quæ si ampliores sint & magnis sumptibus ædificatæ, prætoria dicuntur. Martial.

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum:
Ad quartum breue rus emit Otacilius:

& Iuuenalis.

Criminibus debet hortos, prætoria, mensas.

NAM *Sextianus dum volo esse conuiua.*) dum apud Sextium cænare gaudeo.

MVNACII.) Munacius Plancus orator fuit temporibus Ciceronis, à quo cum Galliam comatam regeret Lugdunum conditum fuisse scribit Eusebius.

PETITORVM.] eorum scilicet qui vna cum Munacio eundem magistratum petebant.

VENENI *& pestilentiæ.*) idest maledictorum: quæ illi in Munacium ingerebant.

FRIGIDA.) ex frigore orta: est autem grauedo morbus capitis cum pituita nares tantum obsidet, græceque coriza appellatur.

QVASSAVIT.] sic etiam Verg.

Et quatit agros Tussis anhela sues.

RECVRAVI *ocio & vrtica.*] tussi vrticam mederi indicat Plin. lib. XXII. his verbis. *Condidit laudes eius Phanias Physicus, vtilissimũ cibis coctam, conditam ve professus arteriæ, tussi, ventris distillationi.* & Celsus lib. IIII. de tussi loquens: *cibus interdum mollis vt malua & vrtica.*

QVARE *refectus.*] quapropter instauratus.

NEC *deprecor.*] nec recuso.

NEFARIA.] scelerata: nefandum, vt Asconius Pedianus ait, id dicitur, quod nulli fandum sit: nefarium quod sacra polluit farre pio solita celebrari.

SEXTI.] à quo ad cænam inuitatus fuerit.

RECEPSO.] recipio siue resumo: est autem verbum quo vsi sunt veteres.

GRAVEDINE.] catarrum.

VOCAT.] inuitat. ordo autem hic est: Nec deprecor si nefaria scripta Sexti recepso ea rursus lecturus, quin frigus ferat grauedinem & tussim, non mihi, sed illi Sextio, qui tunc me vocat, cum malum librum legit. & ita lepidissimus poeta cum Sextio amico suo iocatur.

ACHILLES STATIVS.

NAM, *te esse Tiburtem, autumant, quibus non est, Cordi Catullum lædere.*] cordi est, honeste dictum, animo sedet. Non. Mar.

MALAMQVE *pectore expuli tussim.*] sic pridem eruditi homines fecerunt ex eo, quod omnibus in manuscriptis legitur, Aliamque pectore expulsus sum. Sed ex illo, Aliamque, faciebam ipse, Aridamque.

NON *immerenti vertitur mihi quam mens.*] Cum in manuscriptis varie legatur, Quam mihi mens vertitur, Quam mihi mens veretur, Quam mihi mens vertur: primus omnium Gabriel Faernus ab hinc annos plus minus VIIII. fecit, Quam mihi meus venter. quod suum ille inuetum, vt erat homo aperto, liberalique ingenio, cum libentissime cu multis cõmunicasset, non defuit, qui pro suo ederet. quod vt testaret suo nomine, multis ille me verbis antequã die obiret, est obtestatus.

NAM *Sextianus.*] Is credo Sextius est pro quo Cic. extat oratio, quam Seruius, illud in I. Georg. Sæpe exiguus mus, interpretans, Sextianam dicit.

ORATIONEM *minantium petitorum.*] Probabilius omnino, quod olim Aldus impressit, in Actium petitorem, nisi è scripta lectione facias, in Antium. Petitorem autem eum, qui magistratum peteret, dicebant. Scipio Africanus in Orationem cõtra Legem iudiciariam Tiberij Gracchi, vt adducit in III. Saturn. Macrob, *In his vnum, quo me reipub. maxime misertum est, puerum bullatum, petitoris filium, non minorẽ annis XII. cũ crotalis saltare.*

ET *me recurasi ocymoque, & vrtica.*] In manuscriptis, Otioque & vrtica Sed recuraui. quod dixit, duriusculum id quibusdam videtur. atque vno in manuscripto, Et me curaui. Plinius in XIII. Nat. Hist. eodem verbo vsus, dixit, *Quæ non esset ita recurata, in suo mansit amphitheatrica.* Legendum forte, Et me ne curaui. Ne vero, pro, Quidem ponebant, breui syllaba.

MEVM *quod non es vlta peccatum.*] sic etiam in manuscriptis omnibus præter quam in Patauino, in quo sic erat, Quæ non es vlta peccatum, vt ad villam referatur. quod fieri posse commode non videtur. Gabriel Faernus emendabat, Quod non es vlte peccatum, vt ad Fundum referamus. & vocandi casum pro recto positum putabat, idque more veterum tum Græcorum, tum Latinorum. nam & Persium sic omnino locutum aiebat, *Censorem ve tuum, vel quod trabeate salutas.* Et Horatianum illud simile ducebat, *Macte Virtute esto,* inquit, *sententia dia Catonis.*

SENTIRE *cesso*] Legendum omnino, vt est in manuscriptis, in Maffei præsertim libro, Sesti recepso, vel Sexti recepso. Figura vero eadem, qua vsum Pacuuium in Teucro tradit Non. Marc. Pacuuij enim illud adducit, *Haud sinam quidquam profari, priusquam accepso, quod peto.*

QVI *tunc vocat me, cum malum legit librum.*] Tunc me, inquit, inuitat, cum librum aliquem legit criminum. sic enim Pedianus loquitur in III. contra Verrem, illa interpretans, Quæ in istum valebant crimina, *Apertius, inquit, hoc postea dicturus est Tullius. etenim accusator Dolabellæ, volens indice Verre vti contra Dolabellam, librum criminum communium Verris, & Dolabellæ Verri ostendit.* Et quæ sequuntur. Vel Malum librũ dicit inelegantem. vt contra Bonum librum Plin. in VIII.

Epist. ad Atticum, *Delicatus*, inquit, *ac similes agnoto est, qui amici librum bonum mauult audire, quam facere. Itaque*. Libros orationes etiam ipsas dicebant. à Libro autem criminum postea, Libellus, & Libellare, deductum. A

M. ANT. MVRETVS.

OFVNDE *noster.*] Mos antiquis fuit, vbi quid scripserant, conuocare amicos, eisque illud, quidquid erat, recitare, ac ipsorum iudicio subijcere, antequã ederetur. Cum igitur Sextius orationem quandam scripsisset; eamque recitaturus, lautum amicis aliquot conuiuium apparasset; ait Catullus se, sumptuosæ cenæ (sed hoc ioco dictum accipio) cupiditate motum, venisse vna cum reliquis, ibique, audienda illa oratione, tantum contraxisse frigoris, vt postea necesse habuerit, valetudinis caussa, in suburbanam villam ad dies aliquot secedere. Agit igitur gratias fundo, in quo pristinam firmitatem recuperarat; seque postea nihil tale admissurum pollicetur. B

SEV *Sabine, seu Tiburs.*] Erat videlicet fundus hic in vtriusque regionis confinio; ideoque, vtrius esset, ambigebatur.

NAM *te esse Tiburtem.*] Tiburtinæ regionis summa amœnitas fuit: ita vt Horatius & nobilissimis quibusque Græciæ ciuitatibus eam anteponat, & alio loco eam sedem senectuti optet suæ, itaque magno in pretio erant Tiburtina prædia. quo fit, vt Catullus, fundum suum dicat ab ijs, qui sibi gratificari velint, Tiburtem, Sabinum ab aliis nominari. ad dignitatem enim fundi putabat pertinere, vt Tiburs potius, quam Sabinus, diceretur. C

TIBVRS.] Tibur à Tiburno nomen accepit. Virgilius,

Fratris Tiburni dictam cognomine gentem.

Quo loco vulgati codices pro, *Tiburni*, male habent, *Tiburti*. cum tamen & Seruius *Tiburnum* agnoscat; & Pierius in Romano codice, *Tiburni*, affirmet legi, & *Tiburni* Priscianus quoque meminerit. sed &, cum mihi, odas oratij Lutetiæ publice interpretanti, Petrus Gallandius, Latinarum literarum professor regius, homo optimus, & eruditissimus, Horatium peruetere vtendum dedisset, eumque vna ego, &, flos Galliæ, Adrianus Turnebus euolueremus, animaduertimus in eo locum hunc aperte ita scriptum esse. D

Quam præceps Anio, & Tiburni lucus, & vda
Mobilibus pomaria riuis.

Neque dubitauimus, quin ea vera scriptura esset: cum tamen in impressis omnibus, *Tiburti*, legatur. E

AVTVMANT.] Dicunt.

NON *immerenti quam mihi meus venter.*] Alij, *vertitur mens*: alij, *verenti mens*: alij, *vertitur mensa*: alij, *meretur mens*. quorum nullum recipi potest. Dionysius Lambinus, homo eruditissimus, mihique summe amicus, ait se vidisse librum, in quo esset, *Vorax venter*. ego, cum in meo manuscripto reperissem, *meus vertet*, suspicatus sum, legendum, *meus venter*.

OCYMO.] Ita legendum, non, vt in aliis, *ocio*.

GRATES *ago.*] Locutio poetica; qua tamen Cicero sexto de rep. vsus est. *Grates*, inquit, *tibi ago summe Sol.* Liuius libro v. *plena omnia templa Romanarum matrum, dijs grates agentium, erant.*

DEPRECOR.] Recuso.

RECEPSO.] Antique pro recepero. Virgil.

Cetera, qua iusso, mecum manus inferat arma.

Poeta quidã vetus apud Ciceronem de officiis,

Quod ni Palamedis perspicax prudentia
Istius percepset malitiosam audaciam. Pacuuius,
Haud sinam quicquam profari, priusquam accepso,
quod peto.

NON *mi, sed ipsi Sextio.*] locus παρὰ προσδοκίαν, Plauto valde vsitatus.

IANVS DOVSA FIL.

NEC *iam recuso, si nefaria scripta.*] Vltimam in *nefaria* producit propter duas verbi sequẽtis consonantes principes litteras, quod & alibi aliquoties fecit hic noster, Ennij exemplo, ac fortasse etiam Accij. quæ enim verba ex Prometheo eius adducunt Nonius & Priscianus:

Tum profusus flamine hyberno gelus. Ita constituenda puto & pedibus suis restituenda vt Trimeter fiat: *Tum flamine profusus hyberno gelus.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

MALAMQVE *pectore expuli tussim.*] Recte docti homines, quicunque illi fuerunt, diuinarunt ex illis corruptis, quæ extant in manuscriptis —— *liamque petere expulsus sum.* Mallem tamen *expui tussim.* neque aliter scripsit Catullus. Terentius Eunucho: *Quasi vbi illam expueret miseriam ex animo.* Illud autem *petere*, præfert antiquitatem & bonitatem libri. Nam *pectere* pro *pectore* antiquo more scriptum erat, vt alibi *fulgeret* pro *fulguret*.

NON *immerenti.*] Iam ante quadraginta annos plus minus, docti viri veram lectionem eruerunt, *quam mihi meus venter.*

ET *me recurant.*] Noli dubitare quin Catullus scripserit, *& me procurant.* Primam enim corripit. Tibullus: *ipse procurant, ne possent sæua nocere Somnia.* Ætius Annalibus: *Exercent epulas læti famulosque procurat Quisque suos.* quod qui dubitabant, locum corruperunt. Plautus dixit, *se in lecto procurare.* Pro *ocimo* vetus scriptura habet *otio*. quod negligendum non est. quanquam *ocimo*, quod reposuerunt docti viri, non displicet.

De Acme, & Septimio. XLVI.

ACMEN Septimius, suos amores,
Tenens in gremio, mea, inquit, Acme,
Ni te perditè amo, atque amare porrò
Omnes sum adsiduè paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire,
Solus in Libya, Indiáve tosta,
Cæsio veniam obuius leoni.

Hoc vt dixit, Amor sinistra, vt antè
Dextra, sternuit adprobatione.
At Acme, leuiter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos,
Illo purpureo ore suauiata,
Sic inquit, Mea vita Septimille,
Huic vni domino vsque seruiamus,
Vt multò mihi maior, acriórque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc vt dixit, Amor sinistra, vt antè
Dextra, sternuit adprobatione.
Nunc ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Vnam Septimius misellus Acmen
Mauult, quàm Syrias Britanniasque:
Vno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinesque.
Quis vllos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

ANT. PARTHENIVS.

ACMEN *Septimius, suos amores.*] Septimij & puellæ Acmes amantium, amores felicissimos auspicatissimosque describit: quorum arctissima vincula amatoria, deliciasque venereas ab amoris deo confirmatas, ostendit.

PERDITE.] Miserè ac vehementissimè:

IN *Libya.*] Ibi enim & in India præcipui & magnitudine & feritate nascuntur leones.

CÆSIO.] Cæsiorum oculorum: Cęsius enim dicitur oculorum color cęruleus seu glaucus, quales oculos habere dicitur Pallas, vnde Cęsia dicta est. Græcè autem γλαυκῶπις appellatur, quia habeat oculos noctuę similes, id est, glaucos.

SINISTRA.] A sinistra parte dicentis: quæ dei amoris dextera est: Nam quæ nobis sinistra sunt, deo & cælitibus dextera dicuntur: vnde Virgilius, *Intonuit lauum.* Nam auguria & signa quæ à superis veniunt, si à sinistra veniunt, prospera habentur.

STERNVIT.] Innuit: vnde frequentatiuum sternuto.

HVIC *domino.*] Amori cuius statuam habemus à sinistris.

IGNIS.] Igneus amor.

SYRIAS *Britanniasque.*] Plurales pro singularibus numeris: & pro quibuscunque prouinciis.

VNAM.] Precipuam & solam.

AVSPICATIOREM.] Feliciorem. ab auspiciis feliciter captis, omnium rerum initia sumebant antiqui. Legito Liuium libro primo ab vrbe condita, & Ciceronem secundo de diuinatione.

A

PALLADIVS FVSCVS.

ACMEN *Septimius.*] Versus est hendecasyllabus. poeta ostendit Acmes & Septimij amorem optimo auspicio esse confirmatum: quamobrem concludit illos esse perbeatos.

SVOS *amores.*] Suam amicam.

PERDITE.] Misere. Alibi Catullus,

Nec potui nec si possem tam perdite amarem.

PORRO.] Deinceps.

PERIRE.] Amare.

LIBYA.] Africa: à Græcis Libya dicitur. Plin.
B *Africam Graci Libyam appellauerunt: qua mare ante eam Libycum incipiens Ægypto finitur.*

INDIA.] Quæ duplex est vt indicat Ptolemæus: intra Gangem & extra Gangem. tosta autem dicitur propter æstus. In India & Libya maximos & fortissimos leones esse, non est dubium.

CÆSIO.] Cæsij sunt qui habent oculos aerij coloris. Phauorinus apud Gellium in 11. Noctiũ Atticarum disputaps de coloribus sic ait. *Nostris autẽ latinis veteribus casia dicta est, qua à Gracis glaucopis dicitur: vt Nigidius ait de colore cæli, quasi calia.* Teren. *Rufam illam virginem casiam sparso ore, adun-*
C *co naso.*

HÆC *vt dixit.*] Subaudi Septimius.

SINISTRA.] A læuæ manus parte: quæ res Acme portendit in amore felicitatem: Nam sinistra deorum est nobis dextra. Plutarchus, *Quid est quod auspiciorum quod sinistrum dicitur, prosperum ac secundum putatur? an quod terrena ac mortalia diuinis ac calestibus contraria & opposita indicantes, existimauerunt qua nobis sinistra essent, deos à dextra dimittere.*

EBRIOS.] Lachrymarum plenos.

SVAVIATA.] Osculata.

SEPTIMILLE.] Diminutiuum à septimio.
D tribus de causis, vt inquiunt grammatici, proferuntur diminutiua: necessariæ significationis, vrbanitatis, & adulationis gratia.

HVIC *vni domino.*] Id est, amori.

IGNIS.] Id est, amor.

MOLLIBVS *ardet in medullis.*] Virgilius,

——*Est mollis flamma medullas.*

HOC *vt dixit.*] Acme scilicet.

AB *auspicio bono profecti.*] Auspicium, vt Pompeius ait, ab aue specienda dictum est. Nã quod nos cum præpositione dicimus aspicio, apud veteres sine præpositione dicebatur. Valerius autem Maximus in secundo ita loquitur. *Apud*
E *antiquos non solum publicè, sed etiam priuatim nihil gerebatur nisi auspicio prius sumpto:* Auspicia dabant aues aliæ cantu: quæ ideo oscines dictæ sunt ab os & cano, aliæ volatu, quæ præpetes sunt appellatæ: Illud addimus ex Plinio Carem, à quo Caria dicta est, auguria ex auibus inuenisse.

SYRIAS *Britanniasque.*] Syriæ Brytanniæque merces.

FACIT *delitias libidinesque.*] Cum solo Septimio se oblectat atque libidinatur.

BEATIORES.] Magis beatos. Felices & beati dicuntur, qui abundant rebus omnibus ad vsum & ornatum vitæ spectantibus.

AVSPICATIOREM.] Meliori auspicio confirmata. A

ACHILLES STATIVS.

ACMEN *Septimius, suos amores, Tenens in gremio.*] Feminam eo nomine in veteribus monumentis Romæ apud hæredes Ambrosij Lilij me legere memini, SERGIA. ACME. Peruetustum quoque monumentum in hortis Sfortiæ Cardinalis eiusmodi est,

L. SAVFEIVS. A
SAVFEIA. L. L. ACME
VXSOR

B

Septimius autem is fortasse poeta fuit, cuius versus Terentianus adducit, sic enim est apud illum, *Hoc de Septimij potes iunctis noscere versibus, Gerisque intus in oppidum Anhelos panopæ greges.* Suos amores sic dixit, vt & Cic. in Pisonem, *Conuiuium publicum non dignitatis caussa inibit, nisi forte vt cum P. Clodio, hoc est cum amoribus suis, cenet.*

NI *te perdite amo.*] Perdite, pro Valde. *Eam amare cepit perdite,* Aruntius Celsus; & Afranius in Vopisco, *Quis scit, me illam amare perdite.* Hæc Caris. in II.

C

ATQVE *amare porro Omnis sum adsidue paratus annos.*] Porro, pro, In futurum. M. Cato dierum dictarum de Consulatu suo, *Me sollicitum atque exercitum habitum esse, atque porro fore.* Afranius in Emancipato, *Post narrauero, nunc est distentus animus, vt negotijs, Porro autem propero.* Idem Caris. Quamquam in posteriore hoc pro, Longius, positum mihi videtur.

QVANTVM *qui pote plurimum perire.*] Similiter Tullius in XIII. Epist. ad Manlium: *Si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum.*

SOLVS *in Libya, Indiaue tosta.*] Tostam Indiam dicit, quippe cum Indos vehemens sol quasi coquat Vergil. in IIII. Georg. *Usque coloratis amnis deuexus ab Indis.* ... *Iam Rapidus torrens sitientes Syrius Indos.* Et Manil. in IIII. Astronom. *Perfusas hominum gentes, minus India tostas.* Et Tibullus in II. *Illis sint comites fusci, quos India torret.* D

CÆSIO *veniam obuius leoni.*] Iacobus Corbinellus, Florentinus, eleganti doctrina, atque ingenio, Simonidis versus apud Galenum ... legisse se mihi adfirmauit, similis omnino sententiæ, Οὕτω ὡς οὔτε δαιμόνιος ἐν οὔρεσιν

Ἀνὴρ λέων ἴδοιτ᾽ οὐδὲ πάρδαλις,

Μοῦνος συντυχὼν συντυχὼν ἐν ἀτραπῷ.

HOC *vt dixit, Amor, sinistra, vt ante Dextra, sternuit adprobatione.*] In Patauino altero, Siniftram vt ante Dextrā sternuit adprobationem. Quod ideo probandum videtur, quod & eodem modo Propert. *Argutum sternuit omen amor.* Sed, quid valeat, siue potius significet Sternutamentum, & Plin. lib. XXVIII. & Arist. opinor. ... scribunt. E

AT *Acme, leuiter caput reflectens.*] In manuscriptis, Ad hanc me, &, Ad hæc me. id factum, quod indocti homines nescirent veteres, Ad, pro, At, etiam posuisse. Sic in perueteri libro Vaticanæ Bibliothecæ. in quo excerpta ex historiis Sallusti, in oratione Cottæ Cos. *Ad contra in his miseriis, cuncta me cum fortuna deseruere.*

ET *dulcis pueri ebrios ocellos.*] Ebrios amore. Sic Anacreon apud Hephaest. Ἐς μαλὸν κύρα κολυμβῶ μεθύων ἔρωτι.

ILLO *purpureo ore suauiata.*] Purpureum os etiam dixit Simonides apud Athenæum in XIIII. Πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνάν. Et Horat. *Purpureo bibit ore nectar.*

SIC *inquit.*] Simul, hæc dicens, suauium dedit, vt Sisenna dicit in XIII. Milesiarum.

HVIC *vni domino.*] In vtroque Patauino, Vno. more veterum.

IGNIS *mollibus ardet in medullis.*] Ignis, amoris ille impotens ardor. Vergil.

Quid iuuenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor,——

NVNC *ab auspicio bono profecti.*] Similiter Cæsar in III. de bello Ciuili: *Et, ab hoc profectus initio, ne frustra ingressus turpem caussam viderentur.* Placidus Grammaticus in Glossis, *Sunt igitur*, inquit, *bona auspicia, quæ cogunt res inchoare; sunt mala, quæ prohibent.*

FACIT *delicias.*] Sic idem alibi loquitur, *Si quis delicias diceret, aut faceret.*

M. ANT. MVRETVS.

ACMEN *Septimius.*] Exponit blanditias, quas sibi inuicem dicebant, faciebantque Septimius, & Acme: eisque, ἀμφοτεροφιλοῦσι, nihil esse beatius scribit.

CÆSIO.] A parte totum. συνεκδοχή.

HOC *vt dixit, Amor, sinistra, vt ante Dextra, sternuit approbatione.*] Cum Septimius ardorem amoris in Acmen sui verbis aperuisset; Cupido, ait Catullus, vtrinque sternuens, quæ ab eo dicta erant, comprobauit. Incertum autem est, ex vtra parte prius sternuisse Amorem dicat. sunt enim, qui ita distinguant,

——Amor sinistra, vt ante
Dextra, sternuit approbatione. alij ita,
——Sinistra vt ante,
Dextra sternuit approbatione.

Porro veteres sternutationem medium quoddam omen esse arbitrabant, id est, quo modo boni aliquid, modo mali portenderetur: vt annotant interpretes Theocriti in locum illum ex Thalysijs,

Σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον, ἦ γὰρ ὁ δειλὸς
Τόσσον ἐρᾷ Μυρτοῦς, ὅσον εἴαρος αἶγες ἔρανται.

Sæpius tamen in bonam partem accipiebatur, præcipue si dextrorsum quis sternuisset, vt in vij. Iliados annotat Eustathius. itaque & Odysseæ xiiij. Penelope è sternutatione Telemachi, gaudio perfunditur: quem in locum idem interpres satis multa ad hanc rem pertinentia congerit. & apud eum, quem supra nominaui, Theocritum in Helenes epithalamia ista ponuntur,

Ὄλβιε γάμβρ᾽ ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
Ἐς Σπάρταν.

sed & illud Propertij non alienum est,

Num tibi nascenti, primis, mea vita, diebus,
Aridus argutum sternuit omen Amor?

Quem in locū plura dicemus, cum eum poetam

interpretabimur.

A *B auspicio bono profecti.*] Ductis à tam bono auspicio amoris sui principis.

Mvtvis *animis amant, amantur.*] Summa in amore felicitas, inuicem æque amari. eum amorem Plautus cultu optimum vocat,

Is amabat meretricem natam Athenis Atticis,
Et ila illum contra: qui est amor cultu optimus.

Hoc etiam est, quod de se & puero suo Theocritus apud posteros prædicari optat, fuisse videlicet duos homines, qui se, æqua veluti lance, mutuo amauerint; fuisseque tunc homines, plane aureos, cum, qui amaretur, vicissim amaret,

B *Ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. ἦ ῥα τότ' ἦσαν*
Χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς.

Huc pertinet & illud Bionis,

——καλὸν δέ τ' ἐρασσαμένῳ συνερᾶσθαι.

IANVS DOVSA FIL.

Cæsio *veniam obuius leoni.*] *Cæsium* hic pro glauco accipi, & cur cæsium fulgorem leoni tribuerit Catullus, doctè atque eleganter explicat vir & nostra laude & sæculo maior Iulius Scaliger in Exotericis Exercitatione cccxxv. Se-
C ctione xv. Vbi quod idem scribit & colore & sæuitia similes esse παρδάλεις, confirmari potest his Simonidis versibus apud Galenū περὶ ἄρθρων:

Οὔτε τις ὧδε δειμαίνων ἐν ὥραι
Ἀνὴρ λέοντ' ἔδεισεν οὐδὲ πάρδαλιν,
Μοῦνος στενυγρῇ συντυχὼν ἐν ἀτραπῷ.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Hoc *vt dixit, amor sinistra, vt ante.*] Locus corruptus ex eodem versu, qui infra legitur. Nam iam primum *amor dextram sternuit approbationem.* quomodo ergo conuenient illa verba, D
VT ANTE? Fortasse:

Hoc vt dixit, Amor sinistra inante,
Dextram sternuit adprobationem.

Inante, ἔμπροσθεν apud Propert. Hæc lectio videtur vera. At infra post Acmen, rectè ponitur, VT ANTE: quia iam semel Septimio hoc factum est. Quare merito illu locum corruptum putamus. *Dextram adprobationem* legendum præter veteris scripturæ auctoritatem probat & Latinitatis ratio. Propertius:

Aridus argutum sternuit omen amor.

Hvic *vni domino.*] Vetus scriptura *vno.* ἀρχαϊκῶς. E

Mavolt, *quam Syrias Britanniasque.*] Solenne Romanorum prouincias numero plurali enunciare. Propertius: *Dic alias iterum nauiget Illyrias.* Sed & Græcis aliquando. Homerus: ἐκ μὲν Κρητάων γένος εὔχομαι εὐρειάων. Has vero blanditias, quibus nihil elegantius fingi potest, à poeta ἐρωτικῶς referri, vnde colligat, & qua via nobis persuadere possit vir disertissimus, equidem nullus video. Vt enim ab amantibus dicta, hoc est, sincere & ex animo. ita bona fide à poeta relata minime dubito. Nos vero totum hoc amatorium argumentum olim ab Hendecasyllabis blanditiarum præconibus, ad elegos amorum ministros transtulimus. Si quis tanti facit, vt

A legere non dedignetur, neque nobis graue erit communicare.

Acmen Septimius teneros complexus amores
O Acme mea lux delitiumque meum,
Ni misere te, dixit, amo, ni perdite amare
Discupio vitæ tempus in omne meæ,
Quantum qui potis est capitis discrimen adire
Plurimum, & immanem perniciem oppetere:
Solus apud Libyas vel tostos æstibus Indos
Occurram fuluis obuia præda feris.
Hæc ecfatus vbi, læua de parte secundis
Alitibus dextrum sternuit omen Amor.
B *Ast Acme resupina caput, puerique lacessens*
Ebria purpureis lumina suauiolis,
Sic, inquit, mea vita, meus lepor, huic Domino vni,
Huic deuoti omni tempore simus, ait,
Vt mihi viuidior molles est flamma medullas,
Acrior & misto gliscit amore furor.
Hoc postquam ecfata est, læua de parte secundis
Alitibus dextrum sternuit omen Amor,
Nunc bono ab auspicio, fausiis auibusque profecti
Mentibus vnanimis mutua amantur, amant.
Vnam Septimius nunc mauult sancius Acmen,
Quam Syrias, aut quæ regna Britannus habet.
C *Vno in Septimio totis nunc sensibus Acme*
Perdita conspirat, delitiasque facit.
Quis par candidius tenerorum vidit amantum?
Aut fuit auspicio qua meliore Venus?

Ad seipsum de aduentu Veris.

XLVII.

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam cæli furor æquinoctialis
D *Iucundis Zephyri silescit auris.*
Linquantur Phrygij, Catulle campi,
Nicææque ager vber æstuosæ,
Ad claras Asiæ volemus vrbes,
Iam mens prætrepidans auet vagari:
Iam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longè quos simul à domo profectos,
Diuersos variæ viæ reportant.

E

ANT. PARTHENIVS.

Iam *ver egelidos refert tepores.*] Se ipsum hortatur vt tepido vere incipiente, è Phrygia transeat maiorem Asiam: simul comitibus suis, secum in Bithyniam Phrygiamque profectis, vale vltimum renunciat.

Ver.] Vernum tempus: nam in Phrygia hyemauerat poeta.

Refert.] Reducit.

Tepores.] Tepidiores dies.

Egelidos.] Parum gelidos, E. præpositio imminuit huius verbi gelidi significatum: interdum vero egelidus significat: Virg. in viij,

Vt procul egelido secretum flumine vidit.

FVROR.] Insanus & furens ventorum impetus. Eurus enim siue subsolanus vsque in vernum tempus furit: ingresso autem vere silescit, spirante eius contrario Zephyro.

CÆLI *æqui.*] Ab æquinoctiali ortu flat Eurus, qui latine nauticus & subsolanus dicitur, Græcæ apheliotes vt sentit Gellius. Plinius autem ab æquinoctiali ortu flare apheliotem qui & subsolanus dicitur, scribit: Eurum autem & alium ventum esse, & alia ex cęli regioni venire, asserit.

PHRYGII *campi.*] Phrygiæ contermina est Bithynia: cuius metropolis fuit Nicæa, iuxta lacum Ascanium: ibi campus ingens & valde felix circumstat, sed æstate non admodum salubris: ideo Cat. ait, *Nicæaque ager uber æstuosæ.* Nicæam primus condidit Antigonus Philippi filius, & Antigonam nominauit, Postea Lysimachus: quam, ab vxoris filiæ Antipatri nomine, Nicæam appellauit. Vrbis ambitus est stadiorum sexdecim. Nicæa prius Oluia & Prusias dicta fuit, vt scribit Plinius: Item altera fuit sub Hippio monte.

LÆTI.] Festiui: vt, *Vella dabant læti.*

TREPIDANS.] Festinans.

DIVERSÆ.] Ex diuersis locis porrectæ.

VARIÆ.] Dissimiles.

REPORTANT.] In patrias suas, aut à patria in Phrygiam.

PALLADIVS FVSCVS.

IAM *ver egelidos.*] Versus est hendecasyllabus. Catullus, acta in Phrygia hyeme, cum ver adsit, & ipse cupiat videre vrbes Asiaticas, dicit amicis, in eandem Phrygiam secum profectis, vltimum vale.

VER.] Quod est secundum anni tempus dictum, vt Varro sentit, quod tunc virere incipiunt virgulta ac vertere se tempus anni.

EGELIDOS.] Minus frigidos: egelidum proprie dicitur quod medium est inter calidum & frigidum: qua voce nonnunquam vtitur Cornelius Celsus.

REFERT.] Reportat.

IAM *cæli.*] Cœlum est domicilium deorum: sed aer quoque cœlum vocatur. Lucretius,

In hoc cœlo quod dicitur aer.

ZEPHYRI.] Zephyrus ventus est, vt diximus, qui flat ab occasu æquinoctiali, & à nostris Fauonius nominatur: de quo Plinius lib. ij. cap. xlvij. *Ver ergo aperit nauigantibus maria, cuius in principio, Fauonij hybernum molliunt cœlum, sole Aquarij xxv. obtinente partem. Is dies sextus est ante idus Februarias.*

AVRIS.] Flatibus. Aura, vt Seneca in quæstionibus naturalibus ait; leuis est: ventus vehemens.

CAMPI.] Latæ planicies: vnde campestris regio ea dicitur, quæ plana est.

NICÆQVE *ager vber æstuosæ.*] Nicæa vrbs est Phrygiæ: de qua Plinius, *Deinde Nicæa in vltimo Ascanio sinu, quæ prius Olbia & Prusa dicta, deinde altera sub Hippio monte.*

CLARAS.] Nobiles. clarus & præclarus figurate pro eo accipiuntur, qui tanquam fulgore

A quodam famæ & gloriæ resplendet: vnde clarissima & præclarissima gesta dicimus.

PRÆTREPIDANS.] Festinans.

AVET *vagari.*] Cupit errare.

STVDIO.] Videndi vrbes Asiaticas.

LONGE *quos simul à domo profectos.*] Eos alloquitur cum quibus, vt dictũ est, ab vrbe digressus in Phrygiam vsque detenderat.

DIVERSÆ *& variæ.*] Alterum est nomen, alterum aduerbium: prius nomen, posterius aduerbium.

DIVERSÆ.] Quoniam non eadem via omnes.

B VARIÆ.] Quia non vno tempore erant domum redituri.

ACHILLES STATIVS.

IAM *ver egelidos refert tepores.*] Columella quoque de cultu hortorum dicit, *Elegidum ver.* Auctor Elegiæ de obitu Mæcenatis, quod tum spirent auræ iucundissimæ, Ver dixit egelidum, *Verberat egelido garrula vere nemus.* Seruius, interpretans illud Poeta in viij. Æneid. *Vt procul egelido secretum flumine vidit. Egelido, inquit, est nimium*

C *gelido. & est vna pars orationis, vt Eduramque pirum, id est, valde duram.* Hæc Seruius. Est ergo, E, in compositione ἐπιτατικόν plerumque quomodo & Seuerus apud Ausonium accepit, *Impiger egelido mouet arma Seuerus ab istro.* Et Auson. ad Paullinum, *Egelida vt teneant hiemes.* At eadem particula nonnumquam etiam in compositione remittit, vt Egelidum significet, non prægelidum, sed tepidum. quo modo Sueton. accepit in Octauio, *Vngebatur. inquit, etiam sæpius, sudabat ad flammam. deinde perfundebatur egelida aqua, vel sole multo calefacta.* Atque hinc illa est κακοζηλία, quam, vt scribit Seneca, in Ouidij versu non probabãt

D eruditi homines. qui versus legi omnino sic debet, *Egelidum Borean, egelidumque notum.* Non, vt alii, *Et gelidum Borean.* Quod primus vidit Iacobus Taurellus, vir doctissimus. namque quod id verbum mediæ significationis esset, in id vitium, quod supra posui, poeta [?]cidit.

IAM *cæli furor, æquinoctialis.*] Anni tempus mollissimum significat, ver ipsum scilicet, cum primũ flare Zephyri incipiunt. Zephyrum itaque æquinoctialem hoc loco dicit, vernum intelligens æquinoctium.

IVCVNDIS *Zephyri silescit auris.*] Iucundas

E auras, quibus opponas, quæ Philippo dicuntur in Epigrammate, τότε βαρυκαίλαστος αὖραι. Silescit etiam, de ventis, Ouid. in II. Tristium, *Sed non subsidunt, intermissique silescunt.* Auras Zephyri dixit etiam Vergil. in II. Georg. *Zephyrique tepentibus auris.* πνοιῆς.

LINQVANTVR *Phrygii, Catulle, campi.*] Si est in Asia, Phrygia, cur, vt Asiam petat, Phrygiam relinquat itaque legendum suspicor, Liquantur. quod idem est, quod Liquuntur. Vt apud Vergil. in I. Georg. *Canis cum montibus vmor Liquitur & Zephyro putris se glaba resoluit.*

NICÆÆQVE *ager vber æstuosæ.*] Vber, fertilis, Verg. dixit, *Vbere glebæ.* Priscia. in II. Et Niceam, & Niciam eandem vrbem dici, scribit.

AD claras Asiæ volemus vrbes.] Ouid.in 1.Trist. *Oppida non Asiæ,non mihi visa prius.*

IAM *mens prætrepidans auet vagari.*]Eodem modo & Trepidare Plautus videtur dixisse in Casina. *Vt ille trepidabat, vt festinabat miser, vt subsultabat postquam vicit villicus.* Nam Trepidare,& Trepidum, festinare, & festinum significare apud Verg. non vno loco Seruius docet.

IAM *læti studio pedes vigescunt.*] Vigere idem significare videtur hoc loco, quod Trepidare verbum,ardorem scilicet illum ad agendum, atque audendum. Sic Liuius in 11. Bello punico, *Videret, vt, quibus lingua prompta ac temeraria esset, æque in pugnam vigerent manus.*

DIVERSOS *variæ viæ reportant.*]In manuscriptis omnibus, Diuerse variæ. sed illud rectius. significat enim multos, multis etiam domum vijs redeuntes. Vergil. quoque dissipatos cum significare vellet,dixit, *Aut age diuersos.* Quamquam,& illud non improbandum, vt diuerse sit ex diuerso. Vergil. in 11. Æneid. *Hanc ex diuerso sedem veniemus in vnam.* Sed illo modo etiam Sallustius in Iugurth. *Sed,quia diuersi redeuntes alius ab alia parte.*

M. ANT. MVRETVS.

IAM *ver.*] Carmen hoc in Bithynia factum esse opinor, cum illuc Memmium prætorem secutus esset.

EGELIDOS *tepores.*] Moderatos illos calores quorum fotu omnia vegetantur. Egelidum est tepidum, vt in illo optimo, sed in multis libris deprauato, Ouidij versu,

Et gelidum Borean,egelidumque Notum.

CÆLI *furor.*] Horrificus ille stridor ventorum tumultuantium.

ÆQVINOCTIALIS *Zephyri.*] Sub vernum æquinoctium flantis.

NICÆÆ.] Vrbs est Bithyniæ,quæ olim ab insigni agri vbertate Olbia dicebatur. qui eam Prusiada vocant, errant videlicet de male intellectis,deprauatisque Plinij verbis.

AD CLARAS *Asiæ volemus vrbes.*] Troiam, inter ceteras; quo ad inferias fratri soluendas profectus est.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

IAM *ver egelidos.*] Catullus decedens prouincia Bithyna, fratre eius languorem nacto coactus est in Troade subsistere: vbi fratrem ex morbo amisit, eumque ibi tumulauit. Post exequias fratris vere nouo soluens hoc epigramma composuit. In Bithynia vult hoc carmen scriptum vir eloquentissimus. A quo dissentimus. Illene exequias fratri ante funus fratris? Ridiculum.

AD *claras Asiæ volemus vrbis.*] Claræ vrbes Asiæ sunt quatuor illæ præcipuæ, quas propterea à numero quadrigam Asiæ vocat Propertius: Ephesus: Smyrna, Colophon, Miletus. Imo si credas Mimnermo, ne Miletus quidem est in Asia, sed ab Ionia ad Bithyniam, in qua erat Catullus, recte dicebatur Asia. Eius versus

A hi sunt,

ἡμεῖς δ' αἰπύνηλον πύλου ἄστυ λιπόντες
ἱμερτὴν ἀσίην νηυσὶν ἀφικόμεθα.
ἐς δ' ἄρα τὴν κολοφῶνα βίην ὑπέροπλον ἔχοντες
ἑζόμεθ', ἀργαλέης ὕβριος ἡγεμόνες.
κεῖθεν δ' ἀστήεντος ἀπορνύμενοι ποταμοῖο
θεῶν βουλῇ σμύρνην εἵλομεν αἰολίδα.

Sic Libyam Latine Africam vocamus: quum vera Africa sit, in qua Carthago,non in qua Numidia & Mauritania.

Ad Porcium & Socrationem.

B

XLVIII.

PORCI, & Socration, duæ sinistræ
Pisonis scabies, famesque Memmi,
Vos Veraniolo meo, & Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille?
Vos conuiuia lauta sumptuosè
De die facitis, mei sodales
Quærunt in triuijs vocationes?

C

ANT. PARTHENIVS.

PORCI, *& Socration, duæ sinistræ.*] In Portium & Socrationem, impudicos adolescentes, scribit: notans eos magna infamia, qui stupri meritis à Pisone prætore præpositi sint alijs duobus adolescentulis, scilicet, Verannio & Fabullo. Apertissimè poeta indicat Portium & Socrationem fuisse Pisonis Hispaniæ prætoris: quos prætor, Verannio & Fabullo contemptis, præposuit. Hoc itaque moleste ferens Catullus in hos cinædos exclamat, ô Porti & Socration.

D SINISTRÆ.] Noxiæ,infelices,pessimæ.

SCABIES.] Pestes scabiosæ ac pestiferæ libidines: Aut scabies fœditates, & hoc totum omnino amarulentè dictum est.

FAMES] Famelici concubini: aut, Fames, auaritia.

MEMMII.] Memmium prætorem ait, de quo supra, *ô Memmi bene me ac diu supinum.*

PRIAPVS *ille.*] Pisonis mentula, id est Piso prætor mentulatus: pars pro toto.

VERPVS.] Circumcisus recutitus: nam Romani, siue quicunque alij gentiles in Iudæorum sectam transeuntes, genitalia primum circumcidere cogebantur, vt scribit Tacitus. Non E igitur mirum si à Catullo Romanus Piso per satyricam derisionem perinde ac Iudæus circumcisus notetur.

VERPVS.] Propriè dicitur Iudæus circumcisus. Martialis, *Delapsa est misero fibula verpus erat.*

PRÆPOSVIT.] Præstantiores elegit, & illis anteposuit,contemptis meis sodalibus.

VOS *de die facitis.*] Ex magna apud Pisonem auctoritate vestra.

SVMPTVOSE.] Prodige.

MEI *sodales.*] Verannius & Fabullus,qui hoc idem olim potuerunt apud Pisonem, quod nunc

nunc vos potestis.

LAVTA.] Ad delitias: sumptuosa, ad copiam & magnificentiam refertur. hæc duo, faciunt omne conuiuium esse probandum.

QVÆRVNT.] Quia mendicare quasi coguntur.

VOCATIONES.] Inuitationes: vt ab aliquo ad conuiuium inuocentur. Inde qui inuitabant, vocatores dicebantur. Martialis,

Iam dices mihi vapulet vocator.

QVÆRVNT.] Quia egent conuiuio, quum vos tam sumptuosè conuiuia faciatis.

A terpretans illud, Apparare de die conuiuium. Et nos paullo amplius in Commentationibus in Horatium. Facere conuiuia, sic dixit, vt & Cic. ad Paetum, Cenulas facere. Et in ijsdem epistulis Sumptuosas cenas dixit, vt hic Sumptuose fieri conuiuia dicuntur.

QVÆRVNT *in triuijs vocationes.*] Inuitationes. Idem ante, *Qui tum vocat me.* Plaut. in Menæch. *Erotium Eamus intro, vt prandeamus.* ME. *bene vocas.* Et in Curg. *Bene vocas.* Et Sueton. in Caligula, *Vocatu ipsius*, Et Macrob. in III. Saturn. de lege Orchia.

PALLADIVS FVSCVS.

PORCI, *& Socration.*] Versus est hendecasyllabus. Excandescens acriter inuehitur in Portium & Socrationem cinædos, quos ob stupri merita, Piso & Memmius prætores, Verannio & Fabullo honestis adolescentibus, præposuerant.

SCABIES.] Pruritus qui Pisonem quiescere non patiebatur.

FAMES.] Esuritio.

VERPVS.] Circumcisus, more Iudæorum. De Memmio ante Catullus,

Sed quantum video pari fuistis
Casu iam nihilo minore verpa Farti estis.

PRIAPVS *ille.*] Vel Piso, vel Memmius, mentulatus instar Priapi.

LAVTA.] Splendida. Lautum Nonio plura significat: lotum, mundum, abundans, elegans & suaue.

SVMPTVOSE.] Magnis sumptibus comparata.

MEI *sodales.*] Verannius & Fabullus.

VOCATIONES.] A quibus inuitentur. Vocare enim est inuitare: vnde vocatio dicitur inuitatio, & vocator inuitator. Plinius lib. XXXV. *Inuitatus ad Regis cœnam venit, indignantique Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, vt diceret à quo eorum inuitatus esset.* & Sueton. in Caligula, *Compererat prouincialem locupletem ducenta sestertia numerasse vocatoribus: vt per fallaciam conuiuio interponeretur: nec tulerat moleste tam magno æstimari honorem suæ cœnæ.*

ACHILLES STATIVS.

PORCI, *& Socration, duæ sinistræ Pisonis scabies.*] De Socratione nihil exploratum habeo. alter vero fortasse sit Porcius, cuius Cic. meminit in oratione pro Fonteio. *Credimum*, inquit, *Porcium, & Nummium ternos victoriatos.*

FAMESQVE *Memmi.*] In manuscriptis omnibus, Mundi. vel, Mondi. legendum forte, Mindi. cuius Cic. meminit in v. epist. ad Rufum. *Tu ei*, inquit, *M. Mindium fratrem tuum adiunxisti.* Sunt, qui mundi, ἐπιθετικῶς positum putent, Pisonis mundi, id est, frugi. quod erat Calpurniorum cognomen.

VOS *Veraniolo meo.*] Hæc ad extremum vsq; legenda cum interrogatione. vt indignantem significent.

DE *die facitis.*] Repente. neque ante prædicta, neque pridie constituta. Donatus in Adelph. in-

B

M. ANT. MVRETVS.

PORCI, *& Socration.*] Indignatur, Porcio, & Socrationi Verannium, & Fabullum à Pisone posthaberi. Socrationis nomen Græcũ est, nõ Romanũ. forsitan liberti alicuius nomen fuerit.

PISONIS *scabies.*] Qui Pisoni prurientem illum libidinis ardorem excitatis.

FAMESQVE *mundi.*] In alijs, *famesque Memmi.*

PRIAPVS.] Libidinosus, qualis Priapus à poetis fingitur.

C LAVTA.] *Lautitia*, ait Festus, *epularum magnificentia* * *alij à lauatione dictum putant: quia apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erant, & raro aliquis lauabatur.* Cogitandum autem, num in illis Festi verbis tale aliquid desit, *à Græco* λαύζω: vt prius Græcam, postea Latinam eius verbi originem tradat. qui manuscriptos libros habent, de hac mea coniectura iudicabunt. Quoniam autem verba quædam Phauorini leguntur apud Gellium, quibus mirifice aperitur, quod lautum conuiuium veteres dixerint, ea quoque ipsa adscribam. *Præfecti popinæ, atque luxuriæ negant cenam lautam esse, nisi, cum libentissime edis, tum auferatur, &* D *alia esca melior, atque amplior succenturietur. is nunc flos cenæ habetur inter istos, quibus sumptus & fastidium pro facetijs procedit: qui negant vllam auem, præter ficedulam, totam comesse oportere: ceterarum auium, atque altilium nisi tantum apponatur, vt à cluniculis inferiori parte saturi fiant; conuiuium putant inopia sordere: superiorem partem auium atque altilium qui edint, eos palatum non habere: si pro portione crescit luxuria, debere & epulas crescere. Videte, quid relinquitur, nisi vt delibari sibi cenas iubeant, ne edendo defatigentur: quando stratus auro, argento, purpura, amplior aliquot hominibus, quam dijs immortalibus adornatur.*

E DE *die.*] De nocte, quam de die, indulgere Genio, tolerabilius habebatur. diem enim agendis rebus, noctem curandis corporibus, hilarandoq; animo impendi volebant. itaque Catonem quoque ipsum largius se ac prolixius de nocte inuitare solitum accepimus. quo nomine cum à quodam reprehenderetur; Cicero, qui tum forte aderat, debueras, inquit, illud adijcere, eum totos dies aleam ludere: cum illud videlicet ex contrario indicaret, homini, qui totos dies susceptis pro republica curis laboribusque traduceret, noctem liberam concedi oportere.

QVÆRVNT *in tri. vocat.*] Stant in triuijs expectantes, dũ se aliquis ad cenam vocet. Vocare, antiqui sæpe sine vlla adiectione dicebant, cum, ad cenam, subintelligerent. Catullus ipse supra,

Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

Parasitus quidam apud Plautum Sticho,

Negare nulli soleo, si quis me vocat.

Quo loco male quidam libri habent, *esum vocat*, contra veterum librorum fidem, & rationem metri. Vocatores quoque nominabant seruos quorum opera in vocandis conuiuis vterentur. Quod in quibusdam libris, *vorationes*, legitur, operarum vitio factum est, non quod quisquam locum ita immutandum putarit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

FAMESQVE *Memmi.*] Ita liber noster. Sed mendose. Quare viderint docti. Alij *Mandi.* alij *Mundi.* Omnino aliquod mendum latet.

Ad Iuuentium. XLIX.

MELLITOS oculos tuos, Iuuenti,
Si quis me sinat vsque basiare,
Vsque ad millia basiem trecenta:
Nec vmquam saturum inde cor futurum est,
Non si densior aridis aristis
Sit nostræ seges osculationis.

ANTON. PARTHENIVS.

MELLITOS *oculos tuos Iuuenci.*] Facetè atque amatoriè scribit, se nulla osculorum Iuuenci venustissimi pueri copia saturari posse. hic est ille Iuuencius de quo supra. *O qui flosculus es Iuuenciorum*: & alibi circa operis finem.

Surripui tibi dum ludis mellite Iuuenci,
Suauiolum dulci dulcius ambrosia.

VSQVE *ad millia basiem trecenta.*] Ardentem pij animi affectum intimumque amorem penitus expressit: Nam vt Plinius libro xi. inquit, *Oculos quum osculamur animum ipsum videmur attingere.*

MELLITOS.] Dulci amore plenos.

VSQVE.] Sæpe.

SEGES.] Densitas. Virgilius,

Telorum seges, & iaculis increuit acutis.

PALLADIVS FVSCVS.

MELLITOS *oculos.*] Versus est hendecasyllabus. Poeta negat se vlla basiorum copia posse expleri, si sibi Iuuentium puerum formosissimum contingat osculari.

MELLITOS.] Dulces à melle.

VSQVE.] Semper.

INDE.] A basijs.

COR *est futurum.*] Cor cæteris animalibus in medio pectore est, homini magis vergit in sinistram partem: hoc primum nascentibus formari in vtero tradunt, deinde cerebrum: sicut tardissime oculos, sed hos primum mori, cor nouissime. Auctores sunt Aristoteles & Plinius.

A ARIDIS *aristis.*] Siccis frumentorum spicis: pars pro toto: sunt enim aristæ spicarum aculei, qui maxime eminent.

SIT *nostræ seges osculationis.*] Permanet in translatione: dicit enim seges, quia antea dixit aristis.

ACHILLES STATIVS.

MELLITOS *oculos tuos, Iuuenti.*] Iuuentiam gentem in primis claram fuisse, constat. M. Iuuentius cum Tib. Graccho Consul fuit. Ex eadem gente M. Iuuentius Laterensis, qui B Plancum ambitus accusauit, quique sibi ipse in Lepidi castris mortem consciuit. Ausonius quoque blandiens dixit, *Otia sunt mellite nepos.* Atque alibi, *Hoc mellite nepos.*

NEC *vmquam saturum inde cor futurum est.*] In manuscriptis alijs,

Nec numquam inde cor satur futurus. In alijs,

Nec numquam inde cor sater futurus,

Ego vero legendum puto,

Nec me vmquam videor satur futurus.

SEGES *osculationis.*] Itidem transferens poeta dixit, *Telorum seges.*

C M. ANT. MVRETVS.

MELLITOS.] Neminem fore arbitror, qui non potius horum versuum suauitatem admiretur, quam cuiusquam in eis explicandis industriam requirat.

Ad Marcum Tullium. L.

DISERTISSIME Romuli nepotum,
D *Quot sunt, quotque fuêre, Marce Tulli,*
Quotque post alijs erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta:
Tantò pessimus omnium poeta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

ANT. PARTHENIVS.

DISERTISSIME *Romuli nepotum.*] Ciceroni patrono suo maximas agit gratias, ac mo- E destissimè Carminum suorum merita deprimit.

PALLADIVS FVSCVS.

DISERTISSIME *Romuli.*] Versus est hendecasyllabus. gratias agit M. Tullio Cicer. sed qua in re ab illo adiutus esset non exponit.

DISERTISSIME.] Facundissime.

ROMVLI *nepotum.*] Romanorum.

M. TVLLI.] De hoc ita scribit Quintilianus, *Præcipuum vero lumen, sicut eloquentiæ, ita præceptis eius, dedit vnicum apud nos specimen orandi dicendique oratorias artes, M. Tullius*, & Plinius

lib. vij. *Tu M. Antonium proscripsisti. Salue primus omnium pater patriæ appellate, Primus in toga triumphum linguaque lauream merite, & facundiæ litterarum Latiarum parens.*

GRATIAS *tibi maximas Catullus agit.*] Agimus gratias verbis. cetera quæ sequuntur non indigent expositione.

ACHILLES STATIVS.

QVOT *sunt, quotque fuere, Marce Tulli, Quotque post alijs erunt in annis.*] Eam formam ab Homero ceteri videntur accepisse. Plaut. in Bacchidibus, *Quicunq. vbi vbi sunt, qui fuere, quiq. futuri sunt posthac.* Vergil.

Quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

TANTO *pessimus omnium poeta.*] Hic versus in Patauino altero non erat. Veteres autem sic loquebantur. Plaut. in Aulul.

Quam ad probos propinquitate proxume te adiunxeris,
Tam optimum est.—— Et Paterculus in posteriore volumine, de Mario, *Quantum bello optimus, tantum pace pessimus.* Antipater in III. Epigram.

Ἀγχίνοι μερόπεσσιν ἴδ᾽ ὕπνοι ἔσαν ἄριστοι
Οἷοί τοι σφῶιν, ὥστε ἴδ᾽ ἠμιδίων.

Hoc ipso de generé Seruius interpres Verg. in vii. in illa,

Tam magis illa fremens, & tristib. effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugna.

Legitur, inquit, *in Arte, quod tam magis maxime, minus minime, positiuo tantum iunguntur. quod tamen tunc obseruatur, si ponantur ad augmentum istæ particulæ. tunc enim vitiosam faciunt elocutionem. ceterum, si ad exæquationem positæ sunt, possunt vel comparatiuo, vel superlatiuo, vel pro ipsis gradibus ipsæ inter se iungi. hinc ergo est,*

Tam magis illa fremens, & tristibus effera flammis,
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugna.

non enim ad prælationem positæ sunt, sed ad exæquationem. maiores enim nostri non in dicto vitia, sed in significatione esse voluerunt. Hinc est in Sallustio, Itaque quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est. Nam & hæc exæquatio est, non comparatio.

M. ANT. MVRETVS.

DISERTISSIME.] Agit gratias M. Tullio; quod ob beneficium ab eo acceptum, diuinare non possumus, nam, qui ad fundum Tiburtem hoc loco confugiunt, nihil aliud, quam inscitiam patefaciunt suam.

Ad Licinium. LI.

HESTERNO, Licini, die otiosi
Multùm lusimus in meis tabellis,
Vt conuenerat esse delicatos,
Scribens versiculos vterque nostrum,
Ludebat numero modò hoc, modò illoc,
Reddens mutua per iocum, atque vinum.
A *Atque illinc abij tuo lepore*
Incensus, Licini, facetijsque,
Vt nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Vt tecum loquerer, simulque vt essem.
At defessa labore membra postquam
Seminortua lectulo iacebant,
B *Hoc iucunde tibi poëma feci,*
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax caue sis, precesque nostras,
Oramus, caue despuas ocelle,
Ne pœnas, Nemesis reposcat à te,
Est vehemens Dea: lædere hanc caueto.

ANT. PARTHENIVS.

HESTERNO *Licini die otiosi.*] Ad Licinium Caluum poetam scribit, se neque cibum neque somnum capere potuisse, postea quam
C eius præsentia iucundissima priuatus fuerit.

MVTVA.] Scilicet carmina.

PER *iocum atque vinum.*] Per iocosum conuiuium: sic supra, *Non belle vteris in Ioco atque vino.*

POEMA.] Carmen.

HVNC.] Dolorem meum:

AVDAX.] Temerarius, improbus.

CAVEAS.] Euites.

ORAMVS *caue despuas ocello.*] Caue breui secunda protulit, à tertia coniugatione. Sic Horatius,

Vale vale caue ne titubes mandataque frangas.

D Propertius,

Tu caue nostra tuo contemnas carmina fastu.

DESPVAS.] Contemnas: Persius,

Despue quod non es Tollat sua munera cerdo.

Nemesis dea est, vt scribit Macrobius, quæ colitur contra superbiam, superbosque persequitur. Nemeseos simulacrum ab Agoracrito statuario factum coluit Rhamnus Atticæ pagus: huius item deæ statua Romæ in Capitolio erat, quamuis Latinum nomen non sit, vt scribit Plinius, libro xxviij.

PALLADIVS FVSCVS.

E

HESTERNO, *Licini.*] Versus est hendecasyllabus. Poeta indicat se captum esse facetijs Calui Licinij, cum quo pridie certatim versus fecerat.

MEIS *tabellis.*] Tabellæ in quibus ambo versus suos scripserat, erant Catulli.

DELICATOS.] Deliciarum plenos.

MVTVA.] Supple carmina.

PER *iocum atque vinum.*] Ostendit Catull. se cum Caluo carminibus certasse in ipso conuiuio.

LEPORE.] Verborum venustate.

Vt *nec me miserum cibus iuuaret.*] Amore capti nec cibo iuuantur, nec somnum oculis capere possunt: Ouidius,

Sum vacuus somno, noctem quam longa peregi,
Lassaque versati corporis ossa dolent.

Vt *tecum loquerer, simulque vt essem.*] Catullus alibi: *An quod amantes*

Non longe à caro corpore abesse volunt.

At *defessa labore membra.*] Postquam, inquit, corpus præ lassitudine pænè semimortuum, in lectulo tandem quieuit, hæc tibi feci carmina.

Poema.] Distat poetice à poemate & poesi: quod poetice ars ipsa intelligitur: Poema autem pars est operis, vt Tragœdia: poesis contextus totius operis effecti, vt Ilias, & Æneis: Auctor est Diomedes.

Perspiceres.] Ad plenum & perfecte videres.

Cave *despicias.*] Dicimus caue despicias: & caue ne despicias: sicut caue cadas & caue ne cadas: nam cum negatione & sine negatione eadem est verbi huius significatio.

Despvas.] Contemnas, nonnumquam enim in eos despuimus quos contemnimus.

Nemesis.] Dea erat quæ contra superbiam colebatur: eadem Rhamnusia dicta est à Rhamnunte pago Atticæ regionis, vbi pulcherrimum habuit simulachrum. Strabo lib. ix. geographiæ. *Rhamnus autem Nemeseos statuam, quod Diodoti opus plerique dicunt, alij vero Agoracriti Parij, quæ ex magnitudine & pulchritudine perfecta magis ac magis est, & cum Phidiæ operibus contendit.* Quare ridiculus est error illorum qui dicunt hoc nomine Fortunam vocari.

ACHILLES STATIVS.

Hesterno, *Licini.*] Ad Caluum, opinor, scribit, cujus pater fuit C. Licinius Macer, auctor Valerius Max. in ix.

Vt *conuenerat esse, delicatos.*] In Patauino altero, Dedicatos. quod non improbandum vsquequaque: significat enim hoc loco Catullus, ipsum & Caluum lusui se eo die dicasse. Sic autem Festus Pompeius Delicatos interpretari videtur. *Delicata*, inquit, Festus, *dicebant Dis consecrata, quæ nunc Dedicata. vnde adhuc manet Delicatus. Delicare autem proprie est dicendo deferre. Delicatos*, amantes otij. Sic enim etiam posse videmus interpretari. Namque eodem prope modo Quintilianus in xii. *Ne illas quidem tulerim delicias eorum qui doceri amicos suos iubent.*

Nvmero *modo hoc, modo illoc.*] Sic veteres. Plaut. in Cistell.

Istoc ergo auris grauiter obtundo tuas.

Lvdebat *numero, modo hoc, modo illoc.*] Omni genere poematis. Cic. eodem modo in i. Academic. *Atque, ipse varium, & elegans omni fere numero poema fecisti.*

Reddens *mutua per iocum, atque vinum.*] Sic etiam veteres loquebantur. Suetonius in Vespasiano, *Per ludum, iocumque.*——

Et in Nerone Claudio,

Fallere, ac furari ius eras per iocum.

Et obsceni auctor carminis,

Nolite, omnia, quæ loquor, putare,
Per lusum mihi, per iocumque dici.

Atqve *illinc abij tuo lepore Incensus, Licini, facetijsque.*] Plutarchus in eo libro, cui titulum fecit, Περὶ τῶν κοινῶν ἐννοιῶν πρὸς τοὺς στωικούς. Similiter dixit, ὑπὸ τούτων ἐγὼ λόγων διακεκαυμένος ἥκω θεραπείας δεόμενος καθάπερ ἐκ φλεγμονῆς ἀφαιρήσοντος τὴν ἀπορίαν τῆς ψυχῆς.

Nec *somnus tegeret quiete ocellos.*] Verg. in iiii. Georg. *Incoepto tegeret cum lumina somno.* Atque idem alibi Catullus, *Piger his labantes languore oculos sopor operit.* τοῖς γὰρ ἀγρυπνοῦσί τε καὶ μεριμνῶσιν ἅπασα νὺξ ἴσως φαίνεται μακρά. ait Apollodorus apud Athenæum.

Sed *toto indomitus furore lecto Versarer.*] Similiter Iuuenal. Satyr. xii.

Et toto versata toro iam membra quiescunt.

Vt *tecum loquerer, simulque vt essem.*] Vt vna multum essemus. non, Essem, id est cibum sumerem.

Nvnc *audax caue sis.*] In manuscriptis, Nunc audax caues. &, Nunc audax caueris. Ex eo quisque quod commodius videbitur, faciat.

Cave *despuas ocello.*] Sic etiam est omnibus in manuscriptis. superbiam vero, & contemptũ, oculi nonnumquam ipsi significant.

Nemesis.] Iulius Capitolinus in Maximo & Balbino, *Vt ciuium sanguine litato specie pugnarum se Nemesis, id est vis quædam fortunæ satiaret.*

Est *vehemens dea.*] Vehemens, Δαιμονιώδης. sic Horat. *Vehemens, & liquidus.*—— Quamquam etiam Vemens, & Vementer, scribebant veteres. Vehemens dea, δεινὴ θεός. Hom. κίρκη ἐϋπλόκαμος δεινὴ θεός. Et Theocrito Nymphæ dicuntur δειναὶ θεαί. Plautus in Rudente:

Arcturus signum sum omnium quam acerrimum,
Vehemens sum exoriens, cum occido, vehementior.

Nemesin Vltionem vocant Latini. Corn. Tacit. in iii. Cum Valerius Messalinus signũ aureum in aede Martis Vltoris, Cæcina Seuerus aram Vltioni statuendum censuissent.

M. ANT. MVRETVS.

Hesterno.] Epigramma hoc est ad Caluum, de quo supra egimus.

Vt *conuenerat esse.*] Vbi vterque nostrum ad cenam condixerat. *Esse* enim hoc loco expono, cibum capere.

Nec *somnus tegeret quiete ocellos.*] Hac locutione infra quoque vsus est,

Piger ys, labante langore, oculos sopor operit.

Semimortva.] Propter illam mentis agitationem, dormiendique difficultatem.

Poema.] Varro Parmenone, *Poema est λέξις ἔρρυθμος, id est, verba plura modice in quandam coniecta formam, itaque etiam distichon, epigrammation, vocant poema. poesis est perpetuum argumentum è rhythmis, vt Ilias Homeri, & annales Ennij, poetice est ars earum rerum.*

Despvas.] Contemnas.

Ocelle.] Ita sępe vocabãt eos, quibus blandiebãtur. exempla apud Plautũ satis crebra sunt.

Nemesis.] Hæc enim dea fastum & arrogantiam punire credebatur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

VT *conuenerat esse delicatos.*] Cauè τὸ *Esse* ab *Edo* deriuandum putes. Nam qui condicebant operam ad cænam, ita dicebant: vna erimus hodie. Iuuenalis.

Tertia ne vacuo cessaret culcita lecto,
Vna simus, ait——

Terentius. *Dionysia hic sunt hodie apud me sis volo.* Id est, apud me cænes. Post: *Quam vellem Menedemum inuitatum, vt nobiscum esset hodie amplius.* id est, ampliore cæna exciperetur. τὸ vt autem est ποιητικῶς dictum, vbi. Cicero in Arateis: ——*Vt prius illa chela*—— Aratus: ἧχι περ ἄκραι χηλαί——

N v n c *audax caue sis.*] Præcipit μὴ μέγα φρονεῖν. Ne scilicet νεμεσητόν τι πάθῃ. Hoc est enim, *Ne pœnas Nemesis reposcat à te.* Sic Græci quum aliquem supra modum felicem laudarent, ita dicebant, εὐτυχεῖς· φθόνος δ' ἀπίτω. Itaque plus est arguti sensus in hoc Epigrammate, quam primo limine quis inspicere possit.

D e s p v a s *ocelle.*] Noster scriptus *ocello.*

Ad Lesbiam. LII.

I l l e mî par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare diuos,
Qui sedens aduersus identidem te
Spectat, & audit
Dulcè ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi. nam, simul te
Lesbia aspexi, nihil est super mî

Lingua sed torpet, tenues sub artus
Flamma dimanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est:
Otio exultas, nimiumque gestis.
Otium & reges simul & beatas
Perdidit vrbes.

Versus Sapphûs ex D i o n y s i i L o n g i n i libro περὶ ὕψους, quos C a t v l l v s in Carmine ad L e s b i a m expressit.

Φαίνεταί μοι κεῖνος ἴσος θεοῖσιν
Εμμεν' ὡ' ἀνὴρ, ὅστις ἐναντίος τοι
Ιζάνει, καὶ πλασίον ἁδὺ φωνεί-
σας ὑπακούει,

A Καὶ γελαίσας ἱμερόεν, τό, μοι τὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.
Ὡς ἴδον σε βρόγχοι ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἥκει.
Αλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ', ἂν δὲ λεπτὸν
Αυτίκα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
Ομμάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημι· βομβεῦ-
σιν δ' ἀκοαί μοι.

B ANT. PARTHENIVS.

I l l e *mî par esse deo videtur.*] Venustatem atque suauissimum Lesbiæ amorem laudat: significans se per otium, quod est omnium fere amorum & malorum causa, venusto Lesbiæ amore captum esse.

D v l c e.] Dulcem risum.

Q v o d.] Qui dulcis risus.

O m n i s *eripit sensus mihi.*] Me facit attonitum & exanimatum.

N i h i l *est super mi.*] Id est, posteaquàm te C aspexi adeo fio attonitus & pene amens, vt nullum mihi supersit verbum, quod ego amens loqui possim. hic deest in omnibus fere codicibus versus Adonius, Sed ex superioribus atque sequentibus verbis sic suppleri potest: *Quod loquar amens,* *Lingua sed torpet.*

F l a m m a.] Amor Virgil. *Est mollis flamma medullas.*

D e m a n a t.] Subintrat, decurrit.

T i n t i n a n t.] Tinnitum faciunt, quod proprium est attonitorum, & exanimatorum: Est autem tintino verbum ficticium.

D G e m i n a.] Duplici: Martialis,
Namque grauem gemino Cornu sic extulit vrsum.

N o c t e.] Obtenebratione: propter mentem meam tuo aspectu stupentem.

R e g e s.] Vt Sardanapalum Troianos.

B e a t a s *vrbes.*] Troiam, Athenas, Tarentum, & multas alias.

PALLADIVS FVSCVS.

I l l e *mî par.*] Versus est Sapphicus, de quo ante dictum est. declarat Catullus quanta ma- E la sibi eueniant, posteaquam vidit Lesbiam amicam suam, cum alio viro ridentem.

A d v e r s v s.] Vel contra, vel apud.

I d e m t i d e m.] Frequenter, quo aduerbio persæpe vtitur Suetonius.

E r i p i t *sensus.*] Aufert visum, auditumque, & reliqua.

N i h i l *est super mi.*] Nihil mihi superest.

T o r p e t.] Frigescit.

F l a m m a *dimanat.*] Calor qualis febrem comitatur per membra decurrit.

S o n i t v *suopte.*] Suo proprio sono.

T i n t i n a n t.] Tinnitum faciunt instar percussi æris.

G e m i n a *nocte.*] Quia duo sunt oculi: hic autem ostendit se visum amittere.

OCIVM.] Quod multorum vitiorum, & in primis libidinis cibus est. vnde Ouidius.

Ergo vbi visus eris nostra medicabilis arte.
Fac monitis fugias ocia prima meis.
Hæc vt ames faciunt: hæc quæ fecere tuentur:
Hæc sunt iucundi causa cibusque mali.

OCIVM *& reges prius & beatas Perdidit vrbes.*] Nimis longum foret: si hoc in loco reges omnes & ciuitates quibus ocium obfuit recensere pergam. Quare illud Iustini de Lydis huc transtulisse sat erit: *& quos ante Cyrum inuictos bella præstiterant, in luxuriam lapsos, ocium ac desidia, superauit.*

ACHILLES STATIVS.

ILLE *mi par esse deo videtur.*] Magnam gratiam Longino rhetori debemus, qui Oden hanc Sapphus in scripta sua transtulit, & maiorem ijs, qui hæc ipsa vulgarũt. Phaonem vero Lesbium, impense perditeque amatum, indicat etiam Plautinum illud in Mil. glor. *Nam nulli mortali scio obtigisse hoc, nisi duobus, tibi, & Phaoni Lesbio, Tam nimie vt amarentur.* Loquitur autem Euripides eodem modo in Electra, quo Sappho. Ἐγώγ' ἴσον θνῄσκουσ' ἐγίγνομαι φίλων.

SI *fas est.*] Si pote est.

QVI *sedens aduersus identidem te Spectat, & audit.*] θαμὰ ἐπεσκοπεῖτο. sic Plato in Lyside. Περιστρεφόμενος δὲ ὁ Λύσις θαμὰ ἐπεσκοπεῖτο ἡμᾶς, καὶ δῆλος ἦν ἐπιθυμῶν προσελθεῖν.

DVLCE *ridentem.*] Idem alibi, *Dulce rideat ad patrem.* Et Horatius. *Dulce ridentem Lalagem amabo.* Et Plato in Epigrammatis de Laide, Καὶ σοβαρὸν γελάσασα καθ' Ἑλλάδος, ἡ τὸν ἐραστῶν ἑσμὸν ἐπὶ προθύροις λαὶ ἔχουσα νέων. Quos versus pæne expressit Propert. in II. *Non ita complerunt Ephyraæ Laidis Aedes, Ad cuius iacuit Græcia tota fores.*

NIHIL *est super mi.*] Est in nonnullis, pro, Super mi, Suprema. Et, quia sequens Adonius desideratur, difficilis est coniectura. Credibile est, Vocis, partem reliqui fuisse. Bion quidem in Bucolicis simile quiddam posuit de Venere, Ἢν μὲν γὰρ βροτὸν ἄλλον ἢ ἀθανάτων θεὸν μέλπω, Καμβαίνει μοῦ γλῶσσα, καὶ ὡς πάρος οὐκ ἔτ' ἀείδει. Legendum forte in posteriore versu, κ' ἀμβλύνει.

LINGVA *sed torpet, tenuis sub artus Flamma dimanat.*] Multo ante, quam illa, quæ dixi, scripta Longini ederentur, coniecturam feceram, hæc esse de Sapphicis expressa versibus. Plutarchi enim librum legeram, inscriptum, πῶς ἄν τις αἴσθοιτο ἑαυτοῦ προκόπτοντος ἐπ' ἀρετῇ. In quo est Sapphicorum versuum pars ea, quæ huic Catullinæ respondet. Sic vero est apud illum, Νῦν δ' ἀνδρὶ νοουμένῳ προκοπῆς ἀληθῶς ἐν φιλοσοφίᾳ, τὰ σαπφικὰ ταυτὶ παρέπεται. κὰμ μὲν γλῶσσα γ' ἔαγε, λεπτὸν αὔτικα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακε. Hic vero, cui videbitur, vires experiatur ingenij, aut horum versuum meliorem lectionem afferat, aut ea, quam docti homines excogitauere, contentus sit. Dimanare vero amoris flammam, dixit ὑποδεδρομηκός. ostendit ita dictum Plaut. in Mostel. *Continuo pro imbre amor aduenit. is vbi in pectus permanauit, Permadefecit cor meum.* Et Lucret. in IIII.

A *Hinc illata prius Veneris dulcedinis in cor*
Stillauit gutta, & successit frigida cura.

Et Ouidius in II. de remed. Amor.

Manat amor tectus, si non ab amante recedas.

Amorem vero ipsum in cor descendentem significauit Alcman illis versibus, qui sunt apud Athenæum, Ἔρως μὲ δ' αὖτε Κύπριδος ἕκατι γλυκὺς κατείβων καρδίαν ἰαίνει. Archilochus simillime, hoc ipso in genere, Τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς, πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευεν, κλέψας ἐκ στηθέων ἁπαλὰς φρένας. Sic Catullus Eripi sibi sensus dixit. Et alibi, idem, Δύστηνος ἔγκειμαι πόθῳ ἄψυχος, χαλεπῇσι θεῶν ὀδύνῃσιν ἕκητι πεπαρμένος δι' ὀστέων.

B LVMINA *nocte.*] Desunt reliqui versus, ab eodem conuersi. quos ego crassa Minerua mea sic supplebam,

Sudor it late gelidus trementi
Artubus totis, violamque vincit
Insidens pallor, moriens nec auras
Ducere possum.

Ouid. in III. eleg. simillime,

Mens abit, & morior. ——

OTIVM, *Catulle, tibi molestum est.*] Hoc vero nihil ad superiora illa pertinet. nec enim cohæret. estque omnino ἀποσπασμάτιον Catullini poematis, quod perierit. Præterire non possum hoc

C loco Macrobij verba e. II. Saturn. *Ioculari*, inquit, *deinde super cenam exorta quæstione, quod nam esset Molestum otium, aliud alio opinante, ille Podagrici pedes dixit. Is vero est Publij iocus.*

OTIVM *& reges, simul & beatas Perdidit vrbes.*] Sententia est, quam infert, γνωμικῶς. & tractata quidem luculente à Demosthene in oratione περὶ συντάξεως. Et Cato Maior ad lites censorias similiter, *Scio*, inquit, *fortunas secundas negligentiam perdere, quod vti prohibitum irem, quod in me esset, meo labori non parsi.* Epicharmus similiter, Πρατέονται τῶν πόνων πωλοῦντι ἁμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί.

D Σὺ μαλακῶς ἐν γὰρ τοῖς πόνοισιν ἀλέξεται ἀεὶ δ' ἀνοχαὶ σκοτεινὰ περιέπουσιν πόλεις. Non dissimilis Euripidis sententia,

Οὐδ' ἡδὺς αἰὼν, ἡ κακή τ' ἀνανδρία
Οὔτ' οἶκον, οὔτε πόλιν ὀρθώσειεν ἄν.

Perditas ciuitates, & Cic. dixit in vij. in Verrem.

Perditæ ciuitates, desperatis omnibus.

M. ANT. MVRETVS.

ILLE *mi par esse.*] Beatum esse ait, quicunque Lesbiæ aspectu, & alloquio frui, possit. post castigat se ipsum, affirmans, tales cogitatio-

E nes non nisi ex ocio nasci: additque grauem sententiam; ocium multis regibus, multisque vrbibus exitij caussam fuisse. Secundæ strophes vltimus versus desideratur. is autem qui vulgo legitur, *Quod loquar amens*, non Catulli est, sed Parthenij: ideoque eum sustulimus. hoc enim perpetuo tenere decreuimus, vt ne quid alienũ veterum scriptis scientes admisceamus. alioqui enim reijciendus ille versiculus non erat; cũ ad sentẽtiã mirifice quadret. Libet autẽ hoc potissimũ loco singularẽ gratiã inire ab iis omnib. qui antiquitatis studio, & delicatorũ versuũ, suauitate capiuntur. Etenim, cum Dionysij Longini

libellum περὶ ὕψους, qui nondum à quoquam editus est, hortante eodem, qui me ad hæc scribenda impulit, singularis doctrinæ, eximiæque virtutis viro, Paulo Manutio, Latine interpretari cœpissem, vt eodem tempore optimus liber & Græcus, & mea opera Latinus factus ederetur; cum alia in eo sane plurima deprehendi digna, propter quæ liber ipse communi omnium elegantium hominum desiderio expetatur, tum oden suauissimam poetriæ Sapphus, quam iis, qui proximi antecesserunt, versibus maxima ex parte Catullus expressit. quis autem est, duntaxat eorum, qui aliquem literarum, atque humanitatis sensum habent, qui non summam voluptatem capiat, mulieris in hoc genere longe post homines natos præstantissimæ, & poetæ Latinorum omnium mollissimi versibus inuicem comparandis? eam autem oden, cum locis aliquot deprauata esset, versusque ipsi permisti, confusique inuicem essent, iam ante, quam liber in meas manus veniret, emendauerat, distinxeratque homo & Latinarum & Græcarum literarum cognitione excellens, Franciscus Portus; qui idem cum in aliis optimis vtriusque linguæ scriptoribus, tum in Æschylo multa felicissime emendauit, quæ adhuc in omnibus impressis libris deprauata circumferuntur. eum igitur merita laude fraudare nolui. Sed iam neminem esse arbitror, qui non decimam illam Musam audire gestiat,

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
ἔμμεν' ὤνηρ, ὅς τις ἐναντίος τοι
ἰζάνει, καὶ πλασίον ἀδὺ φωνεί-
σας ὑπακούει,
καὶ γελαίσας ἱμερόεν, τό, μοι τὰν
καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν
εἰς ἴδω σε, βρόχεως ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἥκει.
ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ', ἂν δὲ λεπτὸν
αὔτικα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν.
ὀμμάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', βομβεῦ-
σι δ' ἀκοαί μοι.
καδδ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται. τρόμος δὲ
πᾶσαν αἱρεῖ· χλωροτέρα δὲ ποίας
ἐμμί· τεθνάκην δ' ὀλίγω δεύσα
φαίνομαι ἄπνους.

IANVS DOVSA FIL.

ELEGANTISSIMVM.] porrò Carmen ad Lesbiam est, in qua Sapphûs suauissimam Oden expressit Veronensis Poëta, quæ comparare inuicem ac contendere operæpretium est. nam & secundum versum totum adiecit de suo, & in tertio detraxit illud ἀδὺ φωνεύσας, cuius loco posuit *Spectat*, quod in Græco non est. In nono autem ac sequentibus sententiæ ordinem inuertit. planè vt non tam Latinam eam reddere, quàm certare cum ea voluisse videatur. Sed in iis quum ad viuum effinxisset omnes amoris affectus decima illa Musa his verbis:

Ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ', ἂν δὲ λεπτὸν
Αὔτικα χρῷ πῦρ ὑποδεδρόμακεν,
Ὀμμάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', βομβεῦ-
σι δ' ἀκοαί μοι.
Καδδ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν αἱρεῖ, χλωροτέρα δὲ ποίας
Ἐμμί. τεθνάκην δ' ὀλίγω δεύσα
Φαίνομαι ἄπνους.

Contentus fuit priores quatuor expressisse:

Lingua sed torpet, tenues sub artus
Flamma dimanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.

Posterius tetrastichum charactere Catulliano ita ludibundi conuertimus:

Frigidus sudor fluit, horror artus
Pallidos herbâ magis it per omnes:
Et pati mortem videor morans in
Limine mortis.

Videtur autem huc respexisse Valerius Ædituus in Epigrammate quod apud Gellium legitur:

Dicere cùm conor curam tibi Pamphila cordis
Quid mî abs te quæram, verba labris abeunt.
Per pectus miserum manat subito mihi sudor,
Si tacitus, subidus, duplo ideo pereo.

Parissima his etiam illa Theocriti Idyll. II.

Πᾶσα μὲν ἐψύχθην χιόνος πλέον, ἐκ δὲ μετώπω
Ἱδρώς μὲν κοχύεσκεν ἴσον νοτίαισιν ἐέρσαις
Οὐδέ τι φωνᾶσαι δυνάμαν, οὐδ' ὅσσον ἐν ὕπνῳ
Κνυζεῦνται φωνεῦντα φίλαν ποτὶ ματέρα τέκνα.
Ἀλλ' ἐπάγην δαγῦδι καλὸν χρόα πάντοθεν ἴσα.

Illud quoque monendus lector legendum in Catullo, *--tenuis sub artus Flamma dimanat.* non *tenues*. respondet enim illi Græco: λεπτὸν πῦρ.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

TINNIVNT *aures.*] Recte liber scriptus, *Tintinant aures.* Afranius: *Ostiary imp. dimenta tintinare audio.* Næuius: *Tantum vbi molle crepitum faciunt, tintinabunt compedes.* Inde Tintinabulum.

Ad seipsum de Struma & Vatinio. LIII.

QVID est, Catulle, quid moraris
emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum peierat Vatinius.
Quid est, Catulle, quid moraris emori?

ANTON. PARTHENIVS.

QVID *est Catulle quid moraris emori.*] Trimetro iambico ad mortis vsque destinationem indignatur ac disrumpitur Nonio pessimo homini curulem magistratum: ac Vatinio spurcissimo, consulatum contigisse. Huius Nonij Strumæ de opalo gemma scribens Plinius sic meminit: *Ab Antonio proscriptus Nonius senator est, filius Strumæ Nonij, quem Catullus poeta in sella curuli visum, indigne tulit.* legito amplius Plinium. De Vatinij consulatu qui per paucos dies durauit, loquitur Macrobius in tractatu de risibus. in hunc Vatinium Ciceronis extat ora-

tio, in qua Cicero quæsturam Puteolanam, deinde Hispanensem legationem ac Tribunatum plebis, sordidè ac iniquissimè gessisse Vatinium ostendit: Nonius autem legatur non Nouius, quod versus indicat. De sella vero curruli Romam translata, diuersa senserunt Liuius, Macrobius, Plinius, apud latinos: Græci verò, Strabo & Dionysius Halycarnasseus.

PALLADIVS FVSCVS.

QVID *est Catulle.*] Versus est iambicus trimeter. Catullus ait moriendum esse, cùm Nonius Struma homo nequam, sedeat in sella curuli: & Vatinius qui per paucissimos dies consul fuit peieret per suum consulatum.

MORARIS.] cunctaris.

SELLA *in curuli.*] Sella curulis in qua maiores magistratus sedebant, à curru dicta est, quod in curru veheretur: vel (vt Plutar. in Mario ait) quod curuos pedes haberet.

STRVMA *Nonius.*] struma est extantia quædam in tergo: Gibbus vero in pectore. Sunt item strumæ Cor. Celso tumores, in quibus subter concreta quædam ex pute & sanguine quasi glandulæ oriuntur, maxime in ceruice: sed etiam in alis & inguinibus: & in lateribus mammisque fœminarum, vulgo scrofulæ dicuntur.

NONIVS.] de hoc Nonio Plin. lib. XXXVII. Hist. nat. ita scribit. *Siquidem extat hodieque huius generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius senator est, filius Strumæ Nonij eius, quem Catullus poeta in sella curuli visum indigne tulit.*

PER *consulatum peierat Vatinius.*] Consulatus Priscis Romanis fuit annuus magistratus, ab iis primum post eiectos reges institutus.

PEIERAT.] falso iurat.

VATINIVS.] hic scriptis Macrobij abunde notus est, notior etiam Ciceronis, quare de eo nihil amplius dicam.

ACHILLES STATIVS.

QVID *est', Catulle, quod moraris emori.*] Suspendio arbor eligenda. Melius vero in manuscriptis, Quid est, Catulle, quid moraris emori.

SELLA *in curulli Struma Nonius sedet.*] De quo Plin. in XXXVII. *Si quidem exstat hodieque huius generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius Senator est, filius Strumæ Nonij eius, quem Catullus poeta in sella curulli visum indigne tulit.* Et Boethius in III. philosophiæ consolationis. *Nam vis ea est magistratibus, vt vtentium mentibus virtutes inserant, vitia depellant. atqui non fugare, sed inlustrare nequitiam solent. qua fit, vt indignemur eas sæpe nequissimis hominibus contigisse. vnde Catullus, licet in Curulli Nonium sedentem, Strumam tamen appellat.* Ex hoc genere est illud Cicero in orat. pro Sestio, *Hi medentur ciuitati, qui exsecant pestem aliquam tanquam strumam ciuitatis.*

PER *consulatum peierat Vatinius.*] in Caninij & Vatinij consulatum noti ioci Ciceronis, apud Macrobium in II.

M. ANT. MVRETVS.

QVID *est Catulle.*] secum indignatur, homines indignissimos, Nonium cognomento Strumam, & Vatinium, illum quidem ad ædilitatem, præturamve (non enim memini quidquam hac de re certi proditum esse) illum etiam ad consulatum peruenisse: idque ita iniquo animo fert, vt nihil sibi caussæ esse dicat, cur non à vita potius recedat, quam vt ista spectacula videat.

PER *consulatum.*] solebant enim per ea iurare, quæ carissima haberent.

PEIERAT.] per consulatum iurare intolerabilis arrogantiæ esset: at in peierando etiam aliud flagitium est. Fuit autem P. Vatinius consul vna cum Qu. Fusio Caleno: valdeque errant hoc loco omnes interpretes, qui, quæ de Caninij consulatu dicta sunt ea, ad Vatinium referunt. sed erroris sui ducem atque auctorem habent Macrobium, qui, in percensendis Ciceronis iocis, Vatinium vbique pro Caninio nominat: si tamen impressi libri vacant mendo.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

STRVMA *Nonius.*] Victorino citatur non semel *Scrofa Nonius.* At est *μνημονικὸν ἁμάρτημα.* Sed & Boetius hallucinatur, qui Strumam non cognomen Nonij putat, sed conuicium. Verba eius ex prosa IIII. libri III. de Consol. Philosophiæ: *Vnde Catullus licet in curuli sedentem Nonium Strumam vocat.* Cicero ad Atticum libro VII. *Deinde Vatinij Strumam sacerdotij dibapha vestiant.* Videtur eodem anno Vatinius Consul designatus & Nonius Struma Prætor fuisse. Cicero in Vatiniana corrigendus: *Si Struma denique ab ore improbo demigrarunt.* Lege: *Si Strumæ denique ebore improbo. d.* id est, sella curuli. Plinius XXXVII. cap. VI. *Siquidem extat hodieque huius generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus Nonius Senator est filius Strumæ Nonij eius, quem Catullus poeta in sella curuli visum indigne tulit.*

De quodam, & Caluo. LIIII.

RISI nescio quem modò in corona,
Qui, cùm mirificè Vatiniana
Meus crimina Caluus explicasset,
Admirans ait hæc, manúsque tollens,
Dij magni salaputium disertum.

ANTONIVS PARTHENIVS.

RISI *nescio quem modò è corona.*] Poeta fatetur Rustico risum suum quem conceperat ex cuiusdam insulsi hominis inepta vaniloquentia: demonstrans quem dolorem ex Libonis sordibus atque ventris efflatione tulerit quum, enim Licinius Caluus superius scriptum Catulli in Vatinium carmen in cœtum & corona forensi

explicasset: quidam fatuus Libo volens poetæ ingenium laudare, exclamans insulsissima verba effutiuit. Caluus Vatinio infensus fuit, nam eius in Vatinium hoc amarulentissimum extat dictum: *Perfrica frontem & dic te digniorem qui fieres prætor quam Catonem.*

N e s c i o *quem.*] puto hunc fuisse Libonem, vt ipse poeta statim videtur innuere in calce huius epigrammatis.

A d m i r a n s.] scilicet carmina mea à Caluo recitata, seu explicata.

S a l a p e n t i v m.] hic est vnus de Catullianis locis obscurissimis atque difficillimis nodus, à multis sane doctis viris multum diuque tentatus: sed Gordiano (vt arbitror) iugo non explicabilior inuentus: Alexandri ergo violentia & ense hunc nodum dissoluamus. Quum igitur inter omnes doctos constet variam huius loci lectionem deprauatione, rectam intelligentiam impediente, perplexam esse: coniecturis inquirenda est vera aut verisimilior lectio. Non enim dubium est quod dixi Catullum significare à se derisum fuisse insulsum hominem, qui hæc dubia verba barbarè ridiculus effutiuit: *Dij magni salapentium disertum*: quum hac exclamatione laudans Catulli ingenium vellet dicere. Dij magni sapientium disertum, scilicet, Catullum: Effutiuit igitur salapentium vel salipentium pro sapientium: vt rudis linguæ natura est plurima verba deprauata incaute ac barbare fundere cũ risu auditorum: vt Catullus se risisse hic fatetur lepidè. Sunt qui putent Salapentium apud priscos significasse cerebellum siue ingeniolum: nonnulli vero sane docti hunc locum corrigentes legunt Solopycium: idque interpretantur totum cubitalem hominem, quasi Catullus voluerit significare, hominem pusillum staturæ Cubitalis, quod si admittitur non Solopycium, sed Solopechium legendum est, ab ὅλος quod est totus, & πῆχυς cubitus.

PALLADIVS FVSCVS.

Risi *nescio quem modo.*] Versus est hendecasyllabus. Caluus orator homo disertus sed minimæ staturæ, suis scriptis, Vatinij, de quo ante dictum est, crimina insectabatur: quæ cum in circulo eruditorum recitasset, vnus eorum qui aderant, sublatis in cælum manibus, exclamauit. Dij magni Solopachium disertum: quod significat hominem cubitalem facundum. nam, vt prædiximus, Caluus homo erat minimæ staturæ, sed eloquens.

E c o r o n a.] è circulo.

E x p l i c a s s e t.] exposuisset siue declarasset.

D i i *magni.*] exclamatio emissa per admirationem. Tale est apud Terentium.

Dij boni boni quid porto.

S o l o p a c h i v m.] totum cubitum: ὅλος enim græce significat totum: πῆχυς vero cubitum. Sed aspiratio quæ prima est in holos, mutatur in s. quod fit apud Latinos in aliis quoque nominibus Græcorum: illi enim dicunt ἕρπυλλον, ἕξ & ἑπτὰ, nos vero aspirationem ipsam in s

A mutantes, dicimus serpyllum, sex, septem. Alij legunt Solopechyum, alij aliter.

ACHILLES STATIVS.

Risi.] Prouerbio dixisse videtur. Festus in verbo, Rideo.

Q v i, *cum mirifice Vatiniana Meus crimina Caluus explicasset.*] Caluus Vatinium ambitu accusauit. Quod intelligi potest ex illis Carisij verbis in II. Ad, pro autem. *Caluus in Fuscinium ambitus. Ad ita mihi Iouem, deosque immortales velim bene fecisse, iudices, vt ego pro certo habeo, si paruuli.*
B Quibus in verbis, Fuscinium, in Vatinium mutandum censeo. Scripsit autem Caluus orationes duas in Vatinium, quarum posteriorem laudat Corn. Tacitus.

D i *magni, Salicippium disertum.*] Di magni, admirantis est. Plaut. in Capt. *Audiui, di magni.* Ouid. in II. Elegiarum,

Oscula, di magni, qualia, quotque dedi.

Et in VI. Fast.

Quam bene, di magni, pugna cecidisset in illa.
Defensor solij Iuppiter ipse sui.

Tzetzes, Lycophronis interpres, ὦ πόποι, apud
C Homerum idem valere significat, idque de aliorum sententia. Πόποι) οἱ θεοὶ ὅθεν καὶ πολλάκις ὦ πόποι παρὰ Ὁμήρῳ, ἀντὶ τοῦ ὦ θεοὶ, ἤκουσας. ἡ λέξις Φρυγία. Salicippium vero legendum esse, dubitari non potest: quod facile intelligitur ex illis Senecæ verbis in IIII. Controuersiarum. *Caluus,* inquit, *qui diu cum Cicerone iniquissimam litem de principatu eloquentiæ habuit, vsque eo violentus accusator, & concitatus fuit, vt in media actione eius surgeret Vatinius reus, & exclamaret, Rogo vos, iudices, num si iste disertus est, ideo me damnari oportet. Idem postea cum videret à clientibus Catonis rei sui Pollionem Asinium circumuentum in foro, imponi se supra cippum iussit. erat enim paruulus statura, propter*
D *quod etiam Catullus in Hendecasyllabis, vocat illum Salippicium disertum, & iurauit, si quam iniuriam Cato Pollioni Asinio accusatori fecisset, se in eum iuraturum calumniam, nec vnquam postea Pollio à Catone, aduocatisque eius aut re, aut verbo violatus est.* Sed & apud Senecam praue, Salluputium legitur. Verborum vero Senecæ sententia, vt Salicippium legatur, postulat. Hunc ego Senecæ locum cum Catullino collatum diligenter, emendatumque acceperam in Hispania ab Honorato Ioannio, viro clarissimo mihique multis de caussis coniunctissimo. Vt vero in Italiam veni, & Paullum Manutium Venetiis vidi libenter, & de com-
E munibus studiis cum eo egi sępe libentissime. Ille vero, cum ex me quæreret, ecquid haberem in Catullum, respondi, mihi quidem nihil tum esse in promptu, hunc vnum locum memoria tenere dignum Honorati mei, singulari doctrina, atque ingenio. Laudauit ille, sibique perplacere significauit: seque ante aliquot annos ita emendasse confirmauit. Nescio, cur Senecæ verba, tam huic loco necessaria, præterierit interpres Catulli. Caluum ipsum etiam exiguum dicit Ouid. in II. Trist.

Par fuit exigui, similisque licentia Calui.

M. ANT. MVRET.

RISI *nescio quem.*] Caluus exiguæ staturæ fuit, sed acer & vehemens in dicendo. is in controuersia quadam, ne propter corporis paruitatem minus conspicuus esset, imponi se supra cippum iusserat: vt est apud Senecam. Ait igitur Catullus valde risisse se, quod cum Caluus mira orationis vehementia in Vatinium dixisset, quidam è corona, admiratus in tantulo corpusculo tantam eloquentiæ vim latere, sublatis manibus, Di magni, dixerit, salicippium disertum; respiciens videlicet ad id, quod paulo ante narrauimus. Ridendi autem occasionem cepit poeta ex eleganti nouitate vocis, quam ille, quisquis fuit, à saliendo in cippum, vrbane admodum, venústeque confinxerat. Cum autem alij monstra quædam vocabulorum in hunc locum inuexissent, eaque barbare, & insulse interpretati essent, primus Paulus Manutius animaduertit, & hic, & apud Senecam, salicippium, eo quo diximus sensu, legi oportere.

I N *corona.*] ita vocabant multitudinem, quæ in forum confluebat. Cicero, *Non enim corona consessus vester cinctus est, vt solebat.*

VATINIANA *crimina.*] ex oratione Calui in Vatinium, citat hæc verba Seneca lib. XVI. epistolarum, *Factum esse ambitum scitis: & hoc vos scire, omnes sciunt.*

MANVSQVE *tollens.*] gestus admirantium. Cicero ad Cæsarem, *Sustulimus manus & ego, & Balbus. tanta fuit opportunitas, vt illud nescio quid non fortuitum, sed diuinum videretur*, & in Academicis, *Hortensius autem vehementer admirans quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat, vt etiam manus sæpe tolleret.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DIA *Magni salputium.*] Hæc est omnium antiquitus excusorum lectio. item noster ita habet. denique Senecæ exemplar non aliter clamat. olim quid esset explicauimus. Nutrices pueros ita solent appellare. Festiuissima conclusio huius epigrammatis tota versatur in ea voce. Nam quum esset Caluus staturæ perexiguæ, vt testatur etiam Seneca, ille de corona, qui admiratus est Caluum recitantem, reuera ac serio putauit Caluum esse puerum, non virum. Itaque erupit in exclamationem, in quam solebant nutrices, quum plausu pueros exciperent, ô festiuissimum, ô lepidissimum Salaputium. Itaque festiuius, quam argutius est epigramma. Quantum autem iste locus Grammaticorum vulgus torserit notius est, quam vt à me repetatur. Tantum hac in re, vbi multum sibi placere videntur, nobis ferendi non sunt. Caluum vero exiguum fuisse præter Senecam testatur & Ouid.

Par fuit exigui, similisque licentia Calui.

Propterea salaputium, vt dixi, vocat. Græce, vt alibi docemus, πόσθων idem, quod Latine Salaputium. Idem erat & Pipinna, apud Martialem. Non audiendus summus vir Adr. Turnebus cum suo Calabotio, quod hic nobis supponit.

A LV.

OTHONIS caput oppidò est pusillum.
Fleri rustici semilauta crura
Subtile, & leue peditum Libonis:
Sed non omnia displicere vellem
Tibi, & Fuffecio seni recocto.
Irascere iterum meis iambis
Immerentibus vnice Imperator.

ANTONIVS PARTHENIVS.

B OTHONIS.] cuius lege theatrali Nonius in quarto decimo ab orchestra ordine sedet: hic est ille Roscius Otho Tribunus plebis, qui Cæsaris Iulij temporibus, tulit legem theatralem de qua Horatius.

Roscia dic sodes melior lex: & alibi,
Contempto Othone sedet. Iuuenalis,
Sic libitum vano qui nos distinxit Othoni.

CAPVT.] ingenium à quo insulsa illa lex fuit lata.

OPPIDO.] valde.

EN] ecce; ad indignationem dixit.

RVSTICE.] proprium nomen.

C SEMILAVTA.] sordida.

PEDITVM.] proprie est fœtida ventris efflatio: sed hic potest accipi pro inepta laudatione, quæ est tamquam cacatio: vt ab abscondo absconditum supinum, sic à pedo peditum protulerunt antiqui: & à sugo suctum, à mando mansum, à fugio fugitum protulisse, reperiuntur.

LEVE.] subiens leuiter nasum.

SVBTILE.] subtiliter exiens & nare subiens.

LIBONI.] multi fuere Libones ea ætate: vnus cuius plerumque meminit Cicero in epistolis: alius Scribonius Libo fuit in partibus Pompeianis, cuius meminit Lucanus in primo, Et Cæsar in commentariis.

D SI NON *omnia displicere vellem.*] Hic versus principium est epigrammatis quod constabat quinque phaleuciis, quorum medius per vetustatem amissus (vt pleraque alia Catulliana) magnum præbuit errorem librariis: qui duos priores versus superiori epigrammati & duos posteriores sequenti ascripserunt: sed hic error luce clarius patet, tam ex prioribus quā ex posterioribus versibus, quorum nulla est congrua cum prædictis epigrammatibus sententia. Audeamus igitur rescindere hāc Catulliani carminis vomicam: scribit enim hoc Phaleucium ad C. Cæs. excusans superius in Vatinium & Strumam Cæs. amicos epigrammam: nam per interrogationem E signat non debere moleste tulisse iambos, quos non ad Cæsaris inuidiam, sed ad Strumæ atque Vatinij notam, scripserit. Legatur itaque totum hoc tetrastichon per interrogationem in hunc sensum: irasceris ne & indignaberis iterum ac moleste feres iambos meos, quos non in te scriptos, nollem tibi esse molestos.

IRASCERE.] futuri est temporis, vt tertia syllaba sit producta.

ITERVM.] semel supra in Mamurram, & nūc

iterum in Strumam & Vatiniũ Cæsaris amicos. A

VNICE *Imperator.*] hoc nisi de Iulio Cæsare dici non potest: vnde apparet error eorum qui hos versus Camerio attribuunt: sic supra. *eo ne nomine Imperator vnice.*

OMNIA.] scilicet scripta mea quæ in alios, & non in te, distrinxi.

DISPLICERE.] molesta esse.

SVFFICIO *se.*] qui fuerit iste Suffecius valde quærendum arbitror.

RECOCTO.] in eundem magistratum sæpius refecto, ac plerumque suffecto. est autem metaphora à fabrili opere: nam vetera ferramenta recoquuntur, vt reficiantur: Horatius, B

—— Plerumque recoctus
Scriba ex Quinqueviro cornum deludet biantem.

PALLADIVS FVSCVS.

OTHONIS.] Versus huius epigrammatis, aliunde huc translatos esse vel grandi pignore contenderim, sed adeo deprauatos, vt ex ipsis nullus sensus elici posit: Quare eos inenarratos relinquere placuit.

IRASCERE *iterum.*] aperte minatur Catul. se rursus in Cæsarem versus facturum.

VNICE *Imperator.*] Superius in eundem Cæsarem. *Eo ne nomine Imperator vnice.* C

ACHILLES STATIVS.

OTHONIS *caput.*] Nihil auxilij adferebant libri manuscripti. nam præterquam quod inculcati hoc loco sunt plures alij versus alienissimo loco, hi quoque ipsi mirum in modum deprauati legebantur. sed non dissimulabo conatum meum, vt, si parum res processerit, extet tamen diligentiæ meæ testimonium. Itaque sic commentabar, Ad Rusticum, quod nomen etiã in antiquis fuisse dubitandum non est, hodieque Romæ in cippis duobus est, MARCVS. SESTIVS. RVSTICVS. ad Rusticum, inquam, aliquem scribi hos versus, in quibus dicit Othonem puerum quendam heri sui delicias esse, cui caput pusillum, subtile, ac leue esset, crura deinde semilauta, id est, sordi diuscula; hunc esse tum qui & Rustico ipsi, & Fuffecio seni callidissimo placere posset. Hanc autem sententiam efficiant hi versus, sic si legantur. D

Othonis caput oppido est pusillum,
Subtile, & leue, παίγνιον Libonis.
Heri, Rustice, semilauta crura.
Sed non omnia displicere vellem
Tibi, & Fuffecio seni recocto.

Sed mihi ipse non satisfaciebam in hac tota sententia. volui tamen industriam, ac laborem testari meum. alij olim fortasse melius. pro, Suffecio autem, Fuffecio legendum puto, suffragantibus omnis antiquitatis monumentis. E

IRASCERE *iterum meis iambis Immerentibus vnice Imperator.*] Hi quoque versus & in manuscriptis, & impresis, alieno leguntur loco. In Cæsarem vero ipsum hæc dicta suspicantur. sed reliqua desiderantur.

M. ANT. MVRETVS.

OTHONIS *caput.*] hos quidem versus, *nisi sibylla*, vt ille ait apud Plautum Pseudolus, *legerit; Interpretari alium posse reor neminem.* omnino constat, fragmenta esse diuersorum epigrammatum, sed ita lacera, vt non sperem vnquam intellectum iri. vetat autem Hippocrates, desperatis adhibere medicinam.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

OTHONIS *caput.*] Hic incipit Epigramma vsque ad illud ad Camerium, *Oramus, si forte non molestum est,* Est autem scriptum in quosdam ex decuria scribarum Cæsaris. postremo in ipsum Cæsarem inuehitur. Quod Epigramma præter paucas maculas, quibus oblitum est, tantum abest, vt mutilum, aut ex diuersis poematiis distractum sit, vt etiam non putem vllum stomachosius, aut virulentius in toto Catullo extare. Videtur enim poeta ab officio Cæsaris læsus in Transpadana regione, vbi tum ipse, & Mamurra erant, hęc scripsisse. Igitur totũ adponã epigramma, vt & legendum & coniungendum censeo:

Othonis caput oppido pusillum
Peri, rustice. semilauta crura,
Subtile, & leue peditum Libonis:
Si non omnia displicere vellem
Tibi, & Fuffitio seni recocto.
Irascere iterum meis Iambis
Immerentibus, vnice Imperator.

Nunc omnia singillatim explicanda.

OTHONIS *caput.*] Sic in Prolusionibus Virgil. *Superbe Noctuine putidũ caput.* Licinius Caluus. *Sardi Tigelli putidum caput venit.*

PERI *rustice.*] Ita minima licentia legimus, quum antea legeretur *Hers.* Nos *Peri.* scribimus. Idque plane Græcorum ἔῤῥε. & φθεῖρε exprimit. Plautus Menæchmis *Seu tu Cylindrus seu Coriendrus, perieris.* id est, ἔῤῥοις. Est autem post *rustice* ὑποστιγμή. Nam *rustice*, non *rustica* legendum & scripti libri, & antiquæ editiones probant.

SEMILAVTA *crura.*] Hæc omnia ad Libonem, in quem post Othonem inuehitur, manifesto referuntur. Hæc autem κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligẽda sunt. quod reuera & imbalnitie, vt Lucillius loquitur, squalleret, & laboraret eo morbo, qui ridiculosior, quam periculosior est. Notum, quid sit peditus. Morbum vocaui, quia quibusdam inuitis id excidit. Exemplo erit ClaudiusCęsar, qui eo laborabat. Glossæ, *Pedunt, Peditum* πορδή. Duo recte exprimunt Græci πορδὴν, si cum sonitu: βδέσμα, si nares potius, quam aures feriat. Videtur lingua Latina hoc carere, sed non ita est. In Glossariis enim βδέσμα seu βδεσμὸς dicitur *Visium*, βδεῖν, *Visire.* Quod hodie & Italorum, & Gallorum idiotismus retinet. Sed non credes fortasse illi Glossario. Vtinam meliores nunquam Grammaticos haberemus, modo omniũ pædagogulorum barbariem à nobis amoliri liceret. Sed age alium ἐγγυητὴν tibi dabo. Cicero Pæto: *Quid enim? num honestum verbum diuisio? At inest obscœnum, cui respondet intercapedo.* Cedo sis mihi vnum ex istis Ciceronianis, qui nihil obscurũ

in Cicerone esse dicunt. Profecto hic hæreat necesse est. Sed luce clarius est ex animaduersione nostra in verbo *Diuisio* esse obscœnum. Nam in eo τὸ *Visio* est βδέω. sicut in verbo *intercapedo*, τὸ *pedo* non sine flagitio est. Est enim πέρδω. Dices: non multum referre verum hæc quis sciat, an nesciat. Si ita vis, age pergamus ad reliqua. verbum non amplius addam.

Pᴇᴅɪᴛᴠᴍ.] Satis supra de hoc. Græci vocant etiam ματαιάζειν verbo non tam flagitioso ac πορδή. Herodotus: ἄειρας τὸ σκέλος ἀπεματάϊσε. Athenæus lib. III. Γνωμωνίδην τινὰ καλεῖσθαι φασὶν οὕτω τὴν μορφὴν μάλιστα ἐοικυῖαν. φυλάττεσθαι δὲ τὰς γυναῖκας. ἰδίως δὲ τὸ ποιεῖν ματαιάζειν.

Sɪ *non omnia displicere.*] Subintelligendum est: Disperam. Hæc autem nonnullæ editiones & scripti libri improbe à superioribus disiunxerant. ergo his verbis non minus Liboni, quam superioribus Othoni imprecatur.

Tɪʙɪ & *Suffetio.*] Scripta lectio, *Suffitio*, propius accedit ad germanam lectionem. Legendum enim *Fuffitio* ex Dione, vbi est φυφίνος.

Sᴇɴɪ *recocto.*] Glossarium interpretatur ἀνεψηθεὶς γέρων quum hunc locum in animo haberet. Sed fallitur, meo iudicio, quanquam illum Grammaticum sequutus sit Turnebus, vt in aliis. Intelligit enim non recoctum senem, sed recoctum scribam. Horatius.

——sæpe recoctus

Scriba ex quinqueuiro coruum delusit hiantem.

Ibi Helenius Acro: *Recocti dicuntur Scribæ, qui sæpius cum proconsulibus ad prouincias missi, exercitatiores facti sunt vsu ipso, & frequentia. Solent autem mitti quinque viri: qui quum redijssent, vendebant decurias suas, & Quinqueuiri dicebantur. Quod si voluissent iterum magistratibus apparere, & fructus priores percipere, Cocti dicebantur. quique sæpius hoc factitabāt, Recocti.* Si quis senem recoctum, non scribam intelligit, eodem modo dictum putet à Catullo, quo dixit Petronius; *Anus recocta vino*

Trementibus labellis.

Iʀᴀꜱᴄᴇʀᴇ *iterum.*] Et hæc quoque male à superioribus diuulsa erant. Postquam satis officio Cæsaris imprecatus est, nunc ipsi proconsuli comminatur, & iubet illum iterum Iambos suos expectare: quibus impetitus iterum sibi pœnas det. Virulentum, ut dixi, Epigramma est, ac stomachi plenum. quod nos primi, sicut multa alia Catulliana, in integrum restituimus.

Ad Camerium. LVI.

Oʀᴀᴍᴠꜱ, si fortè non molestum est,
Demonstres, vbi sint tuæ tenebræ,
Te quæsiuimus in minore campo,
Te in circo, te in omnibus libellis.
Te in templo superi Iouis sacrato,
In Magni simul ambulatione.
Femellas omnes amicè prendi,
Quas vultu vidi tamen sereno.
Has vel te sic ipse flagitabam,
Camerium mihi, pessimæ puellæ,
Quædam, inquit, nudum sinum reducens:
En hic in roseis latet papillis.
Sed, te quærere, iam Herculis labos est.
Tanto ten' fastu negas amice?
Dic nobis vbi sis futurus, ede
Audacter, committe, crede luci.
Num te lacteolæ tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proiicies amoris omnis.
Verbosa gaudet Venus loquela.
Vel, si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris.
Non custos si fingar ille Cretum,
Non Ladas si ego, pennipésve Perseus,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Rhesi niueis, citísque bigis.
Adde huc plumipedes, volatiléssque,
Ventorúmque simul require cursum,
Quos iunctos, Cameri, mihi dicares:
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis languoribus peresus
Essem te, mi amice, quæritando.

ANT. PARTHENIVS.

Oʀᴏ *si tibi forte non molestum est.*] Camerium puellarum cathedras, atque complexus sectantem, iocosè increpat: significans se ad lassitudinem vsque defessum, dum ipsum per diuersa vrbis loca quæritat: rogatque vt sibi tandem locum vbi latitat demonstret.

Tᴇɴᴇʙʀæ.] tenebrosæ latebræ meretricia ganea.

Mɪɴᴏʀᴇ *campo.*] minorem dixit ad campi Martij differentiam. hunc autem campum minorem arbitror esse eum, quem nunc Campum agonem dicunt.

Iɴ *circo.*] circum maximum Tarquinius Priscus ædificauit, vt Liuius, Plinius scribunt.

Iɴ *templo superi Iouis sacrato.*] Capitolium dicit Ioui optimo maximo sacratum à Tarquinio superbo conditum. his enim in locis publicis facillime inueniri possunt qui quæruntur.

Iɴ *omnibus libellis.*] aut in omnibus bibliopolarum

polarum tabernis, quod non placet: aut legendum est, omnibus locellis. i. in omnibus occultioribus vrbis locis.

In *magni simul ambulatione.*] Pompeiam porticum plane indicat, cuius Plinius meminit. Naso in arte:

Tu modo Pompeia Lentus spatiare sub vmbra.

& Martialis in v.

Sic veterem ingrati Pompei quærimus vmbram:

Video.] legendum est, video, non, vidit, vt stet Phaleucius, & est tamen præsens pro præterito.

Papillis.] mammillis. pars pro toto.

Herculis *labos est.*] maximus & cæteris hominibus inexplicabilis, quales fuerunt Herculis labores: quos etsi multi tantummodo XII. numerant, tamen & apud Ouidium, Martialem, & apud Diodorum Siculum circiter XXX. reperiuntur.

Comiti.] mihi tuo comiti. Alij legunt committe. sed imperitè quidem, quod versus arguit, qui sic legendus est,

Audacter comiti hoc licenter ede.

id est, dic. Iuuenalis,

Ede vbi sistas. in qua te quæro prosenca.

Lacteolæ.] tenellæ.

Clauso.] trisyllabum est, per diæresim, vt stet versus: vt Horat. *Nunc mare nunc sylua.* & aulai pro aulæ. & Poëta supra,

Qui zonam soluit diu ligatam.

Verbosa *gaudet Venus loq.*] Venus enim in opere non vult taciturnitatem, vt ζωὴ & ψυχὴ *modo sub lodice relictis.* hinc Martialis in VII. de Galla in opere Venereo multa conqueritur,

Accessi quotiens ad opus mistisque mouentur
Inguinibus: cunnus non tacet, ipsa taces.

Et alibi in XI. de Chione:

A Chione non sentis opus nec vocibus vllis
Adiuuat: absentem marmoreámque putes.

Gaudet.] trisyllabum, per diæresim est.

Sies.] pro sis & s. abiicitur, vt fiat dactylus pes secundus, & est sensus: Tu tuum amorem mihi quantumvis taceas, ego tamen te meorum amorum participem faciam, nec te celabo quicquam.

Non *custos si ego fingar ille Cretum.*] importunas camerij latebras iterum iocosè arguit, significans sibi nullas tam magnas vires, nullamque tam indomitam celeritatem posse dari: quas in quærendo Camerio defatigatione non consumeret.

Non.] subintelligendum est, te inueniam: aut aliquid tale.

Custos *Cretum.*] Dædalus Mitionis filius Athenis capitis iudicium effugiens, in Cretam delatus: ingenio adeo acceptus fuit Minoi, vt Atheniensibus bellum inferens, illum regni procuratorem reliquerit: vnde custos Cretum à Catullo nuncupatur. Sunt qui referant ad labyrinthi custodiam quod non placet. De Dædalo legas Diodorum Siculum libro v.

Cretum.] Cretensium. Cres Cretis declinatur.

Pegaseo.] Pegasus equus alatus ex Medusæ sanguine ortus dicitur, poëtarum carmini- A bus maxime decantatus.

Æthiopia.] vt ait Plinius libro XIII. cap. XXI. *generat equos pennatos & cornibus armatos, quos Pegasos vocant.*

Ladas.] Ladas velocissimus fuit cursor, cuius Cicero in rhetoricis meminit. Martialis in secundo,

Inuitum iubeas subire Ladam.

Mirum igitur est neque à Plinio, neque à Sollino egregios cursores describentibus, huius Ladæ, quem probatissimi tres auctores celebrarunt, vsquam nomen positum fuisse.

Perseus.] filius Iouis & Danaes, Achrysij Argiuorum regis filiæ, ex aureo imbre, vt ferunt fabulæ, genitus. Missus à Polydecte B Magnetis filio ad Gorgonas, à Mercurio qui eum dilexit, Talaria & Pegasum accepisse existimatur. plura de Perseo legito apud Higynium.

Non *Rhesi.*] Rhesus Ceronei filius, Thraciæ rex, equos habuit velocissimos: in quibus ad Troiam ducendis pendebant fata Troiana. quum eos ad Troiam duceret, ac iam clausis portis noctu in littore castra posuisset, Diomedes auertit equos in castra, priusquam pabula gustassent Troiæ Xantúmque bibissent. De Rheso legas Homerum in X. Iliados.

Bigæ.] biiuges equi.

C Plumipedas.] alipedes, hoc est veloces, vt Calais & Zethys fuisse feruntur.

Volatiles.] vt omnia volatilium genera.

Ventorum.] qui alati à poëtis finguntur. Iuuenalis in quinta Satyra,

—— Nam dum se continet Auster.
Dum sedet & siccat madidas in carcere pennas.

Ouidius,

Hæc Boreas aut his non inferiora locutus
Excussit pennas.

Omnibus *medullis.*] Expressio est extremæ D defatigationis, quum medullitus se defessum conqueratur.

Et *multus languoribus pressus.*] hic versus in omnibus quæ adhuc legi exemplaribus corruptus est. Nam secundus pes qui deberet esse dactylus, inuenitur spondæus: nisi forte suspicari volumus à Catullo factam epenthesin, vt sit languoribus, pro langoribus: vt induperator.

PALLADIVS FVSCVS.

Oro *si tibi.*] est eius generis cuius superior, E Catullus sub nomine camerij, taxat Iulium Cæsarem quod abditus inter prostitutas ita latebat, vt ab amicis eum quærentibus, nunquam posset inueniri.

Tuæ *l.*] vbi tu abditus lateas.

Minore *campo.*] campus, Laurentio Vallensi est planicies terræ ampla & grandis, ideoque spaciosæ plateæ areæve campi nomen acceperunt.

Te *in circo.*] Legimus Romæ tres circos fuisse: maximum, quem, teste Liuio, Tarquinius Priscus extruxit sine foris, quos postea addidit Tarquinius Superbus, Flammin & Ne-

ron. Dictus est circus, vt Varro ait, quod ibi circum metas pompa ferretur & equi currerent. Sed de circo maximo plura legito apud Liuium & Halycarnasseum Dionysium.

T E *in omnibus libellis.*] emendo labellis. posuit enim labella pro balneis. Est autem labellum diminutiuum à labro: labrum verò genus est vasis minoris. Cicero libro decimo quarto Epistolarum familiarium ad Terentiam vxorem. *In Tusculanum nos venturos putamus aut nonis, aut postridie: ibi fac sint omnia parata, plures enim fortasse nobiscum erunt, & vt arbitror diutius ibi commorabimur: labrum si in balneo non est, fac vt sit.* & Vergil. in II. Georgicorum,

——*spuma plenis vindemia labris.*

I N *magnis simul ambulatione.*] Intelligit haud dubie porticum Pompei, cuius in primis meminerunt Ouid. & Mart. Illud autem non prætermittam porticus à priscis fieri solitas ad vmbras & deambulationes.

P R E H E N D I.] prehendimus proprie vitantes ac fugientes.

S E R E N O,] tranquillo, hoc est sine vllo metus vel mæroris indicio.

A V E L L I T E *sic.*] emendo, sic auellitis.

R O S E I S.] propter odoris suauitatem à rosa, quæ est florum nobilissima.

H E R C V L I S *labos est.*] his verbis ostendit puella maximum illi laborem esse propositum, qui Camerium latitantem quærere velit. Quot autem & quales fuerint labores Herculis pluribus demonstrat Diodorus.

T A N T O *te in fastu negas amice.*] Poëta fingit se tandem post longam inquisitionem puellæ vnius indicio inuenisse Camerium.

A V D A C T E R.] de hoc aduerbio ita scribit in primo Institut. Quintilianus. *Inhærent tamen quidam molestissimæ diligentiæ peruersitate, vt audaciter potius dicant quàm audacter: licet omnes oratores aliud sequantur.*

L A C T E O L Æ.] albæ à lacte, cuius color albus est.

P V E L L Æ.] emendo papillæ: quia paullo ante dixit,

En hic in roseis latet papillis.

V E R B O S A *gaudet Venus loquela.*] Mart.

Nec motu dignaris opus nec voce iuuare,
Nec digitis tanquam thura merúmque pares.

& gaudet hoc in loco, vt clauso trisyllabum est.

P A L A T V M.] pars pro toto.

D V M *nostri fies.*] emendo,

Dum vestri sim ego particeps amoris.

& erit sensus, licet tibi os etiam claudere, modo participes mecum tuos amores.

N O N *custos.*] Versus est hendecasyllabus. Carpit iterum, sed parcius, Camerium qui abditus, inter prostitutas ita latebat, vt ab amicis quæritantibus nullo pacto inueniri posset.

N O N *custos si ego fingar ille Cretum.*] Iuppiter, vt Apollonius & Pausanias tradunt, cùm Europam rapuisset, eámque in Cretam auexisset, ad repellendum Agenorem eius patrem, per littus custodes disposuit: inter quos Thalus fuit vir maximæ pernicitatis: vt qui vno die totam insulam pedibus circuiret. de hoc intelligit Ca- A tullus non autem de Dædalo, vt plurimi existimant.

N O N *si Pegaseo ferar volatu.*] non si me ferat Pegasus equus alatus, quem de sanguine occisæ Medusæ natum, poëtæ fabulantur.

N O N *Ladas.*] qui primam palmam velocitatis adeptus est: ita enim supra canum puluerem cursitabat: vt, arenis pendentibus, nulla indicia relinqueret vestigiorum. auctor est Solinus.

P E N N I F E R V E *Perseus.*] qui iturus ad occidendam Medusam, Arpen & talaria accepit à Mercurio.

N O N *Rhesi niuea citaq; biga.*] intelligit can- B didos Rhesi Thraciæ regis equos, quibus pendebant fata Troianorum. Bigas autem ideo pro equis posuit, quia Troianis temporibus, in curribus stantes pugnabant.

P L V M I P E D A S *& volatiles.*) pro iis Zetum & Calaim accipere debemus, qui ex Boreæ & Orithiæ concubitu, orti produntur.

Q V O S.) scilicet ventos.

L A N G O R I B V S.] lassitudinibus.

P E R Æ S V S.) absumptus.

Q V Æ R I T A N D O.) dum te quærito.

ACHILLES STATIVS.

C O R O, *si forte non molestum est.*) Hic est, opinor, Catulli Scurra fugitiuus, de quo Iuuenalis in Sat XIII. —*Mimum agit ille,*

Vrbani qualem fugitiuus scurra Catulli.

Sed in manuscriptis omnibus est, Oramus, si forte non molestum est.

D E M O N S T R E S *vbi sint tuæ tabernæ.*) In manuscriptis, pro Tabernæ, Tenebræ, non Latebræ.

T E *in omnibus labellis.*) In manuscriptis est, Libellis. quod est corruptũ ex Labellis. Labella verò significare opinor, balnea, thermas hoc loco. Sic à Cicerone Labrum dicitur. Et ab Ouid. D in IIII. Fast.

Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ.

Et in Ibin,

Quique verecundæ speculantem labra Dianæ.

Mart. in V. in Dentonem in eandem sententiam,

Quem thermis modo quærere, & theatris,
Et conclauibus omnibus solebas.

T E *in templo superi Iouis sacrato.*) Sacro. Sic Cic. III. in Verrem, *Quæ ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur.* Sic etiam Græci loquuntur, vt interpres Apollonij in I. Δῆλος μία τῶν κυκλάδων νήσων ἱερὰ ἀπόλλωνος. Ac paullo post, Κλάρος πόλις πλησίον κολοφῶνος. ἱερὰ ἀπόλλωνος.

E Q V A S *vultu vidi tamen sereno.*) Ita olim Aldus impressit. itaque est in manuscriptis.

A V E L L I *finite, ipse flagitabam. Camerium mihi.*) Clamore flagitabam, vt Plaut. in Menæch.

Propterea illius nomen memini facilius,
Quia illum clamore vidi flagitarier.

Q V Æ N A M, *inquit, nitidum sinum reducens.*) In manuscriptis pro Nitidum, Nudum. Proper. in II. simile quiddam exprimens,

Omnia me lædent, timidus sum, ignosce timori.
Et miser in tunica suspicor esse virum.

N O N *custos si fingar ille Cr.*) Hi versus omnes

ad illum vſque Eſſem te mihi, &c. nulli ſunt hoc loco, in manuſcriptis, ſed alibi alieniſſimo omnino loco. Aldus autem Manutius olim, ante hos impreſſerat eos, qui ſequuntur:

En hic in roſeis latet papillis,
Sed te quærere iam Herculis labos eſt.

& qui ſequuntur.

AVDACTER, *committe, crede, lucet.*] In manuſcriptis eſt, *Audacter, hoc committe, crede, Lucet.* legendum opinor,

Audacter committe, crede, Luci.

Si modo is Lucius Camerius fuit. quod alij viderint. Lucium quendam proſcindit poëta, quiſquis ille vetus auctor carminis, quod in Luſibus in Priapum legitur, in extremo.

Cinæde Luci, an te reliquerunt opes,
Fameque genuini crepant.

FRVCTVS *proiicies amoris omnis.*] ſic Attius in Alcmeone, Poſtremo, amplexa. fructum, quem di dant, cape. Et Plaut. in Caſina.

Scio, ſed meus fructus eſt prior. Et Lucret. in IIII.

Nec Veneris fructu caret is qui vitat amorem.

SIS *noſtri quoque particeps amoris.*] Aldus aliter olim, *Dum veſtri ſim ego particeps amoris.* Quæ ſunt omnia nimis ingenioſorum commenta. in manuſcriptis omnibus eſt,

Dum noſtri ſis particeps amoris. nec ego quicquam mutandum puto. Vt tua, inquit, tu nos celes gaudia, nos te tamen noſtrorum nobis amorum conſcium eſſe volumus.

NON *cuſtos ſi fingar ille cretum.*] Dubius ſum, an Cuſtos paſſiue dixerit, pro Cuſtodito, vt Vector etiam, pro eo qui vehitur, dici ſolet. itaque Dædalus ſignificetur, qui volatu Cretenſium manus effugit. Fingat autem, ſic dixit, vt & Menander, Κομψὸς στρατιώτης, οὐδ' ἂν εἰ πλάττοι θεὸς, οὐδεὶς γένοιτ' ἄν.

NON, *ſi Pegaſeo ferar volatu.*] Eiuſmodi multa ſimul poſuit etiã Alexis Comicus apud Athenæum in VI. Ἐμοὶ παραγένοιτο κρατῆσαι ἦν τὸ πτερὸν, ἢ τοῖς Βορεάδαις ἢ θᾶττον τι τὸ τρέχον ἢ Δαιδάλου λαχεῖν ὑποζυγίου· πέτομαι γὰρ εὐχῇ τῇ βαδίζειν ταῖς ὁδοῖς.

QVOS *iunctos Cameri mibi dicares.*] ſic eſt etiã in manuſcriptis omnibus.

M. ANT. MVRETVS.

ORAMVS.] exponit, quantopere ſe, quærendo Camerio, defatigauerit; rogátque eum, tum vt, vbi ſit futurus, indicet, tum vt amores detegat ſuos. In magna autem parte horum verſuum ſpondæus ſecũdo loco ponitur: quod cum quibuſdam videretur abſurdum, diſceſſum eſt à veterũ librorum fide, variéq; mutata quamplurima. ego veterem ſcripturam, quantum in me fuit, repoſui.

IN *minore campo.*] qui ad campum Martium fuiſſe dicitur.

IN *circo.*] circum maximum intelligo.

TE *in.*] litera E non eliditur.

OMNIBVS *tabernis.*] quæ in foro diſpoſitæ erãt.

IN *templo.*] Capitolium dicit.

IN *Magni ſimul ambulatione.*] in porticu Pompeiana.

FEMELLAS.] iocoſe. Sciebam te magnum A eſſe aſſectatorem feminarum, in quibus aliqua eſſet formæ elegantia. itaque ex eiuſmodi omnibus de te percontabar.

SIC *tantum.*] nulla longiore vtens oratione, quoniam videlicet te videre properabam.

CAMERIVM *mihi.*] indicate, ſubintelligendum.

QVÆDAM.] illudens mihi, ſimúlque occaſionem quærens, qua mihi pectoris ſui candorem & pulchritudinem oſtenderet.

NON *cuſtos ſi fingar ille Cretum.*] non ſi Dædalus fiam. cuſtodem autem Cretum vocat, quod ei Minos proficiſcens aduerſus Athenienſes, regni cuſtodiam commiſerit B ita enim à quibuſdã, ſed non valde idoneis auctoribus, traditum eſt. an potius Talum dicit? hunc enim tantæ celeritatis fuiſſe aiunt, vt totam Cretam vno die pedibus obiret. quod tamen equidem nuſquam adhuc reperire potui, niſi apud eos, qui ita hunc Catulli locum interpretantur. ego, quæ de Talo apud ſcriptores ἀξιολόγους comperi, afferam: deinde ſuum cuique iudicium relinquam. Hunc igitur toto corpore æreum fuiſſe accepimus, præter tuberculum quoddam in imo calcaneo, tenui membranula tectum; qua dirupta, mors ei fataliter conſtituta eſſet. hunc C Iuppiter raptæ Europæ, & in Cretam abductæ dono dedit, qui inſulæ cuſtos foret, térque totam inſulam obiret: die, an menſe, an anno, nihil diſerte ab Apollonio expreſſum eſt; quo loco narrat, quem in modum hic Argonautas, à Colchica expeditione redeuntes, ne in Cretam, vt volebant, appellerent, prohibuerit. eius è libro quarto hæc ſunt,

Τοὺς δὲ Τάλως χάλκειος, ἀπὸ στιβαροῦ σκοπέλοιο
Ῥηγνύμενος πέτρας, εἶργε χθονὶ πείσματ' ἀνάψαι,
Δικταίην ὅρμοιο κατερχομένους ἐς ἐπωγήν.
Τὸν μὲν χαλκείης μελιηγενέων ἀνθρώπων
Ῥίζης λοιπὸν ἐόντα, μετ' ἀνδράσιν ἡμιθέοισιν
D Εὐρώπῃ Κρονίδης νήσου πόρεν ἔμμεναι οὖρον,
Τρὶς περὶ χαλκείοις Κρήτην ποσὶ δινεύοντα. id eſt,

Aereus hoſce Talus lapides è monte reuulſos
Proiiciens vetuit terra religare rudentes,
Oſtia cum curſu peterent Dictæa citato,
Iuppiter hunc, reliquum ex hominum arboribus natorum
Aerea progenie, cum ſemideum comitatu,
Cuſtodem Europæ dederat, qui littora Cretæ
Ter, quam longa forent, pedibus luſtrare labentis.

iis autem, qui conſequuntur, verſibus, qua illum arte Medea interfecerit, exponitur. In Orphei quoque Argonauticis hæc de eo leguntur,

E Ὅσσα τ' ἄρ' ἐν Κρήτῃ πάθον ἄλγεα τλάντες,
Χάλκειον τεύξαντα δοκεύοντες, ὄφρ' ἱκάνοιεν,
Ὅς ῥά σφιν ἄπο λιμένων ἱμερτὴν ἀπέειργε.
Quid memorẽ, ad Cretã quot dura & acerba tulerunt,
E ſolido vaſtum ſpectantes ære gigantem.
Illos qui optato vetuit ſuccedere portu?

meminit eius Lucianus in φιλοψευδεῖ, his verbis, Ὅρα τοίνυν, ἦν δ' ἐγὼ, μὴ οὐχὶ Πέλλιχος ὁ ἀνδριὰς, ἀλλὰ Τάλως ὁ Κρὴς ὁ τοῦ Μίνωος ᾖ. καὶ γὰρ ἐκεῖνος χαλκοῦς τις ἦν, τῆς Κρήτης περίπολος. Euſtathius in viceſimum Odyſſeæ narrat, eum mira quadam ratione ſolitum enecare hoſpites, qui in Cretam appuliſſent, deſiliebat enim in ignem

(poterat autem id impune facere, cum æneus esset) ibiq; ita concalefaciebat, vt canderet. comprehensos igitur hospites, & pectori suo admotos, ridens ipse, exurebat. etsi Eustathius, non hunc, sed alium quendam, quem Vulcanus fabricatus esset, Europæ custodem datum, innuere videtur. Plato in Minoe narrat, duos affuisse Minoi, quibus ipse ad legum custodiam vteretur, Rhadamanthum, & Talum; quorum illi res vrbanas, huic ceteram Cretam curæ fuisse. Talum itaque solitum ter quotannis obire omnes Cretensis agri pagos, ferentem secum leges in æs incisas: vnde datam fabulæ occasionem, vt æneus diceretur. Fuerunt & alij hoc nomine: sed nihil ad eum in quo nunc versamur locum.

Non *si Ladas.*] Solinus, *Primam palmam velocitatis Ladas quidem adeptus est, qui ita supra cauum puluerem cursitauit, vt, arenis pendentibus, nulla indicia relinqueret vestigiorum.* Pausanias Corinthiacis, τοῦ ναοῦ δέ ἐστιν ἐντὸς Λάδας ποδῶν ὠκύτητι ὑπερβεβλημένος τοὺς ἐφ' αὐτοῦ. loquitur autem de templo Apollinis Lycij. Idem Laconicis, προελθόντι δὲ τὸ ἀπὸ τούτου σταδίους εἴκοσι, τῷ Εὐρώτᾳ τὸ ῥεῦμα ἐγγύτατα τῆς ὁδοῦ γίνεται, καὶ Λάδα μνῆμά ἐστιν ὠκύτητι ὑπερβαλομένου ποδῶν τοὺς ἐφ' αὐτοῦ. ᾧ δὴ καὶ Ὀλυμπίασιν ἐστεφανοῦτο δολίχῳ κρατῆσαι. δοκεῖ δέ μοι, κάμνων αὐτίκα μετὰ τὴν νίκην ἐκομίζετο, καὶ συνέβαινεν ἐνταῦθα οἱ τελευτῆς, ὁ τάφος ἐστὶν ὑπὲρ τὴν λεωφόρον. meminit & in Arcadicis. sed & Martialis,

Habeas, licebit, alterum pedem Ladæ;
Inepte, frustra crure ligneo curres.

nominat eum & Cornificius libro quarto ad Herennium.

Perseus.] de hoc multa Ouidius, multa Hyginus; longe plurima autem interpres Apollonij in quartum Argonauticorum. Multa etiã Pausanias in Corinthiacis.

Non *si Pegaseo.*] Pegasi fabula notior est, quam vt hoc loco explicari debeat.

Non *Rhesi.*] fabula est apud Homerum Iliados κ.

Niveis, *citisque.*] Homerus,

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Virgilius vtrumque complexus est, cum equos illos ardentes vocauit.

Bigis.] equos ipsos ad currum iunctos significat. Deficit autem hoc loco oratio, si animaduertas: est enim sensus: Si hæc omnia vera essent, non tamen tantũ itineris sine lassitudine obire possem. Talia exempla satis multa in antiquis scriptoribus reperiri queunt.

Plvmipedas, *volatilésque.*] admonent, & recte, omnes Catulliani interpretes, versum hûc non de auibus solum, sed etiam de Zethe & Calai, Boreæ filiis intelligendum esse. fabulam narrant Apollonius libro secundo, & Valerius Flaccus libro quarto Argonauticon. meminit & Pindarus Pythiis.

Qvos *iunctos.*] quorum omnium coniunctam celeritatem.

Mihi *dicaris.*] mihi dederis. Virgilius,

——*propriámque dicabo.* & in tribus verbis prætoris, *Do, dico, addico*: est enim à dicando, non à dicendo: quod nostri iurisconsulti parum intelligere videntur.

A Qværitando.] antiquum verbum. Plautus Menæchmis,

Hodie in Epidamnum venit cum seruo suo,
Hunc quæritatum geminum germanum suum.

Si *linguam.*] si amores tuos mihi celare perges, priuabis te gaudiorum tuorum longe maximo fructu. crescunt enim gaudia, quæ cum amicis communicantur. Tibullus tamen,

Qui sapit, inquit, *in tacito gaudeat ille sinu.*

Verbosa *gaudet.*] contra Tibullus,

——*celari vult sua furta Venus.*

Vel, *si vis.*] si vis, inquit, per me licet, alios omnes celatos habeas, dum vnus ego sim tuarum voluptatum conscius.

B

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Demonstres *vbi sint tuæ tenebræ.*] Repono *Tabernæ* pro *tenebræ* ex antiqua scriptura. Iam supra attigimus hunc locum, quum tabernas λέσχας Græce dici notauimus, ad quas scilicet confabulandi causa conuenirent, vt Hesiodus etiam docet, quum ait ἢ ἐπαλέα λέσχην. vnde λέσχη λέξις. Nam sane parum putum Syriacum est λέσχη, quo vsus est Esdra magnus ille diuinæ legis scriba. Scripsit enim Babylonica lingua. Ad pilas autem sitæ erant tabernæ illæ. Horatius, *Nulla taberna meos habeat, neq; pila libellos.* (C)
Et supra: *Salax taberna, vósque contubernales,*

A pileatis nona fratribus pila.

Te *quæsiuimus in minore campo.*] Scribe ex nostro libro: *Te campo quæsiuimus minore.*
De industria enim captat spondæum in secunda sede.

In *minore campo.*] In Cælio. Quum Campus Martius diluuio Tiberis stagnabat, Circenses fiebant in Cælio. Ouidius:

Cælius accipiet puluerulentus equos.

Te *in omnibus tabellis.*] Palladius primus *labellis* reposuit, quum in antiquis editionibus, & (D) manuscriptis legeretur *libellis.* quod rectũ erat. *In omnibus libellis*, hoc est in tabernis librariis. Eo enim confabulandi gratia honestiores personæ confluebant, vt in tonstrinas viliores. Gellius: *Apud Sigillaria forte in libraria ego, & L. Paulus conueneramus.* Dictum autem *in libellis* μετωνυμικῶς pro in librariis tabernis. Attico more, qui ἐν ἰχθύσι, ἐν λαχάνοις dicebant, pro ἐν ἰχθυοπωλείοις, ἐν λαχανοπωλείοις. At *Labellis*, quod olim reposuit Palladius, non magis hic conuenit, quàm labra pro balneis accipere. Labrum enim, aut labellum est ποδονιπτήρ, aut saltem solium. Glossæ, *Labrum*, λουτήρ. At λουτὴρ non est balneum.

E Avelli *sinite.*] Ita emendauit Auantius. Noster liber sic:

Ah vel te sic ipse flagitabam:
Camerium mihi pessimæ puellæ.

Recte, & lepide. ego te illas sic flagitabam, ô pessimæ puellæ Camerarium mihi, ἀπόδοτε. hoc est reddite. Hæc sane meliora sunt, quàm illa cõmentitia. Sed non dubium, quin ita legendum:

Quas vultu tamen vidi sereno
Has vel te sic ipse flagitabam.

Duo accusatiui. Plautus:

Quas sponsiones pronuper tu exactus es.

SED *te quærere iam Herculis labos est.*] Et hæc quoque de correctorum officina. Noster codex optime: *Sed te iam ferre Herculei labos est.* vbi *Herculei* genitiuus antiquus. vt apud Ciceronem in epistolis probissimus, ac doctissimus senex P. Victorius notauit scriptum in veteribus libris, *Themistoclei*, *Theophanei*. Sic *Simonidei* apud Ausonium, *Concedat Cei Musa Simonidei.*
Est autem prouerbialiter dictum. Propert.
Deinde, vbi pertuleris, quos dicit fama, labores Herculis. ——

TANTO *ten fastu.*] Et hæc quoque pessime accepta à correctorum temeritate. Legendum enim ex nostro libro sine interrogatione:
Tanto te in fastu negas, amice.
Est enim ἀντιφώνημα.

COMMITTE. *lucei.*] In Gallicano exemplari puto fuisse: *Lucei* antiquo more scribendi. Neque dubium quin ita fuerit. Committere luci est proferre, vel vt veteres loquebantur propalare.

SIS *nostri quoque particeps.*] Vetus scriptura,
Dum nostri sis particeps amoris. Sensus communis expertem esse oportet, cui non pareat legendum, *Dum vostri sim particeps amoris.* Nam *vostri* in *nostri* mutauerant, qui non meminerant ἀρχαϊκὸν esse characterem huius auctoris.

NON *custos.*] Quædam editiones hunc versiculum cum illis nouem sequentibus coniungunt cum superiore versiculo. quod non displicet. alij medium Epigramma his insititiis diffindunt, vt Aldus. Noster liber diuersum Epigramma facit, & alio loco ponit.

Ad Catonem LVII.

O REM ridiculam, Cato, & iocosam,
Dignámque auribus, & tuo cachinno.
Ride, quidquid amas Cato Catullum,
Res est ridicula, & nimis iocosa.
Deprendi modò pupulum puellæ
Trusantem: hunc ego si placet Dionæ,
Pro telo rigida mea cecidi.

ANTONIVS PARTHENIVS.

O REM *ridiculam, Cato, & iocosam.*] Pusionē quendam qui rei Venereæ imperitus, poëtæ amicam subagitare cupiens, inepte tentabat: Catullus in conatu deprehendit, illúmq; frustra laborantem mentula sua percussit. Cat. itaque alloquitur: eiúsque cachinnum ad ridendum excitat. incertum est, quemnam Catonem intelligat poëta: Vticensem intelligi non posse affirmauerim. Nam quum hæc Catullus scribebat, iam Iulius Cæsar, vt bis superius patuit, imperium Romanum occupauerat, & Cato iam Vticæ, ante Cæsaris imperium, se peremerat: nisi forte dicamus nullum esse certum horum epigrammatum ordinem. plurimos autem fuisse

A Catones diligenter scribit Gellius.

TVO *cachinno.*] hoc Vticensi Catone dici non potest. constat enim illum rigidissimum fuisse, vt Cicero in oratione pro Murena plane indicat.

PVPVLVM.] antiqui pupum puerum, & & puellam pupam, dixerunt. Varro, *mámam lactis sugentem poscere pupum.* Inde diminutiua pupulum & pupillum.

TRVSANTEM.] mentulam in exteriora genitalium agitantem, impellentem. Nam & trudere de re Venerea dicitur. Martialis,
Truditur & digitis pannucea mentula lassis.

B hinc molæ trusatiles dicuntur, quæ manu agitantur, vt est apud Catonem in re rustica: à quo Trusare.

DIONÆ.] mater fuit Veneris, à qua filia Dione denominata est. Papin. in Achilleide,
Sed solam nimium vidisse Dionem.

CECIDI.] præcidi, pædicaui.

MEA *ri.*] s. mentula.

RIGIDA.] turgida, protensa. Mart.
In molli rigidum libenter habes.

PALLADIVS FVSCVS.

C O REM *ridiculam.*] Versus est hendecasyllabus. Poëta noster declarat Catoni se pædicasse puerum quendam, in amicæ suæ complexibus deprehensum.

RIDICVLAM.] risu dignam.

CATO.] ambigitur ad quem scribat Catonem.

AVRIBVS.] i. auditu.

TVO *cachinno.*] tuo risu.

QVICQVID *amas.*] quantum diligis.

DEPREHENDI.] deprehendimus propriè occulta.

PVPVLVM *puellæ.*] amicæ meæ puerum. Ve-
D teres enim pueros puppos & puellas puppas dixerunt.

TRVSANTEM.] ceuentem, vel membrum in viscera impellentem.

PROTELO.] cuspide.

MEÆ *rigidæ.*] meæ mentulæ rigentis.

CECIDI.] percussi, siue verberaui.

ACHILLES STATIVS.

O REM *ridiculam, Cato, & iocosam.*] Hic est forte Valerius Cato Grammaticus, de quo sunt illi versus Bibaculi apud Suetonium de in-
E lustribus Grammaticis,
Cato Grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit & facit poetas. Ac post,
Si quis forte mei domum Catonis.
Eiusdem Catonis meminit Ouid. in II. Trist.
Et leue Cornifici, párque Catonis opus.
Intellegerem de Catone Censorio, si ratio temporum conueniret. nam iocis illum delectatum scribit Macrob. in II. Saturn. *M. etiam Cato, ille Censorius, argute iocari solitus est.* Ac postea, idem opinor, significans, *Orta ex his letitia, & omnibus in censorium risum remissis.*

RIDÉ, *quidquid amas Cato Catullum.*] id est,

ἀσεῖον γέλοιον. & leporis non nihil est in verborum παρωνυμίᾳ, Cato Catullum.

Hvnc *ego si, placet Dionæ.*] Dubito an legendum sit, *Sic placet Dionæ.* Sic Horat.

Tecum sub alta, sic Ioui gratum, domo
Beate Mæcenas bibam.

Protelo *rigida mea cecidi.*] Nonius Marcellus in verbo, Protelare, versus adducit Lucilij, in quibus Protelo non verbum, sed aduerbium videtur adfirmantis, siue quid simile huic Catulli sententię significantis. in quo aut parum vidisse Nonius videtur, aut eius inemendato nos libro vtimur. Versus Lucili sunt.

Quem neque Lucanis oriundi montibus tauri.
Ducere protelo validis ceruicibus possent. Et illi,
Hunc iuga multorum protelo ducere centum
Non possent. ——

M. ANT. MVRETVS.

Orem *ridiculam.*] ad quem è Catonibus scriptum hoc carmen fuerit, sciri posse non puto. neque vero magni interest. hoc modo teneatur, ad eum, qui se Vticæ interfecit, non pertinere. neque enim, vt cetera omittam, suspicio hæc in illius seueritatem cadit.

Dionæ.] Veneri, aut Veneris matri.

Pro *telo.*] simile quiddam narrat Appuleius lib. IX. de pistore, qui puerum formosum cum vxore deprehenderat.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Orem *ridiculam Cato.*] Cato iste author Dirarum, vt suo loco ostendimus. De quo Ou.

Et par Cornifici, parque Catonis opus.

Et Suetonius in libro de claris Grammaticis, quod non admonuissem, nisi error diserti viri aurem mihi velleret.

Dignamqve *auribus, & tuo cachinno.* Profecto legendum est:

Dignam naribus, & tuo cachinno.

vt Satyricus, —— *rides ait, & nimis vncis*
Naribus indulges. —— &,
—— *naso suspendere adunco.*

Sic apud Tibullum vicissim naribus pro auribus mutatum erat. *Oscula comprensis naribus eripiet.* Legendum enim *auribus.*

Pro *telo.*] *Protelo* coniunctim legendum. Protelo est quod Iurisconsultus dicit, *in continenti.* De hoc satis in Varronis libros rerum rusticarum diximus.

In Mamurram & Cæsarem LVIII.

Pvlcre conuenit improbis cinædis
Mamurræ pathicóque, Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares vtrisque,
Vrbana altera, & illa Formiana,
Impressæ resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli vtrique,
Vno in lectulo erudituli ambo.
A *Non hic, quàm ille, magis vorax adulter,*
Riuales socij & puellularum:
Pulcrè conuenit improbis cinædis.

ANT. PARTHENIVS.

Pvlchre *conuenit improbis cinædis.*] Satyrico morsu Iulium Cæsarem atque Mamurram Phormianum exagitat: nefandas eorum libidines, rapinas, effeminatásque mollicies, carpens. In hos extat poëtæ illud superius amarulentissimum iambicum, B

Quis hoc potest videre, quis potest pati.

Macvlæ.] infames vitiorum notæ, & eorum auaritias atque rapinas intelligit: aut certe eorum infamia adulteria significat.

Vrbana *altera*] vrbana Cæsaris adulteria, quæ illi in triumpho à militibus versu Fescenino liberè obiecta sunt, vt notat Tranquillus hoc versu,

Seruate vxores, mœchum caluum adducimus.

Illa *Phormiana.*] nam Mamurra fuit Phormianus, vt supra dictum est. C

Impressæ.] i. eorum facie vitáque infami infixæ sunt.

Elventvr.] delebuntur.

Morbosi.] flagitiosi.

Vno *in lect.*] lectum cubicularium dicit, vbi flagitiosas libidines agitant.

Hic.) Mamurra.

Qvam *ille.*) Cæsar.

Vorax.) prodigus, luxuriosus, gulosus, vt supra: *Et si impudicus & vorax & aleo.*

Rivales *socij & pu.*) ordo est, & socij riuales puellularum. D

PALLADIVS FVSCVS.

Pvlchre *conuenit.*) versus est hendecasyllabus. Conuiciatur hoc quoque epigrammate Iulio Cæsari & Mamurræ Formiano: ostendens eos optime congruere, cùm ambo sint cinædi, morbosi, voraces, adulteri, & in amandis puellis, riuales.

Pvlchre *conuenit.*) Cæsar, inquit, & Mamurra bene conueniunt.

Nec *mirum.*) nec res mira est eos. s. bene conuenire. E

Macvlæ.) maculas appellat vitiorum notas.

Vrbana.) Cæsaris.

Formiana.) Mamurræ.

Nec *eluentur.*) nec lauabuntur. alludit autem ad maculas quæ in vestimentis factæ, aqua, vel aliqua alia re elui solent.

Morbosi *parit.*) hoc nisi ad animi morbos referas, Catullus dissentit à Suetonio qui scribit, Cæsarem prospera valetudine fuisse: nisi quod, tempore extremo, animo linqui, atq; etiam per somnium exterreri solebat.

Gemelli.) non re vera gemelli sed æquales.

Voraces.) luxuriosi, gulæ dediti.

A ADVLTER.] Cæsarem adulteriis delectatum indicat idem Suet.

RIVALES *socij.*] riuales & riuini dicuntur æmuli de mulieribus, facta à feris translatione, quæ sitientes cum ex eodem riuo haustum petunt, in prælium contra se inuicem concitantur. Sic Cicero pro Cælio, *sin erit ex illo fonte riualis.*

PVELLARVM.] scribendum est puellularum: vt stet versus.

ACHILLES STATIVS.

B PVLCHRE *conuenit improbis cinædis.*] Pulchre, pro, Bene. Sic ante, *Pulchre concoquitis.* Et Afran. *Pulchre hoc incendi rogum.*

MAMVRRÆ *pathicóque, Cæsariq.*] Mamurram Formianum intelligit. Et distinguendum, Mamurræ pathicóque, Cæsarique. Neque verò Catullus tantum, sed & Bibaculus in Cæsarem scripsit. quod indicant Corneli Taciti verba in IIII. *Carmina,* inquit, *Bibaculi, & Catulli referta contumeliis Cæsarū leguntur. Sed ipse Diuus Iulius, ipse Diuus Augustus, & tulere ista, & reliquere, haud facile dixerim moderatione magis, an sapientia. namque spreta exolescunt; si irascare, agnita videntur.*

C MACVLÆ *pares vtrisque.*] Probra. Lucilius,
Quem scis scire tuas omnis maculásque notásq;.
Et Ausonius in Ecloga,
At contra illecebris maculosam ducere vitam.
Mart. in VIII. in eandem prope sententiam,
Cum sitis similes paréſque vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror, non bene conuenire vobis.

GEMELLI *vtrique, Vno in lectulo.*] Gemellos vocat, vel propter mutuum in flagitiis consensum, quo modo dictum ab Horatio, *Ad cetera pene gemelli.* atque ita distinguendum ab eo quod sequitur. aut Gemellos vno in lectulo non sine summa turpitudine vocat. D

VNO *in lectulo.*] Veniebat etiam in mentem mihi dubitare, an legendum foret, Vnilectuli, vnica voce, vt & Græcis Σύλλεκτροι. auctor Hymni in Rheam, Πότνι' ἀγλαόμορφε, Κρόνου σύλλεκτρε. Tum etiam alibi idem in matrem deum, Κρόνου συνόμευνε. & κοινολεχής, Sophocles in Electra. Solet autem Catullus Συν in compositione in Vni conuertere, namque alibi, Vnigenam simul, aut iisdem natam parentibus dicit. Q. C. in commentario de petitione consulatus eodem prope modo, *Ambo siccarij, ambo libidinosi, ambo egentes.*

E NON *hic, quàm ille, magis vorax adulter, Riuales, socij & puellularum.*] Vellem per manuscriptum aliquem librum distinguere, ac legere liceret hoc modo,
Non hic quàm ille, magis vorax adulter,
Riualis socius puellularum.

M. ANT. MVRETVS.

PVLCHRE *conuenit.*] Cæsaris & Mamurræ amicitiam exagitat, affirmās eam non aliunde, quàm ex vitioru similitudine, cōglutinatam.

A VRBANA *altera, & illa Formiana.*] fortasse, quod Cæsar in vrbe, Mamurra Formiis ætatis suæ teneritudinē alienæ libidini prostituerint.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

RIVALES, *socij &.*] Lego,
Riuales sociei puellularum.
Scriptum *sociei*, antiquitus, pro *socij*, vt *Lucei* pro *Luci* supra. Riuales socij, vt distinguantur à riualibus æmulis.

Ad Cælium, de Lesbia LIX.

CÆLI, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus vnam
Plus, quàm se, atque suos amauit omnes,
Nunc in quadriuiis, & angiportis,
Glubit magnanimos Remi nepotes.

ANT. PARTHENIVS.

CÆLI *Lesbia nostra, Lesbia illa.*] Lesbiæ suæ insatiabiles & multiplices libidines, coitúsque cum populo agitatos, facetè indicat Cælio prætori. Cælius hic est ille Marcus Cælius prætor, pro quo Ciceronis præstans extat oratio.

ANGIPORTIS.] hoc angiportum dicitur, vt Terentius, *illud angiportum non est peruium.* Et *hic Angiportus* Horatius,
Flebis in solo leuis angiportu. vt & scribit Donatus, *angiportus est angusta & curua via.* alij dixerunt quod sit locus angustus, inter portus & domos.

GLVBIT.] excoriat, expoliat. aut enim dicit, Lesbia facta meretrix publica, iuuentutem Romanam spoliat & denudat: aut rem pudendam tangit: nam mulier crissans virilia membra excoriat. Glubit enim significat, denudat & spoliat, erumpit. M. Varro de re rustica, *Gluma videtur habere etymon vocabulum à glubendo, quod eo folliculo deglubetur granum.* Cato in re rustica, *Quæ semen maturum non habebit, quum glubet tempestiua erit.*

MAGNANIMOS.] ironicè.

NEPOTES.] posteros. Remi, pro Romulo posuit. supra, *disertissime Romuli nepotum.*

PALLADIVS FVSCVS.

CÆLI *Lesbia.*] Versus est eius generis cuius superior. Mœstus poëta scribit ad Cælium de turpissimo Lesbiæ amicæ suæ quæstu: quod, lucri dulcedine capta, pluribus sui copiam faciat.

CÆLI.] puto hunc esse Cælium, cuius plurimæ sunt ad Ciceronem epistolæ.

QVADRIVIIS.] quadriuia sunt loca vbi quatuor viæ concurrunt.

ANGIPORTIS.] declinatur hic angiportus & hoc angiportum. sunt autem angiporti viæ in vrbibus angustiores, sicut plateæ latiores.

GLVBIT.] excoriat. Suetonius de Tiberio: A *præsidibus onerandas tributis prouincias suadentibus, rescripsit boni pastoris esse tondere pecus non deglubere.*

MAGNANIMOS *Remi nepotes.*] Remi posteros designat Romanos.

ACHILLES STATIVS.

COELI, *Lesbia.*] Hic est Cœlius Rufus, de quo post plura dicemus.

NOSTRA.] Nostram dicit, quod Cœlius etiam Lesbiam, id est Clodiam, amarit. quæ, opinor, eadem traditur à Plutarcho dicta Quadrantaria.

IN *quadriuiis, & angiportis.*] Vbi contemptissima scorta merebant atque prostabant. Horat. in 1. Carm. in Lydiam,

Flebis in solo leuis angiportu
Thracio bacchante magis sub interlunia vento.

GLVBIT *magnanimos Remi nepotes.*] Eodem verbo, atque hoc ipso in genere vsus est Auson.
Deglubit, fellat, molitur per vtramque cauernam.

M. ANT. MVRETVS.

COELI.] memoriæ proditum ab Appuleio est, puellam, quæ in amoribus ac deliciis huic poëtæ fuit, quamque ipse Lesbiam nominauerit, Clodiam illam, P. Clodij sororem, fuisse; cuius à fratre primum delibata pudicitia, vniuersæ postea iuuentutis Romanæ libidini exposita prostitit. Eius igitur consuetudine cùm M. Cœlius diu, multúmque vsus fuerit; assentior eruditissimo homini, Victorio, qui carmen hoc ad M Cœlium refert.

GLVBIT.] ad Veneream turpitudinem potius, quàm ad fortunarum spoliationem, referri puto.

MAGNANIMOS.] ex contrario intelligendum.

De Rufa LX.

BONONIENSIS Rufa Rufulum fellat
Vxor Menenî, sæpè quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cenam,
Cùm deuolutum ex igne prosequens panem,
A semiraso tonderetur vstore.

ANT. PARTHENIVS.

BONONIENSIS *Rufa fellat.*] Scazone versu Rufi nefariam libidinem amarulente lacerat, qui cuiusdam mulieris magæ os irrumabat: Rufus per simplex F scribi debere signat Martialis, quum hoc nomen quinque tantum literas continere scribat. *Fellare* est mammam lactere & sugere. inde Solinus ait, vbera fellitanda. hinc trahitur fellare mentulam, ore excipere ac sugere, & irrumationem ore pati.

SÆPE *quam in sepulchris.*] hanc mulierem, ad maius Rufi dedecus, magam esse ostendit, quum eam in sepulchris versari dicat. ibi enim magæ ossa magica colligunt, & manes eliciunt, vt scribunt Horatius & Lucanus. Tibullus de muliere magica:

Hæc cantu finditq́, solum, manésque sepulchris
Euocat, & tepido deuorat ossa rogo.

COENAM.] silicernium dicit mortuorum B cœnam, aut mortuorum membra, quibus pro cœna vesceretur, vt Tibullus,

—— & tepido deuorat ossa rogo.

VSTORES.] vstores dicuntur alio vocabulo bustuarij, & hi qui rogis, comburendísque cadaueribus, operam locabant. Vstrina vero dicitur locus vbi rogi fiebant.

TVNDERETVR.] i. percuteretur stipite, aut torre aliquo, verberibúsque abigeretur.

SEMIRASO.] nam vstores illi, sic verticem semirasum habebant, vt nunc sacerdotes.

PALLADIVS FVSCVS.

C BONONIENSIS *Rufa.*] Versus est trimeter iambicus. Duos carpit Catullus Rufulum & Rufam: illum quod depereat Rufam Bononiensem, mulierum pauperrimam: hanc, quod Rufulo multa offerenti se indulgere nolit.

RVFA.] rufi & rufæ vocantur natura rubentes.

FELLAT.] scribendum est fallit. Nam Rufa cùm sciret Rufulum amore sui captum, torqueri: eum posteaquam rem promiserat, fallere gaudebat.

VXOR *Meneni.*] Vxor dicta est quasi vnxor. D Mos namque fuit veteribus Romanis, vt nouæ nuptæ, mariti domum intrantes, ad arcenda veneficia, adipe lupino postes iniungerent.

DE *rogo cœnam*] in rogum non solum odores, sed panes quoque iaciebantur.

TONDERETVR.] vapularet.

VSTORE.] vstores erant qui pyras erigentes mortuos cremabant. Martialis,

Vstórque tedas præferat nouæ nuptæ
Intrare in istum sola fax potest cunnum.

SEMIRASO.] propter ignem vstulato.

ACHILLES STATIVS.

E VIDISTIS, *ipso rapere è rogo cenam.*] In manuscriptis omnibus, *Rapere de rogo cenam.* quod est ipsum probabilius. Nescio, an idem Tibullus significet in 1.

Ipsa fame stimulante furens, escásque sepulcris
Quærat, & à sæuis ossa relicta lupis.

Et in Ibin Ouid.

Et qui debuerat subitas extinguere flammas,
Is prædam medio raptor ab igne petit.

quanquam in aliam hoc dictum sententiam. Suetonius in Vitellio simile quiddam scribit, *Vt autem homo,* inquit, *non profundæ modo, sed intem-*

pessimæ quoq; ac sordidæ gulæ, ne in sacrificio quidẽ vnquam, aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem statim visus, & farra pæne rapta è foco manderet. Artemidorus in IIII. ex eodem genere commemorat. τὰ ἐν ταφαῖς, ἢ περιδείπνοις περιβαλλόμενα.

CVM deuol. ex igne prosequ. panem.] Qui deciderit cibus. Sic Sidonius in III. Epist. ad Apollinarem, *Enimuero illa sordidior, atque deformior est cadauere rogali, quod facibus admotum, semicombustum, móxque sidente strue torrem deuolutum reddere pyræ iam fastidiosus pollinctor exhorret.*

A *semiraso tunderetur vstore.*] Quasi id quoque in cærimoniis fuerit, vstor vt esset semirasus. Mihi verò finis epigrammatis deesse videtur, & eius quod sequitur principium.

M. ANT. MVRETVS.

BONONIENSIS *Rufa.*] Rufam quandam, vt mendicam, & vt fellatricem, notat.

IPSO *carpere è rogo cenam.*] epulas in rogum conijcere solebant: locúmque, in quo illæ comburerentur, culinam vocabant. auctor Festus. Extremæ autem mendicitatis signum est, quod hic affert poëta & tale est illud Terentij,

E flammæ te cibum petere posse arbitror.

SEMIRASO.] ex igne.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

BONONIENSEM *Rufa.*] Hic spurci homines verbum spurcum substituerunt. in quo non solum eos reprehendo, sed etiam quum eorum temeritate, qua hunc locum contaminarunt, ex vno Epigrammate duo non integra facta sunt. Atqui integrum totum hoc epigramma, si veterem lectionem in suas sedes restituas, plane enim exaratum est:

Bononiensem Rufa Rufulum fallat.

Fallare, est fallere. verbum antiquum eodem modo, quo & vanare. Attius Alcmena:

Tanta vt frustrando vanans, lactans, protrahat.

Lactare, Vanare, Fallare, idem prope significare videntur. Id enim est falsa spe producere. est ergo manifesta sententia Epigrammatis Rufam, quæ nuper postremum mendicimonium erat, vt pote quæ è media flamma cibum petebat, nunc delicias facere, ac superbo astu amantis Rufuli preces eludere. Miror tam pueriliter omnes in huius epigrãmatis enarratione lapsos, vt putarẽt hæc esse diuersorum poëmatiorum fragmenta. At quid clarius illo, si veterem lectionem restituas? Si enim considerassent quid esset verbum *Fallat*, & illud, *vt supplicijs vocem*, &c. profecto aliter pronunciassent.

VXOR *Meneni.*] vetus scriptura: *vxor Nemeni.* lege ——— *vxorne Meni.* Horatius:

Menius, vt rebus maternis, atque paternis.

& profecto ἐμφατικώτερον est cum interrogatione. Illane, quæ nuper in sepulchretis rapiebat silicernium? Neque dubium, quin sit is ipse Menius, de quo Horatius scripsit paterna atq; materna bona abligurisse: adeo, vt, propterea dicatur eius vxor coacta silicernia in sepulchretis vorare. De columna Meniana notum.

RAPERE *de rogo cœnam.*] In sepulchretis vstrinæ erant, quæ sepulchris ipsis applicabantur, ad quas culinæ erant. Græci ἀγρούς vocant, in quibus Silicernium, hoc est funebris cœna coquebatur. inter prolusiones Virgilianas:

Neque in culinam, & vncta compitalia,
Dapésque ducis sordidas.

Silicernia autem in illis culinis à pauperibus absumebantur, vt in Græcia τὰ τῆς ἑκάτης δεῖπνα. In illis vstrinis sæpe prostabant scortilla. Artemidorus scribit bonum esse γυναιξὶν ἑταίραις τοῖς ἐπὶ τοῖς καπηλείοις ἑστῶσι μίγνυσθαι, ἐπεὶ τὸ οὐδενὶ ἀρνουμένας παρέχειν ἑαυτάς. quo magis stomachatur Catullus, eam, quæ nemini negaret, Ruffulo negare. Quare hallucinatur is, qui hanc Rufam veneficam esse ait, quod caperet ossa de tepidis rogis, vt illa apud Ouidium:

Raptaque de tepidis colligit ossa rogis.

Nam pauperem & ignobile scortum intelligit.

A SEMIRASO.] vel, vt vetus scriptura, *Ab semiraso.* Vstor νεκροκαύτης redditur à vetere magistro. Id genus hominum seruilis conditionis erat. Horatius:

Hue prius angustis eiecta cadauera cellis
Conseruus vili portanda locabat in arca. Atq; adeo abiectissimũ genus mancipiorũ. Nam eiusmodi semirasi erant, qui ad aliquod opus publicum damnati erant, vt ad molẽdinas, ad remum, ad vilia cadauera efferenda: qui vespillones dicebantur. Artemidorus: ὁπότερον δ᾽ ἂν τῆς κεφαλῆς φίλων ἔχοι τις οὐκ ἐν δ᾽ ἀγαθὸν, ... τὴν εἰς ἔργον δημόσιον καταδίκην. ... Apuleius: *frontem literati, & capillum semirasi, & pedes annulati.* Nam & stigmatias, & catenatos innuit. Martialis:

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores. Idem,
Annulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus.

Horatius: ——— *iamne catenam*
Ex voto Laribus donasset.

LXI.

NVM te leæna montibus Libyßinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreauit, ac tetra,
Vt supplicis vocem in nouißimo casu
Contemptam haberes? ô nimis fero corde!

ANT. PARTHENIVS.

NVM *te leæna montibus Libyßinis.*] Camerij, qui poëtæ preces non admittebat, duram immanitatem atque implacabilem animum conqueritur.

MONTIBVS *Libyßinis.*] in montibus Libyæ immanes & præcipui nascuntur leones: vt apud Virgilium in IIII. Æneidos patet: & Gel. in Androcli historia docet. à Libya, Libycus & Libyssus & Libyssis & Libyssinus deriuantur. de

mirabili leænæ partu legito plura apud Gell. A

Avt *Scylla.*] hoc ex fabula dictum. fertur enim Scylla Phorci Circes odiosis veneficiis pube tenus in latrantia mõstra conuersa, ac sæuissimum Siculi maris periculum facta, itaq; naues illuc transeuntes immanissime absorbens, præcipuæ crudelitatis extat exemplum: vnde Virg.

—*latrantibus inguina monstris.*

Vocem.] preces meas.

Amici.] i. mei qui sum tibi amicus. omnes fere codices, habent animi, repugnante secundo pede, qui iambus esse debet. corrigatur igitur versus sic: *Contemptam amici haberes tam fero corde.* B

PALLADIVS FVSCVS.

Libyssinis.] diximus à Libya, Libycus, Libyssus & Libyssinus deriuari. in Libya autem plurimos ac præcipuos esse leones multorum testantur monumenta.

Avt *Scylla latrans.*] legimus duas Scyllas fuisse, vnam Nisi Megarensium regis, alteram Phorci & Cretidos nymphæ filiam: quam cum Glaucus deus marinus amaret, dum ipse amaretur à Circe & eam contemneret: illa irata, fontem, in quo Scylla se solebat abluere, infecit veneno: in C quem cum descendisset puella, media sui parte in canum latrantium ora mutata est.

Ingvinvm *parte.*] interior coxæ pars inguem vocatur.

Tetra.] tetrum plura significat, fœdum, impium, vitabile, & aliquando amarum.

Vt *supplicis vocem.*] preces Rufuli supplicantis.

Novissimo *casu.*] in ipsa pæne morte.

Contemptam *haberes.*] contemneres.

ACHILLES STATIVS. D

Nvm *te Leæna montibus Libyssinis.*) Leonum enim est Libya, vt Flaccus ait, arida nutrix. Leænæ vero insigni sunt feritate. veteris poëtæ senarius est,

Ἶσον λεαίνης καὶ χιμαιρικῆς ὀμότης.

Crudelem significare cum volumus, non homine satum dicimus. Sic Euripides in Bacchidib. *Τίς ἄρα νιν ἔτικτεν; Οὐ γὰρ ἐξ αἵματος Γυναικῶν ἔφυ. λεαίνας δέ γε τινὸς, ἢ γοργόνων λιβυσσᾶν φύσις.* Theocritus in *δυσέρωτι·*

Ἄγριε παῖ, καὶ στυγνὲ κακᾶς ἀνάθρεμμα λεαίνας. E

A *nimis fero corde.*) *ἀνηλεὲς ἦτορ*, dicit Callimachus in Hymno in Delon,

Ἥρη, σὺ δ' ἐπὶ τῆμος ἀνηλεὲς ἦτορ ἔχουσα.

M. ANT. MVRETVS.

Nvm *te leæna.*) ad quem scribatur hoc carmen, sciri non potest. sed &, fragmentum potius esse, quàm epigramma integrum, existimo.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Montibvs *Libyssinis.*) Male. Lege *Libyssinis.* vt:

—*& pelle Libyssides vrsæ.*

In nuptias Iuliæ & Manlij. LXII.

Collis ô Heliconij
Cultor, Vraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe.

B *Cinge tempora floribus*
Suaue olentis amaraci.
Flammeum cape. lætus huc
Huc veni, niueo gerens
Luteum pede soccum:

Excitúsque hilari die,
Nuptialia concinens
Voce carmina tinnula,
Pelle humum pedibus, manu
C *Pineam quate tædam.*

Namque Iulia Mallio,
Qualis Idalium colens
Venit ad Phrygium Venus
Iudicem, bona cum bona
Nubit alite virgo.

Floridis velut enitens
Myrtus Asia ramulis,
D *Quos Hamadryades Deæ*
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore.

Quare age, huc aditum ferens
Perge linquere Thespiæ
Rupis Aonios specus,
Lympha quos super inrigat
Frigerans Aganippe:

Ac domum dominam voca,
E *Coniugis cupidam noui,*
Mentem amore reuinciens,
Vt tenax edera huc, & huc
Arborem implicat errans.

Vos item simul integræ
Virgines, quibus aduenit
Par dies, agite, in modum
Dicite: ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe.

Vt lubentius audiens,
Se citarier ad suum

Munus, huc aditum ferat,
Dux bone Veneris, boni
Coniugator amoris.
Quis Deus magis ah magis
Est petendus amantibus?
Quem colant homines magis
Cælitum? ô Hymenae Hymen,
Hymen ô Hymenae.
Te suis tremulus parens
Inuocat: tibi virgines
Zonula soluunt sinus:
Te tumens cupida nouos
Captat aure maritos.
Tu fero iuueni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris è gremio suæ
Dedis, ô Hymenae Hymen,
Hymen, ô Hymenae.
Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet
Commodi capere: at potest,
Te volente, quis huic Deo
Comperarier ausit?
Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe dicier: at potest,
Te volente. quis huic Deo
Comperarier ausit?
Quæ tuis careat sacris,
Non queat dare præsides
Terra finibus: at queat
Te volente. quis huic Deo
Comperarier ausit?
Claustra pandite ianuæ:
Virgo adest. viden', vt faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris, abit dies.
Prodeas, noua nupta.
Tardat ingenuus pudor,
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.
Sed moraris, abit dies.
Prodeas, noua nupta.
Flere desine: non tibi
Aurunculeia periculum est,

A *Nequa femina pulcrior.*
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Diuitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies.
Prodeas, noua nupta.
Prodeas, noua nupta, si
B *Iam videtur, & audias*
Nostra verba. viden'? faces
Aureas quatiunt comas.
Prodeas, noua nupta.
Non tuus leuis in mala
Deditus vir adultera,
Probra turpia persequens,
A tuis teneris volet
Secubare papillis:
C *Lenta quin velut assitas*
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. sed abit dies.
Prodeas, noua nupta.
O cubile, quot omine
Candido pede lectuli.

* * *
* * *
* * *

D *Quæ tuo veniunt hero,*
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat? sed abit dies.
Prodeas, noua nupta.
Tollite, ô pueri, faces:
Flammeum videor videre.
Ite, concinite in modum,
O Hymen Hymenae Hymen,
E *Hymen ô Hymenae.*
Neu diu taceat procax
Fescennina locutio:
Neu nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris iners
Concubine: satis diu

Lusisti nucibus: lubet
Iam seruire Thalassio.
Concubine, nuces da.
Sordebant tibi villicæ
Concubine hodie, atque heri.
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miser, â miser
Concubine, nuces da.
Diceris male te à tuis
Vnguentate glabris marite
Abstinere: sed abstine.
Io Hymen Hymenae io,
Io Hymen Hymenæ.
Scimus, hæc tibi, quæ licent,
Sola cognita: sed marito
Ista non eadem licent.
Io Hymen Hymenæ io,
Io Hymen Hymenææ.
Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, caue ne neges,
Ne petitum aliunde eat.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenæe.
En tibi domus vt potens,
Et beata viri tui,
Quæ seni tibi seruiet.
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Vsque dum tremulum mouens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenææ.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilémque subi forem.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenææ.
Aspice, intùs vt accubans
Vir tuus Tyrio in toro,
Totus immineat tibi.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenææ.
Illi non minùs, ac tibi
Pectore vritur intimo
A *Flamma, sed penitè magis.*
Io Hymen Hymenææ io,
Io Hymen Hymenææ.
Mitte brachiolum teres
Prætextate puellulæ,
Iam cubile adeat viri.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenææ.
Vos bonæ senibus viris
B *Cognitæ bene feminæ,*
Collocate puellulam.
Io Hymen Hymenæe io,
Io Hymen Hymenææ.
Iam licet venias marite:
Vxor in thalamo est vbi
Ore floridulo nitens,
Alba Parthenice velut,
Luteúmve papauer.
C *Non diu remoratus es.*
Iam venis. bona te Venus
Iuuerit, quoniam palam
Quod cupis, capis, & bonum
Non abscondis amorem.
At marita tuum tamen
Celites, nihilo minus
Pulcra res: neque te Venus
Negligit. sed abit dies.
D *Perge, ne remorare.*
Ille puluis Erythræi,
Siderúmque micantium
Subducat numerum priùs,
Qui vestri numerare vult
Multa millia ludi.
Ludite, vt lubet, & breui
Liberos date. non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
E *Semper ingenerari.*
Torquatus, volo, paruulus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem,
Sed micante labello.
Sit suo similis patri
Manlio, & facile insciis

Noci-

Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.
Talis illius à bona
Matre laus genus adprobet,
Qualis vnica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopæo
Claudite ostia virgines.
Lusimus satis. at boni
Coniuges bene viuite, &
Munere adsiduo valentem
Exercete iuuentam.

ANT. PARTHENIVS.

COLLIS *Heliconij.*] Epithalamion hoc poëta in Iuliæ nobilis Romanæ, ac Mallij Torquati auspicatissime cantauit. Epithalamion, id est nuptiale carmen. Apud Latinos primus auctor, cuius memoria litteris tradatur, Catullus noster affertur. huius felix secutus auspicium Ouidius Fabij cuiusdam Maximi nuptias carmine celebrauit: vt ipse poëta eundem Fabium, quadam in epistola elegãter alloquens, sic indicauit.

Ille ego qui dixi vestros hymenæon ad ignes,
Et cecini fausto carmina digna toro.

Hos poëta secutus tertius quantum litterarum monumentis extet Papinius Violantillæ Neapolitanæ matronæ: ac Stellæ nobilis poëtæ venustissimum coniugium huiusmodi carmine nobilitauit. apud Græcos verò, vt ex eorum scriptis colligi potest, primus Apollo nuptiale carmen cecinisse traditur: qui, vt Plato, ex Æschyli tragœdia verba recitans, demonstrat, Tethidis & Pelei nuptias, non satis auspicato cantu celebrauit. In hoc epithalamio, imitatione dignissimo, poëta primum inuocat Hymenæum ad has nuptias auspicatissime celebrandas: Deinde fausto carmine coniugij munera concinens, omnes antiquarum nuptiarum ritus, elegantissime demonstrat.

VRANIÆ *genus.*] Hymenæum ex vrania musarum vna genitum dicit, & ideo eum Heliconis musarum natalis soli cultorem & habitatorem fingit: Martianus autem Capella in primo carmine de Mercurij nuptiis, scribit Hymenæum Veneris & Bacchi fuisse filium.

HELICONII *collis.*] Helico Boetiæ mons est, Parnasso æmulus: assurgit à Parnasso, tamen aliquantum distat: vterque niuibus pulsatur: Musis natale solum est. Strabo & Plin. testantur.

RAPIS.] bene rapis. nam, vt scribit Festus, Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, proxima necessitudine quum ad virum traditur: quod videlicet ea res feliciter Romulo cesit. poëta infra, *qui natam possis complexu*

A *auellere matris.* item rapi etiam fax dicitur in nuptiis, qua prælucente noua nupta deducta est ab vtriusque amicis: ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat: aut vir in sepulchro comburendam curet: quo vtroque mors propinqua alterutrius captari putatur.

HYMEN, *ô Hymenæe, hymen.*] versus intercalaris, boni auspicij causa frequenter repetitus, Ex illo in Casina Plautino sumptum videtur: *age tibicen dum nouam nuptam foras ducunt, cantu concelebra omnem hanc plateam Hymenæo. Io Hymen, Hymenæe, ô Hymen.*

CINGENTEM *tempora floribus.*] nam sertis
B redimitus semper nuptiis interesse fingitur.

AMARACI.] Amaraci regij pueri, fabulam recitat Seruius in primo Æneidos. herba est amaracus suauissima, samsucus, alio vocabulo, appellata: nunc maioranam puto vocari. De amaraco siue samsuco legas Plinium libro. XXI. cap. XI.

FLAMEVM.] quo nouæ nuptæ caput ad pudorem demonstrandum obtegitur. est autem velamen flamei, id est, rubri coloris, & inde denominatum. Plinius lib. XXI. cap. VIII. *Lutei video honore antiquissimum in nuptialibus flameis totum fœminis concessum.*

LÆTVS.] causa boni auspicij: nam nisi lætus
C intersit nuptiarum, infœlicem exitum demonstrat, vt in Orphei & Eurydices nuptiis factum est.

PELLE *humum pedibus.*] saltationis diffinitio: Horatius.

Gaudet inuisam pepulisse fossor
Ter pede terram:
& alibi
Alterno pede quatiunt terram.

CARMINA *nuptialia.*] Epithalamion Græcè, Latinè nuptiale carmen dicitur. Appellabant item antiqui carmen Fescenninum, vt scribit Festus, quod iocis mordacibus plenum, in spon-
D sum proferebatur, ab vrbe Sabia seu Osca Fescennia. de quo Lucanus inquit,

——*Nec more Sabino*
Excepit tristis conuicia festa maritus.

TINNVLA.] acuta. vocabulum est ficticium à vocis sono, æreis instrumentis eliso.

SPINEAM *quate tedam.*] omnes codices, quos adhuc legerim, habent pineam: sed ego, duabus rationibus motus, correxi legendum esse spineam. primũ ex pinu faxini fumosa, & propterea nuptiis luctuosa esse non potest: quod à Catullo ad nuptias inuocari est impiissimum. Præterea Plinius de arbore nominata spina scribit. *In eosdem situs comutatur & spina, nuptiarum*
E *facibus auspicatissima, quoniam inde fecerint pastores qui rapuerunt Sabinas, vt Autor est Massurius. Nunc facibus, carpinus & corylus familiarissima.* Festus scribit, ex spina quæ alba dicitur, faces fieri solitas. legito Festum in vocabulo Patrimi. Quinque autem neque plures neque pauciores fuisse nuptiarum faces, multis de causis scribit Plutarchus in quæstionibus: legito eum. item de facibus Festus scribit, *Facem in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque spargebatur noua nupta, siue vt casta, puraque ad virum veniret, siue vt*

ignem atque aquam cum viro communicaret. Lactantius lib. II. *aquam & ignem in nuptiis praferri solitum*, ait, *ad significandam liberorum procreationem: quoniam omnis genitura calore & humore constat*: Seruius lib. IIII. ex M. Varonis auctoritate diuersa tradit.

IDALIVM.] Cypri nemus, vt scribit Plinius, & testatur Seruius, Veneri sacrum. Magna Iuliæ sponsæ laus, quæ Veneri pulchritudinis deæ, comparetur.

VENIT *ad Phrygium.*] Nam tunc Venus, vt reliquis deabus præferretur, omni studio & arte se multo pulcherrimam ostendere conata est.

BONA *alite.*] bono auspicio: sine quo, neque publicè, neque priuatè quicquam apud antiquos gerebatur aut initium habebat: Cicero, Liuius, Valerius, scribunt, inde nuptiarum copulatores auspices nuncupati sunt. Iuuenalis,

Veniet cum signatoribus auspex. Et Lucanus.

——*Contentique auspice Bruto.*

ALITE.] pro auspicio: Sic Horatius:

Scriberis vario fortis & hostium
Victor Meonij carminis alite.

MYRTVS *asia.*] hunc locum deprauatum esse certum est, quum nusquam constet quænam sit Asia myrtus. ita asseuerauerim legẽdũ esse Agia, cuius verbi similitudine decepti librarij Asia legendu, sed falso præbuerunt. Tria nãque myrti genera Cato & Plinius prodiderunt; candidam, nigram & coniugalem. hæc à Græcis μυῤῥὶς ἁγία, id est, myrtus sancta dicitur: quia nuptiis & coniugio dicata sit. Itaque litteris quidem Græcis μυῤῥὶς ἁγία. legendum puto. plura de myrti generibus legito apud Plinium lib. XV.

HAMADRYADES *deæ.* nymphæ, quæ vna cum arboribus & nascuntur & pereunt: Syluarum enim nymphæ sunt.

QVARE *age huc aditum ferens.*] conclusio inuocationis.

THESPIÆ *rupis.*] Thespie vrbs est Bœotiæ. liberum enim oppidum, ait Plinius. Thespis vir fuit nobilis Atheniensis Erichthei filius qui imperans ei, quæ ab ipso denominata est, regioni, ex pluribus fœminis filias genuit quinquaginta. plura legito apud Diodorum Siculum libro quinto. Thespias nobilitauit Cupido Praxitelis opus, suis manibus sculptum. Donum vero consacrauit Thespiensibus Glycerium meretrix.

THESPIÆ *rupes.*] Bœotij Heliconis.

SPECVS.) antrum Corycum, in monte Parnasso: vnde musæ Corycides dicuntur.

AONIOS.] Bœotios nam prius Aonia deinde Bœotia dicta est.

NYMPHA.] quasi νύμφη.

AGANIPPE.] fontes in Bœotia siue Aonia plurimi sunt. Plinius, *Praterea fontes in Bœotia, Aedipodia, Psammate, Dirce, Epigranea, Arethusa, Hippocrene, Aganippe, Gargaphie.*

DOMINAM.] ex amantium consuetudine dixit qui amicas vocant dominas, vt in primo epigrammate dictum est. aut dominam, matrem familias intelligas.

TENENS.] amplectens: Horatius.

Arctius atque hedera procera
Astringitur ilex lentis adhærens brachiis.

A INTEGRÆ.] intactæ, sed viris desponsatæ: quæ nouam nuptam ad virum comitamini: & ideo quibus aduenit, id est, instat.

PAR *dies.*] scilicet thalami ac nuptiarum ineundarum.

IN *nodum.*] in choream rotundam. saltationis genus tangit. Virgines vt Hymenæum concinant hortatur. An tangit virgines patrimas & matrimas à quibus noua nupta deducebatur ad virum.

AD *suum munus.*] ad coniugium deuinciẽdum.

DVX.] auctor, præses.

B BONÆ *Veneris*] Iusti coitus, qui est in solo matrimonio legitimo: extra cuius terminos, nulla venus probari potest.

BONÆ.] legitimæ, iustæ: pro humanis & diuinis legibus & institutis.

BONI *amoris.*] honesti & recti, qui est coniugalis amor.

QVIS *deus.*] non Cupido neque Venus neque alius quisquam, sed Hymenæus tantum.

SVIS.] scilicet, filiabus.

TIBI *virgines zonula soluunt sinus.*] in gratiam & honorem tuum virgines, virginale, siue ventris claustrum, dissoluunt: Nam vt superius in

C passere dictum est, cingulo quodam noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum lana ouis. Plura legito superius & apud Festum.

SINVS.] pro gremio posuit. Nam eo cingulo gremium deuinciebatur: Est item vestimenti genus quo puerorum pectora induebantur. Papinius in syluis.

Nunc herbas imitante sinu

id est, thoracis indumento.

SOLVVNT.) per diæresim trisyllabum est, vt superius,

Qui zonam soluit diu ligatam.

TE *timens.*] id est, timens officium tuum, in

D primo compressu, durum virginibus.

CAPTAT.] eligit: nam capere est eligere, Virgilius.

Aut capere aut captas iam despectare videntur.

TIMIDA *aure.*) idest, ipsa puella timida, ne malum maritum eligat, aut timide, de singulis iuuenibus, qui suum expectant coniugium.

AVRE.) auditu ipso quo bene disquirit, ne iuuenem, in res venereas nimis ferum & proteruum, eligat.

MATRIS *à gremio suæ dedis.*] Antiquarum nuptiarum ritus singulatim exprimit: Nam vt ex Festi præscripto est supradictum, & Catullus

E infra expressit, scribens:

Qui natam possis complexu auellere matris:
Et iuueni ardenti castam donare puellam.

Rapi simulatur Virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum traditur: quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.

In omnibus fere codicibus deest hic versus.

Dedis ô Hymenæe Hymen:

sed addendus est vt sensus stet hoc modo, Tu dedis fero iuueni puellulam in manus à gremio matris suæ: quem versum si detrahas, neque sensus stabit, neque ordo Catullianus: Nam poeta

in hoc carmine nunquam Hymenæum nominat nisi duobus contiguis versibus eum inuocet: vnde apparet librariorum errore ademptum esse priorem quem posui versum.

NIL *potest sine te Venus fama quod bona comprobet commoda capere.*] Instantia & cōmemoratio est honestatis coniugalis; quam bonam venerem & bonum amorem in coniugio supra dixit, nunc commodum bona fama comprobandum ait.

HVIC *Deo.*] Hymenæo.

QVIS.] nemo deorum aut hominum.

DOMVS.] familia: Virgilius

Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur oris.

LIBEROS.) filios, legitimo matrimonio genitos. Liberos, veros filios: Liberos tam fœminas quam mares antiquorum proprietas intellexit. Item appellatione liberorum vnum filium, siue etiam vnam filiam intelligere possumus. legito Gellium in noctibus Atticis.

NEC *parens stirpe deuincier.*) scilicet potest: Sensus est, nulli parentes sobolis procreatione sanguinem aut nomen suum senecta periturum propagare possunt, sine legitimi coniugij vinculo: Nam filij non legitimè concepti, neque patris genus, neque hereditatem sequuntur: maternamque tantum cognationem & cognomen sequi possunt: & hoc legibus ciuilibus singulariter constitutum ac sancitum est.

STIRPE.) prolis successione. Stirps propriè dicitur de descendentibus & posteris: vnde parentum nostrorum genus, eorum Stirpem appellare possumus.

DEVINCIER.) propagari.

QVÆ *tuis careat sacris non queat dare præsides terræ finibus.*) Aut dicit in fœdere inter populos iungendos, dari non possunt obsides, nisi sint iusto matrimonio concepti: & tunc præsides pro obsidibus intelligas: aut certe ait, magistratus & prouinciarum, seu regnorum administrationes, non dari nisi hominibus legitimè natis.

FINIBVS.) regnis, regionibus, prouinciis. terminos pro toto locorum spatio posuit: vt Virgilius.

Finibus expulsum patriis noua regna petentem.

PANDITE.) ô ianitores.

CLAVSTRA *ianuæ.*) id est ianuam Manlij clausam.

COMAS.) flammarum apices, qui sunt facum comæ.

SPLENDIDAS.) Splendidè ac clarè lucentes. Iudicium est fausti coniugij, quum faces nuptiales claras edunt flammas.

QVATIVNT.) vibrant ob agitationem puerorum portantium.

TARDET *ingenuus pudor.*) cum interrogatione seu percontatione legendum est, tanquam diceret, & si pudor honestatis indicium est, tamen tantum erit connubij commodum, vt Virginalis pudor opprimi debeat.

INGENVVS.) Ingenitus vel generosus, nam pudor virginitatis est comes.

TARDET?) retineat ne? quasi dicat non.

QVEM *audiens.*) cui pudori obtemperans aliquantum.

QVOD.) quia.

IRE.) ad virum transire.

NECESSE *est.*) parentum iussu & connubij peractis cogentibus.

FLERE *desine.*) exhortatio humana, vt non timeat ad virum prodere, ac faciem suam, quæ hactenus celata fuit, detegere: quum nulla puella sub Sole pulchrior inueniatur.

HERCVLEIA.) filia Herculeij. hic mihi videtur fuisse L. Herculeius Sertorij in bello quæstor, qui quum L. Manlium proconsulem, & M. Antonium legatum prælio vicisset, postea à Q. Metello proconsule cum exercitu cæsus fuit.

TALIS *in vario solet.*) aptissima pro venustate demonstranda comparatio.

DIVITIS *domini.*] & ideo bene culto horto. Cultura hortorum claruerunt Alcinous, Hesperides, Superbus Tarquinius, Cyrus, Epicurus hortorum magister. legito Plinium.

FLOS *hyacinthinus.*) Hyacinthi in florem conuersi fabula ab Ouidio latissimè narratur. Eius radix bulbacea mangonicis venaliciis pulchre nota, quæ, in vino dulci illita, pubertatem coercet & non patitur erumpere. Plura legito apud Plinium lib. xxi.

PRODEAS.) Procedas ad mariti ianuam: aut prodeas, exeas, hoc est, te detegas abiecto flammeo, & ingredere sponsi domum.

NOSTRA *verba.*) nostrum carmen Fescenninæ licentiæ plenum.

AVREAS *comas.*) bonum augurium futuræ in coniugio felicitatis.

AVREAS.) splendidas, quale aurum.

NON *leuis tuus.*) Fescenina carmina exorditur, & est sensus: Vir tuus deinceps non erit illicitæ veneris varietate detentus, sed constans perseuerans inter coniugij terminos à tuo complexu non alienabitur.

NON *leuis.*) Constans & stabilis in matrimonij fœdere.

MALA.) impudica.

ADVLTERA.) mœcha. pellice.

PROBRA.) Improbanda adulteria.

SECVBARE.) seorsum cubare.

PAPILVLIS.) quæ delicatissimæ & iocundissimæ sunt.

LENTA *quæ velut adsitas.*) Sensus & ordo est: Vir tuus implicabitur in tuum complexum, velut lenta vitis quæ implicat arbores adsitas: & est lepidissima similitudo.

LENTA.) flexibilis.

ADSITAS.) iuxta sitas, & prope plantatas.

ARBORES.) vt populos, vlmos, & alia vitium pedamenta, quæ tanquam mariti sunt vitibus; est enim apta & frequens locutio inter coniugium & vitis societatem: Horatius,

Ergo aut adulta vitium propagine altas
Maritat populos.——

O CVBILE *quod omnibus candido pede lecti, Quæ tuo veniunt hero.*] Sensus est, O cubile Manlij gaudeas, quia quàm plurima & quàm optima atque maxima gaudia omnibus lectis venient ad tuum herum Manlium.

O cvbile.] ordo est, ô cubile gaudeas. A

Qvot.] scilicet gaudia, subaudias ab inferiori.

Qvæ.] qualia, quàm optima gaudia.

Qvanta.] quàm maxima: & quæ, & quanta interrogatiuè legas.

Omnibvs *lectus.*] scilicet tui domini.

Candido *pede.*] felici accessu: & fausto pede, Veniunt pedem, & passum seu gradum, pro aduentu & accessu, poëtæ frequenter posuerunt. Iuuenalis

Quid tam dextro pede concipis:
Vt te conatus non pœniteat?

Ouidius in III. Metamorph. B

Quem postquam Tyria lucum de gente profecti
Infausto tetigere gradu.

Sic alibi poëta pro felici aditu mollem pedem dixit,

Quo me molli candida diua pede
Innixa arguta constituit solea.

Nocte *va.*] aut in qua hominum libidines vagantur; aut manibus & vmbris vagantibus concessa.

Gavdeas.] in omnibus fere Catullianis codicibus legitur, Gaudeat, sed satis imprudenter, ne dicam imperite: Nam & O, vocantis & tuo, pronomen, quod nisi ad secundam personam non profertur, docent legendum esse C gaudeas: nec possumus illud pronomen, tuo, ad sponsam referre: sed tuo hero ad cubile per apostrophen protulit.

Tollite.] aut extollite & eleuate: aut tollite, auferte & remouete faces, quia iam aduentat sponsa.

Pveri.] *patrimi & matrimi pueri tres adhibebantur in nuptiis, vnus qui facem præferret ex spina alba, quia noctu nubebant: duo qui nubentem tenebant.* hæc Festus. Plutarchus tamen vt supra dictum est: nuptiales quinque, nec plures nec pauciores, fuisse tradidit. Vnius item facis nuptialis meminit Papinius in Stellæ Violantillæ epithalamio: D

—— dat Iuno verenda
Vincula & insignis geminat concordia tela.

In *modos.*] in numeros & versus, quos & Iuuenalis modos appellauit: *Nectit quicumque canoris Eloquium vocale modis, laurumque momordit.*

Ite.] ô pueri & iuuenes: ab his enim fescenini versus in sponsos decantabantur.

Fescenina *locutio.*] *Fescenini versus, qui in nuptiis canebantur, ex Fescenina vrbe Campaniæ dicuntur allati; siue ideo dicti, quia fascinum arcere putabantur.* hæc Festus. hi autem versus omnium E venerearum lasciuiarum opprobriorumque plenissimi erant: & ideo poëta procacem, id est lasciuam & petulantem locutionem appellauit: vt Lucanus.

Conuicia non soliti lusere sales. nec more Sabino
Excepit tristis conuicia festa maritus.

Nec *nuces pueris neget.*] pueri concubini seu cinædi deponentes nefandissimum libidinis seruitium spargebant nuces, quæ puerorum ludi erant, ad significandum libidinis seruitium, & cætera puerilia iam à se relinqui. Nuces puerorum ludum fuisse testis est Martialis scribens:

Iam tristis nucibus puer relictis
Et blando male perditus fritillo: & alibi.
Alea parua nuces & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.
Persius.
Et nucibus facimus quæcunque relictis:

Nuces itẽ in nuptiis spargebantur: Cuius rei rationem hanc fuisse scripsit Marcus Varro. Vt Iouis omine celebretur matrimonium: vt nupta matrona sit, sicut Iuno: Nuces enim in Iouis tutela sunt: vnde & iuglandes sunt appellatæ, quasi Iouis glandes: Illud autem vt ait Seruius vulgare est, Ideo spargi nuces vt à rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellæ vox virginitatem amittentis possit audiri. Hanc tamen vulgarem de nucibus opinionem secutus est Plutarchus, Et Iuuenalis tetigit scribens:

——audiat ille
Testarum crepitus cum verbis.

Plinius autem libro quintodecimo aliam attulit de nuptiarum nucibus sententiam, his verbis. *Nuces iuglandes quamquam & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites, multum pineis minores vniuersitate, eadẽmque portione ampliores nucleo: necnon & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, puluinati primum calicis, mox lignei putaminis. Qua causa nuptiis eas fecit religiosas, tot modis fœtu munito: quod est verisimilius, quam quia cadendo tripudium sonumve faciant.* hæc ille. Catullus igitur duplici de causa iubet à concubino Manlij, nuces dari pueris sparsuris per tabulata seu pauimenta: Videlicet vt significet se iam à libidinoso Manlij seruitio liberatum & emeritum: atque, vt de nuptiarum more, nuces illas à concubino relictas, spargant pueri.

Satis *diu lusisti nucibus.*] satis diu puerilia seu muliebria passus es. Iam fias vir necesse est: quum dominus tuus vxorem ducat.

Lvbet.] Manlio domino tuo.

Thalassio.] nuptiis matrimonio: nec amplius cinædos sequi. Thalassij nomen in nuptiis Romani crebro inuocabant, vt scribit Plutarchus, aut propter lanificium, quod quassillum vocant Romani, & Sponsam introducentes pellem ouinam substernunt, aut verum est id quod historici tradiderunt adolescentem quendam in rebus bellicis strenuum & in primis præclarum, & alioquin virum optimum, Thalassium nomine Romę fuisse: Sed posteaquam Romani Sabinorum filias, quæ ad ludos venerant, de composito rapuissent: Virgo egregia specie Thalassio ferebatur à popularibus quibusdam, & Thalassij clientibus clamantibus quo tutius eam auferrent, nec quisquam accederet, qui eam distraheret, violaretque puellam, Thalassio ferri. Reliqua igitur multitudo, Thalassij honoris causa, bonis ominibus, & votis puellam prosecuta, ad Thalassium deduxerunt. ex illo, quoniam nuptiæ felices fuissent, solemne permansit: Et quemadmodum Græci Hymenæum, ita Latini Thalassium ominis boni causa in nuptiis nominarent: hæc Plutarchus: Sane notandum quod Thalassius & Thalassus dicitur, Martialis

Nec tua defuerint verba Thalasse tibi:

Et Thalassionem legimus apud eundem.

Quid si me iubeas Talassionem
Verbis dicere non Talassionis:

SORDEBANT.] sordidæ videbantur, displicebant, spernebantur: Virgilius Buc.

Et faciam quoniam sordent tibi munera nostra.

Papinius sylua secunda,

Digna dea sedes nitidis nec sordet ab astris.

VILLICÆ.] quarum amores & Venerem aspernabaris, quum, domini indulgentia, flueres deliciis.

NVNC.] quoniam nullo medicamento, dominus tuus pubertatem aut barbam tuam pululantem coerceat: nec te imberbem esse studeat efficere.

CINERARIVS.] Cinerarij & ciniflones dicuntur tonsores, à conflandis calamistrorum cineribus: in quibus calamistra, ad iuuenum puellarumque capillos vibrandos, calefaciebant, vt scribit Porphyrio: Varro item ait, calamistrum, quo calefacto in cinere capillus ornatur. qui ea ministrabat à cinere cinerarius est appellatus: Horatius ciniflones nominauit:

Custodes lectica ciniflones parasita:

Martialis

Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

DICERIS *male te à tuis.*] apostrophe ad sponsum ioco fescenninaque dicacitate permixta.

VNGVENTATE.] quod indicium est effœminatæ libidinis.

TVIS *glabris.*] tuis imberbibus cinædis: Glaber depile & imberbem significat: Nam cinædi medicaminibus quibusdam barbam & pubertatem erumpentem coercebant: aut iam pululantem pumicibus eradebant: Iuuenalis

Catanensi in pumice lumbum
Squallentes producis auos. Martialis:
Sit nobis ætate puer non pumice leuis.

hoc & Plinius de pumicibus scribens testatur.

SCIMVS *hæc quæ licent.*] fescennina mordacitate ait, Manlio sola puerorum stupra hactenus fuisse cognita, non autem muliebres coitus adhuc nouisse: sed mox cum sit factus maritus, nullam puerilis libidinis licentiam habebit.

HÆC *quæ licent.*] puerorum amores, qui lege, quæ prius Scantinia, postea Iulia dicta fuit, Catulli temporibus nondum, prohibebantur. Etiam Iuliam appellari patet instituta de publicis iudiciis & ff. ad legem Iuliam.

SCIMVS.] ordo est, scimus hæc sola quæ licent esse tibi cognita: sed tibi marito facto, ea non licent.

HÆC *sola.*] stupra scilicet puerorum quæ adhuc licebant, nulla lege prohibente.

SOLA.] nam puellarum violatio iam legibus prohibebatur.

COGNITA.] familiaria, vsitata.

EADEM.] puerorum stupra.

NVPTA *tu quoque quæ tuus.*] coniugali lege vxor cogitur in omnibus coniugalibus marito parere.

ALIVNDE.) ab adultero:

EN *tibi domus vt potens.*) gratulatur Iuliæ quod iam statim facta erit materfamilias: Nam vt scribit Gellius, materfamilias appellata est ea sola quæ in mariti manu mancipioque esset, quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti in sui heredis locum venisset: Matronæ autem alia est significatio, legito Gellium.

DOMVS *potens.*) familia nobilis.

BEATA.) diues.

SINE *fine.*) perpetuo matrimonio: vt Virg.

Connubio iungam stabili propriamque dicabo.

VSQVE *dum tremulum mouens.*) cum superioribus coniungatur, sed ordo turbatus est intercalari versu. ordo enim verus & rectus est, quæ domus sine vt seruiat tibi, vsque dum tremulum.

QVÆ.] domus Manlij.

SINE.) permittas, concedas, patiaris.

VSQVE *dum.*) donec, quousque.

ANILITAS.) senectus.

CANA *tempus.*) habens tempora cana. figura notissima poëtis, aut mouens tremulum tempus, & est pars pro toto capite.

OMNIA.) commoda cuncta.

ANNVIT.) concedit.

OMNIBVS.) hominibus.

TRANSFER *omine cum bono.*) puellam ianuæ appropinquantem, vt de more viri domum ineat, hortatur. Apud priscos nuptiarum ritus religiosus erat, ne sponsa mariti domum ingrediens pedibus limen ostij tangeret, quoniam, vt scribit Plutarchus, Romani qui primas mulieres rapuerunt, sic eas domibus intulerunt, non ipsæ ingressæ sunt: siue quod eo inuitæ ingredi videri volunt, vbi pudicitiam sunt amissuræ: An hoc potius signum est, ipsam sua sponte domum non exituram, nec suos relicturam fuisse, nisi cogeretur, quemadmodum vt coacta ingressa esset. Aliam, & fortasse probabiliorem, opinionem de limine euitando affert Seruius in secundo Æneidos; quod vestibulum ianuæ sit consecratum Vestæ, vnde nubentes puellæ non tangunt limen, ne locum numini dicatum calcantes sacrilegium committant.

TRANSFER.] ordo est: fer aureolos pedes trans limen cum bono omine.

FER.] duc, Lucanus de hoc:

Translatáque vetat contingere limina planta.

Plautus in Cassina, *sensim super attolle limen pedem noua nupta, & sospes iter incipe.*

RASILEM.] rasam, politam.

FOREM.] raro in singulari numero inuenitur. Ouidius tamen in fastis posuit,

Custos in fore nullus erat.

ASPICE.] congratulatio consolationis causa.

ACCVBANS *tyrio in toro.*] hic mos nunc non seruatur, nam antiquitus vir, in sede ornata locatus, sponsam domi ingredientem expectabat, amplexuque excipiebat.

TORO.] sede, Virgilius

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

VNVS.] solus aut præcipuus.

TYRIO.] purpura strato.

TOTVS.] animo & corpore.

IMMINEAT.] in te accipiendam amplexandamque sit intentus.

ILLI *non minus ac tibi.*] exhortatio à pari amore maritali.

AC *quam vritur.*] amore ardet vehementi.

FLAMMA.] igneus amor.

SED *penite magis.*] magis penitus, hoc est interius vritur: magis scilicet quàm tu.

PENITE.] pro penitus quod valde intus significat.

MITTE *brachiolum teres.*] puerum paranymphum hortatur, vt sponsam cubiculo appropinquantem, sub brachio capiens in viri thalamum perducat.

PRÆTEXTATE.] puer enim aliquis prætextatus fiebat paranymphus, sponsamque in viri lectum ducebat ac discalciabat: de hoc vocabulo prætextato, multa legito apud Macrobium.

MITTE.] pro immitte, iniice.

PVELLVLÆ.] Sponsæ.

IAM *cubile adeant viri.*] sensus est, iam est tempus felices hic maneant, vt puellam in mariti lecto de more collocent: Sponsus, teste Plutarcho, in quæstionibus, primùm sponsæ non in luce, sed in tenebris iungitur: siue quod eum pudet, quia antequam coeat alienam putat: siue quod ad propriam verecunde accedere meditans assuefacit: siue, vt Solon scripsit, sponsam, malo Cydonio degustato, thalamum ingredi solitam, vt primus complexus nihil triste aut iniucundum haberet.

IAM *nunc.*] quia nox sit concuba.

SEDIBVS *vnis.*] vno in lecto cum sponso: alij legunt imis, id est, in imo lecto & cubili.

BONÆ *cognitæ pronubæ.*] feliciter notæ in nuptiis faustis copulandis.

IAM *licet venias marite.*] versus hypermetrus, qui excusatur propter sequentem à vocali incipientem.

IN *thalamo.*] In geniali lecto, à θάλλω quod est germino.

PARTHENICE.] virgo: Nam Græce ὁ παρθένος καὶ ἡ παρθενικὴ dicitur virgo: Hesiodus. καὶ διὰ παρθενικῆς ἁπαλόχροος οὐ διάησι. aut *Parthenice velut*, similitudo est apta pro puellari candore demonstrando, ex duarum herbarum floribus. Parthenice, vt plane apparet, flos est, cuius herba est à Plinio parthenion appellata, quam alij leucanthen, id est candidum florem, alij Thannacum vocant: Celsus apud nos pelecium & muralium: Nascitur in hortorum sepibus, flore albo, odore mali, sapore amaro. erit igitur ἡ παρθενικὴ. hæc parthenice, flos parthenij herbæ.

VELVT *parthenice alba.*] id est florido ore nitens, velut nitet flos parthenice albus: nam leucanthe dicitur. λευκὸς candidus & τὸ ἄνθος flos.

LVTHEVMVE *papauer.*] aliud simile relatum ad flammei puellaris ruborem indicandum, quasi velit poëta indicare talem fuisse sponsam candidam sub flammeo lutheo, quales essent parthenicæ & papaueris flores coniuncti.

A PAPAVER *lutheum.*] de tertia papaueris satiui specie intelligit: Nam, scribit Plinius, papaueris satiui tria genera: candidum, cuius semen tostum in secunda mensa cum melle apud antiquos edebatur: alterum genus papaueris nigrum, cuius scapo inciso lacteus succus exprimitur: tertium genus rhian vocant Græci. id nostri erraticum sponte quidem; sed maturius cum hordeo maxime nascitur erucæ simile, cubitali altitudine, flore ruso & protinus deciduo. papauer lutheum, id est, papaueris flos rufus & lutheus.

B BONA *te Venus inuenit.*] bonus, felix & faustus amor coniugalis te suscipit ô Manli: aut, Bona Venus: bonus Veneris fauor, qui, quod in amore optasti, tibi concessit.

QVOD *cupis.*] puellam quam expetis.

PALAM.] in omnium fere conspectu.

BONVM.] pium coniugalem.

NON *abscondis.*] sed palam ostendis puellam auide amplexans.

AT *marita tamen tuum celites.*] sensus est: ô sponsa & si vir tuus suum in te immensum amorem aperte prodit, tu tamen occultes tuum intemperatum & impatientem, ne pudore con-
C cepto, te impudicitiæ suspectam viro, & aliis reddas: nam & si celes, pulchra res est: nihilominus & pulcher amor coniugalis. In omnibus fere codicibus hic versus deprauatus est: neque sensu, neque syllabis stantibus: nam si legitur, *Ad maritum tamen iuuenem*, secundus pes qui semper in hoc versu Dactylus esse debet non inuenitur: tertius vero qui aut Dactylus frequenter, aut etiam interdum spondæus solet esse, nusquam habebit partes suas, & multas syllabas vltra tres pedes inueniemus.

CELITES.] occultes à celo celas frequentatiuum.

D AT *marita tamen.*] temesis est, vt sit ordo, attamen ô marita, id est, ô sponsa Iulia celites.

PVLCHRA *res.*] pulcher est mos nimium celitari à sponsa: alij legunt Pulchræ, sed non stat primus pes, qui in hoc versu semper debet esse trochæus, vt in reliquis patet.

ILLE *pulu. Er.*] puluerem Erythræi intelligit arenã rubri maris, de quo Mella scribit, *Rubrum mare Græci, siue quia eius coloris est, siue quia ibi Erythras regnauit, Erythram thalassan appellant procellosum, asperum, mare profundum, & magnorum animalium magis quàm cætera capax.* Plinius autem
E libro VI. de Orientalibus scribens ait, *Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quod rubrum dixere nostri, Græci Erythram, à rege Erythra, aut (vt alij) solis repercussu talem reddi colorem existimantes, alij ab arena terráque: alij tali aqua ipsius natura. Sed in duos diuiditur sinus: is qui ab oriente est, Persicus appellatur; ex aduerso est Arabia: rursus altero ambitur sinu Arabico nominato, qui influit Oceanum.*

SVBDVCAT.] supputatione colligat.

VESTRI *ludere.*] vestri lusus: infinitum verbum pro rei appellatione. vt Persius,

——*Et nostrum viuere triste*

pro ista vita tristi: & alibi, *velle suum cuique est:* A velle, id est voluntas.

Et *breui Liberos date.*] Coniugij finis est filiorum procreatio: ideo coniuges liberos quàm primum dent exoptat atque hortatur. Papinius in tertia sylua.

Eia age praeclaros Latio properate nepotes:
Qui leges qui castra legant qui carmina ludant.

Tam *vetus nomen.*] Tam antiquum familiae vestrae genus.

Nomen.] Pro cognomine dixit. Torquatorum Manliorum vetus fuisse cognomen probat historia, illiusque qui primus Torquatus à torque hosti Gallo iugulato detracta fuit appel- B latus. Notissima est huius rei memoria apud Liuium: Plinium, Gelliumque.

Indidem.] Similiter: vt itidem.

Torquatus *volo paruulus.*] Hinc Virgilius sumpsisse videtur,

——*Si quis mihi paruulus aula*
Luderet Aeneas qui te tantum ore referret.

Hiante *labello.*] Sic ipse Torquatus, labro parum hiante os habebat. deprauata est in omnibus fere codicibus dictio pro hiante mihi ante: Et attendendum est, quod paruulũ Torquatum dixit marem, non quod diuinet marem pri- C mum esse oriturum, sed adblanditur votis patrum, qui semper exoptant atque omnibus votis expetunt sibi marem gigni: vt apud Terentium in Adelphis, *qui se in sui gremio positurum puerum Dicebat.*

Et *pudicitiam suae matris indicet ore.*] Nam patrum similitudo in filiorum ore, certum est maternae pudicitiae testimonium.

Qualis *vnica ab optima Matre Telemacho manet Fama Penelopeo.*] Aptissimum exemplum ad maternam pudicitiam comprobandam ex Homeri Odyssea sumptum: Nam Homerus Penelopes castitatem pudicitiamque impense pro- D bans, Vlyssis verissimam effigiem in Telemacho filio ingenitam esse scribit.

Penelopeo.] Filio Penelopes, quae fuit filia Icarij, scribente Ouidio,

Me pater Icarius viduo discedere lecto
Cogit, & immensas increpat vsque moras.

Vt apud alios legitur Icariotus: vnde ipsa Icariotis dicitur à Propertio,

Quaeque terunt fastus Icarioti tuos.

Et ab Ouidio, Icariotidã telam appellatam inuenies, pro Penelopea tela.

Vnica *fama.*] Ex vnico Telemacho gloria, nam Vlyssis & Penelopes filius vnicus fuit Te- E lemachus.

Claudite *ostia virgines.*] Epithalamij peroratio.

Virgines.] Ostiariae.

Ostia.] Cubiculi aut domus, quia iam abeundi sit tempus.

Lusimus.] Versus & carmina poëtae modeste ac verecunde appellare lusus consueuere: Virgilius, *Ludere quae vellem Calamo permisit agresti.* Horatius, *Lusimus tecum: quid & hunc in annum.* Martialis, *Innocuos censura potest permittere lusus.*

Boni.] Beati & bono faustoque amore coniuncti.

Mvnere *assiduo.*] Assiduo matrimonij officio: quàm honeste Venereum officium tetigit.

Exercete.] Fatigate, in frequentem vsum consumite.

Valentem.] Validam & viribus praeditam.

PALLADIVS FVSCVS.

Collis *ô Heliconij.*] Versus est eius generis cuius est ille, *Dianae sumus in fide*: sed hic non quartus, vt ibi, sed quintus quisque versus, loco secundi dactyli, habet spondaeum. Quod si vbique non fiat, scito versus deesse, aut, praeteriti temporis inscitia, confusos fuisse. Epithalamion, quod à nobis dici potest carmen nuptiale, primus apud Graecos cecinit Apollo in nuptiis Tethidis & Pelei: Apud nos vero Catullus: nam cum Iulia Herculi filia Mallio viro clarissimo nupsisset, datum est huic nostro negocium, vt suis versibus eorum nuptias celebraret. quapropter Catul. amicis obsequuturus cecinit hoc Epithalamion, quo, omnes veteris connubij ritus nobis detegens, Iuliam ab aedibus parentum ad Mallij domum feliciter perducit. Inuocat autem primum Hymenem ad ipsas nuptias celebrandas. Hymenis vero nomen apud Graecos ex eo defluxit, quod Hymenaeus deus nuptiarum esse existimatur, dictus ἀπὸ τῆς ὑμένος hoc est à membrana, quae cum sit claustrum virginitatis in nuptiis rumpitur. Alij dicunt Hymenaeum iuuenem fuisse, qui die nuptiarum ruina oppressus, interiit. vnde postea institutum, vt expiationis gratia nominaretur in nuptiis. Illud tamen magis placet ab Hymenęo quodam deductum, qui, vt scribit Plutar. inter saeuissima bella virgines liberauit: quam ob caussam nubentes eum inuocare coeperunt.

Heliconii.] Helicon, vt Strabo tradit, mons est Phocidis, altitudine & circuitu Parnasso aemulus: Cytheron vero mons est Boeotiae: quapropter quis illos non irrideat, qui, nullum idoneum auctorem secuti, dicunt Heliconem & Cytheronem esse vertices ipsius Parnassi?

Cultor.] Nomen est verbale.

Vraniae *genus.*] Vrania vna est Musarum, quas alij Iouis & Memoriae; alij, in quibus est Alcmeon, coeli & terrae filias esse aiunt. in numero quoque dissentiunt. Nam quidam tres, alij nouem asserunt extitisse: verum nouem numerus inualuit, iis comprobantibus, qui habiti sunt (Homerum dico atque Hesiodum) caeteris doctiores: auctor Diodorus.

O *Hymenaee Hymen.*] Hic versus dicitur intercalaris qui frequenter post aliquantulos interponitur versus: sicut intercalares dies aut menses vocantur, qui interponuntur, vt ratio Lunae Solisque conueniat.

Cinge *tempora.*] Cinge caput, pars pro toto. sunt autem tempora, vt in primo de animalibus docet Aristo. partes capitis inter oculos, aures & verticem.

Amaraci.] Amaracus herba est odoris suauissimi, quam Aegyptus & Syria Sansucum appellauere.

FLAMMEVM *cape.*] Flammeum velum erat lutei coloris, quo nouæ nuptæ facies tegebatur. Plin. lib. xxj. *Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum.* & Martialis,

Flammea texuntur sponsæ: iam virgo parata est,
Tondebit pueros iam noua nupta suos.

LVTEVM.] Luteus, vt apud, A. Gel. docet Phauorinus, color est subrufus, qualis erat color flammei ad indicandum virginis pudorem.

SOCCVM.] Soccus est altiusculum feminarum calciamentum. Sueton. in vita. C. Cæsaris, *Aliquando in speculatoria caliga: nonnumquam in socco muliebri.*

EXCITVSQVE *hilari die.*] Festiua luce vocatus.

NVPTIALIA *carmina.*] Epithalamion, vel versus fescenninos: de quibus suo loco dicetur.

PELLE *humum pedibus.*] Terram, inquit, pedibus quatiens, saltato: qui enim saltant ij humum pedibus pellere videntur. Horat.

Gaudet inuisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

SPINEAM *quatite thedam.*] Faces nuptiales, de quibus postmodum sermo erit, ex spina fieri solitas indicat Plin. his quidem verbis. *Comitatur & spina nuptiarum facibus auspicatissima: quoniam inde fecerunt pastores qui rapuerunt Sabinas.*

NAMQVE *Iulia Mallio.*] Ratio, cur Hymenæum, amaraci floribus coronatum, venire velit sicut flammeum, facemque & reliqua quæ ad nuptias pertinent secum ferat.

QVALIS *Idalium colens.*] Comparat Iuliæ formam cum Veneris pulchritudine: cum dicat Iuliam talem nubere Mallio, qualem Venus se ostendit Paridi, tunc cum de malo aureo inter deas certatum est.

BONA *cum bona nubit alite virgo.*] Iulia, inquit, nubit cum bono auspicio, sine quo prisci Romani nihil faciebant, præcipue nuptias: cuius gnarus Virgil. in primo, Æneidos ait, *Cui pater intactam dederat primisque iugarat Auspicijs.*

FLORIDIS *velut enitens.*] Rursus confert Iuliç nitorem, cum floridis myrti ramulis: quam arborem veteres ideo Veneri consecratam esse voluerunt quia ipsa gaudet littoribus, & Venus de mari dicitur, esse procreata: vel quòd, vt medicorum indicant libri, apta est plurimis mulierum necessitatibus.

AMADRIADES *deæ.*] Driades sunt Nymphę syluarum: quæ cum arboribus nascuntur Amadriades: Montium Oreades: Fontium Napeæ vel Naiades: Maris vero Nereides.

LVDICRVM *sibi.*] Rem voluptatis plenam.

QVARE.] Cum talis sit Iulia.

HVC *aditum ferens.*] Huc veniens.

THESPIÆ *Rupis.*] Montis Heliconij. Thespia, vt scribit Strabo, oppidum fuit Heliconij proximum, Crisseo imminens sinui.

AONIOS *specus.*] Antra musarum, quæ, à populis Bœotiæ, Aonides sunt appellatæ.

AGANIPPE.] Fons est in agro Thebano Musis sacer. Plinius præterea fontes in Bœotia, Oedipodia, Psammata, Dirce, Epigranea, A Arethusa, Hippocrene, Aganippe, & Gargaphie.

DOMINAM.] Iuliam Mallij sponsam.

AMORE *reuinciens.*] Amoris vinculis implicans.

TENAX *hedera.*] Cuius tres sunt species, candida, nigra, & tertia quæ Helix vocatur. Arbores necat candida, omnemque succum auferendo, tanta crassitudine auget, vt ipsa arbor fiat: sed de ea plura legito apud Plinium.

VOS *ite.*] Monet puellas nupturas Catull. vt ipse quoque Mallij & Iuliæ nuptias celebrantes, canant hymenæum.

B INTEGRÆ.] Incorruptæ.

PAR *dies.*] Nubendi.

IN *modum.*] In ordinem.

VT *lubentius audiens se.*] Dicite, inquit, hymenæum, vt, cum audierit se citari ad suum officium, libentius veniat.

CITARIER.] Pro citari. paragoge, qua figura comici frequenter vtuntur.

HVC *aditum ferat.*] Huc veniat.

BONI *coniugator amoris.*] Matrimonij copulator, siue connubij auctor.

QVIS *deus magis amatis Est petendus amantibus.*] Docet Catullus nihil magis expetendum C esse ab ijs qui amant, quàm, vt ipsi matrimonio iungantur.

CÆLITVM.] Deorum.

TE *suis tremulus parens Inuocat.*] Pater, inquit, iam senex optat, vt, te fauente, filiæ suæ nubant.

TIBI *virgines zonula soluunt sinus.*] Puellæ postquam nupserant, amissuræ virginitatem zonam deponebant. Erat autem, vt ante diximus, zona cingulum ex lana ouis, quo venter virginalis præcingebatur.

SOEVVNT.] Diæresis.

TE *timens cupida nouos Captat aure maritos.*] Expressit morem puellarum, quæ dum cupiunt nu- D bere, arrectis, vt aiunt, auribus, aucupantur verba parentum, dum illi consultant quos asciscant sibi generos.

MATRIS *è gremio suæ dedis.*] Quia, sponsa, veteri instituto, è gremio matris rapi simulabatur.

NIL *potest sine te Venus Fama quod bona comprobet Commodi capere.*] Venus, inquit, nisi amantes matrimonio iungantur, nihil habet quod sit laudandum.

COMPARARIER.] Paragoge.

NVLLA *quit sine te domus.*] Sensus est, nullam familiam in qua non sit matrimonium filios le- E gitimos habere posse, neque parentes stirpe circumdari.

QVÆ *tuis careat sacris Non queat dare præsides Terra finibus.*] Optat, vt regio illa, in qua non sunt matrimonia, non habeat viros, quos ad tuendos fines hostibus opponat.

CLAVSTRA *pandite ianuæ.*] Cum Iulia ad sponsum proficiscens è domo parentum sit exitura, Catul. monet eius domesticos vt hostium pandant.

CLAVSTRA *ianuæ.*] Fores. Periphrasis.

VIDEN.] Vides ne.

VT *faces splendidas quatiunt comas.*] Comæ facum

sunt flammæ, quæ motu crebriore fouentur. Moris autem fuit apud priscos Romanos, vt quinque faces, quas ipsi cereos appellabant, à pueris ante nouam nuptam gestarentur, Auctor est Plutarchus.

TARDET.] Domi moretur.

INGENVVS *pudor.*] Qui ingenuis hominibus esse solet.

QVEM *pudorem audiens.*] Dum nos loquendo cum nominamus.

FLET.] Plorat.

IRE *necesse est.*] Ad sponsum, scilicet, vt ab eo compressa pudorem amittat.

FLERE *desine.*] Monet Iuliam ne fleat.

NON *tibi periculum est Ne qua femina pulchrior.*] Sensus est, non esse timendum, cùm nulla puella in toto orbe sit pulchrior.

AB *Oceano diem videris venientem.*] Sol cum oritur, ex Oceano emergere: cùm occidit, in eundem Oceanum descendere videtur.

TALIS *in vario solet.*] Similitudo, qua ostendit Iuliam non differre ab Hiacyntho pulchritudine.

VARIO.] Propter herbas & flores.

HIACYNTHINVS.] Hiacynthus, vt scribit Plinius lib. xxj. hist. nat. flos est, quem duplex fabula comitatur, luctum præferentis eius quem Apollo dilexerat: aut ex Aiacis cruore editi, ita discurrentibus venis, vt litterarum Græcarum figura ea legatur inscripta.

SED *moraris.*] Sed nos retardas. morari enim vltra propriam significationem, quæ est expectare vel expectari, significat etiam retardare. Teren. *Ne vestrum remorer commodum.*

PRODEAS *noua nupta.*] Monetur Iulia vt de domo parentum iam exeat, ad virum suum itura.

ET *audias nostra verba.*] Quæ nos cauendo loquimur.

AVREAS *comas.*] Splendentes, instar auri.

NON *leuis tuus in mala Deditus vir adultera.*] Vir, inquit, tuus non leuis sed constans, nec deditus adulteriis à te non secubabit: imò potius implicabitur in tuos complexus, non secus ac vites implicant vicinas arbores. locutus est autem Catullus, secundum situm Italiæ, in qua vites altius eleuatæ, arboribus applicantur. Virg. in primo Georg.

Quid faciat lætas segetes, quo sidere terram
Vertere Mecænas: vlmisque adiungere vites
Conueniat.—— & in secundo,
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris.

O *cubile quod omnibus.*] Alloquitur lectum Mallij genialem: quem ait, propter futuras domini voluptates, cæteris lectis esse longe anteponendum.

QVÆ *vaga Nocte quæ media die Gaudeat.*] Propter quæ gaudia die noctuque lætetur.

PRODEAS.] Exeas ad virum vt diximus itura.

TOLLITE *pueri faces.*] Monentur pueri, vt, sponsa iam veniente, faces tollant.

FLAMMEVM.] Quid hoc esset & cuius coloris, antea indicauimus.

ITE *concinite in modum.*] Cum Iulia tandem

A egressa ad viri sui ædes tendat, imperat eius comitibus vt simul gradientes concinant.

FESCENINA *locutio.*] Fescenini versus erant, qui obscænitatis pleni in nuptiis canebantur. De his mentionem faciunt, præter Catullum & Sex. Pompeium, Plinius quoque & diuus Hieronymus.

NEC *nuces pueris neget.*] Concubini quibus licenter veteres abutebantur, turpi obsequio renunciantes, nuces pueris spargebant, vt se omnia puerilia repudiare significarent. Persius,

Et nucibus facimus quæcumque relictis. Secundum

B quam consuetudinem Catul. monet Mallij concubinum, vt pueris nuces spargat: cùm Mallius eius dominus vxorem ducat.

SATIS *diu lusisti nucibus.*] Satis diu inter pueros versatus turpiter vixisti.

LVBET *iam seruire Thalassio.*] Placet Mallio vxorem ducere. Thalassius deus erat nuptiarum apud Romanos, vt apud Græcos Hymenæus: cuius laudes lasciuis versibus canebantur. Mart.

Quid si me iubeas Thalassionem
Verbis dicere non Thalassionis.

CONCVBINE *nuces da.*] Vrget puerum vt

C nuces spargere incipiat.

SORDEBANT.] Emendo sordebam: & est sensus, hodie atque heri cum esses imberbis, ego à te negligebar, sed tonsor iam os tibi tondet.

CINERARIVS.] Posuit cinerarium pro tonsore: de qua voce ita disserit M. Var. *calamistrum quod calfactum in cenere capillus ornetur, qui ea ministrabat à cinere, Cinerarius est appellatus.*

DICERIS *male te à tuis.*] Apostrophat ad Mallium, quem, fescenini carminis licentia, monet vt post ductam vxorem à Cynædis abstineat: licet ab ijs ægrè abstinere dicatur.

GLABRIS *imberbibus.*) Glaber proprie dici-

D tur sine pilis. Plin. lib. xi. *Quadrupedum dorsa pilosa ventres glabri*: & Plautus in Aulularia. *Tu istum gallum si sapis glabriorem reddes: mihi quam volsus ludius est.*

SCIMVS *hæc tibi quæ licent soli cognita.*) Nos, inquit, scimus tibi licere, vt vxore pro puero abutaris, iuxta illud Martialis,

Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima noui.

SED *marito ista non eadem licent*) Quia turpissimum est, si vir vxorem pædicet.

NVPTA *tu quoque.*) Monet nunc Iuliam, vt

E si vir ea abuti voluerit: ipsi obsequatur: ne Mallius vxori suæ iratus adeat Cynædos.

ALIVNDE.) A pueris aduerbium pro nomine.

EN *tibi domus vt potens.*) Ostendit Iuliæ ædes mariti sui.

QVÆ *tibi sine fine seruiat Vsque dum tremulum mouens Cana tempus anilitas.*) Quæ inquit domus tibi famuletur donec anus fias.

TEMPVS.) Caput, pars pro toto.

ANILITAS.) Senecta, caput enim hominibus in senectute albescens, vt plurimum tremulum est: vt omnia omnibus, annuere videantur.

TRANSFER *omine cum bono Limen.*) Cum Iulia sit Mallij domum ingressura, monetur vt sic ingrediatur, ne limen pedibus attingat. Antiqui

enim tam ingredientium quam egredientium A pedes in limine obseruabant. Nam si quid offendissent, Ianum & Vestam deos iratos esse dicebant. Plautus in Cassina. *Sensim super attolle limen pedes noua nupta: sospes iter incipe hoc vt viro tuo semper sis superstes.* Tibullus,

O quoties ingressus iter mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem.

Plutarchus autem ostendit eum priscis Romanis morem fuisse: vt nouam nuptam altius sublatam in domum viri inferrent. Eius verba hęc sunt. *Quid est quod noua nupta ipsum limen transcendere non permittitur: an quod qui primas mulieres rapuerunt,* B *sic eas domibus intulerunt: non ipsæ ingressæ sunt: an eo inuitæ ingredi videri volunt: vbi pudicitiam sint amissuræ: an hoc potius signum est ipsam sua sponte domum non exituram nec suos relicturam fuisse, nisi cogeretur, quemadmodum vi coacta ingressa est.*

OMINE *cum bono.*] Cu bono augurio: Omen autem vt Donatus ait, est quicquid ore dicitur.

LIMEN.] Limina sunt lapides quibus per transuersum positis ianua sustinetur: qui vero vtrumque latus muniunt, parastades à Victruuio nominantur: à nobis antæ.

ASPICE.] Ostendit Iuliæ maritum inter æquales discumbentem: moris namque erat, vt per id tempus quo noua nupta ad domum viri C sui perducebatur, vir ipse cum æqualibus cœnaret.

ACCVBANS.] Discumbens.

TYRIO *in thoro.*] In lecto purpureo. Veteres, enim stratis tribus thoris epulabantur. Virgil.

Cum venit auleis iam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locauit.

& Iuuenalis,

Optima siluarum interea pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque thoris tantum ipse iacebit.

& infra:

——*Ergo duos post*
Si libuit menses neglectum adhibere clientem D
Tertia ne vacuo cessaret culcitra lecto.

Martialis quoque non vno in loco hoc apertissime demonstrat. Quod autem lectus & thorus idem sint, nemo est qui ignoret.

TOTVS *immineas tibi.*] In tuos amplexus pendeat.

ILLI *non minus ac tibi.*] Mallius, inquit, vir tuus non minus quam tu, sed occultius amoris igne absumitur.

PENITE.] Penitus aduerbium, quo vsi sunt veteres.

MITTE *brachiolum teres Pretextate puellulæ.*] Monet Catullus paranymphum pretexta indu- E tum, vt nouam nuptam ad viri lectum perducturus ei brachium iniiciat.

IAM *cubile adeat viri.*] Hoc dicit poëta, posteaquam videt eundem paranymphum imperata fecisse.

VNIS *senibus bonæ.*] Petit à pronubis vt Iuliam in lecto collocent. Ordo est: bonæ fœminæ breue cognitæ vnis senibus. vetulæ, enim à solis senibus neque in longum cognoscuntur.

IAM *licet venias marite.*] Cum pronubæ, prout iussæ erant, Iuliam in lecto collocauerint Mallius accersitur, vt cum sponsa sua cubet.

VELVT *parthenice.*] Herba est parthenice quæ fert flores albi coloris.

LVTEVMVE *papauer.*] Tria sunt, vt Plinius indicat, genera papaueris, album, nigrum & tertium, quod Græci rhiam vocant: eius flos lutei coloris est.

NON *diu remoratus es.*] Apparet Mallium nihil cunctatum esse, sed vocatum illico aduenisse.

INVENIT.] Emendo iuuerit.

QVONIAM *palam quod cupis capis.*] Quia, nobis inspicientibus, lectum in quo vxor tua cubat, inscendere non vereris.

AT *marita tuum tamen.*] Suadet Iuliæ, quod licet Mallius prodat amorem quo vxorem prosequitur, ipsa tamen suum celet, licet amor sit honestus, quia cum amat cui nupsit.

CELITES] Abscondas.

PVLCHRA *res.*] Pulchrum est, si mulier celet amorem, quamuis ille, vt diximus, sit honestus.

ILLE *pulueris Erythrei.*] Negat possibile esse numero colligere Mallij & Iuliæ lusus: cùm dicat facilius esse subducere maris rubri arenas vel sidera. Tale est illud Virgilij in II. Georg. vbi de vitibus sermo habetur.

Sed neque quam multæ species: nec nomina quæ sint,
Est numerus: neq; enim numero comprendere refert.
Quem qui scire velit Libyci velit æquoris idem
Discere, quàm multæ zephiro turbentur arenæ.

PVLVERIS *Erythræi.*] Maris rubri arenas. Mare, enim quod nos rubrum vocamus, Græci Erythreum appellant: de quo ita scribit Plinius lib. VI. *Irrumpit deinde & in hac parte geminum mare in terras, quod rubrum dixere nostri, Græci Erythræū, à rege Erythra: aut, vt alij, Solis repercussu talem reddi colorem existimantes: alij ab arena terraque: alij, tali aquæ ipsius natura:* & Strabo lib. xvj. Cosmographiæ. cætera vero partim refert quemadmodum Eratosthenes, partim & ab aliis historicis sumpta: dicit enim quosdam putare mare rubrum esse à colore per refectionem expresso: vel à Sole cum supra verticem est: vel à montibus ex adustione rubentibus. Nam vtroque modo verisimile est. Ctesiam vero Gnidium historiæ mandasse fontem quendam esse, qui aquam rubicundam ac minio plenam in mare emittit.

SIDERVMQVE *micantium.*] Stellarum fulgentium: Micare enim proprie est subinde & per interualla, vt micæ faciunt, fulgere. Virgil.

——*Micat ignibus æther.* & alibi,
Ardentes clypeos atque æra micantia cerno.

SVBDVCIT.] Numero colligat.

VESTRI *ludere.*] Vestrorum lusuum: figura locutionis. Sic etiam Persius,

Tum cum ad canitiem & nostrum istud viuere triste.

& paulo infra:

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

BREVI.] Intra paucos menses.

LIBEROS *date.*] Filios procreate.

NON *decet.*] Non conuenit.

TAM *vetus nomen.*] Subaudi Torquatorum, de quibus postea dicetur.

INIBIDEM.] Ex Torquatis: aduerbium pro nomine.

TORQVATVS *volo paruulus.*] Optat vt Iulia puerum pariat, qui è matris gremio teneras manus tendens ad patrem dulciter rideat. Torquatorum autem familia inter Romanas clarissima extitit: ex qua T. Mallius, cum in singulari certamine Gallum obtrumcasset, eique aureum torquem detraxisset, sibi & posteris Torquati inuenit cognomen. auctores sunt Liuius, Plin. & Gellius. A

SED *hiante labello.*] Emendo. sed mihi ante labello.

SIT *suo similis patri Manlio.*] Optat secundo loco, vt puer si quis tamen nascetur, tale labrum habeat, quale habet Mallius.

ET *facile noscitetur.*] Propter labrum, scilicet.

AB *omnibus insciis.*] Qui ignorabunt eum esse Mallij filium.

ET *pudicitiam matris suæ indicet ore.*] Sit ore probo & pudico quali est Iulia.

TALIS *illius à bona.*] Hic quoque optat Catullus, vt idem puer sic laudetur inter æquales ob Iuliæ pudicitiam, vt laudatus est Telemachus Vlyssis & Penelopes filius, ob matris castitatem, quæ à Græcis pariter & Latinis abunde celebrata est.

HOSTIA *claudite virgines.*] Imperat virginibus, quæ Iuliam ad Mallium deduxerunt, vt abituræ cubiculi fores claudant.

SATIS *lusimus.*] Satis cecinimus.

BENE.] Concorditer.

ASSIDVO *munere.*] Assiduis complexibus, coniugum enim officium est, vt filios procreaturi crebro coeant.

FRANCISC. ROBORTELLVS.

CARMEN hoc inscribitur EPITHALAMIVM. sic etiam Theocritus Idyllio XVIII. Helenæ EPITHALAMIVM, Stesichorum imitatus vocauit, vt interpres ait, his verbis καὶ ἐν αὐτῷ τινα εἰληφθαι ἐκ τοῦ πρώτου Στησιχόρου Ἑλένης ἐπιθαλαμίου. Idem testatur Epithalamiorum duplex fuisse genus. Alia, quæ canuntur vespere aduentante. & vocantur κατακοιμητικὰ, ἅπερ ἕως μέσης νυκτὸς ᾄδουσι. Alia, quæ vocantur matutina, quoniam mane canebantur, ἕτερα δὲ (inquit interpres) ὄρθρια, ἃ καὶ προσαγορεύεται διεγερτικά. Epithalamium à virginibus concinebatur. Verba sunt hæc. quibus id declarat idem interpres Theocriti. τὰ δὲ ἐπιθαλάμια ᾄδονται αἱ παρθένοι πρὸ τοῦ θαλάμου, Causam quoque explicat, cur concinerentur. ἵνα τῆς παρθένου βιαζομένης ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἡ φωνὴ μὴ ἐξακούηται, λανθάνῃ δὲ κρυπτομένη διὰ τῆς τῶν παρθένων φωνῆς. Hymenæum verò canendi in nuptiis antiquissima fuit consuetudo. Athenæus lib. primo scribit Hymenæum ab Aristoxeno cantatum, cuius tale erat exordium. γάμοι θεῶν λαμπροί... Dionysius Halicar. quoque de hac consuetudine multa scribit, vbi artificium tradit, quo in oratione nuptiali sit vtendum. Iulius Pollux ... seu ... dicit poëseos proprium fuisse Hymenæum canere. de qua re nos copiosius loquimur, in nostris explicationibus in librum Aristotelis de Poët. Hymenæus à Græcis, Thalassius à Romanis. Plutar. in Problem. D

rerum Rom. & Liuius libro primo ab Vrbe condita.

HYMEN *ô hymenæe.*] Sic etiam Theocritus ὑμὰν ὦ ὑμέναιε. Et Plautus in Cass. *Io Hymen, ô Hymenæe.*

SVAVE *olentis amaraci.*] Coronabatur enim amaraco Hymenæus; Amaracum ponit Vergilius libro primo Æn. in luco Veneris, cum ait.

Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.

SVAVE *olentis.*] Vt graueolentis Auerni, & Suaue rubens Hyacinthus à Vergilio dicitur.

B FLAMMEVM.] A Flaminibus dictum, eo enim tegmine vtebantur capitis; colore autem erat luteo, quem colorem adamarunt in nuptiis. Plin. lib. xxj. *Lutei video colorem antiquissimum in nuptialibus flammeis fœminis concessum.* Flaminibus non concedebatur diuortium; ideo Flammeo vsi sunt veteres in nuptiis, vt bene ominatum, ac firmum esset coniugium. mortua vxore, sacerdotio se abdicabant Flamines; de qua re copiosè Plutarch. in Problem. Rom. Diuortium non sine graui aliqua causa olim fiebat; ideo sponsio in nuptiis fiebat, si quis sine causa vxorem dimisisset, de qua Plutarchus in vita Catonis. Leges tulit de connubiis Romulus has. vt

C vxor omnium, quæ mariti essent fieret consors. Ne connubium vnquam dissolui posset. de qua re Plutarchus in vita Rom. & Dionysius Halicarnasseus libro secundo copiosè. nam diuortium primus introduxit Sp. Carbilius, vt ait A. Gellius libro quarto, cap. tertio. Legem etiam tulit Romulus de Confarreatione, de qua nonnulla Boëtius in Topicis, vbi de matrefamilias loquitur; nam farre vtebantur in sacris veteres. hinc Horatius libro tertio Od. ait.

Farre pio, & saliente mica.

molam salsam significans. Legem etiam tulit, vt morienti marito sine liberis vxor esset hæres, sicut patri filia. Quòd si prolem habuisset, vt æqualem haberet partem cum filiis. Adulterio aut ebrietate delinquentem vxorem sanxit capite puniendam iudicante marito vnà cū agnatis ipsius vxoris. de his copiosè scribit Dionys. Halicarnasseus.

LVTEVM.] Vergilius luteam caltham vocat in Buc. cum ait.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Luteo quoque socco vtebantur sponsæ, vt asserit Seneca in Hyppolyto. his verbis,

Crura distincto religauit auro,
Luteo plantas cohibente socco.

E Varijs vero coloribus vtebantur mulieres pro temporum ratione, sicuti etiam albis in luctu, de qua re Plutarchus in Probl. Rom. Flammeo velabant capita, mos autem velandi capita fuit mulieribus in sacris Saturni, & Honoris. Plutar. in Probl. Rom.

PELLE *humum pedibus.*] Id est salta. sic etiam Horatius lib. iij. Odarum Od. xviij.

Gaudet inuisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

SPINEAM *quate tædam.*] De spina arbore Plin. lib. xxj. cap. xix. Quinque tædis vtebantur olim in nuptijs in honorem quinq; deorum

Iouis adulti, Iunonis adultæ, Veneris, Suadelæ, Lucinæ. de qua re Plut. in Probl. Rom.

Idalivm.] Vergilius lib. primo Æneid.

Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus.

nam cum amaracus sit Veneris, ideo coronam exhibet Hymenæo, qui cognationem quandam habet cum Venere.

Ad *Phrygium iudicem.*] Lucianus in Iudicio dearum, & Suidas in dictione Paris.

Bona *alite nubet.*] De auguriis nuptialibus Valer. Max. Vergilius quoque libro quarto Æn. cum ait, —— *primisque iugarat*

Ominibus.——

Alite.] Augurio. Horat. in Epod. Ode x.

Mala soluta nauis exit alite.

& libro tertio Od. ode tertia,

Troia renascens alite lugubri.

Myrtvs *Asia.*] Alij legũt Hagia, alij Agria. Ego nihil decerno, & si sequor Asia. vt sit simile. ἀσίῳ ἐν λειμῶνι.

Hamadryades.] Quas etiam Melias Græci vocant, de quibus diximus in Callimachi scholiis.

Nvtrivnt *in humore.*] Alij legunt honore, alij odore, alij humore, sublata præpositione IN. Ego ita censeo legendum, & si non magnopere affirmo.

Ludicram sibi roscida.

Nutriunt in humorem. Vt appellet humum roscidam, sicut Vergilius. Lunam roscidam. mala, & mella roscida.

Dominam.] Non. Marcellus, vide quoque Plutar. in Probl. Rom. vbi antiqua verba explicat. VBI TV CAIVS. EGO CAIA. de quibus Cicero in orat. pro Muræna. Alludit enim Catullus ad coëmptionem, de qua superius. nam mater familias domina erat.

Vt *tenax Hedera.*] Vergilius Hederas sequaces dixit. Horat. in Epod. ode xv.

Arctius atque hedera procera astringitur ilex
Lentis adhærens brachijs.

Huc spectant tres illi Gallieni Imperatoris Augusti versus, quos prætermitto, quia satis noti sunt.

Agite *in modum.*] Horatius libro quarto, Ode sexta.

Lesbium seruate pedem, meiq;
Pollicis ictum. paulò post,
——*dociles modorum.*
Vatis Horati.

Idem libro tertio, Ode vndecima ait,

Dic modos Lyde, quibus obstinatas
Applicet aures.

Qvem *colant homines magis.*] Propter vtilitatem, quam ab eo percipiunt; sicuti etiam de Pluto dixit Aristophanes.

Virgines *zonula soluunt.*] Sic etiam in secundo epigrammate ait. Quod Zonam soluit diu ligatam. de qua re plura diximus in scholiis nostris in Callymachi hymnos.

Tv *fero iuueni.*] Alij legunt. Tu feri in. alij. tu fer ò.

Matris *à gremio.*] Idem Catullus paulo post ait,

Qui natam possis complexu auellere matris,
Complexu matris retinentem auellere natam,
Et iuueni ardenti castam donare puellam.

A Nil *potest sine te Venus.*] Venus sæpe iuncta cum alijs dijs colebatur non sine aliqua causa. vt Venus & Cupido, Venus & Gratiæ, Venus ac Ceres, & Bacchus ex illo Terentij dicto. Sine Cerere & Baccho, friget Venus. Sic etiam in eodem templo colebantur Virtus & Honos.

Parens *stirpe vincier.*] Alij legunt dicier. alij nitier. nam spurij, qui non nascuntur ex legitimo coniugio, sequuntur matrem. Seruius in eo versu Verg. libro quarto Æneid.

Si Paruulus aula.

B Non *queat dare præsides.*] Plutarch. in Problem. Rom. ait patrem patratum fieri non potuisse, nisi patrem haberet viuentem, & liberos. Sic igitur respexit Catullus ad sobolis fœcunditatem, Cui etiam legibus proposita olim fuerint præmia. Hinc ius Trium liberorum, quod tam enixè petit à Traiano August. Plinius Suetonio suo familiari. quale hoc sit video adhuc quæri à doctis. Plutarchus in libro περὶ τῆς εἰς τὰ ἔγγονα φιλοστοργίας. ait. ἀτιμοῦνται ἐκ ἀναγκαίων νόμων ἀγάμοι, ἢ ὀψιγάμοι, καθάπερ οἱ Λυκούργου πολῖται, καὶ Σόλωνος, οὐδὲ ἀτιμίας ἀπείλουν διδοῦσιν, οὐδὲ τιμὰς δοίκας

C τριτοπαίδας, ὡς ῥωμαίων πολλοὶ γαμοῦσι, καὶ γεννῶσιν, οὐχ ἵνα κληρονόμους ἔχωσιν, ἀλλ' ἵνα κληρονομεῖν δύνωνται. sed quale hoc fuerit ius non explicat. Diogenes Laërtius quoque in Socrate narrat lege cautum ab Atheniensibus de fœcunditate sobolis; φασὶ γὰρ βουληθέντας Ἀθηναίους διὰ τὸ λειπανδρεῖν συναυξῆσαι τὸ πλῆθος, ψηφίσασθαι γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δὲ καὶ ἐξ ἑτέρας. ὅθεν τοῦτο ποιῆσαι καὶ σωκράτην.

Faces *quatiunt comas.*] Comas in facibus dixit, & igne. ac fortasse veteres ex tali similitudine crinitas quoque vocarunt stellas; quos Græci κομήτας, quia capillati semper apparent.

D Ingenvvs *pudor.*] In pueris, ac puellis pudor commendatur; est enim certissimum signum futuræ virtutis. in senioribus & viris iam prouectionis ætatis damnatur. rationem explicat Aristoteles in libris de Moribus.

Non *tibi Herculeia periculum est.*] Ita omnes ferè legunt, & interpretantur locum hunc corruptum. ego puto legendum, ex vetustis libris lectionis huius vestigium secutus. ARVNCVLEIA quòd appellarit Catullus Iuliam sponsam ARVNCVLEIAM. ab Arunca oppido vetustissimo, quod ædificatum in Latio fuit

E ab Ausone rege, à quo Ausonia Italia dicta fuit. innuit igitur hinc maiores illius profectos, vt nobilitatem, & antiquitatem generis laudet, sicuti & paulò post, cum ait,

Tam vetus sine liberis
Nomen esse.

Hoc genere laudationis vtitur Horat. quoque, cum de Mecœnate loquitur libro Od. iij. ode xxix.

Tyrrhena regum progenies.

Et eodem libro Ode xvij. ad Lamiam. cum ait,

Æli vetusto nobilis à Lamo
Quando & priores hinc Lamias ferunt.

Denominatos,

Denominatos, & nepotum
Per memores genus omne fastos
Authore ab illo ducis originem
Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuisse Lyrim
Late tyrannus.

STARE *flos.*] Comparat virginem cum flore; & paulò post in hexametro nuptiali ait.
Vt flos in septis. & quæ sequuntur.
Ideò vero STARE dixit, vt non languentem, sed viuidum florem significaret.

VITIS *implicat arbores.*] Paulò post etiam in hexametro nuptiali eadem vsus est similitudine, seu collatione. Hinc Horatius in Epodis. ode secunda.
Aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.
& Vergil. lib. primo Georg.
Vlmisque maritat.

O *cubile quot omine Candido pede lecteo.*] Locus hic corruptissimus est, quem facilius aliquis interpretari coniectura possit aliqua, quàm emendare.

FESCENINA *locutio.*] Fescenninos innuit versus, quales testatur Macrobius aliquando animi relaxandi gratia scripsisse Augustum. De ijs meminit Liuius libro septimo. Glyconijsque similes fuisse recenset. Plinius libro xv. cap. xxij. Fesceninorum nuptialium nuces comites.

DA *nuces pueris.*] Sex. Pompeius scribit nuces spargi consueuisse intrante sponsa in domum sponsi. Seruius in Bucol. Vergilij versum exponens. ait fieri consueuisse, quòd significaret se omnia puerilia relinquere. nam eò respicit etiam dictum satis omnibus notum Persij. Horat. quoque in Satyris ait; vbi patrem alloquentem facit filium,
Te talos, Aule, nucésque
Ferre sinu vidi. nam nucibus, & talis ludebant pueri; talos Græci vocant ἀστραγάλους. Ludentes talis facit Apollonius tanquàm pueros lib. tertio Argonaut.
Ἀμφ' ἀστραγάλοισι δὲ τώ γε
Χρυσείοις, ἅτε κοῦροι ὁμήθεες ἑψιόωντο.
Ludebatur paruo, talis, olim ipsis. patet ex eodem loco Apollonij. cum ait,
Δοιὼ δ' ἴσχεν, ἄλλον ἔθ' αὔτως
Ἄλλῳ ἐπιπρογίνῃ, κεχόλωτο δὲ καγχαλόωντος.
Lucianus quoque in Saturn. Ἀλλ' ἢ περὶ τῶν καρύων, καὶ μυελαδία, ἀλλὰ περὶ καρύων, ὡς μὴ ἀνιᾶσθαι τῶ ἡττηθέντι ἢ μὴ δακρύειν. Ecce, vt nuces nominat; Talis fiebat ludus à veteribus vocatus πεντέλιθα. quo respexit Aristophanes in Pluto, cum ait ille anum illudens πόσους ἔχεις γομφίους; in eodem Pluto Seruum ita facit loquentem poeta. ἀστράγαλον ἁρπαζόμενος. Lucianus quoque in Saturnal. legem hanc refert, in qua nuces nominat. περὶ δ' αὐτῶν κάρυα, ἢ παιδὶ ἑκάστῳ. Sed tesseras antiqui κύβους nominabant. Aristophanes conquerentem facit Plutum, quòd esset expositus τύποις ἢ κύβοις. Tesserarum formam innuit Athenæus libro tertio, ex Eubulo. Ὀστοκύβοι εἰσὶν ὑπ' ἐκ ... μακροὶ ... ἀλλὰ ... πανταγώνιοι ...

A παρὰ ἢ ἰλαίῳ. Hinc enim elici potest quadratas fuisse. πεσσοὶ quoque dicti, & sic vocat Homerus, vbi ludentes facit procos. his verbis. πεσσοῖσι προπάροιθε θυράων θυμὸν ἔτερπον. Hinc Athenæus libro septimo ex Antiphane in Cyclope refert. Καὶ μετ' ἄλλους τοὺς κατ' οἴκους μάχεσθαι, ... Ab appellatione τῶν κύβων extitit adagium. quod refert idem Athenæus libro xiij. ex Menandro in Auletride. Γεγάμηκα τὴν αὐτὸς, ... ἀνέρριπται ὁ κύβος. Plutarchus quoque in libro περὶ εὐθυμίας, ait κυβείᾳ τὸν ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπεικάζων, ἐν ᾧ ... ... καλῶς ... , quæ verba

B diligenter sunt expendenda, quia exprimunt ludendi rationem omnem quæ non diuersa est ab ea, qua vtimur adhuc nostra ætate. nec dissimile illud est, quod scribit Lucianus in Saturn. vbi Deum cum Sacerdote loquentem facit his verbis, Οὐ μικρὸν δὲ, ... κυβεύειν τῷ κύβῳ, ... φαίνεσθαι. Lusores tesserarū insignes nominat Athenæus libro primo. Diodorum Megalopoliten, Leontem Mitylenæum. & ait. ... ... Libro Epigrammatum primo narratur quoddam ludi genus inuentum à Zenone Aug. sed

C adeò obscurum, vt à nemine, quod sciam adhuc, intelligatur. Hæc ego, digrediens à nucibus, referre volui de talis, & tesseris, quia videbam ab alijs prætermissa, qui de ludorum generibus scripserunt. nam & Leonicus, & Calcagninus viri doctissimi multa scripserunt; hæc mea si illorum narrationibus addita fuissent, non putaui ingrata fore studiosis antiquitatis.

SATIS *diu lusisti.*] Horatius quoque Epistola vltima libri secundi ait,
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti.

CINERARIVS.] Horatius, libro primo Sat. ij.

D *Custodes, lectica, ciniflones, parasiti.*
Et Cicero in Bruto trāslatè ait. *Cæsar ineptis fecit gratum, qui volunt illam calamistris inurere.* Idem in oratione pro Sestio. calamistratam vocat comam. & rursus in oratione pro M. Cælio. *aliquis ex barbatis illis barba illa horrida, quam in statuis antiquis videmus.*

VNGVENTATE *glabris.*] Apuleius amorem vocat glabellum.

HÆC *tibi celebi.*] Alij legunt, quæ licet; Si celibem legas; opponitur alteri dictionum. MARITO. Budæus in suis Comment. Græcis, Celibem putat à Græcis vocari ἠίθεον. & probat ex

E Plutarch. quod nobis valde placet.

CAVE, *ne neges.*] Plutarch. in libro, quem inscribit, Γαμικὰ παραγγέλματα. ait Solonem iussisse, vt sponsa priusquàm coiret cum sponso, malum cotoneum comederet. significans placidam eam esse oportere, & suauem in loquendo. Idem Plutar. in eodem libro ait, Sponsas olim in Bœotia asparagine coronari solitas, cum enim asparago inter spinas oriatur, & ipsa mollis sit, significabat sponsam non difficilem, sed facilem, non immitem sed mitem esse debere: quod ibidem doctus vir monet esse omnino faciendum, ex similitudine ducta à speculo. Sicuti

O

vnusquisque illic videre potest.

CANA *anilitas.*] Sic senectutem significauit, in qua cani nascuntur: & aptè addidit anilitatem, nam aliquando iuuentus cana est, vt Pindarus ait in Olymp.

Πολιαὶ καὶ ἐν νέοις
φύονται πολιαί.

LIMEN.] Sponsa ingrediens mariti domum non attingebat limen; huius rei causam explicat Plutar. in Probl. Rom. & Seruius libro secundo Æneidos Vergilianæ.

TYRIO *in thoro.*] Vergil. in Georg.

Sarrano dormiat ostro.

ILLI *non minus ac tibi Pectore vritur intimo Flamma.*] Si sic legas hos versus, multò magis probarim.

Illi non minus, ac tibi
Pectus vritur intimum
Flamma.

PENITA.] Ego legendum puto penite pro penitus, more antiquorum.

BRACHIOLVM *teres.*] Horatius libro primo, Ode xiij.

Ceruicem roseam, cerea Telephi
Laudas brachia.

Idem alibi.

Teretis pueri longam renodantis comam.

PRÆTEXTATE.] Macrob. libro primo Satur. A. Gell. libro primo, cap. xxiij. Plutarchus sæpe prætextam περιπόρφυρον vocat exprimens qualis sit. mox adolescentibus dabatur toga pura solenni quodam ritu. Cic. lib. sexto Epist. ad Att.

VOS *vnis senibus Cognitæ bene fœminæ Collocate puellulam.*] Pronubæ matronæ erant, quæ vnum tantum habuissent maritum; (vt SEX. Pompeius scribit) hæ sponsam in lecto sponsi collocabant.

ALBA *parthenice.*] Plinius libro xxv. cap. quinto.

LVTEVMVE *papauer.*] Subrufum intelligit, nam eius tria sunt genera.

BONA *Venus.*] Vergil. Bonam appellauit Iunonem, libro primo Æneidos.

Adsit lætitiæ Bacchus dator, & bona Iuno.

QVOD *cupis capis.*] Paronomasia lepida.

BONVM *non abscondis amorem.*] Nam amor malus, & impurus occultari solet, vnde Venus Cytherea à Græcis dicta παρὰ τὸ κεύθειν τοὺς ἔρωτας. Plutarchus in lib. γαμικῶν παραγγελμάτων ait Catonem, quendam è senatu mouisse, cum esset censor, quod vxorem, spectantibus filijs esset deosculatus. Idem Plutarch. narrat eodem loco, Reges Persarum, cum ebrietati, & lusibus operam darent, amota coniuge, id facere consueuisse cum ancillis & meretricib.

AT *marita tuum caltes.*] Id est cœles, quasi innuat, non conuenire mulieribus apertè profiteri, atque ostentare amorem; sicuti viris; sed pudentes esse, & verecundas.

NIHILO *minus pulchra es.*] Alij legunt pulcher es, alij pulchra res. Ego puto legendum pulchra eris, vt sit sensus coniunctus cum superioribus. Decet mulierem occultare amorem, & nihilò minus erit pulchra, ac si pate-

A faceret; multæ enim mulieres dum suos amores iactant, putant se pulchriores habitum iri, & Veneri gratum facturas. Plutarch, ἐν γαμικοῖς παραγγέλμασι recenset Lacænam interrogatam, num adhuc accessisset ad virum, respondisse, non se ad virum, sed virum ad se accessisse.

PVLVERIS *erythræi.*] Puluerem pro arena posuit. sic etiam in alio dixit epigrammate, vti satis omnes sciunt, cum ait,

Quàm magnus numerus Libyssæ arenæ.

TAM *vetus sine liberis Nomen esse.*] Innuit legitimum coniugium, in quo liberi sequuntur

B patrem, & ideò addidit, indidem semper ingenerari.

TORQVATVS *paruulus.*] Sic etiam Vergilius libro quarto Æn.

——*Paruulus aula Luderet Æneas.*——

DVLCE *rideat.*] Horatius libro primo, ode xxij.

Dulce ridentem Lalagem amabo
Dulce loquentem.

RIDEAT *ad patrem.*] Vergil. in Bucol. sic verò exprimitur mira φιλοστοργία.

C MICANTE *labello.*] Alij legunt Hiante. suo similis patri. Vergilius quoque,

——*qui te tantum ore referret.* Idem,
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

SIMILIS.] Augustus Cæsar hospitem Romæ cum vidisset sibi similem, interrogauit, an illius mater vnquàm Romæ fuisset: Respondit hospes matrem suam numquàm; patrem vero sæpè Romæ fuisse. Sic lepidè retorsit dictum.

PVDICITIAM *matris.*] Nam matris effigiem referens, illius commendabat pudicitiam.

D TELEMACHO *Penelopeo.*] Qui laudatissimus fuit propter matris Penelopes pudicitiam.

CLAVDITE *hostia.*] Sub finem Epithalamij hoc fieri solebat discedentibus virginibus.

VALENTEM *exercete iuuentam.*] Dum iuuenes estis florenti ætate, date operam liberis, & in coniugio exercete iuuentam. Translatè. Hor. Epist. Ode ij.

Rura paterna bobus
Exercet suis.

E CONSTANTIVS LANDVS COMPLANI COMES.

COLLIS *ô Heliconij, &c.*] Carmen istud est nuptiale, celebrat enim Catullus hoc epithalamio Iuliæ, & Manlij nuptias, quod deriuatio ipsa indicat: nam ab ἐπὶ & θάλαμος idest ad & thalamus dicitur. huius Carminis repertorem fuisse ferunt Apollinem, quum nuptias Thetidis & Pelei decantasset.

HELICONII.] Helicon mons est non procul à Parnaso Musis sacer, vt Strabo scribit libro IX.

CVLTOR.] Ideò cultorem vocat Hymenæum, quia natus sit ex Vrania montis Heliconij habitatrice, vnde dixit genus Vraniæ. Vra-

niam vnam ex musis Astrologiæ repertricem A fuisse asserunt auctores. Hinc Vergilius de inuentis Musarum,

Vraniæ cœli motus scrutatur & astra.

Q V I *rapis teneram virginem.*] Ideo hoc dicit, quia veterum mos fuit, vt nouam nuptam, cum è domo suorum egredi vellet, ipsum limen transcendere sua sponte, aut vestibulum tangere non sinerent. Sed quasi raptam, & inuitam è gremio, & sinu matris transcendere limina permitterent, videlicet nisi coacta suos relictura aut proprios lares exitura non fuisset. vel quia vbi delibandus flos maritalis erat, inuitam ingredi videri volunt. Alexander ab Alexan. B genial. dierum II. cap. V.

Q V I *rapis.*] Vel quia virgo ex matris gremio capi fingitur, vel quia olim Romulus rapuit Sabinas, dicente Vergilio,

Et raptas sine more Sabinas.

& Propertio,

Tu rapere intactas docuisti impunè Sabinas,
Per te nunc Romæ quidlibet audet amor.

Hunc morem rapiendi ostendit & alibi Catullus,

Qui natam possis complexu auellere matris.

H Y M E N *o Hymenae.*] Sic Plautus in Cassina, C

Io Hymen Hymenae, ò, Hymen.

Apud Menandrum verò ita canebatur,

Ὑμὴν ὦ Ὑμέναι, ὦ Ὑμήν.

Græci Hymenæum, Romani verò Thalassium in nuptijs inuocabant, huncque morem opinati sunt inoleuisse, quasi felicem, vt Thalassium, cui Sabina virgo honestæ formæ in raptu contigit, sponsum futurum ominentur, dignamque esse quæ Thalassio viro admodum fortunato nubat, his vocibus significari. Hæc Alexander in genialibus. Cur sic inuocarent Hymenæum, & Thalassionem veteres in nuptiis, rationem assignant Liuius libro primo ab vrbe condita, D & Seruius in primo Æneidos. De Hymenæo deo vide Gyraldum Ferrariensem in syntagmate tertio. Ordo autem horum carminum talis erit. ô Hymenæe Hymen cultor collis Heliconij genus Vraniæ, qui rapis teneram ad virum virginem, cinge tempora floribus.

C I N G E *tempora floribus.*] Namque coronatus Hymen nuptiis intererat: Ouidius,

Affuit & sertis tempora cinctus Hymen.

S V A V E *olentis Amaraci.*] Amaracus herba est, quæ nunc vulgo Maggiorana dicitur, habens parua folia, qua cingebantur nouæ nubentes. Amaracum pro maiorana, quæ & sampsycus E dicitur, Plinius, & Dioscorides accipiunt: Galenus autem sampsycum quidem maioranam appellat, sed Amaracum aliud esse contendit, nempè idem cum ea herba, quæ Parthenion Græcis, hoc est virginalis, matricaria Latinis dicitur, quod contusa matricis dolores sanet. Galli vulgò appellant *de l'Espergoutte*, à guttis spargendis, quod eius folia trita. & admota ori in dolore dentium guttas pituitæ spargant, & eliciant. Sed Columellam, & Plinium & Varronem item, & Vergilium, Lucretium, & Seruium idem esse sampsycum cum amaraco asseruisse video. Quapropter quid de hac re certi affirmem, nescio. de Amaraco Vergilius I. Æneid.

——Vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur vmbra.

F L A M M E V M *cape, letus.*] Erat Flammeum, pannus tenuis, quo nuptæ nouæ vultus contegebatur, quo non licebat facere diuortium, & ideo boni augurij gratia nouæ nuptæ sumebant ad perpetuitatem coniugij, atque vt pudorem tegerent: erat autem coloris lutei, matronæque spectatæ pudicitiæ tegebantur. Eo etiam Flamminica vtebatur cui à viro diuertere non licebat. Alexander in genialibus.

L V T E V M *soccum.*] Muliebre calciamentum subrusum erat, de quo Seneca in Hippolyto, vbi refert Herculem muliebria officia habitu muliebri exercuisse.

N V P T I A L I A *carmina.*] Hoc est epithalamium, & pertinentia ad nuptias, puta Fescenninos versus, ad differentiam eorum carminum, quæ in conuiuiis canebantur. nam Plato in Gorgia cantilenam in conuiuiis decantari solere prodidit hoc tenore, Formosum esse, & diuitem, ac bene valere, summum existimari bonum. Athenis verò inconditum carmen canebatur. Bonos ama, Timidos repelle: sciens timidorum paruam esse gratiam. Græcis Amœbæum carmen in nuptiis modulatis vocibus canere solemne fuit, quod festo nuptiarum die Thetidis & Pelei Deos decantasse ferunt.

V O C E *tinnula.*] Acuta, resonanti.

P E L L E *Humum pedibus.*] Hoc est salta: & expressit Catullus saltantium morem.

M A N V *Spineam quate tedam.*] Solebant enim veteres præferre faces ante nuptam, puerique matrimi, & patrimi hoc faciebant, duo enim sponsam deferebant eam tenentes: tertius verò ante ibat, qui facem accensam præferebat ex spino alba, qua prælucente, ad virum nupta deducebatur. Quòd facibus vterentur in nuptijs, Vergilius indicat in Bucolicis,

Mopse nouas incide faces, tibi ducitur vxor.

Facibus igitur vtebantur, quia nisi sub noctem, & in tenebris priscis seculis inire coniugium non licebat. Alexander in genialibus. Quòd verò ex spino arbore fierent faces, hoc pro auspicatissimo, & fortunato euentu veteribus habitum est: constat siquidem ex hac arbore in raptu Sabinarum pastores Tedas fecisse: quod Plinius libro XXI. cap. XIX. & libro XVI. cap. XVIII. commemorat, sed Plinij tempestate facibus carpinus, & corylus familiarissimæ fuerunt.

Q V A L I S *Idalium colens Venus.*] Idalium est Cypri nemus Veneri dicatum, quod sanctum ab eodem Catullo in illo epigrammate vocatur,

Nunc ò cæruleo creata ponto.

Quæ sanctum Idalium, &c. Vergilius, libro I. Æneid. *Aut super Idalium sacrata sede recondam.* & alio loco, *Idaliæ lucos.* & alibi, *Idaliumque nemus.* In nemore verò oppidum breue erat: de quo Plinius libro V. cap. XXXI.

Q V A L I S *Idalium.*] Comparatio concinna, nam qualis Venus ornata ad Paridem venit,

talis Iulia ad Manlium. & sic spectat ad ornatum, quo nouæ sponsæ vtuntur cum ad maritum ducuntur. Extat verò in Pandectis titulus de mundo ornamentisque legatis, quo abundè demonstratur quali ornatu mulieres Romanæ incederent vestitæ. Tibullus poëta laudat Sulpitiam ex cultu, & ornatu vestium, cum forma multum polleret etiam, inquit enim,

Sulpitia est tibi culta tuis Mars magne calendis,
Spectatum è cœlo si sapis ipse veni.

& cætera quæ sequuntur ibidem.

Bona *virgo.*] Laudat Iuliam bonitate, & sinceritate corporis, & animi. ideo subiungit, B

Bona *Alite.*] Hoc est Fausta. Augurium enim olim in auibus erat, captabanturque bona & mala omina ex volatu auium, & ex garritu. multa omina ex auibus Val. Max. de auspiciis cap. ponit, Cicero de diuinatione, & Liuius libro VI. primæ decadis meminerunt, quo loco & in nuptijs vsos fuisse Augurijs Romanos legitur, hinc apud Ouidium,

Cui mea virginitas auibus libata sinistris.

Hinc & in numismatibus auguria sumi solita dignoscitur vbi ea verba sæpe repetuntur.

Signis *receptis.*] In nuptijs auspicatissima olim fuit Cornix, bonum signum enim indicabat, quia maximæ fidei, inuiolatique fœderis Cornix sit symbolum. Societas enim mira est inter ipsas: ex duabus enim altera extincta, vidua altera permaneat, & liberûm quærendorum nubentibus gratiam demonstrat: omnia auspicia inania præter in hac vna auicula compertum est. Politianus in Miscellaneis cap. LXVII. de cornice meminit, vbi etiam dicit in duobus numismatis aureis Faustinæ Augustæ expressam imagunculam Cornicis cum ipso titulo concordiæ se vidisse. Concordiam denotare Cornices indicat, & huius seculi vir omni antiquitati comparandus Andreas Alciatus in Emblematis his nempe versibus, C D

Cornicum mira inter se concordia vita est,
Inque vicem numquàm contaminata fides.
Hinc volucres hæc sceptra gerunt, quod scilicet omnes
Consensu Populi stantque caduntque duces,
Quem si de medio tollas, discordia præceps
Aduolat, & secum regia fata trahit.

Interpretis retractatio ex chirographo ipsius in ora libri adscripto.

Signis *receptis.*] Hic errorem nostrum fatemur: in pueritia enim hæc scripsimus, nec signa fuisse militaria ex hostibus recepta fatemur, & libenter agnoscimus, tum ex nostris postea scriptis in Virgilium annotatiunculis, quæ non multo post exibunt. signa autem recepta: Ouid. libro V. fastorum hoc carmine ostendit, de Augusto loquens. E

Ille notas veteres & longi dedecus æui,
Sustulit, agnorunt signa recepta suos.

Floridis *velut enitens Myrtus asia ramulis.*] Comparat Iuliam floridis Myrti ramulis: Tanta A enim forma est in Iulia, tantaque gratia, quanta in ramulis floridis Myrti esse solet. Quæ maxima esse solet, cum Veneri dicatam esse constet myrtum. hinc Vergil. de Augusto in Georgicis, ——*Cingens materna tempora myrto.*

Myrti verò plura genera auctores tradiderunt. Marcus Cato myrtum coniugulum, & myrtum nigrum, & album in propagationibus arborum nominat. Coronam verò myrteam tumulis profundi solere mos veterum fuit: Quod etiam nunc aliqua marmorea veterum sepulchra ostentant. Myrto coronabantur triumphantes, qui incruentam retulissent victoriam. hanc tamen aspernatus est Marcus Crassus, vt Gellius in Atticis retulit, de coronis militaribus. Myrto coronabantur & amatorij poëtæ, hinc Tibullus, *Et gerat insigni myrtea seria coma.*

Asia.] Alij legunt agia, hoc est sancta, agion enim sanctum est. subsequitur enim quos hamadriades deæ nutriunt, hoc est nymphæ.

Ludicrum.] Voluptatis causa.

Ob *ludicrum.*] Nam quædam arbores sunt magis aptæ ad voluptatem, & voluptariæ, aliæ fructiferæ, aliæ nec voluptariæ nec fructiferæ. Ideo apud Vlpianum titulo de vsufructu, & quemad. vsufru. fru. in. l. si cuius rei. prohibetur vsufructuarius arbores voluptuarias deijcere, quemadmodum Platanum, quæ adeo apud veteres Romanos in delitiis habita est, vt illam vino (vt referunt auctores, præsertim Plin. lib. XII. cap. I.) irrigarent, eiusque sublata vmbra multoties mensas apparatent. hinc Vergil. in Georgicis inquit.

Atque ministrantem Platanum potentibus vmbram.

Ideo prohibetur idem vsufructuarius apud Vlpianum dictas arbores voluptarias deijcere, vt nec si forte velit hortos olitarios facere, vel aliud quid, quod ad redditum spectet (quia voluptarium prædium fuit viridiaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas, atque amænas habens) id facere nequeat.

Roscido *humore.*] Alij habent honore, alij odore, legendum tamen videtur odore: odorifera enim est arbor Myrtus. Roscido verò, quia iuxta litora nascitur Myrtus. Hinc Vergil. in II. Georgicorum. *Littora myrtetis lætissima.* & dixit Nymphas nutrire: ex rore enim victitant flores, & plantæ & herbæ. Et sic Catullus splendidam Iuliæ faciem, ac venustatem myrto, qui irrigatus guttulis roscidis emicat, comparare videtur.

Qvare *age huc aditũ ferens.*] Hortatur poëta Hymenæum, vt linquat montes Musarũ, & fontes, quia dixerat supra illum esse collis Heliconij cultorem: Et quia iã, vt dixit, Iulia Manlio nubit, proba virgo, formosissimaque, bono omine, hortaturque vt accedat ad nuptias Iuliç, ipseque illis adsit.

Thespiæ *Rupis.*] Thespia oppidum est Heliconi proximum, de quo Plinius libro IIII. cap. VII. meminit, Ibiq; (Strabo refert libro IX.) Cupidinis Statua colebatur.

Aonios *Specus.*] Antra musarum, quæ in

Aonijs montibus sita erant, intelligit, fueruntq; in Bœotia, quæ postea Aonia dicta fuit. hinc Aonides musæ, supra illos montes Aoniæ inerat Aganippe fons frigidissimus fluens. Aganippe fons in Bœotia (vt tradit Plinius) situs est, Musis sacer. Vergilius,

Vlla moram fecere neque Aonia Aganippe.

A c *domum dominam voca.*] Id est Iuliam, & sic Catullus alludit ad morem veterum, quo in nuptiis vtebantur, nam per coëmptionem contrahebantur olim nuptiæ, vsum, & confarreationem per coëmptionem, ita vt mulier, an ei materfamilias esse vellet à viro, inuicemque vir, an ei paterfamilias esset futurus, à muliere rogaretur; quo genere sponsaliorum vir, & vxor inuicem in bonis, & fortunis succedebant, mulierque in mariti familiam vt filia, & sui hæredis loco admittebatur quippe cum tribus modis contraherentur nuptiæ, vsu, coëmptione, & confarreatione, per coëmptionem vxor in viri familiam transit, quare materfamilias dicta, quæ in mariti manu, & mancipio sit, vsu verò, & confarreatione minime. quæ, quidem solis Pontificibus dabatur, Tametsi sortione nonnumquam vxores ductas, & sponsalia inita inueniamus. Alexander in genialibus, Confarreata matrimonia legitima, & sacra veteres vocabant Romana appellatione à communione Farris, quod Græci Zean vocant, nam vetus erat alimentum Far Romanis. Ideo mulierem nuptam, quæ per sacras leges viro coniuncta esset, pecuniarum omnium, & sacrorum sociam esse leges Romuli iubebant: Meminit Dionysius Halicarnasseus libro II. Romanarum antiquitatum. Illud non omittam, Farre in sacrificiis vsos fuisse veteres. Tibullus,

Farre pio placant, & saliente sale.

Ideo sacras leges de nuptiis factas, quia farra in nuptiis mandebant. Hinc diffarreatio dicta, si diuortium inter virum, & vxorem contigisset.

D o m i n a m *vocat.*] Vetus fuit mos & alius, quo in nuptiis vir, & vxor se inuicem emebant, quem morem Seruius notat super illo versu,

Teq; sibi generum Thetis emat omnibus vndis.

Nam ex Varronis libris constat veteri lege, Romanis nubentes tres asses ad maritum venientes solere peruehere, atque vnum, quem in manu tenerent, tanquam emendi causa marito dare, hinc domina vxor dicta videtur, quia emisset virum. Vnde etiam nunc dotes dantur maritis, quasi mulier sibi emat virum. hinc Catullus voca dominam, quasi eam voca, quæ materfamilias sit futura. Illud hoc loco annotarim in sponsalibus nomina propria exprimere fas non fuisse, sed vir Caius, virgo verò Caia dicebatur, Castum Caiæ Cæciliæ coniugum, quæ Tanaquil dicta Tarquinium Priscũ coniugem sortita fuit, felici nomine vsurpantes, Alexander in genialibus. verba verò ea dicebãt cum ad maritum itarent, Vbi tu Caius, ego Caia significantes illis verbis, vbi tu eris dominus, ego domina. dominum verò pro marito accipi pluribus auctoritatibus constat, & imprimis ex versu Vergiliano in IIII. Æneidos, *Connubia nostra Reppulit, ac dominum Aeneam in regna recepit.* quo loco annotauit Nonius Marcellus quandoque dominum pro marito accipi, Ideo in Genesi cap. XVIII. Sara sanctissima mulier vxor Abraæ, de Abraa viro suo loquens ait. *Dominus meus vetulus est.* Quod diuus Petrus in Catholica Epistola repetit cap. III. his verbis, *sic enim aliquando, & sanctæ mulieres sperantes in deo ornabant se subiectæ proprys viris, sicut Sara obediebat Abraæ, dominum eum vocans.* hæc Petrus. ex quo diuus Chrysostomus in epistolam primam ad Corinthios homelia. XXVI. *Priscæ (ait) illæ mulieres viros suos dominos vocabant.* Non prætereunda Bersabæe, quæ Dauid Regem maritum suum alloquens. III. *Regum.* I. *Domine (ait) mi Rex tu iurasti, &c.* Apud Ouidium in Fastis libro II. Lucretia maritum suum Collatinum dominum hoc pacto nominat,

Mittenda est domino, nunc, nunc properate puellæ,
Quàm primum nostra facta lacerna manu.

Ex Iureconsultis etiam annotauimus aliquando dominum pro marito accipi solere, idque constat primo ex quadam epistola scripta ab vxore marito apud Paulum in lib. eaque in principio. ff. de donat. inter virum & vxorem in hæc verba, *Cum petenti mibi à te domine charissime annueris indulgentia tua viginti ad expediendas quasdam res meas; quæ summa mibi numerata est, sub ea conditione si per me, meosq; mores non steterit quo minus in diem vitæ nostræ matrimonium permaneat, siquidem inuito te discessero de domo tua, repudium tibi sine vlla quærela misero, diuortiumve factum per me probabitur: Tunc viginti, quæ mibi hac die donationis causa dare voluisti, daturam, restituturam me sine vlla dilatione spondeo.* Item Scæuola de legato. ij. in. l. Lucius Titius. §. Quæ marito. *Quæ marito (inquit) hæres extiterat ita testamento cauit. Maui & Semproni dulcissimi filij percipitote omne quicquid ex hereditate bonisve Titij domini mei Patris vestri ad me peruenit mortis eius tempore, ita tamen vt omne onus eiusdem hæreditatis, tam in præteritum, quàm in futurum, nec non etiam si quid post mortem Titij domini mei solui agnoscatis.* Item Scæuola in. l. vxorem. §. Testamento de legat. III. *Publio Manio domino meo ab hæredibus meis dari volo pueros quinque ex meis, duntaxat intra annos septem, &c.* in eadem. l. vir vxori suæ ita fidei commisit. *Peto à te domina vxor, ne ex fundo Ticiano partem tibi vindices, cum scias me vniuersam emptionem eius fundi fecisse, sed beneficio affectionis, & pietatis, quam tibi debui, eandem emptionem cum nummis meis comparassem tecum communicasse.* Et hæc satis sint citata: multa enim alia, quæ in iure sunt similia loca adduci possent, quæ prolixitatis citandæ gratia prætereo.

V t *tenax hederæ.*] Comparat amplexum Iuliæ, & Manlij Hederæ. versus verò Pollionis ad Gallienum Augustum Imperatorem hoc loco faciunt,

Ite agedum Pueri, pariter sudate puellis
Omnibus inter vos, non murmura vestra columba,
Brachia non Hederæ, non vincant oscula concha.

H a c *& hac.*] Ab hac parte, & ab alia. Hedera

herba est, qua olim coronabantur poëtæ. vnde Vergil. ecloga. VIII.

——Atque hanc sine tempora circum
Inter victrices Hederam tibi serpere lauros.

Nam lauro tantum Imperatores coronabantur. Hedera Vlpianus. ff. de arbor. fur. ces. l. vitem. Hederæ quoque & arundines non male dicentur. Hederam Alciatus eleganter in emblematis describit his versibus,

Haud quaquàm arescens Hedera est arbuscula, cisso
Quæ puero Bacchum dona dedisse ferunt.
Errabunda, procax, auratis fulua corymbis,
Exterius viridis, cætera pallor habet.
Hinc aptis vates cingunt sua tempora sertis,
Pallescunt studijs, laus diuturna viret.

De Hedera plenius in exercitationibus nostris in iure sparsim contentis dixi. Ideo nunc hîc scribere supersedeo.

VOS *item simul integræ.*] Hoc est intactæ, incorruptæ, quibus par dies aduenit, qui in nuptiis etiam ipsarum sit inuocandus, vel par dies, quia etiam ipsæ virgines sint nubiles, quæ possent eadem die, qua Manlius & Iulia nubant, inire matrimonium, & sic par respicit ipsas virgines viro maturas.

AGITE *in modum.*] Ad mensuram, & Rhythmum cantantes: alij legunt in nodum, id est choream rotundam, sed syllaba stat contra, vt Guarinus dicit hic.

VT *lubentius audiens Se citarier ad suum Munus.*] Sic construe, vt audiens se citarier ad suum munus huc lubentius aditum ferat.

DVX *bonæ veneris.*] Hoc dicit, quia est & mala Venus. Nam alij ducunt vxorem voluptatis gratia, alij verò, vt gignant sobolem. Item mala est & Venus, cum mulier porrigit viro, quod contra sit naturam, nec paritura viros: aduersus quod crimen insurgunt leges, Armantur iura gladio vltore vt. l. cum vir nubit. C. ad leg. Iul. de adult. vel etiam dicit Dux bonæ veneris, quia Manlius non amplius sit vsurus mascula venere ducturus vxorem, nam infra taxat Manlium ex coitu illicito, quem leges damnant mirum in modum. Authen. vt ne luxur. contra nat. vel etiam dicit, bonæ veneris propter illicitas nuptias hoc est nefarias, quæ contrahi solent cum consanguineis.

BONI *Coniugator Amoris.*] Quia est malus amor, hoc est turpis, qui quidem, donec voluptas adest, durat: profligata voluptate, statim euanescit.

QVIS *Deus Magis Optimis Est Petendus Amantibus?*] Hoc est nullus petendus magis, quàm Hymenæus, vel appetendus.

OPTIMVS.] Illi sunt optimè coniugati, qui inter se fœdus obseruant, datamque in matrimonio fidem non frangunt, nec mortuo marito primo, alium habere cupiunt, ac quæritant. Ideo optimi Amantes erunt, qui vna contenti vxore nullam aliam sibi in matrimonium copulare tentabunt, sicque optima vxor, quæ nullum alium præter vnum habuerit: si quidem veteres Romani experientiam multorum connubiorum esse quasi cuiusdam intemperantiæ signum putabant: Ideo culpam iterare matrimonium

A appellat Virgiliana Dido in IIII. Æneidos ita.

Huic vni forsan potui succumbere culpæ.

Nec violanda est data fides Castitatis marito mortuo, sed faciendum prout eadem Dido canebat eodem loco apud Poëtam nempe hoc pacto.

Ante pudor! quàm te violem, aut tua iura resoluam;
Ille meos primus qui me sibi iunxit amores
Abstulit, ille habeat secum seruetq; sepulchro.

QVIS *Deus magis ac magis.*] Ita legunt alij vt Varinus. Nihilominus idem alteram agnoscit.

B TE *suis tremulus parens inuocat.*] Tremulus ob senectam & hoc euenit propter deficientiam sanguinis, vt trepident senes, nam sanguis est quasi calor concretus, quo sine, & quo decrescente senes fiunt frigidi. ex qua frigiditate tremor in membris nascitur ideo minus apti senes ad laborem. Hinc Verg. *Frigidus in venerem senior.* Empedoclis fuit sententia quòd vis animi esset sanguis circa præcordia & ille cui frigidus sanguis sit, is natura sit tardi ingenij, & hebetis: ille verò cui sit sanguis calidus, prompti, & celeris ingenij existat, vnde Verg. in II. Georgicorum

C ait.

Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis.

SVIS:] Filiabus scilicet. nam parentes inuocant Hymenæum, vt nuptiæ filiarum suarum sint fortunatæ maritosque habeant bonos.

TIBI *virgines zonula soluunt sinus.*] Hoc est castitatem, & pudorem deponunt apud te, vel propter te ô Hyminæe virgines soluunt zonula sinus, te spoliant, vt eant in tectum coniugis. soluunt verò trisyllabum est, vt hîc Varinus admonet. Tangit verò morem Catullus, Nam solebant virgines zonula circuncingi, quæ à viro nuptiarum die soluebatur. Hinc Catullus alibi.

D *Ne quærendum aliunde foret neruosius illud*
Qui posset zonam soluere virgineam.

Scribit Alexan. Neapolitanus in genialibus in libro II. cap. V. Flamminicam cingulo ex lana ouis contexto cingi solere, quod Herculaneo nodo vinctum nemini, nisi in geniali toro, & dum sacrum nuptiale fit, soluere permittitur, ominis causa scilicet, vt in sobole gignenda, educendisque liberis sicut Hercules, fœcunda foret, eo nempe argumento quòd illum eximiæ fœcunditatis (quippe qui LXX. ex se liberos reliquit) fuisse dicunt. Spartanis etiam vt idem re-

E fert, mos fuit, vt pronuba patente cubiculo sponsam solam constitueret, cui sponsus in tenebris zonam exsoluens primos congressus capiebat. De zona meminit Vlpianus in. L. vestis. §. muliebria. ff. de auro, & argento legato. vbi Alciatus libro VII. parergon, cap. XXVI. hæc refert, scribit Strabo lib. Geographiæ IIII. Tempestate sua præsertim id fuisse Gallis curæ, ne pinguiores seu obesi forent, néue προγάστορες, id est ventre prominenti, habuisseque eos lege cautum, vt cui iuueni venter supra præscriptam zonæ mensuram prominerer, ei mulctam dicerent Iudices, hodie quoque apud nos sunt qui nulla legis necessitate zonam ilibus adstrictam gerant, vt σφηκώδεις sint, id est ventre more vesparum exili, cuius rei dant

pænas renum, lumbosúmque facillimè correpti, cum non corrigiis, sed viuendi legi id sit tribuendum: quod Cœlius Aurelianus lib. χρονιῶν. v. cap. xii. docet.

Te *timens.*] Timet enim Deum Hymenæum sponsa, nec audet negare se nolle adire sponsum, vt faciunt plurimum virgunculæ pudentes.

Cvpida *nouos captat aure maritos.*] Desiderat enim habere maritum. Ideo aure attenta auscultat quid loquantur parentes eius, cum de locandis ipsis verba faciunt. vel captat nouos maritos aure, hoc est expectat sponsum qui adueniat in lectum, & sic stat arrectis auribus, an iam iam maritus in vlnas accepturus ipsam adueniat.

Tv *fero iuueni in manus &c.*] alij legunt Fer, & faciunt esse duas dictiones, hócque modo constructionem faciunt. Tu ô Hymenæe Hymen fer, id est adducas, vel pro aufer floridam puellam à gremio suæ matris in manus mariti, hæc Varinus. sed non placet (pace sua dictum sit) cum non possit stare sensus integer; Ideo fero vnam dictionem esse nobis magis arridet, vt sit sensus, Tu dedis fero Iuueni, hoc est feroci ipsam puellam in manus à gremio suæ matris, id est sublatam à gremio matris; A, enim auferendi casus est. Notat Alciatus A, præpositionem duplicem significationem præter eas, quæ à Grammaticis obseruantur, habere, idque libro vii. cap. xxi. excessuum, Primáque (inquit) apud Neratium Priscum habetur in l. sed si hoc. ff. de conditio. & demonstratione vbi dicitur is, *cum vir vxori legat si à liberis non nupserit*, &c. interpretatur Alciatus si donec filios habuerit, eos non deseruerit, & non nupserit. Nam ratio ex vi separationis sumitur, quemadmodum hoc loco Catullus, Dedis à gremio matris suæ in manum viri. A. enim præpositio separat, vt ex allegato textu Neratij Prisci. vox enim hæc naturaliter habet istam separationem, Plautus, *A morbo bene valui, ab animo æger fui*, id est quantum ad morbum, vel quantum ad animum pertinet, Et ita forte in dicta. l. si à liberis non nupserit, intelligendum est, si quantum ad liberos pertinet non nupserit, &c. quæ ibi Alciatus doctè declarat.

Nil *potest sine te Venus commodi capere.*] Rectè inquit, hoc Catullus, neminem posse commodè vti venere, nisi qui matrimonio iungatur, omnis enim alia venus, quæ exercetur extra matrimonium libido est, nec iusta venus. Iustas igitur nuptias inter se ciues Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coëunt, quique consensu parentum nubunt: Ideo subsequitur Catullus,

Fama *quod bona comprobet.*] potest quis vti venere, sed tamen id fama bona non comprobat, quia qui adulteram, aut concubinam domi retinet, aut meretricem sequitur, hoc bonam famam hominis lædit. Ideo qui nubit volente Hymenæo sibi famam comparat bonam, quia quæ licent, & honesta sunt, facit.

Qvis *huic Deo compararier ausit?*] quasi dicat nullus est qui possit comparari Hymenæo, quia optima permittit, illicitúmque coitum ablegat.

Nvlla *quit sine te domus liberos dare.*] Nam nemo potest veram familiam habere, nisi qui ex legitimo matrimonio susceperit liberos. Cæteri enim, qui ex illicito coitu producunt filios, suscipiuntque, non verè filij possunt ex illis dici, quia non legitimi sunt, nec lineam patris sequuntur, sed matris solum vt. ff. de statu hominum. l. lex naturæ est. inquit Vlpianus, lex naturæ est, vt qui nascitur sine legit. matrimonio, matrem sequatur, nisi lex specialis aliud inducat, illi vero qui ex legitimo matrimonio nati sunt patrem liberi sequuntur, vulgo quæsitus matrem sequitur, vt ait Celsus. l. cum legitime. ff. de statu hominum.

Liberis *dare.*] liberorum appellatione nepotes, & pronepotes, cæterique qui ex his descendunt continentur, hoc enim omnes liberorum appellatione lex xii. tabula comprehendit vt Callistratus inquit, l. liberorum. ff. de verb. significatione, quo sensu & Prætores in edictis accepisse Alciatus interpretatur, vt cum patroni libero in ius sine venia vocari prohibuerunt. l. sed & si. §. fi. ff. de in ius vocando. stricte tamen hæc vox liberorum quandoque accipi solet, & vsque ad trinepotem solum intelligi, Et ita nonnulli veterum existimauerunt quod à Pomponio, & Paulo relatum est in l. Iurisconsultis. ff. de gradibus. At C. Cassius & Vlpianus & Callistratus in. d. l. liberorum latius pertinere existimauerunt, & in infinitum dici, idque tanquam honestius meritò obtinuit. Cum igitur hoc nomen liberorum sit collectiuum, ad pluresque gradus trahatur, si quis fratrem & eius liberos instituere voluerit, vt cap. Raynutius de Testamentis, ordine successorio eos vocasse videbitur, quod non est receptum, si filios dixisset. l. Gallus. §. i. ff. de posthumis, & liberis. Nam propriè appellatione filiorum nepotes, & descendentes non contineri verius est. l. quòd si nepotes. ff. de testamentaria tutela, quod & existimat sophos Alciatus sed ex interpretatione tantùm, in cuius tractatu quid sentiendum sit, ne hic ego Iurisconsultum agam, vide prællegatum D. Alciatum in. l. filij, & l. iusta, & l. natorum. ff. de verborum significatione, vbi ille eleganter omnia & doctè interpretatur.

Nec *parens stirpe dicier.*] id est si nuptiæ non factæ sint iustæ, sintque illegitimæ, Parens non poterit dici, cum nothi, vel spurij potius nominandi erunt, qui ex tali vetito matrimonio nascentur, Parénsque illis non sit. Nam vt ait Modestinus vulgò concepti dicuntur qui patrem demonstrare non possunt, vel possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet, qui & spurij appellantur, σπόρᾳ τοῦ ποιεῖν.

Nec *stirpe parens dicier.*] stirpe, innuit enim stirpem originem familiæ non futuram, cum illi non verè dicendi sint filij, qui ex non legitimo matrimonio nascantur, & correlatiua sint

filius,& parens & vt refert Varinus ex Donato illud Vergilianum exponente I. Æneid.

—— pulchra faciat te prole parentem.

ex adulterio non potest dici pater.

QVÆ *tuis careat sacris, Non queat dare præsides Terra finibus.*] ordo est. Terra quæ careat tuis sacris, non queat dare præsides finibus. Varinus existimat hoc loco Catullum alludere ad morem Romanorum, vt Poëta feciales, & patrem patratum intelligat, nam pater patratus dicebatur qui idem esset pater & filius, hoc est patrem suum haberet, & filios nec alio modo fieri pater patratus poterat, nisi patrem suum adhuc viuum, & liberos viuentes haberet. Igitur hoc innuit fieri non posse sine Hymenæo, hoc est sine legitimo matrimonio,& sine solemnitatibus sacrorum Hymenæi. Erant autem Feciales ex optimis domibus viri electi per omne ipsi vitæ tempus sacrati: Numa rege primum: hoc etiam Romanis sacrum vetustum cõstituente, vt Dionysius Halicarnasseus lib. II. Rom. antiq. refert. Quod autem dicit, non queat dare terra præsides finibus, hoc etiam loco morem Fecialium, & patris patrati vult intelligere: Nam dabatur apud Romanos olim soli patri patrato potestas indicendi bellum. Ideo is mittebatur ad hostium fines ibique solennia quædam verba dicebat, in illorúmque fines hastam ferratam iaciebat, vt apud Titum Liuium habetur, vel verius (vt puto) intelligit Catullus quòd terra nequeat dare præsides finibus absque Hymenæo, hoc est quia non poterant præsides esse, qui non legitime nati essent quod nusquam tamen memini me legisse. vel tangit morem mittendorum præsidum ad prouincias; vt habetur. ff. titulo de officio præsidis. Erant enim prouinciæ præsidiales olim ad quas mittebantur præsides, inter quos ex Hispania fuere Tarraconensis, Carthaginensis, Gallitia insularis, quæ & trans fretum, vt Alciatus in libello de magistratibus meminit. Refert idem Alciatus eodem libello Augustum Cæsarem omnium prouinciarum, quæ sub Imperio Romano erant formulam ita diuisisse, vt aliæ proconsulares, aliæ prætoriæ, aliæ præsidiales essent: proconsulares Senatui, prætorias Populo demandandas tradidit: in præsidiales ipse legatum suum qui nunc præses, nunc legatus Cæsaris eam ob causam dicebatur, mittebat; Annuus verò Consulum magistratus, Præsidum verò certus finis non erat, sed in officio perseuerabant, donec successor à Cæsare mittebatur, vt etiam in vita Augusti Tranquillus attestatur. sciendum & illud præsidiales prouincias ex Aphrica factas fuisse Tripolim & Mauritanias duas, Sityphensem, & Cæsariensem, quod & à me in libello exercitationum nostrarum sparsim in Iure contentarum abundè relatum est. Sed de Præsidibus hæc satis. Nam vix est facile vt in his versibus Catulli certus elici possit sensus. Pateat quicquid hîc alij scripserint.

CLAVSTRA *pandite ianua.*] Ianitores vt fores pandant alloquitur, vt noua sponsa exeat, & ad domum mariti se conferat.

FACES *splendidas quatiunt comas.*] hoc est flammarum apices. faces verò dicit, iuxta ritum Romanum. solebant pronubæ & vnis viris nuptæ ferre illas ante sponsam, & erant quinque faces, quæ in honorem quinque deorum in connubiis ferebantur: Nam solebant in nuptiis quinque deos inuocare, quos credebant sibi propitios futuros, & matrimonium secundare: Iouem nempe adultum, Iunonem adultam, Venerem suadelam, & Dianam. Varinus hîc de facibus quinque loquens: existimant veteres (inquit) respexisse ad numeri imparitatem, auctore Plutarcho in quæstionibus, quæstione secunda, Cuius rationem ille prolixiusculè prosequitur, attamen doctè, vt semper.

VIRGO.] adhuc virgo, nunquam nupta.

SED *moraris?*] Increpat moram sponsæ, Nam (vt dicit Terentius) dum comuntur, dum vestiuntur mulieres, annus est.

ABIT *dies.*] nunquam reuersurus, semel enim elapsum tempus nunquam amplius reuertitur, Nam vt canebat Ouidius,

Tempora labuntur tacitisque senescimus,
Et fugiunt fræno non remorante dies.

vel abit, id est, properat dies, Iuxta illud Vergilianum,

Collige virgo rosas dum flos nouus & noua pubes.
Et memor esto æuum sic properare tuum.

PRODEAS *Noua nupta.*] exi è domo, iam non amplius morare.

TARDAT *ingenuus pudor.*] detinet te innatus pudor. Pudor à rubore prouenit in vultu, quod bonum significat, tum maximè in pueris: in prouectioribus verò nescio quid malum portendit, sed melius est pudere, quàm pallescere. Vergilius dictus fuit Parthenios, hoc est verecundus: verecundia enim flagrabat præter modum. Ingenuus pudor: Tibulli hoc loco pertinet illud lib. III. eleg.

Vt iuuenem primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.

QVÆ *tamen magis audiens flet.*] Cum audit se oportere ire ad maritum magis flet: Nam pudor obstat quominus ire velit, Ideo sciens necesse fore sibi vt adeat sponsum, flet magis. flet: sæpenumero flent puellæ cum nubunt, & quanto magis succurrit menti pudor, tanto magis illachrymantur: Nam Vergilius scribit Didonem fleuisse IIII. Æneid. cum Æneam habere cuperet, & mouisse lachrymas, cum animo pudor subiisset. Nam ait,

Ante pudor quàm te violem, aut tua iura resoluam.

& postea,

Sic effata sinum lachrymis impleuit obortis.

QVOD *ire necesse sit.*] Non tamen flet propter id, sed propter pudorem, quem credit amittere. Necesse enim vt parentibus obtemperet. quod alibi Catullus ostendit,

Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est. Nam omnes leges iubent filios parere debere parentibus. Hinc leges iuregentium in l. veluti. ff. de Iustit. & Iure admonent (teste Pomponio) vt parentibus, & patriæ pareamus. vide Dionysium Halicarnasseum qui legem Ro-

muli recitat de patria potestate in filios libro 21. Roman. antiq. vide titulum. in instit. de patria potest.

Flere *desine non tibi Herculeia periculum est.*] Herculeis patronimicum esse, vt Priameia, credo, hoc est filia Herculis, quasi Iulia fuerit filia viri fortis, qualis fuit Hercules, vel Herculeia idest filia solis. Nam Macrobius asserit Herculem Solem esse, quasi Heraclem, idque ex nomine clarescere. Nam nil aliud est Hercules, quàm Heras, id est Iunonis quod est aëris, cleos gloria, vel laus, Nam quæ magis gloria est aëris, quàm solis illuminatio? vnde subsequitur,

Neqva *fœmina pulchrior Videbit venientem Clarum ab occeano diem.*] id est, non debes dubitare quòd aliqua fœmina pulchrior te inueniatur, quæque magis diem clariorem, ac sereniorem quàm tu habebis, sit visura, cum sit solis filia: Alluditque Catullus ad morem veterum: Nam cum inituri essent fœdus sponsaliorum, id in primis canebatur, ne in motu cœli, aut terræ, néue in turbatiore cœlo & die in quieto fieret, hæc enim præcipue nuptiis aduersari putabant, Ideo Vergilius in IIII. Aeneid. cum Iuno optaret Aeneam Didoni coniungi. Sed ne diutius id matrimonium consisteret, sic volente Ioue facit quòd fiant sponsalia tempore turbati cœli. Inquit enim his versibus Iuno

His ego nigrantem commista grandine nimbum
Desuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.

Hercvleia *periculum.*] nonnulli intelligunt de morbo comitiali, quem passus est Hercules, quod nusquam legi: alij Iuleiam legunt, quidem moderni, meóque tempore cum hæc iam annotamenta à pueritia composuissem, Arunculeia ex vetustis codicibus malunt legere. Sed cuique esto suum iudicium, ego vulgatam lectionem Herculeia accipio, proboque.

Clarvm *ab occeano diem venientem.*] id poëticè dictum est, sicuti apud Poëtam

Oceanum interea surgens Aurora reliquit.

Talis *in vario solet.*] Comparatio ad sponsæ pulchritudinem, in vario hortulo, quia varios cultus cultori refert, olus suaue, & multiplex herbæ genus, vel propter diuersos flores.

Stare *Flos Hyacinthinus.*] Dicit autem stare quia rectus est, & viuidus, non languidus. Hyacinthus puer fuit dilectus ab Apolline, qui per insaniam se ipsum interfecit, & mutatus in florem sui nominis. de hoc Ouidius in Transformationis libro x. meminit. Nota est fabula. notat hic multa Varinus varias grammaticorum soluens quæstiones, quas prætereo prolixitatis causa: Illud tamen lectores, admonebo, ne Hyacinthum credant esse, quem nos Itali vulgo cariofilum vocamus. Est enim Hyacinthus Græcis, quod Latini vacinium appellant. crescit enim vna cum satyrio, sed odoratissimum florem gerit, propemodum odore similem violæ altili, sed vehementiorem, & colore ac foliorum ordine differt à satyrio, estque radice

A bulbosa, vt Carolus Stephanus in libello de re hortensi annotauit, & quem florem pluries me vidisse memini cum in Ferrariensi Academia operam literis darem.

Avdias *verba nostra.*] Nam forte verba quædam solennia in nuptiis dicebantur, vel hoc dicit audias nostra verba, id est iam sis nupta sponsa, vel audias cantus nostros, vel sic, verba nostra audias, hoc est nobis, verbísque nostris annue.

Faces *aureas quatiunt comas.*] supra dixit splendidas.

Nam *tuus leuis in mala deditus vir adultera.*]
B remouet suspitionem à viro bono, dicens virum optimum, qui non sequitur meretrices, nec turpia, sed te solam amabit. non leuis, hoc est constans. secubare, hoc est seorsum cubare.

Lenta *qui velut adsitas vitis implicat arbores.*] Sic autem strui debet, qui implicabitur in tuum complexum, velut lenta vitis implicat adsitas arbores.

Lenta *vitis.*] id est flexilis, Vergilius,

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

Adsitas.] id est simul sitas. hoc autem dicit sicut vitis solet super arboribus serpere & ramos suos seu propagines in eis implicare: ita in
C amplexum sponsæ implicabitur sponsus, & est concinna comparatio.

O cvbile *quot omnibus &c.*] Varinus dicit hic esse fenestram quandam, & tres versus deficere: ideo non facilè certum sensum elici posse. Ideo & nos minus apti ad id resarciendum, quod vir ille doctus reliquit inenarratum, & inexcussum, fenestram (vt inquit ille) vacuam relinquemus.

Tollite *ô pueri faces.*] hoc est attollite: non autem, vt nonnulli, auferte. morem enim veterum intelligit. Pueros verò patrimos, & matrimos innuit, de quibus supra meminimus. Liuius libro VII. belli Macedonici, *Patri-*
D *mi omnes, matrimique ad id sacrificium adhibiti.* Et puer tria significat: nam seruum puerum appellamus, & puerum ad differentiam puellæ, cum puerilem ætatem demonstramus, vt ait Paulus Iurisconsultus in l. pueri appellatione ff. de verborum significatione. in sacris literis viri probi, & sancti etiam senes pueri vocantur propter puritatem vitæ. hinc in cantica Zachariæ, *Et erexit cornu salutis in domo Dauid pueri sui.* & alibi *Habraam puerum tuum effecis patrem gentium.*

Flammevm *videor videre.*] Dicit se videre
E sponsam habentem iam tectum caput Flammeo. Ideo hortatur pueros vt faces arripiant, canténtque versus aptos ad expellendum fascinos.

In *medium concinnite.*] hoc est in Rhythmum, & mensuram. nam in nuptiis solent vti cantibus, & citharis, dum choreis & saltationibus incumbitur.

Nec *diu taceat procax Fescennina locutio.*] id est statim cantetur ad remouendum fascinum. nam Fescennini versus canebantur: Erant autem omnis lasciuiæ, & opprobriorum pleni: qua

de causa procax dicit Poëta. vnde Horatius cum A de fascino genere incantationis loquitur, dixit, *Minúsve languet fascinum.* vocauêre autem versus Fescenninos veteres à Fescennio Campaniæ vel Sabinorum, vrbe vbi carmina nuptialia inuenta, & posteris memoriæ data sunt primum. ea fuerunt quidem procacia & lasciua licentia coniugali in nuptiis decantari solita per ludum, iocúmque amoris, gratiásque & mistos leporibus lusus continentia, quos Augustus in Pollionem scripsisse, eúmque mordaciter taxasse fertur: quibus quòd non responderet increpatus Pollio, se non facile dixit in eum scribere, qui B posset proscribere. Hæc Alex. Neapol. lib. II. genial. dierum cap. V.

NEV *nuces pueris neget desertum Domini audiens concubinus amorem.*] Hoc dicit quia Manlius concubinum habebat. Ideo si desistant canere versus Fescenninos negare posset concubinus pueris nuces, id est non spargeret illas pueris, nec relinqueret puerilia, sed iterum hero suo nates porrigeret. Itaque sequitur illud

DA *nuces pueris iners concubine.*] hortatur autem puerum Manlij concubinum, vt cum eius dominus vxorem ducat, desistat ab libidinis officio. C

DA *nuces.*] morem innuit Catullus in nuptiis veterem. Nam vt Alex. in genial. ait, dum vxor ad virum vadit, intranti domum, nuces iuglandes flagitant, cásque pueris iaciunt. spargunt autem nuces vel quia iactu tripudium excitant, vel quòd gemino intectæ operimento fœtus suos multipliciter muniunt, similia in fœtibus nouæ nuptæ augurati. Athenis moris erat, vt sponsi caput caricis & palmarum fructibus, legumine & colybiis inspergant, quòd & seruis nouiciis cum primùm dominorum ædes introissent fieri vsurpatum fuisse in fine libelli exercitationum nostrarum meminimus. D

DA *nuces.*] Seruius ex Varrone super illo bucolio versu, *Sparge marite nuces*, aliam rationem spargendarum affert, quam in præsentia omitto: quia omnibus satis notus est ille locus.

SATIS *diu lusisti nucibus.*] hoc loco pertinet Persianus ille versiculus satyra prima

——Et nucibus facimus quæcunque relictis.

Ludebant olim pueri ephebi nucibus: vnde illud Martialis.

Alea parua nuces & non damnosa videtur;
Sæpe tamen pueri perdidit illa nates.

Sex ludos ex nucibus fuisse apud veteres ex Elegia de nuce apud Ouidium facilè comperimus. E Cuius versus hic apponere non omnino fuerit inconueniens, vt cum puerilia ista à me adhuc puero conscripta fuerint, etiam eius rudimenta ætatis legentibus appareant. Sic igitur de nucum ludis Ouidius scribit.

Has puer aut certo rectas diuerberat ictu:
Aut pronas digito bisve semélve petit.
Quattuor in nucibus non amplius alea tota est.
Cum sibi suppositis additur vna tribus.
Per tabulæ clinum labi iubet alter, & optat
Tangat vt è multis qualibet vna suam.
Est etiam par sit numerus, qui dicat an impar,
Vt diuinatas auferat Augur opes.
Fit quoque decreta, qualem cæleste figura
Sydus, & in græcis litera quarta gerit.
Hæc vbi distincta est gradibus, quæ constitit intus,
Quot tetigit virga tot capit inde nuces.
Vas quoque sæpe cauum spatio distante locatur:
In quod missa leui nux cadat vna manu.

Hæc libentius adduxi hoc loco propterea quòd multi variè legunt hos versus, alij enim dilaniat vt Erasmus, alij diuerberat: & figuram alij figiram, vt Aldus Ro. Sed hæc aliàs excussi vna cum Petro Ancharano adolescente erudito Regiensi, & nostrorum studiorum participi amicóque nostro, cum illi proposuissem nucem Nasonianam in rhythmum Ethruscum vertendam, quam quidem eleganter (me suadente) illique annuentibus musis in linguam Italam retulit. Nunc postquam hic locus expostulat de nucibus ocellatis quibus Tranquillo mentio habetur in Augusto, nonnulla dicam cum videam ab Auctoribus nonnihil disputatum, variásque sententias ab iisdem afferri. Scribit igitur Suetonius hunc in modum, *Augustus animi laxandi causa modo piscabatur hamo, modo talis, aut ocellatis nucibúsque ludebat cum pueris minutis, quos facie, & garrulitate amabiles vndique conquirebat, præcipuè Mauros, & Syros &c.* Beroaldus interpres ibi locum Suetonij multis modis legit aliósque legere asserit, & accipere pro pillulis rotundis instar ocillorum, quibus puellæ oblectantur: alij legunt castellatis nucibus, pro castellatim positis, quemadmodum scripsit Ouid. in nuce: Alij legunt oscillatis, quasi Augustus luderet oscillis hoc est breuibus imagunculis de quibus in Saturnalibus Macrobius meminit. Nam in sigillaribus loco Romæ fiebant imagines exquisitæ artis, vt in exercitationibus meis disserui. Constat etiam ex Vergilij versu oscilla fuisse rusticanum ludum;

Oscilla ex alta suspendunt mollia quercu.

sed hæc nec mihi satis arrident, nec quadrare videntur. Alexandri igitur Neapolitani sententia magis placet dicentis in genialibus suis. lib. III. cap. XXI. Nuces ocellatas legendum esse pro nucleis, quos in persicis pomis sitos inspicimus, quibus persæpe ludere nostrates pueros hodie videmus, dictas ocellatas propter ocellos, & foramina quibus muniuntur vndique, nec nuces auellanas, vel amygdalas intelligi debere, sed de persicorum ossibus quibus tunc ludebatur, vt nunc frequens puerorum lusus est intelligi conuenire: cuius sententiam exploratam, & non ambiguam nos quoque comprobamus: Et si interim valde demiror Egnatium in annotationibus, quas Suetonio addidit, hunc locum ita exorbitanter intermisisse, tanquam illum pro claro habuerit, vel quia certius appareat illum in partes Alexandri magis inclinasse; vt nihil vlterius dicendum fore arbitraretur. sed de nucibus hæc satis. Ad reliqua textus Catulliani deueniamus.

IAM *Iubet iam seruire Thalassio.*] id est iam

seruiendum matrimonio. Nam Thalassius deus est nuptiarum. A

SORDEBAM *tibi villice concubine hodie atque heri.*] obiicit Catullus cinædo Manlij quòd negauerit sibi concubitum, quódque ipse Catullus sorderet, appellátque ipsum concubinum rusticum.

NVNC *tuum cinerarius os tondet.*] ostendit Poëta concubinum Manlij non amplius esse idoneum ad libidinem cum iam sit barbatus vnde illud apud Græcos in hunc sensum.

Sum puer exclamas Corydon, subigisque fateri,

In te reclamat sed tua barba: vir es. Cinerarius id est tonsor à cinere dictus quia lixiuium cinere conficitur. hinc Valerius Max. Romanos permisisse mulieribus vinum non bibentibus vt cinere crines suos rutilarent, quo formam suam concinniorem efficerent, scribit de institutis antiquis. B

MISERAM *miser.*] Vocat illum miserum, ac infelicẽ, si credebat formam suam semper duraturam, séque nunquam barbam emissurum. cùm constet formam bonum esse fragile, in prooemio Catilinarij. Diuitiarum, & formæ gloria fluxa atque fragilis est. vnde Vergil.

Collige virgo rosam, dum flos nouus, & noua pubes,
Et memor esto æuum sic properare tuum.

& alibi designat formam caducam esse, C

O formose puer nimium ne crede colori,
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Hinc & Ouidius.

Non semper violæ, non semper lilia florent,
Et riget amissa spina relicta rosa.

Boëtius lib. III. de consolatione philosophica. *Formæ verò nitor vt rapidus est, vt velox, vt vernalium florum mutabilitate fugatior.* Diuus Ambrosius libro Hexameron III. inquit. *Hodie videas adolescentem validum pubescentis ætatis, virtute florentem, grata specie, suaui colore, crastina die tibi facie, & ore mutatus occurrit, & qui tibi pridie lautissimus decore formæ visus est gratia, alio die miserandus apparet ægritudinis alicuius infirmitate resolutus.* Diuus Bernardus in libello de morum institutione: *Qualis est ista pulchritudo? quam leuis febricula, & rugosa senectus ita totam dissoluit, vt nec fuisse putetur.* Ideo in tumulis veterum insculptam rosam non sine ratione credimus, sed vt denotarent fluxam formam fore, & aliquem in adolescentia mortuum fuisse. Et si aliam rationem Artemidorus Daldianus afferat, vt latitantibus aduersetur, quia illos odore prodat se occultantes: indicet mortem ægrotis: Facile enim rosa contabescit. quam rem & epigramma quoddam ad Gasparem Iudicum Comitem adolescentem optimum à me conscriptum indicat. D

HERI *atque hodie.*] hoc dicit ad ostendendum quàm fugax fuerit eius forma cuius ostentator fuerat paulo ante. ideo sordebam, quia non putabas te modo cinerarium detondere posse: & sic hodie, atque heri pro modico temporis spatio accipitur, & dicit hodie quasi etiam ille concubinus crederet se esse imberbem, & aptum veneri, cum emisisset iam barbam & Manlius vxorem duceret. E

DICERIS *male te à tuis vnguentate glabris marite abstinere.*] Nunc loquitur ad maritum Manlium, qui difficile ab amore puerorum abstinebat, vocátque eum vnguentatum, hoc est perfusum liquore vnguentorum: nam isti amatores solent plerunque vti his odoribus, vt malos odores reiiciant. Glabros verò appellat imberbes, & depiles, sicut Plautus in Aulularia. *Tu istum gallum (si sapis) glabriorem reddes mihi, quàm volsus ludius'st.* Hinc deglabrare verbum apud auctores rei rusticæ, & apud Iurisconsultum Paulum in l. Cædere titulo. ff. arbor. furtim Cæsar. Cædere est, inquit, non solum succidere, sed etiam ferire cædendi causa; cingere est deglabrare Hinc illud dictum Tiberij Cæsaris à Suetonio in Tiberio relatum, cum præsides Tiberio prouincias tributo onerandas suaderent, rescripsit, *Boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere.* Hinc Catullus alibi. *Magnanimos Remi glubit nepotes.*

SCIMVS *hæc tibi quæ licent sola cognita sed marito ista non eadem licent.*] Vertit etiam nunc sermonem ad concubinum dicens, nouimus quæ tibi licent ô concubine, quia tu es solitus irrumari. Ideo conueniunt ista tibi iam cognita, sed marito Manlio amplius non licent, quia iam maritus Manlius est, iam debet abstinere à puerorum amore.

NVPTA *tu quoque quæ tuus vir petet, caue ne neges.*] Alloquitur sponsam, ne cum ad virum sit accessura, séque in thalamum recipiet, sponso aliquid neget, nec se à viri concubitu aut alia illecebra retrahat: sicque alludit Catullus ad ritum antiquum, quem instituisse ferunt Solonem vnum ex septem sapientibus, nam antequam vxor ad virum ingressura esset, malum Cydonium in epulis exhibitum comedebat, vt asserit Alexander in genialibus, vt ab ore sponsæ quicquid procederet gratiæ, & suauitatis plenum esse debere significaretur. Hunc morem Alciatus noster vir omnis antiquitatis peritissimus in emblematum libello his versibus eleganter depinxit.

Poma nouis tribui debere Cydonia nuptis,
Dicitur antiquus constituisse Solon,
Grata ori, & stomacho cum sint, vt & habitus illis
Sit suauis, blandus maneat & ore lepos.

NE *petitum aliunde eat.*] Cum iam admonuerit Author sponsam ne marito suo quicquam neget, sed sit placida: reddit postea rationem: Nam si vxor negauerit debitam marito rem, ipse Manlius maritus, qui iam ante puerilibus amoribus operam dabat, iterum puerorum concubitus adibit.

EN *tibi domus & potens, & beata viri tui.*] ostendit Manlij domum sponsæ, quæ potens sit, & beata, hoc est fortis, & diues. Nam fortis ea domus dicitur, quæ alta familia, & nobili stemmate fulcitur, Beatam verò pro diuite accipi conuenit, vt Iuuenalis.

——*Vetula vesica beata.*

hoc est felicis, Nam veteres partim in diuitiis, partim in virtute, partim in corporis sanitate beatitudinem locabant.

FINE *quæ tibi fine seruiat.*] Hoc dicit quia

mulier, seu vxor marito subdita esse debet. Nam iuxta Apostolum, vir caput est mulieris, & in signum subiectionis velatum caput habet. Ephesi. v. & cap. Mulierem. xxxiii. q. v. & cap. Manifestum. Est enim ordo naturalis vt vxores viris suis seruiant. non autem è contra, quia penè famulas lex esse voluit vxores cap. latis. distinctione. xxxiii. q. v. nec vouere conceditur nisi virili auctoritate sit permissum. Quod etiam contingit si innuptæ permisisset pater vouere, postea nuptæ maritus velit vouere, cap. voluit. ex Romanis etiam legibus satis constat vxores, quæ parentes suos haberent, adhuc sub potestate parentum remanere, etiam si nuptæ fuissent vt. l. in fi. ff. de iniur. & fam. libell. vbi glo. not. & Bar. & l. 1. §. 1. ff. de liber. agnoscen. & l. si vxorem. C. de conditio. incert. vbi glo. not. Matrimonij tempore vxor est in potestate patris, vt instit. ad Tertul. §. 1. in fin. præter quo ad debitum Carnis, & quoad operandum, vt. ff. de operis libert. l. sicut.

Domvs *viri tui, quæ sine fine tibi seruiat.*] ostendit hoc loco & morem Catullus, quòd vxor domicilium viri sequitur, non autem vir vxoris, & quòd mutet domum suam, mariti verò sortiatur, vt. l. cum quædam. ff de iurisdictione om. Iud. Cynus etiam & Bal. in. l. ii. de iurisdictione om. Iud. annotant, quòd ita vir trahit vxorem ad sui domicilium, vt ea nullo pacto teneatur respondere in domicilio pristino: quem morem & illud Virgil. iii. Aeneid. probat. *Et patrio Andromachen iterum cessisse marito*, vbi Seruius inquit *Virgilium secundum Ius antiquum loquutum fuisse, quia vxor viri domicilium sequitur*. Hinc illud. *Relinquet Mulier domum suam, parentes, & fratres, & viro suo adhærebit, eruntque duo in carne vna.*

Qvæ *sine fine tibi seruiat.*] Apud Græcos (ex Pausania refert Alexander in genialibus) currus axis, quo domum mariti noua nupta fuerat euecta, comburebatur, vt id signum esset, illam ibi perpetuò mensuram, neq; vlla tempestate inde recessuram.

Vsqve *ad tremulum, mouens cana tempus anilitas omnia omnibus annuit.*] dicit Poëta vsque ad senectutem Manlium, & Iuliam simul victuros: & pulchrè designauit senectutem, dicendo Anilitatem canam. Nam multi Iuuenes sunt etiam cani, vt fuisse Numam Pompilium prodit Virg. in vi. Aeneid. cùm dixit.

—— *Nosco Crines incanáque menta*
Regis Romani, primam qui legibus vrbē Fundauit.

hoc Seruius. hoc idem dicit & recitat P. Crinitus lib. iiii. cap. vltimo de honesta disciplina, vbi & Tarquinium canum ab Adolescentia fuisse ex Strabone refert.

Omnia *omnibus annuit.*] videntur enim senes cum tremuli sunt capite semper annuere.

Transfer *omine cum bono limen aureolos pedes, Rasilemque subi forem.*] vocat sponsam vt mariti ingrediatur domum, sed quanta doctrina, quámque occulta eruditione Catullus noster sit repletus hoc potissimū loco se demonstrat. Ideo nobis penitus mirandam Poëtæ variarum rerum cognitionem perscrutantibus mos veterum se explicandus offert, qui in nuptiis ferè talis obseruatus est, cum ad virum sponsa esset profectura, ipsámque ianuam mariti ingressura, limen transcendere sua sponte, aut vestibulum tangere non sinebant, sed quasi raptam & inuitam è gremio, & sinu matris transcendere limina volebant, vt quasi coacta suos relinqueret, nec è propria domo exiret, nisi cogeretur, vt etiam in Ingressu vt quasi rapta in domum mariti introiret morem raptarum Sabinarum ab Romulo inuenientes. vel quia designare volebant vbi delibādus esset flos virginalis, tunc inuitam sponsam ingredi domum mariti videri debere. vel verius sponsam transcendere limen moris fuit, ne malo omine ingrederetur, vtque euitaret, non tangendo limen, malum medicamentum, amatoriumque maleficium. Nam narrat Alexand. in genialibus, Magorum commentum fuisse, vt felle nigri canis suffitas domos, & genitale sub limine defossum habeant. Ideo à sponso ianuam lana cingi, multaque lauro exornari. à nouáq; nupta postes laneis vittis attingi, & ornari, oleóque & adipe suillo vel lupino inungi, ne quid perniciosæ pestis in domum irrepat. Omitto hic quæ de Vesta dea, cui limen consecratum sit, vt Varinus ex Seruio commemorat, cum verisimilius fuisse videatur Catullum hoc dixisse propter artem magicam, vnde Virgil. in Pharmaceutria -- *Quæ nunc ego limine in ipso Terra tibi mando, debent hæc pignora Daphnin*. Siquidem multa maleficia videmus quotidie fieri in nouis sposis, vt etiam propter hosce incantatores nouus maritus cum nupta coire nequeat, & sæpe coëuntes ita ligentur, vt dissolui non facilè queant. Hinc admonuit Alciatus præceptor noster toto orbe celeberrimus, virque nunquam satis laudatus in aureolo illo libello de singulari certamine ca. xxvii. quod cum pugnatores stadium campi ingredi volunt limen saltu transilire debeant. quia multorum opinione sit receptum magicis artibus cantamina fieri, quibus is teneatur qui limen pede calcauerit, quod & ille ex P. Maronis Pharmaceutria acceptum opinatur.

Omine *cum bono.*] id est feliciter. & dicitur omen quasi orimen, quia ab ore procedit quicquid pronunciatur faustum futurum, vel infaustum. vide caput de ominibus apud Val. Max. Aureolos pedes, vel formosos intelligit vel propter sandalia. Rasilem forem hoc est nitidum.

Aspice *vt vnus occubans vir tuus in tyrio thoro totus immineat tibi.*] Varinus hoc loco dicit morem fuisse vt maritus sederet in cathedra, cum vxorem domum duxisset, & citat eum morem apud Persas referre Arrianum libro vii. de gestis Alex. Ego legi apud Alex. in genial. nouam nuptam, postquàm compta fuisset in pelle lunata sedere solitam, eique pellem sub pedibus stratam fuisse, vt designaret vetustum morem quo pellibus veteres vsi sunt.

Tyrio *thoro.*] Tibullus lib. i. *Quid Tyrio recubare thoro sine amore secundo Prodest, cùm fletu vox vigilanda venit?* vir vnus totus immineat tibi, hoc est, solus maritus tibi immineat, vt te in sinum suum accipiat, & in amplexus.

Ille *non minus atque tu pectore vritur intimo flamma*

flamma sed penite magis.] legendum illi, non minus flamma vritur pectore intimo illi, ac tibi: hoc est non minus ardet intus ipse Manlius quã tu Iulia. Penite pro penitus more antiquo.

MITTE *brachiolum teres prætextate puellulæ.*] Alloquitur puerum, qui nouam nuptam ducebat (nam vt supra dixi) duo patrimi pueri sponsam tenentes deferebant, vt dimittat iam sponsam, vt cubile viri adeat, vocátque prætextatum puerum, qui prætexta erat indutus. erat enim prætexta vestis, qua olim vtebantur pueri nobiles: & sæpe purpurea fuit, vt pudorem in pueris esse debere denotarent. olim etiam mos fuit, vt pueri prætextati in equis triumphantium veherentur, quod prodidit Alex. in genial. lib. v. cap. xx. Erat & præterea toga prætextata consularis, & prætoria, quam hi qui consulatum præturámque gessissent ferre solitabant, quam etiã in coloniis, & municipiis cuique magistratui deferre ius erat. Et hæc quidem inter antiquissima vrbis ornamenta censebatur, quippe à Tullio Hostilio primùm inuenta, vel vt alij à Balearibus. Hic postquam locuti sumus de prætexta, non omnino fuerit aspernabile, si locum Sueton. de prætextatis verbis excutimus, Quem video adhuc à plerisque non satis intelligi, nec rectè ab aliis declaratum fuisse quædam contraria adducentibus. Inquit Suetonius in vita Vespasiani. *Erat enim dicacitatis plurimæ & sic scurrilis, ac sordidæ vt ne à prætextatis quidem verbis abstineret* &c. Beroaldus illum locum interpretans Festi ait locum fuisse mendosum, & in codice legitimo prætextatum sermonem pro obscæno explicari, Quod Crinitus non vtique probat lib. xx. de honesta disciplina cap. VII. Ego tamen nec facilè Crinito hac in re assenserim; Nec Beroaldo, cùm rectius intelligi possit: Nec Vespasianus abstineret à verbis illis à quibus omnes pueri, qui prætextati erant, abstinere debeãt. Nam multa sunt quæ dedeceant adolescentes, & quæ nec dicenda sint à pueris. Nec rectè Crinitus apud Macrobium prætextata verba pro impudicis dici accipit, cum iam ex Festo clarum sit, Prætextatum dici sermonem, qui nihil obscœni referat. Quis verò primus cognomentum prætextati adeptus sit, ex Gellij noctibus atticis libro primo capite XXIII. satis liquet, si quis id volumen lectitauerit non oscitanter.

VOS *vnis senibus bine cognitæ bene fœminæ collocate puellulam.*] loquitur modo Catullus ad pronubas, quæ vni tantum viro nupserant, vt sponsam in mariti lecto collocent. Nam matronis quæ semel maritum habuissent, id munus demandabatur, tanquam castioribus, vt Alex. in genialibus refert, Ideo scribit Val. Max. apud veteres signum fuisse cuiusdam intemperantiæ, si qua mulier post primum maritum alterum suscepisset. Hinc Verg. in IIII. Æneid. iterare matrimonium culpam vocat,

Huic vni forsam potui succumbere culpæ.

Animaduertendum hîc quod Varinus admonet, vt scilicet hunc textum sic legamus quemadmodum eius Pater Baptista emendauit, *Binæ in adibus vnius &c.*

IAM *licet venias marite vxor in th. est ti. o. flor. n.*] Nunc vocat maritum vt accedat ad sponsam iam in lecto collocatam, & sic nota morem quis primus iret in lectum, an sponsus, siue sponsa.

ALBA *Parthenice velut, Luteúmve papauer.*] Comparat pulchritudinem sponsæ herbæ Parthenices, quæ cum papauere sit coniuncta. Nam Parthenica herba est habens folia candida & est fœmina, masculus habet nigra, vt Plinius meminit lib. xxv. cap. v. natural. histor. hermupoa à Græcis vocatur, & à Mercurio inuenta fuit, de hac superius mentionem habui, cùm de amaraco disserui. luteum papauer. quatuor genera à Galeno connumerantur, vt obseruauit Carolus Stephanus in libello de re hortensi, vnum est quod Dioscorides cornutum, siue corniculatum appellat, floremque luteum gerit, cuius siliquæ in extremo veluti colubri rictum præ se ferunt, & hoc esse puto quod hoc loco velit intelligere Catullus: aliud est quod nascitur in agris, dicitúrque papauer erraticum, aut Rheas, habens folia rubra, & admodum decidua, siliquas etiam multo minores. Igitur eleganter Catullus formam Iuliæ comparat Parthenicæ, & papaueri nimirum colori albo mixto rubro, vt Vergil. de forma Lauiniæ in XII.

Indum sanguineo veluti violauerit ostro,
Si quis ebur vel mista rubent vbi lilia multa
Alba rosa, tales virgo dabat ore colores.

Sic Tibullus formam depingit albo colore roseo mixto,

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus,
Vt cùm contexunt amarantis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Ego in lib. I. eleg. sic lusi,

Fulgentes oculi radiantia sydera vincunt,
Et formosa decens occupat ora rubor,
Purpureum liquido ceu si quis lacte cruorem
Misceat, aut niueum murice tingat ebur.

NON *diu remoratus es, iam venis, bona te Venus iuuerit.*] Ostendit iam sponsum venisse, qui iam diu ardebat sponsam amplecti. Remoratus es, hoc est, tardasti. est sumptum verbum à Remora quodam pisciculo, qui naues sistit etiam magnas. Alciatus in illo Emblemate èleganti in facilè à virtute desciscentes, meminit his versibus,

Parua velut limax spreto Remora impete venti,
Remoríbusque ratem sistere sola potest:
Sic quosdam ingenio, & virtute ad sydera vectos
Detinet in medio tramite caussa leuis,
Anxius vt veluti est, vel qui meretricius ardor
Egregiis iuuenes seuocat à studiis.

BONA *te Venus iuuerit.*] quia sponsam habes, non autem concubinum, vt prius.

QVONIAM *palam quod cupis facis, vel capis.*] id est, facis coram pluribus id quod decet inter sponsum, & sponsam: dicit autem palam, vt notum sit pluribus Mãlium Iuliam accepisse in vxorem non autem celatè. Nam postea negaret se Iuliam non agnouisse quantum ad matrimonium, sicque tanquam Concubinam sperneret, Ideo ad remouendũ hanc suspicionẽ dicit Cat.

CAPIS *palam quod cupis.*] & palàm est coràm pluribus, vt l. palàm ff. de verb. sig. Dicit autem & palàm, quia matrimonium contrahi debet coram pluribus, vt sit legitimum coniugium: Nam clandestinas desponsationes nihil valere ius Pontificium præcipit extr. clandest. despon sat. per totum. quo loco dicitur sobolem de tali coniunctione susceptam prorsus illegitimam censeri, cap. III. eodem titulo, quod & XXX. q. V. scriptum extat. Hinc Tibullus,

Felices olim Veneri cùm fertur apertè
Seruire aeternos non puduisse deos.

ET *bonum non abscondis amorem.*] hoc est honestum amorem non celas, vt turpem cum concubino occultare solebas.

AT *marita tuum tamen cœlites.*] Cùm Manlius publice amorem suum ostenderit, dicit Iuliam non decere sic apertè facere, quia verecundiores oportet esse fœminas viris.

NIHILOMINVS. *Pulchra es neque te Venus negliget.*] Et si cœles amorem, non ideo Venus tibi erit infausta.

ILLE *puluis Erythræi syderúmque micantium Subducat numerum primus Qui vestri numerare Vult multa millia ludi.*] Ostendit hoc loco Catullus quòd quicunq; vult numerare lusus Manlij, & Iuliæ, idem debeat prius stellas & arenas annumerare, & sic eleuat suspicionem magicam, vt non possint incantatores per numerum lusuum aliquid maleficij facere: quod idem poëta supra ad Lesbiam attigit, cùm dixit,

Da mi basia mille, deinde centum,
Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne nesciamus:
Aut nequis malus inuidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Subducat numerum puluis Erythræi, & syderum, sic Virg. in II. Georg. de speciebus vitium loquens, ait,

Sed neq; quam multæ species, nec nomina quæ sint
Est numerus, neq; enim nemo comprendere refert.
Quem qui scire velit, Lybici velit aequoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ,
Aut vbi nauigiis violentior incidit Eurus:
Nosce quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Sicque Catullus denotat impossibile esse velle numerare ludos sponsi & sponsæ. Et ideo si conditio talis stipulationi apposita esset, non minus inutilis censetur, quàm si quis stipularetur vt Titius cœlum digito tangeret. vt l. in illa stipulatione in fin. ff. de verb. oblig. vel vt in cœlum ascenderet, vt l. impossibilis. ff. eod. Puluis Erithræi. Pomponius Mela Geographiæ lib. III. cap. IIII. inquit, *Rubrum mare Græci, siue quia eius coloris est, siue quia ibi Erythras regnauit. ipsi Sp lib. Sin aucoris appellant procellosum, asperum mare, profundum, & magnorum animalium, magis quàm cætera capax.*

LVDITE *vt ludet, & breui liberos date.*] Nunc, inquit, cum in lecto ambo sitis ludite, vt non longo temporis spacio ex vobis nascantur liberi.

LIBEROS *date.*] de liberis supra memini ex Iurisconsultis; nunc libet nonnulla supra prætermissa, hîc addere, vt videamus quamnam differentiam inter filios, & liberos Iurisconsulti faciant, ait Paulus in l. filij de verb. sign. quòd appellatione filij, omnes liberi intelliguntur, inquit Callistratus eod. tit. quòd appellatione liberorum nepotes & pronepotes, cæteríque qui ex his descendunt, continentur. Et sic videtur his legibus nihil esse antinomiarum, sed ex institutionibus aduersaria producamus ex tit. qui testamento tutores dari possunt. §. fi. Quæritur ibi, si quis dederit filiis suis Tutorem, an Posthumus filius, hoc est qui post humatum patrem natus est, intelligatur, Cum appellatione filij veniat, & posthumus & posthuma, vt l. nomen. ff. de verb. significat. & rectè videtur dedisse. Quid si sint nepotes, quibus relictus sit tutor, an appellatione filiorum continebuntur? & benignius interpretandum est ipsis quoque nepotibus intelligi datum tutorem si modo liberos dixerit, quòd si filios dixerit, nepotes non contineri, cum aliter filij, aliter nepotes vocentur, vulgo scilicet, & secundum consuetudinem, si verò posthumis tutores reliquerit, tam filij posthumi, quam cæteri liberi continebuntur, & hæc quidem iura contraria. Nam quum dicit Paulus appellatione filij omnes liberos contineri, & Callistratus liberorum appellatione nepotes, & omnes descendentes comprehendi, cur non nomine filiorum, & nepotes intelligi Iustinianus voluit? Cum & Papyrius Fronto filij appellatione sæpe, & nepotes accipi multifariam placere aiat, & præter hæc. Natura nosque doceat parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto vxores ducunt filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt continere, neque enim dulciore nomine possumus nepotes nostros, quàm filij appellare. Etenim iccirco filios, filiásve concipimus, atque edimus, vt ex prole eorum, earúmve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus. sed ex Iurisconsultis hæc satis. Illud quoque quod Varinus hîc notat ex Gellio dignum annotatu est liberorum appellatione. & sic in numero multitudinis vnum filiũ & filiam dici posse.

NON *decet tam vetus sine liberis nomen.*] i. non decet tam antiquam familiam, vt fuit Torquatorum sine filiis stare, ne extinguatur, & vetus, pro nobili accipitur, Nomen verò pro familia accipi in iure nostro satis constat, vt apud Scæuolam in l. pater. §. duobus. ff. de leg. III. vbi inquit duobus libertis Sticho, & Erote hæredibus institutis ita cauit fundum Cornelianum de nomine meo exire veto. & Papinianus in l. cum pater. fidei hæredum. ff. de leg. II. fidei hæredum meorum committo, ne fundum Tusculanum alienent, & ne de familia nominis mei exeat: qua dictione decepti Accursius, & Bartholus totum Iurisconsulti sensum peruerterunt, vt necesse habuerit Alciatus meritò Romanarum legum illustrator egregius vocatus longo satis capite libri quarti dispunctionum, hæc de dictione aduersus vulgatæ sententiæ receptores disserere, qui nominis, & cognominis, & prænominis, & agnominis, non intelligentes naturam, falsò apud auctores interpretati sunt, existimantes

nomina Ciceronum, & Maximorum familiam fuisse, cùm Tulliorum, & Valeriorum potius constet fuisse ex citatis locis ab Alciato in d. lib. Dispunctionum, & ex eius annotationibus in Cornelium Tacitum liquet. Non prætermittam illum Romanorum ritum, qui solebant ab illis cognomen accipere à quibus heredes relinquerentur, vt notauit Crinitus de hon. discipli. lib. III. cap. IV. sicuti nec omittam solitos fuisse seruos nomina dominorum suorũ assumere, cum manu mittebantur, eiusdémque cum domino familiæ censeri, quod annotaui in enarrationibus meis cap. XXII. & patet ex Scæuola in d. l. Pater. §. duobus. ff. de leg. III. hinc de mutatione nominis caput à Diocletiano Cæsare codici inseritur, vt scilicet quidem quisque sibi mutare nomen possit. sed sine dolo, aut iniuria alterius, vt l. falsi nominis. ff. ad leg. Cornel. de fal. & Alex. cons. xc. sed dij immortales, quot sunt hodie quos numeris comprehendere non est, qui humilibus nati parentibus, se alienis, clarissimisq; familiis inserere conantur? vt quod ex se decus recipere non queunt, saltem alieno stemmate, & nobilitate innixi se erigant, noménque suum attollant. Noui ego quosdam ex infima plebe, & à montibus oriundos & (vt dicitur) terræ filios, audacia tanta affici, & quos patet iamdiu pudorem deposuisse, vt Landæ meæ familiæ in vrbe Placentina principis gentilitia arrogare sibi non erubescerent, cùm non animaduertant isti quidem fumo viuentes, se aut seruos, clientésve quondam Comitum Landorum nomina nostra accepisse existimari posse, quemadmodum veteres seruos factitauisse supra recensui, aut se fictitiam nobilitatem conseruare non posse, nec sustinere, nec quodquam imperiale priuilegium, nisi fortè furto sublatum quod fulciat veterem eorum familiam habere Hinc plerique se Landos vocitantes nomina illustria suis libris affixerūt alieno titulo insigniti, sed castra, aut Iura castrorũ ostentent alij, suáq. Iurisdictione abutantur, aliena potius vsurpantes: Ego & si modica, angustáq. nunc gladij potestate à superioribus Cæsaribus maioribus meis ab hinc tercentis annis præstita, & concessa, elargitaq. cum fratribus meis carissimis fungor: nihilominus à iure meo, nunquam casurus sum, nec cuiquam cessurus quod iure æquo inniti possit: neque enim vim illam ciuilem, & festucariam (vt Gellianis verbis vtar) quæ verbo dicetur, cuiquam ius suum auferri permissurum reor, sed nec diffido. Alij (quod maius est) insigne facinus perpetrantes domum Illustrem turpi nota perpetuo decorarunt, ac obscuriorem reddiderunt, Alij capita attollentes virtute, & nobilitate, paupertate premuntur, Aliis contingit à maiorum semita discedere: sunt quibus degeneres animos timor arguit. Sed postquam supra in familiæ meæ mentionem incidi, libet illam quodam epigrammate eleganti sanè insignire quod ad me misit olim (cum in Ferrariensi gymnasio operam legali, studio nauaremus ambo) Constantius Abduensis Mediolanensis, Adolescens morum elegantia conspicuus, bonarúmque literarum artibus non mediocriter

A ornatus, studiorum commercio mihi iunctissimus factus. scripsit igitur ille ad me hunc in modum.

Fons olim fertur dilectus Landia musis,
Quem penes Archemorus paruus adhuc periit.
Inde dedisse suæ domui (fas credere) nomen,
Quod veteres Landos hos vocauere duces.
Aut tantos seruasse tibi fons, ille liquores:
Credo ego, quod nostra doctior arte fores.
Ergo ero non felix doctos cui sumere fluctus
Contigit? his reges non valuere frui.

Sed de nominibus iam satis. Textum Catulli sequamur.

B SED *indidem semper ingenerari.*] id est, ex eodem loco & familia progenerari, & sic notat longam seriem Familiæ Torquatorum multiplicandam esse, & videtur ad legitimum coniugium alludere quo qui nascuntur familiam patris, non autem matris sequantur, vt l. familiæ. ff. de verb. sig.

TORQVATVS *volo paruulus.*] Sic Dido apud Virg. Exoptat paruum Æneam.

—— si quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas. ——

Pupos hosce nimium amabiles parentibus valde charos esse constat. Hinc Tibullus.

Et fœtus matrona dabit natusque parenti
C *Oscula compressis naribus eripiet.*
Nec tedebit auum paruo aduigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.

MATRIS *è gremio suæ porrigens teneras manus.*] Exprimit gestus infantium: matris verò suæ dixit ad differentiam nutricum.

DVLCE *rideat ad patrem.*] Sic Virg. in Pollione. *Incipe parue puer risu cognoscere matrem.* Nam rem naturalem designat sicut maiores sermone, ita pueri risu se indicant agnoscere, bonique ominis in infante est, si arrideat parentibus. Contra in Iuuen* parùm læto omen est futuræ mortis, quod Virg. in M. Marcello filio Octa-
D uiæ sororis Augusti demonstrat in VI. Æneid.

Sed frons læta parum & deiecto lumina vultu.

HIANTE *labello.*] aperto ore quasi aliquid loqui velit, Nam gratia proueniens ab ore plurimum potest, Alij micante labello legunt, sicque infantium motus ex labellis exprimitur. Recitat Bar. in l. I. ff. de verb. oblig. se quendam Lellum de Gabrielis de Eugubio vidisse, qui homines ad motum labiorum intelligeret. Scribit & Celsus in l. labeo in fin. ff. de supellec. leg. quòd nemo sine voce dicere existimatur, nisi fortè & eos qui loqui non possunt conatu ipso, & sono quodam, Καὶ τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ dicere existime-
E mus. vide Alciatum lib. II. prætermissor. hoc ipso citato.

SIT *suo similis patri Manlio.*] loquitur de similitudine formę, de qua multa exempla lege apud Val. Max. lib. IX. & de cuius varietate plurima disputantur. Nam videmus etiam natos non semper vultus parentum referre, Nihilominus non dicimus eos esse alienos à patribus, quorum filij creduntur esse. Idque Physici probant ex quadam muliere pudica semper habita, quæ Æthiopem genuit, nam ad eius imaginem quæ in cubiculo depicta posita esset

animum adiecisse, in eámque totam fuisse intentam, cùm interrogaretur compertum est, ideo Æthiopem concepisse. Quod & sentire Plinius natu. hist. lib. VII. cap. XII. videtur, cùm dicat. *Similitudinum quidem in mente reputatio est: & in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoriaq́, haustaq́, imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum subitò transuolans, effingere similitudinem, aut miscere existimantur.*

ET *facile insciis noscitetur ab omnibus.*] Vult adeo similē nasci infantem patri, vt vnusquisque etiā nesciens filium esse Manlij credat omnino illum esse: Et sic verus filius est patris, qui similitudinem oris gerit, eiúsque putatur esse non agnitus.

ET *pudicitiam matris suæ indicet ore.*] hoc est, non sit ore petulanti, quemadmodum sæpiuscule filij Meretricum, vel concubinarum: sed vt fuisse matrem suam pudicam testetur, similitudinem oris referens: vel hoc dicit quia quoddam signum in ore apparere solet puerorum, quo pudica mater fuisse dignoscitur.

TALIS *illius à bona matre Laus genus approbet: Qualis vnico ab optima matre Telemacho manet fama Penelopeo.*] Vatinus hoc pacto horum versuum sensum ordinat, Quemadmodum Telemacho ingens fuit gloria ob matris pudicitiam, quæ per XX. annos absente marito castitatem obseruauit, Ita etiam Torquatus sit pudicitia materna commendabilis. Constat enim Penelopen Icarij regis fuisse filiam, & Vlyssis vxorem ex Ouidio in epistolis, eamque castissimam fuisse. Lycophron tamen vnus ex Græcis poëtis scribit Penelopen in alicuius ex procatioribus amplexus venisse, suasionibus Nauplij senis, ob vindictam Palamedis filij sui, fere omnes Græcorum coniuges lenocinio in meretricium deducentis, vt refert Ioannes Buccatius in libello de claris mulieribus, quod tamen vix credendum esse puto, cùm celeberrima mulier apud tot auctores tam castissimæ nomen sit adepta, pudoremque propter ipsius castitatem designari veteres voluerint: statuámque pudori esse Penelopen Alciatus hoc concinno Epigrammate in libello Emblematum ostendit.

Penelope desponsa sequi cupiebat Vlyssem:
Ni secum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Spartem, manet anxia virgo:
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo sedens velat vultus, obnubit ocellos.
Ista verecundi signa pudoris erant,
Queis sibi prælatum Icarius cognouit Vlyssem,
Hocq́, pudori aram schemate constituit.

CLAVDITE *hostia virgines, lusimus satis.*] Contrarium illi quod supra dixerat,

Claustra pandite ianuæ. sed ibi ianuam domus aperiri iubet, vt ingrediatur spōsa, hic claudi thalamum siue cubiculum. vbi sponsus & sponsa dormiunt. Thalamus, auctore Artemidoro Daldiano lib. de somniorum interpretatione II. cap. X. quod ad somniorum rationem attinet, vxorem significat, aut si non est, dominorum domus, sicut Andrones, in quibus viri versantur cognatos & seruos, Gynæcium verò seruas, Amphithalamus verò is locus est,

A vbi ancillæ morātur, nā illas longius abesse non oportet, quàm vt vocatæ extemplo audire possint, & præsto ad iubentis imperia esse. Hermolaus Antithalamus legit, quod Plinius in Epistolis Procæcion, id est antecubiculum, vocat. Illud insuper adiiciam hoc loco quod Philander Gallus egregius Vitruuij interpres doctè nobis super illis verbis Vitruuij manifestat lib. VI. cap. X. Hæc pars ædificij Gynæconitis appellatur. *Græci,* inquit Philander, *ædificium in partes duas distribuebant. nam in qua parte viri sine fœminarum interpellationibus versabantur, eam Andronitida appellabant, vbi autem congruerent mulieres, Gynæconitida*

B *vocabant. Gynæcium video eam fuisse partem in qua mulieres præcipuè lanificio, & textrinæ dabant operam.* vnde legitur apud Paulum Diaconum lib. VIII. vbi de Narsete loquitur, ei Augustum quòd Eunuchus esset mandasse vt cum puellis in Gynæcio lanarum pensa faceret diuidere. Hinc Valentinianus & Valens imperatores lib. XI. Cod. de muricilegulis & Gynæciariis, eos intelligunt Gynæciarios, qui feminis mixti ea opera exercent, de quibus vide apud Alciatum in Annotationibus in tres lib. Cod.

CLAVDITE *hostia virgines.*] hoc est, Musæ

C cantare desinite, quemadmodum Virgilius, allegoricos:

Claudite iam riuos pueri sat prata biberunt.

vel iubet ianitricibus, vt hostia cubiculi claudant.

LVSIMVS *satis.*] satis cecinimus, & spectat ad poëtam, vt Virg.

Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

vel satis lusimus, ad pueros spectat, qui hucusq; nucibus luserant, ostendentes Manlium iam cum vxore alio modo lusurum, quàm nucibus, sicque omnia puerilia depositurum, & procrea-

D tioni daturum operam. Ideo vertit sermonem ad coniuges.

AT *boni coniuges bene viuite.*] Probi, probè simul, & vnanimiter vitam producite.

ET *munere assiduo valentem exercete iuuentam.*] hoc est, dum iuuenes estis, incumbite matrimonio, & filios date sæpius coëundo. Munus enim matrimonij filiorum est procreatio. vnde Virg. in IIII. Æneid.

Nec dulcis natos, veneris nec præmia noris.

& in I. Æneid.

Connubio iungam stabili, propriámque dicabo,

E *Omnes vt tecum meritis pro talibus annos*
Exigat & pulchra faciat te prole parentem.

VALENTEM *iuuentam.*] validam & robustam. Iuuenta dicitur, & iuuentus, & accipitur pro dea sæpe: Titus Liuius, *Iuuentutis ædem in Circo maximo Licinius Lucullus decemuir dedicauit. vouerat eam XVI annis ante M. Liuius Cos. quo die Asdrubalem, exercitúmque eius cecīdit. Idem censor eam faciendam locauit. M. Cornelio, & Sempronio Coss. huius quoque dedicandæ causa ludi facti. & omnia cum maiore religione facta, quòd nouum cum Antiocho instabat bellum.* &c. Heben Græcos vocare Iuuentam Aggretius grammaticus asserit, vt notat Lilius Gregorius Giraldus Ferrariensis vir omnis antiquitatis scientiss. in X. syntagmate de deis veterum, vbi de Hebe meminit. Notat

idem ibi ab antiquis sic effingi. Mulierem formosam ætate iuuenili, vestibus versicoloribus, & floribus ornatam: non absimilem deæ Floræ. Libet hoc loco postquam ad finem huius Epithalamij peruenimus Alciati nostri carmen in Emblematibus de iuuentute apponere, & si ab eodem Giraldo in syntagmate nominato citatum fuerit. Nam præceptoris mei mirus amor, diuináque eius doctrina me mirum in modum impellit, vt id efficiam libenti animo cum præcipuè ab eo rogetur, vt sibi diuturna esse velit iuuenta, quem vtinam exaudisset dea: Nunc enim non tot vndantibus lachrymis Italiæ & Galliæ flumina fluerent, non tot gemitus, non tot cum cœlo querelæ haberentur. non pulla veste induti incederemus, non virum è cœlo diuinitus missum desideraremus, non quinquagesimo octauo anno fato (heu nimis citò) sublatum doleremus. non denique Alciatum nostrum deum in cœlo quæreremus, cuius ab ore dulciores melle, & manna hi suauissimi cantus olim effluxerunt in iuuentam.

Natus vterque Iouis tener, atque imberbis vterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
Salucte æterna simul & florente Iuuenta,
Numine sit vestro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Vt lento accedat sera senecta pede.

ACHILLES STATIVS.

COLLIS *ô Heliconij Cultor, Vraniæ genus.*] Recte, opinor, Hymenæum inscribamus. eiusdem enim argumenti poëma citat Ticidæ Priscianus in v.

Ticidas, inquit, in Hymenæo,
Felix lectule t. lil us sole amoribus.

Sic legendi hi versus, vt prior ille sit integer, posterior non integer. sunt enim eiusdem omnino generis, cuius hi Catulli. Genus ipsum carminis Glyconium, estque dimetrum acatalecticum, cum Pherecratio. exempla vtriusque ponit Hephæstion, agens de Antispastico, prioris

Κάπρος ἠνίχ᾽ ὁ μαινόλης.

& reliqua posterioris,

Ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν. & quæ sequuntur. Terentianus verò Choriambicum primum siue Bacchiacum dici scribit. est enim apud illum sic, *Hoc metrum Choriambicum est, quod pars Bacchiacum vocant.* Idemque Terentianus, cum Septimij versus præposuisset,

Geritq; intus in oppidum
Anbelos panopæ greges.

& poëtæ alterius,

Opima adposui senex amori arma feretrio.

Et illos, *Purpuræ leguli senes*
Intus hic vbi consitum est.

Primum pedem mobilem significans, ac varium in his, vt est etiam in Catulli versibus, & in exẽplis apud Hephæst. addit,

Vtque est mobilis hic locus
Immotus manet vltimus. Namque hic semper iambus est. At posterius illud carmen, quod Pherecration dicit Hephæstion, idem Terentianus comma dactyli siue Priapei

A carminis videtur appellare, exemplo id Horatiani versus ostendens,

Grato pyrrha sub antro. & si primus pes constans spondæus esse videatur. Sed ad huiusmodi Catulli versum nihil apud illum propius, nihil eidem similius reperire potui. Atq; idem spondæus in exemplis apud Hephæstionem constans est. Seruius illum Glyconium semper vocat in Centimetro, hunc autem Pherecratium. nam de Priapeio agens, *Priapeium*, inquit, *constat glyconio & pherecratio, vt, Hellespontiacum tuum numen protegit hortos.* Atilius Fortunatianus in arte vtrumque videtur vocare comma Priapei carminis. fit

B enim ex vtroque priapeium. Atque idem varietatem illam, ac pedum mobilitatem in vtroque commate significans ait, *Non ignoro autem variari primas, & secundas syllabas vtriusque in priapeio commatis, vt modo ab iambo incipiat, modo à trochæo, tanquam, Hunc lucum tibi dedico consecroque. Priape ...... libens hoc tibi dedico, libens sancte priape.* & quæ sequuntur. At priorem illum vocat idem Bacchium & Choriambum. Mallius verò, opinor is est, cuius Macrobius meminit in II. Satur. in Ciceronis ridiculis.

VRANIÆ *genus.*] id est filia. Sic enim poëtæ loquuntur, vt Vergil. *Genus Orthiæ.* Interpres,

C opinor, Hesiodi Clius filium facit. At Claudianus in Palladij Epithalamio musa genitum tantum dicit,

—— innumeros Hymenæum quærit amores,
Hunc musa genitum legit Cytherea ducémque
Præfecit thalamis. ——

Interpres vero Apollonij Erato Musam in primis, ceteras deinde nuptiarum præsides significat, principio Commentationum in III. Argonaut.

HYMEN *ô Hymenæe.*] carmen solenne in nuptiis. vt illud Romanis, Thalassio, Thalassio. Aristophan. in Auib.

D *Ὑμὴν ὦ Ὑμέναι᾽ ὦ Ὑμήν.*

Et Theocritus in Adoni.

Οὐκέτι Ὑμὴν, Ὑμὴν οὐκέτ᾽ ἀειδόμενον μέλος ᾄδεται.

Et in Helenæ nuptiis,

Ὑμὴν ὦ Ὑμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

CINGE *tempora floribus.*] Ouid. in Epist. Hypsipylæ ad Iasonem,

Heu vbi pacta fides, vbi connubialia iura,
Fáxque sub arsuros dignior ire rogos.
Non ego sum furtim tibi cognita, pronuba Iuno
Adfuit & sertis tempora vinctus Hymen.
At mihi nec Iuno nec Hymen, sed tristis Erinnys
Prætulit infaustas sanguinolenta faces.

E FLAMMEVM *cape lætus.*] Nouæ nuptæ flammeum indebatur. ita enim loquebantur. Seuerus Sulpicius in II. Sacræ historiæ de Nerone ipso. *Post etiam Pythagoræ cuidam in modum solemnium coniugiorum nuberet, inditumque imperatori flammeum, dos & genialis thorus, & faces nuptiales. cuncta denique quæ vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur spectata.* Hæc Sulpicij verba posui propter insignem rerum earum, quæ in nuptiis adhibebantur, enumerationem. Similem Callistrati cuiusdam turpitudinem eadem prope cum enumeratione exagitat Martialis in duodecimo.

Barbatus rigido nupsit Callistratus afro,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Praluxere faces velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerunt verba, Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est. nondum tibi Roma videtur
Hoc satis. exspectas numquid, vt & pariat.

Eandem turpitudinem exagitans Suetonius in Nerone Claudio, *Cum dote & flammeo persollemni celeberrimo nuptiarum officio, deductum ad se pro vxore habuit.* Iuuenalis Satyra decima. flammeum paratum dixit,

Dudum sedet illa parato flammeolo.

Nescio, an, cum, relicto priore, nubebant alij, flammeum prius scinderent. hoc enim significare videtur Iuuenalis in vi. Sat.

Permutátque domos, & flammea conterit.—

Nisi iratam id dicat facere, vel crebra diuortia sic significet. Nuptias Ælius & Cincius dictas censuerunt, quia flammeo caput nubentis obuoluebatur, quod antiqui Obnubere vocarunt. Fest. Pomp. Idem affirmat in iii. Fast. Ouidius,

Credit amans, thalamósque parat, deducitur illuc,
Anna tegens vultus vt noua nupta suos.

Hvc veni niueo gerens Luteum pede soccum.] Habitum Hymenæi describit Ouidius in x. Metam. in Orphei nuptiis,

Inde per immensum croceo velatus amictu
Aethera digreditur, ciconúmq; Hymenæus ad oras
Tendit & Orphea nequicquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem, sed nec sollemnia verba,
Nec lætos vultus, nec felix adtulit omen.

Soccus autem luteus, quod eo pedes induebant noui mariti Seneca in Hippolyto de Hercule.

Crura distincto religauit auro
Luteo plantas cohibente socco,
Et manu clauam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante filo.

Excitvsqve hilari die.] Sic Terentius,

Hilarem hunc sumamus diem.

Nvptialia concinens Voce carmina tinnula.] Carmina nuptialia quæ Theocritus, in Europa, Γάμω ᾄδω dicit, Κολχοῖσι πασᾶς Γάμων ᾄδοις ἐνόπαις. Et Euripides in Troadibus, Δάκρυά τ' αἰπάλλαιον τι τὰς τίσοδ' ᾄδων Τρωάδες γαμηλίους. Hoc ipsum significans Ouid. in v. Metam.

Atria complentur, nec coniugalia sacra
Qui canat, est clamor. ——

Seruius in vii. Æn. in illud, *Hi Fescenninas acies. Fescenninum, inquit, oppidum est Campania, vbi nuptialia inuenta sunt carmina.* Tinnula, tenui, id est, quæ aures feriat. L. Pomponi adducuntur hæc ab aliis, *Iube modo adferatur vnus, ego vocem reddam tenuem, & tinnulam.* Nisi id dicat se varia vsurum voce. Expressisse autem Catullus videtur, quod Callimachus dixit in Hymno in Delum,

Εὔηχες ὑμέναιος.

Pelle humum pedibus.] Hæc est ὄρχησις, quæ adhiberi in nuptiis solebat. de qua interpres Apollonij principio libri iii. Argonaut.

Manv Pineam quate tædam.] Hæ sunt illæ faces nuptiales, de quibus iam supra, & Vergil.

— Mopse nouas incide faces.

Et Ouid. in nuptiis Orphei,

Fax quoque quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
Vsque fuit nullosque inuenit motibus ignes.

A Cur autem Spineam magis, quàm Pineam tædam legi oporteat, non video. vt enim illam in nuptiis adhibitam fuisse concedam, eius tamen propria vis putabatur pellendi noxia. de quo & Varro vt citat in i. Carisius, *In Asia fax* (sic enim legendum) *ex spinu alba præfertur, quod purgationis caussa adhibetur.* & Ouid. in vi. Fast.

Sic fatus, spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit. Ac post,
Virgáque Ianalis de spina sumitur alba,
Qua lumen thalamis parua fenestra dabat.
Post illud neque aues cunas violasse feruntur,
Et rediit puero, qui fuit ante, color.

B Deinde vero libri manuscripti, quoscunque vidi, Pineam omnes habebant. quam in nuptiis adhiberi solitam ostendunt & Verg. in vii.

——flagrantem feruida pinum
Sustinet, ac nata, Turnique canit Hymenæos.

Et Ouid. in ii. Fast.

Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ,
Exspectet puros pinea tæda dies.

Locus est insignis apud Nonium Marcellum in verbo Fax. qui hoc ipsum plane confirmat. Est autem is in impressis hoc modo. *Fax, pro, Face. Var. Γεροντοδιδάσκαλος. Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia solita etiam nunc pinea fax indi-*

C *cat.* Idem sexagesi, *Adest fax inuoluta incendio. Idem de vita Pop. Ro. lib. ii. Cum à noua nupta ignis in face adferretur fuco eius sumptus fax ex pinu ablata esset, vt eam puer ingenuus adferret.* In duobus manuscriptis sic, *Fax, pro, Face. Varro in Geronto didascalo. Confluit mulierum tota Roma, quæ noctu fieri initia solita etiam nunc pinea fax indicat.* Idem in sexagesi, *Adest fax inuoluta incendio. Idem de vita patrum lib. ii. Cum à noua nupta ignis in facie adferretur fuco eius sumptus cum fax ex pinu alba esset, vt eam puer ingenuus adferret.* Est itaque omnibus in libris Pinea fax. &, Ex pinu. Postrema Varronis verba restituere conabar, Cum à noua nupta

D ignis in face ferretur foco eius sumptus, cum fax ex pinu alba esset, vt eam puer ingenuus ferret. Deinde Initia, mutandum, in, Initio. Quod verò scribit Plin. lib. xvi. cap. xix. de Spina nuptiarum facibus, idem ait, auspicatissima, id verò aut olim fuerat, aut ea etiam, vt opinor, pineis facibus intexebatur. Fax autem ominis caussa præferatur, vt significare Propert. videtur in iiii.

Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab euerso lumina nigra rogo.

Nisi sic intelligas Facem, quæ quod noctu nuptiæ fierent, præferebatur, mihi, inquit Propert. Omen triste prætulit ipsa rapta de rogo. Plutar-

E chus tamen caussam adfert aliam, cur Fax præferretur. cuius verba alio loco ponemus.

Namqve Iulia Mallio.] In omnibus fere manuscriptis, non Iulia, sed Iunia.

Qvalis Idalium colens.] Hoc genere similitudinis eximiam Iuniæ pulchritudinem significat. Sæpe sic alij poëtæ.

Bona cum bona Nubit alite virgo.] Bona virgo: bella. in manuscriptis, Nubet. Cum bona alite: præpositionem adposuit, more Græcorum. Hesiod. σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσιν. Et Sophocles, opinor, in Trachin. Bonam autem in nuptiis alitem dixit, quod aues quædam in his infaustæ

maléque ominatæ ſint, quas Græci propterea A τὰς γαμοδαισίας δυσοιώνους ὄρνεα vocant. quod interpres Lycophronis in illa, Οὐ μάντιν οὐ Ζεὺς οὔπιτ' ἐς πάτρας ἰδεῖν Σπίλους ἀραιγεὶς τῷ διωδρυχίῳ κριῷ, ſic tradit. Κρὶξ ὄρνεον θαλάσσιον, ἴβιδι ἴσον. ἔστι δὲ ἡ ἶβις περὶ τὴν αἴγυπτον, ῥυπαροφάγον. Καλλίμαχος δὲ ὡς τοὺς περὶ ὄρνεων φησὶ, τὰς γαμοδαισίας δυσοιώνους εἶναι. καὶ Εὐφορίων ἐν Ἀπολλοδώρῳ ποιήσει, οὐδὲ μέλαθρον, ἐρχίλος ἔσχε. Κύζικος ὃν δὲ ἔσοιτε κακὸν γάμον ἐχθόμενος Κρὶξ. Κριοὶ τὴν Ἐλένην παρέσχηζε διὰ τὸ δύσγαμον καὶ κακόνυμφον γενέσθαι. Eandem auem intellegens, opinor, Propert. in IIII. dixit,

Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordíq; toro peſſima ſemper auis.

B Quanquam quibuſdam in libris eſſe dicant, Anus, non Auis. Horat. in I. Carm.

Mala ducis aui domum,
Quam multo repetet Græcia milite
Coniurata tuas rumpere nuptias.

Callimachus, εἰς λουτρὰ τῆς Παλλάδος bonas, ac malas alites ſignificans dixit, Γνωσεῖται δὲ ὄρνιθας ὃς αἴσιος οἵ τε πέτονται Ἤλιθα, καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες. Itaque Ἀγαθὰς πτέρυγας Bonam alitem apte interpretemur, vel quo modo Vergil. in III. Æneid. proxime ad hæc accedens Callimachi,

Et volucrum linguas, & præpetis omina pinnæ.

alterum enim lex carminis repudiat. ac neſcio, an aliquid de Thalaſſio ſit intelligendum.

C Floridis *velus enitens Myrtus Aſia ramulis.*] Cum Myrto comparat, itaque ἐπιμελῶς illam ſignificat, quod ſucco, & viriditate præſtet, eóque Veneri ſacra ſit. Cauſſas adfert, opinor, Plut. in Problem. Atque ea quoque in coniugiis adhibita, coniugalis dicta. Plin. in XV. cap. XXIX. Aſiam Myrtum, vel quamcumque intelligamus præſtantem, cuiuſmodi erant Aſiæ, vel proprie natam illis in locis, in quibus multa fuiſſe prata, verſus, quibus Arateos expreſſit, Priſciani oſtendunt illi,

Nam florent Aſiæ per campos plurima prata:
Sed magis ad fluuium Mæandri gurgite miti. D

Stephanus περὶ πόλεων, Aſium pratum quod eſſet, demonſtrans, Homeri verba ſimul interpretatur illa, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι. ita vero ſcribit, ἔστι καὶ Ἄσιος λειμών. Ὅμηρος, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, ἀπὸ τοῦ Ἀσίου κτίσαντός τινος, οὐκ Ἀσίας. ἀγνοεῖ γὰρ Ὅμηρος τὴν Ἀσίαν. ὡς καὶ τὴν Εὐρώπην. ἢ μᾶλλον Ἀσίας. καὶ ἰωνικῶς, Ἀσίου, ὡς Ἀσίῳ, ὡς Εὐβοΐῳ. Seruius in I. Georg. in illud.

Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Caÿſtri.

Item in VII. in illud,

—— Sonat amnis, & Aſia longe
Pulſa palus. —— cur prima in verbo

E Aſia longa ſit, rationem præcipit vtrobique. Intelligi etiam poſſit Myrtus Aſia, Italica in Apulia nata. Vibius enim Sequeſter de montibus, & gentibus. *Apuli,* inquit, *Italici partus Aſia.* primam in Aſia produxit, vt & Homerus & Nicander in Ἀλεξιφαρμάκοις.

Ἢ καὶ ἐν ὀρτάλιχας κατ' ἀείδω πίτνα δόμων.

Nvtrivnt *humore.*] ſic eſt etiam in manuſcriptis nonnullis: in aliis etiam,

Nutriunt in honore. vt & Aldus iampridem impreſſerat. Sed illud omnino rectius. more enim ſuo Catullus ſpondæum pro dactylo poſuit, vt in hendecaſyllabo,

Oramus ſi forte non moleſtum eſt.

Aliiſque in locis. Sic etiam Seneca in Oedipo, in Choricis verſibus,

Vela nec preſſæ graui. Sunt, qui reiiciant, quod in hoc genere carminis pedem inſolentem dicunt, & dure dictum, Roſcidum humorem.

Lympha *quos ſimul inrigat.*] In manuſcriptis omnibus, Nympha, quod probari etiam poteſt.

Ac *domum dominum voca.*] In manuſcriptis omnibus. Ad domum. itaque, opinor, antiqui loquebantur. Dominam vero quod dicit, nuptiale id verbum fuit. Tranſibat enim ad mariti domum noua nupta. Homer. in XVI. Iliad.

Τὴν μὲν Ἐχεκλῆος κρατερὸν μένος Ἀκτορίδαο
Ἠγάγετο πρὸς δώματ' ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα.

Etenim, vt Feſtus tradit, in Romuli tabula ſcriptum erat: Mulier vero legitime coniuncta, fortunæque & ſacrorum ſocia eſto, vt ille dominus, hæc domina vocaretur. Plutarc. in αἰτίαις τῶν ῥωμαϊκῶν nouum maritum κύριον καὶ οἰκοδεσπότην, nouam nuptam κυρίαν καὶ οἰκοδέσποιναν. Verba illius ſunt, Διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, Ὅπου σὺ Γάϊος, ἐγὼ Γαΐα. πότερον, ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς εὐθὺς εἴσεισι τῷ κοινωνεῖν ἁπάντων, καὶ συνάρχειν, καὶ τὸ μὲν δηλούμενόν ἐστιν. ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα. Si retinere priorem lectionem quis malit, legat hoc potius modo,

Ac domus dominam voca.

Vt *tenax hedera hac, & hac.*] Ita arctiſſimum complexum ſignificant poëtæ. de quo multa diximus in Commentationibus in Horatium. Sed erat in manuſcriptis omnibus, Huc, & huc.

Vos *item ſimul integræ.*] Caſtæ. ante,

Puellæ, & pueri integri. In manuſcriptis erat, Vóſque item. Chorus aliquis in Epithalamiis adhibebatur fauſta omnia vtrique coniugi adprecantium. Quo ex genere ſunt illa Sapphus apud Athenæum, ac Macrobium:

Κεῖνοι δ' ἄρα πάντες καρχήσι' ἔχον,
Καὶ ἔλειβον, ἀράσαντο δὲ πάμπαν
Ἐσλὰ τῷ γαμβρῷ.

Et illa eiuſdem apud Hephæſtionem,

Ὄλβιε γαμβρὲ σοὶ μὲν δὴ γάμος ὡς ἄραο
Ἐκτετέλεστ', ἔχεις δὲ παρθένον ἂν ἄραο.

Agite, *in modum Dicite.*] In numerum, vt Verg. in VIII. Æneid.

Illi inter ſeſe multa vi bracchia tollunt
In numerum. ——

Hymen *ô Hymenæe.*] Ὑμεναῖον nuptiale. Diuus Hieronymus, ſi modo eius liber eſt, ὑμένας in Commentario in Cantica Canticorum Iuuenes ac puellas in nuptiis adhiberi ſolitas ſignificat: idque Drama vocat.

Se *citarier ad ſuum Munus.*] Vocari ὑπερφωνῶς. Horatius,

Ab Ouo vſque ad mala citaret Io Bacche.

Æmilius Probus, hiſtoricus, *Magnis,* iuquit, *in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari.*

Dvx *Bona Veneris.*] Bonam Venerem, & bonum amorem dicit coniugalem: &, vt poſt dicit,

Fama quem bona comprobat.

Boni *Coniugator amoris.*] Γαμήλιον.

Qvis *deus magis optimis Est petendus amantibus.*] In manuscriptis omnibus,

Quis deus magis amatis. itaque adulterinum omnino est, Optimis. Ego, quo stet versus, legendum puto,

Quis deus magis à matris

Et quod sequitur,

Expetendus amantibus. Amantes & pallidos, & macie confectos videmus. Vergilius in Palæmone,

Heu, heu, quã pingui macer est mihi taurus in aruo
Idem amor exitium est pecori, pecorísque magistro.

Et Ouid. in I. Amorum,

Longus amor tales corpus tenuauit in vsus,
Aptáque subducto corpore membra dedit.

Et in XI. Metamorphos.

Fecit amor maciem.

Te *suis tremulus parens.*] In manuscriptis, pro Tremulus, Romulus, aut Remulus. hoc potius, si modo ferendum est.

Zonvla *soluunt sinus.*] Verbi quoque syllabas ipsius mire soluit.

Te *timens cupida nouos Captat aure maritos.*] Ita est omnibus in manuscriptis. Ea forte sententia, atque ordine, Nouus maritus, timens, ne voto excidat, te cupida aure captat. Nouos autẽ pro Nouus legi nuper in vetustissimo libro Vaticanæ bibliothecæ in oratione Philippi ex historiis Sallusti, quæ non extant.

Adest nouos exercitus. vel si Timens, in Tenens, quod facile est, mutes, ea sit sententia, quæ te tenet, marito suo non contenta, nouos maritos cupida captat. Nouus maritus dicitur, vt & Noua nupta. Idem alibi,

Inuisente nouo prælia torua viro.

Et Plaut. in Casina, *Lubet Chalinum, quid agat scire nouam nuptam cum nouo marito.* Et Festus Pomp. *Nuces flagitantur nuptiis, & iaciuntur pueris, vt nouæ nuptæ intranti domum noui mariti secundum fiat auspicium.* Et in verbo Repotia, *Repotia postridie nuptias apud nouum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio.* Verbo Captare Terent. in Phorm. sic est vsus,

Ad fores suspenso gradu placide ire perrexi. accessi. astiti.
Animam compressi. aurem admoui. ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans.

Tv *fero iuueni in manus.*] An quia mulier in manum viri conuenit, an potius quod virginem det optanti iuueni fruendam.

Matris *è gremio suæ.*] Eundem versum postea repetit. Hoc verò è veteri consuetudine posuit, quam tradit his verbis Festus Pompeius, *Rapi simulatur virgo ex gremio matris; aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur. quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Eodem forte pertineat illud Verg. in X.

—tu socer & gremiis abducere pactas.

Dedis.] Idem alibi,

Dedatur cupido iamdudum nupta marito.

Fama *quod bona comprobet.*] Sic etiam Ouid. in IIII. Fast. de Venere,

Cum primum cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit ex illo tempore nupta fuit.
Illam supplicibus verbis placate, sub illa
Et forma, & mores, & bona fama manet.

Nvlla *quit sine te domus Liberos dare.*] Lucret. *Per te quoniam genus omne animantium*
Concipitur, visitque exortum lumina
Solis. —— Et Theocritus, dignam deam quæ colatur in Amphiclis domo, cui liberos dederit, ἁ κύπρις αἱ παίδωνος ἱλάσκετο τὰν θεὸν αὐτὰν Οὐρανίαν, ἁγνᾶς αἴθημα χρυσογαμίας, οἴκῳ ἐν Ἀμφικλέους, ᾧ καὶ τέκνα καὶ βίον ἔσχε Ξενίτ.

Liberos *dare.*] Idem post,

Liberos date, procreate. Vergil.

—— Geminam partu dabit Ilia prolem.

Et Claud. in nuptiis Honori & Mariæ,

——Te Leda mallet, quam dare Castorem.

Nec *parens Stirpe nitier.*] Sophocles in Oedipo in Colono, idem, opinor, significans, Οὔτ᾽ ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ Πέλοπος πώποτε βλαστὸν φύτευμ᾽ ἀχείρωτον αὐτόποιον. Stirpe enim valet, quod βλαστὸν φύτευμα dicit, siue ἔρνος. Sophocles in eadem fabula, ὦ φίλτατ᾽ ἔρνη. quæ verba sunt Oedipi ad filias. Ex eodem prope genere est, quod Arist. posuit in VII. ἠθικῶν Νικομαχείων, quod prouerbio dici soleret, διὸ φασὶ ταὐτὸ αἷμα, καὶ ῥίζαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Quod vero Niti dixit, eodem prope modo Lucret. in IIII.

Et quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent
Vxores parere inuenta est illis quoque compar
Natura, vt possent gnatis munire senectam.

Et Propert. in IIII.

Et serie fulcite genus. Eusebius in primo libro de Constantini Imperatoris vita, vbi de Alexandro Macedonum rege, ἄπαιδα, ἄρριζον, ἀνέστιον. Et, cum gentis totius exitium significant, iisdem verbis vtuntur auctores vtriusque linguæ. Sophocles in Electra, Φεῦ φεῦ τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι πρόρριζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος. Verg. in XI. Æn.

—— Et Euandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum.

Finibvs.] absolute posuit, vt post, Oris,

Quam maxima in oris. Ouid. in II. Elegiarum, in amicam, quod abortiuum fecerat, eandem pæne in sententiam,

Quis Priami fregisset opes, si numen aquarum
Iusta recusasset pondera ferre Thetis.
Ilia si tumido geminos in ventre necasset,
Casurus dominæ conditor vrbis erat.
Si Venus Aenean grauida temerasset in aluo,
Cæsaribus tellus orba futura fuit.

Clavstra *pandite ianuæ.*] Ex hoc genere est, & huic proximum, Sapphus illud apud Hephæstionem, ἀεὶ εἴχου, τέλω, ἐψημαδές. Ὕψοι δὴ τὸ μέλαθρον ὑμήναον ἀέρρετε τέκτονες ἄνδρες, ὑμήναον γάμβρος ἔρχεται.

Viden', *vt faces Splendidas quatiunt comas.*] Nouæ enim nuptæ fax prælucebat, quare rapi dicebatur. Festus Pompeius, *Rapi solet fax, qua prælucente noua nupta deducta est ab vtrisque amicis, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro comburendã curet, quo vtroque mors propinqua alterutrius captari putabatur.* Plaut. in Casina,

Primum omnium huic lucebis noua nuptæ facem.

Stat. in II. Thebaid. idem significans dixit,

Præmissæque faces festum nubentibus ignem

Obruit.—— Quamobrem M. Tullius in oratione pro Cluentio Faces nuptiales has vocat.

VIDEN', *vt faces Splendidas quatiunt comas.*] Sic Sol auricomus à poëtis dicitur. Et cometa πωγωνίας Æschyl. in Agamemnone, Πέμπειν δ' ἀνδαιομένης ἀφθόνῳ μένει φλογὸς μέγαν πώγωνα. Quatiunt autem dixit, vt & Caluus in Epithalamio.

Hesperium ante iubar quatiens.

Et Græcè Theodectes, Ἐλίσσων. Ὦ παμφεγγῆ λαμπάδ' εἰλίσσων φλογός. ὕλη πεδῶσιν τῶν αἰθραίνης εἴλας.

PRODEAS, *noua nupta.*] Ω νέα νύμφη. Festus Pomp. *Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod Nymphea dixerunt Græci antiqui γάμον. Inde nouam nuptam νέαν νύμφην.* Hoc autem aliud ἐπιφώνημα nuptiale.

TARDAT *ingenuus pudor.*] In manuscriptis omnibus, Tardet, illud rectius. Ingenuus pudor, ἀγαθὴ αἰδώς. In scriptis grammatici veteris, quæ apud me sunt, ἀγαθὴ δ' ἔδη ἤδων αἰδώ. ὁ τῷ Θουκυδίδῃ διδάσκαλος φιλτάτῃ εἴρηται. Claudianus in nuptiis Honori & Mariæ,

Iam nuptæ trepidat sollicitus pudor,
Iam produnt lacrymas flammea simplices.

Vitruuius in prooemio lib. VI. Ingenuum colorē dicit. *Mihi autem, inquit, à præceptoribus est traditum, rogatum, non rogantem, oportere suscipere curam, quod ingenuus color mouetur pudore, petendo rem suspiciosam.*

QVEM *tamen magis audiens.*] Sic erat omnibus in manuscriptis. Erit ergo sensus, Cui parens pudori, Audire enim id nonnumquam significat. Verg.

Instat equis auriga, nec audit currus habenas.

FLET, *quod ire necesse sit.*] Quo pudore impedita, flet. Est autem iisdem in libris, Quod ire necesse est, quod est multo rectius. Sæpe namq; non elidit.

NON *tibi Arculeia periculum est.*] In manuscriptis omnibus, Aruneuleia, & Aurunculeia. legendum forte, Aruncleia, ab Aruncis. itaque vetustatem generis & claritatem significat. Possit etiam legi Hirculeia, vel Herculeia, quomodo Aldus olim impressit. Sallustius II. historiarū, vt est apud Nonium Marcellum in verbo Sagum, Hirculei cuiusdam meminit. *Occurrere*, inquit, *duci, & prælium accendere adeo vt Metello in sagum, Hirculeio in bracchium tela venirent.* Non tibi periculum est, ita prope dixit, vt Cicero Caue putes. itaque Græci κινδυνεύσει prope eodem modo dicunt.

NE *qua femina pulcrior Clarum ab Oceano diem Viderit venientem.*] Quod de die forma cuiusque spectari in primis debeat.

TALIS *in vario solet.*] Hyacintho nunc, quam prius myrto, comparat.

ET *audias Nostra verba.*] Nostros cantus. Manilius in IIII. Astronom.

Et gracilis calamos, & neruis insita verba.

NOSTRA *verba, viden'. faces.*] In manuscriptis omnibus, Viden' vt faces. Stare autem sic versus nequit. legendum puto, Vide, vt faces.

AVREAS *quatiunt comas.*] χρύσεον φάος. Bion in Bucolicis,

Ἕσπερε τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος ἀφρογενείας.

A NON *tuus leuis in mala Deditus vir adultera.*] Vetuste dixit. Ex eodem genere est illud eiusdem post,

Sed quæ se impuro dedit adulterio.

Mala, non casta: vt Bonas, Castas vocant.

PROBRA *turpia persequens.*] In manuscriptis omnibus, *Procatur pia persequens.* rectius illud, si modo veterem librum Guarinus est secutus. Statius in Dauo Probrum sic videtur accepisse,

Ea compressa parit huic puerum, sibi probrum.

Vt & Plaut. in Aul.

——*quo pacto celem herilis filiæ*
Probrum, propinqua partitudo quo adpetit.

B Erat quodam in libro,

Precatur pia persequens.

Legi fortasse possit,

Peccat, aut pia persequens.

qui enim pietati student, rebúsque diuinis sese totos dedunt, Venere abstineant. Claudianus & Catullum & Horatium imitatus hoc ipso in genere, in Epithalamio in nuptiis Honori & Mariæ, *Tam iunctis manibus nectite vincula,*

Quam frondens hedera stringitur æsculus,
Quam lento premitur palmite populus.

O *cubile, quot omne Candido pede lectuli.*] Reliqui tres versus non in Guarini modo libro desiderantur, sed in omnibus iis quos viderim. itaque qui eorum loco leguntur, alieni sunt, & coniectura positi. illi verò duo superiores in Guarini libro leguntur,

C

O cubile quod homine
Candido pede lectulis.

in iis, quibus hæc scribens, vtebar,

O cubile quod omnibus
Candido pede lecti. Difficilis vero cōiectura, propter ea, quod reliqui versus desunt. Hesiod. θάμνων ἄξια dicit ligna faciendis apta lectulis.

QVÆ *tuo veniunt hero, Quanta gaudia.*] Quæ

D & quanta, iungit eodem modo Flaccus, *O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt.* Gaudia vero in re Venerea, quæ dicantur, doceo in meis in Tibullum Commentationibus, id est, ἡ συνουσία.

QVÆ *vaga Nocte, quæ media die Gaudeas.*] In manuscriptis omnibus, Gaudeat, vt ad herum referatur. is enim illum amoris fructum percipit. Gaudere gaudium, ridere risum, seruire seruitutem, & multa hoc modo, veteres dicebant. Noctem autem vagam dixit, vt & Sol vagus dicitur, vt in illo,

Aurora exoriente vagi
Sub lumina Solis.

E Nam & currum nox habere fingebatur. Tibullus in II.

Ludite iam nox iungit equos.

Et volare, Ennius apud Festum Pomp. in verbo, Quando, *Nox quando medius signis præcincta volabat.* Ennij quoque esse existimo apud Varronem in IIII. de Ling. Lat. *Itaque dicit Andromacha. Nocti, cana cæli signitenentibus conficis bigis.* Quæ verba sic distinguebā, emendabámq; , *Itaque dicit Andromache nocti, Quæ caua cæli signitenentibus conficis bigis.* vt posterior versus longus sit, eáque sint Andromaches ad Noctem verba. Auctor extremi carminis in Græcis Epigrammatis, siue is est

mulier, seu vxor marito subdita esse debet. Nam iuxta Apostolum, vir caput est mulieris, & in signum subiectionis velatum caput habet. Ephesi. v. & cap. Mulierem. xxxiii. q. v. & cap. Manifestum. Est enim ordo naturalis vt vxores viris suis seruiant. non autem è contra, quia penè famulas lex esse voluit vxores cap. satis. distinctione. xxxiii. q. v. nec vouere conceditur nisi virili auctoritate sit permissum. Quod etiam contingit si innuptæ permisisset pater vouere, postea nuptæ maritus velit vouere, cap. voluit. ex Romanis etiam legibus satis constat vxores, quæ parentes suos haberent, adhuc sub potestate parentum remanere, etiam si nuptæ fuissent vt. l. in fi. ff. de iniur. & fam. libell. vbi glo. not. & Bar. & l. 1. §. 1. ff. de liber. agnoscen. & l. si vxorem. C. de conditio. incert. vbi glo. not. Matrimonij tempore vxor est in potestate patris, vt instit. ad Tertul. §. 1. in fin. præter quo ad debitum Carnis, & quoad operandum, vt. ff. de operis libert. l. sicut.

DOMVS *viri tui, quæ sine fine tibi seruiat.*] ostendit hoc loco & morem Catullus, quòd vxor domicilium viri sequitur, non autem vir vxoris, & quòd mutet domum suam, mariti verò sortiatur, vt. l. cum quædam. ff de iurisdictione om. Iud. Cynus etiam & Bal. in. l. ii. de iurisdictione om. Iud. annotant, quòd ita vir trahit vxorem ad sui domicilium, vt ea nullo pacto teneatur respondere in domicilio pristino: quem morem & illud Virgil. iii. Aeneid. probat. *Et patrio Andromachen iterum cessisse marito,* vbi Seruius inquit *Virgilium secundum Ius antiquum loquutum fuisse, quia vxor viri domicilium sequitur.* Hinc illud. *Relinquet Mulier domum suam, parentes, & fratres, & viro suo adhærebit, eruntque duo in carne vna.*

QVÆ *sine fine tibi seruiat.*] Apud Græcos ex Pausania refert Alexander in genialibus) currus axis, quo domum mariti noua nupta fuerat euecta, comburebatur, vt id signum esset, illam ibi perpetuò mensuram, neq; vlla tempestate inde recessuram.

VSQVE *ad tremulum, mouens cana tempus anilitas omnia omnibus annuit.*] dicit Poëta vsque ad senectutem Manlium, & Iuliam simul victuros: & pulchrè designauit senectutem, dicendo Anilitatem canam. Nam multi Iuuenes sunt etiam cani, vt fuisse Numam Pompilium prodit Virg. in vi. Aeneid. cùm dixit.

—— *Nosco Crines incanáque menta*
Regis Romani, primam qui legibus vrbē Fundauit.

hoc Seruius. hoc idem dicit & recitat P. Crinitus lib. iiii. cap. vltimo de honesta disciplina, vbi & Tarquinium canum ab Adolescentia fuisse ex Strabone refert.

OMNIA *omnibus annuit.*] videntur enim senes cum tremuli sunt capite semper annuere.

TRANSFER *omine cum bono limen aureolos pedes, Rasilemque subi forem.*] vocat sponsam vt mariti ingrediatur domum, sed quanta doctrina, quámque occulta eruditione Catullus noster sit repletus hoc potissimū loco se demonstrat. Ideo nobis penitus mirandam Poëtæ variarum rerum cognitionem perscrutantibus mos veterum se

A se explicandus offert, qui in nuptiis ferè talis obseruatus est, cum ad virum sponsa esset profectura, ipsámque ianuam mariti ingressura, limen transcendere sua sponte, aut vestibulum tangere non sinebant, sed quasi raptam & inuitam è gremio, & sinu matris transcendere limina volebant, vt quasi coacta suos relinqueret, nec è propria domo exiret, nisi cogeretur, vt etiam in Ingressu vt quasi rapta in domum mariti introiret morem raptarum Sabinarum ab Romulo innuentes. vel quia designare volebant vbi delibādus esset flos virginalis, tunc inuitam sponsam ingredi domum mariti videri debere. vel verius sponsam transcendere limen moris fuit, ne malo

B omine ingrederetur, vtque euitaret, non tangendo limen, malum medicamentum, amatoriumque maleficium. Nam narrat Alexand. in genialibus, Magorum commentum fuisse, vt felle nigri canis suffitas domos, & genitale sub limine defossum habeant. Ideo à sponso ianuam lana cingi, multaque lauro exornari. à nouáq; nupta postes laneis vittis attingi, & ornari, oleóque & adipe suillo vel lupino inungi, ne quid perniciosæ pestis in domum irrepat. Omitto hic quæ de Vesta dea, cui limen consecratum sit, vt Varinus ex Seruio commemorat, cum verisimilius fuisse videatur Catullum hoc dixisse propter artem magicam, vnde Virgil. in Pharmaceutria-- *Quæ*

C *nunc ego limine in ipso Terra tibi mando, debent hæc pignora Daphnin.* Siquidem multa maleficia videmus quotidie fieri in nouis spōsis, vt etiam propter hosce incantatores nouus maritus cum nupta coire nequeat, & sæpe coëuntes ita ligentur, vt dissolui non facilè queant. Hinc admonuit Alciatus præceptor noster toto orbe celeberrimus, virque nunquam satis laudatus in aureolo illo libello de singulari certamine ca. xxvii. quod cum pugnatores stadium campi ingredi volunt limen saltu transilire debeant. quia multorum opinione sit receptum magicis artibus cantamina fieri, quibus is teneatur qui limen pede calca-

D uerit, quod & ille ex P. Maronis Pharmaceutria acceptum opinatur.

OMINE *cum bono.*] id est feliciter. & dicitur omen quasi orimen, quia ab ore procedit quicquid pronunciatur faustum futurum, vel infaustum. vide caput de ominibus apud Val. Max. Aureolos pedes, vel formosos intelligit vel propter sandalia. Rasilem forem hoc est nitidum.

ASPICE *vt vnus occubans vir tuus in tyrio thoro totus immineat tibi.*] Varinus hoc loco dicit morem fuisse vt maritus sederet in cathedra, cum vxorem domum duxisset, & citat eum morem

E apud Persas referre Arrianum libro vii. de gestis Alex. Ego legi apud Alex. in genial. nouam nuptam, postquàm compta fuisset in pelle lunata sedere solitam, eique pellem sub pedibus stratam fuisse, vt designaret vetustum morem quo pellibus veteres vsi sunt.

TYRIO *thoro.*] Tibullus lib. i. *Quid Tyrio recubare thoro sine amore secundo Prodest, cùm fletu vox vigilanda venit?* vir vnus totus immineat tibi, hoc est, solus maritus tibi immineat, vt te in sinum suum accipiat, & in amplexus.

ILLE *non minus atque tu pectore vritur intimo flamma*

flamma sed penite magis.] legendum illi, non minus flamma vritur pectore intimo illi, ac tibi: hoc est non minus ardet intus ipse Manlius quã tu Iulia. Penite pro penitus more antiquo.

MITTE *brachiolum teres prætextate puellula.*] Alloquitur puerum, qui nouam nuptam ducebat (nam vt supra dixi) duo patrimi pueri sponsam tenentes deferebant, vt dimittat iam sponsam, vt cubile viri adeat, vocátque prætextatum puerum, qui prætexta erat indutus. erat enim prætexta vestis, qua olim vtebantur pueri nobiles: & sæpe purpurea fuit, vt pudorem in pueris esse debere denotarent. olim etiam mos fuit, vt pueri prætextati in equis triumphantium veherentur, quod prodidit Alex. in genial. lib. v. cap. xx. Erat & præterea toga prætextata consularis, & prætoria, quam hi qui consulatum præturámque gessissent ferre solitabant, quam etiã in coloniis, & municipiis cuique magistratui deferre ius erat. Et hæc quidem inter antiquissima vrbis ornamenta censebatur, quippe à Tullio Hostilio primùm inuenta, vel vt alij à Balearibus. Hic postquam locuti sumus de prætexta, non omnino fuerit aspernabile, si locum Sueton. de prætextatis verbis excutimus, Quem video adhuc à plerisque non satis intelligi, nec rectè ab aliis declaratum fuisse quædam contraria adducentibus. Inquit Suetonius in vita Vespasiani. *Erat enim dicacitatis plurimæ & sic scurrilis, ac sordidæ vt ne à prætextatis quidem verbis abstineret* &c. Beroaldus illum locum interpretans Festi ait locum fuisse mendosum, & in codice legitimo prætextatum sermonem pro obscæno explicari, Quod Crinitus non vtique probat lib. xx. de honesta disciplina cap. VII. Ego tamen nec facilè Crinito hac in re assenserim; Nec Beroaldo, cùm rectius intelligi possit: Nec Vespasianus abstineret à verbis illis à quibus omnes pueri, qui prætextati erant, abstinere debeãt. Nam multa sunt quæ dedeceant adolescentes, & quæ nec dicenda sint à pueris. Nec rectè Crinitus apud Macrobium prætextata verba pro impudicis dici accipit, cum iam ex Festo clarum sit, Prætextatum dici sermonem, qui nihil obscœni referat. Quis verò primus cognomentum prætextati adeptus sit, ex Gellij noctibus atticis libro primo capite XXIII. satis liquet, si quis id volumen lectitauerit non oscitanter.

VOS *vnis senibus binæ cognitæ bene fœminæ collocate puellulam.*] loquitur modo Catullus ad pronubas, quæ vni tantum viro nupserant, vt sponsam in mariti lecto collocent. Nam matronis quæ semel maritum habuissent, id munus demandabatur, tanquam castioribus, vt Alex. in genialibus refert, Ideo scribit Val. Max. apud veteres signum fuisse cuiusdam intemperantiæ, si qua mulier post primum maritum alterum suscepisset. Hinc Verg. in IIII. Æneid. iterare matrimonium culpam vocat,

Huic vni forsam potui succumbere culpæ.

Animaduertendum hîc quod Varinus admonet, vt scilicet hunc textum sic legamus quemadmodum eius Pater Baptista emendauit, *Binæ in adibus vnius &c.*

A IAM *licet venias marite vxor in th. est ti. o. flor. n.*] Nunc vocat maritum vt accedat ad sponsam iam in lecto collocatam, & sic nota morem quis primus iret in lectum, an sponsus, siue sponsa.

ALBA *Parthenice velut, Luteúmve papauer.*] Comparat pulchritudinem sponsæ herbæ Parthenices, quæ cum papauere sit coniuncta. Nam Parthenica herba est habens folia candida & est fœmina, masculus habet nigra, vt Plinius meminit lib. XXV. cap. V. natural. histor. hermupoa à Græcis vocatur, & à Mercurio inuenta fuit, de

B hac superius mentionem habui, cùm de amaraco disserui. luteum papauer. quatuor genera à Galeno connumerantur, vt obseruauit Carolus Stephanus in libello de re hortensi, vnum est quod Dioscorides cornutum, siue corniculatum appellat, floremque luteum gerit, cuius siliquæ in extremo veluti colubri rictum præ se ferunt, & hoc esse puto quod hoc loco velit intelligere Catullus: aliud est quod nascitur in agris, diciturque papauer erraticum, aut Rheas, habens folia rubra, & admodum decidua, siliquas etiam multo minores. Igitur eleganter Catullus formam Iuliæ compatat Parthenicæ, & papaueri

C nimirum colori albo mixto rubro, vt Vergil. de forma Lauiniæ in XII.

Indum sanguineo veluti violauerit ostro,
Si quis ebur vel mista rubent vbi lilia multa
Alba rosa, tales virgo dabat ore colores.

Sic Tibullus formam depingit albo colore roseo mixto,

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus,
Vt cùm contexunt amarantis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.

D Ego in lib. I. eleg. sic lusi,

Fulgentes oculi radiantia sydera vincunt,
Et formosa decens occupat ora rubor,
Purpureum liquido ceu si quis lacte cruorem
Misceat, aut niueum murice tingat ebur.

NON *diu remoratus es, iam venis, bona te Venus iuuerit.*] Ostendit iam sponsum venisse, qui iam diu ardebat sponsam amplecti. Remoratus es, hoc est, tardasti. est sumptum verbum à Remora quodam pisciculo, qui naues sistit etiam magnas. Alciatus in illo Emblemate eleganti in facilè à virtute desciscentes, meminit his versibus,

E *Parua velut limax spreto Remora impete venti,*
Remoríque ratem sistere sola potest:
Sic quosdam ingenio, & virtute ad sydera vectos
Detinet in medio tramite caussa leuis,
Annua lis veluti est, vel qui meretricius ardor
Egregios iuuenes seuocat à studiis.

BONA *te Venus iuuerit.*] quia sponsam habes, non autem concubinum, vt prius.

QVONIAM *palam quod cupis facis, vel capis.*] id est, facis coram pluribus id quod decet inter sponsum, & sponsam: dicit autem palam, vt notum sit pluribus Mãlium Iuliam accepisse in vxorem non autem celatè. Nam postea negaret se Iuliam non agnouisse quantum ad matrimonium, sicque tanquam Concubinam sperneret, Ideo ad remouendũ hanc suspicionẽ dicit Cat.

P

A

CAPIS *palam quod cupis.*] & palàm est coràm pluribus. vt l. palàm ff. de verb. sig. Dicit autem & palàm, quia matrimonium contrahi debet coram pluribus, vt sit legitimum coniugium: Nam clandestinas desponsationes nihil valere ius Pontificium præcipit extr. clandest. despon-sat. per totum. quo loco dicitur sobolem de tali coniunctione susceptam prorsus illegitimam censeri, cap. III. dic. titulo, quod &. xxx. q. v. scriptum extat. Hinc Tibullus,

Felices olim Veneri cùm fertur apertè
Seruire æternos non puduisse deos.

ET *bonum non abscondis amorem.*] hoc est honestum amorem non celas, vt turpem cum con-

B

cubino occultare solebas.

AT *marita tuum tamen cœlites.*] Cùm Manlius publice amorem suum ostenderit, dicit Iuliam non decere sic apertè facere, quia verecundiores oportet esse fœminas viris.

NIHILOMINVS. *Pulchra es neque te Venus negliget.*] Et si cœles amorem, non ideo Venus tibi erit infausta.

ILLE *puluis Erythræi syderúmque micantium Subducat numerum primus Qui vestri numerare Vult multa millia ludi.*] Ostendit hoc loco Catullus quòd quicunq; vult numerare lusus Man-

C

lij, & Iuliæ, idem debeat prius stellas & arenas annumerare, & sic eleuat suspicionem magicam, vt non possint incantatores per numerum lusuum aliquid maleficij facere: quod idem poëta supra ad Lesbiam attigit, cùm dixit,

Da mi basia mille, deinde centum,
Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne nesciamus:
Aut nequis malus inuidere posit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Subducat numerum puluis Erythræi, & syderum, sic Virg. in II. Georg. de speciebus vitium loquens, ait,

D

Sed neq; quam multæ species, nec nomina quæ sint
Est numerus, neq; enim nemo comprendere refert.
Quem qui scire velit, Lybici velit æquoris idem
Discere quam multæ Zephyro turbentur arenæ,
Aut vbi nauigiis violentior incidit Eurus:
Nosce quot Ionij veniant ad littora fluctus.

Sicque Catullus denotat impossibile esse velle numerare ludos sponsi & sponsæ. Et ideo si conditio talis stipulationi apposita esset, non minus inutilis censetur, quàm si quis stipularetur vt Titius cœlum digito tangeret. vt l. in illa stipulatione in fin. ff. de verb. oblig. vel vt in cœlum ascenderet, vt l. impossibilis. ff. eod. Puluis Erithræi. Pomponius Mela Geographiæ lib. III. cap.

E

IIII. inquit, *Rubrum mare Græci, siue quia eius color est, siue quia ibi Erythras regnauit.* ἐρυθρὰν θάλασσαν *appellant procellosum, asperum mare, profundum, & magnorum animalium, magis quàm cætera capax.*

LVDITE *vt ludet, & breui liberos date.*] Nunc, inquit, cum in lecto ambo sitis ludite, vt non longo temporis spacio ex vobis nascantur liberi.

LIBEROS *date.*] de liberis supra memini ex Iurisconsultis, nunc libet nonnulla supra prætermissa, hîc addere, vt videamus quamnam differentiam inter filios, & liberos Iurisconsulti faciant, ait Paulus in l. filij de verb. sign. quòd appellatione filij, omnes liberi intelliguntur, inquit Callistratus eod. tit. quòd appellatione liberorum nepotes & pronepotes, cæterique qui ex his descendunt, continentur. Et sic videtur his legibus nihil esse antinomiarum, sed ex institutionibus aduersaria producamus ex tit. qui testamento tutores dari possunt. §. fi. Quæritur ibi, si quis dederit filiis suis Tutorem, an Posthumus filius, hoc est qui post humatum patrem natus est, intelligatur, Cum appellatione filij veniat, & posthumus & posthuma, vt l. nomen. ff. de verb. significat. & rectè videtur dedisse. Quid si sint nepotes, quibus relictus sit tutor, an appellatione filiorum continebuntur? & benignius interpretandum est ipsis quoque nepotibus intelligi datum tutorem si modo liberos dixerit, quòd si filios dixerit, nepotes non contineri, cum aliter filij, aliter nepotes vocentur, vulgo scilicet, & secundum consuetudinem, si verò posthumis tutores reliquerit, tam filij posthumi, quam cæteri liberi continebuntur, & hæc quidem iura contraria. Nam quum dicit Paulus appellatione filij omnes liberos contineri, & Callistratus liberorum appellatione nepotes, & omnes descendentes comprehendi, cur non nomine filiorum, & nepotes intelligi Iustinianus voluit? Cum & Papyrius Fronto filij appellatione sæpe, & nepotes accipi multifariam placere aiat, & præter hæc. Natura nosque doceat parentes pios, qui liberorum procreandorum animo & voto vxores ducunt filiorum appellatione omnes, qui ex nobis descendunt continere, neque enim dulciore nomine possumus nepotes nostros, quàm filij appellare. Etenim iccirco filios, filiásve concipimus, atque edimus, vt ex prole eorum, earúmve diuturnitatis nobis memoriam in æuum relinquamus. sed ex Iurisconsultis hæc satis. Illud quoque quod Varinus hîc notat ex Gellio dignum annotatu est liberorum appellatione. & sic in numero multitudinis vnum filiũ & filiam dici posse.

NON *decet tam vetus sine liberis nomen.*] i. non decet tam antiquam familiam, vt fuit Torquatorum sine filiis stare, ne extinguatur, & vetus, pro nobili accipitur, Nomen verò pro familia accipi in iure nostro satis constat, vt apud Scæuolam in l. pater. §. duobus. ff. de leg. III. vbi inquit duobus libertis Sticho, & Erote hæredibus institutis ita cauit fundum Cornelianum de nomine meo exire veto. & Papinianus in l. cum pater. fidei hæredum. ff. de leg. II. fidei hæredum meorum committo, ne fundum Tusculanum alienent, & ne de familia nominis mei exeat: qua dictione decepti Accursius, & Bartholus totum Iurisconsulti sensum peruerterunt, vt necesse habuerit Alciatus meritò Romanarum legum illustrator egregius vocatus longo satis capite libri quarti dispunctionum, hæc de dictione aduersus vulgatæ sententiæ receptores disserere, qui nominis, & cognominis, & prænominis, & agnominis, non intelligentes naturam, falsò apud auctores interpretati sunt, existimantes

nomina Ciceronum, & Maximorum familiam fuisse, cùm Tulliorum, & Valeriorum potius constet fuisse ex citatis locis ab Alciato in d. lib. Dispunctionum, & ex eius annotationibus in Cornelium Tacitum liquet. Non prætermittam illum Romanorum ritum, qui solebant ab illis cognomen accipere à quibus heredes relinquerentur, vt notauit Crinitus de hon. discipli. lib. III. cap. IV. sicuti nec omittam solitos fuisse seruos nomina dominorum suorũ assumere, cum manu mittebantur, eiusdémque cum domino familiæ censeri, quod annotaui in enarrationibus meis cap. XXII. & patet ex Scæuola in d. l. Pater. §. duobus. ff. de leg. III. hinc de mutatione nominis caput à Diocletiano Cæsare codici inseritur, vt scilicet quidem quisque sibi mutare nomen possit, sed sine dolo, aut iniuria alterius, vt l. falsi nominis. ff. ad leg. Cornel. de fal. & Alex. cons. XC. sed dij immortales, quot sunt hodie quos numeris comprehendere non est, qui humilibus nati parentibus, se alienis, clarissimisq; familiis inserere conantur? vt quod ex se decus recipere non queunt, saltem alieno stemmate, & nobilitate innixi se erigant, noménque suum attollant. Noui ego quosdam ex infima plebe, & à montibus oriundos & (vt dicitur) terræ filios, audacia tanta affici, & quos patet iamdiu pudorem deposuisse, vt Landæ meæ familiæ in vrbe Placentina principis gentilitia arrogare sibi non erubescerent, cùm non animaduertant isti quidem fumo viuentes, se aut seruos, clientésve quondam Comitum Landorum nomina nostra accepisse existimari posse, quemadmodum veteres seruos factitauisse supra recensui, aut se fictitiam nobilitatem conseruare non posse, nec sustinere, nec quodquam imperiale priuilegium, nisi fortè furto sublatum quod fulciat veterem eorum familiam habere Hinc plerique se Landos vocitantes nomina illustria suis libris affixerũt alieno titulo insigniti, sed castra, aut Iura castrorũ ostentent alij, suáq. Iurisdictione abutantur, aliena potius vsurpantes: Ego & si modica, angustáq. nunc gladij potestate à superioribus Cæsaribus maioribus meis ab hinc tercentis annis præstita, & concessa, elargitaq. cum fratribus meis carissimis fungor: nihilominus à iure meo, nunquam casurus sum, nec cuiquam cessurus quod iure æquo inniti possit: neque enim vim illam ciuilem, & festucariam (vt Gellianis verbis vtar) quæ verbo dicetur, cuiquam ius suum auferri permissurum reor, sed nec diffido. Alij (quod maius est) insigne facinus perpetrantes domum Illustrem turpi nota perpetuo decorarunt, ac obscuriorem reddiderunt, Alij capita attollentes virtute, & nobilitate, paupertate premuntur, Aliis contingit à maiorum semita discedere: sunt quibus degeneres animos timor arguit. Sed postquam supra in familiæ meæ mentionem incidi, libet illam quodam epigrammate eleganti sanè insignire quod ad me misit olim (cum in Ferrariensi gymnasio operam legali, studio nauaremus ambo) Constantius Abduensis Mediolanensis, Adolescens morum elegantia conspicuus, bonarúmque literarum artibus non mediocriter

A ornatus, studiorum commercio mihi iunctissimus factus. scripsit igitur ille ad me hunc in modum.

Fons olim fertur dilectus Landia musis,
Quem penes Archemorus paruus adhuc periit.
Inde dedisse suæ domus (fas credere) nomen,
Quod veteres Landos hos vocauere duces.
Aut tantos seruasse tibi fons, ille liquores:
Credo ego, quod nostra doctior arte feres.
Ergo ero non felix doctos cui sumere fluctus
Contigit? his reges non valuere frui.

Sed de nominibus iam satis. Textum Catulli sequamur.

B SED *indidem semper ingenerari.*] id est, ex eodem loco & familia progenerari, & sic notat longam seriem Familiæ Torquatorum multiplicandam esse, & videtur ad legitimum coniugium alludere quo qui nascuntur familiam patris, non autem matris sequantur, vt l. familiæ. ff. de verb. sig.

TORQVATVS *volo paruulus.*] Sic Dido apud Virg. Exoptat paruum Æneam.

——si quis mihi paruulus aula
Luderet Aeneas.—— Pupos hosce nimium amabiles parentibus valde charos esse constat. Hinc Tibullus.

Et fœtus matrona dabit natusque parenti
C *Oscula compressis naribus eripiet.*
Nec sedebit auum paruo aduigilare nepoti,
Balbaque cum puero dicere verba senem.

MATRIS *è gremio suæ porrigens teneras manus.*] Exprimit gestus infantium: matris verò suæ dixit ad differentiam nutricum.

DVLCE *rideat ad patrem.*] Sic Virg. in Pollione. *Incipe parue puer risu cognoscere matrem.* Nam rem naturalem designat sicut maiores sermone, ita pueri risu se indicant agnoscere, boni- que ominis in infante est, si arrideat parentibus. Contra in Iuuen. parùm læto omen est futuræ mortis. quod Virg. in M. Marcello filio Octa-
D uiæ sororis Augusti demonstrat in VI. Æneid.

Sed frons læta parum & deiecto lumina vultu.

HIANTE *labello.*] aperto ore quasi aliquid loqui velit, Nam gratia proueniens ab ore plurimum potest, Alij micante labello legunt, sicque infantium motus ex labellis exprimitur. Recitat Bar. in l. I. ff. de verb. oblig. se quendam Lellum de Gabrielis de Eugubio vidisse, qui homines ad motum labiorum intelligeret. Scribit & Celsus in l. labeo in fin. ff. de supellec. leg. quòd nemo sine voce dicere existimatur, nisi fortè & eos qui loqui non possunt conatu ipso, & sono quodam, Καὶ τῇ ἀναφθόγγῳ φωνῇ dicere existime-
E mus. vide Alciatum lib. II. prætermissor. hoc ipso citato.

SIT *suo similis patri Manlio.*] loquitur de similitudine formę, de qua multa exempla lege apud Val. Max. lib. IX. & de cuius varietate plurima disputantur. Nam videmus etiam natos non semper vultus parentum referre, Nihilominus non dicimus eos esse alienos à patribus, quorum filij creduntur esse. Idque Physici probant ex quadam muliere pudica semper habita, quæ Æthiopem genuit, nam ad eius imaginem quæ in cubiculo depicta posita esset

animum adiecisse, in eámque totam fuisse intentam, cùm interrogaretur compertum est, ideo Æthiopem concepisse. Quod & sentire Plinius natu. hist. lib. VII. cap. XII. videtur, cùm dicat. *Similitudinum quidem in mente reputatio est: & in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoriáq́ue, haustáq́ue imagines sub ipso conceptu. Cogitatio etiam vtriuslibet animum subitò transuolans, effingere similitudinem, aut miscere existimantur.*

ET *facile insciis noscitetur ab omnibus.*] Vult adeo similē nasci infantem patri, vt vnusquisque etiā nesciens filium esse Manlij credat omnino illum esse: Et sic verus filius est patris, qui similitudinem oris gerit, eiúsque putatur esse non agnitus.

B

ET *pudicitiam matris suæ indicet ore.*] hoc est, non sit ore petulanti, quemadmodum sæpiuscule filij Meretricum, vel concubinarum: sed vt fuisse matrem suam pudicam testetur, similitudinem oris referens: vel hoc dicit quia quoddam signum in ore apparere solet puerorum, quo pudica mater fuisse dignoscitur.

TALIS *illius à bona matre Laus genus approbet: Qualis vnico ab optima matre Telemacho manet fama Penelopeo.*] Varinus hoc pacto horum versuum sensum ordinat, Quemadmodum Telemacho ingens fuit gloria ob matris pudicitiam, quæ per XX. annos absente marito castitatem obseruauit, Ita etiam Torquatus sit pudicitia materna commendabilis. Constat enim Penelopen Icarij regis fuisse filiam, & Vlyssis vxorem ex Ouidio in epistolis, eamque castissimam fuisse. Lycophron tamen vnus ex Græcis poëtis scribit Penelopen in alicuius ex procatioribus amplexus venisse, suasionibus Nauplij senis, ob vindictam Palamedis filij sui, fere omnes Græcorum coniuges lenocinio in meretricium deducentis, vt refert Ioannes Buccatius in libello de claris mulieribus, quod tamen vix credendum esse puto, cùm celeberrima mulier apud tot auctores tam castissimæ nomen sit adepta, pudoremque propter ipsius castitatem designari veteres voluerint: statuámque pudori esse Penelopen Alciatus hoc concinno Epigrammate in libello Emblematum ostendit.

C

Penelope desponsa sequi cupiebat Vlyssem:
Ni secum Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Spartem, manet anxia virgo:
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo sedens velat vultus, obnubit ocellos.
Ista verecundi signa pudoris erant,
Queis sibi prælatum Icarius cognouit Vlyssem,
Hocq́ue pudori aram schemate constituit.

CLAVDITE *hostia virgines, lusimus satis.*] Contrarium illi quod supra dixerat,
Claustra pandite ianuæ. sed ibi ianuam domus aperiri iubet, vt ingrediatur spōsa, hic claudi thalamum siue cubiculum. vbi sponsus & sponsa dormiunt. Thalamus, auctore Artemidoro Daldiano lib. de somniorum interpretatione II. cap. X. quod ad somniorum rationem attinet, vxorem significat, aut si non est, dominorum domus, sicut Andrones, in quibus viri versantur cognatos & seruos, Gynæcium verò seruas, Amphithalamus verò is locus est,

A

vbi ancillæ morātur, nā illas longius abesse non oportet, quàm vt vocatæ extemplo audire possint, & præsto ad iubentis imperia esse. Hermolaus Antithalamus legit, quod Plinius in Epistolis Procæcion, id est antecubiculum, vocat. Illud insuper adiiciam hoc loco quod Philander Gallus egregius Vitruuij interpres doctè nobis super illis verbis Vitruuij manifestat lib. VI. cap. X. Hæc pars ædificij Gynæconitis appellatur. *Græci,* inquit Philander, *ædificium in partes duas distribuebant. nam in qua parte viri sine fœminarum interpellationibus versabantur, eum Andronitida appellabant, vbi autem congruerent mulieres, Gynæconitida vocabant. Gynæcium video eam fuisse partem in qua mulieres præcipuè lanificio, & textrinæ dabant operam.* vnde legitur apud Paulum Diaconum lib. VIII. vbi de Narsete loquitur, ei Augustum quòd Eunuchus esset mandasse vt cum puellis in Gynæcio lanarum pensa faceret diuidere. Hinc Valentinianus & Valens imperatores lib. XI. Cod. de muricilegulis & Gynæciariis, eos intelligunt Gynæciarios, qui feminis mixti ea opera exercent, de quibus vide apud Alciatum in Annotationibus in tres lib. Cod.

CLAVDITE *hostia virgines.*] hoc est, Musæ cantare desinite, quemadmodum Virgilius, allegoricos:

CLaudite iam riuos pueri sat prata biberunt.

vel iubet ianitricibus, vt hostia cubiculi claudant.

LVSIMVS *satis.*] satis cecinimus, & spectat ad poëtam, vt Virg.

Ludere quæ vellem calamo permisit agresti.

vel satis lusimus, ad pueros spectat, qui hucusq; nucibus luserant, ostendentes Manlium iam cum vxore alio modo lusurum, quàm nucibus, sicque omnia puerilia depositurum, & procreationi daturum operam. Ideo vertit sermonem ad coniuges.

D

AT *boni coniuges bene viuite.*] Probi, probè simul, & vnanimiter vitam producite.

ET *munere assiduo valentem exercete iuuentam.*] hoc est, dum iuuenes estis, incumbite matrimonio, & filios date sæpius coëundo. Munus enim matrimonij filiorum est procreatio. vnde Virg. in IIII. Æneid.

Nec dulcis natos, veneris nec præmia noris.

& in I Æneid.

E

Connubio iungam stabili, propriámque dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat & pulchra faciat te prole parentem.

VALENTEM *iuuentam.*] validam & robustam. Iuuenta dicitur, & iuuentus, & accipitur pro dea sæpe: Titus Liuius, *Iuuentutis ædem in Circo maximo Licinius Luculus decemuir dedicauit. vouerat eam XVI annis ante M. Liuius Cos. quo die Asdrubalem, exercitúmque eius cecidit. Idem censor eam faciendam locauit. M. Cornelio, & Sempronio Coss. huius quoque dedicandæ causa ludi facti. & omnia cum maiore religione facta, quòd nouum cum Antiocho instabat bellum.* &c. Heben Græcos vocare Iuuentam Aggretius grammaticus asserit, vt notat Lilius Gregorius Giraldus Ferrariensis vir omnis antiquitatis scientiss. in X. syntagmate de deis veterum, vbi de Hebe meminit. Notat

idem ibi ab antiquis sic effingi. Mulierem formoſam ætate iuuenili, veſtibus verſicoloribus, & floribus ornatam: non abſimilem deæ Floræ. Libet hoc loco poſtquam ad finem huius Epithalamij peruenimus Alciati noſtri carmen in Emblematibus de iuuentute apponere, & ſi ab eodem Giraldo in ſyntagmate nominato citatum fuerit. Nam præceptoris mei mirus amor, diuináque eius doctrina me mirum in modum impellit, vt id efficiam libenti animo cum præcipuè ab eo rogetur, vt ſibi diuturna eſſe velit iuuenta, quem vtinam exaudiſſet dea: Nunc enim non tot vndantibus lachrymis Italiæ & Galliæ flumina fluerent, non tot gemitus, non tot cum cœlo querelæ haberentur. non pulla veſte induti incederemus, non virum è cœlo diuinitus miſſum deſideraremus, non quinquageſimo octauo anno fato (heu nimis citò) ſublatum doleremus. non denique Alciatum noſtrum deum in cœlo quæreremus, cuius ab ore dulciores melle, & manna hi ſuauiſſimi cantus olim effluxerunt in iuuentam.

Natus vterque Iouis tener, atque imberbis vterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
Saluete æterna ſimul & florente Iuuenta,
Numine ſit veſtro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Vt lento accedat ſera ſenecta pede.

ACHILLES STATIVS.

Collis ô Heliconij Cultor, *Vraniæ genus.*] Recte, opinor, Hymenæum inſcribamus. eiuſdem enim argumenti poëma citat Ticidæ Priſcianus in v.

Ticidas, inquit, in Hymenæo,
Felix lectule t. lil us ſole amoribus.

Sic legendi hi verſus, vt prior ille ſit integer, poſterior non integer. ſunt enim eiuſdem omnino generis, cuius hi Catulli. Genus ipſum carminis Glyconium, eſtque dimetrum acatalecticum, cum Pherecratio. exempla vtriuſque ponit Hephæſtion, agens de Antiſpaſtico, prioris

Κάπρος ἡνίχ' ὁ μαινόλας.

& reliqua poſterioris,

Ἄνδρες πρόσχετε τὸν νοῦν. & quæ ſequuntur. Terentianus verò Choriambicum primum ſiue Bacchiacum dici ſcribit. eſt enim apud illum ſic, *Hoc metrum Choriambicum eſt, quod pars Bacchiacum vocant.* Idemque Terentianus, cum Septimij verſus præpoſuiſſet,

Geritó, intus in oppidum
Anhelos panopæ greges.

& poëtæ alterius,

Opima adpoſui ſenex amori arma feretrio.

Et illos, *Purpuræ leguli ſenes*
Intus hic vbi conſitum eſt.

Primum pedem mobilem ſignificans, ac varium in his, vt eſt etiam in Catulli verſibus, & in exẽplis apud Hephæſt. addit,

Vtque eſt mobilis hic locus
Immotus manet vltimus. Namque hic ſemper iambus eſt. At poſterius illud carmen, quod Pherecration dicit Hephæſtion, idem Terentianus comma dactyli ſiue Priapei

A carminis videtur appellare, exemplo id Horatiani verſus oſtendens,

Grato pyrrha ſub antro. & ſi primus pes conſtans ſpondæus eſſe videatur. Sed ad huiuſmodi Catulli verſum nihil apud illum propius, nihil eidem ſimilius reperire potui. Atq; idem ſpondæus in exemplis apud Hephæſtionem conſtans eſt. Seruius illum Glyconium ſemper vocat in Centimetro, hunc autem Pherecratium. nam de Priapeio agens, *Priapeium*, inquit, *conſtat glyconio & pherecratio, vt, Helleſpontiacum tuum numen protegit hortos.* Atilius Fortunatianus in arte vtrumque videtur vocare comma Priapei carminis. fit

B enim ex vtroque priapeium. Atque idem varietatem illam, ac pedum mobilitatem in vtroque commate ſignificans ait, *Non ignoro autem variari primas, & ſecundas ſyllabas vtriuſque in priapeio commatis, vt modo ab iambo incipiat, modo à trochæo, tanquam, Hunc lucum tibi dedico conſecroque. Priape ..... libens hoc tibi dedico, libens ſancte priape.* & quæ ſequuntur. At priorem illum vocat idem Bacchium & Choriambum. Mallius verò, opinor is eſt, cuius Macrobius meminit in II. Satur. in Ciceronis ridiculis.

Vraniæ *genus.*] id eſt filia. Sic enim poëtæ loquuntur, vt Vergil. *Genus Orithiæ.* Interpres,

C opinor, Heſiodi Clius filium facit. At Claudianus in Palladij Epithalamio muſa genitum tantum dicit,

—— innumeros Hymenæum quærit amores,
Hunc muſa genitum legit Cytherea ducémque
Præfecit thalamis. ——

Interpres vero Apollonij Erato Muſam in primis, ceteras deinde nuptiarum præſides ſignificat, principio Commentationum in III. Argonaut.

Hymen *ô Hymenæe.*] carmen ſolenne in nuptiis. vt illud Romanis, Thalaſſio, Thalaſſio. Ariſtophan. in Auib.

D *Ὑμὴν ὦ Ὑμέναι' ὦ.*

Et Theocritus in Adoni.

Οὐκέτι Ὑμαί, Ὑμαὶ οὐκέτ' ἀείδομεν ἄμμες Ἄδωνιν.

Et in Helenæ nuptiis,

Ὑμαὶ ὦ Ὑμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

Cinge *tempora floribus.*] Ouid. in Epiſt. Hypſipylæ ad Iaſonem,

Heu vbi pacta fides, vbi connubialia iura,
Fáxque ſubarſuros dignior ire rogos.
Non ego ſum furtim tibi cognita, pronuba Iuno
Adfuit & ſertis tempora vinctus Hymen.
At mihi nec Iuno nec Hymen, ſed triſtis Erinnys
Prætulit infauſtas ſanguinolenta faces.

E Flammevm *cape lætus.*] Nouæ nuptæ flammeum indebatur. ita enim loquebantur. Seuerus Sulpicius in II. Sacræ hiſtoriæ de Nerone ipſo. *Poſt etiam Pythagoræ cuidam in modum ſolemnium coniugiorum nuberet, inditumque imperatori flammeum, dos & genialis thorus, & faces nuptiales. cuncta denique quæ vel in feminis non ſine verecundia conſpiciuntur ſpectata.* Hæc Sulpicij verba poſui propter inſignem rerum earum, quæ in nuptiis adhibebantur, enumerationem. Similem Calliſtrati cuiuſdam turpitudinem eadem prope cum enumeratione exagitat Martialis in duodecimo.

Barbatus rigido nupsit Callistratus asio,
Hac qua lege viro nubere virgo solet.
Praeluxere faces velarunt flammea vultus,
Nec tua defuerunt verba, Thalasse tibi.
Dos etiam dicta est. nondum tibi Roma videtur
Hoc satis. exspectas numquid, vt & pariat.

Eandem turpitudinem exagitans Suetonius in Nerone Claudio, *Cum dote & flammeo persollemni celeberrimo nuptiarum officio, deductum ad se pro vxore habuit.* Iuuenalis Satyra decima, flammeum paratum dixit,

Dudum sedet illa parato flammeolo.

Nescio, an, cum, relicto priore, nubebant alij, flammeum prius scinderent. hoc enim significare videtur Iuuenalis in vi. Sat.

Permutátque domos, & flammea conterit.—

Nisi iratam id dicat facere, vel crebra diuortia sic significet. Nuptias Ælius & Cincius dictas censuerunt, quia flammeo caput nubentis obuoluebatur, quod antiqui Obnubere vocarunt. Fest. Pomp. Idem affirmat in iii. Fast. Ouidius,

Credit amans, thalamósque parat, deducitur illuc,
Anna tegens vultus vt noua nupta suos.

HVC *veni niueo gerens Luteum pede soccum.*] Habitum Hymenæi describit Ouidius in x. Metam. in Orphei nuptiis,

Inde per immensum croceo velatus amictu
Aethera digreditur, ciconúmq; Hymenaeus ad oras
Tendit & Orphea nequicquam voce vocatur.
Adfuit ille quidem, sed nec sollemnia verba,
Nec laetos vultus, nec felix adtulit omen.

Soccus autem luteus, quod eo pedes induebant noui mariti Seneca in Hippolyto de Hercule.

Crura distincto religauit auro
Luteo plantas cohibente socco,
Et manu clauam modo qua gerebat,
Fila deduxit properante filo.

EXCITVSQVE *hilari die.*] Sic Terentius,

Hilarem hunc sumamus diem.

NVPTIALIA *concinens Voce carmina tinnula.*] Carmina nuptialia quæ Theocritus, in Europa, γάμιον μέλος dicit, Κολχίων πεσάϊς γάμιον μέλος ἐπιόντες. Et Euripides in Troadibus, Δάκρυά τ' αἰτήσαιαν τι πῖς ταεὰ μέλη Τρωάδες γαμηλίοις. Hoc ipsum significans Ouid. in v. Metam.

Atria complentur, nec coniugalia sacra
Qui canat, est clamor. ——

Seruius in vii. Æn. in illud, *Hi Fescenninas acies. Fescenninum*, inquit, *oppidum est Campaniae, vbi nuptialia inuenta sunt carmina.* Tinnula, tenui, id est, quæ aures feriat. L. Pomponi adducuntur hæc ab aliis, *Iube modo adferatur vnus, ego vocem reddam tenuem, & tinnulam.* Nisi id dicat se varia vsurum voce. Expressisse autem Catullus videtur, quod Callimachus dixit in Hymno in Delum,

εὐηχὲς ὑμεναίος.

PELLE *humum pedibus.*] Hæc est ὄρχησις, quæ adhiberi in nuptiis solebat. de qua interpres Apollonij principio libri iii. Argonaut.

MANV *Pineam quate taedam.*] Hæ sunt illæ faces nuptiales, de quibus iam supra, & Vergil.

—— *Mopse nouas incide faces.*

Et Ouid. in nuptiis Orphei,

Fax quoque quam tenuit, lacrymoso stridula fumo
Vsque fuit nullosque inuenit motibus ignes.

A Cur autem Spineam magis, quàm Pineam tædam legi oporteat, non video. vt enim illam in nuptiis adhibitam fuisse concedam, eius tamen propria vis putabatur pellendi noxia. de quo & Varro vt citat in i. Carisius, *In Asia fax* (sic enim legendum) *ex spinu alba praefertur, quod purgationis caussa adhibetur.* & Ouid. in vi. Fast.

Sic fatus, spinam, qua tristes pellere posset
A foribus noxas, haec erat alba, dedit. Ac post,
Virgáque Ianalis de spina sumitur alba,
Qua lumen thalamus parua fenestra dabat.
Post illud neque aues cunas violasse feruntur,
Et rediit puero, qui fuit ante, color.

B Deinde vero libri manuscripti, quoscunque vidi, Pineam omnes habebant. quam in nuptiis adhiberi solitam ostendunt & Verg. in vii.

——*flagrantem feruida pinum*
Sustinet, ac nata, Turnique canit Hymenaeos.

Et Ouid. in ii. Fast.

Dum tamen haec fient, vidua cessate puellae,
Exspectet puros pinea taeda dies.

Locus est insignis apud Nonium Marcellum in verbo Fax. qui hoc ipsum plane confirmat. Est autem is in impressis hoc modo. *Fax, pro, Face. Var.* Γερουδιδάσκαλος. *Consluit mulierum tota Roma, quae noctu fieri initia solita etiam nunc pinea fax indi-*

C *cat.* Idem sexagesi, *Adest fax inuoluta incendio. Idem de vita Pop. Ro. lib. ii. Cum à noua nupta ignis in face adferretur fuco eius sumptus fax ex pinu ablata esset, vt eam puer ingenuus adferret.* In duobus manuscriptis sic, *Fax, pro, Face. Varro in Geronto didascalo. Consluit mulierum tota Roma, quae noctu fieri initia solita etiam nunc pinea fax indicat.* Idem in sexagesi, *Adest fax inuoluta incendio. Idem de vita patrum lib. ii. Cum à noua nupta ignis in facie adferretur fuco eius sumptus cum fax ex pinu alba esset, vt eam puer ingenuus adferret.* Est itaque omnibus in libris Pinea fax. &, Ex pinu. Postrema Varronis verba restituere conabar, Cum à noua nupta

D ignis in face ferretur foco eius sumptus, cum fax ex pinu alba esset, vt eam puer ingenuus ferret. Deinde Initia, mutandum, in, Initio. Quod verò scribit Plin. lib. xvi. cap. xix. de Spina nuptiarum facibus, idem ait, auspicatissima, id verò aut olim fuerat, aut ea etiam, vt opinor, pineis facibus intexebatur. Fax autem ominis caussa præferatur, vt significare Propert. videtur in iiii.

Qua mihi deductae fax omen praetulit, illa
Traxit ab euerso lumina nigra rogo.

Nisi sic intelligas Facem, quæ quod noctu nuptiæ fierent, præferebatur, mihi, inquit Propert. Omen triste prætulit ipsa rapta de rogo. Plutar-

E chus tamen caussam adfert aliam, cur Fax præferretur. cuius verba alio loco ponemus.

NAMQVE *Iulia Mallio.*] In omnibus fere manuscriptis, non Iulia, sed Iunia.

QVALIS *Idalium colens.*] Hoc genere similitudinis eximiam Iuniæ pulchritudinem significat. Sæpe sic alij poëtæ.

BONA *cum bona Nubit alite virgo.*] Bona virgo: bella. in manuscriptis, Nubet. Cum bona alite: præpositionem adposuit, more Græcorum. Hesiod. σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσιν. Et Sophocles, opinor, in Trachin. Bonam autem in nuptiis alitem dixit, quod aues quædam in his infaustæ

maléque ominatæ ſint, quas Græci propterea A τοὺς γαμοδαις δυσοιώνιστα ὄρνεα vocant. quod interpres Lycophronis in illa, Οὐ μὴν τοι Ζεὺς οὗτος ἐς πάτρας ἐμὰς Σπίλαις ἀρωγὸς τῶ δυσαρπάγων κρεκὶ, ſic tradit. Κρὲξ ὄρνεον θαλάσσιον, ἴβιδι ἰσαῖος. ἔστι δὲ ἡ ἴβις περὶ τὴν αἴγυπτον, ῥυπαροφάγον. Καλλίμαχος δ᾽ ἐν τοῖς περὶ ὀρνέων φησὶ, τοῖς γαμοῦσι δυσοιώνιστον εἶναι, καὶ Εὐφορίων ἐν Απολλοδώρῳ ποικίλον, οὐδὲ μάλαθρον, ἐρχίλος εἶδεν. Κύζικος ὅτ᾽ δ᾽ ὕστερα κακὸν γάμον ἐχθοδόπος Κρέξ. Κρεκὶ τὴν Ελένην παρεικάζει διὰ τὸ δύσγαμον καὶ κακόγαμον φαίνεσθαι. Eandem auem intellegens, opinor, Propert. in IIII. dixit,

Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordiq́, toro peſſima ſemper auis. B

Quanquam quibuſdam in libris eſſe dicant, Anus, non Auis. Horat. in I. Carm.

Mala ducis aui domum,
Quam multo repetet Græcia milite
Coniurata tuas rumpere nuptias.

Callimachus, εἰς λουτρὰ τῆς παλλάδος bonas, ac malas alites ſignificans dixit, Γνώσεται δ᾽ ὄρνιθας ὃς αἴσιος, οἵ τε πετονται Ηλιθα, καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες. Itaque Αγαθὰς πτέρυγας Bonam alitem apte interpretemur, vel quo modo Vergil. in III. Æneid. proxime ad hæc accedens Callimachi,

Et volucrum linguas, & præpetis omina pinnæ.

alterum enim lex carminis repudiat. ac neſcio, an aliquid de Thalaſſio ſit intelligendum.

Floridis *velut enitens Myrtus Aſia ramulis.*] Cum Myrto comparat, itaque ὑμεναῖον illam ſignificat, quod ſucco, & viriditate præſtet, eóque Veneri ſacra ſit. Cauſſas adfert, opinor, Plut. in Problem. Atque ea quoque in coniugiis adhibita, coniugalis dicta. Plin. in XV. cap. XXIX. Aſiam Myrtum, vel quamcumque intelligamus præſtantem, cuiuſmodi erant Aſiæ, vel proprie natam illis in locis, in quibus multa fuiſſe prata, verſus, quibus Arateos expreſſit, Priſciani oſtendunt illi,

Nam florent Aſiæ per campos plurima prata:
Sed magis ad fluuium Mæandri gurgite miti.

Stephanus περὶ πόλεων, Aſium pratum quod eſſet, demonſtrans, Homeri verba ſimul interpretatur illa, Ασίῳ ἐν λειμῶνι. ita vero ſcribit, Ἔστι καὶ ἄσιος λειμὼν. Ομηρος, Ασίῳ ἐν λειμῶνι, ἀπὸ τοῦ Ασίου. φασὶ γὰρ ἦν, οὐκ ἀπὸ τῆς. ἀγνοεῖ γὰρ Ομηρος τὴν ἀσίαν. ὡς καὶ τὴν Εὐρώπην. ἢ μᾶλλον ἀσίας. καὶ ἰωνικῶς, ἀσίω, ἢ ἀσίῳ, ὡς Εὐρήπῳ. Seruius in I. Georg. in illud.

Iam varias pelagi volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Caiſtri.

Item in VII. in illud,

—— Sonat amnis, & Aſia longe
Pulſa palus. ——

cur prima in verbo Aſia longa ſit, rationem præcipit vtrobique. Intelligi etiam poſſit Myrtus Aſia, Italica in Apulia nata. Vibius enim Sequeſter de montibus, & gentibus. *Apuli,* inquit, *Italici partus Aſia,* primam in Aſia produxit, vt & Homerus & Nicander in Αλεξιφαρμάκοις.

Εἰ καὶ ἀπ᾽ ἀσίαδος κατ᾽ ἀσίδα πίγματα δήμου.

Nutriunt *humore.*] ſic eſt etiam in manuſcriptis nonnullis: in aliis etiam,

Nutriunt in honore.

vt & Aldus iampridem impreſſerat. Sed illud omnino rectius. more enim ſuo Catullus ſpondæum pro dactylo poſuit, vt in hendecaſyllabo,

Oramus ſi forte non moleſtum eſt.

Aliiſque in locis. Sic etiam Seneca in Oedipo, in Choricis verſibus,

Vela nec preſſæ graui.

Sunt, qui reiiciant, quod in hoc genere carminis pedem inſolentem dicunt, & dure dictum, Roſcidum humorem.

Lympha *quos ſimul irrigat.*] In manuſcriptis omnibus, Nympha, quod probari etiam poteſt.

Ac *domum dominum voca.*] In manuſcriptis omnibus. Ad domum. itaque, opinor, antiqui loquebantur. Dominam vero quod dicit, nuptiale id verbum fuit. Tranſibat enim ad mariti domum noua nupta. Homer. in XVI. Iliad.

Τὴν μὲν Εχεκλῆος κρατερὸν μένος Ακτορίδαο
Ηγάγετο πρὸς δώματ᾽ ἐπεὶ πόρε μυρία ἕδνα.

Etenim, vt Feſtus tradit, in Romuli tabula ſcriptum erat: Mulier vero legitime coniuncta, fortunæque & ſacrorum ſocia eſto, vt ille dominus, hæc domina vocaretur. Plutarc. in προβλήμασι ῥωμαϊκοῖς nouum maritum κύριον καὶ οἰκοδεσπότην, nouam nuptam κυρίαν καὶ οἰκοδέσποιναν. Verba illius ſunt, Διὰ τί τὴν νύμφην εἰσάγοντες λέγειν κελεύουσιν, ὅπου σὺ γάϊος, ἐγὼ γαΐα. πότερον, ὥσπερ ἐπὶ ῥητοῖς εὐθὺς εἰσιέναι τῷ κοινωνεῖν πάντων, καὶ συνάρχειν, καὶ τὸ μὲν δηλούμενόν ἐστιν. ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, C καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα. Si retinere priorem lectionem quis malit, legat hoc potius modo,

Ac domus dominam voca.

Vt *tenax hedera hac, & hac.*] Ita arctiſſimum complexum ſignificant poëtæ. de quo multa diximus in Commentationibus in Horatium. Sed erat in manuſcriptis omnibus, Huc, & huc.

Vos *item ſimul integræ.*] Caſtæ. ante,

Puellæ, & pueri integri.

In manuſcriptis erat, Vóſque item. Chorus aliquis in Epithalamiis adhibebatur fauſta omnia vtrique coniugi adprecantium. Quo ex genere ſunt illa D Sapphus apud Athenæum, ac Macrobium:

Κῆνοι δ᾽ ἄρα πάντες καρχάσι᾽ ἔχον,
Καὶ ἔλειβον, ἀράσαντο δὲ πάμπαν
Ἐσλὰ τῷ γαμβρῷ.

Et illa eiuſdem apud Hephæſtionem,

Ολβιε γαμβρὲ σοὶ μὲν δὴ γάμος ὡς ἄραο
Ἐκτετέλεστ᾽, ἔχεις δὲ παρθένον ἂν ἄραο.

Agite, *in modum Dicite.*] In numerum, vt Verg. in VIII. Æneid.

Illi inter ſeſe multa vi bracchia tollunt
In numerum. ——

Hymen *ô Hymenæe.*] Ἐπιφώνημα nuptiale. Diuus Hieronymus, ſi modo eius liber eſt, γάμους E in Commentario in Cantica Canticorum Iuuenes ac puellas in nuptiis adhiberi ſolitas ſignificat: idque Drama vocat.

Se *citarier ad ſuum Munus.*] Vocari ἐπιφωνητικῶς. Horatius,

Ab Ouo vſque ad mala citaret Io Bacche.

Æmilius Probus, hiſtoricus, *Magnis,* inquit, *in laudibus tota fuit Græcia, victorem Olympiæ citari.*

Dux *Bonæ Veneris.*] Bonam Venerem, & bonum amorem dicit coniugalem: &c, vt poſt dicit,

Fama quem bona comprobat.

Boni *Coniugator amoris.*] Γαμήλιε.

A Qvis *deus magis optimis Est petendus amantibus.*] In manuscriptis omnibus,

Quis deus magis amatis. itaque adulterinum omnino est, Optimis. Ego, quo stet versus, legendum puto,

Quis deus magis à macris

Et quod sequitur,

Expetendus amantibus. Amantes & pallidos, & macie confectos videmus. Vergilius in Palæmone,

Heu, heu, quã pingus macer est mihi taurus in aruo
Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro.

Et Ouid. in I. Amorum,

Longus amor tales corpus tenuauit in vsus,
Aptáque subducto corpore membra dedit.

Et in XI. Metamorphos.

Fecit amor maciem.

Te *suis tremulus parens.*] In manuscriptis, pro Tremulus, Romulus, aut Remulus. hoc potius, si modo ferendum est.

Zonvla *soluunt sinus.*] Verbi quoque syllabas ipsius mire soluit.

Te *timens cupida nouos Captat aure maritos.*] Ita est omnibus in manuscriptis. Ea forte sententia, atque ordine, Nouus maritus. timens, ne voto excidat, te cupida aure captat. Nouos autẽ pro Nouus legi nuper in vetustissimo libro Vaticanæ bibliothecæ in oratione Philippi ex historiis Sallusti, quæ non extant. C

Adest nouos exercitus. vel si Timens, in Tenens, quod facile est, mutes, ea sit sententia, quæ te tenet, marito suo non contenta, nouos maritos cupida captat. Nouus maritus dicitur, vt & Noua nupta. Idem alibi,

Inuisente nouo prælia torua viro.

Et Plaut. in Casina, *Lubet Chalinum, quid agat scire nouam nuptam cum nouo marito.* Et Festus Pomp. *Nuces flagitantur nuptiis, & iaciuntur pueris, vt noua nuptæ intranti domum noui mariti secundum fiat auspicium.* Et in verbo Repotia, *Repotia postridie nuptias apud nouum maritum cenatur, quia quasi reficitur potatio.* Verbo Captare Terent. in Phorm. sic est vsus, D

Ad fores suspenso gradu placide ire perrexi. accessi. astiti.
Animam compressi. aurem admoui. ita animum cœpi attendere,
Hoc modo sermonem captans.

Tv *fero iuueni in manus.*] An quia mulier in manum viri conuenit, an potius quod virginem det optanti iuueni fruendam.

Matris *è gremio suæ.*] Eundem versum postea repetit. Hoc verò è veteri consuetudine posuit, quam tradit his verbis Festus Pompeius, *Rapi simulatur virgo ex gremio matris; aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum trahitur. quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Eodem forte pertineat illud Verg. in X. E

—tu socer & gremiis abducere pactas.

Dedis.] Idem alibi,

Dedatur cupido iamdudum nupta marito.

Fama *quod bona comprobet.*] Sic etiam Ouid. in IIII. Fast. de Venere,

Cum primum cupido Venus est deducta marito,
Hoc bibit ex illo tempore nupta fuit.

Illam supplicibus verbis placate, sub illa
Et forma, & mores, & bona fama manet.

Nvlla *quit sine te domus Liberos dare.*] Lucret. *Per te quoniam genus omne animantium*
Concipitur, visitque exortum lumina
Solis. — Et Theocritus, dignam deam quæ colatur in Amphiclis domo, cui liberos dederit, ἁ Κύπρις οὐ πάνδαμος. ἱλάσκεο τὰν θεὸν εἰπὼν Οὐρανίαν, ἁγνᾶς ἄνθεμα χρυσογόνας, οἴκῳ ἐν Ἀμφικλέους, ᾧ καὶ τέκνα καὶ βίον εἶχε ξυνόν.

Liberos *dare.*] Idem post,

Liberos date, procreate. Vergil.

— Geminam partu dabit Ilia prolem.

B Et Claud. in nuptiis Honori & Mariæ,

—Te Leda mallet, quam dare Castorem.

Nec *parens Stirpe nitier.*] Sophocles in Oedipo in Colono, idem, opinor, significans, Οὐδ' ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ Πέλοπος πώποτε βλαστὸν φύτευμ' ἀχείρωτον αὐτοποιόν. Stirpe enim valet, quod βλαστὸν φύτευμα dicit, siue ἔρνος. Sophocles in eadem fabula, ὦ φίλτατ' ἔρνη. quæ verba sunt Oedipi ad filias. Ex eodem prope genere est, quod Arist. posuit in VII. ἠθικῶν Νικομαχείων, quod prouerbio dici soleret, διό φασι ταὐτὸν αἷμα, καὶ ῥίζαν, καὶ τὰ τοιαῦτα. Quod vero Niti dixit, eodem prope modo Lucret. in IIII.

Et quibus ante domi fecundæ sæpe nequissent
Vxores parere inuenta est illis quoque compar
Natura, vt possent gnatis munire senectam.

Et Propert. in IIII.

Et serie fulcite genus. Eusebius in primo libro de Constantini Imperatoris vita, vbi de Alexandro Macedonum rege, ἄπαιδα, ἄρριζον, αὔτανδρον. Et, cum gentis totius exitium significant, iisdem verbis vtuntur auctores vtriusque linguæ. Sophocles in Electra, Φεῦ φεῦ τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι πρόρριζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος. Verg. in XI. Æn.

—Et Euandri totam cum stirpe videbis
Procubuisse domum.

Finibvs.] absolute posuit, vt post, Oris,

Quam maxima in oris. Ouid. in II. Elegiarum, in amicam, quod abortiuum fecerat, eandem pæne in sententiam,

Quis Priami fregisset opes, si numen aquarum
Iusta recusasset pondera ferre Thetis.
Ilia si tumido geminos in ventre necasset,
Casurus dominæ conditor vrbis erat.
Si Venus Aeneam grauida temerasset in aluo,
Cæsaribus tellus orba futura fuit.

Clavstra *pandite ianuæ.*] Ex hoc genere est, & huic proximum, Sapphus illud apud Hephæstionem, ἀεὶ τεῖχον, τεῖχον, ἀμμαλέος. Ὑψοῦ δὴ τὸ μέλαθρον ὑμήναον ἀέρρετε τέκτονες ἄνδρες, ὑμήναον γαμβρὸς ἔρχεται.

Viden', *vt faces Splendidas quatiunt comas.*] Nouæ enim nuptæ fax prælucebat, quare rapi dicebatur. Festus Pompeius, *Rapi solet fax, qua prælucente noua nupta deducta est ab vtriusque amicis, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulchro comburendã curet, quo vtroque mors propinqua alterutrius captari putabatur.* Plaut. in Casina,

Primum omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem.

Stat. in II. Thebaid. idem significans dixit,

Præmissaque faces festum nubentibus ignem

Obruit.—— Quamobrem M. Tullius in oratione pro Cluentio Faces nuptiales has vocat.

VIDEN', *vt faces Splendidas quatiunt comas.*] Sic Sol auricomus à poëtis dicitur. Et cometa κομήτης Æschyl. in Agamemnone, πέμπουσι δ' ἀνδαίοντες ἀφθόνῳ μένει φλογὸς μέγαν πώγωνα. Quatiunt autem dixit, vt & Caluus in Epithalamio.

Hesperium ante iubar quatiens.

Et Græcè Theodectes, Ελίσσων. Π ... λαμπάδ' ἐλίσσων φλογός. ὅλα ... ἀνθρώποις εἶναι.

PRODEAS, *noua nupta.*] Ω νέα νύμφη. Festus Pomp. *Nuptias dictas esse ait Santra ab eo, quod Nymphea dixerunt Græci antiqui γάμον. Inde nouam nuptam νέαν νύμφην.* Hoc autem aliud ἐπιφώνημα nuptiale.

TARDAT *ingenuus pudor.*] In manuscriptis omnibus, Tardet, illud rectius. Ingenuus pudor, ἀγαθὸν αἰδῶ. In scriptis grammatici veteris, quæ apud me sunt, ἀγαθὴ δ' ἤδη ἤθεον αἰδῶ. ὁ τῶ Θεοκλέου διδάσκαλος οἱ τοῦ εἴρωνα. Claudianus in nuptiis Honori & Mariæ,

Iam nuptæ trepidat sollicitus pudor,
Iam produnt lacrymas flammea simplices.

Vitruuius in proœmio lib. VI. Ingenuum colorẽ dicit. *Mihi autem*, inquit, *à præceptoribus est traditum, rogatum, non rogantem, oportere suscipere curam, quod ingenuus color mouetur pudore, petendo rem suspiciosam.*

QVEM *tamen magis audiens.*] Sic erat omnibus in manuscriptis. Erit ergo sensus, Cui patens pudori, Audire enim id nonnumquam significat. Verg.

Instat equis auriga, nec audit currus habenas.

FLET, *quod ire necesse sit.*] Quo pudore impedita, flet. Est autem iisdem in libris, Quod ire necesse est, quod est multo rectius. Sæpe namq; non elidit.

NON *tibi Arculeia periculum est.*] In manuscriptis omnibus, Arunculeia, & Aurunculeia. legendum forte, Aruncleia, ab Aruncis. itaque vetustatem generis & claritatem significat. Possit etiam legi Hirculeia, vel Herculeia, quomodo Aldus olim impressit. Sallustius II. historiarũ, vt est apud Nonium Marcellum in verbo Sagum, Hirculei cuiusdam meminit. *Occurrere*, inquit, *duci, & prælium accendere adeo vt Metello in sagum, Hirculeio in bracchium tela venirent.* Non tibi periculum est, ita prope dixit, vt Cicero Caue putes. itaque Græci Κινδυνεύει prope eodem modo dicunt.

NE *qua femina pulcrior Clarum ab Oceano diem Viderit venientem.*] Quod de die forma cuiusque spectari in primis debeat.

TALIS *in vario solet.*] Hyacintho nunc, quam prius myrto, comparat.

ET *audias Nostra verba.*] Nostros cantus. Manilius in IIII. Astronom.

Et gracilis calamos, & neruis insita verba.

NOSTRA *verba, viden'. faces.*] In manuscritis omnibus, Viden' vt faces. Stare autem sic versus nequit. legendum puto, Vide, vt faces.

AVREAS *quatiunt comas.*] χρύσεον φάος. Bion in Bucolicis,

Εσπερε τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος ἀφρογενείας.

A NON *tuus leuis in mala Deditus vir adultera.*] Vetuste dixit. Ex eodem genere est illud eiusdem post,

Sed quæ se impuro dedit adulterio.

Mala, non casta: vt Bonas, Castas vocant.

PROBRA *turpia persequens.*] In manuscriptis omnibus, *Procatur pia persequens.* rectius illud, si modo veterem librum Guarinus est secutus. Statius in Dauo Probrum sic videtur accepisse,

Ea compressa parit huic puerum, sibi probrum.

Vt & Plaut. in Aul.

——*quo pacto celem herilis filiæ*
Probrum, propinqua partitudo quo adpetit.

B Erat quodam in libro,

Precatur pia persequens.

Legi fortasse possit,

Peccat, aut pia persequens.

qui enim pietati student, rebúsque diuinis sese totos dedunt, Venere abstineant. Claudianus & Catullum & Horatium imitatus hoc ipso in genere, in Epithalamio in nuptiis Honori & Mariæ, *Tam iunctis manibus nectite vincula,*

Quam frondens hedera stringitur æsculus,
Quam lento premitur palmite populus.

O *cubile, quot omine Candido pede lectuli.*] Reliqui tres versus non in Guarini modo libro desiderantur, sed in omnibus iis quos viderim. ita-
C que qui eorum loco leguntur, alieni sunt, & coniectura positi. illi verò duo superiores in Guarini libro leguntur,

O cubile quod homine
Candido pede lectulis.

in iis, quibus hæc scribens, vtebar,

O cubile quod omnibus
Candido pede lecti. Difficilis vero cõiectura, propter ea, quod reliqui versus desunt. Hesiod. Θάλαμα Νηα dicit ligna faciendis apta lectulis.

QVÆ *tuo veniunt hero, Quanta gaudia.*] Quæ
D & quanta, iungit eodem modo Flaccus, *O qui complexus, & gaudia quanta fuerunt.* Gaudia vero in re Venerea, quæ dicantur, doceo in meis in Tibullum Commentationibus, id est, ἡ συνουσία.

QVÆ *vaga Nocte, quæ media die Gaudeas.*] In manuscriptis omnibus, Gaudeat, vt ad herum referatur. is enim illum amoris fructum percipit. Gaudere gaudium, ridere risum, seruire seruitutem, & multa hoc modo, veteres dicebant. Noctem autem vagam dixit, vt & Sol vagus dicitur, vt in illo,

Aurora exoriente vagi
Sub lumina Solis.

E Nam & currum nox habere fingebatur. Tibullus in II.

Ludite iam nox iungit equos.

Et volare, Ennius apud Festum Pomp. in verbo, Quando, *Nox quando mediis signis præcincta volabat.* Ennij quoque esse existimo apud Varronem in IIII. de Ling. Lat. *Itaque dicit Andromacha. Nocti, cana cæli signitenentibus conficis bigis.* Quæ verba sic distinguebã, emendabámq;, *Itaque dicit Andromache nocti, Quæ caua cæli signitenentibus conficis bigis.* vt posterior versus longus sit, eáque sint Andromaches ad Noctem verba. Auctor extremi carminis in Græcis Epigrammatis, siue is est

Mercurius, siue Orpheus, Noctem citam dixit,

Γᾶς ἰνοας γᾶιαν δολιχῶ δ᾽ ὑπὸ νύκτα.

Q V Æ *media die.*] cum meridiabitur. Inde ante ad Iphitillam,

Iube ad te veniam meridiatum.

Cubabant meridiantes. Ouid. in I. Amorum.

Festus erat, mediámque dies exegerat horam,
Apposui medio membra leuanda thoro.

Ac post, ipsa hac de voluptate,

Cetera quis nescit, lassi requieuimus ambo,
Proueniant medij sic mihi sæpe dies.

T O L L I T E, *ô pueri, faces.*] Et tamen Apollonij interpres sponsi, ac sponsæ parentes ipsas in nuptiis olim faces tenere solitas scribit, in IIII. verba interpretans illa, *Αὐτὴ δὲ εἶναι*, ait, *Οὐ τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμουμένων ἐν τοῖς γάμοις δᾳδουχεῖν ἔθος ἦν, καὶ Εὐριπίδης ἐν Φοινίσσαις φησίν.* Ergo vel ea Græcorum consuetudo fuit. vel olim factum, postea desitum fieri. vel tum matres, tum pueri etiam faces ferebant. Romæ tamen nec apud Octauianum Zenum, nec apud Capranicensem Episcopum, apud quos videre est sculpta, atq; incisa veterum nuptiarum simulachra, vllæ matres cum facibus.

F L A M M E V M *videor videre.*] In manuscriptis omnibus, *Flammeum video venire.* quod est ipsum rectius.

I T E, *concinite in modum.*] *ἀοιδιᾶν.* quale apud Verg. *Sequere Italiam ventis.*

O *Hymen Hymenae Hymen ô Hymenae.*] In manuscriptis semper sic hi versus leguntur.

Io Hymen Hymenae io.
Io Hymen Hymenae io.

Legendum puto,

Hymen ô Hymenae io
Hymen ô Hymenae.

Plautus in Casina sic quoque cantantem Hymenæum facit.

Age tibicen, dum illā educunt huc nouā nuptā foras,
Suaui cātu concelebra omnē hanc plateolā Hymenæo.
Io Hymen Hymenae Hymen. Et item post,
Io Hymen Hymenae Hymen.

Ibidem Plautus, & Occentare Hymenæum, & Cantare Hymenæum dixit. Quod verò tibicinem adhibitum in nuptiis Plautus significat, idem etiam Claudianus ostendit in Honori, & Mariæ nuptiis,

Ducant peruigiles carmina tibiæ.

P R O C A X *Fescennina locutio.*] Procax, dicax. Seneca in Medea, *Festa dicax fundat conuicia Fescenninus.* Idem, opinor, intelligens Claudianus in Epithalamio in nuptiis Honori & Mariæ,

Ducant peruigiles carmina tibiæ,
Permissísque iocis turba licentior
Exultet tetricis libera legibus.

hanc enim locutionem iocos etiam vocat Ouid. in III. Fast. de origine agens ipsa Fescenninorum versuum. Apud quem versus sunt.

Nunc mihi cur cantent superest obscena puellæ
Dicere: nam coeunt, certáque probra canunt.

Deinde post,

Inde ioci veteres, obscenáque verba canuntur.

Legendus Seruius apud Verg. vbi de Fescenninis arcibus. Et Macrobius de Fescenninis Augusti. Et Sidonius Apollinaris in epistula ad Hero-

A nium, in qua tota fere pompa nuptialis explicatur. Quæ eius verba, quod multis locis Catulli sensum ac verba inlustrant, facere non potui, quin adscriberem. *Interuenis enim nuptiis Patricij Ricimeris, cui filiam Perhennius Augusti in spem publicæ securitatis copulabat. Igitur tunc in ista non modo personarum, sed etiam ordinum, patrúmque lætitia transalpino tuo lateri conducibilius visum. quippe cum hoc ipso tempore, quo hæc mihi exarabantur, vix per omnia theatra, macella, prætoria, fora, templa, gymnasia, Thalassio Fescenninus explicaretur. atq; etiamnum è contrario studia sileant, negotia quiescant, iudicia conticescant, differantur legationes, vacet am-* B *bitus, & inter scurrilitates histrionum totus actionum seriarum status peregrinetur. iam quidem virgo tradita est, iam corona sponsus, iam palmata consularis, iam cyclade pronuba, iam toga Senator honoratur, iam pænulam deponit inglorius. & nondum tamen cuncta thalamorum pompa defremuit, quia necdum ad mariti domum noua nupta migrauit.* Quod traditam iam virginem dixit, ita verò & Catullus post altero in Epithalamio,

Non æquum pugnare pater, cui tradidit ipse.

Quod pœnulam deposuisse inglorium. Propterea credo Prætextatum postea Catullus vocat. C Quod ad mariti domum nondum migrasse dicit, & ad id, quod ante posuit de domo domini, intelligendum facit, & ad id etiam, qui post sequitur, *Transfer omine cum bono,*

Limen aureolos pedes,
Rasilémque subi forem.

N E V *nuces pueris neget Desertum domini audiens Concubinus amorem.*] In manuscriptis nonnullis, *Ne nuces pueris neget.* In vno, Nec nuces, quod est ipsum maxime probandum. Qui sequitur versus, varie legitur in manuscriptis. Primum sic,

Desertum deum audiens. deinde etiam sic,
Desertum dominum audiens. sed, siue,

D quo, impressi sunt, modo legantur, siue quo sunt in manuscriptis, nulla prorsus sententia probabilis elici potest. Ego leuiter mutans, emendabā,

Nec nuces pueris neget
Desertam dominam audiens
Concubinus amore.

Nam inuita, vt suprà significauit, ad nouum virum noua nupta trahebatur. Noli, inquit, quod eam audias parū in te propenso esse animo, pueris ludentibus nuces negare.

D A *nuces pueris iners Concubine.*] Hæc vero est iam Fescennina locutio. Nuces autem iaciebantur pueris: vt nouæ nuptæ intranti domum E noui mariti secundū fieret auspiciū. Fest. Pomp. Plin. in XV, cap. XXII. *Nuces inglandes quamquam & ipsæ nuptialium Fescenninorum comites.* Ex quo intelligimus & cantare simul Fescenninos solitas puellas, & spargi nuces, aut statim post earum cantum id fieri solitum.

S O R D E B A N T *tibi villicæ.*] Fastidiose formosas ipsas Villicas appellabat. adeo ab omnium amore erat auersus. More vero Sabino conuitia nouo marito fiebant. Lucan. in II. de Catonis, & Marciæ nuptiis,

Non soliti lusere sales, neque more Sabino
Excepit tristis conuicia festa maritus.

NVNC *tuum cinerarius Tondet os.*] Cinerarius idem, credo, qui Cinifio. Cato in Originibus, quo id fieret modo, ostendens, *Mulieres,* inquit, *nostræ capillum cinere vnguitabant, vt rutilus esset crinis.* Carisius in I. & Varro in IIII. de lingua Lat. *Ornatus, quasi ab Ore natus. hic enim maxime sumitur, quod eam deceat. itaque ob id paratur speculum. Calamistri, quod heis calefacteis in cinere capillus ornatur. Qui ea ministrabat, à Cinere Cinerarius est appellatus.* Carisius in II. Afranium aduocat in Cinerario. Idem verbum legitur in veteri monumento in D. Pauli æde, ad primum ab vrbe lapidem, via Ostiensi,

T. CLAVDIVS
ZOSIMVS. FECIT.
LICINIAE. PRISCAE. MAMM
CLAVDIAE......ROSHODO.SOR
MASSA......CVM CINERARIO
ET. TI. CLAVDIO. VERECVN
DO. PATRONO. ET. SIBI
ET. SVIS. POSTERISQ. EORVM
LONG. PED. VI. LAT. PED. VI

Hi sint fortasse, quos in procemio libri primi Columella Capitumque & capillorum concinnatores vocat.

TONDET *os.*] Malas. Martial. in VIII.

Pars maxillarum tonsa est tibi, pars tibi restat.

Atque idem alibi,

Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Est autem sensus, Quas tu nuper fastidiebas atque auersabare, iis nunc os tondes, iis te nunc ipsum ornas. vel id dicit, quod ad eam diem barbam alere liceret, iam marito non liceret.

DICERIS *male te à tuis Vnguentate glabris Abstinere.*] In manuscriptis, Diceres, praue omnino. Vnguentatum dicit, mollem, atque vnguentis delibutum. & quod dixit Homerus, τὴν κεφαλὴν διάβροχον. Seneca hircosis vnguentatos opponit. cuius apud Gellium in XII. cap. II. verba sunt, *Quidam sunt,* inquit, *tam magni sensus. Q. Ennij, vt licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter vnguentatos placere.* Eo autem verbo cum ceteris P. Africanus apud eundem Gell. in VII. cap. XII. mollissimum hominem significat, *Nam qui,* inquit, *quotidie vnguentatus aduersum speculum ornetur, cuius supercilia raduntur, qui barba vulsa, feminibusque subuulsis ambulet, qui in conuiuiis adulescentulus cum amatore, cum chirodota tunica inferior adcubuerit, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit, eum ne quisquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere solent.*

GLABRIS] vel ad ætatem referendum, vel quod se nuce, volsellisque depilarent. cuius infamiam dedecoris subiit Augustus.

SCIMVS, *hæc tibi quæ licent, Sola cognita.*] sic omnino erat omnibus in libris. Sed frigere sententia mihi videbatur, ac legebam,

Scimus, hæc tibi quæ licent
Soli, cognita sed marito, & quæ sequuntur. Hæc inquit soli, needum coniugi licebant: nunc minime solus cum sis, alia vita alios mores postulat.

NE *petitum aliunde eat.*] Sic post,

A *Et quærendum aliunde foret neruosius illud,*
Quod zonam posset soluere virgineam.

EN, *tibi domus vt potens.*] Ita est in manuscriptis, quibus vtebar, non Et potens. Ad domum autem mariti noua nupta transibat. vt iam diximus. Plato in Protagora potentem ac beatam domum sic dixit, Ἱπποκράτης ὅδε ἐστὶ μὲν τῶν ἐπιχωρίων, Ἀπολλοδώρου υἱός, οἰκίας μεγάλης τε καὶ εὐδαίμονος. In nuptiis quidem & quærendo marito, eiusmodi conditio in primis quærebatur. Plau.

Ego te reduco, & reuoco ad diuitias, vbi
Tu iam locere in luculentam familiam,
Vnde tibi talenta magna viginti pater,
B *Det dotis.* —— Ac post,
Nempe istic est, qui Alcisimarcho filiam suam despondit in diuitias maximas.

QVÆ *tibi sine fine erit.*] In Achillis Maffei libro est, *Quæ tibi, sine, seruit.* Itaque probabilis Pontani coniectura, qui legendum putauit. *Quæ tibi, sine, seruiat.* eadem tamen quibusdam non probatur. Ego legendum suspicabar, *Quæ seni tibi seruiet.*

CANA *tempus anilitas.*] Sic omnino legendum puto. Sed omnibus tamen in manuscriptis libris erat, Anilis ætas. Nisi sic versum metiamur, vt, Nilis æt, syllabas vnum in pedem conferamus, As, syllabam in sequentem reiciamus C versum, in quo, Omnia, propter principem vocalem sequentis verbi, vtramque vocalem perdet I & A. quod fecit non semel Horatius. *Annitas,* inquit Placiades Grammaticus in Glossis, *Adiutat, interdum senectus est.* mendose Adiutat. emendant alij Adultas. quod non sequor. legendum forte, Adnutat.

TRANSFER *omine cum bono Limen aureolos pedes.*] Limen cubiculi. Sic Cic. in orat. pro A. Cluentio de nefariis illis Cluentij matris agens nuptiis, *Sensim scilicet, veteri consuetudine, ac ritu.* Plaut. in Casina,

D *Sensim super attolle limen pedes, noua nupta.*

Plutarchus in vita Romuli nouam nuptam tolli manibus solitam aliorum, ita limen viri transire scribit, Διαμένει δὲ μέχρι νῦν, τὸ τὴν νύμφην αὐτὴν ἀφ' ἑαυτῆς μὴ ὑπερβαίνειν τὸν οὐδὸν, εἰς τὸ δωμάτιον, ἀλλ' αἰρομένην εἰσφέρεσθαι. διὰ τὸ καὶ τότε κομισθῆναι βιασθείσας μὴ εἰσελθεῖν. Idem in Quæsitis Rom. plures caussas adfert, in eo quæsito videlicet, διὰ τί τὴν γαμουμένην οὐκ ἐῶσιν αὐτὴν ὑπερβῆναι τὸν οὐδὸν τῆς οἰκίας, ἀλλ' ὑπεραίρουσιν οἱ προπέμποντες. Aliud Varro, cuius verba posuit Seruius, illud interpretans Vergili, —— *Mopse nouas incide faces.* *Varro,* inquit, *ideo dicit faces præire nuptas, quod* E *antea nonnisi noctu ducebantur à sponsis. quas ideo dicit limen non tangere, ne à sacrilegio inchoarent, si depositura virginitatem calcent rem Vestæ, numini castissimo consecratam.* Lucanus in II. de nuptiis Catonis & Marciæ ritus prope omnes hisce non admodum multis expressit versibus, hunc videlicet, & illum indendi flammei, zonæ, quam ille balteum vocat, qua vestis astringeretur, cæterisque versus illius sunt,

Festa coronato non pendent limine serta
Infulaque in geminos discurrit candida postes,
Legitimaque faces, gradibusque acclinis eburnus.
Stat torus & picto vestes discriminat auro.

Turritaque premens frontem matrona corona.
Tralata vetus contingere limina planta,
Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem,
Lutea demissos velarunt flammea vultus,
Balteus haud fluxos gemmis astrinxit amictus.

Neque verò tantum in nuptiis, sed aliud quoque agentibus limen tangere ducebatur ominosum. Ouid. in 1. Elegiarum,

Missa foras iterum limen transire memento
Cautius, atque alte sobria ferre pedem.

Transferre pedes sic dixit, vt & Proferre pedem Euripides dixit in Troadib.

Πρόφερε πόδα σόν, ἐπὶ πάντας ἀγαθῶν.

RASILEMQVE *subi forem.*] sic Verg. Rasile buxum dixit.

ASPICE, *vnus vt accubans Vir tuus Tyrio in thoro, Totus immineat tibi.*] In primo versu vitiū inesse iampridem cum putassem. neque enim quid vnus in eo loco significaret, aut quem salem ac leporem haberet, dispiciebam, & cum manuscriptos libros consulerem, & Vnus, & Vnius scriptum reperiebam. Itaque intus legendum putaui, idque magis etiam probaui post, cùm in tertio manuscripto libro, Imus, scriptum animaduerti. Ouid. in x. Metam. simile quiddam habet, vbi de Myrrha,

——*thalami iam limina tangit,*
Iámque fores aperit, iam ducitur intus.

TOTVS *immineat tibi.*] In verbo Imminere eadem prope vis est, quæ Sapphus verbis significatur, Γαμβρὸς ἔρχεται ἶσος Ἄρει.

Arnobius in III. aduersus gentes. *O egregia numinum, & singularis interpretatio potestatum, nisi postes virorum adipali vnguine oblinerentur ab sponsis, nisi virginalia vincula iam feruentes dissoluerent, atque imminentes mariti.* Cæsar in 1. de bello ciuili similiter, *Instabat agmen Cæsaris, atque vniuersum imminebat.*

ILLE *non minus, atque tu, Pectore vritur intimo.*] In manuscriptis omnibus est,

Illi non minus, ac tibi
Pectore vrimur intimo.

ea sententia, nos illum non minus intimo pectore. i. amore non minore amamus, quam te quoque ipsam. Plautus in Cistell. Pectus penitissimum dixit,

In latebras abscondas pectore penitissimo
Tuam stultitiam. ——

Ouid. in 1. Metam. vt Catullus,

Sic Deus in flammas abiit, sic pectore toto
Vritur. ——

O HYMEN.] Leguntur in manuscriptis, quo supra modo ostendi.

MITTE *bracchiolum teres Prætextate puellulæ.*] Prætextatum vocat, an quia vt Macrobius scribit in 1. Saturn. Prætexta & bulla ingenuorum habitus puerorum erat, an quia vestem mutarat. Festus Pompeius nubentibus pueros conuiciantes prætextas deponere solitos scribit, quamquam etiam nubentes depositis prætextis intellegi possunt. *Prætextum siue prætextatum legere malumus, sermonem, inquit, quidam putant dici, quod prætextatis nefas sit obsceno verbo vti. alij, quod nubentibus depositis prætextis à multitudine puerorum obscena clamentur.*

IAM *cubile adeat viri.*] In manuscriptis omnibus, Adeant. Et noua nupta scilicet, & qui eam deducunt prætextati tres, & pronubæ duæ.

VOS *vnis senibus bonæ.*] In manuscriptis omnibus, *Bonæ senibus vnis.* Legebam ipse, *Vos bonæ senibus viris.* & ordinem ipsum verborum, qui est in manuscriptis conseruo, & quod est facillimum, ac valde probabile, ex Vnis, Viris, feci. Bonas autem Castas vocat, vt sæpe tum Catullus, tum Tibullus, ac ceteri. Sin alteram sequi lectionem malumus, Vniuiras laudari intellegamus, de quibus Tertullianus libro de Monogamia. *Fortunæ muliebri coronam non imponit nisi vniuira.*

COGNITÆ *bene feminæ.*] Bene enim cognitas senibus viris esse oportet. Et verbis autem & sententiis proxime ad hunc Catulli locum Simonides, φίλη δὲ συμφιλοῦντι γηράσκει πόσει τεκοῦσα καλόν. Atque his quidem verbis etiam μονογαμία significatur.

ALBA *Parthenice velut.*] Sic insignem sponsæ pulchritudinem significat. Tibullus sponsæ comparauit egregiam iuuenis formam, vt illam Fori Catullus. est enim apud illum in 1.

Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus,
Vt iuueni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.
Vt cum contexunt, amaranthis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.

Miscet enim hos etiam colores Catullus, addens, *Luteúmve papauer.*

NON *diu remoratus es.*] In manuscriptis omnibus. Remorata, sed illud rectius. Remorari autem absolute, & idem post,

Perge, ne remorare.

Et Plautus in Casina protulit, *Nam, quid illæc tamdiu intus remoratur quasi ob industriam.* Et in Pseudolo, *Vter remoratur.*

QVOD *cupis, capis.*] Eadem prope παρονομασία, quæ ante, Cato Catullum.

AT *marita tuum tamen Celites, nihilo minus Pulchra res.*] Guarinus hoc modo. Sed idē tamen legit, Pulchra res. Auantius legisse se adfirmat in veteribus libris, *Ad Martem tamen iuuenem.* In duobus autem manuscriptis, quibus vtebar, legebatur, *Ad maritum tamen iuuenum*

Celites nihilominus
Pulchre res. ——

Locus ipse difficillimus ad interpretandum. Ego tamen quam poteram proxime ad eam lectionem, quam in manuscriptis reperiebam, restituere conabar, ac distinguere,

Admetum iuuenem tamen
Celites nihilo minus,
Pulchra res. ——

E superioribus enim puerorum conuiciis intelligimus, sponsum puerorum amore flagrasse. Suadent igitur, vt, cum amorem in sponsam suum non abscondat, Admetum tamen ipsum, cuius amore tenebatur, siue is libertus eius erat, quem in deliciis haberet, siue quisquis alius, minime prodat, quem pulchrum esse significat. Credibile vero est formoso iuueni Formosi nomen impositum; Admetū enim insigni forma ab Apolline adamatū Poetæ fingunt. Sed, ne cui duriter iuncta videantur, Tamen, & Nihilominus. Sic enim etiam Cic.

Et

Et tamen nihilominus αὖ ἀρκεῖσθαι. Et pro Cluent. *Tamen nihilominus putabat se.* Pulchra res, nominandi casu posuit, cum accusatiuus præcessisset idem significans, vt & Horatius in II. Serm. Sat. VIII.

Vidimus & merulas poni, & sine clune palumbes,
Suaues res, si non caussas narraret earum, &
Naturas dominus.

Nisi quis esse accusatiuos etiam velit, Suauis res, pro Suaues. Græci sic quoque καλὸν χρῆμα dicunt. Et Aristophanis interpres hanc ἐπαγωγὴν Atticorum propriam esse dicit. in illud enim Poetæ in Nebulis, ὦ Ζεῦ βασιλεῦ τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, ὅσον ἀπέραντον, sic scribit, ἔθος δὲ τοῖς Ἀττικοῖς ἐπάγειν χρῆμα. οἷον, ἵππος, καλόν τι χρῆμα. καὶ γυνὴ, καλόν τι χρῆμα. καὶ ἔτι τῶν ἄλλων ὁμοίως. Cic. pro Murena oratoris munus ac facultatem similiter laudat, *Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa etiam gratia.* Liuius in. XXXI. ab v.c. eodem prope modo, quo Catullus, & Horatius, *Quod si tantum militum Romanorum fuisset, vt & Chalcis teneri, & non deseri præsidium Athenarum potuisset, magna res, principio statim belli, Chalcis & Euripus adempta regi forent.* Cic. quoque in. XII. ad Atticum sic admirari videtur. *Ego etiam atque etiam cogitabo, teque vt idem facias, rogo. Magna res, simplex est manere, illud anceps.* Et Plin. in XXXV. cap. III. *Decora res, vtique si liberorum turba.* & quæ sequuntur. Cic. in VI. Epist. ad Torquatum, & alios, similiter, & quidem per parenthesin, *Reliquum,* inquit, est, *vt te angat, quod absis à tuis, res molesta, præsertim ab iis pueris.* &c.

NEQVE *te Venus Negligit.*] ille quidem pulcher, neque tu inuenustus.

ILLE *puluis Erythrai Siderumque micantium Subducat numerum prius.*] Sic Guarinus. an veterem librum secutus, non explicat. Et genitiuum esse facit Puluis. Ego vero omnibus in manuscriptis, Pulueris legebam. tum quod sequitur, Eritei, & Ericei. Auantius legendum docet, Erythrij. Qua de re cum diu multumque dubitarim, quæ mihi in mentem venerint, qualiacunque ea sint, ingenue proferam. Primum, Erythræi, non placebat ipsum, & quod longe arcessitum videbatur, & quod diphthongus corriperetur. Nam, Dionæus alibi legendum non esse, docui. itaque varie coniecturam feci. primum sic, Ille pulueris interim, ea sententia, Ille qui nostros lusus, ac delicias numeratas vult, eas interim dum facimus, prius & puluerem, & stellas numeret. E. namque mutabam in I. proximam vocalem, ex R. & I. consonantem N. faciebam, sequitur T, in manuscripta lectione, deinde E, post quam litteram, R. interponebam, & I. extremo apicem imponebam. Deinde etiam succurrebat, Puluerem, arenamque Libycam hoc in genere prouerbio celebratam. Idemque memineram illud eiusdem Catulli ante, huic sententiæ valde consentaneum.

Quæris, quot mihi basiationes
Tuæ Lesbia sint satis superque
Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis iacet Cyrenis
Oraclum Iouis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum,
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores.

Itaque aliquid huiusmodi subesse suspicabar, faciebamque Ille pulueris Antæi, Antæum enim terrigenam Libyn appellat Statius in VII. Thebaid. diphthongonque inuitus corripiebam, quod me tamen adeo non mouebat. Tertium illud fuit, vt Eretri, quod proxime ad scriptam lectionem accedebat, legerem, quasi Eretrij. alterum enim. I. & consuetudo ipsa, & figura tollebat. Eretrium autem puluerem ab Eretria ciuitate maritima in Euboea. E. vero productam ab eo Homeri exemplo, Χαλκίδ' Ἐρέτριάν τε quod si sequimur, I. antepenultimam in. E, mutandam, & penultimam E. in. I, quæ sunt mutationes omnes facillimæ, valdeque probabiles. Quod si quis propter syllabam apud Homerum scribit, Εἰρέτριαν, idem faciat hoc loco. Carisius Erythrum mare dici etiam ostendit, illis Plinij verbis, *Ab Erythro mare orti.* quo auctore licebit etiam hic, si mare rubrum intelligamus, dicere, Pulueris Eritri. Sic tamen vt prima in Eritri producatur ἐκτεταμένως.

QVI *vestri numerare vult.*] In manuscriptis omnibus, non Vult, sed Volunt. Credo quod ante scriptum fuerat, Volt, quod non intelligentes, praue mutarunt in Volunt. Sed iisdem in libris non Vestri, sed Nostri, sic, vt hæc ab sponsis, non à pueris, dicta accipiamus. Sed, cum sponsus & sponsa in nuptiis non loquantur, Vestri potius legamus.

MVLTA *millia lusuum.*] Auantius in veteribus libris fuisse dicit, & Lusum pro Lusuum, contracte, & Lusus. In iis, quibus vtebar, omnibus, Ludere. Et sequens versus ita legebatur, Et ludite, vtrûque vitiose. Ego vero scriptum fuisse opinor totum versum, Multa mollia ludi. At ludite. Vt At principium sit orationis & cantus, quem pueri sponsis respondent. Millia vero in Mollia mutandum puto, quod parum Latine dici putem Millia ludi, vt Millia cum genitiuo numeri singularis coniungatur, deinde vero quod Mollia, id est deliciæ, siue τὰ παίγνια Latine sic dici putem aptissime, itaque omnis illa in amore lasciuia commodissime significatur. Ludere autem lasciuire, ac libidinari. idem post,

——Lusimus satis. Horat. in II. Epistolar.
Lusisti satis, edisti satis, atque bibisti.

NON *decet Tam vetus sine liberis Nomẽ esse.*] Nomen, pro Familia, & gẽte, ac populo. Verg. in VI.

Inlustres animas, nostrumque in nomen ituras.

Et Liuius in I.

Per se ipsum nomen Ceninum impetum facit.

SED *indidem.*] Eodem verbo vsus Plautus.

Indidem vnde oritur facito vt facias
Stultitiam insepelibilem.

DVLCE *rideat ad patrem.*] Politianus apud Verg. legit. *Qui non risere parentes.* Seruium damnat, Quintilianum opponit. Et sunt tamen qui nihil à Seruio Quintilianum putent dissidere. Certe Catulli locus hic, & ille apud Rufum Festum Auianium in Orbis terrę descriptione, *Nascenti Baulo risit pater, vndique fulsit Cælicolum sedes,* fauere ac subscribere Seruij sententiæ videntur. Et Qui, pro Cui, scripserunt antiqui.

Q

S e d *micante labella.*] Sic correxit Auantius, cum esset in manuscriptis, Sed mihi ante. Micans labellum: id est, patens, saliens. Hoc ipsum exprimens Poeta vetus apud Atilium Fortunatianum, *Patens labellum diffido Iugare rictu.* Et Martialis in I. in Maximinam,

Laxat perspicuo labello risu.

Et Ouid. de arte Amandi,

Sint modici risus, paruaque vtrimque lacunæ.

Rabanus Maurus de Magorum præstigiis, *Salisatores,* inquit, *vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcumque salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significari prædicunt.* Theocritus in ἀοιδῶν. ἐν ἀμάρυγμα χείλευς, Interpretari etiam possumus, Splendente. Sic Verg. in XII. B

Hoc Venus obscuro faciem circumdata nimbo

Detulit, hoc fusum labris splẽdentibus amnẽ Inficit.

S i t *suo similis patri.*] Statius in I. Siluar. in Epithalamio Stellæ, & Violantillæ, *Multum de patre decoris, Plus de matre capit.* Basilius in Epistola ad Gregorium Nazianzenum, Ἐπέγνων σου τὴν ἐπιστολήν, ὥσπερ οἱ τοὺς τῶν φίλων παῖδας ἐκ τῆς ἐμφαινομένης αὐτοῖς ἐμφερείας πρὸς τοὺς τεκόντας ἐπιγινώσκουσιν.

B e n e *viuite.*] Idem aliquando simplici ipso verbo Viuere significatur. Horat. vt Catul.

Si bene qui cenat, bene viuit, lucet, eamus

Quo ducit gula.

M v n e r e *adsiduo valentem Exercete iuuentam.*] C Sueton. in Domitiano, *Adsiduitatem concubitus, velut exercitationis genus Clinopalen vocabat.* Statius in I. Siluar. in Epithalamio Stellæ, & Violantillæ in eandem sententiam,

Exerce formam, & fugientibus vtere donis.

Ac post,

Ergo age iunge thoros, atque otia deme iuuentæ.

Valentem iuuentam vocat, vt Hesiodus ἥβην πολυηράτῳ. illius enim versus est ἐν ὡραίῃ ἡλικίῃ, vt Lycophronis adducit interpres, Αὐτὰρ ἐπεὶ ἥβης πολυηράτου ἵκετο μέτρον. Plautus in Casina Valentulam eodem modo videtur dicere,

Obsecro, vt valentula est? D

M. ANT. MVRETVS.

Collis ô *Heliconij.*] Manlij, puto, eius, ad quem infra elegiam scribit, & Iuliæ nuptias ode elegantissima celebrat, eisque à diis immortalibus fausta omnia precatur. Est autem hoc carmen quidem nuptiale, neque tamen proprie epithalamium. nam epithalamia canebantur à virginibus, cum iam noua nupta in lecto viri collocata esset; vt, eo primum illud prælium committente, effringenteque illud virginei pudoris veluti vallum, clamor, qui nonnunquam à virginibus in eo conflictu edi solet, exaudiri non posset. in quem vsum etiam E nuces pueris spargi solebant, quibus illi colligendis intenti, tumultu & strepitu omnia implerent. At hoc versu & puellæ ipsæ admonentur, vt canant, & tota nuptialis pompa describitur, vt, quemadmodum ante dixi, epithalamium esse vix possit: nisi quis, epithalamij nomine latius accepto, omne nuptiale carmen significari putet. Principio igitur Hymenæum, deum nuptiarum præsidem, inuocat;

A eumque orat, vt his nuptiis felix ac propitius assit. Quæ de Hymenæo traduntur, qui à peruulgata sunt, piget ascribere.

Q v i *rapis.*] Festus, *Rapi simulatur virgo ex gremio matris: aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum traditur: quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit.* Idem, *Rapi etiam fax solet in nuptiis, qua prælucente, noua nupta deducta est, ab vtrisque amicis, ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulcro comburendam curet: quo vtroque mors propinqua alterius vtrius captari putatur.*

O H y m e n æ e *Hymen.*] hæc cani solebant, cum in domum viri noua nupta deduceretur. vide Plautum Casina. meminit & Terentius Adelphis.

C i n g e *tempora.*] redimitus floribus Deus hic, & facem gestans pingebatur. Theocritus, epitaphio Adonidis,

Ἔβαλλε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ φλιαῖς Ὑμέναιος.

Καὶ στέφος ἐξεπέτασσε γαμήλιον.

S v a v e *olentis.*] hoc vocabulo vsus est & in carmine illo in Priapum,

Pallentesque cucurbitæ, & suaue olentia mala.

sic Virgilius suaue rubentem hyacinthum & suaue rubentem muricem dixit.

F l a m e v m *cape.*] quo nymphæ caput amicias, ad pudorem indicandum. Festus, *Flammeo amicitur nubens, ominis boni caussa; quod eo assiduè vtebatur Flaminica, id est, Flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium.*

L v t e v m.] colorem hunc fuisse in nuptiis vsitatum, auctor est Plinius.

P e l l e *humum pedibus.*] salta, sic Horatius,

Nunc est bibendum, nunc pede libero

Pulsanda tellus.

S p i n e a m.] rectè emendauit hunc locum ante hos L. annos Parthenius, cum antea legeretur, Pineam. è spina enim alba nuptiales tædas fieri solitas, & Festus testatur, & Plinius: idque quoniam in Sabinarum raptu, qui felicissime cessit, talibus etiam tædis pastores vsi erant.

N a n q v e *Iulia.*] æque pulchram esse dicit Iuliam; atque erat Venus, cum ad Paridem, subitura formæ iudicium, venit. Fabula omnibus nota est.

C v m *bona alite.*] Vetuste addidit, cum: vt & infra,

Transfer omine cum bono.

vsitatius enim hæc sine propositione dicuntur. Horatius,

Mala soluta nauis exit alite. Idem,

——mala ducis aui domum

Quam multo repetet Græcia milite. Tibullus,

Fulserit hic niueis Delius alitibus.

B o n a *cum bona.*] hæc figura, quam Cornificius traductionem vocat, huic scriptori, & Plauto perfamiliaris est. Sic infra,

Dux bonæ Veneris, boni

Coniugator amoris.

multisque aliis in hoc ipso poematio locis.

F l o r i d i s *velut.*] elegantissima comparatione exornat pulchritudinem Iuliæ, similem ipsam esse dicens myrto tenellæ, quam paulatim assurgentem, nymphæ summo studio nutriant. Et apparet, hac comparatione poetam ipsum

delectatum, quam infra repetierit, cum de Ariadna loqueretur, A

Quales, inquit, Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Auraue distinctos educit verna colores.

Hoc autem ex Homero sumpsit, apud quem Vlysses Nausicaam teneræ & proceræ assimilat palmæ. locus est Odysseæ vi,

Δήλῳ δή ποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα. id est,
Talem equidem tenero surgentem germine palmã
Deli olim, Phœbi ante aras, vidisse recordor.

MYRTVS *Asia.*] quod videlicet in Asia, propter regionis calorem, arbor hæc felicissime proueniat. Neque est, quod quenquam moueat B syllabæ modus. sic Homerus Iliados II,

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

sic Maro,

—— & quæ Asia circum
Dulcibus in pratis rimantur stagna Caystri.

& alibi,

——sonat amnis, & Asia longe
Pulsa palus,

Sic, cum Arabes & Italos prima correpta enunciemus, Arabiam & Italiam prima producta dicimus. Biennio fere, postquam hic commentarius primum editus est, scripsit ad me Roma Dionysius Lambinus, homo mihi & propter doctrinæ præstantiam, & propter suauissimos mores eximie carus, esse illic quosdam homines eruditos, qui cũ ceteroqui perhonorifice de me C sentirent, hoc loco diligentiam meam requirerent, qui ab Asia regione, non ab Asia palude, Asiam myrtum dici putassem, neque saltem ea vidissem. quæ hac de re peruulgati Homerici ac Virgiliani interpretes tradidissent. ego autem, quod de me bene sentiant, gratiam habeo; quod me, hoc quidem loco, reprehendant, facere iniuste puto. nam illam ipsam paludem in Asia esse constat: & pratum illud Asium, vt nonnulli à nomine ἄσις, alij ab heroe quodam Asia, ita sunt qui à terra Asia nominatum opinentur. idque & Eustathius testatur, & is, cuius sunt scholia in Homerum. Est autem mihi quoque, nisi D fallor, liberum, in sententiarum varietate, id sequi, quod maxime probabile videatur.

HAMADRYADES.] nymphæ ita dictæ, quod cum arboribus & nascantur, & intereant. Hinc est, quod Æneas, cum sanguinem ex arbore, cuius ipse ramos vulserat, stillantem vidisset, nympharum pacem petiisse se ait, veritus nimirum, ne earum aliquam in arbore læsisset. Eædem interdum & Naiades dicuntur.

Ouidius,

Naiada vulneribus succidit in arbore factis:
Illa perit: fatum Naiades arbor erat.

NVTRIVNT *humore.*] spondæum pro dactylo posuit, vt sæpe supra in Phaleuciis. infrà E quoque in carmine de Atti sæpe longam vnam duabus breuibus mutat. Est autem hæc vera Aldinorum Gryphianorumque codicum scriptura, quam alij temere repudiarunt.

THESPIÆ *Rupis Aonios specus.*] Heliconem ipsum dicit.

NYMPHA.] hæc est vetus scriptura. aut igitur Aganippen ipsam nympham vocat; aut nympham pro lympha more veterum dixit. sic enim & apud Virgilium eruditi legunt,

Dant famuli manibus nymphas.

DOMINAM.] ita vocabantur, quæ conueniebant in manum, id est, matresfamilias. vide Nonium. Sed & patresfamilias, domini vocabantur. M. Brutus de officio, (citat Priscianus) *itaque patres familiæ domini sumus.* Terentius Heautontimorumeno,

——domina, ergo herus damno auctus est.

VT *tenax edera.*] comparatio & aptissima, & vsitatissima. Festus, *Edera vincit, ad quodcunque se applicat: ideoque eam flamini Diali neque tangere, neque nominare fas erat. Sed ne annulum quidem ei gestare solidum licebat, aut aliquem habere in se nodum.*

INTEGRÆ.] intactæ, innuptæ, ἄζυγες.

QVIBVS *aduenit Par dies.*] quibus, suo cuique tempore, eadem obeunda erunt sacra.

IN *modum.*] concinne, ἐῤῥύθμως. Sic infra,

Ite, concinite in modum.

BONÆ *Veneris.*] honestæ, & legitimæ.

TREMVLVS.] senex.

ZONVLA.] de hoc ritu, alio iam loco diximus. Versus autem, qui proxime sequuntur, ita scripti sunt in omnibus, quos ego quidem viderim, libris: *Te timens cupida nouos Captat aure maritos.* idque, tanquam integrum, omnes interpretantur, puellas videlicet metuentes, ne in malos maritos incidant, cupide auscultare, cum parentes de adoptando sibi genero aliquo verba faciunt. Ac memini equidem, L. Memmium Fremiotum, nobilissimum, summoque præditum ingenio adolescentem, cum hoc carmen vna euolueremus, mihi dicere, & totam hanc sententiam magnopere frigidam, & subitam illam numerorum commutationem sibi valde inconcinnam, valdeque à lepore huius poëtæ alienam videri; neque dubitare se, quin locus corruptus esset. quod cum mihi quoq; hęc scribenti venisset in mentem, cepissemque mehercule ipsius Memmij caussa paulo accuratius, de hoc toto cogitare, reperisse videor, quo modo minima mutatione locus integer fiat. Ita igitur legendum puto,

——tibi virgines
Zonula soluunt sinus,
Te timent: cupida nouos
Captat aure maritus.

vt sensus sit: dum vesper instat, quo tempore Hymenæus cani, & puellæ in maritorum domos perduci solent, trepidare ipsas, metuentes primam illam congressionem: maritos contra, quibus omnis mora longa sit, quibusque longum videatur, dum sint cum amoribus suis, stare attentis auribus, cupidissimeque expectare, dum illud quasi Venerei conflictus classicum audiatur. Porro quod, nouos maritus, antique pro, nouus maritus, dictum est, eam fuisse deprauandi loci occasionem puto. Quanquam autem non dubitabam, quin ex collatione, omnes mihi lepidiores homines assensuri essent, tamen & vsitatam lectionem, & illius interpretationem apposui, si quis forte sic quoque eam tenere mallet.

FERO.] ardenti.

FLORIDAM.] ἀσθενής, ἀκμάζουσα, forma atque ætate integra.

DEDIS.] plus quiddam est dedere, quam dare. Damus etiam recepturi: dedimus ea demum, quæ volumus accipienti propria ac perpetua fieri.

PARENS *stirpe dicier.*] Iurisconsulti enim tradunt, parentes nusquam certos esse, nisi in nuptiis. At Telemachus ille Homericus ne sic quidem.

PARENS *stirpe.*] sic locutus est & Virgilius,

——pulchra faciat te prole parentem.

QVÆ *tuis careat sacris.*] qui cælibes sunt, eos verisimile est minus solicitos esse de rep. quam eos, qui & vxores, & liberos habent, in quibus quodam modo ipsi periclitentur; quorumque omnium salutem in salute publica intelligant contineri. vnde in multis ciuitatibus respub. cælibibus cōmitti non solebat. Apud Massilienses quidem, quorum ciuitas optime temperata olim fuisse perhibetur, timuchi esse non poterant, nisi qui & vxorem haberent, & liberos. fieri potest, vt idem Romani obseruauerint in iis, quos præsides in prouincias mitterent. Atque hæc, etsi tantum coniectura nituntur, tamen aptiora, ni fallor, sunt ad hunc locum, quam quæ de patrepatrato, & fecialibus Guarinus, & qui eum secuti sunt, attulerunt.

VIRGO *adest.*] id est, mox proditura est.

INGENVVS *pudor.*] nihil est, quod magis iuuentutem deceat, quam honestus pudor. itaque & M. Cato dicebat, placere sibi iuuenes, qui erubescerent, non qui pallescerent: & Diogenes verecundum illum ruborem, colorem virtutis esse dicebat: & Pythias, Aristotelis filia, interrogata, qui sibi color videretur pulcherrimus, eum respondit, qui in ingenuis ex pudore enasceretur. Virgines autem præcipue commendat: vnde tam sæpe virgineum pudorem, virginalemque verecundiam in scriptis veterum legimus.

FLET.] flere solent virgines, vbi è domo paterna in mariti domum abducuntur: quod totum lacrymarum genus fictum esse, Catullus ipse alio loco dicturus est.

HERCVLEIA.] Herculeij cuiusdam meminit Salustius secundo historiarum, *Occurrere duci, & prælium accendere, adeo vti Metello in sagum, Herculeio in brachium tela venirent.* atque hic videlicet est, qui Sertorium secutus, tandem cæsus est à Q. Metello: cuius meminit & Frontinus in strategematis. Sed hæc, cum ex Iulia familia esset, ex Herculeia non poterat. An igitur Herculeiam dicit nobilissima stirpe ortam, & cuius maiores ad ipsum vsque Herculem gentis primordia referrent? Vix crediderim. plane autem in meo vetere libro legitur omnibus literis, *Aruneuleia.* sed tamen ab Arunca oppido, Aruncana potius diceretur. itaque ἐπέχω.

VARIO.] variis floribus picto.

STARE.] hoc verbo vtitur, vt viuidum ac vegetum indicet florem.

IN *mala Deditus vir adultera.*] quod nunc, studere alicui rei, & alicui rei deditum esse, dicimus; id veteres, studere in aliqua re, & in aliqua re deditum esse, dicebant. Cato, *Poeticæ artis honos* A *non erat. si quis in ea re studebat, aut sese ad conuiuia applicabat, grassator vocabatur.*

Lucretius,

Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est.

LENTA *vitis.*] sic Virgilius,

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

ASSITAS.] prope sitas.

O CVBILE.] verborum ordo paulo est perturbatior: quo factum est, vt nonnulli locum hunc non carere vitio suspicati sint. ita autem digerenda sunt, vt intelligantur: O cubile, quot bona omina veniunt lectulis candido pede: (pe- B dem autem vocat, quo fulcitur lectus; vt supra,

——veteris pedem grabati)

& quæ bona omina veniunt tibi. Gratulatur autem & cubili, & lectulis consciis atque arbitris futuris nuptialium lusuum. sic Propert.

——o tu Lectule deliciis facte beate meis.

Citat fragmentum huic loco simile Priscianus ex Atticida, poëta vetere, in Hymenæo, quod tale est, *Felix lectule talibus Sole amoribus.* Constat autem & materiam eandem esse, & idem carminis genus: vt parum absit, quin ego hoc quoque Catulli carmen Hymenæum, non, epithalamium, inscribendum putem.

C GAVDIA, *quæ gaudeas.*] ταυτολογία, vt in illo Virgilij,

——hunc, oro, sine me furere ante furorem.

TOLLITE *ô pueri faces.*] describit nunc puellam egredientem domo. Quinque autem facibus vtebantur in nuptiis; quod is numerus quasi symbolum quoddam sit nuptiarum, vt qui ex primo impari, & primo pari, tanquam ex mare, & femina constet. Plura, si libet, vide apud Plutarchum in problematis. Eas qui præferebant, daduchi à Græcis, à Latinis fortasse olim pueri lauti dicebantur. id suspicor ex versiculo Plauti, qui est in Curculione, vbi seruus adolescenti eunti de nocte ad amicam, cereumque manu fe- D renti ita dicit,

Tute tibi puer es lautus, luces cereum.

Quin & suspicor id olim ominosum habitum fuisse, creditumque, qui nouæ nuptæ luxissent facem, eos postea nihili fore. nam apud eundem poëtam Casina, Olympio Chalino, conseruo ac riuali suo, ita minitans inducitur,

Primum omnium huic lucebis nouæ nuptæ facem:

Postilla vt semper improbus, nihilique sis.

FLAMEVM.] quo, vt diximus, nuptæ amiciebatur caput.

NEV *diu taceat.*] pueros admonet, vt de more Fescenninos versus canant. Iis autem versibus, E summa verborum licentia & lasciuia factis, conuicia quædam in sponsos ioculariter spargi solebant. vnde & statim poëta tum puero concubino Manlij petulantius quodam modo insultat; tum Manlium ipsum, vt nimis in pueros procliuem, notat, tum nuptam admonet, ne se viro difficilem præbeat: alioqui fore, vt ipse delicias aliunde petitum eat: quam totam verisimile est Fescenninorum versuum materiam fuisse.

NEV *nuces.*] & maritus ipse nuces pueris spargebat, tum ea, quam diximus, caussa, tum vt vt se puerilia omnia relinquere ostenderet; (vnde est illud Virgilij,

SPARGE *marite nuces.*]& ipsius concubinus, & vt ex hoc loco colligitur, indicans se amplius puerile illud passurum non esse.

THALASSIO.]hunc inuocabant in nuptiis. vide Liuium lib. I. & Plutarchum problematis. Hic pro ipso matrimonio ponitur.

SORDEBANT *tibi villicæ.*] tu, inquit, nuper villicarum dissuauiari te cupientium oscula, pro innata formosis omnibus superbia, refugiebas,& amore domini ferox, & formæ bono : at nunc certe istos animos demittes:cum & dominus ad nuptias animum adiecerit, & tonderi te iusserit:quod indicio est,te ei amplius in deliciis non fore. Porro comam nutrire olim pueri delicati solebant. Horatius,

Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

Et Martialis,inter cetera, quæ ad pueri pulchritudinem faciunt,exigit,vt molles ei colla flagellent comæ. Atque hinc videlicet Synesius sophista scripsit cinædos esse pueros omnes, qui alerent comam, tondebantur autem vxores ducentibus dominis:aut alioqui cum ipsi iam exolescerent:quod interdum munus nouæ ipsæ nuptæ obibant. Martialis,

Flamea texuntur sponsæ: iam tæda parata est:
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Fere autem comæ libamina dicabant alicui deo, vt multis ex Martiale & Papinio locis cognosci potest.

CINERARIVS.] ita tonsores vocabant, quod vnum de ministeriis eorum esset, calefactis in cinere calamistris torrere ac vibrare crinem.eo nomine Afranius comœdiam quandam inscripsit suam. Flauius Sosipater, *Muliebre*, inquit, *ministerium Cinerarius dicitur: nam Cato in originibus, Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere vngitabant, vt rutilus esset crinis.*

MALE *abstinere te.*] ita salax esse, vt abstinere non possis.

A TVIS *glabris.*] à pueris tuis, quorum genæ cruraque nulla adhuc lanugine violantur.

SCIMVS *hæc tibi quæ licent, Sola cognita.*] occupatio est, poterat enim Manlius dicere, se ab omni Venere illicita abstinuisse; neque vllam esse legem, quæ vetaret, quo minus ipse arbitrio suo ex suis caperet voluptatem. Plautus Curculione,

Ita tuum conferto amorem semper, si sapis,
Ne,id,quod ames, populus si sciat, tibi sit probro.
& paulo post,
Dum te abstineas nupta, vidua, virgine
Ingenua,& pueris liberis,ama quod lubet.

atque hoc etiam affirmat Plutarchus.vbi caussas reddit, cur ingenui pueri bullam gestarent. At Catullus,etiam si hoc, inquit, nondum ducta vxore,tibi licuisse nouimus, nunc tamen marito iam eadem amplius non licent.

TEMPVS.] annota *tempus* etiam priore numero pro parte capitis dici, contra quam Sosipater putat. Sic Cornificius libro IIII. ad Herennium : Et dubitanti Graccho, quid esset, neque tamen locum,in quo constiterat,relinquenti,percutit tempus.

ANILITAS.]ita Varro Eudæmonibus dixit iuuenilitatem. Idemq; de liberis educandis, *Velim mehercules, inquit ipse, vsu magno puerilitatis formulam audire.*

OMNIA *omnibus annuit.*] sic puto melius legi,quam *annuat*:vtcunque hoc malit Auancius. Iucunde autem exprimit naturam senum; in quibus caloris naturalis inopia imbecillitatem, imbecillitas tremorem efficit, ita vt caput perpetuo motitantes,omnia omnibus annuere videantur.

TRANSFER *limen pedes.*] noue dictum pro, fer pedes trans limen. Ominosum autem putabatur, vel ingrediendo, vel egrediendo limen tangere, Ouidius,

Omnia sunt aliquid, modo cum discedere vellet,
Ad limen digitos constitit icta Nape.

ideoque summus poëtarum, equum illum fatalem in limine substitisse dicit,

——*quater ipso in limine portæ Substitit.*

Præcipue autem id in nouis nuptis religioni habebant. Plautus,

Sensim super attolle limen pedes noua nupta.

Lucanus in secundo,

Tralata vetuit contingere limina planta.

Caussas ex Seruio,& Plutarchi problematis require.

AVREOLOS *pedes.*] pulchros. χρυσοῦν enim vocabant, quidquid pulchrum esset. At Homerus Tethyn ab argenteis pedibus ἀργυρόπεζαν nominat.

RASILEM.] politam, ξεστήν.

FOREM.] Plautus Milite,

——*ecce autem commodum aperitur foris.*
Ouidius,
——*custos in fore nullus erat.* Idem,
Difficilem moto cardine pande forem.

TYRIO.] purpura Tyria instrato.

IMMINEAT *tibi.*] in te, tanquam in præda aliqua sua, defixus, nusquam à te oculos dimoueat, sed vultu ipso indicet impotens desiderium tui.

FLAMA *sed penita magis.*] significat eum maiore etiam nuptæ amore ac desiderio carpi. Penitum vocabant veteres, quod intimum esset: vnde & penum,& penates deos dixerunt, Plautus Asinaria.

——*age quæso hercle vsque ex penitis faucibus.*
Idem Persa,
Furtinam aduectam ex Arabia penitissima.

MITTE *brachiolum teres Prætextate puellulæ.*] Festus, *Patrimi & matrimi prætextati tres nubentem deducunt: vnus, qui facem præfert è spina alba, quia noctu nubebant: duo, qui tenent nubentem.*

VOS *vnis senibus.*]idem Festus admonet,pronubas adhiberi solitas, quæ semel tantum nupsissent.

BONÆ *feminæ.*]antiquæ,& populariter. Plautus,

Bona femina,& malus masculus hic te volunt.

Cicero, *sua vxoris, bona feminæ, locupletis quidē certe.*

COLLOCATE.] collocare proprie dicuntur in lecto pronubæ nouam nuptam.

ALBA *parthenice.*] de parthenice, & papauere vide Plinium.

BONA *te Venus.*] ingressus maritus,nihil veritus eorum, qui aderant, oculos, vxorem in le-

cto collocatam, ipsis inspectantibus, pressule, vt verisimile est, deosculatus fuerat: ob quod tam lepidum factum, poëta ei propitiam Venerem precatur.

QVOD *cupis, capis.*] Paronomasia.

AT *marita.*] videtur nuptam admonere, vt occulat ardorem amoris sui, licet pulcher omnino coniugalis ille amor, honestusque sit. neque sane video, quis alius sensus ex his verbis elici queat: sed profecto, ne quid dissimulem, totus hic locus mihi valde suspectus est.

ABIT *dies.*] diem dicit pro tempore, iam enim nox erat.

PERGE, *ne remorare.*] hæc ad sponsum potius, quam ad sponsam, dici videntur.

ILLE *puluis Erythrei.*] puluis, antiquus genitiuus est. in, Erythrei, autem detrita est vna æ diphtongo litera, metri caussa. sic supra Dioneum dixit pro Dionæo. Qui hunc versum ita legebant,

Ille pulueris Erythræi,

miror, vbi habuerint aures.

TORQVATVS, *volo, paruulus.*] tale est illud,

——*si quis mihi paruulus aula*
Luderet Aeneas, qui te tantum ore referret.

volo autem hic valet, opto, & cupio: vt cum Cicero dicit, volo tibi deos hanc rem fortunare: volo tibi hanc rem feliciter euenire: de qua huius verbi notione scripsimus pridem in Andriam. Est autem hic ὑποκορισμὸς infantuli longe suauissima.

SIMILIS *patri.*] Horatius.

Laudantur simili prole puerperæ.

Hesiodus inter ceteras ferrei sæculi calamitates eam quoque ponit, quod nulla sit in liberis parentum similitudo,

Οὐδὲ πατὴρ παίδεσσιν ὁμοίιος, οὐδέ τι παῖδες.

etsi illud, ὁμοίιος, scio aliter quoque exponi posse, idémque sanctissimus poëta, quo loco percenset eas commoditates, quibus dij cumulant homines iustos, ait eorum vxores similia parentibus pignora parere,

Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν.

TELEMACHO.] Vlyssis filio ex Penelopa.

PENELOPÆO.] Penelopen ex Homeri prædicatione omnes ita castam fuisse credunt, vt eius nomen, non mulieris iam, sed pene ipsius pudicitiæ nomen putetur. sunt tamen, qui eam impudicissimam fuisse tradant, procisque ordine omnibus fecisse copiam sui: quod & Homerum subindicasse aiunt, cum eam tendendo arcu vires eorum tentasse narrat. ita quidem arcum illum intellexit, quicunque auctor est longe vrbanissimi hac de re epigrammatis, quod inter lusus Priapeios legitur. Interpres Theocriti alicubi asserit, Panafilium esse Penelopes ex omnibus procis, vnde & nomen illud inuenerit, quod videlicet ex permisto eorum omnium semine concretus foret. Alibi autem narrat, quod etiam turpius est, Mercurium conuertisse se in formam hirci: cuius libidine incensam Penelopen cum eo commiscuisse corpus, eoque satu editum Pana. Sed Catullus eam, quæ in plures probatur, sententiam insequitur.

CLAVDITE *ostia virgines.*] ita fere concluditur Helenes epithalamium à Theocrito,

Χαίροις, ὦ νύμφα, χαίροις εὐπένθερε γαμβρέ.
Λατὼ μὲν δοίη, Λατὼ κουροτρόφος ὔμμιν
Εὐτεκνίαν, Κύπρις δὲ θεὰ Κύπρις ἶσον ἔρασθαι
Ἀλλάλων, Ζεὺς δὲ Κρονίδας, Ζεὺς ἄφθιτον ὄλβον,
Ὡς ἐξ εὐπατριδᾶν εἰς εὐπατρίδας πάλιν ἔνθῃ.
Εὕδετ' ἐς ἀλλάλων στέρνον φιλότητα πνέοντες,
Καὶ πόθον.

IANVS DOVSA FIL.

O CVBILE *quot omine Candido pede lectuli Quæ tibi veniunt bona!*] Pater ita constituit hunc locum:

O cubile, quot omina
Candido pede ô lectule ô,
Quæ tibi veniunt bona!

alioqui, si vulgatam lectionem retinemus, *candido pede lectuli*, commodè explicare possis τὸ καλῆς ἐμφαντάδος, quod nos monuit eruditissimus amicus noster P. Coluius in Apuleio.

CANA *tempus anilitas.*] Hinc in Glossario Arabico Latino vbi legitur: *Anitas, senectus*; scribendum *Anilitas*. nam & Isidorus lib. XI. Originum: *Sicut autem à sene senectus, ita ab anu anilitas nominata est.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

COLLIS *ô Heliconei.*] A. Ticida hoc genere carminis Hymenæon scripsit. Sappho non Hymenæon, sed epithalamion. Seruius nondum excusus: *Sappho*, inquit, *in libro, qui inscribitur*, Ἐπιθαλάμια.

——χαῖρε δ' νύμφα
χαῖρε τίμιε γαμβρέ.

Quod & ipsum est eiusdem generis metrum.

HELICONII.] vetus, *Heliconei*. Ita omnino scribere necessitas carminis cogit. ἑλικώνειος, ἑλικώνιος. κυκλώπειος, κυκλώπιος--νος & *Cyclopea saxa Experti*. Sic Διώνειος, Διώνιος. *Sacra Dioneæ matri*. non Dionææ, Διώνη, Διώνεια, vt πηνελόπη, πηνελόπεια.

PINEAM.] Non *Spineam*. Seneca Medea:

Candida thyrsigeri proles generosa Lyæi,
Multifidam iam tempus erat succendere pinum.
Excute solennem digitis marcentibus ignem.
Festa dicax fundat conuicia Fescenninus.

At qui Spineam hic ponebant, dicant mihi, vbi viderint tædam in spinu, quæ propria est resiniferarum arborum.

FLORIDIS *velut enitens.*] Lyricus Græcus:

τίῳ σ', ὦ φίλε γαμβρὲ, κάλως ἐικάσδω;
ὄρπακι βραδίνῳ σε μάλιστ' ἐικάσδω.

QVIS *Deus magis optimis.*] Audacia Auantij, qui *optimis* reposuit, vbi prisca scriptura habebat, *Quis Deus magis amatis*. In Langobardico charactere nihil omnino T, differt à C, & vicissim altera pro altera hic positæ sunt. At in illo optimo Gallicano, *a macis*, scriptum erat, C, pro G, vt alibi *iuncier* pro *iungier*, *porcentur* pro *porgentur*. Scribe igitur *Quis Deus magis ab magis Est petendus amantibus*. A semper habet etiam noster liber pro *Ab*. Magis ah ma-

magis, nimis ah nimis, Miser ah miser veteris elegantiæ sunt.

N E C *parens stirpe dicier.*] Scriptus liber, & priscæ editiones *Stirpe vincier.* Male assecutus est lectionem Gallicani exemplaris librarius. Nam in eo scriptum fuit: *iuncier.* C, pro G, vt modo notabamus, *macis* pro *magis*, in eo scriptum fuisse. Elegantissime Catullus dixit parentes ex non iusto coniugio non posse iungi stirpe. h. e. non posse transmittere hereditatem ad liberos, quia ex non iusto coniugio susceptus est peregrinæ conditionis. Peregrinus autem nihil capit de bonis ciuis Romani. At suus heres, quum immiscet se hereditati, continuat ius patris sui potius, quam patri succedit. Hoc est, quod Catullus dixit, iungi stirpe parentes, quum eorum ius ab heredibus, qui sui dicuntur, continuatur. *At miser*, quod Auantius reposuerat, omnino cum ipsius Auantij fautoribus exibilandum est.

N O N *queat dare præsides.*] Pendent ab eodem iure. Nam qui ex non iustis nuptijs concepti sunt, peregrini sunt, quibus nulla erat munerum populi Romani participatio. Non ergo magistratum capere poterant. Nihil est apertius hac sententia. Putant tamen docti viri hic abstrusum nescio quid latere, cuius historia penitus nos fugerit. In quo sane in scirpo nodum quærunt.

V I R G O *adest, viden vt faces Splendidas quatiunt comas.*] Ad eum modum Callimachus:

Καὶ δήπου τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ φοῖβος ἀράσσει.
Οὐχ ὁράας, ἐπένευσεν ὁ δήλιος ἡδύ τι φοῖνιξ.

T A R D A T *ingenuus pudor.*] Et vetus scriptura, & primæ editiones constanter habent *Tardet.* quod retinendum est omnino. Sic veteres *Denset* pro densat dicebant. Virgilius,

Denset enim quæ laxa. ——

Q V E M *tamen magis audiens.*] Legendum sine dubio, *Quæ tamen.* Error hinc fluxit, quod Gallicanum exemplar vt conijcimus, sine diphthongo *Que* pro *quæ* scriptum habuit: id quod in alijs nobis suboluit. *Quæ tamen* dictum pro, Quæ tandem. Horatius: —— *si tamen*

Non tangenda rates transiliunt vada.

Hoc est, si tandem. Propertius,

Quippe vbi nec caussas, nec apertos cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala, cæca via est.

Vel potius *περίπλεως*, vt alibi pronunciamus.

A V R V N C V L E I A.] Ita omnino legendum, vt habent scripti codices. Media autem syllaba exteritur, vt in *Singulum*:

Singulum fœcundum semen adulterio.

Aurunculeius est Cottarum alterum cognomen, ex qua familia hæc nostra videtur fuisse. mirum tamen ei fuisse nomen Iuliæ. quod adoptione contigisse putamus.

P R O D E A S *noua si Iam videtur.*] Qui has litteras tractant, oportet eos non id tantum spectare quomodo qualitercunque leui interpretatione defungantur: sed videre numquid lateat, quod etsi prima fronte vulgo patere videtur, tamen, si diligentius inspiciatur, etiam doctioribus negotium facessere possit. Id, quod nunc præ manibus habemus, eiusmodi est. Quum Catullus dixerit paulo ante nuptam nimium morari, quare nunc illam vult prodire sub ea conditione, modo illi ita videatur? Id enim sonat, *Prodeas, noua nupta, si Iam videtur.* —— Sed nemo hactenus leporem horum versuum assecutus est. Nos leuissimo adminiculo adiuti, veram, vt speramus, lectionem eruimus. Legimus ergo:

Prodeas noua nupta sis:
(Iam videtur) vt audias
Nostra verba. (viden? faces
Aureas quatiunt comas.)
Prodeas noua nupta.

Non est elegantior locus, meo iudicio in hoc toto poematio. Elegantissimus poeta ita imitatur festinationem votorum in vulgo. Nam cum vulgus optat aliquid, tametsi id non euenit, tamen quasi id euenerit, sibi ipsum persuadere conatur. Rutilius Numatianus:

Pulsato nota redduntur ab æthere voces,
Vel quia perueniunt, vel quia fingit amor.

Sic simillimus locus apud Callimachum *λουτροῖς παλλάδος.*

Ὦ ἴτ᾽ ἀχαιιάδες ϗ μὴ μύρα, μηδ᾽ ἀλαβάστρως,
(συρίγγων αἴω φθόγγον ὑπαξονίων)
μὴ μύρα, λωτροχόοι, τᾷ παλλάδι, μηδ᾽ ἀλαβάστρως,

&c. Nam Parenthesis illa, *συρίγγων αἴω φθόγγον ὑπαξονίων*, eadem est cum istis, I A M V I D E T V R & V I D E N? F A C E S A V R E A S Q V A T I V N T C O M A S. Quæ omnia *μιμηλικῶς*, vt dixi ex vulgi persona dicta sunt. Illud, S I S, notum est apud Latinos idem esse, quod, Age, Agedum. Est exhortantis. Negari non potest, quin huius egregij loci restitutionem studiosi nobis acceptam referre debeant.

P R O B R A *turpia persequens.*] Probra turpia. Sic alibi turpe probrum.

—— *a turpi mentem inhibere probro.*

Vetus tamen lectio disertim habet, *Proca turpia.* Ego interpretor adulteram procam, virosam. Neque aliter scripsit Catullus. & quanuis in hoc toto poematio Iambum prima sede non posuerit, tamen in Hymno Dianæ posuit: *Puellæ, & pueri integri.*

L E N T A *quin velut.*] τὸ Q V I N confictum ex veteri scriptura, Q V E. Ita non semel hic Q V E pro Q V I scriptum notauimus, quod putamus ex archaica scriptione manasse. Videtur enim Q V E I in exemplari Gallicano scriptum fuisse vt supra L V C E I pro L V C I. Ita scribebant veteres illi longam I. Lucilius libro nono de orthographia scribens id videtur præcipere, quum ait:

Iam puerei venere: e postremum facito, atq; i,
Vt plures puerei fiant. i si faci' solum
Pupilli, pueri, Lucilli: hoc vnu' fiet.
Hoc illi factum est vni: tenue hoc facies i.
Hæc illei fecere: addes e, vt pinguiu' fiat.
Meile hominum, duo meilia, item huic vtroque opu', meiles,
Meilitiam. tennes i, pilam qua ludimu'. pilum,
Quo piso tennes i. plura hæc feceri', pila.
Quæ iacimus, addes e, peila, vt pleniu' fiat.

O *cubile, quot omine.*] Incredibile dictu, quam hæc corrupta sint, quæ tamen nos nullo negotio diuinauimus. Nam illud, *Gaude.ts*, quantum absurditatis habeat, nemo non videt: quum

Catullus non lectum velit gaudere, (quæ enim hæc esset præpostera gratulatio?) sed ipsum herum lecti. Non est enim obscurum gaudia illa non ad cubile, sed ad herum spectare, siquidem aliquis κοινὸς λόγος est in nobis. Quid igitur? Haud dubie tres postremi versiculi huius Strophæ huc ab ineptis magistris inculcati sunt, quum Strophen mutilam tribus primis versibus viderent. Absunt enim illi tres versiculi ab omnibus manu scriptis, sine vlla exceptione: item ab omnibus vetustioribus editionibus. Itaque sunt παρεγκεχαραγμένοι. Ita enim hæc digerenda erant:

*   *
*   *
*   *

O cubile, quot (o nimis
Candido pede lecti)
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia, quæ vaga
Nocte, quæ media die
Gaudeat? Horum ratio nobis reddenda, quanquam sententia aperta, & elegans.

QVOT *omine.*] Vetus scriptura, itemque antiquitus excusi libri non *omine* habent, sed *omnibus*. Non dubium, quin primitus scriptum fuerit, *omnis*, non *omnibus*. Ita semper scriptum reperies, *omnis*, pro *o nimis*. sic supra. *omnis fero corde*, pro, *o nimis fero corde*. Et in nuptijs Pelei. *omnis optato*, pro, *o nimis optato*.

CANDIDO *pede lectuli.*] Qui putabant ab his incipere initium Strophæ, pro *lecti*, quæ erat germana scriptura, vt etiamnum in nostro disertim apparet, reposuerunt *lectuli*. Sed quum legatur *lecti*, hæc manifesto conuincunt superiora ποθεινὰς, quum & tres illi versus importuna & aliena sententia hic inculcati fuerint, & sequentia tam bene cohæreant. Quod autem dicit, *o nimis candido pede lecti*, est, μακαρίᾳ τῇ τύχῃ. vt Horatius: *I pede fausto*. hoc est, ἀγαθῇ τύχῃ.

QVÆ *media die gaudeas.*] *Gaudeat* reponimus, ita & sententia, & scriptura vetere postulante.

FLAMMEVM *videor venire.*] Videor venire δοκῶ ἰδεῖν. Non enim solum dicitur videor hoc dixisse, id est, puto me hoc dixisse: sed etiam videor illum hoc dixisse. Terētius Prologo Phormionis: *Ceruam videri fugere, sectari canis.* Nam procul dubio ita scriptum reliquit Comicus. quod verbum magis aptum personæ insanienti, de qua intelligit; quia videri, id est, τὸ δοκεῖν ἢ φαντάζεσθαι longe accommodatius turbatæ menti, quam τὸ ἰδεῖν. Nam eiusmodi homines putant se videre quod non vident. Et hoc est δοκεῖν. In nostro tamen scripto legebatur *video* non *videor*: vnde correctores legunt, *Flammeum video venire.*

NEV *nucis pueris neget desertum domini audiens.*] Pueri meritorij, qui erant in domo patris familias, quum à turpi officio dimitterentur, nuces à nouo sponso accipiebant, quas spargerent, nuptialia & fescennina canentes. Ideo Plinius nuces nuptialium, ac fescenniorum vocat comites. Hoc institutum è Græcis fontibus manasse perspicue verum est. Nam in ea gente nouus sponsus nuces iuglandes, amygdalas, & id genus spargebat, quæ ipsi καταχύσματα vocabant. Addunt Grammatici nuces ob hoc spargi, vt strepitum

A ederent pueri, ne clamor nuptæ audiretur. Et sane Græci idem simile quanquam non nucibus, prope faciebant. Nam apud eorum Grammaticos hæc leguntur: Κρωτεῖον, ὃ ἐπικρούεται τὸ θάλαμον, ἀντὶ ἐπικτύπον ἔξωθεν. ὅπως συγκατακλίνεται τῷ νυμφίῳ ἡ γαμηθεῖσα. Hinc intelligitur, quare desertum amorem domini dicat, vt pote quem dominus à concubino ad nouam nuptam transtulerit.

SORDEBANT *tibi villicæ.*] Omnino legendum: *Sordebam tibi villice concubine hodie atque heri*, verba sponsi. Nuper delicias faciebas ac me despiciebas. Nunc tibi nascente barba hic fastus

B excidit. Villicum concubinum, id est rusticum, vocat: Et exoletum ex eo intelligit, quod eum tradat Cinerario.

HODIE *atque heri.*] Prouerbium Græcorum. χθὲς καὶ πρώην. Quod inepte Auantius mutare voluit.

CINERARIVS.] Glossæ: *Cinerarius*, δοῦλος ἐπιτηδευτής. *Ciniflo*. γυναικῶν κομμωτής.

DICERIS *male.*] Ita docti viri, quum vetus scriptura haberet, *Diceres*. Nam E pro I non raro in Gallicano exemplari fuit, vt supra *acquiescet* pro *acquiescit*.

C HÆC *tibi quæ licent.*] Lege, *quæ licent*. item tertio versiculo: *Ista non eadem licent*, spondęus est pro dactylo. Nam τὸ *eadem* est aduerbium.

QVÆ *tibi sine fine erit.*] Et scriptus liber, & veteres editionés, non *Erit*, sed *seruiet* habent. Ego puto τὸ *Fine* vacare, & leuiter immutatam esse veram lectionem, quæ videtur ita fuisse: *Quæ tibi sene seruiet. sene* pro seni. Lucillius:

Esuriente leoni ex ore exculpere prædam.

Propertius,

Si placet insultet, Lygdame, morte meæ. Boetius:
Et longa site perditus spernit flumina Tantalus.

Site pro siti.

D OMNIA *omnibus annuit.*] τὸ *Annuit* coniunctiui modi, vt Edim, edis, edit. Est autem lepida sententia de tremulis senibus. quod antea Sophocles Oedipode Coloneo: ἀπὸ παρὸς, ἀπὸ γῆρας, ἀπαμύνειν.

ADSPICE, *intus vt accubans.*] Lege: *Adspice, imus vt accubans.* hoc est in interiore lecti sponda. Vnde apud Horatium *imus faber*. hoc est, interiore angulo fori. In interiore igitur sponda præstolatur nouam nuptam maritus, vt ostendat præceps studium re cupita potiundi. Non enim, vt ipse loquitur, potest imminere sponsæ, nisi

E sponsa introducatur exteriore sponda, sponsus autem sit in interiore, quod quare cuidam docto viro displicuerit, satis mirari non possum. Itaque melius mutauerit sententiam. Nam præter ius est iniquus huic emendationi.

ILLE *non minus atque tu.*] Aliam lectionem in nostro reperimus quæ nihilo hac deterior est.

Illi non minus, ac tibi
Pectore vritur intimo
Flamma, sed penite magis.

Quæ sane sunt γνήσια Catulliana. offendit correctores insolens locutio, *Flamma vritur*. Quum tamen id Catullus more Græcorum dixerit, πῦρ κάεται, Tertullianus in Marcionem libro primo cap. xxvij. *Cui nullus ignis coquitur in gehenna.*

Claudianus: ——*largos hac nectaris imbres Irrigat.*—— Lucanus ita quoque loquitur. Hanc eandem lectionem retinent antiquæ editiones. Itaque apparet haud pridem à sciolis hæc mutata esse.

MITTE *brachiolum.*] Missum fac brachium puellæ. nam patrimi matrimi pueri deducebant nouam nuptam, quod & in Græcia fiebat. Callimachus: *αὐτίκα τὴν τᾶλιν παιδὶ σὺν ἀμφιθαλεῖ.* Nam τᾶλις est noua nupta. *παῖς ἀμφιθαλὴς*, puer patrimus matrimus.

IAM *cubile adeat viri.*] Vel, vt noster liber, *adeant.* pronubæ scilicet quæ cum ipsa nupta

B sunt. & hæc est vera lectio.

VOS *vnis senibus bona.*] Scriptus liber, *Vos bone senibus vnis Cognite breue femine.* Lege, *Vos bonæ senibus viris Cognitæ breue feminæ.* Breue est præteriti temporis, Breui futuri. *Breue cognitæ*, hoc est paulo ante. Seruius in schedis: *Varro pronubam dixit, quæ ante nupserit, & quæ vni tantum nupserit.* In Glossis Isidori: Vnicuba vnius viri vxor. Dicuntur & vniuiræ.

AT *marita tuum tamen.*] Locus inquinatissimus, quem ita, vti hodie legitur, reconcinnauit Parthenius. Mallem veterem lectionem de-

C prauatam reliquisset, quam suum somnium nobis interpretaretur. Nam ante illius interpolationem ita legebatur, vt etiam in nostro inueni,

Ad maritum tamen iuuenem
Cælites nihilominus Pulchre res.

Monstrum lectionis, vt vides: sed in quo solo istius loci deprauandi & emendandi cardo versetur. Transposita enim hæc Strophe locum cum superiore commutare debet. itaque sic omnia suo ordini reponimus, & tunc facile menda ipsa tollemus.

Iam licet venias, marite.
Vxor in thalamo est tibi

D *Ore floridulo nitens,*
Alba Parthenice velut,
Luteumve Papauer.
At, marite, ita me iuuent
Cælites, nihilominus
Pulcher es. neque te Venus
Negligit. sed abit dies:
Perge, ne remorare.
Non diu remoratus es.
Iam venis——

Nolo eruditorum iudicio diffidere. Nam & mediocriter docti facile videre possunt quan-

E tum commissum erat illo transpositu Stropharum, & quam bene inter se cohæreant illo, quo posuimus, ordine. Ad multum Grammaticos torsit hic locus, sed præter omnes vir summæ eruditionis Turnebus mirum quantum in hoc nodo soluendo æstuat. vt mihi non minus laborandum fuerit eius lectionem legendo, quam illi hoc prauum Parthenij commentum interpretando. Quia igitur dixit nouam sponsam pulchram esse, nhilominus tamen ipsum sponsum pulchrum ait.

IAM *Venus.*] Lege, *Iam venit.* veteres editiones, & manu scriptus liber.

ILLE *pulueris erithrei.*] Ita habebat prisca scriptura. Cui opem ego ferre non possum.

A Nam vulgatam, vt commentitiam reijcimus. Scriptura præ se ferre videtur *enthei*, vt alludi possit ad entheos Bellonæ, quos bellonarios vocabant, qui sursum vim magnam pulueris subiectabant. Sic abreptitia illa loquitur apud Tibullum:

Attigerit, labentur opes, vt vulnere nostro
Sanguis, vt hic ventis diripiturque cinis.

MVLTA *millia lusuum.*] Versus hypermetros. noster codex: *Multa millia ludere.* Quæ lectio ex prisca scriptione manauit. Habuit enim Gallicanus codex *ludes*, pro *ludi*, vt sæpe. ex quo fecerunt *ludere. Millia ludi*, vt Mille æris.

DVLCE *rideat ad patrem.*] Virgilius sine præpositione.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.
Incipe parue puer. qui non risere parentes.
Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est.

Manifesto hortatur puerum, vt ad matrem rideat, non contra vt illi parentes. Itaque aduersatur hoc Quintiliano, qui τὸ *Qui*, pro *Quos* accipit. At si Virgilius dixit, *risere parentes*, pro risere ad parentes, vt hic loquitur Catullus, iam explodenda erit Quintiliani sententia. & sane apud Martialem deprauatissime similis locus legitur:

Nec tuo ridebit peregrini gloria partus,
Romanam ducat quam magis esse nurum.

Nam quid est, *gloria peregrini partus*? Satis mendosa illa se produnt. Itaque lego:

Te tuo ridebit peregrinus Clodia partus,
Romanam ducas quam magis esse nurum.

Martialis enim vxori Marcellæ cognomen erat. Cui necesse est Clodiæ nomen esse. Nam notum qui fuerint in gente Claudia Marcelli. qui erant plebeij, & ab ijs patricij Clodij distinguebantur Pulchrorum cognomine. Apud Virgilium est *ὑπαλλαγὴ* numerorum, *qui non risere*, & postea dicit *hunc.* Nam nascentibus putabant adesse mari Genium, qui est deus mensæ, feminæ Iunonem, quæ Dea est cubilis. Qui, inquit, non risere parentes, nec Genius illum accepit mensa, nec Dea hanc cubili. Quæ, si verum fateri volumus, etiam sine enallage vlla, sed simpliciter dicta sunt. quanquam & enallage numerorum ipsum Virgilium hactenus corruperit in quarto Georgico:

Quod surgente die mulsere, horisque diurnis,
Nocte premunt. quod iam tenebris & sole cadente,
Sub lucem exportant calathis (adit oppida pastor)
Aut parco sale contingunt.

Omnium poetarum principem ita interrupte cum suis parenthesibus loquentem faciunt, ne in iure apud Grammaticum tribunal solœcismi postuletur. Atqui vna literula mutanda germanam Virgilij lectionem effeceris,

——*quod iam tenebris, & Sole cadente,*
Sub lucem exportans calathis adit oppida pastor,
Aut parco sale contingunt.

Sed ad locum superiorem Virgilij reuertamur. Qui non ridebant parentes, ij putabantur tota vita *ἀγέλαστοι*, & contra, qui nolunt se paulo liberalius inuitare, ij Genium suum defraudare dicuntur. Propterea in Natali die inuocabatur Genius: ne mireris quare hic Virgilius eius meminerit. Virgilio, vt diximus, ridere parentes

est ridere ad parentes, vt infantes, quibus blandiuntur nutrices. Eodem modo vsurpauit Plautus Captiuis: *——quasi muti silent Neque me rident* προσγελῶσιν ἐμοί. Statius primo Thebaidos: *-vmbrasque petunt, & nubila latrant.* προσυλακτοῦσι. Græci etiam dicunt ὑλακτεῖν ἰδιά. Herodotus in vita Homeri: τὰ δὲ κυνῶν μὲν ἐσθίοντα, ἢ ὑλακτέοντα αὐτῶν. Itaque Politianus, qui mentem Virgilij assecutus est, dictionem capere non potuit. Nam *Parentes*, quod ipsi videtur, non est vocatiui casus, sed accusatiui.

SED *micante labello.*] Melior pars erratorum in hoc poeta accepto referenda est Hieronymo Auantio, qui etiam hic SED MICANTE posuit, pro eo quod legebatur antea SED MIHI ANTE. Vna litera minus veram lectionem expresseris, *Semhiante labello.* Gellius,

Dum semihiulco basio
Meum puellum sauior.

Quis de huius emendatione loci potius dubitabit, quam elegantiam non mirabitur?

CARMEN NVPTIALE. LXIII.

VESPER adest, iuuenes, consurgite. Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pingueis linquere mensas:
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenæus.
Hymen ô Hymenæe, Hymen ades ô Hymenæe
Cernitis, innuptæ, iuuenes? consurgite contrà.
Nimirum Oetæo se ostendis noctifer imbre.
Sic certè. viden' vt perniciter exiluere?
Non temerè exsiluere. canent quos vincere par est:
Hymen ô Hymenæe Hymen ades ô Hymenæe.
Non facilis nobis, æquales, palma parata est.
Aspicite, innuptæ secum vt meditata requirunt.
Non frustrà meditantur. habent memorabile quod sit.
Nos aliò mentes, aliò diuisimus aures:
Iure igitur vincemur. AMAT victoria curam.
A *Quare nunc animos saltem committite vestros.*
Dicere iam incipient, iam respondere decebit:
Hymen ô Hymenæe Hymen ades ô Hymenæe.
Hespere, quis cælo fertur crudelior ignis?
B *Qui natam possis complexu auellere matris,*
Complexu matris retinentem auellere natam,
Et iuueni ardẽti castam donare puellam.
Quid faciant hostes capta crudelius vrbe?
Hymen ô Hymenæe Hymen ades ô Hymenæe.
Hespere, qui cælo lucet iucundior ignis?
C *Qui desponsa tua firmes cõnubia flãma.*
Quod pepigere viri, pepigerunt antè parentes,
Nec iunxêre priùs, quàm se tuus extulit ardor.
Quid datur à Diuis felici optatius hora?
Hymen ô Hymenæe Hymen ades ô Hymenæe.
D *Hesperus è nobis æquales abstulit vnam.*
* * *
Namque tuo aduentu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos ibidem sæpè reuertens
Vespere mutato comprendis nomine eosdem.
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
E *Quid tum si carpunt, tacita quod mente requirunt?*
Hymen ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.
Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat Sol, educat imber,

A *Multi illū pueri, multæ optauere puellæ:*
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
Sic virgo, dum intacta manet, tum cara suis. sed
Cùm castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.
B *Hymen ô Hymenae Hymen ades ô Hymenæe.*
Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur aruo,
Nunquam se extollit, numquam mitem educat vuam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Iam iam contingit summum radice flagellum:
C *Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere iuuenci:*
At si fortè eadem est vlmo coniuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere iuuenci:
Sic virgo, dum intacta manet, tum inculta senescit:
Cùm par connubium maturo tempore
D *adepta est,*
Cara viro magis, & minus est inuisa parenti.
Hymen ô Hymenae Hymen ades ô Hymenæe.
At tu ne pugna cum tali coniuge virgo.
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
E *Ipse pater cum matre, quibus parêre necesse est.*
Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est.
Tertia pars patri data, pars data tertia matri,
Tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt:
Hymen ô Hymenae Hymen ades ô Hymenæe.

ANTONIVS PARTHENIVS.

VESPER *adest, iuuenes, consurgite.*] Totum Catulli opus treis in partes plane distributum est: In Lyrica epigrammata, in Heroica carmina, & in Elegica: Lyricis igitur absolutis, altiori stilo exorditur heroicum hoc: quod quātum intelligere possum, in ijsdem Iuliæ & Manlij nuptiis à virginibus & adolescentibus in Amœbei carminis modum fuit decantatum. Potest autem appellari τὸ εἰδύλλιον, quod Latinè dicitur paruum poëma: qualia multa Theocritus in Ptolemæi, Helenes, multorumque aliorum laudes conscripsit. In hoc autem edylio seu poëmate breui, puellæ adolescentesque introducti Amœbei carminis more inter se de damnis atq; vtilitatibus coniugij certant. Puellæ tempus nuptiale querelis insectantur, quoniam ex eo multa incommoda nascantur: Adolescentes autem horam coniugij eiusque commoda collaudant: Tandem puellæ cedunt adolescentibus. Primo nuncius quidam introductus loquitur, monetque iuuenes, adhuc nuptialibus mensis discumbentes, vespero appropinquante, iam esse surgendum, iam decantandum esse à poëta Hymenæum: vnde manifeste apparet hoc carmen ante superius Epithalamion fuisse pronunciatum.

VESPER *adest, iuuenes, consurgite.*] Nuncius loquitur.

LVMINA *expectata.*] Magna spe à coniugibus desiderata.

TANDEM.] Ex voto expectantium dixit tandem, quod aduerbium ad rei tarditatem semper dicitur.

LVMINA.] Sydera.

PINGVES *mensas.*] Opiparas, lautas, sumptuosè apparatas, abundantes lauta epularum varietate.

IAM *veniet virgo.*] Quia iam aduesperascit. Nam apud antiquos cauebatur ne maritus spōsæ coniungeretur luce, sed tenebris: quia, vt Plutarchus autumat, eum pudet, quod antequam coeat alienam putat: siue quod ad propriam verecunde accedere meditatur, & se assuefacit: Seu quemadmodum Solon scripsit sponsam malo cydonio degustato thalamum ingredi solitam, vt primus complexus nihil triste aut iniucundum haberet. Sic Romanus legumlator, si quid absurdum aut deforme corpori aderat, occultauit: Siue quod accusatio quædam & calumnia erat illicitæ veneris, quod esset iustis atque legitimis connubiis verecundia & pudor quidam adhibeatur. Hæc Plutarchus.

DICETVR.] Decantabitur.

HYMEN *ô Hymenae Hymen ades ô Hymenæe.*] Theocriti versum æmulatus est: ille enim in Helenes nuptijs ait, Ὑμὴν ὦ Ὑμέναιε γάμῳ ἐπὶ τῷδε χαρείης.

CERNITIS *innuptæ.*] Puellæ incipiunt contentionem, hortantes se contra iuuenes in ipsas

tendentes.

CONSVRGITE.] O innuptæ.

CONTRA.] Aduersum iuuenes.

NIMIRVM *Eoos ostendet noctifer imbres.*] Sensus est: Certe ex vesperi prognostico nobis nunciatur futura tempestas : hoc est, ex iuuenum motu nobis ostenditur eorum in nos impetus.

NIMIRVM.] Certe.

EOOS *imbres.*] Pluuias ab oriente surgentes: & est metaphora ex aeris tempestuosi qualitate sumpta.

NOCTIFER.] Hesperus Veneris stella vespertinum tempus ferens : & pro occiduo cælo sumitur. Hoc ex prognosticorum cognitione ductum. Nam vt Plinius ex Arati atque Virgilij præceptionibus scribit, si in ortu aut occasu contracti cernentur radij, imbrem significant: Item si circa occidentem candidus circulus erit noctis, leuem tempestatem : si nebula, vehementiorem: si candente sole, ventum. Virgilius, item de Solis occasu scribit:

——nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores.
Ceruleus pluuiam denũtiat : igneus Euros:
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni
Omnia tum pariter vento nymbisque videbis
Feruere.——

Igitur *noctifer*, idest vesper seu Hesperus: hoc est, occiduum cælum vbi sit Hesperus, qui latinè noctifer interpretatur. Veneris enim Stella, vt docet Cicero, phosphoros græce dicitur, latine lucifer, quum antegreditur Solem: quum autem subsequitur Hesperos: qui à Catullo latinè noctifer interpretatur. Huius sideris naturam deprehendit Pythagoras Samius. Legito Plinium libro secundo, cap. octauo. Sed, vt scribit Hyginius, quartus planeta, seu quarta errantium stella, Veneris est, Lucifer nomine: quam nonnulli Iunonis esse dixerunt. Hunc eundem Hesperum appellari multis traditum est historijs. Hic autem omnium siderum maximus esse videtur. Nonnulli autem hunc Auroræ & Cephali filium esse dixerunt, pulchritudine multis præstantem: ex qua cum Venere dicitur certasse, vt etiã Heratosthenes dicit eum hac de caussa Veneris appellari exoriente Sole, & occidente videri. quare iure hunc & luciferum & Hesperum nominatum. Sunt tamen qui legant Oetæos ignes, idest stellas siue igneos splendores occidui Solis, qui ab Oeta obseruabatur : vt Horat. ab Ida, Sic Virgil. *Tibi deserit Hesperus Oetan.*
Et Statius in syluis,

Totidem Oetææ Paphiæque reuisunt Lampades.

SIC *certe.*] Subaudi, est.

EXILVERE.] Ex sedibus mensarum surrexere.

PARENT.] Obtemperant nuncio, qui dixit surgite.

VISERE.] Ire ad visendas nos.

NON *temere.*] Non sine causa.

ASPICITE.] Sensus & ordo est. ô Iuuenes aspicite vt innuptæ virgines inter se meditata & cogitata verba conferunt.

ASPICITE.] Iuuenes loquuntur.

REQVIRVNT.] Frequenter inquirunt, animo pertractant & voluunt.

A SECVM.] Intra se.

NON *facilis nobis.*] difficile consequemur victoriam ex eis, quæ prius contra nos diu cogitauerunt : & præmeditatę sunt pugnam.

ÆQVALES.] Vocatiuus pluralis est. ô æquales comites mei.

IVRE *igitur vincemur.*] Conclusio.

COMMITTITE.] In vnum contrahite, & componite inuicem mentes & consilia vestra.

INCIPIENT.] Puellæ.

DECEBIT.] Nos iuuenes.

RESPONDERE.] Puellis nuptialia iura
B conquæstione insectantibus.

HESPERE.] Puellæ loquuntur.

CRVDELIOR.] Te, qui puellas ad raptum trahis ex matrum gremiis.

POSSIS *complexu auellere matris.*] Hoc dixit ex antiquarum nuptiarum ritu, vt etiã supra retuli ex Festi præscripto. *Rapi simulatur virgo ex gremio matris, aut si ea non est, ex proxima necessitudine:* plura legito superius.

RETINENTEM.] Remorantem & se pro viribus continentem. sic in epithalamio superiore de Hymenæo inquit:

C *Tu fero iuueni in manus floridam ipse*
Puellulam matris à gremio dedis.

ARDENTI.] Impatienter amanti.

ARDENTI *castam.*] Pathos mouet à personarum qualitate.

QVID *faciunt hostes.*] Item pathos ex similitudine atque comparatione, vt Virgilius:

Qualis populea mœrens Philomela sub vmbra.

HESPERE *qui cælo lucet iucundior ignis.*] Iuuenes respondent coniugalis horæ commoda memorantes: Et notandum carminis Amœbei leges optime hic seruatas: quę sunt, vt aut plus maiusve respondeatur, aut non inferius, aut
D contrarium obiectis, vt hoc in loco eleganter Catullus.

TVA *flamma.*] Tua luce : cuius apparitione nuptiales faces accenduntur.

DESPONSA.] Promissa: participium est.

QVOD.] quam connubiorum pactionem; & est sensus: quod connubium mariti seu sponsi, & sponsorum parentes promiserunt, & pepigerunt, id prius non coniungunt, nec ratum facere audēt, priusquam Hesperus apparens suum extulerit splendorem : quasi is sit nuptiarum confirmator, & dux.

E ÆQVALES.] O puellæ meæ. Comites puellarum cœtus loquitur.

ABSTVLIT.] Ex gremio materno, ac nostro cœtu.

TVO *aduentu.*] ô Hespere.

VIGILAT *custodia semper.*] Reprehensio & incusatio maliciæ ab effectu : nam nisi esset noxia & pessima stella, eius aduentu neque furum rapinæ timerentur, neque custodiæ vigilarent, aut excubiæ fierent.

IDEM.] Tu ô Hespere.

REVERTENS.] Matutino tempore Solem præcedens.

COMPREHENDES.] Deprehendi facis.

EODEM *nomine.*] Quo diceris: sed legatur

potius

potius eosdem fures, scilicet. *Mutato no.* quia qui in vespertino tempore dicebaris vesper, matutino lucifer appellaris.

AT *lubet innuptis.*] Adolescentes loquuntur.

TE *carpere.*] Te reprehendere ô Hespere.

FICTOQVE *questu.*] Falsa querela.

REQVIRVNT.] Meditantur, cogitant te, atque tuum munus exoptant.

TACITA *mente.*] Occulto animo, atque cupiditate tecta.

VT *flos in septis.*] Apta similitudo ad honestatis & pudicitiæ amissæ deformitatem demonstrandam.

AVRE *mulcent.*] Fouent. Ouid.

——*placidique tepentibus auris*
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores.

DVM *chara suis.*] Dum pudica est, & domi manet: sequens ab antecedente posuit.

VT *vidua in nudo.*] Percommoda similitudo ad solitudinis incommoda & damna ostendenda. Cicero in Catone maiore: *Vitis quidem qua natura caduca est, & nisi fulta sit fertur ad terram, eadem vt se erigat claviculis suis quasi manibus quicquid est nacta complectitur: quam multiplici serpentem lapsu ferro amputans coercet ars agricolarum, ne syluescat sarmentis.*

MITEM.] Maturam. Virg. *Sunt nobis mitia poma.*

PRONO.] Ad terram inclinato.

SVMMVM *flagellum.*] Id est, summo vertice & flagello tangit sibi radices. hypallage. Flagellum item est summa cuiusque arboris virga, & supremus arborum apex: flagellum proprie dicitur in vitium palma summitas. Varro in rei rusticæ primo scribit.

VLMO *marito.*] Vlmo quæ fit vitis maritus: Virg. *Vlmisque adiungere vites.* Apta metaphora inter coniugium & arboris societatem. Horat. *Ergo aut adulta vitiū propagine altas Maritat populos.*

ET *minus est inuisa parenti.*] Quam fuit innupta: Nam tunc pater, dotis dandæ metu, filiam habet penè inuisam: nupta vero minus inuisa est parenti, quia metus abest, & nepotum dulcedine puellæ pater oblectatur.

ET *tu nec pugna cum tali coniuge virgo.*] Lepida ad puellam admonitio exhortatióque ne viro quicquam abnuat aut deneget, exemplo parentum, qui nouo marito sua in puellam iura cesserunt.

NON *æquum.*] Iniustum est paternæ voluntati non consentire.

MATVRO.] Profecto & pleno: vt Virg.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

VIRGINITAS *non tota tua est.*] Lepida elegansque distributionis sententia, quæ probat à liberis parentum voluntati parendum esse: ac per hoc matrimonio parentum iussu contracto succumbendum.

NOLI *pugnare duobus.*] Pulchra & honesta conclusio.

PALLADIVS FVSCVS.

VESPER *adest, iuuenes consurgite.*] Carmen est Heroicum cuius inuentor Apollo fuisse perhibetur. Plinius libro vij. hist. nat. *Versum Heroicum Pythio oraculo debemus.* Dum Iulia ad Mallij domum deducitur, iuuenes vtriúsque sexus qui apud ipsum Mallium cænarunt, cum sciant paulo post sponsam affuturam, consurgunt, vt certatim canant: Quorum puellæ virginitatem commendantes coniugium vituperant: Adolescentes vero inspecta eius, tum dulcedine, tum vtilitate maxime laudant.

VESPER *adest.*] Vesper iam apparet.

IVVENES *consurgite.*] Vnus iuuenum cæteros hortatur, vt cum vesper adsit, & noua nupta iam sit affutura, consurgant. Inter stellas errantes Venus est, quæ φωσφόρος Græcè, Latinè lucifer dicitur, cum anteit solem: cum vero subsequitur vesper, vesperus & Hesperus & à quibusdam vesperugo. Plautus in Amphitrione:

Nec vesperugo, nec vergiliæ occidunt.

EXPECTATA.] Quæ Mallius cum sponsa sua cubiturus diu expectauit. Nam, vt Plutarchus asserit, certis de causis cauebatur, ne sponsus ante noctis aduentum cum sponsa cubaret.

PINGVES.] Propter carnes.

VIRGO.] Iulia.

IAM *dicet. Hym.*] Iam cantabitur epithalamiū.

CERNITIS *innuptæ.*] Hic item vna puellarum cæteras hortatur, vt iuuenibus consurgentibus, ipsæ quoque consurgant.

NIMIRVM.] Certè.

NOCTIFER *imbres.*] Emendo ignes: appellat autem noctiferum ipsum vesperum, quod noctem ferat.

PERNICITER.] Velociter.

NON *temerè.*] Non stulte, non sine causa, sine ratione.

EXILVERE.] Vna surgentes steterunt.

HYMEN *ô Hymenæe.*] Hic versus est intercalaris, qui sæpius interponitur: de eo ante iam diximus.

ASPICITE.] Et hic quoque vnus iuuenum cæteros alloquitur.

INNVPTÆ *virgines.*] Quæ nondū nupserunt.

SECVM *vt meditata requirant.*] Vt nobiscum cantu certaturæ, inter se quærant, quæ singulæ excogitarunt.

NON *facilis, nobis, æquales, palma parata est.*] Æquales casus est vocandi. Sensus autem, non facile erit nobis vincere.

HABENT *memorabile quod sit.*] Habent quod sit dignum memoratu.

NOS *alio mentes.*] Nos aliud mente, aliud auribus agimus: & ideo vincemur.

COMMITTITE.] Coniungite: sic vt vnam tantum rem agamus: hoc est, quomodo puellas vincere possimus.

INCIPIENT.] Puellæ.

RESPONDERE *decebit.*] Scil. nos iuuenes.

HESPERE.] Puellæ priores canere incipiunt. Negant autem in cœlo vllam esse stellam Hespero crudeliorem: quoniā, eo apparere incipiente, viris puellas è gremio matrum rapere fas est.

COMPLEXV *auell.*] Diximus moris fuisse, vt noua nupta è gremio matris rapi simularetur.

QVID *faciunt hostes.*] Qui vbi vrbem aliquam expugnauerunt, illicò discurrunt ad virgines rapiendas vitiandásque.

Hespere *qui cœlo lucet iucundior ignis.*] Iuuenes puellis respondentes eundem hesperum maxime laudant, dicentes in cœlo nullam esse stellam iucundiorem: quia vbi apparere cœpit sponso, sponsam rapere licet.

Pepigere.] Prima huius verbi positio, vt in primo institutionum docet Quintilianus, est pago, quæ tamen iam tum exoleuerat.

Nec *iunxere prius.*] Nec ante coiere.

Quam *se tuus extulit ardor.*] Quam te terris ostendere cœpisti.

Hesperus *à nobis.*] Conqueruntur puellę quod vesper vnam è cœtu sibi rapuerit.

Namque *tuo aduentu.*] Hesperum insectantes hoc quoque incommodum ex eo nasci dicunt, quod vbi fulgere cœpit, ad coercenda maleficia nocturni vrbium custodes, qui propriè Circitores vocantur, vigilare coguntur. fures vero erumpunt, vt in angulis latentes viatoribus insidientur.

Quos *idem sæpe reuertens.*] Ostendunt puellæ, vt sideris increscat reprehensio: ipsos fures noctu à vespera ad mane hominibus insidiari, vt idem vesper matutino tempore, sed mutato nomine, quia tunc Lucifer dicitur, reuertens eosdem sæpe comprehendat.

At *lubet.*] Iuuenes loquuntur.

Innuptis.] Puellis quæ nondum nupserunt.

Ficto *questu.*] Simulata querela, quia verbis carpunt, quod mente exoptant.

Vt *flos in septis.*] Pulcherrima similitudo, qua indicatur puellas esse instar floris, qui in hortis, nulla læsus iniuria, donec viget, à plurimis optatur: idem vbi humano vngue decerptus languit, ab omnibus repudiatur.

Septis.] Spinis, scilicet, vel materia, vel aliqua alia re munitis. Plin. scribit lib. xx. *Sepium latrocinationem coegisse homines, vt hortorum aspectus præfigerent.*

Quem *mulcent.*] Tribus tantùm verbis indicat, quid Auræ, Sol & pluuiæ floribus conferant.

Idem.] Flos, scil.

Deflorvit.] Elanguit. deflorere autem propriè est florem amittere. Plini. de faba loquens sic ait. *Aquas in flore maxime concupiscit: cum vero defloruit, exiguas desiderat.*

Dvm *intacta man.*] Quoad puella est integra.

Dvm *cara suis.*] Eo vsque à suis diligitur. sed ne quis miretur, huius tam diuersæ expositionis auctor est Quintilianus.

Amisit *polluto corpore florem.*] Posteaquam eadem per concubitum virginitatem quæ flori cõparatur, amisit: nullis, quod sequitur, cara est.

Vt *vidua in nudo.*] Altera similitudo non minus pulchra quàm prior, qua ostenditur puellam donec manet intacta, esse viti persimilem: quæ nulli arbori inhærens, sed humi strata, nullum fert fructum homini vtilem, & ideo eam nulli colunt agricolæ: sed si eadem vlmo iuncta fuerit, ipsa iam fertilis ab agricolis & iuuencis coli incipit.

Vt *vidua.*] Ea vitis dicitur esse vidua, quæ in proximo nullam habet arborem, cui innitatur.

Mitem.] Maturescentem, vitis enim quæ

A negligitur fert vuam, sed quæ non maturescit.

Sed *teneram prono.*] Sensus est, sed humi strata habet radices.

Marito.] Quia vites vlmis iunctæ illis nupsisse videntur.

Cvm *par connubium maturo tempore adepta est.*] Cum tempore nuptijs deputato locata est.

Cara *viro magis.*] Quia iuuenis nupsit.

Minvs *est inuisa parenti.*] Pater eam minus odit, quia si fidem, quod persæpe euenire solet, fefellerit, ea potius mariti, in cuius domo admissum est flagitium, quam patris est ignominia.

B Et *tu ne pugna.*] Iuuenes Iuliam cohortantur ne cum Mallio viro suo rem negando pugnare velit: quia non est æquum pugnare cum illo, cui ambo parentes filiam suam in matrimonium dederunt.

Virginitas *non tota tua est.*] Ratio cur cum viro pugnare non debeat, quia cum ipsa virginitas in tris partes diuidatur: sic vt vna pars detur patri, altera matri, tertia vero filiæ: non est fas, vt filia vnam tantum partem habens, cum parentibus qui duas partes habent, pugnare velit. Iuuenes autem ad id alludere videntur, quod in suffragijs & alijs in rebus maior

C numerus vincit minorem, licet ille sit melior.

ACHILLES STATIVS.

Hoc quoque Epithalamion ad Mallij nuptias pertinere puto. Sic Claudian. in Honori & Mariæ nuptijs vario lusit numero, modò hoc, modò illoc.

Vesper *adest, iuuenes.*] Lege enim cauebatur ne nisi de nocte nuptiæ fierent. Seruius, interpres Vergilij in Bucol. de Varronis sententia, *Varro*, inquit, *ideo dicit faces præire nuptas, quod*

D *ante non nisi noctu ducebantur à sponsis.* Vesper autem verbum esse Ennianum, Censorinus demonstrat in lib. de die Natali, siue de humana Origine, his quidem verbis. *Post supremam dicitur Vesper, ante ortum scilicet eius stellæ, quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Vergilius Hesperon appellat.*

Consvrgite.] Cum hora nona accubuissent, ad horam ferme. xii. conuiuium produxerant.

Vesper *olympo, Exspectata diu vix tandem lumina tollit.*] Eodem propè modo Claudian. in

E Honori & Mariæ Epithalamio,

Attollens thalamis Idalium iubar.
Dilectus Veneri nascitur Hesperus.

Svrgere *iam tempus.*] Sic multum tempus præterisse significabant. Vergil.

Et iam tempus equûm fumantia soluere colla.

Iam *dicetur Hymenæus.*] Eundem numerum celebrauit Vergilius,

Ille latus niueum molli fultus hyacintho.

Et in Georg. vt est in omnium, quotquot vsquam sunt, librorum vetustissimo:

Ille comam mollis iam tondebat hyacinthi.

Atque idem Catullus alibi,

Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos.

Nimirvm *Eoos ostendit noctifer imbres.*]

Hieronymus Auantius in libro Antoni Moreti scriptum fuisse testatur,

Nimirum ætherios ostendit noctifer ignes.

Quod si ita est, non est quod multa loquamur. In meis omnib. erat,

Nimirum hec eos ostendit noctifer imber.

Vnde faciebam.

Nimirum Oetæas obtendit noctifer vmbras.

Oetæas autem vmbras dixerit, vt certum montem pro multis posuerit incertis, atque idem prope dicat, quod Vergilius,

Maioresque cadunt altis de montibus vmbræ.

Vel propter illud etiam apud eundem,

Tibi deserit Hesperus Oetam.

Quamquam Vmentes malim quam Oetæos. Sin illo modo malumus, ignes astra ipsa vocat, vt & Vergilius,

Nam neque erant astrorum ignes.

Bacchylides, vt quidam adducit interpres Apollonij in III. noctem δᾳδοφόρον appellat, aut quia tum lumina solemus accendere, aut quia nox terris stellas inducit. versus illius est,

Ἑκάτα δᾳδοφόρε νυκτὸς μεγαλοκόλπου θύγατερ.

Cur autem Eoos quidam reiciant, non video. cum Euripides dicat,

Ἑῷος ἐπεὶ χ' ἱππείας ἐξέλαμψεν ἀστήρ.

SIC *certe.*] In manuscripto vno tres litteræ videntur erasæ post hæc verba. suspicor autem fuisse, Est. Sic enim & alibi idem,

Sic certe est, clamant victoris rupta miselli, Ilia.

ASPICITE, *innuptæ secum vt meditata requirunt.*] Est in manuscriptis duobus,

Aspicitei nnupta quæ secum vt meditare querunt.

In tertio,

Aspice innupta quæ secum vt meditare quærunt.

Emendebam,

Aspice quæ innuptæ secum vt meditata requirunt.

Nam & singulariter ante dixit,

Viden' vt perniciter exsiluere.

Sin ipsum verborum ordinem conseruare volumus, legendum fortasse sit,

Aspicite innuptæ quæso vt meditata requirunt.

Priorem lectionem si sequimur, Secum requirere sic forte dixit. vt Cicer. alijq.

Cogitate cum animis vestris.

Guarinus legi posse dicit, Meditamina quærat, quod idem opinor legerat suo illo in libro, quod ego in meis. Fieri autem potest, scriptum vt fuerit, Meditamina quærunt, quod corruptũ postea sit in Meditare quærunt. Legendum igitur mea quidem sententia, aut hoc modo,

Adspice quæ innuptæ secum vt meditamina quærunt.

Aut hoc,

Aspicite innuptæ quæso vt meditamina quærunt.

NON *alio mentes, alio diuisimus aures.*] Sic Ouid. Mentem sectam dicit, in II. de remedio amoris,

Secta bipartito cum mens discurrit vtroque
Alterius vires subtrahit alter amor.

QVARE *nunc animos saltem committite vestros.*] In manuscriptis omnibus, Quare non animos. quod videtur probabile, perinde ac si dicat, ne saltem animos vestros prorsus remittite.

QVI *cælo fertur crudelior ignis.*] Fertur, voluitur, propter cæli motum. Ignes autem Stellæ dicuntur. Verg. *Nam neque erant astrorum ignes.*

A COMPLEXV *matris retinentem.*] Sic erat omnib. in manuscriptis. Iungendum igitur, Retinentem matris.

HESPERE *qui cælo lucet iucundior ignis.*] Homericum illud expressit,

Ἕσπερος ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.

NEC *iunxere prius, quàm se tuus extulit ardor.*] Noctu enim nouæ nuptæ à sponsis ducebantur, vt scribit Varro.

QVID *datur à diuis felici optatius hora.*] Ἐπιφώνημα. Euripides in eandem sententiam apud Stobæum. ὅτῳ γὰρ ὥραν τῶν βροτῶν ἐλθοῦσαν εὖ τύχοι τῶν ἐρωμένων, Οὐκ ἔστι μείζων λύπης ἡδονή.

B Sic Hora fortunari dicitur ab Horatio,

Qualemcumque Deus tibi fortunauerit horam.

Grata hora, alibi apud eundem Flaccum,

Grata superueniet, quæ non sperabitur, hora.

HESPERVS *à nobis æquales abstulit vnam.*] Variè legitur hic versus in manuscriptis. primum sic, *Hesperus est nobis æqualem abstulit vnam.* Deinde etiam sic,

Hesperus hic nobis æqualem abstulit vnam. Postremo sic, *Hesperus è nobis æquales abstulit vnam.* Quod est ipsum rectum. Legerem etiam libenter, si per veteres libros liceret,

Hesperus è nostris æqualibus abstulit vnam.

C Vel illo modo,

Hesperus ex nostris æqualem hinc abstulit vnam.

Æquales autem Græci sic quoque dicunt ἥλικας. Sic Pacuuius in Hermiona, vt adducit Nonius Marcellus in verbo Dignaui,

Cum neque me aspicere æquales dignarent mea.

Post hunc versum septem versus alios desiderari scribit Auantius. Credo numerum definisse, quod spatij tantum vacare aliquo in libro animaduertisset.

ÆQVALES.] Pindarus in Pyth. eadem multa. οὐκ ἔμειν' ἐλθεῖν τράπεζαν νυμφιδίαν, Οὐδὲ παμφώνων ἰαχὰν ὑμεναίων, ἅλικες οἷα παρθένοι φιλέοισιν ἑταῖραι

D Ἑσπερίαις ὑποκουρίζεσθαι ἀοιδαῖς.

NAMQVE *tuo aduentu vigilat custodia semper.*] Id enim erat primæ vigiliæ noctis initium. Custodia, οἱ φύλακες,

NOCTE *latent fures.*] κλεπτῶν γὰρ ἡ νύξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς. Euripid. in Iphigenia. Video idem esse adumbratũ in Bionis versib. apud Stobæũ, Ἕσπερε τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος Ἀφρογενείας, Ἕσπερε κυανέας ἱερὸν φίλε νυκτὸς ἄγαλμα, Τόσσον ἀφαυρότερος μήνας, ὅσον ἔξοχος ἄστρων. Χαῖρε φίλος· καί μοι ποτὶ ποιμένα κῶμον ἄγοντι, Ἀντὶ σελαναίας τὺ δίδου φάος, ὥνεκα τήνα Σάμερον ἀρχομένα τάχιον δύεν, οὐκ ἐπὶ φωρὰν Ἔρχομαι, οὐδ' ἵνα νυκτὸς ὁδοιπορέοντ' ἐνοχλήσω.

E QVOS *idem sæpe reuertens Vespere, mutato comprendis nomine eosdem.*] Vt fures, sic etiam amantes, & sponsos simul cubantes deprendit.

MVTATO *comprendis nomine.*] Columella.

-aut ore corusco Hesperus, Eoo remeat cum lucifer ortu.

Plato in Epinom. ὁ μὲν γὰρ ἑωσφόρος, ἕσπερός τε ὁ αὐτὸς ὢν τῆς Ἀφροδίτης. sic enim est in veterib. libris.

AT *lubet innuptis ficto te carpere questu.*] Idem alibi de Coma Berenicæ,

Non ita me diui vera gemunt, iuerint.

Et Claudianus in I. de raptu Proserpinæ,

——tenerum iam pronuba flamma pudorem
Sollicitat, mixtaque tremit formidine votum.

Q V I D *tum si carpunt, tacita quod mente requirunt.*] An mirandum, si sponsos deprehendas, qui, quem diu cupiuerant, amoris fructum capiunt. Sed in manuscriptis omnibus, A

Tacita quam mente requirunt.

Quibus verbis ea, quam supra posui, sententia efficitur. In eandem vero sententiam Pindarus in Pythijs, ode. VIIII. Πλεῖστα νικάσαντά σε καὶ τελεταῖς ὡρίαις ἐν Παλλάδος εἶδον. Ἄφωνοι θ' ὡς ἕκασται φίλτατον παρθενικαὶ πόσιν, ἢ υἱὸν εὔχοντ' ὦ Τελεσίκρατες ἔμμεν. Carpere, idest, pari verbo eodem loco Pindarus vtitur, & vt hic quoque Catullus puellam multis expetitam describit, Τοὶ μάλα πολλοὶ ἀριστῆες ἀνδρῶν αἴτεον σύγγονοι, πολλοὶ δὲ καὶ ξείνων, ἐπεὶ θαητὸν εἶδος ἔπλετο. χρυσοστεφάνου δὲ οἱ ἥβας καρπὸν ἀνθήσαντ' ἀποδρέψαι ἔθελον. B

V T *flos in septis.*] Columella: *Talis humus vel parietibus, vel sepibus hirtis claudatur, neu sit pecori, neu sit peruia furi.*

Q V E M *mulcent auræ.*] Sic Propert. in IIII.

Mulces vbi effusas aura beata rosas.

E D V C A T *imber.*] Callimachus in Hymno in Delum, Νύμφαι μὲν χαίρουσιν ὅτε δρύας ὄμβρος ἀέξει. ac propterea Καρποφόρους ὄμβρους dicit vetus auctor in Hymnis. πέμπειν καρποφόρους ὄμβρους ἐπὶ μητέρα γαῖαν. Ex eodem genere est & quod ante dixit idem Catullus. C

Quos Hamadryades deæ
Ludicrum sibi roscido
Nutriunt humore,

Et illud Lucreti in v.

Quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat,
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

Et Ouid. in III. Metam.

Gramen erat circa, quod proximus humor alebat.

M V L T I *illum pueri.*] Sic Verg. de Lauinia,

Multi illam magno è Latio, totaque petebant Ausonia.

Et de Camilla, *Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres Optauere nurum.* D

I D E M *cum tenui carptus defloruit vngui.*] Sic Propert. in I.

Quæ modo decerpens tenui pueriliter vngui.

N V L L I *illum pueri, nullæ optauere puellæ.*] Eodem modo Ouid. in III. Metamorph. & superiorem & hunc versum totidem prope verbis exprimit de Narcisso,

Multi illum iuuenes, multæ optauere puellæ.
Sed fuit in tenera tam dura superbia forma,
Nulli illum iuuenes, nullæ optauere puellæ.

Similiter etiam Callimachus de amore, Αἱ ἐχθρὲς μὲν παισὶν, ἀκίμαντες δὲ γυναιξίν. οὕτως ἀργαλέον ἤθεα ἔθηκε θεός. E

S I C *virgo, dum intacta Manet, dum cara suis.*] Nulla probabilis ex his verbis elici potest sententia. at si, quo modo est in Maffei libro, legas, ea facilis atque apta existet, vt Dum posterius mutes in Tum. Manere intactam, sic dixit, vt Euripides quoque in Electra, παρθένον μένειν. est enim apud illum, Φασὶ σέ γε ἐν γάμοις Ζευχθεῖσαν οἰκεῖν, οὐδὲ παρθένον μένειν. nisi interpreteris ἐν γάμοις μένειν. Sed Quintilianus in IX. Dum, vtrobique legit, & interpretatur, & pro, Intacta, legit Innupta. *Catullus*, inquit, *in Epithalamio, Dum innupta manet, dum cara suis est. Sed prius Dum, significat, Quoad: sequens, Vsque eo.*

P O L L V T O *corpore florem.*] Sic Terentius, Flos ipse.

I N *nudo vitis quæ nascitur arvo.*] In quo arbores non sint adsitæ, sitque is ager incultus, & ἄδενδρος.

D E F L E C T E N S *pondere corpus.*] De vite quoque Columella in v. *Cortex quoque aridus, fissusque per summa trunci dependens corpore tenus delibrandus est.*

H A N C *nulli agricolæ, nulli accoluere iuuenci.*] In duobus manuscriptis, & hic, & post, cum repetitur hoc ipsum verbum, Coluere, non Accoluere.

V L M O *coniuncta marito.*] Vlmus maritæ hoc in genere dicitur. Horat. in v. Carm.

——*Altas maritat populos.* Iuuenalis,
Stratus humi palmes viduas desiderat vlmos.

C V M *par conubium maturo tempore adepta est.*] Conubium etiam apud Poëtas per. N. vnum scribendum. Sic in veteribus libris, atque in illo omnium vetustissimo libro Vergilij. Maturo tempore, & Lucretius dixit in v.

Quos vbi tempore maturo patefecerit ætas.

Par conubium opinor intelligit, quem Æschylus in Prometheo dicit ὁμαλὸν γάμον. Est enim apud illum, Ἐμοὶ δ' ὅτι μὲν ὁμαλὸς γάμος ἄφοβος, οὐ δέδια. Et quæ sequuntur, atque ante hæc leguntur. quem locum huic similem putabat Iacobus Corbinellus, mihique primus ostendit.

C A R A *viro magis.*] Sic vno in manuscripto. In alijs, *Cara virgo magis minus est inuisa parenti.* ἀσυνδέτως vitiose. Deesse videtur hoc loco ἐπιφώνημα,

Hymen ô Hymenæe Hymen ades, ô Hymenæe.

Quod tamen nullo in manuscripto legebatur.

A T *tu ne pugna.*] In manuscriptis omnibus, *Et tu nec pugna.*

P A T E R *cui tradidit ipse.*] Proprie dixit, & ex consuetudine. quam significat Pomponius Mela in II. de Getis. Nupturæ, inquit, virgines non à parentibus viris traduntur, sed publice aut locantur ducendæ, aut veneunt. Ex his enim verbis intelligimus Romæ virgines viris à parentibus tradi solitas. Liuius libro XXXIIII. non sui iuris feminas fuisse dicit, sed in potestate parentum, fratrum, virorum. itaque nihil habent, vt videtur, mere suum. *Maiores nostri*, inquit Liuius, *Nullam ne priuatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, virorum.* Menander, Ἀγαθὰ θυγάτηρ κτῆμ' ἐργῶδες πατρί. Atque alibi, Χαλεπὸν θυγάτηρ κτῆμα, δυσδιάθετον.

T E R T I A *pars matri data, pars data tertia patri.*] Rectius omnib. in manuscriptis,

Tertia pars patri data, pars data tertia matri.

M. ANT. MVRETVS.

V E S P E R *adest.*] Carmen hoc eiusdem argumenti est cum superiore. Principio autem poëta ex sua persona loquitur: postea vero pueri & puellæ alternis canunt.

V E S P E R.] Cuius exortu nouæ nuptæ in virorũ

domos perduci solebant. Interim autem canebatur Hymenæus.

Vix *tandem.*] Omnis enim mora longa cupienti. ex opinione hoc igitur, non ex veritate dictum est: vt illud,

Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Cernitis *innuptæ.*] Iuuenes primo excitauit: nunc ad puellas conuertitur; easque æmulatione excitat.

Æthereos.] Alij *Eoos*, quod recipi non potest, cum hic de noctis aduentu agatur. alij *optatos*, alij *Oetæos*, vt sit simile illi,

Sparge marite nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.

Atque horum alterutrum haud sane repudiauerim.

Noctifer.] Hesperus.

Exiluere.] De puellis ipsis loquitur: quas non temere exiluisse ait: esse enim ipsis negocium cum iuuenibus ita ad canendum paratis, vt ad eos victoria spectare videatur.

Non *facilis.*] Iuuenes loquuntur: aiuntque non facilem sibi victoriam fore: cum puellæ summa cura meditatæ sint, quod canant: ipsi vero se negligenter dissoluteque gesserint.

Hespere, *qui cælo.*] Accusant puellæ Hesperum, qui puellam à complexu matris abstrahat, eamque ardenti iuueni tradat in manum.

Complexu *matris.*] πάθος per repetitionem.

Hespere, *qui cælo.*] Respondent iuuenes contra, nullum esse sidus Hesperi fulgore iucundius, qui exoriens confirmet pacta à parentibus inita. Versus ille, *Quod pepigere viri*, vereor, vt sit satis emendatus.

Hesperus *à nobis.*] Puellas loqui constat. sed post hunc versum sex septem plus minus desiderantur. Illud autem, *At lubet innuptis*, manifesto à iuuenibus dicitur.

Vt *flos in septis.*] Elegantissima comparatio, qua contendunt puellæ, inutiles esse virginibus nuptias.

Dum *intacta manet, dum cara suis: sed.*] Prius, *dum*, valet quandiu: posterius, vsque eo. Fabius libro nono.

Florem.] *μαλακὰ ποίας*, Pindarus.

Vt *vidua.*] Contraria comparatio, qua contendunt iuuenes, nihil virgini esse optabilius nuptijs.

Vidua.] Horatius,

Et vicem viduas ducit ad arbores. Idem,
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Viduam autem aiunt iurisconsulti vocari eam etiam, quæ nunquam nupsit.

At *tu ne pugna.*] Hoc ad vtrisque communiter cani videtur.

IANVS DOVSA FIL.

Nimirum *Oetæos ostendit Noctifer ignes. Sic certè. viden' vt perniciter exiluere.*] Sic Callimachus Hymno in Apollinem:

Καὶ δή τι τὰ θύρετρα καλῷ ποδὶ φοῖβος ἀράσσει.
Οὐχ' ὁράας; ἐπένευσεν ὁ Δήλιος ἀδὺ φοῖνιξ.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Nimirum *Eoos.*] Hæc omnia interpolata sunt ex veteri scriptura, quæ ita concepta est. *Nimirum hoc æos ostendit noctifer imber.* Nullam opem adferre possumus. Valde arridet adhuc coniectura nostra prior, qua legebamus,

Nimirum Oceano se ostendit Noctifer imbre.

Nam vetus scriptura *hoceos*, videtur esse hoceanos', id est, Oceano se. Oceanus imber, vt Oceanum mare. Sic Ennius dixit imber Neptuni, pro mari. —— *Ratibusque fremebat Imber Neptuni*, id est, aqua marina.

ibid. Noctifer.] Calpurnius:

Frigidus æstiua impellit Noctifer horas.

Canent *quo vincere par est.*] Ineptissime. cui lectioni deprauandæ non postremus audaciam suam contulit Auantius, vt iam in multis fecit. vetus scriptura erat:

—— *canent quo vicere parent.*

Neque hic mihi suppetit coniectura, quæ expleat animum meum.

Nec *mirum: tota.*] Abest hic versiculus à nostro libro. Et profecto nullam bonam sententiam concipit.

Hespere, *qui cælo fertur.*] *Fertur* de astro dixit, quemadmodum Aratus semper, vt, *ἠῶθ' ὑπὸ πᾶσι φορεῖται.*

Hesperus *à nobis.*] Desunt post hunc versiculum. Id sine ope melioris codicis explere non possumus.

Vespere *mutato.*] Lege, vt in veteri scriptum est: *Hespere* vocandi casu.

Tacita *quod mente requirunt.*] QVOD non legebatur in nostro, sed QVEM. & melius. At iuuenes illi apud Callimachum citante Olympiodoro primo Commentario in Meteora, aliter ac diuerse ab his puellis faciunt.

Αὐτὸν μὲν φιλέουσ' αἰνοῦσι δέ τι παρθένικαι·
Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀποστυγέουσιν ἑῷον.

Contra puellæ in Ciri Virgiliana, diuino poemate: *Quem pauida alternis fugiunt, optantque puellæ,*
Hesperium fugitant, cupiunt ardescere solem.

Seneca in Medea facit cum Callimacho:

Et tu, quæ gemini præuia temporis
Tarde, Stella, redis semper amantibus.
Te matres auidæ, te cupiunt nurus
Quam primum radios spargere lucidos.

IDEM EPITHALAMIVM A Q. Sept. FLORENTE CHRISTIANO Græcis versibus expressum.

Σοῦσθε νέοι, ὁ γὰρ ἕσπερος ἔρχεται, ἕσπερος ἤδη
Οὐρανόθεν ποθέοντα μόλις δεῖο φάεα τέλλει·
Ὥρη ἀναστῆναι, λιπαρὰς λείπειν θαλίας,
Παρθένος ἐρχέσθω, ὑμέναιον σ' ἦσατ' ἀοιδή.
Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Ἀθρεῖτ' ἠΐθεοι φιλοπάρθενοι; αὐτὸ ἔχεσθε,
Παντοχόθ' Οἰταίας φαίνει φλογοφόρος αὐγάς.
Καὶ τί πῶς; οὐχ ὁράας ὡς ὠκὺς ἐξεθόρουσαν;

Οὐκ εἰκῆ, ποτὶ γὰρ νικᾶν θέμις ἀσπαίουσι.
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Ἀλλ' ἴδμεν κεῖται νῦν ἄχαρες, ἥλικες, ἆθλον.
Σκέπτεσθ' ὡς δίζοντ' ἄγαμοι πεπονημένα χερσί.
Οὐχὶ μάτην μελετῶσιν, ἔχουσι δ' ἀξιόμνηστον.
Ἄμμες δ' ὦτα φρένας τ' ἐμερισάμεθ' ἄλλοθεν ἄλλη.
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Οὐχ ἁμὴ δ' ἴσον νίκα, ἐπεὶ φιλεῖ ὧν μεριμνᾶν·
Τῷ νῦν ὑμετέρῳ ἵνα συμβάλλητε θυμοῦ·
Ἀρξαμέναις αὖθις ἤδη πρέπει ἄμμες ἐπᾷδειν.
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Ἕσπερε, ποῖον ἔχει σοῦ φῶς νηλέστερον αἰθήρ;
Δηρὸν ἐπωλενίην κούρην ἂν μητρὸς ἀποσπᾶν,
Μητρὸς ἀπ' ἀγκαλίδων ἀφελῶν κούρην αἰκαυστόν,
Παρθενίην δὲ ποθεῦντι νέῳ νιν ἐγγυαλίζειν;
Περθομένης ἐχθροὶ τί πλέον ῥέζουσι πόληος;
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Ἕσπερε τίς σοῦ τερπνότερον φέρετ' οὐρανόθι φλόξ;
Ἣ κυροῖς πλέξεις μνηστῆρ' ἃ γαμβροῖς ὑπέσχον,
Τοὺς γῆμαν οἱ πατέρες, γῆμαν ἔργα πρὶν ὁμῶς,
Ἔμπεδα δ' οὐ τῆκας, πρὶν σὸν σέλας ἠδὺ πυρῶσθαι.
Εὐκτότερον τί θεοὶ δοῖεν κ' εὐδαίμονος ὥρας;
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Ἕσπερος ἐξ ἡμέων γε μίαν ἔχει αὐτὸς ἀπούρας·

* * * * *

Σοῦ γὰρ ἐπερχομένου αἰὲν φρουκτωρὸς ἄυπνος.
Νυκτὶ δὲ φῶρες ἄιστοι, ἀτὰρ σύγε τοὺς δ' ἐπανήκων
Ἑῷος, εὖτ' ἄλλοις ἐναμείβεις, χεῖρας ἔβαλες.
Ἀλλὰ φίλον πλαστοῖς σε γόοις νύμφαι μὲν ἐλέγχου·
Ἐς τί δ' ἐλέγχουσιν τὰ φρεσὶν ποθέουσι λαθραίαις.
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε, ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Ἔκκριτον ὡς ἄνθος φύετ' ἐν φραγμοῖσι κήποις,
Θρέμμασιν ἄβρεκτον, πάσῃ δ' ἄφλαστον ἀρότροις,
Τὸ ζέφυρος θάλπει, θεὸς ἐκτρέφει, ὄμβρος ἀέξει·
Πολλαῖς παρθενικαῖς, πολλοῖς ζηλωτὸν ἐφήβοις.
Ἀλλ' ὅταν ἁβρὸς ὄνυξ κάλλος ἀμαλύνῃ ἀμέρσας,
Οὐδὲ νέοις τούτου πόθος ἵκετο, οὐδὲ κορίσκαις.
Παρθένος ὡς, ἄφθαρτος ἕως μένει, ἔπλετο φίλη·
Εἰ δὲ μιαινομένη σώφρον ποτὲ σώματος ἄνθος,
Οὐ παισὶν τερπνὴ μένει, οὐ χαρίεσσα κόραισιν.
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε, ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Ὥσπερ φυομένη ἀργῷ μόνη ἄμπελος ἀγρῷ,
Οὔποτ' αἰωρηθεῖσα τρέφει μελιηδέα βότρυν,
Ἀλλ' ὁμοῦ δὲ ποτὶ βάρος αὐτῆς ἔκλινε ἔραζε
Ἀκροτάτοισι μάλα θιγέμεν ῥίζαις κορύμβων.
Οὐδ' ἀροτρεὺς ταύτην οὐδ' ἄρ βόες ἠσκήσαντο.
Εἰ δὲ τύχοι κείνη πτελέαις φίλτρον μίγεται,
Πολλοὶ τήν γε βόες, πολλοὶ δ' ἤσκησαν ἀροτρεῖς.
Ὡς κόρη ἄχρις ἄθικτος, ἔχει τότε γῆρας ἀεργόν.
Ὁππότε δ' ἄρα συζυγίης τύχεν ὥριος ἴσης,
Ἀνδρί τε τερπνοτέρη πέλε, καὶ πατρὶ μᾶλλον ἀπεχθής.
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.
Μήποτε δ' ὅσιον ἦν, γλυκερὸν θάλος, ἀνδρὶ μάχεσθαι.
Οὐ θέμις ἐστὶ μάχεσθαι ὅτῳ θῆκέν περ αὐτός,
Αὐτὸς σοῦ μητρί, τοκεύς, τοῖς χρεώ σε πιθέσθαι.
Οὐ μὲν ὅλη σοῦ παρθενίη, μέρος ἐστὶ τοκήων,
Καὶ τοκεὺς τὸ τρίτον, καὶ τὸ τρίτον ἡ τοκέτειρα.
Μοῦνον ἔχεις τὸ τρίτον· μὴ βούλου δυσὶ μάχεσθαι
Τοὶ γαμβρῷ ἐὰ δισσὰ μέρη σοῦ δῶκαν ἑέδνοις.
  Ὑμὰν, ὦ ὑμέναιε, ὑμὰν ἐλθ', ὦ ὑμέναιε.

A FED. MORELLVS PROF. REG. PHILOLOGO S.

ET si non multum intersit scire quid pereruditum Flor. Christianum ad huius carminis Catul. μετάφρασιν Græcè texendam impulerit: tamen quia τὸ ἐν ὕστερον οὐ πάντα εἰδέναι. nec tædium necsenium habet, dicere non grauabor. Atenim egomet, ne scis nescius, in causa fui cur Florens hunc tibi floridum fasciculum nexuerit: quo, si Hamadryada, Leoquerni filiam, non duxissem, φιλόμουσοι non potirentur. hoc enim γαμικῷ δωρήματι nuptias nostras amicus magnus honorauit.
B Et hoc quoque ἄγλευκον corollarium adiunxit, quod quia eiusdem argumenti Epithalamici est, & æmulæ virtutis veterum poëtarum stimulos addit, non inuidebo tibi nec publico.

IN thalamum bellæ postquam conuenit Elisæ,
  Quæ genus à doctis ducit Hamadryasin,
Nocturna rapiens Federicus gaudia rixa,
  De moro nomen qui sapiente trahit:
Illico amatrices quas vsserat antè, Camœnæ
  Non lætabilibus confremuere modis:
Ac super abducto sponso lugubrè canentes,
  Asserere incipiunt, vindiciásque parant.
C *Speratique sui conturbassent Hymenæos,*
  Ni iubeat linguis ipse fauere Pater.
Non meministis ait (fugiunt oblivia natæ
  Mnemosynes) Dryadas & Iouis esse genus?
Vobis cognata est, merito mihi Quercus amica,
  Arbor fatidicos sola locuta sonos.
Desinite inuidiæ, Dryadique relinquite morum:
  Vestra per hoc fœdus gloria maior erit.
Nec minus est vester, semper Federicus amabit,
  Quamuis non cœlebs, numina Pieridum.
Quercea Romano implebit subsellia cultu:
  Nec poterit soceri degener esse gener.
Coniugio tali populosa Lutetia crescet:
D *Mella Dryas, morus serica tracta dabit.*
His dictis placata iras posuere Camœnæ,
  Aequora ceu Conso mota iubente, silent.
Consensúque suo paria hæc connubia firmant.
  Musæo ratus est ore vocatus Hymen.

Τοῦ αὐτοῦ ἐπιθαλάμιον.

ΑΛλος Ὕλας ἄλλη δρυὰς ἥρπασεν, ἄλλος ἀίσσει
  Ἡρακλῆς. φίλον δίζεσθ' ὁ Φοῖβος ἔπη.
Ὑψοῦ δὴ τὸ μέλαθρον ἀείρετε τέκτονες ἄνδρες,
  Δενδρέου ὡς γαμβρὸς ἔρχεται ὧδε νεός.
E Χθὲς μὲν ἀπὸ δρυὸς ἦν, νῦν δ' ἐστὶ Φεδέρικος,
  Ἀλλ' ἄμφω πρότερον καρπὸν ἐπημφίασαν.
Γαμβρὸς ἔχει βάλανον, φορέει μόρα φοίνια νύμφη·
  Φεῦ φεῦ, ἐν βαλάνοις νυμφίε μόρα δ' ἔχεις.
Ὀρχεῖσθαί σε πρέπει, ὀρχοῦ ἄτερ οὔτ' ἀνάγκης,
  Μὴν Ἱπποκλείδου μοῖραν ἄφροντις ἔχεις.
Ἦλθέ σοι ἡ Κύπρις τε χοιροφανὴς Διόνυσος,
  Καὶ χαρίτων χαροπαὶς ἄμμιγ' ἔρωτι νεαί.
Ὄφρα μὲν αἰθερίους ψιθύρους σίγαν ἱδρύζεις
  Αὐλὰ καταπλασσόντων ῥύσαι παρθενικάς,
Ἀρβουλίαι Ῥώμης Ἑλληνίου ἔφιμ' ἀοιδῆς,
  Ἠδὺ παλαίμας αὐτεπιμεθορμένος.

A

IN EPITHALAMIVM CATVLL. GRÆCE A FLOR. CHRISTIANO redditum. F. M.

AGEDVM virtutem hominis quam florentem & incolumen coluimus, sublatam ex oculis repræsentemus & illustremus, ἡ ἐφ' ἡμῶν. Atenim —— *solémque suum, sua sidera norunt,*

Quiq; pij vates & Phœbo digna locuti,
Quiq; sui memores alios fecere merendo.

inter quos Christianum mea mens *humeris extantem suspicit altis.* τῷ γὰρ δωροφορήσωμεν καὶ δωροφορήσωμεν τὸ κάλλιστον. συνεπιφερώμεθα τι σύμβολον δίχα.

B

Σῦνθα νέοι.] Callimachus εἰς λουτρὰ Π.

Σῦνθα νεοὶ ὦ ξανθαί, σῦνθα Πελασγιάδες.

Τεπόθητος.] ter optata. Cat. *expectata.* Bio.

Εἶαρ ἐμοὶ τριπόθητον ὅλῳ λυκάβαντι παρείη

De vespere desiderato idem Callimachus apud Olympiodorum meum mns. εἰς μετωνες

Αὐτὸ μὲν φιλέω, αὖθι δέ τι τροφέειμαι
Ἑσπέριον φιλέω, χαίρουσιν ἕωσι.

Ἀντιπεράς κεῖται τι θαλείας.] *mensas* scite & aptè θαλείας reddit potius quàm τραπέζας. Hom. δαῖτα θάλειαν, καὶ εἰλαπίνην. Plutarchus IX συμποσιακῶν, refert ad Thaliam conuiuiorum Antistitam: τὴν θαλυσίας τὸ μὲν περὶ ἡδονὴν καὶ πίνει ἡ Θαλία κοινωνικὸν ποιεῖ καὶ συμποτικὸν ἐξ ἀπαλφρόνως καὶ μελῳδίας· διὸ

C

τοὺς φιλοφρόνως καὶ ἱλαρῶς συνόντας ἀλλήλοις, ὁ οἶνος θαλιάζειν λέγεσθαι· ἢ τοὺς ὑβρίζοντας καὶ παροινοῦντας. Hi sunt apud Virg.

Mutua qui inter se læti conuiuia curant.

Haud insuauis est παραγραμματισμὸς ἐν τῷ κεῖται λιθῶδες.

Παῖδε χορ' Οιταίας φαίνει ὀρθροφόρος αὐγαῖς.] non improbauit τὸ —— *Oetaeos ostendit Noctifer Ortus.*

vt apud Mar. ecl. 8.

—— *deserit Hesperus Oetan.*

Papin. v. Syl.

—— *totidem Oetaæ Paphiæque reuisunt*
Lampades.

D

Noctiferum quem & Plautus & Statius Nocturnum dicunt, pulcrè ὀρθροφόρον vertit, vt ὄρθρον opponatur αὐγαῖς. Si Florens hic & in seq. magni Scaligeri vnanimi ἑταίρου scripta consuluisset, & veterē scripturam agnouisset, haud dubiè manum dedisset, suràmve præbuisset. tametsi illud Eueni pateat, Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἔστω, ἐμοὶ δὲ τάδε. sed enim vbi hæc ludebat interpres, librorum erat curta supellex. Quid si κατ' γνώμην Phœnicis illius ita vertas?

Νυκτοφόρος φαίνει ῥ' ἀπὸ Οἰταίοιο ῥ' ἄκρου.

Οὐχ ὁρᾶτε ὡς.] Callim. εἰς Ἀπόλλωνα.

E

Οὐχ ὁρᾶας. ἐπένευσεν ὁ Δήλιος ἀδὺ τι φοῖνιξ.

Τὰς γὰρ νικᾶν θέμις ἀνευρεῖν.] Neque hîc communem lectionem solicitauit.

—— *cauent quos vincere par est.*

cui si præponderare putes felici coniectura Scaligeri reposita,

—— *cauent quo iure parent se.*

lege, Οὐχ οἷον ἐφοράειν τὸν ἄμμες ἀντοφείλειν.
Reliqua in commodiorem locum differre cogor: cancellorum Typographicorum spatiis disclusus iniquis. τέλος.

De ATY. LXIIII.

SVPER alta vectus Atys celeri rate maria,
Phrygium nemus citato cupidè pede tetigit,
Adiitq; opaca siluis redimita loca Deæ.
Stimulatus vbi furēti rabie, vagus animi,
Deuoluit ille acuto sibi pondera silice.
Itaque vt relicta sensit sibi membra sine viro,
Etiā recēte terræ sola sanguine maculās,
Niueis citata cepit manib. leue typanū,
Typanū, tubā, Cybele, tua mater initia:
Quatiénsque terga tauri teneris caua digitis,
Canere hæc suis adorta est tremebunda comitibus.
Agite. ite ad alta Gallæ Cybeles nemora simul,
Simul ite Dindymenæ dominæ vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exules, loca
Sectā meā executæ duce me, mihi comites
Capidū salū tulistis, truculētáque pelagi,
Et corpus euirastis Veneris nimio odio.
Hilarate excitatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deæ,
Vbi cymbalûm sonat vox, vbi tympana reboant,
Tibicem vbi canit Phryx curuo graue calamo,
Vbi capita Mænades vi iaciunt hederigeræ,
Vbi sacra sancta acutis vlulatibus agitant,
Vbi sueuit illa Diuæ volitare vaga cohors,
Quò nos decet citatis celerare tripudiis.
Simul hæc comitibus Atys cecinit noua mulier,
Thiasus repentè linguis trepidantibus vlulat,

Leue tympanum remugit, caua cymbala recrepant, (de chorus.
Viridem citus adit Idam properante pe-
Furibunda simul, anhelans, vaga vadit, animo egens,
Comitata tympano Atys, per opaca nemora dux,
Veluti iuuēca vitās onus indomita iugi.
Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.
Itaque vt domū Cybelle tetigêre lassulæ,
Nimio è labore somnum capiunt sine Cerere. (operit,
Piger his labantes languore oculos sopor
Abit in quiete molli rabidi furor animi.
Sed vbi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustrauit æthera album, sola dura, mare ferum, (pedibus,
Pepulitque noctis vmbras vegetis soni-
Ibi somnus excitum Atyn fugiens citus abiit:
Fugientē eum recepit Dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rabida sine rabie,
Simul ipsa pectore Atys sua facta recoluit. (foret:
Liquidáque mente vidit sine quis, vbíque
Animo æstuante rursus reditum ad vada retulit.
Ibi maria vasta visens lacrymantibus oculis, (seriter.
Patriam adlocuta est ita voce mæsta mi-
Patria ô mea creatrix, patria ô mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos vt herifugæ
Famuli solēt, ad Idæ tetuli nemora pedē,
Vt apud niuem, & ferarum gelida stabula forem,
Et earū omnia adirē furibunda latibula:
Vbinam, aut quibus locis te positam patria rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciē,
Rabie fera carens dum breue tempus animus est. (ra domo?
Egóne à mea remota hæc ferar in nemo-
Patria, bonis, amicis genitoribus abero?

A *Abero foro, palæstra, stadio, & gymnasiis?*
Miser, â miser, querendum est etiam, atque etiam anime.
Quod enim genus figuræ est ego quod non habuerim?
Ego mulier, ego adulescens, ego ephebus, ego puer,
B *Ego gymnasii fui flos, ego erā decus olei.*
Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat, (biculum.
Linquendum vbi esset orto mihi Sole cu-
Egóne Deûm ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
C *Ego viridis algida Idæ niue amicta loca colam?*
Vbi cerua silui cultrix, vbi aper nemoriuagus?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus?
Iam iā dolet, quod egi, iā iámq; pænitet.
Roseis vt huic labellis palās sonitus abiit,
Geminas Deorum ad aureis noua nuntia referens;
D *Ibi iuncta iuga resoluēs Cybele leonibus,*
Læuúmque pecoris hostem stimulans, ita loquitur.
Agedum, inquit, age ferox, hunc agedum aggredere furor.
Face, vt hinc furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea liberè nimis qui fugere imperia cupit, (tere.
E *Age cæde terga cauda, tua verbera pa-*
Face, cūcta mugiēti fremitu loca retonēt.
Rutilā ferox torosa ceruice quate iubā.
Ait hæc minax Cybelle, religátque iuga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum, (vago.
Vadit, fremit, refringit virgulta pede
At vbi vltima albicātis loca litoris adiit,

Tenerúmque uidit Atyn prope marmora pelagi,
Facit impetum. ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatiũ famula fuit.
Dea magna, Dea Cybele Didymi, Dea domina,
Procul à mea tuus sit furor omnis, hera, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

ANT. PARTHENIVS.

SVPER *alta vectus Atys celeri rate maria.*] Galliambicon metrum ex duobus Galliambis versus compositus: prior enim pars versus habet Pyrrhichion: & tres Trochæos: Altera pars habet secundum Galliambi genus ex Pyrrhichio, Trochæo, duobus Pyrrhichiis, prior pars talis, *Super alta vectus Atys:* altera pars, *Celeri rate maria,* prius tamen comma spondæũ in primo & in secũdo interdum admittit, sed raro: vt, *Deuoluit lactes acuto.* De Galliambico metro plenius legas apud Seruium in centimetro. item Diodorus Galliambi duo ponit genera: ex quibus hoc Catullum metrum compositum inuenies. Scribit autẽ Catullus de Aty puero Cybeleio: quemadmodum in Phrygiã naui delatus Cybeles amore illius pueri correptæ numine in furorem conuersus est: ac quam primum numinis instinctu virilia sibi amputauit, reliquosque comites Cybeleios ad Cybeles sacra, sumptis sacrorum instrumentis, celebranda, mentemque furore hilarandam hortatus, post longam defatigationem fuit sopore solutus: inde à dea Cybele in gremio susceptus, cùm euirati corporis damna mente agitare cœpisset: patriæ absentiam, cæterasque suas ærũnas lamentatus, miserrime defleuit. Dea vero vt puerum sibi dilectũ à talibus remoueret luctibus, vnum de leonibus suis, qui puerũ perterrefaceret misit: quo terrore Atys exanimatus in nemora Cybeleia se coniiciens, ibi est perpetuus Cybeles minister effectus. Hæc Catul. de Aty puero poetica licentia scribit: sed Diodorus Siculus probatus inter Græcos historicos asserit à Cybele prouecta ætate adulescentem quendã eius regionis nomine Atyn dilectũ, quem postmodum dixerunt Papam, cùm eo clam coiens Cybele grauida facta est: quod vt parẽtes norũt: in regiam accitam vt virginem pater suscepit, noto filiæ peccato, & Atyn & puellæ nutrices interfici iussit: atq; insepultos abiici. Cybelẽ tamẽ amore pueri Atys tum dolore nutricum perculsam, insanam effectam, in publicum prodiisse ferunt: psallentemque cum tympano solam vniuersam patriam sparsis capillis deambulasse. Itẽ de Cybele talem tradit idem auctor historiam: Phrygiæ Libyesque incolæ asserunt regem priscum fuisse Memnonem: & ab eo vxorem ductã Dindymenem nomine, a parentibus expositã,

A diuina quadam sorte, pardalis, aliæque feræ lacte nutrierunt: hanc infantem mulier pecora pascẽs tulit, atque à loco Cybelen nominauit: aucta ætate, pulchritudine, prudentiaque excellens, ingenio mirabili fuit: Nam & fistulã plurimis calamis compactam, & ad lusum, choreasque cymbalum, tympanumque prima omnium adinuenit. Præterea pecorum, puerorumque morbis remedia introduxit. Itaque tum propter infantes quibus verborum medicantibus salutẽ præbuit, tum quia plurimos velut in sinu fouit, matrem ab omnibus dictam ferunt. Postmodum (vt supra dictum est) ætate prouecta adulescentẽ Atyn adamauit: cætera superius exposita de Cybele traduntur. Phryges autem (testante Macrobio) circa matrẽ Deũ & Atynẽ fabulantur, hanc Deam leonibus vehi validis impetu atque furore animalibus: quæ natura cæli est: cuius ambitu aer cõtinetur: qui vehit terram: Solem vero sub nomine Atynis ornant & fistula & virga. Fistula ordinem spiritus inæqualis ostendit: virga Solis potestatem asserit, qui cuncta moderatur. Cybeles autem & Atynis fabulam Ouidius in Fastis enarrat: quem ne multas hic paginas explicem, prætermittendam censui.

B SVPER *alta maria vectus Atys.*] vnde autem vectus sit incertum habetur.

NEMVS.] Dindymum aut Cybeleum montem nemorosum.

C LOCA *opaca sylvis.*] vmbrosa siluis loca: Phrygiæ montes prædictos.

VT.] tanquam.

FVRENTI *rabi.*]ab effectu: quia rabies hominem furere facit.

STIMVLATVS.]cõcitatus spiritu Cybelio. nam Chorybantes Cybeles sacra peragentes, vasorum æreorum sonitu, in furorem concitantur: quod Horatius de furore loquens sic tangit:

Non acuta sic geminant Chorybantes æra.

Iuuenalis.

De conuiua Chorybanta videbis.

D VAGVS *animi.*] omnes fere codices habent amnis: sed nullus sensus probandus inde potest elici. legatur ergo animi vagus: nam iam afflatus deæ furore mentem vagam cœpit habere.

DEVELVIT *sibi.*] amputauit subito silicis ictu, per furorem Cybeleium.

LACTES.] intestinorum partes posuit pro inguine pendenti: quo ablato etiam lactes secutæ sunt: & ingens inguinis vulnus expressit: quo non solum genitalia exteriora: sed etiam lactes interiores sibi amputauerit. aut certe deuoluit: id est deiecit, & fluere fecit per inguinis vulnus.

E LACTES.]proprie sunt in oue & in homine à ventriculo intestinorum partes per quas labitur cibus. Plinius: *Ab hoc ventriculo lactes in oue & homine, per quas labitur cibus: in cæteris ile: à quibus capaciora intestina ad aluum.* in alio codice legitur sic hoc carmen:

Deuoluit ille acuto sibi pondera silice.

SINE *viro.*] sine virilitate: hunc postmodum institutum fuit, vt Cybelei Galli testa sibi genitalia secarent, quamquam & Catullus sili-

ce, & Ouidius saxo hoc factum ab Aty fuisse A tradunt. Ouidius.

Ille etiam saxo corpus laniauit acuto:
Longa queque immundo puluere tracta coma est.
Vox que fuit merui meritas de sanguine pœnas.
Ah pereant partes quæ nocuere mihi:
Ah pereant dicebat adhuc, onus inguinis aufert:
Nullaque sunt subito signa relicta viri:
Venit in exemplum furor, mollesque ministri
Cedunt iactatis vilia membra comis.

Sola *sanguine maculant.*] ex hoc sanguine purpureum colorem traxisse marmor Sinadicum scribit Papinius lib. syluarum. II.

Citata.] Atys furore concitatus: nam eum B poëta genere fœminino appellat sæpe: quia virilitate iam priuatus erat vt fœmina.

Leve *tympanum.*] Instrumentum quod verberatum sonitus terribiles emittit. Tympanum Cybeles tubam: anadiplosis & appositio.

Tubam.] quo vtebantur pro tuba in sacris Cybeleis. Iuuenalis.

Et resupinati cessantia tympana Galli.

Mater.] vocatiuus est ô Cybele deorum mater.

Tua *Initia.*] tua ministeria. Initia tamen dicuntur etiam Cereris sacra.

Terga *tauri caua.*] tympani diffinitio.

Et *adorta.*] incepit Atys canere.

Hoc.] carmen quod sequitur.

Tremebunda.] Atys tremens siue propter furorem quo agitabatur: seu propter dolorem inguinis abscissi.

Calle.] angusta semita. aliter legitur Gallæ: id est ô vos sacerdotes castrati. Gallæ autem dixit genere fœminino: quia erant effœminati. vt Virgilius:

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Vaga *pectora.*] pars pro toto: vos comites vagis pectoribus agitati.

Dominæ *Dindymenæ.*] deæ Cybeles: quæ appellata fuit Dindymenæ à Dindymis Phry- D giæ monte vbi colitur. Strabo: *Mons quidam vrbi imminet nomine Dindyma, à quo Dindymena dicitur: quemadmodum à Cybelis Cybele.* Dio tamen (vt supra relatum est) dixit Cybelen matrem fuisse Dindymenen appellatam: vnde fortasse non esset absurdum filiam etiam vocatam fuisse Dindymenem de matris nomine: vt Venus Dione à matris nomine denominatur.

Petentes.] accedentes, adeuntes.

Exules.] à patria nostra exclusi.

Executæ.] muliebri nomine suos comi- E tes euiratos appellat. Sectam meam: doctrinam meam inguinis secandi. & Cybelei sacri celebrandi. Secta à sequendo dicitur: vel à secando, idest tenendo: vt,

——*ille viam secat ad naues.*

Comites *mi.*] mi pro mihi: id est comites mei.

Hilarate *animum.*] lætamini: concipite hilaritatem. & est sensus: Postquam per furorem euirastis corpus vestrum hanc rem in lætitiam vertite, ac exhilarate animos vestros.

Excitatis *erroribus.*] idest, vagis egressibus.

Tarda.] moræ proprium epitheton.

Cedat.] decedat, exeat ex mente vestra.

Ite.] venite mecum.

Cymbalum.] idem fere quod tympanum: maius tamen tympanum, maioremque facit sonitum.

Vox *sonat cymba.*] figuratè dixit: vt Virgil.

Nec vox hominem sonat.

Tibicen *vbi canit Phryx.*] Tibia Phrygum inuentum esse videtur, quamquam de Palladis Tritoniæ tibia fabulam refert Ouid. Plin. tamen scribit, obliquam tibiam Mydam in Phrygia, geminas tibias Marsiam Celeneum in eadem gente inuenisse. huiusmodi effœminatos tibiarum sonos etiam Virgilius Troianis obiici scribit:

O vere Phrygiæ: neque enim Phryges: ite per alta
Dindyma, vbi assuetis biforem dat tibia cantum:
Tympana vox buxusque vocat Berecynthia matris
Idea. ——

Phrygia *nemora deæ.*] vt absolutè dixit quocunque nemore Phrygio: aut certe Idæum nemus intelligit, vt ipse Atys infra dicit:

Ad Ida tetuli nemora pedem.

Curvo *cala.*] curua tibia: quæ plerumque facta est ex calamo, & præsertim à rusticis.

Mænades.] eleganter & ingeniose dixit C Mænades pro Cybeles sacerdotibus: nã Mænades apud Græcos dicuntur mulieres furore insanientes, & Bacchi sacerdotes. Tales igitur sunt Cybelei: quia & tanquam fœminæ sunt, & furore concitantur: nam μαίνεσθαι significat insanio: inde Mænades dictæ sunt.

Hederigenæ.] hederaceos thyrsos gerentes. Nusquam nisi hoc in loco legi sacra Cybeles hederis agitari: nisi forte Catullus hoc dixit alludens ad Bacchicas Mænades.

Acutis.] vehementibus, acribus. Horat.

Quod latus & renes morbo tentantur acuto.

Illa *duce.*] scilicet Cybele ducente.

Cohors *vaga.*] sacerdotum furore vagantium cœtus & chorus.

Volitare.] volitando transcurrere.

Tripudiis.] saltationibus. Tripudium (vt scribit Cice.) dicitur quasi terripudium: seu terripauium: quasi terræ percussio. Nam in auspiciis captandis cum aues pascuntur necesse est aliquid ex auium ore cadere & terram pauire: sic terripauium primo post terripudium dictum est hoc quidem iam tripudium.

Nota *mulier Atys.*] Atys qui iam mulier noscebatur.

Thyasis.] saltationibus, choreis ἀπὸ τοῦ θύειν, quod significat impetum facere, sacrificare & excitare.

Idam.] Ida mons Troiæ imminens olim habuit oppidum: vt apud Homerum & Diony. legimus.

Vaga *Atys.*] iterum atque iterum fœminam vocat Atym euiratum.

Gemens.] aut vlulans propter furorem: aut eiulans propter inguinis lacerati dolorem.

Velvti.] apta similitudo ad effœminatam lasciuiam ostendendam.

Gallæ *rapida.*] Cybelei velocis Galli sa-

cerdotes dicti sunt, vt ait Plin. à Gallo Phrygiæ fluuio, cuius aqua epota furorem mentibus excitat. Naso in Fastis:

Inter ait viridem Cybelen: altasque Celenas
Amnis it insana nomine Gallus aqua.
Qui bibit inde furit.

PIGER *sopor.*] somnus iners ab effectu, quia homines facit pigros.

ABIT.] discedit ex Gallorum animis.

HORIS.) Horæ ab Horo, id est à Sole, quem Ægyptij Horum appellant. aureas autem dixit ad Solis splendorem respiciens.

ÆTHERA.] pro aëre posuit: vt,

Heu quia nam tanti cinxerunt athera nimbi.

SOLA *dura.*] terram solidam duram.

MARE *ferum.*] elegans epithetorum distributio. nam aër candidus est, terra dura, mare sæuum: Circa quæ tria elementa Sol suum habet illustrandi officium.

MARE *ferum.*] sæuum: vt,

Maris aspera iuro.

SONIPEDIBVS.] equis. Virgilius.

Stat sonipes: ac frena ferox spumantia mandit.

Solis equi feruntur quatuor: Pyrous, Eous, Æthon, & Phlegon. Ouid.

Interea volucres Pyrous, Eous & Aethon
Solis equi: quartusque Phlegon hinnitibus auras
Flammigeris implent.

VEGETIS.] viuidis, fortibus.

DEA.] Cybele pueri amore correpta.

SINV *Pasitheo.*] gremio suo deos omnes continenti, deorum omnium capaci. nam Cybele Πανθέα græcè appellatur, πᾶν omnis, θεὸς deus dicitur: deorum enim mater dicitur. Cuius rei ratio ex Diodoro superius est relata.

RAPIDA.] velox Atys.

SIMVL.] postquam.

PECTORE.] animo arcano.

SVA *facta.*] superius narrata.

RECOLVIT.] recogitauit, in animum reuocauit.

LIQVIDA.] serena, clara, sine furoris prioris nube.

SINE *quis.*] sine quibus virilibus.

VBI.] in quo loco esset à patria procul.

VSVS *animo æstuanter.*] id est, cum abusus esset animo suo æstuanti & furibundo.

TETVLIT.] antiquum præteritum à tollo.

O MEI *creatrix.*] ô mei genitrix: satis puerilis lamentatio. creatrix & genitrix idem significant: sed poëta pro poëtico decoro facit: vt puer flens & conquerens idem diuersis verbis repetat: quod satis conuenit ex nimio dolore lamentantibus.

QVAM.] patriam meam genitricem.

HERIFVGÆ *famuli.*] fugitiui serui herum suum fugientes.

TETVLI.) attuli.

NIVEM.) Idæ iuga sunt plerúnque niuosa. ideo etiam ait gelida ferarum stabula.

PVPILLA.) pro oculo pupula: inde pupilla oculi lumen est.

RABIE *fera carens dum breue tempus est.*) te scilicet respiciendi.

A FERAR.) protrahar.

PATRIA, *bonis, amicis, genitoribus abero.*) hæc nullo oratorio dicuntur ordine: nam neque naturæ, neque dignitatis, neque argumenti ordo procedit: sed pro poëtico decoro pueris & afflictis personis accommodatissimo ingeniosus poëta hæc verba disposuit. Oratoriè autem fuit seruandus dignitatis ordo: qui talis esset, Patria, parentibus, amicis, bonis, Sed elegantior fieret ordo argumenti sic: Bonis, amicis, parentibus. patria. Genitoribus pro parentibus dixit, præstantiori sexui inseruiens.

FORO, *palæstra, stadio, gymnasijs.*] hæc omnia

B spectacula sunt magis pueris quam viris grata. ideo puer horum priuationem molestè fert.

FORO.) spectaculis ludorum forensium.

PALÆSTRA.) quam latinè dicimus luctam: cuius auctor traditur Mercurius. Horatius de Mercu.

Catus & decora More palæstra.

Ouidius,

Late lyræ pulsu, nitida quoque late palæstra.

STADIO.) cursus certamine.

GYMNASIIS.) gymnasia scholæ sunt vbi palæstra, saltationes, gesticulationésque, ac cæ-

C teri ludi gymnici exercentur. Ludos autem gymnicos in Arcadia Lycaon primus inuenit, vt sentit Plin.

QVERENDVM.) lamentandum.

ETIAM *atque etiam.*) vehementer, plerumque.

ANIME.) vocatiuus casus est, apostrophe ad suum animum, qui eum illuc adduxit.

GENVS.) nobilitas.

FIGVRA.) pulchritudo.

QVID *est.*) quid valet: sine patria & parentibus.

NVNQVID.) cur.

D ABIERIM.) ex patria discesserim.

MVLIER.) quia virilibus careo.

MVLIER.) sum, nunc intelligitur: sed olim fui puer ephebus.

ADVLESCENS.) peruerso verborum vtitur ordine præ dolore nimio.

GYMNASII *fui flos.*) pulchritudo gymnicorum fui. continens pro contento posuit.

DECVS *olei.*) decus palestræ: vt,

Exercent patrias oleo labente palæstras.

Horatius.

Psallimus & luctamur Achiuis doctius vnctis.

E & est Commoratio rhetorica.

MIHI *ianuæ frequentes.*) frequentatæ amatoribus meis, & saltatoribus matutina munera ferentibus.

LIMINA *tepida.*) amicorum & amatorum cœtu exercitata, & per hoc calentia. contrarium posuit Persius:

Vide sis ne forte limina frigescant.

id est claudantur, & à te frequentari non possint.

MIHI *floridis corollis redimita domus erat.*) consuetudo erat apud antiquos, vt amatoriis ia-

nuis & liminibus serta & corollæ imponerentur. Tibullus.

Te meminisse decet quam plurima voce peregi,
Supplice cum posti florida serta darem.

Ouid. in amorum remediis meminit sic:

Esfice nocturna frangatur ianua rixa,
Et tegat ornatas multa corona fores.

Die item nuptiali hoc fieri consueuisse testatur Iuuenalis scribens:

——*Necte coronam*
Postibus, & densos per limina tende corymbos.

VBI.] in qua domo mea.

ESSET *mihi linquendum cubiculum orto Sole.*] B sensus est: Domi meæ tam delicatè viuebam, quod nisi orto Sole egrediebar cubiculo meo.

FERAR.] dicar.

MÆNAS.] Gallus Cybeleus furibundus: quales sunt Bacchi Mænades.

MEI *pars.*] ego vix mei dimidium, nam detractis virilibus homo vix est sui corporis dimidium: & ideo sequitur.

VIR *sterilis ero.*] quia corpus genitalibus imminutum sterilescit.

COLAM.] habitabo.

LOCA *algida.*] loca frigida.

IDÆ *viridis.*] nemorosæ. Virgilius.

Intextúsque puer frondosa raptus ab Ida.

COLVMINIBVS.] pro culminibus.

IAM *dolet quod egi.*] iam me pœnitet facti mei: & idem per alia verba repetit, ex nimia doloris impatientia.

SONITVS.] vox sonora pueri eiulantis.

ROSEIS *labellis.*] scilicet pueri Atynis.

AD *aures deorum.*] ad aures deæ Cybeles, quæ deorum mater dicitur: ideo pluralem numerum pro singulari posuit.

NOVA *nuncia.*] noua pueri verba nuncianda, lamentationésque nunciandas ad Deæ aures sonitus afferens. Nuncia genere neutro protulit contra Laurentij opinionem. sic Lucretius.

Et ad calidum decurrunt nuncia sensum.

Tibullus.

Diui vera monent ventura nuncia sortis.

LEONIBVS.] à quibus Cybeles currus trahitur: Hippomenis & Atalantæ, qui Cybeles ira in leones sunt conuersi. latè apud Ouidium patet fabula.

LEVVM *hostem.*) leænam, quæ olim fuit Deæ inimica: cum eius sacrum vna cum Hippomene incestauit. leuum autem ait. i. ad leuam currus partem adiunctum.

CÆDE *terga cauda.*) te in furorem caudæ verberibus excita.

TVA *verbera patere.*) Exephegesis præcedentis dicti: Leo enim vehementibus caudæ verberibus in furorem se concitat. Plin. *Leonum animi index cauda, sicut & equorum aures: namque & has notas generosissimo cuique natura tribuit: immota ergo placidus, clemens blandientíque similis, quod rarum est: crebrior enim iracundia eius. in principio terra verberatur: incremento terga, ceu quodam incitamento, flagellantur.* Plura de leonum ingenio legas apud Plinium libro octauo.

A RELIGATQVE *iuga manu.*) leones ad currum primus Romæ iunxit M. Antonius ciuili bello, leonúmque simul pugnam plurium Romæ princeps edidit Qu. Scæuola P. filius in curruli ædilitate: centum autem iubatorum primus omnium L. Sylla, qui postea dictator fuit, in prætura: post eum Pompeius magnus in Circo quingentorum, ac in his iubatorum trecentos quindecim: Cæsar dictator quadringentos.

FERVS.) quadrupedes omnes feras aut feros appellamus, vt ceruus, equus, & cætera eiusdem generis.

FREMIT.) rugiunt leones. Naso.

Tigrides indomitæ raucant, rugiúntque leones.

Orcant lynces. Idem.

Dum lynces orcando fremunt, Vrsus ferus vncat.

DINDYMI.) Phrygiæ mons est, quæ Dindyma dicuntur, rarissimè singulari numero legitur. Strabo pluraliter tantùm posuit.

PALLADIVS FVSCVS.

C SVPERALTA *vectus Atys.*) Versus hic constat ex duobus Galliambis. sunt enim inter metrorum genera duo: quorum vtrunque Galliambon vocatur. vnum genus pedes habet pyrrichium & tres trochæos, alterum pyrrichium, trochæum & duos pyrrichios, prius tamen genus in primo & secundo loco nonnunquam recipit spondæum.

ATYS.) Fuit puer, quem forma egregium Cybele deorum mater casto sibi amore deuinxerat, iusserátque vt castus viueret, sed ipse præcepti oblitus, vel libidine, vt fit, expugnatus, cum Sagaride nympha concubuit: vnde mox in furorem conuersus, cultro lapideo pudenda D sibi amputauit. Verùm Catullus historiam hanc aliter texens, scribit Atym per mare in Phrygiam delatum virilia sibi amputasse; deinde in Idam in qua dea colebatur, aliis comitantibus se recepisse: vbi cum per somnum, furore, quo pridie correptus se castrauerat, liberatus esset, ad mare descendisse, vt de reditu in patriam cogitaret: qua re cognita, Cybelem, cum puerum apud se in perpetuum manere vellet, alterum è leonibus misisse, qui facto impetu illum in nemus repulit.

ALTA.) profunda.

PHRYGIVM *vt nemus.*) intelligit Idam E de qua Strabo ita disserit. *Cùm autem multos pedes habeat Ida prominentes, & scolopendram forma referat, his duobus extremis terminatur promontoriis: vno quod ad Zeleiam pertinet, altero Lecto: prius in mediterranea desinit, haud multùm supra Cyzicenum agrum: (hodie quidem Zelera Cyzicenorum est) posterius in mare Aegæum exit, legiturque ab iis qui à Tenedo in Lesbum nauigant.*

Mox ad abundantem venerunt fontibus Idam
Altricémque ferarum: & vbi vestigia Lecto
Imposuere, mari vadunt per sicca relicto.

CITATO *pede.*] cursu festinato.

ADIITQVE

ADITQVE *opaca syluis redimita loca deæ.*] A accessit ad loca Cybeles frondibus arborum obscura.

STIMVLATVS *vt furenti rabie.*] Attys tam rabido furore percitus.

DEVOLVIT.] imputando delecit.

PONDERA.] pudenda.

ACVTO *silice.*] acuto lapide. alludit ad testam Samiam, qua Matris deûm sacerdotes, qui Galli vocabantur, citra perniciem virilia sibi amputabant. Martialis,

Abscissa est quare Samia tibi mentula testa,
Si tibi tam carus, Betice, cunnus erat.

VT *relicta sensit membra sine viro.*] postquàm B intellexit membrum virile perdidisse.

TERRÆ *sola.*] terræ ipsius superficie.

SANGVINE *maculans.*] cruore inficiens.

CITATA *quasi fœmina.*] quia iam viriliatem amiserat.

TYMPANVM *tubam Cybeles.*] quòd tympana in sacris Cybeles pulsarentur, nemo est vel mediocriter doctus qui nesciat. Ouidius lib. IIII. Fastorum vbi decantat Megalesia, sic inquit,

Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant.
Tibia dat Phrygios, vt dedit ante, modos.

Augustinus autem tradit ideo magnam matrem C quæ & Tellus, & Cybele, & Ops, & mater deûm vocabatur habuisse tympanum, vt significaretur eam esse orbem terræ: & ob id, in sacris Galli Cybelei tympana pulsare erant soliti.

TVA *mater initia.*] tua Cybele sacra.

TERGA *tauri.*] est tympani ipsius periphrasis. dixit autem terga pro tergora.

CANERE *hoc.*] quod sequitur.

SVIS *comitibus.*] qui ipsum comitabantur.

AGITE.] hortatur comites vt secum nemus adeant, in quo Cybele habitans à sacerdotibus colitur.

GALLÆ.] dixit Gallæ non Galli: quia cùm virilia sibi amputassent, erant potiùs fœminæ D quàm viri.

DINDYMENÆ *dominæ.*] Cybeles, quæ à Dindymo monte Phrygiæ, in quo sacra sibi per Corybantes instituerat, Dindymena est appellata.

VAGA *pecora.*] quæ Cybelæ addictæ instar pecudum per nemora vagamini.

ALIENAQVE *petentes.*] horum quatuor carminum sensus est & ordo: quæ Gallæ mihi comites executæ sectam meam, amputandi s. vobis virilia, petentes velut exules loca aliena, me duce celeri, tulistis rapidum salum & truculenta pelagi: & corpus vobis euirastis, nimio Veneris E odio.

ALIENA *loca.*] Idam Cybelæ sacram.

MI.] pro mihi.

CORPVS *euirastis.*] pudenda amputantes, corpus virilitate spoliastis.

HILARATE *animum.*] lætamini.

ÆRE.] æris ipsius sonitu.

EXCITATIS *erroribus.*] eiectis è mente elusionibus, quæ vos errare faciunt.

SEQVIMINI.] hortatur iterum comites suos Attys vt se ad Idam sequantur.

CYMBALVM.] pro cymbalorum.

TIBICEN *vbi canit Phryx.*] Tibias in sacris Cybeles inflari solitas antè indicauimus illo Ouidij versu,

Tibia dat Phrygios, vt dedit ante, modos.

CVRVO *calamo.*] Talis erat ipsa tibia, quam prisci Phrygiam appellauerunt, hanc autem Mydam inuenisse indicat [illegible]nius libro septimo historiæ naturalis.

VBI *capita Mænades vi iaciunt hederigeræ.*] vbi sacerdotes hedera redimitæ, quasi furentes caput quatiunt. dixit autem Mænades, quia, vt Strabo testatur, sacra Cybeles & Liberi patris, cuius sacerdotes Mænades etiam vocabantur, erant communia.

VBI *sacra sancta.*] vbi de more vlulantes rem diuinam faciunt.

ILLA *diuæ cohors vaga.*] appellat vagam diuæ cohortem ipsos Cybeleios qui discurrentes vagabantur.

QVO.] ad quem locum.

CITATIS *tripudiis.*] festinatis saltationibus.

NOTA.] emendo nouaznam paulò antè virilia sibi amputauerat.

VLVLAT.] more. s. luporum. Taliter enim sacra sui Galli celebrabant.

CHORVS.] qui Attym sequebatur.

FVRIBVNDA.] non furibundus, quia amplius non erat vir.

VELVTI *Iuuenca.*] similitudo.

PROPERE *pedem.*] emendo, propero pede.

SOMNVM *capiunt.*] dormiunt.

SINE *Cerere.*] sine cibo. ergo ieiuni.

LABENTES.] emendo labantes. labare enim est repentè ruere. Verg.

——*Labat ariete crebro*
Ianua.——

Infrà,

——*genua labant.*

HORIS *aureis.*] quas vnà cum Sole foribus cœli præsidere poëtæ fabulantur. Ouid.

A dextra læuáque dies & mensis & annus,
Seculáque & positæ spatiis æqualibus horæ.

designat autem Catullus lucis aduentum.

SOL.] qui vt Cic. in libris de natura deorum ait, dictus est: quod per diem obscuratis syderibus solus appareat.

REPVLITQVE *noctis vmbras.*] Solis enim aduentu vmbras repelli non est dubium.

VEGETIS.] viuidis. vegetum, vt Nonius ait, ad corpus, vigens ad animum referimus. vegetare autem est, vegetum vel vigens facere. Apuleius scribit Lunæ lumine cuncta animalia vegetari.

SONIPEDIBVS.] magnis equis à sonitu pedum: qua voce vtuntur & alij poëtæ. Vergilius,

Stat sompes, & frena ferox spumantia mandit.

IBI *Somnus excitum Attym.*] Tunc Somno abeunte experrectus est Attys.

EVM.] s. Somnum.

RECEPIT *dea Pasithéo sinu.*] emendo Pasithéa. fuit enim Pasithéa vna Nympharum quam Iuno apud Homerû lib. xv. Il. Somno promittit

vxorem; ſi is Ioui Troianis contra Græcos auxilianti, oculos inuaſerit. Verſus Homeri ſunt Il. A

> *Ἀλλ' ἐγὼ δ' καί τοι χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων,*
> *Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν,*
> *Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα.*

Dea ergo Paſithéa recepit Somnum maritum ſuum trepidantem.

ATTIS *ſua facta recoluit.*] recogitauit quantum mali ſibi per furorem feciſſet.

SINE *quis.*] ſine quibus. iam enim virilitatem amiſerat.

ANIMO *æſtuante.*] vſus excandeſcens.

REDITVM *ad vada tetulit.*] ad mare, vnde venerat, reuerſus eſt. Tollo enim in præterito tetuli faciebat. B

PATRIA *ò mea creatrix.*] quæ me creaſti.

PATRIA *ò mea genitrix.*] quæ me genuiſti.

QVAM.] ſ. patriam ego reliqui.

DOMINOS *vt heriſuga famuli.*] vt ſerui fugitiui heros relinquere conſueuerunt.

AD *Idæ tetuli nemora pedem.*] ad Idæ me contuli.

VT *ferarum gelida ſtabula forem.*] in Ida Phrygiæ feras eſſe indicat Strabo hoc Homeri verſu,

> *Venimus in plenam venatu & fontibus Idam.*

LATIBVLA.] propriè locutus eſt. Nam vt latebræ ſunt hominum, ita latibula ſunt ferarum, licet aliquando confundantur. C

PVPILLA.] quæ nihil aliud eſt, vt in I. de animalibus docet Ariſtotel. quàm humor oculi, quo cernimus.

RABIE *fera carens.*] ſenſus eſt. Cupit ipſa pupilla videre te, dum animus meus per breue tempus furore caret.

STADIO *& gymnaſio.*] ſtadium locus erat, vbi ad curſum & palæſtram nudabantur. Gymnaſium verò vbi iuuenes corpus exercebant. Attis autem ea commemorat, quæ vt puer cariora habebat.

QVIB *enim genus.*] cuiuſnam generis. figurata locutio, qua frequenter, in noctibus Atticis, vtitur Gellius. D

EGO *gymnaſii fui flos.*] ait ſe tenuiſſe principatum inter adoleſcẽtes, qui oleo vncti in Gymnaſio luctabantur. primi, vt Plinius libro XIII. tradit, Græci oleum in Gymnaſiis publicarunt.

FREQVENTES *mihi ianua.*] hic Attis oſtendit ſe plurimos amatores habuiſſe, qui domum ſibi, vt mos eſt, coronis ornarent. Propert.

> *Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ.*

& Ouidius,

> *Poſtibus & duræ ſupplex blandire puellæ,*
> *Et capiti demptas in fore pone roſas.*

LINQVENDVM *vbi eſſet orto mihi ſole cubiculum.*] domus inquam redimita erat, vbi orta luce mihi eſſet excundum. E

EGÓNE *deûm miniſtra.*] de ſe loquitur in genere fœminino: vt qui ſcit ſe poſt amiſſam virilitatem, fœminis potiùs quàm viris eſſe annumerandum.

EGO *Mænas.*] Mænades erant Bacchi ſacerdotes. Sed iam diximus ſacra Bacchi, & Cybeles communia fuiſſe.

MEI *pars.*] quia amiſit pudibunda.

EGO *vitam agam.*] ego viuam.

SYLVICVLTRIX.] quæ ſyluas colit.

NEMORIVAGVS.] qui per nemora vagatur.

ROSEIS *vt hinc labellis.*] poſtquam Attis querela ad aures Cybeles peruenit.

NOVA *nuncia referens.*] protulit nuncium in neutro genere contra Laurentij Vallenſis opinionem.

IBI *iuncta iuga reſoluens Cybele leonibus.*] Cybele, vt multò antè dictum eſt, cùm Hippomenem & Atalantam in leones cõuertiſſet, eos ſuo currui ſubiugauit.

STIMVLANS.] ſtimulo crepans.

HOSTEM *pecoris.*] leonem qui in pecus ſæuire conſueuit.

LÆVVM.] qui ad læuam currus gradiebatur.

AGEDVM.] verba Cybeles leonem irritãtis.

CEDE *terga cauda.*] Leo, vt ſcribit Plinius, lib. VIII. cùm vult iraſci, ipſemet propriæ caudæ ictibus terga ſibi flagellat. Lucanus libro primo Pharſaliæ, *—— Sicut ſqualentibus aruis*

> *Peſtiferæ Libyes viſo leo cominus hoſte,*
> *Subſedit dubius, totam dum colligit iram.*
> *Mox vbi ſe ſæua ſtimulauit verbere caudæ,*
> *Erexitque iubam, & vaſto graue murmur hiatu*
> *Infremuit: tum torta leuis ſi lancea Mauri*
> *Hæreat, aut latum ſubeant venabula pectus,*
> *Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.*

FAC *cuncta mugienti fremitu loca retonent.*] leones grauiter fremere his verbis indicat Mart.

> *Auditur quantum Maſſyla per auia murmur*
> *Innumero quoties ſylua leone furit.*

IVBAM.] iubæ ſunt crines à collo dependentes. Sed hic Plinium audire non pigeat ita ſcribentem: *Leoni præcipua generoſitas tunc cùm colla armóſque veſtiunt iubæ: id enim ætate contingit è leone conceptis; quos verò pardi generauère ſemper inſigni hoc carent, ſimili modo feminæ.*

RELIGAT.] ſoluit.

ALBICANTIS.] propter detritas arenas, aut ſpumas aquarum, quæ ventis agitatæ albeſcunt.

PROPE *marmora pelagi.*] poëtæ nonnunquam ponunt marmor pro ipſo mari, propter vndarum ſimilitudinem Virgilius,

> *—— & in lento luctantur marmore tonſæ.*

ILLE.] Attis.

DEMENS.] ob leonis impetum.

OMNE *vitæ ſpatium.*] per omne vitæ tempus.

DEA *magna.*] Catullus nouiſſimè Cybelem precatur, vt ipſa à ſe amoueat huiuſmodi furorem; quo Attis percitus virilia ſibi amputauit.

ACHILLES STATIVS.

SVNT, qui putent aut adfirment etiam, poëma ſe hoc vidiſſe adſcriptum Cæcilio, quod probabile propterea ducunt, quod idem ante Catullus dixerit,

> *Eſt enim venuſte Magna Cæcilio incohata mater.*

Ego verò in alia omnia eundum cenſeo, qui ſciam Atilium Fortunatianum veterem grammaticum, vbi de Galliambo, ſic dicere, *Et Catullus*

Phrygium nemus citato cupidè pede tetigit. Ad eā verò, quæ eruditè copioſeque collegit Lilius Giraldus de Atti & Cybele, addam etiam & quæ ſcribit Stephanus, περὶ πόλεων, in verbo Γάλλος. Sic enim ſcribit, Γάλλος ποταμὸς Φρυγίας. οἱ περίοικοι ... οὓς παραγράφεται ὁ Πολυΐστωρ ἐν τῷ περὶ Φρυγίας τρίτῳ, καὶ ὅτι τὸν Γάλλον καὶ τὸν Ἄττιν ἀποκόψαι τὰ αἰδοῖα. καὶ τὸν μὲν γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν Τηρίαν ποταμὸν, καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν γάλλον καλέσαι. ἀπ' ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα γάλλους καλοῦσι. De Atti verò ipſo propriè hæc interpres Nicandri. Ἱστορεῖται ὅτι ποιμὴν ἦν Φρὺξ ὁ Ἄττις. περικαλλὴς δὲ καὶ ὑμνῶν τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἤτοι τὴν Ῥέαν, ἐφιλήθη ὑπ' αὐτῆς. καὶ ἐν φανερῷ πολλάκις, τιμῆς ἠξίωσεν. ὁ Ζεὺς δὲ ἐπὶ τούτῳ δυσχεράνας, ἀνεῖλεν αὐτὸν, οὐ φανερῶς, δι' αἰδῶ τῆς μητρὸς, σὺν ἄγρῳ πέμψας. ἡ δὲ καθολοφυρομένη αὐτὸν ἔθαψεν. οἱ δὲ Φρύγες κατὰ τὸ ἔαρ θρηνοῦσιν αὐτόν. De genere autem ipſo carminis multa Hephæſtion, Terentianus, cæterique. Addam tantùm Attilij Fortunatiani pauca de triſyllabo penultimo *Sed quoniam,* inquit Atilius, *hic verſus matri ſacer eſt Idaeæ, vt vibrare videatur, proximum ab vltimo pedem brachyſyllabon fecerunt, & Græci, & hic ipſe Mæcenas.* Interpres Hephæſtionis cur Galliambicon vocat, cauſſam adfert, Γαλλιαμβικὸν δὲ ἐκλήθη, ἐπεὶ κεχρῆσθαι ἐπὶ τὸ μέτρον. οἱ δὲ γάλλοι διαβάλλονται, ὡς θήλειαν νόσον ἔχοντες. διὸ καὶ σπάδοντας, ... ἐπιλέγουσι Ῥωμαῖοις εἰς τοῦτο. οἱ ... δὲ, ἱερεῖς εἰσὶ μητρὸς. Sunt, qui alium in locum reiiciāt hoc poëma, quo conſtet ordo trium Epithalamiorum, quæ ſunt ex eodem genere. Ego, ne hac quidem in parte, à manuſcriptis eſſe diſcedendū putaui.

Svper *alta vectus Attis celeri rate maria.*] Arnobius in v. aduerſus gentes cùm fabulam narrat omnem à capite arceſſens, nihil tamen de nauigatione, nihil vlla de rate. Itaque obſcurius magiſque hoc reconditum, & de veteri poëta aliquo Græco ſumptum. Verſus ipſi ad primam vſque πολλοὶ ſunt Anacreontiis perſimiles, aut idem potius iis, qui dudum vulgati ſunt, oſtendúntque Anacreontéi illi, quod Atilius ſcribit, ab iambo naſci Galliambum. ac propterea ſic vocatum. Atilius autem ipſe Catullum citat in Anacreontéo, cuius illa ſunt de Galliambo. *Et Catullus Phrygium nemus citato cupidè pede tetigit.* Et illud alterius auctoris, *O qui chelyn canoram plectro regis Italo. Vt ſi facias illud ex Lepidiano metro ad hanc legem. Mea Vatiena amabo mea cura, mea Venus. Catullus in Anacreontéo. Ades, inquis, ô Cybelle. Quibus rebus adducor, vt exiſtimem, hoc poema è Græco expreſſum Anacreontis.* Nonius in verbo Anima, huius generis verſum Varronis adducit,

Phrygios per oſſa cantus liquida canit anima.

Semiuerſus autem ille, *Ades, inquis, ô Cybelle,* quem Catullo tribuit Atilius, cùm eum ante Mæcenati tribuerit. alieno loco ponitur, & ſcribæ librarij culpa Catullinus deſideratur, qui hoc è poëmate fortaſſe fuerit. At Attis numen coniunctum matri Deûm, vt Mineruæ Erichthonius, Veneri Adonis, Virbius Dianæ. Seruius in vii. in illud,

Ibat & Hyppolyti pedes pulcherrima bello
Virbius. ———

Celeri *rate.*] Perpetuum ferè epithetum. vt apud Homerum θοαὶ νῆες. apud Gellium in x. cap. xxvi. ſic quoque Salluſtium arbitror locutū. nam illa verba, *Furtim, aut celeritate vitare prælium in tranſgreſſu conatus eſt:* emendabam, *Furtim, ac celeri rate.* Et vetus poëta,

Tiphyn aurigam celeres fecêre carinæ.

Phrygivm *vt nemus citato.*] Eo enim conueniebant, qui ſe Opi conſecrarant. Hoc in luſibus in Priapum vetus poëta ſignificans, dixit in Priapi perſona,

Quæ ſi perdidero, patria multabor, & olim,
Ille tuus ciuis Lampſace, Gallus ero.

Et verò Gallus fluuius, & mons Cybelus erant in Phrygia, auctor Vibius Sequeſter.

Sylvis *redimita loca deæ.*] ſic poſt, *Niue amicta loca* dicit.

Stimvlatvs *vt furenti.*] Vt, pro Vbi, vt ante. Sed erat omnibus in manuſcriptis, *Stimulatus vbi furenti,* vt ſecundo loco pro iambo eſſet tribrachys.

Divellit *ille acuto ſibi pondera ſilice.*] In manuſcriptis omnibus, Deuoluit. quod idem ſignificat. Sic enim videtur in vi. Verg. accepiſſe Aduoluo verbum.

Procumbunt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex,
Fraxineaq́; trabes, cuneis & fiſſile robur
Scinditur, aduoluunt ingentes montibus ornos.

Legendum fortaſſe etiam ſit, Deuouit. Qui ſe enim caſtrabant Galli, pudenda Rheæ ipſi atq; Adonidi ſacra reponebant. interpres Nicandri. Λεβηνίτος θάλαμοι, τόποι ἱεροὶ, ὑπόγειοι, ἀνακείμενοι τῇ Ῥέᾳ, ὅπου ἀποτεμνόμενοι τὰ μήδεα κατετίθεντο οἱ τὸν Ἄττιν καὶ τὴν Ῥέαν λατρεύοντες. Sic autem ſe Magnæ matri ſacrabant. Sex. Aurelius Victor in Aurel. Heliogabalo, *Veſtalem,* inquit, *virginem, quaſi matrimonio iungens ſuo, abſciſſiſque genitalibus Matri ſe magnæ ſacrauit.*

Ille.] Verbum variè legitur in manuſcriptis, Illectus, Illetus, Iletas, Lactus. Ego legendum putabam, Icta. gloſſema enim fuerat Ille propter verbum Deuoluit Scriptores, deinde librarij coniunxerunt vtrúmque, Ille icta. Ex eóque nata varietas, Illectus, & Illetas, & Lactes.

Acvto *ſibi pondera ſilice.*] Acuto ſilice. Ou. in iiii. Faſt. de eodem Atti.

Ille etiam ſaxo corpus laniauit acuto,
Teſta. ——— Iuuen. Sat. vi.
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Pondera.] Idem Ouid. in eodem,

Ah pereant dicebat adhuc, onus inguinis auſert.
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.

Iuuen. Sat. ii

——— *Phrygio quos tempus erat iam*
More ſuperuacuam cultris abſcindere carnem.

Itaqve *vt relicta ſenſit ſibi membra ſine viro.*] Virum, Virilia dicit, vt & Arnob. in v. aduerſus gentes, *Pinus illa ſolemniter, quæ in Matris inſertur ſanctum deæ, nonne illius imago eſt arboris, ſub qua ſibi Attis virum demeſſis genitalibus abſtulit.*

Etiam *recente terræ ſola ſanguine maculant.*] In manuſcriptis omnibus, Et iam, duæ voces ſcilicet.

Niveis *citata cepit manibus leue tympanum Tympanum tubam Cybelles tua mater.*] Primam

in Tympanum corripuit, vt & Homerus, & Mæcenas in eo carmine quod adducit Atilius, A

Ades & sonante tympano quate flexibile caput.

Homerus,

Ῥυμβῳ καὶ τυμπάνῳ Ῥείην Φρύγας ἱλάσκονται.

auctor vetus in Hymno posteriore in Cybelem, Τυμπανοτύπην eam propterea vocat, quod in eius sacris adhibeantur tympana.

Ἔρχεο σεμνὴ πότνια, ὦ πότνια τυμπανοτύπη.

Et in priore,

Τυμπανόδουπε, φιλοιστρομανὲς, χαλκόκροτε κούρη.

Quæ singula illius verba conferenda sunt cum Catullinis. Tubam autem dicit tympanum, quod sit βαρύβρομον. Euripides in Bacch. B

Βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων.

Sed in sacris Cybeles quæ sonum ederent sex fere inuenio, ῥόμβον, τύμπανον, cymbalum, tibiam, cornu, & κρόταλα. Colligam locos aliquot veterum poëtarū. Primum illum, quem supra posui Homeri, deinde Lucretij in II.

Tympana tenta sonant palmis, & cymbala circum
Concaua, raucisonóque minantur cornua cantu,
Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes,
Teláque præportant violenti signa furoris.

Ouid. in IIII Metam.

——impulsáque tympana palmis.
Concauáque æra sonant, longóque foramine buxus. C

Et idem in IIII. Fast.

Quærere multa libet, sed me sonus æris acuti
Terret, & horrendo lotos adunca sono. Ac post,
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant,
Tibia dat Phrygios, vt dedit ante, modos. Ac post,
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit.—— Et tamen Ouidius Cornu non secernit à Tibia; vt fecit Lucretius. De Rymbo in Etymologico magno, Ῥόμβῳ καὶ τυμπάνῳ Ῥείην Φρύγας ἱλάσκονται. μυστικὸς στροβίλος ὃ στρέφουσιν εἰς τὰ αἰθέρα, καὶ ἦχον ἐμποιοῦσι. ῥόμβος δὲ καὶ ῥέμβος διχῶς λέγεται. ἔστι δὲ τροχίσκος, ὃν τύπτοντες ἱμᾶσι καὶ στρέφοντες ποιοῦσι κτυπεῖν, καὶ ψόφον ἀποτελεῖν. Ῥόμβον δὲ αὐτὸν Εὐπολις ἔφη. καλοῦσι δὲ καὶ βρυτῆρ. Pindarus autem Rhymbos à Cymbalis non videtur distinguere, cuius D versus sunt apud Strabonem in X. Σοὶ μὲν κατάρχει μᾶτερ πάρα μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων ἐν δὲ κεχλάδειν κρόταλ' αἰθομένα τε δαῒς ὑπὸ ξανθαῖσι πεύκαις. Docet eodem loco Strabo, & Cybeles apud Phrygas, & Liberi patris apud Græcos sacra propè eadem fuisse.

Tva *mater initia.*] Initia, sacra ipsa, Varro in II. de re rust. *Ab suillo enim genere pecoris immolandi initium sumptum videtur, cuius vestigia, quod initiis Cereris porci immolantur, & quod initiis pacis fœdus cum feritur, porcus occiditur.* Quo verbo sæpe E vtitur Iulius Firmicus in proœmiis lib. V. VI. VIII. Arnobius in V. Vnde igitur probamus historias has omnes esse rerum gestarum conscriptiones? Ex sollemnibus scilicet sacris, atque initiorum mysteriis, vel quæ statis fiunt temporibus ac diebus, vel quæ in abdito tradunt genitis, moris proprij proprietate seruata. Iustinus in V. *Interim concitator & dux eius Alcibiades absens Athenis insimulatur, mysteria Cereris, initiorum sacra, nulla magis quàm silentio solemnia enuntiauisse.*

Qvatiensqve *terga tauri.*] Tympanum ipsum. Ouid. in Ibin.

Attonitúsque seces, vt quos Cybeleia mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos.
Déque viro fias, nec femina, nec vir, vt Attis,
Et quatias molli tympana rauca manu.

Terga verò & idem Ouidius sic dixit in quarto Fastorum,

Æra deæ comites, raucáque terga mouent.

Agite, *ite ad alta Gallæ Cybeles nemora simul.*] Alta: ὑψηλὰ καὶ ὀρεινά. Auctor vetus in Hymno Curetum, Matrem deum propterea vocat ὀρεσσιφοίτην, errantem & bacchantem montibus. cuius ob amorem insaniæ, ab eodem etiam dicitur φιλοιστρος. Atque idem auctor in priore in Rheam Hymno, Οὐρεσι ἣ χαίρεις.

Vibius Sequester de montibus Cybelum montem Phrygiæ esse scribit. itaq; legi etiam possit, Cybeli nemora.

Simvl *ite.*] sic apud Euripidem in Bacch. Chorus idem verbum iterans,

Ἴτε βάκχαι, ἴτε βάκχαι.

Aliena *petentes pede vt exules loca celeri.*] In manuscriptis varie,

Alienáque petentes velut exules loca celeri. Et,
Alienáq. petens velut exules loca celeri. Et,
Alienáque petentes velut exules loco celeri.

Guarinus, quique eum post secuti sunt, legunt,

Aliena quæ petentes velut exules loca.

In priore Aldi editione est,

Aliena petentes velut exilio loca celeri.

Guarinus, nec ij qui eius sectam secuti sunt, non viderunt desiderari pedem ad extremum tribrachyn, pro quo pyrrichium locant. etiam si nec illam S literæ in verbo Exules elisionem valde probo. At ea, quæ tum in manuscriptis, tum quæ in impressis libris lectio est, legitimos huius carminis numeros subruit, atque euertit. itaque & de priore Aldi editione, & de manuscriptis quod commodum visum est carpens, nec à manuscriptorum lectione longe abiens versum conficiebam, quasique compingebam, quomodo poëtam ipsum scripsisse suspicabar,

Alienáque petite pede exilio loca celeri.

Nam quod Gallas Attis properare iubet, tribrachy citissimo pede, quibus locis potuit, versum poëta frequentauit, & quam potuit, maxime crispum reddidit. crispos enim versus huius generis Atilius vocat, in quibus iambus in brachysyllabum soluitur. *Pede* autem est quidem vox ipsa & in Aldi priore editione, & omittendam non esse declarat idem Catullus post,

Rapidæ ducem sequuntur Gallæ pede propero.

Exilio autem dandi casu, cum vulgo minus, quid id esset, intelligerent, glossema quod interpretaretur, erat appositum, velut exules quod in κείμενον ipsum post inrepens versum corrupit. At Aldi liber alterum retinuit, altero cessit.

Hilarate *excitatis erroribus animum.*] sic etiam in duobus manuscriptis, vt vocales liberè concurrant inter se, extrema verbi Hilarate, & princeps verbi, Excitatis. In libro Achillis Maffei erat,

Hilaritate crocitatis.——

Ex quo faciendum omnino, Concitatis.

Phrygiam *ad domum Cybeles.*] Sic post,

Itaque vt domum Cybelles tetigere lassulæ.
Et in Epithalamio, *Cronoisque domos.*
Intelligit autem Idam, Dindymum, & τὰ λόβεια ὄρη. de quibus Nicandri interpres.

VBI *cymbalum sonat vox.*] ἔνθ' κυμβάλων. & scriptum fuisse puto aut Græce, aut Latine Cymbalon, vt post Chalybon, siue χαλύβων. in manuscripto tamen vno, non Vox, sed Nox, vt dicat, Nox ipsa sonat cymbalum. quod ferendũ etiam videtur. Cymbala verò Deum matris esse sacra declarat etiam in IIII. Georgico. Vergil.
Et Matris quate cymbala circum.
Et absolute matrem dixit, Cybelem intellegens.

A TIBICEN *vbi canit Phryx curuo graue calamo.*] Canit graue. vt Canit indoctum. &, Dulce canit, more Græcorũ. Graue fortasse dixit, quod Phrygiis modis tristia canerent, vt auctor est Acron interpres Horati. Sed idem tamen paulo ante dixit, *Hilarate concitatis erroribus animum.*
Non conuenit igitur triste Gallas canere, quas esse vult hilares. an potius soni magnitudinem sic significat, vt Euryp. de tympanis eodẽ modo,
βαρυβρόμων ὑπὸ τυμπάνων.

VBI *capita Mænades.*] Anapæstus primus, in proceleusmaticum solutus. Vt post,
Ego mulier, ego adolescens. Et,
Ego viridis algida Idæ.
nisi etiam legi velis, Vt capita, pro Vbi. quod tamen nullis manuscriptorum suffragantibus fieret. Vi autẽ capita iacere, id est, rotare. Quintilianus de gestibus, & oratoris pronunciatione. *Mæcenas in superiore versu dixit, Quatere flexibile caput.*

VBI *sacra sancta acutis vlulatibus agitant.*] Pulsant. Horatius, *Zephyris agitata Tempe.*
Vlulatibus, ὀλολύγμασι, Poëta vetus in priore in Rheam Hymno.
Οὔρεσιν ὃ χαίρει, ὃτ' ἔστι ὀλολύγμασι φεικτῶς.
Vetus Poëta apud Attilium,
Latus horreat flagello, comitum chorus vlulet.

ACVTIS.] ἀνχέσι. claris. catis. Sic enim videtur Ennius apud Varronem de lingua Lat. accipere. *Iam cata signa feræ sonitum dare voce parabant.* Sed hoc docti videri nt. Ouidius, sicut Catullus,
Sonus æris acuti.
Et Virg. in III. Georg. *—— & altum*
Pelicon binnitu fugiens implenit acuto.

SIMVL *hæc comitibus Attis cecinit noua mulier.*] In manuscriptis omnibus, Nota mulier. interpone aspirationem, & fac, Notha. multo concinnius feceris. Sic ante, *Et notho Luna lumine luces.* Nec enim verè mulier erat, quamuis aberant virilitatis signa. Aldus ante sic impressit, vt esse imprimendum iudicamus.

LINGVIS *trepidantibus.*] Vertentibus, salientibus, sonantibus. quo modo sæpe Horatius eodem verbo est vsus.

CAVA *cymbala recrepant.*] in nonnullis manuscriptis, Increpant. quod idem nonnumquam significat. Horat. in I. Carm.
Quis post vina grauem militiam aut pauperiem increpat.
Quo loco plura nos in nostris in Horatiũ Commentationibus. Erit ergo & hoc loco vocalium liber ipse concursus.

VIRIDEM *citus adit Idam.*] Crispus versus, vt & sequens.
Furibunda simul anhelans.

ANIMO *egens.*] In manuscriptis, Animi geris. & Annea gens. Quæ etsi sunt praua omnia legendum tamen arguunt, Animi egens, magis quàm Animo egens. Animi egens, vt Inops animi dicitur. Et virtutis egens apud Lucret. & Vergilium. Animum verò etiam post pro Mentis sanitate ipsius dixit. Sic Seneca in Hercule furente. *Vt possit animo captus Alcides agi. Dum breue tempus animus est.* id est, animi ratio. Sic Macrob. in III. Saturn. *Sed qui diligentius eruunt veritatem,*
B *penates esse dixerunt, per quos penitus spiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi possidemus.* idem credo quod dicit alibi Catullus, & sæpe Lucretius,
Mens animi.

ITAQVE *vt domum Cybelle tetigere lassulæ.*] Et diphthongos, & tempora partitur in syllabas. tempora quidem, vt hic, in verbo Lassulæ. Læ enim syllabæ longæ tempus alterum dactylo antecedenti, subsequenti tribrachy alterum tribuit. Idem fecit in verbo, Leonibus, illo post in versu.
C *Vbi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus.*
Diphthongum vero diuisit idem post,
Iam iam dolet, quod egi, iam iamque poenitet.
œ enim diphtongum in verbo Pœnitet diuisit, ac soluit in vocales duas.

SINE *Cerere.*] Ceteris sine munere. Ouid. in Metam. Terent. eodem modo,
Sine Cerere & Baccho.

PIGER *his, labantes languore, oculos sopor operit.*] Quod ex labore accidit. Terent. in Eunucho,
Opus faciam, vt defatiger, vsque ingratis vt dormiã.
D In Maffei libro, ac Patauino, Labante. itaque stat versus, quasi inlabente, vel labare qui facit. Propert. tamen in II. Labantes ocellos dixit in eadem sententia.
Quamuis labantes tegeret mihi somnus ocellos.
Vergil. eodem fere modo in IIII. Georg.
Incæpto tegeret cum lumina somno.
Et in XII.
Ac velut in somnis oculos vbi languida pressit
Nocte quies. ——
Eodem modo Qu. Calaber in I. de dormiente Pentasilea,
Τοῖος ἢ οἱ ὄσσ' ὑπέδραμε Νήδυμος ἀμφιπεσών.
E Auantius tamen legit,
Piger his labori nantes oculos. ——
Et quæ sequuntur. Librósne veteres secutus non explicat. Languorem pro somno dixit Ouidius in XI. Metam.
Quo cubat ipse deus membris languore solutis.
Ac postea,
—— Et rursus molli languore solutus.

RABIDI *furor animi.*] Sic Vergil. in VI. de Sibylla furente, & ἐνθουσιῶν.
—— Tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans.
Et idem post Catullus,
Rabie fera carens dum breue tempus animus est.
& idem post,
—— rapida sine rabie.

Et in extremo, *Alios age rabidos.*

Sed vbi oris aurei.] Ita fecerunt, opinor, homines ingeniosi ex Horis aureis, & Oris aureis, & Heris aureis. quæ est omnis in manuscriptis varietas. Verg. etiam similiter in IIII. Georg.

Taygete simul os terris ostendit honestum
Pleias. —— Atque alibi idem Verg.
Ergo vbi purpureum nitidis Sol aureus vndis
Extulit os. —— At Auantius,

Sed vbi ortus aureus sol. incertum, an librorum veterum fidem secutus.

Lustravit *æthera album.*] Sic albæ luces à Martiali dicuntur in X.

Albæ leone flammeo calent luces.

Et Ennius de Sole,

Interea sol albus recessit in infera noctis.

Et in sexto,

Vt primum tenebris abiectis inalbabat dies.

Venustissima posuit epitheta, Æthera album, Sola dura, Mare ferum.

Sola *dura.*] Phrygiæ loca aspera, Idam montem scilicet.

Mare *ferum.*] Bassus in epigrammate πόντον θρασὺν dicit.

Μή τί με χείμαπ πόντος ἄγει θρασύς.

Vbi *somnus.*] In manuscriptis omnibus, Ibi somnus.

Simvl *ipsa pectore Attis sua facta recoluit.*] In manuscriptis omnibus Ipse. atque in Patauino pro Recoluit, Reuoluit. quod probandum videtur, vt vltimam soluas in duas, Catulli more ipsius.

Liqvidaqve *mente.*] Pura, vacua ab insania. Sic opinor Euripides in Hippolyto coronato, Οὐκ ἐν γὰρ καθαρὰν φρένα ἔχω.

Et Plautus in Epidico,

Animo liquido & tranquillo es, tace.

Verg. in XII. idem significans,

Vt primum discussæ vmbræ, & lux reddita menti.

Reditvm *ad vada retulit.*] In manuscriptis, Retulit. Illud rectius. Sic enim alibi,

Si reditum retulisset.

Vbi *maria vasta visens.*] In manuscriptis omnibus Ibi, quod est rectius.

Patriam *adlocuta est ita voce mæsta miseriter.*] Auantius legit,

Patriam adlocuta mæsta est ita voce miseriter.

nec tamen exprimit, an libris hoc veteribus faciat auctoribus. In manuscriptis omnibus quibus vtebar, erat,

Patriam adlocuta est ita voce miseritus maiestas.

nisi quod in Patauino pro, Miseritus, Misertus. Ego verò cùm docuerim ante in manuscriptis omnibus esse, Simul ipse pectore Attis, vt constet genus, Adlocutus hoc loco legendum censeo. Et ante enim Poëta ipse masculino genere extulit, *Trepidantem eum recepit,* &c.

Et de se Attis ipse post,

Ego quam miser relinquens.

Itaque totum sic lego,

Patriam adlocutus, & se est ita voce miseritus.

Se enim quoque ipsum adloquitur,

Ego ne à mea remota, & quæ sequuntur. Et post, *Miser, a miser,* & reliqua. Miseritus autem antique dictum pro Misertus, vel aduerbium,

A quale Humanitus, Diuinitus, & id genus multa. Supra Miseritus, scriptum opinor fuit Mæstus glossema, quod corruptum post in Maiestas, & in contextum irrepsit.

Patria *ô mea creatrix.*] Creatrix idem quod Generatrix, quod statim addit. sic Vergil. in septimo,

Hoc signum cecinit missuram diua creatrix.

Vt *apud niuem, & ferarum gelida stabula forem.*] Est enim Phrygia βόρειος. quod ostendit Nicander in Ἀλεξιφαρμάκοις. ὁ γὰρ ἐν οὔρεσιν ἄγχι ποτηροβέοιο θηλάστις δρυὸς ἀπ᾽ ἱμορμένοιο στάσιμο, ἠχί τε ῥινὸς λεόντος, ..., καὶ ἰργατέειν ἄλλοι.

B Et *earum omnia adirem furibunda latibula.*] Sic etiam in manuscriptis omnib. Legendum puto,

Et earum vt omnia adirem furibunda latibula.

Vocales verò duæ extrema in voce Omnia eliduntur. quod fecit etiam Flaccus non semel, vt in III. Carmine,

Vos lene consilium & datis & dato.

Cvpit *ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem.*] Sic Pupulam pro oculo ipso posuit Manilius in quarto,

Paruula sic totum peruisit pupula cælum.

Dvm *breue tempus animus est.*] Breue tempus, ὑπερβατικῶς, vt, Vnum diem, duos annos, & id genus cætera. Idem post,

C *Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.*

Et Lucret. in III.

Sed minimum quoduis nequeat consistere tempus.

Quod more Græcorum dixit Hom.

Οὐ Νιμαιος πρῶάς τε καὶ ὑακινθίδας Ἀχαιούς
Τοὶ δ᾽ ἀμφὶ χεμαρῷ πόνον χρόνον ἄγρια πάσχει.

Ego *ne à mea remota hæc ferar in nemora domo Patria. bonis amicis.*] Simili enumeratione vtitur apud Euripidem Hippolytus.

Ἀλλὰ χαῖρε πόλις καὶ γαῖ᾽ Ἐρεχθέως ὦ πέδον Τροιζήνιον,
Ὡς ἐγκαθηβᾶν πολλ᾽ ἔχεις εὐδαίμονα.
Χαῖρ᾽ ὕστατον γάρ σ᾽ εἰσορῶν προσφθέγγομαι.
Ἴτ᾽ ὦ νέοι μοι τῆσδε γῆς ὁμήλικες.

D Et quæ sequuntur. Et idem in Medea sic domum patriámque coniunxit.

Ὦ πάτερ, ὦ δῶμα τ᾽ ἐμόν.

Et paulo post, quam sit sua cuique cara patria.

Μείζων δ᾽ οὐκ ἄλλος ὕβρεως, ἢ γῆς πατρῴας στέρειν.

Abero *foro, palæstra, stadio, & gymnasiis.*] Sic etiam est in manuscriptis. bene omnino Auantius, quo stet versus, Atque gymnasiis. Sunt, qui legi posse putent, Abero foro, palæstra, stadióque gymnasiis.

Qvod *enim genus figura est, ego numquid abierim.*] In manuscriptis est,

Quod enim genus figura est, numquid abierim, Et,
E *Quod enim genus figura est, ego non quod haberim.*

Et, *Quod enim genus figura est, ego non quid abierim.*

Quarum omnium optima impressa lectio, nisi quod mihi mutandum videbatur Abierim, in, Obierim, vt se diem obisse addubitet, & in figuram longe aliam mutatum. Ouid. in I. Amorum sic figuram dixit,

Nunc meritis vitio læsa figura tua est.

Ego *gymnasii tui flos.*] Gymnasi malim per I, simplex, quæ vetus erat scribendi consuetudo. Sic autem post Iuuentium ipsum Veronensium dicit iuuenum florem. In gymnasiis autem iuue-

nes versari etiam solitos, etiam Ibycus demonstrat apud Stobæum, Γυμνασίων τε νέους, αὐλῶν τε καὶ κώμων ἐρῆς.

A

Ego *eram decus olei.*] Palæstræ. dicuntur enim propterea vnctæ palæstræ, quod qui iis certabant, oleo vngebantur.

Mihi *limina tepida.*] Sic quoque summam frequentiam Cic. significat in II. Philipp. *Calebãt,* inquit, *in interiore ædium parte totius resp. nundinæ. id est frequentes erant, multi venibant, multi eo confluebant.* Sic enim legitur in optimo Philippicarum exemplo, quod est secutus Gabriel Faërnus. Eodem prope modo Statius in I. Thebaid.

Lætatur Adrastus obsequio feruere domum.

B

Simile quiddam videtur Ibycus significare apud Stobæum de pace, Χαμαιλέων δ' ἐν ἐσχάτῃ θεϊδοντ' ἀγυιαὶ παιδικῶν θ' ὕμνοι φλέγονται.

Mihi *floridis corollis redimita domus erat.*] In manuscriptis omnibus, Circulis, pro Corollis. Sed praue, opinor. Legendum etiam fortasse Floreis, vt apud Tibullum in II. in manuscriptis est, *Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi*

Supplice cum posti, florea serta darem.

Et apud Plautum in Aulul.

Nunc tusculum emi, & coronas floreas.

Sic enim in veteri Prisciani libro in II. hic versus scriptus exstat. Lucretius in eodem genere, in IIII.

C

At lacrimis exclusus amator limina sæpe

Floribus & sertis operit, postésque superbos

Vngit amaracino, & foribus miser oscula figit.

Ego *ne deum ministra, & Cybeles famula ferar.*] Tribrachyn primo loco posuit, cum semper aut anapæstum, aut spondæum posuerit. Sic proprie dicebantur Galli famuli Idææ matris. Cic. in III. de Legib. *Præter Idææ matris famulos.* Et Manil. in IIII. *Phrygia Nemeę potius Ideę matris famulus.* Idem Catullus post,

Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.

D

Nive *amicta loca.*] Simile huic illud Horatianum,

Hebrúsque niuali compede vinctus.

Vbi *cerua siluicultrix, vbi aper, nemoriuagus.*] Sunt hæc dityrambica, Siluicultrix, Nemoriuagus. quo de genere Dionys. Halycarnasseus in Arte. Docui autem, Strabone auctore, eadem prope esse apud Græcos Liberi patris sacra, quæ apud Phrygas Matris deum. itaque & numerus ipse, & verborum idem genus. Lucret. in II. Montiuagum genus dixit, feras ipsas.

Vnde etiam fluidas frondes & pabula læta

Montiuago generi possit præbere ferarum.

E

Iam *iam quoque pœnitet.*] In manuscriptis, vt & olim Aldus impressit, Iam iamque. atque hoc modo versus etiam stat.

Roseis *vt huic labellis palam sonitus abiit.*] In manuscriptis omnibus Palam, nullum verbum. quod etiam monuit Auantius. itaque præstat vacuum locum relinquere, quàm alieno verbo occupare. in iisdem libris, Adiit, non Abiit. Sed illud rectius.

Geminas *deorum ad aures noua nuntia referens.*] Deorum dixit, cum ante etiam posuerit,

Ego ne deum ministra. vel quemadmodum Græci, opinor, quasi prouerbio, ἦλθεν ἐς ὦτα θεῶν. Et Vergil.

Partem aliquam venti diuum referatis ad aureis.

Et Horatius,

Et Iouis auribus ista. Seruas. ——

Vbi *iuncta iuga resoluens Cybele leonibus.*] Verg. in X. de Cybele, — *Cui Dindyma cordi,*

Turrigeræque vrbes, biiugíque ad frena leones.

Et Manilius in II.

Iuppiter & cum matre deum regit ipse leonem.

Gabriel Faërnus nummum habebat aureum, in quo imago Commodi Imp. & à parte altera Cybele ipsa leoni insidens cum inscriptione, MATER. DEVM. CONSERVATRIX.

Lævumque *pecoris hostem.*] Omnia etiam animalia Pecus videtur Hor. appellare in I. Ser.

Cum prorepserunt primis animalia terris.

Mutum, & turpe pecus. ——

Age *dum, inquit, age ferox, hunc agedum aggredere furor.*] Sic Auantius, aliter Guarinus. Sed neutro modo in manuscriptis, in quibus erat hoc modo scriptum. in vno,

Agedum, inquit, age, ferox fac vt hunc furor.

In duobus,

Agedum, inquit, age ferox vt hunc furor.

In quo cum non syllabæ tantum, sed voces integræ ipsæ, ac pedes desiderentur, ea sum religione, vt audendum aliquid non putem. in optimis enim emendandis auctoribus sine veterum subsidio libror. mihi quidem non licet esse tam diserto, nec, si liceat, libet. Apud Plautum in Menæch. eodem prope modo equos Apollinis adloquitur Menæhmus, vsus pari numerorum celeritate,

Agite equi facitote sonitus vngularum adpareant.

Cursu celeri facite in flexu sit pedum pernicitas.

Fac, *vt furoris ictu reditum in nemora ferat.*] Plutarchus in libro cui titulus περὶ Κολακείας, hunc furoris ictum ἀστραγαλωτὴν dictum fuisse significat opinor his verbis, Ἀλλ' οὐχ ὁ μόσχος ἐστὶν ὁ μαστιγούμενος ἀλλ' αἰγίοχος καὶ αἰγίοχος, καὶ οὐδὲ μάστιγος ἐπιδεῖται, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης, ὅ τις γάλλους πλημμελοῦντας ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσι. nam Ἀστραγάλης inter alia significare etiam tradunt ποιμενικὸν βόλον. qui Attin ipsum hæc memorantem ac diu cessantem ferit.

Mea *libere nimis qui fugere imperia cupit.*] Sic Horat. Imperium videtur dixisse in I. Epist. ad Torquatum,

Sin melius quid habes, arcesse, vel imperium fer.

Age, *cæde terga cauda.*] Quo te incites ipse, & iram colligas. Hesiodus in Scuto, πλευράς τε καὶ ὤμους Οὐρῇ μαστιόων ποσὶ γλάφει, οὐδέ τις αὐτὸν Ἔτλη ἐς ἄντα ἰδὼν, σχεδὸν ἐλθεῖν οὐδὲ μάχεσθαι.

Tva *verbera patere.*] ita omnino esse debet, itaque est in Maffei libro, & Patauino, nisi quod Veruuera pro Verbera vitiose.

Loca *retonent.*] Sic in duobus manuscriptis. in vno, Redundent, praue.

Rvtilam *ferox torosa ceruice quate iubam.*] Sic Alcæus, Ἐκ δὲ ποίησε Ἔρεμα ῥαμβεύριον ἐκβαλεῖ φόβαν.

Religatqve *iuga manu.*] Religare hoc loco Soluere, contrarium simplici, vt Refigo quoque & Refodio aliud, ac simplex significant.

Fervs *ipse sese adhortans.*] In manuscriptis

omnibus idem vitium insedit, Adortalis, pro Adhortans. Quod autem ferum dicit, ita bestias ferè vocabant omnes. Verg. in II. Æn. de equo,

In latus inque feri curuam compagibus aluum.

Et in VII. de ceruo,

Pectebátque ferum. —— Lucretius in II. Cybeles leones feras dicit.

Hanc veteres Graiûm docti cecinere Poetæ
Sedibus in curru biiuges agitare leones,
Aeris in spatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.
Adiunxere feras, quod quamuis effera proles,
Officiis debet molliri victa parentum.

Callimachus de sue, in hymno in Dianam,

Εχλ δ' ἐν θηρὸς ἰδέσθαι.

Atque alibi de Leone idem Callimachus,

Θηρὸς ἀερτάζων δέρμα κατωμάδιον.

Euripides in Hercule furente de leone quoque.

Πρῶτον μὲν Διὸς ἄλσος ἠρήμωσε λέοντος
Πυρσῷ δ' ἀμφεκαλύφθη ξανθὸν κρᾶτ' ἐπινωτίσας
Δεινῷ χάσματι θηρός.

VADIT, *infremit, refringit.*] In manuscriptis omnibus, *Vadit, fremit, refringit.* itáque legit Auantius suis in libris. qua de lectione dubitandum non est. nam si Vadit, infremit, legamus, erit pro anapæsto creticus, quod non licet. Refringit autem eodem modo & Statius in I. Thebaid. dixit, ——*Et prono virgulta refringit*

Pectore. ——

ILLE *demens.*] Exterritus, attonitus.

DEA *magna, dea Cibelle.*] Hac deprecatione poëma finit. Sic Callimachus in Hymnis ad extremum precationem adhibet. Magnam deam hanc proprie vocabant. Propert. in IIII.

Vertice turrigero iuxta dea magna Cybelle.

Et Stephanus περὶ πόλεων, in verbo Λῆμνος, hoc ipsum apertius, Λῆμνος νῆσος πρὸς τῇ Θρᾴκῃ, δύο πόλεις ἔχουσα Ἡφαιστίαν, καὶ Μύριναν, ὡς Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. ἀπὸ τῆς μεγάλης λεγομένης θεοῦ, ἣν Λῆμνόν φασι. Macrobius in III. Saturn. de sententia Cassij Heminæ Penates Μεγάλους θεοὺς vocari scribit. in quibus esse Iunonem Vergilius significans dixit,

Iunonis magnæ primum prece numen adora.

Et Antimachus Nemesim magnam deam dixit,

Ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεός.

DEA *Dindymi domina.*] In manuscriptis, Domina Dindymei. quam ille pedum commutationem fecit, quod de syllabarum temporibus nihil amittebatur. Quod autem in manuscriptis est, Dindymei, hoc est solum vestigium veteris scripturæ. I enim longum per EI, antiqui scribebant. Domina Dindymi & idem ante dixit,

Nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam.

HERA.] Deos Heros alibi vocat,

Hostia cælestes pacificasset heros.

Et Ennius,

Vos ne velit, an me, regnare hera.

ALIOS *age rabidos.*] Hunc esse versum suspicor, quem Festus Pomp. adducebat Catulli, in verbo, Rabidus. Superest enim tantum vestigium, *Catullus ....*

M. ANT. MVRETVS.

ANTEQVAM eruditissimum poëma de Cybele & Atti enarrare incipiam, non erit, vt arbitror, alienum de ipso genere versus aliquid dicere, quàm enim minime peruulgata sit illius ratio, non id tantum ostendit, quod, eius ignoratione, multis locis deprauatum hoc carmen fuerat; sed illud multo magis, quod Michaël Marullus, Georgius Anselmus, M. Antonius Flaminius, at qui viri? quorum vnusquisque propius à summorum poëtarũ aberat, quàm à mediocrium laude, cum huiusmodi quædam scribere aggressi essent, seséque totos ad imitationem Catulliani poëmatis contulissent, (neque enim aliud habebant, quod sibi proponerent, ad imitandum) propter exemplaris ipsius corruptionem sæpe peccarunt. Neq. hoc dico, quod quidquam de præstātissimorum hominum gloria detractum velim; sed vt acuam studiosorum adolescentum attentionem ad intelligenda ea, quæ de hac re tradere institui: consiliúmq; meũ iis approbem, quibus hæc disputatio vel longa nimium, vel etiam penitus superuacanea videretur. Dictus est igitur Galliambus à Gallis Cybeles sacerdotib. qui in eius deæ sacris eo plurimum vterentur: qua de caussa & μητρῳακὸς & ἀνακλώμενος vocatus est, vt tradit Hephæstion. Idem & Terentianus docet & Martialis subindicat his versibus,

Nec dictat mihi luculentus Attis
Molle in debilitate Galliambon.

Fit autem ex anapæsto, iambis duobus & syllaba. quale sit.

Vice veris & Fauoni.

quibus adduntur rursum anapæstus & iambi duo. Exempli caussa,

Vice veris & Fauoni glacies resoluitur.

interdum etiam, vt versus celerior sit, in penultimum locum tribrachys pro iambo recipitur. His de rebus, Diomedis grammatici optimi verba ponam, sed aliquot locis à me emendata: vt intelligent, si qui laborem capere voluerint conferendi. Galliambicum metrum est, quod apud Mœcenatem tale est,

Ades, inquit, ô Cybelle. Simile est illi,

Vice Veris & Fauoni.

Inferius comma superiori simile esset, nisi amisisset vltimam syllabam,

——*fera montium dea.*

Galliambum aliud ex ipso factum ei simillimum est, nisi quod, vt eneruatius fieret, & mollius tertia ab vltima syllaba in duas breues geminata est, & factum tale,

Latus horreat flagello, comitum chorus vlulet.

si esset sic, ——*comitum chorus lulet;*

esset illi simile,

——*fera montium dea.*

ceterum quod eneruatius diximus, simile est illud neotericum, quod est tale,

Rutilos recide crines, habitúmque cape viri.

Hactenus Diomedes. Citantur & à Nonio ex Varrone huiusmodi versus, vt Marcipore,

Spatula eneruant omnes Veneriuaga pueros.

vbi licenter mediam syllabam dictionis, *Veneriuaga*, producere videtur. & ex eiusdem Eudæmonibus, A

Phrygios per ossa cantus liquida canit anima.

Non est autem ignorandum, primo loco pro anapæsto poni posse spondæum; vt,

Sectam meam executa duce me, mihi comites.

idem quarto etiam loco conceditur,

Tibicen vbi canit Phryx curuo graue calamo.

primo etiam recepitur proceleumaticus,

Vbi capita Mænades vi iaciunt hederigeræ.

idémque in quarto licet,

Dea magna, dea Cybelle, dea domina Dindymi.

eadem ratione tribrachys in secundo iambi vicem subit, B

Simul hæc comitibus Atys cecinit noua mulier.

Atque hæc suauissimus grammaticorum, Terentianus Maurus ostendit; qui, quamuis paulo aliam viam init demetiendi huius carminis, eodem tamen recidit, eius verba sunt,

Sonat hoc subinde metro Cybeleium nemus.
Noménque Galliambus memoratur hinc datum,
Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos;
Adeò vt frequenter illum propè ab vltimo pedem,
Mage quo sonus vibretur, studeant dare tribrachyn.
Anapæstus esse primus, spondæus & solet:
Duo post erunt iambi, tribrachysve subicitur.
Linquitque comma primum catalecticam breuem. C
Pariambus & trochæi duo comma posterum,
Tribrachysve continebunt, super atque semipes.
Seruasse quæ Catullum probat ipse tibi liber,
Super alta vectus Attis celeri rate maria.

Hæc Terentianus: qui, miror, cur primi commatis catalecticam breuem esse dicat: longam enim esse constat. Sed & alias pedum mutationes antiqui recipiebant, nihil fere curantes, dum temporum numerus retineretur. exempli caussa,

Γαλλαὶ μητρὸς ὀρείης, φιλόθυρσοι δρομάδες,
Αἷς ἔντεα παταγεῖται, καὶ χάλκεα κρόταλα.

horum enim versuum posterior penitus similis est illi, D

Tibicem vbi canit Pryx curuo graue calamo.

prior, par temporibus, syllabis admodum dispar. Tantu habui de Galliambi legibus dicere: nunc, quando ipse quoque hymnum in Liberum patrem eo carminis genere lusi, ascribam illum; si qui forte tanti nostra esse ducet, vt legenda sibi arbitretur.

GALLIAMBVS IN BACCHVM.

Hedera comam reuinctus Bromiũ patrem cano,
Bromiũ, Eubyum, Lyæum, puerũ, femorigenã, E
Ope cuius alma vitis noua munera peperit,
Noua munera. apta curas animis procul agere.
Pater ô, pater bicornis, trieterice, cryphie,
Eleleu, giganticida, tibi cymbala quatimus,
Tibi spargimus capillum, tibi carmina canimus,
Tibi verticem rotamus, tibi per iuga gradimur.
Nemora ipsa mota nostris tibi cantibus vlulant.
Euœ, dator quietis, placidi dator animi,
Vbicunque tu moraris, bona ibi Venus habitat:
Habitant tenelli amores, iocus, & lepor habitat:
Fidiúmque, cornuúmque strepitu omnia resonant:
Alacres vigent choreæ, mala tristitia procul,
Inamabiléśque curæ rapido pede fugiunt.
Date pocula huc ministri, plenos date calices,
Auida vt liquore dio mihi pectora repleam.
Scelus esset ore sicco sacra mystica facere.
Vah, vah, pater lychnita, quibus ignibus agitor?
Mihi mille iam ante ocellos noua lumina radiant.
Viden', vt nemus citato procul impete rapitur?
Humus vt tremens frequenti salit acta tripudio?
Nouus vnde clangor aures modo cornuum ferit?
Procul ô, procul profani: deus ecce, deus adest
Maculosa terga lyncum, & tygrium celeripedum
Tenero domans flagello, posito premens iugo.
Rubicundus hunc magister, satyríque capripedes
Agili gradu insequuntur, thiasúsque mulierum,
Euœ pater frementum, metuende Bassareu,
Ter ô, & quater beatum tua qui Orgia sequitur,
Thyrsum inquiete dextra quatiens hedericomum.
Simul atque pulchra Cadmi te filia peperit.
Peperit, sed ante tempus, Iouis igne saucia,
Pater ipse te alligatum proprio in femore tulit,
Mala ne nouerca cælo te præcipitem ageret.
Dedit inde te fouendum nymphis nemoriuagis,
Iuga quæ per alta Nysæ propero pede volitant.
Quæ vbicunque tu puellus loca dexter adieras,
Vbicunque sessitaras, noua germine tenero
Feriebat arbor auras redimita pampinis:
Vbicunque lusitaras, noua flumina temeti
Placido viam secabant fluitantia sonitu.
Quid iam Indiam subactam tibi maxime memorẽ?
Quid Penthei aut Lycurgi scelerata facinora?
Noua quidue monstra Etrusco natitantia pelago?
Tua per trophæa euntis; neque enim modũ fuerit.
Tibi Tmolus, & Cytheron, tibi Nysa subdita est:
Tua musici, & poetæ vnanimes sacra celebrant:
Tuo eis liquore tactis simul ac capita calent,
Numeris repente fusis subito omnia resonant.
Sine te nihil venustum est, nihil est hilarificum.
Tu animus acerba fessis curarum onera abigis,
Adimis pudorem ineptum, secreta patefacis,
Ineunda pellis omnes ad prœlia Veneris.
Obitis quiete molli, quid ni obtegis oculos.
Agedum pater, agedum rex, agedum ætheris decus,
Ades vsque, nósque clemens oculo aspice placido.

DE BERECYNTHIA ET ATTI.

QVæ de Atti à variis scriptoribus, Diodoro, Pausania, Eusebio, Arnobio, Augustino, Ouidio, aliisque variè scripta sunt, congerere, infiniti &, ni fallor, legentibus non nimium iucundi laboris foret; præsertim cum ea iam omnia alij plerique studiose diligentérq. collegerint. quocirca satis habebo, poëmatis huius argumentum breuiter indicare. id est eiusmodi. Cùm Attis in nemus Cybelæ sacrum venisset, magna comitum stipatus manu, furore correptus, virilia amputauit sibi. idem fecère cęteri quoque, qui cum eo venerant; tum per aliquod tempus, vt mos sacrorum ferebat, tumultuati obdormierunt. expergefactus Attis, cùm ad se redisset, cœpit lamentari conditionem suã, etiámq. de repetenda patria cogitabat: cum Cybele obiecto leone, eum ita perterrefecit, vt ab vltimo littore quo iam processerat, iterum in

nemoris opacitatem compulerit, vbi omne reliquum vitæ ſpatium exegit. Porrò hæc Catulli narratio non conuenit cum iis, quæ de Atti alij tradiderunt, ſed ne alij quidem inter ſe conueniunt: fieri poteſt, vt vel alios ſcriptores ſecutus ſit, qui nunc non extant, vel tractatam ab aliis fabulã ſuo ipſe quodam modo tractare voluerit.

Devolvit.] abſcidit, ita vt in terram deuoluerentur.

Pondera.] teſticulos.

Acuto *ſilice.*] Samia teſta, eam enim ad hoc miniſterium adhiberi ſolitam, notum eſt.

Sine *viro.*] ſine ea parte qua viri ſumus.

Citata.] facetè mutat genus, quod Attis mas amplius non eſſet.

Leve *tympanum.*] alij, *breue crotalum*, quod no.. improbo. ſi, *leue tympanum* legas, dicendum erit tympanũ prima correpta, vt & apud Hom.

Ἡ κροτάλων, τυμπάνων τ' ἰαχὴ, σύν τε βρόμος αὐλῶν.

Leve *tympanum.*] alij, *tympanum, tubam.* ego in Cybeles ſacris tubam adhibitam non puto. hæc autem repetitio neſcio quid habere lepidius videtur.

Tva *initia.*] Initia, ſacra ipſa dicuntur: ſed hic ſignificat ea, quæ adhibentur in ſacris.

Terga *tauri caua.*] tympanum. *terga* autem, pro tergora.

Gallæ.] Gallos vocari Cybeles ſacerdotes, nemo neſcit: at hic Gallas vocat, quod erepta virilitate, mulieribus potiùs, quàm viris annumerandi eſſent.

Pecora.] quod neque viri amplius, neque veræ mulieres eſſent.

Hilaratæ *heræ citatis.*] heram vocat Cybelem, cuius animum vult à comitibus ſuis, hâc illâc currendo, exhilarari. alij legebant, *Hilarate ære concitatis*: contra rationem metri. ego autem vidi hoc totum carmen iam pridem ſcriptum manu excellentis in omni genere honeſtarum artium viri, Octauij Pantagathi: in quo cum alia multa ingenioſè admodum emendata erant, tum hic locus ita ſcriptus, vt eum ipſi edidimus. magis etiam mihi placuit hæc emendatio, poſtquàm animaduerti, Petrum quoque Victorium eam retuliſſe in libros ſuos.

Vbi *Cymbalum.*] hæc omnia Cybeles & Bacchi ſacris communia erant. vide Strabonem lib. x. & Euripidem in Bacchis.

Iaciunt.] rotant.

Thiasus.] cohors ipſa quæ Attin ſecuta erat.

Sine *Cerere.*] incœnatæ.

Fugientem *eum.*] Soporem.

Pasithea.] hæc vna eſt è Gratiis, Somni vxor. Apud Homerum enim Iliados xiiii. Iuno cum Somno agens, vt Iouem ſopiat, eam ſe illi pro præmio, vxorem daturam pollicetur,

Ἀλλ' ἴθ', ἐγὼ δέ κέ τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι, ἄκοιτιν,
Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα. id eſt,
At tibi ego è Charitum florentum ætatibus vnam
Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo
Paſithean, quæ omnes vnà tecum exigat annos.

Miseriter.] miſerabiliter. ſic Laberius,
Mens incorrupta miſeriter corrumpitur.

A Ita infra, puriter. —*ſi vitam puriter egi.* ita veteres multa, parciter, ſæuiter, inimiciter, toruiter, præclariter, & alia, quorum exempla ſunt apud Nonium. properiter etiam ait olim dictum fuiſſe; & citat Catulli locum,

Animula miſerula properiter abit.

Sic Ennius, prognariter, lib. vi. annalium,

—*audite parumper*
Vt pro Romano populo prognariter armis
Certando, prudens animam de corpore mitto.

ſic Cicero, audaciter, pro Sex. Roſcio, *Multa ſceleratè, multa audaciter, multa improbè feciſti.* ita enim legit eum locum Priſcianus libro xv. vbi negat B faciliter & difficiliter dici, quorum de altero nihil affirmo: difficiliter quidem, & perdifficiliter apud Ciceronem leguntur.

Gymnasiis.] prima correpta legendũ eſt.

Qverendvm *eſt.*] deploranda eſt mea conditio.

Ego *mulier.*] egóne mulier iam ſum, quæ antea adoleſcens, ephebus, puer fueram? quæ inter æquales meos omni iuuenilium exercitationum genere flerueram?

Flos.] ornamentum.

Decvs *olei.*] luctæ. hyppallage.

Tepida.] ex eorum, qui me inuiſebant, C multitudine, & frequentia. Calere enim dicuntur loca, quæ frequentantur. Octauianus Auguſtus in epiſtola ad Tiberium, *Luſimus enim per omnes dies, forúmque aleatorium caleſecimus.*

Mihi *floridis corollis.*] indicat multos ſibi amatores fuiſſe.

Mænas.] ita vocabantur Cybeles & Bacchi ſacerdotes, παρὰ τὸ μαίνεσθαι.

Roseis *vt hic labellis.*] ſtatim vt pœnitere ſe apertè dixit.

Geminas *deorum ad aures noua nuncia referens.*] verſum hunc, liberè vt dicam, adulterinum eſſe ſuſpicor: primum, quod, eo detracto, nihilo D deterior, aliquanto etiam, vt ego quidem puto, melior ſententia eſt. Cùm enim de vna Cybele agatur, illud, deorum, ſubalienum videtur. deinde, geminas aures, ocioſum plane eſt epitheton. poſtremò, noua nuncia, neque hoc loco ſatis aptè, neq. omninò Latinè dici puto. nuncius enim maſculo genere dicitur, non nuncium neutro. Scio citari ex Tibullo & Lucret. locos, ſed quos ſi quis accurratè conſideret, videbit nihil facere ad probandum id, quo de agitur. Eruditi homines, & veteribus libris inſtructi, hoc quale ſit, iudicabunt.

Ivncta *iuga.*] Cybeles enim currum leones trahunt.

E Agedvm *inquit.*] in quibuſdam,

Agedũ, inquit, age ferox, hunc agedũ, aggredere ferox.

quæ ſcriptura mihi quidem magis probatur.

Cæde *terga cauda.*] hic enim mos eſt leonum ſeſe ad iram excitantium.

Semper, *omne vitæ ſpatium.*] pleonaſmus.

Dea *magna.*] concludit poëta precatione qua Cybeles à ſe iram amolitur, eámque orat vt in alios potius furorem immittat ſuum.

IANVS DOVSA FIL.

ITAQVE *vt relicta sensit sibi membra sine viro.*] Sic Arnobius libro I. aduersus Gentes: *Nónne illum Attym Phrygem abscissum & spoliatum viro magna matris in adytis, deum propitium, deum sanctum Gallorum conclamatione testamini.* Idem lib. V. *Tunc arborem pinum, sub qua Attys nomine spoliauerat se viri, in antrum suum defert.*

VBI *capita Manades vi iaciunt hederigera.*] Sic Tacitus Annal. XI. *Iuxtáque Silius edera vinctus gerere cothurnos iacere caput.* Ad capitis rotationem notandus etiam insignis locus Valerij Flacci Argonaut.

Ecce sacer totúsque Dei per littora Mopsus
Immanis, visu vittámque comámque per auras
Surgentem laurúsque rotat. ——

Idem Tibulli lib. II. eleg. V.

Hac cecinit vates & te sibi Phœbe vocauit,
Iactauit fusas & caput ante comas.

DEA *magna, dea Cybelle, Dindymi dea domina.*] Puto respectum ad cognomina illa Magnæ matris, quæ recensentur à Strabone libro X. Μητέρα καλοῦντες θεῶν καὶ Ἄγδιστιν καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην, ἀπὸ δὲ τῶν τόπων Ἰδαίαν καὶ Δινδυμηνὴν καὶ Σιπυληνὴν καὶ Πεσσινουντίδα καὶ Κυβέλην.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SVPER *alta vectus Attys.*] In nostro scripto titulus legebatur: *De Attine furore percito.* Et sanè ita legitur apud Macrobium, & in veteri inscriptione Hispana.

M. BADIVS. HOMO
ET. CORNELIVS. SILV
TEMPLVM MATR. MA
ATTHIN. DE. S. P

Nam Ἄττιν, Ἄττινος, & Ἄττυς, Ἄττυος. vt φόρκυν, φόρκυνος, & φόρκυς φόρκυος. Nero enim dixit,

—— *Berecynthius Attin.*

Persius irridens versum Neronis:

Claudere sic didicit versum Berecynthius Attin.

Dio de Nerone: ἐκιθαρῴδησεν Ἄττιν τινὰ, ἢ Βράκχας. Lege: ἐκιθαρῴδησεν Ἄττινα, ἢ Βάκχας. Quibus etiam explicatur sequens versus Neronis apud eundem Persium:

Torua Mimalloneos implerunt cornua bombis.

Nam inde cognoscimus esse versiculũ Neronis.

STIMVLATVS *vt furenti.*] Meliùs noster liber, *stimulatus vbi furenti.* At secundo versu VT, quod legitur, omnem sententiam perturbat. Itaque deleo, quanquam legitur apud Terentianum Maurum. Sed, vt dixi, insulsum est.

DEVOLVIT *lectes.*] Noster *illectas.* alij, *illectas.* quæ propius ad germanam lectionem accedunt. Legendum enim sine vllo dubio,

Deuoluit ill' acuta sibi pondera silice.

Hic synalœphen notauerat doctus librarius in Codice Gallicano: quod genus plures ita temporibus Catulli perscribebantur, vt auctor est Cicero libris de oratore. Quare ignoratio huius synalœphæ alios locos veterum deprauauit: vt

A illud in Iambo Dei hortorum: *Agellulum hunc, sinistra tute quem vides.* Nam scriptum fuerat, *sinisterante,* pro *sinistera ante.* quòd tam verũ quàm falsum quod vulgò editum, vbi vltima in *sinistra* est longa. *Acuta silice* protulit feminino. Virg.

—— *ab silice in nuda connixa reliquit.*

ILLA *pondera,* quod dixit, non cuiuis statim obuium est, in rebus, quas nominare pudor non sinebat, semper hoc pronomine, ILLE, vtebantur. Suprà:

Ibi illa multatam iocosa fiebant. infrà,
Et quærendum vnde vnde foret neruosius illud.

B Sed clariùs Arnobius: *Priapum circumferentem res illas præliorum semper expeditioni paratas.* Itali in suo idiotismo dicunt, *El cotale. Deuoluit* autem legendum ex illius scripturæ auctoritate. Hoc est in terram proiecit. Qui verò antea legebant *ille,* non *illa,* quomodo Latinè loqui Catullum intelligant, ipsi viderint. Non enim, opinor, Catullus dixisset, Attys ille deuoluit, sed Attys deuoluit.

MEMBRA *sine viro.*] Arnobius, quum de Atti loqueretur, ita etiam loquutus est. In quo sequutus Græcorum morem dicendi, qui viros exectos ἐκτετμημένους vocant. Sextus Empiricus,
C κρίνας τὸν πατέρα ἐκτετμημένον. Hieronymus ad Gerontiam: *Hierophanta apud Athenas eurat virum.*

MANIBVS *leue tympanum.*] Et hic, & in sequenti versiculo legendum sine consonante, *Typanum,* vt apud Homerum:

Ἡ κροτάλων, τυπάνων τ' ἰαχὴ, σύν τε βρόμος αὐλῶν.

Apollonius,

Ῥόμβῳ καὶ τυπάνῳ Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται.

Sic infrà *Didymi* non *Dindymi*:

Dea, magna Dea, Cybele, Didymi Dea domina.

TVA *mater, initia.*] Non hic sacra, sed planè crepundia. Apuleius in Apologetico: *Etiámne*
D *cuiquam mirum videri potest, cui sit vlla memoria religionis, hominem tot mysteriis Deûm conscium, quadam sacrorum crepundia domi adseruare?* Nam tuba & tympanum sunt crepundia Cybeles quum adhuc in cunis esset, vt Bacchi κῶνος καὶ ῥόμβος, καὶ παίγνια καμπεσίγυια. παίγνια, crepundia, initia. & Pindarus in Hyporchemasin vocat κατάρχας.

Σοὶ μὲν κατάρχει, μᾶτερ μεγα
Μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων,
Ἐν δὲ καχλάδων κρόταλα
Αἰθομένα τε δαῒς ὑπὸ ξανθαῖσι πεύκαις.

Hic locus apud Strabonem libro X. corruptè
E legitur.

TRVCVLENTAQVE *pelagi.*] Horat.

—— *acuta belli.* Propert.

Sæpe ego multa tua leuitatis dura timebam.

Alij tamen Græca inflexione legunt *pelage;* vt apud Lucretium,

—— *pelagíque sonora.*

Vtrum melius nescio, vtrúmque sanè mihi probatur.

CELERARE *tripudiis.*] Noster liber *celebrare.* quod germanum Catullianum puto. Sic celebrem gradũ pro celeri dicebãt. Attius Ægystho:

Celebri gradu gressum adceleranisse decet

NOVA *mulier.*] Sic in nostro, non NOTHA vt in Aldino.

ONVS *indomita iugi.*] Hoc fecerunt docti viri

ex veteri scriptura IVCI. C. pro G. vt sæpe iam docuimus, vt supra, *iuncier, macis*. A

ANIMO *æstuante rursus.*] In nostro, *vsum* non *rursus*. Quæ sunt vestigia priscæ scripturæ olim extantia in exemplari Gallicano. Nam prisco & Archaico more scriptū erat *rusum* pro *rursum*. Quam lectionem veteres excusi retinent, in quibus legitur: *Animo æstuanter vsum reditum i. n. t.*

PATRIAM *adlocuta.*] pro *mæsta* quidam libri habuerūt *maiestas*. quod nihil aliud est, quàm priscus mos scribendi. maistus pro mæstus, vt Aimilius pro Æmilius. Sic infra *nainia* pro *nænia*. vnde fecerant *ianua*. B

DOMINOS *vt herifugæ famuli.*] Idem etiam extulit Pindarus Pythionicarum quarto carmine, ὁ γὰρ καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει. εὖ νιν ἔγνωκε. θεράπων δέ οἱ οὐ δράστας ὀπαδεῖ.

VT *apud niueum & ferarum.*] τὸ NIVEM commentum est correctorum. noster liber liquidò habet, *Vt apud, miser, ferarum*. quod retinemus. Interiectum illud *miser* παρενθετικῶς, vt τάλας, & τλήμων apud Tragicos Græcos.

ET *omnia earum.*] Legendum, *Et vt omnia earum adirem*. Ita enim ratio versus postulat.

QVOD *enim genus figuræ est.*] Versus etiam in manuscripto corruptissimus. Et tamen nemo hactenus, quod sciam, ne de mendo quidem admonuit. Legendum verò, C

Quod enim genus figuræ est, ego non quod habuerim?

Sequentia, vt alia taceam, & coniecturam nostram probant, & quid velit poëta, declarant.

EGO *mulier.*] Ne hic quoque ineptissimam lectionem odorati sunt. Quum deploraret mutationem fortunæ suæ, inter alia conquereretur se mulierem fuisse? imò nunc est, quod conqueratur, se esse. Sed, quia iam certissimè constat, deprauatum locum esse, non dubium quin legendum sit, *Ego puber, ego adulescens*. Vide quid in Festum annotauimus. Ibi enim, si benè memini, hunc locum attigimus. D

MIHI *limina tepida.*] Tepida limina, frequentia. Sic Virgilius & alij poëtæ vias, litora feruere, aut vias populo dicunt. Contra Persius,

—— ne maiorum tibi fortè
Limina frigescant. —— id est, ne parum teras veterum scripta.

NIVE *amicta loca colam.*] Nihil muto. Vereor tamen ne commentitia sit hæc lectio. Nam, quæ in nostro scripto est, valde mihi probatur. Est autem hæc:

Ego viridis algida Idæ neamicta loca colam.

Neamicta, vt necmancupi, nefunera, nesapus, hoc est non sapiens. Qu. Terentius Scaurus: *Nam, inquit, NE pro NON positum est apud antiquos, vt Nefrendes porcos, qui fabam frendere non possunt: Nesapus, qui non sapit, &c.* E

PHRYGIÆ *columinibus.*] Malè Turnebus columina hic interpretatur arbores. Caue sis illi fidem habueris.

PALAM *sonitus abit.*] Lege, *palans sonitus abiit.*

GEMINAS *deorum ad auris.*] Corruptus versiculus: &, quod non leue est, loco suo motus. Quæ transpositio illi has mendas creauit. Totus igitur locus ita legendus,

Roseis vt hic labellis palans sonitus abiit,
Ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus,
Geminas eorum ad auris noua nunciat ferens,
Læuúmque pecoris hostem stimulans ita loquitur.

Vides & ordini suo & integritati hunc locum restitutum. Geminas aures vt monuimus, etiam dixit Virgilius Culice: vide quæ in eum locum notauimus. Non interpretabor verba Catulli, quæ ipsa per se clara sunt.

AGEDVM *inquit.*] Hæc omnia interpolata sunt ab iis quibus nimis otij supererat ab re sua. Et liber noster, & priscæ editiones ita habent:

Agedum, inquit, age ferox, fac vt hunc furoribus,
Fac vt hinc furoris ictu reditum in nemora ferat.

Parum licentiæ in illis emendandis ab æquo lectore peto. Ita enim scripsit Catullus:

Agedū, inquit, age ferox, i. face vt hinc furoribus,
Face vt hinc furoris ictu reditum in nemora ferat.

Quæ omnia concitatum animum, ac contētam ὁρμὴν exprimunt.

MEA *liberè.*] Aliquantum variat scriptura in nostro: *Mea libera nimis qui*. Profectò legendum, *Mea liber ab nimis qui*. *A* pro *Ab*, vt iam monuimus, semper in hoc libro scriptum fuit.

TVA *verbera patere.*] Sic rectè docti viri ex scriptura corrupta, *tua veruunera patere*. quia scilicet Gallicanum exemplar habuerat *veruera*, vt non semel in Pandectis Florentinis scriptum fuit. Est autem ad verbum ex Homero,

Οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν
Μαστίεται, ἑὲ δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι.

DEA *domina Dindymi.*] Transposita à Correctoribus. Lege:

Dea, magna Dea, Cybele, Didymi, Dea, domina.

Didymi sine *n*, vt suprà *typanum*. Martialis:

Quales nec Didymi sciunt puellæ.

ROBERTI TITII BVRGENSIS PRÆLECTIONES QVATVOR.

PRIMA.

SI, quàm sæpè in conspectum vestrum prodeo (Auditores) tàm sæpè aliquid in mediū afferrem, quod vobis nonnullā voluptatem pareret, aut alicui vsui esse posset, incredibili sanè gaudio afficerer, meorúmq; laborum, quos in hoc munere fungēdo frequenter exhaurio, non exiguū fructū me percipere arbitrarer, propterea quòd mihi certò persuaderem, summa vtiq. attentione me à vobis auditum iri; quę res plurimum dicenti alacritatis afferre solet. Quomodo enim is vehemēter non sibi placeat, qui in se vnū omniū oculos ingenti cum expectatione coniectos esse videat, & ab ipsius ore tàm multos cum minimè dubio eruditionis præiudicio pendere intelligat? Sed vel mea ingenij tenuitas, vel summa omnium vestrûm eruditio in caussa est, cùm ad vos verba sum facturus, etiam valdè præmeditatorum obliuiscar, atq. animo ita pertuber, vt omnem omninò eloquentiæ vim (si vlla modò eloquentia in me reperitur) protinus amittam. Verumenimuerò hîc aliquot astare video, qui de mea eruditione non omninò pessimè sentiunt: cuncti verò ea estis humanitate præditi, vt iure

merito

meritò omnem à me timorem abiicere debeam. A Itaque nisi vobis incomperta protulero, vt ipsa rerum nouitate vestras aures demulceam; ordine saltem, ac methodo quadam ea fideliter commemorabo, quæ ab eruditissimis viris memoriæ prodita sunt, quorúmque si vos nonnulla fortasse cepit obliuio, laudi potius quàm vitio vertetis: nam rectè facere, quàm recta narrare complures malunt. Ac me quidem inueterata huius Gymnasij consuetudo satis tuebitur, quæ licet inuitum, ac reluctantem in hanc harenam suo quodam iure quotannis deuocat. Quoniam verò Theologiæ, Iurisprudentiæ, Philosophię, Medicinæ, quas dumtaxàt scientiæ nomine dignas B esse nonnulli sibi persuaserunt, encomia ab eruditissimis viris, qui apud vos publicè antehac verba fecerunt, persæpè decantata fuisse scio; libuit mihi, cæteris interim omissis, de præstantia Poëseos nonnihil commemorare, vt viam quasi sternerem ad lectionem Catulli, cuius Galliambum hoc anno meis auditoribus interpretandum suscepi. Ac, quamuis de hoc etiam studio pleráque à compluribus dicta esse non ignorem, vt nihil propemodum supersit, quod veluti nouum à me vobis nũc proponi possit: conabor tamen & meo muneri, & multorum desiderio, qui hoc à me enixè petierunt, vtcúmque satisfacere. Et alioqui, si, quæ semel audistis, minimè C sunt iterum attingenda, oportebit iam omnium disciplinarum magistros penitus obmutescere. Sed, vel quia non omnia fideliter memoriæ inhærere solent, vel quia singulis quibúsque annis alij atque alij adolescentes ingenti numero studiorum caussa in hanc vrbem confluunt; licebit mihi, sat scio, de iis rebus sermonem instituere, quæ, tametsi ab aliis antehac non semel tractatę fuerint, habent tamen cur iterum atque iterum propositæ audientiu aures non parùm deliniant, eorundémque animos mirificè oblectent. Præterea de carminũ conficiendorum ratione atque eorum mensura ea dicturus sum, quæ tãtum ab- D est, vt à quoquam hactenus tradita fuerint, vt ne vlli quidem in mentem vnquam venisse censeã. Sed hæc posteriùs; nunc de præstantia, ac dignitate poëticæ facultatis breuiter videamus. Nihil potius homini propositum esse debet in hoc breui suæ vitæ curriculo, quàm iis virtutibus animum excolere, quæ ad summũ bonum, quatenus quidem in hac corporis compage illud assequi licet, nos recta perducant, vnde postmodùm ad veram beatitatem, quæ Christianum virum in cœlo manet, facilior aditus aperiatur. Hinc fit, vt aliqui vestrum Philosophiæ, nonnul- E li Iurisprudentiæ, alij aliis disciplinis operam nauẽt: in quarum cognitionem bonum illud, quod in terris quærimus, à sapientissimis viris collocatum fuisse constat. Ac, sicut omnium disciplinarum studium huic fini magnoperè conducit, ita poëtarum lectio, præ ceteris, cùm à Theologia discesserimus, maximo est nobis adiumento ad omnia illa consequenda, quæ per varias artes diligenter exquirimus: quandoquidem poëticæ facultatis materia subiecta, & (vt vocant) stratum, sit omnium disciplinarum orbis & complexio. Quòd si Homerum totius Philosophiæ quasi parentem atque auctorem agnóscimus, ipsíque accepta referimus omnium disciplinarum placita, atque decreta, quemadmodum quidem Plutarchus, ac multò magis res ipsa nos docet; quid, quæso, dicemus de tota facultate poëtica, & vniuerso poëtarum cœtu? Nam vehementer quidem falli eos, qui puerilem quandam, & inanem dumtaxat aurium oblectationem in poësi consectantur, omnibus in confesso est: &, qui aliter de hac re sentiret, ipsámq; dumtaxat numerorum harmoniam & rythmos consideraret, omissà interim cognitione rerum præclarissimarum, quæ illis rythmis & numeris comprehendũtur; perinde ac si quis in pulcherrima virgine purpureas & perlucidas vestes; aurea baccatáque monilia, venustis coloribus & gemmis interstinctas armillas, comptos, ac certa quadam ratione dispositos crines, periscelidem, sandaliáque eleganter confecta; reliquúmque corporis ascititium cultum, non ipsam pulchritudinem, quæ in apta membrorum conformatione, coloris bonitate, lepore ac venere quadam posita est, adamaret; similis hac in re Penelopes procis, qui relicta hera ipsi se ancillarum amoribus penitus addiderunt. Idem error obiectus est Ixioni Phlegyæ filio, qui cùm Iunonem se tenere arbitraretur, nubem compresit. Aristoteles ne (vt alios taceam) de re tam leui sibi leges tradendas esse vnquam existimasset, cuius ingenium omnium disciplinarum capax fuisse nouimus, atque ita quidem capax, vt extremam eis imposuerit manum, quæ nunquam antea à tot Philosophis fuerat imposita. Hunc deinde sequuti Phannias, Theophrastus, Eraclides, Dicæarchus, Demetrius Phaleræus plura de hoc studio literis consignarũt, quæ vel ipsi à magistro acceperant, vel suoptè ingenio excogitauerant: nec ea in re tempus aut operam se inutiliter consumere crediderunt. Democritus quoque grauissimus inprimis ac tetricus Philosophus complures libros de eo artificio composuit. Sed & ipse Socrates, quem cùm nomino, ipsummet seueritatis exemplar nominare me certò scio, hanc partem intactam minimè reliquit; imò verò suo exemplo effecit, vt Crito, Simon, Antisthenes, Simmias, Aristippus non pauca volumina de eadem facultate conscripserint; quod Zenonem quoque, & Cleanthem fecisse constat. Parmenides quoque, & Empedocles de rerum natura plures libros carmine confectos ediderunt; quos philosophos tanti fecit Aristoteles, vt plurimùm semper laborauerit in aliquot eorum sententiis, quæ suis dogmatibus non leuiter officerent, refellendis: ne quis eos ludicra quædam tradidisse forsitan existimaret. Leges quoque carminibus comprehensas fuisse nouimus, vnde fortasse factum, vt vocarentur νόμοι; certè de legibus carmina vsurpari nemo ignorat, veluti cùm dicitur, Lex horrendi carminis; nisi si initiò quælibet oratio scriptis comprehensa certis quibusdam finibus inclusa fuit, vnde carminis nomen inuenerit, quod & ipsum poëseos nobilitatis, non leue mehercule præbet argumentum. Nec minus res medica verbis in numerum astrictis explicata fuit: siquidem He-

T

liodorus, Democares, Clinicus, Philon, Eudemus, Andromachus, Nicander, quorum duorum postremorum lucubrationes aliquot adhuc supersunt, alij complures huiusmodi argumentum olim complexi fuerunt; sicuti res cælestes, & quæ ad astrorum motum, ipsorúmque conuersiones pertinent, Orpheum, Hesiodum, Thaletem, Eudoxum, Dorotheum, Manetem, Aratum executos fuisse nouimus; atque Hesiodi quidem, & Arati monumenta non penitus interciderunt. Denique nihil reperiri, aut excogitari potest, quod ad poëtam velutiad proprium artificem pertinere non videatur; vt hunc meritò, tanquam architectonicum, & in cuius officina reliquæ omnes artes ac disciplinæ vel penitus excuduntur, vel saltem explorantur, & poliuntur, admirari liceat; quocircà verè dictum est à Manilio.

Omne genus rerum docti cecinere poëtæ.

Sed in rebus potissimum diuinis eos primùm fuisse occupatos planè constat; quin huius facultatis inuentores, vt diuinas laudes maiori cum dignitate celebrarent, carmine sibi assurgendum esse duxerunt, & quàm possent honorificentissimè præclaram illam naturam venerari studuerunt; quod non aliter se facere posse sperarunt, quàm si modulatis cantionibus eorum laudes pronunciarent.

Carmine dij superi placantur, carmine manes.

Et quidem excellens natura excellenti, atque insolito loquendi genere compellari debet. Sic nos, cùm ad principem aliquem virum adimus, verba, & gestus componere consueuimus; neque à carminibus fortasse abstineremus, nisi hæc eorum maiestate longè minora esse arbitraremur. Quamquam non alicuius hominis inuentum carmen & poësis videri debet, sed ipsiusmet Latonæ, quæ filium Apollinem cum Pythone serpente aliquandò concertantem his vocibus fuerit cohortata.

Ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιὰν, ἰὴ παιάν.

Quo numeri genere deinde vsus fertur Apollo in oraculis reddendis. At verò formandis moribus appositissima est poësis, vtpote quæ clanculùm præcepta nobis instillet, quorum quasi amaritudinem, & insuauitatem, si ea nudè nobis traderentur, vix ferre possemus, Id persimile in re vidit Lucretius, atque iccircò philosophiæ præcepta carminum dulcedine se condire velle professus est, non secus, ac medici facere consueuerunt, qui amaras potiones pueris præbituri, poculorum labra melle contingunt, ne teter ille sapor deprehendatur; & quemadmodum periti, atque elegantis medici est morbos leniter, ac suauiter depellere, ita quemlibet iuuentutis institutorem maximè decet, quacúmque tandem ratione potest, atque ea in primis quæ non sine aliqua voluptate finem consequitur, pristinæ sanitati ægrotos restituere. Hoc vel vna omnium, vel ex omnibus præcipuè poëtica facultas cunctorum eruditorum consensu præstare potest, vt immeritò in sua Rep. videatur Plato poëtas eiecisse, atque eis aqua & igni penitus interdixisse: nisi quorundam imbecillitati eo pacto succurrere voluit, qui poëtarum fabulas ita accipiebant, perinde ac vera historia traderetur, quemadmodum fecit Cheræa adolescens apud Terentium suo inseruiens instituto.

Suspectans tabulam quandam pictam, vbi inerat pictura hæc: Iouem
Quo pacto Danaës misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum;
Egomet quoque id spectare cepi; & quia consimilem luserat
Iam olim ille ludum, impendiò magis animus gaudebat mihi,
Deum sese in hominem conuertisse, atque per alienas tegulas
Venisse clàm per impluuium fucum factum mulieri,
At quem deum? Qui templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem?

Sed in hunc errorem non prolabetur, qui, quod est apud Propertium,

Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threicia detinuisse lyra.
Saxa Cytheronis Thebas agitata per artem
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.

cum Horatio interpretabitur.

Syluestres homines sacer, interpresq; deorum,
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosq; leones.
Dictus, & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quò vellet. fuit hæc sapientia quondam,
Publica priuatis secernere, sacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis vatibus, atque
Carminibus venit.

Necnon Lucretianum illud secum ipse tacitè meditabitur.

——quæcunque Acheronte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis;
Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus (vt fama est) cassa formidine torpens;
Sed magis in vita diuûm metus vrget inanis
Mortales, casumq; timet, quemcumq; ferat sors.

Et quæ plura illic sequuntur in eandem sententiam. Si hac mente poëtæ legantur (neque verò alia sanè legi debent) tantum abest, vt eorum versus dæmonum pabulum appellari mereātur, vt imò suauissimo atque vtilissimo nectare animos nostros alere dicendi sint. Nec, si aliter se res haberet, tanto studio, ac diligentia veterū fabulas sibi interpretandas esse duxissent præstantissimi philosophi, quorum monimenta iniuria temporum partim interciderunt, partim adhuc eruditorum manibus circumferūtur. Zenonem (inquam) Cleanthem, Dorotheū, Chrysippum, Euanthem, Heraclidem, Proculū, Porphyrium, Phornutum, Palæphatū, aliósq; complures, quos hîc nominatim recensere nihil attinet. Dionysius quoq; Halicarnassæus vir multarum rerum cognitione prænobilis non alio consilio poëtas esse legendos & ipse vidit, & aliis porrò persuasum esse voluit; dum scriptum reliquit in hanc fermè sententiā. Ex fabulis Græcorū quædam vtiles admodum sunt ad vitam rectè

ſunt ad vitam rectè inſtituendam, quandoquidem nonnullæ reperiantur, quæ naturæ opera ſub illis figmentis contineant; aliæ quæ humanarum calamitatum alleuationē, aliæ verò quæ terrores, animorúmque perturbationes à nobis depellant, opinionéſque parùm honeſtas amoueant; aliæ alterius cuiuſpiam vtilitatis cauſſa fuerint inuentæ. Qui aliter faciunt, vitium quo ipſi laborant, in poëtas tansfundunt. Sed & ad illas etiam illecebras vitandas, ſi quæ fortè occurrerint inter legendum, induere oportet Gygis animū, de quo præclarè Horatius Oda quapiam. Et quidem longè plura, quæ nos ad virtutem cohortentur, exempla apud poëtas reperias, quam quæ ab ea nos auocent: ſed nimirum animi vitio, atque ingenij imbecillitate & mollitia deteriora conſectamur, & noſtram culpam in alios libenter reiicimus; quamquam eos ego poëtas non laudarim, qui ſuis figmentis, & lenociniis teneros adoleſcentulorum animos ad laſciuiam, aut luxuriam flectere poſſunt; nec, ſi quis re bona malè vtatur, iccircò rem illam ſimpliciter atque abſolutè vituperare debemus. Quod verò ad Platonem pertinet (nam hûc redeundum mihi eſſe video, propterea quod hinc ſe validiſſimum, &, vt vocant, Achilleum argumentum ſumere poſſe cenſent aduerſarij) ſuo ſe ipſe gladio iugulare deprehenditur, cùm Homerum tanquam deum quempiam frequentiſſimè celebrat. Idem Antimacho ſua poëmata recitanti, quum cęteri auditores illum deſtituiſſent, omnium inſtar fuiſſe dicitur. Quin quod libro de Rep. ſecundo matres ac nutrices hortatur, vt pueris fabulas quaſdam ſelectas narrent, animóſque illorum huiuſcemodi figmentis diligentiùs, quàm corpora ipſa manibus informēt. Sanctiſſimus etiam vir Ioannes Chryſoſtomus, cui profecto eloquentia, probitate, doctrina parem alium nulla pòſt ætas tulit, Ariſtophanem facetiſſimum quidem, ſed & obſcœniſſimum veteris comœdiæ ſcriptorem ſub puluino ſemper habuiſſe perhibetur; & quidem meritò, nam eiuſcemodi cunctarum rerum, ac verborum diuitiæ in poëtarum theſauris continentur, vt omne genus hominum aliquis ex eis promere poſſit, quod inſtituto ſuo non parùm conducat; vnde factum fuiſſe crediderim, vt Homeri poëmata ab Indis, Perſis, compluribúſque aliis populis in ſuam linguam fuerint trāſlata; Quin de ipſius natalibus aliquot nobiliſſimæ Græciæ ciuitates plurimùm contenderunt; dum Colophonij, Smyrnæi, Chij, Iones, Salaminij certatim ſibi eum vendicare conati ſunt. Nam cur tot populos de vnius hominis natalibus tantoperè laboraſſe dicemus, ſi poëticæ ſtudium tàm leue eſſet & contemnendum, quàm iſti volunt? contemnēdum autem? imò verò, niſi id cæteris omnibus diſciplinis longè eſſet præferendum. Denique cùm tàm multæ laudes vni Homero tribuantur, vt præter complures alios viros eruditiſſimos, nobilis in primis, & variarum rerum cognitione percelebris Plutarchus Cheronæus iuſtiſſimum commentarium de ipſis confecerit, quid tandem dicemus de vniuerſo poëſeos genere, de quo etiam idem auctor luculentiſſimū

A librum poſteris reliquit, &, quomodo generatim poëtæ ſint audiendi, pluribus nos edocuit? Quod ſi ex Latinis Virgilium in primis conſiderare libeat, ex noſtris Etruſcis Torquatum Taſſium, quem ego plurimùm admiror; hîc verò eſt, vbi omnes omninò ingenij, & eloquentiæ vires ſint penitus effundendæ; quamquam nullum adeò eloquentem, adeò præſtantem oratorem vnquam inueniri poſſe crediderim, qui horum laudes pro dignitate, &, vt res ipſa poſcit, exprimere queat. Sed me tàm præclari ſtudij amore correptum citiùs hic atque alter dies deficiat, quàm huic ſermoni finem imponam. B

PRÆLECTIO SECVNDA.

VIDISTIS heſterno die (Auditores) quàm ſuſpenſa manu ea attigerim, & quaſi digito ſubindicauerim, quæ ab aliis prolixiùs, & copioſiùs tractata ſunt de laudibus poëtarum: neque aliter mihi perpetuò faciendum eſſe iudico, niſi humanitate veſtra planè abuti volo; nam, licet docendi partes hîc ſuſtineam, pleríque tamen veſtrûm ea ſunt eruditione prædití, vt mei potius ornandi cauſſa, quàm vt à me quicquam C perdiſcant, hûc eos conueniſſe cenſeam: horum ego auribus diutius moleſtus eſſe non debeo, Addo etiam me à temporis ſpatio, quod mihi ad dicendum ſingulis diebus datur, facilè admoneri; ne longiorem ſermonem exordiar, quàm qui vnius horulæ decurſu abſolui queat, nam eum deinde quaſi medium abſcindere, atque interrumpere nec decet, nec expedit. Ac de præſtantia facultatis poeticæ ſtrictim quidem pro rei dignitate, ſed tamen abundè pro tempore heſterna die dixiſſe videri poſſum. vt nihil aliud in præſentia addere ſit neceſſe; niſi ſi illud etiam ſubiicere libet, quod vnum per ſe ipſum ſatis oſtendere poſſet, cur poëtam aliquem enarran- D dum hoc anno ſumpſerim. Nos videlicet, qui humaniores literas interpretamur, duo ſcriptorum genera in vniuerſum propoſita habere, quorum ductu annuum hunc curriculum conficiamus, oratores videlicet, ac poëtas: per oratores autem nunc intelligo laxiori vocabulo, quicunque pedeſtri ſermone incedunt, per poëtas verò, qui quaſi equo inſidentes ſublimiùs gradiuntur. Hoc cùm ita ſit, putaui fore, ut omni prorſus reprehenſione carerem, ſi alternis annis oratorem aliquem, & poëtam interpretarer: & cùm hactenus M. Tullij orationem pro P. Quintio, Vergilij Georgica, Cæſaris Commen- E tarios de bello Gallico vobis explicauerim, conſequens erat ex ordine illo, vt hoc anno poëtam aliquem in manum ſumerem. Quamquam ſoleo ego lautiſſimorum conuiuiorum ſtructores non illibenter imitari, qui carnes ita apparant, vt carnes eſſe minimè videantur, aut certe cuius animantis eæ ſint, haud ita facilè dignoſcas; efficit nimirum hoc varietas, & copia condimentorum. Conuiuator quidam Chalcidenſis, quo cum iura hoſpitij T. Quintio Roman. imperatori intercedebant, cùm ſolſtitiali tempore lautè admodum hoſpitem ſuum accepiſſet, atque ab ipſo vehementer admirante, vnde nam illi

eo tempore anni tàm varia & multa venatio suppeteret, ea de re fuisset interrogatus, respondisse fertur, condimentis varietatem illam, & speciem ferinæ carnis ex mansueto sue fuisse comparatam. Ac verè quidem Philoxenus poëta pronunciasse creditur, qui dixerit eas carnes suauissimas esse, quæ carnes non sunt, itémque pisces, qui pisces non sunt. Sed de totius interpretandi genere, quo potissimum hæc exempla spectare videntur, aliàs nobis commodior dicendi sese dabit occasio: nunc eò, vnde initiò digressi fuimus, reuertamur. Poëtam hoc anno vobis explicare decreui, rationibus à me superius allatis. Catullum verò inter cæteros elegi, non quia reliquis hunc præferendum esse censeam, sed quia huic neminem; itáque in re dubia potui sine reprehensione, quasi clausis oculis, quicunque mihi prior obuius fuit, haud cunctanter arripere. Sed, vt Lucretium, Virgilium, Horatium, Tibullum, Propertium in vniuersum mirificè suspicio, ita priuatas quasdam caussas habeo, cur Catullum vehementer extollam: mitto, quòd eius acumine, elegantia, venustate semper fuerim incredibiliter delectatus, vt idem mihi vsu venire sentiam, quod nonnullis accidere solet; qui, si alicui vinorum generi semel insueuerint, ita eo postmodum delectantur, vt ægrè admodum alterum amare queant; magna enim est in vtrámque partem consuetudinis vis atque tyrannis. Sed & vnicuique suum est à natura tributum palatum, vt rectè dixerit Martialis,

Inter aues turdus, si quis me iudice certet;
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Rectè item ex aliorum sententia.

Inter sapores fertur alitum primus
Ionicarum gustus attagenarum.

Nam Horatius de ipsis ita alicubi scriptum reliquerat.

Non Afra auis descendat in ventrem meum;
Non attagen Ionicus
Iucundior, quàm lecta de pinguissimis
Oliua ramis arborum.

Generatim verò, & absolutè pronunciauit idem poëta (Horatium inquam) id, quod re ipsa ita semper fermè esse deprehendas.

Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur,
Poscentes vario multùm diuersa palato.
Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter;
Quod petis, id sanè est inuisum, acidúmq; duobus.

Verumenimuerò, ne hoc in me palati aut stomachi vitio fieri videatur, eíque morbo affinis esse existimer, quem Latini grauidarum malaciam, κίσσαν Græci (vti puto) nominant, operæprecium fuerit consilij mei rationem diligentiùs reddere, & quàm meritò Catullum vobis proposuerim, pluribus aperire. Non quæram autem hoc tempore, an qui fabulam, & imitationem suis in poematis non adhibent, poëtæ nomen iure sibi vendicent; nam aliàs de hac re commodiùs fortasse disputabimus, ostendemúsque nec fabulam, nec imitationem in caussa esse, vt quis verè poëta nominari debeat, ita vt, qui vtroque aut alterutro careat, hoc nomine prorsus indignus censendus sit. Nec me latet,

A absurdum hoc in specie nonnullis visum iri, ac propterea tanquam παράδοξον aliquod fore, vt primùm exibiletur; At enim spero me facilè ostensurum, hanc meam sententiam non adeò à veritate abhorrere, vt penitus explodi mereatur. Sed nunc poëtæ nomen aliquantò communius accipio, ita vt Catullo quoque conueniat, qui ipse de se alicubi ita scriptum reliquit.

Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta:
Tantò pessimus omnium poeta,
Quantò tu optimus omnium patronus.

Martialis quoque hoc eum nomine dignatus est.

B

Nec multos mihi præferas poetas;
Vno sed tibi sim minor Catullo.

Hic igitur poëta iis virtutibus eminet, vt in scholis publicè proponi summo iure mereatur; neque verò de ipso ita loquor, vt eũ Virgilio, atque aliis, quos felix illud æuum protulit, & ego paulò ante commemoraui, præferam, aut etiam cum eisdem vllo pacto conferam; quamquam nõ minoribus, aut paucioribus virtutibus ipsum enitere non difficulter demonstrare possem; sed tantùm vt ostendam, me aliquid sequutum esse in eo vobis proponendo. Scio equidem complures eruditos viros de superiore loco fuisse C olim interpretatos Ouidium, Lucanum, Statium, Silium, Valerium Flaccum, Senecã, Martialem, reliquos huius notæ auctores, &, cur id fecerint, satis probabilem rationem attulisse sibi visos; ego mei consilij, videlicet cur vobis Catullum prælegere in animum induxerim, iustam caussam non habebo? quem poetam Ouidius Maroni opposuit, Martialis sibi præposuit, docti omnes nulli postponunt. Et quidem Catullus in Iambis est omnibus Latinis optimo iure prælatus, vt pote qui in eis & inuentione, & nitidissimo verborum apparatu, supra quàm credi potest, emineat. In Hendecasyllabis proprietate D sermonis, & soni dulcedine est inimitabilis. In Elegis omnium Latinorum candidissimus habetur. In Lyricis tenerrimus, ac suauissimus esse dignoscitur. In Heroicis vel parem, vel certè superiorem habet neminem. Neque hunc multis in locis imitandum sibi duxisset Virgilius, nisi de eius ingenio, & eruditione optimè sensisset; atque eiusdem carmina valdè bona esse iudicasset: de quo alij quoque idem iudicium fecisse videntur, cùm ipsum docti nomine communi consensu nuncuparunt, quod Pacuuio tantùm, & Caluo contigisse nouimus. Denique E tot, tantæque virtutes in hoc poeta elucent, vt meritò de eo dictum fuerit.

Tantum parua suo debet Verona Catullo,
Quantum magna suo Mantua Virgilio.

Nam, quòd quidam ipsum duriusculum esse cõtendunt, maiestatem in eo vituperant, cuius illa, quam isti duritiam appellant, semper fermè comes esse consueuit, quocirca pulcherrimi criminis insimulatur, & ei culpæ affinis esse creditur, cui etiam M. Varronem, & Nigidium Figulum, addo his Lucretium Carum, obnoxios fuisse cõstat, quos viros nemo vnquam satis laudauit. Scribit Aristoteles in Problematis, neque non

etiam prodit Xenophon in Commentario περὶ ἱππικῆς, ambulationes eas, quæ per aspera & inæqualia loca fiunt, minus multò esse laboriosas, quàm quæ per plana, & æqualia conficiuntur. Idem in hoc poëtico decursu euenire dicendum est, in quo facilitas quædam vel dictionis, vel carminis, & lubricus ille lapsus vires plurimùm frangit, ac robur omne penitus debilitat; cui vitio videtur nonnullis obnoxius esse Ouidius. Itaque illud præcipuè in Catullo vituperant, vnde non exiguam laudem is meritò consequi deberet. Iam quòd eundem obscœnitatis insimulant, culpam ætatis in ipsum poëtam reiiciunt: dico autem culpam ætatis, propterea quòd admodum iuuenis ea scripsit Catullus, quæ nonnullam petulantiam, & lasciuiam præ se gerunt; constat enim ipsum vix trigesimum ætatis suæ annum attigisse, cùm ex viuis excessit: ac solent adolescentiores tùm in sermone, tùm in ipsis actionibus licentiùs se, quàm oporteat, persæpè gerere. Sed & æui culpa ea fuit, in quod ille incidit, velut ex Horatio, Tibullo, Propertio, aliisq; sciri potest. Verùm hæc obscœnitas nulli prorsus impedimento esse debet, quominus hunc poëtam plurimùm diligamus, atque ipsius plerásque scriptiones frequenter lectitemus, ac quantum possumus, imitari conemur, pluribus enim atque iis quidem nitidissimis ingenij, venustatis, elegantiæ, doctrinæ luminibus interlitæ sunt, atque perspersæ. Nihil autem prohibet, quominus bonos medicos imitemur, qui ex venenatis etiam vel herbis, vel animalibus vtilia pharmaca persæpè conficiunt, & quod optimum sit, secernunt è singulis, ac vel insigniter perniciosa temperamentorum beneficio sanitati perquam commoda reddunt. Quinetiam virtus magis adhuc elucet è vitiorum quasi tenebris euoluta, vnde factum fuisse reor, vt Homerus, qui prudentem, atque omnibus virtutibus exaggeratum Vlyssem fingere voluit, illi & Phęacum delitias, & Cyrces delinimenta obiecerit, & Cyclopum pericula proposuerit. Memorant Psyllos in Africa, Marsos in Italia, & qui Ophiogenes vocãtur in insula Cypro, cum quidã eorum arbitrantur suppositũ esse aliquem in stirpe, admouere consueuisse vt pungat colubra; si non sit, mori, cùm pupugerit, si de gente sit, viuere: atque Exagonem quendam ex familia Ophiogenum, cùm Romæ legati munere fungeretur, à Consulibus in dolium serpentium coniectum experimenti caussa, circummulgentibus linguis miraculũ præbuisse. Huiuscemodi pericula, atque experimenta, velut lapis Lydius aurum, ita solida virtute præditorum virorum animos indubitanter explorant. Sed nos fucato quodam virtutis colore leuiter aspersi caussas vndique aucupamur nostram culpam in alios deriuandi, & consultò quasdam rationes, quæ veritatis leuem modò speciem, atque imaginem præ se ferunt, ita complectimur, vt ab eis nullo pacto nos diuelli patiamur. Catullus tamen hanc falsam quorundam persuasionem iampridem confutauit, cùm cecinit.

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

A Et, quoniam fortasse non magnam in eius testimonio, qui crimen aliquod à se amoliri studet, subesse auctoritatem quispiam existimauerit; operæprecium fuerit Ouidium audire de eadem re ita loquentem.

Crede mihi, distant mores à carmine nostri,
Vita verecunda est, Musa iocosa mihi.

Sed & Martialis inquit.

Lasciua est nobis pagina, vita proba est.

Ausonius quoque vir Consularis, & antiquorum morum, priscæque grauitatis, ac Diui Paulini amicitia in primis clarus, ait in eandem sententiam.

B *Nostra simul certant variis epigrammata nugis,*
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salua mihi veterum maneat modò regula morum,
Ludat permissis sobria Musa iocis.

Quod argumentum pluribus deinde prosequitur epistola ad Paulinum, cum Centone nuptiali coniuncta: neque non item L. Apuleius Apologia pro seipso priore. Ac notum est illud D. Adriani in Voconium suum.

Lasciuus versu, mente pudicus eras.

Denique, si quid bonis moribus non consentaneum scripsit Catullus, illud certè mihi nõ scripsit, qui ab eo, tanquam à scopulo, diligenter cauebo. C Ac pulchrè quidem accidit, vt huiusmodi poëmatia ille confecerit, quæ nullam perpetuã seriem habeant, sed inter se valdè sint disiuncta, ac separata, vt hoc eligere, ab illo abstinere quàm facillimè liceat. Neque verò par est, vt paucorum gratia, tàm bellæ scriptiones penitus abiiciantur, quomodo nec messores quidem manipulos omnes protinus abiiciunt, propterea quòd auena, lolium, atque alia huiuscemodi frugum vitia spicis admista sint: alioqui nec Lucretius legeretur, nec Horatius, nec Ouidius, nec Martialis, nec vllus denique poëta, qui hactenus summo in honore habitus sit. Sed nec oratores quidem attingere fas erit, cùm vix quemquam reperias, qui non aliquid, quod bonis moribus D vtcunque officiat, suis scriptis inseruerit. Prætermittantur igitur aliquot Catulli epigrammata, in quibus æui sui licentiam secutus lasciuiusculè exultauit, atque ea dumtaxàt legantur, quæ vitam ex virtutis præscripto degenti nulli detrimento esse possunt. In horum numero Galliambum, quod est carmen de Cybele, & Aty, meritò recensuerim. Id ego inter cętera legi, quod vobis (Auditores) hoc anno interpretarer. Potuissem & alia, sed nunc ita mihi visum, nam, si id facerem, primùm videbam fore, (sed cur omnium rationem vobis afferam? partes, quas hîc E sustineo, quicquam mihi non cõcedent:) vt etiã sine ratione, quæ saltem publicè à me reddatur, aliquid aggredi possim? Certè, qui mihi hanc prouinciam demandarunt, homines prudentissimi, ac sapientissimi, meam hac in re voluntatem solutam esse voluerunt; horum vos iudicium sequi decet, quorum prudentiam, & industriam in rebus publicis administrandis, probãt omnes, & admirantur. Atque ego quidem eam fortasse apud vos eruditionis, iudicij, probitatis, diligentiæ opinionem (si, id modò à me dici mea modestia patiatur) sum hactenus

consequutus, vt omnium factorum meorum ratio non sit vobis post hac à me seueriùs exigenda. Equidem semper enixè operam dedi, vt nihil temerè fecisse videri possem, id an fuerim consecutus, vestrum erit iudicium. Ac, ne vos perturbet paulò impeditior, & obscurior huius poëmatij carminis ratio, quæ ab omnibus non eodem pacto explicatur, omissis iis, de quibus eruditissimi viri iampridem nos admonuerunt, conabor ostendere in carminibus pangendis non esse hac ætate eas leges necessariò custodiendas; quas olim, cùm Latinus sermo vulgò sincerus, & incorruptus vsurpabatur, custodiri oportere, nos grammatici docuerunt. Scio ego absurdam hanc sententiam plerisque visum iri, atque iccircò fore, vt indicta caussa aliquorum iudicio protinus explodatur. Sed, quocunque tandem res casura sit, libet ipsam vobis aperire; neque enim quicquid hactenus inauditum fuit, continuo reiici debet; ac iure cum Lucretio illud mihi videor posse vsurpare, quo ipse Memmium suum alloquitur.

Quod superest, vacuas aures mihi Memmia da, & te
Semotum à curis adhibe veram ad rationem,
Ne mea dona tibi studio disposita fideli,
Intellecta prius quàm sint, contempta relinquas.

Puto autem mihi tutò licere in his humanioribus literis meam sententiam liberè pronunciare, quandoquidem sine vllius periculo ac detrimento id fieri animaduerti, neque enim hìc aut animus noster, aut res familiaris, aut cuiusquam salus periclitatur. Ergò, postquàm non incommoda se nobis præbet occasio huius rei demonstrandæ; vosque id, quod nonnunquam familiaribus in sermonibus (seriò ne, an ioco?) me dicentem audiuistis, nosse plurimùm auere mihi significastis; agite, experiamur iam, quid rationibus effici possit; &, an vi argumentorum consequi liceat, vt tam arctæ compedes, quibus hactenus constricti poëtæ incedere coacti sunt, tandem aliquando disiiciantur.

PRÆLECTIO TERTIA.

FERVNT apud Lacedæmonios lege olim cautum fuisse, ne veterem musicam vllo pacto liceret immutare; quocirca Terpander nobilis cytharœdus ab Ephoris multatus dicitur, propterea quod vnam chordam vltrà receptum numerum variandæ vocis gratia intendisset, qui cytharam ei auferentes claue confixerunt. Phrynidis etiam musici fides duas de nouem Ecropes Ephorus præscidit ascia; addens, ne maleficium musicæ inferret. Item Timotheum, cùm is artis suæ certamen Craniis instituisset, vnus ex Ephoris sumpto cultro interrogauit; vtra ex parte chordas abscinderet, quæ septenarium numerum excederent? Sed & alicubi morem illum inualuisse prædicant, imò lege cautum fuisse perhibent, vt, si quis vetus aliquod institutum mutare vellet, aut nouam aliquam legem suadere, id non aliter ei facere liceret, quàm si collum in laqueum indueret, vt, nisi ea lex populo probata fuisset, eius auctor illicò strangularetur: tanti referre putarunt veteres, prisca instituta, & A longa annorum serie passim recepta perdiligenter, ac religiosè custodiri. Hæc exempla mihi fortasse quis obiiciat, vt à nouis legibus ferendis in carminum confectione me absterreat. Verumenimuerò mea ratio longè diuersa est à ratione illorum, de quibus modò commemini; siquidem Criticorum nostrorum senatus vel lege, vel moribus iampridem statuit, licere cuique de qualibet re liberè pronunciare. Et, ne à musica discedamus, nemini dubium est; veteres tam Græcos, quàm Latinos eas tantummodo consonantias agnouisse, quæ ex quarta, quinta, octaua, earúmque duplicibus constant, cæteris omnibus B interuallis apertè repudiatis. Verùm nostri homines ingenio, & eruditione præstantes, veteribúsque illis hac in re non admodum inferiores alias his consonantias addiderunt, ac Diatessaron litigiosam esse docuerunt, totamque musicam multò suauiorem pluribus additis consonantiis effecerunt. Sed nec ego nouas fides cytharæ addo, imò verò aliquot potius abscindo, atque amoueo vt simplicior, & minus fucata musica hoc pacto reddatur, quod Lacedæmonij efficere voluerunt. Præterea lege potius nostros homines ego soluo, quàm nouis legibus implico. Denique non agitur nunc de summa rerum, ac de tota Rep. literaria, vt possit hìc illud veteris poëtæ vsurpari,

C *Moribus antiquis res stat Romana, cadítque.*

Sed, ne in proœmiis, atque excusationibus omnem meum sermonem absumam, his interim prætermissis, rem, de qua initio dicere proposui, hinc iam vobis explicare ingrediar. Modulationis iudicium non aliud sanè esse debet, quàm ipsarum aurium, sicuti odoris narium, visionis oculorum. Loquor autem nunc, quatenus pertinet ad id, de quo in præsentia disputationem instituimus; vt iccircò nulla hìc rationis mentio sit ingerenda, quæ alioqui sonorum diuersitatem diiudicare solet. Hæc modulatio in carmi- D ne fit vel suspensione vocis, vel eiusdem æquabili tenore; dico autem vtroque: nam si ab alterutro tantùm fit, ea vox prodit, quæ vel συνεχὴς, vel διαστηματικὴ à Græcis nuncupatur; quamquam non potest vna vox suspendi, quin altera demittatur: sed ita huius facultatis doctoribus loqui visum fuit. Vox igitur διαστηματικὴ (nam de hac nobis agendum est) conficitur ex acceleratione, siue continuatione ipsius, itémque ex suspensione, prout ei minor, aut maior mora inter pronunciandum obiicitur; nam semper aliquod temporis spatium intercedat oportet, in vocibus efferendis; hoc enim summo consensu fa- E tentur omnes, & res ipsa manifestò demonstrat: hinc fit, vt syllabæ, quibus dictiones coagmentantur, aut sint natura contractæ, aut productæ, hoc est, aut tardè, aut celeriter enuncientur: nam, quæ ancipites appellantur, alterutrum ex his temporibus spatium sortiuntur: sunt enim aut breues, aut longæ pro arbitrio eas enunciantis, cum hac tamen cautione, vt breues longæ fieri possint, longæ non item breues. Ergo qualitas syllabarum, quæ tempus respicit, à pronunciatione pendêre dignoscitur, ipsarúmque naturâ non aliunde peti constat inter omnes. Porrò ex

ſyllabis dimenſiones illæ conſtituuntur, quæ in carminibus à ſimilitudine quadam ab animalibus ducta, quæ pedibus gradiuntur, ipſæ quoq; pedes nuncupantur; vt nihil aliud ſit Pes, quàm certa quædam ſyllabarum complexio, longitudine & breuitate temporis definita. Qui ex huiuſcemodi pedibus artificioſè coniunctis (ea coniunctio verſus, ſiue carmen appellatur) reſultat numerus, auribus percipitur, ratione dijudicatur. Igitur, quatenus aures percipiunt longitudinem, & breuitatem ſonorum, quæ dimenſiones in ſyllabis deprehenduntur, eatenus ſyllabæ productæ, aut contractæ nuncupantur, nec aliter de hac re veteres omnes ſenſiſſe conſtat. Apello autem productas, & contractas generatim, atque vniuersè nulla alia diſtinctione adhibita; nam deinde cantores in ijs ſe ſe anguſtijs continere parùm liberale rati, numeros illos multis modis deinde diuiſerunt; vt alio, atque alio reſpectu ijdem breues, & longi poſſint nuncupari; dicuntur enim tales non ſimpliciter, ſed κατά τι. Quocirca Notas (ſic enim vocant) alias maximas, alias longas, alias breues, alias ſemibreues, alias minimas, alias ſemiminimas, alias fuſas, alias ſemifuſas appellarunt, quarum ſingulas proprijs figuris diſtinxerunt. Sed apud priſcos illos duas tantùm in vſu fuiſſe conſtat: deinde tempore procedente tres aliæ acceſſerunt; demùm, idque non ita pridem, tres reliquæ. Sed Latinorum carmina longa, & breui dumtaxat, hoc eſt & notari poſſunt, ac verò debent: quæ à noſtris ſymphonetis in longè breuiora tempora diducerentur, puta in in, in atq; etiam fortaſſe alia. Et quidem Tempus eſt menſura ſemibreuiũ ſyllabarum in breuibus; quemadmodum Modus maior menſura longarum in maximis, Modus minimus menſura breuium in longis. Quodlibet tempus ἄρσει, ac θέσει, vel, vt alij loqui malunt, ἐπιτάσει ϗ ἀνέσει, hoc eſt aſcenſu, ac deſcenſu metimur; breue vnico, productum vtrôque: atque ita complures Horatij Odæ à peritiſſimis ſymphonetis fuerunt notis muſicis accommodatæ, vt concini poſſent; quod etiam in omni alio carminum genere fieri licet. Si ad hanc normam carminum tempora ſunt exigenda, quemadmodum quidem exigi oportere fatentur omnes; proculdubio neceſſe eſt, vt in dictionibus efferendis ſyllabas, ex quibus ea conſtant, modò ſuſpendamus, modò deijciamus, prout earum natura expoſcit. Atqui hoc à nobis nullo pacto, præterquam admodum raró, fieri conſueuit; cùm veterem illam pronunciationem penitus amiſerimus: Igitur in hac noſtra barbara pronunciatione diſcrimen breuium, & longarum ſyllabarum nequaquam dignoſcitur, excipio dumtaxat eas, in quibus acutus tenor ſuperponitur, in quibus efferendis maior vtique mora quàm in alijs adhibetur, vt notum eſt; licet non ſatis adhuc intelligere potuerim, cur non potius grauis tenor id efficiat. Fuiſſe autem hoc temporum diſcrimen in ſyllabis, quis ignorat? nam alio ſpatio metiebantur (exempli gratia) *plaga*, cùm vulnus denotabat, eàque vox in ſexto caſu enunciabatur, alio, cùm cœli tractum ſignificabat, & erat rectus caſus: idem dicemus de voce *palus*, *mala*, *ſola*, *populus*, atque alijs ſexcentis. Has eaſdem ſyllabas nos quoque veterum imitatione eiſdem ſpatijs definimus; non quidem pronunciatione, ſed dumtaxat carminum in ſuos pedes dimenſione, quod cur fiat, non planè aſſequor. Video ego veterum conſuetudinem retineri, ſed pro parte, non in totum, ſicuti oporteret. Ac, quoniam tempore prius eſt loqui, quàm ſcribere, par eſt, potiorem curam ſermonis habere, quàm ſcripturæ; quin ſcripturæ ipſius orationis imago eſſe debet, atq; ita ea effingenda eſt, vt verba proferuntur; proferuntur autem ſine vlla temporum diſtinctione: ergo eorum in ſyllabis nulla eſt ducenda ratio. Quòd ſi aliter olim fiebat, iure fiebat, cùm temporum diſcrimina diligẽter obſeruarentur non in ſyllabis modò, ſed etiam in qualibet litera; licet ratione parùm diuerſa. Hinc quæſitum de quantitate verbi *quieſco*, in litera *e*, quomodo de *actito*, *edo*, *vngo*, *muſcerda*, *luſtrum*, atque alijs compluribus, quorum diſcrimen ipſo effatu dignoſcebatur; nam ſic Cicero in Oratore. *Quid verò hoc elegantius, quod non fit natura, ſed quodam inſtituto? Inclytus dicimus, breui prima litera, inſanus producta, inhumanus breui, infælix longa. Et ne multis; quibus in verbis eæ primæ ſunt literæ, quæ in ſapiente, atque fælice, productè dicuntur; in cæteris omnibus breuiter, Itemque compoſuit, concrepuit, conſueuit, confecit: conſule veritatem, reprehendet; refer ad aures, probabunt: quære cur? ita ſe dicent iuuari, voluptati autem aurium morigerari debet oratio.* Et res nimis quàm nota, vt amplius demonſtrari non debeat. An hoc æuo hæ leges pronunciationis? Nihil minus; quis enim in *plaga* naturam breuis, aut longæ ſyllabæ auribus deprehendat? quis in *palus*, *malum*, *refert*, *dico*, *populus*, *idem*, cùm generis eſt maſculini, aut cùm neutri; alijs ſexcentis? Nec aliter enunciamus *preces*, quàm *præmium*; item *leuum*, *quàm læuum*: *alis* ab *ala*, quàm *alis*, cùm valet *alius*; vt cùm ait Lucretius.

Quando alid ex alio reficit natura, nec vllam
Rem gigni patitur. Et noſter Catullus,
Anne bonum oblita es facinus, cùm regium adepta es
Coniugium, quod non fortius auſit alis?

Idem ſpectare licet in *are*, & *bere*, *ara*, & *bara*; *magalia*, & *mapalia*. prætereo alia huius generis, quæ propemodum innumerabilia ſunt, ſi quis ea diligenter exquirat. Denique quis Neronis iocum aſſequetur, cùm de Claudio loquens dixit, eum morari inter homines deſijſſe, producta prima ſyllaba verbi *morari*, vt refert Suetonius? aut quis in pronunciando agnoſcit diſcrimen in vocabulis; *Sede ſedens dextra*: & *Voce vocans Hecaten*? Quin ipſarum literarum veram enunciationem magna ex parte amiſimus, vocalium, conſonantium, omnium denique ſine vlla exceptione. Poſſem hoc pluribus argumentis indubitanter aſtruere, idque prorſus mihi faciendum eſſe cenſerem, niſi eruditorum virorum Commentarij de tota hac re paſſim circumferrentur; quocirca rem ita ſe habere, inter nos conſtitutum ſit, & ad tenorem ſyllabarum reuertamur, ipſúmque auribus ita examinemus. Verſus extat initio primi Æneid.

Arma virumque cano, Troiæ qui primus ab oris.

In singulis syllabis singula spatia vel longa, vel breuia, dum eæ pronunciabantur, agnoscebant veteres, vnde maxima suauitas ipsorum auribus accidebat; nos nihil tale sigillatim percipimus, quomodo etiam ex aduerso nullam insuauitatem agnoscimus, si eundem versum ita (exempli gratia) extulerimus.

Arma, regémque dico, Troiæ qui prior à plaga.

Atque illum alterum Horatij.

Quàm si quicquid arat non piger Appulus.

Hoc pacto.

Quàm, si quicquid arat haud letus Appulus.

Neque non item illum.

Seu deos regesque canit, deorum Sanguinem.

Hunc in modum.

Seu diuos, ducesque canit, diuorum Sobolem.

Huiusmodi exempla sexcenta afferri possunt: & extat epigramma apud Ælium Spartianum in Pescẽnio, quod potius aurium sono, quàm scrupulosa illa dimensione expensum fuisse apparet, idque idcircò (vt puto) quoniam inciperet iam vetus illa pronunciatio paulatim exolescere, & in hanc nouam abire.

Terror Aegyptiaci Niger astat militis ingens,
Thebaidos socius aurea secla voluens.
Hunc reges, hunc gentes amant, hunc aurea Roma,
Hic Antonino carus, & imperio.
Nigrum nomen habet, nigrum formauimus ipsi:
Vt consentirent forma metalla tibi.

Huic similia multa reperias in sepulchrorum inscriptionib. æuo præsertim iam sensim collabente in hanc fæcem à prisca illa puritate Latini sermonis; vt hinc etiam tutò pronunciare liceat, verum omninò esse, quod nunc maximè affirmo, solas videlicet aures hac in re nos consulere oportere: quod veteres illi tàm Græci, quàm Latini faciebant in suo pronunciatu, veluti etiam nunc Etrusci poëtæ in sua lingua obseruant, qui aurium tantummodò iudicio acquiescunt, nec aliud quicquam in carminibus pangendis in cõsilium adhibent: atque hûc fortasse respexit Horatius, cùm de Anacreonte loquens dixit ipsum cecinisse suos amores ad non elaboratũ pedem; & quidem Græcis poëtis, ἄρες ἄρες, licebat sonare. Sed antiquitatis amatores iubebunt nos priscam consuetudinem retinere, genuinámque & propriam naturam syllabarum in peregrinis vocibus diligenter custodire; neque enim licere putant alienas res vel tantillum quidem immutare. Volo ego, si quis alius, Fabianum illud valere. *Vetera maiestas quadam, &, vt sic dixerim, religio commendat.* Sed ita, si rectè omnia conueniant. Nunc, cùm pronunciationem amiserimus, quod à pronunciatione oritur, & sine ea nullo pacto consistere potest, nos retinere præcipiunt. Remoue solem è mundo, vmbram sustuleris. Verùm, esto; pareamus hisce magistris: reuocemus veterem pronunciationem, quantum possumus; possumus autem grammaticorum admonitu, & nostrorum hominum consilio nonnulla ex parte. In hoc sumus negligentes; in carminibus condendis superstitiosi erimus? Nam quod de natura vocum subijciunt, prorsus inane est, nec omninò tale, quale ij existimant. Natura vocum consistit in vsu: hic eam

A suo arbitratu variat, immutat, perimit; non secus, ac pharmacopola ex pluribus venenis ἀντίδοτον conficit; sic olim, vt narrat Ausonius,

Toxica zelotypo dedit vxor mœcha marito:
Nec satis ad mortem credidit esse datum.
Miscuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc si quis, faciunt discreta venenum,
Antidotum sumet, qui sociata bibet.

Cùm igitur Latinę voces in ore nostrorum hominum sint longè diuersa natura præditæ, qua pertinet ad id, de quo loquitur, quàm olim in ore ipsorum, quorum proprias fuisse scimus;
B non video, cur non aliter eis vti non debeamus, cúrue potius rationem in harmonia, quam aures consulere velimus. Est, vbi nostra pronunciatio cum pronunciatione veterum vsquequáque consentiat, veluti in accentibus acutis, ac fortasse alijs in rebus, sed admodùm paucis; in ijs ego eorum leges seruari præceperim; vbi non consentit, frustrà fuerimus, si veterum decreta nobis custodienda esse duxerimus. Dico enim aures omninò esse consulendas, ad quarum arbitrium conformatos habemus plures hymnos
C sacros ab ijs viris, qui illis temporibus proximi fuerunt, quibus Latina lingua iam ruere, ac pessum ire incipiebat, vt satis idonei testes in hanc rem videri possint. Sed nos, quod semel mordicus arripuimus, pertinaciter nimis retinere studemus, præsertim cùm eruditionem nostram ea in re nõnihil ostentare possumus: plures enim reperias, qui ea tantùm de caussa optimos poëtas se esse existiment, quòd prosodiæ leges omnes ad amussim cognitas habeant. Hos equidem certo scio penitus ignorare, quid sit poësis, quid poëtica, quid poëticè scribere, quid poëma; quidque necessariò requiratur ad poëma ali-
D quod perfectum, ac omnibus suis numeris absolutum conficiendum,

neque enim concludere versum Dixeris esse satis.

Quemadmodum etiam idem non ignoro, difficile admodum esse inueteratam aliquam opinionem ex animis hominum penitus euellere; sed tentandum est tamen, præsertim verò, cùm id absque vllius periculo, ac detrimento (vt dixi) fieri possit; atque eam fortasse præstabit paulatim labefactare, & ex fibris nostrorum hominum sensim euellere; nam statim eximere, ac, veluti vno ictu amputare, supra vires humanas
E propemodum videri potest. Quin adhuc ipse nullo pacto ausim in versibus pangendis à veterum præscripto vel latum quidem vnguem discedere, imò carmina omnia, quæcunque hactenus confeci (confeci autem nec pauca, nec vnius generis) illis ipsis modulis semper metitus fui, quos nobis veteres præscripserunt, atque ita porrò facere pergam, donec sententia hæc ab eruditorum Senatu non indigna iudicabitur, cuius in hac Repub. literaria aliqua ratio habeatur: neque enim quicquid mihi rectum videtur, rectum censeo. Plurimùm ego aliorum iudicio semper detuli, sed meam tamen opinionem hîc breuiter aperuisse, fortasse non erit inutile. Quamquam facilè conijcere possumus, aliis quoque hanc rem in mentem venisse; nam

(exempli gratia) Sigiſmundus Gelenius Appiani interpres, quod Græcus auctor in Syriacis de oraculo Seleuco reddito hunc in modum extulit.

Ἄργος ἀλευόμενος, τὸ πεπρωμένον εἰς ἔτος ἥξεις.
Εἰ δ' Ἄργει πελάσαις, τότε καὶ παρὰ μοῖραν ὄλοιο.

His ipſe verbis Latinè repreſentauit.

Argos ſi caueas, fatalia tempora tanges:
Quòd ſi non caueas, ante diémque cades.

Rurſus bellor. Ciuil. lib. 2. quod ita habet.

Ὅστις γὰρ ὡς τύραννον ἐμπορεύεται,
Κείνου 'στὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλῃ.

Sic ille Latinè conuertit.

Quiſquis domum tyranni proficiſcitur,
Seruus fit illi, liber & ſi venerit.

Sed & alios etiam commemorare poſſem, quos ab hac ſententia non omninò alienos fuiſſe licet ſuſpicari. Verùm hoc leui conatu, & quadam quaſi proluſione contenti ſimus; nam ad reliqua, quæ ſuperſunt, nobis eſt properandum, cùm hæc παρέργως, & fermè perfunctoriè dicta ſint; atque aliàs fortaſſè vniuerſum hoc argumentum de induſtria copioſiùs proſequemur.

PRÆLECTIO QVARTA.

EXPOSVI ſtrictim, ac properanter meam ſententiam de ratione carminum conficiendorum, quæ huic noſtro æuo maximè (vti ego quidem iudico) accommodata eſt: nam priſcos illos aliter omninò facere debuiſſe, non inficior: nec cuiquam mirum videri debet, naturam rerum pro temporum varietate ipſam quoque interdum variari oportere. Sic etiam Comœdia (ne à poëſi diſcedam) carmine olim ſcribi conſueuit; ac ſanè non ſine magno vitio fieri aliter potuiſſet: nam Philodoxios Lepidi neſcio cuius, quam non ita pridem Aldus Manutius nobis obtruſit, non eſt tanti, vt aliter de hac re ſtatui debeat; præterquàm quod recentioris alicuius commentum videri poteſt: nam hiſce ſuperioribus annis non defuerunt, qui, vt doctis viris imponerent, ac per delicias fucum facerent, quoſdam auctores clanculùm ſubmittere conati ſunt, qui Conſolationem in Tulliolæ obitu, Orpheum, ſiue de Adoleſcente ſtudioſo: Fragmenta quæpiam Aſinij Pollionis, atque alia huius generis ὑπομνήματα, ſiue eorum ἀπομνημονεύματα iocular iter eis exhiberent. Nec defuerunt tamen docti viri, qui ab rebus ſuis ſerijs tantum ocij ſibi ſupereſſe voluerunt, vt de ementita illa Ciceronis Conſolatione pluribus diſputare in animum induxerint, atque etiam mortui adhuc (ſi Deo placet) veterem controuerſiam reuocauerint, quam tamen eruditorum Senatus iampridem non dubijs ſententijs videtur diremiſſe; dum cenſuit Antonium Riccobonum ſolidioribus vtique rationibus & argumentis niti ad eam opinionem ex animis aliquorum, qui lucubratiunculam illam pro Ciceroniana agnoſcebant, eximendam ac penitus extirpandam; de qua tamen ipſe interim ex meo ſenſu nihil aſſeueranter confirmo: neque enim eſt opus, aut hoc nunc agitur, ſed, quod alijs viſum fuit, è re nata breuiter cõmemoro. Nunc (vt eò reuertar,

A vndè paululùm deflexit oratio, méque ad propoſitum referam) poſtquam theatra in vſu eſſe deſierunt, in quibus comœdiæ populo recitabantur; nihil prohibet, quominus id poëmatis genus proſa quoque oratione conſcribatur: neque enim amplius carmine opus eſt, vt vocem maximè contendamus, quò ad vniuerſos, qui in vltima theatri parte ſpectatũ conſederint, ea peruenire queat, quod non aliter ſanè fieri poterat, quàm ſi numeris quibuſdam comœdiæ comprehenderentur. Etenim, ſi quis ſoluta oratione tàm contentè vocem extuliſſet, vt ab omnibus commodè exaudiretur, inſanus procul dubio

B videri potuiſſet; cùm in familiaribus ſermonibus, quos nimirum comœdia imitatur, ſubmiſsè loqui conſueuerimus: atque hinc factum puto, vt noſtri homines paucas admodum comœdias verſibus complexi fuerint: pleraſque earum ſoluta oratione ſibi condendas eſſe non immeritò exiſtimarunt: maluerunt enim hac in re noſtrorum temporum mores inſequi, quàm eorum hominum, qui longa iam annorum ſerie eſſe deſierunt, memores (vt reor) Pindaricæ illius ſententiæ. αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων. Sed, cùm abundè pro temporis opportunitate de tota re heſterno die locuti fuerimus,

C conſentaneum eſſe videtur, vt his interim omiſſis, propiùs ad inſtitutum noſtrum accedamus; ac fiet fortaſſe, vt vniuerſum hoc argumentum pluribus aliàs proſequamur: nam ſemper mihi res digna viſa fuit, in quam cogitationes ſuas docti viri conferrent. Atque hæc (vt meus fert animus) haud aliter ſe habent. Interim tamen ita carmina quondam, vt dimenſiones, & προσῳδίας leges, quas veteres nobis tradiderunt, diligenter cuſtodiam: quod quidem in illis poëmatiis, quæ plura, nec vnius generis (quemadmodum etiam heſterno die dixiſſe memini) hactenus diuulgaui, abundè me præſtitiſſe opinor.

D Igitur, vt ab his abeam, de Catullo, de Cybele, de Aty, de Galliambo, de huius poëmatis argumento non nihil breuiter attingamus. Iam primùm omnium ſatis conſtat Catullum Veronæ fuiſſe natum gente nobili Valeria; ingenij autem cultum Romæ cepiſſe, quo tempore Terentius Varro in ea claruit. Ibi eam puritatem Latini ſermonis eſt conſequutus, vt cæteris penè omnibus antecellat. Vſus eſt amicitia clarorum virorũ, in primis Cornelij Nepotis, ad quem etiam opus ſuum miſit. M. Tullij patrocinium meruit, ſicut ipſemet teſtatur hendecaſyllabo quopiam, Iulium Cæſarem vehementer odit: item Ma-

E murram, & Nonium Strumam. Dicitur amaſſe Clodiam fœminam prænobilem quidem, ſed impudicis moribus; ea eſt, quam ipſe alicubi appellat Leſbiam. Sed & Ipſitillæ cuiuſdam amore flagrauit, quæ exiſtimatur fuiſſe Veronenſis. Plura poëmatia ſcripſit, quæ partim extant, partim à veteribus grammaticis pro teſtimonio laudata ſcimus; ac nuper Veneris Peruigilium prodijt huius poëtæ nomine, cuius initium,

Cras amet, qui nunquam amauit, quique amauit, cras amet.

Deceſſit Romæ admodum iuuenis, vt pote qui ageret annum circiter trigeſimum. Hactenus ei

prænomen fuit Caio. Nuper visum est Iosepho Scaligero eundem Quintum appellare. Crederem homini Veronensi ex gente Magni Canis, vt ipse falsò iactat, de viro itidem nobili, ac Veronensi, si sibi credj postularet. Sed quoniam eiusdem Catulli testimonio vtitur, vt id nobis persuadeat, videamus, quantùm hoc valeat ad id, quod quærimus, ostendendum: nam, quod de Cuiacij manuscripto codice ait, penes eos fides sit, quibus codicem illum inspicere contigit; licet non tantum eius testimonio tribuendum esse censeam, vt propterea secundum Scaligerum sententia ferri debeat; atque ei ego interim sexcentos codices, quà typis, quà calamo exaratos contrà oppono, vt res ad vnius Catulli testimonium redigi videatur. Carmine in Ianuam ita scriptum reperias.

Verùm isti populo nænia, Quinte, facit.

Quare (inquit Scaliger) *qui illi* (Catullo nimirum) *Caio prænomen faciunt, possunt hac auctoritate permoti sententiam suam mutare.* Plus valet apud me summus tot librorum veterum, recentiorum, scriptorum, cusorúmq; cōsensus, quàm leuis cōiectura hominis vanissimi & arrogantissimi. Consentiunt autem plurimi, vt hic versus absit ab illa Elegia. Ex emendatioribus verò substituit alius.

Verùm isthæc potius ianitor ipse facit. alius,
Verùm istis auctorem esse facit populus. alius,
Verùm isti populo Di mala multa ferant.

Guarinus Veronensis patritius (vt puto) minorum gentium, certè Burdoni illi nobilitate nequaquam par, sed tamen vir non mediocriter eruditus, & fidei maximæ testatur vidisse se codicem manuscriptum, in quo sic legebatur.

Verùm isti populo ianua quid reficit?

Statius affirmat in manu exaratis omnibus ita spectari.

Verùm isti populo ianua, qui te facit.

In Maffei libro. *Popl i.*, ex qua scriptura ille deinde conformabat.

Verùm isti probri ianua quidque facit.

Vt dictum sit, *quidque* pro *quiduis, & quodcumque.* In meo, qui fuit Marcelli Ceruini, ad oram visebatur.

Verte istuc potius, ianitor ipse facit.

Magnus Scaliger ex suo, & peroptimo exemplari Gallicano legit.

Verùm isti populo nænia, Quinte, facit.

Atque hinc denique se euincere putat, Valerio Catullo prænomen fuisse Quinto, non Caio. Mihi secus omninò videtur, qui paruam omninò fidem esse adhibendam sciam incerto testi: sed & familiari multò minorem, præsertim ex domo Scaligeri producto, qui eos sibi valdè obsequentes habere consueuit. Nam, cùm aliqua noua lectio ei astruenda est, statim confugit ad domesticos illos suos amicos, à quibus nisi precariò testimonium elicere potest, eos tandem per ocium suo arbitratu fidiculis torquet & exagitat; vt, velint, nolint, ipsius sententiam confirmare cogantur. Denique huic testi non tutò creditur, præterquàm quod eius sermo non ad Catullum necessariò, sed ad aliquem alium, de quo tacitè poëta ille intelligebat, per-

A commodè referri potest. Denique alij longè plures, ac maioris auctoritatis testes reperiuntur, qui secus nobis persuadeant. Haud igitur probè iudicat bonus Scaliger de prænomine huius nostri poëtæ; non herclè meliùs, quàm de eiusdem eruditione magni filij magnus pater in Hypercritico: nam cur docti cognomen Catullo adhæserit, docet Franciscus Floridus Lection. subsec. lib. 3. cap. 9. quem vos consulere potestis; neque enim cuncta, quæ noui, in vnum locum congerere debeo. Sed de Catullo satis. De Cybele, & Aty hæc breuiter dixerim. Non aliam suis Dijs originem tribuit stulta
B gentilitas, quàm quæ fuit ipsorum hominum. Eos porrò ex terra ortum duxisse affirmabat, vnde oraculi Delphici mentem Iunius Brutus interpretatus fertur, quod cum Romæ imperium summum obtēturum respondit, qui prior matri osculum tulisset. Ea voce Brutus audita, veluti si prolapsus fuisset, terram osculo contigit, scilicet quòd ea communis mater omnium mortalium esset. Itidem Mater deorum terra fuisse perhibetur, cui pro rerum diuersitate varias quoque nuncupationes veteres indiderunt, nam & Ops & Cybele & Rhea & Brimò & Vesta & Ceres, atque aliis insuper nominibus
C fuit appellata. De hac si extat apud Lucretium lib. 2.

Quare magna deûm mater, materq; ferarum,
Et nostri genetrix hæc dicta est corporis vna.
Hanc veteres Graiûm docti cecinere poëtæ
Sublimem in curru biiugos agitare leones:
Aeris in spatio magnam pendêre docentes
Tellurem, neque posse in terra sistere terram.

Et quæ vos plura illic inspicere potestis; nam ego ad finem propero, id vt faciam, diei hora me submonente; ac nihilosecciùs in ipsa Galliambi explicatione complura de hac dea cōmemorabo, quæ à Strabone, Diodoro, Pausania, Lucia-
D no, Eusebio, Tertulliano, Arnobio, Macrobio, Lactātio, D. Augustino, aliisq; multis in scriptis relata sunt. Cybele, siue Magna mater in Phrygiæ quodam agro, cui nomen Pesinunti, sanctissimè olim colebatur, cùm illic è cælo decidisse quoddam simulacrum crederetur, cuius nec materia, nec artifex dignosci potuerit. In hoc Pesinunte olim Orgya celebrabantur secundùm ripas fluminis Galli; à quo deæ sacerdotes virilibus exectis, quæ ipsi sibi consultò amputabant, Galli vocabantur. Hinc Romam translatum simulacrum ad perpetuitatem imperij, propterea quòd responsum fuerit ab oraculo, rem Roma-
E nam ad summum auctum iri, si Pesinuntia dea Romam transferretur, quod factum fuit, veluti narrat Herodianus: Huius deæ meminit Ausonius Idyllio de Ferijs Romanis, si ipsius carmen legatur, quomodo ipse illud emendandum esse censeo; nam, quin perperam ad hanc vsq; diem circumferatur in cunctis impressis & calamo exaratis codicibus, non est dubitandum, idque docti viri iampridem animaduerterunt, ac suis scriptis testati sunt; carmen ita vulgò habet.

Vis neopesunte sacrum, vel Saturnalia dicam?

Vinetus admonet in exemplari fuisse,

Vis neopesante sacrum.——

Vnde conijcit, exscribi debere,

Vis ne Opis ante sacrum,

Neque alia sententia fuit Iusti Lipsij libro primo Saturnaliorum. Iosephus Scaliger edidit;

Vis ne ope sanctæ sacrum:

Addito tamen asterisco, vt intelligamus locum non esse vsquequaque sincerum. Mihi olim visum fuit, neque cur sententiam mutem, vllam caussam habeo, scribi legique debere,

Vis Pesinunte sacrum.

Vt de sacris magnæ matris loquatur Ausonius; neque hæc mea coniectura mihi adhuc excuti potest, vt est quilibet suarum rerum valdè amãs. Ac, quamuis de eadem magna matre dixerit idem auctor initio illius Idyllij,

Et Megalesiaca matris operta loquar.

Non puto perperam & abs re paulò post illud idem fermè iterari, cùm non vno mense festa Cybeles celebrarentur, sed pluribus; nam & sexto Kal. Aprilis, vt docet Ouidius in Fastis, solenni pompa carpentum, in quo vehebatur simulacrum Cybeles, Almonis vndis abluebatur, vel mense Martio, vt tradidit Ammianus Marcellinus, vel etiam Decembri, vt Varro & Macrobius scriptum reliquerunt: ergò varias illius deæ solennitates significare voluit Ausonius eo in loco. Hęc eadem Berecynthia fuit appellata, vel à Berecyntho Phrygiæ castello iuxta Sangarium fluuium, vbi colebatur; vel quòd Berecynthiis montibus præesset; vel à Berecyntho sacerdote qui primus omnium illius deæ sacra coluerit, ac monti in quo eam deinde prisci illi fuerunt venerati, nomen dederit: alij aliter tradunt, sed non omnia persequor. Atyos amore Cybelem correptam fuisse memorant; fuit autem Atys Lydius, qui primus sacrorum ritus quib. ea colitur, mortales docuit, & quibus deinde Phryges, Lydi, & Samothraces in sacris vsi fuerunt; nam, vbi ea ipsum castrauit, virilem vitam agere desijt, & muliebrem formã assumpsit ac vestes; quo corporis habitu per orbem obambulans, vbique sacra faciebat, &, quæ ipse passus fuerat, narrabat: cum hoc Cybeles rem habuisse perhibetur, quod cùm pater resciuisset, Atyn & nutrices interfecit, atque insepultos abiecit. Cybeles furore correpta passis crinibus vrbem sola psallendo circumijt, eamque Marsya sequutus fuit; vnde mos in ipsius sacris fanaticorum ritu discurrẽdi & comas iactandi, cuius, præter cæteros, meminit Lucretius. Hæc, & multa alia de Cybele & Aty veteres finxerunt, quæ nos vel tanquam nota, vel tanquam instituto nostro minimè necessaria consultò præterimus. Sed, quod eam virginem esse dixerunt, admirationem habet, cùm tot deos, ac deinde Titanas pepererit; vt propterea virginitatis repagula fracta, ac multipliciter disiecta habuisse necesse fuerit. Sed enim allusum fortasse videri potest ad Mæonis factum, qui fama de virtutibus filiæ permotus, eam antea à se domo eiectam ob facinus cum Aty amatore perpetratum, à quo nimirum grauida facta fuerit, reuocauerit pro virgine. Nisi potius dicamus, eam quoque mulierem quæ peperit, virginem interdum nuncupari, modo florentis sit ætatis; qua

A ratione apud Terentium legimus Adelphis. *puer natus; nihil habet virgo.* Festus quoque sic ait hac de re. *Sed fœminas, antiqui, quas nunc dicimus, viras appellabant: vnde adhuc permanent virgines, ac viragines.* Itaque docti quidam viri, quod in Hebręo habetur Genes. 2. cap. 23. *Vocabitur* ISSA, *quia de* IS, *id est viro sumpta est*, vertere maluerunt; *Vocabitur* VIRA, *quia de* VIRO *sumpta est.* nam vt ISSA ab IS, sic à VIRO VIRA dictione olim, vt ex Festo Pompeio docui, non penitus inaudita deriuatur. Vel, sicuti Græci νέας mulieres pulchras appellant, ita easdem à Latinis

B virgines dictas fuisse licet existimare; vt hinc scire possit Lilius Gregorius Gyraldus, cur dixerit D. Augustinus lib. 2. cap. 4. de Ciuitate Dei. *Ludis turpissimis oblectamur, qui dijs deabúsque exhibebantur, cœlestique virgini Berecynthiæ matri deorum omnium.* Nisi fortè libeat substituere hoc loco, *viragini*, pro *virgini*, quod mihi olim fermè videbatur; quomodò etiam apud Albricum philosophum illic, vbi de eadem loquitur dea. *Erat enim virgo fœmina in curru sedens.* Dicebatur autem *virago*, fœmina fortis & quæ viro similis esset, viriliaque opera patraret; hinc Iuturnam eo nomine appellauit Virgilius Æn. 12.

Hoc concussa metu mentem Iuturna virago,
C *Aurigam Turni media inter lora Metiscum*
Excutit. Et Hyppoliten Claudianus de Raptu Proserpinæ lib. 2.

——quoties Arcton populata virago
Hyppolyte niueas ducit post prælia turmas.

Dixi Gallos vocatos fuisse Cybeles sacerdotes à flumine Gallo, iuxta quod illi deæ sacra fiebant. hi Galli vel reuera furore perciti, vel certè eum simulantes in suorum Orgyorum celebratione comam per collum iactabant, diuersáque instrumenta pulsabant, & toto corpore fanaticorum more varios ac multiplices motus, eósque citatissimos edebant, simulque in honorem deæ car-

D mina canebant diuersi argumenti. Eos versus à Gallis sacerdotibus, & celeri pede iambo, qui frequens in ipsis adhibebatur, Galliambos veteres appellabant; de quibus, præter cætera, hæc reperiuntur apud Terentianum,

Noménque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos quòd esse Gallis habiles putant modos.

Quibus autem dimensionibus hoc carmen constet, non puto mihi esse nunc demonstrandum, cùm, præter ea, quæ Hephestion, Attilius, Diomedes, Fortunatianus, Seruius, ac Terentianus veteres atque optimi grammatici prodiderunt, in promptu sint Iulij Cæsaris Scaligeri, & M.

E Antonij Mureti pręceptiones de hac re: vt nihil interim dicam de Alexandro Guarino, Antonio Parthenio, & Palladio Fusco huius nostri poëtæ interpretibus; ad horum ego scripta vos interim reijcere satis habeo, videlicet ne sim lõgior. Nam Catulliani Galliambi argumentum, vnde illud poëta sumpserit, exponere necesse est, quod ita habet. Cùm Atys naui in Phrygiam vectus non sine magno amicorum cœtu ad flumen Gallum peruenisset, eius aquæ haustu ita mente alienatus fertur, vt sibi virilia execuerit, & vt idem comites sui facerent, auctor fuerit. tùm per aliquod tempus, vt mos sacrorum ferebat,

tumultuati, obdormierunt in nemore Cybeles: mane expergefactus Atys, cum ad se redijsset, cepit lamentari conditionem suam, & in patriam redeundi consilium inire. Tunc Cybele ipsius amore correpta leonem immisit, qui eum ita perterrefecit, vt is ab littore, quò iam processerat, in nemus confugere coactus fuerit, vbi reliquum vitæ suæ spatium Cybeles sacris addictus transegit; cuius exemplo deam rogat poëta, vt talis furor à sua semper absit domo. Hæc Catullus ex suo sensu nunc prosequitur, vel etiam eos scriptores sequutus est, qui hanc fabulam ita memoriç prodiderunt: nam auctores, quos nunc in manibus habemus, longè aliter ipsam recensent. Esse autem hoc poëmatium ad Catullum referendum, minimè dubio mediusfidiùs argumento euincitur: si quidem Terentianus Maurus grammaticus non incelebris, & ad cuius manus ob eius vetustatem minus multò deprauatos codices peruenisse credibile fit, quo loco de Galliambo versu loquitur, ita habet,

Seruasséque Catullum probat ipse tibi liber:
Super alta vectus Atys celeri rate maria.
Phrygium vt nemus citato cupidè pede tetigit.

Quod etiam confirmat Attilius Fortunatianus & ipse quoque vetustus inprimis rei grammaticæ scriptor; vt nodum in scirpo quærere videantur, qui Cæcilium auctorem huius carminis agnoscunt. Potuit ille quidem poëma de Cybele confecisse; quis hoc negat? Sed quo carminis genere id constiterit, nemo perspicuè docuit. Certè illud à suo poëta non fuisse penitus absolutum, confirmat hic noster;

Nam, quo tempore legit incohoatam
Dindymi dominam.

Et reliqua; rursus ibidem.

Magna Cæcilio incohoata mater.

Prægrauat igitur apud me rei certè non leuis auctoritas, quam apud vos quoque itidem prægrauaturam, me præsertim auctore ac magistro, nil planè dubito.

De Nvptiis Pelei et Thetidos LXV.

Pelliaco quondam prognatæ vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas
Phasidos ad fluctus, & fines Aæteos:
Cùm lecti iuuenes, Argiuæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrẽtes abiegnis æquora palmis:
Diua quibus retinens in summis vrbibus arces,
A *Ipsa leui fecit volitantem flamine currum,*
Pinea coniungens inflexæ texta carinæ,
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortaq; remigio spumis incanuit vnda,
Emersere feri canenti è gurgite vultus,
B *Æquoreæ monstrum Nereides admirantes.*
Illaq;, atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas,
Nutricum tenus extãtes è gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore:
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos:
C *Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.*
O nimis optato sęclorum tempore nati
Heroës saluete, Deûm genus: ô bona mater:
Vos ego sæpè meo vos carmine compellabo.
Teque adeò eximiè tædis felicibus aucte
Emathiæ columen Peleu, cui Iupiter ipse,
D *Ipse suos Diuûm genitor concessit amores.*
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem?
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quæ simul optatæ finito tempore luces
E *Aduenêre, domum conuentu tota frequentat*
Thessalia, oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt præ se, declarant gaudia vultu.
Deseritur Scyros, linquunt Phthiotica Tempe,
Graiugenásque domos, ac mœnia Larissæa.

Pharsalum

Pharsalum coëunt, Pharsalia tecta frequentant:
Rura colit nemo: mollescunt colla iuuencis:
Non humilis curuis purgatur vinea rastris:
Non glebam prono conuellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram;
Squalida desertis robigo infertur aratris.
Ipsius at sedes quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro, atque argento:
Candet ebur solijs: conlucent pocula mensis:
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Puluinar verò Diuæ geniale locatur
Sedibus in medijs, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchylis purpura fuco.
Hæc vestis priscis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores:
Nec dum etiam sesèque sui tum credidit esse,
Vt pote fallaci quæ tum primùm excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at iuuenis fugiens pellit vada remis,
Inrita ventosæ linquens promissa procellæ:
Quem procul ex alga mæstis Minois ocellis,

A *Saxea vt effigies bacchantis prospicit euæ:*
Prospicit, & magnis curarum fluctuat vndis,
Non flauo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta leui velatum pectus amictu,
B *Non tereti strophio lactentis vincta papillas.*
Omnia quæ toto delapsa è corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis allidebant.
Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans, toto ex te pectore Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mẽte.
C *A misera, aßiduis quam luctibus externauit*
Spinosas Erycina ferens in pèctore curas.
Illa tẽpestate ferox, & tempore Theseus
Egressus curuis è litoribus Piræi,
Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
Nã perhibẽt olim crudeli peste coactam
Androgenoæ pœnas exoluere cædis,
D *Electos iuuenes, simul & decus innuptarum*
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quîs angusta malis cùm mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proicere optauit potiùs, quàm talia Cretam
E *Funera Cecropiæ, ne funera, portarentur.*
Atque ita naue leui nitens, ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit, sedesque superbas.
Hunc simulac cupido conspexit lumine virgo

Regia, quam suauis exspirans castus odorès A
Lectulus in molli complexu matris alebat,
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Auráve distinctos educit verna colores,
Non priùs ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quàm cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis,
Heu miserè exagitans immiti corde furores.
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum,
Qualibus incēsam iactastis mente puellam
Fluctibus, in flauo sæpè hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quantùm sæpè magis fulgore expalluit auri!
Cùm sæuum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem oppeteret Theseus, aut præmia laudis,
Non ingrata, tamen frustra, munuscula Diuis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine, robur
Eruit: illa procul radicibus extirpata
Prona cadit, lateque & cominus obuia frangit:
Sic domito sæuum prostrauit corpore Theseus,
Nequiquam vanis iactantem cornua ventis:
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne Labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobseruabilis error.
Sed, quid ego, à primo digressus carmine, plura
B *Commemorem? vt linquens genitoris filia vultum,*
Vt consanguineæ complexum, vt denique matris,
Quæ misera ah gnatæ fleret deperdita luctu,
Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?
C *Aut vt vecta ratis spumosa ad litora Diæ?*
Aut vt eam dulci deuictam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore coniux.
Sæpè illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse è pectore voces,
D *Ac tum præruptos tristem conscendere montes,*
Vnde aciem in pelagi vastos protenderet æstus.
Tum tremuli salis aduersas procurrere in vndas,
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ,
Atque hæc extremis mæstam dixisse querelis,
Frigidulos vdo singultus ore cientem.
E *Siccine me patriis abductam perfide ab oris,*
Perfide deserto liquisti in litore Theseu?
Siccine discedens neglecto numine Diuûm
Immemor, ah deuota domum periuria portas?
Nulláne res potuit crudelis flectere mentis

Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,
Inmite vt nostri vellet miserescere pectus?
At non hæc quondam blanda promissa dedisti
Voce mihi: non hoc miseram sperare iubebas;
Sed connubia læta, sed optatos Hymenæos.
Quæ cuncta aërij discerpunt irrita venti.
Tum iam nulla viro iuranti fœmina credat:
Nulla viri speret sermones esse fideles.
Qui, dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
Sed, simulac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuêre, nihil periuria curant.
Certè ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, & potiùs germanum amittere creui,
Quam tibi fallaci supremo in tempore deesse.
Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibusque
Præda, nec iniecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe leæna?
Quod mare conceptum spumantibus exspuit vndis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vita?
Si tibi non cordi fuerant cõnubia nostra,
Sæua quòd horrebas prisci præcepta parentis:
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi iucundo famularer serua labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureáve tuum consternens veste cubile.
Sed, quid ego ignaris nequiquam conqueror auris
Externata malo? quæ nullis sensibus auctæ,
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.
Ille autem propè iam medijs versatur in vndis:
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore, sæua
Fors etiam nostris inuidit questibus aures.
Iupiter omnipotens, vtinam nec tempore primo
Gnosia Cecropię tetigisset litora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset nauita funem.
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes.
Nam quò me referam? quali spe perdita nitar?
Isthmoneósne petam montes? at gurgite lato
Discernens patriam truculentum diuidit æquor.
An patris auxilium sperem? quémne ipsa reliqui,
Respersum iuuenem fraterna cæde secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore?
Qui ne fugit lentos incuruans gurgite remos?
Præterea litus: nullo sola insula tecto,
Nec patet egressus, pelagi cingentibus vndis.
Nulla fugę ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta: ostentant omnia letum.

Non tamen antè mihi languescent lumina morte,
Nec priùs à fesso secedēt corpore sensus,
Quàm iustam à Diuis exposcam prodita multam,
Cælestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virûm multantes vindice pœna
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantis preportat pectoris iras,
Huc huc aduentate, meas audite querelas,
Quas ego, ve misera, extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti cæca furore.
Quę quoniam verè nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed, quali solam Theseus mę mente reliquit,
Tali mente, Deæ, funestet seque suosque.
Has postquàm mæsto profudit pectore uoces,
Supplicium sæuis exposcēs anxia factis,
Annuit inuicto cælestum numine rector,
Quo tunc & tellus, atque horrida contremuerunt
Æquora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem cæca mentem caligine Theseus
Consitus, oblito dimisit pectore cuncta,
Quæ mandata priùs constanti mente tenebat:
Dulcia nec mæsta sustollēs signa parenti,
Sospitem, & ereptum se ostendit visere portum.
Namque ferunt, olim classi cùm mœnia Diuæ
Linquentem gnatum ventis concrederet Ægeus,
Talia complexum iuueni mandata dedisse.

A *Gnate, mihi longa iucundior vnice vita,*
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida virtus
Eripit inuito mihi te, cui languida nondum
B *Lumina sunt gnati cara saturata figura:*
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundę:
Sed primùm multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso puluere fœdans:
C *Inde infecta vago suspendam lintea malo.*
Nostros vt luctus, nostręque incendia mentis
Carbasus obscura dicat ferrugine Ibera.
Quod tibi si sancti concesseris incola Itoni,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere fretis
D *Annuit, vt tauri respergas sanguine dextram:*
Tum verò facito, vt memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec vlla obliteret ætas:
Vt, simul ac nostros inuisent lumina colles,
E *Funestam antemnę deponant vndique vestem,*
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Quam primùm cernens, vt lęta gaudia mente
Agnoscam, cùm te reducem sors prospera sistet.
Hęc mandata priùs constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsę ventorū flamine nubes

Aërium niuei montis liquere cacumen. A
At pater, vt summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cùm primùm inflati conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum è vertice iecit;
Amissum credens immiti Thesea fato. B
Sic funesta domus ingressus tecta, paterna
Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tum prospectans cedentem mæsta carinam,
Multiplices animo voluebat saucia curas. C
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso Satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens Ariadna, tuóque incensus amore.
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant, D
Euœ bacchantes, euœ capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,
Pars è diuulso iactabãt mẽbra iuuenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cauis celebrabant Orgia cistis,
Orgia, quæ frustrà cupiunt audire profani.
Plangebant alij proceris tympana palmis, E
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant,
Multi raucisonis efflabant cornua bombis,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu,
Talibus amplificæ vestis decorata figuris,
Puluinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquàm cupidè spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere Diuis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus procliues incitat vndas,
Aurora exoriente, vagi sub lumina Solis,
Quæ tardè primùm clementi flamine pulsæ
Procedunt, leuiterque sonant plangore cachinni,
Post vento crescente, magis magis increbrescunt,
Purpureáque procul nantes à luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta,
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps è vertice Pelij
Aduenit Chiron portans siluestria dona.
Nam quoscunque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis vndas
Aura parit flores tepidi fecunda Fauoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus iucundo risit odore.
Confestim Peneos adest, viridantia Tempe,
Tempe, quæ siluæ cingunt superimpendentes,
Nereïdum linquens claris celebranda choreis
Non vacuus: namque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentáque sorore,
Flammati Phaëthontis, & aëria cupressu.

Hæc circum sedes latè contexta locauit, A
Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur solerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ,
Quam quondam, silici restrictus membra catena,
Persoluit, pendens è verticibus præruptis.
Inde pater Diuûm sancta cum coniuge, natisque B
Aduênit, cælo te solum Phœbe relinquẽs,
Vnigenámque simul cultricem montibus Idæ:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis tedas voluit celebrare iugales.
Qui postquam niueos flexerunt sedibus artus, C
Largè multiplici constructæ sunt dape mensæ.
Cùm intereà infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens vndique vestis,
Candida purpurea talos incinxerat ora, D
At roseo niueæ residebant vertice vittæ:
Æternumque manus carpebant ritè laborem.
Læua colum molli lana retinebat amictam:
Dextera tũ leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens,
Libratum tereti versabat turbine fusum: E
Atque ita decerpens æquabat semper opus dens,
Laneaque aridulis hærebant morsa labellis,
Quæ priùs in leni fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanæ
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hæ tum clarisona pellentes vellera voce
Talia diuino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiæ quod post nulla arguet ætas.
O decus eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiæ columen Peleu, clarissime nato:
Accipe, quod læta tibi pandunt luce sorores.
Veridicum oraclum. sed vos, quos fata sequuntur,
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Adueniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus: adueniet fausto cum sidere coniux,
Quæ tibi flexanimo mentem perfundet amore,
Languidulosque paret tecum coniungere somnos,
Leuia substernens robusto brachia collo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nulla domus tales vmquam contexit amores:
Nullus amor tali coniunxit fœdere amantes:
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persæpe vago victor certamine cursus
Flãmea præuertet celeris vestigia ceruę.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cùm Phrygij Teucro manabunt sanguine riui,
Troicaque obsidens longinquo mœnia bello
Periuri Pelopis vastabit tertius hæres.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpe fatebũtur gnatorũ in funere matres,

Cùm cineri incanos soluent à vertice crines.
Putridáque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Namque velut densas præsternens messor aristas.
Sole sub ardenti flauentia demetit arua.
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto,
Cuius iter cæsis angustans corporum aceruis,
Alta tepefaciet permista flumina cæde.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Denique testis erit morti quoque dedita præda.
Cùm teres excelso coaceruatum aggere bustum
Excipiet niueos perculsæ virginis artus.
Currite ducentes subtemina currite fusi.
Nam simulac fessis dederit Fors copiam Achiuis
Vrbis Dardaniæ Neptunia soluere vincla,
Alta Polyxenia madefient cæde sepulchra,
Quæ velut ancipiti succumbens victima ferro,
Proiiciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Quare agite, optatos animi coniungite amores,
Accipiat coniux felici fœdere Dinam,
Dedatur cupido iamdudum nupta marito.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Non illam nutrix orienti luce reuisens,
Hesterno collum poterit circumdare filo.
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Anxia nec mater discordis mœsta puellæ

A *Secubitu, caros mittet sperare nepotes.*
Currite ducentes subtemina, currite fusi.
Talia præfantes quondam, felicia Pelei
Carmina diuino cecinerũt omine Parcæ.
Præsentes namque antè domos inuisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu,
Cælicolæ, nondum spreta pietate, solebant.
B *Sæpe pater Diuum templo in fulgente reuisens,*
Annua dũ festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra Cretum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnassi è vertice summo
Thyadas effusis euantes crinibus egit,
Cùm Delphi tota certatim ex vrbe ruentes
C *Acciperent læti Diuum fumantibus aris.*
Sæpe in lethifero belli certamine mauors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo
Armatas hominum est præsens hortata cateruas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiámque omnes cupida de mente fugarunt,
D *Perfudêre manus fraterno sanguine fratres,*
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primæui funera nati,
Liber vt innuptæ poteretur flore nouercæ,
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est Diuos scelerare penates:
E *Omnia fanda, nefanda, malo permissa furore,*
Iustificam nobis mentem auertêre Deorum.
Quare nec tales dignãtur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

ANT. PARTHENIVS.

PELIACO *quondam prognatæ vertice pinus.*] Poëta decantaturus Thetidis & Pelei nuptias, ab Argonautarum nauigatione carmen elegans ingeniosè orditur, regiarúmque nuptiarum apparatus describens, in Bacchi & Ariadnes nuptias amoréſque digreditur, postremò Parcas nuptiale carmen canentes, atque Achillis fata prædicentes inducit. De Argonautarum nauigatione hoc habet historia. Iasonem tradunt Æsonis filium extitisse nepotem Peliæ Thessalorum regis, qui cùm esset robustus corpore, animique præter cæteros suæ ætatis elati, aliquid memoria dignum agere optans ex superiorum exemplo, maximè Persei, aliorúmque plurium, exarsit animo ad illorum opera imitanda. Itaque communicato cum rege consilio, Pelias eius desiderio assensit, non vt adulescentis gloriam augeret, sed sperans illum in belli expeditione periturum. Hanc suspitionem occultam tenens, pollicitus est se belli auxilia laturum, si expeditionem in Colchos pararet, ad vulgatum vellus aureum rapiendum. At Iason laudis appetens, cùm certamen difficile, non tamen impossibile, propositum videret, sed quo maius eo se ampliore gloria victorem fore, necessaria ad id bellum parauit. Primum iuxta montem Pelium nauem ædificauit, magnitudine atque apparatu lõgè maiori, quàm quæ ad eam diem fieri consueuerint. Valerius autem Flaccus in Argonauticis scribit Iasonem à patruo Pelia sub hortationis specie iussum, velleris aurei rapiendi expeditionem suscipere.

PINVS.] arbor est apta nauigiis.

PROGNATÆ *vertice Peliaco.*] ortę in Pelio monte Thessaliæ. Nam (vt scribit Diodo.) iuxta Pelium nauem ædificauit, de cuius nauis ædificatione extat illud Ennianũ, *Vtinam ne in nemore Pelio, securibus cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes, néue inde nauis incohandæ exordium cœpisset, quæ nunc nominatur Argo.*

PHASIDOS *ad fluctus.*] Phasis fluuius est in Colchide. per quem ex mari ascenderunt Argonautæ ad Æetæ regnum.

ÆETEIOS.] ad fines regni Aeetæ Colchorum regis. Aeeta Solis filius vxorem habuit Hecatem, quæ, perempto Perse patre, patruo nupsit, tréſque liberos genuit: duas fœminas, Circem & Medeam, marem vnum Egialeum nomine.

LECTI.] electi ex tota Græcia.

IVVENES.] numero quinquaginta fuerunt heroës, quorum principatus Herculi datus est, quamquam Iason nauis & expeditionis auctor erat, vt scribunt Flaccus & Dio.

ROBORA.] vires, fortitudo: nam omnes ferè erant heroes.

AVRATAM *pellem.*] vellus aureum, secundũ fabulas. Phrixus & Helle Athamantis filij ex Græcia fugientes, ac transfretantes, super aurei velleris ariete, Helle in pontum delapsa Hellesponto nomen dedit. Phrixus cum in Colchida peruenisset, arietem immolauit, pellem Martis

A templo dicauit. Sunt qui tradant arietem fuisse nomen pædagogi, quo duce, Phrixus in Colchos peruenit. plura legito apud Dio. Siculum.

PVPPI *cita.*] naui Argo (quam teste Diodoro) quidam putarunt dictam Argon ab eius celeritate: Num ἀργὸς significat velocem. Flaccus tamen & idem Dio putat denominatam ab Argo eius architecto. Cicero autem ab Argiuis Argo dictam arbitratur: quoniam Argiui in ea delecti pellem inauratam arietis petebant.

PALMIS.] remis, inde diminutiuum palmulæ, & est palma latior remi pars aquas ruens.

QVIBVS.] iuuenibus ausis talia, & est datiuus casus est: est autẽ ordo. Quibus iuuenibus B diua retinens arces in summis vrbibus fecit currum volitantem leui flamine.

DIVA *retinens arces.*] Pallas arcium tutelam habet: arces enim Palladi sacratæ sunt. Quod ideo fingitur, quia de capite Iouis nata est, sed quia dea est artiũ & ingenij, ideo hæc ficta sunt, nihil enim est excellentius ingenio, quo vniuersa reguntur. Virgilius.

Pallas quas condidit arces Ipsa colat.

Pallas igitur à Valerio Flacco Apollonium secuto fingitur ex Thespiis quendam architectum Argon nomine seuocasse, ac nauim in Argon ingeniose fabricare imperasse. legito Flaccum li. I.

ARCES.] montium apices & loca summa tu- C telæ vrbium arces appellantur ab Arcadibus, teste Solino.

CVRRVM.] pro naui acutè dixit, alludens ad Palladium currum, aut certè imitatione terrestris currus, quod nauis aquas percurrat.

INFLEXÆ.] incuruæ.

ILLA *rudem cursu prima imbuit Amphytritem.*] hypallage: secundum fabulas ait, hanc nauim primam maria nauigasse, vt Luc. de eadẽ scribẽs,

Inde lacessitum primo mare cum rudis Argos
Miscuit ignotas temerato littore gentes.

Plin lib. VII. *Longa naue Iasonem primum nauigasse Philostephanus auctor est.* Mella vero asserit maria D nauibus adire, ac classe confligere, imperitare gentibus, & pleráque alia esse inuenta Phœnicum: cui opinioni astipulatur Tib. his versibus.

Vtque maris vastum prospectet turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyrus.

Plin. autem multùm diuersa scribit hunc in modum. Nauem primus in Græciam ex Ægypto Danaus aduexit, ante ratibus nauigabatur inuentis in mari Rubro inter insulas à rege Erytra. Reperiuntur qui Mysios & Troianos priores excogitasse in Hellesponto putent cum trãsirẽt aduersus Thracas, sed (vt Diodorus scribit) E Pluto secundum Cretenses primus nauigandi arte inuenta classem instituit, eiúsque præfectus est à Saturno factus.

RVDEM.] imperitam nauigationis adhuc sibi ignotæ.

AMPHYTRITEM.] pro mari posuit. Fuit autẽ Amphytrite filia Nerei & Doridos, vt scribit Hesiodus: Tortellius cũ Seruio aliud sentit.

QVÆ.] carina, nauis.

FERI *vultus.*] aut feris similes, aut quia variarum ferarum imagines belluis esse dicuntur, vt Varro & Plin. docent: Ideò quædam aquatilia

ferarum nomina sortiuntur, vt aselli, lupi, mulli, torpedines, & similia.

CANDENTE.] spumoso.

NEREIDES.] marinæ nymphæ, Nerei & Doridos filiæ, sunt enim maris monstra in humanam effigiem. Galliæ legatus diuo Augusto scripsit apparuisse in littore exanimes Nereides. Plin. auctor.

MONSTRVM.] monstruosam nauim, præter naturæ modum aquas tentans. nam monstra dicuntur omnia naturæ modum egredientia, vt sensit Festus.

OCVLI *mortales.*] mortalium hominum oculi.

ILLAQVE *atque alia luce.*] sensus. Illo die atque sequentibus mortaliū oculi viderunt nymphas nudis corporibus extantes tenus vberibus extra maris vndas.

NYMPHAS *marinas.*] Nerei & Doridos filias numero quinquaginta, vt scribit Hesiodus. Item ex Oceano & Tethy natæ sunt nymphæ circiter octo & triginta, quarum omnium nomina refert idem Hesiodus.

TENVS *nutricum.*] tenus vberibus & mammis, quæ nutriunt fœtus. Obseruatum est, vt tenus in singulari numero cum ablatiuo, in plurali vero magis cùm genitiuo construatur, vt Vir.

Et crurum tenus.

TVM *Thetidis Peleus incensus fertur amore.*] tanta est poëtarum licentia in abutendis vocabulis, vt plura & diuersa nomina in vnum plerúmque confundant. vnde effectum est, vt quod sit diuersarum personarum, vni tantum attributum ingentem lectoribus pariat errorem, vt in hoc nomine Thetis. cuius tamen diuersum significatum diuersa scriptura interdum demonstrat. Thetis igitur, syllaba priore breui aspirata, Chironis filia Peleo nupsit, &(vt Flaccus, Apolloniū secutus, in primo scribit) Peleo Achillem peperit, antequam ad Colchicam expeditionem cum Argonautis se conferret, sed Catullus fabulam magisquàm historiam incipiens scribit, Peleum tum primùm Thetidem nouisse maris deam, cum in Colchidem nauigaret. Qui fabulæ error inde ortus est, quod & Thetis simillimo nomine fuit filia Nerei & Doridos, quam vult Catullus primum nunc à Peleo adamari cœptam, ac tandem in vxorem ductam: fuit item Tethys syllaba secunda aspirata, & cum y. Græco scripta, filia Cœli & Telluris, & Oceani soror & cōiux, ex quo flumina genuisse traditur ab Hesiodo, qui scribit Thetidem Nerei & Doridos filiam Peleo nupsisse, atque Achillem genuisse.

HVMANOS *Hymenæos.*] hominis matrimonium. Nam ex quinquaginta Nerei filiabus, duæ mortalibus nupsisse feruntur, Psamathe, Aeaco: Thetis, Peleo.

PATER.] Iuppiter, aut Nereus Thetidis pater.

SENSIT.] pro consensit. Nam cum à Protheo audisset ex Thetide oriturum filium, qui paternam maiestatem superaret, nympham, cuius ardentissimo flagrabat amore, nepoti suo filio Peleo ducendam concessit: timuit enim exemplum suum, ne quomodo ipse Saturnum patrem, ita quandoque ipsum filij regno eiicerent. Vnde Sta.

Magnanimum Aeacidem formidatamq́; Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam succedere cælo, scripsit.

TEMPORE *nimis optato.*] tempore felici, quod omnes mortales optant.

O HEROES *nati.*] vt Virgil.

Magnanimi heroes nati melioribus annis.

TE *aucte.*] te ô Peleu, cuius dignitas aucta est immortalibus Thetidis nuptiis.

COLVMEN.] præsidium totius Thessaliæ.

TETHYS.] Cæli & Telluris filia, & Oceani soror & coniux.

SVAM *neptem.*] Thetidem secundam, quæ fuit Oceani & Tethyos neptis, nam Oceanus & Tethys genuerunt multas nymphas, inter quas fuit Doris, ex qua & Nereo nata est hæc secunda Thetis.

NEPTVNINE.] patronymicum est linguæ Hellados, & est ordo. Te ne tenuit pulcherrima Thetis Neptunine id est, filia Neptuni, qui & Pontus dicitur ab Hesiodo. Neptunine igitur patronymicum est, vt Nerine à Nereo, Adrastine ab Adra. concessit ne duceres Neptuni neptem filiam Nerei, qui filius dicitur fuisse Ponti, quem Neptunum appellat poëta.

QVÆ *luces.*] qui dies nuptiales. Thessalia, à Thessalo filio Hæmonis, à quo Hæmonia nuncupata fuit, teste Stra. Pharsalia à Pharsalo oppido, Aemathia ab Aemathione duce, vt sēsit Iusti.

DONA *ferunt.*] hic mos etiam nostris seruatur temporibus, vt nuptiis regiis sui populi munera conferant vniuersi.

PRÆ SE *declarant.*] ostendunt sua gaudia ex regis nuptiis concepta. Nam principum commodis decet omnes gaudere.

SCYROS.] insula obiecta littori Thessalico. Nam (vt scribit Strabo in nono) frequentes contra Magnesia Thessaliæ littora incumbunt insulæ. Clarissima vero est Scyrus propter Lycomedis cum Achille affinitatem. Scyros (vt tradit Pli. à Naxo quatuordecim millia passuum, Homeri sepulchro venerāda, longitudinis xxv. mil. passuū, olim Phœnice appellata. Scyros, per prolepsim præoccupat, nam nondum affinitas cum Peleo Lycomedi regi Scyrio erat, propter quam Scyrij ad has nuptias se conferrent.

PHTHIOTICA.] Thessalia à Phthia vrbe Achillis patria.

DOMVS *Graiugenas.*] Thessalicas à Graio rege, vnde Graij dicti sunt.

LARISSA.] Thessaliæ vrbs, item Larissa & in Creta & in Peloponneso & in Eubœa & in Asia & in Attica: legito Strabonem in nono.

HVMILIS *vinea.*] aut quia vitis imbecilla est, aut certè quia (vt scrib. Columella) in Epyro & Thessalia breuissimæ sunt vites, & penè per terram errantes.

IPSIVS *at sedes.*] regiarum nuptiarum luxus & apparatus describitur.

GAZA.] Persarum lingua thesaurus dicitur.

PVLVINAR.] pro plumeo lecto & geniali thalamo, in quo noua nupta cubitura est cum sponso.

GENIALE.] coniugale.

INDO *dente.*] ebore Indici elephantis, ad dif-

ferentiam eboris Maurici, vt Iuuenalis.

Dentibus ex illis quos mittit porta Syenes,

Conchilis *purpura.*] purpura ex conchilio pisce: est enim conchilium ex genere concharum, de quo & purpura legito multa apud Plinium libro nono, cap. xxxvi.

Hæc *vestis.*] pro tapete siue aulæo ponitur. Nam vestis generaliter dicitur qua quicquid induitur, aut etiam tegitur, vt vestis stragula, qua lectus cubiléque tegitur.

Namqve *fluentisono.*] digressio poëtica. Ecbasis apparationis, seu ornatus causa. talis habetur in tapetibus fabula depicta, quemadmodum Theseus in Cretam profectus cum septem virginibus & sex maribus pro tributo annuo Minoi persoluendo, parta de Minotauro victoria Ariadnam Minois filiam suo amore captam abstulit, eámque in insulam Dia, quæ Naxos dicitur reliquit. Bacchus ab Indis reuertens ac puellam in littore insulæ conquerentem inueniens, illam amplexu cõsolatus sibi vxorẽ coniugauit.

Diæ.] Naxi insulæ, quæ prius Dia dicebatur, vt Plinius, Strabo, Diodorus scribunt. Plin. lib. iiii. *Naxus à Delo, xviij. mil. passuum cum oppido, quam Strongylen, deinde Diã, mox Dionysiada à vinearum fertilitate, alij Siciliam minorem aut Callipolin appellarunt. Patet circuitu. lxxv. mil. passuum, dimidióq; maior est quam Paros.* scribit autem Diodo. cum Theseus in Cretam nauigasset, Ariadne Minois filia, eius specie ac decore capta, consilium operámque dedit Minotauri occidendi, & Labyrinthi egressum docuit, deinde cum Ariadne noctu clam recedens in insulam appulit, aliquando Dian, nunc vero Naxon vocitatam: eo tempore Dionysium ferunt pulchritudine Ariadnes captum, cum à Theseo virginem abstulisset, eam vxorẽ duxisse. Plura legito apud Diodo. lib. IIIII.

Tvetvr.] idest, intuetur, aspicit.

Fvrores.] furibundos.

Nec *dum etiam sese q; sui tum credidit esse.*] sensus est, Quia vix à somno excitata est, cum iam Theseus abiret, non adhuc credebat seipsam esse suam, hoc est, ignorabat seipsam quænam esset, adeo attonita erat.

Irrita *ventosæ linquens promissa procellæ.*] sic verba nullum effectum habentia dicuntur à ventis dissipari. Naso:

Irrita ventosæ rapiebant cuncta procellæ, & alibi:
Et iubet Aeolios irrita ferre Notos. Tibullus:
Irrita per ventos & freta summa vehant.

Minois.] Ariadna filia Minois, qui filius fuit Astrei regis Cretensis, & Europes à Ioue olim raptæ, auctor Eusebius.

Saxea *vt effigies.*] ordo est, Minois vt saxea effigies Euæ Bacchantis prospicit, procul ex alga, mœstis ocellis.

[illegible]væ.] Bacchæ thyadis, ab εὖ εὖ voce Bacchantum, aut ab Euante Bacchi cognomine.

Svbtilem *mitram.*] aut pro muliebris capitis ornamento posuit, aut certe mitram dicit qua regum filiæ vtuntur. Virgil. non mitram, sed coronam appellauit lib. I.

Duplicem gemmis auróq; coronam.

aut mitram pro thyara posuit. Est autem mitra (vt scribit Seruius) barbararum gentium incur-

A uus pileus, de quo pendet buccarum tegimen. hoc Phrygij maxime vtuntur, quod Hiarbas in Aeneam exprobrauit: *Mæonia mentum mitra crinémq; madentem Subnixus.*

Strophio.] strophion (vt Catul. planè indicat) fascia est pectoralis ad puellares mãmas deuincendas. Marcel. sic: *Strophion fascia breuis, qua virginearum papillarum errorem coërcet.* Hæc à Mar. fascia pectoralis lemmate appellatur. cuius distichon est,

Fascia crescentes dominæ compesce papillas:
Vt sit quod capiat nostra, tegátque manus.

στρόφιον autem græci (vt ait Suidas) accipiunt pro
B volubili quodam & torque. Est item strophion (vt Festus scribit) insigne quoddam, latine stropus, quod pro insigni ponebatur in capitibus sacerdotum, alij id coronam esse dicunt, de quo Plinius lib. xxi. de coronis tractans hæc scribit, *Tenuioribus coronis vtebantur antiqui strophia appellantes, vnde nata strophiola. Quin & vocabulum ipsum tarde inde est communicatum, inter sacra tantum & bellicos honores coronis nomen suum vendicantibus.*

Allv[illegible]bant.] commouebantur, agitabantur, Terent. in Adelphis: *Sinito hunc congrum in aqua ludere paulisper.*

Vicem.] sortem. Horat.

C *Vicéjque superbe Te manent ipsum.*

Erycina.] Venus ab Eryce Siculo monte, in quo Aeneas matri templũ posuit, vt ait Virg.

Erycino in vertice sedes Fundabat Veneri Idaliæ:

erat item Veneris Erycinæ templũ Romæ apud portam Collinam, vt Strabo in sexto testatur, cuius etiam Naso in fastis meminit sic: *Templa frequentari Collinæ proxima portæ Nunc decet, à Siculo nomina colle tenet.* Erat præterea Veneris Erycinæ ædes in Capitolio ab Attilio Fabio, vt scribit Liuius libro XXIII. extructa.

Externavit.] exterruit, exanimauit, à mente alienauit. Marcellus autem exponens hunc locum ait:

Externauit pro consternauit, dementem fecit.

D Spinosas.] noxias, molestas.

Serens.] inserens pro seminans.

Illa *tempestate ferox.*] ordine poëtico eleganter vtitur, cuius lex est, historias tractandas non à primo exordio, sed rerũ medio incipere, & postmodum tandem ad rei principium reuerti. Hãc enim Thesei & Ariadnes historiã superius exorsus erat à miserrima Ariadnes destitutione: nunc ad rei principium, idest, ad Thesei historiam reuertitur.

Pyræus *Pyræi.*] & Munichia duo celeberrimi Athenarum portus naualibus aptissimi fuêre. Est
E Pyræus trisyllabum est. secunda per æ diphtongũ græcè scribitur. πειραιεὺς ἢ πειραιῆς, ιῶς. Prop.

Inde vbi Pyræi capient me littora portus.

Cortynia.] Cretensia à Cortyna vrbe Cretæ.

Templa.] pars pro toto nam principum regum, qui idem erãt etiam sacerdotes, domus tẽplum aliquod habebãt: alibi tamẽ non tẽpla, sed tecta legitur, quæ rectior mihi videtur lectio.

Electos *iuuenes.*] septẽ mares, & totidẽ puellę innuptæ tributo Minoi singulis annis soluebantur ab Atheniẽsibus. Notissima est historia. Vir.

In foribus lethum Androgeo, tum pendere pœnas

Cecropidæ iussi miserum septena quotannis
Corpora natorum, stat ductus sortibus vrna.

Duos fuisse Minoes legito apud Diod. lib. IIII. Nā primus parata classe maris imperio potitus est. Pli. in septimo, *Classe princeps depugnauit Minos.*

QVIS.] pro quibus.

AVGVSTA.] sancta, Palladi sacrata.

IPSE.] Theseus. Socrates & Plutarchus atque eos secutus Cicero, Theseum Neptuni filium fuisse testantur, quibus & Hyginus astipulatur. Diodorus autem modò tradit Theseum ex Aethra Pictei filia, & Neptuno natum esse, modò planè subdit Thesei fuisse Aegæum, Theseáque nutritum in Trœzene, penes Pictæum maternū auum. Legito amplius Diodorū. Alij verò, quos Ouid. & Catullus præsertim sequuntur, Theseum Aegæi, Aegæum vero Neptuni filium fuisse scribunt. vnde illud Iuuenalis.

Perque tuum pater Aegæi Neptune tridentem.

PRO *caris Athenis.*] quas ipse ex duodecim vicis primus muro cinxit. Cecrops enim primùm multitudinem in ciuitates duodecim habitandas digessit. Theseus vero postea illas duodecim in hanc vnam cōgregasse ciuitatē denuo memoratur. Plura qui volet legat apud Strabonē li. IX.

CECROPIÆ.] Athenarum à Cecrope, qui ex nomine suo vnam de duodecim, tribum seu ciuitatem nuncupauit.

SVPERBAS.] nobiles, aut crudeles ob impium tributum.

CVPIDO *lumine.*] Tibullus,

Si nescis oculi sunt in amore; &c.

VIRGO *regia.*] Ariadne.

COSTVS.] inter odorum genera costus habetur pretiosa, cuius sic meminit Plinius libro duodecimo capitulo duodecimo, *Radix & folium Indis est maximo pretio, radix costi gustu feruens, odore eximio, frutice aliàs inutili.*

QVALES.] apta comparatio pro puellari venustate monstranda.

MYRTVS.] arbor littoralis calidis locis gaudens, ideo Veneri sacrata. de huius generibus plura superiùs dixi.

EVROTÆ.] Eurotas fluuius Laconiæ regionis.

IN *corde miti.*] in corde puellari, quod mite humanúmque solet esse.

AVRAVE.] Zephyrus verno tempore spirās.

FLAMMAM.] flammeum & igneum amorem, vsitatissima pro amore translatio.

SANCTE.] diuine, humana stultitia cōsecrate.

QVIQVE *regis Colchos.*] Venus cum filio Cupidine apud Colchos superstitiosissimè colitur, vt Flac. in Argonautis plerúmque tangit, & poëta noster supra testatur de Venere scribens,

Quæque Ancona, Gnidúmque arundinosam colis:
Quæque Amathunta,
Quæque Colchos Idalium Cypri nemus,

de quo superius satis dictum est.

FLAVO *hospite.*] flauus in amantibus color gratissimus habetur, vtpote viuidior atque calidior. & ideo Veneri gratior. Hora.

Permisit expertus fidelem
Iuppiter in Ganymede flauo.

TIMORES.] amor semper in timore versatur, vt apud Ouidium Penelope.

A *Res est solliciti plena timoris amor.*

SÆVVM *monstrum.*] Minotaurum.

PROMITTENS.] Ariadna pro Theseo, cuius amore iam cœpit flagrare.

NAM *velut.*] aptissima similitudo ad vacillantē, seu titubantem amantis animū demōstrandū.

TAVRO.] Taurus mons Asiæ variis nominibus pro regionum quas tangit, varietate appellatus, vt Solinus & Mella, atque Plin. scribunt.

SVDANTI *cortice pinum.*] Pinus cortex resinam exudat. Plin. autem scribit. *Pinus fert minimum resinæ, interdum & nucibus ipsis, de quibus dictū*

B *est, vixque vt ascribatur generi. pinaster nihil aliud est quam pinus syluestris, mira altitudine, & à medio ramosa, sicut pinus in vertice, copiosiorem dat hæc resinam.*

SÆVVM.] crudelem Minotaurum.

INDE.] à Minotauro mortuo:

REGENS *vestigia.*] vt eum Ariadna docuerat. Virgil. in VI.

Dædalus ipse dolos tecti, ambagésque resoluit,
Cæca regens filo vestigia.

Hyg. vero in tractatu de corona aliter Theseum euasisse Labyrinthum scribit. legito eum.

FRVSTRARETVR.] deciperet & falleret Theseū.

LABYRINTHEIS.] Labyrinthos, portentissimum humani ingenij opus, quatuor fuisse scrib. Plin. Primus fuit in Aegypto, factus ante annos

C tria millia sexcentos à Petesucho rege siue Tithoe. hinc vtique sumpsisse Dædalum exemplar eius Labyrinthi, quem fecit in Creta, non est dubium: sed centesimam tātùm portionem eius imitatum. Tertius fuit in Lēno. Quartus in Italia, quem fecit sibi Porsena rex Hetruriæ sepulchri causa, simul & vt externorum vanitas quoque ab Italis superaretur.

INOBS. *error.*] error, qui etiā obseruando euitari non possit. Virg. hoc ingeniosè imitatus inquit,

Hic labor ille domus & inextricabilis error.

EGO *à pri. de. car. s.*] à principali carminis mei proposita narratione, quæ sic procedere à prin-

D cipio cœpit, quòd Theseus ad Minoem venit, Ariadne vero eū conspectū adamare cœpit: sequitur itaque per ordinē sic. Ariadne igitur filia genitorē & cōsanguineæ cōplexum, matrē denique Thesei amoribus postponēs, illū secuta est, relicta patria: aut per præoccupationē, talis est sēsus, sed nō opus est vt ego à Pelei nuptiis digressus, quod principale & primum est mihi carmen, plura commemorem de Ariadne, & tamen dicit verborum interiectione plura.

CONSANGVINEÆ.] Phædrę, quę filia fuit Deuc. Ariadnes fratris, eā enim vt filiam amauit Ariad.

MATRIS.] Pasiphaes, quæ Solis & Cretæ nymphæ fuit filia.

E QVÆ *deper.*] oppressa, exanimata Pasiphae.

LVCTV *misero nata.*] miseris lachrymis pro absente nata fusis.

CONIVX.] Theseus, qui coniugium perpetuum iureiurando puellæ promiserat.

ACIEM.] visum oculorum.

CONSCENDERE.] pro conscendisse.

TOLLENTEM.] eleuantem.

TEGMINA.] tunicas, quæ etiam suras tegūt.

MOLLIA.] tenuia.

AESTVS.] fluctus æstuosos.

Siccine *me patriis.*) omnis oratio pathetica abruptum initium habet, vt, *Me ne incepto desistere victam?* Nec tamen tale habet initium, sed etiã omnis oratio pathetica breuibus sententiis crebris figurarum mutationibus, velut inter æstus iracundiæ, fluctuare debet, vt hæc tota Ariadnes conquestio formata est.

Siccine.) inter cæteras talis orationis figuras creberrimè fit interrogatio, seu percontatio perbreuis, Has ante omnes querelas imitatus pene ad verbũ Oui. in epist. Ariadnes ad Theseũ.

Perfide.] qui. fidem mihi iureiurando à te datam frangis.

Nvmine *diuum.*) per quos iurasti mihi fidẽ.

Devota *periuria.*) exectationibus meis ad infortunium destinata.

Apisci.) adipisci. Lucilius: *Vt ego hinc fugiam, quod ego te, inprimis cupere apisci intelligo.*

Nil *metuunt iurare.*] Naso in arte,

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum:
Et iubet Æolios irrita ferre Notos.

Germanvm.] Minotaurũ fratrem meum.

Dilaceranda *dabor feris.*] hic in littore deserto relicta à feris sum deuoranda.

Alitibvs.] cum periero ab alitibus deuorãda.

Neqve *tumulabor.*] quia nemo hic in insula adest.

Iniecta ter.] quod sepulturæ genus habebatur. Virgilius.

Aut tu mihi terram inijce. Horatius.
At tu nauta vagæ ne parce malignus arenæ,
Ossibus & capiti inhumato particulam dare,

Qvod *mare.*] aut dicit hoc, quia Theseus Neptuni filius dictus est, aut certè (vt scribit Gelli.) poëtæ ferocissimos & alienos ab humanitate, tanquam è mari genitos Neptuni filios dixerunt, vt Cyclopa, Cercyona, Lestrygones.

Qvæ *Syr. quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis.*] hinc Virg. pene ad verbum,

Quæ Syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit. Homerus in xvi. Iliad.
——οὐκ ἄρα σοί γε πατὴρ ἦν ἱππότα Πηλεὺς
οὐδὲ Θέτις μήτηρ, γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα,
πέτραι τ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής.

Qvæ *leæna.*] vt scribit Virg.

Duris genuit te cautibus horrens,
Caucasus: Hircanæq; admorũt vbera tigres. Ouid.
Te lapis & montes innataq; rupibus altis
Robora, te sæuæ progenuère feræ,
Aut mare quale vides.

Sæva *fors.*] crudelis fortuna.

Prisci *parentis.*] veteris Aegæi.

Invidit.] inuidendo abstulit, aut vetuit, vt,

Liber pampineas inuidit collibus vmbras.

Nostris *questibus inuidit auras.*] meis querelis negauit auras, ne ad hominum aures deferrẽtur.

Ivppiter *omnipotens.*] hos versus Virg. diligenter æmulatus est, & ad verbum pene transtulit:

Felix heu nimium felix, si littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

Gnosia.] Cretẽsia. Gnosos Cretę vrbs à Curetibus Corybantibúsque condita, vt scribit Euse.

Cecropiæ.] Athenienses.

Indomito.] qui ante Thesei aduentum indomitus fuerat.

A Stipendia.] ad historiæ veritatem retulit, nã quatuordecim Atheniẽsis nobilitatis liberi Minotauro in stipendium singulis annis dabantur. Philochorus (teste Euse.) scri. Taurũ Minois magistrum fuisse inhumanũ atque crudelẽ, & quia Minos super mortẽ Androgei agonẽ statuerat, præmij nomine, pueros Atticos largiẽs, & ille in agone fortissimus vniuersos superabat, tandem factum est, vt à Theseo in palæstra superaretur.

Religasset.] soluisset Cretam versus.

Crvdelia.] crudelitates.

Dvlci.] blanda.

Consilivm.] scilicet euadẽdi Labyrinthi,

B nã (vt Diod. scri.) Adriadna Thesei specie ac pulchritudine capta, & cõsiliũ operámq; dedit Minotauri occidẽdi, & Labyrinthi egressũ edocuit.

Nam *quò me referam.*] alia conquestio miseranda à loco desolatissimo.

Idmeneos *ne petam montes.*] sunt qui exponant montes Idmeneos, idest Cretenses, ab Idomeneo rege Cretensi. Sed inepta quidem est expositio, cùm quod talis syncopa incognita est in propriis & propriorum nominum deriuatis, tùm vero quòd post Ariadnẽ per multos annos fuit Idomenæus. Ego autẽ puto locum esse vetustate deprauatum. non esset absurdũ si legeretur.

Idæósne petam montes ab Ida Cretensi.

C An *patris auxilium.*] à causa, quia cogitur nihil ex patre sperare.

Langvescent *lumina morte.*) bono vsus est ordine, nam (vt tangit Plin.) oculi lucis vsu vitam distinguunt à morte, primùm ergo mortis signum in oculis est, deinde reliquorum sensuum amissio sequitur.

Mvlctam.] supplicium, pœnam, & est vocabulum Oscum.

Nvllo *littus sola insula tecto.*] iterum à loco misericordiam commouet.

Qvare *facta virũ mulctantes vindice pœna Eumenid.*] iracũda & muliebris imprecatio. obseruatũ

D autẽ est in oratione pathetica indignationẽ cõmouente, vt ad extremũ orationis finẽ, maledicta ira indignationem euomente diffundantur.

Deæ *Eumen.*] furiæ, ô diræ aspirate meis votis.

Invito *numine.*] contraria dicere videtur ꝙ annuerit, & inuitus fecerit, quod Dei non est. Sed annuit Iupiter iustæ vltionis imprecationibus, inuitus autẽ fecit, motus Thesei & Aegæi misericordia, & ꝙ diuinitas promptior ad pietatem quã ad vltionẽ esse cõsueuit, Ariadnę proditę honestè negare non potuit, iustæ sed vltionis, votũ.

Qvo.] numine.

E Tvnc *tellus atque horrida contremuerunt æquora.*] hæc est Dei maiestas & infinita potestas, quam & Apollo Milesius de Iudæorum numine consultus sic expressit.

Ἠδ' ἦν βασιλῆα καὶ φρίσσει περὶ πάντα
Οὐ τρέμεται γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠ δὲ θάλασσα
Τάρταροί τε μυχοὶ καὶ δαίμονες ἐκπερίδουσι
Et Horatius.

Reges in ipsos imperiũ est Iouis Clari gigãtæo triũpho
Cuncta supercilio mouentis. sic Virg.
Annuit et totum nutu tremefecit Olympum.

Mvndvs.] cælum. Nam Plin. ait, *Mundum & hoc quod nomine alio cælum appellari libuit.*

Concvs-

CONCVSSITQVE *mi. si.*) sic Home.

SIGNA.) vela candida in signum salutis conseruatæ.

DVLCIA *pa.*) quæ procul visa iucunditatẽ Ægæo parenti Thesei dedissent.

CALIGINE.) obliuione, quæ est mentis tenebrosa caligo.

DIVÆ) Palladis, vnde appellatæ sunt Athenæ, ἀπὸ τῆς Ἀθηνᾶς.i.à Pallade, vt Naso confirmat, scribens, *Dictas à Pallade terras.*

REDDITE.) restituite mihi in extrema senecta: nam (vt scribit Diodo.) Theseus vt Herculis gesta imitaretur, mare ingressus, adiecit animũ ad ea certamina, quæ laudem & gloriam sibi essent allatura: & primùm Corinetum, deinde Schinen, Schyronem, Cerciona, Procustem, pernitiosos homines sustulit, quib. rebus gestis Athenas in patris regnum peruenit, vt & Catul. nunc tangit, dicens,

Reddite in extrema nuper mihi fine senectæ.

hæc omnia legas apud Ouid. lib. VII. Metamor. Post autem Athenarum ingressum, Minotauri expeditionem suscepit. De Thesei gestis plura legito apud Diodo. & Plutarchum.

VIRTVS *fer.*) fortitudinis definitio.

CVI.) mihi.

LANGVIDA *lu.*) oculi seniles iam annis languentes.

CANICIEM *terra atque infuso puluere fœdans.*) hoc in summis doloribus, atque supremis calamitatibus factitabant antiqui, vt Home. de Achille Patrocli necem lugente demõstrat, & Vir. de Latio atque Allete Pallantis nutricio scribit: sic Ægæus filium in certum Minotauri periculũ mittens, mœrorẽ suũ capitis fœdatione testatur.

DICET.) demonstret: nam & indico, indicis dicitur: sed principum est indicere. i. dicendo mandare & denunciare.

FERRVGINE *Ibe.*) ferrugo (vt scribit Seru.) est purpura nigrior Hispana, vt Virg.

—— *Et ferrugine clarus Ibera.* &c,

Tum caput obscura nitidum ferrugine texit.

Item idem alibi scribit: *Ferrugo coloris genus est, qui vicinus est purpuræ subnigræ, & Ibera non Hispana, sed Pontica.* hæc Seruius cuius expositionẽ miror cùm Iberam modò Hispanam exponat, modò neget Hispanã esse. Marcellus autem tradit, *Ferrugineum colorem ferro similem esse volunt, verùm ferrugineus cæruleus est.* Vir. *Et ferrugineos hyacinthos.* Crocũ item (vt asserit duobus in locis Pli.) gramen seu granũ rubens est Galatiæ oppidi Hispaniæ: eius vsus est in cõchylij colore. ferrugo igitur Ibera (vt opinor) coccineus cõchylio mistus color est. hîc autem Catullus ferrugineũ non coccineum, scilicet subnigrum cæruleo admistum intellexit, vt Virg.

Et ferruginea subuectat corpora cymba. &c,

Tum caput obscura nitidum ferrugine texit.

QVOD *ti. si. san. con. inc. Ithy.*] Ithyon templum Mineruæ Palladis Athenis vetustum in saxo surgit: in quo lucis inextinctę lychnus est, & virginũ domus ab Ithyne conditore Ithyon appellata, & à Plin. verbo Græco Parthenonia dicta, in qua est Palladiũ, siue Mineruæ ex ebore Phydiæ opus perfectum. Est præterea Ithon mons Thessaliæ

A Palladis templo celeberrimus, vnde Ithonia Pallas dicitur, Festo & Stra. auctorib. & apud Pausaniã elegans extat epigrãma: quo à Pyrrho Celtarũ spolia Palladi Ithoniæ dicata fuisse ostẽditur.

INCOLA.] habitatrix.

SANCTI *Ithy.*] sacratæ Parthenoniæ ab Ithyno conditæ. Deprauata est apud Strabonem interpretem dictio Ictinus pro Ithynus.

ANNVIT.] concedit.

QVÆ *no. ge.*) nam Athenarũ tutela Minerua est.

TAVRI.) Minotauri.

FVNESTAM *ue.*) nigra vela, quibus antenna

B & malus vestiuntur.

NOSTROS *col.*) è montibus Atticis maximè hi sunt nobiles, Hymetus, Brilessus, Lycabethus, Parnes, & Corydalus.

LVMINA.) oculi tui.

NIVEI *mon.*) pro niuosi.

VT.) sicut vel quando.

PROSPECTVM.) ad prospiciendum.

MINOIDI.) Ariadnæ.

QVÆ.) Ariadna.

ASPECTANS.) procul aspiciens Thesea ad se aspiciendam reuertentem.

PATER *Ina.*) Liber pater, Bacchus: nam cùm

C Theseus in Dia permanens per somnum Dionysium sibi, nisi Ariadnam dimisisset, minitantẽ vidisset, timore perculsus, muliere dimissa, ex insula discessit. Diony. noctu sumptã Ariadnã in mõtẽ tulit, qui appellatur Drios, & primũ euanuit vt deus: tũc quoq; Ariadne non ampliùs visa est.

CVM *thy.*) thyasus, Bacchica saltatio dicitur.

SATYRORVM.) Satyri, Panes, Silenus, Fauni. Siluani, dij agrestes Bacchi comites sunt. vltra Theon meridionalẽ montẽ Panas & Satyros animalia incolere mella nõ fabulosũ esse scribit.

SILENEIS.) Silenus nutritor, siue pædago-

D gus Bacchi fuit. de quo Horat.

An custos famulúsq; dei Silenus alumni. inde Silenus à Cat. formatum nomen. Nisigenas autem appellauit Nisæ vrbis Indicæ Baccho sacratæ incolas Sileneos, quia Bacchi & Sileni sunt comites.

OE.) monosyllabum est: sic apud Iuue. legendum est, *Satur est cùm dicit Hora. eu oe.* interpretes autem legunt ohe bissyllabum interiecta aspiratione. Sed Horatij verba à Iuuenale repetita falsam esse lectionem demonstrant, quæ sunt hæc,

E *Eu oe recenti mens trepidat metu,*
Plenéque Bacchi pectore turbidum
Lætatur eu oe parce Liber,
Parce graui metuende thyrso.

EV *oe.*) vtraque dictio Græca est, & aspiratione caret. scribitur enim εὐοῖ.

TECTA *cus. thyr.*) tota Catulli lectio doctæ vetustatis plena est: pendet enim ex historia, cum tecta cuspide dicat, Nam (vt docet Macrobius) thyrsus est hasta seu telum latens, cuius mucro est hederis inuolutus ac contectus: Bacchus namque thyrso & ceruulorum pellibus instructus, thyasos exercet, vt Euripides his docet versibus,

Θύρσους ἀνάπτων, καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχων,
Στεφανοῦντα κρᾶτα κισσίνοις βλαστήμασι.

PARS *diuulso iacta men. in.*] nam Bacchanalis cœtus per montes saltúsque discurrens, vitulos aut iuuẽcos vel fortè oblatos, vel studiosè compertos frustulatim discerpebat, ac circumferens terribiliter ostentabat: sic Persius ex Neroniano carmine de Mænadibus inquit,

Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris. ——

ORGIA.] Bacchi sacra sunt apud Latinos, quanquam apud Græcos quæcunque sacra deorum τὰ ὄργια dicuntur. ὀργιάζω sacrifico, & festa duco, significat.

OBSCVRA.] nocturna.

CAVIS *cistis.*] tympanorum descriptio: aut certè cistis .i. vannis, siue cribris mysticis, quibus antiqui vtebantur in mysticis Bacchi piaculis. hanc cistam mysticam Inachi vannum dixit Virgil. in Georgicis:

ORGIA *quæ frustra cupiunt audire profani.*] nam his sacris, nulli nisi iisdem initiato interesse licebat: profanos autem his Orgiis se immiscẽtes aut fugabant aut discerpebant. Hæc nefandissima Bacchanalia sacra nocturna primùm Romæ cognita, suppliciisque coërcita, atque, Valerio Flacco & Portio Catone Censoribus, prohibita ac tandem sublata sunt, vt plenissimè scribit Liu. lib. IX. quartæ Decadis.

PLANGEBANT.] percutiebant.

CORNVA.] quorum cantu Bacchanalia celebrantur: vnde Persius ex Neronis versibus recitat: *Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.* quanquã hic apud Persium versus aliter à Porphyrione legitur.

BOMBOS.] pro sonitu strepenti posuit, vt apud Persium: sed propriè bombus à Græcis dicitur culicis & apis sonitus.

TIBIA *bar.*] aut ad ritus Barbaricos facta, aut certè à Barbaris inuenta: nam vt docet Plin. obliquam tibiam inuenit Mydas in Phrygia, geminas tibias Marsia, in eadem gente Lydios modulos Amphion.

TALIBVS *amp. ve. dec. fi.*] perita digressionis cõclusio, quæ ad eadẽ verba, à quibus incepit, reuertitur in fine, & in principio huius fabulosæ digressionis inquit:

Hæc vestis priscis hominum variata figuris.

AMPLIFICE.] magnificè. aduerbium est.

PVLVINAR.] lectum plumeum, vt suprà:

Puluinar verò diuæ geniale locatur.

DECEDERE.] pro cedere. de abundat.

SANCTIS *diuis*] aut Peleo & Thetidi, aut certè diis, qui ad nuptias celebrandas se contulerant cesserunt, abieruntq; post omnium apparatuum contemplationem.

QVÆ.] quas picturas spectando.

EXPLETA.] satiata est iuuentus Thessala.

DIVIS] qui paulò pòst venientes recipientur, Peneus, Doris, Prometheus, Iupiter, Iuno.

HORRIFICANS.] horridum faciens.

SVB *lumina.*] circa primum Solis ortum.

VAGI.] nunquam eundem toto anno circulum seruãtis: nam singulis diebus singulos gyros conficit: siue quod verisimiliùs est, vt astrologi tradunt, Sol à primo puncto Cancri vsq; ad primum Capricorni punctum firmamẽti raptu cẽ-

A tũ octoginta duos parallelos circulos designat: qui numerus duos dies ad singulum parallelum consumi demonstrat. Vagum igitur Solem dixit per tot parallelos annuo cursu transeuntem.

QVÆ *pulsæ.*] vndæ s.

CACHINNI.] pro marino murmure posuit.

PVRPVREA.] rubicunda luce auroræ: nam & ab Homero ῥοδοδάκτυλος ἠὼς dicta est.

NANTES.] affluentes, dilabantes.

VESTIBVLI *tecta.*] id est vestibulum regiorũm tectorum, vt sit hyppallage: est autem vestibulum prima ianuæ pars exterior camerato fornice ianuam tegens à Vesta dea dictum, vt Serui. & Oui. scribunt. Macr. autem & Gell. alias afferunt huius verbi deriuationes.

B A *se qu. vago pass. pede dis.*] ordo est: quisq; pede passim vago discedebãt à se .i. vnus ab altero discedebat pedibus errantibus, & passim vagantib.

ABITVM.] discessum.

PELI.] Pelion mons est Thessaliæ, in cuius antris versatus est Chiron Centaurus Achillis maternus auus & præceptor, Saturni & Phyllires filius.

FOECVNDA *aura tepidi Fauo.*] paucis verbis Fauonij deriuationem, & naturalem vim tetigit: nam Fauonius, qui & Zephyrus dicitur, tepidus est, dictus à fouendo, quia fœcundus est & fouet

C cuncta in terris nascentia. vnde Lucretius auram genitabilem appellauit, scribens,

Et reserata viget genitabilis aura Fauoni.

PLEXOS.] complicatos.

QVIS.] pro quibus.

PERMVLSA.] delinita, mollefacta suauitatibus.

RISIT.] resplenduit, complacuit. translatio ab homine ad locum: nam qui ridet facie resplẽdet, & consequenter placet. contrà tristis facies nubila & tenebrosa est, ideò displicet aspicientibus.

PENEOS.] fluuius Thessaliæ ante cunctos

D clarus, ortus ex Pindo monte iuxta Gomphos, intérque Ossam & Olympum nemorosa conualle defluens quingentis stadiis dimidio eius spatio nauigabilis: acceptísque Thessaliç amnib. per Tempe ad erumpendum progreditur: hæc ex Plinio atque Stra. Peneos, nominatiuus Græcus, & est zeugma: nam ab inferiori subauditur linquens. sit ordo. Peneos linquẽs viridantia Tẽpe adest Peneum autem fluuium à Peneo Oceani & Tethyos denominatu fuisse scribit Diodor.

LINQVENS *Tempe.*] nam (vt scribit Pli.) in Penei fluminis cursu Tempe vocantur quinque millium passuũ longitudine, & fermè sex latitu-

E dine, vltra visum hominis attollẽtibus se dextra leuáque leniter conuexi: iugis, intus sua luce viridãte allabitur Peneus viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu.

DORIS.] subauditur, adest à superiore: Doris autem maris dea Oceani senis & Tethyos filia, Nereíque vxor fuit, vt canit Hesiodus, legitur & Chloris dea florũ, quę lectio si probetur, mniosũ non habebit expositionẽ: itaq; arbitror has duas dictiones corrũptas, ac de iis valdè quærendum.

MNIOSIVM.] Nereũ .i. mare. mniosius autẽ dicitur quasi algę de*: nã μνίον alga, & θεὸς deus dicitur

lingua Dorica. sunt qui legant Minosium, id est mare Cretense à Minoë rege, sed lectio talis & expositio perquàm ridicula est, nec verò secunda syllaba quæ in Minoë longa est, talem interpretationem probat.

NONACRIIS.) Arcadicis: à Nonacri Arcadico monte, à quo Arcadiæ pars Nonacria dicta est. sunt qui Nonacriam totam Arcadiam dici putent. montis Nonacrios meminit Pli.

CELEBRANDA *choreis Nonacriis.*) cur Dorida choreis Nonacriis celebranda dixerit Catul. alij viderint.

ILLE.] Peneus.

PLATANO.) platanus arbor transmarina vmbrarum deliciis atque conuiuiis familiarissima, & vmbrarum gratia tantùm ex alieno petita orbe. de qua plura legito, si lubet, apud Pli.

LENTA *sorore Phaëthon.*) sola Cyrhode Asopi filia, vt Pherecides & Eustachius senserunt: aut vt Oui & alij nostri scribunt, ex Climene genuit Phaëthontem, Aeglem, Lampetiam & Phaëtusiam. Phaëthonte autem in Eridanum lapso atque extincto, sorores eius prædictę fratris fatum in Padi ripis lugentes, in arbores populos conuersæ sunt, vt Oui. Metamorpho. eleganter explicuit. Virg. in x. tetigit.

Námq; ferunt luctu Cycnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondes vmbrámque sororum
Dum canit. ———

Silenus tamen apud Virg. in Bucol. canit,

Tum Phaëthontiades musco circundat amaræ
Corticis: atque altè proceras erigit alnos.

Et notãdum quod Phaëthon trium syllabarum est: nec vllam habet diphthongum, cùm apud Græcos scribatur, vt Φαέθων Home.

Ἠέλιος Φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.

Varro tamen (teste Fabio) per Synæresim protulit inusitatissimam in talibus literis.

FLAMMATI.) participium sine verbi substantia, vt Virg.

Talia flammato secum dea corde volutans.

AERIA.] alta.

CVPRESSVS.] Ouidius scribit Cyparisson puerum ab Apolline amatum, & in arborem sui nominis mutatum. Seruius autem in Georgicorum primo ex Virgilij verbis, coniecturam fortasse ducens, Cyparisson à Siluano adamatum, & in arborem mutatum fuisse tradit.

HAEC.) has arbores.

VESTIBVLVM.] ianuæ regiæ Pelei.

PROMETHEVS.] Prometheus Climenes & Iapeti filius; Atlantis, Mœnethei, Epimetheíque frater, cum Iouem sacrificiorum osseorum fraudibus decepisset, ignémque ab ætherea sede furto subductum mortalibus reddidisset, Iouis imperio, ferrea cathena in Caucaso monte Scythiæ, intestina eius aquila assiduè corrodente, alligatus ad tricesimum annum fuit, vt Aeschylus sensit. Cùm autē Iupiter (vt superius dictum est) Thetidis connubiũ pulchritudine ductus peteret, illo tempore Parcæ cecinerunt fata, quæ perfici natura rerum voluit, quicunq; Thetidis esset maritus, eius filiũ paterna virtute fore clariorē: quod solerti prudentia intelligens Prometheus, non voluntate, sed necessitate vigilans, auditum

A Ioui nunciauit. Iupiter autē huiusmodi fatũ veritus, Thetidísq; connubiũ deuitãs, Prometheo meritã pro beneficio retulit gratiã, cúmq. vinculis liberauit, ac Thetidis & Pelei nuptiis interesse iussit, sed non remisit suppliciũ, quod illi iurauerat: nam memoriæ sempiternæ gratia ex vtraque re. i. ex lapide & ferro, Promethea sibi digitũ vincere iussit, qua postmodũ cõsuetudine homines vsi, quò satisfacere Prometheo videretur, annulos lapide, ferróq; cõtusos habere cœperũt.

VESTIGIA.] signa.

EXTENVATA.] penè deleta & euanescẽtia sanatione, post aliquot solutionis annos: aut vestigia extenuata. i. pedes attenuatos compedum corrosione.

B

VETERIS *pœna.*] veteris supplicij, ad quod Iouis ęternum fore iurãtis iussu fuerat alligatus.

PATER *diuum.*] Iupiter.

CONIVGE.] Iunone.

NATIS.] filiabus, quod tamen non placet: nam potiùs dixisset natabus: sed cum natis i. filiis Vulcano & Mercurio: cum quibus & Venus intelligitur, Apolline atque Pallade relictis.

VNIGENAM) Mineruam ex Iouis cerebro vnigenitã: sola enim ex Iouis cerebro nata dicitur.

C

PALLADA *cultricem Ithyni.*) nam, vt suprà dictum fuit, Pallas est incola sancti Ithyni: quod Mineruæ virginib. domiciliũ est, arce Atheniẽsi Periclis opera perfectum.

NAM *i. p. s. a. ess.*] Apollo enim & Pallas aspernati sunt bis nuptiis interesse. Æschylus autē cõtraria sensit, scribẽs Apollinem Thetidis & Pelei nuptiis Epithalamion cecinisse, ac vaticinatum futuram felicitatem, quod Thetis apud Aeschylum multis verbis conqueritur.

QVI.) dij superius nominati.

D

INFIRMO.) instabili, nutanti ad fatorũ confirmationem, aut gestus cantantium expressit.

VERIDICOS *cantus.*) vera & fixa fata, cantus autem vaticinia à cano quod interdũ est diuino, vt, *Ipsa canas oro.* ——— &,

— capiti cane talia demens Dardanio. ———

VESTIS *candida.*) hic est habitus Parcarum, felicia statuentium fata. alij legunt quæstus: ego verò sentio legendum esse, vestis candida.

ORA.) limbo vestis extremitate, quæ instita etiam dicitur.

RESIDEBANT.) repositæ erant. alias residere est cessare & otiosum esse. vnde resides dicuntur: interdum verò significat quiescere. Hor. III. Odarum: *Bellum resedit protinus.*

E

RITE.) de consuetudine sua.

AETERNVM *laborem.*) fatum æternum & immutabile.

COLVM.] antiqui, teste Prisciano, indifferenter protulerunt hic & hæc colus: vnde Catullus amictum participiũ masculino genere apposuit.

DEDVCENS.] deducere proprium est mulieris filum agentis, vt sensit Seruius, exponens illud Virgilianum: *Deductum dicere carmen.*

LIBRATVM.] suspensum aut immissum. Mart. *Quam certa fuit librato dextera telo.*

TVRBINE.] impetu, aut volutione.

ATQVE *ita decerpens æquabat semper opus dens.*] nentium mulierum morem eleganter expressit.

Morsa.] hoc morsum declinauit.

A

Lanæ candentis.] candidæ pro felicibus fatis deducendis.

Calathisci.] hic calathus, eius diminitiuū calathiscus, forma Græca, vt Syrus, Syriscus.

Virgati.] virgis contexti.

Divino.] vaticinante, diuinante. vt Horat.

Diuina mota anus vrna.

Perfidiæ.] falsitatis, mendacij.

O *decus eximium.*] hoc est Parcarum Epithalamion canentium vaticinium super Thetidis & Pelei nuptiis fatum, quo Achillem fortissimū ex illis oriturum, ac plurimas Troianis strages daturum esse canunt. Thetidis autem & Peleos Epithalamion cecinit Apollo, & penè omnia quæ hic à Parcis dicuntur prædixit, vt scribit Claudianus.

B

Nato.] propter filium Achillem claros honores adepturum.

Colvmen.] præsidium aut tutelam: & est ordo, ô Peleu clarissime, nato decus eximium augens, Æmathiæ columen.

[Accipe.] i. intellige.

Æmathiæ.] Macedonia (vt Iustinus scribit) ante à nomine Æmathionis regis, cuius prima virtutis experimenta in illis locis extant, Æmathia cognominata est. priùs Æmathiam fuisse dictam testatur Plin. Luc. autem Æmathiam, Macedoniam, Thessaliam, & Pharsaliam pro eadem prouincia indistinctè posuit: cū apud Plini. Strabonem, atque alios multos Geographos Thessalia sit ab Æmathia diuersa: Catu. item: Æmathia pro Thessalia dixit.

C

Læta lvce.] felici die nuptiali.

Sorores.] Parcæ.

Sed vos.] apostrophe ad fusos fata nentes.

Cvrrite.] properè voluite: est autem versus intercalaris sæpissimè repetitus.

Svbtegmina.] stamina, vel pensa.

Hesperus.] nam (vt superiùs etiam alio Epithalamio dixit poëta) vespertina hora noua nupta ad virum deducebatur.

D

Portans.] afferens.

Optata *maritis.*] desideria vobis nouis cōiugibus.

Favsto.] felici.

Sidere.] dictat enim quæ sidera te excipiant.

Animo *flexo.*] in tua vota inclinato & iam placato, cum ante abhorreret à coniugio.

Paret.] appareat & instituat.

Langvidvlos.] ab effectu, quia faciunt homines languidos.

Lenia.] nitida, mollia.

Svbsternens.] supponens, vt Tibul.

E

Huic tu candentes humero suppone lacertos:
Et magnæ regum despiciantur opes.

Tales.] tam pares, támque felices.

Tali *fæ.*] tam fida coniunctione.

Expers *ter.*] impauidus, magnanimus. vt,

Magnanimum Aeacidē, formidatámque Tonanti
Progeniem. —— canit Papinianus.

Notvs.] noscendus. sed notus dixit poëta ex persona sua.

Præverter *celeris ue. cer.*] hoc in Homero legitur, πόρτω πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Flammea.] velocia. nihil enim velocius igne.

Vestigia.] pedes.

Phrygii *ri.*] Xanthus & Simois; hoc item ex Homero sumpsit.

Obsidens.] media syllaba producta ex ob & sido.

Longinqvo.] pro longo & ferè decennali. longinquum autem magis de locorum distantia dicitur, quàm de tempore, vt longinqua prouincia India Scythiáque dicitur.

Tertius *ha. Pe.*] Agamemnon à Pelope tertius: nam Pelops Tantali filius Thyestem & Atreum genuit; ex Atreo nati sunt Agamemnon & Menelaus.

Periuri.] quia periurio decepit Myrtillum in Hippodamiæ certamine, vt fabulæ tradunt: historiæ autem veritatē legito apud Diodorum Siculum circa quinti libri finem.

Matres.] Troianæ mulieres.

Pvtrida.] anilia.

Variabvnt.] liuore, percussionibúsque maculabunt.

Scamander.] Troiæ regionis est fluuius. tres enim fluuij ex quodam Idæ colle oriuntur, Scamander, Granicus, & Esapus. Sed duo posteriores in Septentrionem & Propontidem tendunt. Scamander verò ad occasum discurrit, distátq; ab illo viginti stadiis. Scamandarius itē priùs appellabatur Hectoris filius, qui postea Astianax dictus fuit, vt scribit Homerus.

Qvæ *pass. rap. ciff. Hel.* nam (vt Stra. describit) Scamandri ostium in Hellespontū prorumpit.

Tepefaciet.] secundā syllabā produxit licenter, cùm vbiq. apud alios naturaliter corripiatur.

Bvstvm *Achillis sepulchrum.*] apud Sigæum Troiæ oppidum extructum; fuit item ibi Achillæum oppidum iuxta tumulum Achillis à Mytilenæis conditum, vt testatur Plinius.

Terræ *excelso agg.*] alij legunt *teres bustū ex. agg.*

Virginis.] Polyxenæ. Achillis enim Polyxenæ amore capti, ac Paridis dolo perēpti, vmbra sæpe Græcis ad Troiam adhuc bellantibus apparuisse fertur, ac petiisse Polyxenæ morte suis vmbris & Manibus parentari debere: quod capta Troia Pyrrhus pius filius, Polyxena ad patris tumulum ducta, executus est.

Fessis.] longo bello fatigatis. hinc Horat.

Et ademptus Hector
Tradidit fessis leuiora tolli
Pergama Grais.

Vincla.] coagmentationes, iuncturas, & lapidum compages.

Neptvnia.] Neptuni manibus facta.

Trvncvm.] truncatum.

Qvare.] conclusio.

Conivx.] maritus Peleus.

Non *il. nu.*] sensus est, Nutrix Thetidis mane non ampliùs ad Thetidem afferet stamina nenda, neq. illam circundabit pensis glomerandis, quia non amplius sit puella, sed iam facta sit maxima matrona.

Orienti *luce.*] primo mane.

Circvndare.] circunsepire: nam ita solent plerúnq; nutrices suas alumnas multis fusis deglomerandis circundare.

HESTERNO *filo.*] hesterna die facto.

COLVVM.] genitiuus pluralis est trisyllabus à quarta declinatione, aliter non stat versus.

MOESTA *puel. discor.*] sensus est, Nec mater Thetidis mœrebit vnquam propter vllam filiæ suæ cum viro discordiam, aut propter separatam à viro noctem: non enim vnquam à viro discordabit, aut ab eius nocturno amplexu secedet Thetis.

SECVBITV.] separato procul à viro cubitu. Secubare est seorsum & procul cubare.

MITTET.] pro dimittet: non enim desperabit de nepotum generatione ob aliquem filiæ à viro secubitum.

PARCÆ.] à partu dictæ.

PRÆSENTES *namque ante domos.*] moralis totius carminis conclusio, moralísque ratio: cur sit credendum humanis cœtibus deos olim interfuisse, ac tandem mortales sceleribus contaminatos deseruisse.

PIETATE.] iustitia, cuius has facit partes Plotinus, innocentiam, concordiam, amicitiam, pietatem, religionem, affectum, humanitatem. Cic. addit fidem & veritatem,

SPRETA.] ab hominibus contempta. Sic Ouidius.

Nondum iustitiam facinus mortale fugarat.

C CENTVM *currus.*] certamina Olympica dicit.

TERRA.] per terram.

TEMPLO *ful.*] templum Olympium intelligit.

LIBER *vagus.*] aut quia semper cum sua turba vagatur, aut quia vagans totam Asiam & præsertim Indiam percurrisse fertur.

EVANTES.] Bacchantes.

VERTICE *summo Par.*] nam, vt scribit Luca.

Et quantum occiduo tantum summotus Eoo
Cardine, Parnasus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo, Bromióque sacer, cui numine misto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.

In Phocide regione Bœotiæ adiuncta Parnasus poëtarum carminibus celeberrimus, ad occiduos Phocidis montes locatus est: eius latus in occasum prospectans Locri & Ozolæ possident: australe verò Delphi. locus sanè petrosus & theatri formam habens: in eius cacumine templum surgit & oppidum. Plinius autem scribit, *Introrsus liberũ oppidum Delphi sub monte Parnaso clarissimi in terris oraculi Apollinis.* plura Stra. addit. Tortelij deliramenta penè anilia de Parnaso eiúsq. iugis meminisse piget. Tantum hoc addidisse mihi sit satis: Heliconem montem à Parnaso separatũ esse in Bœotia, Cytheronem verò in eadẽ Bœotia saltum fabulis carminibúsque celebratum, ac propè Thebas finiri, vt ex Strabone, Mella, Plinióque legitur.

IN *letifero certamine.*] vt sæpissimè fecit in bello Troiano, teste Homero.

HERA *Tritonis rapidi.*] Pallas Tritonia appellata est, vt scribunt Mella, & Lucanus, à Tritone fluuio Africæ. Diodorus autem Siculus etiam hoc testatur. Idem ait, *Tradunt Palladem in Creta ex Ioue apud fontes Tritonis fluuij ortam, ex quo Tritonia dicta.*

A RHAMNVSIA.] Nemesis dea fuit apud antiquos contra superbiam & odium culta, dicta Rhamnusia à Rhamnunte vico Attico, vbi eius statua Agoracriti Parij & Phidiæ discipuli opus, vt testis est Plin. & Strabo, qui addit pleróśque sensisse id opus fuisse Diopiti. legito plura apud Plin. lib. XXXVI. cap. V. Hæc Nemesis in agro Cizyceno culta, præstanti templo quod Adrastus condidit, inde & ibi Adrastia regio, & Adrastia dea dicta est. legito Strabonem in XII. Nemesis autem Latino nomine caret, quanquam quidam Fortunam esse autumant: nam & Fortunæ & Nemeseos eadem potestas idémque numen videtur, vt hîc apud Cat. suspicari licet. Nemesin

B autẽ pro Iustitia hic accipere possumus, vt apud Hesiodum inuenimus: ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτην, προλιπόντ' ἀνθρώπους Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. Alij tamen hoc in Hesiodi versu aliter interpretantur Nemesim: sed Cat. carmina sequentia indicant, quo de numine intellexisse Hesiodum arbitrari debemus, cùm dicat Pudor & Nemesis iuerunt ad immortalium cœtũ relinquentes homines. Cat.

Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiámque omnes cupida demente fugarunt.

Sic & Ouidius,

Nondum iustitiam facinus mortale fugarat,
Vltima de superis illa reliquit humum.

& Iuuenalis de iustitia, de pudore seu pudicitia & iustitia inquit,

Paulatim deinde ad superos Astræa recessit:
Hac comite atque duce pariter fugêre sorores.

PERFVDERE *manus.*] sic & Ouid.

Viuitur ex rapto; non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoq; gratia rara est.
Imminet exitio vir coniugis, illa mariti,
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cœlestum terras Astræa reliquit.

OPTAVIT *gen.*] vt de Catilina refert Sall.

D IGNARO *mater.*] vt Iocasta Oedipodæ filio.

SCELERARE.] scelere contaminare, vt,

Parce pias scelerare manus. -- in III. Virg.

PENATES *diuos.*] qui sint dij penates Macrob. lib. III. cap. V. accuratè docet.

AVERTERE.] remouerunt, fugauerúntque.

IVSTIFICAM.] beneficam: nam bonitas & benignitas, seu liberalitas dicitur, quæ sunt inter Iustitiæ partes.

MENTEM.] voluntatem.

TALES.] tam sceleratos.

CONTINGI.] videri: nam tangere tam ad oculos & animam quàm ad manus relatum in-

E uenitur: ad animum vt Papin. in Achilleide, *Nec solos tangis Atridas Iste dolor.* ad oculos vt hîc Catull. *ad manus latissimè patet.*

LVMINE.] aut visu, oculo, aut certè luce clara: nam nimbo aut nube septi se adesse significãt.

PALLADIVS FVSCVS.

PELIACO *quondam prognatæ vertice pinus.*] Poëta noster, Pelei & Thetidis nuptias celebraturus, orditur suũ poëma ab expeditione Argonautarum: ipse tamẽ inter canẽdum occasionẽ nactus, in Thesei & Ariadnes declinat amores.

Nouissimè ad eam rem inchoatã iam reuersus, A introducit parcas Epithalamion canentes: in quo egregia Achillis gesta commemorantur. Iason, vt Diodorus in quinto testatur, cùm ad vellus aureum rapiendum mitteretur, necessaria ad id bellum sibi parans, primùm iuxta Pelion nauem non antè visæ magnitudinis ædificauit, quæ Argo dicta est, vt quidam tradiderunt ab eius architecto: vt alij, ab eius velocitate, quam antiqui argon appellabant.

PELIACO.] à Pelio fit Peliacus: est autem Pelion mons Thessaliæ.

QVONDAM.] olim & quondam sunt aduerbia cuiuslibet temporis præteriti, præsentis B & futuri.

PINVS.] arbor est Cybele dicata, ex cuius materia olim naues ædificabantur. Virg.

Dant alios alia fœtus: dant vtile lignum
Nauigiis pinus. ——

NEPTVNI.] Neptunus Saturni filius fuit Iouis & Plutonis frater, cui antiquitas maris tribuit imperium.

PHASIDOS *ad fluctus.*] ad Phasidos aquas. est autem Phasis fluuius Colchorum.

ET *fines Oetheios.*] ad confinia regni Oethæ: cuius iussu vellus ipsum custodiebatur. C

ARGIVÆ *robora pubis.*] vires Græcæ iuuentutis.

AVRATAM *pellem.*] vellus aureum.

CITA *puppi*] veloci, pars pro toto.

ABIEGNIS.] ex abiete factis. nam sicut à ficu ficulnus, à populo populnus, à corylo colurnus, & ab ilice ilignus, ita ab abiete abiegnus.

DIVA *quibus.*] Palladem designat, quæ ideò dea artium dicitur quia de capite Iouis nata est. Virgil. —— *Pallas quas condidit arces*
Ipsa colat.

VOLITANTEM *flamine currum.*] nauem vento volantem. D

ILLA *rudem cursu prima imbuit Amphitritem.*] illa nauis prima mare sulcauit secundum fabulas: sed veritas habet, Iasonē primum naue longa nauigasse. Amphytrite verò fuit vxor Neptuni: cuius dei nuptias cùm fugeret, virginitatem seruare cupiens, misit ad eam inquirendam Neptunus delphinum, qui varia per loca quæsitam, ad radices Atlantis tandem inuenit, vtque Neptuno iungeretur persuasit: hinc poëtæ maris deam esse dixerunt, & pro ipso mari vsurpare consueuerunt. Ouid. in primo Metamorpho. E

—— *nec brachia longo*
Margine terrarum porrexerat Amphytrites.

ROSTRO.] rostrum in nauibus appellatur pars illa exporrecta è prora & acuta in modum rostri auium: rostra nauibus, vt lib. VII. indicat Plinius, addidit Piseus.

INCANDVIT.] valde canduit. In enim in cōpositione non semper minuit, sed interdum auget.

EMERSERE *feri.*] sensus est. Nereides naues tanquam monstrum admirantes emersēre, ita quod ij qui in eadem erant naui, nymphas ipsas per plures dies viderunt.

NVTRICVM *tenus extantes.*] vsque ad vbera se exerentes. posuit enim nutrices pro ipsis vberibus, quòd fœtus nutriant. & nutricum est casus genitiui. Nam Tenus præpositio quæ propriè significat vsque, ad & semper, postponitur: tunc iungitur genitiuo cum res gemina est, vel pluratiuo tantùm numero declinatur. Virg.

Et crurum tenus à mento palearia pendent.

& rursus,

—— *& crurum tenus hispida nauti.*

Quintilianus quoque in XII. Institutionum. *Sed ille vir bonus, qui hæc non vocibus tantùm, nota atque nominibus aurium tenus in vsum linguæ perceperis.*

TVNC *Thetidis.*] Tunc Peleus Thetidis amore captus est.

HVMANOS *non despexit Hymenæos.*] hominis connubium non contempsit.

O NIMIS *optato.*] poëta celebraturus suis versibus nuptias Pelei & Tethidis, eos reuerenter salutat.

OPTATO *tempore.*] quo scilicet dij inter homines versabantur, neque deæ mortalium nuptias despiciebant.

HEROES.] sic antiqui semideos appellarunt.

THETIDIS.] emendo Thedis. ordo autem est, Peleus columen Thessaliæ eximiè auctæ, thedis felicibus, hoc est, felici Thetidis matrimonio compellabo.

COLVMEN.] sustentaculum.

CVM.] emendo cui.

DIVVM *genitor concessit amores.*] Iupiter ardentissimè Thetidem amabat, vt cuperet ducere eam vxorem. Sed Prothéi vaticinio deterritus, eius connubium vitauit, cùm cognouisset ex ipsa nasciturum, qui facta patris superaret. vnde Ouidius:

Námque senex Thetidi Prothéus prædixerat vda,
Concipe, mater eris iuuenis, qui fortibus armis
Acta patris vincet, maiórque vocabitur illo:
Ergo ne quicquam mundus Ioue maius haberet:
Quamuis haud tepidos sub pectore senserit ignes
Iuppiter, æquoreæ Thetidis connubia vitat.

NEPTVNINE.] patronimicum est fœmininum sed Græcum. patronimica enim fœminina aut in as exeunt, vt Pelias: aut in eis, vt Atreis: aut in e, vt Nerine, Adrastine.

TENE *suam Thetis.*] ex Oceano & Theti, vt poëtæ fabulantur, nata est Doris. Ex hac verò & Nereo altera Thetis quæ Peleo nupsisse fertur.

TOTVM *qui amplectitur orbem.*] Oceanus, vt fabulas omittamus, mare est maximum quo terra omnis ambitur, quatuórque ex eo maria recipit: vnum à septentrione quod Caspium dicitur: à meridie duo, Persicum & Arabicum: ab occasu quartum, quod nostrum & internum nuncupatur.

QVÆ *simul optatæ finito tempore luces.*] cùm dies nuptiis destinati venissent.

DOMVM *conuentu.*] Thessali vnum in locum venientes Pelei regiam oppleuerunt, vt nuptias eius celebrarent.

SCYROS.] Insula est in Ægeo ante sinum Pagaseum, vna Cycladum in qua latuit Achilles, ibi à matre inter filias Lycomedis abditus.

TEMPE.] Nemus est hoc nomine in Thessalia, quinque millium longitudine, & fermè sex latitudine: vltra visum hominis attollentibus se

dextra læuáque leniter connexis iugis intus sua luce viridante allabitur Peneus amœnus circa ripas gramine, canorus auium cōcentu. Phthiotica autē dixit propter Phthiæ vrbis vicinitatē.

AC *mœnia Larissaa.*] Larissa vrbs fuit Thessaliæ in mediterraneo aliquando Iolchos appellata.

PHARSALIAM *coeunt.*] Pharsalia ciuitas est in eadem regione, de qua Plinius, *Pharsalici campi cum ciuitate libera.*

RVRA *colit nemo.*] per illos dies nemo humū exercuit.

MOLLESCVNT.] mollia fiunt.

PVRGATVR *vinea r.*] Vineæ de more non fodiuntur, rusticis aliud curantibus. dixit autem humilis ad differentiam arbusti: vbi vites arboribus appositæ altiùs eleuantur.

FRONDATORIS.] frondator est qui arbores amputat, & è frondibus manipulos facit hyemis tempore animalibus in pastum offerendos: & qui manibus vitium folia auellit: quò ardor solis vuam maturiorem reddat.

RVBIGO *infertur aratris.*] aratra per agriculturæ intermissionem rubigine occupantur: est autem rubigo quasi ferri scabies, quæ id paulatim absumit.

IPSIVS *at sedes.*] ostendit Catullus qualis fuerit regia Pelei, quantísque opibus instructa, quo tempore Thetidem duxit vxorem.

AVRO *atque argento.*] quæ duo ædibus principum exornandis inprimis adhibentur.

GAVDET.] gaudere videtur.

GAZA.] Persicus sermo est, diuitias significans.

PVLVINAR *verò diuæ.*] in media regia stratus erat lectus genialis, qui ex ebore fabricatus, veste purpurea tegebatur. Sunt autem geniales lecti, qui nuptiis sternuntur in honorem genij, vnde appellantur.

INDO *quod dente politum.*] pro Indo dente, ebur intelligit. est enim in India elephantum multitudo, quorum dentes ebur vocamus, quia ipsum animal Barrus quoque dicitur. Hor.

Quid tibi vis mulier nigris dignissima barris.

CONCHILIS *purpura.*] purpuræ sunt conchæ in mari, quæ alio nomine Pelagiæ vocantur, viuunt annis, vt plurimùm septenis, latent vt murices circa Canis ortum tricenis diebus, congregantur verno tempore, mutuóque attritu lentorem cuiusdam ceræ saliuant, simili modo & murices: sed purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus: liquoris hic est minimi in candida vena, quo multis in locis vestes tingebantur, color autem purpuræ nobilioris concreto sanguini similis erat, suspectu refulgens: quæ verò bis tincta esset, velut magnifico impendio dibapha appellatur.

HÆC *vestis priscis.*] in ea veste qua lectus genialis tegebatur, pictum erat qualiter Theseus abductam Ariadnam in Naxo insula deseruisset, vtq; Bacchus, puellæ amore incensus, eam mox vxorem duxisset.

HEROVM *virtutes.*] Ironia.

NAMQVE *fluentisono.*] hinc incipit pulcherrima digressio, in qua nobilis poëta, non solùm picturam illam decantat, verumetiam introducit ipsam Ariadnam de Thesei perfidia plurimis verbis conquerentem.

DIÆ.] Naxos insula est vt tradit Plinius in Ægeo vnà ex Cycladibus, à Delo XVIII. mil. cum oppido, quam Strogila, dein Diam, mox Dionysiada à vinearum fertilitate, alij Siciliam minorem, aut Callipolin vocarunt.

CELERI *cum classe.*] prisci appellarunt classem vnam etiam nauem. Virg.

—— Et Lyciæ ductorem classis Orontem.

TVETVR.] pro intuetur. simplex verbum pro composito.

NEDVM *etiam.*] expergefacta, inquit, somno Ariadna, cùm se in vicina insula videret desertam, non credidit se eam esse, quæ fuerat in patria apud parentes, & in naui apud Theseum.

MINOIS.] Ariadna Minois filia. Tectamus, vt tradit Diodorus, Dori filij Heleni ex Deucalione orti, cum Æoliis & Pelasgis in Cretam nauigans insulæ imperauit: sumpta autem Creta in vxorem filium nomine Asteriū procreauit, quo in Creta regnante Iuppiter, vt aiunt, Europam ex Phœnicea raptam supra taurum detulit in Cretā: ex ea tres genuit liberos, Minoem, Rhadamanthum & Sarpedonem. Asterius deinceps prole carens, cùm vxorem duxisset Europam, Iouis adoptatis filiis, eos regni reliquit successores, Minos suscepto regno, cùm Horem Lictij filiam vxorem cœpisset, genuit ex ea Lycastum: hic quoque cùm regnaret in Creta, Ida Choribantis filia vxore ducta, secundum Minoem genuit, quem nonnulli Iouis filium fuisse tradunt. hic primus Græcorum parata classe maris imperio potitus est. Cùm verò Pasiphaem Solis, Cretæque filiam in matrimonium cepisset, ex ea suscepit Deucalionem, Crateum, Androgeum & Ariadnam, plurésque naturales filios.

MITRAM.] mitræ & pilea sunt capitis tegumenta, illæ fœminarum, hæc virorum.

STROPHIO.] strophium, vt Marcellus ait, est breuis fascia, quæ virginalem errorem cohibet papillarum. Terentius in Philopatro, *me miseram, quid agam inter vias epistola excidit mihi inter tunicam & strophium collocata.* Tullius in Clodium, *Strophium accurratè præcingere.* Plautus in Aulularia, *pro illis crocotis strophiis sumptu vxorio.*

OMNIA.] mitram scilicet, strophium & pectoris velamen.

FLVCTVS *maris.*] aquæ marinæ vento impulsæ.

ALLIDEBANT.] leuiter feriebant.

SED *neque tum mitræ.*] Ariadna ea despiciens, quæ sibi delapsa ante pedes habebat, de solo Theseo cogitabat.

EXTERNAVIT.] pro consternauit, hoc est, dementem fecit: auctor est Marcellus.

ERICINA.] Venus ab Erice monte Siciliæ, in quo templum habuit ab Ænea conditum.

ILLA *tempestate ferox & tempore.*] Minos ex Pasiphaë liberos plures habuit, Androgeum, Ariadnam & Phœdram. Sed Androgeus cùm esset athleta fortissimus, & in agonibus cæteros superaret, apud Athenas, ab Atheniensibus pariter &

Megarensibus coniuratis, occisus est. Quod Minos dolens collectis nauibus bellum commouit, & victis Atheniensibus pœnam hanc statuit, vt singulis annis septem de filiis & totidem de filiabus suis edendos Minotauro mitterent: sed tertio anno Ægæi filius Theseus missus est, potens tàm virtute quàm forma, qui cùm ab Ariadna regis filia amatus esset, Dædali consilio filo iter rexit, & necato Minotauro cum rapta Ariadna victor aufugit.

FEROX *& tempore.*] ferox dicitur qui peranimosus est ad certandum cum altero, & ad vim alteri faciendam: ferus verò qui animum ferinum obtinet, vt vrsi, lupi & leones.

E *littoribus Pyræei.*] fuit Pyræeus Atheniensium portus. de quo Plinins lib. IIII. cap. VII. *Ab Isthmo quinquaginta duobus mil. passuum Pyræeus, & Phalera portus, duorum mil. passuum muro recedentibus Athenis iuncti.*

INIVSTI.] in, auget: intelligit autem Minoen.

GORTINIA *tecta.*] domos Cretenses: fuit enim Gortina vrbs Cretæ in campo sita, olim quidem muro cincta; posteriùs verò, deiectis à fundamento muris, mœnibus viduata permansit: donec Ptolemæus Philopater muros ad octoginta tantùm stadia ducere cœpit: auctor est Strabo.

NAM *perhibent olim.*] digressio.

ELECTOS *iuuenes.*] diximus conuenisse inter Minoen & Athenienses, vt illi propter occisum Androgeum quotannis mitterent in Cretam septem iuuenes & totidem puellas quos Minotaurus deuoraret.

CECROPIAM.] vrbem Athenarum, à Cecrope rege, qui, vt Strabo indicat, multitudinem in ciuitates XII. habitandas digessit: quarum nomina, Cecropia, Tetrapolis, Epatria, Decelea, Eleusis, Aphidna, Thoricus, Brauron, Cytherus, Sphetus, Cephisia, & Phalerus.

QVIS *angusta malis.*] quo nefando tributo cùm Athenæ perturbarentur.

FVNERA.] quia corpora iuuenum & puellarum ad insulam vehebantur deuoranda.

NEC *funera.*] quia cùm illi quos diximus, illuc veherent, ipsi adhuc viuebant.

MAGNANIMVM.] vt qui tam acriter necem filij vltus esset, quiq́; primus deducta classe maris inuaserat imperium.

VIRGO *regia.*] Ariadna Minois & Pasiphaes filia.

COSTVS.] emendo castus: sic enim decet esse lectus innuptarum.

QVALES *Eurotæ.*] similitudo qua ostenditur quanta fuerit Ariadnæ pulchritudo. Eurotas fluuius est Laconiæ inter Cythium & Acteos erumpens.

EX *illo.*] à Theseo.

CONCEPIT *corpore flammam.*] non priùs illum, inquit, inspicere destitit, quam eius amore accensa sit.

HEV *miserè exagitans.*] apostrophat ad Venerem & Cupidinem.

CVRAS *hominum qui gaudia misces.*] hæc duo insunt in amore præcipua, curæ & gaudia.

QVIQVE.] emendo quæque, vt hoc ad Venerem referatur, quæ apud Colchos & in Cypro vbi nemus est Idalium, colebatur.

FLAVO.] flauus, vt apud Gellium docet Phauorinus, color est ex viridi, rufo & albo cõcretus.

HOSPITE.] hospes accipitur actiuè & passiuè.

FVLGORE *expalluit auri.*] interrogatus Diogenes, vt asserit Laërtius, cur aurum palleret, respondit, quòd multos haberet insidiatores.

MONSTRVM.] hoc verbo significatur quicquid fit præter naturam, vt si homo cum capite canino aut equino, vel è contrà canis aut equus cum capite humano nascatur.

NON *ingrata tamen.*] Ariadna, inquit, licet metu confusa foret, ipsa tamen propter Theseum, cuius amore capta tenebatur, votum concepit.

NAM *velut in summo.*] Similitudo qua ostenditur Theseum ita strauisse Minotaurum cornibus sæuientem, vt turbo sternere solet quercum vel pinum in Tauri montis vertice.

TAVRO.] Taurus mons est qui ab Eois veniens littoribus, Chelidonio promontorio disterminatur: immensus ipse & innumerarum gentium arbiter, ac numerosis nominibus & nouis, quocunq; incedit insignis.

CORNIGERAM.] emendo conigeram. sunt autem propriè coni nuces pineæ.

SVDANTI *cortice.*] pinus arbor est cuius cortex exudat resinam.

INDOMITVS *turbo.*] ventorum volubilitas turbo vocatur.

ILLA *radicibus extirpata.*] arbor ipsa radicitus euulsa.

NEQVICQVAM.] frustrà, cùm eius cornua Theseum attingere nequirent.

INDE.] ex loco vbi Minotaurum occiderat.

SOSPES.] saluus.

ERRABVNDA *vestigia.*] pedes errantes.

FILO.] quod ei dederat Ariadna.

LABYRINTHEIS.] legimus fuisse quatuor labyrinthos, vnum in Ægypto, alterum in Lemno, tertium in Creta, & quartum in Italia: quorum Cretensem, Dædalum fecisse, sumpto ab Ægyptio exemplari, sed centesimam tantùm illius portionem imitatum. Plin. est auctor.

FRVSTRARETVR.] falleret.

INOBSERVABILIS *error.*] appellat errorem labyrinthi inobseruabilem quem Virg. dicit inextricabilem.

SED *quid ego.*] cur, inquit, digressus ego ab incœpti poëmatis mei intentione scribam, vt Ariadne omnibus suis Theseum præposuerit, vtque naui ad Diæ littus appulsa, ab eodem Theseo posteà per somnum sit illusa. Est autem occupatio, quæ fit quotienscunque dicimus nos præterire, aut nescire, aut nolle dicere id quod tum maximè dicimus.

GENITORIS.] Minois.

CONSANGVINEÆ.] Phædræ.

MATRIS.] Pasiphaës.

OMNIBVS *his.*] patri, sorori & matri.

DEVICTAM *lumina.*] Synecdoche.

CONIVNX.] Theseus qui Ariadnæ suum spoponderat connubium, si eius opera Minotaurum interfecisset.

PERHIBENT.] dicunt, narrant, loquuntur.

CLARISONOS.] clarè sonantes.

PRÆRVPTOS.] in altum eleuatos. Virg.

Insequitur cumulo præruptus aquæ mons.

ÆSTVS.] aquas maris æstuantes.

MOLLIA *tegmina*.] molles vestes.

SVRÆ.] sunt propriæ Suræ naturales crurum amores. Plinius lib. xi. histo. natu. *In omni genere suræ tantum homini & crura carnosa. reperitur apud auctores quendam in Aegypto non habuisse suras.* Virgil. in primo Æneid.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureóque altè suras vincire cothurno.

& Horat. in secundo carminum,

Brachia & vultum, teretésque suras
Integer laudo.

DIXISSE.] supple te perhibent.

SINGVLTVS *ore cientem*.] Singultus, vt in libris medicorum continetur, est motus stomachi ad expellendum rem lædentem.

SICCINE *me patriis*.] nactus nobilis poëta occasionem, introducit Ariadnam loquenté, de Theseóque grauissime conquerentem, quod post tanta sua merita ab eo tam fœdè illusa sit. Eius autem querela tota pathetica est, & ideò abreptum habet initium, & breuibus sentẽtiis, crebrísque figurarum mutationibus, velut inter æstus iracundiæ fluctuat: sed tu plura legito de oratione pathetica apud Macrobium.

PERFIDE.] perfidus est qui fidem violat: Infidus cui non est fidendum: hoc à fido descendit, quod habet primam longam: illud à fides quod habet primam breuem.

NEGLECTO *numine diuum*.] neglecta deorum, per quos mihi iurasti, potestate.

CLEMENTIA *præsto*.] nulla tibi affuit misericordia, quo minus hîc me solam desereres.

TVM *iam nulla viro*.] illusa à Theseo Ariadna, monet alias fœminas ne viris credant, qui dum aliquid cupiunt, non timét iurare se omnia facturos: vbi verò voto sunt potiti, fidem fallere non verentur.

PRÆGESTIT.] percupit. gestire autem, vt Donato placet, est sensum corporis gestu indicare.

APISCI.] adipisci.

CERTE *ego te in medio*.] exprobrat Theseo suum beneficium.

GERMANVM.] Minotaurum, quem Theseus ictibus clauæ interfecit.

INIECTA.] imposita. ad id alludere videtur, quòd Manibus illorum quorum corpora carent sepultura, non datur nisi post centum annos transire Stygiam paludem.

QVÆNAM *te genuit*.] arguit Theseum crudelitatis.

QVOD *mare conceptum*.] præstantissimos virtute, prudentia, viribus, Iouis filios poëtæ appellauerunt, vt Æacum, Minoa, & Sarpedonem: Ferocissimos & immanes & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos Neptuni filios dixerunt, vt Cyclopa, Cercyona & Læstrygonas. auctor est Gellius.

QVÆ *Syrtis*.] Nemo est vel semidoctus qui nesciat in Africa duas esse Syrtes, vt natura pares, ita magnitudine dispares: vtriúsque difficultas est, vt scribit Strabo, quod cum multis in locis fundum sit cœnosum propter affluxus & refluxus maris, contingit vt multi in breuia incidentes inhærescāt, & rara nauigia euadant.

QVÆ *Scylla vorax*.] In freto Siculo est scopulus Scyllæ: item Charybdis mare vorticosum: ambo clara sæuitia. Mella & Plinius sunt auctores.

SI *tibi non cordi*.] Si tibi, inquit, non placebat nostrum matrimonium, neque formidabas Cecropis progenitoris nostri præceptum, qui voluit Athenienses ducere vxores, poteras tamen vehere me tecum in Atticam, vt tibi seruirem.

NON *cordi fuerant*.] non placuerant: nā cordi esse, vt iam diximus, est placere. ordo autem hic est: Si nostra connubia non fuerāt tibi cordi: & non abhorrebas mandata prisci parentis, hoc est Cecropis, qui, vt Iustinus tradit, antiquissimus Athenarum rex, primus maris & fœminæ connubium in ea terra conciliauit.

PERMVLCENS.] mulcere, demulcere & permulcere, est leuiter tractare.

SED *quid ego*.] arguit seipsam, quod auras alloquatur, quæ nullum habent sensum.

VACVA *alga*.] vacuo littore. est autem alga herba marina, cuius littora plena esse videmus.

NOSTRIS *questibus*.] meis querelis.

IVPPITER *omnipotens*.] vellet Ariadna naues Athenensium nunquam Cretam attigisse.

GNOSIA.] Cretensia, ab vrbe.

STIPENDIA.] appellat stipendia 14. iuuenum corpora, quæ Athenienses quotannis in Cretam Minotauro voranda mittere cogebantur.

HOSPES.] Theseus.

NAM *quò me referam*.] puella vt faciat se magis miserabilem, & Theseum in maiorem adducat inuidiam, ostendit ita se vndique destitutam esse, vt non habeat quò se conferat.

IDMENEOS.] emendo Isthmeos. est enim Isthmus terra inter duo diuersa maria: sed hîc intelligendum est de Isthmo Peloponnesi, qui sex mil. passuum patens Ægeum mare ab Ionio diuidit. ordo autē est, petam ne montes Isthmeos vbi æquor discernens diuidit pontum truculentum à lato gurgite. hoc est, vbi intersita tellus, quam æquor vocat, separat Ægeum mare ab Ionio Plinius lib. IIII. hist. nat. *Angustiæ vnde procedit Isthmus appellantur in eo loco, irrumpentia è diuerso quæ dicta sunt maria à Septentrione & exortu, eius omnem ibi latitudinem vorando donec contrario incursu æquorum tantorum quinque mil. passuum interuallo, exesis vtrinque lateribus exigua ceruice Peloponnesum contingat Hellas.*

FRATERNA *cæde*.] sanguine fratris Minotauri.

CONIVGIS.] Thesei, qui mihi suum promiserat connubium

PRÆTEREA.] neque, inquit, in hac insula diu manere possum, cùm in ea nec tecta sint, nec homines.

OSTENTANT *omnia lethum.*] cuncta mihi mortem minantur.

NON *tamen.*] negat Ariadna se priùs morituram quàm deos orauerit, vt suam vlciscantur iniuriam.

COELESTVMQVE *fidem.*] posuit fidem pro ope siue auxilio. Sic Misis ancilla apud Terentium, *dij vestram fidem.* & Virg.

Tyrrhenámque fidem.——

EVMENIDES *vocat ad se furias.*] vt audiant suas querelas: quæ Eumenides dicuntur per antiphrasim, quòd immites sint atque implacabiles. Tres autem eas esse constat, Tisiphonem Alecto, & Megeram, quæ pro crinibus serpentes habere dicuntur: Ideo subiungit,

—— *quibus anguineo redimita capillo Frons.*-

PRÆPORTAT] prædicit vel prænunciat.

AMENTI *cæca furore.*] furor ideò amens dicitur, quia nos amentes facit.

VANESCERE.] inanes fieri & ad nihilum redigi.

FVNESTET.] funere afficiat. Est autem funus propriè pompa exequiarum: ponitur tamen pro morte, sicut nonnunquam pro cadauere, & interdum pro sepulchro.

SAEVIS *factis.*] Thesei scilicet.

ANNVIT *inuito cœlestum.*] annuit Iuppiter puellæ postulatis: inuitus tamen, propter eam quam cum Theseo habebat necessitudinem.

CONTREMVERVNT.] nutu Iouis vniuersum contremere dicunt poëtæ. Virg.

Annuit & totum nutu tremefecit olympum.

IPSE *autem cæca.*] cùm Iuppiter Ariadnæ precibus annuisset, Theseus illico oblitus est mandata patris: quæ erant, vt si euaderet, domum rediens candidum velum tolleret, cum nigro in Cretam nauigaret.

DVLCIA *signa.*] velum cādidi coloris, quod signum erat Thesei incolumitatis.

SOSPITEM.] saluum.

DIVAE.] Palladis, cui dicatæ erant Athenæ.

TALIA *complexus.*) mādata Aegæi ad Theseū.

DVBIOS *casus.*] in ancipites rerum euentus.

REDDITAE *in extremas.*] Theseus ex Aethra & Aegæo & Trœzene natus, & apud Pitheum auum maternum educatus, non contulit se, vt Diodorus & Plutarchus indicant, Athenas ad visendum patrem, nisi cùm iam adoleuisset, fortiáq; facinora cum hostibus pugnando fecisset.

FORTVNA *mea.*] mea infelicitas.

VIRTVS *tua.*] tua fortitudo.

CVI *languida nondum lumina.*] cui nondum saturati sunt oculi filij inspectione.

CANICIEM *terra.*] mos fuit apud priscos, vt in summis doloribus infuso sibi puluere corpus fœdarent.

INFECTA *linthea.*] velum coloratum.

FERRVGINE *Hibera.*] Ferrugo erat purpura, Hispana nigrior. Hoc autem in loco Catullus sequi videtur illorum opinionem, qui non nigrum, sed purpureum velum filio ab Aegæo datum scripserunt, inter quos Simonidem fuisse constat.

CARBASVS.] Est inter genera lini carbasus, ex quo præcipuè fiunt vela nauium, quæ & ipsa pluratiuo numero carbasa neutro genere dicuntur, singulari fœminino carbasus.

INCOLA.] intelligit Palladem in cuius tutela erat vrbs Athenarum.

ITHYNI.] vocat Ithynon vetustum Palladis templum, quod Poliades in saxo erexerat: in eo, vt scribit Stra. lucis extinctæ lychnus erat, & virginum domus quam illis Ithynus cōdiderat.

TAVRI *respergas sanguine dextram.*] dextra tua occidas Minotaurum.

OBLITTERET.] oblitterare est ex hominum memoria aliquid tollere, quasi ex litterarū monumentis delere.

FVNESTAM *vestem.*) velum infectum, quod futurum erat funeris indicium.

RVDENTES.] ita vocantur funes nauales.

HAEC *mandata prius.*) similitudo, qua ostendit mandata Aegæi post iustas Ariadnæ preces ita mentem Thesei liquisse, vt nubes ventis pulsæ linquunt montium cacumina.

PROSPECTVM *ex arce petebat.*) quia arx Athenarū in loco paulò editiore erat, ideò in eam Aegeus ascendere consueuerat, vt inde prospiceret, sicubi in mari filium redeuntem videret.

CONTOLLENS.) absumens.

INFLATI.) emendo infecti. cùm enim Aegæus redeunte filio Theseo [illegible] velū prospexisset, ratus illū periisse ex arce se præcipitauit.

FVNESTA.] funere affecta.

FEROX *Theseus.*) ferox dicitur is qui peranimosus est ad certandum cum altero, & ad vim alteri faciendam.

MINOIDI.) Ariadnæ Minois filiæ.

QVAE *tamen aspectans accedentem mœsta carinam.*) Secutus fidem antiquioris exemplaris, versum sic emendo,

Quæ tum prospectans cedentem mœsta carinam.

VOLVEBAT *saucia curas.*) Ariadna, inquit, prospiciens nauem Thesei recedentem, multis & variis curis angebatur.

IACCHVS.) Bacchus, ἀπὸ τοῦ ἰάχειν, quod est vociferor.

THYASO.) erat thyasus saltatio quæ Baccho exhibebatur.

SATYRORVM.) de quibus opinio falsa non est, scribit enim Plutarchus, satyrum in Nymphæo nemore cùm ibi dormiret captū, ad Syllam perductum fuisse.

NISIGENIS.) Nisæ genitis. legimus autem duas Nisas fuisse, vnam in Arabia, alterā in India.

THYRSOS.) thyrsi erant hastæ quædam, quæ pampinis inuolutæ à Bacchantibus gestabātur.

PARS *è diuulso.*) Pentheus Echionis filius Thebarum rex, Bacchi numen per superbiam contemnens, ira dei, ab Agaue matre, cæterísque Thebanorum mulieribus vitulum eum, vt Catullus, vel aprum, vt alij dixerunt, esse credentibus dilaceratus interiit: cuius postea membra dei comites ostentabant vt impiis incuterent terrorem. vnde Persius,

Et sectum vitulo caput ablatura superbo Bassaris.-

PARS *sese tortis serpentibus incingebant.*) quod Bacchātes impunè serpentes tractarent indicat in Alexandro Plutarchus his quidem verbis. *Olympias hisce afflari numinibus audosissima, eorum*-

solemnia sacra quodam modo atque barbarico producebat, ad thyrsos enim eximiæ magnitudinis & mansuefactos quidem trahebat angues, qui multoties per hederas, & mystica illabentes ventilabra, fæmineósque thyrsos atque coronas, amplexi viros, terrore simul atque stupore conficiebant.

ORGIA.] Bacchi tantùm sacra à nostris Orgia sunt appellata, quæ ab Orpheo primùm instituta feruntur, sed à Græcis omnium deorum immortalium sacra, Orgia dicebantur.

OBSCVRA.] occulta: namque solis sacerdotibus nota erant.

CISTIS *canistris.*] quòd autem sacra Bacchi cistis imposita à sacerdotibus seruarentur, præter Catullum, his verbis indicat etiam Tibullus,

Et Tyriæ vestes & dulcis tibia cantu,
Et leuis occultis conscia cista sacris.

PROFANI.] qui non sunt initiati. Verg.

—— procul o procul este profani,
Conclamat vates. ——

PLANGEBANT.] feriebant.

PROCERIS.] in longum protentis.

PALMIS.] palma est pars manus interior, exterior verò caret nomine. est item palma arbor, cuius lignum contra onus renititur; ideò placuit antiquis palmam esse signum victoriæ in certaminibus. auctor est Gellius.

EFFLABANT *cornua bombos.*] Persius,

Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.

STRIDEBAT *tibia ca.*] In sacris Bacchi tibiã inflari solitam præallegato versu indicat Tibull.

TALIBVS *amplifice.* Nobilis poëta post longam digressionem tandem eo reuertitur, vnde discesserat.

PVLVINAR.] lectum Pelei genialem.

QVÆ *postquam cupide.*] cùm, inquit, expleta esset iuuentus Thessalorum, ea spectando quæ dixi, ipsa à Peleo & Thetide discedere cœpit.

HIC *qualis.*] assimulat Thessalos à Peleo & Thetide recedentes fluctibus maris flatu Zephyri vndicantis.

PROCLIVAS *vndas.*] pronas aquas.

SVB *lumina.*] sub, cùm tempus significat iungitur accusatiuo. Vergil.

Sub lucem exportans calathis, adit oppida pastor.

QVÆ.] s. vndæ.

FLAMINE.] flamina dicuntur vẽti afflatus.

CACHINNI.] appellat cachinnos lenes maris fremitus.

INCREBRESCVNT.] crebriores fiunt.

LVCE *purpurea.*] talis enim est lux auroræ exorientis.

VESTIBVLI.] Cæcilius Gallus lib. de significatione verborum quæ ad ius ciuile pertinent secundo, Vestibulum esse dicebat, non in ipsis ædibus neque partem ædiũ, sed locum ante ianuã domus vacuu, per quem à via aditus accessúsq; ad ædis est, cum dextra sinistráq; inter ianuã tectáq; quæ sunt vię iuncta, spatiũ relinquitur; atq; ipsa ianua procul à via est area vacanti intersita.

AD *se.*] domum suam, vel ad sua negotia.

QVORVM *post abitum.*] post quorum discessum: scribit enim Thessalis inde abeuntibus accessisse ad easdem nuptias honorandas Chironẽ, Peneum, & Prometheum: quorum Chiron tu-

A lerit secum flores in corollas distinctos: Peneus diuersi generis arbores, ex quibus scenam fecerit ante regiam: Prometheus verò annulum transactæ pœnæ indicium.

PELI.] Pelion mons est Thessaliæ altissimus, in quo Chiron Saturni & Phylires filius domicilium habuisse traditur.

QVIS *permulsa domus.*] quibus corollis domus delinita.

PENEOS *adest.*] Peneus fluuius est Thessaliæ, qui ortus iuxta Gõphos, intérq; Ossã & Olympum nemorosa conualle, per quingẽta stadia defluens, cæteros illic fluuios claritate superat.

B TEMPE.] de quibus abundè diximus.

FAGOS.] fagus arbor est glandifera, cuius cortex, vt auctor est Plinius, in quodam vsu sacrorum religiosus erat.

LAVRVS.] hæc arbor apud Romanos triumphis propriè dicata, sola satarum receptarúmq; in domos fulmine non icitur. plura sunt eius genera, sed de ea multa legito apud Pliniũ lib. xv. histo. natu.

PLANTANO.] hæc arbor ex alieno orbe cõuiuiis expetita in tanto olim fuit honore, vt mero infuso nutriretur, quia compertum erat id maximè prodesse eius radicibus auctores sunt Plin. & Macrobius.

C LENTAQVE *sorore.*] intelligit populum vel alnũ: nam de sororibus Phaëthontis duplex fuit apud veteres opinio: quidam enim dixerunt eas in populos, alij in alnos esse mutatas.

FLAMMATI.] ictu fulminis incensi: nota est fabula.

CVPRESSV.] quæ olim Diti sacra funebri signo ad domos ponebatur: huic patria insula Creta. Ibi namque quocunq; loco terram mouerit quispiam, nisi alia seratur, hæc gignitur.

HÆC *circum sedes.*] apertè demonstrat Peneum in vestibulo regiæ scenam fecisse.

D POST *hunc.*] scilicet Peneum.

PROMETHEVS.] hic fuit Iapeti ex Climene filius, qui post factum à se hominem, dicitur auxilio Mineruæ cœlum ascendisse, & adhibita ad Solis orbẽ face ignem surripuisse, quem hominibus communicauerit, ob quam causam dij irati duo mala terris immiserunt, febres & morbos: sicut Sapho & Hesiodus memorarũt: Quod tangit etiam Horatius, cùm ait,

Post ignem Aetherea domo subductum, macies
Et noua febrium incubuit cohors.

ipsum quoque Prometheum per Mercurium in monte Caucaso religauerunt ad saxum, & apposita est aquila quæ eius cor, quod absumptum renascebatur, exederet: verùm cùm Iupiter post triginta mil. annorum eum tanto supplicio liberasset, vt tamen pœnæ memoria perpetua foret, facto ex vtraque re, hoc est, saxo ad quod alligatus fuerat, & ferro ex quo cathena constabat, annulo, digitum eius sinistræ manus minimo proximum cinxit, quæ prima annuli fuit inuentio.

E VESTIGIA *pœnæ extenuata.*] signa veteris supplicij aliqua ex parte deleta.

INDE *pater diuum.*] Post Chironem, Peneum & Prometheum, nouissimè venit Iupiter vnà

cum Iunone coniuge sua & filiis, præter Apollinem & Dianã, quos in cœlo reliquit, cùm ij Pelei & Thetidis nuptias aspernati, eas minimè celebrare vellent.

VNIGENAM.] i. Dianam, quam ideò sic vocat Catullus, quòd vnà cum Apolline sit genita.

MONTIS *Ithyni.*] emendo, è montibus Idæ. sunt autem duo hoc nomine montes, vnus in Creta, alter in Phrygia: sed poëta de Ida Cretæ intelligere videtur, quoniam apud Cretenses Diana potissimum colebatur. Ouid. in Fastis,

Pallada Cecropidæ, Minoia turba Dianam.

PALLADA.] emendo Pelea.

IVGALES *tædas.*] nuptias, quibus, vt dictum est, celebrandis quandoque faces adhibebantur.

FLEXERVNT *artus.*] flexis artubus sederunt.

NIVEIS *sedibus.*] in albis sedibus.

INTEREA] dum Iupiter cum Iunone & cæteris diis discumberent, Parcæ epithalamion canere cœperunt.

IIS *corpus tremulum.*] describit habitum Parcarum.

VESTIS.] emendo quercus, quia sequitur ramis purpureis.

AT *roseo niueæ.*] in vertice, inquit, rosas spirante habebant vittas albi coloris.

RITE.] secundum ritum.

LANA *amictam.*] vellere onustam.

DEXTERA *tum leniter.*] exprimit nobis mulierem nentem, quæ dum filum format, digitos supinos: dum verò fusum torquet, eosdem pronos habet.

DEDVCENS.] deducere propriè est attenuare.

POLLICE.] Plinius lib. XI. hist. nat. *homines digiti articulos habent ternos, pollex binos, & digitis aduersus vniuersis flectitur: per se verò in obliquum porrigitur, crassior cæteris: huic minimus par est, duo reliqui sibi: inter quos medius longissimè protenditur.*

LIBRATVM.] suspensum vel pendulum.

ÆQVABAT *semper opus dens.*] labris Parcarum opus suum æquantium velleris particulæ inhærebantur, quæ priusquam decerperentur in filo extabant.

CALATHISCI.] parui calathi, in quibus vellera seruabant. Iuuena.

Vel lanam trahitis calathisq́; peracta refertis
Vellera. ——

& Oui. in secundo Fastorum de Lucretia:

Ante thorum calathi lanáque mollis erat.

CRIMINE.] emendo carmine: est autem superioris verbi repetitio.

PERFIDIÆ.] perfidus est qui fidem violat, à quo est perfidia, qua voce significatur fidei ipsius violatio.

O *decus eximium.*] Poëta noster ne quid incœptis nuptiis desit, introducit nouissimè Parcas epithalamion canentes, in quo primum laudant arctissimum Pelei & Thetidis connubium, deinde prænunciant nasciturum eis Achillem, qui aduersus Troianos fortissimè dimicans, eorum plurimos suis manibus interimat.

O *decus eximium.*] Decus est illa honorificentia ex rebus bene gestis, cuius contrariũ est Dedecus, propriè ignominia quædã & infamis turpitudo.

A ÆMATHIÆ.] de qua scribit sic Plin. lib. IIII. *Macedonia postea centum quinquaginta populorum duobus inclita regibus, quondámque terrarum imperio Aemathia antea dicta*, & Trogus Pompeius, *Macedonia antea nomine Aemathionis regis, cuius prima virtutis experimenta illis in locis extant, Aemathia cognominata est.*

NATO.] propter Achillem, quem inter duces Græcorũ haud dubiè fortissimum fuisse constat.

ACCIPE.] audi vel ausculta. ordo autem est, O Peleu clarissime nato, decus eximium augens magnis virtutibus, columen Æmathiæ accipe.

B TIBI *pandunt.*] tibi aperiunt.

SORORES.] Parcæ.

FATA *sequuntur.*] Fatum, vt Chrysippo placuit, est sempiterna quędam & indeclinabilis rerum series & cathena voluens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexáque est.

CVRRITE *ducentes.*] hic versus est intercalaris qui interpositus superiùs repetitur.

SVBTEGMINA.] subtegmen propriè est filum quod intra stamen discurrit.

PORTANS *optata maritis hesperus.*] vt pote cuius aduentu sponso cum sponsa cubare li-C ceat.

FAVSTO *cum sydere.*] veniet, inquiunt, cœlo fauente tibi vxor quæ tecũ dormiat, substernens collo tuo robusto sua leuia brachia.

TALI *coniunxit fœdere.*] tali concordia copulauit.

EXPERS *terroris.*] impauidus siue intrepidus.

HOSTIBVS *haud tergo.*] magna Achillis cõmendatio.

CELERIS *vestigia ceruæ.*] pedum celeritate Achillem viguisse, testatur in primis Homerus.

NON *illi quisquam.*] nemo, inquiunt, heroum in bello Troiano suam cum Achillis fortitudine D comparabit.

PELOPIS *vastabit tertius heres.*] intelligunt Agamemnonem qui tertius à Pelope Troiam euertit. Siquidẽ Pelops genuit Atreum, Atreus Agamemnonem & Menelaum.

PERIVRI.] cuius periurio deceptus sit Myrtillus auriga Hippodamiæ. Fabula autem nota est.

ILLIVS *egregias virtutes.*] sensus est matres cùm deplorabunt amissos filios, eósque maximè laudare volent, collaturas esse illorum virtutem cum eximia Achillis fortitudine.

PVTRIDA.] propter verbera vel propter E annos.

NAMQVE *velut.*] Similitudo qua ostendunt Parcæ Achillem aduersus Troianos pugnãtem, ita eorum corpora gladio prostraturum, vt messor spicas iam maturas falce prosternit.

VNDA *Scamandri.*] Scamander amnis est nauigabilis ab Ideo monte demissus.

HELLESPONTO.] vbi primum mare nostrum se coarctat, Hellespontus vocatur, septem non ampliùs stadiis patens, Europámque auferens Asiæ.

CVIVS *iter.*] cuius Scamandri fluenta.

PERMIXTA *cæde.*) permixto sanguine.

IVSTVM

A
BVSTVM.] posuit bustum pro rogo, erat autem priscis bustum locus cremati cadaueris.

NIVEOS *artus.*] candida virginis membra. Pyrrhus enim Achillis filius post captã Troiam Polyxenam ad patris sui tumulum perductam, ibidem mactauit, vt casto virginis sanguine Manibus genitoris parentaret.

FESSIS.] longa belli mora.

QVARE *agite.*] concludunt.

CONIVNX.] Peleus.

DIVAM.] Thetidem.

NON *illam nutrix.*] veteres quoties scire volebant, vtrum puella virgo esset nec ne, ei filum
B
ab angulo oris per verticem ad alterum angulum deducebant: postea idem filum complicatum collo eiusdem puellæ circundabant, si quid autem deesset, dicebant puellam esse vitiatam: ergo si nutrix non poterit collum Thetidis hesterno filo circumdare, id proculdubio indicabit, Thetidem à viro suo compressam amisisse virginitatem.

PRÆSENTES.] loquitur Catullus, affertque rationem, cur credendum sit, Deos olim rebus hominum interesse solitos.

SPRETA *pietate.*] contempta Iustitia, quæ in plures partes diuiditur.

SÆPE *pater diuum.*] intelligit Iouem, in cu-
C
ius honorem Olympicum certamen iuxta Elin ad Alpheum amnem celebrabatur, in eo victores olea coronabantur. Institutum est autem primùm ab Hercule, deinde intermissum, ab Iphito eius filio instauratum.

THYADAS.] Bacchas, à θύω verbo, quod significat sacrificare, occidere, festinare, & impetum facere. Horatius in carminibus,

Fas peruicaces est mihi Thyadas.

EVANTES.] furentes: Euan est Bacchus à voce furentium sic appellatus.

DELPHI.] posuit continens pro contento, fuit autem hoc nomine oppidum sub monte
D
Parnaso clarissimi in terris oraculi Apollinis, quod telluris vmbilicum appellarunt. fabulam addentes quam refert Pindarus, confingens à Ioue duas dimissas aquilas, vnam ab ortu, alteram ab occasu, in eo loco demum coisse; quidam autem dixere coruos.

AVT *rapidi Tritonis hera.*] intelligit Palladem, quæ belli etiam dea Tritonia cognominata est, à Tritone Africæ palude, ad quam eam genitam fuisse perhibent. auctor est Mela, Pomponius.

RHAMNVSIA *virgo.*] id est Nemesis, de qua abundè diximus.

SED *postquam scelus.*] Altera ratio cur dij terras penitus deseruerint.
E
PERFVDERE *manus.*] vt Eteocles & Polynices.

OPTAVIT *genitor.*] L. Catilina vt Aurelia Orestilla post obitum prioris mariti sibi nuberet, filium quem vnicum habebat, occidere sustinuit. auctores sunt Salustius, Valerius & Appianus.

TALIS *cœtus.*] homines tot tantisque sceleribus pollutos.

ACHILLES STATIVS.

EPITHALAMIVM in Pelei ac Thetidis nuptiis Agamestora Pharsalium primùm scripsisse, tradit Lycophronis interpres. Quod etiam fecisse constat Hesiodum, cuius ex epithalamio Thetidis, ac Pelei versus citantur, quos suo loco ponemus. Quod autem Peleum, cum in Colchos iter haberet, Thetidem compressisse dicit, credo secutum eum aut, quem dixi, Agamestora, aut Hesiodum, aut vtrumque etiam. Apollodorus quidem certè nihil, quod huic repugnet sententiæ, scribit. Sunt, qui Epithalamium hoc esse nolint, quod abest puerorum, puellarúmque canentiûm chorus.

PELIACO *quondam prognatæ vertice pinus.*] Sic ante,

Nam Cytorio in iugo
Loquente sæpe sibilum edidit coma.

DICVNTVR *liquidas Neptuni nasse per vndas.*] Ouid. in. II. Amorum, prope ad hæc accedens verba,

Prima malas docuit, mirantibus æquoris vndis,
Peliaco pinus vertice cæsa, vias.

Natare naues dixit ipsas, vt & Tibullus,

In liquida nat tibi linter aqua.

PHASIDOS *ad fluctus.*] Manilius in. IIII. *Phasides ad ripas, & Colchica regna reuexit.* At Ouid. in. VII. Metam.

Multaque perpessi claro sub Iasone, tandem
Contigerant rapidas limosi Phasidis vndas.

CVM *lecti iuuenes.*] Sic Vergil.

Cuncti nam lecti nambus ibant.

In manuscriptis tamen nonnullis, Læti. Apollodorus in. I. Bibliothecæ hos ἀρίστους propriè vocat. Τῶν δὲ βασιλέων [illegible] ἀριστεῖς [illegible] αὐτῶν. Atque alibi. Καὶ [illegible] Ἰσθμὸν [illegible] ἀρίστων [illegible] Ποσειδῶνι. Iuuenes autem hoc modo Græci poetæ, Κούρους vocant. Ennius eodem modo, quem omnino imitatus Catullus videtur, cuius verba sunt, *Quæ Argiui delecti viri Vecti petebant pellem inauratam arietis.* Græci poëtæ fortes viros sic iuuenes ferè vocant. Vetus poëta apud Hephæstionem, [illegible] κοῦροι [illegible] Ἄρεως [illegible]. Et Hom. [illegible] ἀγαθοὶ [illegible].

ARGIVÆ *robora pubis.*] In manuscriptis omnibus, Puppis, non Pubis. Illud rectius. Sic Vergil. in. VII.

Arcadas huic equites bis centum robora pubis
Lecta dabo.

AVRATAM *optantes Colchis auertere pellem.*] Sic idem Vergil. dixit in. I. Aeneid.

Ardentésque auertit equos in castra.

Et incertus auctor in Ciri,

Ausa quod est mulier numen fraudare deorum,
Et dictam Veneri votorum vertere pœnam.

AVSI *sunt vada salsa cita decurrere puppi.*] Sic etiam Vergil. *Currimus æquor.*

Cita puppi, [illegible]. Callimachus. in Hymn. in Delon. Et sæpe Hom. [illegible] & Euripides [illegible]. Maiore viro celeritate decurritur, quam curritur. Seneca in. IIII. declam. *Itaque diuus Augustus optime dixit, Aternus noster sufflaminandus est, adeo nedum currere, sed decurrere videbatur.*

CÆRVLA *vertentes.*] Et Catullus, & Vergilius Ennium videntur imitati, cuius versus ponit A. Gellius in XXVI. cap. II.

Verrunt extemplo placide mare marmore flauo:
Caruleum spumat sale conferta rate pulsu.

Per mare.——

DIVA *quibus retinens in summis vrbibus arces.*] Quæ præest arcibus. Sic Attius apud Priscianum in. VI. *Maia nemus retinens grauido concepit in aluo.*

IPSA *leui fecit volitantem flamine currum.*] Vehiculum dixit Cic. in lib. II. de natura Deorũ aut apud illum Attius. *Atque ille, apud Attium inquit pastor, qui nauem nunquam ante vidisset vt procul diuinum, & nouum vehiculum Argonautarum è monte conspexit.* Pacuuius Plaustrum dixit. *Omnem non meo Oceano fulgerat citro Abrepto plaustro Boreas bacchatur Rheno. Hesperio zephyro, Orion voluitur Austro. Fulua Paratonio iuga Cynthia proruit Austro.* Quæ si corrupta sunt, quod volo tamen apparet. Ex hoc genere tralationis est, quod in. VI. Aeneid. Vergil. dixit,

——*Classique immittit habenas.*

Currui enim equi iungebantur, quos regit auriga. Et Tiphis Argus ipsius gubernator auriga dictus Vetus Poëta apud Carisium in IIII. ac Diomedem Metaphora in II.

Tiphin aurigam celeres fecere carina.

Μεταφορικῶς opinor etiam Lycophron nauem dixit αὐτουργήτοισι βάριν. qua de re consulendus eius interpres. Significat enim idem verbum θρόνους, πύργους, αὐλάς, σκάς[?], καὶ τεῖχος Euripides in Iphigenia vehiculum dixit, ναΐων ὄχημα. Interpres Phænomenon eorum, quæ vertit Germanicus Arati, alios aliud tradidisse scribit, Pallada quidem ipsam nauem Argo fabricatam, sed quosdam Danao putare, alios Argonautis.

PINEA *coniungens inflexa texta carina.*] Carina quæ propriè dicatur, ostendit interpres Germanici in Signo nauis. Texta autem dixit, de materia, vt & Vergil. in. II. Aeneid.

——*sectaque intexunt abiete costas.*

ILLA *rudem cursu prima imbuit Amphitriten.*] Rudem: intentatum. aut figurate, pro rudis ipsa nauis. Amphitrite autem Neptuni coniux, vt tradit idem Germanici interpres in signo Delphini. in manuscriptis omnibus, Primam. legendum forte, *Illa rudis cursu primam imbuit Amphitriten.*

QVÆ *simul ac rostro ventosum proscidit æquor.*] Et Verg. in Georg. dixit,

Ventosa per æquora.

TOTAQVE *remigio spumis incanuit vnda.*] Sic est omnibus in manuscriptis, probior tamen lectio, Tortaque Sic Verg. in. IIII. Georg.

——*spumantem vndam sub vertice torsit.*

Et Ouid. in Fastis,

Ille meas remis nauita torsit aquas.

Pro Incanuit autem est omnibus in libris, Incanduit. quod idem omnino est. Vergil. in. VII. idem significans,

Fluctus vti primo cœpit cum albescere ponto
Paulatim attollit sese mare.

Et in. VIII.

——*sed fluctu spumabant carula cano.*

Sic Mare canum à Græcis poëtis dici solet. Theogn. Γείτων δὲ βαθὺς πόντος ἁλὸς πολιῆς. Et vetus Poëta apud Hephæstionem, Θῦ' ἰὼ ἁλὸς πολιῆς. Et apud eundem Anacreon. Ἀρθεὶς δ' αὖτ' ἀπὸ Λευκάδος πέτρης ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ μεθύων ἔρωτι. Simili verbo vsus Euripides in Iphigenia, idem, quod hic Catullus, expressit. λάβετε κώπας, ῥόθιά τε λευκαίνετε. Et apud Stobæum Moschus. Ἀλλ' ὅταν ἀχήσῃ πολιὸς βυθός. Catullus autem expressit illud Apollonij in. I. στράπτε δ' ὑπ' ἠελίῳ φλογὶ εἴκελα νηὸς ἰούσης τεύχεα, μακραὶ δ' αἰὲν ἐλευκαίνοντο κέλευθοι. Probabilem verò lectionem manuscriptorum librorum facit id, quod sequitur, *Candenti è gurgite*, quamquam etiam post, *è gurgite cano.* Lucretius idem significans in. II. dixit,

Vertitur in canos candenti marmore fluctus.

MONSTRVM.] Rem ante minimè visam. inusitatam.

ILLAQVE *atque alia.*] In manuscriptis omnibus. Illa atque alia, vt nihil elidatur, vel vt ego quidem existimo, Illac atque alia. Sic ante,

Ludentes numero modo hoc, modo illoc.

VIDERVNT *luce marinas Mortales oculi nudato corpore nymphas.*] In duobus manuscriptis, Oculis. Earum, inquit, naturam, & quales quantæque essent, viderunt. Sic enim Pindari interpres in illud Δῶρα[?] καὶ κράτος ἐξέφανεν. τουτέστι τὴν ἑαυτῶν φύσιν, καὶ δύναμιν καὶ τὸ εἶδος αὐτοῖς, οὐ μεταβάλλοντες τὴν μορφήν, ὡς ἔθος θνητοῖς φαντάζεσθαι θεούς, ἀλλ' ἐν ταῖς ἰδίαις μορφαῖς ὤφθησαν αὐτοῖς. Versus autem Apollonij, quos expressisse videtur Catullus, etsi paulò alia sententia sunt, Πάντες δ' οὐρανόθεν λεῦσσον θεοὶ ἤματι κείνῳ Νῆα, καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν γένος, οἳ τότ' ἄριστοι Πόντον ἐπιπλώεσκον, ἐπ' ἀκροτάτῃσι δὲ νύμφαι Πηλιάδες κορυφῇσιν ἐθάμβεον εἰσορόωσαι Ἔργον Ἀθηναίης Ἰτωνίδος, ἠδὲ καὶ αὐτοὺς Ἥρωας.

IAM *crurum tenus.*] In manuscriptis omnibus, vt & Aldus olim impressit, Nutricum tenus. itaque suo in veteri libro fuisse testatur Auantius, vt sit id, quod Græci dicunt, μέχρι τιτθῶν[?].

CVM *Thetis.*] In manuscripto vno, & in hoc, & in sequenti versu, Tum Thetidi.

IVGANDVM *Pelea sensit.*] Iugandi verbo sic etiam vsus Horat. in Sæculari carmine,

—— *patrésque Prosperes decreta super iugandis Feminis.*

Sensit autem Pontanus mutauit in Sanxit, quod in manuscriptis non est. ipsæ uerò nuptiæ Pelei Thetidísque narrantur ab Apollodoro in. III. Bibliothecæ.

PATER *ipse.*] Nereus.

HEROES *saluete deum genus.*] Hesiodium expressit illud, Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται Ἡμίθεοι.

TEQVE *adeo eximie, tædis felicibus aucte Emathiæ columen Peleu.*] In manuscriptis omnibus Thetis, pro Tædis. praue. Hesiodum vero imitatus hæc scripsit, cuius ex epithalamio versus citantur, Τρὶς μάκαρ Αἰακίδη καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ, Ὃς τοῖσδ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις.

CVI *Iupiter ipse, Ipse suos diuum genitor concessit amores.* Eam enim amatam Ioui scribit Apollodorus, sed caussas adfert, cur Peleo suos amores concesserit. scribit enim sic, Αὐτὸς δὲ Πηλεὺς γα-

μετὰ Θέτιν τὴν Νηρέως, περὶ ἧς τοῦ γάμου Ζεὺς, καὶ Ποσειδῶν A ἤρισαν. Θέμιδος δὲ θεσπισάσης ἔσεσθαι τὸν ἐκ ταύτης γεννηθέντα κρείττονα τοῦ πατρός, ἀπέσχοντο. ἔνιοι δέ φασι Διὸς ὁρμήσαντος, ἐπὶ τὴν ταύτης συνουσίαν, εἰρηκέναι Προμηθέα τὸν ἐκ ταύτης αὐτῷ γεννηθέντα, οὐρανοῦ δυναστεύσειν. τινὲς δὲ λέγουσι μὴ θελῆσαι Θέτιν Διὶ συνελθεῖν ὑπὸ Ἥρας τραφεῖσαν. Δία δὲ ὀργισθέντα θνητῷ ἐθελῆσαι αὐτὴν συνοικίσαι.

Te ne Thetis tenuit.] Διατύπωσις poëtica in rebus optatissimis. Sic apud Terentium amator, *Teneo ego te mea Antiphila.* Ac Tenendi verbo eodem prope modo est vsus.

Te ne *suam Thetis concessit ducere neptem.*] B Etenim Oceano ac Tethide nati Nereus ac Doris. quorum filia Thetis. Auiæ nomen scribi debet, Τηθύς. Neptis, Θέτις. differunt enim non scriptura tantum, sed & quantitate syllabarum. Apollodorus in. I.

Oceanvsqve *pater, totum qui amplectitur orbem.*] In manuscriptis omnibus. Oceanúsque mari totum qui amplectitur orbem. quam probam rectámque iudico lectionem. Manil. in IIII. in eandem sententiam,

Ipsa notat tellus pelagi lustrata corona,
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.

Et Poëta vetus, Κύκλῳ ἀκαμάτῳ περιρρὸξ ὠκεανοῖο C Ὃς γαῖαν δίνῃσι περιστρέφει ἀμφὶς ἑλίσσων.

Oppletvr *lætanti regia cœtu.*] similiter Statius in I. Thebaid.

——*Diffuderat Argos*
Expectata dies, læto regalia cœtu
Atria complentur.——

Linqvvnt *Phthiotica Tempe.*] Phthiotica dixit, opinor, ea, quæ sunt ad Sperchium, ad differentiam eorum, quæ sunt ad Peneum.

Graivgenasqve *domos.*] Cum in manuscriptis omnibus legatur, Grauinonisque domos: & in Vaticano, Graninonisque domos: eruditè Petrus Victorius, acutéque mutauit in Crannonisque domos. quam esse Thessaliæ vr- D bem, præter Strabonem, Stephanum, cæterósque Cosmographos, ostendunt illa Ciceronis verba in II. de Orat. *Dicunt enim, cùm cenaret Crannone in Thessalia Simonides.* Campi Crannonij meminit Callimachus in Hymnis. Ἐρχεαι δ' Ὄσσης Οὐρεα, καὶ πεδίον Κραννώνιον. Corbinellus in manu scripto fuisse ait, Gyrtonisque domos eámque lectionē confirmari testimonio Apollonij in. I. Argon. ἤλυθε δ' ἀφνειὸν προλιπὼν Γυρτῶνα Κόρωνος. Et interpres vrbem esse Thessaliæ dicit. Quod sequitur, Ac mœnia Larissea, varie legitur in manuscriptis primum sic, Ac nitens Alacrissa. deinde sic, Ac nitentis alacrissea. deinde E etiam sic, Ac nitentis alacrissæa. in Vaticano autem sic, ac Nicenis alarissa. Mihi verò legendum videbatur. Arne tenus ac Larissa. Nihil enim manuscriptæ lectioni propius comminisci potui. vtráque verò est vrbs Thessaliæ.

Pharsaliam *coeunt.*] Pontanus syllabæ consuluit, probabilitérque legit, Pharsalum coeunt.

Non *glebam.*] Per diphthongum omnino scribendum. sic enim in vetustissimis quibúsque libris scriptum reperio.

Arboris *vmbram.*] ramos cum frondibus. Verg. in II. Georg.

Tum fortes late ramos, & brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet vmbram.

Figura nota.

Robigo.] Hoc quoque sic scribendum eadem de caussa.

Qvacvmqve *opulenta recessit Regia.*] Imitatus Vergilius dixit,

At domus interior regali splendida luxu.

Et Ouid. in II. Metam.

Pars secreta domus, ebore, & testudine cultos
Tres habuit thalamos.

Fvlgenti *splendent auro, atque argento.*] Alcæus apud Athenæum in XIIII. similiter. Μαρμαίρει δὲ μέγας δόμος χαλκῷ.

Candet *ebur soliis.*] sedibus, aut mensis: vtrumque enim significatur eodem nomine. i. mensis, lectis. Cic. in Pisonem, *Græci stipati in lectulis, ipse solus bibiturus, quæ eodem de solio ministrentur.* Horat. eodem in genere in II. Serm. idem prope dixit aliis verbis.

——*Rubro vbi cocco*
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

Tota *domus gaudet regali splendida gaza.*] Renidere dixit Horat.

Non ebur, nec aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Theognis, Γέλασσε δὲ γαῖα πελώρη.

Pvlvinar *vero diuæ geniale locatur.*] ὁ παστὸς, siue ut Aristophanes in Auibus dicit, λέχος γαμήλιον. ab Horat. atque aliis Lectus genialis dicitur.

Indo *quod dente politum.*] Indum ebur & Vergil. dixit,

Indum sanguineo si quis violauerit ostro
Forsan ebur.

Idem in Georg.

India mittit ebur.

Conchylis *purpura.*] Dictum fortasse ad differentiam purpuræ terrestris, quæ Bacis legitur. Hoc Catullinum quale sit, ostendunt illa Lucretiana in VI.

Purpureúsque color conchyli iungitur vna
Corpore cum lanæ, dirimi qui non queat vsquam.

Hæc *vestis.*] Locus insignis & quem fortasse in hac ecbasi sibi propositum Catullus hæc scribens habebat apud Apollonium in IV. cuius initium, Οἱ μὲν δὴ πέπλον. Ἀφήγησις huius poëmatis prope totius, vsitata quidem illa Homero, primùm in Achillis scuto describendo, deinde Vergilio in Aeneæ quoque scuto. Ouidius in VI. Metamorph. simile quiddam imitatur in Philomelæ fabula, & auctor incertus in Ciri,

Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,

& quæ sequuntur. Varro, opinor, hinc transferens Pelographian opus scripserat. Verg. idem significans;

Purpurea intexti tollunt aulæa Britanni.

Herovm *mira virtutes indicat arte.*] Argumentosum opus vocant. Vergil.

Argumentum operis.

Prospectans *litore Diæ.*] Litus etiam in versu faciendo scribendum simplici. T. Diā vero absolute Naxon dixit, Homerum & Callimachum secutus. de quo sic interpres Apollonij in

illud Poëtæ in. IIII. *Δίῃ ἐν ἀμφιάλῳ. Δίῃ ἐν τῇ Νάξῳ* A
Καλλίμαχος. Εἰ δίῃ τὸ γὰρ ἦεν παλαιότερον οὔνομα Νάξῳ. Homerus in. λ. Odyss. *Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ.* quo loco interpres Homeri, *Δία τινὸς πρὸς τῇ Κρήτῃ. ὡς Νάξος καλεῖται. ἱερὰ δὲ αὕτη τοῦ Διονύσου.* Atque idem fabulam eodem prope modo expositam à Pherecyde tradit. Seruius quoque in. III. Aeneid. in illud Verg.

Bacchatámque iugis Naxon,

Diam hanc insulam vocatam fuisse tradit. Et Hygin. in Corona, *Dicitur enim in insula Dia, cùm Ariadne Libero nuberet.*

NEC *dum etiam sesèque sui tum credidit esse.*] Variè quoque hic versus in manuscriptis legi- B tur. Primum sic, Nec dum etiam sesèque sui tui se credit. Deinde sic, Nec dum etiam sesèque sui se credit. Vereor itaque quid huic desit versui. iam si priorem lectionem sequimur, legendum puto, Nec dum etiam sese quæ sit, tum credidit esse.

INRITA *ventosæ linquens promissa procellæ.*] id est in vento scripta.

SAXEA *vt effigies.*] Ariadna apud Ouid. in epistula.

Quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

ET *magnis curarum fluctuat vndis.*] Verg. in. IIII. Aeneid.

Et magno curarum fluctuat æstu. C

Et Herodianus de Commodo. *Κυμαίνοντα σοῦ ἔχων τοσαύτας φροντίδας τὴν ψυχήν.* Et is, qui vulgo Musæus creditur, *Ἴσα τε κυμαίνουσα πολυκλαύστοισι μερίμναις,*

NON *flauo retinens subtilem vertice mitram.*] Retinere verbo sic est vsus auctor incertus in Ciri,

Non niuea retinens bacchata monilia collo.

Atque alibi,

Purpureas flauo retinentem vertice vittas.

NON *tereti strophio lactentis vincta papillas.*] Sic in manuscriptis quoque præterquam in vno, in quo erat, Lacentis. Legendum forte, Lucentis. Sic enim pulchras significat. vt & Statio Lucidus Euan dicitur Bacchus, formosus in primis deus. Alij legunt, Luctantis, vt quasi luctentur papillæ turgentes. Nonius Marcellus in Verbo Strophium. *Strophium, inquit, fascia breuis, quæ virginalem errorem cohibet papillarum.* D

SED *neque tum mitra neque tum.*] Idem numerus apud auctorem Cyris.

Sed neque tunc ciues, neque tunc rex ipse veretur.

FLVITANTIS *amictus.*] Sic Tacit. de morib. Germanorum, *Non fluitante veste, sicut Sarmatæ, ac Parthi, sed stricta, ac singulos artus exprimente.*

OMNIA *quæ toto delapsa è corpore passim.*] Sic etiam loquitur Ouid. E

—— humeris pallia lapsa meis.

IPSIVS *ante pedes fluctus salis allidebant.*] Legendum omnino, vt est in manuscriptis. Alludedant. Sic in definitione Litoris apud Cic. in Topicis. Iureconsultus Fluctum dixit eludere. Eodem modo Ouid. in Metam.

——— & in alludentibus vndis

Summa pedum, salóque tenus vestigia tingit.

Et Arnobius in. VIII. aduersus gentes, *Nostris pedibus alluderet fluctus.*

TOTO *te pectore Thesen.*] In manuscriptis omnibus. Toto ex te pectore Theseu. Aldus ante ediderat. Toto te ex pectore.

PERDITA.] Sic Vergil. in Bucol.

Perdita, nec seræ meminit decedere nocti.

A MISERA.] nominandi casu, sic etiam est omnibus in manuscriptis.

ADSIDVIS *quam luctibus extenuauit.*] In manuscriptis, vt & Aldus ante ediderat, Externauit. quo verbo alibi vtitur. *Externata malo.* Et Nonius verbum Externauit agnoscit, & idem legit.

SPINOSAS *Erycina serens.*] Sic Ouid. vt opinor, hoc imitatus in II. Amor.

Quid geminas Erycina meo, in corde dolores.

Et Horat. in. I. Carm.

Siue tu mauis Erycina ridens.

Similiter autem Theocritus, *Κύπρις δ᾽ ἀδὺ ποθοῦσα μερίμνας.* Eodem modo, quo Catullus loquitur post,

Nam, mihi quam dederit duplex Amatuntia curam.

ILLA *tempestate feróxque & tempore Theseus.*] Sic etiam est omnibus in manuscriptis. Aldus impressit ante, Illa tẽpestate ferox, & tempore. Ego, vt minimum à scripto discedam, legendum puto, Illa tempestate ferox qua, & tempore. vel, quo & tempore, vt existat illa prisca dicendi ratio, poëtæ aptissima. Cic. in. III. de Orat. *Inusitata sunt prisca fere, ac vetusta, & ab vsu cotidiani sermonis iamdiu intermissa, quæ sunt Poëtarum licentia liberiora, quam nostra, sed tamen raro habet etiam in oratione poeticum aliquod verbum dignitatem neque enim illud fugerim dicere, vt Calius, Qua tempestate Pœnus in Italiam venit.* Vt sit hoc loco, Illa tempestate ac tempore, quo &c.

ANDROGEONEÆ *pœnas exoluere cædis.*] In manuscriptis omnibus. Cum Androgeneæ. legendum, Androgenææ. Cum autem in omnibus libris præpositum, indicat fortasse sic intelligendum. Cum exoluere, pro Exoluebant. cuiusmodi nullum exemplum alibi reperio. Sententia quidem certè multo sic esset facilior ad intelligendum, & oratio ipsa nullo modo impediretur.

QVIS *angusta malis cum mœnia vexarentur.*] Angusta etiam in manuscriptis. sunt tamen qui legi velint, Augusta. in duobus paulo vetustioribus libris pro Vexarentur, Versarentur. id est iactarentur. Mœnia autem, ipsis pro ciuibus.

FVNERA *Cecropiæ, ne funera portarentur.*] In manuscriptis duobus. Ne funera. Illud rectius. Nec tamen sic dictum accipio, vt illa alia, Innuptas nuptias, Insepultam sepulturam. neque enim est eadem compositio. Legendum verò suspicor, Funera Cecropiæ nec funere portarentur. vt Efferri funere optimi dixerunt auctores. Funus autem pompam ipsam significat, & amicorum frequentiam in efferendo mortuo. Cic. pro Quinctio. *Si funus id habendum sit, quò non amici conueniunt ad exequias cohonestandas.* Et Lucilius, *Nullo honore diffletu, nullo funere.* Quæ verba sic esse corrigenda arbitror, *Nullo heredis fletu, nullo funere.* Ouid. ad Liuiam,

Funera pro sacris tibi sunt ducenda triumphis.

Vel, Nec funere, cum viui eò venirent, non mortui, quod vere demum funus esset. Imitatus tamen videtur Manilius in. V. Astronom. de An-

dromeda. & priorem confirmare lectionem.

Indiuttùrque sinus non hæc in vota paratos,
I n gratis & viua rapitur sine funere funus.

Q V A M *suauis exspirans lectus odores.*] Non dissimilis videtur huic loco, ille alter apud Vergil. in 1. Aeneid.

At Venus Ascanio placidam per membra quietē
Inrigat, & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci adspirans complectitur vmbra.

N O N *prius ex illo flagrantia declinauit Lumina.*] Sic etiam apud Vergilium Dido Cupidinem falsa in imagine Ascanij spectans, Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.

Q V A M *toto concepit pectore flammam.*] In manuscriptis omnibus Cuncto, pro Toto. Vergil. Toto pectore sic dixit in. vii.

Toto percepit pectore flammam.

H E V *misere exagitans.*] Sic etiam in manuscriptis duobus. In vno, Cum misere. quod reiiciendum videtur.

C V R I S *hominum qui gaudia misces.*] Amoribus, In eandem sententiam alibi, *Qui dulcem curis miscet amaritiem.*

Q V Æ Q V E *regis Golgos.*] In duobus manuscriptis, Quique vt & Aldus ante impresserat. Golgos autem hoc esse legendum loco Petrus Bembus iam diu docuit. & esse hanc Theocriti imitationem, cuius alij versum posuere.

Q V A L I B V S *incensam iactastis mente puellam Fluctibus.*] In manuscriptis omnibus Qualibet. itaque veram lectionem desidero.

I N *flauo sæpe hospite suspirantem.*] pulchro, Sic ξανθὸν Homerus dicit. Eodem modo etiam Iuuenal. Sat. v.

Et flaui ferro dignus Meleagri
Fumet aper.——

Corbinellus non ἀνάχως Hospitem ac Suspirare simul positas esse voces putabat S. litteræ frequentia quasi suspirantes ipsas. Sic Horat. in. iii. Carm.

Atqui sollicitæ nuntius hospitæ
Suspirare Chloen.——

Q V A N T O *sæpe magis fulgore expalluit auri.*] Idem alibi,

Hospes inaurata pallidior statua.

Gabriel Faernus legendum putabat, Quam tum sæpe magis.

A V T *mortem oppeteret Theseus.*] Subaudiendum, Vt. At in manuscriptis omnibus. Oppeteret.

N O N *ingrata tamen frustra munuscula diuis Promittens.*] Munera, pro Votis, & iis rebus omnibus quæ dis offerebantur. Idem alibi,

Quam iucunda mihi munera libet Onyx.

Incertus auctor in Ciri,

Non accepta pius promittens munera diuis.

Et Promittere pro Vouere, vt & Catullus hoc loco, & idem ille incertus auctor. Et alibi Catul.

Leuia protendens brachia pollicita est.

Ouid. hæc eadem dona dixit,

Grata ferunt Nymphæ pro saluis dona maritis.

Et in. vii. Metam.

Aemoniæ matres pro natis dona receptis,
Grandæuique ferunt patres.

A T A C I T O *suspendit vota labello.*] In manuscriptis duobus pro Suspendit, Succedit. in Maffei libro, Succendit, quod probabile videtur. Ego aut hoc retinendum puto, vt eam multa magno studio nouisse intelligamus: aut pro, Succedit, Suscepit, legendum. in veteribus enim libris, Succepit, pro Suscepit, scribi non numquam solet. Sic in meo veteri libro Vergilij,

Succepitque ignem foliis.

N A M *velut in summo quatientem brachia Tauro.*] Vergil. eodem genere contentionis vsus in ii. Aeneid. dixit.

Ac veluti summis antiquam in montibus ornum,
B *Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant.*
Eruere agricolæ certatim, illa vsque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat,
Vulneribus donec paulatim euicta, supremum
Congemuit, traxitque iugis auulsa ruinam.

Et Electra apud Sophoclem de occiso Agamemnone, Μήτηρ δ' ἐμή, χὼ κοινολεχὴς Αἴγισθος, ὅπως δρῦν ὑλοτόμοι σχίζουσι κάρα φονίῳ πελέκει. Taurus, mons notissimus.

S V D A N T I *cortice.*] In manuscriptis duobus. Sudanti corpore. in vno, Cortice.

I N D O M I T V S *turbo contorquens flamine.*] Interponendam hoc loco distinctionem censeo.

C I L L A *procul radicitus exturbata.*] In manuscriptis omnibus Radicibus exturbata.

P R O N A *cadit, latéque & comminus omnia frangit.*] Hoc vero minimè Catullinum esse contendam. In manu enim scriptis duobus est, Latéque cum eius obuia frangens. In vno, Latéque eius eius obuia frangens. Ego legendum suspicor, Late quæcúmque sibi obuia frangens. quod est ipsum apertius, & scriptæ lectioni propius. tametsi, Sibi, quod posui, à litteris. Ius, aliquanto, quam illud, longius discedit. Sed comminisci tamen aptius non potui.

I N D E *pedem victor multa cum laude reflexit.*] In manuscriptis omnibus, vt & Aldus olim impressit, Inde pedem sospes.

D S E D, *quid ego, à primo digressus carmine.*] In manuscriptis omnibus. Sed quid ego in primo. illud tamen vsitatius.

V T *consanguineæ complexum.*] Sic etiam in manuscriptis duobus. In vno, Vt consanguineum complexu. Legendum opinor, Vt consanguineum complexum, pro, Consanguineorum.

Q V Æ *misera ignaro fleret deperdita lecto.*] Nec hoc quidem Catullinum, ac γνήσιον est. in manu enim scriptis erat, in aliis, Quæ misera ignara deperdita læta. In aliis, Quæ misera ignata deperdita leta. In aliis, Quæ misera ignata deperdite leta. Ignara autem, In gnata duas voces fuisse suspicor. reliqua, quæ desiderantur, nisi inuenta restitui non possunt. Vno in manuscripto libro legisse se Faernus adfirmat, Quæ misero gnatæ fleret deperdita luctu. Quod si Ignaro lecto legeremus, simile id quidem esset eius, quod alibi, *Sed quid ego ignaris nequiquam conqueror auris.*

O M N I B V S *his Thesei dulcem præferret amorem.*] In manuscriptis omnibus. Portaret, non Præferret, legendum suspicor, Omnibus his Thesei dulcem præoptarit amorem. Erit enim dicendi ratio facilior, atque aptior ad senten-

tiam efficiendam, & à manuscripta lectione non multum dissidens.

Avt *vt eam dulci.*] Nullo in manuscripto erat, Dulci. itaque aut hoc, aut aliud eiusmodi verbum desideratur.

Devictam.] In manuscriptis omnibus Deuinctam.

Ac *tum præruptos tristem conscendere montes.*] Ariadna in epistula apud Ouidium,

Mons fuit, apparent frutices in vertice rari.
Nunc scopulus raucis pendet aquosus aquis.
Ascendo, vires animus dabat, atque ita late
Aequora prospectu metior alta meo.

In manuscriptis verò omnibus Tristis, non Tristem. sed hoc tamen probabilius.

B

Siccine *me patriis abductam perfide ab oris.*] In manuscriptis omnibus pro Abductam, Auectam legebam. idque probabilius videtur.

Siccine *discedens neglecto numine diuum.*] Sic post,

Diuum ad fallendos numine abusum homines.

Immemor *à deuota domum periuria portas.*] Auctor incertus in Ciri, Portare luctum sic dixit,

Aut amor insana luctum portauit alumnæ.

Tibi *nulla fuit clementia prædo.*] In manuscriptis omnibus non Prædo, sed Præsto. idque sequendum iudico.

C

Vt *nostri vellet miserescere pectus.*] In omnibus manuscriptis, Mitescere, non Miserescere. Sed hoc tamen probabilius.

At *non hæc quondam blanda promissa dedisti Voce mihi.*] In manuscriptis omnibus non Blanda, sed Vobis. Legendum fortè, At non hæc quondam, non hæc promissa dedisti Voce mihi. quo nihil omnino propiùs manuscripto reperire potui. vt aliqua ex eo sententia elici, & constare posset.

Non *hoc miseram sperare iubebas.*] Praue in manuscriptis, Nec hoc miseræ sperare iubebas. Verbo Iubere, sic ante est vsus,

D

Certe tute iubebas animam tradere me.

Sed *conubia læta, sed optatos Hymenæos.*] Non hoc quoque non imitatus videtur Vergilius in IIII. Aeneid. Numerus quidem certè idem apud ipsum, & similia verba,

Per conubia nostra, per inceptos hymenæos.

Tvm *iam nulla viro iuranti femina credat.*] Legendum forte, Nunc iam. quam lectionem confirmare videntur Ariadnæ verba ipsius apud Ouidium in Epistula.

Nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat.

Aut iteremus, iam iam. quod irati solent. Auctor incertus in Ciri,

E

Iam iam scelus omnia vincit.

Nvlla *viri speret sermones esse fideles.*] Oratorie, neminem excipit. Aristoteles in II. Rhetor. Καθόλου δὲ μὴ ὄντος, καθόλου εἰπεῖν, ἁρμόττει μάλιστα ἐν σχετλιασμῷ καὶ δεινώσει, καὶ ἐν τούτοις ἢ ἀρχομένοις, ἢ ἀποδεδειχόσιν. In eandem verò sententiam Terentius in Andria, *Ita pol quidem res est, vt dixi, Lesbia, Fidelem haud ferme mulieri inuenias virum.* Et in Hecyra. *Perpol quam paucos reperias meretricibus Fideles euenire amatores Syra. Vel hic Pamphilus iurabat quotiens Bacchidi Quam sancte, vt quiuis facile posset credere.* Et quæ sequuntur.

Qvi *dum aliquid cupiens animus prægestit apisci.*] Ibidem Terentius,

Nam nemo illorum quisquam, scito, ad te venit,
Quin ita paret sese, abs te vt blanditiis suis,
Quam minimo pretio suam voluptatem expleat.

Apisci autem, pro Adipisci, veteres dicebant. Fabius Max. apud Priscianum in VIII. Amitti magis, quam apisci. In manuscriptis legitur hic versus hoc modo. *Quis cum aliquid cupiens animus prægestit apisci.* Quis: sermonibus scilicet.

Dicta *nihil metuere.*] Is numerus in tertio [illegible] Vergil. in Bucol.

Nil nostri miserere.

Et in IIII. Aeneid.

Tecta metu petiere, ruunt de montibus amnes.

In *medio versantem turbine leti.*] Versari eodem prope modo dicit idem post,

Ille autem prope iam mediis versatur in vndis.

στροφάλιγγα sic propemodum Græci dicunt. Anacreon, in III. Epigram. Οὔπω γὰρ νιὸ δὲ νέον ὁ φιλαίματος Ἄρης ἠνάρισεν σύννομος ἐν στροφάλιγγι μάχης.

Potivs *germanum amittere creui.*] Decreui. Plautus in Cistell.

Tum antehac te amaui, & mihi amicã esse creui mea.
Gymnasium.

Et Lucil. Satyr. lib. V.

Postquam præsidium castris educere creuit.

Qvam *tibi fallaci supremo in tempore deesse.*] In manuscriptis omnibus Deesse.

Nec *iniecta tumulabor mortua terra.*] In manuscriptis omnibus pro Iniecta, Intacta. illud omnino rectius. Simile, opinor, vitium apud Cic. in libris de Legib. *Terra facta*, pro Iacta.

Qvod *mare conceptum.*] Ante dixit Mare ferum. Et Tibullus,

——— *natam*
Is Venerem rapido sentiet esse mari.

Qvæ *Syrtis, quæ Scylla vorax.*] In manuscriptis omnibus. Quæ Scylla rapax.

Prisci *præcepta parentis.*] Artificiose eodem ab elemento incipientes litteras contexuit. tum carmen asperauit ipsum de industria vocibus. R. littera strepentibus.

In *vestras.*] σχετλιαστικῶς, vt post docebimus.

Qvæ *tibi iucundo famularer serua labore.*] Quod effugisse se lætatur apud Vergilium Creusa.

Non ego Myrmidonum sedes, Dolopum ve superbas.
Aspiciam, aut Graiis seruitum matribus ibo.

Candida *permulcens liquidis vestigia lymphis.*] Hoc ipso in genere eodem est vsus verbo apud Gellium in. II. cap. XXVI. Pacuuius, *Cedo tamen pedem lymphis flauis, flauum vt puluerem Manibus isdem, quibus Vlixi sæpe permulsi, abluam, Lassitudinémque nimiam manuum mollitudine.* Itaque etiam canes, ac feræ suos fetus cum lingunt, Mulcere dicuntur. Silius Italicus in. V. *Tum clypeum quatit, aspersum quem cædibus olim Celticus ornarat cruor, vmentique sub antro, Ceu fetum lupa permulcens puerilia membra, Ingentem Assarici cælo nutribat alumnum.* Idem vero Catullus ante tamquam de re liquida, de floribus ipsis dixit, *Quis permulsa domus iucundo risit odore.* Manere enim, ac fluere odores, dicit Lucretius.

Id, *quid ego ignaris nequicquam conqueror auris.*] In manuscriptis duobus, Conquerar. Ignaras auras sic dicit, vt Cicero inanima quædam stolida dixit. At Callimachus leuari quoque dolore adfectos putat, si ignaris etiam auris conquerantur, atque in solitudine. Versus illius apud Stobæum sunt, Κυφοτέρως τότε φωτὸς ἀλαστεύουσιν ἀνίαι Ἐκ δὲ πεντηκόντων μείζων ἀφεῖλε μίαν. Ἢ ὅτ' ἐς ἄνδρα συνέμπορον, ἢ ὅτ' ἐπὶ κωφὰς Ἀλλὰ μάλ' αὔρας ἔσχατον ἐξερέειν. Quibus in versibus tertius mancus apud Stobæum legitur. Et auctor incertus in Ciri, *Vos ego, vos adeò venti testabor, & auræ.*

Externata *malo.*] In manuscriptis omnibus Extenuata. Sed illud probabilius. Eodem verbo idem antè vsus est, & Ouid. in Ibin. *Atque aliquid facias à vespere Solis ad ortus, Cur externati rursus agantur equi.*

Qvæ *nullis sensibus aucta.*] Præditæ. Sic Lucretius, in III.

Quin vt opinor eam faciundum est sensibus auctam.

Et alibi,

Sic animas introduxerunt sensibus auctas.

Nec *missas audire queunt, aut reddere voces.*] Imitatus Vergil. in VI. ——*datur ora tueri*

Nate tua, & missas audire, & reddere voces.

Prope *iam medijs versatur in vndis.*] Eodem modo etiam Horat. loquitur.

Et versor ciuilibus vndis.

Sic *nimis insultans.*] Vno in manuscripto, Sed nimis.

Sæva *Fors etiam nostris inuidit questibus aures.*] In manuscriptis, Auris. quæ vetus est scriptura, pro Aures.

Vtinam *nec.*] Imitationem Vergilij Macrobius ostendit. In manuscriptis autem omnibus. Vtinam ne. quale illud Enni, *Vtinam ne in nemore Pelio.* Et quę sequuntur.

Perfidvs *in Cretam religasset nauita funem.*] Horat. eodem modo in I. Carm.

Sine iactatam religat vdo

Litore nauim.—— Sed, quod in Cretam dicit, ita in manuscriptis est, ita dictum fortasse videri possit, vt à Cæsare, *Naues, quæ erant ad anchoras deligata.*

Consilivm *nostris quæsisset sedibus hospes.*] Sic vno in manuscripto. in alijs, Requisisset, sed prauè.

Nam *quo me referam.*] Quo me vertam. Admonuit me Iacobus Corbinellus similium Medeæ verborum apud Euripidem, horum,

Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,

Οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην.

Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν

Δέξαιντό μ' οἴκοις; ὧν πατέρα κατέκτανον.

Cic. in extrema oratione pro Muræna simili figura est vsus orationis; vel eadem potius cum sequentibus.

Isthmoneos *ne petam montes.*] In manuscriptis omnib. Idmoneos. Ex quo alij Isthmoneos, alij Idæos fecerunt. Isthmoneus à quo dicatur, nescio. certe Isthmiæus à Statio, aliisque dictum animaduerti. Iam quod Idæos an montes petat, dubitare se dicit, frigidum id quoque. Ego, aliquid vt auderem, legebam, Immanes ne petam montes. referoq. ad montes Diæ insulæ.

A Sic verò Immanes montes dicit, vt Vergil. quoque, Immania saxa. Eiusque insulæ, in qua sit, montes intelligendos esse, versus qui sequitur, vt vno in manuscripto est, ostendit. nam, cum alijs in manuscriptis sit, *Discedens Pontum turbulentum vbi diuidit æquor*, in illo est, *Discurrens Pontum truculentum vbi claudit æquor.* Ego legendum suspicabar, *A gurgite vasto, Discurrens penitus truculentum vbi clauditur æquor.* Claudi autem intra montes mare ipsum dixit, quod Νάξον, vt scribit Dionysij interpres Eustathius, ἀμπέλου φύλλῳ εἰκάζων. In eósque sinus ac recessus influens mare obiectu montium laterúmque concluditur ac B desæuit. nam, quod nihil respondet, hoc verò quanti faciendum sit, cum sententiam id nihil impediat, alij iudicent. Truculentum æquor dixit, vt ante, *Truculentáque pelagi,*

An *patris auxilium sperem.*] Ineptè superiore illo loco Cretam intellexissemus, cum hic patris qui sit in Creta, meminerit, atque eum se potius fugere debere significet.

Qvem *ne ipsa reliqui.*] Ne, παρέλκει, vt quod sequitur, Qui ne fugit. pro Quem, Qui. Priscianus valere additum Ne putat, ad confirmandum. nam in XVI. vbi de Ne particula, sic scribit, *Hæc eadem*, inquit, *inuenitur & pro confirma-* C *tiua*, vt Horat. in II. Serm. *O seri studiorum, quine putetis Difficile, & mirum Rhodio quod Pitholeonti Contigit.* Hæc Priscian. Eodem prope modo posuisse Seneca videri potest in Epist. *Vis*, inquit, *scire quid illa eruerit, quid ne effecerit.* nisi legendum sit, quidue. Et Vergil. in IIII. Æneid.

Quia ne auxilio iuuat ante leuatos.

Id est, vt interpretantur, re vera. Ex eodem genere videtur esse & illud Terentij.

Faciunt ne intellegendo, vt nihil intellegant.

Qvi *ne fugit lentos incuruans gurgite remos.*] In manuscriptis omnibus non Lentos, sed, Ventos. legendum forte, Ventoso.

D Nvllo *sola insula tecto.*] Similiter Sophocles in Philoctete, vt putabat Corbinellus,

Τάδ' ἄλλ' ἔρημα, κοὐδέν ἐσθ' ὑπόστεγον.

Nvlla *fuga ratio, nulla spes.*] Vno in manuscripto, Nulla est spes.

Ostentant *omnia letum.*] Imitatus Verg. dixit, *Præsentémq. viris intentant omnia mortem.* Plautus in Rudente similiter, *Hic saxa sunt, hic mare sonat, nec quisquam homo venit mihi obuiam, &c.*

Qvam *iustam à diuis exposcam prodita multam.*] Idem post, *Supplicium sæuis exposcens anxia poenis.*

Comprecer.] Vno in manuscripto, Comprecer. quæ sunt veteris scripturæ monumenta.

E Exspirantis *præportat pectoris imas.*] πρὸ Homericum videtur expressisse.

Qvas *ego ve misera.*] In manuscriptis omnibus. Ve misera. Sic Vergil. *Mantua ve miseræ nimium vicina Cremonæ*, idest, Ve Mantua, & quæ sequuntur.

Qvæ *quoniam veræ nascuntur pectore ab imo.*] Lucret. *Nam veræ voces tum demum pectore ab imo Eliciuntur*—— Idque de dolentibus.

Vos *nolite pati.*] Sic Cic. loquitur pro Milone, *Nolite, obsecro vos, pati, mihi acerbiorem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus.*

Sed, *quali solam Theseus me mente reliquit, Tali*

mente.] Similiter Corn. Tacitus, vt putabat Corbinellus, *Et luisse eam pœnam ea conscientia, qua scelus patrauisset.*

ANNVIT *inuicto cælestum numine rector.*] In manuscriptis duobus Inuito, non Inuicto. vt Homericum illud expresserit, ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ. Idem ipsum Euripid. φθέγξαι δ' ἑκὼν ἄκων ἴσχ ἑκὼν, ἑκών.

QVO *tunc & tellus, atque horrida contremuerunt Aequora.*] Homericum est, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. Vergilius exprimens dixit, *Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.* Versus vtriusque inter se contulit Macrobius. Idem Vergilius alibi loquente Ioue terram ipsam tremere dixit,

Infit, eo dicente, deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther,
Tum zephiri posuêre, premit placida æquora pontus.

IPSE *autem cæca mentis caligine Theseus Consitus.*] In manuscriptis omnibus Mente, legendum omnino puto, Mentem, vt sit Consitus mentem. Qua de lectione ne dubitandum quidem esse existimo.

SOSPITEM, *& ereptum.*] Sic in Maffei libro. in duob. alijs, Sospitem erectum, itaque putant nonnulli legendum, Sospitem & erectum.

NAMQVE *ferunt, olim classi cum mœnia diuæ.*] Sic etiam est omnibus in manuscriptis. Pontanus in alieno opere tantum sibi permiserat, vt, quæ non probaret ipse, deleret, sua poneret. itaque pro Classi Castæ fecerat. Classi autem pro Classe dixit. vt alibi, *Per medium classi barbara nauit Athon.* Et Vergil. in VIII. *Aduectum Aenean classi.* Et Sisenna, apud Nonium Marcellum in verbo, Centones, *Perpetua classi.*

LINQVERET *& gnatum.*] In manuscriptis omnib. Linquentem gnatum.

CONCREDERET *Aegeus.*] Eodem in genere & Horat. in I. Carm. *Nauis quæ tibi creditum Debes Vergilium finibus Atticis.* Et Columella in prooemio lib. I. *Iamque qui ædificare velint, fabros, & architectos aduocent, qui nauigia mari concredere, gubernandi peritos.*

GNATE, *mihi longa iucundior vnice vita, Gnate.*] Eadem iteratione vsus est etiam Vergil. in I. Æneid.

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi, qui tela Typhœa temnis.

LANGVIDA.] Vel fletu, vel diu inspectando filio.

LVMINA *sunt gnati cara saturata figura.*] In eodem genere Vergilius verbo Explere est vsus, *Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo.* Et Terentius in Phormione, *Oculos pascere.* Et Tacitus, *Velata parte oris, ne satiaret aspectum.*

NON *ego te gaudens lætanti pectore mittam.*] Vno in manuscripto, Lætanti corpore.

CANITIEM *terra, atque infuso puluere fœdans.*] Sic Vergil. in X.

Caniciem immundo deformat puluere. Et in XII.
Caniciem immundo perfusam puluere turpans.

NOSTRÆQVE *incendia mentis.*] Æstus animi.

CARBASVS *obscura dicat ferrugine Ibera.*] In manuscriptis duobus Dicet. in vno, Decet. E priore lectione faciebam, Dictet. è posteriore,

A Deceat, vel Doceat. Ferruginem Iberam etiam dixit Vergil. in vestib. *Et ferrugine clarus Ibera.* Iacobus Corbinellus in Græcorum scriptis mihi se legisse adfirmauit, hęc de velo quod quæ reperitur apud Plutarchū in Theseo. Ὁ δὲ Σιμωνίδης οὐ λευκόν φησιν εἶναι τὸ δοθὲν ὑπὸ τοῦ Αἰγέως, ἀλλὰ φοινικοῦν ἱστίον, ὑγρῷ πεφυρμένον πρίνου ἄνθει ἐρίθμιον. καὶ τοῦτο τῆς σωτηρίας αὐτῶν ποιήσασθαι σημεῖον. ἐκυβέρνα δὲ τὴν ναῦν Ἀμαρσυάδας Φέρεκλος, ὥς φησι, Σιμωνίδης.

QVOD *tibi si sancti concesserit incola Ithyni, Quæ nostrum genus, ac sedes defendere sueta, Annuerit, tauri vt respergas sanguine dextram.*] In manuscriptis duobus sic leguntur hi versus,

B *Quod tibi si sancti concesserit incola Ithonij,*
Quæ nostrum genus, has sedes defendere freti
Annuit, vt tauri respergas sanguine dextram.

In vno, *Quod tibi si tanti concesserit incola Ithini.* Et post, *Annuit vt tauri respersa sanguine dextram.* Cætera sunt eadem, quæ in alijs manuscriptis. Ex quo facile intelligitur, quid quantúmque mutauerint nimis ingeniosi homines, & à manuscripta lectione, quam longe abierint. Ego, quam minimum emendans, legebam,

Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
C *Quæ nostrum genus has sedes defendere fretis*
Annuit, vt tauri respergas sanguine dextram.

Quod si, inquit, Pallas Itonis, quæ nostrum genus, id est, has sedes, nam & patria ipsa sic genus dicitur, auctore Porphyrio, itaque dicimus Πίνδαρον Θηβαῖον τὸ γένος. ac sic quoq. Athenienses, quo maxime gloriabantur, Αὐτόχθονας esse significat, Si Minerua, inquit, Itonia quæ fidentibus atque in se spem collocantibus, id enim, Fretis significat, annuit has sedes defendere, eadem concesserit, & quæ sequuntur. De Itonia Minerua hæc fere reperio, primum apud Apollonij interpretem, Ἐν Θεσσαλίᾳ καὶ Ἰτωνὶς Ἀθηνᾶ τιμᾶται. καὶ ἐν

D Κορωνείᾳ πόλει τῆς Βοιωτίας, ἀπὸ Ἰτώνου τοῦ ἱερέως. Deinde apud Pausaniam in Laconicis, Ὡς δὲ ἐτράποντο οἱ Βοιωτοὶ καταφεύγουσιν ἄνδρες ἐξ αὐτῶν ἐς ἱερὸν Ἀθηνᾶς ἐπίκλησιν Ἰτωνίας. Postremo apud Strabonem in IX. Ἡ μὲν οὖν Κορώνεια, ἐγγὺς τοῦ Ἑλικῶνος ἵδρυται ἐφ' ὕψους ἱδρυμένη. κατελάβοντο δ' αὐτὴν ἐπανιόντες ἐκ τῆς Θετταλικῆς Ἄρνης οἱ Βοιωτοὶ μετὰ τὰ Τρωϊκά, ὅτε περ καὶ τὸν Ὀρχομενὸν ἔσχον. κρατήσαντες δὲ τῆς Κορωνείας ἐν τῷ πρὸ αὐτῆς πεδίῳ τὸ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἱερὸν ἱδρύσαντο, ὁμώνυμον τῷ Θετταλικῷ. De Thessalico alibi eodem in libro, Ἐν δὲ τῇ Φαρσαλίᾳ ἐν τῇ Ἰτωνίδι, ἐν ᾗ ῥεῖ διαυτοῦ ὁ Πενειός, καὶ ὁ Κουάριος, ὃν ὁ Κουάριος ῥεῖ παρὰ τὸ τῆς

E Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἱερὸν εἰς τὸν Πηνειὸν ἐξίησιν. Quo tamen loco praue in impressis, Ἰτωνίας. Vrbs enim Ἰτώνη est. non Ἰτών. Neque enim, si qua eius nominis vrbs esset, tam Strabo, Pausanias, Stephanus, interpres Apollonij pręterijssent. quibus auctoribus templum tantum illud fuisse, & à sacerdote sic etiam dictum constat. Id autem, opinor, Ἰτώνιον dicebatur. latine Itonium. vnde est. quod in manuscriptis omnibus legimus Itonij per II. geminum, tametsi Itonis esse etiam possit. Iton autem nullo modo ciuitas est intelligenda, sed vel mons, vel campus, de quo Strabo eodem in libro, Θηβῶν δὲ ἐν τῷ μεταξὺ ὁ Κρίκου πεδίον πρὸς τῷ καταλήγοντι τῆς Ὄρους. δὶ οὗ ὁ Ἀμφρυσσὸς ῥεῖ ποταμός. τούτῳ δ' ὑπέρκειται ὁ Ἴτων, ὅπου τὸ τῆς Ἰτωνίας ἱερόν. ἀφ' οὗ καὶ τὸ ἐν τῇ Βοιωτίᾳ, καὶ ὁ Κουάριος ποταμός. Plutarch.

ἐν ἱερατικῇ διηγήσει festum esse dicit totius Bœotiæ Mineruæ Itoniæ, Ἡ δὲ Βοιωτῶν ἱερὰ ἐφύλαξε τὴν τῶν Παμβοιωτίων ἑορτὴν, ἣν ἐν Κορωνείᾳ ἐπιτελοῦσι καλέσαντες ἐπὶ τῷ βωμῷ τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς. Itaque Sancti dixit Itonij, vt & Vergilius, *Sancti custos Soractis Apollo.* Incolam eodem modo, quo post,

Grata Canopitis incola litoribus.

HÆC *vigeant mandata, nec vlla oblitteret ætas.*] Tacitus hoc quoque modo loquitur in II. *Pleraque manent, quædam statim omissa sunt, aut vetustas oblitterauit.* Et Hor. in II. Car. eodem prope modo, *Deleuit ætas.*

VT, *simul ac nostros inuisent lumina colles.*] In manuscriptis duobus, Simul hæc. in vno, Simul hic. quod esse rectius iudico. illud alterum, Simul ac, vt nouitium abiudico.

CANDIDAQVE *intorti sustollant vela rudentes.*] Gabriel Faernus sub hunc versum illum subiiciebat, qui Catulli citatur, à Nonio Marcello, *Lucida qua splendent summi carchesia mali.*

CVM *te reducem sors prospera sistet.*] In manuscriptis omnib. non Sors, sed, Ætas legebatur. id est tempus, dies ipsa.

CVM *primum inflati conspexit lintea veli.*] Sic erat in Maffei libro. in aliis, Inflanti. illud rectius.

SIC *funesta domus ingressus tecta paterna.*] Sic etiam in manuscriptis omnib. Sed illius probabilius, Paternæ, non Paterna, scriptum fuisse.

QVALE *Minoidi luctum.*] Sic omnino esse debet. inscitia tamen librariorum in manuscriptis erat, Minoida.

QVÆ *tum prospectans.*] Nouitium hoc quoque in manuscriptis omnib. erat, Quæ tamen aspectans. erratum fortasse leuiter, & pro Tamen, legendum sit, Tantum.

AT *parte ex alia florens volitabat Iacchus.*] Bacchum in insula Naxo versantem facit. Cuius rei caussa è Solini verbis intelligitur. *Sed Naxos*, inquit, *Dionysia prius, quam Naxos dicta, vel quia hospita Libero patri, vel quod fertilitate vitium vincat cateras.* Interpres Arateorum Germanici auget hanc probabilitatem. de Pleiadib. enim hæc scribit, *Dicit autem Pherecides Athenaus septem sorores fuisse Lycurgi filias ex Naxo insula, & pro eo, quod Liberum educauerunt, à Ioue inter sidera sunt relatæ.* Quod autem Ariadnem quærit Liber, docet idem auctor in signo Coronæ nuptam hanc prius fuisse Libero patri. Sed Plutarchus in Theseo Naxios quosdam narrare scribit Ariadnas fuisse duas, seniorem alteram. quæ Libero patri nupserit, iuniorem alteram à Theseo raptam, & in Nazo insula relictam. Hanc itaque totam historiam legere est apud eundem Plutarchum. In manu verò scriptis omnibus est, *At pater ex alia florens volitabat Iacchus.* Liber pater enim à poëtis dici solet. *Ex alia*: facile intelligitur, parte. quo modo etiam doceo in Commentationib. in Horat. in I. Carm. carmen interpretans, *Nec Martiales hœdilia lupos.* Ex hœdilia enim, hœdi alia faciendum esse iudicabam. De Iaccho Herodotus in VIII. & Hermogenis interpres. à quo etiam verbum ἰακχίζειν.

ET *Nisigenis Silenis.*] Νυσίους τοὺς Θεοὺς.

TE *quærens Ariadna, tuóque incensus amore.*] Διόνυσος Ἀριάδνην. Sic enim breuissime Bion apud Stobæum, Διόνυσος Γαλατείας.

HORVM *pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.*] Hedera inuolutos.

PARS *è diuulso.*] Omnibus in manuscriptis vestigium superest veteris scriptionis. Pars è diuolso.

OBSCVRA *cauis celebrabant Orgia cistis.*] Orgia etiam Veneris sunt, quod indicat veteris Poëtæ versus apud Hephæstionem. Αἱ Κυθηρίας ὑμνοῦσι τὰ Ὄργια λαμπάδι. De cistis vero, & calathis, in quibus sacra reponerentur, adhiberi solitos lego tum in Cereris festo, tum verò etiam in Dionysijs. Cic. de Signis, vt Cornelius Fronto in exemplis elocutionum adducit, *Sacra*, inquit, *quædam more Atheniensium reposita in capitibus virginum.* Ea vero sacra Cereri fieri solita, declarat Callimachus in Hymno in Cererem, eiúsque interpres, qui tamen, nescio quem secutus, non in capitibus, sed in vehiculo ferri solita scripsit. Aristophanis interpres morem in Dionysijs fuisse scribit, vti nobiles, primariæque virgines calathos gestarent aureos, omnium rerum primitijs refertos. *Obscura*: secreta, non vulgo nota. In Iunonis etiam festo sacra portare solitas virgines scribit in III. Elegiarum Ouid.

More patrum sanctæ velata vestibus albis
Tradita supposito vertice sacra ferunt.

Hæ Κανηφόροι à Græcis dicebantur.

MVLTAQVE *raucisonos efflabant cornua bombos.*] In manuscriptis omnibus. Multi raucisonos. Dubitandum igitur non est, quin legendum sit, Multis, dandi casu.

BARBARAQVE *horribili stridebat tibia cantu.*] Id est Phrygia tibia. Sic, cum tres modi tibiarũ sint, Ionicus, Lydius, Phrygius, hunc etiam barbarum dici, Acron, & Porphyrio tradunt.

SANCTIS *cœpit decedere diuis.*] Cedere. Legendum forte, Sanctis cœpit dein cedere diuis.

HIC *qualis flatu placidum mare matutino, Horrificans zephyrus proclines incitat vndas.*] Horrorem hunc vndarum Græci dicunt φρικά. sic enim interpretatur Porphyrius in Homericis quæstionib. Καὶ ἔστιν ἡ φρὶξ κατάρξις τοῦ πνεύματος ἀρχή. Σιμωνίδης δὲ αὐτὴν καὶ δεῖξαι πειρώμενος, οὕτως ἔφη. ἐς ἅλα στίξασα πνοά. Homerus in IIII. Iliad. alio quidem in genere, eadem contentione est vsus, Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κῦμα θαλάσσης, Ὄρνυτ' ἐπασσύτερον Ζεφύρου ὕπο κινήσαντος, Πόντῳ μέν τε πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα Χέρσῳ ῥηγνύμενον μεγάλα βρέμει, ἀμφὶ δέ τ' ἄκρας Κυρτὸν ἐὸν, κορυφοῦται. ἀποπτύει δ' ἁλὸς ἄχνην.

AVRORA *exoriente.*] Sic & Q. Catullus apud Cic. in I. de nat. deorum.

Constiteram, exorientem auroram forte salutans.

PROCEDVNT, *leuitérque sonant plangore cachinni.*] Cachinnare, de vndis opinor etiam dixit Attius in Phœnissis.

Simul & circum magna sonantibus excita saxis.
Saua sonando cum crepitu clangentes cachinnant.

Æschylus in Prometheo, ποντίων τε κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα. De auris Plutarchus quod ad hunc maximè locum pertinet, eodem modo, in libello, cui titulum fecit, ὅτι οὐδὲ ζῆν ἔστιν ἡδέως κατ' Ἐπίκουρον, Ridere verbo est vsus, Αἱ δὲ ἐνδιναὶ γελῶσιν αὖραι, καὶ ἑτέραις ὥραις τοῦ σώματος

ἄκρως ὑπὸ σινδόσι διεχέοντο. Sosicrates apud Athenæum de vtroque, Λευκὴ δὲ κυρτοῖς ἐγγελῶσα κύμασιν Ἀκτὴ κέρας Χείρωνος ἀντέχει τόδε.

M a g i s , *magis.*] Sic Plautus, Minus, minusque. Et in Aulul. *Atque illa vero minusque impendio curare.*

P v r p v r e a q v e *procul nantes à luce refulgent.*] Purpuream lucem etiam dixit Ouidius in Fastis, *Lataque purpurea luce refulsit humus.* Nantes vndas vt Catullus, etiam Manilius in III. dixit, *Aeraque & terras, flammamque vndamque natantem.* Purpurascere etiam vndæ commotæ siue remo, siue vento dicuntur. Sic Furius apud Gellium in XVIII. cap. XI. *Spiritus Eurorum virides cum purpurat vndas.*

A *se quisque vago passim pede discedebant.*] Sic vno in manuscripto. in duobus, Ad se. Est autem vtrumque probabile. vt vel illos abisse diuersos intelligamus, vel ad domos se suas recepisse. quo modo etiam Cic. loquitur in IIII. epist. ad Atticum, *Tu de via rectà in hortos. Videtur commodius ad te, postridie scilicet.* Et in III. de rep. vt quidem citat Nonius, *Cuius etiam focum Cato ille noster, cum venerat ad se in Sabinos, vt ex ipso audiebamus, visere solebat.* Versus est veteris poetæ apud Hephæstionem, quem propè videtur expressisse Catullus, Εὐφραίνεσθ' ἡμᾶς, ἀπιτων οἴκαδ' ἄλλος ἄλλοσε. Et ille Homericus in II. Odyss. Οἱ μὲν ἄρ' ἐσκίδναντο ἑὰ πρὸς δώμαθ' ἕκαστος. Ad se igitur, id est, domum. nam & Donatus in Phormione, Domum, id est, Ad se interpretatur. Discedere autem pro Redire etiam dicebant. Æmilius Probus in Themistocle, *Cum manere non auderent, & plurimi hortarentur, ut domos suas discederent, mœnibusque se defenderent.*

Q v o r v m *post abitum.*] Eodem verbo etiam Plautus vtitur in Cistell. *Eas si adeas abitum, quam aditum malis.*

P r i n c e p s.] Primus.

A d v e n i t *Chiron.*] Apollonius in III. Bibliothecæ venisse etiam deos ad has nuptias narrat, sed Chironem Peleo tulisse ac donasse hastā è fraxino. Καὶ δίδωσι Χείρων Πηλεῖ δόρυ μείλινον.

Q v o s *Thessala magnis Montibus ora creat.*] Lucret. in V.

Quod sol, atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora donum.

A v r a *parit flores tepidi fecunda Fauoni.*] Genitabilis aura Fauoni. Lucret. & Vergil. Ouid. in III. de Arte amandi, *Quot noua terra parit flores, cum vere tepenti Vitis agit gemmas, pigraque fugit hiems.*

Q v e i s *permulsa domus iucundo risit odore.*] In manuscriptis duobus. Quot permulsa domus. in primo, Quod permulsa. Legendum putat Faernus, Quo, quod valde probandum. nisi si quis, Quot, idest, Quot florum.

P e n e o s *adit.*] Omnibus in manuscriptis, non Adit, sed Adest.

V i r i d a n t i a *Tempe Linquens.*] In duobus, Vt viridantia Tempe. in vno, Vt inundantia Tempe. Laudo impressam lectionem. Sed fortè scriptum fuit, Vndantia tempe. Additum deinde à Grāmatico, cui id nouum videbatur, Vt inundantia. sic enim & Vergil. in Georg. *Et iuuet vndantem buxo spectare Cytorum.* Tempe vero siluæ sunt, de quibus Vibius Sequester vbi de montib. *Peneus Thessaliæ, vbi siluæ, quas Tempe vocant, hunc Bebryces possederunt.* At Peneum ipsum fluuium ea fluere, declarat in Hymno in Delon Callimachus, Φεῦγε δὲ καὶ Πηνειὸς ἐλισσόμενος διὰ Τεμπέων.

N e r e i d v m *linquens claris celebranda choreis.*] In manuscriptis omnib. Minosim, non, Nereidum. è quo faciebam, Musarum, vel, quod esse propius videtur, Mnemosynæ. Claris autem, in vno etiam manuscripto. in duobus, Doris. è quo faciebam etiam, Doctis. Mnemosynæ autem doctas, siue claras vocat choreas, Musarum, quæ versari nemorosis illis in locis finguntur. Esse enim Musarum parens Mnemosyne dicitur. *Celebranda:* frequentanda.

N o n a c r i a s.] Vitiose omnino, legendumque cum Guarino, Non vacuus. In Maffei enim libro erat, Non acuas. nihil autem corruptæ veteri lectioni propius fingi potest. aliis in libris. Non acies. Et, Non acies. vnde factum Nonacrias. quod huic loco prorsus est alienum. Æschylus in Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, sic Vacuum, idest, nil ferentem dixit, cui Ferentem opponit, ξυμβαλεῖν φωτ' εὐφρόνων, καὶ τοῖς κενοῖς κενῷ. Sic Attius apud Festum, *Neque quisquam à telis vacuus, sed vti cuique obuiam fuerat, ferrum, alius saxum rodum.*

A t q v i *ille tulit.*] Omnibus in manuscriptis, Namque ille tulit. quod est ipsum valde probandum. Moscum autem imitatus videri potest, qui, quæ aleret fluuius, ea ipsum portasse dicat. Moschi apud Stobæum sunt illa,

Ἀλφειὸς μετὰ Πῖσαν ἐπὴν κατὰ πόντον ὁδεύῃ,
Ἔρχεται εἰς Ἀρέθουσαν ἄγων κοτινηφόρον ὕδωρ.
Ἕδνα φέρων καλὰ φύλλα καὶ ἄνθεα, καὶ κόνιν ἱεράν.

R a d i c i t v s *altas Fagos.*] In veteribus nummis, & lapidibus Siluanum videre est, cupressum ferentem radicitus. idq. significans Vergil. in I. Georg. dixit, *Et teneram ab radice ferens Siluane, cupressum.*

L a v r v s,] Accusandi casu. vetuste.

N o n *sine nutanti platano*] Enniano more, cuius ex Annalib. versus citatur, *Et capitibus nutantibus pinus rectosque cupressos.* qui tamen versus tam deprauatus corrigi haud ita facilè potest. Legendum vero suspicabar, *Capitibus nutantes pinus, rectasque cupressos.*

V n i g e n a m q v e *tuam cultricem montibus Ida.*] In manuscriptis omnibus erat, Idri vel Ydri, vt est in Maffei libro. hoc probabilius videtur, idest, veræ propius lectioni. hic enim leuissimè mutans Hydræ faciebam, quæ ciuitas est Lydiæ. auctor Strabo. Eo autem tractu fere toto maritimo Apollo, vt idem tradit, colebatur. Dicit igitur Iouem cum ceteris Dis cælo aduenisse, sed ab eodem Ioue Apollinem, atque eius sororem Dianam relictos montibus Hydræ. In, enim, præpositio nullo in manuscripto legebatur. est autem, Montibus, dandi casus. Sic & Persius in Iambo, *Illis relinquo.* Vnigenam vero sororem, id est, vna cum Phœbo natam intelligit. quo verbo eodem modo etiam alibi vtitur, *Vnigena impellens nutantibus aera pennis.* Græci simul Natos διδύμους vocant, Callimachus apud Hephæstionē, Δαίμονες εὐυμνότατοι διδύμων γενάρχαι.

Sophocles in Trachiniis, ὁμωνύμως videtur dicere. A Sic enim de Apolline & Diana, Chorus apud illum, τὸν εὐφαρέτραν Ἀπόλλωνα προστάταν, Ὁμοῦ δὲ & παιᾶνα Ἀνάγετ' ὦ παρθένοι, βοᾶτε τὰν ὁμόσπορον Ἄρτεμιν Ὀρτυγίαν. Cultricem vero absolute, versantem in montibus ac nemorosis in locis. Sic Vergil. Catullum opinor secutus, in III. Æneid. *Hinc mater cultrix Cybele.* Sic enim erat in optimo illo admirandæ vetustatis libro. Seruius tamen multum laborat, multa comminiscitur, sed, vt mihi quidem videntur, aliena. Dianæ vero montes omnes sacri erant, quod id ea optasset, & à Ioue esset precata. Eam enim Callimachus in Hymno sic loquentem facit, Δὸς δέ μοι οὔρεα πάντα. B

HIS *corpus tremulum complectens vndique vestis Candida.*] Hoc ipso etiam ordine leguntur in manuscriptis, non vt priorem versum sequatur, Et roseo, Et cæt. Iisdem in libris pro Vestis, Questus. vitiose omnino. quod scriptoris peccatum librarij fuit, que que, iterantis, Animaduerti autem & apud Catullum, & auctores alios idem sæpè scriptores peccasse. Opinor sic esse distinguendum, vt priorem versum puncto sistamus, vt Parcas longa veste amictas fuisse intelligamus, tum sequatur versus alter qui in manuscriptis duobus sic omnino legitur, *Candida purpurea tuos intinxerat ora.* in vno, *Candida purpurea Tyros intinxerat ora.* Mihi vero legendum videbatur, si quid tamen hoc loco non desit, quod vehementer suspicor, *Candida purpurea Tyros intertinxerat ora.* vt varia vsas longa veste intellegamus, vel limbo ipso vario. vt candida extrema intertexta purpura distingueret. Tingere vero, & Intertingere dicitur Tyrus, quod in ea purpura hunc colorem imbibit. Sic Tibullus & Tyron adhibuit eodem in genere, *Illi certent præbere colores, Africa puniceum, purpureumque Tyros.* Ora vero idem, quod Græcis ᾤα. Orpheus, siue quisquis alius auctor, in Hymno in Parcas, purpureis vsas vestibus significat, πέπλων πορφυρέοις καλυψάμεναι ὀθόναις. In Pelei vero à Thetidis nuptiis cantasse Parcas sic finxit, vt olim Musas ferunt in Harmoniæ nuptiis. Pausan. in Arcadicis. Εἰσὶν δὲ καὶ ἐπὶ τῷ βωμῷ Μοῦσαι ἐς τὸν Ἁρμονίας γάμον.

AT *roseo niueæ residebant vertice vittæ.*] Plato in X. πολιτειῶν, albis indutas vestibus Parcas esse dicit, Ἄλλας δὲ καθημένας πέριξ δι' ἴσου τρεῖς ἐν θρόνῳ ἑκάστην θυγατέρας τῆς ἀνάγκης μοίρας λευχειμονούσας στέμματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐχούσας. Et reliqua.

DEXTERA *tum leuiter deducens fila supinis.*] Eodem modo loquitur etiam Ouid. in IIII. Metam. *E quibus vna leui deducens pollice filum.*

TVM, *prono in pollice torquens.*] Sic enim in manuscriptis.

LIBRATVM *tereti versabat turbine fusum.*] Eodem in genere verbo eo Ouid. vtitur in IIII. Metamorph.

Aut ducunt lanas, aut stamina pollice versant.

LANEAQVE *aridulis hærebant morsa labellis.*] Subiectio sub oculos ἀναλογίας. Morsa vero dixit, vt & Mansa, dicuntur.

PELLENTES *vellera voce.*] Faernus legebat, Pellentes aera. Ego legebam, Pectentes vellera. nam & Vergil.

Velleraque vt folijs depectant tenuia Seres.

O *decus eximium, & magnis virtutibus augens.*] Omnibus in manuscriptis adest, Et, particula. itaque legendum, vt vel auctum, vel crescens intelligamus, vel quod augeat. *Emathiæ tutamen opis.* Sic enim est in Maffei libro. in reliquis, Emathiæ tutamen. qua vero re augeat, statim significat, addens, *Clarissime nato.* tametsi in manuscriptis erat, Carissime. illud probabilius. Sic Cic. in III. de Officiis. *Vt enim cæteri ex patribus, sic hic, qui illud lumen progenuit, ex filio est nominandus.*

CVRRITE *ducentes subtemina, currite fusi.*] Macrob. in VI. Saturn. cum Catullino hoc illud Vergili confert, *Talia sæcla suis dixerunt currite, fusis.* Subtemina vero, non Subtegmina legendum esse, doceo in Commentationibus in Horatium. Incidi post in vetustissimum Plinij librum, in quo sic etiam scriptum erat in XI. *Ipso se pondere vsus exercere amedio incipit, circinato orbe subtemine adnectens.*

QVÆ *tibi flexo animo mentis perfundat amorem.*] Sic etiam in manuscriptis, Animum mentis, sic, vt contra alibi mentem animi. Perfundere amorem, dixit, transferens à liquidis. Sic Vergil. in I. Æneid. *Longumque bibebat amorem.* Et in VIII. *Ille repente Accepit solitam flammam, notusque medullas Intrauit calor, & labefacta per ossa cucurrit.* C Flexanimo: μαλακοφρόνως. quo verbo Æschylus vtitur in Prometheo.

CONIVNGERE *somnos.*] Sic hoc dixit, vt alibi post, *Iungere amores.*

NVLLA *domus tales vnquam contexit amores.*] Hic, & qui sequuntur versus tres in manuscriptis duobus non erant, qui tamen legebantur in Maffei libro. Contexit autem, eodem tecto clausit, videntur idem Græci dicere, cum contubernales ὁμωρόφους dicunt.

NASCETVR *vobis expers terroris Achilles.*] Μεγαλήτωρ. Idem prope Thetidi Proteum dixisse, D narrat Ouid. in XI. Metam.

Namque senex Thetidi Protheus prædixerat vndæ,
Concipe, mater eris iuuenis, qui fortibus ausis
Acta patris vincet, maiorque vocabitur illo.

QVI *persæpe vago.*] Idem numerus apud Horat. in V. Carm. *Qui persæpe caua.*

FLAMMEA *præuertet.*] Sæpissime ab Homero dicitur, πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

CVM *Phrygij Teucro manabunt sanguine riui.*] In Maffei libro erat, *Cum Phrygij Teucro manabunt sanguine tenen.* Hoc extremum emendatum deinde ab eodem scriba librario, Teucri. In duobus aliis, *Cum Phrygij tenero manabunt sanguine Teucri.* Legendum forte, *Cum Phrygij tenero manabunt sanguine campi.* Vel, *Cum Phrygiæ Teucro manabunt sanguine terræ.* Vel, *Cum Phrygij Teucro manabunt sanguine muri.* E Nam Riui legendum nullo modo puto, cum postea dicat, *Testis erit magnis virtutib. vnda Scamandri.* Sunt, qui legant Trunci.

PERIVRI *Pelopis vastabit tertius heres.*] Tres enim Pelopis heredes fuisse, declarat Homerus,

——— ἀνὰ δὲ κρείων Ἀγαμέμνων,
Ἔστη σκῆπτρον ἔχων, τὸ μὲν Ἥφαιστος κάμε τεύχων,
Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι,
Αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶκε διακτόρῳ Ἀργειφόντῃ.
Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκεν Πέλοπι πληξίππῳ.

Αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ ποιμένι λαῶν.
Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρνι Θυέστῃ.
Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι.

CLARAQVE *facta.*] ἐπίθετον. Vergil. in VII.
Hunc decus egregium formæ monet, atque iuuenta,
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.

CVM *tremula incanos soluent à vertice crines.*] In manuscriptis duobus, Cum in ciuium canos. In vno, Cum incuruum canos. Ego vero legendum puto, Cum incuruo incanos soluent à vertice crines. De industria enim particulam, In ἀπὸ κοινοῦ vtrique verbo præposuit.

PVTRIDAQVE *infirmis variabunt pectora palmis.*] Ipso planctu. Infirmis: idest, teneris. Sed vno in manuscripto erat, Putida, non Putrida. ita vero tunsa significat, & liuida. Variabunt maculis è plagis, & tunsionibus.

NAMQVE *velut densas prosternens messor aristas.*] Verbum illud, Prosternens, varie legitur. Præcernens, in Maffei libro, Præteriens, Præter ves. quibus in omnibus non Messor, sed Cultor legebatur. Ego vero coniecturam faciebam legendum, Præcerpens cultor. Dicit autem Cultorem, Colonum.

SOLE *sub ardenti.*] Vt Vergil.
Sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.

PROSTERNET *corpora ferro.*] In manuscriptis omnibus Prosternens. vitiose.

TESTIS *erit magnis virtutibus vnda Scamandri.*] In eandem sententiam Horatius, *Testis Metaurum flumen.* In Scamandri, S. elisit, ἀσυνήθως.

QVÆ *passim rapido diffunditur Hellesponto.*] Cuiusmodi sit Scamandri ὁρμὴν, declarat. Rapidum vero Hellespontum dicit, propter angustias.

ALTA *tepefaciet.*] In huiusmodi compositionibus secundam syllabam, & idem post, & Lucretius non semel produxit.

CVM *teres excelso coacervatum aggere bustum.*] Habet omnino hoc proprium Catullus, vt, quod fit, aut quod factum est, cuiusmodi sit, narrando sub oculos subiiciat. Busta vero ea figura fuisse, è multis vestigiis Romæ perspicimus. Verg. in XI. pro excelso, terreno posuit, *Regis Dorceny terreno ex aggere bustum.*

VRBIS *Dardaniæ Neptunia soluere vincla.*] Apte vtrumque coniunxit, Soluere, & Vincla. translatum vtrumque. Solui enim dicuntur ædificia, quæ diruuntur. Sic Græci, Καταλύειν, dicunt. Atque idem significans Augustus in Carmine de Vergilij Æneide. *Soluetur littera diues.* Ac post, *Tam sacrum soluetur opus.* Vincla vero, opera ipsa, quasi texta. hoc enim verbo in eodem genere Callimachus in Hymno in Apollinem vtitur, *Αὐτὸς δὲ θεμείλια Φοῖβος ὑφαίνει.* Et Theocritus in Ptolomæum, *Καί οἱ χρύσεος θρόνος ἐν Διὸς οἴκῳ δέδμηται.* Et Dominus in Euangelio Iohannis, *Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.* Et Sallust. Vincire verbo eodem modo est vsus. in descriptione enim carceris Tulliani. *Atque insuper*, inquit, *camera lapideis fornicibus vincta.*

ALTA *Polyxenia madefient cæde sepulchra.*] In manuscriptis omnibus Madescent, non Madefient. Legendum forte, Madidescent. vel, Madidascent, à Madido, vt Madesco, à Madeo. quorum tamen exempla non habeo.

ANCIPITI *succumbens victima ferro.*] Ἀμφιδέξιον, opinor, Græci dicunt, quod vtrique manui sit habile, atque aptum. Euripid. in Hippolyto. *Οὐ σπεύσετ', οὐκ οἴσετε ἀμφιδέξιον σίδηρον.*

HESTERNO *collum poteris circumdare filo.*] Hoc è consuetudine positum. Auctor incertus de Deriuationibus, qui penes me est, *Collumbar*, inquit, *genus vinculi, quod ponitur in collo.* Itaque nescio, an eiusmodi sit, quod significat Catullus. Signa vero adultæ ætatis sunt nares tumidæ, collum robustius. Nemesianus Ecloga. XI. *Et tibi iam tumidæ nares, iam fortia colla.*

TALIA *præfantes quondam.*] Sic distinguo. deinde quod reliquum est simul legendum puto.

SÆPIVS, *& sese mortali ostendere cœtu.*] In manuscriptis duobus Nereus. in vno, Hereus, sine, Et, particula. Legendum forte, *In terris sese & mortali ostendere cœtu.* aut, Et vero Ioannes Baptista Sigicellus Bononiensis vir Græce Latinéque doctissimus, & in coniiciendo sane εὔστοχος, ex Hereus, Heroum faciebat, sed addebat etiam, Et, particulam, *Heroum & sese mortali ostendere cœtu.* In eandem sententiam apud Ouidium Ianus,

Tunc ego regnabam, patiens cum terra deorum
Esset, & humanis numina mixta locis.

Et quæ sequuntur apud illum.

TEMPLO *in fulgente.*] Sic etiam in manuscriptis omnibus Pontanus fecerat, A fulgente. sed illud omnino retinendum. vt templo in fulgente annua sibi sacra fieri viderat.

CONSPEXIT *terra centum procurrere currus.*] In duobus Percurrere, non Procurrere. In Maffei libro, Procumbere. illud rectius. in quam sententiam Vergilius, etiam in III. Georg.

Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

CVM *Delphi tota certatim ex vrbe ruentes.*] Delphi: ex vrbe. In primo μετωνυμία. Vergil. dixit similiter in IIII. Æneid. *Totaque ex vrbe sequentur.* Idem in IIII. Georg. *Mane ruunt portis.*

HERA.] Dea domina. Sic alibi, *Hostia cœlestis pacificasset heros.*

CVPIDA *de mente.*] Auara. Horat. *Qui cupit, aut metuit, iuuer mihi non erit vnquam.*

PERFVDERE *manus fraterno sanguine fratres.*] Vergil. imitatus, *Gaudent perfusi sanguine fratrum.*

DESTITIT *extinctos natus lugere parentes.*] Illi, inquit, magno filij scelere ἀδίκως è vita excessere.

FLORE.] Sic Terent. *Flos ipse.* Atque hæc in Catilinam dicta propriè videtur, de quo Sallust. *Postremo captus amore Aureliæ Orestillæ, cuius præter formam nihil vnquam bonus laudauit, quod ea nubere illi dubitabat, timens priuignum adultum ætate: pro certo creditur, necato filio, vacuam domum scelestis nuptijs fecisse.*

IGNARO.] Nescienti cum matre se rem habere.

SVBSTERNENS *se impia nato.*] Horat. hoc in genere verbo Subsidere est vsus. *Iunet vt tygres subsidere ceruus.*

M. ANT.

M. ANT. MVRETVS.

QVOD initio dixi, hasce inscriptiones, quæ in impressis libris leguntur, ab ipsis auctoribus non esse factas, vel ex eo intelligere licet, quod libellum hunc Argonautica vulgo nominari videmus; deceptis videlicet hominibus imperitis, eo quod Catullus à descriptione expeditionis Colchicæ exordium ducit, neque animaduertentibus id eum facere, vt commodius ingrediatur ad celebrandas Pelei nuptias, qui præcipuus huius poëmatis veluti scopus est. itaque iure optimo à viris eruditissimis adulterina illa inscriptio repudiata est. Descripturus igitur Pelei nuptias, primum narrat, Peleum tunc Thetidis amore irretitum fuisse, cum ad vellus aureum vna cum ceteris Græciæ principibus nauigaret. Qua in re suo quodam iure ab aliorum poëtarum narratione discedit. Nam Orphei (si modo eius sunt Argonautica, quæ nomen ipsius præ se ferũt) Apollonij, Valerij Flacci, Claudiani & aliorum testimonio, quo tempore profecti sunt Argonautæ, non modo Thetidem duxerat Peleus, sed etiam Achillem ex ea susceperat, iamque Chironi educandum tradiderat. Sed non est à poëtis aut constantia, aut historiæ fides nimium subtiliter exigenda.

PELIACO.] Ad Pelion enim Thessaliæ montem ædificata est Argo. Diodorus v. Bibliothecæ. vnde & πηλιὰς ἀργὼ ab Apollonio dicitur.

PINVS.] Non, quod è pinu contextam hanc nauem fuisse constet: sed, more poëtico, pinum pro qualibet arbore apta conficiendis nauigiis nominat. alioqui enim Orpheus eam ex piceis quercubusque compactam fuisse dicit,

Καὶ χαροποὶ πονὶ χεύματα γεγηθότες ἕλξατε νῆα,
Ἀργὼ πεύκῃσιν τ' ἠδὲ δρυσὶ γομφωθεῖσαν. id est,
Ac placidos læti in fluctus deducite nauem
Et piceis Argo, & quernis trabibus compactam.

At idem alio loco faginam eam fuisse ait. Quin cùm Euripides πεύκην dixisset, Ennius abietem vertit, cuius sunt illa,

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa cecidisset abiegna ad terram trabes:
Neve inde nauis inchoandæ exordium
Cepisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua vecti Argiui delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis, imperio regis Peliæ per dolum.

Valerius autem cum robora, pinosque ad eam conficiendam adhibuisset, paulo post vocat eam,

——pressam regibus alnum.

Sed nihil apud poëtas isto figuræ genere vsitatius. Alexander Cornelius, vt est apud Plinium, arborem eonem appellauit, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quæ nec aqua, nec igni posset corrumpi. Sunt qui hanc primam nauem fuisse autument: alij eam, quæ à Danao facta est, vt est apud interpretem Euripidis. Argo autem vocatam, vel quod ἀργὸν celerem veteres dixerint, vnde & lethargum eum, qui celeriter obliuisceretur: fuerit autem nauis hæc insigni celeritate: quo fit, vt eam Varro citiremem vocet: vel quod eam Argus quidam

A ædificauerit. in astrum tandem conuersa est.

PHASIDOS *ad fluctus.*] Hic fluuius ex Armenia fluens, Colchida, Ponti regionem, alluit.

ET *fines Æetaeos:*] Colchida ipsam, vbi tum Æetes regnabat, Medeæ pater.

CVM *lecti iuuenes.*] Florem heroum cum Iasone nauigasse ait Theocritus.

ARGIVÆ *robora pubis.*] Ex omni Græca iuuentute robustissimi.

AVSI *sunt.*] Quod ante eos nemo ausus fuerat.

VADA *salsa.*] Mare. ἐπίπονος.

CITA *puppi.*] Videtur alludere ad id Argus

B etymon, quod supra attulimus.

AVRATAM *pellem.*] πάγχρυσον δέρας, Euripides: δέρας χρύσεον, & χρύσεον κῶας, Orpheus, & Apollonius, eius videlicet arietis, quo Phryxus mare traiecerat. Varro lib. II. de re rustica, figmẽtum hoc ad pecudum caritatem refert. eius verba sunt. *De antiquis illustrissimus quisque pastor erat, vt ostendit Græca, & Latina lingua, & veteres poetæ, qui alios vocant, πολύαρνας, alios, πολυμήλους, alios πολυβούτας: qui ipsas pecudes, propter caritatem, aureas habuisse pelles tradiderunt, vt Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur; vt in Colchide Æetes, ad*

C *cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ; vt in Libya, ad Hesperidas vnde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem, capras, & oues, quas Hercules ex Africa in Græciam exportauit. ea enim sua voce Græci appellarunt μῆλα.* Neque desunt, qui vellus illud, libellum fuisse tradant, quo auri faciendi ratio contineretur. Simonid. in hymno, quo Neptunum celebrauit, purpurei illud coloris fuisse dixit, quo à marinis purpuris, in traiectione illa, aspersum fuisset.

AVERTERE.] Hoc verbo dolus quidam sæpe indicatur. Virgilius,

Quo regnum Italiæ Libycas auerteret oras.

D Licinius Macer pro Tuscis, (citat Priscianus) *Quos oportuit amissa restituere, hi etiam reliquias auerterunt.* Cicero Frumentaria, *Quid si doceo te non minus domum tuam auertisse, quam Romam misisse decumarum nomine?*

DIVA *quibus.*] Pallas. Virgilius,

——Pallas, quas condidit arces.
Ipsa colat. Athenis in arce colebatur.

IPSA.] Mineruam ipsam vna cum Argo manus operi admouisse, aiunt poëtæ.

CVRRVM.] Nauem. catachresis.

ILLA *rudem.*] Intactam.

E CVRSV.] Metaphora.

PRIMA.] Vide Plinium, cap. LVI. lib. VII.

AMPHITRITEN.] Mare, παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν. Poëtæ Neptuni vxorem esse dicunt.

EMERSERE *feri.*] Apollonius deos ipsos superos, nymphasque Peliadas, Argus nouitatem, heroumque præstantiam admiratos fuisse dicit,

Πάντες δ' οὐρανόθεν λεῦσσον θεοὶ ἤματι κείνῳ
Νῆα, καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἳ τότ' ἄριστοι
Πόντον ἐπιπλώεσκον. ἐπ' ἀκροτάτῃσι δὲ νύμφαι
Πηλιάδες κορυφῇσιν ἐθάμβεον εἰσορόωσαι
Ἔργον Ἀθηναίης Ἰτωνίδος, ἠδὲ καὶ αὐτοὺς
Ἥρωας χείρεσσιν ἐπικραδάοντας ἐρετμά.

NVTRICVM *tenus.*] Mammarum tenus.

TVM *Thetis humanos.*] Cum tamen eos valde

auersaretur: cupiebat enim è Ioue grauida fieri, quæ responsum accepisset à Proteo, filium è se procreatum iri maiorem eo, (quicunque is tandem esset) à quo procreatus foret. vide Ouidium xi. Metamor. quin & Iuppiter ipse, eius amore correptus, voti eam cõpotem fecisset, nisi à Prometheo instantis periculi admonitus esset. quam etiam ob caussam, liberatum è Caucaso Prometheum, narrat Lucianus cum Apollonius contra, Iouem quidem à Themide admonitum, Prometheum vero Herculis beneficio liberatum fuisse dicat, idque etiam ipse Prometheus apud Æschylum ita vaticinetur fore.

Pater *ipse.*] Nereus.

O *nimis optato.*] Ingressurus ad canendas Pelei nuptias, ceteros Argonautas, ab eis digressurus, salutat, seque eorum laudes versibus suis celebraturum pollicetur.

Nimis *optato.*] Hinc expressum est illud Virgilianum, *Magnanimi heroes, nati melioribus annis.*

O *bona mater.*] Argo ipsam intelligit, cuius velut vtero diu inclusi latuerunt Argonautæ.

Teqve *adeo eximie.*] Cum alios heroas sæpe cõpellãdo, tũ te, ô Peleu, eximie, ac præter ceteros.

Tædis *felicibus.*] Felici matrimonio.

Pvlcherrima *Neptunine.*] Pulcherrima natarum Neptuni. Tale est apud Theocritum & Callimachum [illegible], apud Virgilium Nerine Galathea. Porro de Thetide, fuerit ne, quod hic ait Catullus, Neptuni siue Nerei filia, Achillisq; mater, non satis inter veteres cõuenit. Homerus Thetidis filium, Nerei nepotem Achillem facit: eaq; à plurimis recepta sententia est. alij, è quib. est Aristoteles, Thetidem eam, quæ Achilli mater fuerit, Chironis centauri filiam fuisse aiunt: Daimachus Philomelã vocat Achillis matrem, quæ ipsa Actoris filia fuerit. Staphylus libro tertio rerum Thessalicarum, narrat Chironem, Pelei gloriæ velificari volentem, accersisse ad se Philomelam Actoris Myrmidonis filiam, deinde eam famam disseminasse cõstituisse deos Thetidem Peleo vxorem dare: foreq; vt ad nuptias, non sine magna vi imbrium ac tempestatum venirent. ipse autem, qui sapientia, rerumq; cælestium intelligẽtia vigeret, cum nuptiis diem dictum esse confinxit, quo prospiciebat fore, vt magna vis procellarum existeret: cúmque postea eo ipso die Philomelam Peleo collocasset; factum vt homines nupsisse ei Thetidem crederent.

Tethys.] Tethys ex Oceano Doridem, Doris ex Nereo Thetidem sustulit.

Oceanvsqve *pater.*] Antiqui deos omnes, patres vocarunt, sic Iuppiter, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε: sic Apollo pater, Liber pater, Neptunus pater, Vulcanus pater, Mars pater, ceteriq; ad eundem modum. Lucillius in deorum concilio.

Vt nemo sit nostrum, quin pater optimu' diuum:
Vt Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Ianu', Quirinu' pater nomen dicantur ad vnum. Sed Oceanum præcipue, quod vt alio loco diximus, aquæ rerum omnium tribuerent principatum.

Qvæ *simul.*] Simul atque aduenit optatum illud tempus faciendis nuptiis constitutum.

Dona *ferunt præ se.*] Quibus nouam nuptam munerarentur.

A Gravinonisqve *domos, ac nitenis alacrisea.*] Hæc sunt vetustæ scripturæ, de calamo notatis libris, miserabiliter deprauata vestigia. Petrus Victorius suspicatur priorem partẽ ita legẽdam, *Cranonisq; domos.* posteriorem vero nonnulli restituere conati, legunt, *& mœnia Larissæa.* ego neutram coniecturam improbo; & tamen, dum meliores libros nactus fuerim, nihil de hoc loco affirmare audeo.

Rvra *colit nemo.*] Feriabantur omnes, propter nuptiarum celebritatem.

Ipsivs *at sedes.*] Describit magnificentiam apparatus ædium Pelei.

B Recessit.] Interiorẽ partẽ ædiũ significat. sic Seneca, *In multa diues spatia discedit domus:*
Arcana in imo regia recessu patet. Locum autem hunc imitatus videtur Virg. sub finem primi Æneidos, *At domus interior regali splendida luxu*
Instruitur, mediisque parant conuiuia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo,
Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, &c.

Pvlvinar *geniale.*] Lectus genialis.

C Hæc *vestis.*] In veste, qua stratus erat lectus genialis Thetidos, multas heroum figuras fuisse dicit, atq; inter ceteras, Thesei linquentis Ariadnã: vnde sumpta occasione digreditur ad eam siue fabulam, siue historiam fusissime explicandam.

Diæ.] Naxi.

Necdvm *etiam sesesque sui.*] Vigilet, an dormiat, nescit. non credit se esse compotem sui: nondum credere audet, quod videt, insperatæ rei nouitate stupefacta.

D Saxea *vt effigies.*] Summa vis est in hac cõparatione. primum enim, quod bacchanti Ariadnen comparat, significat eam & vultu, & totius corporis gestu rabidum quendã cõcitatæ mentis ardorẽ præ se tulisse. quod autem addit, saxeã effigiem, tantã vim doloris fuisse indicat, vt diu neq; mouere se potuerit, neq. in vllam vocem erumpere, omnis enim immodica affectio & eripere vocis vsuram, & omnium corporis partium functiones impedire ad tempus solet. atque hoc nimirum est, quod Nioben poetæ, cum filios suos Apollinis & Dianæ sagittis confossos videret, obriguisse in lapidem fabulantur.

E Immemor *at iuuenis.*] Videtur alludere ad eorum sententiam, qui aiunt, Bacchi numine effectum esse, vt Theseus oram soluens, Ariadnes penitus obliuisceretur: itaque, quod eam reliquerit, obliuione tantum, eaq; diuinitus immissa, non ingrato animo, effectum. Vide Theocritum Pharmaceutria, & in eum commentarios.

Et *mag. cur. flu. vndis.*] Hunc locum imitatus videtur Virg. *Sæuit amor, magnoq; irarũ fluctuat æstu.*

Strophio.] Nonius, *Stopphium*, inquit, *est fascia breuis, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum.* Turpilius Philopatro,
Me miseram quid agam inter vias epistola excidit mihi.
Infelix inter tuniculam atque strophium collocaueram.

Lvctantes.] Ita legẽdum videtur, non, vt in aliis, *Lactantes.* luctantes autem expono paulatim intumescentes, &, vt veteres loquebantur, sororiantes, quasique enitentes ad strophium repellendum.

SALIS.] Maris. Sic Virgilius,
——*spumas salis aere ruebant.* Et alibi,
——*campos salis aere secabant.*

ALLVDEBANT.] Identidem percutiebant. Tale est illud Tibulli,
Ima videbatur talis illudere palla.

EXTERNAVIT.] Extra se posuit, siue, vt Nonius interpretatur, dementem fecit. Hoc verbo infra etiam vsus est.

ILLA *tempestate, quo tempore.*] ἀρχαϊσμός. sic Cicero. *eius temporis, quo die.*

THESEVS.] Varias de hac Thesei profectione sententias enumerat Plutarchus in ipsius vita: quas illinc repetat, qui volet.

E *littoribus Piræi.*] Poëtica licentia vtens, ab historiæ fide recedit. non enim ex Piræo, sed ex Phalero soluit Theseus neque Piræus illis temporibus nauale erat, sed curia. nauale autem, antequam Themistocles imperaret, non fuit. auctor Pausanias.

INIVSTI *regis.*] Graue est, ait Plutarchus, disertæ ciuitati, & in qua Musarum studia vigeant, inimicum fieri. numquam enim desijt Minos in Atticis theatris male audire, omnibúsque vexari probris: neq; eum vel Hesiodus adiuuit, qui regno dignissimum, vel Homerus, qui Iouis familiarem vocauit, quo minus obtinuerint tragici, qui de pulpito scenaq; multam ei asperserunt immitis violentæque naturæ infamiam. eadem fere de Minoe Plato in dialogo, quem de ipsius nomine inscripsit.

GORTYNIA.] Gortyn, vrbs in Creta.

CRVDELI *peste coactam.*] Ipsum deorum numen conspirasse cum Minoe ad vlciscendam cædem Androgei videbatur: eodem enim tempore & bello, & fame, & pestilentia affligebantur Athenienses. responsumq; est oraculo, non aliter ea desitura, quam si Minoi fieret satis. Vide Plutarchum, Diodorum, Eusebium.

ELECTOS *iuuenes.*] Septenos quotannis iuuenes, ac totidem puellas, idque per annos nouem: quos non nulli sorte duci, alij à Minoe deligi solitos aiunt.

CECROPIAM.] Regionem Atticam.

DAPEM *dare.*] Varias super hac re sententias refert Plutarchus.

FVNERA *nec funera.*] Figura Græca. ita enim illi ἄδωρα δῶρα, ἄγαμοι γάμοι, & similia. sic Cicero insepultam sepulturam, sic Ouidius iniusta iusta, sic quidam vetus tragicus, innuptas nuptias, sic Ennius artem inertem, cuius est illud,
-*quæ sies, In vulgum vulgas, artemq; expromis inertem.*

NAVE *leui.*] Ea nauis postea, ex voto, quotannis Delon ab Atheniensibus mittebatur. vide Platonem principio Phædonis.

SVPERBAS.] Magnificas: vt,
——*aulæis iam se regina superbis.*

QVALES *Eurotæ.*] De hac comparatione dixi supra in carmine de nuptiis Manlij.

CVRIS *hominum.*] Sic infra de Venere,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem. Hinc est, quod Musæus γλυκύπικρον vocat ἐρώτων κέντρον.

QVÆQVE *regis Golgos.*] Golgos oppidum est in Cypro Veneri sacrum. hic Golgos numero multitudinis dicit. Pene autem conuersus est hic versus è Theocriti Syracusanis,
Δέσποιν', ἃ Γολγώς τε καὶ Ἰδάλιον ἐφίλησας. Cum autem & hic, & supra, Phaleucijs in Volusiũ, Colchos pro Golgos legeretur, primus vtrunq; locũ emẽdauit, vir clarissimus, Hermolaus Barbarus.

AVT *mortem appeteret.*] Ita legendum, non, *oppeteret.* neq; enim mortem oppetere dicitur, nisi qui moritur. deinde, oppetere mortem, Latine dicitur: at certe, oppetere præmia laudis, quid sit, non video.

NON *ingrata, tamen frustra.*] Non ingrata fuisse superis Ariadnes vota, illud indicat, quod Theseus victoria potitus est. ipsa tamen spe sua frustrata est: neq; enim, quod optabat, contigit ei, posse ætatem vna cum Theseo exigere.

SVSPENDIT *vota.*] Neque enim audebat aperte pro Theseo vota facere: ne ipsa de se indicio esset patri.

ROBVR.] Truncum.

ERRABVNDA *regens.*] Virgilius,
Cæca regens filo vestigia.——

FLEXIBVS.] Ambages & dolos tecti vocat Virgilius.

FRVSTRARETVR.] Frustra haberet, deciperet. de hoc verbo vide Gellium.

INOBSERVABILIS *error.*] Virgilius,
——*& inextricabilis error.*

A *primo carmine.*] Ab instituto celebrandarum nuptiarum Pelei.

CONSANGVINEÆ.] Sororis, Phædræ.

DIÆ.] Naxi: etsi multas alias insulas, quæ Diæ dicerentur, enumerat interpres Theocriti Pharmaceutria.

DVLCI *deuinctam lumina somno.*] Sic Theocritus de somno, παίδα μαλακῷ χ' ὕπνῳ φιλᾷ δεσμῷ. alij *deuicta*, vt sit simile illi Homerico,
——μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ.

DEVOTA *periuria.*] Execranda, & diris obnoxia. Ad hunc autem locum respexit Tibullus, his versibus, *Gnosia, Thesea quondã periuria lingua*
Fleuisti ignoto sola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus Minoi Catullus.
Ingrati referens impia facta viri.

NVNC *iam nulla.*] sic Ouidius,
Nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat.

PRÆGESTIT.] Valde gestit, valde cupit. Lucillius,
Quantum haurire animus Musarum è fontibu' gestit.

GERMANVM.] Minotaurum.

CREVI.] Iudicaui.

PRO *quo dilaceranda.*] Quantopere horribile veteribus fuerit, cadauera lacerari à feris, hinc existimari potest, quod eius rei formidinẽ, apud Homerum, proponit Hector ignauis,
Ὃν δ' ἂν ἐγὼν ἀπάνευθε νεῶν ἑτέρωθι νοήσω,
Οὐχ οἱ ἄρτιον ἔσσεται φυγέειν κύνας, ἠδ'
Οἰωνούς. Et de Achille,
——αὐτὸς δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν,
Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.

NEC *iniecta.*] Cicero II. de legibus, *Siti dicuntur ij, qui conditi sunt: nec tamen eorum ante sepulchrum est, quam iusta facta, & corpus incensum est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, vt humati dicantur, id erat proprium tum in ijs, quos humus iniecta contegeret: eumque morem ius pontificale*

confirmat. nam prius quam in os iniecta gleba est, locus ille, vbi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba, tum & ille humatus est, & sepulcrum vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Hæc verba Cicer. ipsa ascripsi, ex quibus, quid sit, terrã inijcere, intelligi posset. Frequens enim est eius rei apud auctores optimos mentio.

QVÆNAM *te.*] Vsitatum est, vt quorum immanem crudelitatem execramur, eos è rupibus, efferisve animalibus, aut etiam è mari natos esse dicamus. Virgilius,

Nunc scio quid sit Amor, duris in cautibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.

Et apud eundem Dido, Æneam alloquens,

Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus; Hyrcanaq; admorunt vbera tigres.

Tibullus verò, cum ijs, qui Veneris furta non celassent, atrocem Venerem minitaretur fore, ita scripsit,

Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem è rabido sentiet esse mari.

Et alibi, cum dominam à nimia seueritate abducere niteretur,

Nam te, inquit, nec vasti genuerunt æquora ponti
Nec flamam voluens ore Chimæra fero,
Nec canis anguinea redimitus terga catena,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput,
Scyllaque virgineam canibus submissa figuram,
Nec te conceptam sæua leæna tulit.

Notum est & illud Homericum,

——γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα.

QVÆ *Syrtis.*] Virgilius,

Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? SI *tibi*] Eodem pene modo de Minoe, apud Virgilium, queritur Scylla,

Me ne inter comites, ancillarúmque cateruas,
Me ne alias inter famularum munere fungi,
Coniugis atque tuæ (quæcunque erit illa) beata
Non licuit gravidos penso deuoluere fusos?

SÆVA *quod horrebas.*] Priscum parentem exponit Cecropem: sæua autem præcepta, legem, quam ille tulisse de certa legitimaq; maris ac feminæ cõiunctione dicitur. ego, cur ista tam longè petenda sint, curve lex illa ita sæua dicatur, vt eam Theseus horrere debuerit, exputare equidem non queo. itaq;, ἀμαθέστερον, ἢ σαφέστερον, ita hunc locum interpretor: Si connubia nostra tibi cordi non erant, pro eo quod horrebat animus recordatione eorum, quæ olim pater meus crudelissimè imperauerat ciuibus tuis, nempe vt florem suæ iuuentutis Minotauro deuorandum mitterent, ob idque nolebas tam sequi, tamq; importuni hominis filiam tibi vxorem adiungere: at certe me, vt tibi famulæ loco essem, abducere; non, cuius beneficio viueres, eam feris discerpendam relinquere debuisti.

CANDIDA *permulcens*] Pedes tibi abluens. Est autem πάθος à ministerij vilitate.

SED *quid ego.*] ἐπανόρθωσις.

AVCTÆ.] Præditæ à natura.

MORTALIS.] Vehementius quiddam & ἐμφατικώτερον dixit, quam si hominem dixisset.

SIC *nimis.*] Alleuamentum quoddam doloris est, in rebus aduersis tuis, habere, qui te conquerentem audiant, &, si minus iuuare possint, tamen aliqua tui miseratione moueãtur. Id quodque sibi Ariadna ereptum esse conqueritur.

IVPPITER.] Stulta, sed hominibus vsitata consuetudine, optat, quæ facta sunt, infecta esse. Tale est illud, Εἴθ' ὤφελ' Ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος Κόλχων ἐς αἶαν. Enimuero non votis corriguntur preterita, sed futura consilio diriguntur. Notum est illud Agathonis,

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
Ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. id est,
Vna hac enim re etiam deus priuatus est,
Infecta facere, facta quæ sunt, vt queat.

GNOSSIA *Cecropiæ.*] Virgilius,

Felix heu, nimium felix, si littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

CRVDELIA *consilia.*] Consilia ita dixit, vt Græci φρένας: quo nomine sæpe naturam & ingenium cuiusque significant.

IN *nostris requiesset sedibus hospes.*] Hunc forte versum imitatus fuerit Virgilius illo,

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?

IDÆOS *ne petam montes?*] De patria ne repetenda cogitem? Ida enim mons Cretæ est.

AT *gurgite lato.*] At latum & metuendum mare interiectum, patriã meam ab hac insula diuidit.

QVEM *ne ipsa reliqui.*] Id est, eius ne, quem ipsa reliqui? sic Terentius Andria,

Quem ne ego vidi ad vos afferri vesperi? Plaut. Mostellaria, *Quo pessume modo? quæ ne tam subducta erat*
Tuto in terram? Idem Milite,
Quem ne ego seruaui in campis Cuticlindonijs?

Hoc qui non intelligebant, fecerunt hoc loco, *quem ve ipsa reliqui*: & paulo infra, *Qui ve fugit*, aut, *Qui refugit* pro, *Qui ne fugit*.

PRÆTEREO *litus.*] Vbi litus prætereo, nihil video præter solam, ac desertam insulam, sine vllo tecto: neque tamen ex ea egredi possum, vndique præcludente iter mari.

EVMENIDES.] Has deas esse credebant, Nocte genitas, quæ homines atrocibus turpificatos vitiis vlciscerentur. Diras vltrices vocat Virgilius. Eædem & Erinnyes dicuntur: Epimenidesque eas Saturni filias facit: Euripides videre ipsas ait omnia; cuius est illud ex Oedipo Coloneo, τὰς πανθ' ὁρώσας Εὐμενίδας. Ipsæ de iustitia sua multa apud Æschylum prædicant: se videlicet nemini bono irasci, sed à sceleratis tantum meritas pœnas exigere. Vinum ad earum sacrificia non adhibebatur: quæ & iccirco Νηφάλια dicebantur. Fiebant autem media nocte, vt ex Æschylo intelligitur. Plura vide apud Æschyli & Sophoclis interpretes.

ANGVINEO *capillo.*] ὀφιοπλοκάμους eas Orpheus in hymnis vocat.

QVÆ *quoniam vere.*] Eas demum detestationes valere arbitrabantur, quibus quis vero, magnoque, non leui aut simulato dolore motus alium defixisset; tum verò nullam expiandi rationem esse existimabant. Horatius,

Diris agam vos. dira detestatio
Nulla expiatur victima.

SED *quali.*] Locus hic, si diligenter animaduertas, confirmat id, quod supra tetigimus, non

ingrati animi vitio, sed obliuione à diis obiecta, A fecisse Theseum, vt Ariadnam relinqueret. ipsa enim precatur deos, vt quali se mente reliquit Theseus, tali etiam funestet suos. Vota autem Ioui probata esse, infra dicitur. Cum ergo Theseus obliuione domum suam postea funestauerit, cōsequitur, vt obliuione quoque antea deseruisset Ariadnā. Sed idem magis etiā ex illis versib. constat, qui infra leguntur, *—qualem Minoidi luctum*

Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.

Vt iam dubitandum non sit, quin hanc sententiam Catullus insecutus fuerit.

INVITO *numine.*] Quod non libenter & Ægeum morte, & Theseum luctu, vtrumque immerentem afficeret. B

QVO *tunc & tellus.*] Sumptum ex Homero.

DVLCIA *signa.*] Candidum velum.

EREPTVM.] Liberatum. sic supra,

——ego te in medio versantem turbine leti Eripui.

CASTÆ *diuæ.*] Palladis, quæ Atheniensium præses erat.

REDDITE *in extrema.*] Neq; enim ad patrem venit Theseus, nisi iam adultus, multisq; editis pręclaris facinoribus nobilis. Vide Plutarchum.

CANITIEM *terra.*] Mos antiquorum in luctu.

INCENDIA.] Doloris mei ardorem.

DICAT.] Indicet.

ITONIS.] Palladem intelligit, quam Apollonius Itonida, Bacchylides Itoniada nominat. C Itonus Thessalus fuit, Amphictyonis filius, qui vrbem quandam Thessaliæ à se Itonem nominauit, vbi dea hæc colebatur. Cum autem Ito, siue Iton vrbis nomen sit: sanctæ Itonis, non, vt in aliis, sancti Itonis, legendum puto.

FVNESTAM *vestem.*] Velu illud ferrugineū.

CANDIDAQVE *intorti.*] Nonius, quo loco de vasorū generib. disserit, exponens dictionem, Carchesia, ita scribit, *Carchesia, summa pars mali, id est foramina, quæ summos mali funes recipiunt.* Catullus, *Lucida quæ splendent summi carchesia mali.* D Hactenus Nonius. Quod autem in quibusdam veteribus libris animaduerti post versum hunc, *Candidaque*, tantum superesse spatij, quantum vni versui scribendo sit satis; mihi venit in mentem dubitare, ne hic forte ipse versus, qui à Nonio citatur, hoc loco desideretur, legendúmque sit,

Candidáque intorti sustollant vela rudentes,

Lucida quæ splendent summi carchesia mali. Quæ tamen de cōiectura, per me quidē, iudicet quisq;, vt volet. ego dignā esse duxi, quæ proponeretur.

HÆC *mandata.*] Ita, inquit, liquère hæc mandata Theseum, vt montis cacumen linquere impulsæ vento nubes solent. E

MORTE *ferox.*] Superbus ob Minotaurum interfectum.

AT *parte ex alia.*] Ex alia parte vestis pictus erat Bacchus Ariadnam quęrens. Quod residuum est huius fabulæ, exequitur Ouidius III. Fastorum, & VIII. Metamorphoseon, copiosiùs etiam Hyginus, & Arati interpretes.

CVM *Thiaso*] Choro, multitudine. sic Bacchus ipse apud Euripidem,

Θίασος ἐμὸς γυναῖκες, ἃς ἐκ βαρβάρων Ἐκόμισα.

NYSIGENIS *Silenis.*] Nysæorum optimatibus. Diodorus lib. IIII.

FVREBANT.] Furibundi clamabunt.

EVOE.] Vox est bacchantium.

CAPITA *inflectentes.*] Rotantes, iacientes.

TECTA *cuspide.*] Foliis obducta, & velata.

PARS *è diuulso.*] Solebant enim Bacchantes interdum armenta discerpere, carnésque eorum crudas mandere. Euripides,

Καὶ τὴν μὲν ἂν προσεῖδες εὔθηλον πόριν

Μυκωμένην ἔχουσαν ἐν χεροῖν δίχα,

Ἄλλαι δὲ δαμάλας διεφόρουν σπαράγμασιν.

TORTIS *serpentibus.*] Euripides Bacchis, Baccho recens nato Parcàs coronam è serpentibus imposuisse narrat: indéq; receptum, vt se Męnades quoq; serpentibus coronarent: στεφάνωσέν τε δρακόντων στεφάνοις, ἔνθεν ἄγραν θηρότροφον μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις. Plutarch. quoq; Olympiada, magni Alexandri matrem, grandes serpētes contrectātem manib. thyasos celebrare solitā refert.

ORGIA.] Ita vocabantur mysteria quædam, quæ, nisi ab initiatis, aut spectari, aut audiri fas non erat. id vel ex hoc Penthei & Bacchi colloquio, apud Euripidem, intelligi potest,

Πεν. τὰ δ' ὄργι' ἐστὶ τίν' ἰδέαν ἔχοντά σοι;

Διο. ἄρρητ' ἀβακχεύτοισιν εἰδέναι βροτῶν.

Πεν. ἔχει δ' ὄνησιν τίνα θύουσιν ἱερά;

Διο. οὐ θέμις ἀκοῦσαί σ', ἔστι δ' ἄξι' εἰδέναι.

CISTIS.] Cistis ferebantur Orgia. Tibullus, *Et leuis occultis conscia cista sacris.* Theocritus Bacchis, Ἱερὰ δ' ἐκ κίστας πεποναμένα χερσὶν ἑλοῖσαι.

PROFANI.] βέβηλοι, ἀμυστηρίαστοι, ἀτέλεστοι.

PLANGEBANT *alij.*] Hunc locum imitatus Ouid. *Quacumq; ingrederis, clamor iuuenilis, & vnà*

Feminea voces, impulsáq; tympana palmis,

Concauaq; æra sonant, longóq; foramine buxus.

TALIBVS.] Tandem è longa egressione sese recipiens, ad institutum redit. Dixerat, multos mortales è tota Thessalia conuenisse, ad spectandum nuptiarum apparatum. eos nunc ait, cum oculos, animúmque satiassent spectandis rebus pulcherrimis, discessisse quenque ad se, & locum aduentantibus diis dedisse.

HIC *qualis.*] Discedentes Thessalos vndis crescentibus, paulatimque longius recedentibus comparat. Comparatio sumpta ex IIII. Iliados.

ZEPHYRVS.] Pro quolibet vento Zephyrum dixit. alioqui enim, mane Zephyrum non flare, quod tunc nimium longe sol ab occidente absit, docet Aristoteles problematis.

CACHINNI.) Cachinnos vocat vndas maris, quę paulatim diffunduntur in longū. ita enim os quoq; ridentiū hominum diffundi, atq; extendi solet. Æschylus, Ὦ δῖος αἰθὴρ, καὶ ταχύπτεροι πνοαί,

Ποταμῶν τε πηγαὶ, ποντίων τε κυμάτων

Ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ.

NANTES *à luce.*) In aliis, *variantes luce.*

AD *se quisque.*) In suas quisque ædes.

PRINCEPS.] Primus.

CHIRON.) Cētaurus, de quo supra diximus.

DOMVS *risit.*) Sumptum ab Hesiodo, qui ridere ait domū Iouis, canentium Musarū dulci voce conspersam. --γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς

Ζηνὸς ἐριγδούποιο, θεᾶν ὀπὶ λειριοέσσῃ

Σκιδναμένῃ. sic & Theognis,

Πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίη

Ὀδμῆς ἀμβροσίης, ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη.

Præsentes *namque ante.*] quandiu homines pietatem coluerunt, dij cum ipsis familiariter crebro versari solebant: at ex quo, pietate neglecta, vitiis inquinata sunt omnia, videri se ab eis amplius noluerunt.

Annva *dum festa.*] benè animaduertit Guarinus, hoc de ludis Olympicis intelligi non posse, quippe qui annui non fuerint. sed nimirum, cum Cretes apud se natum esse Iouem dicerent, credibile est, eius natalem annuis ludis celebrare solitos esse. eóque respicere Catullum puto.

Sæpe *vagus Liber.*] ad hunc locum intelligendum, vide, quæ disputantur à Macrobio, libro primo Saturnaliorum, quo loco Bacchum & Apollinem vnum eundémque deum esse demonstrat.

Rhamnvsia *virgo.*] Nemesis.

Contingi *lumine claro.*] aperta in luce videri.

IANVS DOVSA FIL.

Græcorvm exemplo fecisse Catullum, vt nauim *currum* vocaret in Carmine de nuptiis Pelei & Thetidos, iampridem Muretus aliique monuerunt, illud non perinde vulgatum, *equum ligneum*, de naui dixisse Plautum in Rudente, exemplo Homeri, qui naues ἁλὸς ἵππους appellat in illo Carmine:

Νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ' ἁλὸς ἵπποι
Ἀνδράσι γίγνονται.

Item illum versum veteris Poëtæ apud Charisium:

Typhin aurigam celeris fecere carinæ.

adumbratum ex eodem Homero, vbi inquit:

Φθέγξατο δ' ἡνίοχος νηὸς κυανοπρῴροιο.

Non *tereti strophio lactentes vincta papillas.*] Isidorus: *Strophium est cingulum aureum cum gemmis, de quo Cinna: Strophio lactantes cincta papillas.* vbi legendum *vincta* ex hoc Catulli loco. In Catullo etiam malim *luctantes*, quod in quibusdam libris est, id est sororiantes, quasique enitentes ad strophium repellendum. eadem quippe tralatione vsus est Aristænetus in Epistolis, μικροῦ με παρῆλθεν εἰπεῖν, ὡς πυδαναῶντες οἱ μαζοὶ τὴν ἀμπεχόνην ἐξωθοῦσι βιαίως.

Fvnera *Cecropiæ ne funera portarentur.*] Sic Euripides in Hyppolito νύμφην ἄνυμφον, in Helena ἱερὰ ἄνιερα. Sophocles in Electra μήτηρ ἀμήτωρ dixit. quæ addi possunt iis quæ ad hunc locum notarunt Scaliger & Muretus.

Avt *vt eam dulci deuinctam lumina somno.*] Hinc Tibullus:

Occupet & fessi lumina victa sopor.

Item alibi:

Ipsa Venus somno domitos emittere vocem
Iussit.

Quæ quamuis ita sint, longè tamen prætulerim lectionem codicum quorumdam qui *deuinctam* habent. Vincula eleganter somno tribuuntur, sic enim de eo Orpheus in Hymnis,

Σώματα δεσμεύων ἐν ἀχαλκεύτοισι πέδαισι.

Moschus Idyllio II. somni vincula non toti corpori vt Orpheus, sed oculis tantùm iniicit,

Ὕπνος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίζων

A Λυσιμελὴς πεδάᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ.

Item Virgilius in Ciri iisdem penè verbis queis Catullus,

Iámque adeo dulci deuinctus lumina somno
Nisus erat.

Neque hæc apud Poëtas solum, sed & apud Philosophorum principes vsitata sententia, qui multas huiusmodi de Poëtarum flosculis corollas operibus suis intexuerunt. Aristoteles ecce in libro de Somno & vigilia dixit: ὁ γὰρ ὕπνος πάθος τί τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου ἐστίν, οἷον δεσμός τις ἢ ἀκινησία. Idémque repetit paulò post: τῆς δὲ αἰσθήσεως πρῶτον μὲν τινα ἀκινησίαν καὶ οἷον δεσμὸν τὸν ὕπνον εἶναι φαμέν.

B Cur autem *dulcis* Epitheton Somno tribuatur, disertissimè explicat Themistius Aristotelis Paraphrast. ἐπεὶ δὲ περὶ ἡμᾶς πάθος ὁ ὕπνος ἡδιστόν ἐστι. πρῶτον μὲν γὰρ αἴσθησιν ἀλγηδόνος πᾶσαν σβέννυσι, διὰ τὴν ἐνέργειαν ... τῆς οἰκείας ... ἔπειτα δὲ ἄλλων ἐπιθυμιῶν κρατεῖ καὶ ὥσπερ ... hinc & ὕπνος ἥδιστος, Homero dicitur, & Virg. Aeneid. VI. ex persona Deiphobi.

——*pressitque iacentem*
Dulcis & alta quies.

Qvæ *cuncta aerij discerpunt irrita venti.*] Sic suprà,

——*at tua dicta omnia factáque*
Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis.

C Sed *quid ego ignaris nequicquam conqueror auris?*] Exprimit grauem quandam animi commotionem eorum, qui miserias suas auris & ventis narrare finguntur, vt Cassandra apud Lycophronem mari & saxis, Calypso apud Propertium Oceano, Hercules apud eundem Ascanio fluuio, Medeæ nutrix apud Euripidem, cælo & terræ conqueritur; vt enim interpres ibi notat, οἱ συγκεχυμένοι τῇ καρδίᾳ, τῇ γῇ, ἢ τῷ ἀέρι, ἢ τοῖς ἄλλοις διηγοῦνται τὰ καθ' ἑαυτοὺς πράγματα. Vnde & adolescens ille Plautinus in Mercatore reprehendit amatores eos,

——*qui aut nocti aut die*
Aut Soli & Lunæ miserias narrant suas.

D Huc quoque pertinet illud Callimachi Epigramma,

Κουφοτέρως τότε φῶτες ἐλαφρίζουσιν ἀνίας,
Ἐκ δὲ περισσοτέρων μοίρας ἀφεῖλε μίας,
Ἤν τε ἐς ἄνδρα συνέμπορον ἔρχετ', ἢ ὅτε κωφαῖς
Ἄλγεα μαίης αὔραις ἐγκαθ' ἐξερύη.

Quod nobis ita conuertere placuit:

Lenius humanas affligunt tristia mentes,
Et perit è multis pars quotacunque malis,
Cùm quis vel fido comiti, vel denique frustra
Non audituris conqueritur Zephyris.

E Vbi vides quàm eleganter κωφαῖς αὔραις respondeat Catulli *ignaris auris.*

Nam *quò me referam? quali spe perdita nitar?*
Isthmoneósne petam montes? at gurgite lato
Discernens patriam truculentum diuidit æquor.
An patris auxilium sperem? quémne ipsa reliqui,
Respersum iuuenem fraterna cæde secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore?
Quíne fugit lentos incuruans gurgite remos?]

Locum latiùs adscripsi, vt similium collatione lucem acciperet. Videntur enim hæc adumbrata ex illis C. Gracchi verbis Oratione, *Vti lex Papyria accipiatur*, quæ citantur à Quintiliano

lib. XI. cap. III. *Quò me miser conferam? quò vertam? in Capitoliúmne? at fratris sanguine redundat, an domum? matrémne vt miseram lamentantémque videam & abiectam?* Item ex Euripidis Medea,

> Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους,
> Οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην,
> Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν
> Δέξαιντό μ' οἴκοις, ὧν πατέρα κατέκτανον.

Quorum partem expressit Ennius apud Ciceronem:

> *Quò nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?*
> *Domum paternámne, anne ad Peliæ filias?*

Eleganter, vt omnia, & Ouidius hanc figuram transtulit in Metamorphosin suam. sic enim IIX. loquitur ex persona Sylla,

> *—Nam quò deserta reuertar?*
> *In patriam? superata iacet. sed finge manere,*
> *Proditione mea clausa est mihi, patris ad ora?*
> *Quem tibi donaui?*

Huc videntur etiam pertinuisse versus Accij in Atreo, quos sic lego & distinguo, quum corruptissimi edantur apud Nonium,

> *Egóne Argiuum imperium attingam, aut Pelopia digner domo?*
> *Quoi me ostendam? quod templum adeam? quem ore funesto alloquar?*

Similis sententiæ argutia apud Senecam in Medea est,

> *Penatibus profugere quam cogis tuis,*
> *Ad quos remittis? Phasin & Colchos petam?*
> *Patriúmque regnum? quæq; fraternis cruor*
> *Perfudit arua? quas peti terras iubes?*
> *Quæ maria monstras? Pontici fauces freti?*
> *Per quas reuexi nobiles Regum manus*
> *Adulterum secuta per Symplegadas?*

Verùm in his vnius voculæ mutatione valde me erexisse sententiam puto, rescribendo in medio,

> *—quæne fraternus cruor*
> *Perfudit arua?*

quod ex Catullianis, quæ adduxi modò, clarum esse poterit iis qui attendent. Huc quoque facit Apuleius Milesi. lib. V. *Sed nunc tertiùm habita quid agam? quò me conferam? quibus modis stellionem istum cohibeam? Petámne auxilium ab inimicâ meâ Sobrietate, quam propter huius ipsius luxuriam offendi sæpius?*

CÆLESTVMQVE *fidem postremâ comprecor horâ.*] Vix est, vt non ex glossa in contextum irrepsisse putem *postrema*, & rescribendum *suprema*. Sic Tibullus,

> *Te spectem, suprema mihi cùm venerit hora.*

Et iisdem verbis Ausonius,

> *— suprema mihi quum venerit hora,*
> *Nec metuat mortem sibi conscia vita nec optet.*

Catullus hoc ipso Carmine,

> *Quàm tibi fallaci supremo in tempore deesse.*

Hinc & *suprema dies* sæpe apud Poëtas pro vltima ponitur, & *suprema* numero multitudinis pro vltima voluntate defuncti apud Tacitum & Iurisconsultos. Item *suprema*, pro iis, quæ *nouissima verba* dixit Virgilius, apud Quintilianum Declam. VIII. *Vidimus igitur frequenter ad vitam post conclamata suprema redeuntes.* quod postremum valdè faciat firmanda opinioni Scheckianæ, quam in Epistola ad me posuit in Præmessis, vbi illud Plauti Asinaria, *Mater mihi supremum tua di-*

A *xit*, trahit ad hunc funerum ritum me non nolente.

ANNVIT *inuicto cælestum numine rector.*] Dignum notâ, *numen* hic pro nutu accipi, vt & in illo Virgilij Aeneid. XII.

> *Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,*
> *Quod potius reor & potius Di numine firment.*

Sic *momen* pro *momento* sæpissimè, & *fulmen* pro *fulmento* alibi legas apud Manilium.

CVM *te reducem fors prospera sistet.*] legerim lubens, *Fors prospera*. *Fors* id est Fortuna, sic enim vocabulum hoc bis in hoc ipso Carmine vsurpatur suprà:

> B *Sic nimis insultans extremo tempore sæua*
> *Fors etiam nostris inuidit questibus aures.* infrà:
> *Nam simulac fessis dederit fors copiam Achiuis.*

Manil. lib. I.

> *Atque ipsum esse Deum, nec Forte coisse magistra.*

Vt autem hoc velut ἐν παρέργῳ dicam, Manilius in illo versu qui paulò post sequitur,

> *Non opus est magni casus, sed Numinis ordo.*

respexisse videtur ad hæc Ciceronis verba in I. De Natur. Deor. *Sed tamen quis iste tantus casus, vnde tam felix concursus atomorum?* Quod eò monui, ne quis accedat viro docto ambigenti de eius loci Maniliani lectione. vtque magno illi, imò doctissimorum maximo Ios. Scaligero potius adhæreat *magnum casum* ex Epicureorum
C sententia interpretanti, in quorum ore crebrum erat αὐτομάτως τύχη. ex quo ipso fluxisse crediderim Epitheton illud Fortunæ Plauto atque Ennio vsitatum, *Hera*. Sed quoniam nos fortuna Plauti in memoriam induxit, postquam semel exorbitare cœpimus, de hac ipsa Deâ ponam elegantem eius locum Captiuis,

> HE. *Perlubet hunc hominem colloqui, Ergasile.*
> ER. *Ergasilum qui vocat.*
> HE. *Respice.*
> ER. *Fortuna quod tibi nec faciet nec facit, Hoc me iubes.*

D Ad Fortunam cognomento *Respicientem* respectum monuerunt iampridem viri docti, illud non item, sententiæ eius acumen videri ab Euripide sumtum, qui argutiâ haud dispari dixit in Phœnissis,

> Μεν. τί φθέγγει; Τ. ἡ τύχη σ', ἀλλ' οὐκ ἐγώ.

Eadem vtriusque mens si attendis, neque prætervolas hæc, vt *Leuis tippula linifici frigidos transit lacus.* Sed iam ad rem.

PLANGEBANT *alij proceris tympana palmis.*] His & sequentibus similia Lucretij,

> *Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum*
> E *Concaua, raucisonóque minantur cornua cantu.*

AVT *tenuis teretes tinnitus ære ciebant.*] tinnitum hic æri tribuit Catullus, contrà toruum quendam sonum Statius Papinius,

> *—Tum plurima buxus,*
> *Aeraq; taurinos sonitu vincentia pulsus,*

quod videtur dixisse ad imitationem Aeschyli, qui describens Cotytia apud Strabonem ita canit,

> —ταυρόφθογγοι δ'
> Ὑπομυκῶνται ποθὲν ἐξ ἀφανοῦς
> Φοβεροὶ μῖμοι.

Hinc & Catullus supra,

> *—Vbi tympanum remugit.*

A MVLTI *raucisonis efflabant cornua bombis.*] Quomodò cornua efflari possint, non video. Lego itaque *inflabant cornua bombos.* quod simile erit illi Neronis apud Persium Satyra I.

Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Vt vel hinc iudicium Persij videat ac rideat lector, qui inter cæteros eum versum de Catullo adumbratum & meliorem suis, velut tumidum atque elumbem reprehendat.

LEVITERQVE *sonans plangore cachinni.*] Magis censeam huic loco conuenire *clangore.* Plangor enim ferè in luctu vsurpari solitus, contra *hilarem clangorem* gruibus. Statius, *blandum clangorem* Phœnici tribuit Claudianus. sed quid tricamur? satis pro me probauerit hoc quicquid est coniecturæ Attius vetus Poëta in Phinidis,

Ac vbi curuo littore latrans
Vnda sub vndis labunda sonit,
Simul & circum magni sonantibus
Excita saxis sæua sonando
Crepitu clangente cachinnat.

Vbi scribendum fortè versus caussa,

Cum crepitu clangente cachinnat.

Et tamen ne quid dissimulem, Lucanus quoque dixit: *planctus illisæ cautibus vndæ.* Item Seneca Agamemnone, vbi ad hunc Catulli locum haud dubiè respexit,

——licet Halcyones
Ceyca suum fluctu leuiter
Plangente sonent.

quamuis ibi alia planctus ratio propter Alcyonum querelas.

NON *sine nutanti platano lentáque sorore*
Flammati Phaethontis & aëria cupressu.]

Tres has arbores coniunxit etiam Theocritus in Dioscuris vno versu:

Λεῦκαί τε πλατάνιστοι καὶ ἀκρόκομοι κυπάρισσοι.

Idem autem Epitheton *cupressu* tribuit & Martialis lib. XII.

Daphnonas, platanos, ac aërias cyparissos.

In quo videtur eum Græcus Poëta imitatus Anthol. I.

Δάφναις καὶ μύρτοισι καὶ ἀερίαις κυπαρίσσοις.

In Martiali autem parum abest, quin audeam legere

Daphnonas, platanonas, & aërias cyparissos.

Vt idem alibi:

Exornant picta quà platanona feræ.

Et Petronius Satyrico: *Procedentibus deinde longius iocis, rogaui vt in platanona produceret dominam.*

CVM *cineri incanos soluent à vertice crines. Incanos crines.*] pro valde canis accipit, vt *inuinctum* pro validè vincto & compedito Callistratus I. C. in l. penult. ff. De lege Fabia.

PRÆSENTES *namq; ante domos inuisere castas*
Sæpius & sese mortali ostendere cœtu
Cælicolæ nondum spreta pietate solebant.] Allusit huc Arnobius lib. I. aduersus Gentes: *Ipsos etiam cælites derelictis curis sollennibus, quibus quondam solebant inuisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos.* Et fortè huc quoque pertinuerit illud Callimachi citatum ab Etymologico: *φαντάζει ἀγαθοὶ πολλάκις θεοί.* De his temporibus & Ouidius Fastor. I.

Tunc ego regnabam, patiens cùm terra Deorum
Esset, & humanis numina mixta locis.

Quod dictum ad imitationem Arati, vbi de Astrea loquitur,

——οὐδέποτ' ἀνδρῶν
οὐδέποτ' ἀρχαίων ἠνήνατο φῦλα γυναικῶν,
ἀλλ' ἀναμὶξ ἐκάθητο καὶ ἀθανάτη περ ἐοῦσα.

Ne quis autem locutionis eius insolentiam admiretur *numina mixta humanis locis*, sciat id loquendi genus, vt omne ferè Latinæ eloquentiæ flumen à Græco fonte profluxisse. sic enim Diana apud Callimachum dicit:

B *Πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν*
μοῦνον, & quæ sequuntur.

De Astræa etiam Germanicus,

——mediis te læta ferebas
Sublimem populis, nec dedignata subire
Tecta hominum & puros mores sine crimine, diua
Iura dabas.

Sed nec hæc vsquequaque pura. & *mores* eos in vita magis, quàm in versu hoc probem. quid enim est, *subire hominum mores*? corrigo audacter,

——nec dedignata subire
Tecta hominum purósque lares sine crimine.

puros lares nondum scelere vllo imbutos. postea enim *Impia* mortalium gens *non verita est*, vt noster mox dicet, *diuos scelerare Penates.*

C IMPIA *non verita est diuos scelerare Penates.*] Quum is aditus libertatis omnibus pateat, qui in hoc literario exercitu stipendia merent, vt summorum virorum auctoritatem eatenus sequantur, quatenus veritati conuenire videatur, vtique qui cum Fabio non omnia, quæ magni autores dixerint, esse perfecta persuasum habeã, nihil verebor receptam hanc lectionem tueri, quamuis status controuersiam ei moueant veteres editiones, & sequutus eas vir maximus, qui pro *penates parentes* substituit; quòd scilicet commisso hoc scelere in paternos Deos se impiauerit, & patri ipsi iniuriam fecerit nouerca. quam D interpretationem equidem vnicè amplector atque adeò exosculor, sed eam ad vulgatæ vocis significationem flecto, quæ hæc fuit, vt *Penates* & *Dij Patrij* Latinis & πατρῷοι Græcis indigitarentur. testis Dionysius Halicarnassæus his verbis: *Τοὺς δὲ θεοὺς τούτους Ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν, οἱ δ' ἐξερμηνεύοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν, πατρῴους ἀποφαίνουσιν, οἱ δὲ γενεθλίους.* Glossarium vetus: *Dij penates θεοὶ πατρῷοι.* Quin & *Penates* cognomento *Patrios* inuenias apud Virgiliũ Aeneid. V.

——adhibere Penates
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.

Et rectè. sunt enim Penates velut patrij ac domestici Dij à patribus nobis relicti, quibus iniuE riam hic factam ait Catullus, vt qui generis ac familiæ præstites sint, ac præsint pietati liberorum erga parentes. simili respectu dixit Cicero Verrina III. *Rapiunt eum ad supplicium dij Patrij, quod iste inuentus est, qui è complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pretium pro sepultura liberorum posceret.*

NEC *se contingi patiuntur lumine claro.*] Sic Valerius Flaccus Argonautic. I.

——canunt manifesto in lumine Fauni
Siluarúmque Deæ.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PELIACO *quondam.*] Epithalamium Pelei & Thetis scripsit exemplo Hesiodi τὸ ἐπιθαλάμιον εἰς Πηλέα καὶ Θέτιν γεγραμμένον, inquiunt Græcorum magistri, qui ex illo poëmate hæc adducunt.

> Τρὶς μάκαρ Αἰακίδη καὶ τετράκις ὄλβιε Πηλεῦ,
> Ὃς τοῖσδ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνεις.

IPSA *levi fecit.*] Ad verbum Apollonius, αὐτὴ γὰρ καὶ τήνγε θοὴν κάμε. Sed Argus Arestorides eam fecit Ἀθηναίης ὑποθημοσύνῃσιν. Nam Argum πανόπτην malè Arestoridea vocat Ouidius, quum Argus Arestorides fuerit faber Argus nauis. Argus autem πανόπτης custos Ius, erat filius Agenoris.

TEXTA *carinæ.*] Texere naues veteres dicebant, à quo locus, quo naues fabricantur Textrinum dicebatur, auctor Seruius in schedis nondum vulgatis. Ennius:

> *Idem campus habet textrinum nauibu' longis.*

hoc est, ναυπηγεῖον. τὸ ὕφη νηός dixit Archimelus poëta in nauem Hieronis.

> Αἰγρον γὰρ φαίνει καρχήσια, καὶ πελινίκτης
> Θαύματος μεγάλου ὅστις ἴχνιον.

Malè enim apud Athenæum πρῶον. Ouidius:

> *Texitur & costis panda carina suis.* Silius.
> *Flumineam texit, qua transuehat agmina, classem.*

Panegyristes ad Maximianum, *vt naualia texerentur, vt trabes caderentur.* dixit naualia pro nauibus. Silius lib. XI.

> *Æratas iussi texamus mille carinas.*

NVTRICVM *tenus.*] Eleganter sanè. sed mirum in nostro liquidè scriptum, *Iam crurum tenus.* Atqui Auantius hoc se dicit in suo repperisse: quem omnes editiones secutæ sunt, imò & libri, qui ante hos centum annos scripti sunt, habent *Nutricum.*

GRAIVGENASQVE *domos & mœnia Larissæa.*] Ita omnino habet noster codex, quod cur mutem, non habeo. quanquam *Graiugenúmque domos*, non *Graiugenas* scribendum est. Quos Græci Ἕλληνας vocant, eos Latine Graios dicimus. At Ἕλληνες propriè dicti sunt, qui in Thessaliæ parte, vbi est Larissa, habitarunt. Strabo libro octauo: Ἀπὸ Ἕλληνος μόνους τοὺς ἐν Θετταλίᾳ καλοῦσι φασιν Ἕλληνας. Quæ de Grannone etiam ante eruditissimum P. Victorium dicta sunt, ea scimus à mente Catulli abhorrere.

PHARSALIAM *coeunt.*] Manifesto legendum *Pharsalon coeunt.* Lucanus:

> *Emathis æquorei regnum Pharsalos Achillis.*

Nam syllaba aliter repugnat. & in eo oppido nuptiæ Thetidis celebratæ sunt. vnde Thetideon vocatum est. Euripides Andromacha,

> Φθίας δὲ τῆς τε καὶ πόλεως Φαρσαλίας
> Σύγχορτα ναίω πεδί' ἵν' ἡ θαλασσία
> Πηλεῖ ξυνῴκει χωρὶς ἀνθρώπων Θέτις,
> Φεύγουσ' ὅμιλον. Θεσσαλὸς δέ νιν λεὼς
> Θετίδειον αὐδᾷ, θεᾶς χάριν νυμφευμάτων,
> Ἔνθ' οἶκον ἔσχε παῖς ὅδ' ὁ παῖς Ἀχιλλέως.

Poëtica autem circunlocutione πόλιν Φαρσαλίας pro Pharsalo ipso, vt Varro Meliam, Chiam insulam, pro Melo, Chio. Et fortasse *Pharsalica tecta*, aut *Pharsali tecta* melius legeretur. Vulgatem lectionem non male tueri possumus, si licentiam hanc poëtæ concedamus. Sic in eodem versu eandem syllabam producere & corripere non raro solebant veteres. Lucretius:

> *Crassaq; pugnabant liquidis, & liquida crassis.*

Theocritus —τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. Horat.

> *Me fabulosæ vulture in Apulo,*
> *Altricis extra limen Apuliæ.*

Notum illud Martialis:

> *Dicunt Earinon tamen poetæ.*
> *Sed Græci, quibus est nihil negatum:*
> *Et quos* ἆρες ἄρες *decet sonare.*

Lucillius libro nono:

> *A primum est. hinc incipiã, & quæ nomina ab hoc sũt*
> *A primum longibreui syllaba. nos tamen vnum*
> *Hoc faciemus, & vno eodem, vt dicimu', pacto*
> *Scribemus pacem, placido, Ianum, aridum, acetum,*
> ἆρες, ἄρες *Græci faciunt.*

CONCHYLIS *purpura.*] Si vera est lectio hæc, conchylis est κογχυλίς, κογχυλίδος. Vetus tamen scriptura præfert *conchyli*, non *conchylis.* Sic Serenus: *Purpura torretur conchyli perlita fuco.* Credo igitur *conchyli* legendum.

HEROVM *mira virtutes.*] Heroum virtutes ἀρχαϊκῶς dictum pro heroibus ipsis, vt virtus Catonis Horatio, Homero βίη Ἡρακλῆος. Apollonius: παλαιγενέων κλέα φωτῶν. hoc est Heroas ipsos.

NEC *dum etiam seséque sui tum credidit esse*] Vltima pars huius versiculi conficta est à correctoribus. Nam vetus scriptura ita concepta est in nostro libro: *Nec dum etiam seséque sui cui ....credet.* Puto minorem lacunam relinquendam, sed minimo labore legi posse:

> *Nec dum etiam sese qua sit vix & sibi credit.*

Nam *credet*: haud dubiè pro *credit* positum est, vt supra, *acquiescet* pro *acquiescit.* scriptum fuerat: *Necdum etiam sese quo sit visset sini credet.* Ex quo formata est illa quorundam scriptorum librorum lectio: *Nec dum etiam seséque sui tui se credet.* Parum puto me à veræ lectionis vestigiis discessisse.

BACCHANTIS *prospicit euoe.*] τὸ βακχευόντος εὐοῖ, id est, τὸ εὐαζόντος. Nam *Euoe* hic non est nomen, quod putauit Parthenius. & fortasse doctiores illo credere potuerunt.

NON *tereti strophio.*] Fugit Isidorum memoria, qui hæc ex Cinna adducat.

TOTA *pendebat perdita mente.*] Hic emendatius legitur in nostro manu scripto:

> ——*toto te pectore, Theseu,*
> *Toto animo, tota pendebat perdita mente.*

Ita ergo reponito.

GORTINIA *tecta.*] Noster liber *templa.* Quod ἀρχαϊκῶς dictum ab illo. nam omnia loca templa vocabant veteres. Vide Varronem.

ANDROGEONEÆ.] Rectè emendarunt docti viri, quum in libris scriptis legeretur, *Quum Androgeneæ.* ἀνδρόγεως. sed quidam fecerunt metaplasticos ἀνδρογεών. Propertius: *Restituit patriis Androgeona focis.* Oraculum autem, quod acceperunt Athenienses de persoluenda pœna Androgeoneæ cædis, huiusmodi est. Id enim, quia passim omnibus obuium non est, apponere volui.

Λαῖμαν, καὶ ἀμοῦ τίλος ἐστί), ὄφρα ἑαυτῶ
Σώματ' ἀπὸ κλυτοῦ ἄρρει καὶ θῦνα νέμοντα
Μωσὶ ἐς ἄλλα δὲν ἀποσίμωνος, ἀμοιβὴν
Τῶν ἀδίκων ἔργων. ὄτω θεὸς ἵλαος εἴη.

QVIS *angusta malis.*] Noli dubitare, quin legendum sit *Augusta*. Perpetuum epithetum mœniorum, augusta: Ennius: *Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.* Quia igitur augusto augurio ponuntur mœnia, ob id augusta dicta. Romane ergo de rebus Græcis loquitur. vt ne addam, quod πόλισμα ἄστυ potuit indicare. Nam Minerua cum Neptuno condidit.

FVNERA *Cecropiæ ne funera.*] Ita iunctim legendum. Græci quibus licet esse tam disertis, possunt vno verbo contraria duo ponere γάμος ἄγαμος. Latini voluerunt exprimere, vt ille poëta apud Ciceronem qui dixit, *innuptis nuptiis*. Ouidius Metamorph. lib. II.

Vt dedit amplexus, iniustáque iusta peregit.

Aliquando non possunt; vt hic *funera nefunera*, τάφος ἄταφος. Sic aliquando Græci penuria laborant. vt Sophocles dixit γυναῖκα ὁ γυναῖκα. Dio, cui nulla est imposita necessitas figurate loquendi, ita pene loquitur. vt quum dicit, ἐξ ἧς τῆς στρατείας ὁ πολεμίας, noluit enim dicere ἀπολεμίας. libro quadragesimo quinto. & libro quadragesimonono, ἀπὸ τῆς ὁ διώξεως αὐτοῖς. Asperum enim fuisset, ἀδιώξεως. quanquam & sic nihilominus Græcè loqui potuisset. Thucydides lib. v. κατὰ τὴν οὐκ ἐξουσίαν τῆς ἀγωνίας. In primo capite prioris Machabæorum τῶ ἀπὸ δὲ καὶ οὐκ ἀρχιερέως Ιασονος.

PROGIGNVNT *flumina myrtos.*] Repone ἀρχαϊσμὸν ex veteri scriptura *myrtus*. Sic Virgilius in Culice: *Aeriæ platanus.* hæc minima, quæ magistelli vocant, tanti momenti sunt, vt sine illis ne seria quidem sæpenumero tractari possint. Exemplum esto in secundo Georgico.

Et steriles platani malos gessere valentes,

Castaneæ fagos— Quid? Castaneæ inseritur fagus? ô me hominem vacui capitis, si puto hæc ad agricolationem facere, nisi iterum ad Chaonias glandes reuertamur. Legendum enim profecto: *Castaneas fagus.* Fagus enim pluraliter, vt hic myrtus, vt in Culice platanus. Sed Fortasse obiicientur illa Plinij ex lib. xv. cap. xvi. *Quippe quum Virgilius insitam nucibus arbutum, malis platanum, cerasis vlmum dicat.* Nam hunc locum Virgilij habebat in animo Plinius, vbi vides eum non malum Platano, sed contrà malo Platanum inseri. Quid ni & eodem modo fagum castaneæ? Quis non videt ipsum hallucinatum esse, & Virgilium non malo Platanum inseri, sed contra sensisse? Præterea ipsum confudisse hunc locum cum alio:

Pullulat ab radice aliis densissima silua
Vt cerasis vlmísque——

QVAM *toto concepis pectore flammam.*] Repone, *Quam cuncto concepit p. f.* ex veteri libro.

QVÆQVE *Idalium frondosum.*] Lego *frondosam.* Sic apud Ouidium *Ilion defensa.*

AVT *mortem opporteret Theseus.*] Ita magis placet, quam scriptura libri nostri *expeteret*. Pacuuius Nipteris: *Priusquam oppeto malam pestim hostili mandatam manu.*

A SVSPENDIT *vota labello.*] In nostro scripto & in omnibus fere aliis *succendit*.

IELA *procul.*] Totum hunc locum ex nostro libro ita legito:

——*illa procul radicibus exturbata*
Prona cadit, latéque & comminus obuia frangens.

Tibullus: ——*lento perfregerit obuia pilo.* Quod autem ex *obuia* factum sit *omnia*, hoc debetur priscæ scripturæ. Nam sine vllo dubio scriptum fuerat, *ouuia*, ex quo *omnia* conflatum. Hic enim fuit priscus scribendi modus. Victorinus: *OB autem mutatur in cognatas easdem, vt offert, officit, & ommonet, ommutescit, & oppandit, opperitur, et ouuertit, ouuius.*

B SIC *domito sæuum prostrauit.*] Noster liber, *prosternit*. Ita solebant ex præsenti præteritum facere, vt olim in Varronem docuimus. Sic atteruisse, discedisse, relinquisse.

NEQVIEQVAM *vanis iactantem cornua ventis.*] Apud Ciceronem in epistolis ad Atticum legitur versiculus, qui ne verbo quidem vno minus eandem sententiam concipit:

Πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα.

INEE *pedem victor.*] Repone ex scriptura veteri *sospes*. vt etiam olim Aldus excudit.

VT *consanguineæ complexum.*] Dissentit ab aliis. Nam consanguineam illam, hoc est Phædram auexit secum.

C QVÆ *misera ignaro fleret deperdita luctu.*] Non Catulli, sed correctorum hæc sunt. Vetus scriptura in nostro libro ita concepta fuit.

Quæ misera ingrata ...... deperdita leta.

Illud LETA sine vllo dubio transpositum censeo. Nam *tela* legendum. verbum, quo illam lacunam explendum est, quod aliud putem, quàm VIXIT?

Quæ misera ingrata vixit deperdita tela. Quæ, inquit, solata est suum dolorem tela facienda. Hoc videtur, vt alia, imitatus Virgilius libro nono:

——*& tela curas solabar aniles.*

D THESEI *præferret amorem.*] Liquida scriptura in nostro: *Omnibus his Thesei dulcem præoptauit amorem.* Quam qui mutauit quo flagro dignus non fuit? Attici dicunt προαιρεῖσθαι. optare, αἱρεῖν. Sallustius historia tertia: *Atque eum Cepio laudatum, accensúmque præmiorum spe, quibus eum optauisset, ire iubet.* Vide Nonium.

AVT *vt eam dulci deuinctam lumina somno.*] Noster codex non *dulci*, sed *tristi*. quæ lectio verior est. Nam tristem somnum dicit, propterea, quæ consequuta sunt. Non enim hic locum habet Homeri νήδυμος ὕπνος, neque vtitur perpetuo epitheto.

E CLARISONAS *imo.*] Neque hoc γνήσιον puto. Nam noster liber planam scripturam præfert, CLARIFICAS. hoc est simpliciter, claras. sic infrà. *Iustificam mentem*, Iustam.

TOLLENTEM *tegmina suræ.*] *Tegmina*, cothurnos.

Purpureóque alte suras vincire cothurno.

ABDVCTAM *perfide.*] Latinum sane. sed cur illis displicuit antiqua lectio, *auectam*? quę melior sane est: quia naui eam auexit Sed ex prisca scriptura manauit error. Nam, *abuectam* scriptū fuit.

VELLET *miserescere.*] Mirum constantem esse scripturam in calamo exaratis, MITESCERE,

Plane puto scriptum fuisse: *Immite vt mostri vellet mitescere pectus*, *mostri* antique enunciatum pro *monstri*. Mostellaria, pro monstellaria. Mostellum, monstellum. Quis dubitat elegantissimè dictum monstri pectus ὅτι τῶ αἰνώτατος. Propterea dixit, *mitescere*, ἡμεροῦσθαι, πραΰνεσθαι. monstrum enim θῆρα & feram belluam intelligit. Manifestum ergo commentitiam esse vulgatam lectionem. Ita autem construendum, quasi dixisset, vt tuum pectus monstri. Ausonius: *Anticipésque tuum Samij lucumonis acumen*, vt à nobis olim emendatum est. Acumen tuum lucumonis. M. Cato Ciceroni: *vt tuam virtutem cognitam in maximis rebus domi togati, armati foris*. Virtutem tuam togati dixit. Cicero L. Paulo cos. *me consulem tuum studium adolescentis perspexisse*. Quæ omnia dicta sunt per ἔμφασιν tui. studium tui adolescentis. In Græcis minus laboraremus. τὴν σπουδὴν σοῦ μειρακίου. Hic ergo *pectus monstri*, hoc est pectus tuum, qui monstrum es. Vix est, vt aliter scripserit Catullus.

A T *non hæc quondam*.] Quia hæc, vt pleráque alia ab imperitis correctoribus interpolata sunt, nihil periculi est veterem lectionem in suas sedes reponere:

At non hæc quondam nobis promissa dedisti
Voce. mihi non hoc miseræ sperare iubebas.

Q V Æ *cuncta aerij*.] Liber noster. *Quæ cōtra aerij*.

S E D *quid ego ignarus*.] Lycophron:

Τί μακρὰ τλήμων εἰς ἀνηνύτους πέτρας,
Εἰς κῦμα κωφὸν, εἰς νάπας δυσωπήδης
Βάζω, κενὸν ψάλλουσα μαστακος κρότον,

V T I N A M *ne tempore primo*.] Apollonius.

——αἴθε οἱ πρῶτος
Ζώεις διέρραισε, πρὶν κολχίδα γαῖαν ἱκέσθαι.

R E L I G A S S E T *nauita*.] Ligare funem, est ἐπ' ἀγκυρίων ἐφάπτεσθαι. Quod Græcorum poëtarum more dictum, qui id exprimunt per, πρύμνας ἀνάψαι.

C O N S I L I V M, *in nostris quæsisset*.] Noster, *reliquisset*, alij *requisisset*. non est obscurum legendum *requiesset*.

Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes.

I D M O N E O S N E *petam*.] Satis constat hæc à malis correctoribus an corruptoribus contaminata esse, aliis *Idmeneos*, aliis *Idomenis* legentibus. At si priscam scripturam reponamus, nihil est præterea quod desideremus. Est autē eiusmodi.

Isthmon, eósne petam montis, ab gurgite lato
Discernens pontum truculentū vbi diuidit æquor?

Isthmon ne petam, inquit, an eos montes, vbi æquor discernens diuidit pontum truculentum? Obsecro te, candide lector, quid est in hac lectione, quod te offendere possit? multi sunt Isthmi in Creta, quorum meminit Strabo. Quemnam habuerit in animo Catullus, quum hæc scriberet, tuum est quærere, & inuenies apud Strabonem, qui non vnius ἰσθμοῦ in Creta mentionem facit.

Q V I N E *fugit lentos*.] Illud L E N T O S conformatum ex prisca scriptura V E T I T O S. Quod fortasse non male excogitatum. Virgilius,

—— *remus lentandus in vnda.*

P R Æ T E R E O *litus*.] Inepte. Lege,

Præterea litus solum: nullo insula tecto,

vel, quod idem est:

Præterea litus nullo, sola insula, tecto.

quæ proculdubio vera est lectio.

F E R R V G I N E *Hibera*.] Glossæ: *Ferrugo*, πορφύρα μέλαινα.

A C *sedes defendere sueta Annuerit*.] Ex veteri scriptura lege:

Quæ nostrū genus ac sedes defendere fretis Annuit, vt.

Q V V M *te reducem sors prospera sistet*.] Haud diu est, quum hæc adulterina lectio in alienas sedes inrepsit. Nam & vetus scriptura, & antiquitus emissæ editiones non S O R S, sed ætas habebant. Quare illud retine. Virg. octauo Aeneidos:

Adtulit at nobis aliquando optantibus ætas
Auxilium, aduentúmque Dei——

Q V Æ *tum prospectans*.] Et hîc quoque grassatores isti ac insessores bonorum auctorum audaciæ suæ ac temeritatis vestigia reliquerunt. Nam benè habet vetus: *Quæ tamen adspectans*. Est idem cum illo, quod superius notauimus:

Tardet ingenuus pudor,
Quæ tamen magis audiens
Flet, quod ire necesse sit.

P A R S *è diuolso raptabant*.] Ita habet noster, non *iactabant*.

O R G I A *quæ frustra*.] Apuleius Apologetico: *Vel vnius Liberi patris symmistæ, qui adestis, scitis quid domi conditum celetis, & absque omnibus profanis tacite veneremini.*

P L A N G E B A N T *alij*.] Scripta lectio *aliæ*. quæ recta est. Bacchæ enim intelliguntur, de quibus sermo.

M V L T A Q V E *raucisonos*.] Omnis vetus scriptura M V L T I. Fortasse verum est quod habent multæ editiones: *Multi raucisonis efflabant cornua bombis*. Sed *Multæ* legendum esset. Nam vt dixi, Bacchæ intelliguntur. vel: *Multis raucisonos efflabant cornua bombos*. Porrò eiusmodi pompa Bacchantium ferè eodem modo ab Aeschylo ἐν ἠδωνοῖς describitur.

Ο μὲν ἐν χερσὶ
βόμβυκας ἔχων τόρνου κάματον,
δακτυλόδικτον πίμπλησι μέλος
μανίας ἐπαγωγὸν ὁμοκλάν.
Ο δὲ χαλκοδέτοις κοτύλαις ὀτοβεῖ
ψαλμὸς δ' ἀλαλάζει.
ταυρόφθογγοι δ'
ὑπομυκῶνταί ποθὲν ἐξ ἀφανοῦς
φοβεροὶ μῖμοι. τυπάνου δ' εἰκὼν,
ὥσθ' ὑπογαίου
βροντῆς φέρεται βαρυταρβής.

T A L I B V S *amplifica*.] Hactenus vestis illa descripta. Vestibus etiam toros geniales contegi solitos auctor Lucan.

Legitimaque faces, gradibúsque adclinus eburnis
Stat torus, & picto vestes discrimina tauro.

P R O C E D V N T *leuitérque sonant*.] Non leuiter hæc contaminata esse fidem fecerit ea, quæ in nostro libro extat, scriptura:

Procedunt, leni resonant plangore cachinni.

Cachinnus vero non significat crispationem vndarum, quod disertis viris videtur, sed sonitum illum, quem plangore vndæ ad litus edunt. Attius Phinidis:

Ac

At vbi curuo littore latrans
Vnda sub vndis labunda sonit,
Simul & circum magnisonantibus
Excita saxis, saeua sonando
Crepitu clangente cachinnat.

Cachinnare in vndis Graeci καγχάζειν, καχλάζειν, καχάζειν dicunt. Euripides Hippolyto,

——ὁ πέριξ ἀφρὸν
Πολὺν καχλάζον ποντίῳ φυσήματι.

At γέλασμα apud Æschylum aliud est.

PVRPVREAQVE *procul nantes à luce refulgent.*] ὀμφρόνησιν.

NEREIDVM *linquens claris.*] Conspurcata haec sunt ab illis bonorum auctorum carnificibus. Nullus liber manu scriptus, nulla editio antiquitus emissa extat, quae non habeat *Minosin linquens doris.* Parua dictu labes, sed non parui momenti. Legendum enim:

Minuasin linquens Doris celebranda choreis.

Minuasin archaica scriptura, & Graeca declinatio, μινυάσιν. Sic Propertius: vt notamus suo loco:

Grata domus nymphis humida Thymasin. Idem:
Non minor Ausoniis est amor ab Dryasin. Item:
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.

Primam in *Minyasin* produxit non aliter, quam poëtae alij primam in Italia, Phylacides, & aliis. Doras choreas quas vocet, nō obscurum est. Alludit enim ad morem Doricarum puellarum, quae in phaenomeridibus saltabant. Idque Graeci vocabāt δωριάζειν. Si τὸ Doris est corruptum, corrigatur ergo. Ego in praesentia nihil aliud potui.

CELEBRANDA *choreis.*] Claudianus III. Consulatu Honorij:

——post Pelion intrat
Nereis illustre choris.——

NON *vacuus. namque ille tulit.*] Haec non minore incōmodo ac illa superiora, accepta sunt. Vetus & scriptorum & excusorum lectio: *Nonacrios. namque ille tulit.* Sed τὸ *ille* additum ad fulciendum versum. Itaque non difficilis est coniectura haec inuestigandi. Deest igitur prima syllaba in prima voce * *nonacrios.* Lege verò: *Cranona erisonámque tulit*, Cranon est vrbs intra Tempe. auctor praeter alios Stephanus. *Erisonam* pro *Aerisonam* prisco illo more scribēdi. De fodinis metallorum Thessaliae satis Plinius. Ærisonam vocat, propter metalla, quomodo eodem omnino locutus est modo Martialis: *Et ferro plateam suo sonantem.* Id est Plateam aerisonam, in qua scilicet forum aut aes foderetur. Totus verò egregius iste locus ita & legendus, & distinguendus:

Confestim Peneos adest. viridantia Tempe,
Tempe, quae syluae cingunt superimpendentes,
Minyasin linquens Doris celebranda choreis,
Cranona eris namque, tulit radicitus altas
Fagos.——

Scio quid super hoc loco docti viri conati sunt. sed frustrà, vt apparet. Peneus igitur adfuit, linquens Tempe, & Cranona. Sic Graeci λιπὼν τὴν πόλιν. Euripides in Hecuba,

Ἥκω νεκρῶν κευθμῶνα, καὶ σκότου πύλας
Λιπών, ἵν' ᾅδης χωρὶς ᾤκισται θεῶν.

Ennius ea ita circunlocutus est:

Adsum, atq. aduenio Acherūte vix via atq; ardua,
Per speluncas saxeis structas aspereis pendentibus
Maxumeis, vbi rigida constat crassa caligo inferū.

Cranō autem foeminino, quamuis Narbo Martius, Hipporegius dicatur. Sic suprà, *Sirmio venusta.* Sic Silius dixit, *- regia Pleuron.* Iuuen.

—— quam Dorica sustinet Ancon.

& in commune omnes vrbes foeminino genere efferunt. Ouidius:

Tum quū tristis erat, defensa est Ilion armis. Item,
Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilion? ——

Vbi alia lectio habet Ilios. vt ἴλιος ἱρή.

NON *sine nutanti platano.*] Rectè quidem Ennius, *Capitibu' nutantes pinos.* quia illae arbores desinunt in conum, & à vento flecti possunt, quod poëtis est ὑψικόμοι. At Platanus quomodo nutans dici potest, cuius rami in latum sparguntur, non in acutum coeunt?

LENTAQVE *sorore Flammati Phaëthontis.*] Vetus lectio, *letáque sorore.* Lege, *fletáque sorore.* Nota fabula de Heliadum lacrymis.

VNIGENAMQ. *simul cultricem montibus Idae.*] Vetus scriptura, *montibus idri.* veteri more scriptum *idri* pro *hydri*, hoc est serpentis Pythonis. montes hydri sunt delphici montes, propter Pythonem serpentem ibi ab Apolline sagittis confixum. Quod autem hic ait Phoebum cum Diana mansisse solos, neque Pelei nuptiis interfuisse, falsum conuincit Æschylus, apud quem Thetis ita de Phoebo conqueritur.

—— Τὰς δ' ἐμὰς εὐπαιδίας,
Νόσων τ' ἀπείρους καὶ μακραίωνας βίου,
Ξύμπαντά τ' εἰπὼν, θεοφιλεῖς ἐμὰς τύχας
Παιῶν' ἐπευφήμησεν εὐθυμῶν ἐμέ.
Κἀγὼ τὸ Φοίβου θεῖον ἀψευδὲς στόμα
Ἤλπιζον εἶναι, μαντικῇ βρύον τέχνῃ·
Ὁ δ' αὐτὸς ὑμνῶν, αὐτὸς ἐν θοίνῃ παρών,
Αὐτὸς τάδ' εἰπών, αὐτός ἐστιν ὁ κτανὼν
Τὸν παῖδα τὸν ἐμόν.

CANDIDA *purpurea talos.*] Apponam priscam lectionem:

Candida purpurea Tyrios extinxerat ora.

Sed in margine erat emendatum, *intexerat*: cui conueniens est, quod alij libri habent *intinxerat.* quod procul dubio est pro *intexerat.* Significat igitur in illa veste Tyrios intextos fuisse, non vt Virgilius:

Purpurea intexti tollant aulaea Britanni.

Tirij intexti in illa essent, quemadmodum Britanni in aulaeis: sed Tyrij hic pro Tyriorum purpura, vt apud Horatium, *inaequali tonsore capillos.* id est, tonsura. vt multa ad illud exemplum apud veteres. Vult igitur illam vestem candidam purpura Tyria praetextam fuisse. Quare oram illam purpuream interpretare institam: quae propria matronarum erat. Instita, vt veteres magistri interpretantur, est ἀφεστρίδιον, ἀφεστρίδιλον. & ita Ptolemaeus vsurpat ἀφεστρίδιον in asterismo Virginis & Heniochi. In LXXXVIII. fabula Hygini acropodium Mineruae in eam mentem accipitur. In veteribus libris pro *vestis* legebatur *quercus.* quod nos olim licet mendosum enarrare conati sumus; id si cui placet, per me quidem sequatur licet. Haec tamen vera est lectio, quam nunc publicamus, & quam nunc priore editione non assequebamur.

CARMINE *perfidiæ.*] Ita docti viri emendarunt ex antiqua scriptura illa, *carmine, perflabat.*. Id accidit, quod in Langobardicis literis nulla est omnino inter I & L differentia. item diphthongus diuisim legitur in veteribus libris *ae*, *oe*. &c.

NVLLA *domus tales.*] Tres hi versiculi vt adulterini neque in nostro libro & quibusdam antiquis editionibus adscripti à nobis reiiciuntur. Et sanè si quis propius spectet, eos superfluos iudicabit. Suspicor esse Marulli, aut similis frontis. Nam putarunt abruptum nimis esse à nuptiis ad liberorum mentionem descendere. In quo decipit eos acutum suum iudicium.

QVVM *tremulo in canos.*] Interpolatitia lectio. Vetus est. *Quum cinerem canos.* Lege, *Quum cinere incanos.* Incanos cinere, albicantes cinere, quod fit in luctu. πεπαλαγμένους κόνει poëtæ dicunt.

PROSTERNENS *messor aristas.*] Hæc mutarunt, quibus ad saporem vetustatis palatum obrutuerat. nam disertè vetus scriptura ita concepta est,

Namq; velut densas praecernens cultor aristas.

Cultor est agricola, colonus *praecernens*, quod toties apud Homerum προτάμνων. Referenda igitur hæc ad priscorum morem, quem seruabant in metendo. Nam pro nationum diuersitate diuersi & metendi hodiéque sunt modi. Nisi fortè quis malit præsternens.

QVOIVS *iter cæsis angustans.*] Attius Epinausimache:

En Scamandriã vndã sanctam salso obtexi sanguine,
Atque aceruos alta in amni corpore expleui hostico.

Manifestò sunt ipsius Achillis verba.

MADEFIENT *cæde sepulchra.*] *Madefient* rectè ex *Madescent*, quod in veteri scriptura erat, fecerunt docti viri. neque vllum negotium fuit hoc diuinare.

HESTERNO *collum poterit.*] Etiam Calpurnius tumentem ceruicem ponit inter argu-

A menta δυσερωτικῶς.

Sed postquam Donacen duri clausere parentes,
Quod non tam tenui filo de voce sonaret,
Sollicitúsque foret lingua sonus, improba ceruix,
Suffusúsque rubor crebro, venaque tumentes.

FELICIA *Pelei carmina.*] Pelei τοῦ Πηλέως. Virgilius:

Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.

τοῦ Ὀρφέως.

CECINERVNT *pectore Parcæ.*] Noster, *Omine* non *pectore.* & ita legant omnino necesse est. Nam hic intelligitur de omnibus, quæ in nuptiis captabantur. An non ea sunt vera omi-

B na, quæ Parcæ cecinerunt? Sed quid argutamur. Canere diuino omine est planè θεσπίζειν, θεσπιῳδεῖν. Diuino omine cecinerunt, ἐμαντεύσαντο.

SÆPIVS *& sese.*] Prodigiosa lectio vetus,

Nereus vt sese mortalis ostendere cœtu.

Ego quid pro illa, quod verum sit, substituam, non habeo. Fortasse nullum est mēdū, & constat lectio. Sæpius, inquit, cælicolæ solebant inuisere castas domos, vt ecce Nereus, qui se ostendit mortali cœtui ob nuptias Thetidis filiæ.

C TEMPLO *in fulgente reuisens.*] Archaica locutio. vt Reuiso domi, reuiso ad eum.

CONSPEXIT *terra centum.*] Ineptè pro *Centum* quædam editiones habebant *Cretum.* Virgilianum illud eos satis refellit.

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

ARMATAS *hominum est.*] Nam Nemesis seu Rhamnusia Dea victoriæ, & trophæorum. Ausonius in Epigrammate, quod vertit ex Græco de Nemesi.

DIVOS *scelerare penates.*] Non *penates*, sed *parentes* habet liber noster. Rectè πατρῴους θεοὺς parentes deos vertit. & ita postulat sententia.

D Nam quum scelus hoc cum priuigno commiserit, quid aliud quàm in paternos Deos impiauit se? Patri enim ipsi iniuriam facit. Parentes igitur Dei, πατρῷοι γενέτορες.

FEDERICVS MORELLVS.

Cùm suppeterent nobis aliæ quædam symbolæ ad hunc ἱερὸν ἐπιθαλάμιον, vnam duntaxat depromemus, quasi tædam coniugalem, qua ἱεροφαντικῶς amplificæ vestis stragulæ, puluinaris genialis, & Ariadnæa Ethopœia illustretur. Hanc facem præferet Panopolita Nonnus, instar δᾳδούχου, his aureolis versib. XLVII. Διονυσιακῶν insertis. quos Latinis etiam modulis vtcunque expressos subiiciemus.

Ἰλιακοῦ δὲ ῥέεθρα μελίρρυτα Βάκχος ἐάσας, 1
Ἁβρὸς ἐς ἀμπελόεσσαν ὁμιλαδὸν [illegible] μαζοῦ·
Ἀμφὶ δέ μιν πλεκτὰ πάλλει ἔρως ἐρατός· ἐρχομένῳ δὲ
Μειλιχίῳ Κυθέρεια [illegible] Λυαίῳ.
Ἀρτι γὰρ ὑπνώουσαν ἐπ' αἰγιαλοῖσιν ἐάσας
Παρθενικὴν λιπόπατριν ἀμείλιχος ἔπλεε Θησεὺς,
2 Συνθεσίας τ' ἀνέμοισιν ἐπέτρεπεν· ὑπνώουσαν δὲ
Ἀθρήσας Διόνυσος ἐρημαίην Ἀριάδνην,
3 Θαύματι μίξεν ἔρωτα. χοροπλεκέεσσι δὲ Βάκχαις
Γλώσσῃ θαμβαλέῃ πεφυλαγμένον ἔννεπε μῦθον·
Βασσαρίδες, μὴ ῥόπτρα πατάξατε, μὴ κτύπος ἔστω
Ἢ ποδὸς, ἢ σύριγγος, ἐάσατε Κύπριν ἰαύειν·
Ἀλλ' οὐ κεστὸν ἔχει σημαίνετε Κυθερείης.
Πείθομαι ὡς δολόεντι χάρις τεθόληται ὕπνῳ.
Ἀλλ' ἐπεὶ ὄρθρος ἔλαμψε, καὶ ἔγρετο φαίνεται ἠώς,
Πασιθέην εὕδουσαν ἐγείρατε· τίς παρὰ Νάξῳ,
Τίς χάριν ἐχλαίνωσεν ἀέλπτως; μὴ πάλιν Ἥβη;

Lissi Bacchus mellita fluenta relinquens
Mollis vuucoma colludit in orbe papillæ:
Hunc circumuolitabat amor: iam iámque Lyæo
Prænia monstrat iter sponso Cytherëa parato.
Namque recens sopita in littore virgine, Theseus,
Et procul à patria, immitis conscenderat altum,
Irrita committens rapidis promissa procellis.
Vt vidit Liber somno Minoida vinctam,
Admiratur amátque simul, Bacchásque furentes
Affatur lingua attonita, cautáque loquela:
Bassarides, baculis ne tundite, nec pedis vllus
Sit strepitus, calamíque, quiescere mittite Cyprin,
Sed caret hac cesto, læta signo Cytherëa.
Somno correpta est, credo, Charis vna doloso.
At quoniam illuxit, liquítque Aurora cubile:
Soluite Pasitheam somno. Verùm quis amictum
In Naxo Chariti dedit? An fortè hac foret Hebe,

At pateram Diuûm cui tradidit? an prope pontum A
Luna boues agitans artus hac sede reflexit?
Vnde suo dormit sola Endymione relicto?
Num Thetin inspicio vitream per mollia ripæ?
At haud corpus habet nudum, si dicere fas est,
Naxias à cursus Diana labore quiescit,
Postquam venatus sudores æquore tersit.
Ardens & dulcem gignit labor vsque soporem.
Quis tamen in saltu vidit cum veste Dianam?
Bacchæ sistite, siste Maro, ne agitate choréas.
Desine Pan canere, & somno ne Pallada solues.
At cuinam Pallas dedit hastam? quisve Minerua
Abstulit æratam galeam & sæuum ægidis orbem?
Sic fatur Liber. sparsóque in littore somno B
Protinus, infelix mox experrecta puella est.
At classem non prospexit, magnúmque maritum.
Tum more Alcyonum gemuit Minoia virgo,
Errans per ripas, dotem miserabilem amorum.
Compellat iuuenem passim. furit æquora iuxta
Inquirens puppem. at somno succensuit atro:
Arguit & Paphiam dominam maris atque parentem
Et Boream orauit; cum vento fœdera iunxit,
Et cum Orithya, vt reueherent ad littora Naxi
Heroa: atque iterum videat sua gaudia nauem.
Poscit opem Aeolia à rege: annuit ille precanti
Et damnat votis: aduersáque flamina misit, C
Vt ponto incumbant. Boreas hos virginis ignes
Non curat sæuus moderari. Forsan & auræ
Inuidiæ miseræ instigant tot damna puellæ,
Quæ Actææ oris tunc admonuêre carinam.
Natam Regis amans stupuit: visámque feraci
Autumat in Naxo Paphiam mœrere iacentem.
Nempe angustior in luctu fuit, vt dolor ægram
Ornaret; tristíque Ariadnæ voce querentis
Cederet in certamine Cypris suauis amánsque
Iucundos risus: huic cedunt lumina Pithûs
Et Charitum atque Cupidinis: hac vis est lacbrymarũ
Virginis: Et tandem plorans sic ore loquuta est.
Dulcis erat somnus mihi, dulcis at inde refugit
Theseus: si lætam liquisset adhuc! video ecce D
Cecropiam in somnis. intra regisq́; penates
Mollis erat, cantante Ariadna, altúsque Hymenæus
Et chorus: at nostra ornabat gaudens manus aram
Floribus instructam iucundi veris Amorum.
Coniugiíque coronam habui: tum non procul à me
Sponsali ritu Veneri Theseus sacra fecit.
Somnia quàm læta inspexi misera. ille recedit,
Virgine me deserta. ô Pitho, propitia esto.
Hæc dederat tenebrosa mihi caligo iugalis.
Inuida cuncta rapit luces Aurora reducens:
Experrecta, ignes non cerno. numquid & ipsa
Fictorum simulacra mouens velut æmula amorum? E
Hæc dum fallaci genialia somnia sensu
Gauisa excepi; charus fugit procul Heros.
Optatus mihi sic somnus fuit hostis. amica
Dicite saxa, quis hen rapuit mihi Thesea amanti?
Flante Aquilone peto velociter Orithyam:
Orithya tamen doleat, Marathone creata,
Vnde ortus suauis Theseus sua semina traxit.
Si Zephyrus spiret Zephyriti ostendito nymphæ
Iridi amoris matri, vim perpessam Ariadnam.
Sin Notus atque audax Eurus, me Aurora videbit,
Inuida vt accusem ante verendam flamina matrem.
Somne, iterum munus concedas suaue & inane,
Par aliud primo mittens mihi somnium amatum,

A Ἀλλὰ δέπας μακάρων τίνι κάλλιπε; ποῦ δὲ παρὰ πόντῳ
Κέκλιται αἰγλήεντα βοῶν ἐλάτειρα Σελήνη;
Καὶ πόθεν Ἐνδυμίωνος ἐθήμονος ἐκτὸς ἰαύει;
Μὴ Θέτιν ἀργυρόπεζαν ἐν αἰγιαλοῖσι δοκεύω,
Ἀλλ' οὐ γυμνὸν ἔχει ῥοδόεν δέμας, εἰ θέμις εἰπεῖν,
Ναξιὰς ἰοχέαιρα πόνων ἀμπαύεται ἄγρης
Θηροφόνους ἱδρῶτας ἀπομόρξασα θαλάσσῃ·
,, Τίκτει γὰρ γλυκὺν ὕπνον ἀεὶ πόνος· ἀλλὰ τί λόχμῃ
Ἄρτεμιν ἑλκεχίτωνα τίς ἔδρακε; μίμνετε Βάκχαι,
Στῆθι Μάρων, μὴ δεῦρο χορὸν στῆτε, λῆγε λιγαίνων
Πὰν φίλε, μὴ σκεδάσειας ἑὸν ὕπνον Ἀθήνης·
Καὶ τίνι Παλλὰς ἔλειπεν ἑὸν δόρυ, καὶ τίς ἀείρει
Χαλκείην τρυφάλειαν ἢ αἰγίδα πεπταμένοιο;
B Τοῖα μὲν ἔννεπε Βάκχος. ἀπὸ ψαμάθοιο δὲ δειλὴ
Ὕπνον ἀποσκεδάσασα δυσίμερος ἔγρετο κούρη,
Καὶ στόλον οὐκ ἐνόησε, καὶ οὐ πόσιν ἠθάδα·
Ἀλλὰ σὺν Ἀλκυόνεσσι κινύρεται ἔσσυτο νύμφη,
Ἠϊόνας μεθέπουσα, βαρύδρομον ἴδμονα ἔρωτος,
Ἠϊόνας δ' ἐσάλευε, ἰμάσσετο δ' ἔγχυτι πένθει
Ὁλκάδα διζομένη. φθονερῷ δ' ἐπεμαίνετο ὕπνῳ,
Καὶ Παφίῃ πολὺ μᾶλλον ἐμέμφετο μητρὶ θαλάσσης,
Καὶ Βορέην ἤτησε, καὶ ὅρκιον ὤπασεν αὐτῷ,
Ὅρκιον Ὠρείθυιαν, ὅπως πάλιν ἐς χθόνα Νάξου
Κοῦρον ἄγοι, γλυκερὴν δὲ παλίντροπον ὁλκάδα λάσῃ·
Αἴολον ἔπειτα μᾶλλον ἀεθλεύει· λισσομένην δὲ
Παιδὸς, καὶ κατένευσε, καὶ ἀντικέλευθον ἀήτην
C Πέμψεν, ἵνα πνείσει. πεθοκλίνεις δὲ κούρης
Οὐ Βορέης ὀλίγιζε δυσίμορος, ἀλλὰ καὶ αὐταὶ
Παρθενικῶν κοτέουσι τάχα τλήμονος αὖραι,
Αἵ ποτε νῆα κόμισσαν ἐς Ἀτθίδα. παρθενικὴν δὲ
Αὐτὸς ἐρῶν θάμβησεν, ἀποικτείρων δ' ἐνὶ Νάξῳ
Εἴσιδεν ἰδνώουσαν ὀδυρομένην Ἀφροδίτην·
Ἦν δὲ φαεινοτέρη ἐν ἄχεσσι, καί μιν ἀοίδοι
Ἀχνυμένην κόσμησαν· κινυρομένῃ δ' Ἀριάδνῃ
Εἴκαθεν ἐς νεῖκος ὅπα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη,
Ἱμερόεν γελόωσα, καὶ εἴκαθεν ὄμματα Πειθοῦς
Καὶ Χαρίτων, καὶ Ἔρωτος ἐπίκρατε δάκρυα κούρης·
Ὀψὲ δὲ δακρυόεσσα, τόσην ἐφθέγξατο φωνήν.
Ὕπνος ἐμοὶ γλυκὺς ἦλθεν, ἕως γλυκὺς ᾤχετο Θησεύς·
D Αἴθε με πεπταμένην ἔτι κάλλιπεν· ἠπεροπεῦον δὲ
Κεκροπίην ἐνόησα· καὶ ἔνδοθι Θησέος αὐλῆς
Ἁβρὸς ἔην Ὑμέναιος ἀειδομένης Ἀριάδνης,
Καὶ χορὸς, ἡμετέρη δ' ἐπικόσμεε τερπομένη χεὶρ
Εἰαρινοῖς πετάλοισι τεθηλότα βωμὸν Ἐρώτων,
Καὶ γάμιον στέφος εἶχον· ἐὼν δέ μοι ἐγγύθι Θησεὺς
Ἀλμάσι νυμφιδίῃσι θυηπολέεν Ἀφροδίτῃ·
Ὤ μοι ἐγὼ ὄνειρον ἴδον γλυκύν· ἀλλά με φεύγων
Ὤχετο καλλείψας ἔτι παρθένον· ἵλαθι Πειθώ,
Ταῦτά μοι ἀχλυόεσσα γαμοστόλος ὤπασεν ὄρφνη,
Καὶ φθονερὴ τάδε πάντα φαεσφόρος ἥρπασεν ἠώς,
Ἐγρομένη δ' οὐχ εὗρον ἐμὸν πόθον, ἦ ῥα καὶ αὐτοὶ
Εἰκόνας ἀντιτύπους ζηλήμονες οἶδεν Ἐρώτων,
E Ὅτι πλαστογάμων ἀπατήλιον ὄψιν ὀνείρων
Ἱμερτὴν ἐνόησα, καὶ ἱμερόεις φύγε Θησεύς.
Εἰς ἐμὲ καὶ φίλος ὕπνος ἀνάρσιος; εἴπατε πέτραι,
Εἴπατέ μοι δυσέρωτι, τίς ἥρπασεν ἀμὸν Ἀθηναῖον;
Εἰ Βορέης πνείεσκεν, ἐς Ὠρείθυιαν ἱκάνω·
Ἀλλά μοι Ὠρείθυια χολώσεται, ὅττι καὶ αὐτὴ
Αἷμα φέρει Μαραθῶνος, ὅθεν φίλος ἔπλετο Θησεύς·
Εἰ Ζέφυρος κλονέει, Ζεφυρηΐδι δείξατε νύμφῃ
Ἶριδι μητρὶ πόθοιο βιαζομένην Ἀριάδνην.
Εἰ νότος, εἰ θρασὺς Εὖρος, ἐς Ἠριγένειαν ἱκάνω,
Μεμφομένη φθονερῶν ἀνέμων δυσέρωτα τοκῆα.
Δὸς κενεὴν πάλιν ὕπνε φίλην χάριν, ἶσον ὀνείρῳ
Γείτονα ἄλλον ὄνειρον ἐπίπεμπε, ὄφρα νοήσω

Κύπριδος ἐπιδήμης γλυκερὴν ἀπατήλιον εὐνήν.
Μεῖζον ἐμοῖς ὀφθαλμοῖς ἔτ' ἔμμεναι, ὄφρα νοοῦσα
Ἄπνοον οἶστρον ἴδωμαι ἐελδομένου Ὑμεναίου.
Εἰ μὲν ἐς Ἀτθίδα γαῖαν ἐπίκλοπε νυμφίε Θησεῦ
Σὸν πλόον ἐκ Νάξοιο μετήγαγον ἅρπαγες αὖραι,
Εἰπέ μοι εἰρομένῃ, καὶ ἐς Αἴολον αὐτίκα βαίνω,
Μεμφομένη ῥοθίοισι καὶ οὐχ ὁσίοισιν ἀήταις·
Εἰ δέ με τὴν λιποῦσαν ἐρημάδι τάρφεϊ Νάξου,
Καὶ σέθεν ἀγκάλαισιν ἀμείλιχος ἔπλεε Θησεῦ,
Ἤλιτε εἰς Θησῆα, καὶ εἰς Θέμιν, εἰς Ἀριάδνην,
Μηκέτι ναυτίλος αὐτὸς ἴδοι * πρηῢν ἀήτην, — * ποτὶ
Μηδέ μιν ἀστάθμοισι συνιππεύοντα θυέλλαις
Ἵλαος ἀθρήσειε γαληναῖος Μελικέρτης·
Ἀλλὰ νότος πνεύσειεν, ὅτε χρέος ἐστὶ Βορῆος,
Εὖρον ἴδοι Ζεφύρου κεχρημένος· εἰαρινοῖς δὲ — ἴσ. εἰαρινοὶ
Ποντοπόροις ὅτε πᾶσιν ἐπιπνείωσιν ἀῆται,
Χειμερίῃ ποτὶ μοῦνος ἐμπλώσειε θαλάσσῃ·
Ἤλιτεν οὗτος ἄθεσμος ὁ ναυτίλος. ἀλλὰ καὶ αὐτὴ
Ἀασάμην ποθέουσα σαόφρονος ἀστὸν Ἀθήνης·
Αἴθε μιν οὐκ ἐπόθησα δυσίμερος· εἰς Παφίην γὰρ
Ὅσσον ἱμερόεις, τόσον ἄγριος ἔπλετο Θησεύς·
Αὐτὰ δέ μοι κατέλεξας, ἐμὸν μίτον εὖτε πάλλον;
Αὐτὰ δέ μοι κατέλεξε παρ' ἡμετέρῳ λαβυρίνθῳ;
Αἴθε μιν ἔκτανε ταῦρος ἀμείλιχος· ἴσχεο φωνὴ
Ἀφροσύνης, μὴ κτεῖνε νέον γλυκερὸν ὤμοι ἔρωτα
Θησεὺς ἔπλεε μοῦνος ἐς εὐώδινας Ἀθήνας·
Οἶδα τίνος με λέλοιπε· μιῆς τάχα παρθενικάων
Σύμπλοον ἴσχει ἔρωτα, καὶ ἐν Μαραθῶνι χορεύει
Εἰς ἑτέρης γάμον ἄλλον· ἐγὼ δ' ἔτι Νάξον ἐδεύω·
Παστὸς ἐμὸς πέλε Νάξος, ἐπίκλοπε νυμφίε Θησεῦ,
Ὤλεσα καὶ γενέτην, καὶ νυμφίον ὤμοι ἐρώτων,
Οὐχ ὁρόω Μίνωα, καὶ οὐ Θησῆα δοκεύω,
Κρήτην ἐμὴν προλέλοιπα, πόλιν δ' οὐκ εἶδον Ἀθήνας,
Πατρὸς ἀποσπασθεῖσα καὶ πατρίδος. ὦ μέγα δειλή,
Ἕδνον ἐμῆς φιλότητος ὕδωρ ἁλός. ἐς τίνα φεύγω;
Τίς θεὸς ἁρπάξει με, καὶ εἰς Μαραθῶνα κομίσσει
Κύπριδι καὶ Θησεῖ δικαζομένην Ἀριάδνην;
Τίς με λαβὼν κομίσει δι' οἰδμάτος· αἴθε καὶ αὐτὴ
Ὑμετέρης μίτον ἄλλον ἴδω πομπῆα κελεύθου·
Τοῖον ἔχειν ἐθέλω καὶ ἐγὼ μίτον, ὥς κεν ἀλύξω
Αἰγαίης ἁλὸς οἶδμα, καὶ εἰς Μαραθῶνα περήσω,
Ὄφρα σε ἀμπτύξω σε, καὶ εἰ στυγέεις Ἀριάδνην,
Ὄφρα σε ἀμπτύξω σε τὸν ὁρκαπάτην ἐπιλήθονα,
Δέξομαι σῶν λεχέων θαλαμηπόλον ὡς ἐθελούσης.
5 Καὶ στορέσω σοι λέκτρα, καὶ ἡ Κρήσσα Ἀριάδνη,
Οἷά τε ληϊσθεῖσα, καὶ ὀλβίστη σέο νύμφη·
Τλήσομαι ὡς θεράπαινα πολύκροτον ἱστὸν ὑφαίνειν,
Καὶ φθονεροῖς ὤμοισιν ὄφθια κάλπιν ἀείρειν,
6 Καὶ γλυκεροῦ Θησῆϊ φέρειν ἐπιδόρπιον ὕδωρ,
Μοῦνον ἴδω Θησῆα. καὶ ἡμετέρη ποτὲ μήτηρ
Ἀγροτέροις θήτευε, καὶ αὐχένα κάμψε νομαῖ,
Βουκολέουσα δὲ ἔπελξεν ἀσιγήτῳ ποτὶ ταύρῳ,
Καὶ βοὶ ταῦρον ἔτικτε μελιζομένοιο βοτῆρος,
Πηκτίδος οὐ πόθον ἔσχε, ὅσον μυκηθμὸν ἀκούειν·
Οὐ μὲν ἐγὼ ψαύσοιμι καλαύροπος, οὐδὲ φάτνῃ
Στήσομαι. ἡμετέρης δὲ παρέσσομαι ὄψιος ἀνάσσης,
Φθεγξαμένου Μίνωος, καὶ οὐ μυκηθμὸν ἀκούω,
Καὶ σοὶ τὸν ἱμερόεντα γάμον Ὑμέναιον ἀείσω,
Ζῆλον ἀποκλέψασα νεοζυγέος σέο νύμφης·
Στῆσον Ναξιάδεσσι παρ' ἠόσι ποντοπορεῦον,
Στῆσον ἐμοὶ σὸν νῆα. τί ναυτίλε καὶ σὺ χαλέπτεις;
Ὡς ἄρα καὶ σὺ πέλεις Μαραθώνιος· ἦ μὲν ἱκάνεις
Εἰς ἑὴν σὸν γαῖαν, ὅπου δόμος ἐστὶν ἐρώτων,
Δέξο με δειλαίην, ἵνα Κέκροπος ἄστυ νοήσω·
Εἰ δέ με καλλείψεις, καὶ ἀμείλιχα ποντοπορεύεις,

A *Vt Cypriæ cernam fallax & suaue cubile.*
Maioréque moras oculis fac: exanime œstrum
Optati vt videam modò amoris vani Hymenæi.
At si Cecropium ad littus tua, perfide Thesen,
E Naxo rapidi pepulerunt carbasa venti;
Dic percontanti: Aeoliæ stat principem adire.
Criminer vt fluctus tumidos, flatúsque furentes.
At si destituit me solo in gramine Diæ,
Iniussúque tuo Thesen tua nauita sæuus
Pandit vela, & te offendit, Themin, atque Ariadnam;
Nauiget haud vnquam vento spirante secundo;
Nec ventosis hunc equitantem fortè procellis
Respiciat præsens ac propitius Melicertes:
B *Quin Auster spiret, quoties Aquilone opus esset;*
Sentiat idem Eurum, Zephyrum cùm flare iuuaret.
At verna nautis cùm flabunt omnibus auræ;
Hiberno tamen hic agitetur in æquore solus.
Impius hic vector noxæ fuit. Attamen ipsa
Impegi, dum Palladij sum ciuis amore
Percita. at infelix vtinam non Thesea amassem:
Nam Paphiæ quàm gratus, tam vecors fuit in me.
Haccine narrabas mihi, dum mea fila teneres?
Haccine narrabas mihi in amfractu Labyrinthi?
Indomitus vellem hunc taurus domuisset! at istam
Stultitiam preme vox. iuuenem ne cede cupitum.
Hei mihi! Palladias Theseus petit vnus Athenas.
Cur me destituis scio: forsan Virginis ardens
C *Nauigat vnius igne; & agit Marathone choréam,*
Coniugium alterius sperans; ego adhuc colo Naxon:
Puluinar geniale meum est. o perfide Thesen!
Amisi genitorem & sponsum. haud amplius, ehen,
Conspicio Minoa patrem, nec Thesea cerno.
Cretam deserui nostram, non Cecropis vrbem
Aspexi, à patre & patria procul. o miseram me!
Dos mei amoris, *aqua est* maris. *Ad quẽnam fugiã*
Quis deus abripiet me, & deducet Marathona? (nunc?
Vt sistat coram Paphia Theseóque Ariadnam?
Quis me traiiciet per fluctus? Vellem ego filum
Remigij vestri comitémque ducémque videre.
Tale tenerem vtinam filum; percurrere pontum
D *Aegæum vt possem, & claram Marathona venire.*
Vt ruam in amplexus, tamen etsi odisti Ariadnam.
Et te amplexer periurum immemorémque maritum.
Accipe me, ipsa tuum vt sternam officiosa cubile.
Strata parabo tibi: sim quamuis Cressa Ariadna,
Vt tua præda fui, olim felicissima sponsa.
Ordiar vt famulans streperam quoque texere telam:
Nec situlam insuetis humeris perferre pigebit.
Et dulci Aegidæ canæ super egerere vndam:
Cernam vnum Aegidem. mea Pasiphaë quoque mater
Ruricolis famulata est, substernens caput altum
Pastori, & tauro faciebat verba silenti.
Inde boni taurum peperit, modulante cicuta,
E *Nec calamos, adeò vt mugitum, audire cupibat.*
At non ipsa pedum tangam, haud præsepia adibo.
Semper ego adstabo Reginæ ad lumina nostræ.
Audiam & haud mugitum, sed Minoidis omen.
Atque tibi læta optatos celebrabo Hymenæos,
Surrepto sponsæ zelo feruente recentis.
Puppim aduerte tuam, qui Naxiacam legis oram:
Siste tuam nauim. cur nos quoque nauita torques?
An verò ipse quoque es Marathonius? an petis almam
Classe tuam patriam? in qua sedes extat amorum.
Accipe me miseram, quò Cecropis oppida cernam:
Sin me, sane, paras neglecta, tendere cursum

Dic saltem Thesei te Ariadnæ audisse querelas,
Quis fluxámque fidem & periuria carpis amantum.
At nous cur Aegidæ promissa superbi
Irrita Amor statuit succensens, nempe iugali
Pro Iunone; eadem quæ pronuba dicitur: ille
Palladis innuptæ iurarat sacra maritus
Iuramenta. Mineruæ quid cum Cypride Diuæ?
Hæc quiritantem dum audiret gaudebat Iacchus,
Cecropiam attendit, Thesei noménque notauit,
Et classem è Creta fallacem. Non procul ergo
Virgine diuina fulgebat fronte. puellam
Ad maius desiderium cesto illice pellit
Acer amor circumuagus, vt Minoida blandè
Persuasam fratri Dionyso iungere posset.
Tum querulam solans miserámque in amore Ariadnã,
Talia dicta sonat mentem mulcentia Liber.
Quid gemis ô virgo delusa à ciue Mineruæ?
Quid memor es Thesei? Baccho potiere marito,
Aeterno, pro illo breuis æui. Siq; capit te
Aequæui iuuenis mortalis forma, Lyæo
Non certat Theseus, specie & virtute decora.
Ast habitatorem dices obscuri Labyrinthi,
Permixtúmque genus Taurúmq; virúmque biformem:
Cæca tuo rexit filo vestigia cautus
Cecropides; nec enim claua certamen adisset,
Ni præsto rosei adstaret virgo oris. Amorem
Non ego te, Venerémque colúmque Ariadna, docebo.
Aethere maiores numquam memorabis Athenas.
Non Saturnigenæ Minos compar tuus alto
Est genitor, similis nec Olympo Gnosia tellus
Nec meus hic frustrà thyasus deuenerit istuc:
Seruauit thalamis te dîa Cupido beatis.
Felix quæ Thesei cœtu inferiore relicto,
Conspicies optati vincla iugalia Bacchi.
Quid magis in votis fuerit tibi? namque polorum
Cærula templa tenes, socer & Saturnius ipse est.
Haud se Cassiopéa tibi æquiparare valebit,
Ob natæ clarum in cœlis decus. ecce & in astris
Aetherea Andromedæ porrexit vincula Perseus.
At tibi stelligeram insignémque parabo corollam:
Clara coronati vt coniux celebreris Iacchi.
Dixit solatus. gauisáque virgo silebat,
Nomine iam Thesei scopulosa per æquora tacito:
Cœlestis post connubij promissa lubenter
Accepta. interea geniale Cupido cubile
Instruxit Baccho. chorus instrepuitque iugalis.
Circa puluinar florum genus omne vigebat,
Frondibus & vernis Naxum cinxere puellæ.
Orchomeni; & thalamos modulatur Hamadryas, atque
Sparsa comas nympha ad fontes, pedibúsque solutis,
Vuifero genio laudat coniunctam Ariadnam.
Ortygia infremuit, Phœbi fratrisque mtentis
Hymnum iucundum est Hymenæi exorsa Lyæo,
Saltauitque choro, licet inconcussa feratur.
Purpureísque rosis innectit flosculum Amorum,
Corde Cupido ardente, parem astrigeraq; coronæ,
Cœlestis serti prænuncius: inter at ipsas
Naxiadas nymphas examen saltat Amorum.

A Εἰπὲ παρ' Θησῆι κινυρομένην Ἀριάδνην,
Μεμφομένην ἀπιστον ἐπίκλοπον ὅρκον ἐρώτων·
Οἶδα πόθεν Θησῆος ὑπόσχεσιν ὑψαυχένος
Θῆκεν ἔρως βαρύμηνις ἀκυρον· αὐτὸς γὰρ Ἥρης,
Ἣν ζυγίην καλέουσιν, ἀπειρογάμοιο θεαίνης,
Ὤμοσεν ἀχράντοιο γαμήλιον ὅρκον Ἀθήνης·
Παλλάδος ὅρκον ὤμοσε· τί Παλλάδι, καὶ Κυθερείῃ.
Τοῖα κινυρομένης ἐπιτέρπετο Βάκχος ἀκούων,
Κεκροπίην δ' ἐνόησε, καὶ οὔνομα Θησέος ἔγνω,
Καὶ στόλον ἐκ Κρήτης ἀπατήλιον. ἄγχι δὲ κούρης
Ἔνθεον εἶδος ἔχων ἀμαρύσσετο. παρθενικὴν δὲ
Φίλτρον εἰς πόθον ἄλλον ἱμάσσε κίνησε κεστῷ
Θοῦρος ἔρως ἀλήτης, ὅπως Μινωΐδα κούρην
B Πειθομένην ζεύξειε κασιγνήτῳ Διονύσῳ·
Καὶ κούρην δύσποτμα παρηγορέων Ἀριάδνην,
Τοῖον ἔπος φάτο Βάκχος ἐῦ φρενοθελγέι φωνῇ·
Παρθένε τί στενάχεις ἀπατήλιον ἀστὸν Ἀθήνης;
Μνῆστιν ἔχεις Θησῆος; ἔχεις Διόνυσον ἀκοίτην
Ἀντὶ μινυνθαδίου πόσιν ἄφθιτον· εἰ δέ σε τερπνοῦ
Ἥλικος ἠϊθέου βροτέου δέμας, οὔτι Θησεὺς
Εἰς ἀρετὴν καὶ κάλλος ἐριδμαίνει Διονύσῳ·
Ἀλλ' ἐρέεις ναετῆρα πελωριακοῖο λαβυρίνθου
Διπλοφυῆ φοίνιξιν ὁμόζυγα αἴθωπα ταύρῳ·
Εἶδας ἀκοσμήτοιο τεῷ μίτῳ· οὐ γὰρ ἀγῶνα
Εὗρεν ἀεθλεύειν κορυνηφόρος ἀστὸς Ἀθήνης,
C Εἰ μὴ θῆλυς ἔμιμνε ῥοδόχροος· οὐ σε διδάξω
Καὶ Παφίην, καὶ ἔρωτα, καὶ ἠλακάτην Ἀριάδνη·
Αἰθέρος οὐκ ἐρέεις ὅτι μείζονας εἶσιν Ἀθήνας·
Οὐ δὲ παραμετρέουσι Κρονίωνος ἔπλετο Μίνως
Σὸς γενέτης· οὐ Κνωσὸς ὁμοίιος ἔστιν Ὀλύμπῳ,
Οὐδὲ μάτην στόλος οὗτος ἐμὸς ἀπεβήσατο Νάξῳ,
Ἀλλὰ πόθος σε φύλαξεν ἀρειοτέροις ὑμεναίοις·
Ὀλβίη, ὅτι λιποῦσα χερείονα Θησέος αὐλὴν,
Δέμνιον ἱμερόεντος ἐσαθρήσεις Διονύσου·
Τί πλέον ἤθελες εὖχος ὑπέρτερον· ἀμφότερον γὰρ
Οὐρανὸν οἶκον ἔχεις, ἑκυρὸς δέ τοι ἐστὶ Κρονίων·
Οὐδέ τοι Κασσιέπεια δυνήσεται ἰσοφαρίζειν
D Παιδὸς ἑῆς διὰ κόσμον ὀλύμπιον. αἰθερίους γὰρ
Δεσμοὺς Ἀνδρομέδης καὶ ἐν ἄστρασιν ὤπασε Περσεύς·
Ἀλλά τοι ἀστέριον τελέσω στέφος, ὥστε ἀκούσῃς
Εὐνέτις ἀγλαόεσσα φιλοστεφάνου Διονύσου.
Εἶπε παρηγορέων, ἡ δ' ἐπαύετο χάρματι κούρη,
Μνῆστιν ὅλην Θησῆος ἀπορρίψασα θαλάσσῃ,
Οὐρανίου μνηστῆρος ὑποσχεσίην ὑμεναίων
Δεξαμένη, καὶ παστὸν ἔρως ἐπεκόσμεε Βάκχῳ·
Καὶ χορὸς ἐσμαράγησε γαμήλιος· ἀμφὶ δὲ παστὸν
Ἄνθεα πάντα τέθηλε, καὶ εἰαρινοῖσι πετήλοις
Νάξον ἐκυκλώσαντο χορίτιδες Ὀρχομενοῖο,
Καὶ θαλάμοις ἐλίγαινεν ἁμαδρυάς· ἀμφὶ δὲ πηγαῖς
E Νηιὰς ἀκρήδεμνος, ἀσάμβαλος, ὕμνεε νύμφην
Δαίμονι βοτρυόεντι συναρμοσθεῖσαν Ἀριάδνην.
Ὀρτυγίη δ' ἐλέλιζε, τελεσσίγονοιο δὲ Φοίβου
Γνωτὴ νυμφίον ὕμνον ἀνακρούουσα Λυαίῳ
Εἰς χορὸν ἐσκίρτησε, καὶ ἀσφαλέος περ ἐοῦσα,
Πορφυρέοις τε ῥόδοισι συνέπλεκεν ἄνθος ἐρώτων
Μαινὰς ἔρως πυρόεις στέφος ἔπλεκε, σύνθετον ἄστρων
Οὐρανίων στεφάνοισι προάγγελος· ἀμφὶ δὲ νύμφας
Ναξιάδας σκίρτησε γαμοστόλος ἑσμὸς ἐρώτων.

Eivsd. Interpretis observatio.

1 Ἰνάσατο δ' ἐ.] Cat. vers. 251. *At parte ex alia florens volitabat Iacchus.* τὸ florens ἁβρός. 2. vers. & μαινόγαμος. 4. τὸ volitabat. ἀλεγεινὸν. Cupidini comiti aptius à Nonno tribuitur. nam liber ἐπιμαίνω ἐρχόμενος. Συνθε-

2 Συνθεσίας τ' ἀθέμιστι.] Cat. v. 142. *Quæ cuncta &c.*
3 Θαύματι μίξατο.] Cat. v. 91. *Non prius ex illo &c.*
4 Ἡ δ' φασσοτέρη.] Ouid. 4. Met. de Leucothoe. *Ipse timor decuit.*
5 Καὶ σ. σὸν λέχ.] Cat. v. 163. *Purpureáve tuum &c.*
6 Φέρειν ὕδ. ὕδωρ.] Cat. vers. 162. *Candida per &c.*

Ad Ortalum. LXVI.

Etsi me adsiduo confectum cura dolore
Seuocat à doctis Ortale virginibus,
Nec potis est dulces Musarum expromere fetus
Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethæo gurgite fratris,
Pallidulũ manans alluit vnda pedem,
Troia Rheteo quem subter littore tellus,
Ereptum nostris obterit ex oculis.

* * *

Numquam ego te vita frater amabilior
Aspiciã posthac? at certè semper amabo,
Semper mæsta tua carmina morte canam.
Qualia sub densis ramorum concinit vmbris
Daulias, assumpti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mæroribus, Ortale, mitto
Hęc excerpta tibi carmina Battiadę:
Ne tua dicta vagis nequicquam credita ventis
Effluxisse meo fortè putes animo,
Vt missum sponsi furtiuo munere malũ
Procurrit casto virginis è gremio,
Quod miseræ oblitæ molli sub veste locatum,
Dum aduentu matris prosilit, excutitur.
Atque illud prono præceps agitur decursu.
Huic manat tristi cõscius ore rubor.

ANTONIVS PARTHENIVS.

ETSI *me assiduo confectum cura dolore.*] hæc tertia totius operis pars elegos tantummodo cõtinet. Nam superiùs dictum est hoc opusculum tris in partes à poëta distinctum fuisse, in lyrica carmina, in hexametra siue heroica, & in elegos. Scribit autem hanc primam elegiam ad Ortalum familiarem suum, excusans se mul- A tis curis ex fratris morte susceptis implicitum, Musis & carminibus operam dare non posse, ac obtemperaturum tamen eius petitioni, quoad possit, fatetur. Petierat enim Ortalus à poëta, vt Callimachi elegiam Beronicææ comæ fabulas continentem Latinis versibus interpretaretur, quod se facturum poëta, & si curis affectum, promittit: ne Ortalus aut causa sua laborem suscipere noluisse, aut petita negligẽtem amici oblitum fuisse suspicaretur.

CVRA.] mœror ex fraterna morte susceptus.

DOCTIS *virginibus.*] à Musis omnis scientiæ præsidibus.

B SEVOCAT.] remouet, separat.

MVSARVM *dulces fœtus.*] qualis est versuum, seu carminum compositio: carmina enim sunt Musarum fœtus.

FLVCTVAT.] æstuat, concutitur, vexatur.

HOMINVM *mens.*] non solum mea mens, sed cuiuscunque hominis tantis malis, quanta sunt mea, commouetur, atque perturbatur animus.

TANTIS.] quantis mea turbatur.

NAMQVE *nuper Lethæo gurgite fratris.*] ordo est: Namque manans vnda pallidulum pedem mei fratris alluit nuper in Lethæo gurgite, per quod significat fratrem suum apud Troiam ex-C tinctum iam ad inferos descendisse. Catullus enim ex Bithynia in Italiam reuertens, fratrem in Phrygia relictum paucis diebus post immatura morte raptum amisit, cuius nunc interitũ mœrore testatur.

LETHÆO *gurg.*] nam qui ad inferos descendebant, securos latices & longa obliuia potare à veteribus putabantur: aut Lethæum gurgitem pro Stygia palude, vltra quam animæ portantur Charontis cymba, posuit. Lethen fluuium etiã scribit Lucanus, & Strabo & Plinius in Cyrenaica regione Africæ. Silius autem Italicus in primo, Lethen scribit in Hispania. legito su-D prascriptos auctores de Lethe in Hispania scribentes. Silius in primo,

Quique super Granios lucentes voluit arenas
Inferna referens populis obliuia Lethes.

TROIAM.] trisyllabum adiectiuum est, vt Virg. —— *& Troia gaza per vndas.*

LITTORE *Rhœteo.*] Rhœteum Troiæ oppidum est, in colle situm, vnde Rhœtea littora dicta sunt Aiacis sepulchro maximè illustria: hæc ex Plinio, Strabone, Mella dicuntur. Lucanus,

—— *& Graio nobile bustum Rhœteum.* ——

AVDIERO *nunquam verba tua loquentem,*
Numquã ego te vita frater amabilior.] ordo est:
E O frater amabilior vita, nunquam audiero verba tua, nunquam te loquentẽ posthàc aspiciam.

CARMINA.] meos versus, qui deberent alioquin cantari.

MOESTA.] mœrentia propter mortẽ tuam.

QVALIA *sub densis.*] artificiosa similitudo pathos mouendi causa: hinc tractum illud Virgilianum de Orpheo:

Qualis populea mœrens Philomela sub vmbra
Amissos fœtus queritur. ——

DAVLIAS.] Progne Pandionis filia, vxórque Terei Thraciæ regis in auem lusciniam con-

uersa: notissima est apud Ouidium fabula: cuius historicam veritatem Thucydides in II. historiarum lib. demonstrat. Nam Tereus non in Thracia (vt nostri scribunt) sed Dauliæ rex fuit, Aulidémque in Phocide sitam tenuit. est autem Daulia siue Daulis in finibus Bœotiæ ad Parnasum mōtem paulisper ad Orientem, secundum Delphos oppidum, vbi Tereum Thracem regnum tenuisse aiunt. est igitur auis quædā quæ à Græcis δαυλία dicitur, & quia Progne ab Athenis Dauliam transiens ibi cum viro Tereo habitauit: ideò simile & oppidi & auis nomen locum fabulæ dedit. Daulis prius appellatum est id oppidum, vt est apud Homerum, à posterioribus Daulia dictum. Sanè non ignorādum quosdam sensisse Terei scelera, mutationésque illorum omnium in aues factas esse Dauliæ: sed Plinius & Solinus scribunt, quod Bizia est arx regum Thraciæ, à Terei nefasto crimine inuisa hirundinibus.

ITYLEI.] Itys & Ityleus dictus est Prognes & Terei filius: Ἰτυλεύς. Propert. in III.

Increpet absumptum nec sua mater Ityn.

FATA.] dilacerationem.

ABSVMPTI.] consumpti, extincti.

EXPRESSA.] ad verbum ferè conuersa & interpretata.

BATTIADÆ.] Callimachus à Batto Cyrenarum rege ac conditore fuit, vt ipse de se scribit, originem consecutus. Aristeus enim cognomine Battus Cyrni filius condidit Cyrenem in Africæ australi littore, vocauitq. Cyrenē à Cyrene puella ab Apolline ex Thessaliæ monte Pelio rapta, & in illam regionem deportata: inde regio Cyrenaica vocata: eadem Pentapolitana dicta illustratur Hammonis oraculo. de his plura legito apud Iustinum, & de regionis situ apud Plinium. Strabo autem scribit, *Cyrenem cōdidère Theres, qui ex Laconica profecti Theram insulam coluerunt.* Thera olim Calisto dicebatur, vt Callimachus ait,

Nomine Calisto primùm, sed postmodo Thera
Dicta fuit tellus, vrbis origo mea.

Illud quoque animaduertendum videtur, quod quam insulam Theram Strabo & Callimachus appellant, Iustinus Theramenē vocatam refert.

BATTIADÆ.] Callimachus à Batto oriundus patria Cyrenæus poëta, simul & grammatices studiosus fuit, vt scribit Strabo. Quidam Strabonis verba negligenter accipientes dicunt duos fuisse Callimachos, vnum poëtam, alterum verò grammaticum, cùm idem Callimachus & grammaticus & poëta fuerit. Hic Callimachus poëta non diu post primi belli Punici initium Alexandriæ apud Ptolomæum regem celebratus fuisse dicitur ab Aulo Gellio lib. XIX.

SPONSI.] amantis, qui cupit illius puellæ fieri sponsus: vt maritus dicitur non tantùm qui est, sed etiam qui esse cupit. Virg.

Quos ego sum toties iam dedignata maritos.

VIRGINIS.] amicæ puellæ, quam adamat adulescens. hæc similitudo causa ornandi tendit ad obliuionis imprudentiam ostendendam.

HVIC.] virgini, cui pomum imprudenter excidit.

PALLADIVS FVSCVS.

ETSI *me assiduo.*] Metrum est elegum quod hexametro versu pentametróque compositum tàm à Latinis quàm à Græcis celebratum est. petierat Ortalus iure amicitiæ à Catullo, vt is Callimachi elegiam de comis Berenices in Latinam linguam sibi verteret, quam rem nobilis poëta non negauit se facturum, cùm eam honestam esse cognosceret: mittit igitur Ortalo eandem elegiam, addítque se hanc Latinam fecisse, licet multis magnísque curis ob mortem fratris implicitus à Musis penitus auocetur: elegiæ autem argumentum suo loco explicabitur.

CVRA.] sollicitudo ex morte fratris.

VIRGINIBVS.] à Musis, de quibus anteà dictum est.

EXPROMERE *fœtus.*] fœtus Musarum, sunt carmina.

FLVCTVAT.] vndicat in modum pelagi.

NAMQVE *mei nuper.*] significat fratrem suum paulo antè mortuum ad inferos descendisse, per quos labitur Lethes amnis.

RHOETEO *littore.*] legimus duo esse Troiæ promontoria, Rhœteum & Sygeum,

ASPICIAM *posthàc.*] Hic sicut alibi non cōcludit pentametro sensum inchoatum hexametro, quòd nullus alius elegiographus apud nos, si modò rectè meminerim, facit.

QVALIA *sub densis.*] ait se talia carmina de fratre suo cantaturū, qualia canit luscinia, dùm absumptum Itym queritur. fabula abundè nota est.

DAVLIAS.] Daulis vrbs fuit Phocidis non Thraciæ supra Cheronæam, in qua Tereus, vt scribit Thucydides, regnauit, & scelus quod de Atti fertur, mulieres patrauerūt. vnde auis Daulias poëtarum carminibus decantata.

EXPRESSA.] in Latinum sermonem conuersa.

BATTIADÆ.] Callimachi à Batto, quem is dixit progenitorem suum fuisse.

VT *missum.*] Similitudo: mitto, inquit, tibi carmina Callimachi, quæ tu à me interpretari voluisti, ne fortè putes verba tua mihi ex animo sic effluxisse, vt malum puellæ ab amatore clàm missum, atque ab ea sub veste, ne à domesticis videretur, locatum.

PROCVRRIT *è gremio.*] dum matre adueniente eadem puella prosiliens excutitur.

SPONSI.] non qui est, sed qui esse vult.

GREMIO.] quod est intra femorum feminúmve complexum.

ILLVD.] s. malum.

HVIC.] s. puellæ. sensus autem est, malum vbi excidit puellæ, id proculdubiò per prona decurrit: at hæc sibi conscia rubore inficitur.

ACHILLES STATIVS.

SEVOCAT *à doctis Ortale virginibus.*] Hic ille fortasse est Ortalus, Hortensij nepos, cuius Tacitus & Suetonius meminêre.

Ille in II. *Fauorabili, inquit, in speciem oratione, vim*

imperij tenuit, censúsque quorundam senatorum iniit. Quòd magis mirum fuit, quòd preces. M. Hortali nobilis iuuenis in paupertate manifesta superbius accepisset. Nepos erat oratoris Hortensij, inlectus à diuo Augusto liberalitate decies sestertium ducere vxorem, suscipere vxorem, suscipere liberos, ne clarissima familia extingueretur. Suetonius in Tiberio, *Quo pacto,* inquit, *plerósque modestia, & pudore deterruit, in quibus Hortalum, Q. Hortensij nepotem, qui permodica re familiari, auctore Augusto, quattuor liberos tulerat.* Ac, si is quidem non est, ex eadem alium familia fuisse oportet, quem opinor Gellius Hortensium nominat poëtam, Catulli, Calui, Cinnæ & Memmi poëtarum æqualem. Hortensium scilicet F.

N E C *potis est dulceis Musarum expromere fœtus.*] Pænè expressit illud Pindari,

Καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν μοισᾶν
Δόσιν ἀεθλοφόροις ἀνδράσι πέμπων,
Γλυκὺν καρπὸν φρενὸς ἱλάσκομαι.

M E N S *animi.*] Sic Lucretius in eodem prope genere,

Perturbata animi mens in mœrore metúque.

Atque alibi,

Denique cur animi nunquam mens, consiliúmq.
Gignitur in capite. ——

Horat. in I. Epist.

-- tamen istuc mens animúsque Fert. ——

Idem fortè sit apud Aristotelem, ψυχῆς ὁ νοῦς, in libris τῶν μετὰ τὰ φυσικά.

L E T H Æ O *gurgite.*] In manuscriptis omnibus, Lethæi gurgite.

E R E P T V M *nostris obterit ex oculis.*] Sic etiam omnibus in manuscriptis. Guarinus ait quosdã legere, Obtegit pro Obterit. Ego ex Obterit, faciebam, Obruit.

A D L O Q V A R.] versus hic nothus. nec enim vllo est in manuscripto, quem confidens homo Catullini loco posuit, cùm desiderari illum videret.

N V M Q V A M *ego te vita frater amabilior Aspiciam posthàc.*] Sic sæpè Theognis & Callimachus in hoc genere carminum sententiam profert in plures versus. Hac ferè querela in luctu vti homines declarat Philemon apud Stobæum, cuius è verbis hæc sunt,

Ἀβίωτος ὁ βίος, οὐκ ἔτ' ὄψομαι,
Ἀπόλωλεν. ——

Atque eodem propè modò apud Callimachum Nympha lamentans,

Ἀλλ' οὐκ ἀέλιον πάλιν ὄψεαι. ὦ ἐμὰ δειλάν.

S E M P E R *mæsta tua carmina morte canam.*] In manuscriptis omnibus non Canam, sed Tegam. è quo faciendum omnino videtur, Legam. quod & Aldus ante impressit.

Q V A L I A *sub densis ramorum concinit vmbris Daulias.*] Eodem genere comparationis est vsus Verg. in IIII. Georg. de Orpheo,

Qualis populea mœrens philomela sub vmbra,
Amissos queritur fetus, quos durus arator,
Obseruans nido implumes detraxit, at illa
Flet noctem, ramóque sedens miserabile carmen
Integrat, & mæstis late loca questibus implet.

Et Ouid. in V. Fast.

Quacunque ingreditur miseris loca cuncta querelis
A *Implet, vt amissum cum gemit ales ityn.*

In eandem sententiam Sophocles in Electra,

Νήπιος, ὅστις τῶν οἰκτρῶς
Οἰχομένων γονέων ἐπιλάθεται.
Ἀλλ' ἐμέ γ' ἁ στονόεσσ' ἄραρε φρένας,
Ἃ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν γ' ὀλοφύρεται,
Ὄρνις ἀτυζομένα Διὸς ἄγγελος.

Et Callimachus in lauacro Palladis,

Ἁ μὲν ἀμφοτέρῃσι φίλον περὶ παῖδα λαβοῖσα,
Μάτηρ μὲν γοερᾶν οἶτον ἀηδονίδων,
Ἆγε βαρὺ κλαίοισα. ——

A S S V M P T I *fata gemens Ityli.*] In manuscriptis etiam, Assumpti, legendum tamen videtur,
B Absumpti. quo modo & Propert. in III.

Increpet absumptum nec sua mater Ityn.

quomodo autem fata Ityli gemat superiora illa Sophoclis declarant. Ityli verò ὑποκοριστικῶς. vt apud Theocritum quoque Ἐρώτυλος.

B A T T I A D Æ.] Callimachi. Ouidius in I. Elegiarum,

Battiades toto semper cantabitur orbe,
Quamuis ingenio non valet, arte valet.

Idem in II. Tristium,

Nec tibi Battiade nocuit quod sæpe legenti,
Delicias versu fassus es ipse tuas.

Et in Ibin,

C *Nunc quo Battiades inimicum deuouet Ibin.*

Sic autem à Batto, de quo idem Callimachus in Hymno in Apollinem.

E F F L V X I S S E *meo forte putes animo.*] Sic etiam Propertius,

Id tibi ne vacuo defluat ex animo.

P R O C V R R I T *casto virginis è gremio.*] Prouerbium id olim fuisse, Festus docet. Ex eodem genere videtur esse etiam illud Cic. in epist. ad Brutum, *Bibulum noli dimittere ex sinu tuo.*

A T Q V E *illud prono præceps agitur decursu.*] Atque pro statim, mihi positum videtur, vt apud Vergilium,

D *Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.*

Vide Gell. in X. capite XXIX.

H I N C *manat tristi conscius ore rubor.*] vno in manuscripto,

Hinc manat nata conscius ore rubor.

Cur autem labi, & manare pudor dicatur, satis in Commentationibus in Horatium doceo.

M. ANT. MVRETVS.

ETSI *me assiduo.*] receperat Ortalo, se Callimachi elegiam de coma Beronices expressurum Latinis versibus, eiq; missurum. id igitur
E se, quamuis multis ex fraterna morte doloribus præpeditum, præstitisse dicit, ne rei se ab amico mandatæ immemor videretur.

M E N S *animi.*] ita legendum est, non vt alij ineptè legunt, *Mens hominum.* Plautus Cistellaria,

Nullam mentẽ animi habeo: vbi sum, ibi non sum.

Idem Epidico,

Pauor territat mentem animi.

Sic ingenium animi dixit poëta quidam vetus, quem citat Cornificius lib. secundo ad Herennium, *Sin inuerecundum animi ingenium possides.* Sic & Virgilius amentem animi Didonem.

A L L O Q V A R.] recordatione mortis frater-

næ, tantum dolorem animo sentit, vt eius magnitudine, per aliquot versus abducatur à re proposita. A

DAVLIAS.] fabula ex Ouidio nota est.

VT *missum.*] ne putes tua dicta ita ex meo animo effluxisse, vt malum è gremio virginis solet.

SPONSI.] proci. vt apud Horatium,

Sponsi Penelopes. ——

E *gremio.*] nec mulieri, nec gremio credi oportere, prouerbiũ est: quod & illa incerti & leuis animi est; & plerunque in gremio posita, cùm in obliuionem venerint exurgentium, decidunt. Festus. B

IANVS DOVSA FIL.

VT *missum sponsi furtiuo munere malum*
Dum aduentu matris, prosilit, excutitur.] Aristænetus in epistolis: Παμφίλης δὲ μῆλον μικρὸν ἀποδεχομένη εὐστόχως ἐκείνου κόλπον ὀκνοῦσα. ἡ δὲ φιλήσασα μεταξὺ τῶν μαστῶν ὑπὸ τοῦ ἀποδέσμου ἐν ἀφανεστέροις παρέβυσε.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS: FIL.

NEC *potis est dulcis musarum.*] Non displicet, quod in ora libri nostri eadem manu notatum est: *Nec potis est harum dulcis.* imò verum esse putamus. Neque enim bis idem repetere, Latinum est. Nam quum dixit virgines pro Musis, quare Musarum iterum meminit, nisi δὶς ταυτὸ εἰπεῖν vult, quod est in prouerbio Græcorum? C

OBTERIT *ex oculis.*] Græcissat. *obterit,* ἀμαθύνει, ἀφανίζει.

ADLOQVAR.] Expunximus hunc versiculum. Siquis id queritur iniuria factum, habet lacunã in nostro libro, quacum de eo expostulet.

CARMINA *morte canam.*] Veteres editiones *legam.* Eius extant in nostro vestigia. Legitur enim, *tegam.* D

FATA *gemens Ityli.*] ἴτυς, ἴτυλος. ἴρυς, ἴρυλος. Sed reclamat vetus scriptura, *absumpti fata gemens Prothei.* Prothoum ego Tenthredonis filium ex Homero, & Lycophrone scio, nullum præterea scio.

HÆC *expressa.*] Vetus liber *excerpta.* ab eo Eclogæ dictæ.

CARMEN AD ORTALVM GRÆcè redditum à Bonauentura Vvlcanio.

Κἄν με διηνεκέι μεμεδημένον ἄλγεϊ ἰάλλει
Νοσφίζει μουσῶν, Ὄρταλε, ἀγλαθρόνων, E
Κοὐ δύναται μουσῶν γλυκερὸν γόνον ἐκπροφέρειν
Θυμὸς ἐμὸς πολλοῖς ἄλγεσι κυμαίνων,
Οὕνεκα κασιγνήτοιο ἐμοῦ ἐπιχεύατο λήθης
Ὠχρὸν λευγαλέως νᾶμα τ' ἔκλυζε πόδα.
Ὃν ῥ' ὑπὸ Ῥοιτείῳ ψάμαθος ῥιγεδανὴ καλύπτει
Ἄρτι μαλ' ἐκ φαέων ἄμμι ἀφανιζόμενον
• • •
Οὐκέτ' ἀδελφέ σ' ἐγὼ εἰσόψομαι; ἦ δέ βίου
Ζῶν τ' αὖθις βλέψω; ἀλλ' ἀεὶ μὲν ἐγὼ σε φιλήσω,
Ξεῖνε μόνον γοεροῖς κλαύσομαι αἰὲν μέλεσιν,
Οἷά περ ἐν πυκινοῖς πετάλοισιν δαυλιὰς ᾄδει
Οἰχομένου Ἰτύλου πότμον ὀδυρομένη.
Αὐτὰρ ὅμως τάδε σοι πολλοῖς ἐνὶ κήδεσι πέμπω
Θρεπτά ἔπη Μελίδαο ἔκκριτα Βαττιάδου,
Ὡς σύ φορητὰ λέγεις οὐκ αὖ μεταμώνια αὔραις
Στήθεσιν ἐμοῖς λέξης μύθους ὑπεκφυγέμεν.
Ὡς ὅτε κρυπταδίως πεμφθὲν ποτὶ μῆλον ἐραστοῦ
Ἁγνῆς ἐκ κόλπου ἐξώλισθε παρθενικῆς.
Τοῦδ' ἀταλῆς ὅτε μὲν ἀφελῶς πέπλῳ ἀμφικομοῖο ἐούσης
(Μητρὸς ἐπ' ἐρχομένης αὐτόθ') ὑπεξέπεσεν
Δειλαίης τὸ δὲ ῥίμφα κατωφερὲς ἐκπροθέησι,
Τὴν δὲ κατηφείη κοκκινοπάρηος ἔχει.

De coma Berenices. LXVII.

OMNIA qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit, atq. obitus,
Flammeus vt rapidi Solis nitor obscuretur,
Vt cedant certis sidera temporibus,
Vt Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro deuocet aërio:
Idem me ille Conon cælesti lumine vidit
E Beronicæo vertice cæsariem,
Fulgentem clarè: quam multis illa deorũ,
Leuia protẽdens brachia, pollicita est,
Qua rex tempestate, nouo auctus Hymenæo,
Vastatum fines ierat Assyrios,
Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
Quam de virgineis gesserat exuuiis.
Est ne nouis nuptis odio Venus? an ne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrymulis,
Vbertim thalami quas intra lumina fundunt?
Non, ita me Diui, vera gemunt, iuerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Inuisente nouo prœlia torua viro.
At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium,
Cùm penitus mœstas exedit cura medullas,
Vt tibi nec toto pectore sollicitæ
Sensibus ereptis mens excidit: atqui ego certè
Cognorã à parua virgine magnanimã

An ne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Coniugium? quod non fortior aut sit alis?
Sed tum mæsta virum mittens, quæ verba locuta es?
Iuppiter, vt tristi lumina sæpe manu?
Quis te mutauit tantus Deus? an quòd amantes
Non longè à caro corpore abesse volunt?
At quæ ibi, pro cunctis, pro dulci coniuge Diuis
Nō sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset is haud in tempore longo, &
Captam Asiam Ægypti finibus adiiceret?
Queis ego pro factis cœlesti reddita cœtu,
Pristina vota nouo munere dissoluo.
Inuita ô regina, tuo de vertice cessi,
Inuita, adiuro téque tuúmq. caput.
Digna ferat, quod si quis inaniter adiurârit.
Sed qui se ferro postulat esse parem?
Ille quoque euersus mons est, quem maximum in oris
Progenies Phthię clara superuehitur,
Cùm Medi irrupere nouum mare, cúmque iuuentus
Per mediū classi Barbara nauit athō.
Quid faciant crines, cùm ferro talia cedant?
Iuppiter, vt χαλύβων *omne genus pereat:*
Et qui principio sub terra quærere venas
Institit, ac ferri frangere duritiem!
Abiunctæ paullò antè comæ mea fata sorores
Lugebāt, cùm se Mēnonis Æthiopis
Vnigena impellēs nutantib. aëra pennis
Obtulit Arsinoës Chloridos ales equus.
Isq. per ætherias me tollēs aduolat auras,
Et Veneris casto conlocat in gremio
Ipsa suū Zephyritis eò famulū legarat,
Grata Canopæis incola litoribus,

A *Scilicet in vario ne solum limite cœli*
Ex Ariadnæis aurea temporibus
Fixa corona foret: sed nos quoque fulgeremus
Deuotæ flaui verticis exuuiæ.
Vuidulam à fletu, cedentem ad templa Deûm, me
Sidus in antiquis Diua nouū posuit.
Virginis & sæui cōtingēs namq. Leonis
B *Lumina, Callisto iuncta Lycaoniæ,*
Vertor in occasum, tardum dux ante Bootem,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia Diuûm,
Luce autem canæ Tethyi restituor:
Pace tua fari hæc liceat Rhānusia virgo,
Namq. ego nō vllo vera timore tegā,
C *Non, si me infestis discerpāt sidera dictis,*
Condita quin verè pectoris euoluām:
Non his tam lætor rebus, quàm me absore semper,
Absore me à dominæ vertice discrucior.
Quicum ego, dum virgo quondam fuit, omnibus expers
D *Vnguentis, vnà millia multa bibi.*
Nūc vos, optato quas iūxit lumine tęda,
Non priùs vnanimis corpora cōiugib.
Tradite, nudantes reiecta veste papillas,
Quā iucūda mihi munera libet onyx,
Vester onyx, casto petitis quę iura cubili.
Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius ah mala dona leuis bibat irrita puluis:
E *Namque ego ab indignis præmia nulla peto.*
Sed magis ô nuptæ semper concordia, vestras
Semper amor sedes incolat adsiduus.
Tu verò, regina, tuens cùm sidera, Diuā
Placabis festis luminibus Venerem
Sanguinis expertē, non votis esse tuā me,
Sed potiùs largis effice muneribus.
Sidera cur iterent. vtinā coma regia fiam
Proximus Hydrochoi fulgeat Oariō.

ANTONIVS PARTHENIVS.

OMNIA *qui magni dispexit lumina mundi.*] Hæc sunt carmina ex Callimacho à poeta translata, & Ortalo petenti promissa, tandémq; donata, in quibus à Callimacho expressa fuerat crinium Berenices historia, siue fabula huiusmodi: Cùm Ptolemæus Berenicem Ptolemæi, & Aristionis filiã, sororémq; suam duxisset vxorem, ac paucis post diebus Asiam oppugnatum profectus esset, vouisse Beren. dicitur, si victor Ptolomæus rediisset se detonsurã crinem suum: quo voto damnatos crines in Veneris Arsinoes consecratos deposuit templo: eos quoq; postero die non comparuisse ferunt: quòd cùm rex ægrè ferret, Conon Samius mathematicus cupiens regis inire gratiam, dixit crinem inter sidera videri collocatum, & quasdam vacuas à figura septem stellas ostendi, quas esse crinem fingeret. Hanc Beren nonnulli cum Callimacho dixerũt equos alere, & ad Olympia mittere solitam. Alij dicunt hoc amplius Ptolomæum Beren. patrem multitudine hostium perterritum fuga salutem petiisse: filiam autem sæpissimè consuetam insiluisse in equum & reliquam exercitus copiam constituisse, complurésque hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse. Addit autem his Callimachus Berenice magnanimam fuisse. Heratosthenes verò his amplius dicit, eam virginib. Lesbiis dotem cuique relictam à parente, quam nemo soluerat, iussisse reddi: hi crines igitur Berenices septem stellis configurati à Conone ad leonis caudam in triangulo sunt collocati. Hæc omnia à Callimacho in regis, cui gratus erat, gratiam & assentationem conscripta Catullus non minus ingeniosè quàm elegãter interpretatur: apud Callimachum igitur coma, vel crinis Berenices sic loquitur Catullo interprete.

OMNIA *qui magni dispexit lumina mundi.*] ordo est: Ille Conon qui omnia lumina mundi dispexit: quique comperit ortus & obitus stellarum, ac vt Solis nitor obscuretur, & vt sidera certis temporibus decedant, atque vt Triuiam sub Latmia saxa relegans dulcis amor deuocet à gyro aërio, idem etiam me cæsariem vidit in cælesti munere è Beren icæo vertice clarè fulgentẽ.

DISPEXIT.] disquisiuit: per veritatem discreuit ac dignouit. Virg. *—nec auras*

Dispiciunt clausi tenebris & carcere cæco.

Terentius in Andria, *Iam aliquid dispiciam.*

MVNDI.] cœli, vt Plinius, *Mundum & hoc quod nomine alio cœlum appellari libuit.*

RAPIDI.] velocis. Virg. Georg.

Si verò Solem ad rapidum, Lunásque sequentes
Ordine respicies.—

OBSCVRETVR.] eclipsin patiatur. rationem defectus vtriusque, Solis. s. & Lunæ, primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius Gallus, qui consul cum M. Marcello fuit: sed tum Tribunus militũ sollicitudine exercitu liberato pridie quàm Perseus rex superatus à Paulo est, in concionem ab imperatore productus ad præcinendam eclipsin, mox & composito volumine. Apud Græcos autẽ inuestigauit primus omniũ Thales Milesius Olympiade XLVIII. anno quar-

A to, prædicto Solis defectu, qui sub Halyatte rege factus est, vrbis conditæ anno CLXX. plura legitò apud Plinium lib. II. cap. XII.

CEDANT.] discedant ex aspectu nostro, neque amplius per certa tempora nobis appareát.

AMOR.] Endymion Lunæ fuit amator, vt fabulæ persuaserunt, & Cicero in I. Tusc. scribit: *Latmus Cariæ mons est, in quo Endymion Lunaribus pernoscendis cursibus à Luna sopitus fuisse traditur.* nam (vt Plin. scribit) *Luna modò humilis, modò excelsa est: & ne id quidem vno modo, sed aliàs admota cœlo, aliàs contigua montibus, nunc in Aquilonẽ elata, nunc in Austros deiecta. Quæ singula in eam*

B *deprehendit primus hominum Endymion, & ob id amore eius captus fama traditur.*

CONON.] duos Conones memoratu dignos fuisse comperio: alterũ clarum Atheniensiũ ducẽ à Iustino, Æmilióq; Probo egregiè laudatum: alteru astrologum natione Samium, de quo hic Catullus agit, & multa superius commemorata.

BERENICÆO *vertit.*] ex capite Berenices reginæ: Βερενίκη Græcè scribitur, vnde apparet error illorum, qui aut Beronice per O in secunda syllaba scribunt, aut Bernice trisyllabum legi debere sentiunt.

ILLA.] Berenice.

MVLTIS *dea.*] multis deabus. Græca con-

C structio. per multas deas intelligere possumus Venerem amoris & coniugij præsidem, Iunonem nuptiarum & matrimonij curam habentem, ac Palladem deam bellorum: quibus Ptolomæus Berenices maritus detinebatur, Gratias item, quæ amoris & beneuolẽtiæ fautrices sunt.

AVCTVS *po.*] ac felicior factus.

QVA *rex tem.*] codices deprauati habent quare ex tempestate, cùm sit legendum, Qua rex tempestate: & est sensus & ordo: Berenice pollicita est cæsariem suam fulgẽtem ea tempestate, qua rex Ptolomæus auctus nouo sororis Berenices matrimonio iuerat vastatum Assyrios, secum

D afferens amoris coniugalis signa.

PROTENDENS.] ad cœlum eleuans.

QVA *tempestate.*] quo tempore.

VESTIGIA.] signa intemperati amoris morsus, vnguiúmque virgineorum signa. Dicit & notas, quas puella marito primitias violẽter auferenti infixerat, pro pudicitia pugnans.

NOCTVRNÆ *rixæ.*] coitus. vt Virgilius bella nocturna dixit:

At non in Venerem segnes nocturnáque bella.

EXVVIIS *virgineis.*] pudicitiæ virgineæ expoliatione, & victoria: qua potitur maritus primo cum sponsa congressu.

E EST *ne no. nu. od. Ven.*] tacita est quæstio ad id quod dixit *nocturna rixa spolia pugnant.* ne aut rixantur nouæ nuptæ cum spõsis suis, propter venerei coitus odium: habent ne odio Venerem?

FRVSTRANTVR.] vana ne faciunt parentum gaudia nouæ nuptæ?

GAVDIA.] nuptias, & coniugia filiarum.

FALSIS.] fictis, simulatis.

VBERTIM.] abundanter.

NON.] subaudias falsis lachrymis frustrantur parentum gaudia. sed veris lachrymis gemunt: & est responsio facta obiectioni.

ITA *me dij ine:int.*] iurisiurandi modus est.
VERA *gemunt.*]scilicet nouæ nuptæ: per parenthesim legantur hæc duo verba. Notanda est prima syllaba, quam licenter corripuit in hoc verbo iuerint. iuerint autem pro iuuerint per syncopem, vt audierint pro audiuerint.
ID.] i. quæ vera gemunt.
NOVO *viro.*] nouo marito Ptolomæo.
TV.] ô regina Berenice.
LVXTI.] pro luxisti.
ORBVM.] marito priuatum.
CVRA.] quam de viro absente cõcepisti.
VT.] quando, postquam.
EREPTIS *s.*] propter mentẽ, & animũ mœrore oppresũ propter mariti & fratris discesũ.
MAGNANIMAM.] sic & Callimachus magnanimam appellauit, teste Higynio, quoniam patrem hostium multitudine perterritum, ac fugientem in equum insiliens protexerit, & exercitus paterni reliquias constituerit, plurimósque hostium tùm interfecerit, tùm in fugam coniecerit.
AN *ne bonum oblita es.*] comæ consolatio ad dominam suam Berenicem.
FORTIOR *auis.*] auspicium potentius nihilo quàm sit hoc coniugium regium & fraternum: aut fortior ideò dixit, quoniã inter multas aues apparentes auspicium à fortiori aue capiebatur. De auspice nuptialibúsq; auspiciis superiùs dixi in Iuliæ & Manlij epithalamio.
MITTENS.] dimittens. Mœsta verò dixit, ne præ impietate atque feritate virum à se libẽter dimisisset.
QVÆ.] qualia, quàm tristia.
IVPPITER.] vocatiuus per exclamationem.
TRISTI.] tibi Berenice.
MVTAVIT.] à rixa nocturna ad tantam erga fratrem pietatem, vt eius absentiam tanto mœrore prosequereris.
TANTVS.] tam potens.
AN.] subaudias causa est, vt sit sensus: An aliquis Deus te mutauit? an causa tam subiti mœroris est, quòd amantes amantium absentiam molestè ferunt? Plautus in Gurg.

Anime mi, procul amantẽ abesse haud cõsentaneũ est.

PRO *cunctis.*] vnum Pro abundat, vt sit ordo: Atque cunctis diuis pollicita es pro coniuge dulci, aut pro cunctis diuis. i. ante omnes diuos: nam Pro interdum significat ante: vt pro templo, ante templum.
ASIAM.] Assyriam Asiæ partem.
QVIS.] pro quibus.
FACTIS.] votis nuncupatis.
DISSOLVO.] per diæresim 4. syllabas fecit.
DIGNA *ferat.*] sensus est cum superioribus continuatus. sic ordo est: Iuro tuum caput, quòd si quis inaniter, & falsò adiurare auderet, ferat supplicia digna suo periurio: est autem iurisiurandi facti affirmatio.
QVOD.] caput tuum.
INANITER.] falsò, vanè.
FERAT.] patiatur.
DIGNA.] conuenientia suo periurio.
SED *qui se fer. esse pa.*] continuatur sententia cum superioribus. sic ego inuita cessi de tuo vertice, sed ferro me tondenti resistere nequiui: quoniam nemo auderet pari duritia resistere ferro, quo durius est ferè nihil.
ILLE *mons.*] montis exemplo, ferri duritiem indomitam esse probat. Mons Athos inter Macedoniam & Thraciam situs est: ideò ab Homero Thracius dictus: & à Mella inter Thracios fines descriptus est: à Plin. verò & à plerisq; aliis Latinis auctoribus in Macedonia ponitur. Hic mons à planicie excurrit in mare per septuagintaquinque mil. passuum. Ambitus radicis centum quinquaginta mil. colligit. oppidum in cacumine fuit Acroathon: Plin. temporibus erant Vranopolis, Palæotrum, Thyssus, Cleon, Apollonia, cuius incolæ Macrobij nominantur, nam, vt ferunt, ibi dimidio lõgior quàm in aliis terris ætas habitantium erat. ipse autẽ Athos adeò elatus est, vt credatur etiã altius quàm vnde imbres cadunt surgere. Capit opinio fidem, quia de aris, quas in vertice sustinet, non abluitur cinis: sed quo relinquitur aggere, manet. hunc autem mõtem Xerxes rex Persarum continenti abscidit in longitudine passuum mil. quingẽtorum, perfossúmq. trãsnauigauit: ac freto nauigabili egit peruium. hæc ex Plin. atq; Mella. Duplici verò terminatione apud Latinos, Græca tamẽ literatura inuenitur prolatus. Nam & Athos vt Androgeos Attica declinatione dicitur. vt Iuuen.

Velificatus Athos: & quicquid Græcia mendax.

aliter autem versus claudicaret, vt est apud Virg.

Quantus Athos aut quantus Eryx.

Non ignoro tamen Seruio aliter visum fuisse: sed eruditiores hac in parte hoc diligẽtius animaduertant. legitur item alia terminatione Athon, hinc Cic. III. de rep. accusatiuũ à tertia Latinitatis inflexione protulit scribẽs: *Quid ergo illa sibi vult absurda exceptio, nisi quis Athonẽ pro monumento vult fũditus efficere.* Stasicrates autem quidam, vt Plutarchus in Alexandri vita scribit, pollicitus est Alexandro id non ei assentienti, se fabricaturum montem Athon in humanam effigiem.
MONS.] ordo est, super quem vehitur.
PROGENIES *Phthiæ.*] gens Thessalica: nam montis huius ima, vt Mella scrib. tenent paruæ Pelasgorum coloniæ. Thessalia verò, teste Strab. atque Plin. Argos Pelasgicum dicitur inter eruptiones Penei, & Thermopylas vsq; ad montanũ Pindi tractũ, quoniam & istorum locorũ Pelasgi existũt. Tota namq; Thessalia 4. in partes diuiditur, vna pars vocatur Phthiotica, altera Estiocotia, 3. Thalassiotica i. marina, quarta Pelasgia.
MAXIMA *na.*] alij omnes ferè codices habẽt, Maxima in oris. sed cũ nullus nisi puerilis sensus elici possit, ac inelegans sit duo epitheta inter se indistinctè apponi idem significãtia, ego Cat. elegãtia munitus ac historia inductus Maxima natu legendũ arbitror. Nã, vt Pli. & Mella docent, maximi natu efficiũtur Athõ incolentes summũ: ibi n. dimidio lõgior quã in aliis propinquis terris ætas habitãtiũ fuit. bene igitur maxima natu Phthię clara progenies. si legitur in oris, ordo sit In oris Phthiæ. alij legũt in orbe, quod nõ placet
MEDI.] pro Persis. vt Iuuen.

—— Epotáq; flumina Medo Prandente. ——

PRORVPERE.] prorumpendo fuderunt.

MARS

MARE *nouum*.] per loca nouè perfossa transmissum.

CVMQVE *per medium Athon nauit*.] exephegesis præcedentis sententiæ.

CLASSI.] pro classe, necessitate metrica, vt victrici, Luc. protulit pro victrice.

ET *qui principio sub terra quærere venas Instituit*.] Dactyli Idæi ferrum repererunt, vt Dio. & Euse. scribunt. Plin. autem de hoc copiosius tractans ait. *Aes conflare & temperare Aristoteles ait Lydum Scythen monstrasse. Theophrastus Delam Phrygem putat. Aerariam fabricam alii Chalybas, alii Cyclopas. Ferrum Hesiodus in Creta eos qui vocati sunt Dactyli Idæi.* hæc ex lib. 7. c. 56. *Ferrum autem optimum vitæ, pessimúmque instrumentum habetur. Siquidem hoc tellurem scindimus, serimus arbusta, ponimus pomaria, vites squallore deciso annis omnibus cogimus iuuenescere, Hoc extruimus tecta, cædimus saxa, omnésque ad alios vsus ferro vtimur: sed eodem ad bella, cædes, latrocinia, non cominus solum, sed etiam missili volucríq, nunc tormentis excusso, nunc lacertis, nunc verò pennato, quam sceleratissimam humani ingenij fraudem arbitror.* hæc Plinius lib. 33. cap. 14

INSTITIT.] instanter, & studiosè curauit.

FRANGERE.] domare, temperare.

COMÆ.] crines dominæ meæ in vertice relicti, nam omnes non fuerant voti, nec omnes decisi, sed pars maxima in dominæ capite remanserat.

ADIVNCTÆ.] à me separatæ.

LVGEBANT *mea fata*.] quoniam ego pars crinium reginæ capite priuata forem.

FATA.] infortunia mea.

CVM *se Memnonis Aethiopis*.] sensus, Comæ sorores meæ lugebant cum Autora Memnonis parens alata obtulit se mihi cum equis Chloridos in vrbe Arsinoes, & me de tẽplo tollens aduolat per æthereas auras, & in Veneris gremio collocauit: at Venus cœli templa conscendens me inter sidera constituit. Parens Memnonis fuit Aurora Tithoni coniux. Virgilius,

Nunc quibus Auroræ venisset filius armis.

Aeschylus autem Memnonis matrem Casiam vocat.

ALES.] alata.

VNIGENA.] vnici Memnonis parens. Solum enim Memnonem ex Tithono genuit.

OBTVLIT *se*.] scilicet mihi in templo positæ.

EQVIS *Chloridos*.] equis quibus Chloris Zephiri vxor vehitur.

ARSINOES.] idest in vrbe quæ Arsinoe dicitur, & genitiuus casus est fungens vice aduerbij in loco significantis, vt Veronæ sum. Arsinoe autem ciuitas est in Africæ parte, quæ Cyrenaica dicitur. hæc vrbs Arsinoe aliquando dicta est Teucria, vt Plinius & Strabo scribunt: est alia vrbs Arsinoe in Cypro, Alia item in Aetolia, cuius Strabo sic meminit, *Aedificauit autem Arsinoem illa Arsinoe secundi Ptolomei soror simul & coniux commode ad Acheloi transitum sitam.*

CHLORIDOS.] Chloris florum dea Veneris filia, Zephyri vxor à Romanis Flora dicitur mutatis literis, vt Ouidius in quinto Fastorum ingeniosè interpretatur. Floram autem

A Plutarchus Bonam deam esse asserit. Quæ verò sit Bona dea legito apud Macrobium libro primo Saturnalium. Chloris item apud Propertium in vltimo nomen est veneficæ mulieris.

IPSA *Zephyritis*.] Chloris Zephyri vxor, aut certè Zephyritis Venus sic dicta à Zephyrio Aegypti promontorio, quòd Veneris Arsinoes sacellum habet, vt Strabo docet. Est item Zephyrium aliud in Cilicia.

LEGARAT.] miserat, & est versus spondaicus sic legendus, *Ipsa suum Zephyritis eò famulum legarat.* alij scribunt. *Famulúmque legarat*, sed non stat syllaba, cum legarat. primam, producat.

B SVVM *famulum*.] nuncium aliquem suum miserat.

EO.] ad vrbem Arsinoen ad illum crinem accipiendum, vt inter sidera collocaretur.

INCOLA.] Zephyritis habitatrix, & incola grata littoribus Aegyptiis, manifestè intelligit de Venere, nam Aegyptij Venerem colunt, vt apud Tentyritas: est item in Aegypto in regione Thebaica Veneris ciuitas, vt Strabo docet, ideo ait Catul. grata.

CANOPEIS *littoribus*.] nam Canopus vrbs à Canopo Amycleo classis Menelai gubernatore ibi sepulto dicta, centum & viginti stadiis ab Alexandria distat in ostio Nili sita, Canopico appellato.

C GRATA *Canopeis littoribus*.] quoniam ibi plurimis in locis colitur, vt dixi, siue quod illæ gentes mollissimæ ac venereæ sunt, & ideò molles, & effœminatæ à poëtis dicuntur. Lucanus,

Pelusiaci tam mollis turba Canopi.

Et Iuuenalis,

Barbara famoso non cedit ripa Canopo.

Papinius in siluis,

Curua Therapnæi lasciuiat ora Canopi.

Est item, vt scribunt Plinius & Higinius, Canopos stella ad polum Antarcticum. Canopos autem insula flumine abluitur Nilo. de Canopo insula nemo quem adhuc legerim præter Higi-

D nium scripsit.

IN *Veneris gremio*.] Venus, vt Papinius in siluarum primo scribit, sedem suam, & thalamum habet in lacteo circulo, de quo multa & Higinius fabulosè, & Macro. historicè scripserunt. Papinius, *Fortè serenati qua stat plaga lactea cœli,*

Alma Venus thalamo pulsa modo nocte iacebat,

Implexu duro Getici resoluta mariti.

Fulcra torósque deæ tenerum premit agmen amorũ,

VT *ne*.] parelcon, nam vt abundat.

LIMITE.] termino, circulo zodiaci. nam circuli seu maiores, seu minores quidam sunt cæli

E termini ac limites signorum ac siderum loca disterminantes. Zonam autem arcticam, in qua sita est Ariadnes corona demonstrat. Beronices autem crines ad antarcticam Zonam figurati sunt, vt infrà dicetur.

DIONE.] Venus à matre denominata.

VVIDVLVM.] me crinem madidum, & suauissimis vnguentis imbutum, vt ipse crinis infrà inquit, *Vnguentis vna millia multa bibi.*

CEDENTEM *à fluctu*.] discedentem à Nili vndis, nam inter Aegyptum & regionem Cyrenaicam, in qua est Arsinoe, & Veneris templum

Nilus interfluit Africam ab Asia disterminans.

A D *templa.*] scilicet Veneris Arsinoes, aut certè accedente ad cœli templa, nam & cœli conuexa templa dicuntur, vt enim Var. peritè docet, Templum tribus modis dicitur à natura, ab auspicando, à similitudine. A natura in cœlo, ab auspiciis in terra, à similitudine sub terra, Ter. in Eunucho, *Atque deum fecisse qui templa cœli summa sonitu concutit.* Et Pacuuius in Hecuba: *O magna templa cœli commista stellis splendidis.*

S I D V S *in antiquis nouum.*] sidus nouum inter antiqua sidera.

V I R G I N I S *& saui contingens námque leonis Lumina.*] ordo est. Namque ego contingens Leonis & Virginis lumina iuncta Calistoe Lycaonię vertor in occasum.

L V M I N A.] stellas, in quibusdam codicibus legitur Calisto iuxta Lycaoniam, sed syllaba sic legi vetat, nam, iuxta, producit vltimam.

I V N C T A.] scilicet numina.

C A L L I S T O E.] datiuus Græcus τῇ Καλλιστοῖ vt ἡ λητὼ, τῆς λητοῦς, τῇ λητοῖ.

L Y C A O N I Æ.] Calisto Dianæ ministra Lycaonis filia in vrsam maiorem conuersa ab Oui. latissimè decantatur: cuius fabulas multipliciter tractatas, qui volet plenius apud Higinium inueniet. Huius autem Beroniceæi crinis locus, & si his in carminibus incertus, & perobscurus videtur, ac modo in arctica plaga, vt hîc: modo in australi vt infra in vltimis carminibus apparet: certam tamen Cat. huic sideri ex Callimacho affert collocationem: hic enim crinis inter Leonis caudam, & Virginem ad Australe Zodiaci latus situs vtrumque videtur contingere signum. Leonis autem signum extendens se ad Zodiaci latus arcticum idest, circulum æstiuum, in quo anteriores pedes fixos habet, tam propè vrsam maiorem est, vt eam contingere appareat. Ariadnææ autem coronæ Bootæ, Virginis, Leonísque signorum, quæ hîc à Catul. tanguntur, & historias ab Higinio copiosissimè narratas, & partim ab Ouid. tractatas, breuitati studens prętereo: non enim hæc pueritibus ingeniis aut litterarum expertibus, sed his studiosis iuuenibus qui ferulæ manum suppofuerunt, scribuntur.

D V X.] quia illum præcedo, Bootes ideo tardus appellatur, quoniam ad occasum tendens tantùm in tēporis in peragendo minimi circuli Arctici spacio consumit, quantùm signa Zodiaci in toto mundo reuoluendo, aut, vt scribit Higinius ideo sero occidere dicitur, quod magis erectus à pedibus peruenit ad terram. sic Iuuenalis,

——Pigri sarraca Boota,

dixit. Luca. autē Australis climatis ratione dixit,

Lucet & exigua velox ibi nocte Bootes.

V I X *sero mergitur.*] quis tam breuem diurno spacio circulum peragendum habeat, sero autem mergitur ratione, ac respectu climatisquinti, quod ab Astronomis dicitur Diaromes. Nam respectu quarti climatis Dialexandrias septentriones non videt Troglodytice, nec confinis Aegyptus, pari ratione dixit suprà, *Vertor in occasum crinis Beronices*, quem Italia, id est, clima quintum non cernit. Sed occidisse nostro climati videtur, cum non appareat Boote ad occasum tendente.

A Plinius, *Septentriones non cernit Troglodytice, & confinis Aegyptus, nec Canopum Italia, & quem vocant Beronices crinem.*

A L T O *Oceano.*] altum dixit respiciens ad Arcticum in quo Bootes est vertice. Nam hîc vertex nobis seni persublimis est, ideò à mari alte distare videtur. aut certè epitheton sit perpetuum Oceani, qui (vt placet mathematicis) altior terra est.

S E D *quamquam me nocte premunt vestigia diuûm.*] horum octo sequentium versuum hic videtur sensus. Sed pace tua Rhamnusia Nemesis hîc fa-
B ri mihi liceat, quamquam ego coma in cœlo cōstituta hominibus noctu appareo, ac luce oriente in occasum mergor, non tamen his cœli honoribus tantùm lętor, quantum doleo & discrutior me abesse à dominica mea Beronicè, cùm qua multarum delitiarum particeps fiebam. Ordo autem talis est. Sed ego non tam lætor his quamquam nocte diuorum vestigia me premūt, luce autem restituor Tethydi canæ. Cætera per parenthesim leguntur.

V E S T I G I A *diuûm me nocte premunt.*] id est noctu videor in cœlo vbi deorum pedes in cœlo existentium me premere videntur, est hoc quan-
C tum ad hominum aspectum, quia noctu hoc sidus apparet, manè autem dicitur in occasum demergi Oritur enim Chronicè in vespera, manè autem in occasum descendit.

T E T H Y E I *canæ.*] Oceano cano propter spumosas vndas.

R H A M N V S I A.] Nemesis, quæ superbis, & ambitiosis infesta es, quasi hæc verba superbientis videantur.

S I D E R A.] quæ contumaciis à me affici videntur, cùm eorum cœtum spernam.

D I C T I S.] conuiciis.

D I S C E R P A N T.] lacerent me sibi infensam.

E V O L V A M.] explicem, effundam. est autem
D euolüam quatuor syllabarum per diæresim.

H I S *rebus.*] apparitione nocturna, & diurno occasu.

A B F O R E *abfore.*] abesse, est autem conduplicatio ad mentis affectum exprimendum.

D O M I N Æ.] reginæ Beronices.

Q V I *cum.*] cum qua domina, aut cum quo vertice.

F V I T *expers.*] caruit quantum ad cætera præter caput membra, tantùm enim capillos vnguentis imbuebat.

O M N I B V S *vnguentis.*] noua & inusitata constructio, cùm expers apud omnes ferè auctores
E linguæ Latinæ cum genitiuo construatur. Dicimus enim expers curarum & expers culpæ.

M V L T A *millia.*] scilicet vnguentorū. vnguētorū originē atque delitias legito apud Pli. lib. XIII.

N V N C *nos optato.*] nouas nuptas hæc coma hortatur, vt sibi inter sidera collocatæ, libent, & sacrificent sua vnguenta: viris autem suis vnanimis non vnguenta, sed pro summis delitiis papillas nudas tradant. ordo est, Nunc vos nouæ nuptæ, quas optato lumine tęda coniunxit, tradite vnanimis coniugibus papillas reiecta veste nudatas.

O N Y X *nester libet mibi quam iucunda munera.*]

dico onyx vester, O vos quæ cupitis iura casto cubili.

TÆDA.] nuptiarum celebratio, quæ prælatis tædis fiebat.

LVMINE *optato,*] nam sponsi mirum in modum optant præferendarum facum horam.

VNANIMIS *non post vincula.*] qui non post vincula coniugalia, sed multo ante vestri amatores vobis sunt facti vnanimes.

TRADITE *nudatas papillas coniugibus.*] viris vestris papillas nudantes, & vnguento mihi & in meum honorem libato, perfusas tradite.

ONYX.] lapis est pretiosus, quo vnguentariæ ampullæ fiebant. est autem onyx gemma cuius Plinius sic meminit: *Exponenda etiam est onycis ipsius natura propter nominis societatem, hoc in gemmā transilit, ex lapide Carmaniæ. Sudines dicit in gemma esse candorem vnguis humani similitudine.* Et infrà: *Verum autem onycem plurimas variásque cum lacteis zonis habere venas.*

LIBET *mihi.*] aut comis inspergat, posuit enim se pro toto comarum puellarium genere, aut libet mihi, idest in honorē meū, papillis inspergebat, prior expositio magis placere potest.

IRRITA *dona.*] vnguenta euanescentia in auras & puluerem.

IRRITA.] nihil proficientia, mihique displicentia, ô nuptæ, matrimonium colentes.

TV *verò regina tuens cum sidera diuam Placabis festis luminibus Venerem Sanguinis expertem.*] ordo est: O regina non votis, sed potius largis muneribus effice me non esse tui sanguinis expertem, cùm diebus festis intuens sidera placabis diuam Venerem, vt sit sensus, Tu diebus festis Veneri litans non solùm votis, sed etiam largis sacrificiis & donis, ostende me esse tui sanguinis participem.

VOTIS.] precibus.

SED *potius largis muneribus.*] idest non solum votis, sed etiam muneribus, id est donis & sacrificiis pretiosis, vt vnguentis, odoribus, victimis.

VOTIS.] omnes ferè codices deprauati habent vestris, sed ego verbis sequentibus monitus emendandum arbitror, quoniam correctio est rhetorica, vt sit sensus. Non tantùm votis & precibus, sed potius muneribus effice.

SIDERA *cur iterent?*] vtinam coma regia fiam, sensus est, Ad quid vtilitatis, aut ad quam iucunditatem sidera sunt in cælo, cùm ortus & occasus toties sit cum molestia iterandus: ac si dicat, Cælestis sedes nihil boni habere mihi videtur, cum ortus & occasus toties cum molestia sit repetendus.

CVR.] ad quam vtilitatem, quasi dicat ad nullam, ex comparatione capitis reginæ, in quo non iterabam, sed fixa & quieta semper manebam.

ITERENT.] ortum & occasum repetant, nunc oriantur & cælum ascendant, nunc occidant & terras subeant.

FIAM *coma regia.*] in reginæ meæ caput restituar.

PROXIMVS *hydrochoi fulgeret Aoriō.*] idest fierem regia coma, tunc Aquarius & Orion sidera nullo interstitio separata, fierent propinqua. nā hęc coma, vt partim superius dictū est, ad Leonis

A caudam apud Virginē ita sita est, vt ab Aquarios cui vicinus est Orion, non multum distet.

AORION.] hæc est vera huius loci lectio, alij autem legunt Oyrion diuisa diphthongo imperitè, penultima enim fieret breuior, cùm apud omnes poëtas producatur, sed legendum est Aorion nulla diphthōgo diuisa, non enim ab Orione deducit, quamquam idem est signum, sed Aorion ensiger dicitur, τὸ ἄορ enim significat ensem, inde Aorion quasi ensifer. sic Luca. *Ensiferi nimium fulget latus Orionis.* Ensem enim tribus stellis figuratum gerit: Orionis autem & Aquarij fabulas ab Hyginio latè ac copiosè narratas B breuitati seruiens prætermitto.

HYDROCHOI.] Aquarij. τὸ ὕδωρ aqua, χέω fūdo, inde hydrochoos à Gręcis dictus Aquarius.

PALLADIVS FVSCVS.

OMNIA *qui magni.*] Hinc incipit carmē Callimachi de comis Berenices, quæ cùm Ptolomeo fratri suo nupsisset, virúmque ad bellum proficisci, videret continuo votum fecit si profligatis hostium copiis is victor rediisset, sibi crines succisuram. Quare voti compos facta cum cæsariem secuisset, eámque Arsinoes in templo posuisset, postridie non comparuit. Conon au-C tem Mathematicus qui ea tempestate in Aegypto apud Ptolomeum morabatur, dixit, sed in assentationem, cæsariem in cœlum relatam, ibíque inter sidera collocatam.

OBITVS.] occasus.

SOLIS *nitor obscuretur.*] manifestum est Solem interuectu Lunæ occultari, Lunámque terræ obiectu; ac vices reddi eisdē: solis radiis luna interpositu suo auferente lumen, terráque lunæ.

CEDANT.] non semper appareant, sed per certa tempora nobis occultentur.

TRIVIAM.] lunam.

LATMIA *saxa.*] sub Latmi montis specus. D Est autem Latmus mons Cariæ, in cuius vertice diu moratus Endimion multa repetit ad lunæ rationem pertinentia, vnde datus est locus fabulæ eum lunam adamasse.

DVLCIS *amor.*] Endimion.

IDEM *me ille Conon.*] ordo est, ille Conon qui despexit lumina magni mundi, & comperit ortus & obitus signorum, idem vidit me quoque cæsariem deorum munere clare fulgentem; comæ enim loquuntur. legimus autem duos Conones fuisse viros excellentes, vnum Atheniensium ducem, & alterum mathematicum, natione Samium. Qui eodem tempore vna cum Callimacho poëta pariter & grammatico Ptolo-E mæi regiam colebat.

ILLA.] scilicet Berenice.

LEVIA.] nitida.

QVA *tempestate.*] quo tempore.

NOVO *auctus hymenæo.*] matrimonio Berenices sororis suæ potentior factus.

NOCTVRNÆ *portans vestigia rixa.*] ferens secum signa nocturnæ palestræ.

EST NE *nouis nuptis odio Venus.*] Callimachus cæsariem interpellans eam interrogat, nouæne nuptæ Venerē oderint, an potius se eam odisse

simulantes falsis lachrimis parentes frustrentur quorum gaudia sunt illas nupsisse.

Atque.] emendo an ne.

Quas.] scilicet lachrimas.

Vbertim.] abundanter.

Non *ita*.] respōdet cæsaries, eas nō verè dolere.

Iuerint.] emendo, iuuerint.

Id *mea me*.] quod non verè doleant.

Et *tu non orbum*.] cæsaries excusans lachrimas reginæ ait illam luxisse ob discessum Ptolomæi, non quod marito sed fratre esset caritura.

An *ne bonum oblita es facinus*.] videris, inquit non meminisse regem esse tibi maritum, cum illius discessum tam inique feras.

Quis *te mutauit*. vt antea adeò magnanima, nunc modico dolore sic frangaris.

Atque *ibi proh cunctis*.] votum Berenices. proh aliquando est aduerbium admirantis, vt hoc in loco, aliquando interiectio dolentis, vt *proh deum atque hominum fidem*.

Non *sine taurino sanguine*.] non sine maioris hostiæ immolatione. Taurorum autem sanguis, vt tradit Plin. pestifer est maximè potu, quia celerrime coit atque durescit.

Reditu *retulisset is*.] si Ptolomæus domum incolumis rediisset, aut Assyrios contra quos duxerat exercitum debellasset.

Coelesti *re. cæ*.] cœlestib. corporibus addita.

Dissoluo.] diæresis.

Inuita *ô regina*.] apostropha. Cæsaries enim conuerso ad Berenicem sermone, iurat se de eius vertice inuitam cessisse.

Digna *ferat*.] supplicium patiatur.

Si *quis inaniter adiuraret*.] me scilicet non inuitam cessisse.

Sed *qui se ferro*.] nō potui, inquit, resistere ferro, nec mirum, cum ei nec montes resistere valeāt.

Athos.] mons est in Thracio Macedoniæque confinio, quem Xerxes rex Persarum à continenti abscidit in longitudinem mille quingentorum passuum, ipse autem mons à planitie excurrit in mare lxxv. mil. pas. ambitus radicis centum L. mil. colligit.

Maxima *natu*.] in supradicti montis vertice fuit Acroatho oppidū, in quo vt ferunt dimidio lōgior quam in aliis terris ætas habitātium erat.

Phthiæ.] propter deductas illuc à Thessalis colonias. fuit autē Phthia vrbs in ipsa Thessalia.

Novum *ipsis*.] scilicet Medis.

Barbara *nauit Athon*.] hic Mellam Pomponium audiamus ita scribentem. *Qua continenti adhæret à Xerxe in Græcos tendente perfossus, transnauigatúsque, & actus freto nauigabili peruius.*

Vt *telorum*.] Angelus Politianus, cuius immaturo interitu hæc nostra studia maximam iacturam fecerunt, in prima centuriarum emendat Chalibon, de quibus Verg. in primo Georgi.

At Chalybes nudi ferrum, virosáque pontus Castorea.

Et *qui principio*.] pereant, inquit, Chalybes, & qui primi ferrum sub terra quærere cœperūt.

Abiunctæ *paulò ante*.] Cæsaries ostendit in cœlum sublatam, non ab Aurora (nam hoc quoque dici audio) sed ab equo Zephyri, quem ad eam portandam miserit Chloris, Zephyri ipsius vxor. sensus autē & ordo est. Comæ sorores abiunctæ paulò antè à vertice reginæ plorabant.

Cvm *se Memnonis Aethiopis Vnigena impellens nutantibus aera pennis Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.*] plorabant, inquam, comæ, cùm equus Chloridos ales vnigena Mēnonis Æthiopis impellens aëra pennis nutantibus obtulit se Arsinoes. Chloris dea est florum, quæ cùm Zephyri vxor sit, credibile est equum viri ei quoque parere iussum. vnigena autem Memnonis quasi vna cum Memnone in eadem genitus sit regione. Homerus bipartitos tradit Aethiopas ad ortum Solis, occasúmque versus: apud quos populos ferunt Auroram genuisse Memnonem, ab occasu quoque æquinoctiali flat Zephyrus, qui spirans ingreditur Africam primùm per Aethiopiam occidentalem, quare in ea nasci videtur, & ideò eius equus Memnonis dicitur vnigena.

Is.] equus.

Ipsa *sui zephyritis*.] ipsa Chloris vxor Zephyri.

Famvlvm *legarat*.] equum viri sibi quoque famulantem.

Scilicet *vt vario*.] ratio cur in cœlum sublata sit cæsaries: ne scilicet corona Ariadnæ sola ibi fulgeret.

Ariadneis *temporibus*.] ex capite Ariadnæ. Cum Liber enim pater Ariadnam Minois regis Cretensium filiam vxorem duxisset, Vulcanus ei coronam obtulit, quam ille ad vxoris insigne inter sidera collocauit. habet autē stellas nouem in orbem dispositas. quarum tres clarius micāt.

Vvidvlvm.] humidum.

A *fluctu*.] emendo, fletu, quia dixit comæ mea fata sorores lugebant.

In *antiquis*.] supple sideribus.

Diva] idest Venus, & est ordo: diua posuit me crinem fletu vuidulum cedetem ad templa, crine inquam nouū sidus in antiquis sideribus.

Virginis *& saui*.] declarat eadem cæsaries se in cœlo sic esse collocatam, vt hinc Virginem, inde Leonem contingat.

Lycaoniæ.] Lycaonis Arcadum regis filiæ nota est fabula, sed hic quoque ordo erit. contingens lumina Virginis & Leonis, quæ Vrsæ sunt contigua, vertor in occasum ante tardum Bootem, de quo Manilius lib. primo, *à tergo venit Arctophylax idémque Bootes*: sequitur enim vrsam maiorem, vnde Arctophylax dictus est, quasi vrsæ custos.

Ramnvsia *virgo*.] Nemesis de qua bis antedictum.

Non *si me infestis*.] Et si sciam inquit sidera propter superbè dicta me discerptura, id tamen non silebo me scilicet non tam lætari, quod facta sum sidus, quàm mœrere quòd absum à vertice Berenices.

Qvi *enim*.] cum quía supple Berenice.

Nvnc *vos optato*.] petit vt nouæ nuptæ sed illæ duntaxat quæ abhorrent ab adulterio, ne prius tradant viris suis corpus tractandum quàm vnguenta sibi libauerint.

Tæda *fax*.] nuptialis.

Post.] emendo prius.

Vincvla.] emendo corpora, quod audacius facio, quia sic scriptum reperi in vetustiore exemplari. Ordo autem est, nunc vos quas tæda

iunxit optato lumine nudantes papillas, reiecta veste, non prius tradite corpora vnanimis coniugibus, quam onyx libet mihi iucunda munera. Onyx lapis est quem prisci cauabant ad vasa vnguentaria. Candorem habet ad vnguis humani similitudinem. Sotacus tamen, teste Plinio, Arabicas onycas nigras inueniri prodidit, candidis zonis distinctas.

P E T I T I S *quæ iura cubili.*] quæ vestris viris fidem seruare destinatis.

A B *indignis.*] ab iis scilicet quæ adulterio se polluerunt.

T V *verò regina tuens.*] Sed tu, inquit Berenice, cum intuens sidera per festos dies Venerem placabis, effice non votis, sed amplis muneribus intelligatur, me esse tui sanguinis participem.

I T E R E N T.] ortu & occasu toties repetitis.

V T I N A M *coma regia fiam.*] vtinam meæ restituar reginæ, & sim eius, vt ante fui, cæsaries.

P R O X I M V S *hydrochoi fulgeret Oarion.*] sensus est, si fierem, vt opto, coma regia, tunc me, quæ media sum inter vtrumque, sublata Orion foret proximus aquario: qui Græcè dicitur hydrochous, quod fundat aquas. Dixit autem Oarion Catul. Græcos secutus, Callimachum, inquam, Pindarum & Nicandrum, qui nonnunquam metri necessitate compulsi, interponunt, A, & dicunt tam Oarion quam Orion. Nicander, vt Callimachi ac Pindari versus omittam,

Βοιωτοὶ τὸ χιτῶνα καλὸν μορφῇ Ὠαρίωνι

ACHILLES STATIVS.

VNDE collegerit, non explicat, hæc autem vir eruditus, ac diligens Arsenius in Collectaneis illis suis ita tradidit, quid sit Βερονίκης πλόκαμος interpretans, Βερονίκη, γυνή τις ἦν τῷ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Πτολεμαίῳ τῷ Εὐεργέτῃ καλουμένῳ. τοῦ οὖν ἀνδρὸς αὐτῆς Πτολεμαίου ἐξελθόντος ἐν πολέμοις, ηὔξατο ἵνα εἰ ὑποστρέψει ἄτρωτος, τὴν πλοκαμῖδα τὴν ἑαυτῆς ἀποκείρασα, ἀναθήσει ἀνάθημα ἐν τῷ ἱερῷ. καὶ ἀνέθηκεν ἡ Βερονίκη. Κόνων οὖν τις ἀστρονόμος ἦν ἐπὶ τῆς αὐτῆς χρόνων. καὶ πρὸς κολακείαν αὐτῆς φησὶν, ὅτι οἱ θεοὶ τὸν πλόκαμον τοῦτον ἐν ἄστροις ἀνέθηκαν. καὶ νῦν ἐστί τις βοστρυχώδης θέσις ἀστέρων ἐν τῷ οὐρανῷ, ὃ καλοῦσι πλόκαμον Βερονίκης. Quibus ex verbis intelligimus, inuentum illud Cononis fuisse, quod Callimachus versibus suis ornarit. propterea credo Manilius tantum hominis tribuit ingenio, vt & deos faciat. Sic enim in extremo IIII. lib.

Ne dubites homini diuinos credere sensus,
Iam facit ipse deos, mittitque ad sidera numen
Maius, & augusto crescit sub principe cœlum.

Solinus cap. XXIX. Beronicem Ptolomæo III. nuptam fuisse tradit. Hyginus in II. de Sig. Cælest. Ptolomæi sororem & coniugem illam fuisse dicit, & huius argumentum elegiæ totum explicat in Leone Signo.

O M N I A *qui magni despexit lumina mundi.*] *Despexit*, etiam in manuscriptis omnibus. Mihi verò legendum videtur, vt & Aldus olim impressit, *Dispexit*.

M V N D I.] τοῦ κόσμου. Sic Lucretius sæpe accepit.

Q V I *stellarum ortus comperit, atque obitus.*] In manuscriptis II. non Obitus, sed Habitus. in vno, Abitus. Sed, quod impressum est, rectius videtur.

F L A M M E V S *vt rapidi Solis nitor obscuretur.*] Vergilius Defectum solis hunc dixit, ἐκλείψει videlicet, quam dicunt Græci.

V T *cedant certis sidera temporibus.*] obeant. Tibullus in eandem sententiam videtur dixisse,

Annus agit certa lucida signa vice.

G Y R O *deuocet aerio.*] sic etiam Gyrum pro cœlesti illa orbita circulorum orbisque supernorum posuit Horat. in II. Serm.

——*seu bruma niualis Interiore diem gyro trahit.*

In manuscriptis tamen erat, Giuodero, non Gyro, quod errore librariorum factum est, cum quid verbi Gyrus esset non intellegerent, &, De, principem syllabam verbi, Deuocet, geminarunt.

I D E M *me ille Conon cœlesti numine vidit.*] Sic etiam erat in manuscriptis iis, quos habebam. In Marcelli Pont. Maximi libro fuerat, Munere. ego legendum suspicabar, Nomine. nomen autem est id, quod sequitur, *E Beroniceo vertice Cæsariem*, id est, Βερονίκης πλόκαμον. Sic Vergilius.

Nauita tum stellis numeros, & nomina fecit.

aut si ad Cononem referimus, legendum forte sit, Lumine. Cælesti lumine, idest diuina quadam oculorum acie. Versus Callimachi, quos Catullus expressit, aliter à Theone Arati interprete adducuntur, ambo vt sint heroici, quod scribæ librarij vitium fuisse puto. elegos enim illos Callimachi fuisse nullo modo dubitandum. itaque legendi omnino sunt, quemadmodum illos etiam legit Politianus in Miscellaneis.

Q V A M *multis illa dearum.*] Græcè dictum. & fortè fuit in Callimachi versu, ὃν πολλῇσι θεαῖς.

L E V I A *protendens bracchia, pollicita est.*] Vetus Persij interpres in illud in prima Satyra, *Ten' cirratorum*, *Cirri*, inquit, *consecrati certis numinibus.* Hunc ipsum vouendi comam, consecrandique morem declarat, nisi fallor, Lucanus.

——*Hic more parentum*
Iasides thalamos, vbi casta adolesceret ætas
Virgineas libare comas, primisque solebat
Excusare toros.——

Legendum forte, Excussare toros. Quod autem bracchia dicit illam protendisse, supplicantium expressit gestum. Sic Ouid. in III. Metam.

Non habet infelix, quæ tendat bracchia, matri.

Et Tibul. in III.

Tu modo cum multa bracchia tende prece.

Eodem modo Vergil. Palmas tendere. Callimachus in Hymno in Delon eodem modo, quo Catullus, ὑπτία πήχεις ἀμφοτέρους ἐρίγυον.

P O L L I C I T A *est.*] Vouit. Leuia verò, ad vim boni pertinet. Sic Tibullus.

——*Cui leuia fulgent Ora.*

Et Polyphemus apud Ouid. de Galatea,

Leuior adsiduo detritis æquore conchis.

Q V A *rex tempestate.*] Hoc ipso de genere iam dictum ante. quo etiam vsus Propert. in IIII. *dixit Amphitrioniades qua tempestate iuuencos.* Et quæ sequuntur.

Novis *auctus Hymenaeis.*] In manuscriptis omnibus. *Novo auctus hymenaeo.* quod retinendum censeo. quo de genere iam dictum antea. neque Vergilius elisit,

Et femineo vlulatu.

Vastatum *fines ierat Assyrios.*] In manuscriptis, *Vastum finis ierat,* Et, *Inerat,* Vastatum autem omnino esse debet. Finis autem, veteri consuetudine scriptum.

Qvam *de virgineis gesserat exuuiis.*] Rixam gerere, vt Bellum gerere dixit.

Estne *nouis nuptis odio Venus, anne parentum.*] In manuscriptis omnibus, *Atque parentum.* quod rectius iudico.

Frvstrantvr *falsis gaudia lacrimulis.*] Quas, vt ait Comicus, vix vique expresserint.

Vbertim *thalami quas intra limina fundunt.*] In manuscriptis duobus. *Intra lumina.* In vno, *Inter lumina.* quod sit fortasse probabilius. Vbertim lacrimas fundere, sic dixit, vt & Cic. Flere vberius. in II. enim Philippica. *Cùm mulier fleret vberius, homo misericors ferre non potuit.* Et Sueton. in C. Caesaris vita, *Proximis diebus equorum greges, quos in traiiciendo Rubicone flumine consecrarat, ac vagos sine custode dimiserat, comperit pertinacissime pabulo abstinere, vbertimque flere.* Gaudia verò sic post, *Impia derisi gentilis gaudia tollens.*

Non, *ita me diui, vera gemunt, iuerint.*] Vera gemere, Graecorum more dixit. Iuuerint autem in manuscriptis, & iuerunt. Sed, quod est impressum, rectius. v, enim detrahebant etiam ab eiusmodi praeterito. cuius rei fidem facit vetus optimae fidei liber epistularum Ciceronis, quem Petrus Victorius est secutus. nam, cum alibi eodem modo, tum in XIII. epist. ad Seruium sic est, *Id est si T. Manlium quam maximè, quibuscumque rebus honeste, ac pro tua dignitate poteris, iueris, atque ornaueris.* Et ad Trebatium, *Aut consolando, aut consilio, aut re iuero.* Sed erat in manuscriptis omnibus, *Non ita me diu, non Diui.* Itaque scriptum fuisse suspicor, *Non ita me di, vt vera gemūt, iuerint.* Et ratio enim ipsa loquendi Latinè sic postulat, & librariorum errore apparet esse interpositionem vocis, Vt, non intelligentium, è qua cum superiore Diu fecerunt. Nec abhorret ab hac sanè sententia versus poëtae veteris apud Senecam in II. declam. *Felices nuptae, moriar, nisi nubere dulce est.*

Invisente *nouo praelia torua viro.*] Praelium eodem modo posuit etiam Claudianus in nuptiis Honori, & Mariae, *Tum victor madido prosilias toro, Nocturni referens vulnera praelij.* Donatus in Eunucho, verba interpretans illa, *Dabis hic aliquam pugnam denuo,* sic hoc in genere veteres locutos ostendit, Pro stupro, inquit, vt, *At non in venerem segnes, nocturnáque bella.* Vt, *Veretúrque bella, & ingens facinus.* Vt Lucilius, *Vicimus, ô ciues, & magnam pugnauimus pugnam.* Quod si nulla metaphora est, & de proeliis in Syria factis loquitur, haec referantur ad superiorem locum de rixa nocturna.

Sed *fratris cari flebile discidium.*] Mariti quod amatoriè positum videri possit, Tibullus in III.

Haec tibi vir quondam, nunc frater, cara Neaera
Mittit.

A aut fratrem vocat, quod idem & frater esset, & coniux.

Cvm *penitus maestas exedit cura medullas.*] Homerus etiam χολόφυς μενεδώνας. Valer. Flaccus in II. Argon. eodem modo, quo Catullus,

Ac primam Eurynomen, ac proxima limina coni
Occupat exesam curis, castúmque cubile Seruantē.

Vt.] Admirantis. Sic nonnumquam Vergil. & Manilius in v. Astronom.

Quae tua tunc fuerat facies, vt fugit in auras
Spiritus, vt toto caruerunt sanguine membra.

Sensibvs *ereptis mens excidit.*] Sic Caelius mentem sibi iracundiae tumore ablatam dicit in

B epist. lib. VIII. ad Cic. quo in loco in vulgatis libris prauè legitur, *Nam mihi sentio bonam mentem iracundia, & more ablatam.*

Atqve *ego certe.*] Legendum omnino, Atqui, vt Pontanus legendum censebat. in manuscripto erat, Atque.

Anne *bonum oblita es facinus.*] Bonum, pro Pulchro poni, iam diximus.

Qvod *regium adepta es Coniugium.*] In manuscriptis est, *Quam regium adeptus coniugium.* Gabriel Faernus ingeniosè, ex Quem, Quum faciebat. quod est valde probabile. Sed vetustissimis in libris, quoscumque mihi videre licuit, Cum, illo

C modo scriptum nusquam vidi.

Qvod *non fortior ausit alis.*] In manuscriptis omnibus. *Aut sit alis.* legendum omnino, vt docti viri & legunt, & interpretantur, *Ausit alis.* Alis id est, Alius. Carisius in II. sic etiam locutum Sallustium demonstrat; & idem significare confirmat Diomedes Grammaticus. Quod, autem ad facinus referendum. Eodem prope modo Paterculus in posteriore volumine, *Non ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum quidquam ausum, patratúmque fortius.*

Qvae *verba locuta es.*] ποῖος λόγος ἔπος.

Ivppiter *vt tersti lumina saepe manu.*] In manuscriptis omnibus non Tersti, sed Tristi, id est, Triuisti. itaque Suetonius de claris Rhetoribus

D de Sexto Clodio. Sed locum corruptum, vt hodie vulgo legitur, primum proferam, deinde emendatum à me ponam. *Male,* inquit, *oculatus, & dicax paroculorum. In amicitia. M. Antony triumviri extitisse se aiebat.* Quam verò insolens atque abhorrens verbum, Paroculorum. quam ineptè etiam dictum extitisse se in amicitia. M. Antonij. In veteri libro paulo melius. *Male oculatus & dicax, par oculorum in amicitia. M. Antonij triumviri extricte se aiebat.* Ego è verbo Extricte, faciebam Extrisse, id est, Extriuisse, vt aperta omnino atque elegans sit horum verborum sententia.

E Qvis *te mutauit tantus deus.*] Magnus omnino. Sic Vergilius in I. Aeneid.

Insideat quantus miserae deus.

Eodem propè modo Theocr. in δυσέρωτι, ἆρά τις ἐξαπίνας μὰ θεὸς βροτὸν ἄλλον ἔτευξε.

At, *quae ibi pro cunctis, pro dulci coniuge diuis, Non sine taurino sanguine pollicita es.*] Pro cunctis. id est sociis coniugis. vel, pro cunctis, id est, palam omnibus, ante omnes. duriusculum fortasse quod Pro, referamus ad homines. nam interiectio hoc loco esse posse non videtur.

Si *reditum tetulisset is haud in tempore longo.*] In manuscriptis erat,

Si reditum tetulisset is aut in tempore longo.

Ego & legendum, & distinguendum sic puto,

Si reditum tetulisset, is haud in tempore longo.

Sic enim, Haut, negatiua, sequente præsertim verbo, cuius princeps esset vocalis littera, & librorum vetustissimorum, & inscriptionum testimonijs facile possum probare.

Cælesti *reddita cœtu.*] Hoc dandi casu veteres vtebantur. *Reddita*: quasi obligata voto. Horat. in II. Carm.

Ergo obligatam redde Ioui dapem.

Invita *o regina tuo de vertice cessi.*] Imitatum Vergilium Macrobius, opinor, ostendit, cum dixit, *Inuitus regina tuo de litore cessi.*

Sic Æneæ naues ipsius de seipsis in X. Æneid.

Rupimus inuitæ tua vincula.——

Adivro *teque tuumque caput.*] Sic Verg. in IIII. Æneid. *Testor cara deos, & te germana, tuumque Dulce caput.*——

Digna *ferat.*] Par supplicium sceleri.

Sed *qui se ferro postulet esse parem.*] Sic etiam erat in manuscriptis, Et, Qui, id est, quomodo fere interpretantur, quod tamen parum mihi videtur procedere. itaque legi malim, *Sed quis se ferro postulet esse parem.* Postulare verbo eodem prope modo Cic. est vsus in epist. ad Brutum, *Tantum quisque in rep. posse postulat, quantum habet virium.* Et de Orat. *Nam quod tu non poteris, aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire, aut posse postulet?*

Qvem *maxima in oris.*] Sic etiam est in manuscriptis omnibus. Alij legunt, *Quem maximum in oris*, vt & Vergil. in VII. similiter de loco,

Est locus Italiæ medio sub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris.

Progenies *Phthiæ clara superuehitur.*] In manuscriptis omnib. Phitiæ. quo modo etiam Ouidius in III. Amorum, sed priore longa. *Te quoque promissam Xantho Penæe Mearam Phthiadum terris occuluisse ferunt.* nisi legendum sit, Phtheiadum. De eodem vero monte & Iuuenalis, idem significans, dixit, *Velificatus Athos.* Quod autem, Dara, pro Clara, hoc loco alij legunt, id sine auctore mihi facere videntur.

Cvm *Medi irrupere nouum mare.*] In manuscriptis omnibus non Irrupere, sed Propere. legendum forte, Pepulere. Sic ante, *Pellunt vada remis.*

Per *medium classi barbara nauit Athon.*] Cic. in II. de finib. *Cum tantis classib. tantisque equestrib. & pedestrib. copijs, Hellesponto iuncto, Athone perfosso, maria ambulauisset.* Classis autem etiam de naui vna dicitur. Claudianus in II. in Rufinum de Xerxe, *Cum classibus ires Per scopulos.*

Ivppiter *vt χαλύβων.*] Sic primus emendauit Politianus, cum in manuscriptis legeretur, *Iuppiter vt celitum.* Vt, autem ἀττικῶς posuit, vt & Horat. in II. Serm. ——*O pater, & rex*

Iuppiter, vt pereat positum robigine ferrum.

Ac nescio, an sic etiam posuerit Propert. in II. *His saltem vt teneat iam finibus.* Vide Priscian. in XV. *Similis apud Plautum detestatio, Di illum perdant, qui primus claues inuenit.*

Et *qui principio sub terra quærere venas Instituit.*]

A Venas ferri, quod sequitur. *Instituit*: instituit. Afranius in Emancipato, vt quidem adducit Carisius in II. *Iccirco hæc agere tecum secreto institi.* Cic. quoq; in Arateis, *Inde sagittipotens, superas conuisere luces Institit.* Eodem versus principio post vtitur ad Manlium. *Et qui principio nobis*, & quæ sequuntur.

Abivnctæ *paulo ante coma mea fata sorores Lugebant.*] Comas luxisse, dixit ποιητικῶς. vt & Lacus flere Vergilio dicuntur. Sorores comæ dicuntur etiam, quæ eiusdem capitis fuissent. Sic Ouidius libros ipsos fratres appellat, qui sint

B eiusdem auctoris. A Græcis, opinor, eodem modo quoque dicitur οἱ ἀδελφοί.

Cvm *se Memnonis Aethiopis Vnigena.*] Veni ad eum locum, qui esse vel difficillimus putatur; quo explicando eruditi homines cum satis habuerint negotij, sibi tamen ipsi non satisfaciunt. Ego vero, cum ab illis dissentiam, sedulo scilicet operam dedi, vt nouum, ac plane meum quidquid esset, id cum vestigijs scriptæ, quamuis prauæ lectionis, ac probabilium auctorum testimonijs confirmarem. itaque primum, quam effici volo sententiam, demonstro. Zephyrum Memnonis fratrem finxerat Callimachus è Venere, cuius fanum in Zephyrio Ægypti promontorio

C religiose coleretur, missum eo Berenicæ comam deorum in templo dicatam vti tolleret, ad seque deferret, cui post ipsa locum in astris daret. Nunc hæc sunt probanda singula. Zephyrus frater Mẽnonis, quod eadẽ matre, id est, Aurora geniti sint. Aurora namque ventos esse natos scribit Hesiodus,

Ἀστραίῳ δ' Ἠὼς ἀνέμους τέκε καρτεροθύμους
Ἀργέστην, Ζέφυρον, Βορέην τ' αἰψηροκέλευθον,
Καὶ Νότον ἐν φιλότητι θεὰ θεῷ εὐνηθεῖσα.

Vnigenam vero, eadem matre genitum, significare, quibus in locis apud Catullum ponitur, ne dubitandum quidem existimo. Nunc reliqua interpretans, persequar. Memnona Æthiopem di-

D cit Pindarus in Olympijs, Αὖς τε παῖδ' αἰθίοπα.

Nvtantibvs *aera pennis.*] Sic etiam erat omnibus in manuscriptis. Ego pro aëra, legendum puto, aëre. Cicero in Arateo poëmate, quas Catullus nutantes pinnas, ipse tremebundas dicit, est enim apud illum sic,

Igniferum mulcens tremebundis aëra pinnis.

Obvlit *Arsinoes Chloridos ales equos.*] In manuscriptis sic erat, in primo Maffei, Optulit asineos è locridicos alis equos. Supra verbum tamen Asineos eadem manu erat annotatum, aliter, Arsinoes. In secundo, Optulit asinios è locridicos auis equus. In tertio, Optulit assyrio

E elocritos aliis equos. è qua tanta varietate, ac perturbatione vocum numerorumque, verisimilem tamen elicere lectionem conabar, hanc videlicet, Obtulit Arsinoæ Locricos alisequus. Se, inquit, obtulit in deorum templum, in quo Beronices erat coma Zephyrus alisequus, siue vt paulo post vocat famulus Veneris Locrus. i. qui sic à Zephyrio promontorio siue portu Locrorum in Italia dicitur. cuius rei multi omnino auctores sunt, & Eustathius Dionysij interpres Locricum dici posse significat. scribit enim sic, Λοκρὶς μὲν γὰρ διὰ τοὺς Λοκροὺς καλεῖται ὁ Ζέφυρος, ὅ ἐστι Λοκρικός. καθάπερ Ἰσμαρικὸς ὁ Βορρᾶς ἐκ τοῦ ἑξῆς, ἀπὸ

Ἰταλίας πόλεως. Aut etiam Locrios hoc loco ponamus, quod per Stephanum quoque in verbo Λοκροὶ licet. Aliſequum autem ventum apte ac venuſte dixit, vt pediſequos vocant optimi ſcriptores, pedibus alios qui ſequuntur. & credibile quidem eſt, par, aut ſimile huic fuiſſe verbum Callimachi. nam, quid hic tandem loci habet vox, Equus. Ac ſi quis Pediſſequum, & Aliſſequum per duo. s s. ſcribi debere contendat, licere tamen arbitror poëtis, alterum demere, quod ſuo commodo facere poſſint. Adde, quod in manuſcriptis non Ales, ſed A'lis, vt appareat ab imperito ſcriba librario inſcienter ex vna duas fuiſſe factas dictiones. deinde, quod ſequitur, Iſque per ætherias, quod de aliſequo dictum eſt, etiam confirmat. Atque ego hoc loco ſi retinendum de duobus alterum, malim vt legatur, Ales eques, quam Ales equus. etenim Zephyrum equitem Euripides in Phœniſſis videtur dicere, Ζεφύρου πνοαῖς ἱππεύσαντος ἐν οὐρανῷ. At Arſinoe Veneris nomen eſſe, & Strabo docet, & Poſidippus illis apud Athenæum verſibus,

> Τοῦτο καὶ ἐν πόντῳ, καὶ ἐπὶ χθονὶ τῆς Φιλαδέλφου,
> Κύπριδος ἱλάσκεσθε ἱερὸν Ἀρσινόης.
> Ἣν ἀνακοιρανέουσαν ἐπὶ Ζεφυρίδος ἀκτῆς,
> Πρῶτος ὁ ναύαρχος θήκατο Καλλικράτης.
> Ἡ δὲ καὶ εὐπλοίην δώσει, καὶ χείματι μέσσῳ
> Τὸ πλατὺ λισσομένοις ἐκλιπανεῖ πέλαγος.

Quibus ex verſibus eandem in Zephyrio Ægypti coli ſolitam, intelligimus. Eandem autem Venerem etiam Arſinoen Zephyritida dictam, oſtendunt Hygini verba illa in II. in Leone Signo. *Sed aliæ* VII. *ſtellæ ad caudam Leonis in triangulo collocatæ, quas crines Beronices eſſe. Conon Samius mathematicus, & Callimachus dicit.* Cum Ptolomæus Beronicen Ptolomæi & Arſinoes filiam ſororem ſuam duxiſſet vxorem, & paucis poſt diebus Aſiam oppugnatum profectus eſſet, vouiſſe Beronicen, ſi victor Ptolomæus rediſſet, ſe detonſuram crinem. quo voto dānatū crinem in Veneris Arſinoes Zephyritidis poſuiſſe templo, cumque poſtero die non comparuiſſe. Et Stephani in verbo Ζεφύριον illa, Ἔστι καὶ Ἰταλίας Ζεφύριον, ἀφ' οὗ οἱ Λοκροὶ ἐπιζεφύριοι. ἔστι καὶ ἄκρα τῆς Αἰγύπτου, ἀφ' ἧς ἡ Ἀφροδίτη, καὶ Ἀρσινόη ζεφυρίτης, ὡς Καλλίμαχος. In quibus illa ſic legenda puto, Ἀφ' ἧς ἡ Ἀφροδίτη, ἡ καὶ Ἀρσινόη Ζεφυρίτης, ὡς Καλλίμαχος. Nam Venerem Arſinoem dici, cum illa, quæ iam ſupra poſui, tum Hygini verba declarant. Et, quoniam Callimachum laudat auctorem Stephanus, dubitandum non eſt, quin ille apud Callimachum idem fuerit locus, qui eſt hic à Catullo expreſſus. itaque huius loci ſententia recte procedet. Chloris autem nihil ad hiſtoriam huius loci pertinet. Quî poteſt enim? namque Chloris, quæ eadem Flora nominatur, nobile Pompei ſcortum fuiſſe dicitur. at annorum inter hæc, & illa Ptolomæi tempora tantum eſt interuallum, vt Pompeiani ſcorti meminiſſe Callimachus nullo modo poſſit. eſſe vero Floram ſiue Chloridem Pōpeianam eam, cuius in IIII. Faſt. meminit Ouidius, teſtatur Lactantius his quidem verbis. *Flora, cum magnas opes ex arte meretricia quæſiuiſſet,* P. R. *ſcripſit heredem, certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fenore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant Floralia. Quod quia Senatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur, Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præeſſet, eámque oportere placari, vt, fruges cū arboribus aut vitibus bene floreſcerent.* Eum colorem ſecutus in Faſtis Poëta, non ignobilem nympham narrauit, quæ Chloris vocitata, eamque Zephyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, vt haberet omnium florum poteſtatem.

I S Q V E *per ætherias me tollens aduolat auras.*] In manuſcriptis omnibus non Auras, ſed Vmbras. at illo modo etiam Vergil.

> —— *Quæ tantum vertice ad auras*
> *Aetherias.* ——

E T *Veneris caſto conlocat in gremio.*] In manuſcriptis omnibus Aduolat in gremio. Sed nec latine ſatis, & ineptè. cum iam poſuerit idem verbum in ſuperiore verſu. ego è duobus verbis, Aduolat in, vnum facio, Aduoluit. vt ſit vnius in duas ſyllabas διάλυσις. Sic alibi, *Condita quin vere pectoris euoluam.* O autem extremam verbi, Caſto, litteram non eliſit, ſequente verbo, à vocali incipiente, vt nōnumquam alibi & Verg. *In Actæo Aracintho.* Caſtum vero gremium Veneris dicit, propterea quod Beronice Ptolomæum coniugem amabat. eius namque Veneris caſtum gremium intelligit, de qua ante, *Nil poteſt ſine te Venus, Fama quod bona comprobet, commodi capere.*

I P S A *ſuum Zephyritis eo famulum legarat.*] Zephyritis Venus ipſa dicitur à promontorio Zephyrio, in quo eius opinor templum fuit. Sic enim eam vocari à loco, vel illi veteris poëtæ verſus apud Athenæum in XI. oſtendunt,

> Κόγχος ἐγὼ Ζεφυρῖτι πελώριος, ἀλλὰ σὺ νῦν με
> Κύπρι Σεληναίης ἄθυρμα πρῶτον ἔχεις.

Et quæ ſequuntur. Sic autem Zephyritis à loco, vt eadem Erycina, alijſque nominibus alijs ab locis dicitur. de templo eius in Zephyrio cum apud alios mentio, tum apud Athenæum in Hedili verſibus, Ζεφυρίτιδι τοῦτο φίλον Ζεφύρου κατὰ ναόν. Et ſtatim poſt, Δεῦτε νέοι ναοῦ τῷ δὲ παρ' Ἀρσινόης. Niſi quis Zephyrion malit intelligere, quod in Ægypto fuit eodem nomine. Quod vt ſit, non impedit tamen, quo minus ipſa procedat huius loci ſententia. Cur autem promontorium Zephyrium, cum Zephyrus Λοκρὶς, cur Locri ἐπιζεφύριοι dicantur, Strabo, & Euſtathius interpres Dionyſij declarant.

F A M V L V M.] Aliſequum ſuum. quod deam coleret. ſic famulos Cybeles dicunt, & deorum aliorum.

G R A T A *Canopæis incola litoribus.*] In manuſcriptis, Canopicis. legendum puto, Canopitis, ſiue Canopiticis, niſi antepenultima impediat. quomodo χραδίτης, & ἀβίτης dicitur, auctore Stephano περὶ πόλεων. In Ægypto autem quāto opere eadem dea coleretur, dicere, ſuperuacaneum ſum arbitratus.

S C I L I C E T *in vario.*] In manuſcriptis omnibus pro Scilicet in, in vno, Hydi. In duobus Hidyuen ibi. Ex quo faciebam, Lumen vti vario, & quæ ſequuntur. Sic enim paullo poſt,

Viduulum à fletu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquas diua nouum posuit. Et,
Virginis & saeui contingens namque leonis
Lumina.——

At vno in libro vacuus hic locus. Mihi quidem, multa conijcienti, verbum quod prius fuisset, venire in mentem non poterat. è reliquo, Luen ibi vario, faciebam, Iuuenile phaos, adductus Placiadis verbis illis in Glossis, *Iuuenile phaos, semper virens, & numquam senescens lumen.* vt, si de sole dicamus. Augent hanc quoque probabilitatem verba Verg. in I. Æneid. *Lumenque iuuentæ Purpureum.* Nam Placiades, quod illud à veteribus poëtis vsurpatum legerat, propterea est interpretatus. IN *limite cæli:*] Cæli regiones appellabant Limites. Phauorinus apud Gellium in II. cap. XXII. *Tum Phauorinus*, inquit Gellius, *ita fabulatus est. Satis, inquit, notum est, limites regionesque esse cæli quattuor, Exortum, occasum, meridiem, septemtrionem.*

LVMINA, *Callisto iuncta Lycaoniæ.*] In manuscriptis quoque Callisto. Ego vero dispunctionem à fine verbi, Lycaoniæ, tollendam puto, nondum finita sententia.

QVI *vix sero alto mergitur Oceano.*] Hæc, & quæ sequuntur ad *δύσιν*, & *ἀνατολὴν* pertinent *ἐκλειπτικῶς*.

LVCE *autem canæ Tethyi restituor.*] In manuscriptis omnibus Lux aut canæ Tethyi restituem. In vno, restituam. Ego legendum puto, Lux autem canæ Tethyi restituat. Et hoc loco non esse sistendam sententiam puto. quæ in eo demum versu videtur insistere, *Afore me à omnia vertice discrucior.* quamquam in Maffei libro in margine, neque recente quidem manu, erat scriptum hoc loco sic, Deficit. vt appareat vacasse eum locum in libro, quo tum describens librarius vteretur.

PACE *tua fari hæc liceat.*] In manuscriptis duobus. *Pace tua fari licet hic.* In vno, *Pace tua fari hic liceat.*

NAMQVE *ego non vllo vera timore tegam, Non, si me infestis.*] In manuscriptis omnibus. *Nec sine infestis.* Itaque legendum conieciebam, *Namque ego nonnullo vera timore tegam Hac, si me infestis.* Et quæ sequuntur.

CONDITA *quin veri pectoris euoluam.*] In manuscriptis omnibus,

Condita qui vere pectoris euolue.

Itaque legendum,

Condita quin vere pectoris euoluam.

Verg. in IIII. Georg. verbo eodem vsus proferre, & canere significare voluit. Sic enim de Orpheo, *Fleuisse, & gelidis hæc euoluisse sub antris.* In excerptis ex historiis Sallusti in epistola ad Cæsarem eodem modo Sallustius loquitur, *Vix satis apertum os, aut longa prompta videtur, quæ dicta pectore euoluat.* In peruetusto autem libro Vaticanæ bibliothecæ sic legebatur hic locus, *Quam edita pectore euolut.* Ego sic emendandum putabam, *Vix satis apertum os aut linguæ prompta, quæ meditata pectore euoluat.* Attius apud Nonium, in verbo, Componere, *Composita dicta ex pectore euoluunt sua.* Euoluere sic quoq; dixit Statius in I. Thebaidos.

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odijs, sontesque euoluere Thebas

A *Pierius menti calor incidit.*

Cic. in III. de Orat. sic accepisse, & aliunde translatum significare videtur. *Quæ quidem te, Crasse videt*, inquit, *Cotta, quod nota esse nobis putares, sine definitionibus & sine exemplis effudisse. Ego vero, inquit Crassus, ne illa quidem, quæ supra dixi, noua vobis esse arbitrabar, sed voluntati vestrum omnium parui. His autem de rebus sol me ille admonuit, vt breuior essem, qui ipse iam præcipitans, me quoque hæc præcipitem pene euoluere coegit.*

QVAM *me absore semper, Absore.*] In manuscriptis Affore. Scribendum Afore per vnum. F. à verbo Abesse. Sic enim veteres scribebant.

B Afore autem, pro Abesse posuit.

QVI *cum ego, dum virgo quondam fuit omnibus expers Vnguentis vna millia multa bibi.*] Sic etiam erat in manuscriptis, nulla sententia. fuisse puto scriptum, *Qui cum ego dum quondam virgo fuit omnibus expressa Vnguentis vna millia multa bibi.* Quasi id dicat, multa se millia vnguentorum, siue pyxidum, siue balanorum omnibus expressa vnguentis imbibisse.

NVNC *vos, optato quas iunxit lumine tæda.*] In manuscriptis omnibus. Quem iunxit, &, Quem

C vinxit. legendum fortasse sit.

Nunc vos, optato queis iunxit lumine tæda.

Hac sane sententia, Nunc vos non tradite papillas vestris coniugibus, queis vos iunxit optato tæda lumine, &c.

NON *prius.*] In manuscriptis omnibus, Non post. Sed illud omnino rectius.

REIECTA *veste.*] In nonnullis manuscriptis, Detecta veste. illud probabilius. Re verò syllabam produxit, I, littera inter vocales duas interiecta. etsi aliter etiam produxit Vergil. in II. Georg.

Reice, ne maculis infuscet vellera pullis,

D Reiecta deposita, Vergil. in V.

—— *duplicem ex humeris reiecit amictum.*

Et Ouid. in IX. Metamorph.

——*reieci viridem de corpore vestem.*

QVAM *iucunda mihi munera libet onyx.*] Onyx, opinor, à forma marmorum ampullam esse tradunt, in qua pretiosa seruarentur vnguenta. Horat. in IIII. Carm.

Nardi paruus onyx eliciet cadum.

Et Propert. in III.

Et crocino nares murrheus vnguat onyx.

Et idem alibi,

Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.

E VESTER *onyx, casto colitis quæ iura cubili.*] Omnib. in manuscriptis non Colitis, sed vel Quamritis, vel Queritis. mihi legendum videbatur,

Vester onyx casto quæritis quæ iure cubile. Vt sic legitimo coniunctos matrimonio significet. Quatere autem sic hoc loco, vt ante,

Tremulique quassa lecti Argutatio. Et,

Nequicquam tacitum cubile clamat.

Et si in legitimis nuptiis videtur obscœnius. Ius vero dicit, vt & eodem in genere Vergil. in IIII.

Ante pudor quam te violem, aut tua iura resoluam,

Castum autem ius dicit, ad differentiam rerum iuris aliarum. Et Cubile hoc ipso in genere eodem modo post dicit,

Sed pater illius nati violasse cubile Dicitur.

ILLIVS *aura leuis bibat, & dona irrita puluis.*] In manuscriptis duobus hic versus legitur,

Illius à mala leuis bibat dona irrita puluis.

In alio pro Bibat, Bibit. In tertio,

Illius mala leuis bibat dona verita puluis.

Legendum opinor,

Illius mala dona leuis bibat irrita puluis. Vel,

Illius à mala dona leuis bibat irrita puluis.

Vt A sit interiectio sine aspiratione, vt vetustis in libris scriptam semper videmus. Sed ea tamen interiectio commiserantis magis, quam imprecantis, esse solet. mutandum fortasse sit in O. quod sit optantis. Ouid. in III. Amorum simillimum dixit,

O si neglecti quisquam deus vltor amantis,
Tam male quæsitas puluere mutet opes.

Plato in IIII. de Legib. ab impuris dicit non esse sumenda dona. Παρὰ μιαρῦ δῶρον, ὔτ' ἄνδρα ἀγαθὸν, ὔτε θεὸν ἐστὶ ποτὲ τό γε ὀρθὸν δέχεσθαι.

DIVAM *Placabis festis luminibus Venerem Sanguinis expertem.*] Festis luminibus, sacris lucibus, vt Flaccus loquitur. Sic forte Horat. in IV. *Quem tu Melpomene lumine videris Nascentem placido.* Et vetus poëta apud Cic. in VII. epist. ad Att. *Si te secundo lumine hic offendero.* Vel sit legendum fortasse, Liminibus. vt festas aras dicunt poëtæ. & Festa dicat limina floribus exornata. Sanguinis expertem Venerem dicit, vt θυσίας ἀναιμάκτους significet.

NON *votis esse tuam me.*] Pro votis in manuscriptis, & Nostris, & Vestris. Pontanus Votis fecit, ingeniose id quidem, sed videndum etiam, an Verbis potius legendum. Noli blandis verbis id Venerem polcere, sed multis omnino donis.

LARGIS *effice muneribus.*] Horat. in IIII. Car.

Largis muneribus riserit amuli.

SIDERA *cur iterent.*] Sic etiam in manuscriptis. præterquam in vno, pro Cur, Cum. Docti homines, siue Pontanus is fuit, siue quiuis alius, Cur, retinent. quod post alij sunt secuti.

VTINAM *coma regia fiam.*] In manuscriptis, Vt. idque Vtinam sunt interpretati. in vno erat, Vter. Fortasse etiam legi possit hoc modo, *Sidera cum intereant, vt tunc coma regia fiam.* Ea sententia, vt, quasi descendens, redeat in reginæ verticem. Vt autem sit optantis, idemque sit quod Vtinam aduerbium.

PROXIMVS *hydrochoi fulgeat Oarion.*] In manuscriptis versus hic legitur eodem modo, præterquam pro, Fulgeat, Fulgeret, & pro Oarion, in nonnullis est, Aorion. neq; vero sum nescius, quæ contra Politiani sententiam dicantur, tum quæ è Mathematicorum scriptis proferantur hoc loco. Ego sat habui, quam manuscriptis in libris repperi lectionem, testari. Atque idem vehementer suspicor, Claudium Rutilium Numantianum, veterem poëtam, in fine libri primi, quod Oariona etiam dixerit, exemplo Catulli fecisse. Sic enim est apud illum, *Namque procelloso subiungitur Oarioni.* Vt sit hæc, aut hac potior alia sententia, se non laborare, quæ quem sortiantur locum sidera, vt remotissimis è locis ad se inuicem propius accedant, dum sibi modo in reginæ vertice esse liceat. Hydrochoum pro

A Aquario dixit etiam Nigidius Figulus. auctor interpres Phænom. Germanici in Aquario.

M. ANT. MVRETVS.

OMNIA *qui magni.*] Si Callimachi carmina, è quibus hæc expressa sunt, ad nos peruenissent, neque in his intelligendis laboraremus, & ex duorum, sua vtriusque lingua, optimorum poëtarum collatione, insignem quendam, plenamque vtilitatis caperemus animo voluptatem. iuuaret Græca cum Latinis componere,

B inspicere non in singulis modo vocibus, sed in figuris etiam luminibusque orationis, in ipsa ratione numerorum, ac denique in tota structura poëmatis, quam apte & scienter Græci poëtæ, in hoc genere inter suos facile primi, vim ac leporem, Latinorum poëtarum sine controuersia politissimus assecutus fuisset. Quam commoditatem quando siue fatum nobis, siue quo alio nomine appellari placet illud, quidquid est, quod in his rebus valet, eripuit; illudque præterea accessit mali, vt his quoque, sicut ceteris, Catulli versibus valde magnam labem importarit vetustas: spero equidem, in his difficultati-

C bus, quanto facilior lapsus est, tanto mihi, sicubi offendero, paratiorem apud bonos veniam fore. Huius autem poëmatis hoc fere argumentum est. Ptolemæus cognomento Euergetes Berenicen, seu Beronicen, (vtroque enim modo nomen hoc scriptum reperio) Ptolemæi Philadelphi ex Arsinoe priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit. neque enim ea coniunctio inhonesta Ægyptiorum legibus habebatur. ea recens ducta, contigit, vt expeditionem aduersus Assyrios susciperet. in quam cum proficisceretur, vouisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes, victorque rediret do-

D mum. cuius deuotionis suæ cum, re præclare à Ptolemæo gesta, conuictam se iudicio deorum immortalium videret, quo se religione exolueret, crinem rite in Veneris æde appendit. is cum postridie repertus non foret; magnoque, ob eam rem, rex reginaque in mœrore essent; Conon, mathematicus ea tempestate excellens, persuasit ipsis, crinem deûm numine sublatum in cælum, & in sidus conuersum fuisse: idque Callimachus, qui principem illum, propter singulare bonarum artium studium, numinis loco habebat, hoc poëmate complexus est. Principium autem continet insignem commendationem Cononis, à

E præstanti cælestium rerum scientia.

VT *Triuiam.*] Lunam.

SVB *Latmia saxa.*] Ad deosculandum Endymionem, qui illic ab ipsa sopitus esse dicitur.

IDEM *me ille Conon.*] Versus Græci duo reperiuntur apud Theonem commentariis in Aratum, quos quattuor versibus hoc loco Catullus expressit. nam cum dixisset Aratus, ad Virginis sidus sparsas esse stellas aliquot, quæ nomine carerent, addit ille, quem modo nominaui, interpres, οἱ δ' ἀκαλέστους αὐτοὺς λέγουσι, Κόνων δ' ὁ μαθηματικὸς Πτολεμαίῳ χαριζόμενος Βερενίκης πλόκαμον ἐξ αὐτῶν κατηστέρισεν. οὗ ᾗ καλλίμαχός πού φησι.

Ἡ δὲ κόνων μ' ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης
Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

DVLCIA *nocturnæ.*] Impressas collo, labrisq; dentium notas, aliaque eiusmodi.

ESTNE *nouis nuptis.*] Expositurus dolorem, quem Berenice ex viri abitu cepit, primum interrogat, vero ne an falso lacrumentur puellæ, cum deducuntur ad viros: & num graue ipsis sit, sua virginitate spoliari. deinde respondet, fictum esse totum illud lacrumarum genus: idque ex eo colligit, quod Berenice magnam vim querelarum, marito discedente, profudit. si enim nocturnos illos conflictus odio haberent puellæ, numquam tantopere doluisset Berenice, sibi, absente viro, soli cubandum fore. Ac, quoniam id paulo lasciuius dictum videri poterat, addit aliam causam illius doloris, negatque doluisse, illam, quod à viro, sed quod à fratre carissimo seiungeretur.

ANNE *parentem.*] Tale quiddam dixit & in posteriore nuptiali carmine.

IVERINT.] E verbo, iuuerint; posterius, v, detractum est: sicque, commissione vocalium, prima syllaba breuis effecta.

DISSIDIVM.] Separationem corporum hoc loco indicat, Cicero pro domo sua, *Deflent coniugis misera dissidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi atque optimi casum.* Idem in Antonium, *Ipse autem amore ardens, confirmabat, quod desiderium tui dissidij ferre non posset, se in exilium esse iturum.*

MAGNANIMAM.] Hyginus libro secundo Astronomicon, *Hanc Beronicen*, inquit, *non nulli cum Callimacho dixerunt, equos alere, & ad Olympia mittere consuetam. Alij dicunt hoc amplius, Ptolemæum Beronices patrem, multitudine hostium perterritum, fuga salutem petisse: filiam autem, sæpe consuetam, insiluisse in equum, & reliquam exercitus copiam constituisse, & complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse: pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit.*

ANNE *bonum oblita es facinus.*] Illud videlicet, quod modo ex Hyginо retulimus. Subindicat autem, ex illo facinore, fratrem ipsius amore esse correptum.

QVO *non fortius ausit alis?*] Quo facinore nullum fortius, maiorisve animi, à quoquam alio suscipi queat. Alis enim, ait Priscianus libro XII. antiquissimi pro alius protulerunt.

ATQVE *ibi.*] Post hoc distichon, aliquot versus desiderantur, quibus, vt suspicor, Berenices vota exequebatur poëta.

QVEIS *ego pro factis.*] Id est, quæ quoniam ita contigerunt, vt tu a diis popósceras; tuaque illa deuotio conuicta, & commissa est.

DIGNA *ferat.*] Quod caput tuum si quis inaniter adiurare ausus fuerit, meritas pœnas violatæ religionis luat.

SED *qui se ferro.*] Quo modo ego, quæ mollis sum, & tenera, ferro resistere potuissem, cum montes quoque ipsi ferro exscindantur?

ILLE *quoque euersus.*] Montem Atho significat, ab exercitu Xerxis excisum. Ceterum locus hic varie legitur, varieque exponitur: à nonnullis hoc modo,

Ille quoque euersus mons est, quem maxima natu
Progenies Phthiæ clara superuehitur.

Ijque exponunt, maximam natu Phthiæ progeniem, populos eius montis verticem incolentes, qui diutissime viuant, ob idque Macrobij vocentur. Athos enim modo Thraciæ, modo Macedoniæ, modo Phthiæ, id est Thessaliæ tribuitur. Alij legunt,

Ille quoq; euersus mons est, quem maximum in oris
Progenies Phthiæ clara superuehitur,

Exponuntque claram progeniem, ipsum Xerxis exercitum. in verbo autem superuehitur, esse enallagen temporum, vt sit præsens pro præterito. Nec desunt, qui legant, ——*maximum in orbe.* Omnino deprauatus locus est, neque, nisi antea purgatus fuerit, satis commode, vel à me, vel à quoquam alio explicari potest.

CVM *Medi.*] Historia ex Herodoto, Plinio, Iustino, Probo, aliisque notissima est.

QVID *facient crines.*] Complexio à maiori.

IVPPITER *vt Chalybon omne genus pereat.*] Versum hunc primus restituit Angelus Politianus, è scholiis in Apollonium, vbi locus hic è Callimacho citatur,

——*χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος.*
Γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν ἄμμιν ἔφηναν.

Apud Politianum tamen τηλόθεν pro γειόθεν legitur, sed male, videndum quoque, num prior versus ita legi possit,

Ζεῦ πάτερ, ὡς χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος.

Chalybes autem Schythiæ populi sunt ad fluuium Thermodontem, dicti à Chalybe Martis filio: qui ferrum, ferrique vsum primi inuenerunt. hinc est, quod Scythiam Æschylus vocat αἶαν σιδηρομήτορα. Virgilius,

India mittit ebur, molles sua tura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum.

ABIVNCTÆ.] Deprauatum esse locum hūc, nemo non videt, cum autem & veteres libri nihil opis afferant, & coniectura omnis periculosa sit; parce omnino hos versus, & timide attingam Extarent Græca Callimachi: facilia omnia & expedita essent. at hoc optare est. Quantum igitur in tantis tenebris videre possum, hic sensus est: Comæ sorores, eæ nempe quæ in reginæ capite remanserant, lugebant mea fata, quę paulo ante à suo consortio abiuncta essem: cum ales equus Chloridos, quæ Xephyri vxor est, (de hoc autem equo nihil alibi reperire potui) obtulit se mihi, Arsinoæ: (id nomen vrbis est, quam Ptolemæus Philadelphus à se conditam, sororis nomine insignierat) idque Memnonis Æthiopis vnigena, id est, Aurora, quæ vnum Memnonem ex Tithono genuit, impellente aëra natantibus pennis, (ita enim hoc postremum in veteribus nonnullis legitur) id est, exoriente. Hæc attuli, quia, vt verum fatear, nihil aptius excogitare potui: non quod ipsi mihi magnopere satisfaciant. si quis vel ingenio, vel eruditione maiore instructus, quod facillimum est, vel meliores libros nactus, veriora protulerit, gratulabor. Pegasum quidem, excusso Bellerophonte, Auroræ à Ioue dono datum, narrat interpres Homeri in VI. Iliados: si quid hoc forte ad rem facit, etenim in tam deprauato loco, haud sanè video,

qua via insistere oporteat.

Zephyritis.] Chloris.

Famulum.] Equum ipsum.

Grata *Canopeis.*] Hic quoque versus Oedipum quempiam desiderat. Nam quod non nulli de Venere hoc intelligunt, quæ in Ægypto colatur, manifestò alienum est.

Scilicet.] Nimirum, ne vnum tantum sidus esset in cœlo, è puellæ temporibus decerptũ, nempe corona Ariadnes. sed ego quoque cum numerum augerem.

Vvidulam *à fletu.*] Madentem lacrymis, quas, quod à regina diuellerer, profuderam.

Ad *templa deum.*] In cælum.

In *antiquis.*] Inter antiqua sidera.

Diva.] Venus.

Virginis.] Quam alij Erigonen, alij Astræam esse dicunt. indicat autem locum, quo posita est coma, enumeratione vicinorum siderum.

Callisto *iuncta Lycaoniæ.*] Ad vrsam, in quam versa est Callisto Lycaonis filia. hoc autem sidus & plaustrum quoque & septem triones vocant. Porro Proclus quoque ad finem Sphæræ, comam numerat inter signa ad septem triones vergentia.

Booten.] Qui & arcturus, & arctophylax dicitur. tardum autem vocat, quod sero admodum occidat.

Sed *quanquam.*] Quanquam, inquit, eum honorem assecuta sim, vt noctu quidem vestigia me deorum cælo incedentium premant; interdiu autem, vna cum ceteris stellis, Tethyos gremio, id est, mari excipiat: tamen lætitiam ex his rebus tantam non capio, quantum dolorem ex eo, quod hærere amplius in dominæ capite non possum.

Pace *tua.*] Quia arrogantius videri poterat, quod dictura erat, se non tanti facere siderum consortium, vt non mallet adhuc in dominæ capite hærere: iccirco prius Nemesin deprecatur.

Non, *si me infestus.*] Non, si scirem fore, vt me, ob hoc dictum, sidera indignata discerperent.

Evolvam.] Diæresis.

Qui *cum ego.*] Quæ me, quandiu virgo fuit, multis vnguentorum millibus perunxit.

Omnibus *expers.*] Intacta. Expers autem cum sexto casu coniunxit, more veterum. Plautus,

Eo te more expertem factam aduenicns offendi domum. Idem.

Ea res me domo expertem facit.

Nunc *vos.*] Nouas nuptas orat, vt ne ante coniugibus faciant copiam sui, quam, in ipsius honorem, partem vnguenti aliquam libauerint. Libare autem hic valet spargere; vt,

Dixit, & in mensa laticum libauit honorem.

Onyx.] Vas vnguentarium ex onyche gemma.

Sic *magis.*] Sic magis ac magis in dies vobis cum viris vestris conueniat; magisque assidue inuicem ametis.

Tv *vero regina.*] Tandem ad reginam se conuertit; suadetque, vt non ociosis ac inanibus votis, sed largis muneribus adducat Venerem, vt se è cælo rursum in caput, à quo abscissa fuerat, redire patiatur.

Festis *luminibus.*] Diebus festis.

Venerem *Sanguinis expertem.*] Venerem Paphiam, cuius aram sanguine maculari nefas erat. itaque ture tantum ei, floribusque fiebat. Virgilius,

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque reuisit
Læta suas, vbi templum illi, centumque Sabæo
Ture calent aræ, sertisque recentibus halant.

Vtinam *coma regia fiam.*] Vtinam, inquit, rursum redeam in caput reginæ, fulgeatque Bootes siue Arcturos proximus Erigonæ, vt, priusquam ego in sidus conuerterer, interiicererque inter ipsum & Erigonem. Postremus autem versus, vt à nobis scriptus est, ita legitur in veteribus libris: etiamque ratio ipsa, vt ita legatur, necessario postulat: quo magis mirandum est, quid cogitarit Politianus, cum hunc locum adhibita industria corrumperet, collectis, si diis placet, multis locis, quibus planum faceret, à Græcis interdum Oarionem pro Orione dici: quasi id ageretur. itaque merito incidit in aculeos reprehensorum, præcipue Marulli, qui quodlibet vadimonium, vt dicitur, potius deseruisset, quam vllam exagitandi illius occasionem. eius igitur illa sunt,

Oarionem pro Erigone citat Ecnomus. vnde?
Non facit ad mores virgo, sed Oarion.

Et hoc item alterum,

Quæris, qua niteat docto coma parte Catullo?
Proximus Arcturo fulget & Erigonæ est.
Virginis, & sæui contingens namque Leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaoniæ,
Flectit in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano,
Quæ tu si relegens, vbi sit coma regia, quæris,
Ecnome, aquam medio quæris in Oceano.
Quamuis, quid relegas, vitijs miser, inuidiaque
Obrutus? ingenijs candor inesse solet.
Ergo dum omnia conturbas, dum credere doctis
Negligis, & per te nil sapis ipse tamen,
Fecisti Oarionem ex Erigone, ex Arcturo
Hydrochoum. iam quod monstrum erit ipsa coma?

Hinc autem videri potest, illustres homines, quique magnum nomen habent in literis, quanto periculo peccent. effecit enim Politiani auctoritas, vt nullus iam, quod sciam, extet liber impressus, in quo non, reiecta vera lectione, nothus ille, & supposititius versus legatur,

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

IANVS DOVSA FIL.

Exstat inter alia Catulli opuscula pulcherrimũ sanè Poëmation de coma Berenicis ex Callimacho expressum, cuius Græca Elegia si non eandem cum reliquis eius plerisque omnibus scriptis iniuriam temporis passa fuisset, vehementer conferret ad efformanda iudicia atque animos nostros ijs legibus, quæ nos docent, quomodo adumbranda ac transferenda sint Græca, quod ex parte tamen faciunt hæc ὑπομνήματα, quæ è Græcis Grammaticis, velut pluuias aquas colligimus ad irrigandam ingenij nostri

nostri ariditatem, quæ tamen magis saliuam nobis mouent, quem explent gustum, quale illud est statim in principio. A

V T *Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans Dulcis amor gyro deuocet aerio.*] Obseruamus enim hic *aerio* pro cælesti dictum, vt apud Callimachum in sequenti disticho dictum est ἐν ἠέρι, pro in cęlo. hinc & ὑψίφοιτος Luna cognominatur Græcis & Ἄρτεμις quasi ἀερότεμις, id est aërem secans, dicitur teste Macrobio. Itaque hoc distichon ita conuertimus Græcè:

Ὡς ποτὲ λατμίου ἄντρου ἔρως γλυκὺς ὑψιφοίτου
Κρυφαδίως κατάγει Ἀρτέμιν οὐρανόθεν.

L Æ V I A *protendens brachia.*] Sic supra: B
Læuia substernens robusto brachia collo.

Q V V M *Medi irrupere nouum mare.*] Videtur huc respexisse Iuuenalis Scholiastes ad illum locum Satyræ x. *Velificatus Athos. Xerxem dicit Persarum Regem, qui Athonem montem in Achaia dicitur perforasse & immisisse terris nouum mare.*

I V P P I T E R *vt* χαλύβων *omne genus pereat.*] Pentametrum imperfectum, quod huic Catulli respondet in Callimacho ab Apollonij Scholiaste adductum χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος, ita ab auctore ipso conceptum fuisse satis ingeniose suspicatur Muretus:

Ζεῦ πάτερ ὡς χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος.

Quod supplementum placeret magis, si idem verborum ordo seruaretur. itaque quamquam id postulet sententia, tamen quia postulat, non flagitat, ampliandum censeo. Ego tametsi cum tanto viro pedem struere non ausim aut pertinaciter contendere, ne audiam illud Theocriti: C

Βάτραχος δὲ ποτ᾽ ἀκρίδας ὥς τις ἐρίσδω:

Tamen quum id ab illo dicis tantum caussa dictum sciam, quid de hoc loco consilij ceperim, studiosos celare nolui, qui auditis his testibus quos adducam, secundum nos pronuntiare præoptabunt potius quàm litem suam facere. Cum enim obseruassem ἐπιφώνημα illud *Iuppiter* interdum per ἄπολλον apud Græcos efferri, vt apud Lycophronem in Menedemo ἄπολλον ὡς καλόν, suspicatus sum etiam hic, quamuis in alia significatione cōmodè succenturiari posse vocem hanc Ὤπολλον hoc modo: D

Ὤπολλον, χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος
Τελλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.

Quam coniecturam nostram vehementer sibi probari significauit nobis per litteras clarissimus Lipsius. & fortasse non aliter scripsit Callimachus atque alludere voluit ad ἀπόλοιτο, cui verbo etiam nominis sui caussam Apollo debet, vnde signatè Euripides in Phaëthonte: E

Ὦ χρυσοφεγγὲς ἥλι᾽, ὥς μ᾽ ἀπώλεσας
Ὅθεν σ᾽ Ἀπόλλω᾽ ἐμφανῶς κλήζει βροτός.

Simili allusione vsus est Hymno in Apollinem Battiades noster:

Ὤπολλον, πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι
Πολλοὶ δὲ κλάριον.

Et istiusmodi alliterationes tantum non in deliciis habuerunt antiqui, vt ex multis multorum locis manifestum est. Theocritus in Bacchis:

Ἐξ ὄρεος πένθημα καὶ οὐ Πενθῆα φέροισαι.

Vbi Euripidis imitationem in fabula cognomini agnosco qui dixit:

Πενθεὺς δ᾽ ὅπως μὴ πένθος εἰσοίσει δόμοις
Τοῖς σοῖσι Κάδμε.

C V M *se Memnonis Æthiopis.*] Postquam Memnonis mentio se obtulit, cur non quia bellissima occasio est, de eius statua aliquid dicamus aliis indictum? cuius meminerunt quidem apud Græcos Strabo lib. XVII. & Pausanias in Atticis: apud Latinos Plin. lib. XXXVI. cap. VII. Tacitus Annal. II. Iuuenalis Sat. XV. & omnes in eo tanquam de compacto rem gerentes inter se concorditer congruunt, vt in Ægypto fuisse dicant. Vnus Philostratus ab Apollonio eam in Æthiopia visam ait, quod quidem eius scriptoris vanitati (vt pote qui solens insolentissimè mentiatur) tribuendum putat vir magnus, non rei veritati, tot præsertim tibicinibus suffultæ. cui ego certè lubens meritoq; subscribo. tantùm moneo huius siue sententiæ seu mendacij popularem esse Callistratum Græcum itidem scriptorem in Descriptionibus suis: ac primùm in descriptione Ægyptij Satyri ita loquitur: τὸν θεασάμενον τὸ εἴδωλον καὶ τὸν Αἰθίοπα λίθον ἐμφαίνοντα Μέμνονος ἐπιτυγχάνειν θαύματι, ὃς προσιούσης μὲν τῆς ἡμέρας ἐπὶ τῆς παρουσίας ἐφαιδρύνετο. ἀπιούσης δὲ αὐτῆς βαρυνόμενος πένθημα ἐποίει. mox de ea ex professo agens: τὸ πλάσμα Μέμνονος ἱδρυμένον ἐν Αἰθιοπίᾳ ἐκ λίθου πεποιημένον. οὐ μὴν ἐν τοῖς οἰκείοις ὅροις ἔμεινε λίθος ὤν, οὐδὲ τὰ τῆς φύσεως σιγηλὰ ἐπεῖχεν, ἀλλὰ καὶ λίθος ὢν εἶχεν ἐξουσίαν φωνῆς. τὴν μὲν γὰρ ἀνίσχουσαν τὴν ἡμέραν προσεφθέγγετο, ἐπισημαίνων τῇ φωνῇ τὴν χαρὰν καὶ ἐπὶ τῆς τῆς μητρὸς παρουσίας φαιδρυνόμενος. τὴν δὲ ἀποκλινομένης ὡς νύκτα ἐλεεινόν τι καὶ ἀλγεινὸν ἔστενε πρὸς τὴν ἀπουσίαν ἀνιώμενος. ἐπῆρε δὲ οὐδὲ δακρύων ὁ λίθος, ἀλλ᾽ εἶχεν ὑπηρετοῦν μέρος τῷ βουλομένῳ καὶ τοῦτο. In quibus etiã hoc docemur aliis scriptoribus non traditum quod sciam: statuam hanc non semel vt Strabo, alijque volunt, sed bis in die, neque simplicem sonum crepuisse radiis Solis contactam, sed cum hilaritate quadam coniunctum accedentè eo, contra lugubrem recedente. Porro quod de hac statua scribit Pausanias fractam eam à Cambyse, id paullò aliter Interpres Iuuenalis à Pythæo editus his verbis: *Memnonis ex are statua cytharam tenens certis horis canebat. Hanc Canbis* (lego *Cambyses*) *Rex iussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse quod intra statuam lateret. nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magicè consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo dimidio dixit, id est, aperto & diuiso.* Item alius Interpres Iuuenalis nondum editus, qui codicis nostri, quem infimæ vetustatis penes me habeo, marginem conscribillauit: *Statua Memnonis filij Auroræ ita arte quadam mechanica composita, vt humana voce Regem & Solem salutaret. postea Rex Cambyses volens hanc rem cognoscere, partem statuæ abscidit, & sic postea Solem tantum non etiam Regem salutabat. vnde dimidio Memnone dixit.* Ad hanc Solis siue Auroræ salutationem respexit Dionysius in Periegesi:

———ἔνθα μιγαδὶς
Μέμνων ἀντέλλουσαν ἑὴν ἀσπάζεται ἠῶ.

In quibus operæ pretium est, præter multa quæ hactenus latuerunt, considerare dissensionem auctorum inter se & conferre.

P L A C A B I S *festis lu. Ven.*] Etiam hic loquendi modus ductus ex officina Græcorum, vt enim

hic *lumina*, sic & illi φάεα pro diebus accipiunt. A Quod si antestari libeat, opponet auriculam Callimachus ipse, quem non alia voce etiam hîc vsum suspicor. sic enim loquitur Hymno in Dianam: ——ἀλλὰ δι' ὅττι

Δίφρον ἐπισχόμενος, τὰ δὲ φάεα μακύνονται.

Item Hymno in Cererem.

——ἑπτάχθεια δ' ἤλασε κάμοις

Πόδας αἱ ἐνάγκωσαν, ὁ δ' ἔννια φάεα χεῦται.

In eadem notione sumitur hoc verbum apud Ennium in Medea:

Si te secundo lumine hic offendero.

Respondet enim illi Euripideo: B

Εἴ σ' ἡ 'πιοῦσα λαμπὰς ὄψεται θεοῦ.

Peruenimus tandem ad eum locum, qui iam inde à Politiani sæculo multos exercuit, multas pugnas atq; adeò tragœdias excitauit. is est conclusio huius politissimi Carminis.

PROXIMVS *Hydrochoi fulgeat Oarion.*] Verùm cùm ne nunc quidem satis explicatum eum videam, non videbor in scirpo nodum quæsisse, si cum viris maximis symbolam aliquam in huius illustratione contulero. Ac primùm quidem sententiam hanc subesse, restitui regio capiti velle comam, & mandare Orioni astro fulgentissimo, vt pro se lucere velit; assentior Principi Critico. Cui anchoræ interea nauem cõmendabimus nostram, ne nimis fluctuet explicationum salo, donec plenis velis inuehamur in portum veræ lectionis. vulgata enim qui constare possit non video, quum apertè falsum sit proximum τῷ ὑδροχόῳ siue Aquario esse Orionem. In quibusdam editionibus ita cõcipitur hic versus:

Proximus Arcturos fulgeat Erigone.

Ex quo videamus an aliquid boni exsculpi; &, vt ex lapidum conflictu tritúque ignis, sic è lectionibus collisis elici veritas possit. quam primus videor eruisse, Erigonem fugitiuam retrahendo à cauda versus in medium, & minima mutatione in Eridanum conuertendo, vt rescribatur totus versus hoc modo:

Proximus Eridano fulgeat Oarion,

Eridanus autem ita proximus Orioni est, vt ποταμὸς ὠρίωνος vocetur Proclo aliisque, ποταμὸς ὁ ἀπὸ τοῦ ὠρίωνος Gemino in Apparentiis Cęlestibus. De eo ita Aratus:

Οἶον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται

Λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύτου ποταμοῖο.

Καὶ τὸ μὲν ὠρίωνος ὑπὸ σκαιῷ ποδὶ κεῖται.

Et Cicero ex eodem:

Namque etiam Eridanum cernes in parte locatum

Cæli funestum magnis cum viribus amnem,

Quem lachrymis mæstæ Phaëthontis sæpe sorores

Sparserunt, letum mærenti voce canentes.

Hunc Orionis sub læua cernere planta

Serpentem poteris.

Videmus iam quod ad astrorum θέσιν attinet, quàm commodè Orioni adiungatur stellifer ille amnis. Et errorem exinde natum credo, quod χύσιν ὕδατος ἀπὸ τοῦ ὑδροχόου (quæ etiam à Manilio *flumina* dicuntur) cum Eridano amne confuderint homines præposteri, vt etiã huic loco hanc explicationem appinxerint: *Si fierem, vt opto, coma Regia, tunc me, qua media sum inter vtrumque, sublata, Orion foret, proximus Aquario*, in qua quot verba,

A tot errores vides. sed ἱκανῶς τὸ τὰς διώξεις τῶν κέρων νιας ἐξετάζειν. Itaque eos mittamus & ad Orionem nostrum reuertamur, qui quanquam ferro suo armatus veniat, numquam tamen nos absterrebit, quin excutiamus eum totum. Neque alienus est hic locus ab ea obseruatione, qua Orionem hunc Bootis quoq; nomine insignem fuisse colligimus ex Hesychij Lexico his verbis: Βοώτης ὁ ὠρίων. Item: Βοωτεῖν, ἀροτριᾶν ὅτι ὁ ὠρίων Διός. Etiam Higyno, qui Orionis Canem apud alios Icarij Canem esse scribit, qui Icarius idem cum Boote est. cui rei hanc caussam subesse suspicor, quòd clauam manu tenens, & cum Tau- B ro gradum prælitantis componens fingatur Orion. nisi quòd Bootes à tergo instet iuuencis, hic à fronte. Sed & Orionem vicissim pro Boote sumi obseruaui ex Theocrito, qui ἐν θαλυσίοις ita scribit:

Ἆμος δ' τρίφιταις μασσύννος ἐς δύσιν ἄρκτος

Ὠρίωνα κατ' αὐτόν.

Id autem ita esse colligo ex Anacreontis loco, qui huic planè geminus est:

Μεσονυκτίοις ποθ' ὥραις

Στρέφεται ὅτ' Ἄρκτος ἤδη

Κατὰ χεῖρα τὴν Βοώτου.

C In Germanici Cõmentariis mendum est in hac voce: *Oarion qui & incola dicitur.* repone meo periculo: *qui & iugula dicitur.* Orionem enim Iugulam dici satis notum ex Varrone aliisque. Neq; illud supinè prætereundum, aliam nominis rationem, quàm ab aliis traditur, assignari huic à Strabone, nimirum ab Oreo, vrbe montana Eubœæ insulæ in qua educatus, ad quod etymon Poëtas respexisse puto, quum primam in Orione corripiunt. Sed vt illud vnde digressus sum redeam, vnum etiam video obijci posse Eridano nostro, scilicet eam μέρουσαν ab aliis Nilum voca- D ri, idque potius nomen ei assignaturum fuisse Callimachum, quum res in Ægypto gesta sit. Equidem, quamuis hoc totum negare possim, non enim exemplum exstat apud Poëtas, quod sciam, tamen facilè eluserim hunc ictum, si dicam, etiamsi Callimachum Nilum posuisset, tamen Catullum Eridanum scripturum fuisse, quod & Poëtarum in vertendis Græcis consuetudo, & Latinæ linguæ leges postulabant.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

E DVLCIS *amor gyro.*] Ita docti viri ex *gouero* aut *giuodero.* Nam & illud corraptum ex *goero.* Goerus est Gyrus. Ausonius:

Octo & octoginta goeris, & super triborio. Idem,

Additis ad hos priores goeros geminis orbibus.

Idem doctissimus poëta dixit Coebum pro cubo, vt olim in nostris Ausonianis lectionibus notauimus. Gyrus autem est flexus metæ. vt *--Interiore diem gyro rapit*, hoc est sinisteriore flexu spatium Lunæ & Solis non mirabitur, qui scit eis bigas, & quadrigas adtribui. Si quis gyrum simpliciter pro circuitione Solis accipere malit, per me liceto.

NOVIS *auctus Hymenæis.*] Repone *--nouo auctus hymenæo.* Hoc facimus auctore vetere scriptura.

A ANNE *parentum.*] Elegiam quidem Callimachi in comam Berenices non habemus, sed extat similis locus ex eius dactylicis:

> Α πῶς ἁ κατάκλαυτος
> Τὰς οἱ φασὶ πιοντος
> Εὐνάκις ὀφελομὰς
> Ἔχθεν ἴσον ὀλέθρῳ.

Plane ipsissima est sententia.

NON *ita me Diui vera gemunt iuuerint.*] Prima in *iuuerint* est correpta ἀρχαϊκῶς, quomodo dicebant vellerunt pro vulserunt. Scinderunt, à Scindo. Sic præteritum iuui nihil mutat à præsenti iuuo. Sic Terentio in Hecyra impellerim: *qui illum ad laborem impellerim.* Quare non sequimur eos, qui legunt iuerint. B

ANNE *bonum oblita es.*] Ex vestigiis priscæ scripturæ colligimus ita Catullum scripsisse: *Anne bonum oblita's facinus, quod regium adepta's Coniugium?* Sic apud Ciceronem in epistolis: *imminuta'st, appellanda'st, nulla'st*, vt obseruat doctissimus P. Victorius.

QVOD *non fortior auxit alis.*] Lege *quod non fortior aut sit alis?* Anne oblita es, & quod nupsisti Regi, & quod nemo te fortior sit? Historia huius rei extat apud Hyginum, quare magnanimam vocet eam.

AT *quæ ibi pro cunctis.*] Ita concinnandus locus: C

> *At quæ ibi, proh, cunctis pro dulci coniuge Diuis*
> *Non sine taurino sanguine pollicita es,*
> *Si reditum tetulisset is, aut in tempore longo*
> *Captam Asiam Ægypti finibus adijceret?*

QVEM *maxima in oris.*] Scriptura plane characteris Langobardici: A pro V, & contra. Nam *maximu' in oris* scribendum erat. sed, vt iam dixi, in eo charactere nihil inter se differunt hæ litteræ duæ. Quem, inquit, Atho maximum in oris Phthiæ progenies clara superuehitur. Progeniem claram dixit Macedones, adulans Ptolemæo propter Alexandrum, & eius successores Ptolemæos. D

QVVM *Medi irrupere.*] Correctores antiqua lectione offensi, eam mutarunt, quæ erat, *Quum Medi properare nouum mare.* Infinitiuus modus pro definito tempore. creberrimum apud Sallustium. Sic ad eundem modum Claudianus de nuptiis Honorij & Mariæ: *Quum procul augeri nitor, & iucundior aer Attonitam lustrare domum-* vbi dictum. *Quum augeri*, quum lustrare, vt hic quum properare. Quum, inquit, Medi properabant nouum mare. In octauo Æneidos,

> *Interea quum iam stabulis saturata moueret*
> *Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,*
> *Discessu mugire boues, atque omne querelis*
> *Impleri nemus, & colles clamore relinqui:*

Hic *impleri*, & *relinqui* eodem tempore censeri debent, quo *moueret*, & *pararet*, quanquam scio vulgus Grammaticorum eum locum aliter accipere. vbi sane plane Grammatici sunt, hoc est ἀκαλλιλόγοι. At Virgilius dixit, *quum impleri, quum relinqui* eodem modo, quo hic dictum, *quum properare.* Vide quam male hunc politissimum poëtam habuerunt scioli isti. Properare mare, vt Horatius properare apio coronas. Virgilius:

> *Et quantus igni exiguo properata maderent.*

QVID *facient crines.*] Virgilius pene ad verbum:

> *Quid facient domini, audent quum talia fures?*

Et constat, quum Xerxes tot millia hominum impenderet ad montem perfodiendum breui opus totum explicasse. vnde verbo properandi vsus poëta, festinationi operis accommodo.

IVPPITER, *vt Chalybon.*] Ingeniosè quidem Politianus ex Græco Callimachi restituit. sed quam vere, haud dum scio: quum editiones, quæ ante hanc emendationem Politiani emissæ sunt, constanter habeant, *celicum.* quod & Grammatici eius sæculi testâtur in manuscriptis etiam extare. nam vnde hanc corruptam vocem hausissent formis excusi, nisi ex scripta lectione? Certe in nostro liquide scriptum fuit, *telitum.* Sed iam toties monuimus in his exemplaribus manuscriptis C, pro T. & contra scriptum fuisse. Itaque & illud *Celicum* nostro quoque exemplari confirmari potest. Quanquam ex *telitum, telorum* fecit Parthenius. Certe *Chalybon* non scripsit Catullus. quare? quia nimium quantum discedit à vestigiis priscæ lectionis. Quid ergo? Puto, vt ingenue fatear, Catullum τὸ χαλίβων in Græco poëta non pro natione, sed pro ipso ferro accepisse. Nam chalybs passim apud Græcos etiam τὸ σίδηρον, acies ferri. Itaque vnam syllabam desiderari puto:

> *Iuppiter, vt sicelicum omne genus pereat.*

Nam prima syllaba SI, extrita erat, vt in illo huius poëmatij versiculo:

> *Sanguinis expertem non veris esse tuam me.*

Deest haud dubie prima syllaba SI. *non siueris.* Sicelices, aut Sicilices, cultra tonsoria vocat. Sicilire est cædere. Sicilices sunt quas in sibynis aut lanceis, aut venabulis, αἰχμὰς Græci vocant. Ennius:

> *Incedit veles volgo sicelicibu' latis.*

Vide quæ ad Festum eo loco notauimus. Hic vero vt diximus, sicilices sunt cultri tonsorij, quibus abscissa coma. In Glossis autem Sicilicum est ξυρὸς κουρίας. Notum quid sit Sicilire prata. Hoc enim est circuncidere. Apud Isidorum præclara sunt veterum scriptorum testimonia, tanquam preciosiorum pauimentorum tessellamenta. Sed ea non raro peruertit Isidorus, in quibus illud succurrit: libro vj. cap. xij. Circuncidi libros Siciliæ primum increbuit. Nam initio pumicabantur. Nihil temere asseram. Sed videtur auctor, vnde desumpsit, scripsisse: *Circuncidi libros, id est sicilire*, vel circuncidi libros sicilice primum increbuit. Reliqua sunt ab Isidoro. Apud Martialem lib. IX. LXXVIII. E

> *Et libata semel, summos modo purpura cultros*
> *Sparserat———*

Ita legendum ex scriptis libris. Nam cultros intelligit, quos hic Catullus dixerit sicilices. Purpura autem est prima lanugo barbæ. vt etiam vestis. Et vesticeps ὁ ἐφηβῶν. Sane sequentia manifesto docent Catullum τὸ χαλίβων non pro ratione accepisse, sed pro chalybe ipso. Aliter enim accipit ac Callimachus scripsit. Quum enim scribit, *Et qui principio sub terras*, &c. vertens ex illo.

——χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος.

Τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.

Ostendit se aliter legisse, ac citatum inuenimus. nempe, τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν ὅ μιν ἔφηναν. & μιν τὸν χάλυβα interpretatur, quum Callimachus τῷ *ferro* referat. --*quum ferro talia cedant*, vt si scripsisset:

Καὶ τὸ κέρας ῥέξαιμ', ἐπεὶ τὰ δ' εἴκαθε χαλκῷ;

Ζεῦ πάτερ, ὡς χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος

Τηλόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν ἅμα ἔφηναν.

μιν hoc est τὸν χαλκὸν, seu σίδηρον, quod antea dixerat.

ABIVNCTÆ.] Noster liber *Abrupta*. Nimirum hæc bona lectio ac sincera minutulis B magistris displicuit. quare, nescio. Sententia enim plana.

VNIGENA.] Vnigenas fratres & sorores vocat Catullus. Sic supra Dianam Phœbi vnigenam dixit. Ergo Memnonis vnigena Pegasus. quia Auroræ filius. Sane Pegasum ab Aurora dono Ioui datum scribunt Græcorum commentarij. Lycophron autem & alatum Pegasum, & eo vehi Auroram scribit:

Ἠὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι φηγίου πάγον

Κραιπνοῖς ὑπερπετῶσα πηγάσου πτεροῖς.

Quare igitur alitem & pinnatum facit, haud C obscurum est.

CHLORIDOS *ales equus*.] Antiqua scriptura in nostro libro, *alis equos*. *Alis*, vt germin, rumin, pro ales, germen, rumen. vt olim in libros rerum rusticarum notauimus, *equos*, vt supra *maritos* pro maritus. Arsinoen pro Venere Zephyritide cultam ex Callimacho ante hos quindecim plus minus annos admodum adolescentes notaueramus, Possemus & illos versus Callimachi adducere ex Athenæo nisi iam eos Turnebus libris suis Aduersariorum inseruisset, Chloris & Zephyritis συνώνυμα sunt.

ME *tollens aduolat oras*.] Noster codex, *vmbras*, non *auras*. Quod meo periculo reponas D licet. Nam noctu rapta fuit ea coma. Itaque mane in templo non comparuit. vmbras ergo noctem dixit. Hoc plane pertinet ad historiam. quod tamen audaces homines, quum minime intelligerent, peruerterunt.

IPSA *suum zephyritis*.] Quemadmodum Arsinoe pro Venere colebatur, ita ex his colligimus equum, quem in delitiis habuit, Pegasi nomine appellari, tanquam & ipse inter astra collocatus esset. vnde famulum ipsius vocat. Sane E à studio equorum ἱππία vocata fuit Arsinoe. Auctor Hesychius in Glossis.

GRATA *Canopæis*.] Omnia luxata, peruersa, contaminata sunt ab ineptis pædagogis, qui insigni aliqua temeritate plus sibi gloriæ apud homines sui similes pariunt, quam viri docti ex aliqua egregia emendatione. Tanta penuria est hominum, qui in istis literis aliquid videre possunt. Ego aio atque iterum aio Catullum ita scripsisse:

Gnata Canopijs incola litoribus

Ludit vbi.——

Canopijs est κανωπίοις. vt Alexandria ex Græco ἀλεξάνδρεια. Antiochia, ἀντιόχεια. Prisca lectio fuerat, *Canopicis*. nempe propter similitudinem

A hic C, pro E positum fuerat. Nam antiquo illo more scriptum fuit *Canopicis*. vt supra, *ludei*, *lucei*. Hæc perpetua erat in I longo veterum illorum orthographia. Illud, *Ludit vbi*, ex perturbatis vestigijs scripturæ, quæ in nostro libro est, odorati sumus. Quæ sunt omnia γνήσια Catulli, & elegantissima. Zephyritis Arsinoe, inquit, eo miserat famulum suum Pegasum. Quò? nempe vbi gnata Berenice ludere cum alijs æqualibus solet. Nam Berenice, vt & pueri sciunt, Arsinoes filia. *Grata* pro *Gnata* etiam in exemplari Gallicano potuit exaratum fuisse, vt apud Plautum in Truculento, *E re grata* scri- B ptum extabat, & editum est, pro *E re gnata*, quod aliis est, E re nata. Quantum autem hæc antea deformata erant? Quam male isti homines meriti sunt de politissimo poëta, quem tot vibicib. pene stigmatiam fecerant?

VARIO *ne solum limite cæli*.] Hæc quoque Catulliana non sunt, sed eorundem hominum commenta. Noster liber habet.

——*vario ne solum in limine cæli*

Aut Ariadneis aurea temporibus

Fixa corona foret.——

Quæ proba lectio est, modo pro *limine* legas C *lumine*. Lumen cæli est cælum ipsum περιφραστικῶς. Iuuenalis:

Nihil præter nubes, & cæli lumen adorant.

Sed ibi vulgo legebatur *numen*, vt supra eodem errore, --*cælesti lumine vidis*, perperam *numine* & scriptum in nostro extat, & vulgo editum est. Cæleste numen, & cæli lumen, hoc est, cælum.

EX *Ariadneis*.] Ostendimus iam scriptum esse, *Aut Ariadneis*-- quod probum & verum est. Ne solum, inquit, corona in cælo, aut in capite Ariadnæ fixa esset. Nam alij coronam simplicem in cælo ponunt, vt maior pars Astrono- D mon. alij ipsam Ariadnam in cælo collocant, vt quidam mythologi. Propertius:

Te quoque enim non esse rudem testatur in astris,

Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis.

VVIDVLAM *à fletu*.] Et hic ore correctorum Catullus loquitur. Nam vetus scriptura longe aliter habet: *Viuidulum à fluctu*. Sed profecto Gallicanus codex habuisse videtur *à flatu*. vnde factum *fluctu*. Nam qui *à fletu* legunt, vt habet melior pars editionum, videntur secuti illam lectionem, *à flutu*. quæ proxime à vero abest. nam υ pro α positum, imo υ & α eadem E sunt in Langobardicis characteribus. Legemus vero *à flatu*: &, ne solœcismum committamus, *Viuidulo à flatu*. Viuidulum flatum, vocat, quam Græci poëtæ ἀκραία πνοιὴν. Nam sublatus fuerat in cælum Bostrychus Berenices. Itaque his verbis innuit se vento secundo sublatum in auras. Qui dubitat hanc nostram emendationem veram esse, eum ego iubeo ἅπτειν λύχνον ἐν μεσημβρίᾳ. non quod ita iudicio nostro confidimus: sed quia vt nolumus aduersus animi nostri sententiam verum oppugnare, καὶ ἑκόντι τῇ ἀληθείᾳ χωρεῖν, sic aduersus ineptorum magistellorum audaciam illud tueri nullum prorsus periculum esse puto.

CALLISTO *iuncta Lycaeniæ*.] Qui hæc

mutarunt, vellem mihi dicerent qua fiducia id fecerint? an quod vllam analogiam sua correctione restitutam putent? minime. neque enim efficient vnquam, vt *Callisto* tertio casu dictum fuerit. Dixissem saltem *Callistoe*. nempe, καλλιστοῖ. Noster liber minimum abest à vero. Legit enim: *Callisto iusta Lycaonia*. Si literulam addas vt pro *Lycaonia legas Lycaonida*, veram, vt puto, & germanam lectionem erueris. *Iusta* veteres pronunciabant, pro quo, nescio quo fato, *iuxta* nunc dicimus. eodem modo *mixta* librarij nobis transmiserunt pro *mista*: *Vlyxes* pro *Vlysses*. Infra:

M. habet iusta triginta iugera prati.

B

VERTOR *in occasum*.] Nam Coma Berenices habet ab oriente Booten, ab occidente terga leonis, à Septentrione posteriores pedes Vrsæ maioris, à meridie virginem, media prorsus quatuor asterismorum.

SED *quanquam me noctè premunt vestigia diuum*.] Aratus:

——θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται.

QVICVM *ego, dum virgo*.] Noster, QVOM VIRGO. *Expers* autem dictum eodem modo, quo Defrens, Defrensis. Sic expers expersis. sic præsex, præsicis. & vt Græci à futuro hæc nomina formant, sic Latini à supino. Græci C enim ἐμφύλαξ, κατῶβλεψ, δείκτηξ, αἰγίλωψ, & similia. Expers ergo, expersis, idem quod expersus, verbum est Expergo. ἐξεγείρω. Sed alij malunt expers hic esse ἄμοιρος vulgata significatione. Quod, si ita malunt, concedimus. Erunt igitur contrarium, expers a vnguentis, & expers vnguentorum.

NVNC *vos optato quas*.] Correctores, si literas spectes, quæ paucæ numero sunt, leuiter hæc mutarunt: si sententiam, non leuiter peccarunt. Ita enim ex nostro libro legendum:

Nunc vos, optato quæ iunxit lumine tæda
Non post vnanimis, corpora, coniungibus. D

O vos, inquit, corpora, quæ diu quidem desideratis viris copulata estis, sed quibus postea vobiscum non bene conuenit: Vos, quæ speratis quidem vestris tandem nupsistis, sed ita, vt inito matrimonio, non bene inter vos congruat. Manifesto huic comæ iubet rem diuinam facere matronas castas, quæ male concordes viros sibi cupide restitui volebant. quod mox ex sequentibus apparet. Tamen, quum hæc correctores non animaduerterent, omnia hæc peruerterunt. Huius autem temeritatis signifer fuit Auantius.

QVAM *iucunda*.] Lege, *Qua*, id est, vt. E

CASTO *colitis quæ iura cubili*.] En cacoethes correctorum. Nam vt paucularum literarum leuissima immutatione grauiter commiserant, ita hic vnius verbi deprauatione quam alienam à mente poëtæ sententiam effecerunt? Legendum enim plane ex nostro libro non *colitis*, sed *petitis*. Vester, inquam, onyx, quæ petitis iura maritorum vestrorum, integro pudicitiæ nomine. Quæ, inquit, petitis restitui vos viris vestris, modo constet pudicitiæ fama. Imo: Quæ vultis, vt mariti ius suum pudori conseruent. Recte Virgilius:

Ante, pudor quam te violem, aut tua iura resoluam.

ILLIVS *aura*.] Repone antiquam lectionem:

Illius ab mala dona leuis bibat irrita puluis.

NON *votis esse tuam me*.] Vetus lectio, *veris*, aut *vestris* præfert. Si *veris*, deest prima syllaba, vt supra dixi. Sin quod verius est, *vestris*: profecto inuersum est pro *Siueris*. Ita distingue, & lege.

Tu vero, Regina, tuens quum sidera Diuam
Placabis festis luminibus Venerem,
Sanguinis expertem non siueris esse tuam me,
Sed potius largis adfice muneribus.

Si quis hic interpretationem quærit, ego eum ad primos magistros redire censeo, vt qui non intelligat, quæ vix primis literis tinctum ignorare nefas esse arbitror. Male enim hactenus interpretati quidam sunt nescio quam Venerem sanguinis expertem: quum hoc voluerit Veronensis nostras, ô Berenice, quum Hecatomba facies Arsinoæ Veneri, ne me immunem eius sacrificij facias: ne postremam me in illo epulo memoraueris.

SED *potius largis effice*.] Illud *Effice* Pontani est, vt τὸ *votis*, quod superius suppositum erat. At recte nocter, *adfice*. noli me immunem tanti epuli relinquere, sed potius largis muneribus adfice. Si veterem lectionem recte perpendisset Pontanus, non minorem gloriam Criticus, quam poëta consequutus esset.

PROXIMVS *hydrochoi fulgeret Oarion*.] Et scripta membrana, & veteres editiones hanc lectionem testantur. Qui Erigonem & Arcturum hic supposuerunt, dum bonos Astrologos se profitentur, profecto malos Criticos se prodiderunt. Non enim hic de thesi illius astri sermo est, sed aliud vult poëta: nempe, quum fulgidum astrum sit ipsa coma (quod poëtica αὔξησιν intelligitur dictum, quum reuera sint ἀμυδροὶ ἀστέρες) & velle repetere caput Reginæ testetur, mandat Orioni astro fulgentissimo, vt pro se lucere velit. Quod si quis obijciat, Orionem non posse dici proximum Hydrochoo, quum ab eo sit remotissimus: ego respondeo tantam ἀκρίβειαν à poëtis non esse exigendam. Quid? nonne Euripides dixit: σείριος ἐγγὺς ἑπταπόρου πλειάδος ἀΐσσων? Sane haud multo remotior est Sirius à Vergiliis, quam Orion ab Aquario. Itaque Ennius videns absurditatem, quum eam fabulam, id est Iphigeniam, verteret. non Vergilias, sed vrsam vertit: quia tam Vrsa, quam Vergiliæ, est sidus ἑπτάπορον. Non tamen dissimulare possumus nobis mirum videri non solum Callimacho Orionem Aquario tam vicinum videri, sed etiam Sirium Pliadi. Non tamen propterea mutandum esse dicamus, siquid absurde ab illis dictũ. Simplicissimus ergo sensus huius loci, quem non sine magnæ temeritatis conscientia correctores contaminarunt. Sed omnium maxime ridiculus Marullus, qui quum nullum aut admodum exiguũ sensum harum literarũ haberet, ridet Politianum virum non solum se maiorem, sed & nullo nostræ ætatis inferiorem, qui non hæc cõmentus est, sed veterem lectionem, quam à magistellis deprauari videbat, ab illorum

audacia vindicare conabatur. & sane omnes vetustissimæ editiones, vt dixi, & quantum scriptorum exemplarium extat, non aliter habent. At Græculus ille putauit sibi licere in bonis auctoribus, quod ipse sibi in suis versibus voluit licere. Ausus est præterea annotationem doctissimi Politiani ineptissimo epigrammate exagitare. Sane quibus ille vir tantus videtur, tantique sit, debebant aliquid de pertinacia remittere, si eius editionem Lucretianam diligenter perpenderent. Nullus enim veterum auctorum ita male ab vllo correctorum acceptus est, vt Lucretius ab illo audace Græculo. At nos illum non imitabimur, & si qua extant eius ac similium correctorum in bonis libris temeritatis atque audaciæ vestigia, ea prorsus abolere, atque de medio bonorum scriptorum penitus obterere nobis consilium est. Quis autem huius ineptæ mutationis auctor fuerit, nondum comperire potui: nisi fuerit Marullus ipse. Nam tum recenter, quum illa scribebat Politianus, locus ille mutatus fuit, quod ansam præbuit homini eruditissimo veterem lectionem asserēdi, quam videbat ob oculos suos ita ab audaculis labefactari. Rapidum quidem ingenium Marulli fuit, & torrens, sed quod versibus nunc bonis nunc malis ex tempore effutiendis potius, quam bonis auctoribus emendandis natum videtur.

FVLGEAT *Oarion.*] Eiusdem, cuius & illa superiora, officinæ est verbum FVLGEAT. Bonum quidem ipsum, sed quod Catullus tamen nunc non vsurpat. FVLGERET enim posuit, vt præferunt scripti libri, & antiquæ editiones. Fulgerare archaicum, vt Pignerare, temperare. Glossæ: *Fulgero, ἀστράπτω.*

Ad Ianuam impudica. LXVIII.

O DVLCI *iucunda viro, iucunda parenti,*
Salue, teq; bona Iuppiter auctet ope
Ianua: quam Balbo dicunt seruisse benignè
Olim, cùm sedes ipse senex tenuit:
Quamque ferunt rursus voto seruisse maligno,
Postquam est porrecto facta marita sene.
Dic age dic nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.
Non, ita Cæcilio placeam, cui credita nunc sum,
Culpa mea est, quamquàm dicitur esse mea.
Nec peccatum à me quisquam pote dicere quidquam,
A *Verùm isti populo ianua quidq; facit.*
Quin quacunque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant, Ianua, culpa tua est.
Non istuc satis est vno te dicere verbo,
Sed facere, vt quiuis sentiat, & videat.
Qui possum? nemo quærit, nec scire laborat.
B *Nos volumus. nobis dicere ne dubita.*
Primùm igitur, virgo quòd fertur tradita nobis,
Falsum est: nonque illam vir prior attigerat,
Languidior tenera cui pendens sicula beta,
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam,
Sed pater ipsius nati violasse cubile
C *Dicitur, & miseram conscelerasse domum:*
Siue quòd impia mens cæco flagrabat amore,
Seu quòd iners sterili semine natus erat:
Et quærendum aliunde foret neruosius illud,
Quod posset Zonam soluere virgineam.
D *Egregium narras mira pietate parentem,*
Qui ipse sui gnati minxerit in gremiū.
Atqui non solùm hunc se dicit cognitum habere
Brixia Chinææ suppositа speculæ,
Flauus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia, Verona mater amata mea:
Sed de Postumi', & de Corneli', narras amore,
E *Cum quibus illa malum fecit adulterium.*
Dixerit hîc aliquis: quî tu istac ianua nosti,
Cui nūquā domini lumine abesse licet,
Nec populum auscultare, sed huic suffixa tigillo
Tātùm operire soles, aut aperire domū?

Sæpè illam audiui furtiua voce loquentem
Solam consciolis hæc sua flagitia,
Nomine dicentem, quos diximus, vtpote, quæ mî
Speraret nec linguam esse, nec auriculam.
Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas cui lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

ANT. PARTHENIVS.

O Dvlci *iucunda viro, iucunda parenti.*] hac Elegia indelebili nefandarum libidinum infamia notat quamdam familiam: cuius dominum ac patrem senem celato nomine nefarium stuprum seu adulterium cum nuru sua commisisse clamat: multísque opprobriis ac mordacissimis salibus hanc domum acriter insectatur: ianuam primum domus illius alloquens eam sibi de familiæ flagitiis respondentem inducit.

Viro sponso, seu marito. filius autem solus habebat vxorem, cui cùm coniugij officiis minimè satisfaceret, senex ipse pater sponsi nouam nuptam compressit: ideo dicit ianuam esse parenti ipsius sponsi iucundam.

Avctet.] valde augeat opere, numine, & auxilio suo.

Balbo.] hic est ille Cor. Balbus patria Gaditanus, pro quo defenso extat Cic. oratio: ad quem eiusdem Cic. est epistola in vi. lib. Hunc inferius appellat Cat. Cornelium cum inquit:

Sed de Posthumî & Cornel' narrat amore.

Fuit item Balbus Cor. Cæs. in bello ciuili legatus Oppij collega: ad quem est Hirci epistola in Cæsa. Commentariis. de Cor. Balbo legito Suetonium in vita Iulij Cæs. Fuit item iisdem temporibus Quintus Lucilius Balbus Stoicus, qui tantos progressus habuit in Stoicis, vt cum excellentibus in eo genere Græcis cõpararetur: ad hunc Antiochi Peripatetici de Stoicorum & Peripateticorũ conuenientia liber fuit missus.

Servisse *benigne.*] humanè patuisse: ac ad puellam ingressum facillimè concessisse olim cum ipse Balbus iam senex tenuit sedes, idest, Brixiæ præses esset: nam hæc domus quam Cat. insectatur, erat Brixiæ, vt inferius patebit. aut tenuit sedes dixit, idest, cum hac puella solus potiretur, in hoc amore dominabatur: nam tenere sedes est dominari.

Voto.] scilicet amantis Balbi posteaquam puella nupsit: & data est molli viro.

Facta *marita.*] nupsit.

Proiecto *sene.*] excluso Balbo.

Age.] hortantis est: Dum abundat, vt Persius.

Dic age dum Staio.

Qvare *mutata fer.*] ordo est: Quare tu mutata feraris deseruisse fidem in dominum veterem Balbum.

In.] erga.

Non *ita Cæcilio placeam cui tradita nunc sum Culpa mea est.*] ianuæ responsio ad poëtæ interrogationem. ordo est: Non culpa mea est ita Cæcilio domino meo placeam, cui nunc sum tradita.

Pote.] pro potest: aut potis est: & est locutio familiaris Catullo, vt alibi:

Hoc facies siue id non pote siue pote. alibi:
In te si quenquam dici pote, putide Vecti.

Peccatvm.] participium est: alibi nomen.

Ianitor *ipse facit.*] status iuridicialis assumptiuus per purgationem à necessitate, quia fit à ianitore coacta.

Isthæc.] ista mala de quibus me interrogas.

Non *ist. sat. est.*] Cat. verba, & est sensus: Non sufficit te negasse hanc culpam esse tuam, sed oportet causas & rationes afferre probabiles, quas vnusquisque perspiciat.

Qvid *possum nemo quærit.*] ianuæ responsio.

Vobis.] tibi Catulle quærenti talia, cùm hæc vera alius nemo scire curet, ac me culpet.

Primvm *igitur virgo.*] ordo & sensus est: Primum igitur falsum est, quod illa puella fertur virgo incorrupta esse nobis tradita: non maritus illam attigerat prior patre suo, cuius mentula nunquam arrigebatur: sed pater sponsi puellam violauit: quoniam aut filius erat sterilis, aut quod pater impiissimus erat.

Vir.] maritus puellæ.

Prior.] ante patrem: nam pater sponsi effœminati eius sponsam prior filio compressit.

Sicvla.] diminutiuum à sicca tali genere pro mentula. iocosa translatio à telo assumpta.

Beta.] hortensis herba cibis humanis familiarissima, cuius folium litteræ Græcæ formam retinens, inde nomen traxit.

Nvnqvam *se mediam sustulit ad tunicam.*] sic superius: *Pertundo tunicámque palliúmque.*

Cvbile.] thalamum coniugum. vt Iuuen.

Antiquum & vetus est alienum, Posthume, lectum
Concutere, atque sacri genium contemnere fulcri.

Qværendvmqve *nec vnde foret neruosius illud.*] sensus est: Nec inquirendum est vnde aut ex qua causa pater membrum haberet neruosius, & durius quàm filius: quod membrum posset puellæ primitias auferre: nam quamquam videtur non verisimile, tamen pater filij vxorem violauit: & pro ignauo filio sponsæ satisfecit.

Qvod *posset zonam soluere virgineam.*] id est, virginis primitias auferre: de virginali zona soluenda satis dictum fuit superius de passere.

Egregivm *narras.*] Ca. verba ironica.

In *gremium.*] in genitalia sponsæ sui nati.

Minxerit.] coierit. sic Persius.

Patritiæ immeiat vuluæ.

Atqve.] certè: verba ianuæ.

Brixia.] Cenomanorum caput vrbs Galliæ Cisalpinæ à Gallis condita est, vt Iustinus, ex Trogi auctoritate scribit à Gallis in Italiam transgressis. Tortelij alioquin non indocti viri verba de Brixiæ origine ficta ex Liuij auctoritate

falſo prolata mihi ſomniis ſimillima videntur. A
Huius autem vrbis arx impoſita eſt colli molliter aſcendenti, quem Catul. antiquo nomine Chinnæam appellatur ſpeculam: nam Cat. temporibus ille collis Chinnæa dicebatur. Vix ſine riſu iocíſque tranſire poſſum, curioſas ne dicam pueriles quæſtiones quorumdam, qui quare ac vnde Chinnæa dicatur anxie requirunt, tanquam non ſufficeret diffiniſſe, Athos eſt mons Macedoniæ, & Himetus mons Atticus Athenis imminet, niſi interpretationem afferam cur ita ſint appellati, & dicam,

——quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas: B

vt quæſtiones huiuſmodi lepide ridet Iuuenalis.

CHINNÆA.] alij legunt Ciconia, ſed antiqui codices habent Chinnæa.

SVPPOSITA.] pro impoſita. aut poſita vt ſit protheſis: & eſt nominatiui caſus, quamquam vltimam producit licentioſa ratione ſequentium conſonantium: vt Iuuenalis.

Occulta ſpolia & plures de pace triumphos.

Et Virgilius,

Lappæque, tribulíque.

SPECVLA.] nam inde clarus patet proſpectus Cremonam vſque: alij tamen legunt in ſpecula, vt ſtet verſus.

MELLA.] fluuius iuxta Brixiam labens, cu- C
ius meminit in Georg. Virgilius.

——Curuis in vallibus illum
Paſtores & curua legunt prope flumina Mellæ.

BRIXIA *mater.*] mea patria: eſt enim ianua quæ loquitur: nam (vt ſuperius dictum eſt) hæc domus erat Brixiæ.

AMATA *meæ Veronæ.*] meam Veronam dixit poëta ad ſe reſpiciens.

DE *Poſthumio.*] huius meminit Cic. in epi. ad Balbum.

CORNELI.] Cornelij Balbi, de quo ſupra dictum eſt: aut certè Cornelij alterius hominis.

NARRAT.] ſcilicet Brixia. D

ILLA.] puella, domina mea.

CONCILIIS.] cœtibus vicinæ conuenientibus vicinarum: aliter legitur Cæciliis, id eſt, dominis meis, qui domum nunc tenent, & puella potiuntur.

QVOS *diximus.*] Poſthumium & Cornelium Balbum.

QVENDAM.] quis autem hic fuerit longus homo, rubris ſuperciliis, adulterio conceptus, curioſiores quærant & ariolentur.

LITES.] de genitore ſuo, quem finxit & alium mentitus eſt.

PVERPERIVM.] id eſt, ipſe partus falſus, & E
ex falſo patre genitus.

FALSVM *puerperium.*] nominatiuus caſus eſt.

MENDACI.] mentiente ventre materno, nam adultera matre, mentiebatur eius patrem.

PALLADIVS FVSCVS.

O DVLCI *iucunda viro.*] Detecturus nobilis poëta turpiſſima cuiuſdam nouæ nuptæ adulteria, cum qua mariti etiam ipſius pater rem habuerat: domus intra cuius parietes cadē noua nupta vna cum viro & ſocero habitabat, ianuam alloquitur, eámque vt animatam ſibi reſpondere facit, vt per ipſam detegat omnem familiæ turpitudinem. oſtendit autem domum hanc non Veronæ ſed Brixiæ fuiſſe.

IVCVNDA *viro, iucunda parenti.*] quia ambo pater & filius puellam ſubagitabant.

IANVA.] hinc ordo ſumit initium.

BENIGNE.] liberaliter.

SEDES *ipſe ſenex tenuit.*] cur Balbus domum incoluit.

FACTA *marita.*] nupſit.

PROIECTO *ſene.*] extruſo eodem Balbo.

NON *ita Cæcilio.*] reſpondet ianua poëtæ percontanti.

ISTHÆC.] ſcilicet flagitia.

IANITOR *ipſe facit.*] cui tradita ſum cuſtodienda, & cuius voluntati parere compellor.

NON *iſtuc ſatis eſt.*] Verba Catulli dicentis non ſatis eſſe ſi ianua dicat culpam eſſe ianitoris, ſed dandam eſſe operam, vt homines ſentiant & videant ita eſſe.

QVID *poſſum.*] reſpondet ianua.

SICCVLA.] ideſt, mentula. diminutiuum à ſicca: erant autem ſiccæ gladioli Perſicorum enſium magnitudine, ſummitatibus obuncis, quibus latrones vtebantur: vnde ij etiam ſicarij ſunt appellati.

BETA.] quæ teſte Plinio, hortenſiorum leuiſſima eſt. eius quoque à colore duo genera Græci faciunt, nigram & candidam, quam præferunt, parciſſimi ſeminis, appellántque Siculum, candoris ſanè diſcrimine præferentes, & lactucam: noſtri Betæ genera faciunt vernum & autumnale à temporibus ſatiuis, quamquam & Iunio ſeritur.

SED *pater illius.*] ſenſus eſt non virum, quia is arrigere non poterat, ſed eius patrem puellam prius compreſſiſſe, ſeu quòd illius amore captus eſſet, ſiue quod filium ſuum ad agendum non idoneum videret.

NERVOSIVS *illud.*] eſt mentulę periphraſis.

QVOD *zonam poſſet.*] Zona cingulum erat, vt dixi, quo venter virginalis præcingebatur: ſed cùm puella iam nupſiſſet, illud prima nocte vir in lecto ſoluebat.

EGREGIVM *narras.*] loquitur Catullus, in eius autem verbis manifeſta eſt ironia.

QVI *ipſe ſui gnati minxerit in gremium.*] Qui filij ſui vxorem ſubagitauerit; quam quidem rem paulò honeſtius exprimit.

ATQVI *non ſolum hunc.*] patrem ſcilicet filij vxorem ſubagitaſſe.

BRIXIA *Chinnæa.*] Brixia vrbs eſt in Cenomanorum agro, à Gallis ſub rupe, quæ priſcis temporibus Chinnæa vocabatur, condita.

MELLA.] fluuius eſt Brixianorum de quo in Georgi. Verg. *Et curua legunt prope flumina Mellæ.*

SED *Poſthumio.*] verba ianuæ reſpondentis. Poſthumius autem & Cornelius virorum ſunt nomina, de quibus niſi quis velit ariolari, nihil certi tradi poteſt.

DIXERIT *hic aliquis.*] occurrit anthypophoræ.

NEC *populum auſcultare.*] nec populi ſermones aucupari.

CONCILIIS.]emendo consiliis: refert enim quemadmodum sæpe audiuerit nouam nuptam cum sola res suas consultaret, huiusmodi flagitia susurrantem, vt illos etiam nominatim diceret, quibus sui copia fecisset.

QVEM *dicere nolo nomine.*]quem parco nominare. indicat tamen quibusdam signis quis hic sit.

SVPERCILIA.] Plinius lib. XI. hist. nat. *supercilia homini & pariter & alterne mobilia, & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius abruptiusque inuenit in corpore, vbi solitaria esset.*

LONGVS *homo est.*] Vir est, inquit, proceræ staturæ.

QVI.] lego, cui. Ille enim de quo loquitur simulatus fœminæ, quam prægnantem fecisse falsò dicebatur, partus magnas lites intulerat.

MENDACI *ventre.*] quia non verè intumuerat.

PVERPERIVM.]qualiscunque partus, vt in Caligula tradit Suetonius, sine vllo sexus discrimine puerperium vocatur.

ACHILLES STATIVS.

O DVLCI *iucunda viro.*] Et apud Propertium, credo, ianua queri fingitur.

TEQVE *bona Iuppiter auctet ope.*] Sic Ouid. in I. Fast.

Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Iuppiter auget ope.

QVAMQVE *ferunt rursus voto seruisse maligno, Postquam es porrecto facta marita sene.*] Declarat ianuæ verbis nullo tempore pudicam fuisse dominam, ne tum quidem, cùm Balbo nupta esset, & pudica audiret. Sed in manuscriptis omnibus non Es, sed Est, legebatur. deinde, Facta marita, quod dicit, alienum videtur, cum etiam antea Balbo nupserit, qui illi vir, & ætate parens esset. itaque legendum suspicabar, *Postquam est proiecto functa marita sene.* Proiecto autem, pulso, excusso foras. quamquam in manuscriptis etiam legebatur, Porrecto. Hæc autem illorum vxor vsu fuit.

DIC *age, dic nobis.*] In manuscriptis, Dic age de nobis, &, Dic age de vobis. Illud retinendum fortasse sit, aut mutandum leuiter, Dic agedum nobis.

NON, *ita Cæcilio placeam.*] In Maffei libro est Plateam, non Placeam. legendum credo, Pateam. Atque hæc fortasse sit ea puella, de qua ante,

Ignosco tibi, Sapphica puella,
Musa doctior, est enim venustè
Magna Cæcilio inchoata mater.

NEC *peccatum à me quisquam pote dicere quidquam.*) Sic Cato in V. Orig. Quisquam, quidquam. *Quod eorum*, inquit, *nemo quisquam quidquam mihi ignoturus est.*

VERVM *isthæc potius ianitor ipse facit.*) Omnia hæc conficta & notha. In manuscriptis enim

A omnibus, *Verum isti populi ianua qui te fecit.* in Maffei libro, Popl'i quod Populi sunt interpretati. Ego legebam, *Verum istis probri ianua quisque facit.* Quidque pro Quiduis, & Quidcumque. Sic Plautus in Mil. *Mi hercle defregeritis talos posthac quemque in tegulis videritis.* Ac post, *Quemque à milite.* Et Cic. in extrema IX. Philip. *Quaque versus.* id est, quacumque. Probrum autem facere, etiam Cato dixit hoc ipso in genere. sic enim de dote. *Vir*, inquit, *cum diuortium fecit, mulieri iudex pro censore est, imperium, quod videtur, habet. Si quid peruerse, tætreque factum est à muliere: multatur. Si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, damnatur.*

B

QVOD *possum.*) In manuscriptis omnibus. Quid possum. quod aut retinendum, aut mutandum, Qui possum.

NOS *volumus vobis dicere, ne dubita.*) Sic etiam in manuscriptis erat. Sed ineptum omnino videtur, cum multis hæc dictura sit, quod addit, Ne dubita. Legendum opinor, *Nos volumus vobis dicere, nec dubia.* Nam, quod singulari & plurali numero de eodem est vsus, idipsum postea facit, illo loco scilicet, *Nomine dicentem quos diximus, vt pote quæ mi, &c.*

NAMQVE *illam vir prior attigerat*) In manuscriptis omnibus, Non illam. Quod retinendum censeo. C ea sententia, Non vir prior illam attigerat, id est, ante alios omnis. cùm eius pater filio prior nouam nuptam vitiasset.

LANGVIDIOR *tenera cui pendens sicula beta.*) Simili vsus tralatione Nicander *κορύνην* mentulam dixit. Et rutabulum eodem modo veteres dixerunt. Festus, *Rutabulum, à proruendo igne vocatum. quo panes coquuntur, inuenitur etiam positum pro membro virili.* Ac Plautus in Casina gladium eodem modo videtur dicere. *Dum gladium quæro ne habeat, arripio capulum.* Atque idem antea Catullus similiter, *Pro telo rigida mea cecidi.*

NVMQVAM *se mediam sustulit ad tunicam.*) In D manuscriptis omnibus. *Numquam se mediam sustulit hanc tunicam.* Legendum opinor, *Numquam se media sustulit hinc tunica.* id est, ad hanc suam nonnumquam arrexerat.

CÆCO *flagrabat amore.*) In nonnullis manuscriptis, Tecto. Sed illud probabilius.

SEV *quod iners sterili semine natus erat.*) siue quod inertis filij semen esset sterile.

NE *quærendum aliunde foret neruosius illud.*) In manuscriptis omnibus. Et quærendum, vnde foret. Legendum puto, *Et quærendum, vnde vnde foret neruosius illud.* Siue, inquit, fili semen, quod E esset sterile, & quærendum esset illud neruosius. Et quæ sequuntur.

QVI *ipse sui gnati minxerit in gremium.*) In vno manuscripto, Imminxerit. Gremium gnati, id est, vxoris filij. Horat. in II. Serm. Sat. VII. eodem verbo, atque eodem in genere est vsus.

Dicitur vt formæ melioris meiat eodem.

ATQVI *non solùm huic se dicit cognitum habere.*) In Maffei libro erat, *Atqui non solùm se dicit cognitum habere.* in alio, Sed, pro Se. in tertio, *Atqui non solùm sed dicit hoc cognitum habere.* Legendum puto, *Atqui non solùm hoc se dicit cognitum habere.*

BRIXIA *Chinaa suppositum in specula.*] In manuscriptis omnibus. Suppositum specula. Legendum videtur, vt & Pontanus censebat, *Brixia Chinaa supposita specula.* Octauius Pantagathus, Brixiensis ipse, singulari probitate vir, ac præstante doctrina, consultus à me, nomen ipsum Speculæ hodie nullum exstare respondit, at turrim ibi positam vulgo, Mirabella vocari, nomine, vt idem censet, ducto ab specula ipsa, vnde longe latéque prospectus pateret.

VERONÆ *mater amata mea.*] Vel quod esset vrbs Brixia vetustior, vel quod inde Veronam coloni multi commigrassent. vel quod esset Cænomanorum metropolis Brixia, in quibus est etiam Verona.

SED *de Postumij, & Corneli narrat amore.*] In manuscriptis erat, *Sed de Postumio, & Corneli narrat amore.* Sed illo modo rectius. est enim in Postumio breuis antepenultima. Lucil. apud Nonium Marcellum in verbo, Capulum, *Quem illi cum vidissent Hortensius Postumiúsque.* Corneli autem, antiquorum more, pro Cornelij. Sic Romæ in ea basi, quæ est ad Septimij Imp. Arcum, triumphis insignem, CORNELI. 7. C. &, CORNELI. SVCCESSI.

QVI *tu isthac ianua nosti.*] In manuscriptis omnibus. Quid tu isthæc, &c. Quod probari possit.

CVI *numquam domini limine abesse licet.*] Limen foribus imponi dicebatur. Plin. in XXXVI. *Difficillume hoc contingit in limine ipso, quod foribus imponebatur.*

SED *huic suffixa tigillo.*] In manuscriptis, Hæc, non Huic. illud rectius. Ianua vero sub tigillis est, è quibus etiam parietes. Tibullus in II.

Ille compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

TANTVM *operire soles, aut aperire domum.*] Tacitus in III. Operiri fores etiam dixit, nisi aliter legendum sit, *Dein, multam post noctem,* inquit, *egressa cubiculo vxore, operiri fores iussit.*

SÆPE *illam audiui furtiua voce loquentem Solam consiliis hæc sua flagitia.*] In Maffei libro, Solam cum conciliis. In aliis, Solam conciliis. Ego legendum audeo adfirmare, Solam cum ancillis. Ancillis enim libidinum omnium administris vti, dominæ fere solent. quod multis Plauti, Tibulli, aliorúmque docerem testimoniis, nisi res esset ipsa notissima.

NEC *speret linguam esse, nec auriculam.*] In manuscriptis omnibus, Speret nec linguam esse, nec auriculam. Sed, quo versus staret, Pontanus primùm, opinor, fecit, Speraret. Legendum forte,

Nec linguam speret esse, nec auriculam.

PRÆTEREA *ardebat quendam.*] Legendum, vt est omnibus in manuscriptis, Addebat, non Ardebat.

QVEM *dicere nolo Nomine.*] sic sæpe etiam Vergil. loquitur.

NE *tollat rubra supercilia.*] Minitabundus. Quamquam is etiam gestus est hominis impudentis. Euripides, Βύλαμαι σ' ὁπῶν ... Aristophanes in Lysistrata dicit, ...

MAGNAS *cui lites intulit olim.*] In manuscriptis omnibus, Qui, non Cui. Terentius in Andria:

——lites sunt inter eos factæ maximæ.

FALSVM *mendaci ventre puerperium.*] Si manuscriptam lectionem retinemus, erit hæc sententia, Qui cum nothus esset, & qua volebat matre minimè genitus, magnas, ob id credo, lites suscepit. Mendaci ventre sic dixit, vt & Horat. in V. Carm.

Tuúsque venter Pactumeius, & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lauit.

M. ANT. MVRET.

O DVLCI *iucunda viro.*] dialogus est, quo ad sceleratas libidines nescio cuius mulieris detegendas, ianuam ædium illius cum popularibus aliquot loquentem, easque ipsis indicantem facit. Tantum est. non enim puto in huiusmodi historiis cognoscendis multum operæ collocandum. Stultum est, quæ ita scripsit Catullus, vt ne tum quidem, nisi à paucis, quibus hæ res cognitæ essent, voluerit intelligi, ea se quenquam hodie credere coniectura assecuturum. pauca igitur quædam cursim annotabimus: de historia quidem ipsa suum cuique iudicium relinquemus. non enim eo hæc legimus, vt sciamus, quæ tandem illa fuerit, à qua hæc tam pulchra edita sint facinora; quisve aut senex ille Balbus, aut inualidus filius, aut officiosus pater, aut ceteri denique participes huius tam honestæ societatis: quos, ne tum quidem, cum viuerent, cognoscere, vlla laus erat: sed vt animaduertamus, si qua insint, quæ ad Romani sermonis elegantiam facere videantur. hoc igitur agamus.

POSTQVAM *est.*] alij, *postquam es.* ego ianuam maritam dici posse non arbitror.

NON, *ita.*] ianua loquitur, eodem autem modo Propertius libro primo, ianuam quandam de dominæ suæ impudicitia querentem facit.

NEC *peccatum à me.*] post hunc versum pentameter desideratur. itaque concurrerunt emendatores, vt ad mulctram muscæ; &, quod quisque potuit, attulerunt. alius,

Verum istæc potius ianitor ipse facit: alius,
Verum istis me auctorem esse facit populus: alius,
Verum isti populo di mala multa ferant.

Guarinus ait, vidisse se librum veterem, in quo esset,

Verum isti populo ianua quid reficit.

at ex hoc nulla idonea sententia exprimi potest. Ego, inane spatium relinquere, quam inanes versus ponere, satius duxi.

NON *satis est.*] viatores loquuntur. deinde ianua, *Qui possum?* &c. tum illi rursum, *Nos volumus,* &c.

SICVLA.] sica, gladij genus est, ex quo ad imminutionem inflectitur sicula, hîc autem eam sicam intelligit, qua natura muniuit mares; quæque vna sine periculo legis Corneliæ gestari potest, cum comparata non sit interficiendo-

rum hominum caussa.

NE *quærendum aliunde foret.*] imprudentis patrisfamilias esset, rogare vtendum foris, id quod ipsi præsto est domi.

ZONAM *soluere virgineam.*] puellæ virginitatem adimere. Homerus Odysseæ Λ,

> Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν.

Theocritus,

> Λῦσε δέ οἱ μίτραν, καὶ οἱ λέχος ἔντυεν ὥρη.

Musæus,

> Ὡς ὁ μὲν ταῦτ' εἰπὼν, ἡ δ' αὐτίκα λύσατο μίτρην.

vnde & ἀμίτρους vocabant innuptas. Callimachus,

> Πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους

quem in locum interpres, μίτρας, inquit, ζώνας, ἃς ἔλυον, ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι.

EGREGIVM *narras.*] rursum viatores loquuntur.

ATQVI.] ianuæ verba sunt.

SOLAM *consiliis.*] Manu. suspicatur legendum, *consciolis*: egóque assentior.

NE *tollat rubra supercilia.*] gestus minantium, sicque, vt suspicari licet, ei quo de hic agitur, familiaris.

IANVS DOVSA FIL.

QVOD in Carmine proximè sequenti est: OLIM *cùm sedes ipse senex tenuit.*] Suspicor scriptum fuisse: *quum has ædes ipse* &c. extritásque priores literas scilicet *h* & *a* propter elisionem. quamuis *sedes* etiam pro ædibus poni non ignorem apud Tibullum & hunc nostrum supra.

QVEM *dicere nolo Nomine, ne tollat rubra supercilia.*] Elegāter solennem excandescentium & nubila fronte minas spirantium habitum & vultum expressit. Sic Philostratus in Imaginibus de Medea: τὸ ἡ βλοσυρὸν μὲν ἐπισκύνιον ὑπὲρ ὀφθαλμῶν αἴρουσα, Aristophanes in Ranis: Δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχώμενος ἥσει, ad quem locum Scholiastes: ὅταν γὰρ σκυζάζῃ τις ἢ ὀργίζηται δεῖ τὸ ἐπισκύνιον γίνεσθαι τοῦτο τὸ μέρος τοῖς ὀργιζομένοις, καὶ ἐπισκύζειν τὸ χαλεπαίνειν ἀπὸ τοῦ τὸ ἐπισκύνιον καθιέναι τοὺς χαλεπαίνοντας. Quæ disertim explicant mentem Catulli. Atque hæc quidem ad excandescentiam pertinent, quam superciliis homines declarant. De superbia ac fastu, quæ hîc pendet ac sedem habet, vt Plinius loquitur, signatè Petronius: *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit.* idémque Aristænetus: Ὡς ἐρώμενος, αὐθαδέστερον ὑπεραίρει καὶ πεφύσηκας μέγα καὶ σοβαρώτερος γέγονας τὴν ὀφρύν. quibus simile illud Agathiæ Scholiastici in Epigrammatis: οὐδ' ὑπερήνεθεν. σοβαρὴν δ' ὑπερίσχεθεν ὀφρύν. Arnobius lib. I. aduersus Gentes: *Quis arrogantiam constrinxit nostram, & elatas supercilio ceruices modum fecit suæ infirmitatis agnoscere.* vbi legendum fortè: *& elatas cum supercilio ceruices.* vt intelligat & supercilium elatum & ceruices. sic idem lib. II. *Philosophi credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, & in huius nominis supercilium sustulerunt.* vbi deesse aliquid videtur post *nominis*, quid tamen id sit, diuinare non potui. De superciliorum fastuosa elatione plura sunt in Græcorum libris, quæ omitto. hæc enim paucula attuli vt illustrarem.

A LONGVS *homo est.*] *Longum hominem* pro insulso ac blenno homine accipio hoc loco. quemadmodum μέγας pro stolido & inepto ponitur apud Aristophanem.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

POSTQVAM *es proiecto.*] Vetus lectio, *Porrecto.* & rectè, hoc est mortuo. Allusum ad gestum mortuorum. Homerus, ὁ δ' ἐν κονίῃσι τανυσθείς. Sophocles: γέροντα μόρῳ ἐκτεταμένον. Euripides Phœnissis:

> B Τοῦδ' ἐκτάδην σοι κῶλα δυσδαίμων ὄλον τείνας.

Martialis:

> *Tu languore quidem subito, fictóque laboras,*
> *Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes.*

Hoc est mortua est. Horatius:

> *Optima quod si præda mergos iuuerit*
> *Porrecta curuo litore.*

Verum autem *es*, an *est* legatur, id semper ad Ianuam refertur. Nam *es* refertur ad eam quidem vocandi casu. *Est* etiam tertia persona: vt illud antiqui poëtæ:

> *Danai, qui parent Atridis, quā primum arma sumite.*

Idem ac si dixisset Danai, qui paretis Atridis. Quare desinant Grammatici de verbo ES aut C EST controuersiam mouere.

FACTA *marita.*] *Marita*, matrona. vel, si mauis, maritalis. Horatius carmine sæculari. *lege marita.* Acro Helenius: *id est maritali, vt Plautus, apud quem Senex, Pulchra, inquit, edepol pecunia est. Cui respondet alius. Quæ quidem non marita est. pro eo quod est: Quæ quidem non est maritalis.* Censorinus. *Nonnulli binos Genios dumtaxat domibus, quæ essent maritæ, colendos putauere.* T. Liuius lib. XXVII. *Vagabatur enim cum vno aut altero comite per maritas domos dies noctésque.* Quare autem maritam, aut maritalem ianuam vocat? Diximus apud Festum, Matronæ Romanæ, simulac in mariti manum D conuenerant, lectum ante ianuam sibi in atrio sternebant, qui dicebatur aduersus lectus. Propertius:

> *Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,*
> *Sederit aut nostro cauta nouerca toro.*

Asconius quoque eiusdem lecti meminit. Vide quæ ad Festum superioribus annis notauimus. Vnde Matronæ dicebantur Ianitrices, præsertim duæ, quæ duobus fratribus in eandem domum innupserant. Lepidè igitur dixit ad Ianuam, *postquam es facta marita.* quod non obscure intelligi potest ex Propertij loco iam à nobis producto. Videmus igitur vulgare pene id E fuisse, vt maritam ianuam vocarent, quum dominus vxorem duxisset. Aperta ergo sententia Catulli. Postquam, inquit, sene elato nupta ducta est domum.

IN *dominum, veterem.*] Liber scriptus: *In dominum venerem*, vt *dominum* sit genitiuus pluralis. Nam non vno domino functa erat.

VERVM *isti populo.*] Iam satis constat commentitium esse hunc versiculum, & correctorum ingenio fabricatum. In nostro libro legitur:

> *Verum isti populi ianua quite facit,*

BRIXIA *Chinææ suppositum in specula.*] In manuscriptis omnibus. Suppositum specula. Legendum videtur, vt & Pontanus censebat, *Brixia Chinæa supposita speculæ.* Octauius Pantagathus, Brixiensis ipse, singulari probitate vir, ac præstante doctrina, consultus à me, nomen ipsum Speculæ hodie nullum exstare respondit, at turrim ibi positam vulgo, Mirabella vocari, nomine, vt idem censet, ducto ab specula ipsa, vnde longe latéque prospectus pateret.

VERONÆ *mater amata meæ.*] Vel quod esset vrbs Brixia vetustior, vel quod inde Veronam coloni multi commigrassent. vel quod esset Cænomanorum metropolis Brixia, in quibus est etiam Verona.

SED *de Postumij, & Corneli narrat amore.*] In manuscriptis erat, *Sed de Postumio, & Corneli narrat amore.* Sed illo modo rectius. est enim in Postumio breuis antepenultima. Lucil. apud Nonium Marcellum in verbo, Capulum, *Quem illi cum vidissent Hortensius Postumiúsque.* Corneli autem, antiquorum more, pro Cornelij. Sic Romæ in ea basi, quæ est ad Septimij Imp. Arcum, triumphis insignem, CORNELI. 7. C. &, CORNELI. SVCCESSI.

QVI *tu isthæc ianua nosti.*] In manuscriptis omnibus. Quid tu isthæc, &c. Quod probari possit.

CVI *numquam domini limine abesse licet.*] Limen foribus imponi dicebatur. Plin. in XXXVI. *Difficillime hoc contingit in limine ipso, quod foribus imponebatur.*

SED *huic suffixa tigillo.*] In manuscriptis, Hæc, non Huic. illud rectius. Ianua vero sub tigillis est, è quibus etiam parietes. Tibullus in II.

Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

TANTVM *operire soles, aut aperire domum.*] Tacitus in III. Operiri fores etiam dixit, nisi aliter legendum sit, *Dein, multam post noctem,* inquit, *egressa cubiculo vxore, operiri fores iussit.*

SÆPE *illam audiui furtiua voce loquentem Solam consiliis hæc sua flagitia.*] In Maffei libro, Solam cum conciliis. In aliis, Solam conciliis. Ego legendum audeo adfirmare, Solam cum ancillis. Ancillis enim libidinum omnium administris vti, dominæ fere solent. quod multis Plauti, Tibulli, aliorúmque docerem testimoniis, nisi res esset ipsa notissima.

NEC *speret linguam esse, nec auriculam.*] In manuscriptis omnibus, Speret nec linguam esse, nec auriculam. Sed, quo versus staret, Pontanus primùm, opinor, fecit, Speraret. Legendum forte,

Nec linguam speret esse, nec auriculam.

PRÆTEREA *ardebat quendam.*] Legendum, vt est omnibus in manuscriptis, Addebat, nón Ardebat.

QVEM *dicere nolo Nomine.*] sic sæpe etiam Vergil. loquitur.

NE *tollat rubra supercilia.*] Minitabundus. Quamquam is etiam gestus est hominis impudentis. Euripides, Βλέπω σ' ἐπαίρειν δὴ βραχία μὲ λίαν ἄγαν σμικρὰ πρὸς τὸ ἀναιδὲς ἀγαγών. Aristophanes in Lysistrata dicit, ὑπεραίρειν τὰς ὀφρῦς.

MAGNAS *cui lites intulit olim.*] In manuscriptis omnibus, Qui, non Cui. Terentius in Andria:

——lites sunt inter eos factæ maxumæ.

FALSVM *mendaci ventre puerperium.*] Si manuscriptam lectionem retinemus, erit hæc sententia, Qui cum nothus esset, & qua volebat matre minimè genitus, magnas, ob id credo, lites suscepit. Mendaci ventre sic dixit, vt & Horat. in V. Carm.

Tuúsque venter Pactumeius, & tuo
Cruore rubros obstetrix pannos lauit.

M. ANT. MVRET.

O DVLCI *iucunda viro.*] dialogus est, quo ad sceleratas libidines nescio cuius mulieris detegendas, ianuam ædium illius cum popularibus aliquot loquentem, easque ipsis indicantem facit. Tantum est. non enim puto in huiusmodi historiis cognoscendis multum operæ collocandum. Stultum est, quæ ita scripsit Catullus, vt ne tum quidem, nisi à paucis, quibus hæ res cognitæ essent, voluerit intelligi, ea se quenquam hodie credere coniectura assecuturum. pauca igitur quædam cursim annotabimus: de historia quidem ipsa suum cuique iudicium relinquemus. non enim eo hæc legimus, vt sciamus, quæ tandem illa fuerit, à qua hæc tam pulchra edita sint facinora; quisve aut senex ille Balbus, aut inualidus filius, aut officiosus pater, aut ceteri denique participes huius tam honestæ societatis: quos, ne tum quidem, cum viuerent, cognoscere, vlla laus erat: sed vt animaduertamus, si qua insint, quæ ad Romani sermonis elegantiam facere videantur. hoc igitur agamus.

POSTQVAM *est.*] alij, *postquam es.* ego ianuam maritam dici posse non arbitror.

NON, *ita.*] ianua loquitur, eodem autem modo Propertius libro primo, ianuam quandam de dominæ suæ impudicitia querentem facit.

NEC *peccatum à me.*] post hunc versum pentameter desideratur. itaque concurrerunt emendatores, vt ad mulctram muscæ; &, quod quisque potuit, attulerunt. alius,

Verum istæc potius ianitor ipse facit: alius,
Verum istis me auctorem esse facit populus: alius,
Verum isti populo di mala multa ferant.

Guarinus ait, vidisse se librum veterem, in quo esset,

Verum isti populo ianua quid reficit.

at ex hoc nulla idonea sententia exprimi potest. Ego, inane spatium relinquere, quam inanes versus ponere, satius duxi.

NON *satis est.*] viatores loquuntur. deinde ianua, *Qui possum?* &c. tum illi rursum, *Nos volumus,* &c.

SICVLA.] sica, gladij genus est, ex quo ad imminutionem inflectitur sicula, hîc autem eam sicam intelligit, qua natura muniuit mares; quæque vna sine periculo legis Corneliæ gestari potest, cum comparata non sit interficiendo-

rum hominum caussa.

Ne *quærendum aliunde foret.*] imprudentis patrisfamilias esset, rogare vtendum foris, id quod ipsi præsto est domi.

Zonam *soluere virgineam.*] puellæ virginitatem adimere. Homerus Odysseæ λ,

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν.

Theocritus,

Λῦσε δέ οἱ μίτρην, καὶ οἱ λέχος ἔντυε κεῖσθαι.

Musæus,

Ὡς ἡ μὲν τάδ' ἔειπεν, ὁ δ' αὐτίκα λύσατο μίτρην.

vnde & ἀμίτρους vocabant innuptas. Callimachus,

Πάσας ἡλικίας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους

B quem in locum interpres, μίτρας, inquit, ἐζώννυτο, ἃς ἔλυον, ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι.

Egregium *narras.*] rursum viatores loquuntur.

Atqui.] ianuæ verba sunt.

Solam *consiliis.*] Manu. suspicatur legendum, *consciolis*: egóque assentior.

Ne *tollat rubra supercilia.*] gestus minantium, sicque, vt suspicari licet, ei quo de hic agitur, familiaris.

IANVS DOVSA FIL.

Qvod in Carmine proximè sequenti est:

Olim *cùm sedes ipse senex tenuit.*] Suspicor scriptum fuisse: *quum has ædes ipse s. t.* extritásque priores literas scilicet *h* & *a* propter elisionem. quamuis *sedes* etiam pro ædibus poni non ignorem apud Tibullum & hunc nostrum supra.

Qvem *dicere nolo Nomine, ne tollat rubra supercilia.*] Elegãter solennem excandescentium & nubila fronte minas spirantium habitum & vultum expressit. Sic Philostratus in Imaginibus de Medea: πῶς ἡ βλοσυρὸν μὲν ὑποκαθίζουσα τὸν ὀφθαλμὸν αἴρουσα, Aristophanes in Ranis: Δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχώμενος ἥσει, ad quem locum Scholiastes: οἷον ἡ συνάξας τὸ ἐπισκύνιον ἤγουν τὸ ὀφρύδιον γέγονεν ὑπὸ τὸ μέσος τῶν ὀφθαλμῶν, ἡ ἐπισκύνιον τὸ χαλεπαίνειν ἀπὸ τοῦ τὸ ἐπισκύνιον καθίλκειν τοὺς χαλεπαίνοντας. Quæ disertim explicant mentem Catulli.

D Atque hæc quidem ad excandescentiam pertinent, quam superciliis homines declarant. De superbia ac fastu, quæ hîc pendet ac sedem habet, vt Plinius loquitur, signatè Petronius: *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit.* idémque Aristænetus: Ὡς ἐραστὰς, αὐθαδέστερον ὑπεραίρει ἢ ποιοῦντας μέγα ἡ σοβαρώτερος γέγονας τῶν ὀφρυῶν. quibus simile illud Agathiæ Scholiastici in Epigrammatis: ὁ δ' ὑπερήφανος. σοβαρὴν δ' ὑπερείχεθεν ὀφρύων. Arnobius lib. I. aduersus Gentes: *Qui arrogantiam constrinxit nostram, & elatas supercilio ceruices modum fecit suæ infirmitatis agnoscere.* vbi legendum fortè: *& elatas cum supercilio ceruices.* vt intelligat & supercilium elatum & ceruices. sic idem lib. II. *Philosophi credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, & in huius nominis supercilium sustulerunt.* vbi deesse aliquid videtur post *nominis*, quid tamen id sit, diuinare non potui. De superciliorum fastuosa elatione plura sunt in Græcorum libris, quæ omitto. hæc enim paucula attuli vt illustrarem.

A Longvs *homo est.*] *Longum hominem* pro insulso ac blenno homine accipio hoc loco. quemadmodum μέγας pro stolido & inepto ponitur apud Aristophanem.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Postqvam *es proiecto.*] Vetus lectio, *Porrecto.* & rectè, hoc est mortuo. Allusum ad gestum mortuorum. Homerus, ὁ δ' ἐν κονίῃσι τανυσθείς. Sophocles: χαμαὶ μόρῳ ἐκτεταμένος. Euripides Phœnissis:

Τοὺς δ' αὖ πεσόντας οἱ χαλκοὶ ἐκτεταμένους πύλας.

Martialis:

Tu languore quidem subito, fictóque laboras,

Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes.

Hoc est mortua est. Horatius:

Opima quod si præda mergos iuueris

Porrecta curuo litore.

Vtrum autem *es*, an *est* legatur, id semper ad Ianuam refertur. Nam *es* refertur ad eam quidem vocandi casu. *Est* etiam tertia persona: vt illud antiqui poëtæ:

Danai, qui parent Atridis, quã primum arma sumite.

C Idem ac si dixisset Danai, qui paretis Atridis. Quare desinant Grammatici de verbo es aut est controuersiam mouere.

Facta *marita.*] *Marita*, matrona. vel, si mauis, maritalis. Horatius carmine sæculari. *lege marita.* Acro Helenius: *id est maritali, vt Plautus, apud quem Senex, Pulchra, inquit, edepol pecunia est. Cui respondet alius. Quæ quidem non marita est. pro eo quod est: Quæ quidem non est maritalis.* Censorinus. *Nonnulli binos Genios duntaxat domibus, quæ essent maritæ, colendos putauere.* T. Liuius lib. XXVII. *Vagabatur enim cum vno aut altero comite per maritas domos dies noctésque.* Quare autem maritam, aut maritalem ianuam vocat? Diximus apud Festum, Matronæ Romanæ, simulac in mariti manum conuenerant, lectum ante ianuam sibi in atrio sternebant, qui dicebatur aduersus lectus. Propertius:

Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,

Sederit aut nostro cauta nouerca toro.

Asconius quoque eiusdem lecti meminit. Vide quæ ad Festum superioribus annis notauimus. Vnde Matronæ dicebantur Ianitrices, præsertim duæ, quæ duobus fratribus in eandem domum innupserant. Lepidè igitur dixit ad Ianuam, *postquam es facta marita.* quod non obscure intelligi potest ex Propertij loco iam à nobis producto. Videmus igitur vulgare pene id fuisse, vt maritam ianuam vocarent, quum dominus vxorem duxisset. Aperta ergo sententia Catulli. Postquam, inquit, sene elato nupta ducta est domum.

In *dominum, veterem.*] Liber scriptus: *In dominum venerem*, vt *dominum* sit genitiuus pluralis. Nam non vno domino functa erat.

Vervm *isti populo.*] Iam satis constat commentitium esse hunc versiculum, & correctorum ingenio fabricatum. In nostro libro legitur:

Verum isti populi ianua quite facit,

Brixia *Chinea suppositum in specula.*] In manuscriptis omnibus. Suppositum specula. Legendum videtur, vt & Pontanus censebat, *Brixia Chinea supposita specula.* Octauius Pantagathus, Brixiensis ipse, singulari probitate vir, ac præstante doctrina, consultus à me, nomen ipsum Speculæ hodie nullum exstare respondit, at turrim ibi positam vulgo, Mirabella vocari, nomine, vt idem censet, ducto ab specula ipsa, vnde longe latéque prospectus pateret.

Veronæ *mater amata mea.*] Vel quod esset vrbs Brixia vetustior, vel quod inde Veronam coloni multi commigrassent. vel quod esset Cænomanorum metropolis Brixia, in quibus est etiam Verona.

Sed *de Postumij, & Corneli narrat amore.*] In manuscriptis erat, *Sed de Postumio, & Corneli narrat amore.* Sed illo modo rectius. est enim in Postumio breuis antepenultima. Lucil. apud Nonium Marcellum in verbo, Capulum, *Quem illi cum vidissent Hortensius Postumiúsque.* Corneli autem, antiquorum more, pro Cornelij. Sic Romæ in ea basi, quæ est ad Septimij Imp. Arcum, triumphis insignem, CORNELI. 7. C. &, CORNELI. SVCCESSI.

Qvi *tu isthac ianua nosti.*] In manuscriptis omnibus. Quid tu isthæc, &c. Quod probari possit.

Cvi *numquam domini limine abesse licet.*] Limen foribus imponi dicebatur. Plin. in XXXVI. *Difficillime hoc contingit in limine ipso, quod foribus imponebatur.*

Sed *huic suffixa tigillo.*] In manuscriptis, Hæc, non Huic. illud rectius. Ianua vero sub tigillis est, è quibus etiam parietes. Tibullus in II.

Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

Tantvm *operire soles, aut aperire domum.*] Tacitus in III. Operiri fores etiam dixit, nisi aliter legendum sit, *Dein, multam post noctem,* inquit, *egressa cubiculo vxore, operiri fores iussit.*

Sæpe *illam audiui furtiua voce loquentem Solam consiliis hæc sua flagitia.*] In Maffei libro, Solam cum conciliis. In aliis, Solam conciliis. Ego legendum audeo adfirmare, Solam cum ancillis. Ancillis enim libidinum omnium administris vti, dominæ fere solent. quod multis Plauti, Tibulli, aliorúmque docerem testimoniis, nisi res esset ipsa notissima.

Nec *speret linguam esse, nec auriculam.*] In manuscriptis omnibus, Speret nec linguam esse, nec auriculam. Sed, quo versus staret, Pontanus primùm, opinor, fecit, Speraret. Legendum forte,

Nec linguam speret esse, nec auriculam.

Præterea *ardebat quendam.*] Legendum, vt est omnibus in manuscriptis, Addebat, non Ardebat.

Qvem *dicere nolo Nomine.*] sic sæpe etiam Vergil. loquitur.

Ne *tollat rubra supercilia.*] Minitabundus. Quamquam is etiam gestus est hominis impudentis. Euripides, Βλέμμα δ' εἶχεν δεῖ βραχέα μὴ νέαν ἄγαν σκυθρωπὸν πρὸς τὸ ἀναιδὲς ἄγαν. Aristo-

A phanes in Lysistrata dicit, τἀξομιῶν τὰς ὀφρῦς.

Magnas *cui lites intulit olim.*] In manuscriptis omnibus, Qui, non Cui. Terentius in Andria:

——lites sunt inter eos factæ maxumæ.

Falsvm *mendaci ventre puerperium.*] Si manuscriptam lectionem retinemus, erit hæc sententia, Qui cum nothus esset, & qua volebat matre minimè genitus, magnas, ob id credo, lites suscepit. Mendaci ventre sic dixit, vt & Horat. in V. Carm.

Tuúsque venter Pactumeius, & tuo
B *Cruore rubros obstetrix pannos lauit.*

M. ANT. MVRET.

O Dvlci *iucunda viro.*] dialogus est, quo ad sceleratas libidines nescio cuius mulieris detegendas, ianuam ædium illius cum popularibus aliquot loquentem, easque ipsis indicantem facit. Tantum est. non enim puto in huiusmodi historiis cognoscendis multum operæ collocandum. Stultum est, quæ ita scripsit Catullus, vt ne tum quidem, nisi à paucis, quibus hæ res cognitæ essent, voluerit intelligi, ea se quenquam hodie credere coniectura assecuturum. pauca igitur quædam cursim annotabi- C mus: de historia quidem ipsa suum cuique iudicium relinquemus. non enim eo hæc legimus, vt sciamus, quæ tandem illa fuerit, à qua hæc tam pulchra edita sint facinora; quisve aut senex ille Balbus, aut inualidus filius, aut officiosus pater, aut ceteri denique participes huius tam honestæ societatis: quos, ne tum quidem, cum viuerent, cognoscere, vlla laus erat: sed vt animaduertamus, si qua insint, quæ ad Romani sermonis elegantiam facere videantur. hoc igitur agamus.

Postqvam *est.*] alij, *postquam es.* ego ianuam maritam dici posse non arbitror.

D Non, *ita.*] ianua loquitur, eodem autem modo Propertius libro primo, ianuam quandam de dominæ suæ impudicitia querentem facit.

Nec *peccatum à me.*] post hunc versum pentameter desideratur. itaque concurrerunt emendatores, vt ad mulctram muscæ; &, quod quisque potuit, attulerunt. alius,

Verum isthæc potius ianitor ipse facit: alius,
Verum istis me auctorem esse facit populus: alius,
Verum isti populo di mala multa ferant.

Guarinus ait, vidisse se librum veterem, in quo E esset,

Verum isti populo ianua quid reficit.

at ex hoc nulla idonea sententia exprimi potest. Ego, inane spatium relinquere, quam inanes versus ponere, satius duxi.

Non *satis est.*] viatores loquuntur. deinde ianua, *Qui possum?* &c. tum illi rursum, *Nos volumus,* &c.

Sicvla.] sica, gladij genus est, ex quo ad imminutionem inflectitur sicula, hic autem eam sicam intelligit, qua natura muniuit mares; quæque vna sine periculo legis Corneliæ gestari potest, cum comparata non sit interficiendo-

rum hominum caussa.

NE *quærendum aliunde foret.*] imprudentis patrisfamilias esset, rogare vtendum foris, id quod ipsi præsto est domi.

ZONAM *soluere virgineam.*] puellæ virginitatem adimere. Homerus Odysseæ λ,

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν.

Theocritus,

Λῦσε δέ οἱ μίτραν, καὶ οἱ λέχος ἤνυσεν ὥρα.

Musæus,

Ὣς ὁ μὲν ταῦτ' εἰπὼν, ἰδ' αὐτίκα λύσατο μίτρην.

vnde & *ἀμίτρους* vocabant innuptas. Callimachus,

Γάμους εἰπέπας, πάσας ἐν παῖδας ἀμίτρους

B quem in locum interpres, *μίτρας*, inquit, *ἰζώνας*, *ἃς ἔλυον, ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι.*

EGREGIVM *narras.*] rursum viatores loquuntur.

ATQVI.] ianuæ verba sunt.

SOLAM *consiliis.*] Manu. suspicatur legendum, *consciolis*: egóque assentior.

NE *tollat rubra supercilia.*] gestus minantium, sicque, vt suspicari licet, ei quo de hic agitur, familiaris.

IANVS DOVSA FIL.

QVOD in Carmine proximè sequenti est: OEIM *cùm sedes ipse senex tenuit.*] Suspicor scriptum fuisse: *quum has a: es ipse t. t.* extritásque priores literas scilicet *h* & *a* propter elisionem. quamuis *sedes* etiam pro ædibus poni non ignorem apud Tibullum & hunc nostrum supra.

QVEM *dicere nolo Nomine, ne tollat rubra supercilia.*] Elegãter solennem excandescentium & nubila fronte minas spirantium habitum & vultum expressit. Sic Philostratus in Imaginibus de Medea: *τὰς ἐν βλοσυρὸν μὲν ἐπισκυνίου ὑπὲρ ὀφθαλμῶν αἴρουσα*, Aristophanes in Ranis: *Δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχώμενος ἥσει*, ad quem locum Scholiastes: *ὅταν γὰρ σκυθρωπάζῃ τὶς ὀργιζόμενος, διὰ τὸ ἀνέλκεσθαι γίνεται τότε τὸ μέρος τοῖς ὀργιζομένοις, καὶ ἐπισκύνιον τὸ χαλεπαίνειν ἀπὸ τοῦ τὸ ἐπισκύνιον καθέλκειν τοὺς χαλεπαίνοντας.* D Quæ disertim explicant mentem Catulli. Atque hæc quidem ad excandescentiam pertinent, quam superciliis homines declarant. De superbia ac fastu, quæ hîc pendet ac sedem habet, vt Plinius loquitur, signatè Petronius: *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit.* idémque Aristænetus: *Ὡς ἐρώμενος, αὐθαδέστερον ὑπεραίρει καὶ πεποίηκας μέγα καὶ σοβαρώτερος γέγονας τὴν ὀφρῦν.* quibus simile illud Agathiæ Scholiastici in Epigrammatis: *ἡδ' ὑπέρηφθη. σοβαρὴν δ' ὑπερίσχεθεν ὀφρῦν.* Arnobius lib. I. aduersus Gentes: *Quæ arrogantiam constrinxit nostram, & elatas supercilio ceruices modum fecit suæ infirmitatis agnoscere.* E vbi legendum fortè: *& elatas cum supercilio ceruices.* vt intelligat & supercilium elatum & ceruices. sic idem lib. II. *Philosophi credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, & in huius nominis supercilium sustulerunt.* vbi deesse aliquid videtur post *nominis*, quid tamen id sit, diuinare non potui. De superciliorum fastuosa elatione plura sunt in Græcorum libris, quæ omitto. hæc enim paucula attuli vt illustrarem.

A LONGVS *homo est.*] *Longum hominem* pro insulso ac blenno homine accipio hoc loco. quemadmodum *μέγας* pro stolido & inepto ponitur apud Aristophanem.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

POSTQVAM *es proiecto.*] Vetus lectio, *Porrecto.* & rectè, hoc est mortuo. Allusum ad gestum mortuorum. Homerus, *ὁ δ' ἐν κονίῃσι τανυσθείς.* Sophocles: *γέροντα μόρῳ ἐκτανύσας.* Euripides Phœnissis:

B *Τὼ δ' ἐκταθέντε σὺν κασιγνήτῳ πέλας.*

Martialis:

Tu languore quidem subito, fictóque laboras,
Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes.

Hoc est mortua est. Horatius:

Opima quod si præda mergos iuuerit
Porrecta curuo litore.

Vtrum autem *es*, an *est* legatur, id semper ad Ianuam refertur. Nam *es* refertur ad eam quidem vocandi casu. *Est* etiam tertia persona: vt illud antiqui poëtæ:

Danai, qui parent Atridis, quã primum arma sumite.

Idem ac si dixisset Danai, qui paretis Atridis. Quare desinant Grammatici de verbo ES aut C EST controuersiam mouere.

FACTA *marita.*] *Marita*, matrona. vel, si mauis, maritalis. Horatius carmine sæculari. *lege marita.* Acro Helenius: *id est maritali, vt Plautus, apud quem Senex, Pulchra, inquit, adepol pecunia est. Cui respondet alius. Quæ quidem non marita est. pro eo quod est: Quæ quidem non est maritalis.* Censorinus. *Nonnulli binos Genios dumtaxat domibus, quæ essent maritæ, colendos putauere.* T. Liuius lib. XXVII. *Vagabatur enim cum vno aut altero comite per maritas domos dies noctésque.* Quare autem maritam, aut maritalem ianuam vocat? Diximus apud Festum, Matronæ Romanæ, simulac in mariti manum conuenerant, lectum ante ianuam sibi in atrio sternebant, qui dicebatur aduersus lectus. Propertius:

Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,
Sederit aut nostro cauta nouerca toro.

Asconius quoque eiusdem lecti meminit. Vide quæ ad Festum superioribus annis notauimus. Vnde Matronæ dicebantur Ianitrices, præsertim duæ, quæ duobus fratribus in eandem domum innupserant. Lepidè igitur dixit ad Ianuam, *postquam es facta marita.* quod non obscure intelligi potest ex Propertij loco iam à nobis producto. Videmus igitur vulgare pene id fuisse, vt maritam ianuam vocarent, quum dominus vxorem duxisset. Aperta ergo sententia Catulli. Postquam, inquit, sene elato nupta ducta est domum.

IN *dominum, veterem.*] Liber scriptus: *In dominum venerem*, vt *dominum* sit genitiuus pluralis. Nam non vno domino functa erat.

VERVM *isti populo.*] Iam satis constat commentitium esse hunc versiculum, & correctorum ingenio fabricatum. In nostro libro legitur:

Verum isti populi ianua quite facit,

falso prolata mihi somniis simillima videntur. Huius autem vrbis arx imposita est colli molliter ascendenti, quem Catul. antiquo nomine Chinnæam appellatur speculam: nam Cat. temporibus ille collis Chinnæa dicebatur. Vix sine risu iocisque transire possum, curiosas ne dicam pueriles quæstiones quorumdam, qui quare ac vnde Chinnæa dicatur anxie requirunt, tanquam non sufficeret diffinisse, Athos est mons Macedoniæ, & Himetus mons Atticus Athenis imminet, nisi interpretationem afferam cur ita sint appellati, & dicam,

——quot Acestes vixerit annos,
Quot Siculus Phrygibus vini donauerit vrnas:

vt quæstiones huiusmodi lepide ridet Iuuenalis.

C**HINNÆA**.] alij legunt Ciconia, sed antiqui codices habent Chinnæa.

S**VPPOSITA**.] pro imposita. aut posita vt sit prothesis: & est nominatiui casus, quamquam vltimam producit licentiosa ratione sequentium consonantium: vt Iuuenalis.

Occulta spolia & plures de pace triumphos.

Et Virgilius,

Lappæque, tribulique.

S**PECVLA**.] nam inde clarus patet prospectus Cremonam vsque: alij tamen legunt in specula, vt stet versus.

M**ELLA**.] fluuius iuxta Brixiam labens, cuius meminit in Georg. Virgilius.

——Curuis in vallibus illam
Pastores & curua legunt prope flumina Mellæ.

B**RIXIA** *mater.*] mea patria: est enim ianua quæ loquitur: nam (vt superius dictum est) hæc domus erat Brixiæ.

A**MATA** *mea Verona.*] meam Veronam dixit poëta ad se respiciens.

D**E** *Posthumio.*] huius meminit Cic. in epi. ad Balbum.

C**ORNELI**.] Cornelij Balbi, de quo supra dictum est: aut certè Cornelij alterius hominis.

N**ARRAT**.] scilicet Brixia.

I**LLA**.] puella, domina mea.

C**ONCILIIS**.] cœtibus vicinæ conuenientibus vicinarum: aliter legitur Cæciliis, id est, dominis meis, qui domum nunc tenent, & puella potiuntur.

Q**VOS** *diximus.*] Posthumium & Cornelium Balbum.

Q**VENDAM**.] quis autem hic fuerit longus homo, rubris superciliis, adulterio conceptus, curiosiores quærant & ariolentur.

L**ITES**.] de genitore suo, quem finxit & alium mentitus est.

P**VERPERIVM**.] id est, ipse partus falsus, & ex falso patre genitus.

F**ALSVM** *puerperium.*] nominatiuus casus est.

M**ENDACI**.] mentiente ventre materno, nam adultera matre, mentiebatur eius patrem.

PALLADIVS FVSCVS.

O D**VLCI** *iucunda viro.*] Detecturus nobilis poëta turpissima cuiusdam nouæ nuptæ adulteria, cum qua mariti etiam ipsius pater rem habuerat: domus intra cuius parietes cadẽ

A

noua nupta vna cum viro & socero habitabat, ianuam alloquitur, cámque vt animatam sibi respondere facit, vt per ipsam detegat omnem familiæ turpitudinem. ostendit autem domum hanc non Veronæ sed Brixiæ fuisse.

I**VCVNDA** *viro, iucunda parenti.*] quia ambo pater & filius puellam subagitabant.

I**ANVA**.] hinc ordo sumit initium.

B**ENIGNE**.] liberaliter.

S**ENES** *ipse senex tenuit.*] cur Balbus domum incoluit.

F**ACTA** *marita.*] nupsit.

P**ROIECTO** *sene.*] extruso eodem Balbo.

B

N**ON** *ita Cæcilio.*] respondet ianua poëtæ percontanti.

I**STHÆC**.] scilicet flagitia.

I**ANITOR** *ipse facit.*] cui tradita sum custodienda, & cuius voluntati parere compellor.

N**ON** *istuc satis est.*] Verba Catulli dicentis non satis esse si ianua dicat culpam esse ianitoris, sed dandam esse operam, vt homines sentiant & videant ita esse.

Q**VID** *possum.* respondet ianua.

S**ICCVLA**. idest, mentula. diminutiuum à sicca: erant autem siccæ gladioli Persicorum ensium magnitudine, summitatibus obuncis, quibus latrones vtebantur: vnde ij etiam sicarij sunt appellati.

C

B**ETA**.] quæ teste Plinio, hortensiorum leuissima est. eius quoque à colore duo genera Græci faciunt, nigram & candidam, quam præferunt, parcissimi seminis, appellántque Siculum, candoris sanè discrimine præferentes, & lactucam: nostri Betæ genera faciunt vernum & autumnale à temporibus satiuis, quamquam & Iunio seritur.

S**ED** *pater illius.*] sensus est non virum, quia is arrigere non poterat, sed eius patrem puellam prius compressisse, seu quòd illius amore captus esset, siue quod filium suum ad agendum non idoneum videret.

D

N**ERVOSIVS** *illud.*] est mentulę periphrasis.

Q**VOD** *zonam posset.*] Zona cingulum erat, vt dixi, quo venter virginalis præcingebatur: sed cùm puella iam nupsisset, illud prima nocte vir in lecto soluebat.

E**GREGIVM** *narras.*] loquitur Catullus, in eius autem verbis manifesta est ironia.

Q**VI** *ipse sui gnati minxerit in gremium.*] Qui filij sui vxorem subagitauerit; quam quidem rem paulò honestius exprimit.

A**TQVI** *non solum hunc.*] patrem scilicet filij vxorem subagitasse.

E

B**RIXIA** *Chinnæa.*] Brixia vrbs est in Cenomanorum agro, à Gallis sub rupe, quæ priscis temporibus Chinnæa vocabatur, condita.

M**ELLA**.] fluuius est Brixianorum de quo in Georgi. Verg. *Et curua legunt prope flumina Mellæ.*

S**ED** *Posthumio.*] verba ianuæ respondentis. Posthumius autem & Cornelius virorum sunt nomina, de quibus nisi quis velit ariolari, nihil certi tradi potest.

D**IXERIT** *hic aliquis.*] occurrit anthypophoræ.

N**EC** *populum auscultare.*] nec populi sermones aucupari.

CONCILIIS.] emendo consiliis: refert enim quemadmodum sæpe audiuerit nouam nuptam cum sola res suas consultaret, huiusmodi flagitia susurrantem, vt illos etiam nominatim diceret, quibus sui copia fecisset.

QVEM *dicere nolo nomine.*] quem parco nominare. indicat tamen quibusdam signis quis hic sit.

SVPERCILIA.] Plinius lib. XI. hist. nat. *supercilia homini & pariter & alterne mobilia, & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius abruptiúsque inuenit in corpore, vbi solitaria esset.*

LONGVS *homo est.*] Vir est, inquit, proceræ staturæ.

QVI.] lego, cui. Ille enim de quo loquitur simulatus fœminæ, quam prægnantem fecisse falsò dicebatur, partus magnas lites intulerat.

MENDACI *ventre.*] quia non verè intumuerat.

PVERPERIVM.] qualiscunque partus, vt in Caligula tradit Suetonius, sine vllo sexus discrimine puerperium vocatur.

ACHILLES STATIVS.

O DVLCI *iucunda viro.*] Et apud Propertium, credo, ianua queri fingitur.

TEQVE *bona Iuppiter auctet ope.*] Sic Ouid. in I. Fast.

Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Iuppiter auget ope.

QVAMQVE *ferunt rursus voto seruisse maligno, Postquam es proiecto facta marita sene.*] Declarat ianuæ verbis nullo tempore pudicam fuisse dominam, ne tum quidem, cùm Balbo nupta esset, & pudica audiret. Sed in manuscriptis omnibus non Es, sed Est, legebatur. deinde, Facta marita, quod dicit, alienum videtur, cum etiam antea Balbo nupserit, qui illi vir, & ætate parens esset. itaque legendum suspicabar, *Postquam est proiecto functa marita sene.* Proiecto autem, pulso, excusso foras. quamquam in manuscriptis etiam legebatur, Porrecto. Hæc autem illorum vxor vsu fuit.

DIC *age, dic nobis.*] In manuscriptis, Dic age de nobis, &, Dic age de vobis. Illud retinendum fortasse sit, aut mutandum leuiter, Dic agedum nobis.

NON, *ita Cæcilio placeam.*] In Maffei libro est Plateam, non Placeam. legendum credo, Pateam. Atque hæc fortasse sit ea puella, de qua ante,

Ignosco tibi, Sapphica puella,
Musa doctior, est enim venustè
Magna Cæcilio incohata mater.

NEC *peccatum à me quisquam pote dicere quidquam.*) Sic Cato in V. Orig. Quisquam, quidquam. *Quod eorum*, inquit, *nemo quisquam quidquam mihi ignoturus est.*

VERVM *isthæc potius ianitor ipse facit.*) Omnia hæc conficta & notha. In manuscriptis enim omnibus, *Verum isti populi ianua qui te facit.* in Maffei libro, Popl'i quod Populi sunt interpretati. Ego legebam, *Verum istis probri ianua quidque facit.* Quidque pro Quiduis, & Quidcumque. Sic Plautus in Mil. *Mehercle defregeritis talos posthac quemque in tegulis videritis.* Ac post, *Quemque à milite.* Et Cic. in extrema IX. Philip. *Quaque versus.* id est, quacumque. Probrum autem facere, etiam Cato dixit hoc ipso in genere. sic enim de dote. *Vir*, inquit, *cum diuortium fecit, mulieri iudex pro censore est, imperium, quod videtur, habet. Si quid peruersè, tæterque factum est à muliere: multatur. Si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, damnatur.*

QVOD *possum.*) In manuscriptis omnibus. Quid possum. quod aut retinendum, aut mutandum, Qui possum.

NOS *volumus vobis dicere, ne dubita.*) Sic etiam in manuscriptis erat. Sed ineptum omnino videtur, cum multis hæc dictura sit, quod addit, Ne dubita. Legendum opinor, *Nos volumus vobis dicere, nec dubia.* Nam, quod singulari & plurali numero de eodem est vsus, idipsum postea facit, illo loco scilicet, *Nomine dicentem quos diximus, vt pote quæ mi*, &c.

NAMQVE *illam vir prior attigerat*) In manuscriptis omnibus, Non illam. Quod retinendum censeo. ea sententia, Non vir prior illam attigerat, id est, ante alios omnis. cùm eius pater filio prior nouam nuptam vitiasset.

LANGVIDIOR *tenera cui pendens sicula beta.*) Simili vsus tralatione Nicander σεῦτλον mentulam dixit. Et rutabulum eodem modo veteres dixerunt. Festus, *Rutabulum, à proruendo igne vocatum. quo panes coquuntur, inuenitur etiam positum pro membro virili.* Ac Plautus in Casina gladium eodem modo videtur dicere. *Dum gladium quæro ne habeat, arripio capulum.* Atque idem antea Catullus similiter, *Pro telo rigida mea cecidi.*

NVMQVAM *se mediam sustulit ad tunicam.*) In manuscriptis omnibus. *Numquam se mediam sustulit hanc tunicam.* Legendum opinor, *Numquam se media sustulit hinc tunica.* id est, ad hanc suam nonnumquam arrexerat.

CÆCO *flagrabat amore.*) In nonnullis manuscriptis, Tecto. Sed illud probabilius.

SEV *quod iners sterili semine natus erat.*) siue quod inertis filij semen esset sterile.

NE *quærendum aliunde foret neruosius illud.*) In manuscriptis omnibus. Et quærendum, vnde foret. Legendum puto, *Et quærendum, vnde vnde foret neruosius illud.* Siue, inquit, fili semen, quod esset sterile, & quærendum esset illud neruosius. Et quæ sequuntur.

QVI *ipse sui gnati minxerit in gremium.*) In vno manuscripto, Imminxerit. Gremium gnati, id est, vxoris filij. Horat. in II. Serm. Sat. VII. eodem verbo, atque eodem in genere est vsus.

Dicitur vt formæ melioris meiat eodem.

ATQVI *non solùm huic se dicit cognitum habere.*) In Maffei libro erat *Atqui non solùm se dicit cognitum habere.* in alio, Sed, pro Se. in tertio, *Atqui non solùm sed dicis hoc cognitum habere.* Legendum puto, *Atqui non solùm hoc se dicit cognitum habere.*

rum hominum caussa.

Ne *quærendum aliunde foret.*] imprudentis patrisfamilias esset, rogare vtendum foris, id quod ipsi præsto est domi.

Zonam *soluere virgineam.*] puellæ virginitatem adimere. Homerus Odysseæ λ,

> Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ᾽ ὕπνον ἔχευεν.

Theocritus,

> Λῦσε δέ οἱ μίτραν, καί οἱ λέχος ἔντυεν ὥρῃ.

Musæus,

> Ὣς ἡ μὲν τοῦτ᾽ εἶπεν, ἰδ᾽ αὐτίκα λύσατο μίτρην.

vnde & ἀμίτρους vocabant innuptas. Callimachus,

> Γάμους εἴπατε, πάσας ἐν παῖδας ἀμίτρους

quem in locum interpres, μίτρας, inquit, ζώνας, ἃς ἔλυον, ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι.

Egregium *narras.*] rursum viatores loquuntur.

Atqui.] ianuæ verba sunt.

Solam *consiliis.*] Manu. suspicatur legendum, *consciolis*: egóque assentior.

Ne *tollat rubra supercilia.*] gestus minantium, sicque, vt suspicari licet, ei quo de hic agitur, familiaris.

IANVS DOVSA FIL.

QVod in Carmine proximè sequenti est: Olim *cùm sedes ipse senex tenuit.*] Suspicor scriptum fuisse: *quum has aedes ipse s. t.* extritásque priores literas scilicet *h* & *a* propter elisionem. quamuis *sedes* etiam pro ædibus poni non ignorem apud Tibullum & hunc nostrum supra.

Qvem *dicere nolo Nomine, ne tollat rubra supercilia.*] Elegãter solennem excandescentium & nubila fronte minas spirantium habitum & vultum expressit. Sic Philostratus in Imaginibus de Medea: ὡς ὁ θυμὸς μὲν ἐπισκύνιον ὑπὲρ ὀφθαλμῶν αἴρων, Aristophanes in Ranis: Δεινὸν ἐπισκύνιον ξυνάγων βρυχώμενος ἥσει. ad quem locum Scholiastes: ὅταν γὰρ σκύζωνται τὰ ὀργιζόμενα διὰ τὸ ἀγανακτεῖν γίνεται τοῦτο τὸ μέρος τοῖς ὀργιζομένοις, καὶ ἐπισκύνιον τὸ χαλάσαι ἀπὸ τοῦ τὸ ἐπισκύνιον καθέλκειν τοὺς χαλεπαίνοντας. Quæ disertim explicant mentem Catulli. Atque hæc quidem ad excandescentiam pertinent, quam superciliis homines declarant. De superbia ac fastu, quæ hîc pendet ac sedem habet, vt Plinius loquitur, signatè Petronius: *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit.* idémque Aristænetus: Ὡς ἡβώμενος, αὐθαδέστερον ὑπεραίρεις καὶ τὸ φρύαγμα μέγα καὶ σοβαρώτερος γέγονας τὴν ὀφρύν. quibus simile illud Agathiæ Scholiastici in Epigrammatis: ἰδ᾽ ὑπέρφρων. σοβαρὴν δ᾽ ὑπερέσχεθεν ὀφρύν. Arnobius lib. 1. aduersus Gentes: *Qui arrogantiam constrinxit nostram, & elatas supercilio ceruices modum fecit suæ infirmitatis agnoscere.* vbi legendum fortè: *& elatas cum supercilio ceruices.* vt intelligat & supercilium elatum & ceruices. sic idem lib. II. *Philosophi credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, & in huius nominis supercilium sustulerunt.* vbi deesse aliquid videtur post *nominis*, quid tamen id sit, diuinare non potui. De superciliorum fastuosa elatione plura sunt in Græcorum libris, quæ omitto. hæc enim paucula attuli vt illustrarem.

A Longvs *homo est.*] *Longum hominem* pro insulso ac blenno homine accipio hoc loco. quemadmodum μέγας pro stolido & inepto ponitur apud Aristophanem.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

POstqvam *es proiecto.*] Vetus lectio, *Porrecto.* & rectè, hoc est mortuo. Allusum ad gestum mortuorum. Homerus, ὁ δ᾽ ἐν κονίῃσι τανυσθείς. Sophocles: γέροντα μόρῳ ἐκτεταμένον. Euripides Phœnissis:

B

> Τόνδ᾽ ἐκτάδην σοι [illegible] πίνακα.

Martialis:

> *Tu languore quidem subito, fictóque laboras,*
> *Sed mea porrexit sportula, Paule, pedes.*

Hoc est mortua est. Horatius:

> *Optima quod si præda mergos iuueris*
> *Porrecta curuo litore.*

Vtrum autem *es*, an *est* legatur, id semper ad Ianuam refertur. Nam *es* refertur ad eam quidem vocandi casu. *Est* etiam tertia persona: vt illud antiqui poëtæ:

> *Danai, qui parent Atridis, quã primum arma sumite.*

Idem ac si dixisset Danai, qui paretis Atridis. Quare desinant Grammatici de verbo es aut

C est controuersiam mouere.

Facta *marita.*] *Marita*, matrona. vel, si mauis, maritalis. Horatius carmine sæculari. *lege marita.* Acro Helenius: *id est maritali, vt Plautus, apud quem Senex, Pulchra, inquit, edepol pecunia est. Cui respondet alius. Quæ quidem non marita est. pro eo quod est: Quæ quidem non est maritalis.* Censorinus. *Nonnulli binos Genios dumtaxat domibus, quæ essent maritæ, colendos putauere.* T. Liuius lib. XXVII. *Vagabatur enim cum vno aut altero comite per maritas domos dies noctésque.* Quare autem maritam, aut maritalem ianuam vocat? Diximus apud Festum, Matronæ Romanæ, simulac in mariti ma-

D num conuenerant, lectum ante ianuam sibi in atrio sternebant, qui dicebatur aduersus lectus. Propertius:

> *Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,*
> *Sederit aut nostro cauta nouerca toro.*

Asconius quoque eiusdem lecti meminit. Vide quæ ad Festum superioribus annis notauimus. Vnde Matronæ dicebantur Ianitrices, præsertim duæ, quæ duobus fratribus in eandem domum innupserant. Lepidè igitur dixit ad Ianuam, *postquam es facta marita.* quod non obscure intelligi potest ex Propertij loco iam à nobis producto. Videmus igitur vulgare pene id fuisse, vt maritam ianuam vocarent, quum do-

E minus vxorem duxisset. Aperta ergo sententia Catulli. Postquam, inquit, sene elato nupta ducta est domum.

In *dominum, veterem.*] Liber scriptus: *In dominum venerem*, vt *dominum* sit genitiuus pluralis. Nam non vno domino functa erat.

Verum *isti populo.*] Iam satis constat commentitium esse hunc versiculum, & correctorum ingenio fabricatum. In nostro libro legitur:

> *Verum isti populi ianua quite facit,*

Legimus:

Verum isti populi naiuia, Quinte, facis

Nainia, maista, & similia in illo peroptimo exemplari Gallicano scripta fuisse videntur, pro nænia, mæsta. Nænia est aliquod dictum vulgare, vt illud, *Sorex indicio suo perit*. Plautus vocat Næniam in Bacchidibus:

Qua quidem te faciam, si tu me irritaueris,
Confossiorem soricina nænia.

Horatius vocat puerorum næniam illum versiculum:

Rex eris, si recte faxis, si non faxis, non eris.

Ita enim ait:

Roscia dic, sodes, melior lex, an puerorum
Nænia, quæ regnum recte facientibus offert.

Ita omne vulgatum dictum vocabant næniam, nempe quod Græci αἶνον Hic ianua vocat næniam populi illud dictum in se, IANVA CVLPA TVA EST. *Isti* est ἀρχαϊκῶς *Istius*. *Quinte* prænomen Catulli, vt disertim principio libri nostri exaratum est: Qu. VALERI CATVLLI AD COR. NEPOTEM LIBELLVS. Catullus enim hæc Veronæ ianuam interrogat, vt male interpretati sint, qui viatores hîc interrogantes inducunt. Nam quamuis ianua respondet tanquam pluribus, quum dicit *vobis*, tamen vnum tantum alloqui constat, quum dicit, *Ne dubita*. Sed hæc puerilia, neque in dubium reuocanda. QVITE igitur pro *Quinte* hic scriptum fuerat, quomodo supra in Endecasyllabis, *Liquantur* pro *Linquantur*. Nihil, inquit, à me dictum aut factum quisquam dicere potest, nisi fortè id nænia populi me fecisse dicat, & illi vulgari de me populi dicto fides adhibenda sit.

QVIN *quacunque*.] Liber, QVI. Manifesto verum. Qui populus.

QVOD *possum nemo*.] Liber: *Quid possit*. Lege, *Quid possis*. Quia dixerat, non potest dici à me quicquam factum, respondet Catullus, Quid possis nemo quærit, nec quid à te commissum, aut non commissum sit. Neque enim satis est te vnico verbo dicere, perperam hæc vulgo in te dici.

NAMQVE *illam vir prior*.] Lege, *non qui illam*. Nam hîc aliquando NAM pro NON & contra alternatum est. *Que* pro *qui* fere semper habuit liber noster. quod ex Gallicano exemplari manasse puto in quo I longum semper per EI perscriptum fuit. *Quei* ergo scriptum fuerat. *attigerit* autem, non *attigerat*. ex eodem nostro libro. Non, inquit, qui illam vir prior attigisse dicatur.

LANGVIDIOR.] Languidior beta prouerbium. Vnde apud Suetonium in Augusto betizare, ἀντὶ τοῦ λαχανίζειν.

SED *pater ipsius*.] Liber, *illius*. Tantundem est. Lege *ille sui*.

NEC *quærendum aliunde*.] Scriptus liber. *Et quærendum*. geminandum autem *vnde vnde*. Ita loquitur Terentius Phormione.

MINXERIT.] Nos olim adolescentes, *imminxerit*, vt etiam quidam scripti habent.

SVPPOSITVM *specula*.] Inuenerant librarij in Gallicano, *suppositu*. Legerant enim V pro A, vt sæpe. quod iam non semel à nobis notatur.

A MELA.] Iunius Philargyrius in illud: *Tonsis in vallibus illum Pastores, et curua legunt prope flumina Mela*: *Mela*, inquit, *amnis in Gallia Cisalpina vicinus Brixiæ, oritur ex monte Brenno*.

BRIXIA *Veronæ mater amata meæ*.] Ergo hoc Veronæ agitur. Suspicor tamen legendum, *mater amata tua*. alloquitur enim Catullum: matrem Veronæ vocat, quasi dicat μητρόπολιν. Euripides Supplicibus: ἄμμιν ματρὶ πόλις ἄμμιν παμμάδες. ματρὶ hoc est ἀρχή. & supra, ματέρες ἀγαλμα φίλιον ἐξέλαι.

SOLAM *consiliis*.] Lege, vt olim emenda-

B bamus, *solam consciolis*. hoc est ancillis. Horatius:

—— miseram se conscia clamet.

Idem

Quo te demisit peccati conscia herilis.

Ouidius:

Conscia quum possit scriptas portare tabellas.

Idem paulò post:

—— pro charta conscia tergum
Præbeat, inque suo corpore verba ferat.

Porrò *alienum à vero* prorsus scribit Adr. Turnebus, Gallorum doctissimus, hunc esse Cæcilium, cui Clodia nupserit. Hoc enim non Romæ, sed Veronæ manifesto actum scribit Catul-

C lus. Deinde nihil tale de Clodia narratur, vt consuetudinem stupri nefandam cum patre suo habuerit. Hoc enim non tacuisset capitalis hostis eius fratris Clodij Cicero.

Ad Mallium. LXIX.

QVOD mihi fortuna, casúque oppressus acerbo,
Conscriptum lacrymis mitis epistolium,
D *Naufragum vt eiectum spumantibus æquoris vndis*
Subleuem, & à mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto cælibe perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
E *Oblectant, cùm mens anxia peruigilet:*
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
Muneráque & Musarum hinc petis, & Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Malli,
Neu me odisse putes hospitis officium:

Accipe

Accipe, quis merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius à misero dona beata petas.
Tempore quo primùm vestis mihi tradita pura est,
Iucundum cùm ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est Dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abscidit: ô misero frater adempte mihi!
Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater:
Tecum vnà tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum vnà perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor:
Cuius ego interitu tota de mente fugaui
Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Quare quod scribis, Veronæ turpe Catullo
Esse, quòd hîc quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefecit membra cubili,
Id Malli non est turpe, magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, cùm nequeo.
Nam, quòd scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quòd Romæ viuimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas:
Huc vna è multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas, me mente maligna
Id facere aut animo nõ satis ingenuo,
Quod tibi non vtriusque petiti copia facta est.
Vltrò ego deferrem copia siqua foret.
Non possum reticere Deæ, qua Mallius in re
Iuuerit, aut quantis iuuerit officiis,
Ne fugiens seclis obliuiscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis: vos porrò dicite multis
Millibus, & facite hæc charta loquatur anus,

* * *

Notescátq. magis mortuus atq magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telã,
Deserto in Malli nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam,
Scitis, & in quo me torruerit genere:
Cùm tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphàque in Oetæis Malia Thermopylis,
Mœsta nec assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, neque tristi imbre madere genæ:
Qualis in aërij pellucens vertice montis
Riuus muscoso prosilit è lapide:
Qui cùm de prona præceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore leuamen,
Cùm grauis exustos æstus hiulcat agros.
Ac veluti nigro iactatis turbine nautis
Leniùs aspirans aura secunda venit,
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata:
Tale fuit nobis Mallius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam.
Ad quam communes exerceremus amores.
Quò mea se molli candida Diua pede

Intulit, & trito fulgentem in limine plantam A
Innixa, arguta constitit in solea.
Coniugis vt quondam flagrans aduenit amore
Protesilaëam Laodamia domum,
Inceptam frustra. nondum cum sanguine sacro
Hostia cœlestes pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat Rhamnusia virgo, B
Quod temerè inuitis suscipiatur heris.
Quàm ieiuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro,
Coniugis ante coacta nouum dimittere collum.
Quam veniens vna atque altera rursus hiems C
Noctibus in longis auidum saturasset amorem,
Posset vt abrupto viuere coniugio.
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Nam tum, Helenæ raptu, primores Argiuorum
Cœperat ad sese Troia ciere viros, D
Troia nefas commune sepulchrum Europæ Asiæque,
Troia virûm & virtutum omnium acerba cinis,
Quæ væ, væ & nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater adempte mihi!
Hei misero fratri iucundum lumen ademptum! E
Tecum vnà tota est nostra sepulta domus.
Omnia tecum vnà perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longè non inter nota sepulchra
Nec propè cognatos compositum cineres,
Sed Troia obscœna, Troia infelice sepultum
Detinet à nostro terra aliena solo.
Ad quam tunc properans fertur vndeundique pubes
Græca penetrales deseruisse focos.
Ne Paris abducta gauisus libera mœcha
Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi cum casu pulcherrima Laodamia
Ereptum est vita dulcius, atque anima
Coniugium, tanto te absorbens vortice amoris
Æstus in abruptum detulerat Barathrum.
Quale ferunt Graij Pheneum prope Cyllenæum
Siccari emulsa pingue palude solum,
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Audet falsiparẽs Amphytrioniades,
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit imperio deterioris heri:
Pluribus vt cœli tereretur ianua diuis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor Barathro fuit altior illo,
Quod diuum domitum ferre iugum docuit.
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Vna caput seri gnata nepotis alit,
Qui cum diuitiis vix tandem inuentus auitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat à cano vulturium capite:
Nec tantum niueo gauisa est vlla columbo
Compar, seu quicquid dicitur improbius,

Oscula mordēti semper decerpere rostro: A
Quamquam præcipuè multiuola est mulier.
Sed tu harū magnos vicisti sola furores,
Vt semel es flauo conciliata viro.
Aut nihil aut paulò cui tum concedere digna,
Lux mea se nostrum contulit in gremium:
Quam circumcursans hinc illinc sæpe Cupido, B
Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tamen etsi vno non est contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ,
Ne nimium simus stultorū more molesti.
Sæpe etiā Iuno maxima Cælicolûm
Coniugis in culpa flagrauit cottidiana, C
Noscēs omniuoli plurima furta Iouis
Atqui nec diuis homines componier æquum est:
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna,
Fragrātē Assyrio venit odore domū,
Sed furtiua dedit nigra munuscula nocte
Ipsius ex ipso dempta viri gremio. D
Quare illud satis est, si nobis id datur vnis,
Quo lapide illa diem cādidiore notet.
Hoc tibi quo potui, confectum carmine munus
Pro multis, Manli, redditur officiis,
Ne vestrū scabra tangat robigine nomē
Hæc atq; illa dies, atq; alia atq; alia. E
Huc addent Diui quam plurima, quæ Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices & tu simul, & tua vita,
Et domus ipsa, in qua lusimus, & domina,
Et qui principio nobis te tradidit, à quo
Sunt primo nobis omnia nata bona,
Et longè ante omnes mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea, qua viua viuere dulce mihi est.

ANTONIVS PARTHENIVS.

QVOD *mi. for. ta. op. acer.*] Mallio versus & libros quosdam in mœroris sui consolationem petenti humane respondet Catullus excusans se quod neque consolantia carmina scribere possit, ingēti ob fratris mortem mœrore confectus, & à Musarum muneribus exclusus: neque libellos à se compositos, quos Mallio ad consolationem det Veronæ habet, sed omnes ferè Romæ reliquerat, in patriam, vbi nunc erat ad fratris exequias Cenotaphio celebrandas reuertens. Petit itaque veniam si vtriusque petitionis Mallium compotem non faciat: laudátque Mallij singularem erga se pietatem, atq; munificam liberalitatem, nullis sæculis obliuiscendam: quoniam cùm poëta amicam domum, amorésq; omnes cōmunes fecerit. Rogat postremò Mallium, vt hoc carmine sit contentus, viuátque feliciter cum amica, totáque familia.

QVOD *m. f.*] ordo est ex longo hyperbato decimi versus: Id gratum est mihi quoniam me tibi amicum dicis quod tu oppressus fortuna & casu acerbo mihi mittis hoc epistolium lachrymis conscriptum: vt ego subleuem te eiectum spumantibus æquoris vndis: & à tristi mortis limine restituam te, quem sancta Venus non perpetitur requiescere in lecto cœlibe molli somno desertum.

OPPRESSVS *f. & c. a.*] Mallius hic Iuliam vxorem, cuius superiùs celebratum est epithalamion, fato defunctam immaturo deflens tanti mœroris cōsolationem à Catullo per epistolam quæsiuit: significans se infortunato coniugis Iuliæ fato miserabiliter oppressum miseriæ solatia requirere.

LACHRYMIS *consc.*] sic Mallius in epistola se lachrymis scripsisse dixerat.

EPISTOLIVM.] paruam epistolam: nam ab epistola fit Græcum diminutiuum epistolion, sicut à Philotis philotion, μεῖραξ τὸ μειράκιον.

TE *eiectum naufragum.*] te aduersæ fortunæ casibus exagitatum, allegoricè sumptum hoc à naufragis.

A *mortis lim.*] In quo esse te putas ob dilectissimæ coniugis mortem.

SANCTA *Ve.*] Venus est & amor coniugalis.

DESERTVM *mol. som.*] quem coniugalis societas præstabat.

LECTO *cæ.*] vxore orbato.

NEC *ve. dul.*] per hoc significat Mallium musarum studiosum dolere coactum consueta studia deseruisse.

PERVIGILAT *an.*] mens anxia etsi peruigilat, tamen in studia literarum incumbere nequit. Iuuen.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena:
Qui nil expositum soleat deducere: nec qui
Communi feriat carmen triuiale moneta:
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Impatiens, cupidus siluarum, aptúsque bibendis
Fontibus Aonidum. —— & infrà,
Quis locus ingenio: nisi cum se carmine solo
Vexant, & dominis Cirrha Nisaque feruntur
Pectora vestra. ——

PETIS *hinc.*] ex vrbe Verona, vbi sum.
MVNERA *Mu.*] carmina & libros.
VENERIS *mu.*] i. vt Romam redeam ad communia inter nos puellarum munera: nam vt infrà dicit: Mall. cum Catu. amicam communem fecerat: sic loquitur:

Isque domum nobis isque dedit dominam:
Ad quam communes exerceremus amores.

MEA *inc.*] i. ex fratris morte suscepta.
OFFICIVM *h.*] i. mei qui sum tuus hospes & familiaris officium more gerendi tuę voluntati.
QVIS.] pro quibus.
MERSER.] valde immergar & vexer.
DONA *b.*] carminum solatia.
VESTIS *p.*] virilis toga pura & vnius tantum coloris erat: puerorũ autem prætexta purpuræ filis intertexta fuit.
ÆTAS.] adulescentia: in cuius initio virilis toga sumebatur.
IVCVNDVM *v.*] iucundum tempus à pædagogi custodia liberatum: vt Persius:

Cùm primum pauido custos mihi purpura cessit.

DEA.] Venus: cuius amores & lusi & secutus sum.
CVRIS.] amoribus.
DVLCEM *a.*] cacozelon est, vt Luc.
—— *Concordia discors.* & Horat.
Strenua nos exercet inertia. ——
dulcem autem ad amatorum cupiditates: amaritiém verò ad amaras in amore curas dixit. Nam, vt ait Plautus, amor est melle & felle fœcundissimus, dulce gustu dat: amarum ad satietatem vsque aggerit.
FRATERNA *m.*] de qua supra dictum est in elegia prima.
QVARE *quid scri.*] ordo est: Quare Malli id non est turpe: sed magis miserũ quod scribit esse turpe Catu. Veronæ esse: quàm hîc. Veronæ s. vbi quisquis de meliore nota calefacit sibi mẽbra cubili amoribus deserto. Hac enim ratione Cat. Mall. Romam reuocabat, scribens vnumquemq. meliore conditione virũ Veronæ noctes sine puella exigere, ac amore secundo carere.
HIC.] Veronæ vbi sum.
QVISQVIS *m. no.*] i. quæcunque in genus melioris nominis ac tituli siue conditionis: notam enim pro conditione posuit.
SCRIPTORVM.] i. libellorum à me compositorum, quos Romæ reliqui: aut certè humanorum studiorum libros intelligit, propter quos Mal. Cat. Romam reuocabat, afferens hãc secundam rationem. s. ob librorum commodam copiam qua Veron. careat, Romæ autem sit abundaturus.
HVC.] Veronam.
NON *sa. inge.*] ingrato, & rustico, nam ingratitudo rusticanorum hominum est.
VTRIVSQVE.] vnum erat carminum & librorum, alterum vt Romam rediret.
PETENTI.] tibi hæc duo petenti: puto tamen potiùs legendum esse petiti, vt sit copia vtriusq; petiti. i. duplicis petitionis tuæ.
VLTRO.] sponte.
DEFERREM.] tibi traderem.
COPIA.] commoditas, facultas: nam car-

A mina nequeo facere, neq; Romam reuerti possum. vtriusque incommodi causa est mihi mors fraterna: qua mihi omnis familia nostra mihi administranda est.
DEÆ.] musæ, quæ testes eius in me meritorum estis.
HOC *stu.*] hunc Mallij erga me fauorem & pium animum.
ANVS *ch.*] carmen multa vetustate perdurãs. Mart. *Et quicquid voluit testa vocatur anus.*
SEPVLTI.] i. Mallij posteaquam sepultus fuerit.
NEC *te. te.*] sensus est: Mallij nomen ita celebretur, vt nunquam vlla ex parte sordescat. nam
B translatio est à locis ad frequẽtem nominis memoriam: loca enim quæ non celebrantur, neque frequentantur araneis opplentur.
AMATHVNTIA.] antonomasion Veneris ab Amathunte Cypri vrbe, de qua superiùs dictum est. Duplex autem dicitur à Catullo, cui duplicis amoris curã iniecerat: aut certè duplex i. fallax. nam fallacem hominem duplicem appellare solemus. vt Cicero in officiorum III. *Hoc autem celandi genus quale sit, cuius hominis, quis non videt? certe nõ aperti: non simplicis, non ingenui.* duplex autem Venus, quia dulce promittens, amarum ingerit.
C CORRVERIT.] inuerterit, præcipitauerit.
ARDEREM.] amore flagrarem.
TRINACRIA *ru.*] Æthna Siciliæ mons perpetuo flagrans Incendio.
LYMPHA *Mallia.*] à Thessaliæ loco, quam vrbem puto: vnde arbitror dictum Malliacum sinum, & item Mallienses populos, quos Strabo Thermopylis vicinos scribit. Mallienses autem Thucydides tris in partes distribuit. s. Paralios, Hieres, & Thrachinios. scribit item Mylas locum Messaniorum, vnde & Myllienses dici posse puto. Mallia igitur pro Malliensi accipiatur.
D IN *Oeth. Thermo.*) Thermopylæ mõtanus tractus ad Thessaliæ fines longitudine sua magnas multásque Græcarum regionum partes attingens ad Oetham saltum Thessaliæ ac Doridi cõterminum vsque protensus: cuius transitum pylas. i. portas & angustias vocant atq; Thermopylas. sunt enim ibi prope Thermæ. i. calidæ aquæ, magno in honore veluti Herculi consecratæ. Ipse autem mons Oetha ab Oriente ac Thermopylis in Occidentem vsque in sinum Ambracium extenditur: ideò Thermopylas Oetæas appellat Catullus.
MOESTA *nec as.*] hic locus apud omnes ferè
E codices deprauatus est: nam in aliquibus legitur, Mœstáque assidio. in aliis verò legitur, Mœsta. n. assiduo. sed vtrumque vitiosum est syllabis repugnantibus. legatur potiùs:

Mœsta nec assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, tristiq; imbre madere genæ.

per hunc assiduum mœrorem ingẽsque lachrymas ingentem sui animi ærumnam expressit, vt maximum Mallij Catullum à miseria leuantis officium ac singulare meritum ostenderet.
QVALIS *in aery.*] apta poëtici discursus similitudo ad largum lachrymarum fluxum demonstrandum.

VERTICE.] summitate. Quid propriè significet vertex legito apud Quintilianum libro octauo.

ITER.] pro media via.

ÆSTVS *hiulcat agros.*] scindit siccitate terra nimius solis feruor. Virg.

——scindit canis æstifer arua.

AC VE.] elegans alterius poëtici discursus similitudo & ornatus ad sequentia Mallij erga poëtam iucundissima officia demonstranda.

NIGRO.] procelloso, tempestuoso, nubiloso. Horat.

——nigris æquora ventis
Emirabitur insolens.——

POLLVCIS *& Cast.*] Geminorum signum nautis præstare felicem nauigationem credidit vetustas. Horatius,

Gratum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.

Naso in Fastis:

Vtile sollicitæ sidus vtrumque rati.

Martialis,

Et gratum nautis sidus fulgere Laconum.

Flaccus in Argonautis,

——luménque innoxia fundit
Purpureum: miseris olim implorabile nautis.

Diodorus autem Siculus lib. v. cur Gemini nauigantibus fauere putentur, hanc affert historiam: *Argonautis inter quos erant Castor & Pollux nauigantibus coorta quàm ingenti tempestate cæteris salutem desperantibus, solum Orphea tradunt religiosum peritum vota pro salute Diis Samothracibus fecisse, extemplóque tempestate sedata cùm duo astra supra Pollucis & Castoris capita cecidissent, omnes eo miraculo stupentes, credidisse Deorum prouidentia se à periculis exemptos: quo facto contigit, vt quos postmodum maris agitaret tempestas Samothracibus vota pro salute facerent, astraque apparentia ad Castorem & Pollucem referrent.*

IS *clau.*] quæ fuerint Mallij erga se auxilia ostendit.

CAMPVM.] agrum meum, qui fuerat satis exiguus dilatauit, & extendit.

DOMINAM.] Clodiam amicam, quam Lesbiam poëta nuncupauit, & dominam amãtium more appellauit.

COMMVNES.] mihi & ipsi Mallio.

QVO.] ad domum & dominam: siue ad quos communes amores. & est sensus: Ad quos amores, siue ad quam dominam Diua Venus mihi fauens attulit felix auspicium molli aditu.

PEDE *mol.*] felici accessu. sic supra in Epithalamio,

O cubile quot omnibus
Candido pede lectulis:
Quæ tuo veniunt hero.

MEA.] mihi fauens, vt Terent.

O noster Chreme.

TRITO.] ipso Veneri frequentato.

ARGVTA *so.*] breui & arcta crepida, siue calceo. Solea pro calceo Persius,

Solea puer obiurgabere rubra.

Solea item inter planos pisces à Plinio nominatur, & materia robusta super quam paries craticius extruitur.

A CONIVGIS *vt quond.*] comparatio hæc per excursum poëticum sumpta est ad feruentes & splendidos in Catullum amores ostendendos. talis enim fuit Catulli domina accedente Venere: qualis fuisse dicitur Laodamia viri Protesilai domum ingrediens. Laodamiæ duæ fuisse inueniuntur, altera filia Acasti Phylace, & Protesilai vxor: tanto viri amore flagrans, vt illum ad Troiana bella tendentem sequi voluerit: sed viri hortatu in patria remansit inuita. altera ab Homero scribitur Bellerophontis filia, quæ à Ioue compressa Sarpedonem genuit.

PROTESILAÆAM.] Protesilaus Iphicli filius fuit, vt Homerus in secundo Iliados scribit. B Is cum fratre Podarce ad Troiam XL. nauibus profectus, ac ex omnibus prius in Troianum littus naui egressus ab Hectore interemptus est: Ouidius:

——& Hectorea primus fataliter hasta
Protesilae cadis.——

ACCEPTA *& fru.*] sensus & ordo est: Laodamia venit ad Protesilaæam domum, cum hostia pro Protesilao vota frustra accepta Diis ac minimè grata nondum placasset deos, qui non victima, sed Protesilai morte placandi erant, quoniam dij cœlestes decreuerant Protesilaum ex Græcis primum perimendum ad Troiam: C aliter legitur incepta hostia, quæ lectio mihi magis placet. vt sit sensus: Cùm Protesilaus iam hostia fieri inceptus, & diis destinatus in mortem, frustrà & sine vtilitate sua nondum periisset, ac frustrà nondum sanguine suo deorum decreto satisfecisset, frustrà nondum placasset, quoniam paulo post omnino erat placaturus ad Troiam pereundo. Et sic fatalis necessitatis vim immutabilem ostendit.

INCEPTA *ho.*] Protesilaus iam ad mortem destinatus. & est nominatiui casus, cuius vltimam licenter produxit consonantium sequen- D tium ratione. vt Iuuen.

Occulta spolia & plures de pace triumphos.

NIHIL *mihi tam valde placeat.*] his octo sequentibus versibus Catulli continetur optatio de votis ab amica siue vxore pro viro suscipiendis: & erit talis ordo: O Rhamnusia virgo nil, id est, nullum votum mihi tantum valde placeat quod suscipiatur, & voueatur inuitis heris, id est deis, quantum docta. & monita est Laodamia viro extincto, quod ara deorum ieiuna & sicca desiderat pium & sacratum cruorem.

NIL.] nullum votum.

E SVSCIPIATVR.] concipiatur, voueatur.

HERIS.] diis rerum omnium dominis.

INVITIS.] aduersantibus.

DESIDERET.] subauditur quod, vt sit quod desideret & poscat.

PIVM.] sacratum ex victima.

IEIVNA.] sicca: diu nullius victimis intincta.

COACTA.] s. fati necessitate.

DIMITTETVR.] amittetur.

NOVVM.] iuuenile: aut nuper sibi iunctum nuptiis.

COLLVM.] candidam viri ceruicem: quam uxor iucundissimè amplectitur. Virg.

Ter conatus ibi collo dare bracchia circum.

Tibullus,

Huic candentes humero suppone lacertos.

& alibi,

Post etiam collo se implicuisse velis.

VENIENS.] sequens annus.

AVIDVM a.] insatiabile Laodamiæ amorem erga maritum, quo se carere posse numquam crediderat.

POSSET v.a.v.t.] quod nunquam potuisset credere se posse, posteà viuere sine Protesilao: quod tamen posse fieri docuerunt eam anni, qui viri mortem secuti, quibus paulatim assuefacta est carere marito.

QVOD.] scilicet illā carere posse viro. Nam Parcæ vitam Laodamiæ post viri mortem productæ sciebant, si Protesilaus ad Troiam iret, Laodamiam sine viro victuram.

TROIA nefas c.] Catulli aduersus Troiam feruens declamatio atque inuectio.

NEFAS.] nefandum funus.

ASIÆ.] hoc quantum ad Troianos dixit, quoniam tota ferè Asia Troianis attulit auxiliū, nam & Teutamus rex Assyriorum penes quos totius Asiæ fuit ea tempestate principatus, Priamo sibi subdito Memnonem Tithonem filium cum decem millibus Æthiopum, totidémque Asianis cum ducentis curribus in auxilium misit.

EVROPÆ.] cuius magna pars Græcis contra Troianos conspirauit.

VIRTVTVM.] aut fortitudinis omnis, quæ propriè dicitur virtus. aut omnium virtutum quæ in hominibus sunt: nam in illis bellis singularia omnium virtutum exempla fuerunt.

ACERBA ci.] asper & acerbus rogus: cinis autem apud antiquos & masculino & fœminino genere prolatus fuit, quod diligenter animaduertit Prisc.

QVÆVE & id nostro.] ratio & causa cur in Troiam inuehatur.

QVÆ nunc tam longe.] ordo est: Quem compositum tam longè non inter sepulcra nota, nec compositum prope cognatos cineres, sed sepultum in Troia infelice, aliena terra detinet à nostro solo.

NOTA.] nobis cognita.

COGNATOS cineres.] cognatorum reliquias.

PENETRALES deos.] patrios deos, suósque nepotes.

QVO casu.] quo infortunio belli Troiani.

TANTO te absorbens vertice amoris.] epiphonema est ad præcedentis coniugij altitudinem & felicitatem ostendendam, seu confirmandam prolatum.

TANTO ver. amoris.] tanta coniugalis amoris altitudine.

IN abruptum barathrum.] in profundam miseriarum voraginem.

QVALE ferunt Graij.] similitudo ad barathri profunditatem ostēdendam. ordo est: Quale solum pingue Graij ferunt siccari emulsa palude.

PENEVM propter amœnum.] in omnibus, quos adhuc legerim Cat. codicibus, vno meo & eodem peruetusto excepto, hunc locum corruptissimum & portentis simillimum inueni: nam in quibusdam legitur prope Cyllenium, in aliis verò prope Cylleneum, quæ lectio quam vitiosissima sit duæ syllabæ in vtroque vocabulo priores contra rationem positæ, & vna superabundans apertissimè indicat: sed quis non putaret Catullum poëtam phreneticorum verbis similia fuisse locutum? si tam imprudenter legatur Peneum Cylleneum, tanquam Peneus Thessaliæ amœnissimus amnis prope Cyllenem Arcadiæ mōtem labatur. Liberemus igitur, si possumus, Catullum elegantissimum atque prudentem poëtam ab indignissima tanti furoris infamia, cùm eius verissima lectio sit: Peneum propter amœnum, quem amœnum rectè à Catullo nostro appellatum planissimè docent hæc Plinij præscripta: *Flumina Thessaliæ Apidanus, Phœnyx, Enipheus, Onochonus, & ante cunctos claritate Peneus ortus iuxta Gomphos, intérque Ossam & Olympum nemorosa conualle defluens, quingentis stadiis, dimidio eius spatio nauigabilis. In eo cursu Tempe vocātur quinque millium passuum longitudine, & fermè sex latitudine vltra hominū visum attollentibus se dextra, læuáque leniter conuexis iugis. Intus sua luce veridante allabitur Peneus viridis calculo, amœnus circum ripas gramine, canorus auium concentu.* Hercules (vt Diodorus Siculus scribit) à locis quæ Tempe vocantur, vbi latè stagnabat in campis aqua: ducta fossa aquam deduxit Thessaliæ, circa Peneum fluuium campos fertiles præbēs; Thessalia circundata Penei fluuij aquas exitum nullum concedens sub perpetuis paludibus magna ex parte latebat. Hercules autem Ossām ab Olympo discludens aquis exitum patefecit. Lucan.

Hos inter montes media quæ valle premuntur,
Perpetuis quondam latuere paludibus agri:
Flumina dum campi retinent nec peruia Tempe
Dant aditus pelago: stagnumq; implentibus vnū
Crescere cursus erat, postquam discessit Olympo
Herculea grauis Ossa manu: subitæq; ruinam
Sensit aqua Nereus.——

Strabo autem asserit terræ motibus factis abrupta esse: quæ nunc vocantur Tempe, & ab Olympo abscissam Ossam, & hac Peneum effluxisse in mare.

FALSIPARENS.] Hercules Amphytrionis falsi & non veri patris filius putatiuus.

STYMPHALIA monstra.] Euristheus rex Argiuorum Iunonis impulsu inter alia stipendia imperauit Herculi, vt obscœnas aues in Stymphali Arcadiæ palude morantes, quæ circum vicina loca infestabant, aut perimeret, aut fugaret. hoc negocium, arduúmq; laborem impositum sibi arte ingenióq; facile perfecit. Nam (vt Diodorus scribit) has aues innumera multitudine finitimarum regionum fructus vastantes, quia vi superari ob infinitum numerum non poterant, ingenio sustulit. Tabulam enim æream parauit, quæ repercussā ingenti sonitu volucres timore in fugam compulit longinquam. Catullus autem poëtis assentiens aues sagittis fugatas dixit. Nam Strabo ait poëtas scripsisse sagittis

A & tympano has aues ab Hercule fuiſſe fugatas. Stymphalis autem eſt palus Arcadiæ, in qua (vt ſcribit Plin.) muſculi aquatici naſcuntur. Stymphalium verò oppidum, & Stymphalus fluuius, ex quo & Stymphalide lacu naſcitur Eraſinus fluuius Argiuorum agros percurrens.

PERCVLIT.] percuſſit, vexauit.

DETERIORIS *he.*] Euryſthei regis iuſſu qui deterior, & Herculeis virtutibus minor erat.

PLVRIBVS *vt celi.*] id eſt mirabilibus ſuarum virtutum experimẽtis perfunctus deorum numerum augeret, ac ſuorum laborum mercedem, Hebes coniugium acciperet.

B SED *tuus altus amor.*] comparationes atque multas ſimilitudines inducit ad profundũ Laodamiæ amorem augendum.

TVVS *amor.*] ô Laodamia.

BARATHRO.] profundo Ioles amore. Barathrum eſt immenſa profunditas aſpicientium oculos caligans.

QVI *diuum dominum ferre iugum docuit.*] Herculis inſanos in Iolen Euryti filiam amores tangit. Hercules omnibus certaminibus abſolutis Megaram vxorem Iolao tradidit, & ad prolem procreandam alteram vxorem minimè ſuſpectam quærens, Iolen Euryti Oechaliæ regis filiam petit: ille Megaræ repulſam veritus ſe ſuper eo matrimonio conſulturum reſpondit: C Hercules fruſtratus ſponſa, iniuriáque motus Euryti abegit equos, Iphitúmque filium eius equos inquirentem Tirynthia ex turri præcipitauit: ac tandem ſequentibus annis poſt Aſtydamen Ormenij regis ſtupratam in Oechaliam contra Euryti filios ob Iolen ſibi in vxorem denegatam exercitum duxit, ac vrbe capta Euryti filios Toxeum. Molionem, Pythium interemit, Iolénque abduxit. Ferunt autem poëtæ tanto Ioles amore Herculem flagraſſe, vt in eius gratiam lanam & penſa deduxerit, leoníſque ſpolium, cæteróſque viriles cultus acceptis muliebribus cum Iole commutauerit, vt apud Oui- D dium in Heroidibus Herculi Deianira plenius exprobrat.

NAM *neque tam carum.*] alia comparatio, & ſenſus eſt: Nec tam carum nepotem filia parentibus gignit in magnę hæreditatis ſucceſſionem, quàm carus & iucundus fuit Proteſilao Laodamiæ amor.

TAM *carum.*] caput ſcilicet, quàm carus fuit Proteſilao amor Laodamiæ viri domum ingredientis.

NATA.] filia.

CONFECTO *ætate.*] ætate grauato.

E SERI.] tardè geniti. cùm iam parens decrepitus ex filia nepotes deſperaret.

GENTILIS.] cognati, aut affinis ſperãtis hæreditatem iure ſucceſſionis. Gentiles enim ſenis hæreditatem ſperabant, quoniam eius vnica filia vniuerſæ hæreditatis ſubſtantiam conſequi iure non poterat: nam ea lex erat cuius Liuius meminit. *Gentiles dicitur ex eodem genere ortus, & is qui ſimili nomine appellatur, vt ait Cyntius. Gentiles mihi ſunt qui meo nomine appellantur.* hæc Feſti eſt diffinitio.

DERISI.] decepti: ac vanè ſperantis hæreditatem, cùm poſteà ſit præter ſpem genitus nepos.

TOLLENS.] remouens, expellens, excludens.

SVSCITAT *à cano vulturium capite.*] id eſt cùm præter ſpem propinqui captatoris nepos ſit genitus hæres in diuitias aui ſuccedens, & captatorem excitans abigit à ſenis diuitiis, quibus inhiabat. eſt autem elegans metaphora à vulturibus & cadauere ad captatores alienæ hæreditati vehementer inhiantes. Sic Horatius captatorem appellauit coruum.

Scriba ex quinque viro coruum deludet hiantem,
Captatórque dabit riſum Naſica Corano.

SVSCITAT *à cano capite.*] abigit ſenis cadauere ac morte, cui inhiabat ante nepotis ortum: in aliis libris corruptè legitur, Suſcitat & cano capitis: ſed ſi quis diligentius proſpiciet, inueniet copulam in ſenſu non admitti, & legendum eſſe, A cano capite.

VVLTVRIVM.] captatorem hæredipetam. dicitur hic vultur, & vulturius, & vulturis. Catullus alibi,

Lingua exerta auido ſit data vulturio.

Ennius:

Vulturis in ſiluis miſerum mandebat homonem.

VLLA *compar.*] vlla columba columbo ſuo pari ſocietate coniuncta.

SEV *quicquid improbius.*] aut ſi eſt aliud animalium par improbius & libidinoſius columbis.

OSCVLA *mordenti.*] ſic Martialis,

Oſcula me capiunt blandas imitata columbas.

MVLIER.] pro fœmina poſuit nouè: cùm mulier propriè de genere humano tantum dicatur. Sic & Virg. virum pro hirco & capratum marito dixit,

Vir gregis ipſe caper deerrauerat. ——

& Horat. vxores de capris dixit:

Quærunt latentes & thyma deuiæ
Olentis vxores mariti.

MVLTIVOLA.] multùm volans. aut multæ. i. multiplicis & mutabilis voluntatis, & cupidinis inſtabilis.

SED *tu.*] ô Laodamia. nunc omnes ſuperiores comparationes atque ſimilitudines ad propoſitum applicat.

HORVM.] columborum, Herculis & cæterorum.

FVRORES.] amores. Virgilius,

Seu quiſquis furor. ——

VIRO *flauo.*] Proteſilao. flauum pro candido & albicanti poſuit, vt Virg.

Flaua Ceres alto nequicquam ſpectat Olympo.

Proteſilaus fuit corpore candido, vultu honeſto, velox, confidens, temerarius, vt Dares ſcribit.

AVT *nihil aut paulò.*] ſatis commodè tranſit ad amicæ ſuæ ſibi à Mallio datæ mentionem, & æquiparationem.

LVX *mea.*] amica mea Ipſithilla vel Leſbia quam ſibi oculis cariorem infra confitetur.

LVX.] vita: ſiue oculi lumen. lux pro vita ſuperiùs.

Nobis cùm ſemel occidit breuis lux.

Nox est omnibus vna dormienda.

TV.] ô Laodamia.

CVI.] meæ luci.

QVAM circ.] Cupidinis cum puella consuetudinem illius venustatem egregiā demonstrat.

CROCINA.] croceus habitus Cupidini attribuitur, & crocinus forma Græca est κρόκινος, Latinè facit croceus.

RARA *verecundæ furta feremus heræ.*] i. & si interdum solo me Cat. non est contenta: rarò tamen cum aliis mœchis furta committet.

FVRTA.] stupra, siue adulteria.

HERÆ.] amicæ. quæ mihi hera est.

VERECVNDÆ.] declamatoria ratio, cur rarò cum aliis viris sit peccatura: quoniam scilicet est verecunda.

FEREMVS.] tolerabo, permittam ne sim nimis molestus ei nunquam concedens Venerei appetitus commutationem, quam etiam concedendam Iunonis exemplo probat.

QVOTTIDIANA *cul.*] quottidianis adulteriis & stupris.

FVRTA.] furtiuos coitus.

OMNIVOLI.] omnia volentis, aut per omnia optata sua volantis: vt supra multiuolam mulierem dixit.

COMPONIER.] comparari. vt

Sic paruis componere magna solebam.

INGRATVM *tre. tol. pa. onus.*] sensus est, Cùm non sit æquum homines diuis comparare, noli te onerare tanta deorum inuidia quanta se onerant curiosi parētes filias suas deabus nimis impensè conferentes.

TOLLE.] remoue: abiice.

ONVS.] onerosum atque odiosum laborem.

INGRATVM.] diis molestum.

PARENTIS *tre.*] patris decrepiti.

ILLA,] mea Lesbia à Mallio mihi data.

NEC *pa. de. mihi dedu.*] à patre suo mihi non nupsit: nam in nuptiis mos semper fuit, vt pater filiam sponso suo manu ductam dederet.

DOMVM.] s. meam: vt aliæ nuptæ solent suorum sponsorum domum accedere.

FRAGRANTEM *Assy. odo.*] diebus nuptialibus sponsi domus suauissimis odoribus inspargebatur.

ODORE.] amomum in Assyrio nascitur: à Virgilio Assyrium appellatum, & superius à Catullo dicitur Assyrium oliuum:

—— Assyrio flagrans oliuo.

vbi satis multa de vnguentis ex Plinij præscripto dicta sunt. Possumus tamen non absurdè intelligere opobalsamon, myrobalanon, styracem, malobathron, aliáque huiusmodi odoramenta, quæ non minus in Syria, quam in aliis locis gignuntur, vt latissimè legitur apud Plini. lib. XIII. & XXI.

FVRTIVA.] manu occulta, & clandestina adulteria.

EX *ipso dempta viri gremio.*] à viri surgens amplexu mihi afferebat Veneris munera.

QVARE *illud satis est.*] concludit satis sibi esse, si à Lesbia benignissimum accipit coitum inter vitę felicitates lapillo albo notādum, quàuis & aliis viris interdum, sed rarò non neget.

NOBIS *vnus.*] mihi & tibi Malli.

ID.] venereum munus.

LAPIDE *candidiore.*] antiquis ex Thracum instituto mos fuit dies lætos albis calculis, infelices nigris quotidiana notatione signare. eo modo totum annum computantes candidis notatos inter vitæ seriem recensebant: nigris autem signatos vitæ non esse adscribendos putabant. sic Persius:

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.

Horatius autem cum Acrone & Porphyrione interpretibus hunc morem Cretensium fuisse putauit:

Cressa nec careat pulchra dies nota.

nisi fortè, quod suspicor, Horatij verba mendosa interpretes deceperint, & quod Horatius Thressa pro Thracia scripserit, interpretes, siue, quod potiùs credo, librariorum imperitia Cressa corruptum inuenerint. Plin. *Hunc morem sic exagitat vana mortalitas, & ad circumscribendam se ipsam ingeniosa computat more Thraciæ gentis, quæ calculos colore distinctos pro experimento cuiuscunque diei in vrnam condidit, ac sumpto die separatos dinumerat: atque ita de vno quoque pronunciat, quid quod iste candore calculi laudatus dies originem mali habuit.*

HOC *tibi quod potui.*] Elegiæ conclusio cum excusatione poëtæ, qui curis, & mœroribus oppressus omnibus Malli meritis, & optatis satisfacere nequiuerit.

SED *pro tantis officiis.*] quæ Mallio debet hoc tantum amici animi testimonium carmine vno miserit.

PRO *aliis officiis.*] quæ tuis erga me meritis multa debeo.

NOSTRVM *nomen.*] nostri nominis memoriam.

RVBIGINE.] obscuritate obliuionis, hoc est ne nostrum nomen obliuione pereat.

HVC.] ad hanc nostri nominis conseruationem.

THEMIS.] *Themin antiqui deam putabant esse, quæ præciperet hominibus id petere quod fas esset, eámque id esse existimabant, quod & fas est.* hæc Festus Pomp. Nam Themin cœli, & Terræ filiam, tùm diuinandi artem, tùm sacra, cultúsque deorum introduxisse dicunt: eáque quæ ad bene viuendum & pacem pertinent ostendisse. nam θέμις significat fas. Hanc autem deam hominibus aureo sæculo iustè viuentibus omnia vota piè concepta tribuisse dixerunt poëtæ.

PIIS.] piè ac iustè viuentibus.

ANTIQVIS.] priscis aurei sæculi hominibus.

TVA *vita.*] amica tua.

IN *qua lu.*] in qua ego à te hospitatus carmina scripsi.

DOMINA.] amica tua. commoratio est: in eadem enim re persistit mutatis verbis.

ET *quali.*] & sit felix Mallius, qui patefecit meos agros. sic suprà,

Is clausum lato patefecit limite campum:
Isque domum nobis, isque dedit dominam.

PRINCIPIO.] alij legunt præcipuè, sed hic versus, & sequens variè corrupti iudicio meo sic legantur:

Et qui principio nobis terra dedit atque
A quo sunt primo omnia nata bona.

LONGE.] valdè.

LVX *mea mihi carior me ipso.*] Lesbia mihi mea vita carior. Sic infra,

Eripere ei noli multo quod carius illi
Est oculis: seu quid carius est oculis.

PALLADIVS FVSCVS.

QVOD *mihi fortuna.*] Scribit hanc elegiam ad Malliū, qui cùm vxorē quam vnicè amabat, nuper amisisset, & ideò vehemēter doleret, Catullo per literas petierat, vt nouis versibus dolorem suum leniret: tùm vt libros quosdam sibi mitteret legēdos. Ei igitur respondēs poeta, negat se propter recentem fratris interitum, versus facere posse, aut libros mittere, cùm Veronam profectus eos Romæ reliquerit. ostendit tamen se Mallio ob eximia eius merita plurimum debere.

FORTVNA *Casúque.*] eadem est Fortunæ quæ Casus diffinitio: in hoc tamen differunt, vt inquit Aristot. quod Fortuna est duntaxat in habentibus intellectum, Casus etiam in non habentibus.

EPISTOLIVM.] paruam epistolam, quæ nihil aliud est quā oratio quæ absentes præsentes facit.

CÆLIBE.] cælibes sunt qui vxore carent qualis tunc erat Mallius amissa coniuge. ordo talis est, Gratum est mihi quoniam ducis me tibi amicum, quòd oppressus fortuna & acerbo casu mittis hoc epistolium vt naufragum & eiectum subleuem & cætera.

DONA *beata.*] qualia sunt carmina.

VESTIS *mihi tradita pura est.*] Vestis pura tyronib. dabatur. Plin. lib. VIII. hist. nat. *ea prima texuit rectam tunicam, qua simul cum toga pura tyrones induuntur nouaq́; nuptæ.*

ÆTAS *florida ver ageret.*] dictum est adolescentiam flori esse comparatam.

QVÆ *dulcem curis.*] cuius poculum hinc melle, inde felle temperatur.

O *misero frater adempte mihi.*] oblata occasione defle fratris interitum iuxta illud,

Semper mœsta tua carmina morte canam.

MAGIS *miserum est.*] quod quisquis de meliore nota tepefecit membra sua frigida in lecto à me deserto. melioris autē notæ homines sunt non parui, vt aiunt, pretij.

VTRIVSQ. *petiti.*] carminum s. & librorum.

NON *possum.*] negat posse reticere Mallij in se beneficia: ne si illa reticeantur, tēporis iniquitate tenebris obruta in obliuionem deueniant.

CÆCA *nocte.*] obscuris obliuionis tenebris.

CHARTA.] emendo cuiua.

DVPLEX. quia dulcibus miscet amara.

AMATHVSIA.] Venus ab Amathunte Cypri vrbe.

TRINACRIA *rupes.*] intelligit Æthnam, qui mons in Sicilia assiduo flagrat incendio. Pli. L.II.

A *Verum in montium miraculis ardet Aethna noctibus semper, tantóque æuo ignium materia sufficit niualis hibernis temporibus, egestúmq; cinerem pruinis operiens, nec in illo tantum natura sæuit exustionem terris denuncians.*

LYMPHAQ. *in Oetæis Mallia Thermopylis.*] Herodotus lib. VI. *Thermopylarum quod montis ad Hesperum vergit inaccessum est, & praalti præcipitiy protentum vsque ad Oetaam, quod autem vie vergit ad auroram, id à mari excipitur ac vadosis: in hoc ingressu sunt therma lutra id est calida lauacra: quæ Cythrus .s. olles indigenæ vocant, & desuper ara Herculis extructa ad hos ingressus murus est ædificatus: super quem olim pyla

B i. porta erant. cum autem ædificauerant Phocenses metu Thessalorum, ex quo illi ex Thesprotis terram Aeolidem iere habitatū, quam nunc possident, ex qua Thessali conabantur eos subigere. præsidio imposito tutabantur: aquāq́; calidā ingressum induxēre, vt esset lacunosus locus, omnia excogitantes ne in suam terram Thessali incursarent.*

MALLIA.] à populorum vicinitate, vnde proximus etiam sinus Malliacus est appellatus.

QVALIS *in aeriy.*] ostendit per similitudinem quantum lachrymarum oculis plorando emiserit.

DVLCE *viatori lasso in sudore leuamen.*] Virg.

——— *quale per æstum*
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere riuo.

C IAM *prece Pollucis.*] Plinius libro secundo: *Geminæ autem salutares & prosperi cursus prænuntiæ, quarum aduentu fugari diram illam ac minacem, appellatámque Helenam, ferunt. & ob id Polluci & Castori id numen assignant, eósque in mari deos inuocant.* prætermitto autem Diodorum & alios qui de hac re mentionem faciunt.

CONIVGIS *vt quondam.*] scribit amicam Mallij opera venisse ad se talē, qualis ad Protesilaum deducta est Laodamia, cùm nondum hostia pro illo cæsa deos placasset: quare nactus occasionem digreditur ad explicandū tum amorem, tum infortunium ipsius Laodamiæ.

D TROIA *nefas.*] insultat Troiæ propter fratris interitum.

LETHVM *miserabile fratri.*] forsitan quo tempore Fimbria Troiam euertit, Cornelio Sylla Remp. tenente.

HEI *misero fr.*] deplorat rursus amissum fratrē.

QVO *tibi cum casu.*] Græcis ad Troiam properantibus vir ademptus est Laodamiæ.

QVALE *ferunt Graij.*] comparat altitudinem amoris eiusdem Laodamiæ in Protesilaum profunditati aquarum in Thessalia iuxta Peneum stagnantium, priusquam ab Hercule Ossa ab Olympo summoto deductæ forent. qua de re

E sic scribit Diodorus. *Sed tamen antea huic simile opus in Græcia effecerat: nam à locis quæ Tempe appellantur, vbi latè stagnabat in campis ducta fossa aquā deduxit Thessaliæ, circa Peneum fluuium campos fertiles prabens.*

DETERIORIS *heri.*] intelligit Eurystheum qui proculdubio fuit Hercule deterior, licet ei imperauerit.

PLVRIBVS *vt cœli.*] vt receptus in numerū deorum haberet Heben vxorem.

SED *tuus altus amor.*] ait amorem quo Laodamia virum suum prosequebatur fuisse maio-

rem, quàm fuerit amor Herculis in Iolem: cui nimium adamatæ dum studet morigerari, fecit etiam pudenda.

BARATHRO.] nomen est immensę profunditatis.

NAM *neque tam charum.*] negat Catullus tam charum esse auo diuiti, & decrepito, quem ei heredem filia educat nepotē, quam charus extiterit Laodamiæ idem Protesilaus.

DETVLIT *in tabulis.*] nomen in aui testamento dedit notandum.

GENTILIS *gaudia tollens.*] gentiles dicuntur qui ex eadem sunt gente: & qui eodem nomine vocantur.

DERISI.] quia sperabat se bona senis habiturum: cùm illum ante natum nepotem sine herede esse videret.

SVSCITAT *à cano vulturium capite.*] abigit à sene insidiantem captatorem, qui vulturi comparatur. Martialis,

Cuius vulturis hoc erit cadauer.

CROCEA *candidus in tunica.*] talis est apud poëtas Cupidinis ipsius habitus.

NEC *tamen illa mihi.*] negat illam de qua loquitur sibi nupsisse, sed alteri nuptam sibi quoq; se indulsisse dicit.

OFFICIIS.] quæ tu in me contulisti.

NE *nostrum scabra.*] ideò, inquit, feci hæc de nobis carmina, ne quando nostrum nomen iniuria temporis ex hominum memoria deleatur.

QVÆ *Themis.*] de qua scribit Sext. Pomp. *Themin deam putabant esse, quæ præciperet hominibus id petere quod fas esset, eámque id esse existimabant quod fas est.*

ET *longe ante omnes.*] intelligit amicam.

ACHILLES STATIVS.

QVOD *mihi fortuna casúque oppressus acerbo.*] Sic Vergil.

—— *Casu concussus acerbo.*

ET *à mortis limine restituam.*] Simile quiddam Græci dicere videntur, illis verbis, ἐπὶ γήραος οὐδῷ. Lucret. —— *leti iam limine in ipso.*

Et Vergil. contrà,

—— *primóque in limine vitæ.*

Restituere eodem modo dicit Flaccus in IIII. Carminum,

Non Torquate genus, non te facundia, non te
Restituet pietas. ——

QVEM *neque sancta Venus.*] Idem ante,

Nam sanctæ Veneri, Cupidinique. ——

MOLLI *requiescere somno.*] μαλακῷ ὕπνῳ. Et Ennius,

Lætantes vino curatos somnus repente
In campo passim mollissimus perculit.

IN *thalamo cœlibe.*] Sophocles in Trachiniis idem dixit,

Ἐν δυσμοίροις εὐναῖς τ' ἀνάνδροισιν.

CVM *mens anxia peruigilat.*] Sic etiam in manuscriptis. legebam ipse, Cui mens anxia peruigilat.

ME *quoniam tibi ducis amicum.*] In manuscriptis omnibus, Dicis. illud probabilius.

MVNERAQVE *& Musarum hinc petis, & Veneris.*] Musarum munera, eadem Horat. vocat in II. epist. ad Augustum, Musarum dona.

Ad libros, & ad hæc Musarum dona.

SED, *tibi ne mea sint ignota incommoda Malli.*] In manuscriptis semper, Manli, & Manlius.

ACCIPE, *quis merser fortunæ fluctibus.*] Sic Horatius:

-- *Aduersis rerum immersabilis vndis.*

DONA *beata.*] Sic Propert. in II.

Nec mihi muneribus, nox vlla est empta beatis.

IVCVNDVM *cum ætas florida ver ageret.*] Aptè & eleganter expressit τὸ ἔαρ καὶ τὴν ἀκμήν. Seleria apud Stobæum dixit, ἔαρ [illegible] φιλων.

At Callimachus etiam Ver ætatis dixisse videtur in Hymno in Delon,

Παῖδες δ' ἔαρος τὸ [illegible] Ἰουλάδ.

Atque alibi de amore,

Κρωβύλον [illegible] κ' μάλιστα δίψη, κ' αὐτὸ
[illegible]
[illegible] —

Eodem pertinet illud Periclęum apud Arist. in III. Rhet. Τὴν νεότητα ἐκ τῆς πόλεως ἀνῃρῆσθαι, ὥσπερ τὸ ἔαρ ἐκ τοῦ ἐνιαυτοῦ, εἰ ἐξαιρεθείη. Et Pompeius Macer, Παίζετ' ὦ νέοι φρένες ἐστὶν [illegible] ἔαρ [illegible] βίου. Et Ouidius, *Ætatis breue ver.* —

Ver agere sic dixit, vt & Vergil.

— *ver magnus agebat Iuppiter.* ——

IVCVNDVM.] Expressit illud Homericum,

Χαριεστάτην ἥβην τὸ [illegible].

quo est vsus Plato in Protagora.

NON *est dea nescia nostri.*] Sic auctor incertus in Ciri,

Quod si alio quouis animo iactaris amore,
Nam te iactari non est Amathusia nostri
Tam rudis, vt nullo possim cognoscere signo.

QVÆ *dulcem curis miscet amaritiem.*] Curis, amoribus. Sic Horat. in IIII. Carm.

—— *amaráque curarum,*

Ac de Sappho hoc sumptum videri possit, apud quam, vt adducit Hephæstiō περὶ [illegible], sic erat,

Ἔρος δηὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δόνει.
Γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον, &c.

Musæus, siue quisquis alius auctor operis quod exstat,

Ἤδη καὶ γλυκύπικρον [illegible] [illegible].

Cicero in V. epist ad Att eodem verbo, quo Sappho, est vsus, *In his, inquit*, γλυκύπικρον *illud confirmas, moram mihi nullam fore.* In eandem sententiam Plautus in Cistellaria,

Nāq; ecastor amor & melle, & felle est fecūdissimus,
Gustu dat dulce, amarum ad satietatē vsq; aggerit.

Et in Pseudolo Callidorus de suis amoribus.

Nam mihi videor cum ea fabularier
Lege, dulce amarúmque vna nunc miscens mihi.

TV *mea, tu moriens fregisti commoda.*] Frangi sic dicuntur commoda vt & res. Horat. in II.

Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est. ——

OMNIA *tecum vnà perierunt gaudia nostra.*] Non dissimile huic videtur illud Vergilij in Bucolicis,

Heu cadit in quenquā tantum scelus, heu tua nobis
Pæne simul tecum solatia rapta Menalca.

Similiter in [illegible].

Πάντα [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

Q V Æ *tuus in vita dulcis alebat amor.*] Hunc postea versum cum superiore repetit. A

Q V O D *hic quisquis de meliore nota Frigida deserto tepefecit membra cubili.*] Eo turpe Catullo Veronæ esse iocans Manlius scribebat, quod ad eius amicam quicunque paulo melior ventitaret, & deserto in Catulli lectulo cubaret. Genere hoc ipso dicendi alia tamen in re vsus est Curio in epist. ad Cic. *Et Sulpici*, inquit, *successori nos de meliore nota commenda.* Sed vno in libro tantum Tepefecit, in duobus aliis Tepefacit, atque in Maffei libro supralscriptum, vel Tepefactat.

I D *Manli non est turpe, magis miserum est.*] Similiter Cicero in III. epist. ad Atticum, *Velim pro tuo in me amore hanc inanem meam diligentiam miserabilem potius, quàm ineptam putes.* Et in III. in Verrem. *Erunt qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentißimum consulem, sed crudelißimum tyrannum existimare velint.* At in oratione pro Roscio coniungens vtrumque. *Videant*, inquit, *ne turpe miserúmque sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt, serui nequissimi dominationem ferre posse.* Liuius eodem prope modo quo Catullus, *Neque id queri quòd hostilia ab hoste paßi forent, esse enim quadam belli iura, quæ vt facere, ita pati sit fas. saxa exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorúmque agi, misera magis, quàm indigna patienti esse.* B C

I L L A *domus, illa mihi sedes.*] Ouidius,

Hæc domus, hæc sedes. ———

I L L I C *mihi carpitur ætas.*] Omnibus in manuscriptis, non mihi, sed mea. Metaphora autem videri possit à fructibus, vel rebus iis, quæ carpendo consumuntur, vt lana, quæ & carpitur, & diducitur. Sic Vergil. in IIII. Æneid.

Soláne perpetua mœrens carpêre iuuenta.

& Ouidius in II. de remedio amoris,

Si potes & ceras remoue: quid imagine muta
Carperis? hoc periit Laodamia modo. D

Et in IIII. de Tristib.

Quaque mea semper placuerunt otia menti,
Carpere, & in studiis molliter esse meis.

Eodem modo ætatem degere dicimus. est autem degere, minuere. auctor Non. Marcell.

H V C *vna è multis capsula.*] In capsas libros includebant. Horat. in I. serm.

——— *beatus Fannius, vltro*
Delatis capsis & imagine. ———

Q V O D *cum ita sit, nolim statuas, me mente maligna Id facere*] In manuscriptis omnibus, non Me, sed Nos. Maligna mente, parum liberali. E

V T R I V S Q V E *petiti.*] Sic petitum dicitur, vt & Datum. de quo post. Sed quoniam in manuscriptis nonnullis, Potenti, in aliis Petenti legitur, hoc retinendum censeo.

V L T R O *ego deferrem.*] Eodem modo Cicero loquitur in IIII. epist. vt vocant, Fam. *Nec mihi quidquam tali tempore in mentem venit optare, quod non vltro mihi Cæsar detulerit.* Et in XIII. *Vltro te ad me detulisse putabo.* Liuius quoque in III. *Quæ consilij fuerunt, adeò æqua postulastis, vt vltro vobis deferenda fuerint.*

I L L I V S *hoc cæca nocte tegat studium.*] Sic Horat. in IIII. Carm.

Sed omnes inlacbrymabiles
Vrgentur, ignotíque longa
Nocte, carent quia vate sacro.

E T *facite, hæc charta loquatur anus.*] In manuscriptis omnibus, non Charta, sed Certa. In Maffei tamen libro supra positum, vel Charta. Si Certa retinemus, interpretemur, Anus docta posteris narret. vel Cera, vt ceratas tabulas intelligamus, in quibus scribebant. itaque nihil adfirmo. Loqui annales, dixit & Macrobius in III. Saturn. *Sed & multus exercitus, oppidáque hostiū Gallorum, Hispanorum, Afrorum, Maurorum, aliarúmque gentium, quas prisci loquuntur annales.* Et auctor incertus in Ciri,

Aeternum Sophiæ coniunctum carmine nomen
Nostra tuum senibus loqueretur pagina seclis.

Senibus autem sæclis, sic dixit, vt & Catullus alibi, *Cana sæcula.* ---

Et Claudianus in laude Serenę vxoris Stiliconis,

Antiquos loquitur Musarum pagina reges.

Philippus in epigrammate chartas anus eodem modo videtur dicere,

Ἡ τὸν Μαιονίδεω βαθὺ κλέος, εὕρεμ' Ὁμήρου
Αἰὲν γηραλέων ἁρμόζεται σελίδων.

O M N I B V S *inque locis.*] Hic versus in manuscriptis non erat. & in omnibus tantum spatij reliquum erat, quantum vni versui capiendo satis esset. Atque in vno annotatum in margine, Deficiebat hoc carmen in exemplo. itaque quicunque legitur versus hoc loco, nothus is est.

N O T E S C A T Q V E *magis mortuus atque magis.*] Eodem verbo atque eadem in sententia Propert. in II.

Nec minus hæc nostri notescat fama sepulchri.

D E S E R T O *in Malli nomine opus faciat.*] Omnibus in manuscriptis, In deserto ali nomine. itaque legendum puto, In deserto aliis nomine opus faciat.

D V P L E X *Amathuntia.*] Amathusia, in manuscriptis.

E T *in quo me corruerit genere.*] Sic etiam erat omnibus in manusc. aut igitur hoc retinendum, aut mutandum fortasse leuiter sic, Et in quo mi cor ruerit genere. Vt aut Catullo cor ruerit, aut Venus ipsum ruerit. actiuè enim etiam Plautus, opinor,

Ibi me corruere posse aiebas diuitias.

Et Vergilius,

——— *cumulósque ruit male pinguis harena.*

Similiter Laberius in Virgine, vt est apud Nonium Marcellum in verbo, Peluis, *Amore cecidi tanquam blatta in peluim.* In eodem genere Apollon. in III. Argon.

Ἐκ δ' ἄρα οἱ κραδίη στηθέων πέσεν.

Optima tamen & verissima lectio videtur, Torruerit, non Corruerit. quo verbo idem alibi eodem in genere vtitur,

Cum vesana meas torreret flamma medullas.

Et Horatius sæpe.

Me torret face mutua,
Thurini Calais filius Ornithi. &,
Si torrere iecur quæris idoneum.

C V M *tantum arderem, quantum Trinacria rupes.*] Summum ex amore incendium sic significat. Sic enim Plaut. in Asin. *Nam si impetro, Regem perdidi, ex amore tantum est homini incendium,*

Et apud Ouid. Polyphemus in XIII. Metam.

Vror enim, læsusque exæstuat acrior ignis.
Cunque suis videor translatam viribus Aetnam
Pectore ferre meo. ——

Sic ille quoque summo se Galateæ amore teneri significat.

LYMPHAQVE *in Oetæis Mallia Thermopylis.*] Iacobus Taurellus, vir eruditus in primis, ac diligens. non Mália vel Mallia, sed Lamia legendũ putabat, à Lamiaco sinu. has enim aquas esse calidas, demõstrat in Atticis Pausanias his verbis, Ἀπὸ τοῦ κόλπου τοῦ Λαμιακοῦ πλησίας πρὸς ταῖς Θερμοπύλαις. αὐτοὶ δὲ ἐμοὶ δοκεῖ, τὸ ὕδωρ ταύτῃ τὸ θερμὸν ἰέναι ἐς τὴν θάλασσαν. quod legendum affirmare B auderem, si liqueret modo eius verbi principem syllabam produci, & Lamiam, vt Lamiacam dici posse. Sed hoc leuius, illud è re magis. At Malliam gemino LL, à Maliaco sinu dici, ne id quidem probandum videtur. itaque videndum etiam atque etiam, quid sequi debeamus.

RIVVS *muscoso prosilit è lapide.*] Muscosum lapidem dicit. vt & Horat.

—— Musco circumlita saxa.

DE *prona præceps est valle volutus.*] Syllabarum concursus in verbis, Valle volutus, mire cursum aquæ defluentis exprimit.

DVLCE *viatori lasso in sudore leuamen.*] In manuscriptis omnibus non Lasso, sed Basso, atque in Maffei libro supra verbum Viatori scriptum, vel Viatorum. Itaque legendum opinor,

Dulce viatorum lasso in sudore leuamen.

vt sic prope Lassum sudorem dixerit, vt & febris arida dicitur ab effecto.

EXVSTOS *æstus hiulcat agros.*] Verg. in Geor.

Vbi hiulca siti findit canis æstifer arua.

Et auctor lusus in Priapum,

Agente terra per caniculam rimas.

AC *veluti nigro.*] omnibus in manuscriptis, Hic veluti nigri. In vno autem, Hic veluti nigro, &c.

IAM *prece Pollucis, iam Castoris implorata.*] In manuscriptis, Implorate. legendum fortasse sit, Implorante. Ea sententia, vt aura secunda venit, implorante Castoris & Pollucis opem. nam implorata prece Castoris, id est, quod Castorẽ precemur, vtrumq; durum atque insolens videtur.

AD *quam communes exerceremus amores.*] Sic in Maffei libro. in alio, Exercemus. in tertio, Nos exercemus amores. Aut igitur primum illud, aut hoc retinendum postremum. nec enim versus aliter stabit.

QVO *mea se molli.*] Se atque amicam, Malli domo receptos dicit, ibique inter se amasse.

INTVLIT.] Propert. in I.

Sic mihi te referas leuis, vt non altera nostro
Limine formosos intulit vlla pedes.

ET *trito fulgentem in limine plantam Innixa, arguta constitit in solea.*] Omnibus in manuscriptis, Constituit solea. est verò constituere idem nonnunquam quod Ponere. vt eam dicat trito in limine pedẽ posuisse innixa arguta solea. Arguta, crepante, sonitum edente. Sic Vergil.

—— argutúmque nemus pinósque loquentes.

Sin, Constitit malis, id fortasse coniungendum cum verbo Plantam. nam & Plantam insistere A sic Plaut. in Casina videtur dicere, apud quem est

Insistis plantam. —— Et Propert. in II.

Prosilis in laxa nixa pedem solea.

Turpilius in Demetrio, vt adducit Nonius Marcellus in verbo Primores similiter, *Sandalio innixa primoribus digitis.*

INCEPTA *frustra nondum cum sanguine sacro Hostia cælestes conciliasset heros.*] In manuscriptis quoque Incepta sine diphthongo. Ac fortasse Incepta, pro non accepto. vt Inuocatus apud Horat. id est, non vocatus. Frustra verò iungendum cum verbo Conciliasset, vel potius quod in omnibus manuscriptis legitur, Pacificasset. In quibus Cœlestis more veterum, non Cœlestes, erat scriptum. Cœlestes autem heros, τοὺς οὐρανίους μάκαρας, quod dicit Euripides. Ouidij, opinor, est versus ille,

Mica salis puri pacificabat heros.

atque hostiam quidem illam intelligit, quam pro salute viri ad Troiam militantis Laodamia diis immolarat, de qua Oui. in epist. Laodamiæ,

Excutior somno, simulacráque noctis adoro,
Nulla caret fumo Thessalis ara meo.
Tura damus lacrimásque super, qua sparsa relucent,
Vt solet à fuso surgere flamma mero.

Talis, inquit, in Mallij domum se mea contulit, qualis Laodamia tum, cùm primum ad mariC tum venit, ante scilicet, quàm Troiam ille proficisceretur, ipsa verò absens deos marito militanti mactatis hostiis, nec litatis, frustra placaret.

NIL *mihi tam valde placeat.*] Non ego, inquit, si vehementer huius meæ coniugium concupiscam, dis inuitis quidquam effectum velim. Atque ita significare vult bono omine, & dis adprobantibus suam sibi iunctam fuisse.

QVAM *ieiuna pium desiderat ara cruorem, Docta est amisso Laodamia viro.*] In manuscriptis duobus, Deficeret, non Desideret. in vno Disgeret. D Mutandum puto Deficeret in Defecerit. Ea sententia, quam supra posui, Nihil prodesse contra deorum voluntatem sacrificia, nec aræ ipsæ sanguine victimarum vtiliter imbuuntur. itaque fusum sanguinem ieiunæ deficiunt, ac sacrificantem voto frustrantur. quod exemplo, inquit, suo Laodamia docuit. Sed locus tamen hic etiã atque etiam considerandus.

CONIVGIS *ante coacta nouũ dimittere collum.*] In manuscriptis, in aliis Nouit, pro Nouum, in aliis, Vouit. in aliis Voluit. legendum omnino, Noui. Collum, autem dixit, opinor à iugo transferens, vel complexum sic significat.

E POSSET *vt abrupto viuere coniugio.*] Facilius vel absentiam, vel mortem viri tulisset, si aliquãdiu suis amoribus illi frui licuisset.

QVOD *scibant Parcæ non longo tempore abesse.*] In ms. duob. Abisse. in vno, Abiisse. Ea fortasse sententia, Quod coniugiũ non longo abisse tẽpore sciebãt. i. id nõ accidisse, vt diuturnũ foret. quod si non placet, priorem lectionem retineamus.

SI *miles.*] Protesilaus ipse.

COEPERAT *ad sese Troia ciere viros.*] Ad sese: contra sese, in sese, vt Græci πρὸς. Ciere viros ad iram impellere, aut in sese concitare. Vergil.

Aere ciere viros, Martémque accendere cantu.

Et Tibullus,

Iam ciet infernas magico stridore cateruas.

TROIA *nefas commune sepulchrum Europæ Asiæque.*] Propert.

Olim mirabar quod tanti ad Pergama belli
Europæ atque Asiæ caussa puella fuit.

Atque alibi,

Excidium Europæ quæ fuerim, atque Asiæ.

Lucret. de terra, opinor,

Eadem rerum commune sepulchrum.

ACERBA *cinis.*] Feminino genere quoque Lucret. in IIII.

——cinere vt multa latet obrutus ignis.

De quo Caris. Grammaticus. Sic & Puluis eodem genere, Propertius extulit in I.

Sit mihi præcipue puluis Etrusca dolor.

QVÆ *nempe & nostro letum miserabile fratri Adtulit.*] In manuscriptis omnibus, Quæ veteri id nostro, &c. Legendum forte, Quæ veteri nostro. Et quæ sequuntur. Sed non ita frater, vt amicus dicitur vetus. Legendum forte. Quæ veteri domino, & nostro, &c. vt illud de Priamo intelligatur.

QVEM *nunc tam longe.*] In manuscriptis omnibus Quæ. Sed illud probabilius.

NEC *prope cognatos compositum cineres*] De mortuis id verbum vsurpabant. Lucret. in I.

Compositis plenæ gemuerunt ossibus vrnæ.

Et Cornel. Tacit. in XVII. *Pisonem Verania vxor ac frater Scribonianus, T. Iunium Crispina filia composuere, quæsitis, redemptisque capitibus quæ venalia interfectores seruauerant.* Et Propert. proxime accedens ad hæc Catulli,

Et mater non iusta piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos interhumare rogos.

SED *Troia obscœna, Troia infelice sepulchrum.*] Scribendum forte, vt in omnibus manuscriptis, Sepultum. Infelice vero, auferendi casu, vetuste credo.

DETINET *à nostro terra aliena solo.*] Manuscripti omnes summo consensu habebant, *Detinet extremo terra aliena solo.* Extremo: id est, longinquo. Vergil.

Extremique hominum Morini.

quamquam hi extremi, quod in vltimis terris. Sed mutandum fortasse leuiter, Externo.

AD *quam cum properans fertur simul vndique pubes.*] In manuscriptis non, Cum, sed, Tum. & in duobus libris versus mancus, in quibus legitur hoc modo, Ad quam tum properans fertur vndique pubes. in vno, Ferretur vndique pubes. quod reiciendum omnino. itaque verbum deesse suspicor, ac vocem, Simul, esse prorsus additiciam, atque alienam.

PENETRALES.] In manuscriptis more veterum scriptum, Penetralis, vt ante, Celestis.

QVO *tibi tum casu.*] In manuscriptis omnibus. Quod. Sed illud potius.

CONIVGIVM.] Coniux ipse tuus.

TANTO *te absorbens vortice.*] Etiam hoc loco isdem in libris scriptum erat, Vertice. Atque ita semper esse scribendum, quidquid ea vox significet, pluribus doceo in meis in Horat. Commentationibus. Idque Scipioni Africano placuisse scribit in I. Quintil. Similitudine vero vtitur in tenui re maximarum etiam rerum. Sic ante, *Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes.* Sic autem exprimit eum, quem Græci, opinor, βαθὺν ἔρωτα, vocant.

QVALE *ferunt Graij Peneum prope Cyllenæum.*] Eodem modo in manuscriptis. Sed pro Peneum, legendum Pheneum, quemadmodum Aldus olim impresserat. Est autem Pheneus vrbs Arcadiæ, quæ, vt scribit Stephanus, κεῖται ὑφ' ᾧ ὄρος τὴν κυλλήνην. Atque idem Pheneum masculino genere dici tradit.

SICCARI *emulsa pingue palude solum.*] De quo Pausan. in Arcadicis multa. idemque adfirmat opus id Herculis fuisse Tirynthio pulsi ab Euristheo. Alia est Strabonis in extremo octauo libro sententia. id enim terræ motu accidisse scribit. Eum sequitur auctorem Plinius in XXXI. *Terræ quoque*, inquit, *motus profundunt, sorbentque aquas, sicut circa Pheneum Arcadiæ quinquies accidisse constat.* Emulsa vero dixit, pro Absorpta, attracta, hausta. Sic Ennius, vt adducit in X. Priscianus,

Mulserat huc nauem compulsam fluctibus Pontus

QVOD *quondam cæsis montis fodisse medullis.*] In manuscriptis nonnullis, Fudisse.

AVSVS *falsiparens.*] Omnibus in manuscriptis, Audet, qui modus est in primis historicus. Falsiparens autem id videtur exprimere, quod Græci dicunt ψευδοπάτωρ.

PERCVLIT, *imperio deterioris heri.*] Deterior etiam, opinor, latine dicitur Inferior.

IANVA *cæli.*] Portam cœlo tribuebant, qua ingrediantur indigetes. Vergil.

——quem super ingens Porta tonat cæli.

Et multo ante Ennius,

Mi soli cæli maxima porta patet.

HEBE *nec longa virginitate foret.*] Hebe Iuuenta latine dicitur. sic enim vertisse videtur Ouidius in I. de Ponto.

Nectar & Ambrosiam latices, epulasque deorum
Det mihi formosa gnaua Iuuenta manu.

cui Hercules coniux obtigit, ac propterea vetus Poëta apud Hephæstionem de Hercule,

Χαῖρ' ἄναξ, ὁ γαμβρὸς ἥβας μάκαρ [illegible]

SED *tuus altus amor barathro fuit altior illo.*] Pausanias, & Strabo illa etiam βέρεθρα, & βάραθρα vocant. Altum amorem Græci, vt dixi, etiam βαθὺν ἔρωτα dicunt. Theocrit. in Idyllio III. ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλατ' ἔρωτα. Euripides etiam transferens ab aquis eodem in genere in Hippolyto cor. dixit,

Κύπρις γὰρ οὐ φορητὸς, ἢν πολλὴ ῥυῇ.

QVOD *durum domitum ferre iugum docuit.*] In manuscriptis duobus erat, *Qui tuum domitum ferre iugum docuit.* In vno, *Qui tuum dominum ferre iugum docuit.* Legendum suspicor, *Qui tantum indomitam ferre iugum docuit.* Impotentem, inquit, amorem illum tuum fuisse oportet, qui te amoris expertem tantum iugum ferre docuit.

NAM *neque tam carum confecto ætate parenti*] In Maffei libro legitur hic versus, Nam nec causa earum confecto ætate parenti. In aliis, Neque tam causa earum. Quæ sunt omnia

Ee

ἀκίνακ. Verbum autem Causa, huic loco planè A est alienum. Ego sic scriptum id verbum in vno reperio, Cā quod Causa interpretari solent. è quo facilè fit verbum alterum Tam. Legendum igitur eodem quo in vulgatis libris, modo.

VNA] Atque eo illi nepos carior. acerbissimus enim parentibus atq; auis dolor, si alienos non liberos ac nepotes relinquunt heredes. Pindarus, Ἀλλ' ὥστε παῖς ἐξ ἀλόχου πατρὶ ποθεινὸς, ἵκοντι νεότατος τὸ πάλιν ἤδη, μάλα δέ οἱ θερμαίνει φιλότατι νόον. ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον θνάσκοντι στυγερώτατος. Serus autem nepos dicitur, quod, auo iam senio propè confecto natus sit.

QVI *tum diuitiis*] Legendum, vt in manu- B scriptis omnibus, Cum, non Tum.

VIX *tandem.*] Serum enim nepotem dixit.

NOMEN *testatas intulit in tabulas.*] Id est, in testamenti tabulas.

IMPIA *derisi gentilis gaudia tollens, Suscitat & cano vulturium capiti.*] Posterior versus in manuscriptis nonnullis legitur hoc modo,

Subcitata cano voluntarium capiti. In aliis,

Suscitata cano voluntarium capiti.

In Maffei libro sic erat,

Scuscitata cano volturium capiti.

Ego nihil adfirmare audeo. In mentem tamen illud venerat,

Se citat à cano vulturium capite. vel, C

Se citat incano vulturium capiti.

id est, incitat. Sic eo verbo veteres vsos esse, multis omnino exemplis doceri potest: Vulturius autem dicebatur, qui & Vultur. ac, μεταθεινης, qui cuiusquam bona inuolaret. Æmilius Scaurus contra Qu. Cæpionem actione secunda, vt Caris. adducit in I. *Nefarius vulturius, patriæ parricida.* Cic. in Pisonem, *Vulturius illius prouinciæ.* Idem in eadem, *Scaurus, vulturius reip.* Crates quoque Adsentatores ac meretrices vulturiis siue miluis esse similes dixit eandē ob caussam. in Græcorum enim sententiis hoc eius legitur, D Κράτης τοὺς τῶν κολάκων καὶ τῶν ἑταιρῶν χρήματα τοῖς ὑπὸ τῶν ἀγρῶν συκαῖς εἴκαζεν. ἀφ' ὧν ἄνθρωπον μηδένα λαμβάνειν, κόρακας δὲ καὶ ἰκτίνους ἐσθίειν, οὕτω καὶ τοὺς πένητας καὶ τοὺς κόλακας.

SEV *quidquid dicitur improbius.*] In ms. tribus, Qui multo dicitur improbius. In Maffei libro, Quæ multo dicitur improbius. vt illud ad colūbum hoc ad columbā referatur. liberum cuique sit, vtrum sequi malit, dummodo non ignoret, impressam lectionem alienam esse, ac minimè Catullinam. At nihil tam improbum in rapiendis osculis fingi potest, quam sunt ipsi columbi. De quo Ouid. in II. Eleg.

Oscula dat cupido blanda columba viro.

Et Mœcenas, vt auctor est in xx. Epist. Seneca, E *Labris columbari*, idem significans dixit. Iisdem verborum figmentis vsus C. Marius apud Gell. lib. xx. cap. VIII. dixit in Mimiambis, *Simúque amicam recipere frigidam caldo, Columbatímque labra conserens labris.*

QVANTVM *præcipuè multiuola est mulier.*] Legendum, vt in manuscriptis omnibus, Quanquam & cet. Mira, inquit, in amando Laodamiæ fuit constantia, cùm mulieres tam sint inconstantes, nec vno vnquam contentæ.

AVT *nihil, aut paulo cui tu concedere digna,*

Lux mea se nostrum contulit in gremium.] Sic etiam in manuscriptis, præterquam in vno, in quo non, Tu, sed Tum. Ego, quoquo modo legatur, nihil aptum video huic sententiæ. nam, Paulo, verbum, cui verbo iungemus? deinde, Tum, quid hîc tandem loci habet? Ego Tu in Plus mutandum puto, quocunq; id modo accidit. Sed nihil tamen adfirmo.

QVAM *circumcursans huc illuc sæpè Cupido.*] In manuscriptis, pro Huc illuc, Hinc illinc, quod sequamur. Similiter Horat. in I. Carm. de Venere,

Quam iocus circum volat, & cupido.

CONIVGIS *in culpa flagrans cotidiana.*] In manuscriptis omnibus, vel Flagrantem, vel Fragrantem. Nihil autem, quod è re foret, comminisci poteram. Sed deesse tamen versum vnum atque alterum, vehementer suspicabar.

NOSCENS *omniuoli plurima furta Iouis.*] Anacreon, quod Ioui Catullus, idem Amori tribuit, apud quem sic est,

- Ἀλλ' οὐ θέλω σωφρονεῖν ἔρωτα πανστρέπτην.

ATQVI *nec diuis homines, & cet.*] Hic versus erat omnibus in manuscriptis nec tamen apparet, quo referri eum oporteat, aut quam sit in partem ac sententiam accipiendum. Nisi si forte in eam, non esse coniugium semper è patris sententia celebrandum. Sic vt semper esse castam necesse sit. Sequitur enim,

Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna.

vt id onus etiam sublatum fuisse significet. De deducendi ritu dictum anteà.

NIGRA *munuscula nocte.*] In manuscriptis omnibus non Nigra, sed Mira. Miram autem noctem vocat, qua sibi illius frui licuit consuetudine. id enim versus qui sequitur, significat,

Ipsius ex ipso dempta viri gremio.

Eodem prope modo Gremium videtur anteà dixisse, *Qui ipse sui gnati immixerit in gremium.*

SI *nobis id datur vnis*] Sic in tribus manuscriptis, In Maffei, *- si nobis is datur vnis.*

QVO *lapide illa diem candidiore notet*] In tribus libris sic scriptum erat,

Quem lapide illa dies candidiore notat. In vno,

Quem lapidem illa dies candidiore not. t.

Ego superiorem: & hunc ipsum versum sic legendum suspicabar, vt, quam minimè possem, longè ab scripta lectione discederem.

Quare illud satis est, si nobis is datur vnis,

Quem lapide illa diem candidiore notat.

Hoc, inquit, satis est, si is nobis vnis, non item aliis dies datur, eúmque diem solidum in amore ac deliciis consumimus, atq; cum sibi illa diem ducit felicissimum.

NE *vestrum scabra tangat robigine nomen.*] Scabram robiginem dixit etiam Vergil. in Georg. Catullum, credo, imitatus.

SITIS *felices.*] Sic idem Vergil. in I Æneid.

Sis felix. - Euripides in Iphigenia,

Ὄναιο μόνον, ὥς σοι φίλοις διδάσκεις.

ET *tua vita.*] Tui amores Idem alibi,

Iucundum mea vita mihi proponis amorem.

ET *domus ipsa, in qua lusimus, & domina.*] In manuscriptis verbum, Ipsa non erat. itaque aut verbum deest vnum, aut legendum,

Atque domus in qua lusimus, & domina.

Sæpè enim, Et, pro Atque & contra, scriptores librarij peccantes fecere. & vltimã syllabam verbi Domus, productam interdum nominandi casu nonnunquam legimus. Octauius Pantagathus legebat, Et domus ipsi in qua &c.

ET *qui principio nobis dominam dedit, à quo, Sunt primo nobis omnia nata bona.*] In manuscriptis sic leguntur hi versus,

Et qui principio nobis terram dedit, aufert,
A quo sunt primo omnia nata bono.

At, quæ vera lectio ex his verbis possit existere, non dispicio. Sed, qui meus fuerit conatus, etsi mihi quidem ipse displicet, non tacebo,

Et qui principio nobis teneram dedit, ac fert.

Et illo etiam modo,

Et qui principio nobis teneram dedit, ac fere.

Et quæ sequuntur. Vel pro Aufert, legendũ Afer, vt Afrum aliquẽ eo nomine puellam Catullo & Mãlio dedisse intellegamus. Cætera mihi quidẽ probãtur. Concursum enim illum vocaliũ duarum liberum esse posse, iam anteà docui. Erat tamen quibusdam in ms. non, Nata, sed Nota. Sed in nonnullis libris emendatum sic, vt legendum censemus. ac, pro Bono, malim equidem Bona.

M. ANT. MVRETVS.

QVOD *mihi fortuna.*] pulcherrima omninò hæc elegia est, atque haud scio, an vlla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat. nam & dictio purissima est: & mira quadam affectuum varietate permista oratio: & tot vbique aspersa verborum ac sententiarum lumina, vt ex hoc vno poëmate perspicere liceat, quantum Catullus cæteris in hoc genere omnibus præstare potuerit, si vim ingenij sui ad illud excolendum contulisset. primum enim, quod Manlius in duris atq; acerbis rebus suis, ea, quæ sibi solatio forent, ab ipso potissimum petere voluerit, gratam sibi esse affirmat illam amicitiæ significationem. cùm autem ille duorum generum munera peteret, Musarum videlicet, & Veneris; ostendit neutrum à se præstari posse, quod è fratris sui morte tantum dolorem hauserit, vt earum rerum studia ipsi penitus ex animo excesserint. postremò beneficia à Manlio apud se posita elegantissimis versibus commemorat: eique fausta feliciáque omnia à diis immortalibus comprecatur.

EPISTOLIVM.] ita Pacuuius prologium,

Quid est? nam me exanimasti prologio tuo.

A *mortis limine restituam.*] sic Virg. Culice.

—— cum te
Restitui superis leti iam limine ab ipso.

VESTIS *pura.*] quæ dabatur annum fere agentibus decimum sextum.

IVCVNDVM *cùm ætas.*] elegans iuuentutis descriptio. Erastothenem autem dixisse tradunt, primam illam viriditatem ætatis, ver vitæ esse: corroboratam ætatem, constitutámq; æstatem, & autumnum; quibus senectutem quasi hiemem quandam succedere.

QVÆ *dulcem.*] sic suprà, *Sancte puer curis* &c. Plato quoq; Amorem γλυκύπικρον nominat.

A HVC *vnà è multis.*] è multis librorum capsis vnam tantum, eámque exiguam, mecum conuehendam curare soleo, cùm huc commigro.

NON *possum reticere.*] vehementissima amoris sui expressio. cùm enim vi doloris oppressus, poëtica studia penitus abiecerit; negat tamen facere se posse, quin accepta à Manlio beneficia versib. ad perpetuandã ipsius gloriã, exequatur.

SÆCLIS *obliuiscentibus.*] clarorum hominum res gestas, nisi quibus Musarum cantus accesserit, perpetua obliuione sepelientibus. Appositè autem Musas ad illustrandum Manlium inuocat; quippe quarum proprium est, præstantium virorum famam ab iniuria mortalitatis asserere.

B Horatius,

Dignum laude virum Musa vetat mori.

Tibullus,

Quem referent Musæ, viuet dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.

Theocritus,

Αἰεὶ τοῦτο Διὸς κούραις μέλει, αἰὲν ἀοιδοῖς,
Ὑμνεῖν ἀθανάτους, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν.

DVPLEX.] dolosa, versuta. sic Horatius.

Nec cursus duplicis per mare Vlyssei.

AMATHVSIA.] Venus. sic supra,

—— quæq; Amathunta, quæq; Golgos.

CORRVERIT.] prostrauerit. Annotandus
C autem est vsus hic verbi, *corruo*, non admodum frequens. eo tamen ad eundem modum vsus est alicubi Lucretius. Lambinus meus, cuius ego doctrinam & iudicium plurimi facio, hunc versum ita legit,

Scitis, & in quo me exercuerit genere.

atque se vidisse veterem librum in quo esset, *exhorruerit*: vnde ipse eam, quam dixi, coniecturam facit. in meo quidem, qui scriptus est centum & eo amplius ab hinc annos, omnibus literis apertè legitur, *corruerit.*

TRINACRIA *rupes.*] Ætna.

D MALIA.] à Maliaco, vt opinor, sinu.

THERMOPYLIS.] tractus montanus est, qui mediam Græciã diuidit, calidis balneis nobilis.

QVALIS *in aëry.*] lacrymas ex oculis suis profluẽtes riuo comparat: quem quidem riuum ita describit, vt eum oculis subiicere videatur.

QVI *cùm de prona.*] qui cùm præceps deuolutus est per pronam vallem. Est autem tmesis, in verbo deuolutus.

AT *velut.*] quale auxilium est, ventus secundus, agitatis iam diu nautis, & de salute sua desperantibus; tale mihi Manlius fuit.

IS *clausum.*] campum, quem latissimum habebat, mihi patefecit, secúmq; communem esse
E voluit.

ARGVTA.] breui. Hanc autem, quam sibi à Manlio datam fuisse dicit, Lesbiam esse non arbitror, sed aliam quampiam: idque præcipuè ex fine huius elegiæ colligo.

PROTESILAEAM.] Laodamiæ comparat puellã illam, cuius sibi vsum concesserat Mãlius: simulq; more suo digreditur ad Laodamiæ fabulam explicandã. Ea vxor Protesilai fuit, quę cùm maritũ suum primũ ex omnibus Græcis in bello Troiano ab Hectore interfectũ esse audisset, nimio illius desiderio cõtabuit. Sunt, qui dicãt viri

vmbram ei se in somnis obtulisse, inque illius complexibus ipsam emortuam. Alij, obtinuisse Protesilaum, vt ex inferis ad visendam vxorem reuerteretur, cumq; eam reperisset adiacentem imagunculæ, qua viri mortui vultum exprimẽdum curauerat, petiisse, vt ne sibi amplius superstes esse vellet: tum ipsam, acta per pectus hasta, sibi mortem attulisse. Quod autem tam breui tempore, marito suo frui ipsi licuerit, Catullus deorum iram in caussa fuisse dicit, quibus ante nuptias sacra rite perpetrata non forent.

Acerba *cinis.*] sic Caluus,

Cum iam fulua cinis fuerit. —— Idem,

Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.

Qvæ *nempe.*] rursum recordatione fraternæ mortis, à re proposita abducitur.

Focos.] in aliis, *deos.*

Tanto *te absorbens.*] epiphonema est, quo confirmat id, quod antea dixerat, coniugium videlicet illud Laodamiæ vita, atque anima dulcius fuisse. Quærens autem occasionem admiscendi varias fabulas, iisq; eruditionis quasi spargendis seminibus exornãdi opus suum, ait, amorem Laodamiæ profundiorem fuisse palude quadam, quæ erat in Thessalia, sed postea siccata est, Herculis opera: sumptáque occasione, ad Herculis res gestas modicè attingendas digreditur.

Barathrvm.] hic simpliciter pro voragine ponitur, erat autem propriè locus Athenis, in quem scelerati deiiciebantur, vt apud Lacedæmonios in Ceadan.

Qvale *ferunt Graij.*] Hercules cùm ad Stymphalias aues interficiendas, iussu Eurysthei proficiscens, in Thessaliam venisset, paludem quandam, quæ ex collectis Penei aquis efficiebatur, siccauit, cùm, separatis Ossa & Olympo montibus, qui antè contigui erant, exitum fluuio dedisset in mare: sicque eius regionis hominibus campi ad Peneum pinguissimi & feracissimi copiam effecit. narrat Diodorus lib. v. tangit etiam Lucanus lib. vi.

Siccari.] tanta enim vis aquarum fuerat, vt nondum penitus ad siccitatem perductum sit solum, sed quotidie paulatim siccetur.

Emvlsa *palude.*] exhaustis aquis.

Montis *medullis.*] interioribus partibus. eadem figura, terræ viscera dixit Ouidius.

Falsiparens.] qui falsò habebatur Amphitryonis filius, cum re vera Iouis satu editus foret.

Stymphalia *monstra.*] proditũ est, Stymphalidas in Arcadia aues fuisse, quæ humana carne vescerentur, quas sagittis Hercules confecerit. Pisander autem Camireus, non interfectas quidem eas ab Hercule, sed crotalorum sonitu fugatas tradit. Sanè ea pars Arabiæ, quæ deserta est, tum feras alias educit, tum aues quæ Stymphalides nominantur, nihilo erga homines pardis & leonibus mitiores, eæ, si quis capere ipsas conetur, inuolantes, rostrisque tundentes insidiantium corpora, facilè eos interficiunt. tanta quippe sunt duritie rostri, vt, quæcunque tegendo corpori ferrea, æreáve adhibentur, ea facilè perfodiant. at, si quis densis, crassisque arborum

A corticibus corpus munierit, haud aliter Stymphalidum rostra ab eiusmodi veste retinentur, quàm à visco alæ auicularum solẽt. Eæ corporis magnitudine gruibus, figura ac specie ibidibus cõparari queunt: nisi quod firmiora rostra, neq; vt ibides, adunca habẽt. Hæc, aliáque de his ipsis auibus non nulla Pausanias in Arcadicis, non nulla etiam Strabo lib. viii. & Diodorus lib. v.

Stymphalia.] Stymphalus oppidum Arcadiæ est. Homerus,

Στύμφηλόν τ' εἶχον, καὶ παῤῥασίην ἐνέμοντο.

Imperio *deterioris heri.*] Eurysthei. Quomodo autem Iuno, decepto Ioue illud assecuta fuerit, vt fatali necessitate Hercules Eurystheo
B parere cogeretur, elegãtissimè narrat Agamemnon apud Homerum Iliados lib. xix.

Plvribvs *vt cæli.*] vt Hercules Eurysthei iussa executus, iuxta Apollinis & Mineruæ oracula, deorum numerum augeret.

Hebe *nec longa.*] Hebe, iuuentutis dea, Iunonis filia, diis prandẽtibus ex æquo omnib. ministrabat: cùm Ganymedes, Iouis tantũ minister esset. ea Herculi in deos relato, nupsisse dicitur.

Sed *tuus altus amor.*] rursum ad Laodamiam rediens, ait, amorem ipsius erga virum palude illa altiorem fuisse.

Qvod *diuum dominum.*] alij, *Qui te non domi-*
C *tum.* alij, *Quo diuum domitum.* ego (neque enim dissimulare sustineo) nullum idoneum sensum ex hoc versu elicere possum.

Nam *neque tam carum.*] hoc significat, nusquam esse tantum amoris ardorem, quantum in ingeniis muliebribus: ceteras tamen omnes mulieres à Laodamia fuisse hac in parte superatas. Ornatus autem, & maioris expressionis gratia, ait, amorem tãtum non esse, quo auus nepotem sibi ex vnica filia, in extrema iam senectute susceptum diligit; neque eum, quo columbæ mares suos prosequuntur, aut si qua alia auis est,
D quæ etiam impotentius amare dicatur; quantus est amor mulierum in viros suos, vbi eos verè & ex animo amant.

Seri.] τηλύγετος. tales autem longè carissimi esse consueuerunt.

Qvi *cum diuitiis.*] qui vix tandem in lucem editus, vbi primum heres ab auo suo scriptus est, efficit, vt gentilis, qui sperabat hereditatem ad se deuolutum iri, ob idque impium gaudium ex imminẽti senis morte capiebat, eique tanquã vulturius aliquis, imminebat gaudere desinat, inani se expectatione delusum videns.

Testatas] testibus obsignatas.

E Tabvlas.] eo nomine intelligebant testamentum in quacunque materia scriptum.

Gentilis.] gentiles qui dicantur, rectè explicat Cicero in topicis. Errat autem hoc loco Guarinus, qui gentilẽ, affinem interpretatur.

Svscitat.] depellit.

Vvltvrivm.] vulturios, aut coruos, per iocum, hereditatum captatores vocabant.

A *cano capite.*] aui sui.

Mvltivola.] videtur hoc loco idem valere, quod, impotens in amore, siue immoderatè amans: quod tamen mihi quoque duriusculum videtur.

SED *tu.*] Laodamiam alloquitur.

AVT *nihil.*] nunc, omissa Laodamia, ei puellam illam, de qua superius egerat, confert.

STVLTORVM *more.*] stultum enim est conari ad muliebrem libidinē coercendam. Propert.

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altaque mortali deligere astra manu,
Quam facere, vt nostræ nolint peccare puellæ.

SÆPE *etiam Iuno.*] si Iuno, quæ dearum maxima est, crebertima tamen mariti adulteria perferre cogitur: multo magis ego, qui homo sum, debeo puellæ meæ peccata æquo animo ferre; cum illa presertim & raro peccet, & non mecum, sed cum alio nupta sit.

B OMNIVOLI.] omnium formosarum mulierum amore flagrantis.

ATQVI *nec diuos.*] in quibusdam libris, post hunc versum desideratur pentameter: in aliis scribitur ad hunc modum,

Ingratum tremuli tolle parentis onus.

quem versum alij variè exponunt: ego nullam huic loco idoneam sententiam ex eo posse exprimi puto.

QVARE *illud satis est.*] videtur hoc dicere; satis sibi esse, si hoc à puella præter ceteros habeat, vt ipsa eos sibi dies candido lapillo signandos putet, quibus cum ipso delicias facere possit.

C HOC *tibi.*] tandem redit ad Manlium, cumque carmen concludens, optimis ominibus prosequitur.

ET *qui principio.*] hic quoque versus variè legitur: neque ego quidem illius sententiam satis assequi possum.

LVX *mea.*] Lesbiam, opinor, intelligit: quam ab illa altera diuersam esse, ex eo colligo, quod paulo ante eam, de qua tam multa in hoc poëmate dixerat, dominam nominauit.

IANVS DOVSA FIL.

D ACCIPE, *queis merser fortunæ fluctibus ipse.*] Æschylus Prometheo vincto:

Ὅτις ἐν χλιδῇ καὶ κακῶν πεπειραμένος

Ἔπτο ἄφυκτος. Scholiastes Pindari in Isthmiis: *καὶ Ἀλκαῖος τὴν δυστυχίαν χλιδῶντα καὶ πεπειραμένον λέγει.* Vbi fortasse perperam Alcæi nomen pro Æschyli positum est, nisi idem quoque Alcæus dixerit, quod nobis diuinare haud in procliui.

ATQVI *nec diuis homines componier æquum est,*] Videtur respexisse ad versum illum Homeri Odyss. π prolatum ex persona Vlyssis alloquentis Telemachum filium:

Οὔτοι ἐγὼ θεός εἰμι, τί μ' ἀθανάτοισιν ἐΐσκεις.

E

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DESERTVM *in lecto cælibe.*] Male quidam audaculi, *in thalamo.* quare illis *lecto* displicuit? Præterea si *thalamo* legeretur, legitimum torum acciperemus. nunc tantum de amatorio, quem sanè thalamum non possis vocare.

FRATERNA *mihi mors abstulit.*] Vetus scriptura, *Abscidit.*

QVA *Mallius in re inuerit.*] Vetus scriptura: *quam salus in re.* Profecto legendum *qua mi' Allius in re.* Synalœphas his exemplaribus perscriptas esse iam supra notauimus, vt, *Deuolust ill' acuto.* cognomen huic Manlio fuit Alius, vel Allius. Infra:

In deserto Ali nomine opus faciat. Item:
Pro multis, Ali, redditur officiis.

Quod à nemine hactenus obseruatum. Sanè ab Alliis Allieni dicti. quæ fuit familia Romæ. Alliæ gentis mentio in veteri inscriptione Romana: M. ALLIVS. TYRANNVS. Concludimus igitur hunc Manlium ex Allia gente fuisse, adoptatum autem in Manliam. Itaque vocatum fuisse Manlium Allienum: pro quo Allium dixerit Catullus: quia aliter non posset includi in legem carminis. Alioqui quoties Octauius Cæsar pro Octauiano vocatur à priscis? Allius igitur sine vllo dubio est Allienus, cognomen ex nomine, vt in adoptionibus fit. Alioqui quam inepte legebatur sine pronomine Me?

OMNIBVS *inque locis.*] Expunximus hunc versum, quod alicuius audaculi esse constet, puta Marulli, aut eo non modestioris. Sane illum liber noster non agnoscit. In nostro autem aliena manu non melior illo suppositus erat: *Musceis repetat vada remigiis Acherontis.* vt appareat vulgatum hunc non admodum vetustum esse, sed profecto subolet mihi aut Marulli, aut Pontani, aut Garini esse.

DESERTO *in Manli*] In veteri scriptura: *In deserto Ali.* Iam dixi hoc esse cognomen post adoptionem in Manliam gentem.

DVPLEX *Amathuntia.*] *Amathusia* scriptus liber. In Ciri quoque:

Nam te iactari non est Amathusia nostri
Tam rudis—

quamuis aliter olim sensimus. Nam *Amathūsia,* vt Acherusia, Rhamnusia.

LYMPHAQVE *in Oeteis Manlia.*] Hic Turnebus Manliam à quodam Manlio, qui montes illos primus ascenderit, dictam affirmat Qui doctissimus vir, præter quam quod *ἀπίθανα* & absurda profert, adeo illi difficile fuit emendatiorum editionum fidem sequi, in quibus non *Manlia,* sed *Malia* publicatum est. Nam Malia est *μηλία.* Callimachus: *-καὶ ὕδατα μαλίδος αἴης.* Interpres Sophoclis: *μαλιεὺς ἔθνος Θετταλικὸν πλησίον Τραχῖνος. μηλία γὰρ ἡ πόλις καλεῖται.* & Sophocles ipse Philocteta:

ὦ ναυλόχα καὶ πετραῖα
Θερμὰ λουτρά, καὶ πάγας
Οἴτας προσναιετάοντες,
Ὅπη μέσσαν Μαλίδα πὰρ λίμναν.

An dubium igitur quare Malia lympha dicta? Sophocles qui Attice loquebatur, *μηλίδα* dixit: Sed ipsi Trachinij, qui loquebantur Dorice, *μαλίδα* dicebant vnde *μαλιακὸς κόλπος.* Propterea prima longa. Auctor *ἀνώνυμος ἐν περιηγήσει* ad Nicomedem regem.

Ἀγορὰ δ' ἐν αὐτοῖς γίνετ' ἀμφικτυονική,
Κόλπος δ' ὁ κεῖται μαλιακὸς ἐν τῷ μυχῷ.

ET *in quo me corruerit.*] *In quo genere torruerit*, id est, quomodo torruerit. more Græcorum, qui dicunt *ἐν μιᾷ ἰδέᾳ,* pro *ἐν τινὶ τρόπῳ.* Cicero Attico; libro tertio; *quod optimo genere facere non licuit.* & libro primo de officiis:

eum, quicum bella geras, tam molli genere appellare.

Is *clausum lato.*] Lege ex eodem libro, *Is laxum lato.*

Incerta *frustra.*] Rectè doctissimus Turnebus, *Inceptam frustra.* ἢ δόμος ἡμιτελὴς Homero. Val. Flacc. VI. —— *coniux miseranda Caico*

Linquitur, & primo domus imperfecta cubili.

Hostia *cælestis pacificasset.*] verbum *Pacificare* quidam Marulliani, quod aut barbarũ aut insolens, & Catullo indignum putarent, sustulerunt, & *conciliaret* pro eo reposuerunt. Profectò de illis nihil aliud dicam, quàm indignos quibus respondeatur.

Qvod *temere inuitis.*] Rectè sane, sed vnius voculæ mutatio in nostro longè diuersum ac fortasse lepidiorem sensum efficit. Legitur ibi non *Quod*, sed *Quam*. Quæ lectio totam de integro interpolat sententiam. Nihil, inquit, tam libenter suscipere possunt homines, quàm temerè, si diis displiceat. Quæ rotundissima est Gnome. Qui hanc lectionem mutarunt, credibile est illos suam, non Catulli mentem spectasse.

Qvam *ieiuna pium desideret.*] In ora libri nostri altera lectio notatur, *Desiceret.* Alij notant *Disgeret.* Latet hic aliquod portentum mendi.

Qvæ *nempe & nostro.*] Reclamat vetus lectio: *Quæ vetet nostro.* Lege, *Quæ (ve te) nostro.* *ve* est χαριεντισμόν. *Mantua ve miseræ.* ve, te, proh, ah, χαριεντικὰ sunt Catullo familiaria: vt χαριεντισμὸς referatur ad fratrem ipsum. Subiicitur enim:

O misero frater adempte mihi Ve te, ô frater.

Sic *ve me* apud Senecam Apocolocynthosi.

Non *inter nota sepulchra.*] nota hoc est cognata, vt posteà, κατ' ἐπεξήγησιν interpretemur. Infrà, *Si tria notorum basia reppererit.*

Detinet *à nostris.*] *Detinet extremo.* Vetus liber, non male etiam *externo*, vt sit oppositum τῷ *nota sepulchra.*

Phenevm *prope Cylleneum.*] Ratio postulabat Cylleneam. Est enim vrbs. Statius IIII. Thebaid.

Et Pheneos nigro Styga mittere credita Diti.

Malè quidam legunt Peneum πηνειὸν pro φενεὸν obliti syllabarum. Nam pro duabus breuibus duas longas substituunt. Hoc sequutus est disertus vir in suo commentario. Itaque non mirum si in Thessalia, vbi est Peneus fluuius, contigisse dicat, nõ in Arcadia vbi erat Pheneos oppidum. Totam historiam habes apud Pausaniam. & quidem satis nota est.

Avsvs *falsiparens.*] Vetus lectio, *Audes.* tempus pro tempore. in quo frequentissimus Propertius. Vno exemplo contentus esto,

At tu vix primas extollens gurgite palmas

Sæpe meum nomen iam peritura vocas.

hoc est, vocabas.

Qvo *diuum dominum.*] Ineptissima hæc lectio. Itaque non Catulliana, sed correctorum. De Hercule est sermo. deinde isti docti homines de Ioue loquuntur. Hoc est ἄνω μὲν ὗς, ἄνω δὲ ὁ [illegible]. Sed sincera est antiqua scriptura: *Qui diuum domitum. Diuum*, hoc est Herculem ipsum. I nunc, & istas egregias correctorum editiones amplectere, & eorum fide bonos auctores legito. Nihil enim hac lectione simplicius,

A vt quæ ne interpretationem quidem desideret. Domitum Herculem dicit subisse iugum Eurysthei, cuius imperio illa barathra exhauserit.

Svscitat *& cano.*] Vetus lectio: *Suscitat à cano volturium capite.*

Hic more veteris scriptionis *a*, est *ab*, *Capite*, *capiti*, quod toties monuimus. Qui, inquit, in magnis diuitiis auitis sublatus; & heres scriptus, gaudium mouet gentili deriso, quia si nepotem potest expungere, ipse, qui proximus est, iure agnationis in vacuum veniet. Itaque is est vulturius capiti cano, hoc est auo. Sed explicanda sunt.

B Qvi *cum diuitiis.*] Legendum qvvm. Deest autem præpositio *in*, quæ fortasse reponenda est.

Qui, quum in diuitiis vix tandem inuentus auitis

Nomen testatas intulit in tabulas:

Impia derisi gentilis gaudia tollens,

Suscitat ab cano volturium capiti

Ita enim interpungenda sunt illa, quia malè accipiuntur vulgo. Inuentus ergo in diuitiis. Hor.

Si cui præterea validus male filius in re

Præclara sublatus aletur. ——

Græcum est, ὑπὸ μεγάλου χρήματος τρεφόμενος.

Gavdia *tollens.*] In alium sensum, ac vulgus putat, Tollere gaudium dicitur. Nam eo- C dem modo, quo tollere risum alicui, id est inducere ad ridendum, vel in risum. Sic Varro, dixit tollere alicui prouerbium, hoc est ansam dare, vt de aliquo efferatur prouerbiũ. Hic vnicus suus necessarius heres dicitur proximo agnato gaudium tollere: quia ille imminet illius morti, vt ei succedat. Eodem modo dictum tollere, quo suscitare Volturium. canum caput, vt dixi, ipsummet auum vocat.

Sev *quicquid dicitur improbius.*] Vetus scriptura: *quæ multo dicitur improbius.* Rectè: qua nulla alia improbius dicitur oscula &c.

Qvantvm *præcipuè.*] Repone ex eadem D scriptura: *Quanquam.* Sententia tota hæc est. Tuus amor, inquit, altior fuit barathro illo, cui amori neque comparandus est amor aui in nepotulum vnicum, neque columbarum in compares suas, quæ omnium animalium amores lasciuia & procacitate vincunt. Vnam excipio mulierem, quæ omnium impotentissimè amat, & cuius amor desultorius est. Sed tu omnes vicisti.

Sed *tu barum magnos.*] Subdititia hæc. noster codex, *Sed tu olim magnos.* Græcanicum, *olim magnos*, τοὺς πάλαι μεγάλους.

Fvlgebat *crocina.*] Quem nudum cupidinem alij pingunt, cum in tunica proscribit E Catullus imitatione Sapphus. Pollux libro decimo: πρώτην δέ φασι χλαμύδα ἐνῆψεν Σαπφὼ ὑπὸ τοῦ ἔρωτος εἰποῦσα, ἐλθόντ' ἐξ οὐρανοῦ πορφυρέαν ἔχοντα προϊέμενον χλαμύδα.

Ingratvm *tremuli.*] Rara furta verecundæ heræ feremus, & reliqua tædia, præter patrem qui nostris amoribus insidiabundus obseruet nos, querulus, labris demissis, gemens. Reliqua ferre possim. hoc vnum excipe. Molestum igitur senem, qui amoribus filiæ importunus interuenit, ingratum onus vocat. Hæc est vera huius loci sententia. Sequitur enim

—— *dextra deducta paterna.*

Sed *furtiua dedit nigra.*] Vetus lectio, MIRA, non NIGRA. A

Si *nobis id datur vnis.*] ἀσύστατος hæc lectio. Vetus scriptura, rectè *vnus*, non *vnis*. & *is* non *id*. Et *Quem* non *Quo*. Lege:

Quare illud satis est, si nobis is datur vnus,
Quem lapide illa diem candidiore notat.

Quare satis est, si vnus, id est alius dies talis sit, qualis fuit ille insignis, quem Lesbia felici nota signauit. Ouidius,

Proueniant medij sic mihi sæpe dies.

Si pro *Quo* legas *quod*, vulgata lectio bonam quoque sententiam concipiet. Satis est si nobis vnis, & nemini alij, impertiat id, quod felix illa dies notat candido lapillo. B

Pro *multis aliis redditur officiis.*] Imò pro illis officiis, quę enumerauit. At proculdubio corruptus est locus. Nam legendum:

Pro multis, Ali, redditur officiis.

Quod iam suprà monuimus.

Ne *nostrum scabra.*] Legendũ, *Ne vostrum scabra.*

Et *domus ipsa, in qua lusimus & domina.*] Lege;

Et domus, ipse in qua lusimus & domina.

Domus, in qua ego ipse, & domina lusimus. Traiectio lectionem mutauerat.

Et *qui principio nobis dominum dedit.*] Non dici potest quam malè hæc ab imperitis correctoribus accepta sint, qui nulla alia re, quam quod scriptam lectionem assequi non poterant, hæc mutarunt. Noster liber planè legit: C

Et qui principio nobis terram dedit aufert
A quo primo sunt omnia nata bona.

In secundo versiculo nihil detrimēti acceptum. In priore est κακία πολλή. Sed age quam possumus, medicinam illi faciamus,

Et qui principio nobis te trandedit oufens,
A quo primo sunt omnia nata bona.

Trandedit nouum ἀρχαϊσμὸν omnes norunt, vt Transdere in otium Terentio in Phormione. ex *aufert* puto faciendum *oufens*. quod ita scriberent per ov, Si quis commodiorem lectionem comminisci potest, candidus impertiat. Nam constat nobis nomen eius, qui primus Manlium commēdauit Catullo, desiderari. Quid sit Tradere in commendatitiis omnes sciunt, saltem si tertium decimum Epistolarum Ciceronis legerint. D

In Rufum. LXX.

Noli admirari, quare tibi femina nulla
Rufe, velit tenerũ supposuisse femur,
Nō, si illã raræ labefactes munere vestis, E
Aut pelluciduli deliciis lapidis.
Lędit te quędã mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarũ trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes. neque mirum: nam mala valde est
Bestia, nec quî cum bella puella cubet.
Quare aut crudelē nasorũ interfice pestē,
Aut admirari desine, cur fugiũt.

ANTONIVS PARTHENIVS.

Noli *adm.*] Rufũ vestibus & gemmis fulgentē se ab omnibus puellis contemni atq; vitari mirantem, magna sordium, atque teterrimi odoris hircini nota, infamiáque afficit, monens aut ne admiretur se vitari, aut hircinum fœtorem extinguat.

Raræ *vestis.*] pretiosæ ac præclaræ togæ.

Labefactas.] vexatas, perturbatas.

Vestis.] s. suauibus odoribus infectæ.

Lapidis.] gemmæ sardonycis perlucidi. Mar.

Cuius & hinc lucet sardonycata manus.

Fabula.] diuulgata de te infamia.

Caper.] hircinus odor ex subalis exiēns. Hor.

Polypus an grauis hirsutis cubet hircus in alis.

Subalarum.] subala & ala pars est sub brachio concaua ab adulescentiæ initio hirta.

PALLADIVS FVSCVS.

Catullus post heroica & elegias facit rursus epigrammata: quanquam posse queri video, vtrum ipsemet scripta sua ita digesserit, vt nunc scribuntur imprimuntúrque; an alius eorum, inquam, qui nobilis poëtæ carmina longo post tempore reperta, sed iniuria vetustatis semiconsumpta resarcire curarunt.

Noli *admirari.*] Quibus alæ malè olent, hi hircum sub alis habere vel gestare dicuntur. Rufus à fœminis respuebatur, licet gemmas & vestes pretiosas eis donaret, quia hircino fœtore laborabat: ipse tamen cùm quid in causa esset, ignoraret, vehementer admirabatur. Monet eum Catullus vt hircum occidat, aut desinat mirari, cur à fœminis respuatur.

Raræ.] pretiosæ: possumus etiam legere rallæ: erat namque ralla vestis tenuissima à raritate nomen habens. Plautus, *punica ralla spissa.*

Labefactas.] commoues vel concutis.

Delitiis.] quibus solis gemmæ expetuntur.

Mala *fabula.*] malus vulgi sermo.

Alarum.] humeri sunt, vnde dependent brachia: at concauæ infra humeros partes alæ vocantur.

Hunc *metuunt omnes.*] alludit ad hircum animal.

Quare.] conclusio.

Nasorum *interfice pestem.*] pestis nasorum est fœtor.

ACHILLES STATIVS.

Hic est, opinor, M. Cœlius Rufus de quo Plin. in VI. de naturali historia, cap. XLIX. *M. Cœlius Rufus, & C. Licinius Caluus eadem die geniti sunt. Oratores quidem ambo, sed tamen dispari euentu.* Et cet. Ad quem post etiam Catullus, *Rufe mihi frustra, at nequicquam credite amice.* Atque alibi, *Cœlius Aufilenum, & Quinctius Aufilenam.* Vbique verò summum suum amicum fuisse declarat. Pro quo extat etiam Ciceronis oratio, ac tot ad eum epistulæ. Egit autem adulescentiā

Cœlius in summa vitæ licentia. Eundem Cicero in epistulis sæpe Rufum vocat. Nisi si hic alter ille Cœlius, de quo ante, *Cœli Lesbia nostra, Lesbia illa.*

NON, *si illam raræ labefactes munere vestis.*] In libris manuscriptis ferè sic legitur, Nos illa raræ. in nonnullis Nos illa aræ. conentur alij prauam lectionem meliorem reddere. Propert. in IIII. in eadem sententia.

Qui versus, Coa dederis nec munera vestis,
Ipsius tibi sit surda sine arte lyra.

In veteribus libris, Sine aëre lyra.

AVT *pelluciduli deliciis lapidis.*] In omnibus fere libris, Proluciduli, quasi Procul lucentis.

LÆDIT *te quadam mala fabula.*] Eodem modo verbo Lædere videtur vsus Ouid. in III. Fast.

Sed lædit ille pudendus amor.

Euripid. in Hippolyto coronato Mordere sic videtur dixisse, Δάκνει σε θυμοῦ μῦθος, ἀλλ' ἔχ' ἥσυχος, Τέρψει δ' ἀκούσας, ὡς αὖ ὑμφέξω πάλιν.

VALLE *sub alarum trux habitare caper.*] Capras, Horat. alij Hircum dicunt. Aristophan. Acharn. Ὄζων κακὸν τῶν μασχαλῶν πατρὸς τραγασαίου. Vallem quoque sic transtulit Ausonius in Pædagogum liguritorem, *De valle femorum intrinsecus paris rugas.*

NAM *mala valde est Bestia.*] Eodem modo Biō apud Stobæum: Φθέγμα μακρὰν, κακὸν ἐστι τὸ θηρίον.

NEC *qui cum bella puella cubet.*] Sic sæpe Plautus loquitur, *Si hoc impetraro, vt ego cum Casina cubem.* Et in Mil. glor. *Ne illæ fortunatæ, quæ cum isto cubant.*

INTERFICE *pestem.*] Sic pestes Verg. in I. Georg. dixit.

Tum variæ inludent pestes, sæpe exiguus mus.

Et quæ sequuntur. Atque alibi de colubro, *Pestis acerba boum.* Itaque vt illæ frumenti pestes, illa boum, ita hæc nasorum.

M. ANT. MVRETVS.

NOLI *admirari.*] tetrum illum, virulentumque odorem, qui ex aliis, pro temperaturæ nimirum victusque ratione, ab aliis grauior, ab aliis minus grauis afflatur, & Græci scriptores τράγον, & Latini caprum, capram, hircum, ab eius videlicet animalis graueolentia, vocant. Rufum igitur quempiam, hominem ista odoris fœditate præter ceteros insignem, exagitat poëta: aitque, mirum non esse, si eum puellæ omnes aspernentur ac refugiant, neque vllis muneribus perduci queant ad faciendam ei copiam sui: quippe gestari ab eo trucem quandam bestiam sub alis, quam horreant illæ, ita vt cubare cum eo omnino non possint. Possit autem aliquis suspicari, hæc scripta esse in M. Cœlium. ei enim Rufo cognomen fuit. &, cum ambo amarent Clodiam, fieri potest, vt è riualitate ad inimicitias venerint. nam infra, ab hoc ipso Rufo ereptam sibi Lesbiam queritur.

LABEFACTES.] impellere, & quasi de pudicitiæ gradu eiicere moliaris.

PELLVCIDVLI *lapidis.*] vnionis.

MALA *fabula.*] fabulam vocabant quidquid esset in ore populi, siue verū id, siue fictum foret.

MALA *valde est Bestia.*] Plautus Bacchidibus,
Magis illectum tuum, quam lectū, metuo: mala es bestia.
Idem Pœnulo,
Tenesis me arcte, mea voluptas: male ego metuo miluios:
Mala illa bestia est, ne forte me auferat pullum tuum.

INTERFICE.] facete: quasi de animali sermo esset. Nonius tamen admonet, interficere, & occidere, veteres etiam ad inanima transtulisse. Cicero Oeconomico, *Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere, & interfici, neque terram ab sole percoqui.* Virgilius,
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes.
Lucillius,
Durum molle vocas, fragmenta interfici' panis.

IANVS DOVSA FIL.

HVNC *metuunt omnes, neque mirum, nam mala valde est Bestia.*] Sic Bion Idyll. φθέγμα μακρὰν, κακὸν ἐστι τὸ θηρίον.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NON *si illam raræ.*] Ita reconcinnatum ex prisca scriptura. *No s'illa raræ.* Non enim M, aut N, notabant, vt neque *bus* syllabam in datiuis pluralibus tertiæ declinationis. quia illa nunquam obscurum est quomodo supplenda sint. De synalœphis iam supra sæpe monuimus.

NAM *mala valde bestia.*] Plautus, *mala bestia es.* Menander ἐποίησε·

Οἷος δ' ἐστὶ καὶ τίνων ὄψει τῷ φαίνεται,
Ἀφ' οὗ ποιεῖς χρήσω. οἷον θηρίον
τὸ μειράκιον ἀδελφὸν, καὶ κακῶς ἡμᾶς ποιεῖ.

In alium sensum vsurpauit, ac Catullus. nempe quomodo alij. ὅπλον. οἷον ὅπλον ἐστὶν ἀφροσύνη. & Latini. Quale telum.

De inconstantia feminei amoris. LXXI.

NVLLI se dicit mulier mea nubere malle,
Quàm mihi: non si se Iuppiter ipse petat.
Dicit: SED mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida scribere oportet aqua.

ANT. PARTHENIVS.

NVLLI *se dicit.*] in puellam suam scribens fallacia mulierum in amantes verba, inaniaque promissa demonstrat.

ET *rapida scribere oportet aqua.*] quoniam frustra creditur quod mulieres promittunt: aut dicunt amantibus quemadmodum frustra signatur, aut perforatur aqua omnino post ictum cohærens. vnde prouerbium erat apud antiquos: Aqua hæret, contra frustra conantem. huius prouerbij Cic. in Officiorum III. meminit.

PALLADIVS FVSCVS.

NVLLI *se dicit.*] Amicam Catulli, vt ostenderet poëtam à se plurimi fieri, iactabat se nulli malle quam Catullo nubere. Catullus autem cum norit fœminam esse, vt eleganter scribit Maro, quoddam varium semper & mutabile, ait id demum in vento & aqua esse scribendum, quod mulier dixerit amanti.

ACHILLES STATIVS.

NON, *si se Iuppiter ipse petat.*] Sic post ad Lesbiam, --*Nec præ me velle tenere Iouem.* Plautus in Casina eadem in sententia, *Negans enim ipsi me concessurum Ioui. Si is mecum oraret.* Et in Pœnulo similiter, *Patrue mi, ita me dij amabunt, vt ego, si sim Iuppiter, Iam hercle ego illam vxorem ducam, & Iunonem extrudam foras.* Et Ouid. in epistula Phædræ ad Hippolytum.

Si mihi concedat Iuno fratremque virumque
Hippolytum videor præpositura Ioui.

DICIT: *sed, mulier cupido quod dicit amanti.*] Non sine imitatione repetitum videtur verbum, Dicit. Sic enim Menander, λέγε, ὁ δὲ λέγε, ἵνα τὸ λαβεῖν λέγε. Dicere vero, Promittere; & Dicta, Promissa.

IN *vento, & rapida scribere oportet aqua.*] Verbum vetus est Græcorum, εἰς ὕδωρ γράφειν. Idem vento, aëre, igni leuiorem mulierem esse adfirmant. Statius eodem modo Memoriam dixit madidam, & Fidem profluuiam. In Epiclero enim sic posuerat, *Ita ne Antipho est iuuentus profluuia fide, Itane est immemoris, itane est madida memoria.* At Catullus de Xenarcho sumpsit, cuius illud est, Ὅρκους δ' ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω. Menander de improbis hominibus. Ἀνδρῶν δὲ φαύλων ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφε.

M. ANT. MVRETVS.

NVLLI *se dicit.*] significat muliebribus in amore blanditiis nullam esse adhibendam fidem. Tibullus,

Etsi perque suos fallax iurauit ocellos,
Iunonemque suam, perque suam Venerem.

Nulla fides inerit. Circumfertur & senarius Græcus, qui ait, mulieri credendum non esse, ne mortuæ quidem. Venereis autem præcipue asseuerationibus nullum inesse pondus, tam sæpe dicunt poëtæ, vt me locos conferre cogitantem ipsa multitudo deterreat.

PETAT.] propriè admodum: nam & proci à procando, id est, à petendo dicuntur. Ouidius,

Multi illam petiere: illa auersata petentes. Virg.
Multi illam magno è Latio, totâque petebant
Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, &c.

DICIT, *sed mulier.*] videtur imitatus distichon Callimachi, quod in omnibus impressis libris corruptè legitur: debet autem ita legi,

Ὤμοσε Καλλίγνωτος Ἰωνίδι, μήποτ' ἐκείνης
Ἕξειν μήτε φίλον κρέσσονα, μήτε φίλην.

IN *vento, & rapida aqua.*] lepide duas res elegit,

A quæ perpetuo fluant, eámque naturam habeant, vt in eis imprimi nihil possit.

IANVS DOVSA FIL.

MVLIER *cupido quod dicit amanti, In vento & rapida scribere oportet aqua.*] Eleganter has duas res coniungit, quæ eo ingenio sunt vt in iis imprimi nihil possit, quomodo & Propertius de eiusdem sequioris sexus sublesta ac leuifida fide:

Quicquid iurarunt ventus & vnda rapit.

Nam & aqua perpetuo fluit, & ventus nihil a-
B liud est quàm *fluens aer* vt Senecæ, aut *multum & vehemens in vnum coactis aëris flumen*, vt Apuleij verbis vtar. Ac tanta harum duarum rerum cognatio est, vt quorundam Philosophorum opinio fuerit, aërem cum fluit ventum, cum cogitur aquam esse, quod vt mihi credatur, apponam Aristotelis verba Meteor. I. cap. XIII. εἰσὶ δέ τινες, inquit, οἵ φασι τὸν καλούμενον ἀέρα κινούμενον μὲν καὶ ῥέοντα ἄνεμον εἶναι, συνιστάμενον δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον πάλιν νέφος καὶ ὕδωρ, ὡς τῆς αὐτῆς φύσεως οὔσης ὕδατος καὶ πνεύματος. Fuisse autem Hippocratem huius dogmatis auctorem testis est Olympiodorus ad eum Aristotelis locum. & huc respexisse apparet En-
C nium in Epicharmo:

Istic est is Iuppiter, quem dico, quem Græci vocant.
Aerem qui ventus est & nubes, imber postea
Atque ex imbre frigus, ventus, post fit aër denuo.

Ac fortasse etiam Tibullum:

——*venti temeraria vota,*
Aëriæ & nubes diripienda ferant.

Affine autem illi Catulliano dicto istud Nazianzeni est in Epistola ad Sophronium præfectum: ὡς ἀνέμοις μᾶλλον πιστεύειν ἢ γράμμασι τοῖς καθ' ὕδατος ἡ ἀνθρώπων ἀπιστίᾳ. Quæ omnia adscripsi tanquam Gorgonem illis, qui cum elegantiam eius dicti minus ceperint, imperitiæ mantellum in suspicione quærentes, *vinum* hîc pro *vento* nobis
D obtrudere ausi sunt, ineptissimi homines & vento quouis inaniores.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SED *mulier cupido.*] παροιμιώδης versus. ἐγὼ γυναικὸς ὅρκον εἰς ὕδωρ γράφω. Facete. nam alij dicebant: ἐγὼ γυναικὸς ὅρκους εἰς οἶνον γράφω.

Ad Virronem. LXXII.

SI cui iure bono sacer alarum obstitit hircus,
E *Aut si quem merito tarda podagra secat,*
Æmulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
Mirificè est à te nactus vtrũque malũ.
Nam quoties futuit, toties vlciscitur ambos,
Illam affligit odore, ipse petit podagra.

ANT. PARTHENIVS.

SI *cui Virrobon.*] Virrobonem alloquens eum iocosè consolatur de communibus iniuriis sibi & illi factis à Rufo vtriusque riuali, quem podagræ fœtoris libidinisque indomitæ amarulenta infamia notat.

AEMVLVS.] riualis tuus.

NOSTRVM *amorem.*] meam amicam.

A TE.] tuis imprecationibus.

VLCISCITVR.] vltione persequitur.

AMBOS.] se atque puellam, quæ amorem tuum fraudat.

PALLADIVS FVSCVS.

SI *cui iure bono.*] Consolatur, sed suppresso nomine, sodalem, cuius amica Rufo hircū olenti sui copiam faciebat: ait enim eundem Rufum dum puellam subigit ambos vlcisci: se, quoniam propter coitum podagra secatur: amicam verò quia hircino fœtore eam prosternit.

VIRROBON *sac. alar.*] emedo iure bono sacra res.

IVRE *bono.*] merito.

SACRA *res.*] res execrabilis. Verg.

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

OBSTITIT.] nocuit.

TARDA.] ab effectu: quod tardum faciat.

AEMVLVS *iste tuus.*] iste tuus riualis.

QVI *vestrum exercet amorem.*] qui tuam subigit amicam.

A TE.] dum id agit quod tu agebas.

AMBOS.] se & puellam.

ODORE.] hirci fœtore. Est autem odor, vt Plin. ait infectus aer.

PERIT *podagra.*] quia propter coitum quem podagræ nocentissimum esse constat, maximos sentit cruciatus.

ACHILLES STATIVS.

SI *cui iure bono.*] Ita olim Aldus edidit, & in nōnullis etiam libris fuisse adfirmant. Eodē vero principio sæpe vtitur, id est, ab eodem verbo initium ducit, *Si qua recordanti, Si quidquam mutis, Si quidquam tacito, Si quidquam cupido.*

VESTRVM *exercet amorem.*] Quasi interrumrumpit, & interturbat.

MIRIFICE *est actu nactus vtrumque malum.*] In Achillis Maffei libro, ita vt Aldus edidit, A te, non Actu. quod ipsum placet.

M. ANT. MVRETVS.

SI *cui, Virro.*] Virronem alloquens, in riualem ipsius, quem Rufum fuisse verisimile est, salse iocatur.

SACER.] execrandus, refugiendus, horribilis.

AEMVLVS.] riualis: nam & riualitatem ipsam, æmulationem vocant.

EXERCET.] subagitat.

AMOREM.] puellam ipsam.

MIRIFICE *est actu.*] lego, *Mirifico est astu*, & ἰρωνικῶς dictum accipio.

A VLCISCITVR.] quasi quodam supplicio afficit. de huius verbi proprietate vide Asconium.

AMBOS.] se, & illam.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SI *cui iure bono.*] Deprauatissimus locus. Vetus scriptura: *Si qua Viro, bono sacrorum obstitit hircus.* Non dubito rectè correctum à doctis *sacer alarum* ex illo *sacrorum.* Sed nondum sanus est locus. *Viro* pro *Virro*, quia non geminabāt literas.

PODAGRA *secat.*] Ita, non *necat*, vt quidam voluerunt. Mart. —*podagra chiragraque secatur*

B *Caius*— Græci σφάζ' ἀλγηδών.

MVLTO *ita me nec.*] Lege, *Multo mi tamen es vilior, & leuior.*

Ad Lesbiam. LXXIII.

DICEBAS quondā, solū te nosse Catullū
Lesbia, nec præ me velle tenere Iouem.
Dilexi tū te, non tātùm vt vulgus amicā,
Sed pater vt gnatos diligit, & generos.
Nunc te cognoui. quare, etsi impensius vror, C
Multò mi tamen es vilior, & leuior.
Quî potis est? inquis. quòd amantem iniuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

ANT. PARTHENIVS.

DICEBAS *quondam.*] Lesbiæ fallacibus illecebris blandisque verbis pellectus, ac postremo deceptus poëta, se solum à Lesbia amari credens puellam dilexit: ac omni paterno affe- D ctu prosecutus est: sed cum se ab ea alios plures amante: aut certè cuidam homini nomine Mulo nubēte derisum cognouisset, amore magis ārdens Lesbiam tamen leuiùs ac viliùs æstimabat.

PRÆ *me.*] ante me: aut respectu mei.

NVNC *te cognoui.*] te fallacem Muloque nubentem, aliósque præter me recipientem deprehendi. Nupserat autem Lesbia Mulo cuidam stolido viro: in quem Cat. infra insultat in epigrammate: *Lesbia mi presente viro.*

ET *si intensius vror: Multo ita tu nunc me vilior & leuior.*] sensus est: Quamuis ob riualium meorū æmulationem atque amittēdi metum tui amore E magis accendar, tamen propter fraudes tuas ac corporis diuulgationem te viliorem leuiorémque habeo.

INTENSIVS.] vehementius.

VILIER *& leuior.*] scilicet es.

ME.] pro mihi. Nam antiqui me pro mihi dicebant: vt Festo placet.

QVIS *potis est, inquis.*] Lesbiæ obiectio per interrogationem: & est sensus: Quis posset hæc duo contraria facere, vt eundem amantem iniuria, & perfidia amicæ cogat magis amare illam:

ſed eidem puellæ minus bene velle propter iniuriam.

MAGIS *amare.*] magis appetere illam amica.

MINVS *bene velle.*] minori beneuolentia proſequi. legito Donatum in Andria.

PALLADIVS FVSCVS.

DICEBAS *quondam*] Conqueritur de Lesbia Catullus, quod illa non ſe ſolum diligat vt ſe facturam dixerat.

NATOS *diligit & generos*] patres diligunt inprimis filios & generos, quia ſperant genus ſuum per illos poſſe prorogari.

TE *cognoui.* tuas didici in amore fallacias.

IMPENSIVS.] vehementius.

VROR *Multo mi tamen es vilior & leuior.*] & ſi, inquit, nunc tui amore magis ardeo, poſtquam aliis quoque te indulgere cœpiſti: ego tamen te minoris facio, quam antea faciebam.

QVI *potis eſt, inquis.*] verba Lesbiæ quærentis quomodo poſſibile ſit, vt Catull. poſt iniuriam magis amet.

SED *bene velle minus.*] reſpondet poëta ſe magis amare Lesbiam: ei tamen minus bene velle. amamus enim corpus, bene volumus animo ſic Catullus corpus Lesbiæ magis amabat memor voluptatis, quam illud tractando capere conſueuerat: animum vero minori beniuolentia proſequebatur propter puellæ perfidiam.

ACHILLES STATIVS.

SED *pater vt gnatos diligit, & generos.*] Tibullus in eadem prope ſententia in III.

Hæc tibi vir quondam, nunc frater caſta Neæra,

Et quæ ſequuntur.

NVNC *te cognoui*] Idem poſt, *Quod te cognoſſem bene.*

MVLTO *ita me nec tu vilior, & leuior.*] Aldus ante impreſſerat.

Multo ita ne mi tu vilior & leuior.

In libris manuſcriptis dupliciter legitur, *Multo ita me nec vilior & leuior.* Et, *Multo ita nec me vilior, & leuior.* praue vtrumque. Placet autem, quod edidit Guarinus, *Multo mi tamen es vilior, & leuior.*

QVIS *potis eſt, inquis.*] In Maffei libro, Qui potis eſt. In aliis, Qui potis es. mihi legendum videbatur, Qui pote ſic, inquis vel, Qui potis hoc. Deinde, quod ſequitur, *Quod amantem iniuria talis*, in libris manuſcriptis omnibus, *Quam amantem.* legebam ipſe, *Qua amantem iniuria talis.*

COGAT *amare magis.*] In ſcriptis libris omnibus. Cogit. quo probabilior eſt ſuperior lectio, Quæ amantem. Mihi vero aut ſimul cum his legendi videbantur, aut ſtatim poſt hos illi verſus,

Huc eſt mens deducta tua mea Lesbia culpa,
Atque ita ſe officio perdidit ipſa ſuo;
Vt iam nec bene velle queam tibi, ſi optima fias,
Nec deſiſtere amare, omnia ſi facias.

Deinde illi.

Odi, & amo: quare id faciam, fortaſſe requiris:
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Nam, Qua re, diuiſum legendum puto, vt & A ipſa poſtulare videtur ſententia. Sed, vt illi inter ſe omnes parte ex omni non cohæreant, aptius tamen hoc omnes loco legi videntur. Veniebat etiam illud in mentem mihi, vt ſuperiores illos verſus ita legerem, Qui potis hoc, inquis, quia amantem, & quæ ſequuntur. vt prior illa pars cum interrogatione legeretur, poſterior reſponderet. eiuſmodi vero oxymoris ſiue antithetis frequenter vſam Sappho, conſtat. adducit hos illius verſus Hephæſtion, Ἐρῶ τε δηὖτε κ' οὐκ ἐρῶ. Καὶ μαίνομαι, κ' οὐ μαίνομαι. Non alieni ſunt ab hac ſententia veteris poetæ verſus hi, Ἀγαλ-
B λιος μοι θυμὸς ἔχει ἀεὶ σοῦ φιλέοντος. Οὐδὲ γὰρ ἐχθαίρειν, οὐδὲ φιλεῖν δύναμαι. Sed, quod Catullus quare illud fieret, ſe neſcire dixit, explicat eleganter Ouid. in III. Elegiarum.

Nequitiam fugio, fugientem forma reducit.
Auerſor morum crimina, corpus amo.
Sic ego nec ſine te, nec tecum viuere poſſum,
Et videor voti neſcius eſſe mei.

Alexand. Aphrodis. in Ariſt. III. Top. vbi de genere, quomodo ſpeciei genus eſſe aliquod diiudicabimus, Ἀλλ' οὐδὲ ὁ ἔρως ἐν τῷ φιλεῖν, ἐπεὶ δὲ μισεῖ ποτε ὁ ἐρῶν τις.

C

M. ANT. MVRETVS.

DICEBAS *quondam.*] In hoc epigrammate nullas ferè meas partes eſſe arbitror, niſi vt, quid inter amare, & bene velle interſit, aperiam. hoc enim patefacto, cetera perſpicua erunt. Amandi igitur verbum latius patet. neque enim, ſi quis amet, continuo illud ſequitur, vt etiam bene velit: cum tamen benè velle, niſi qui amet, non queat. ita ſæpe propter eam, quæ ex corporum commiſtione ellicitur, voluptatem intemperans aliquis meretricem amare poteſt; cui tamen bene an male ſit, non laboret. & vero cum beſtias, tum etiam res inanimas, vt cibum, po-
D tumque, vt ſigna tabuláſque egregij operis, amare, ait Ariſtoteles, dicimur: quibus tamen nemo ſanus benè velle nos dixerit. ait igitur Catullus, fuiſſe aliquod tempus, cum ipſe non tantum amaret Lesbiam, vt vulgus amicam ſolet, voluptatis videlicet ſuæ cauſſa, verum etiam vt patres liberos, generoſve amant: qui non delectatione aliqua, aut emolumento ſuo, amorem in eos dirigunt: immò vero totam illam, qua eos comprehendunt, beneuolentiam, ipſorum commodis atque opportunitatibus metiuntur. tum nempe, cum ipſius blanditiis inductus in fraudem, ſe quoque viciſſim amari ab ea crede-
E ret: ex quo autem leuem fallacémque cognouerit, amare quidem nihilo minus, aliquanto etiam magis, ſed tamen depoſuiſſe ex animo veterem illam paternam beneuolentiam, qua eam complecti ſolebat.

COGIT *amare magis.*] qui enim ſemel amoris laqueis capti, irretitique ſunt, ij, ſi puellæ ſuæ alium quoque aliquem placere ſentiant, eo acrius incenduntur. itaque meretricum mos eſt, iis, quos retinere in amore cupiunt, riualem aliquem apponere. Ouidius,

Dum cadat in laqueos, captus quoque nuper amator
Se ſolum thalamos ſperet habere tuos.

Postmodo riualem, partitáque fœdera lecti
Sentiat: has artes tolle, senescit amor.

hac arte vsam fuisse Lesbiam, hoc loco apertissime indicatur. contraque Propertius, non malus ipse quoque harum rerum magister, suadet iuuenibus, ad domandam puellarum superbiam, duas simul amare,

Aspice, vt in cælo modo sol, modo luna ministret:
Sic etiam nobis vna puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foueátque lacertis:
Altera, si quando est, non sinat esse locum:
Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
Vt sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula nauem:
Tutius & geminos anxia mater alit.

sed & Ouidium idem præcipere memini.

IANVS DOVSA FIL.

QVI *potis est? inquis. quod amantem iniuria talis Cogat amare magis, sed bene velle minus.*] In eandem sententiam dixit Paulus Silentiarius Anthol. VII.

Χθεὶς ἐρωτας ἔλυσε. μακρὴν ἴδε μῦθος ἀλήτης.
Χθεὶς ἱμερον ἐπ᾽ ἔθει μᾶλλον ἐποιησάτην.

Huc & pertinet Epigramma quod paulò post sequitur.

Huc est mens deducta tuâ, mea Lesbia, culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa suo,
Vt iam nec bene velle queam tibi, si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

Hoc quid sit, explicat Ouidius in Amoribus:

Auersor morum crimina, corpus amo.

In ingratum. LXXIV.

DESINE *de quoquam quidquam bene velle mereri,*
Aut aliquem fieri posse putare tuum.
Omnia sunt ingrata. nihil fecisse benignè est:
Imò etiam tædet, tædet, obestque magis:
Vt mihi: quem nemo grauius nec acerbius vrget,
Quàm modò qui me vnum, atque vnicum amicum habuit.

ANT. PARTHENIVS.

DESINE *de quodam quicquam bene velle mereri.*] poëtæ verba: Noli inquit de quoquam bene mereri: aut si bene mereris de vllo, noli sperare illum posse fieri gratum, aut pium, quoniam omnes sunt ingrati: itaque magis atque magis esset, & placeat tibi nihil cuiquam benigne facere, sicut mihi stat, & placet nihil benefecisse multis.

DESINE *velle.*] idest noli.

QVICQVAM *bene mereri de quoquam.*] alicui quicquam benefacere.

PVTARE.] sperare.

A PIVM.] gratum. nam gratia & pietas idem plerumque significant.

OMNIA *sunt ingrata.*] plus dicit quam si diceret, omnes homines ingrati sunt.

STET.] placeat.

NIHIL *fecisse benigne.*] benigne facere est bene mereri, & liberalitatem exercere. Cic. in officiorum primo: *Videndum est enim ne obsit benignitas, & his quibus benigne videbitur fieri & cæteris.*

MAGIS *atque magisque.*] maxime, ac vehemẽter.

IMMO *etiã tædet.*] per parẽthesim hęc dicta sunt.

VT *mihi.*] scilicet stat: & placet.

QVEM.] subaudias, Mallius ille.

QVI *me vnum.*] id est, præcipuum,

B ATQVE *vnicum.*] & singularem amicum.

HABVIT.] habere indicauit. alij legunt habet: sed non stat versus, qui quinque collisionibus asperrimus est.

PALLADIVS FVSCVS.

DESINE *de quoquam.*] Cum nobilis poëta ab eo vrgeatur de quo bene meritus sit, monet lectorem, vt desinat cuipiam benefacere, quia omnia sunt ingrata. Ingratitudo autem vitium est maxime detestandum, & ideo olim apud Persas nullum grauius puniebatur.

NIHIL *fecisse benignè.*] non prodest, inquit, beneficium in alium contulisse.

C CONTRA *stat.*) obstat, hoc est, nocet vt mihi.

ACHILLES STATIVS.

DESINE *de quoquam quidquã bene velle mereri.*) Ita erat vno in veteri lib. in aliis pro Quidquam, & Quisquam, & Quemquam legebatur. Legendum fortasse sit, Quisquis.

OMNIA *sunt ingrata. nihil fecisse benigne est.*) Est verbum, nullis in manuscriptis libris erat. ita vero distinguebam, vt prior pars, Omnia sunt ingrata pronuntietur, adfirmeturque posterior, Nihil fecisse benigne, cum interrogatione, vt
D subaudiatur verbum Oportet. quasi dicat, Nihil ne cuiquam benigne fecisse oportet. Tum quod sequitur, respondeat. Immo etiam tædet. &c. Quam in sententiam Philotis apud Terentium in Hecyra multa loquitur cum Syra.

NIHIL *fecisse benigne.*) Sic veteres loquebantur. Plautus in Cistel. *Faciam, facis benigne.* Et in Capt. *Facis benigne.*

IMMO *etiã tædet.*) In manuscriptis omnibus totus hic versus legebatur, *Immo etiam tædet, statque magisque magis.* In vno, *Stat magis, atque magis.* Gua-
E rinus in veteribus libris etiam quomodo Aldus edidit, fuisse testatur. Mihi quidem nihil in mentem veniebat, quod aptius iudicarem.

QVI *me vnum, atq. vnic. amic. hab.*) Vnicũ: summũ. Vnice diligimus, quos vehemẽter amamus.

M. ANT. MVRETVS.

DESINE.) in Alphenum, vt supra admonui, factum esse carmen hoc suspicor. continet autem communem querelam de perfidia ingratóque animo eorum, qui se amicos esse simulant. quod ipsum indicare volens Socrates,

tes, ſæpenumero dicere ſolebat, ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος. ſed, vt res ipſa nimium vſitata eſt, ita de ea tam frequentes ſunt in ſapientum hominum ſcriptis querelæ, vt in eis recenſendis otio abuti pigeat.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

IMO *etiam tadet obeſtque.*] meliorem deteriore lectione mutarunt correctores. Quare enim mihi diſpliceat illud emendatiſſimum in manuſcripto? *Imo etiam tadet ſtatque magiſque magiſque.* Quam lectionem præ ſe ferunt primæ editiones. *Stat* eſt ἑστώς. *Manet alta mente repoſtum.*

VT *mihi, quē nemo grauius.*] *Ve mihi.* Ita repone.

In Gellium. LXXV.

Gellius audierat, patruum obiurgare ſolere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipſi accideret, patrui perdepſuit ipſam
Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit: nam quamuis inrumet ipſum
Nūc patruū, verbū nō faciet patruus.

ANT. PARTHENIVS.

GELLIVS *audierat.*] Gellium patrui ſui nefarium irrumatorem ſatyrico felle aſpergit. Gellius enim patrui ſui vxorem impie ardens in eius gratiam delitias multas & dicebat & faciebat: quod cum patruus intellexiſſet obiurgare cœpit oblique Gellium, qui patruum irrumando ſilere coegit. Hic Gel. videtur eſſe ille de quo Cic. pro Sextio ſcribit: *Aderit Gel. homo & fratre indignus viro clariſſimo, & ordine equeſtri.* & infra cum oſtenderit eum guloſiſſimum ganeonē ſubdit: *Verū ego tibi patrimonium eripui Gelli, an tu comedisti.* Legito amplius circa finem ſupradictæ orationis.

NON *in. fer.*] non tolerare verba delicata tanquam iurgia vxori ac ſibi dicta, aliter legitur patruum obiurgare ſolere: quæ lectio magis probari poteſt.

IPSI.] ſibi Gellio.

PERDESPVIT.] contempſit. nam quos contemnimus, in eos deſpuimus. Perſius

Deſpue quod non es.

REDDIDIT *Har.*] mutum fecit, ſilere coegit. Harpocrates Cat. temporibus fuit mutus quidam denominatus ab Harpocrate deo Aegyptiorum. Nam vt Plut. in oratione de Serapidis numine ſcri. Harpocrates ab Aegyptiis colitur deus ſilentij: cuius numinis ſimulachrum digito labiis admoto figuratum indicat ſilentium. Huius Dei meminit Ouid. nomine prætermiſſo cū deos Iſidis comites dinumeret: *Sanctaq; Bubaſtis: variiſque coloribus Apis, Quiſque premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet. Siſtraque erant: nunquamque ſatis quæſitus Oſyris.* Harpocratis autem imagine in annulis ſignatoriis antiquos vſos ſcri. Plin. his verbis: *Iam vero etiam Harpocratem, ſtatuaſque Aegyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.* Hic deus Aegyptiorum Harpocrates ab aliquibus putatur Saturnus: ego vero multis argumētis ducor, cur credam Harpocratem eſſe Mercurium, qui ab Aegyptiis ſuperſtitioſiſſimè cultus oſtenditur à Cicerone, atque Macro. Harpocrates igitur Mercurius tenens harpem, ab ἅρπη: & κρατῶ, ideſt, ab harpe & teneo. ita enim pingitur tenens harpem: quam harpem Cyllenida vocauit Luc.

FECIT *quod vo.*] patruum ſilere coegit: duplici modo ſcilicet & eius libidini ſatisfaciendo, & mentula os obturando: nam qui irrumatur & fellat tacere cogitur.

IRRVMET.] ſcilicet in os.

PATRVVS.] qui fellator erat.

NON *faciet verbum.*] ſilebit. ſic Mart.

Si te prehendero, Gargili, tacebis.

PALLADIVS FVSCVS.

GELLIVS *audierat.*] Harpocrates, vt hinc incipiam, deus erat Aegyptiorū qui digito ante os poſito ſilentium indicabat. Auctores ſunt Varro & Oui. Gellius patruum habebat, qui velut cenſor grauiter increpabat quicunque diceret vel faceret aliquam obſcœnitatem. Nepos autem ne quando à patruo iurgaretur, eum mutum reddere decreuit: Quare cum iam patrui vxorē adulteraſſet, illū poſtea irrumauit & ita voti cōpos factus eſt, quia loqui nō poteſt fellator.

OBIVRGARE *ſolere.*] ſolitum increpare.

IPSI.] Gellio.

ACCIDET.] vt à patruo obiurgaretur.

PERDESPVIT *ipſam vxorem.*] eam ſcilicet ſubagitando.

REDDIDIT *Harpocratem.*] mutum fecit immiſſa in os mentula.

VERBVM *non faciet patruus.*] nam qui irrumatur nullo pacto loqui poteſt.

ACHILLES STATIVS.

GELLIVS *audierat, patruū obiurgare ſolere.*] Hic eſt ille Gellius, homo impuriſſimus, quē Ci. pro Sextio tanto opere exagitat. Sunt hæc apud illum, *An ſicubi aderit Gellius, homo & fratre indignus, viro clariſſimo, atque optimo conſule, & ordine equeſtri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit. id erit populare. eſt enim homo iſte populo R. deditus. nihil vidi magis. qui, cum eius adoleſcēntia in ampliſſimis honoribus ſummi viri, L. Philippi vitrici, florere potuiſſet, vſque eo non fuit popularis, vt bona ſolus comeſſet. deinde ex impuro adoleſcēte, & petulāte, poſteaquam rem paternam ab idiotarum delicıis ad philoſophorum regulam perduxit, Græculum ſe, atque otioſum putari voluit, ſtudio literarum ſe ſubito dedidit, nihil ſane à re iuuabatur. anagnoſtæ libelli etiam pro vino ſæpe oppignerabantur. manebat inſaturabile abdomen, copiæ deficiebant. itaque ſemper verſabatur in ſpe rerum nouarū, otio & tranquillitate reip. conſeneſcebat. Et quæ ſeditio vnquam fuit, in qua non ille princeps? ecquis ſeditioſus,*

cui ille non familiaris? et qua turbulenta concio, cuius ille non concitator? cui bene dixit vmquam bono? bene dixit? immo quem fortem, & bonum ciuem non petulantissime, est insectatus? qui, vt credo, nō libidinis caussa, sed vt popliola videretur libertinam duxit vxorem. is de me suffragium tulit, is adfuit, is interfuit epulis, & gratulationibus parricidarum, in quo tamen est ne vllus cum vllo reo est inimicus est meus suauiatus. Quem locum totum eo descripsi, vt postrema hæc verba, quæ vitiosissime omnibus in libris leguntur, miro Octauij Pantagathi acumine emendata, restitutaque demonstrarem. Sic autem legit vir doctissimus: In quo tamen est me vltus, cum illo ore inimicos est meos suauiatus. Huius enim sententiæ videntur etiam illa Catulli post in eundem,

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella,
Hiberna fiant candidiora niue.

Frater autem Gelli huius fuit L. Gellius, qui cū Q. Arrio prætore à Spartaco acie victus est. Liuius in Epitome lib. xcvi. Sed idem tamen Pantagathus illum apud Cic. Gellium huius patruum fuisse putat, filium consulis illius scilicet, qui est ab Spartaco superatus. qui degener vxorem ipsam patrui libertinam amaret, & cum patruus irrumari se vellet, iuuenum in mulieres libidinem reprehendebat. Itaque nepos Gellius patruo irrumando silentium imposuit, quo libertinæ ipsius amoribus sine querela perfrui posset.

PATRVI *perdespuit ipsam Vxorem.*] Vir eruditus legit Perdepsuit, non, Perdespuit. Depsere enim, in obscenis est.

QVOD *voluit, fecit.*] Quod voluit patruus. sunt, qui malunt, Gellius.

NAM, *quamuis irrumet ipsum Nunc patruum.*] Quantum vis patruo sic iniuriam faciat, maledictum nullum audiet, & quod vxori pepercerit patrui, & ei silentium obscœne imposuerit. In manuscripto vno, Nunc, Hunc legebam. idque opinor, rectius.

M. ANT. MVRET.

GELLIVS *audierat.*] rectè & verè admonet Parthenius, hunc esse Gellium illum, quem M. Tullius in extrema oratione pro Sextio probris omnibus lacerat, quemque in Vatiniana seditiosorum omnium nutriculam vocat.

PATRVVM.] qua ratione quisque ad sua vitia conniuet, eadem fit, vt parentes filiorum vitia peruidere non possunt. vt enim vere tradit Aristoteles, sunt filij, quædam veluti partes eorum, à quibus sunt procreati. at patrui, qui & fratrum filios, pene tanquam ex se genitos, amant, & tamen isto vitioso affectu carent, peccata eorum seuerius plerūmque castigant. hinc est, quod ait Catullus,

——patruum obiurgare solere, &c. Persius,
Cum sapimus patruos. Hotatius,
——ne sis mihi patruus, oro. Idem,
——metuentes patruæ verbera linguæ.

Cicero pro Cælio, *& qui in reliqua vita mitis esset, & in hac suauitate humanitatis, qua prope iam delectantur homines, versari periucunde soleres, fuit in hac caussa pertristis quidam patruus, censor, magister.*

A SI *quis delicias diceret, aut faceret.*] si quis aut lasciua vteretur oratione, aut vitam ipsam nequiter institueret. Delicias facere, interdum est irridere. Plautus Menæchmis,

——eia, delicias facis,
Mi Menæchme: quin, amabo, is intro?

hic autem est indulgere libidini: quod aliter veteres, nequam facere, dicebant. Plautus Pœnulo,

Amare velle se, atque obsequi animo suo,
Locum sibi velle liberum præberier,
Vbi nequam faciat clam, ne quis sit arbiter.

PERDESPVIT.] cum eam prius adulterio contaminasset, postea neglexit, reiecitque à se.

B PATRVVM *reddidit Harpocratem.*] patruo silentium imposuit. Harpocrates deus Aegyptiorum, qui & silentio præerat, & silentio colebatur. vide Politiani Miscellanea.

VERBVM *non faciet.*] subest obscœnitas. obturatur enim os τῆς γλωσσοτομίας, vt, velint nolint, tacere cogantur. simile est illud Martialis,

Si te prendero, Gargili, tacebis.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

PATRVI *perdespuit.*] Primi omnium olim adolescentes docuimus *perdepsuit* legendum esse quod & eximius vir Adrianus Turnebus in suis C Aduersariis testatum reliquit. Quam tamen emendationem mihi præripere quidam conati sunt. Non quod ego tanti mea faciam, neque quod hac existimationem meam stare aut cadere censeam, sed quia perfrictas frontes ferre non possum.

In Lesbiam. LXXVI.

HVC est mens deducta tua mea Lesbia culpa,
D *Atque ita se officio perdidit ipsa suo,*
Vt iam nec bene velle queam tibi, si optima fias.
Nec desistere amare, omnia si facias.

ANT. PARTHENIVS.

HVC *est mens deducta tua.*] Lesbiæ fallacias & perfidiam conquerens, ait, se culpa eius in tam angustum vitæ suæ discrimen adductum esse, vt eam etiam si fieret optima, neque amare E possit, neque ab eius amore desistere, aut fugari: quamuis omnia malorum genera in ipsum poëtam Lesbia faceret. Deinde seipsum consolatur multis rationibus: postremò à diis immortalibus petit atque implorat, vt poëtæ ipsius misereantur, eumque à tanta peste, atque diri amoris calamitate liberent.

MENS *mea.*] ratio, consilium animi mei.
TVA *cul.*] tua in amore perfidia.
IPSA.] mens mea.
SVO *officio.*] sua erga te fide officiosa.
OMNIA.] scilicet mala contra me.

A

PALLADIVS FVSCVS.

HVC *est mens deducta.*] Irritatus Lesbiæ perfidia ait mentem suam eò deductam, vt ipsi non possit bene velle, etiam si mutatis moribus fiat optima: nec desistere amare, si mala omnia sibi faciat. In verbis autem nulla est difficultas.

ACHILLES STATIVS.

VT *iam nec bene velle queam.*] Ὀξύμωρον videtur. B
quale etiam illud, ἐγὼ ἄκων φιλῶ.

OMNIA *si facias.*] Sic etiam Cratinus apud Pollucē in x. Ὀδυσσεῦσι) πάντα ποιῶν, παῖς οἴει λαχεῖν.

M. ANT. MVRETVS.

HVC *est.*] qui intellexerit, quæ dicta sunt in epigrammate, *Dicebas quondam*, nihil hic magnopere desiderabit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

HVC *est mens deducta.*] Liber noster, *Nunc est mens adducta*, & sane est ἀποσπασμάτιον integri poëmatij. Cuius alterum membrum tetrasticho constat, eiusque initium est. C

Nulla potest mulier se tantum dicere amatam.

Igitur ita & conglutinandum & emendandum:

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
*Vere, quantum à me, * Lesbia, amata mea es.*
Nulla fides vllo fuit vnquam fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.
Nunc est mens adducta tua, mea Lesbia, culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa pio,
Vt iam nec bene velle queam tibi, si optuma fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

LESBIA *amata mea es.*] Ita legendum secunda persona, non EST, docet alterum pentametrum, quod in eadem persona conceptum est in veteri libro in quo, *amore tuo*, non *suo*, vt barbare in vulgatis editur, legendum est. Puto neminem huius poetæ studiosum esse, qui huius aureoli epigrammatij vicem mihi gratias non agat. D

Ad seipsum. LXXVII.

Si qua recordanti bene facta priora voluptas
Est homini, cùm se cogitat esse pium,
Nec sāctā violasse fidē, nec fœdere in vllo
Diuûm ad fallendos numine abusum homines: E
Multa parata manent in longa ætate (Catulle
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quæcunque homines bene cuiquam aut dicere possunt,
Aut facere: hæc à te dictáque, factáque sunt.
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare te iam cur ampliùs excrucies?
Quin te animo affirmas, téque istinc vsque reducis,
Et diis inuitis desinis esse miser?
Difficile est lōgū subitò deponere amorē.
Difficile est: verùm hoc qualubet efficias.
Vna salus hæc est, hoc est tibi peruincendum
Hoc facies, siue id non pote, siue pote.
O Dij, si vestrum est misereri, aut si quibus vmquam
Extrema iam ipsa in morte tulistis opē,
Me miserū aspicite: & si vitā puriter egi,
Eripite hanc pestē, perniciémque mihi,
Quæ mihi subrepens imos, vt torpor, in artus, C
Expulit ex omni pectore lætitias.
Nō iā illud quæro, cōtra vt me diligat illa,
Aut, quod nō potis est, esse pudica velit:
Ipse valere opto, & tetrum hunc deponere morbum.
O Dij, reddite mî hoc prò pietate mea.

ANT. PARTHENIVS.

D SI *qua rec.*] seipsum consolatur à benefactorū recordatione; nā bene acta vita multorū benefactorū recordatio est iucundissima, vt inquit Ci. sic & Epicurus ad doloris diminutionē iubebat præteritarū voluptatū reminisci suauitates.

PIVM.] iustum, innocentem, beneficum.

NEC *fœde.*] in vllo nec in vllis pactis, aut promissis se abusum esse deorum numine, siue testimonio: nam iusiurandum, vt ait Cic. affirmatio religiosa: quod autem affirmatiue, quasi deo teste, promiseris, id tenendum est.

DICTAQVE *factaque sunt.*] scilicet tuæ Lesbiæ ingratissimæ.

E CVR *amplius te excrucies.*] cum omnia bene fecisti, ac nulla tuas culpa tibi malū hoc acciderit.

QVI *te ani. affir.*] id est te animo tuo cōfirma, & à tanto lāgore ac dolore suscita. legitur & sic, *Quin tu animū affirmas*: neutra lectio improbāda est.

DIIS *inu.*] diis nolētib. te dolere ac miserū esse.

NON *pote siue pote.*] siue potest siue non potest fieri, tamen efficias diis adiuuantibus.

ME *miser. aspi.*] mihi misero fauete ac opē ferte.

PVRITER.] innocenter, piè, iustè.

HANC *pestem.*] hūc Lesbiæ pestiferū amorem.

TORPOR.] aut lethargum aut veternum dicit.

VALERE.] sanus fieri ab amore pestifero.

MORBVM.] omnes animi perturbationes appellari morbos scribit in Tusculanis Cicero.

PALLADIVS FVSCVS.

SI *qua recordanti.*] Offensus poëta crebris Lesbiæ adulteriis optat ope deorum se pestifero illius amore penitus solui.

VIOLASSE *fidem.*] quæ, vt scribit Cice. seruanda est etiam hostibus.

FOEDERE *in vllo.*] in vlla pactione. fœdus autem dictum constat à porca fœde, id est, crudeliter occisa. in omnibus enim fœderibus porca occidebatur. Verg.

Et cæsa iungebant fœdera porca.

NVMINE *abusum.*] Nam qui falso iurat vt alium fallat, is deorum numine abuti dicitur.

MVLTA *parata tibi.*] poëta ait paratas esse sibi in futurum multas ex ingrato Lesbiæ amore voluptates.

QVIN *tu animo affirmas.*] hortatur se ipsum vt diis ita volentibus omnem à se summoueat anxietatem.

VNA *salus est.*] vt deponas amorem.

POTE.] pro potes, quod, teste Diomede, veteribus crebrum fuit.

O DII.] implorat opem deorum.

PVRITER.] sine labe.

HANC *pestem.*] hunc pestiferum amorem.

TETRVM *morbum.*] appellat morbum ipsum amorem, vt pote quo animus sauciatus ægrotat.

ACHILLES STATIVS.

MVLTA *parata manent in longa ætate Catulle Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.*] Genus ipsum dicendi, expressum ex Callimacho in Lauacro Palladis. Ω ἰννεχ. τῷ μὲν ματέρι, τὺ δ' ἄλλα τίς χάριν ἐξ ἀμέων πολλὰ ἀμβόλιον γίνεται. Eiusdem prope sententiæ Pindaricum, illud, apud Platonem, Ος ἄν δικαίως, καὶ ὁσίως τὸν βίον διαγάγη, γλυκεῖα οἱ καρδίαν ἀτάλλοισα γηροτρόφος συναορεῖ ἐλπίς, ἃ μάλιστα θνατῶν πολύστροφον γνώμαν κυβερνᾷ. Huius me similitudinis admonuit Corbinellus.

INGRATÆ *pericrunt credita menti.*] collocata in hominem ingratum.

QVIN *te animo affirmas, teque instringisque reducisque.*] In manuscriptis omnibus, *Qui tu animo affirmas, atque instinctoque reducis.* Ego vero coniecturam faciebam sic legendum, *Quin tu animum offirmas, atque istinc vsque reducis*, quasi id dicat, Quin tu animum offirmans ab ea cogitatione, & amoribus illis tuis semper abducis. Sic Cic. in II. Philipp. *Omnem se amorem abiecisse illinc, atque in hanc transfudisse.* Reducere autem, pro Remouere, positum. Sic, *Vallis reducta*, ab Horat. & Verg. dicta, idest, remota. Et Hor. virtutem diffiniens,

Virtus est medium vitiorum, & vtrinque reductum,

id est, remotum.

ET *dis inuitis.*] Prouerbium fuisse videtur, quo vsus Poëta, dixit, *Heu nihil inuitis fas quemquam fidere diuis.* Itaque exprimunt Homericum illud, Αἴκητι θεῶν.

A DESINIS *esse miser.*] Ouid. in II. de rem. amoris,

Nec curandus adest, odio qui finis amorem,
Aut amas, aut aegre desinit esse miser.

SIVE *id non pote, siue pote.*] sic ante, quod posteritas dixit, Possibile, & Impossibile. Cic. in X. ad Att. *At deplorandi quidem, quod cotidie facimus, sit iam nobis aut finis omnino, si pote est, aut moderatio quadam, quod profecto pote est.* Sic enim lego.

EXTREMA *iam ipsa in morte.*] Vergilius,

Extrema iam in morte parant defendere telis.

Extremam dicunt mortem, quòd ea sit vltima, vt ait Flaccus, linea rerum.

B ME *miserum aspicite.*] Aspiciendi verbo sæpe sic vtitur Verg.

ET, *si vitam puriter egi.*] Sic Horat. & Tibullus, Puras manus, nullius cæde pollutas. Sic apud Heraclidem περὶ πολιτειῶν, de Pariis, vbi Corax, Archilochi interfector, Pythiæ iubenti, vt è templo exiret, respondet, Ἀλλὰ καθαρὸς εἰμὶ ἄναξ.

QVÆ *mihi subrepens imos, vt torpor, in artus.*] In manuscriptis omnibus, *Seu mihi subrepens imos vt corpore in artus.* legendum forte sit, *Hæc mihi subrepens imos in corporis artus.* Imos artus sic dixit, vt & Horat. Imos sensus. Mollis inertia cur tantam diffuderit imis obliuionem sensibus.

C EXPVLIT *ex omni pectore lætitias.*] Legendum forte sit, Ex omnis. vt sit, Omnis lætitias ex pectore. sic Lucret.

——tuisque ex inclyte chartis.

Et Verg. in Bucol.

Iniciunt ipsis ex vincula sertis.

Quam hoc loco ἀναστροφὴν esse, propterea puto, quod Omnes lætitias quasi prouerbio dixisse veteres, animaduerti. Sic Cic. in II. de Finib. *Ille Cæcilianus, qui omnibus lætitiis lætum esse se narrat.* Et in II. Epist. ad Cælium, *Repente vero incessi omnibus lætitiis.* Et Pomponius quoque multitudinis numero, *Quot lætitiæ insperatæ modo mihi inrepsere in sinum.* Et Lucret. in III. *Hic exultat enim pauor, & metus, hæc loca circum Lætitiæ exultant.*

D NON *iam illud quæro.*] Sic, vt puto, etiam Cic. *Neque vero iam illud quæro.* Et Verg. in IIII. Aeneid.

Non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro.

CONTRA *vt me.*] In manuscriptis, Contra me vt. Hoc vero est ἀντεραν. Simile illud in Priapum,

Quare illud satis est, si te permittis amari,
Non contra, vt sit amor mutuus inde mihi.

O DII.] sic Euripides in Iphigenia, ὦ θεοί.

M. ANT. MVRET.

E SI *qua recordanti.*] ingratum Lesbiæ animum videns, se ipsum solatur conscientia integritatis suæ. deinde hortatur se ad amorem illius proiiciendum ex animo. quod quoniam ope humana vix videtur fieri posse: deorum postremò, ad eam rem efficiendam, auxilium implorat.

QVIN *te animo affirmas.*] in aliis, *obfirmas.*

ASTRINGISQVE.] qui iam diu dissolute vixeris.

REDVCISQVE.] qui tam diu à recte viuendi via aberraueris.

Diis *inuitis.*] andesinis, diis inuitis: an, esse diis inuitis miser?

Vna *salus.*] vna ex his malis emergendi via. Tale est illud, *Vna salus victis, &c.*

Sive *id non pote, siue pote.*] εἴτε δυνατὸν, εἴτ' ἀδύνατόν ἐστι: Pote enim valet δυνατὸν, non pote, ἀδύνατον. sicut autem & δυνατὸς est id, quod fieri potest & δυνατός ἐστι, is qui efficere aliquid potest: ita hoc nomen à Latinis vtroque modo vsurpatum reperias. id quoque animaduertendum est, & potis, & pote in quolibet genere dici. ea omnia exemplis plana fient. potis, communi genere, Lucretius,

Quis potis est dignū palanti pectore carmen Condere,
Ennius,
Quis potis ingentis oras euoluere belli?

potis, in neutro. Catullus supra,

Quî potis est? inquis.

ibi enim illud valet, πῶς ἄν τῶν δυνατὸν ᾖ, Lucretius,

Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur.

pote, in communi. Catullus,

Quantum qui pote plurimum perire.
Propertius,
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.

pote, in neutro. Cicero, *hospes, non pote minoris.* Dicitur &, potes, numero multitudinis. Plautus Pœnulo,

Apage sis negoci in muliere quātū vna est, si vero duæ,
Sat scio, maximo vni populo, quoi lubet, plus satis dare
Potes sunt.

Potis etiam de pluribus loquentes dicebant, nisi vitiata scriptura est. Ennius,

Spero, si speres quidquam prodesse potis sunt.

Si *vestrum est misereri.*] hoc enim & Epicurei, & multo Epicureis doctiores Peripatici negabant. Stoici autem ne in sapientem quidem hominem ista cadere dicebant, nedum in deum.

Pestem *perniciémque.*] pestem ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, à quo fonte etiam est antiqua vox, Pessum: perniciem verò à pernecando dictam puto. itaque pestem vocabant, quidquid rem aliquam siue animatam, siue inanimam pessundaret, quasique prosterneret. Salustius, *Et, si pestis certa adesset, mansurum potius, &c.* Cicero XIII. Philipp. *Nimirum rectè veneficum appellas, à quo tibi præsentem pestem vides comparatam.* Virgilius,

——lentúsque carinas
Est vapor, & toto descendit corpore pestis.

Et paulò infrà, *——seruata à peste carina.* vbi pestem vocat flammam, quæ naues depopularetur. Idem lib. IX.

In partem, quæ peste caret.

cum de turri loquatur.

IANVS DOVSA FIL.

Qvin *te animo affirmas.*] Malim *offirmas.* Accius Eurysace: *Tu te ipse offirma & compara.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Qvin *te animo affirmas.*] Vetus scriptura iamdudum fuit:

Quin tu animo affirmās atq; instructóq; reducis. Lege: *Quin tu animū offirmas itaque instructoq; reducis?* animū pro *animum.* Sic apud Varronem *secundu ea.* In Pandectis: *datu iri.* & in iisdem me Tviri, hoc est, *Me tutum iri.* Nam maiuscula T geminat syllabam more scripturæ illius luculenti Archetypi. Præterea & Archaica scriptura est, *instructo* pro *instructu*, Fortasse etiam, *animum firmas* melius legeretur, quam *affirmas.* Ouidius:

Quod nisi firmata properaris mente reuerti,
Inferet arma tibi sæua rebellis amor.

Instrvctoqve.] Malim instrictuque. id est, incitabulo, incitamento. Apuleius: *Insignis tutelæ nimietate instrictus atque inflammatus.* Et alibi: *Mentes natura duce instricta.*

Hoc *facies siue id non pote.*] Puto Catullum scripsisse, *Hoc facies siue id non pote.*

Qvæ *mibi subrepens.*] In nostro, *seu mihi subrepens.* seu pestis, inquit, seu torpor ille fuit. Torporem veternum vocat, hoc est, λήθαργον.

Ad Rufum. LXXVIII.

Rvfe mihi frustra, ac nequiquam credite amice,
Frustra? imò magno cum pretio, atque malo:
Siccine subrepsti mî, atque intestina perurens,
Mî misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti, heu heu nostræ crudele venenū
Vitæ, heu heu nostræ pestis amicitiæ.

ANT. PARTHENIVS.

Rvfe *mibi frustra.*] perfidam Rufi amicitiam conqueritur, quoniam Lesbiam amicam suam abduxerit: hic est ille Rufus, quem supra dixit hircinū fœtorē olere, podagricumque esse.

Frvstra.] casso labore.

Neqviqvam.] vana spe, falsáq; credulitate.

Pretio.] magno damno Lesbiæ amissæ.

Svrrepsti.] clam & fraudulenter in animum meum ingressus es: surrepo est latenter & clam succedo, & est tractum à serpentibus. surrepsti pro surrepsisti per syncopem protulit.

Pervrens.] iracundiæ dolorisque incendia concitans.

Omnia *nostra bona.*] amicam meam in omnia meæ vitæ bona posueram.

Hev *heu nostræ pectus amicitiæ.*] exclamatio in perfidum Rufi pectus, animúmque fallacem.

PALLADIVS FVSCVS.

Rvfe *mihi frustra.*] Conqueritur poëta, quod ideo Rufus suam inierit amicitiam, vt per fallaciam eriperet sibi amicam.

Magno *cum pretio.*] quia eripuisti mihi Lesbiā.

Siccine *surrepsti mi.*] an inquit ita in meā irrepsisti familiaritatē, vt vrens mihi interiora eriperes puellā, in qua omnia bona mea locauerim.

ACHILLES STATIVS.

RVFE *mihi frustra, ac nequiquam credite amice.*] Ad M. Cælium Rufum. de quo iam dictum. vel potius ad Alfenum Rufum, cuius ante obliuionem amicitiæ accusauit. Credite vero, non Cognite, in omnibus manuscriptis. itaque olim edidit Ald. Manutius. Sic Sulpicius in Periocha, *Sororem falso creditam meretriculæ,*

IMMO *magno cum pretio, atque malo.*] Pretium dixit, more Græcorum. Sic Crantor, Μὴ νοσοῖμεν. νοσοῦσι δὲ παρείη τις αἴσθησις, εἴτ' οὖν τέμνοιτό τι τῶν ἡμετέρων, εἴτ' ἀποσπῷτο. τὸ γὰρ ἀνώδυνον τοῦτο οὐκ ἄνευ μεγάλων ἐγγίνεται μισθῶν τῷ ἀνθρώπῳ. τεθηριῶσθαι γὰρ μὲν σῶμα εἰκὸς, ἀπηγριῶσθαι δὲ ψυχήν. Quæ Cicero totidem verbis in III. Tusc. *Ne ægrotus*, inquit, *sim. sed, si fuerim, sensus adsit, siue secetur quid, siue auellatur à corpore. nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Et Callimachus in Hymno in Dianam, Οὐ γὰρ ἀτρείδες ὀλίγῳ ἐπεκόμπασε μισθῷ. Et Vergil. in VII.

At licet amborum populos exscindere regum
Hac gener, atque socer coeant mercede suorum.

Ouid. in X. Metam. eodem, quo Catullus, modo,

Mors pretium tardis. Ac post,
Indignámque necem pretium patietur amoris.

Malo, etiam Tibullus sic dixit,

Ne pigeat magno post didicisse malo.

M. ANT. MVRETVS.

RVFE *mihi frustra.*] amicam, vt suspicari licet, sibi ab hircoso illo Rufo ereptam conqueritur.

CREDITE *amice.*] ita reposuimus ex veteribus libris, cum in aliis male, vt puto, legeretur. *Cognite amice.* etenim quæ cognoscimus, semper vera sunt: quæ credimus, plerúnque falsa. vsitatam tamen lectionem video aliquo modo posse defendi.

FRVSTRA?] ἐπανόρθωσις. nam ea demum propriè frustra esse dicuntur, quæ neque commodum, neque detrimentum afferunt.

MAGNO *cum pretio.*] μεγάλῳ τιμῇ. Cicero, *Non sine magna mercede.* Callimachus,

Ὅς κα τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

IANVS DOVSA FIL.

FRVSTRA. *imo magno cum pretio atque malo.*] *Magno cum pretio* est id quod Callimachus dixit μισθῷ μεγάλῳ. vbi Politianus *Mercede ingenti*, respiciens haud dubiè ad hæc Ciceronis Tusc. III. *Nam istuc nihil dolere non sine magnâ mercede contingit immanitatis in animo, stuporis in corpore.* Item illud Plinij lib. VII. cap. I. *Hominis caussa videtur cuncta genuisse natura, magnâ & sæuâ mercede contra tanta sua munera.* Quod obiter moneo propter magnum virum leuiter eius loci versionem reprehendentem, quasi dicendum potius fuisset, *Cum pretio ingenti.* verum id opus non fuit, cùm mox sequatur: *quod maneat pretium.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

RVFE *mihi frustra.*] Hoc epigramma lacerum est Nam quum vulgo Hexastichon legatur, decastichon tamen fecerat Catullus. Præterea non satis emendate legitur, neque distincte. Ita igitur illum ex coniectura integritati restituimus, & ope veteris scripturæ maculas abstersimus:

Rufe mihi frustra, ac nequicquam cognite amice:
Frustra? imo magno cum pretio atque malo:
Siccine subrepsti mi, atque intestina perurens
Mi misero eripuisti omnia nostra bona
Eripuisti, heu heu nostræ crudele venenum
Vitæ, heu heu nostræ pestis amicitiæ?
Sed nunc id doleo, quod puræ pura puellæ
Sauia comminxit spurca saliua tua.
Verum id non impune feres. nam te omnia sæcla
Noscent, &, qui sis, fama loquetur anus.

Non dubium est, quin duo postrema disticha cum tribus prioribus luxatis committenda sint. Alterum enim sine altero stare non potest, vtpote quod imperfectam sententiam contineant. In olidum & hircosum Rufum scribit, cum quo expostulat ereptos sibi amores suos. hoc est enim, quod vocat sua bona.

SICCINE *subrepsti mi.*] In nostro duo antiqui characteris extabant vestigia, MEI, & PERVRES: pro *mi*, & *perurens.* Sic supra, *Antistas*, pro *Antistans.*

QVOD *pura impura puella.*] Reposuimus ex prisca scriptura *purę pura puellę.* quod, inquit, spurca saliua tua obleuit pura suauia puræ puellę. Exprobrat illa os hircosum, vt apparet, καὶ τὴν [illegible].

CONIVNXIT.] Ineptissime. Legendum, *comminxit.* Infra:

Tanquam comminctæ spurca saliua lupæ.

Vbi & perperam eodem errore legebatur, *coniunctæ.* Petronius, *Consumtis versibus suis immundissimo me basio conspuit.*

NAM *te omnia sæcula noscent.*] Eodem modo in Endecasyllabis:

Quid vis? qualibet esse notus optas?
Eris. quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

De Gallo. LXX X.

GALLVS habet fratres, quorum est lepidissima coniux
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus: nam dulces iungit amores,
Cum puero vt bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.

* * *

Sed nunc id doleo, quod puræ impura puellæ
Suauia coniunxit spurca saliua tua.
Verùm id non impunè feres: nam te omnia sæcla
Noscent, & , qui sis, fama loquetur anus.

ANT. PARTHENIVS.

GALLVS *habet fratres.*] Versutam atque nefariam Galli libidinem satyrica mordacitate lacerat: quoniam is Gallus, vt facilius posset fratrum suorum liberos, & vxorem in suam nefandam libidinem allicere, ipse leno eos inter stupra committere docuit. minatur itaque Gallo poëta se æterna infamia sacrilegas eius libidines notaturum.

QVORVM *est lepidissima coniux Alterius.*] Ordo est: Quorum alterius coniux est lepidissima.

BELLVS.] Benignus. ironicè.

STVLTVS.] Rudis, quoniam tam diros amores inter illos concilians imprudenter indicat sua cum illis flagitiosa stupra. facit enim se stupri suspectum maritum, scilicet vxoris.

TVA.] ó Galle.

SPVRCA.] Fœtida.

PVRA *suauia puellæ.*] Munda oscula vxoris fraternæ.

ANVS *fama.*] Longæua infamia: sic superius: *Hæc charta loquatur anus.*

PALLADIVS FVSCVS.

GALLVS *habet fratres.*] Gallum lacerat: cui cum duo essent fratres, quorum vnus habebat vxorem non inuenustam, & alter filium non illepidum: Gallus eos coire faciebat, nec eo contentus flagitio, ipse quoque eadem puella abutebatur.

LEPIDVS.] Venustus.

VIDET *esse maritum.*] Non videt, inquit, se quoque habere vxorem: quam nepos à patruo ita edoctus subigat.

QVOD *puræ pura puellæ.*] Quod tu ore impuro purum puellæ os basiaueris.

IMPVNE.] Sine pœna.

TE *noscent.*] tua norint flagitia.

ACHILLES STATIVS.

GALLVS *habet fratres.*] Gallorum nomen Romanum fuisse, constat. nam & poëta Cornelius, & Fauonius quidam Galli fuisse leguntur. In marmoribus tamen Capitolinis Galus simplici. L. vt & in aereis nummis Antoni Augustini Episc. Ilerden. GALVS. APRONIVS. &, GALVS. MESSALLA. In vetustissimo Vergili exemplo, PAVCA MEO GALLO, per duplex LL.

A SED *nunc id doleo.*] Vehementer suspicor, ceteros, qui sequuntur, versus, suo loco positos non esse. aut esse ἀντιπαράθεσιν.

SPVRCA *saliua.*] Idem post,

Tamquam commixta spurca saliua lupæ.

ET, *qui sis, fama loquetur anus.*] Sic Martialis,

Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Et vetus poëta apud Priscianum,

Τὺς θεὸς ἀγήρας αἰὼν καλεῖ.

M. ANT. MVRETVS.

B GALLVS *habet fratres.*] Gallum quendam, vt nefariarum inter suos libidinum quasi προξενητὴν, & administrum, notat.

GALLVS *homo est bellus.*] Belli homines nonnunquam dicuntur, qui aliis libenter obsequuntur: &, belle dicere, qui, quæ alij, velint, loqui student. Cicero, *Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit: fatetur se non bellè dicere, non ad voluntatem loqui posse.* pulchreque Martialis,

Bellus homo, atque idem magnus vis Cotta videri.
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

Plane enim pusilli & abiecti hominis est, ad aliorum quasi nutus se accommodare. denique belli homines sunt, quos Aristoteles III. de moribus C ἀρέσκους vocat.

CVM *puero vt bello.*] Filio vnius fratris.

BELLA *puella.*] Vxor alterius fratris.

GALLVS *homo est stultus.*] Qui non cogitet, idem sibi quoque fieri posse.

MONSTRET.] Doceat, suadeat. Virgilius,

Ergo etsi conferre manum pudor, iraque monstrat.

Idem, *Monstrat amor verus patriæ.*

PATRVI *adulterium.*] Noue, pro adulterio quod puer faceret cum patrui vxore. Pag. 67.31.

SED *nunc id doleo quod puræ, &c.*] Id est, quod tu quoque, spurci homo impurique oris, puram D puellam dissuauiatus es.

In Gellium. LXXX.

GELLIVS est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit,
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
E *Si tria natorum suauia repperit.*

ANTONIVS PARTHENIVS.

LESBIVS *est pulcher.*] Lesbium riualem suum sibi ob pulchritudinem à Lesbia præpositum amarulento ioco insectatur in Lesbiæ indignationem: quoniam ea pulchritudine decepta amatorem ad rem Veneream imbellem ac sterilem elegerit, excluso Catul.

QVID *ni?* cur non? scilicet sit pulcher si eum mihi anteposuit Lesbia: est inuita & amara concessio.

Tria *natorum suauia.*] Idest, si tria oscula vnquam dederit suis liberis, quos nullos habuit vnquam.

Svavia.] Parentibus enim iucundissima sunt paruulorum natorum oscula.

PALLADIVS FVSCVS.

Lesbivs *est pulcher.*] Laudantibus Lesbij riualis sui pulchritudinem, dicentibusque Lesbiam eum malle quam Catullum cum tota familia, sic nobilis poëta respondet, vt ostendat Lesbium, cuius forma tantopere laudatur, esse fellatorem vel cunilingum.

Qvid *ni.*] Cur non.

Cvm *tota gente.*] Cum tota familia.

Si *tria natorum suauia repperit.*] Si tria oscula inuenerit: nam cunilingi & fellatores non basiantur: quam rem multis in locis indicat Martialis.

ACHILLES STATIVS.

Lesbivs *est pulcher. quid ni.*] Esse quibusdam in libris adfirmant, Gellius est pulcher. Quid ni. Sic veteres locutos, tradit Festus Pompeius. *Quid nisi*, inquit, *vsurpauisse antiquos, testis est Afranius in Epistula. Me auctore, mater, abstinebis. quid nisi.* Nisi id Festus notat, quod posteriores, Quid ni, sic veteres, Quid nisi dixisse. Et idem post Catullus, *Gellius est tenuis. quid ni.*

Sed *tamen hic pulcher.*] Esse & hæc potest sententia, hunc sua cum gente Catullum venditurum, pretiumque hoc daturum ei, qui tria sibi dederit suauia.

M. ANT. MVRETVS.

Lesbivs.] Cum Lesbia Clodia sit, vt alio loco diximus, Lesbium quoque P. Clodium, fratrem ipsius, esse arbitror, à quo & hanc & ceteras sorores constupratas fuisse notum est. id magis vt suspicer, facit additum pulchri nomen: hoc enim cognomine fuisse Clodium omnes sciunt: vt poëta in ambiguitate vocis iocari voluisse videatur. ita enim & Cicero iocans eum pulchellum puerum vocat. re vera autem pulchrum fuisse tradit Plutarchus.

Sed *tamen hic pulcher.*] Non recuso, inquit, quo minus pulcher hic me cum tota mea gente, pro suo arbitrio, vendat, si tres amatores reperire potuerit, qui ipsum vel osculari velint. Innuere videtur eum quoque fuisse τῶν γλωσσοδιφούντων; vt omnes eum, quamlibet pulchrum, tamen propter eam turpitudinem osculari refugerent. Videtur autem respicere ad veterem consuetudinem, qua interdum ob certa delicta totæ familiæ publice vendebantur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Lesbivs.] In nostro *Cælius.* nonnullæ editiones *Gellius.* recte. hanc fœditatem enim eidem exprobrat. *Vt dicam Gelli*, &c. Lesbiam autem ab eodem amatam & alio epigrammate

A testatur: *Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum.*

Si *tria amatorum.*] Audacia correctorum est ista. Nam *amatorum* supposuerunt pro eo, quod vetus scriptura præ se ferebat, *natorum.* quod & priscæ editiones etiamnum constanter seruant. Sed minima mutatione *notorum* legendum, non *natorum.* Virgilius in Ciri:

Nec mihi notorum declinant lumina voltus.

Næuius Tarentilla:

——nunquam quisquam amica
Amanti amico nimis fiet fidelis,
Nec nimis erit morigera nota quisque.

Nota ἡ φίλη, vel potius ἡ ἐρωμένη. *Notorum* igitur,
B amicorum. notus mos ille veterum osculo tam propinquos, quam amicos excipiendi.

Savia *reppereris.*] Cicero in Sextiana de hoc ipso; *quum illo ore inimicos meos est saniatus.* Loquitur de hoc ipso Gellio, eique candem fœditatem oris exprobrat. Nimis argutantur, qui non *Gellius* hic, sed *Lesbius* legunt, vt Catullus de Clodio, quem constat sororem constuprasse, intellexerit, & eodem modo Clodium Lesbium vocet, quo Clodiam Lesbiam vocat, hoc vno argumento ducti, quia ille appellatus sit pulcher: quod hic videtur Catullus item obijcere. Sed si
C Clodius, qui dictus est pulcher, inimicus Ciceronis, ea infamia flagrasset, sane Cicero talentum non meruisset, vt hoc tacere vellet. Præterea non meminerunt Clodiæ gentis patriciæ hunc fuisse, quam cognomen Pulchrorum à plebeia Clodia distinguebat. *Pulcher* igitur non casu, sed iure familiæ, aut gentilitio.

Ad Gellium. LXXXI.

Qvid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
D *Hiberna fiant candidiora niue,*
Mâne domo cùm exis, & cùm te octaua quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certè est. an verè fama susurrat
Grandia te medij tenta vorare viri?
Sic certè est. clamant Victoris rupta miselli
E *Ilia, & emulso labra notata sero.*

ANT. PARTHENIVS.

Qvid *dicam Gelli.*] Asperrimè lacerat Gellium fellatorem spurcissimum, qui cùm esset facie venusta, pallidissimus manè surgebat, quod scelus palam diuulgatum erat.

Candidiora.] Pallidiora. Iuuenalis,

——& morbo pallet vterque.

Octava *hora.*] Quoniam plurimos fellans vsque in octauam Solis exorti horam iaces.

E *molli quiete.*] A molli somno.

LONGO *die.*] Æstiuis diebus, qui sunt cæteris longiores.

GRANDIA.] Virilia membra grandia. sic Martialis,

Cum tibi vernarent tenera lanugine malæ,
Lambebat medios improba lingua viros.

CLAMANT *victoris rupta miselli.*] Labra tua grandibus mentulis lacerata ruptaque clamant, atque manifeste indicant hæc flagitia tua.

NOTATA *sero.*] Spermate inquinata. Serum pro spermate posuit: est enim serum aqua lactis. Virg. *Pasce sero pingui.*

VICTORIS.] Tui, qui multos penes sugens victor euasisti.

PALLADIVS FVSCVS.

QVID *dicam Gelli.*] In Gellium scribitur hoc epigramma: qui cum per noctem fellaret, mane domum egressus, habebat labra propter sperma quod illis inhæserat, niue candidiora.

QVARE *rosea ista labella.*] Cur ista tua labra purpurea.

OCTAVA *hora.*] Nam Gellius æstiuo tempore illucusque cubabat.

SVSCITAT.] Eleuat.

FAMA *susurrat.*] An homines, inquit, de te susurrantes vera loquuntur.

GRANDIA *tenta.*] Magnas & arrectas mentulas.

CLAMANT.] Cum clamore indicant.

VICTORIS.] Appellat victorem illum à quo Gellius irrumabat.

ILLO.] Emendo ilia.

NOTATA. Emendo notare: ordo autem & sensus est. Ilia miselli victoris rupta clamant te notare labra. sero multo. posuit autem serum pro spermate, cui cum sero est aliqua similitudo.

ACHILLES STATIVS.

ET *cum te octaua quiete E molli longo suscitat hora die.*] Postquam sis meridiatus æstiuis, ac longis diebus.

GRANDIA *te medij tenta vorare viri.*] Et quia καινὸν videtur, deorum vehiculum Tensum dixerunt, non Tentum, ne verbum turpe sonaret in sacris. Diomedes Grammat. de Ostentum, & Ostensum supinis agens. nisi legendum sit apud Diomedem, Deorum vehiculum Tensam dixerunt, non Tentam. Verbo eodem obscene etiam Græci vtuntur. In epigrammatis enim Græcorum sic Priapus loquitur, Ἀλλ' εἰς ὀρτίνημαι θῶρ ἴμβαιον. Medij autem viri, quod dicit, pudenda ipsa significat, & nefariam libidinem, quam gentib. opprobrans Minutius in dialogo, *Qui*, inquit, *scortorum licentiæ inuident, qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinib. inhærescunt, homines male lingua, etiamsi tacerent.* Et in lusibus Priapus.

Oscula dat medio si qua puella mihi.

Auson. quoque in Eunomium liguritorem,

Eune quid affectas vendentem Phyllida odores,
Diceris hanc mediam lambere, non molere.

A Atque alibi idem de Castore fellatore,

Lambere cum vellet mediorum membra virorum
Castor.——

SIC *certe est, clamans Victoris rupta miselli Ilia, demulso labra notata sero.*] In manuscriptis libris, Ille te mulso. In aliis, Illa te multo. Itaque doctissimi viri Pierius Valerianus, & Gabriel Faernus, coniecturam fecerant valde probabilem, legendum, Ilia & emulso. Mihi etiam in mentem venerat, suspicari legendum, Iliaque & mulso. Vel, Iliaque & malto. Sed Mulgendi verbo sic vsus Lucret. in IIII.

B *Et commiscendo semen cum fortè virile*
Femineum mulxit subita vi, corripuitque.

Eodem prope modo Horat. in v.

Sic est, acerba fata Romanos.

M. ANT. MVRETVS.

QVID *dicam.*] Eandem notam inurit Gellio, sed fœdius, & apertius.

CLAMANT.] Indicant.

VIRRONIS.] In aliis, *victoris*, in non nullis etiam, *victoris*, sed inepte, vt puto.

TENTA.] Tendere in obscœnis est, vnde & tentigo. Appul. lib. I. *Arcum & ipse meum tetendi.* vnde & deorum vehiculum, tensam non tentam, nominarunt; ne turpe verbum sonaret in C sacris. auctor Diomedes. hoc eo cupidius adscripsi, quia vulgo, male, vt opinor, scribitur *thensa.* Seruius tamen in primum Æneidos, thensam vt scribamus, præcipit, sed, quantum mea quidem opinio fert inepte.

MEDII.] Μέσα Siculi & Tarentini τὰ αἰδοῖα, à situ videlicet, vocāt. inde in obscœnis versibus tam frequens huius vocis vsus est.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

D E MOLLI *longo.*] Scriptura nostra: *Et mollis longo.* magnis æstibus anni solebant, vt Varro loquitur, insititio pomeridiano somno diem diffindere. Itaque ex eo somno edormiendi & expergiscendi tempus erat octaua, vt ratio postulat. propterea mollem vocat, quia iam remittunt calores intenti, quum duo trientes diei confecti sunt.

SIC *certe est clamant.*] Liber. *Sed certe clamant* lege, *Sic certe, clamant.* Supra. *Sic certe. viden' vt perniciter exiluere?*

VICTORIS *rupta miselli.*] Nonnullæ editiones *Virronis.* Suspicarer legendum: *Sic certe. clamant* E *Varronis rupta Viselli.* Notum & Varrones in gente Visellia, non solum Terentia fuisse.

ILIA *demulso.*] *Ille te mulso*, vetus liber. Langobardica scriptio. vt iam dixi, nullum discrimen facit inter I, & L. propterea synalœpha notata fuit. Itaque ibi legendum erat, *Ili' & emulso.*

Ad Iuuentium. LXXXII.

NEMO ne in tanto potuit populo esse, Iuuenti,

Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Præterquam iste tuus moribunda à sede Pisauri
Hospes, inauratâ pallidior statuâ?
Qui tibi nunc cordi est, quem tu præponere nobis
Audes. at nescis, quod facinus facias.

ANT. PARTHENIVS.

NEMO *ne in tanto.*] Iuuencium adulescentem imprudentiæ arguit, quod Pisaurum quendam pallidissimum sibi amatorem delegerit: cùm in tanto populo Romano quam plurimi sint illo Pisaurensi pulchriores atque amabiliores: hic est ille Iuuencius de quo in hendecasyllabis dixit: *O qui flosculus es Iuuenciorum.* Alibi,

Surripuit tibi dum ludis mellite Iuuenci,
Suauiolum dulci dulcius ambrosia.

TANTO *potuit.*] Scilicet Romano.

BELLVS.] Facilis, benignus diminutiuum à bono.

PISAVRI.] Pisaurum Vmbriæ oppidum est Romanorum colonia: non à pensato auro dictum, sed à Pisauro amne vicino, vt Pli. indicat.

QVEM.] Qualem interrogatiuè.

NOBIS.] Mihi Catul. nam poëta formosus erat.

ET *nescis quod facinus facias.*] Totum interrogatiuè.

QVOD.] Quale: quam inutile tibi.

PALLADIVS FVSCVS.

NEMO *ne in tanto.*] Moleste fert Catul. quod Iuuencius puer formosissimus Pisaurensem quendam, qui inaurata statua pallidior erat, sibi & aliis item iuuenibus in amore anteposuerit.

PISAVRI.] Pisaurum est Vmbriæ oppidum, cui vicinus fluuius nomen dedit.

INAVRATA *statua.*] Statuas olim inaurari solitas his verbis indicat Plin. *transiit & ab dijs ad hominum statuas atque imagines multis modis. Antiqui eas pingebant bitumine, quo magis mirum est, placuisse auro integere.*

QVOD *facinus facias.*] Nam qui formoso anteponit deformem, is profectò scelus facere videtur.

ACHILLES STATIVS.

NEMO *ne in tanto potuit populo esse, Iuuenti.*] Ad eundem Iuuentium, ante, *O qui flosculus es Iuuentiorum.*

PRÆTERQVAM *iste tuus.*] Iste, contemptim.

HOSPES, *inaurata pallidior statua.*] Aurum etiam Græcis χλωρὸν dicitur. Notum illud vetus, & ab Aristophanis interprete expositum. A ὅπερ δεῖ χλωρὸν ἀποβαλεῖ τὸ χρυσίον. Δέδοικ' ἐπιβουλευόμενον ὑπὸ πάντων ἀεί. Silius hoc Astures colore in aurifodinis versantes adfecta valetudine, atque ægros esse significat. Est enim apud illum sic,

Sed scelerum caussas aperit dens, Astur auarus
Visceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effosso concolor auro.

Lucianus in Gallo. Οἴμωζε καὶ δεδίεθι, καὶ ὅμοιος ἔχει τὸ χρῶμα τῷ χρυσῷ, μεταποιητικὸς αὐτοῦ.

AT *nescis, quod facinus facias.*] Sic alibi loquitur, *Sæpe facis facinus.* Et Plautus in Poenulo, *Eo tu vin' tu facinus facere lepidum, & festiuum.* Et Terent. *Non fit facinus magnum, & memorabile sine periculo.* B

M. ANT. MVRETVS.

NEMO *ne.*] Vide, quæ diximus in explicatione epigrammatis,

O qui flosculus est Iuuentiorum.

PISAVRI.] Oppidum est in Vmbria.

INAVRATA *pallidior statua?*] Aurum suapte natura pallidum est: cuius rei caussam rogatum Diogenem, respondisse ferunt, non iniuria pallere, cum tam multos habeat insidiantes sibi. C Catullus supra,

Quanto sæpe magis fulgore expalluit auri.

CORDI *est.*] sic infra,

Parua mei mihi sunt cordi monumenta sodalis.

Cordi est, honeste dictum, animo sedet. Lucilius lib. XXVI.

Et quod tibi magnopere cordi est, mi vehementer displicet. Idem,
Si tibi porro idcirco isthæc res cordi est, quod rere vtilem. Nonius.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

D QVEM *tu diligere inciperes.*] ἀρχαϊσμὸς, hoc est diligeres. Sic Pomponius de origine iuris: *Sine iure certo agere instituit.* hoc est, egit. Paulus libro sententiarum tertio, capite secundo. *Libertus duos patronos habere instituit.* hoc est, habuit. Infra: *Accipiunt, precium quæ facere instituunt.* hoc est, quæ faciunt.

SEDE *Pisauri.*] Hoc est Pisauro. Virgilius,

——*Coriti Tyrrhenæ sede profectum.*

Hoc est Corito.

Ad Quinctium. LXXXIII.

E

QVINCTI, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis:
Eripere ei noli, multò quòd carius illi
Est oculis, seu quid carius est oculis.

ANTON. PARTHENIVS.

QVINCTI, *si tibi vis.*] Quintium familiarem suum impensè precatur, ne puellam suam sibi arripiat, si vult poëtam ei maximas

debere gratias.

ERIPERE *noli.*] Puellam, scilicet.

SEV.] Subintelligitur carius eo, si quid est oculis carius.

PALLADIVS FVSCVS.

QVINCTI, *si tibi vis.*] Rogat Quinctium sodalem ne eripiat sibi amicam, quam habeat oculis cariorem.

SI *tibi vis oculos debere.*] Si vis me tibi maxime obligare.

SED *quod carius est oculis.*] Quasi dicat nihil.

ACHILLES STATIVS.

QVINCTI.] C. interpono, veterum monumentorum fidem secutus.

ERIPERE *ei noli.*] μονοσυλλάβως, etiam Plaut. in Pseud. *Ei homines cenas sibi coquunt, cum condiunt.* Et ante, *Eas herbas herbis alijs porro condiunt.* Et statim, *Eo laserpicij libram pondo diluunt.* Vt Lucil. Eidem, δισυλλάβως. *Vni se atque eidem studio omnes dedere, & arti.* Et Vergil. in Bucol. *Vno eodemque igni.* Lucretius in III. Ei bisyllabum fecit, priore tamen longa.

Sine aliud quoduis potius coniunctius ei. Et in VI.

Et manibus nitidum teneris opus effluit ei. Nisi forte legendum apud illum sit, Eij. itaq; sit Ei prius monosyllabum.

SEV *quod carius est oculis.*] Sententia postulare videtur, vt potius, Si quid, legamus, Dixit enim ante, *Aut aliud si quid carius est oculis.*

M. ANT. MVRETVS.

QVINCTI.] Quinctiū rogat, ne sibi aut amicam, aut certe tale aliquid præripiat.

SEV *quid carius est oculis.*] Id est, ac carius etiam eo, si quid est oculis carius.

In Lesbiæ maritum. LXXXIV.

Lesbia mî, præsente viro, mala plurima dicit.
Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule, nihil sentis. si nostri oblita taceret,
Sana esset. quòd nunc gannit & obloquitur,
Non solùm meminit. sed, quæ multò acrior est res,
Irata est. hoc est, vritur, & loquitur.

ANTONIVS PARTHENIVS.

LESBIA *mî, præsente viro.*] Muli Lesbiæ mariti stoliditatem, stultitiamque deridet: quoniam fatuus vxoris fraudes subdolaque adulteria, & manifestos dolos non animaduertat.

MVLE.] Mulus nomen proprium mariti

A Lesbiæ.

SANA.] Libera ab amoris insania: contra Virg. malesanam Didonem Æneæ amore captam dixit:

Tunc sic vnanimè alloquitur malesana sororem.

GARRIT.] Nugatur.

OBLOQVITVR.] De me malè dicit simulatè.

IRATA *est.*] Simulat aduersum me iram.

VRITVR.] Amore meo ardet, & ideò de me loquitur simulata ira, cùm præ amore de me silere non possit.

B

PALLADIVS FVSCVS.

LESBIA *mî, præsente viro.*] Lesbiæ maritus lætabatur, cum vxor, se præsente, malediceret Catullo: quod ideo Lesbia faciebat, non quòd poëtam odisset, sed quia ab eo fuerat destituta.

MVLE, *nihil sentis.*] Insultat Lesbiæ marito, quem etiam mulum appellat.

SI *nostri oblita taceret.*] Si de me nihil diceret.

SANA *esset.*] Ab amore beneualeret.

SED, *quæ multò acrior est res Irrita est.*] Sunt verba Muli respondentis dicentisque vxorem suam esse Catullo iratam.

C HOC *est, vritur, & loquitur.*] Ideo, inquit Catullus, & loquitur & mihi maledicit, quia irata est quod se destituerim.

ACHILLES STATIVS.

MVLE, *nihil sentis.*] Eiusdem prope sententiæ est illud eiusdem, in eandem, *Lesbia mi dicit semper male.* Est autem hic, vt idem ante dixit, fictus questus. Quibusdam in libris, Mulle, per duo LL. In Patauino exemplo, Nulle. quod est opinor rectius. Nullum enim appellat stupidum, nihil audientem, nihil, vt alibi loquitur,

D sentientem. Nec tamen repugno, quo minus Mulum legas. Sic enim Cic. Pisonem admissarium atque asinum dicit. *Nihil sentis*: Sic Ouid. in III. Amor.

Fabula, nec sentis, tota iactaris in vrbe.

SI, *nostri oblita, taceret, Sana esset.*] Insanire enim dicuntur, qui amant. Sed omnib. in libris manuscriptis erat, Samia, vel Sannia. itaque videndum, an legendum potius Sanna, quod irrisionem significat, quasi id dicat, irrideri me amantem ab ea putarem, planeque contemni, si de me taceret. nunc quod loquitur, ardere se etiám demonstrat. Nunc autem, sic aduersatur

E hoc loco, vt apud Græcos Νῦν δὴ.

QVOD *nunc garrit.*] In manuscr. Gannit.

IRATA *est, hoc est vritur, & loquitur.*] Tanta vis est eius in me amoris, vt irascatur. id est, verè irascatur. Est enim ira feruor, atque ardor sanguinis, &, qui amant, ardent etiam ipsi. suntque hæc τῶν πάθους σημεῖα. Similiter Tacitus, de vitijs, opinor, quæ obijciuntur, *Namq; spreta exolescunt: si irascare, agnita videntur.*

M. ANT. MVRETVS.

LESBIA.] Falluntur sæpe homines in iudicandis rebus, ignoratione caussarum: dum quod ex caussà quapiam effectum est, id, vel inscientia, vel affectu aliquo occæcati, ad aliam referendum putant. neque enim sua quædam, certaque rebus omnibus definita caussa est: immo vero & vna eodemque caussa variarum sæpeque pugnantium rerum efficientiam in se cohibet: & eadem res ex varijs, etiamque à se inuicem dissidentibus caussis effici potest. In hoc genere fallebatur Lesbiæ maritus; qui cū ipsam multa de Catullo, irato animo dicere videret, totus gestiebat gaudio, ratus ex his maledictis suam sibi postea Lesbiam totam fore, neque amplius Catullo daturā delicias, quem iam ita vehementer exosum haberet. At Catullus longe aliter ratiocinatur. Si Lesbia, inquit, serio deposuisset amorem mei, tum me ne nominaret quidem: nunc cum mihi tam sæpe male dicat, hoc ipso indicat, ita vri se, vt tacere non possit. Quod autem hic de Lesbia dicitur, id καθόλου de toto talium mulierum genere affirmari potest.

MVLE.] Fatue. Sunt, qui Mulum hoc loco, vt nomen proprium viri, acceperunt: quos ego ipsos mulos fuisse arbitror.

IANVS DOVSA FIL.

IRATA *est: hoc est, vritur, & loquitur.*] Doctissimus doctor noster I. Lipsius, anima Critices, & elegantioris literaturæ lumen ac columen, legebat *coquitur*, ex illo Ennij:

Quæ nunc te coquit & versat sub pectore cura.

Quod absit vt non probem atque adeò necessariò reponendum putem hoc loco.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVOD *nunc garris, & obloquitur.*] Repone *gannit*: Cæcilius: *Gannit odiosus tota familia.*

De Arrio. LXXXV.

CHOMMODA dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias:
Et tunc mirifice sperabat se esse locutum,
Cum quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat, atq; auia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures:
Audibant eadem hæc leniter, & leuiter:
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cùm subitò affertur nūtius horribilis,
Ionios fluctus, postquàm illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

ANT. PARTHENIVS.

CHOMMODA *dicebat.*] Arium verba Latina barbarè aspirando pronunciantem, ac consonantes, & vocales literas pleno ac crasso spiritu, magnoque aspirationis afflatu præter grammatices rationem, præterque latinitatis vsum cum intolerabili audientium fastidio proferentem ioco risuque Catul. insectatur.

CHOMMODA.] Sic proferebat Arius prima consonante barbarè aspirata. Veteres aspiratione literarū parcissimè vsos scribit Quint. etiam in vocalibus, cum ædos ircosque dicebant: diu deinde reseruatum esse ne consonantibus aspirent, vt in Graccis & triumphis. Erupit breui tempore nimius vsus, vt choronæ, chenturiones, præchones, cum aspiratione adhuc in quibusdam scriptionibus maneant. Qua de re, vt idem Fabius scri. Catul. nobile hoc epigramma est. plura in hunc sensum Cic. in Oratore, peritè vt cætera, conscribit.

HINSIDIAS.] Prima litera aspirata, crassoque spiritu prolata.

CREDO *sic mater.*] Mulieres enim vt scrib. Cic. facilius incorruptam antiquitatem conseruant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quæ prima didicerunt: itaq; Crassus dicebat, Cum socrum meam Læliam audio, si eam audio, vt Plautum mihi aut Næuium audire videar, sono ipso vocis ita recto, & simplici est, vt nihil ostentationis aut mutationis afferre videatur.

HOC *misso in Syriam.*] Posteaquam Arius in Syriam à senatu magistratus missus est: omnes tam tædiosa loquacitate liberati gaudebant.

HÆC *eadem.*] Eadem verba ab aliis sine aspiratione proferri.

LENITER.] Non hiulcè, non crassè, sed exiliter.

LEVITER.] Facilè: suauiter, non apertè.

POSTILLA.] Aduerbium vt posthac, & postilla significat postea, siue post illud tempus.

NVNCIVS.] Qui Arium ex prouincia Romam reuerti significabat.

HORRIBILIS.] Omnibus formidandus: per hoc indicat formidandum Arij fastidium.

IONIOS *fluctus.*] Nam cùm Arius Romam reuersus familiaribus narraret loca & tempestates siue procellas Ionij maris: Hionios crebro repetēs crasso spiritu addita more suo aspiratione proferebat, cum audientium risu, ac felle putidus.

PALLADIVS FVSCVS.

CHOMMODA *dicebat.*] Irridet Arium, qui quasi mirificè loqueretur commoda insidiasque

diaſque & Ionium aſpirando barbarè proferebat. huius autem Epigrammatis in primo inſtitutionum ſic meminit Quint. *Apud nos poteſt quæri an in ſcripto ſit vitiũ, Si h littera eſt, nõ nota? Cuius quidem ratio mutata cum temporibus eſt ſæpius, parciſſime ea veteres vſi etiam in vocalibus. Cum ædos ircoſque dicebãt. diu deinde obſeruatum ne conſonantibus aſpiraretur vt in Graccbis & triumpbis, erupit breui tempore nimius vſus: vt chorona chenturiones præchones adhuc quibuſdam inſcriptionibus manent: qua de re Catulli nobile epigramma eſt.*

REQVIERANT *omnibus aures.*] Quia nemo amplius Romæ erat qui ſic loqueretur.

EADEM *hæc.*] Commoda & inſidias.

LENITER.] Non aſpere.

LEVITER.] Nam quæ ſine aſpiratione ſcribuntur, ea leuius enunciantur.

POST *illa.*] Poſt illud tempus. Eſt enim vna pars orationis ſicut poſthac.

NVNCIVS *horribilis.*] Arium, ſcilicet, adeſſe nec eum aliter quam antea loqui.

IONIOS *fluctus.*] Ionium eſt mare quod Græci, teſte Plinio, in Siculum & Creticum diuidunt. cùm autem idem Arius inter nauigandum Ionios quoq; fluctus ſulcaſſet, eos poſtea addita in principio aſpiratione enunciabat, rem procuIdubio ridendam.

ACHILLES STATIVS.

ET *Hinſidias Arrius Inſidias.*] Q. Arrij meminit Pedianus in argumento Ciceronianæ diuinationis. *Q. nimirum Arrius Prætor, qui cum L. Gellio à Spartaco acie victus eſt, de quo Liuius in Epitome lib.* XCVI. *ab* V.C. *Arrium vero per duplex* RR. *proferendum ac ſcribendum, cenſeo. Confirmat hoc & Feſtus in verbo Torum. Nam antiqui, inquit, nec mutas, nec ſemiuocales litteras, geminabant, vt fit in Ennio, Arrio, Annio.* Et vetus inſcriptio Romæ apud Rufinum Epiſcopum.

SOLI
INVICTO
L. ARRIVS
RVFINVS
D. D.

Et in vetuſtiſſimo marmore, in quo centuriarum inciſa nomina ad Capitolini montis radices, eodem modo, L. ARRIVS. HELIVS. Sed eodem tamen in ſaxo, & in templo Ludouici Gallorum Regis ſacrato, vbi nunc aqua luſtralis, & ARRIVS per duplex RR. & per ſimplex ARIA.

D. M
TIMOTHEO. CANTABRIO
QVI. VIXSIT. ANNIS
DVOBVS. MENS. DVOBVS. DIEB.
XV. ARRIVS. SEVERVS. ARIA
FELICISSIMA. PAREN
TES. DVLCISSIMO
FILIO. FECERVNT

HOC *miſſo in Syriam.*] In manuſcr. Hic. legendum forte, Hinc.

REQVIERANT *omnibus aures.*] Quas ille tot aſpirationibus. [illegible], [illegible], vt ait Plato in Lyſide.

POSTILLA.] Poſtilla, id eſt, Poſtea. Terent. Phorm. *Eam compreſſit, vnde hæc nata eſt, neque poſtilla vnquam attigit.* Cornel. Fronto in Exemplis elocutionum. Et Ennius, *Poſtilla germana ſoror errare videbar.* Et Plaut. in Cur. *Sed cum, qui mihi vendidit illam, numquam poſtilla vidi.* Vltima longa, vt in Poſtea. Comperio autem, veteres Poſt, præpoſitionem ſic trib. modis compoſuiſſe, Poſtea, Poſtilla, Poſtinde, vt apud Suet. de inluſtrib. grammat. in. Q. Cæcilio, *Poſtinde damnationem*, vt eſt in libris iam olim impreſſis, non Poſtdeinde.

M. ANT. MVRETVS.

CHOMMODA.] Omnia, quæ ad huius epigrammatis intelligentiam pertinent, ſtudioſe diligenterque collegit Angelus Politianus capite XIX. Miſcellaneorum.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SIC *liber auunculus.*] Cognomen Liber apud Romanos. Dicti Liberi ab eo quod execto matris vtero ipſi liberi euaſerant. Tertullianus libro de anima: *Poſſimus illos quoque recogitare, qui execto matris vtero viui aerem hauſerunt. Liberi aliquĩ, & Scipiones.* Sed, quantum ſuſpicor, Liber non magis quam Scipio ab eo caſu dictus eſt. Sed hoc vult Tertullianus inter eos, qui cæſo matris vtero viui extracti ſunt, Scipionem Africanum, item Liberum cenſeri. Liberi ergo gentis an familiæ nomen Romæ, non autem Bacchi, vt quidam interpretantur? An Liber dictus, quia euaſit periculum, execto matris vtero? Sane qui ita execta matre naſcebantur, voti erant Apollini. Virgilius lib. x.

——exectum iam matre perempta,
Et tibi, Phœbe, ſacrum.

Vnde Apollo erat Deus familiæ Cæſarum, auctore Seruio.

SIC *maternus auus dixerat.*] Repone ex antiqua ſcriptura, *Dixerit.* [illegible]. Non enim adfirmabundus hoc dicit. Propertius:

——Minyis dixerit Aſcanius.

IAM *non Ionios eſſe, ſed Hionios.*] Ab hiatu ſcilicet illo, quo aſpirabat tenues. Ita enim expoſuit olim parens meus ſuis de cauſſis linguæ Latinæ Cõmentarijs. Nam ſi tantum adhibeas ea, quæ huc ſtudioſe olim contulit Politianus, non ex toto menti Catulli ſatisfeceris.

In Leſbiam. LXXXVI.

ODI, & amo. quare id faciam, fortaſſe requiris:
Neſcio. ſed fieri ſentio, & excrucior.

ANTON. PARTHENIVS.

ODI *& amo.*] Hoc diſticho ſe vnius mulieris amore odioq; vexari fatetur, nec rationem

quare id fiat scit, sed tantum id malum sentit & A patitur: amat autem propter pulchritudinem, atque rei venereæ cum ea consuetudinem, sed eandem odit ob eius perfidiam, & multos quos accipit amatores: hæc autem mulier fortasse Lesbia est. Ex hoc colore sumptum videtur id Ouidij argumentum in amoribus, vbi de intolerandis amicæ suæ moribus conquerens ait,

Luctantur pectusque leue in contraria ducunt,
Hac amor, hac odium, sed puto vincet amor.

Et infra:

Nequitiam fugio, fugientem forma reducit,
Auersor morum crimina, corpus amo.
Sic ego nec sine te, nec tecum viuere possum,
Et videor voti nescius esse mei.

PALLADIVS FVSCVS.

ODI *& amo.*] Oderat Lesbiam Catullus ob perfidiam: contra eandem amabat propter formam. quare hinc odio inde amore vexantibus ipse maximum cruciatum sentiebat.

M. ANT. MVRETVS.

ODI, *& amo.*] Odisse se ait mores, & ingenium Lesbiæ, amare autem formam illius, & venustatem. hoc ipsum argumentum perelegánter tractauit Marullus his versibus,

Odi te, mihi crede quantacumque es:
Odi, confiteor, Camilla. sed, quam
Et odi, & magis in dies, magisque
Velim odisse; sequi, atque amare cogor.
Sic me amor retrahit tuus, trahitque:
Sic, quem sæuitia fugas proterua,
Tam rara reuocas decore formæ.

IANVS DOVSA FIL.

ODI, *& amo.*] Martialis hoc imitatus in Sabidium quendam:

Non amo te Sabidi, nec possum dicere quare.
Hoc tantum possum dicere. non amo te.

In Quintiam, & Lesbiam. LXXXVII.

QVINTIA formosa est multis, mihi candida, longa,
Recta est. hac ego sic singula confiteor.
Totum illud, formosa, nego. nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est, quæ cùm pulcherrima tota est.
Tum omnibus vna omnes surripuit Veneres.

ANT. PARTHENIVS.

QVINTIA *formosa est.*] Quintiam puellam à multis amatoribus laudatam Lesbiæ postponit: Nam Quintia, & si pulchra multis videtur, tamen Catullo non formosa, sed tantum candida, longa, recta videtur. Lesbia vero partim tota est pulcherrima, partim omnium puel- B larum venustates ipsa vna mirifice habet. Hoc epigramma cum superiore disticho apud omnes fere codices confusum est. Sed si diligentius inspiciatur à superiori separabitur: ac totum vnū esse, vsque ad epigramma quod incipit, Quid facit is Gelli, prudentiores intelligent.

EST *multis.*] Idest, videtur multis.

TOTVM *illud formosa nego.*] Ordo est: Nego illud totum formosa est, hoc est nego hanc propositionem esse veram: scilicet Quintia formosa est, modus autem dialecticus est in arguendo.

VENVSTAS.] Pulchritudinem muliebrem C venustatem dicere debemus: dignitatem autem virilem, vt docet Cicero.

NVLLA *in tam magno est corpore mica salis.*] Venustum est quod cum gratia quadam & Venere apparet. *Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus: natura non vtique hoc est, quanquam & ridicula oportet esse salsa. Nam & Cicero: Omne quod est salsum ait Atticorum esse, non quod sint maxime compositi ad risum. & Catull. cum dicit:*

Nulla in tam magno est corpore mica salis:

Hoc dicit nihil in corpore eius esse ridiculum: salsum igitur erit quod non erit insulsum, velut simplex quoddam orationis condimentum, quod sentitur D *latente iudicio.* Hæc Quintilianus, perite, vt pleraque omnia de horum verborum proprietate. Sed eius cum bona dixerim venia Catulli mei verba parum perpendisse videtur: nam si quis diligentius poëtæ de Quintia sententiam inspexerit, salem hoc in loco non ridiculum, vt consuetudine accipimus, sed natura non insulsum gustum ac quasi amoris condimentum, hoc est iucundam venustatis gratiam significare perspiciet. Dicit enim in tam procero Quintiæ corpore nulla formæ gratia, nullum pulchritudinis condimentum apparet. Est autem sal pro suaui condimento, ac iucunditate à cibis ad formæ E gratiam eleganter translatus. Sic Mart.

Nullaque mica salis nec amari fellis in illis,
Gutta sit.——

Pro orationis condimento, ac pro vrbanitate non insulsa posuit.

LESBIA *formosa est.*] Qualis non est insulsa Quintia.

CVM.] Partim.

TVM.] Partim.

VENERES.] Venustates, gratias.

PALLADIVS FVSCVS.

QVINTIA *formosa est.*] Concedit Quintiam esse candidam, longam, & rectam: negat tamen eam esse formosam, vt multis videtur.

SINGVLA *confiteor.*] Candidam esse, longam & rectam.

IN *tam magno corpore mica salis.*] Nihil est, inquit, in tota Quintia ridiculum, hoc est, quod rideat, non autem quod risu dignum sit. Quintilian. *Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipitur: nam non vtique hoc est quanquam & ridicula oportet esse salsa: nam & Cicero omne quod salsum sit ait esse Atticorum: non quia sunt maxime ad risum compositi: & Catullus cum dicit, Nulla in tam magno est corpore mica salis, hoc dicit, nihil in corpore eius esse ridiculum.*

OMNIBVS *omnes surripuit veneres.*] Lesbia, inquit, quia pulcherrima est, ideò ipsa cæteris mulieribus omnem abstulit gratiam.

ACHILLES STATIVS.

QVINTIA *formosa est.*] Quinctium veteres dixisse, antiqua monumenta declarant. Sed &, non interposito C, Quintiam eosdem pronuntiasse, vetus inscriptio demonstrat, quæ hodie exstat Romæ ad S. Marci.

C. FVL. QVINTIA. C. FVLVINIA
C. FVLVINIVS. C. L. EROS

Nescio, an eadem de Quinctia in lusib. in Priapum, *Deliciæ populi, toto notißima circo,*
Quinctia, vibratas docta mouere nates.
Et quæ sequuntur.

LONGA *est.*] Ouid. in III. Amorum Eleg. III.
Longa, decensque fuit, longa decensque manet.

MIHI *candida, longa Recta est.*] Horat. in I. Serm. Sat. II.
Candida, rectaq; sit, munda hactenus, vt neq; longa,
Nec magis alba velit, quam dat natura, videri.

RECTA *est.*] Propert. in II. *Despicit & magnos recta puella deos.* Nonnullam formæ laudem esse, etiam Cic. pro Muræna significat, *Solos*, inquit, *sapientes, esse, si distortißimi sint, formosos.*

TOTVM *illud, Formosa, nego. nam nulla venustas.*] Sueton. in Nerone Claudio, Pulchrum à Venusto secernens, *Vultu*, inquit, *pulchro magis, quàm venusto.* Vt ex his eius verbis intellegatur, aliud Pulchrum, aliud esse Formosum. Totum illud id est, τὸ ὅλον, siue τὸ σύνολον.

NVLLA *in tam magno est corpore mica salis.*] Lucret. in IIII. eodem in genere -*Charitonia, tota merum sal*, Quem versum Honoratus Fascitellus ab erudito homine legi dicebat, Χαρίτων ἴα, *tota merum sal*, vt ea Gratiarum esse vna dicatur. de quo tamen considerandum etiam atque etiam puto. Octauius Pantagathus legendum putabat, *Charis omnia, tota merum sal.* auget autem vim boni magnitudo. Id se quoque multis locis probatum à veteribus animaduertisse Corbinellus aiebat. apud Arist. in Rhetoricis. Θηλειῶν δ' ἀρετὴ, σώματος μὲν κάλλος καὶ μέγεθος. Et Sappho idem quoque sensisse, ὅτι σμικρά μοι παῖς ἔμμεν' ἐφαίνεο, κ' ἄχαρις. Et, quod Micam salis dicit in corpore, hoc cuiusmodi sit, è Plutarchi verbis in v. Sympos. intellegitur, Διὰ τοῦτο δ' ἴσως καὶ κάλλος γυναικὸς τὸ μὲν ἀργὸν, μὴ ἀπίθανον, ἀλλὰ μεμιγμένον χάριτι, καὶ κινητικὸν ἁλμυρὸν, καὶ δριμὺ καλοῦσι. Hunc interpretans locum Quinctilianus in VI. *Nam & Cicero,* inquit, *omne, quod salsum, ait esse Atticorum, non quia sunt maxime ad risum compositi. Et Catullus cum dicit, Nulla in tam magno est corpore mica salis, hoc dicit, nihil in corpore eius esse ridiculum. Salsum erit igitur, quod non erit insulsum.* Et quæ sequuntur. Lesbiam itaque sic laudat suam Catullus, vt Helenam Zeuxidis veteres laudauerunt, quam pinxit ille τὸ τῶν ἄλλων κρεῖττον ἀπανθίζων, vt ait Dionysius Halicarn.

M. ANT. MVRETVS.

QVINTIA.] Quintiam quandam, etsi satis bene conformato corpore, formosam tamen negat esse, quod insulsa sit.

MVLTIS.] Multorum iudicio.

NVLLA *in tam magno est corpore mica salis.*] Significat deesse illi κινητικὸν illud, &, vt Græci quoque loquuntur, ἁλμυρὸν, sine quo friget forma, quamlibet alioqui bona. huius loci meminit Fabius libro VI. quem reprehendit Parthenius, sed corrupto, vt apparet, libro vsus. Vide Erasmum in Adagio, *Salsugo non inest illi:* & Victorium variarum lectionum lib. XII. cap. XIII. Sal aut salem vocabant vrbanitatem. Terentius,
——*qui habes sal, Quod in te est.*
Afranius Compitalibus,
——*vt, quidquid loquitur, sal merum est.*

VENERES.] Omnem leporem. sic Fabius libro XI. Isocratem omnes dicendi veneres consectatum fuisse dicit.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

HÆC *ego sic singula.*] Magis placet antiqua lectio:
Quintia formosa est multis: mihi candida, longa,
Recta est. hoc ego. sic singula confiteor.

De suo in Lesbiam amore.
LXXXVIII.

Nulla potest mulier tantùm se dicere amatam
Verè, quantùm à me Lesbia amata mea est.
Nulla fides vllo fuit vmquam fœdere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta meâ est.

ANTONIVS PARTHENIVS.

QVANTVM *Lesbia.*] Propter eius iucundas venustates, quibus omnibus Quintia caret.

IN *amore tuo.*] ô Lesbia.

EX *parte mea.*] Id est, quantum tibi fidem integerrimam seruaui.

PALLADIVS FVSCVS.

NVLLA *potest.*] Ostendit se plurimum amasse Lesbiam eique fidem semper seruasse.

ACHILLES STATIVS.

QVANTVM *in amore suo ex parte reperta mea est.*] In manuscriptis omnib. In amore tuo. Sic vero significat τὸν ἔρωτα τὸν ἀμφιθαλῆ, & bene mutuis, vt Flaccus ait, *Fidum pectus amoribus.* Sed, si de Lesbia, non cum Lesbia, loquitur, illud sequendum.

M. ANT. MVRETVS.

NVLLA *potest.*] Commendat amorem in Lesbiam suum.

IN *amore suo.*] In amore ipsius. Sic veteres sæpe loquebantur. Cicero VI. de rep. *Graues enim dominæ cogitationum libidines infinita quadam cogunt, atque imperant: quæ quia expleri, nec satiari vllo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur.* Suis, dixit pro, ipsarum.

EX *parte mea.*] τ' ἐμὸν μέρος. dixi supra.

In Gellium. LXXXIX.

QVID facit is, Gelli, qui cum matre, atque sorore
Prurit, & abiectis peruigilat tunicis?
Quid facit is; patruum qui non finit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit ô Gelli, quantum non vltima Tethis,
Non genitor Nympharum abluat Oceanus.
Nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat vltrà,
Non si demisso se ipse voret capite.

ANT. PARTHENIVS.

QVID *facit is, Gelli.*] Sacrilegum incestum atque nefaria Gellij stupra satyrico felle respergit: quoniam is impius atque nefandissimus homo matrem, sororemque atque patrui A sui vxorem ferino more incestaret: quod nefarium prodigiosumque scelus omnia flagitia exuperans nullis expiationibus deleri, nullisque purgationibus ablui posse Catullus exclamat.

PATRVVM *qui non finit esse maritum.*] Quoniam eius vxore abutitur.

NON *si demisso se ipse voret capite.*] Idest, si se ipsum fellet, non grauius peccet, nec scelus vlterius admittet.

DEMISSO *capite.*] Capite atque ore suo ad inguen suum inclinato.

B

PALLADIVS FVSCVS.

QVID *facit is, Gelli.*] Insectatur quendam Gellium, qui, more belluino, matrem sororemque, necnon & patrui sui vxorem, subagitabat.

PRVRIT.] Homo dicitur prurire cum ardet desiderio coeundi.

PATRVVM *qui non finit esse maritum.*] Cùm eius vxore abutatur.

ECQVID *scis quantum.*] Verba Gellij quærentis, an sciat Catullus quantum sceleris is faciat.

C NON *vltima Tethis.*] Tantum inquit sceleris facit, quantum non fit in vniuerso.

DEMISSO *se ipse voret capite.*] Non si se fellet capite ad inguen sugendum declinato.

ACHILLES STATIVS.

QVI *cum matre, atque sorore Prurit.*] Prurire sic feminas dixit obsceni auctor carminis.

D
Oro, nam quis erit modus, Quirites,
Aut præcidite seminale membrum,
Quod totis mihi noctibus fatigant
Vicinæ, sine fine prurientes,
Vernis passeribus salaciores.

ECQVID *scis, quantum suscipiat sceleris.*] Sic Cic. Philipp. XI. *Miserior igitur, qui suscipit in se scelus.* Et in Pompeiana, *Delenda est vobis illa macula, Mithridatico bello superiore suscepta.*

QVANTVM *non vltima Tethis, Non genitor Nympharum abluat Oceanus.*] Genus expiationis hoc fuisse videtur, eamque vim non mare tantum, sed ipsos etiam fluuios habere credebant. Ex hoc genere videtur esse, quod sæpe apud Obsequentem de Prodigiis legimus. *Lunæ Androgynus natus, præcepto haruspicum in mare deportatus.* Atque alibi, *Puer haruspicum iussu crematus, cinisque eius in mare deiectus.* Item alibi, E *In Etruria Clusi materfamiliæ viuum serpentem peperit, qui iussu haruspicum in profluentem deiectus aduersa aqua natauit.* Et apud Iuuenalem Sat. VI.

Vt quidquid subiti & magni discriminis instat,
In tunicas eat, & totum semel expiet annum.
Hibernum fracta glacie descendat in amnem
Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis
Verticibus timidum caput abluet.

Et apud Persium,

Hæc sanctè vt poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput.——

Pausanias

in Boeoticis, idem de mari significans, Ὁ μὲν δὴ ἀφανέστερος ἐς αὐτὸν λόγος, τὰς γυναῖκάς φασι τὰς Ταναγραίων ἀγούσας Διονύσῳ τὰ Ὄργια μεθείσας ἐπὶ θάλασσαν καταβῆναι καθαρσίων ἕνεκα. νηχομένοις δὲ ἐπιχειρῆσαι τὸν Τρίτωνα. Et quæ sequuntur. De fluminib. Sophocles in Oedypo Tyranno,

Οἶμαι γὰρ οὔτ' ἂν Ἴστρον οὔτε Φᾶσιν ἂν
Νίψαι καθαρμῷ τήνδε τὴν στέγην, ὅσα

Κεύθει, Et reliqua. Mari eluendi vim maximam Lucretius tribuens in VI. alio quidem in genere idem prope dixit,

Non si Neptunus fluctu renouare operam det,
Non mare si totum velit eluere omnibus vndis.

Vltimam vero Tethin dicit, totum mare, ad extremos vsque eius fines.

NON *genitor Nympharum.*] In manuscriptis,

Nec genitor Nympharum.

NON *si demisso se ipse voret capite.*] Haud scio, an eandem obscœnitatem Cicero significet in Clodio, in oratione pro domo. *Quare, inquit, hoc ex Clodio scriptore legum tuarum. iube adesse. latitat omnino. Sed, si requiri iusseris, inuenient hominem apud sororem tuam, occultantem se, capite demisso. Nam, si Sex. ille Clodius cunnilingus, hic Gellius inuenis irrumator, par est vtriusque obscœnitas.*

M. ANT. MVRETVS.

QVID *facit is Gelli.*] Gellium hunc prodigiosæ admodum libidinis fuisse oportet, qui matrem, sororem, patrui vxorem, patruum ipsum, aliasque præterea cognatas puellas vnus contaminaret.

NON *vltima Thetys.*] Aqua marina veteres flagitia expiari putabant. quod etiam Cicero pro Sex. Roscio indicat. & notus est Euripidis versus, *Θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά,*
Id est, *Mortalium mala omnia abluit mare.*
Significat igitur nullo modo, ac ne vniuersi quidem maris aqua posse Gellij facinora expiari. Vide Cælium Rhodiginum cap. XLIIII. lib. VI.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ABLVAT *Oceanus.*] Repone *abluit* ex eadem scriptura. ἀρχαϊσμὸς, vt, *Edit cicutis allium nocentius.* hoc est, *edat.*

NON *si demisso.*] τὸ *demisso capite* male audit. Inde putide, vt alias, iocum captauit Cicero in ea ad Pontifices, loquens de Sex. Clodio: *Sed si requiri iusseris, inuenient hominem apud sororem tuam occultantem se capite demisso.* Idem enim intellexit.

In eundem. XC.

GELLIVS est tenuis. quid ni? cui tam bona mater,
Tamque valens viuat, tamque venusta soror,
Tamque bonus patruus, tamque omnia plena puellis
Cognatis. quare is desinat esse macer?
Qui vt nihil attingat, nisi quod fas tangere non est,
Quantumuis quare sit macer, inuenies.

ANT. PARTHENIVS.

GELLIVS *est tenuis.*] Idem in nefandas Gellij libidines argumentum. reddit namq; rationes cur Gellius sit tam tenuis & macer: quoniam, scilicet ab amoribus domesticis exhauritur sanguine.

TAM *bona.*] Tam benigna in coitu.

VALENS.] Robusta in Venerem.

PVELLIS *cognatis.*] Quas omnes stuprat.

NIHIL.] Nullam Venerem, nisi eam quam tangere non est fas.

PALLADIVS FVSCVS.

GELLIVS *est tenuis.*] Reddit rationem Catullus, cur Gellius, in quem est superius epigramma, sit tenuis: quod, scil. vno tempore multas subigat, matrem sororéq; & patrui vxorem.

GELLIVS *est tenuis.*] Verba introductæ personæ.

QVID NI.] Cur non? respondet Catullus.

TAMQVE *valens.*] Tam potens in coitu.

TAMQVE *bonus patruus.*] Tam humanus vel liberalis.

NISI *quod fas tangere.*] Sensus est. Si Gellius nullas alias fœminas quam cognatas subigat, abundè patebit, cur ipse sit adeò tenuis.

ACHILLES STATIVS.

GELLIVS *est tenuis.*] Etenim, qui veneri deditι sunt, eos macie confectos videri necesse est. Lucret. in III. *Ἰσχνὸς ἐρωμένιον tum fit, cum viuere non quit. Præ macie ῥαδινή.*

CVI *tam bona mater.*] Tam pulchra.

QVI *vt nihil attingat.*] locus esse videtur παρὰ προσδοκίαν. id enim sequi videbatur, vt hic, ea, quę liceret, non attingens, multo minus, quæ non liceret, attingeret, eoq; minime macresceret. nunc tantum sese polluens nefaria libidine, sat caussæ tamen est, cur sit idem macer.

M. ANT. MVRETVS.

GELLIVS *est tenuis.*] Mirandum non esse ait, si Gellius exili & attenuato sit corpore, vt pote qui immodico Veneris vsu maciē non contrahere non possit. Porro & Venere insigniter extenuari corpora medici docent: & fere etiam qui macilenti natura gracilesque sunt, libidinosiores esse consueuerunt: cum adeps contrà, frigidos & ad Venerem ineptos efficiat.

TAM *bona mater.*] Tam officiosa, tamq; obsequens. Eadem figura vocat Aristophanes Pluto χρηστοὺς παῖδας, qui sine nūmis facerent copiam sui.

TAMQVE *valens.*] Valentes aut fortes puellas vocabant corpore solido ac succi pleno.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVI *vt nihil attingat.*] Et hic quoque Catullus *adtingit* non *adtingat*, scripsit, quum idem sit pro *adtingat.* vt superius illud, *Abluit* pro *Abluat.*

In eundem. XCI.

NASCATVR magus ex Gelli matrísque nefando
Coniugio, & discat Persicum haruspicium.
Nam magus ex matre & gnato nascatur, oportet,
Si vera est Persarum impia rellígio.
Gnatus vt accepto veneretur carmine Diuos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

ANTON. PARTHENIVS.

MAGVS.] Lingua Persica magus sapiens dicitur, quem Græci philosophum appellant. hi magi (vt Strabo scribit) cum matribus ex patrio more congrediuntur: à quo impio atque ferino more Parthorum reges gigni scribit Lucanus,

Parthorum dominus quoties sic sanguine misto
Nascitur Arsacides: cui fas implere parentem.

Sic Myrrha apud Ouidium huiusmodi gentis nefandæ meminit:

——gentes tamen esse feruntur
In quibus & nato genitrix & nata parenti
Iungitur: & pietas geminato crescit amore.

OMENTVM *in flamma pingue liquefaciens.*] Persæ in sacris coronatam hostiã statuunt: cum vero magus, qui sacrificio præest, membratim carnes in quemque diuiserit, abeunt nulla parte diis relicta: dicunt enim deum nihil velle præter hostiæ animam: nonnulli, vt fertur, præcordiorum partem igni imponunt: hanc præcordiorum partem Catullus omentum appellauit. Liquefaciens secundam syllabam natura breuem produxit licentiosa compositi ratione, vt superius fecit:

Alta tepefacit præmissa flumina cæde.

OMENTVM.] Omentum est pingue quoddam intestinis circumuolutum.

PALLADIVS FVSCVS.

NASCATVR *vero magus.*] Magi lingua Persarum dicebantur sapientes, quos ex matris filijque concubitu nasci oportebat. De ijs Myrrha apud Ouidium in x. Metamorphoseos intelligere videtur cùm ait,

——& quod natura remittit
Inuida iura negant, gentes tamen esse feruntur,
In quibus & nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, & pietas geminato crescit amore.

PERSICVM *haruspicium.*] Quod Delphum inuenisse testatur Plinius. in eo victimarum exta inspiciebantur qui autem id agebant, aruspices sunt appellati.

OMENTVM *in flamma.*] Hoc nomine appellatur pingue illud, quo ventriculi & intestina teguntur.

ACHILLES STATIVS.

NASCATVR *magus ex Gelli, matrisque nefando Coniugio.*] Magum lingua Persarum Sacerdotem dici, testatur Appuleius. Persas vero ipsos ceteris gentib. odio esse, propter hæc nefaria cum parentibus, sororibusque coniugia, tradit Eusebius.

NAM *magus.*] Idest sacerdos. eiusmodi ergo matrimoniis sacerdotes suscipiebantur, non item alij. Significare enim hoc Catullus videtur.

GNATVS *vt accepto veneretur carmine diuos.*] Accepto, sibique per manus tradito à parentibus incestuosis. nisi Acceptum carmen, dis gratum malis intellegere.

OMENTVM *in flamma pingue liquefaciens.*] Positis in ignem visceribus victimarum. In Liquefacio, E, produxit, vt & sæpe Lucret. vt in IIII. *Ac rarefactum detracto sanguine venis.* Et in III. *Expergefactique sequuntur inania sæpe.* Et Ouid. in VII. Metam. *Tura liquefaciunt.*

M. ANT. MVRETVS.

NASCATVR *magus.*] Hoc quoque epigrammate, quod in quibusdam libris male cum præcedente connexum legitur, detestatur nefariam Gellij cum matre libidinem; aitque ex eorum concubitu magum aliquem nasci oportere, si Persarum religio vera sit, qui eiusmodi corporum commistiones licitas esse censent: adeoq; bonum magum existere non posse, nisi quem à filio compressa ediderit mater. Xanthus in Magicis narrat, magos matribus, filiabus, sororibus commisceri solitos esse, eosque cõcubitus habuisse legitimos. auctor Clemens lib. III. *στρωμ.* Quæ ad hanc rem faciunt, ex vtriusque linguæ scriptoribus studiose collegit Cælius Rhodiginus cap. XVIII. lib. x.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

NASCATVR *magus.*] Notum ex Herodoto & aliis. Strabo: *τοὺς δὲ μάγους οὐ θάπτουσιν, ἀλλ' οἰωνοβρώτους ἐῶσι. τούτοις δὲ καὶ μητράσι συνέρχεσθαι νενόμισται.*

NATVS *vt accepto veneretur.*] Carmen *ἐπῳδὰς* vocat, quas Magi virgarum fasciculum tenentes ad ignem incinebant. Strabo: *τὰς δ' ἐπῳδὰς ποιοῦνται πολὺν χρόνον ῥάβδων μυρικίνων λεπτῶν δέσμην,*

πεπίχοντες. Phrynichus poëta apud Athenæum: A

> Ος οὐκ αἰτῶ οὐδ' ἴσως ἰδίζων.
> Οὐ συλλέξῃ μάγειρα πῦρ ἱερὸν ἀείσαιον,
> Ωσπερ νόμος, ῥάβδοισι τῶ θεῶ ψαύων.

τοῦ θεοῦ nempe πυρός. Hoc est quod vult Interpres Theriacorum Nicandri, Δίων δὲ, inquit, ἐν τρίτῳ τῆς τρίτης συντάξεως καὶ τοὺς μάντεις φησὶ μυρίκης ῥάβδοις μαντεύεσθαι. Idem Strabo: ἐν δὲ τῇ Καππαδοκίᾳ πολὺ γὰρ ἐκεῖ τὸ τῶν μάγων φῦλον, οἳ καὶ πύραιθοι καλοῦνται, πολλὰ δὲ καὶ τῶν περσικῶν θεῶν ἱερά, οὐδὲ μαχαίρᾳ θύουσιν, ἀλλὰ κορμῷ τινὶ ὡς ἂν ὑπέρῳ τύπτοντες. ἔστι δὲ καὶ πυραιθεῖα σηκοί τινες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι. καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες ἐπᾴδουσιν ὥραν σχεδὸν πρὸς τῷ B πυρὶ τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντες. vbi & de verbenis illis seu virgultorum fasce habes abunde, & de carmine, cuius hic mentio fit. πυραιθεῖα autem quæ vocat, sunt חמנים quæ toties Prophetæ populo Dei obiiciunt, quæ significant illum οἰκουμενικὸν populum ritus Persicos didicisse. Quod enim Hammonim ista sint docet idem Strabo: Ταῦτα δὲ ἐν τοῖς τῆς Ἀναΐτιδος καὶ τοῦ Ὠμανοῦ ἱεροῖς νενόμισται. Ὠμανὸς enim est חמן. Qui prophetarum linguam didicerunt, hæc mihi assentientur. Herodotus illos ignes, de quibus hic loquitur, πυρεῖα vocat. & ἐν ὑψηλοῖς τόποις constitui solita ait. propterea conuicium cælitus in illum populum, sacrificare in excelsis, quæ ipsi Bamoth vocant, hoc est τὰ C ὑψηλά. quæ vox Hebræa est. At חמנים Persica, licet Rabbini eam à sole deriuent. Quæ vox tūc esset Hebraica. Ab eo Achæmenij dicti sunt. nam addita *Aleph* in capite plane facies Achaman. Sed ne fortasse putes hæc me somniasse, audi interpretem Statij veterem, in primum Thebaidos: *Nunc*, inquit, *Achameny dicuntur, vbi Apollinem Solem dicunt, cuius & sacrorum ritus inuenisse dicuntur.*

Omentum *in flamma.*] Strabo: μελίσαντος δὲ τοῦ μάγου τὰ κρέα τοῦ ὑφηγουμένου τὴν ἱερουργίαν ἀπίασι διελόμενοι, τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἀπονείμαντες μέρος. τῆς γὰρ ψυχῆς φασὶ τοῦ ἱερείου δεῖσθαι τὸν θεόν, ἄλλου δὲ οὐδενός. ὅμως δὲ τοῦ D ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ. Alioqui & Persius eodem modo loquutus est.

> *Quum in flamma tibi tot iuncum omenta liquescant.*

In Gellium. XCII.

> *Non ideo, Gelli sperabam, te mihi fidum*
> *In misero hoc nostro perdito amore fore,*
> *Quod te cognoßem bene, constantérque putarem,*
> *Aut poße à turpi mentem inhibere probro:*
> *Sed, neque quod matrem, nec germanam eße videbam*
> *Hanc tibi, cuius me magnus edebat amor,*
> *Et, quamuis tecum multo coniungerer vsu,*
> *Non satis id caussæ credideram esse tibi.*
> *Tu satis id duxti. tantum tibi gaudium in omni*
> *Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.*

ANT. PARTHENIVS.

Non *ideo Gelli sperabam te mihi fidum in misero hoc.*] aliud epigramma quo amarulento ioco mordet Gellium: Ego, inquit, nunquam timui te violaturum esse meos amores, sed semper te à mea Lesbia fideliter alienum speraui: non quia mihi esses beneuolus, sed quia neque mater, neque soror tua est mea Lesbia. Matris enim & sororis coitus tantum sequi soles, quod ab aliis mulieribus alienissimus es.

Hoc *posse à turpi.*] in omnibus ferè codicibus legitur *Haud posse à turpi*: sed poëta contrarius esset suo proposito: nam dicit Gellium posse abstinere à probro Lesbiæ inferendo: quoniam solùm matrem & sororem amat. legatur itaque, Hoc probro idest, ab hoc Lesbiæ concubitu.

Vsv.] familiaritate, consuetudine.

Edebat.] rodebat, consumebat.

Id.] scilicet quod tecum familiarissime coniungar.

Non *esse satis causæ.*] non esse sufficientem causam vt abstineres à Lesbiæ meæ iniuriis.

Tv *satis industi.*] satis induxisti animum vt à meis iniuriis mentem inhiberes.

Tantvm *tibi gaudium in omni.*] tantummodo est tibi gaudium in omni culpa, in qua est aliquod nefandum scelus.

Gavdivm.] libidinis voluptas.

Cvlpa.] crimine, vt Cicero ad Curionem: *Præsertim quod in quo accusabar, culpa vacarem.*

PALLADIVS FVSCVS.

Non *ideo Gelli.*] Alloquitur eundem Gellium, quem ait se sperasse forè sibi in amore fidum: non quod putaret ipsum à probro posse abstinere, sed quia sciret Lesbiam esse ei neque matrem, neque sororem, quas solas Gellius subagitabat.

E Edebat.] absumebat.

Mvlto *coniungerer vsu.*] licet, inquit, tecum multum versarer, non tamen putabam te ob id à mea Lesbia posse abstinere.

Indvlsti.] pro indulsisti.

In *omni culpa est quacunque.*] sensus est, in omni gaudio culpam esse, in quo sit aliquid sceleris.

ACHILLES STATIVS.

In *misero hoc nostro perdito amore fore.*] In veteribus omnibus haud paulo melius, *In misero*

hoc nostro, hoc perdito amore.

Q v o d *te cognossem bene.*] Ponam duos hos versus, vt nonnullis in libris manuscriptis rectius, mea quidem sententia, leguntur.

Quod te cognossem bene, constantem ve putarem,
Aut posse à turpi mentem inhibere probro.

S e d *neque quod matrem.*] Hic quoque versus in exemplo Guarini aptius legitur, *Sed quod nec matrem, nec germanam esse videbam.*

C v i v s *me magnus edebat amor.*] Sic Verg.

——*Est mollis flamma medullas*
Interea. Atque alibi.
——*& caeco carpitur igni.* Et alibi,
Hic quos durus amor crudeli tabe peredit.

Edax amor etiam ab Apollonio in III. Argonaut. dicitur, Μάργος ἔρως &c, vt citat eius interpres, ab Anacreonte, Ταχερὸς δ' ἔρως. Idem significans Sophocles de Venere, Ἐντήκεται γὰρ πλευμόνων ὅσοις ἔνι ψυχὴ, τίς οὐχ ἥδε τῆς θεοῦ βορᾶς. Magnus amor, δεινός. Sic Plato. Ὄψις γὰρ ἡμῖν ὀξυτάτη τῶν διὰ τοῦ σώματος ἔρχεται αἰσθήσεων, ᾗ φρόνησις οὐχ ὁρᾶται. δεινοὺς γὰρ ἂν παρεῖχεν ἔρωτας, εἴ τι τοιοῦτον ἑαυτῆς ἐναργὲς εἴδωλον παρείχετο εἰς ὄψιν ἰόν.

T v *satis id duxti.*] Ita prorsus legendum videtur. tametsi est in omnibus fere manuscriptis, Induxti.

T a n t v m *tibi gaudium in omni Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.*] Eadem prope sententia apud Cic. in XI. Philip. *Deinde ea libidinum turpitudo, vt in hoc sit semper laetatus, quod ea faceret, quae sibi obici ne ab inimico quidem possent verecundo.* Et pro Milone, *Vt eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas esset, aut per leges liceret.*

M. ANT. MVRET.

N o n *ideo.*] praeclarum hoc epigramma est, & mirabili quodam artificio factum ad inuidiam concitandam. eius autem haec sententia est: Sperabam equidem, Gelli, te mihi in misero hoc meo in Lesbiam amore fidum fore. Quid ita? an quod vllam in te vnquam scintillam honestatis aut fidei perspicere potuissem? minimè verò. praeclare noueram, ingenium tuum esse eiusmodi, vt à designandis in dies nouis sceleribus abstinere non posses. Quid igitur? animaduerteram videlicet, vt eximios artifices exquisitis tantum edendis operibus, ita te quoque non popularibus istis vsitatisque, sed horrendis tantum, & quae nemo alius imitari auderet, patrandis facinoribus oblectari solere: itaque non in quaslibet mulieres, sed in matrē, in sororem, ceterásque à quibus reliqui homines duce natura abhorrent, libidine abuti tua. Quod igitur meam hanc neque matrem tibi esse, neque sororem videbam; nihil à te mihi metuendum esse arbitrabar. Cogitabam quidem, me tibi magno vsu amicitiae esse coniunctum, fierique posse, vt ea te turpitudo, quae est in prodendis amicis, ad imponendam mihi hanc iniuriam adduceret: sed tamen accuratius cogitanti, ea res nondum satis turpis esse ad te permouendum videbatur. ita enim iam consuetudine tritum est, in amicos perfidiose se gerere, vt id non satis dignum videretur eo, qui nullum in se scelus suscipere, nisi palmarium, vellet. At tu, ne videreris vllam vnquam scelerate agendi occasionem praetermisisse, eam ipsam consuetudinem nostram satis tibi magnam caussam violandi mei esse duxisti, vt ostenderes, quibus rebus ceteri etiam improbi homines ab iniuria auocari solent, iis te omnibus ad faciendam iniuriam incitari.

IOS. SCALIGER IVL. CAES. FIL.

Q v o d *te cognossem,*] Melius scriptura, *Qui te cognossem.*

In Lesbiam. XCIII.

Lesbia mî dicit semper malè, nec tacet vnquam
De me. disperea, me nisi Lesbia amat.
Quo signo? quasi enim totidem mox deprecor illi
Assiduè. verùm dispeream, nisi amo.

ANT. PARTHENIVS.

L e s b i a *mî dicit semper male.*] fallaces & simulatas inter se ac Lesbiam contumelias ad simulandum atque occultandum amorem plerumque factas fuisse scribit.

C v i.] in quam Lesbiam.

E a d e m *iurgia.*] opprobria.

T o t i d e m.] quod mihi dixit.

A s s i d v e *deprecor.*] frequenter detestor, vel execror; vel depello, vel abominor. sic enim Cat. eadem se facere dicit quaerens veniam, quod & malediceret ei palam, respueretque & recusaret, detestaretúrque assiduè, & tamen eam penitus deperiret: haec est Auli Gellij elegans expositio.

PALLADIVS FVSCVS.

L e s b i a *mî dicit.*] Deprecari propriè est arcere siue repellere. Lesbia amica Catulli vt amorem suum occultaret, poëtae semper maledicebat, id quod Catullus se quoque facere confitetur, licet Lesbiam depereat.

M i.] mihi, eadem scilicet mala.

D e p r e c o r *illi.*] in illam repello.

ACHILLES STATIVS.

D i s p e r e a m, *me nisi Lesbia amat.*] In manuscriptis, *Lesbia, me dispeream nisi amat.*

C v i *ego quasi eadem totidem.*] Incidi in veteres libros A. Gelli. in VI. vero eius libro, vbi hic Catulli versus legitur, sic erat scriptum, *Quo signo qua sin totidem mox deprecor illi.* itaque coniecturam feci legendum, *Quo signo, quasi enim totidem mox deprecor illi.* Fuerat, opinor, sic scriptum. Quo signo, quasi enim totidem. Simili errore factum, sin, quoque opinor in Proemio, quo Hieronymus, Eusebij Chronicon interpres, vtitur, in il-

lis eius verbis, *Nec ignoro, multos fore, qui, soluta libidine detrahendi omnibus, quod vitari non potest, nisi qui omnino nil scribit, huic volumini geminum dentem infigant. calumniabuntur in tempora, conuertent ordinem, res arguent, syllabas ventilabunt*, & quæ sequuntur. Quibus in verbis. In mutandum omnino in Enim, fuerat enim scriptum enim. Sic autem & Cic. iunxit in Lælio, *Quasi enim ipsos induxi loquentes*. Deprecari autem sic dixit, vt & Ennius in Erechtheo, *Quibus seruitutem mea miseria deprecor*. Et Cresphonte, *Ego, cum mea vita parcam, letum inimico deprecor*.

M. ANT. MVRETVS.

LESBIA *mi dicit semper male.*] eiusdem penè argumenti est cum illo superiore, *Lesbia mi præsente viro*. Porrò, quod hic Catullus iram in muliere, & conuicia signum esse amoris docet, idem alicubi affirmat Propertius,

Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore graui femina nulla dolet.

QVO *signo? quasi eadem.*] in aliis, *Quo signo? quidem totidem*, vt in, *signo*, postrema vocalis non elidatur. Quod autem Gellius libri VI. cap. XII. verbum *deprecor*, hoc loco valere ait, detestor, execror, depello, abominor, mihi quidem nullo modo probari potest. neque enim dubium est, quin hoc Catullus dicat, se quoque vicissim Lesbiæ male precari, & tamen illius amore flagrare: quo modo & Gellius ipse exponit. ea vero sententia quomodo effici possit, verbo, hoc, ita vt ipse vult, accepto, equidem haud video.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DISPEREAM, *me nisi Lesbia amat.*] Alius ordo in veteri:

——*Lesbia me disperеam nisi amat.*

CVI *ego quasi eadem.*] Manifesto falsum etiam in manuscripto. At in veteribus Gellianis exemplaribus, quorum descriptionem penes nos habemus, legitur, *Quo signo? quasi non totidem*. Plana est sententia. Quod mihi Lesbia imprecetur, ego illud amoris significationem puto. Quare? quia ego contra totidem illi execror. sed disperеam, si nihilominus amo. Rectè Gellius *deprecor* interpretatur, amolior illud in caput eius. Nam quum aliquis male imprecaretur, qui audiebat, ἀντιπόδως respondebat, Quod quidem ætati tuæ atque capiti vertat. vt Aristophanes, εἰς κεφαλὴν σοί. Quicquid igitur imprecabatur Catullo Lesbia, id omne à se in eius caput imprecabundus amoliebatur. Precari nè sibi accidat, hoc est Deprecari propriè. Itaque rectè veteres Latini dicebant deprecari à capite & fortunis suis malam rem, aut periculum. ad verbum id Græcis est ἀποπέμπεσθαι. Conati sunt quidam Gellium super huius epigrammatis enarratione reprehendere. Sed næ ipsi frustra sunt. Non animaduerterunt Catullum totidem verbis eadem conuicia in caput Lesbiæ regerere. Itaque id plane est Deprecari à se alicui. Deprecari à se in aliquem. Nam nusquam factum, vt Deprecor A simpliciter sit imprecor. Neque Lesbia, quæ prima conuiciatur Catullo, potest videri propriè deprecari Catullo. Id enim non patitur Latini sermonis castitas. Sed Catullus, qui non vult hæc conuicia in se cadere, religione ac superstitione vulgari ea in eam regerit. idque, vt dixi, palam est Deprecari. Quin testimonium Ennij apud Gellium idem confirmat.

In Cæsarem. XCIV.

B *NIL nimium studeo Cæsar tibi velle placere,*
Nec scire, vtrum sis albus, an ater homo.

ANT. PARTHENIVS.

NIL *nimium studeo Cæsar.*] C. Iulium Cæsarem blanditiis poëtæ animum allicientem mordaci adulteriorum infamia distringit.

NEC.] s. studeo nimium tibi placere.

C SI.] pro & si, idest, quamuis.

OREM.] pro rogem, idest, interrogem, an sis saluus.

AN *alter.*] id est, dissimilis saluo, idest, non saluus. sed male te habeas: vt sis perditus.

PALLADIVS FVSCVS.

NIL *nimium studeo.*] Volens poëta insectari Iulij Cæsaris adulteria negat se dare operam vt illi placeat, & si roget vtrum idem Cæsar sit albus, hoc est, bonus & liberalis: an ater, hoc est, malus & sordidus. huius autem dicti in Cæsarem suppresso tamen poëtæ nomine meminit Quintilianus. D

ACHILLES STATIVS.

NEC *scire, vtrum sis albus, an ater homo.*] Idem, opinor, Plautus significans in Pseudolo, *Quem ego hominem nulli coloris noui.* Eiusdem quoque sententiæ est ironia Ciceronis in XIII. Philipp. *Magnum crimen senatus. de Theopompo summo homine neglecimus. qui vbi terrarum sit, quid agat, viuat denique, an mortuus sit, quis aut scit, aut curat.* Quintilianus in XI. dissimulato Catulli nomine, ne Cæsarem suum videlicet offenderet, huius loci meminit. *Negat*, inquit, *se magnifacere aliquis poëtarum, vtrum Cæsar ater, an albus homo sit: insania. Verte, vt idem Cæsar de illo dixerit: arrogantia est.* Sunt, qui desiderari ceteros versus putent huius epigrammatis. E

M. ANT. MVRETVS.

NIL *nimium.*] summum suum Cæsaris contemptum duobus versiculis indicat.

VTRVM *sis albus, an ater homo.*] hunc locum citat Quintilianus libro XI. suppresso, vt sæpe fit, auctoris nomine. est autem prouerbium ad

contemptum indicandum valens, & Ciceroni, & aliis vſitatum.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NIL *nimium ſtudeo.*] In Cæſarem & Mamurram ſcriptum hoc epigramma tetraſtichō. Nam profecto veteres editiones Parthenij recte hos quatuor verſus coniungunt, nempe hoc diſtichon cum ſequenti. Epigramma eſt prope ſimile illi Endecaſyllabo, *Othonis caput.* Nam vt ibi Cæſarem nihil aliud quam vapulare ἢ οἰμώζειν iubet, ita hic quid aliud videtur, quam αὐτὸν καταπεριξάνδρες eum valere iubere? Deinde dirigit ſermonem ad Mamurram ipſum, quem verbo B appellat, quod ſanctus Numa non nominaret.

In Mentulam. XCV.

MENTVLA mœchatur, mœchatur
Mentula certè.
Hoc eſt, quod dicunt, ipſa olera olla
legit.

ANT. PARTHENIVS.

MENTVLA.] Cæſar mentulatus.

IPSA *olera olla legit.*] prouerbium erat in adulteros mœcharum ſectatores, pædicones puerorum aucupes, olla legit olera, id eſt, vt olla colligit ac comprehendit olera, ſic mœchas colligit, & captat: Ac vt olera conueniunt ollæ, ſic mœcho conueniunt ſemper adulteria.

PALLADIVS FVSCVS.

MOECHATVR.] mœchas ſectatur.

IPSA *olera.*] olla legit: Vetus eſt in adulteros prouerbium.

ACHILLES STATIVS.

MENTVLA *mœchatur.*] Locus videri poſſet ex paronomaſia, ſi ſimiliora eſſent initia verborum, Mentulam mœchari, vt Ollam olera legere. Feſtus Pompeius in verbo Legere, *Legimus aut ſcriptum, aut olera.* Cum Mentulam igitur ipſum adulterij inſimularet, ſic Mentulam mœchari dicit, vt, Olera ollam legere, prouerbio dicitur. Sententia vero eiuſmodi eſt, vt, cum Mentulam hunc, ſiue quis alius adulter eſſet inſignis, cum Catullus aut ſe ipſe ſic excuſare fingatur, ſe E non mœchari, ſed mentulam ipſam; in ſuamque mentulam ſic culpam conferat, vt vulgo dici etiam ſolet, non olera aliquem furatum, ſed ollam ipſam. at eius furtum fuiſſe conſtat, cuius etiam ſit olla, vt adulterum etiam eſſe eum dubitādum non ſit, cuius illæ ſint obſcœnæ partes. Legere autem, Furari eſt. quo verbo Horat. ceterique ſic ſunt vſi. Hinc Sacrilegium. De furto olerum, in obſcœnis luſibus.

Fur abeas pœnam, licet indignere, ferámque,
Propter olus dices, hoc ego propter olus.

A Quod expreſſum videtur ex illo,

Ἀλλ' ὡς ἀντιβάμαι, φῶρ ἐμβαλεῖν, τόδ' ἐρωτᾷς
Τὸν ἐλέγχου λαχάνων ἕνεκα τῶν λαχάνων.

M. ANT. MVRETVS.

MENTVLA *mœchatur.*] impurum quendam, quem ficto nomine, opinor, ob partis obſcœnæ magnitudinem, Mentulam vocat, ac fortaſſe Mamurram ipſum. de quo ſupra loquens, ſcripſit, *Vt iſta veſtra, &c.* ſed ſiue eum, ſiue alium quempiam, vt mollem, & alienarum vxorum corruptorem, hoc diſticho inceſſit.

IPSA *olera olla legit.*] videtur vulgare dictum B fuiſſe in eos, qui cum ad aliorum libidinem antea proſtitiſſent, aut etiam proſtarent, quærerent ipſi quoque, vbi libidinem exercerent ſuam. tale eſt, *Tute lepus es, & pulpamentum quæris.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

IPSA *olera olla legit.*] Si hoc prouerbium Græce efferretur, non aliter poſſet, quam ita: αὐτὴ ἡ χύτρα ἑαυτῇ λαχανίζει. Videtur fuiſſe ἀκροτελεύτιον Heroicum --χύτρα λαχανίζει αὐτῇ ἑαυτῇ. quod eſt elegans. Simile Homericum -αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

C In Smyrnam Cinnæ. XCVI.

SMYRNA mei Cinnæ nonam poſt denique meſſem,
Quàm cœpta eſt, nonámque edita
poſt hiemem:
Millia cùm intereà quingenta Hortenſius vno
* * *
D *Smyrna cauas Atracis penitus mittetur*
ad vndas.
Smyrnam incana diu ſæcula peruoluent.
At Voluſi annales apuam porgentur
ad ipſam,
Et laxas ſcombris ſæpe dabunt tunicas.
E *Parua mei mihi ſunt cordi monumenta*
ſodalis.
At populus tumido gaudeat Antimacho.

ANT. PARTHENIVS.

SMYRNA *mei Cinnæ.*] Hortenſij Voluſij nugatoriis inſulſiſque annalibus anteponit Cinnæ poëtæ Smyrnam opus ingenui, multique laboris, ac tandem nouem annis abſolutum: ſi-

gnificat itaque poëta Cinnæ Smyrnam perpetuis sæculis duraturam. Volusij autem insulsas chartas quantò velociùs scriptæ sunt, tantò citius esse perituras. Ait igitur poëta sibi placere pauca, & breuia scribere: quamuis populares immensis voluminibus delectentur, eaque summopere laudent. Smyrna fuit Amazon, quæ Ephesum tenuit: ab ea & vrbs & homines dicti sunt, sicut à Sisyrba quidam ex Ephesiis Sisyrbei dicebantur: & locus quidam Ephesi Smyrna dicebatur, quod Hipponax significat, vt pone vrbem in Smyrna habitabat. Smyrnei ab Amazone dicti Smyrnam antiquam condiderunt. Cinna igitur egregium & elegans de Smyrna Amazone poëma fecit nouem annis elaboratum, ac perfectum opus: quod commentatus fuit nobilis grammaticus L. Crassitius genere Tarentinus ordinis libertini, cognomine Pasicles, mox à se Pansa transnominatus. de quo adhuc viuo nobile claruit epigramma. *Vni Crassitio se nubere Smyrna probauit: Desinite indocti coniugio hanc petere. Soli Crassitio se dixit nubere velle: Intima cui soli vota sua extiterunt.* Scripsit præterea idem Cinna epigrammata, quorum testimoniis & auctoritate vtitur Marcellus.

NONAM *post hyemem.*] sic etiam Quintili. de hoc opere scribit: *Cinnæ Smyrnam nouem annis accepimus scriptam & Panegyricum Isocratis quam parcissimè decem annis dicunt elaboratum.*

VILIA *quingenta.*] scilicet carmina siue poëmata: numerus finitus pro infinito est. Hic cum manifestè desit pentameter versus ac eius subtractione sensus poëtæ sit imperfectus, nemini bono viro arrogans aut impudens, sed potius pium atque officiosum factum meum videri debebit, si meo ciui Catullo de patria nostra benemerito versum meum hoc in loco quousque suum poëta inueniet mutuabo: immo etiam si poëtæ placuerit benignè donabo: omnia enim amicorum inter bonos ciues sunt communia. suppleatur itaque hic Catulli nostri locus hoc modo:

Vilia cum interea quingenta Hortensius vno
In pede stans fixo carmina ructat hians.

Hoc mihi faciendum quoque fuit superius, vbi Adonium versum vetustate abolitum Sapphicis suppleui. Hortensij autem carmina inuenusta fuisse scribit Gellius lib. penul.

INTEREA.] dum Cinna nouem annis Smyrnam elaborat.

ATRACIS *ad vndas.*] id est, ad Penei Tempe propinqua vrbi Atraci. est enim Atrax vrbs Thessaliæ iuxta quam Peneus labitur. extenditur autem vrbs in stadia quadraginta. item Atrax est fluuius Aetholiæ ab Atracibus populis descendens, Ionio mari infunditur, vt scribit Plin.

IN *cana.*] annosa, valde cana. Virg.

Incanáque menta Cyniphi tondet hirci.

PERVOLVENT.] quadrisyllabum est per syllabæ diuisionem.

PADVAM *morientur ad ipsam.*] sic omnes antiqui codices hanc lectionem seruant: alij verò recentiores legunt, *Pataui morientur ad vrbem:* prior tamen lectio non videtur improbanda. Nam vrbium nomina quandoque aut mutantur, vt Ephire, Corynthus, & Dicharcum Puteoli dicuntur: aut litteris & syllabis detractis, siue mutatis proferuntur, vt Argos Hippion primùm, deinde Argitippa, postremò Arpi dicta est vrbs à Diomede condita. sic ex Pauio non absurde proferri potest Padua. hæc autem nobilissima Venetiæ ciuitas magis nota est Virgiliano carmine quàm à me possit ex Strabone, aliísque cosmographis declarari. Volusius igitur Hortensius Patauinus scriptor in patria suos conscripserat annales: quod ait poëta Pataui vrbem non esse egressuros, sed ibi breui tempore ignobiliter perituros.

TVNICAS.] inuolucra, & tegumenta.

SCOMBRIS.] vilissimi pisciculi sunt scombri. hinc Martialis sumpsit,

Nec scombris tunicas dabis molestas.

Persius:

Linquere nec scombros metuentia carmina nec thus.

POPVLVS.] qui magis laudat ingentia quam docta volumina.

TVMIDO *Antimacho.*] idest, prægrandi opere Antimachi. tumido autem vel propter operis magnitudinem tumentem, vel propter tumidum poëtæ stylum atque ingenium. Antimachus fuit poëta Cyclicus, id est, circulator hominum, circulis carmina decantans. qui aggressus belli Thebani materiam, vigesimum quartum volumen impleuit, antequam duces vsque Thebas perduceret.

PALLADIVS FVSCVS.

SMYRNA *mei Cinnæ.*] Ideò laudat Smyrnam Cinnæ: quod opus Cinna, vt testatur Quintilian. nouem annis scripserat: vt vituperet tum Hortensium, qui stans vno in pede quingentos versus ructabat veriúsque faciebat, tum annales Volusij: quibus nihil ineptius nihilque insulsius legi poterat.

ATRACIS *mittetur ad vndas.*] Smyrna, inquit, in Græciam quoque missa videbit vndas Atracis. Est autem Atrax fluuius Aetoliæ, qui Ionio mari infunditur: auctor est Plin.

PERVOLVENT.] diæresis.

AT *Volusi annales.*] de quibus supra. *Annales Volusi cacata charta.*

PATAVI *morientur ad vrbem.*] Smyrna, inquit, opus Cinnæ in Græciam quoque penetrabit: at annales Volusij mutos Patauinos, intra quos sunt scripti, non egredientur.

SCOMBRIS.] scombri sunt pisces, quibus sub aquis sulphureus est color, extra qui cæteris.

SINT *cordi.*] placeant.

PARVA *monumenta.*] pauca carmina, hîc proculdubio eos taxat qui versus facientes, eorum numero student non bonitati.

ANTIMACHO.] de quo ita Quinti. *Contra in Antimacho vis & grauitas & minime vulgare eloquendi genus habet laudem: sed quamuis eis secundos ferè grammaticorum consensus deferat: & affectibus & iocunditate & dispositione & omnino arte deficit. Idem cum bellum Thebanum canere decreuisset quatuor & XX. volumina scripsit priusquam duces Thebas perduxerit.*

ACHILLES STATIVS.

SMYRNA *mei Cinnæ.*] Commentario Smyrnæ edito, L. Crassitium Tarentinum inclaruisse scribit Tranquillus, aut quisquis alius auctor est libelli de inlustribus Grammaticis. Et Smyrnam Cinnæ, puto, intelligit. Carisius in I. *Huius tabis, Cinnam in Smyrna, nullo auctore, dixisse, tradit.* Quintilian. in x. de emendatione, *Nam, quod Cinnæ Smyrnam nouem annis accepimus scriptam, & Panegyricum Isocratis quem parcissime decem annis dicunt elaboratum, ad oratorem nihil pertinet.*

NONAM *post denique messem, Quam cœpta est, nonamque edita post hiemem.*] Vergil. eodem modo æstiuum tempus significans, Messem dixit: hibernum autem, Frigoris nomine.

Ante focum si frigus erit, si messis in vmbra.

MILLIA *cum interea.*] Ἀνακόλουθος mihi videtur. itaque aut aliquid ante hunc versum desit, aut hic suo loco positus non est. quod mihi eo probabilius videtur, quod Volusi annales breui tempore perituros esse significet, nisi quis & Hortensium & Volusium simul esse reprehensos contendat. Suspicabar tamen sic legendos hos versus,

Smyrna mei Cinnæ, nonam post denique messem,
Quam coepta est, nonamque edita post hiemem.
Smyrna canas Atracis penitus mittetur ad vndas,
Smyrna incana diu sæcula peruoluet.
At Volusi annales———
Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.

SMYRNA *canas Atracis.*] Aut Atracis, aut Atacis legendum videtur. Vtriusque enim meminerunt auctores optimi. Propert. in I.

Et dicam, Atracius licet hac considat in oris.

Et Tibullus,

Cum tremeret forti milite victus Atax.

Cauam vndam dixit etiam Ouidius in Ibin,

Qua caua de Stygiis fluxerat vnda vadis.

Et Verg. in I. Georg. Caua flumina.

Implentur fossæ, & caua flumina crescunt.

Et idem alibi Catullus, Cauam paludem dixit.

SMYRNA *incana diu sæcula peruoluit.*] Sic est in plerisque manuscriptis. Si, Peruoluet, feceris, versum reddideris haud paullo meliorem. Cana sæcula & Martialis dixit, in VIII.

Nec pateris, Cæsar, sæcula cana mori.

Ac, si Martialis Catullum in eo est imitatus, quod mihi quidem verisimile fit, dubium non est, quin Catulli versus, vt in quibusdam manuscriptis est, ita legendus sit, *Smyrnam cana diu sæcula peruoluent.* etenim quod ante, M, fuit, mutatum est in In, præpositionem, verbo autem Peruoluet apex detractus, qui N. valet. Propert. in II. canos etiam dixit annos,

Quid si iam canis ætas mea candeat annis.

AT *Volusi annales.*] reliquum huius versus deest. nisi, Paduam, in manuscriptis libris male legitur, ac pro eo fuit aliud in optimis libris, quod cùm scribæ librarij fœdissime corruperint, cuiusmodi fuerit, coniectura adsequi non possumus.

ET *laxas scombris.*] Hac mali poëtæ pœna adficiũtur. de qua sæpe Martialis, aliique auctores.

A PARVA *mei mihi sunt cordi monumenta.*] In libris manuscriptis, &, Sunt, & Sint. ab omnibus autem quos viderim, abest verbum vltimum. Quin vero hoc aliud sit epigramma, aut pars potius epigrammatis, ne dubitandum quidem videtur.

AT *populus tumido gaudeat Antimacho.*] Acron, vetus Horati interpres, illis Horati verbis,

Nec sic incipies, vt scriptor Cyclicus olim
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.

Aut nomen proprium, inquit, *Cyclicus, & significat Antimachum poëtam. mali verò poetæ imperitæ multitudinis auribus esse solent fere iucundiores.* Euripid.
B in Hippolyto Coron. ἔχει δὲ μοῖραν, καὶ τόδ'· οἱ γὰρ ἐν σοφοῖς φαῦλοι, παρ' ὄχλῳ μουσικώτεροι λέγειν.

M. ANT. MVRET.

SMYRNA.] commendat poëma Cinnæ, quod ipse Smyrnam inscripserat: in eóque perpoliendo totos nouem annos elaborarat. Fieri potest, vt ad hanc commendationem respexerit Horatius in epistola ad Pisones, cum præciperet, duratura poëmata in nonum annum premenda esse. Porrò hunc Cinnam esse, qui in tumultu illo, quem Antonius in Cæsaris interfectores concitauerat, necatus est errore populi,
C ob similitudinem nominis ipsius cum vno è coniuratis, admonet Victorius: idemque proponit duos versus sumptos è Seruio, quos eruditus ille grammaticus ex hoc Cinnæ poëmate citarat. sunt autem hi,

Te matutinus flentem conspexit Eous.
Et flentem paulò vidit post Hesperus idem.

MILLIA *cum interea.*] hic versus intelligi non potest, nisi in vetere aliquo libro insequens, qui temporum iniuria amissus est, reperiatur. sed & ante hunc ipsum, in veteribus libris tantum spatij est, quantum vni, quod minimum sit, disticho scribendo sit satis. has plagas sanare ipsi non
D possumus. non enim vates, aut harioli sumus. procul autem à nobis absit tantus furor, vt imitemur, quod, malo exemplo, alij quidam fecerunt: quibus religio non fuit, vbi quid deerat, hasce sacrosanctas venerandæ antiquitatis reliquias, admistis ineptiis suis, intolerabili audacia, contaminare. Licuerit fortasse diis, (vt in fabulis est) cum humerum Pelopis Minerua depasta esset, veri loco eburneum apponere: nobis certe non licet, vbi veros bonorum poëtarum versus absumpsit vetustas, alios à nobis confictos eorum loco substituere. docui supra, hoc à Parthenio in versibus Sapphicis factum fuisse: idem (vt incitata semel audacia non nouit modum:
E multísque, vt iterum peccare audeant, satis argumenti est semel peccasse) hoc etiam loco fecit, pentametrúmque suum Catulli versibus immiscuit. id ipse fassus ni esset, hodie fortasse versus ille sine vlla dubitatione Catullo tribueretur. itaque verba ipsius ascribam:

HIC.] quum manifeste desit pentameter versus, ac eius subtractione, sensus poëtæ sit imperfectus; nemini bono viro arrogans, aut impudens, sed potius pium atque officiosum factum meum videri debebit, si meo ciui Catullo,

de

de patria nostra bene merito versum meum, hoc in loco, quousque suum poëta inueniet, mutuabo: immo etiam, si poëtæ placuerit, benigne donabo. omnia enim amicorum inter bonos ciues sunt communia. suppleatur itaque hic Catulli nostri locus hoc modo, A

Millia cum interea quingenta Hortensius vno
In pede stans fixo carmina ructat hians.

hoc mihi faciendum quoque fuit superius, vbi Adonium versum vetustate abolitum Sapphicis suppleui. Apage ista officia, Partheni: non placent. nemo, opinor, sanus bonos libros isto modo iuuari velit. vt in signis, ita in scriptis quoque veteribus, si quam labem importauerit vetustas, mutila potius ipsa nos, quam à recenti aliquo artifice interpolata, delectant. At, tanquam vnum insanisse non esset satis, accessit alius, qui spatium hoc ita impleret, B

Millia cum interea quingenta Hortensius vno
Accipit autumno versuum ab Antimacho.

Mihi ita videtur, quæ in bonis auctoribus desunt, vt è libris veteribus, adhibita ope ingeniosorum, exercitatorumque hominum, suppleantur, omni studio laborari oportere: sin minus, τὸ δ᾽ ἀλλότριον, φασὶ, κακόν, cauendum quidem certe esse, ne quid alieni admisceatur.

Atracis.] in aliis *Athesis.* ego, etsi nihil affirmo, malim tamen, *Atracis*: pro eo, quod verba illa, *Penitus mittetur*, fluuium aliquem longinquum, non autem finitimum & in propinquo situm, exposcere videntur. C

Incana.] valde cana. καταχρηστικῶς autem, quod hominum proprium est, tribuit tempori.

At *Volusi annales*.] huius quoque versus reliqua pars in veteribus libris desideratur. Sunt qui legant, *At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam.* in quo etsi veteres libros auctores habere se dicunt, mihi tamen non probant; qui Paduæ nomen barbarum esse, & veteribus incognitum arbitrer. alij, *Patauî morientur ad vrbem*: quod reciperem, si veterũ librorũ testimonio niteretur. D

Parva *mei*.] huius quoque versus extrema dictio, quæ esse debeat, incertum est. abest à veteribus, quos ego quidem viderim. itaque itum est in varias sententias, aliis legentibus, *poeta*, aliis, *sodalis*, aliis *laboris*: quam postremam scripturam Petrus Victorius in duobus veteribus libris vidisse se dicit. ego, quid fugiam, vt ille dicebat, habeo; quid sequar, non habeo. illud, *laboris*, etsi Victorio probatur, mihi, vt verum fatear, non placet. inconcinna enim videtur subita illa è commendatione Cinnæ ad laudem sui operis transitio. *sodalis*, reciperem, si quid probare possem, à quo veterum librorum abesset auctoritas. non enim magnum est, quod adfert Victorius, parua monimenta vocari vix posse, carmina tanto studio per tantum tempus elaborata. scimus libros bonitate, non mole, spectari, exiguasque gemmas ingentibus sæpenumero colossis anteponi. E

Antimacho.] tumidum hunc & inflatum Horatiani interpretes poëtam fuisse aiunt: qui bellum Thebanum scribere ingressus, ante quam Thebas duces perduxisset, viginti quatuor volumina confecerit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Millia *quum interea quingenta Hortensius.*] De quo Ouidius:

Nec minus Hortensi, nec sunt minus improba Serui
Carmina———

Gellius libro decimo nono, capite nono: *Nam Laeuius implicata, & Hortensius inuenusta, & Cinna illepida, & Memmius dura.*

At *Volusi annales.*] Varie legitur versus huius altera pars. Noster liber: *At Volusi annales paduam portentur ad ipsam.* Primum pro *Paduam* vide, an expediat *apuam* legere: deinde pro *portentur*, *porcentur*: C, pro T, more aut potius errore vsitato librariorum, quod supra toties memini me admonere. quod etiamnum in meliore parte codicum scriptorum legitur. Et est vsitatissima C, cum T, commutatio, *Apua*, ἀφύη. vt etiam Glossarium notat. pisciculum esse omnes sciunt. Recte igitur cum scombris congrueret. Latini veteres raro aspirabant. Sic apud Ciceronem *Xenopenteius.* apud eundem *Rupa studium*, pro *Rupha.* Rufus, Græco ὑποκοριστικῷ detortum, ῥουφᾶς. Lucius, λουκᾶς. Athenæus dixit, εἰς [illegible]), vt hic videtur dictum porrigi ad apuam, vel ad scombros.

Parva *mei mihi sunt cordi monumenta sodalis.*] Illud sodalis homines male feriati commenti sunt. Nam vetus scriptura constanter habuit, *laboris*, non *sodalis*, vt plane extat in nostro. Quod rectissimum est. Manifesto Catullus per concessionem laudari vult Cinnæ sui Smyrnam, quæ per annos nouem elaborata sit. sed ingenue fatetur sibi displicere nugas obscuras. Nam obscurissimum fuisse poëma illud indicat Martialis:

Iudice te maior, Cinna, Marone fuit.

Quare quum etiamnum paulo post mortem ipsius Cinnæ vulgo non intelligeretur, extitit tandem, qui eam Commentario luculento illustraret, Crassitius Grammaticus, quo nomine magnam à studiosis iniuit gratiam. Quare, quum Catullus de Cinnæ sodalis sui opere ita aperte loquatur, furor est aliter interpretari. Quid? nonne Propertius, qui toties se Callimachi imitatorem profitetur, qui se Callimachum Romanum vocat, nonne, inquam, ille palam eum propter poëma Aetia inflatum vocat? Sed quid opus est alieno testimonio? en ipse αὐτὸς μάρτυς hoc dicit. Quod autem aiunt vltimam vocem huius versiculi in scriptis deesse, ego nescio quos scriptos libros mihi obiiciant, quum illorum nulli noster bonitate neque vetustate cedat. præterea *Monimenta laboris* Parthenius olim edidit. Denique eodem modo Martialis loquutus est.

Accipe non Pario nutantia pondera saxo,
Quæ cineri caurus dat ruitura labor:
Sed fragiles buxos, & opacas palmitis vmbras,
Quæque virent lacrymis roscida prata meis;
Accipe, care puer, nostri monimenta laboris.

hoc est, accipe non quod præstare non possumus, sed quæ sunt virium nostrarum, fragiles palmites, & serta. Hæc pulchre hanc lectionem

tuentur, vt nihil melius. Deinde quum Catullus poëmatia, & opuscula tantum conscripserit, palam innuit sibi non placere magnum illud poëma Smyrnæ, sed monimenta sui laboris: hoc est poëmatia, odaria, & epigrammata, non obscuras illas rhapsodias. Nam non solum elaboratum fuisse oportet, cui nouem annos impenderat, sed & magnum, propter eandem caussam. in quo plane imitatur Callimachum, qui ita in hymnis canit:

> Ὁ φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν,
> Οὐ φιλέω τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐχ ὅσα πόντος ἀείδει.

Enarrator: ἐγκαλεῖ διὰ τούτων τοὺς σκώπτοντας αὐτὸν μὴ δύνασθαι ποιῆσαι μέγα ποίημα. Quam luculente hæc faciunt ad rem nostram? Athenæus: Καλλίμαχος ὁ γραμματικὸς ἔλεγε τὸ μέγα βιβλίον ἴσον εἶναι τῷ μεγάλῳ κακῷ. Quam sententiam extulit Martialis ita:

> *Cui legisse satis non est epigrammata centum,*
> *Nil illi satis est, Cæditiane, mali.*

A ᴛ *populus tumido gaudeat Antimacho.*] Martial.

> *Scribat carmina circulis Palæmon,*
> *Me doctis iuuat auribus placere.*

Virgilius in Prolusionibus:

> *Si patrio Græcos carmine adire sales*
> *Possumus, optatis plus iam procedimus ipsis.*
> *Hoc satis est. pingui nil mihi cum populo.*

Aɴᴛɪᴍᴀᴄʜᴏ.] Iam manifesto confirmatur id, quod diximus, Cinnæ Smyrnam poëma & magnum, & obscurum fuisse. propterea enim comparat id Thebaidi Cyclicæ Antimachi. κυκλικὴ poësis dicitur, quæ totam historiam ab ipsis initiis ad finem vsque ordine recitat. vt si bellum Troianum à gemino ouo exordiaris, vt Helenæ natales principium sint operi, quia illa fuit caussa illius belli. quod fecit ille, qui μικρὰν Ἰλιάδα, quæ aliter Κυπριακὰ inscribebatur, contexuit. cuius initium, Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον. Eam Iliadem Læuius vetustissimus poëta Latinis versibus reddiderat. quanquam D dubitari potest. an τὰ Κυπριακὰ & μικρὰ Ἰλιὰς sit idem. Nam τῶν Κυπριακῶν auctorem facit Dicæogenem Aristoteles, τῆς μικρᾶς Ἰλιάδος Stasinum alij. vnde Cypriæ Iliados nomine à Charisio citatur. Sic Antimachus orsurus bellum Thebanum ab interitu Meleagri incepit. à quo ad reditum Diomedis xxiiii. libros continuauit. Vide si totam poësim ad vmbilicum perduxisset, quod morte præuentus non potuit, quot millia versuum ad mortem Oedipodis effudisset. Istud igitur poëma, quia prolixo ordine ac recto tractu totam rem exequitur, κύκλος dicitur à Græcis. eoque nomine sæpe ab Aristopha- E nis interprete alia poësis nomine κύκλου citatur: item à Themistio ἀναλυτικῶν ὑστέρων libro primo οἱ δὲ λέγονται καὶ ἔπη τινὰ κύκλος, ἀλλ' οὐκ ἐξ τούτων κύκλον ἐπιλαβῶν τὸ γεωμέτρην ὁ τοῦ κύκλου λόγος. Dicitur quoque eadem poësis κυκλικὸν ἔπος. Athenæus libro vij. ἔχαιρε δὲ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ, ὡς καὶ ὅλα δράματα ποιῆσαι κατακολουθῶν τῇ ἐν τούτῳ μυθοποιίᾳ. Nam κύκλῳ διδάσκειν est, nihil omittere in docendo: κυκλοπαιδεία, est omnium artium disciplina, quæ & ἐν κύκλῳ παιδεία dicitur. κύκλῳ vel A περιόδῳ θεραπεύειν est, quod Latinus auctor simpliciter dixit, *circulo curare*. & simplici verbo dicitur περιοδεύειν: vt apud Epiphanium: ποικίλαις περιοδεύσεσιν. In Glossis: *cura*, θεραπεία. *Circitura*, περιοδεία. *Aeger*, νοσῶν. Quare non obscurum est, quare Cyclicum scriptorem vocauit Horatius Stasimum, auctorem τῆς μικρᾶς Ἰλιάδος. κύκλον idem Horatius vertit *orbem*.

> *Nec circa patulum vilemque moraberis orbem.*

Quæ omnia interpretes Horatiani in suis illis immanibus Commentariis non docent. Hoc igitur ridet Catullus in Cinna, qui videtur historiam Cinaræ, & Myrrhæ, quam Smyrnam vocat, altius, quam poëtam decet, repetisse. & B sane oportet Cinnam circa patulum orbem historiæ moratum, qui nouem annis illud opus in incude habuerit. Nam quid eum potuit adeo remorari vnus partus aut amor Myrrhæ, si non alia, quibus leuiter defungi poterat, curiosius ab ignotis historiis repetisset? Propterea sane opus illi fuit docto Delio natatore L. Crassitio, intima cui soli illius poëmatis nota extiterint. Quare desinant docti de iudicio Catulli, quod de poëmate amici sui facit, dubitare. Certo certius enim est, non illi placere illud poëma & propter molem, & propter obscuritatem: quanquam C τὸ σύγγραμμα & eruditionem & diligentiam in eo laudet, & acceptum fore doctis dicat.

Ad Caluum de Quinctilia.
XCVII.

> *Si quidquam mutis gratum, acceptúmque sepulchris*
> *Accidere à nostro Calue dolore potest,*
> *Cum desiderio veteres renouamus amores,*
> *Atque olim missas flemus amicitias,*
> *Certè nō tāto mors immatura dolori est*
> *Quinctiliæ, quantum gaudet amore tuo.*

ANT. PARTHENIVS.

S ɪ *quisquam mutis.*] ingeniosum Epigramma quo Caluum poëtam Quintiliæ puellæ suæ morte miserabiliter mœrentem, ac funus egre- E giis Elegis deflentem consolatur, dicens, si aliquid ex dolore nostro potest fieri gratum mortuis, non tantum immaturam mortem suam Quintilia doluit, quantum gaudet singulari atque immenso erga se Calui amore.

Dᴏʟᴏʀᴇ.] dolenti desiderio nostro.

Rᴇɴᴏᴜᴀᴍᴜs.] magis accendimus mortuos desiderando. Desiderium est libido vel cupiditas videndi eius qui nondum adsit, vt Cicero diffinit.

Qᴠɪɴᴛɪʟɪæ.] huius puellæ suæ funus Caluus elegantibus Elegis defleuit. Cuius rei testis est Propertius in secundo scribens.

Hoc etiam docti confessa est pagina Calui:
Cum caneret miseræ funera Quintiliæ.

PALLADIVS FVSCVS.

SI *quicquam mutis.*] Caluus poëta amauit Quintiliam puellam, cuius etiam interitum carmine defleuit: quam rem his versibus testatur Propertius.

Hoc etiam docti confessa est pagina Calui.
Cum caneret miseræ funera Quintiliæ.

Catullus igitur laudans Calui amici sui pietatem, ait Quintiliam, si quid tamen à viuis fieri potest, quod mortuis gratum acceptumque sit, non tam immaturo obitu dolere quam immenso Calui amore lætari.

MVTIS.] non loquentibus.

IMMATVRA.] immitis, acerba, ante diem properata.

ACHILLES STATIVS.

SI *quidquam mutis gratum, acceptumque sepulchris Accidere à nostro, Calue, dolore potest.*] Eodem modo Cicero in 1. Epist. ad Q. fratrem. *Sed certe à te mihi omnia semper honesta, & iucunda ceciderunt.* In eandem sententiam Isocrates in Euagora, ἡγοῦμαι Εὐαγόραν, εἴπερ εἰσὶν αἰσθήσεις τοῖς τετελευτηκόσι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων, εὐμενῶς μὲν ἀποδέχεσθαι καὶ ταῦτα, καὶ χαίρειν ὁρῶντα τήν τε περὶ αὑτὸν ἐπιμέλειαν, καὶ τὴν σὴν μεγαλοπρέπειαν. Et Sophocles in Electra, ὥστε τοῖς τεθνηκόσι τιμὰς προσάπτειν, εἴ τις ἔστ᾽ ἐκεῖ χάρις. Itaque veteres, an vita functis eorum, quæ hic agerentur, sensus esset, vehementer dubitarunt. eaque de re disputat Aristoteles in 1. ἠθικῶν Νικομαχείων.

ATQVE *olim missas flemus amicitias.*] In manuscriptis aliquot, Amissas. Sic Verg. in III. Georg.

——*Tum quos amisit inultus amores.*

M. ANT. MVRETVS.

SI *quidquã.*] cõmendat Calui officiũ pietatemque in deploranda puellæ Quintiliæ, quam viuam adamauerat, præpropera morte; aitque, si quis in vmbris, eorum, quæ hic geruntur, permanet sensus, non tam dolere ipsam, quod ante diem extincta fuerit, quam gaudere eo amoris testimonio, quod ediderit Caluus. hac ipsa de re Propertius,

Hoc etiam docti confessa est pagina Calui,
Cum caneret miseræ funera Quintiliæ.

MVTIS *sepulcris.*] sepulcrorum nomine, eos ipsos, qui è vita excesserunt, intelligit κατὰ συνεκδοχήν. Mutos autem vocat, quod antiqui silentes pro mortuis etiam dixere, vnde & regna silentia, inferos, & silicernium, cenam, quæ silentibus poneretur. sic infra,

Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.

Propertius,

Sed frustra mutos reuocabis Cynthia manes.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

CVM *desiderio veteres renouamus amores.*] Repone, *Quo desiderio.* ita & scriptis & antiquitus editis libris postulantibus.

In Æmilium. XCVIII.

Non ita me dij ament, quidquam referre putaui,
Vtrum ne os an culum olfacerem Aemilio.
Nil immundius hoc, nihil est immundius illo:
Verùm etiã culus mũdior, & melior,
Nam sine dentibus est; hoc dentes sesquipedales,
Gingiuas verò ploxemi habet veteris.
Prætereà rictum, qualem defessus in æstu
Meientis mulæ cunnus habere solet.
Hic futuit multas, & se facit esse venustum,
Et non pistrino traditur, atque asino?
Quem si qua attingit, non illam posse putemus
Ægroti culum lingere carnificis?

ANT. PARTHENIVS.

NON *ita me dij ament.*] Aemilij cinædi obscœnos mores, mollésque culi delitias, atque oris ridiculam deformitatem, postremò infinitas libidines lepidè mordet.

REFERRE.] interesse, differre.

OLFACEREM.] gustarem, odorarer.

NIHIL *mundius hoc.*] nihil est tersius hoc culo Aemilij.

NIHILOQVE *immundius illud.*] id est, illud Aemilij os est culo immundius nihilo, imò etiam culus est mundior ore. Alia tamen lectio est, vt legatur *Nihil estque immundius illo*: scilicet ore.

NAM *sine dentibus est.*] ideo melior quia culus dentibus carens mentulas non lædit: os autem dente sesquipedali lædit irrumantes.

SESQVIPEDALIS *dentis.*] accusatiuus pluralis. sesquipedalis est vnius pedis cum dimidio, vt sesquihora, hora cum dimidia.

GINGIVAS *veteris.*] marcidas, rubiginosas.

PLOXEMO.] in ore marcido. Nam transpadani nostri priscis temporibus ploxemum dixerunt capsam. Hinc illud Quintiliani libro primo: *Sicut Catullus ploxemum circa Padum inuenit.* Ploxemo igitur pro ore posuit per metaphoram à cariosa capsa sumptam.

A

PALLADIVS FVSCVS.

NON *ita me dij ament.*] Inuehitur in Aemilium: os cuius alioquin turpissimum maxime ferebat.

REFERRE.] distare.

OLFACEREM.] odoraret.

MVNDIVS *hoc nihil est.*] nihil est, inquit, culo Aemilij purius, nihilque ore spurcius.

NAM *sine dentibus.*] probat culum Aemilij esse ore meliorem: nam culus, inquit, caret dentibus, cum os habeat dentes longissimos, & gingiuas putres exesasque, quales habet vetus capsa.

B SEQVIPEDALES.] pedis vnius cum dimidio alterius: hoc enim significat sequipes.

PLOXEMI.] Quintilianus in primo Institutionum scribit Catullum circa Padum inuenisse ploxemum, non tamen dicit quid sit illud: quod declarat Sextus Pompeius his tribus verbis, *ploxemum capsam dixerunt.*

HIC.] *Aemilius.*

QVEM *si qua attingit.*] ait Catullus eam mulierem quæ Aemilio sui copiam facit, posse lingere culum carnificis ægroti.

ACHILLES STATIVS.

C NON, *ita me di ament.*] I. longum in extremo, incipiente etiam dictione, quæ à vocali quacumque inciperet, fere non elidebant, idque nunc corripuere, nunc vero etiam produxere. Obseruatum hoc multis in locis apud Vergilium.

VTRVM *os an culum.*] Sic omnes libri manuscripti. Guarinus legit, Vtrum ne os.

NIL *immundius hoc, nihil est immundius illo.*] Dupliciter hic versus in libris manuscriptis legebatur. primum sic. *Nihilo mundius hoc nobisque immundius illud.* Deinde etiam sic, *Mundius hac nihil est, nobisque immundius illud.* quod rectius iu-D dico, si Hæc tantum in Hoc mutetur. Nobis, inquit, nihilo mundius est hoc, id est ipsum os Aemili, quam illud quod immundius haberi solet, Culus nimirum ipse. Prior etiam lectio stare possit, si, Que, tantum mutaris in, Quam. nam Nihilo contracte non minus legi potest, quam Nihil, quod factum à veteribus poëtis nonnumquam inuenio.

NAM *sine dentibus est, hoc dentes.*] In libris manuscriptis, Hic dentes. quod est ipsum probabilius.

PLOXEMI.] Quid hoc verbi sit, declarant Quintilianus, & Fest. Pomp. E

PRÆTEREA *rictum, qualem defessus in æstu Meientis malæ cunnus habere solet.*] Legendum forte sit Diffisus, pro Defessus.

ATQVE *asino.*] Ὄνους, opinor, vocat Xenophon etiam molas, quibus frumenta teruntur.

AEGROTI *culum lingere carnificis.*] Cur ægroti. itaque vehementer suspicor nomen proprium fuisse, atque scriptum, Agroti, aut, Argoti, aut quouis alio modo non dissimili. corruptum deinde in, Aegroti.

M. ANT. MVRETVS.

NON, *ita me dij ament.*] deformitatem graueolentiamque oris in Aemilio quodam exagitat, quem cinædum fuisse, quod ait Parthenius, vnde id colligat, nescio. cinædico quidem vultu non fuit, elegantes oportuisset esse amatores, qui tam pulchellum puerum in deliciis haberent.

NON, *ita me dij ament.*] idem prope principium epigrammatis Græci, cuius incertus est est auctor:

Τὸ στόμα, χ' ὠ πρωκτὸς ταὐτὸν Θεόδωρέ σου ὄζει.

VTRVM-NE.] hæc vera est veterum librorum scriptura. Terentius Adelphis.

——di vostram fidem
Vtrum-ne studio id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum?

PLOXEMI.] Transpadanum vocabulum erat. eo significabant capsam. Porro oportuit ea latitudine esse gingiuas, in quibus sesquipedales dentes insiderent. vtrunque ridiculi caussa ὑπερβολικῶς dictum.

ESSE.] videri.

ATQVE *asino.*] ad agendum videlicet asinum molarium. In nonnullis legitur, *atque asinus.* quod si recipias, exponendum erit, ita vt asinus: vt ipse scilicet Aemilius in pistrino subeat asini molaris vicem.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NON *ita.*] Lege non absimile in Anthologia lib. 11. 25. *τὸ στόμα χ' ὡ πρωκτὸς.*

NIHIL *est immundius illo.*] Magis placet scripta lectio.

——nihiloque immundius illud.

QVALIS *defessus in æstu.*] ἀρχαϊσμὸς est in veteri scriptura, *in æstum.* Frequens idem apud Ciceronem, & Iurisconsultos. Vlpianus: *in pubertatem mortuus fuerit.*

DEFESSVS.] Fessi muli strigare solent, hoc est, interquiescere, vt meiant, idque aut in æstu, aut in difficili via, puta in salebris, aut vado, aut cœno. Id quotidie experimur. Quare recte *Defessus.*

ET *non pistrino traditur atque asino.*] Mirum genus loquendi, & à paucis vsurpatum, quod equidem meminerim, *Tradi asino*, hoc est, vt in locum asini, qui versat molas, sufficiatur. Sic supra Tyrios intexerat, hoc est Tyriorum opus. Duplex genus molarum, versatilium, & trusatilium. alteras iumenta, alteras homines agebant. Itaque videtur ioculariter eos, qui trusarent molas, Asinos vocatos. Sane sic Iuuenalis loquitur, quomodo & Catullus:

——sed tu iam durum, Postume, iamque
Tondendum Eunucho Bromium committere noli.

Ibi enim Eunucho tradere, est ἀναχίζειν. vt hic tradere asino, facere vt asinus pistrinarius sit. Quare hoc genus locutionis, quia mirum, non tamen penitus insolens est, quum eo vtatur Iu-

uenalis, studiosos valde obseruare volo. Præterea notandum in eo Iuuenalis loco prouerbium non animaduersum, *βρίμων ἀνεχέζειν.*

Aegroti *C. lingere carnifices.*] Carnificem hic vocat, quem vulgo Farciminosum dicimus. Ita plane Martialis: *Sulphureusque color, carnificesque pedes,* Propterea recte epitheton Aegrotum illi attribuit. *ὡ* *Carnifex* autem substantiuum, vt supplex apud Tibullum. Ideo vtrique adiungit epitheton.

In Vectium. XCIX.

In te, si quemquam, dici pote, putide Vecti,
Id, quod verbosis dicitur, & fatuis.
Ista cum lingua, si vsus veniat tibi, possis.
Culos, & crepidas lingere carbatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere Vecti,
Dicas. omnino, quod cupis, efficies.

ANT. PARTHENIVS.

In *te si quicquam.*] acerbe inuehitur in Victium hominem verbosum, atque insulsum nugatorem, omnium audientium aures fatua, molestáque garrulitate obtundentem: quem ait pro suis malis meritis dignum esse, vt culos atque stercorum fœdatas crepidas delingat: denique dicit poëta, si Victius vult omnes familiares perdere discat hoc, scilicet, quod eius garrulitas omnibus est infesta, & sic omnino quod vult efficere potest.

Vsvs.] commoditas, vtilitas.

Possis.] voluntate tua consentiente pro vsu & vtilitate consequenda.

Possis *lingua culos.*] quod non sordidius esset quam insulsè ac spurcè garrire.

Crepidas *c.*] calciamenta stercorata. Coprotinos stercoratus dicit, nam Græcè *κόπρος* latinè stercus & fimum significat: inde coprotinus ex Græco formatum esse hoc vocabulum penultima breuis docet: nam ex Græcis deriuata in tinus omnia ferè penultimam correptam habent, vt adamantinus, ianthinus, hyacinthinus, crystallinus, myrrhinus. non igitur absurdè legitur coprotinas, id est, stercoratas: cum culos prius posuerit. in omnibus ferè aliis codicibus hæc dictio variè legitur, alij carpatinas, alij carpotinas: pauci vna tantum littera mutata caprotinas habent: sed ex talibus lectionibus nullus sensus poëtæ proposito conueniens elici poterit.

Crepidas.] pro quocunque calciamento. est autem verbum græcum, vt Gellius docet: *τὰς κρηπῖδας* Græci dicunt.

Vis.] cupis.

Discas.] ex hoc quod dico te verbosum nobis esse molestissimum.

Efficies *quod cupis.*] nos perdes.

PALLADIVS FVSCVS.

In *te si quicquam.*] Insectatur quendam Vectium hominem maxime loquacem cuius fatua garrulitate plurimum offendebatur. optat primum vt lingua culos lingat & crepidas stercore fœdatas: deinde monet eundem, vt si Catullum & alios perdere velit, dicat loquacitatem suam omnibus esse permolestam immo mortiferam.

Si *vsus veniat.*] si tibi contingat.

Caprotinas.] emendo cabartinas. fuerunt autem cabartinæ apud priscos calciamenta quorum mentionem faciunt Iulius Pollux in nono ad Commodum Imperatorem, & Aristo. in 11. de Animalibus. huius emendationis, ne quis sua gloria fraudetur, auctor est nobis Angelus Politianus.

ACHILLES STATIVS.

In *te, si in quemquam, dici pote, putide Vecti.*] In manuscriptis etiam libris Vecti. quod si probabilius iudicamus, legendum omnino Vetti. Vettium enim & Vettiam scribebant. Namque vt cetera vetustatis monumenta prætercam, in hortis Rodulfi Pi Cardinalis Carpensis vetustum marmor huiusmodi litteris incisum legitur.

A. BAEBIVS. A. F. OVF
VETTIA. A. F. VXOR

Cvlos, *& crepidas lingere Carbatinas.*] Ego vero in Politiani sententiam lubens eo. præsertim cùm grauissimis veterum auctorum testimoniis, iisque firmamentis nitatur, quibus isti, qui reprehendunt, nihil afferunt aut grauius, aut melius, præter inanissimas rationes. Obscœnitatem eiusmodi Euno cuidam obiciens Ausonius, sic scribit,

Eune quod vxoris grauidæ patria inguina lambis,
Festinas glossas non natis tradere natis.

Atque alibi,

Inguina quod calido lenas tibi dropace, caussa est,
Irritant volsas leuia membra lupas.
Sed quod & elixo plantaria podice vellis,
Et teris inclusas pumice clazomenas,
Caussa latet, bimarem nisi quod patientia morbum
Adpetit, & tergo femina, pube vires.

Dicas.] Aut loquere, aut caussas age.

M. ANT. MVRETVS.

In *te, si in quemquam.*] insulsam Vectij loquacitatem notat.

In *te, si in quemquam.*] quæcunque, inquit, in verbosos fatuosque dicuntur, ea in te omnia dici queunt. Simile fere orationis genus est apud Terentium Heautontimorumeno.

In me quiduis harum rerum conuenit,
Quæ dicta sunt in stultum.

ISTA *cum lingua.*] particula, *cum*, in his locutionibus, tacitam quandam significandæ indignationis vim habet, quæ percipi facilius, quam exprimi potest. Terentius Eunucho,

——ubi hinc, quò dignus es,
Cum donis tuis tam lepidis. Idem Adelphis,
——vt te Syre cum tua
Monstratione magnus perdat Iuppiter.

SI *vsus veniat tibi.*] ridicule. quasi harum quoque rerum vsus aliquis incidere possit.

CVLOS, *& trepidas lingere cercolipas.*] cercolipas vocat obscœnas partes viriles, ficto ex cauda & pinguitudine vocabulo. Trepidas autē dicit, significans id, quod Persius expressit hoc versu,

Cum morosa vago singultiet inguine vena.

Quod autem Politianus legit, *crepidas carbatinas*, multis de caussis non placet: primum, quia est contra fidem veterum exemplarium: deinde, quid habent commune crepidæ carbatinæ cum ea parte corporis, quæ paulo ante nominata est? Insulsum plane fuerit ista coniungere. itaque doctissimi homines, cum hanc, quam nos sequimur, scripturam approbassent, illam Politiani, summo consensu repudiarunt. ac præter ceteros Marullus, qui, vt & homo Græcus, & supra modum Politiani odio imbutus, distichon scripsit, quo acerbe atque amarulente ait, Politianum Vectio pro cercolipis carbatinas dedisse, quod suum sibi munus ab eo præripi nollet:

Lingere carbatinas vult Vection Ecnomus, ipse
Vt possit trepidas lingere cercolipas.

SI *nos.*] si decreuisti, inquit, nos omnes miserrimis modis perdere, tædióque ac molestia plane conficere, nullo id modo facilius, quàm dicendo apud nos, consequi potes.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

IN *te si quemquam.*] Melior vetus scriptura, quam hæc commentitia. Scriptum enim fuit, *Si quicquam.* Si quicquam pote dici, id sane dicetur, quod stultis & fatuis solet. Est autem sine dubio Vectius ille Vatinianus falsus testis, vt non mirum sit, si in eius linguam falsidicam hoc Epigrammaticon scripserit.

ET *crepidas lingere carbatinas.*] Liquida scriptura omnium veterum tam scriptorum, quam formis excusorum: Quum Politianus hæc videret contaminari, non passus est, &, quæ videbatur erroris caussa in ignoratione Carbatinarum, id verbi quid esset, explicauit. Itaque satis, mirari non possum disertissimum virum, qui negat contra scriptorum librorum auctoritatem Politianum legere crepidas carbatinas; quum tamen nullus scriptus liber aliter habeat. Festiuus poëta recte eius linguam tergendis crepidis vsum præstare posse ait, vt vicem peniculi crepidarij sit. Plautus.

Quis hic peniculus? qui extergentur baxeæ?

Nam baxeæ & carbatinæ non multum differunt. Qui Cercolipas substituerunt meminerant se eam quidem vocem legisse, sed male interpretabantur περὶ τὸ ὕπνος ἢ τὴν κέρκον. De quo vide

A quid nos olim apud Festum. Quod omnino commentum est otiosorum hominum. At crepidas peniculo, & eam inhonestam partem spōgia fingi solitas, quis paulo rerum antiquarum peritior nescit? Quare illius linguam spurcæ spongiæ, aut peniculi vsum præstare posse ait. Propterea dixit, *si vsus veniat.* Quod autem hac in re Marullus Politianum ridet, nihil præter solitum facit. modo enim occasionem hominem insectandi nanciscatur, iure an iniuria, recte an secus id faciat, susque deque habet. Porro est πλεονασμὸς ἀρχαϊκός, cum lingua lingere, quod aliis

B lingua lingere: quod genus loquendi non semel reperias apud Plautum. Silius quoque vsurpauit: *——cum qua libabat ad aras,*

Hasdrubal ex auro pateram——

Nam vir disertus hæc non intelligit.

Ad Iuuentium. C.

SVRRIPVI tibi, dum ludis, mellite Iuuenti,
Suauiolum dulci dulcius ambrosia.
C *Verùm id non impune tuli: namque amplius horam*
Suffixum in summa me memini esse cruce,
Dum tibi me purgo, nec possum fletibus vllis
Tantillum vestræ demere sæuitiæ.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
Guttis, abstersisti omnibus articulis:
D *Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,*
Tamquam commixtæ spurca saliua lupæ.
Præterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti, omnique excruciare modo:
Vt mî ex ambrosia mutatum iam foret illud
E *Suauiolum, tristi tristius helleboro.*
Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
Numquam iā posthâc basia surripiā.

ANT. PARTHENIVS.

SVRRIPVI *tibi, dum ludis.*] Iuuentium formosissimum adulescētem poëta deosculatus fuerat: ille tanquam læsus poëtam maximo

cruciatu affecit, nec poëtæ vllis precibus placari potuit, nisi integram horam dedisset pœnas Catull. donec omnis suauij dulcedo in amaritudinem fuerit conuersa. fatetur itaque poëta hoc supplicio deterritus se post hac nunquam basia surrepturum. A

IVVENCI.] Hic est est ille Iuuencius, de quo in endecasyllabis scripsit:

O qui flosculus es Iuuenciorum. Et alibi:
Mellitos oculos tuos, Iuuenci. Et supra:
Nemo ne in tanto potuit populo esse, Iuuenci.

SVMMA *cruce.*] Summo cruciatu & supplicio.

MVLTIS *diluta labella.*] Ordo est: Abstersi B omnibus articulis labella diluta multis guttis.

DILVTA.] Madefacta.

ARTICVLIS.] Digitis meis.

LVPÆ.] Meretricis. Iuuenal.

Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Inde lupanar dictum.

COMMISTÆ] Mœchatæ. nam meretrices tales saliuas in ore virorum coeuntium relinquunt: mista significat mœchatam. vt Vir. *Mista deo mulier*: Græcè μοιχευνεία dicitur.

HELLEBORO.] Hellebori, quod veratrum latinè dicitur, duo prima genera scribit Plinius, C candidum ac nigrum: *Hoc radicibus tantum intelligi tradunt plerique alij folia nigri similia platani, alij betæ incipientis sed minora & nigriora, & pluribus diuisuris scissa. plurimum nascitur in Oeta monte: & optimum vno eius loco circa Pyram. nigrum vbique prouenit, sed melius in Helicone. Candidum probatur Oetæum. Nigrum ex his Melampodion vocant, alij entomon, alij polyrhizon: purgat per inferna. candidum autem vomitione, causasque morborum extrahit*: Hæc ex Plinio. Strabo autem de hellebori locis vbi nascatur, multa in nono libro scribit.

PALLADIVS FVSCVS.

SVRRIPVI *tibi dum ludis.*] Alloquitur Iuuentium qui poëtæ succensuerat, quod sibi inter ludendum basium surripuisset.

DVLCIVS *ambrosia.*] Herba est ambrosia quam multi Botrim, alij Arthemisiam vocant. fingunt tamen poëtæ ambrosiam esse cibum deorum suauissimum.

VERVM *id non impune tuli.*] Non impune te basiaui.

CRVCE.] Posuit crucem pro maximo cruciatu, qualem crucibus affixi patiebantur.

NEC *possum fletibus vllis.*] Nec vllis, inquit, lachrymis possum te placare.

NAM *simul id factum.*] Posteaquam te inuitum basiaui.

LVPÆ.] Meretricis. Iuuenal.

Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra.

Et Martialis,

Abscondunt spurcas hac monumenta lupas.

HELLEBORO.] Legimus apud Gellium lib. xvj. noctium Atticarum duas esse hellebori species, discerniculo coloris insignes, candidi & nigri: eos autem colores non in semine hellebori, neque in virgultis, sed in radice dignosci. candido stomachum & vẽtrem superiorem vomitionibus purgari; nigro aluum quę inferior vocatur dilui: Vtriusque esse hanc vim vt humores noxios in quibus causę morborum sunt, extrahant. sed de helleboro multo plura scribit Plinius lib. xxv. hist. nat.

MISERO *proponis amori.*] Vt mihi succenseas quotienscunque tibi basia surripui.

ACHILLES STATIVS.

SVAVIOLVM, *dulci dulcius ambrosia.*] Horat. in 1. Ode XIII. *Speres perpetuum dulcia barbare*
Lædentem oscula, quæ Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.

NAMQVE *amplius horam.*] Amplius cum accusandi casu, vt Cic. optimique alij Latinitatis auctores.

SVFFIXVM *in summa me mimini esse cruce.*] Quo modo in cruce suffigi, atque suspendi solerent, quos eo supplicio adficerent, Manilius in v. Astro. declarat.

At simul infesti ventum est ad litora Ponti,
Mollia per duras panduntur bracchia cautes.
Astrinxere pedes scopulis, iniectaque vincla,
Et cruce virginea moritura puella pependit.

TANTILLVM *vestræ demere sæuitiæ.*] Vestræ, de vno. vt & Ouid. in 1. Fast.

Pax erat, & vestri, Germanice, caussa triumphi
Tradiderat domitas iam tibi Rhenus aquas.

Et Verg. *Crimen amor vestrum.*

ABSTERSI *guttis.*] In veteribus libris, Guttis abstersi. faciendumque Abstersisti. quod est aptius.

TAMQVAM *commixta spurca saliua lupæ.*] In libris quibusdam, Commin ctæ. in aliis, Coniunctæ. ex quo factum opinor, Commin ctæ. itaque legendum forte, Coniunctæ. Lupam verò meretricem intellegit. Placiades in Glossis. *Lupam*, D *meretricem, à rapacitate, vel à libidine huius animalis, vnde & Lupanar dicitur.* Cic. pro Milone, *Ille, qui semper secum scorta, semper exoletas, semper lupas ducebat.* Sic Martial. in 1.

Abscondunt spurcas hac monumenta lupas.

Sunt, qui Commixtam retineant, & Lupam commixtam sic à Catullo dictam existiment, vt à Plauto etiam in Mostellaria Capra commixta dicitur, i. foeda. Sed hoc illi viderint. Inamabile suauium significans, Statius comicus argute dixit, *Sed tua morosa ne vxor quæso est. quam rogas. Qui tandem, tædet mentionis, quæ mihi Vbi domum* E *adueni ac sedi, extemplo sauium Dat ieiuna anima. nil peccat de sauio, Vt deuomas vult, quod foris potaueris.*

VT *mi ex ambrosia.*] In manuscriptis, Ambrosio. Vt Osculum sic Ambrosium dicatur, vt etiam Vergilio Comæ dicuntur ambrosiæ.

TRISTI *tristius helleboro.*] Amarius. Sic Verg. *Media fert tristes succos.* Et alibi, *Tristesque lupini.* Amarius autem elleboro, Prouerbio dicitur, vt in illo, Αὖ τὸ βιῶν ἦν, τίς ὁ λέγῃ; ἀλλ' ὅπως αὐτῷ Χαλκὸν, πικρότερον γένηται ἐλλεβόρου.

M. ANT. MVRETVS.

SVRRIPVI *tibi.*] Ita venustum hoc epigramma est, vt, ipsa si velit Venus, venustius eo

efficere quidquam non queat. difficultatis autem nihil omnino habet: quocirca neque nos in eo explicando diutius immorari necesse est. A

VESTRÆ *sæuitiæ*.] Ferocitatis illius, vobis omnibus, qui formosi estis, innatæ. Tale est illud Ouidij.

——quæ vestra libido est.

GVTTIS, *abstersisti*.] Ita est in veteribus libris. Quod autem hic Iuuentius fecisse dicitur, vt, quasi ad delendam basij notam, os sibi multa aqua prolueret, digitisque omnibus confricaret, id puella quædam apud Theocritum facere se, atque etiam basium nolenti sibi à puero rustico impressum, expuere dicit, B

Τὸ στόμα μευ πλύνω, ϗ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

COMMISTÆ *lupæ*.] Perinde ac si lupa te aliqua recens à coitu, & ex illo ardore libidinis, spumanti adhuc ore, dissuauiata esset.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

TANQVAM *commixtæ*.] Hoc supposuerunt inepti homines pro *comminctæ*. quod nec ipsum sincerum est. Legendum enim *comminctæ*. Supra:

Sauia comminxit spurca saliua tua.

Quæ sit hic lupa docet Liuius de Faustuli vxore Acca Larentia loquens. Commingere notius est, quam vt explicatione indigeat. Inde commictilis, sed alia notione. Pomponius Atellanarius præcone posteriore: *Si sciam quid velis quasi serui comici commictilis.* Hoc est contemptibilis. Quare apud Nonium, *commictilis, compositis*, legendum, *commictilis, contemtitij*. nisi cui magis probetur condepsiti. Depsere obscœnum, vt supra hoc modo eodem sensu. quo hic accipiendum fuerit. Sic etiam simplex mictilis. Lucilius libro vicesimo: C

Pulmentar aut intibus, aut aliquod genus herba,
Et ius manarum. bene habet. sed mictilis hoc est D
Merx.——

Corruptissimus ille locus hodie editur apud Nonium. Hanc veram lectionem putamus, quamuis apud Plautum in Mostellaria eo modo dictum sit *Canes capro commixta*: quomodo hic correctores legunt *commixtæ lupæ*: quod proculdubio interpolatum ex loco Plautino.

NVNQVAM *iam*.] IAM abest à priscis libris. Dele, sed lege, *Non vnquam posthac*.

De Cælio, & Quinctio. CI.

C*ÆLIVS Aufilenum, & Quinctius*
Aufilenam,
Flos Veronensiũ depereunt iuuenum,
Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod
dicitur, illud
Fraternum verè dulce sodalitium.
Cui faueam potius? Cæli tibi. nam tua
nobis.
Perspecta exigitur vnica amicitia,
Cùm vesana meas torreret flamma me-
dullas.
Sis felix Cæli, sis in amore potens.

ANTONIVS PARTHENIVS.

CÆLIVS *Aufilenum*.] Cælij & Quintij fratrum amores scribit: optãs Cælio pro amicitiæ muneribus felicissimum amorem. Cælius & Quintius fratres Veronenses amabant, alter Aufilenum adulescentem, alter Aufilenam eius sororem. ideo à plerisque hi fratres dicebantur sodales, & eorum fraternum sodalitium, quoniam in eadem Aufileni domo idem amor, & Veneris commertium tanquam conuiuium: alter cum puero, alter cum puella frequenter inibant.

HIC.] Cælius.

FRATREM.] Aufilenum fratrem Aufilenæ.

SOROREM.] Aufilenam.

PERSPECTA.] Perfectè cognita.

VESANA *flamma*.] Vesanus Lesbiæ amor.

PALLADIVS FVSCVS.

CÆLIVS *Aufilenum*.] Aufilena puella, soror erat Aufileni item pueri: Quorum hunc Cælius, illam verò Quintius deperibat. Catullus autem cum nonnihil Cælio debeat, optat ei in amore felicitatem.

CVI *faueam potius? Cæli tibi.*] Modus est loquendi apud hunc poëtam: vt alium interroget & pro illo sibi respondeat. sic alibi,

Cui dono lepidum nouum libellum
Arido modo pumice expolitum
Corneli? tibi.——

PERSPECTA.] Perspicere est ad plenum & perfectè cognoscere.

VESANA.] Qua me vesanum reddebat.

MEDVLLAS.] Quarum cibo amorem pasci fingunt poëtæ.

ACHILLES STATIVS.

CÆLIVS *Aufilenum*.] Et Cœlium per Oe, & per Æ diphthongos legimus in vetustissimis monumentis, ijs scilicet, quæ Romæ sunt in amœnissimis Card Carpensis hortis, & in ea basi, quæ hodieque in Vrbe ad Arcum Septimio dicatum cum Centuriat. exstat nominib. & diuersas quidam esse volunt familias. Ego vero dubito Aufidena ne, pro Aufilena, legendum sit. Romæ enim apud Episcopum Ferratinum monumentum exstat eiusmodi. E

IVNONI
IVLIÆ
AVFIDENÆ
CAPITOLINÆ
SACRVM.

Nam, de antepenul. eius verbi quid statuam.

non habeo.

FLOS *Veronensium depereunt iuuenum.*] Flos, ἄωτος verbum Pindaro frequentatum in hoc genere, & Theocrito, *Τῆμος ναυτιλίας μιμνάσκετο θεῖος ἄωτος ἡρώων.* Iuuenal. Sat. v.

Flos Asiæ ante ipsum pretio maiore paratus.

In Veronensium vero Synizesis eadem, quæ in verbo Omnia apud Vergil. in vi.

——Quin protinus omnia
Perlegerent oculis. ——

Itaque est in illo optimo vetustissimoque libro, quo Romæ magno Card. Carpensis beneficio sum vsus. Iam, quia & Nicolaus Erythræus, & Pierius Valerianus adcuratè de eo, atque eruditè multa tradiderunt, addam ad illa versus Lucretij, qui colligentes illos alia fugerunt e v. libro,

Sed sic quodque suo ritu procedit, vt omnia
Fœdere naturæ certo.— Et,
Ignis enim superauit, & ambiens multa perussit.

Et Ouidij illud, Catullini huius simillimum, e v. Fast.

Cum tua sint, cedantque tibi confinia mensium.

FRATERNVM *vere dulce sodalitium.*] Simillimum illud Horat.

— hac in re scilicet vna
Multum dissimiles, ad cetera pæne gemelli.

Nisi sic turpitudinem atque obscenitatem τῆς ἑταιρείας significare voluit. Sed illud rectius, quod & Corbinello videbatur ob similem, aut eandem potius Menandri sententiam,

ὡς ἡδύ γ' ἐν ἀδελφοῖς ὁμονοίας ἔρως.

PERSPECTA *exigitur vnica amicitia.*] In manuscriptis etiam, Perfecta est igitur. in aliis. Perfecta, atque exigitur, vtrumque mihi tralatum videtur ab operibus, quæ ad regulam fiunt, ac libellam. itaque amicitiam perfectam illius, ac sanctam significat. Plin. in xxxvi. cap. xxv. verbo Exigere de pauimentis sic vtitur. *Deinde spissa calcatis carbonib. inducitur sabulo calce ac fauilla mixtis. materia crassitudine semipedali ad regulam, & libellam exigitur.* Indidem translatum videri possit & Ouidianum illud in iii. Fast.

Non habet exactum, quod agat.

M. ANT. MVRETVS.

CÆLIVS *Aufilenum.*] Cœlium & Quintium fratres fuisse ait Parthenius: male omnino: è diuersis enim familijs fuisse nomina ipsa indicant.

QVOD *dicitur.*] Vulgare dictum fuisse indicat.

CVI] Vtri.

NAM *tua nobis.*] Erat & alia ratio, cur Quintio fauere non posset. amabat enim ipse quoque Aufilenam; eamque, vt ex aliis locis intelligi potest etiam data pecunia, ad partes suas perducere moliebatur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PERSPECTA *exigitur.*] Scriptura, *Perfecta.* Magis placet *Perspecta.* Quæ tralatio est à probationibus operum, quæ spectiones dicun-

A tur à Gellio, & aliis. vel ab auro. nam spectatores auri sunt χρυσοβασανισταί. vnde spectata amicitia. Sane Virgilius scripsit:

Venisti tandem, tuaque spectata parenti
Vicit iter durum pietas. -- Ouidius:
Hinc satus Aeneas, pietas spectata per ignes.

Magistelli spinosi *expectata* legunt, propter syllabam, quam nolunt positione sequenti produci. Alij vero magistelli zelotypi dicunt palam in suis suggestis veteres quoque expectata pro spectata dixisse. quid tum? postea ostendant mihi expectatum apud Virgilium esse pro spectatum.
B Alioquin scimus verum esse eo quoque modo posse dici. Sed quid facerent pædagogi si nihil haberent, quod latrarent? Putidissima capita.

Inferiæ ad fratris tumulum. CII.

MVLTAS per gentes, & multa per æquora vectus
Aduenio has miseras, frater, ad inferias,
Vt te postremo donarem munere mortis,
C *Et mutum nequiquam adloquerer cinerem:*
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum.
Heu miser indignè frater adempte mihi.
Nunc tamen intereà prisco quę more parentum
D *Tradita sunt tristes munera ad exequias,*
Accipe, fraterno multùm manantia fletu,
Atque in perpetuum frater haue, atque vale.

ANT. PARTHENIVS.

MVLTAS *per gentes.*] Amiserat Catullus fratrem suum vt in prima Elegia diximus in
E littore Troiano extinctum, atque tumulatum: in patriam itaque reuersus poëta, cenotaphio manibus fraternis constituto inferias celebrat, pietatemque fraternam acerbo fletu lachrymisque testatur.

NEQVICQVAM.] Frustra: nam cineres alloquenti non respondent.

PRISCO *more parentum.*] Mos apud antiquos fuit, vt cùm aliquis extinctus esset, cadauer eius domum suam si poterat referretur, lauabatur, vngebatur, vt in octauo duraret die: quo die à propinquis incendebatur: nono cineres atque reliquiæ sepeliebantur: vnde Horatius

nouendiales pulueres appellauit: sinautem cadauer domum referri non poterat, domi constituebatur cenotaphion: mactatisque hostiis, & cæteris de ritu sacrificiis factis iusta mortuo reddebantur.

Hæc *munera.*] Has cenotaphij inferias.

Ave *atque vale.*] Sic in Pallantis funere apud Virgilium,

Salue æternum mihi maxime Palla,
Aeternumque vale.——

PALLADIVS FVSCVS.

Mvltas *per gentes.*] Amiserat fratrē Catullus, vt ipse alibi demonstrat, qui extra patriam extinctus in littore Troiano sepultus iacebat: ad hunc vectus poëta eius manibus flendo parentat.

Inferias.] Inferiæ sunt sacra mortuorum, quæ inferis soluuntur.

Mvnere *mortis.*] Munera mortis vocantur exequiæ.

Neqvicqvam.] Mihi non respondentem.

Prisco *de more.*] Prout maiores instituerunt.

Manantia *fletu.*] Lachrymis stillantia. Est enim manare cum aliquid per minutissimas stillat partes.

ACHILLES STATIVS.

Advenio.] Legendum puto, Adueni. concinnius enim est, Adueni, vt donarem, quam, Aduenio, vt donarem.

Vt *te postremo donarem munere mortis.*] Et Vergil. suprema hæc vocat munera in xi.

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine vobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus.——

Et Ouid. in iii. Eleg.

Hic certe manibus fugientis pressit ocellos
Mater, & in cineres vltima dona dedit.

In Hispania citeriore monumentum eiusmodi exstat.

C. IVL. FABIAN
ANN. XIX.
FABIA. PAVLA
AMITA
MVNVS
SVPREMVM

Ambrosius eodem vno verbo Suprema vocat. Munus autem hoc etiam Græci dicunt. Hom. Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀιζυροῖσι βροτοῖσι Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν. Atque alibi, Πάτροκλον κλαίωμεν. τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Verg. *Et fungar inani Munere.*

Et *mutum nequiquam adloquerer cinerem.*] Huiusmodi adlocutiones προσφθέγματα dici ab Euripide, Corbinellus obseruauit, apud quem est in Troad. Πρὸς τάφον δ' ὁμήλικων κώμους ἀπάξω φίλα διδοὺς προσφθέγματα. In Achillis Maffei libro, alteroque Patauino, Mutam. Vtrumque per veA terum licet auctoritatem. Tibullus,

Et mea cum muto fata querar cinere.

Auson. eodem modo,

Non nomen, non quo genitus, non vnde, quid egi,
Mutus in æternum sum cinis, ossa, nihil.

Similiter Propert. in ii.

Taliaque illacrymans mutæ iace verba fauillæ.

Hoc è genere est, quod est apud Vergil. in v.

Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos.

Qvandoqvidem *fortuna mihi tete abstulit ipsum.*] In scriptis libris omnibus, Te abstulit, quod stare etiam potest.

B Hev *miser indignè frater adempte mihi.*] Sunt, qui legant, Misero, non suffragantib. libris. More igitur Græcorum rem eandem [illegible] cumulat. Ouid. in iiii. Fast. in eandem sententiam,

Osculaque adplicuit posito suprema feretro,
Atque ait, Inuito frater adempte mihi.

Ademptum vero vita defunctum intelligunt optimi poëtæ, Ouid.

Iure igitur lacrymas Celso libamus adempto.

Tradita *sunt tristes munera ad exsequias.*] In scriptis est, Tristi. itaque legendum, Tristis.

Frater *haue, atque vale.*] Salutandi sitos, etiam Græcis mos erat. Theocritus in Epigram.

C Χαιρέτω οὗτος ὁ τύμβος ἐρεῖ, ἐπεὶ εὐρυμέδοντος Κεῖται τῆς ἱερῆς τοῦτος ὑπὲρ κεφαλῆς. Hauere autem, & valere eos fere iubebant, quos amplius visuri non erant. Hoc, opinor, & Plautus significans in Curg. *Ego*, inquit, *abeo. vale, atque salue.* Et Verg.

Salue æternum mihi, maxime Palla,
Aeternumque vale.——

Sic in veteri quoque monumento, Romæ, in ædibus Ioannis Zabretæ Sauonensis.

D. M
V I R I A E
P R I M I T I V A E
VIX. ANN. XVIII
D MENS. I. DIE. XXIV
L. VIRIVS. HELIVS
CONIVGI. DVLCIS
HAVE. DOMINA. VALE. DOMINA

M. ANT. MVRETVS.

Mvltas *per gentes.*] Fratris manibus hoc carmine inferias soluit. Inferias autem vocabant sacrificia in eorum, qui vita excesserant, honorem: in quibus interdum non nulla, quæ grata ipsis fuissent, comburere, mactare quoque

E hostias, aut etiam captiuos homines solebant.

Ave, *atque vale.*] Sic apud Virgilium Æneas,

——*salue æternum mihi maxime Palla,*
Aeternumque vale.

IANVS DOVSA FIL.

Qvandoqvidem *fortuna mihi tete abstulit ipsum.*] Sic supra:

Quandoquidem fortuna mea ac tua feruida virtus
Eripit inuito mihi te.——

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ET *mutum nequicquam alloquerer cinerem.*] Ausón. *Voce ciere animas funeris instar habet.* Seneca: *Magnum solatium est appellare sæpius nomina non responsura.* Aliud est *& magna postremum voce ciemus.* Hoc enim in ipso rogo fiebat. Euripides:

Τιμαῖς δὲ τὸν θανόντα, ὡς ἐστὶ θέμις,
Γεραίρομεν ἐξάγοντες ὑστάτην ὁδόν.

FED. MORELLI PARAPHRASIS eiusdem Epigram.

Εἰς τὰ τοῦ ἀδελφοῦ ἐναγίσματα.

Πολλῶν ἀνθρώπων διὰ ἄστεα καὶ ἅλα δίαν,
Ἔρχομαι ἐς ταύτας, ὦ κασίγνητε, χοάς.
Ὡς νῦν σ' ὑστάτιοις δῶρ' ἐναγίσμασι κοσμήσαιμι,
Προσφθεγξόμενος μαψιδίως τε κόνιν.
Αὐτὰρ ἐπεὶ δαίμων ὀλοώτατος ἔξελ' ἐμεῖο,
Ἀρπάξας ἀδίκως τλῆμον ἔμαρψεν ἐμοί.
Νῦν ἄγε, ἡμετέροις προγόνοις πάλαι ὡς νενόμισται,
Δῶρα δέχου λυγρὰ ἁγνὰ πρὸς ἐνακομιδήν,
Ἀδελφειογενέτου δακρύοισι βεβρεγμένα σοῦ,
Ὦ κασίγνητ' ἐς ἀεὶ χαῖρε καὶ οὖλε μέγα.

Ad Cornelium. CIII.

Si quicquam tacitè commissum est fido ab amico,
Cuius sit penitus nota fides animi,
Méque esse inuenies illorum iure sacratum,
Corneli, & factum me esse puta Harpocratem.

ANTONIVS PARTHENIVS.

SI *quicquam tacitè.*] Cornelium de Cat. fide dubitantem confirmat, atque fidem & taciturnitatem suam in amicitia profitetur, dicens si vllis amicis tacitis quicquam arcanum fideliter commissum fuit vnquam à fido amico, se esse inter illos tacitos, ac fidos numerandum.

TACITO.] Alicui amicorum arcana tacenti.

COMMISSVM.] Fidei traditum.

CVIVS.] Scilicet taciti hominis.

ILLORVM.] Qui taciti sunt.

HARPOCRATEM.] Mutum. De Harpocrate superius dictum est.

PALLADIVS FVSCVS.

SI *quicquam tacitè.*] Spondet Cornelio, qui de fide Catulli post arcanum ei commissum non nihil dubitabat, se semper taciturum.

ILLORVM *iure.*] Qui aliorum secreta sibi commissa tacere nouerunt.

HARPOCRATEM.] Puta, inquit, me factum esse mutum. De Harpocrate autem iam dictum est.

ACHILLES STATIVS.

SI *quicquam tacitè commissum est fido ab amico.*] In omnibus manuscriptis, Tacito. vtrumque vero mihi non probatur. Tacitum enim Latine, non qui tacet, sed quod tacetur ipsum, dicimus. Tum durum etiam illud videbatur, subintellegere, Ei, cuius sit penitus, Et quæ sequuntur. Itaque legendum putabam, Si quoiquam tacitum commissum est. & cetera. Tacitum autem dicit id quod ἀπόῤῥητον Græci. Sin datiuum Ei, velis omnino legi, legi possit, Si quidquam taciti. Sunt qui Tacito, pro Tacitè dictum velint, vt Certo, pro Certe. quod non placet. Tacita vero τὰ ἀπόῤῥητα sic dicta, vt ab Horatio, Tacenda.

Dicenda tacenda locutus.

ME *vnum esse inuenies illorum iure sacratum.*] Est in manuscriptis, Meque esse inuenies. Et, Atque esse iuuenes. conabar igitur ita restituere, Me, quem ipse adiures. vel, Aut quem ipse adiures. vel, Me quem ipse inuenias. Illo cum iure sacratum, Corneli. & quæ sequuntur. Neque vero impedio, quo minus etiam, qui volet, priorem illam lectionem sequatur, & sententiam. Sic se sanctum hominem, ac fidei plenum significat. probabiliorem lectionem facit, quod, Ius, id est Religionem interponit, & Sacratum dicit. Sic enim Iusiurandum dicitur & apud Cic. in II. de legib. *Poena violati iuris esto.*

M. ANT. MVRETVS.

SI *quicquam.*] Fidem & taciturnitatem suam Cornelio cuidam pollicetur.

ILLORVM *iure sacratum.*] Eorum quasi sacramento adactum. Metaphora à re militari. Est autem hic ἀνακόλουθον, quale in illo Terentij,

In ijs poeta, hic nomen profitetur suum.

HARPOCRATEM.] Supra diximus.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ME *vnum esse inuenies.*] Scribe ex calamo exarata membrana: *Meque esse inuenies.* & me inuenies esse sacratum illorum iure, & dices me esse Harpocratem.

ILLORVM *iure sacratum.*] Quia de silentio agit, quod proprium est mysteriorum, propterea verbo mystico vtitur, *Sacratum.* Sacrati sunt οἱ μεμυημένοι. vt in veteri inscriptione Romana: *Sacrata apud Eleusinem Deo Baccho, Cereri, & Coræ.* item in alia: *Sacrata apud Aeginam Deabus Taurobolita, Isiaca.* Et sacrandi, mox initiandi Prudentius:

Quid quum sacrandus accipit sphragitidas?

Vt apparet ex Prudentij loco, stigmata in fronte aut alia parte corporis accipiebant. Sic in veteri Christianismo dicebantur signati, & sacrati, qui in fronte crucis signaculum chrismate prænotatum habebant, tanquam ea esset initiatio. Hoc

crebrum est apud Tertullianum. Hunc locum virum disertum non capere, probat eius interpretatio. A

Ad Silonem. CIIII.

AVT sodes mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamuis sæuus & indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quæso B
Leno esse, atque idem sæuus, & indomitus.

ANT. PARTHENIVS.

AVT *sodes mihi redde.*] Silonem grammaticum seu literatorem, cui poëta decem sestertia mutuauerat, audacissimæ auaritiæ impudentissimæque ingratitudinis arguit: monetque vt sibi reddat decem mutuata sestertia, ac postea poëtæ reposcenti minitetur, vt solet, quantum voluerit. Aut si auaritia, & rapina delectatur retinens poëtæ nummos ei tam crudeliter ne minitetur: nam Silo audacissimus poëtæ decem sestertia reposcenti terribiliter minitabatur. C

SILO.] Nomen proprium cuiusdam grammatici, de quo in endecasyllabis ad Caluum:

Munus dat tibi Silo literatorum.

SÆVVS.] Crudelis, terribilis minitando.

INDOMITVS.] Implacabilis: nummos abnegando.

NVMMI *te delectant.*] Si nummorum rapina delectaris.

PALLADIVS FVSCVS.

AVT *sodes.*] Mutuauerat Catul. Siloni. x. sestertia. Sed cùm ea postea reposceret, nec Silo mutuum reddere vellet, ipse poëtæ minabatur. Monet eum Catul. vt reddat sibi pecuniam, deinde iure suo minetur, aut si eam reddere nolit, desinat minari.

ACHILLES STATIVS.

AVT *sodes mihi redde decem sestertia, Silo.*] Vno in libro, non Decem, sed Tuo. Faernus. Duo, faciebat. E

AVT, *si te nummi delectant.*] In Patauino, At, si te nummi. In nonnullis etiam libris, pro, Nummi, Nimium. Interminari, ac ferocire leno, vt eiusmodi homines solent, ne pecuniam redderet. cuius se minis minime terreri Catullus significans, Nihil, inquit, moueor tua ista ferocia, reddas modo decem, quæ debes, sestertia.

M. ANT. MVRETVS.

AVT *sodes.*] Silo quidam, quantum hinc colligi potest, pollicitus erat poetæ, effecturum se, vt ipse puella quapiam potiretur: eoque nomine ab eo decē sestertia, id est decem nummorum millia acceperat: deinde autem vrgentem ipsum instantemque, ferociter repudiabat. petit igitur ab eo poëta, vt vel pecuniam reddat, vel suam illam, si leno esse vult, deponat ferocitatem.

Ad quendam de Lesbia. CV.

CREDIS, me potuisse meæ maledicere vitæ,
Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Non potui; nec, si poßem, tam perditè amarem.
Sed tu cum caupone omnia monstra facis.

ANTON. PARTHENIVS.

CREDIS *me potuisse meæ.*] Æmulum quendam suum in populum diuulgantem inter Lesbiam & Catullum discordias & maledicta seminata esse, redarguit poëta: quoniam non posset Lesbiæ vitæ suæ maledicere: & si posset tamen non est tam temerarius vt faceret: sed inuidus ipse cum sordido caupone non discordias, sed monstruosas libidines factitat.

TAM *perditè.*] Tam temerè, tam stultè.

POTVISSE.] Scilicet ex animo: potuit autem simulare maledicta, sed ex voluntate atque corde nunquam potuisset ei maledicere. D

PALLADIVS FVSCVS.

CREDIS, *me potuisse.*] Negat Catullus se Lesbiæ maledixisse.

MEÆ *vitæ.*] Lesbiæ, quæ mea est vita.

NEC *si possem.*] Subaudi maledicere.

TAM *perditè.*] Tam miserè.

MONSTRA *facis.*] Monstrum, vt Donatus ait, omne est contra naturam.

ACHILLES STATIVS.

SED *tu cum caupone omnia monstra facis.*] In manuscriptis, Cum tappone, itaque est in Maffei libro. Cum tapone, vt in Zanchi exemplo. In tripone, vt erat in Patauino. itaque legendum suspicabar, Sed tu cum turpi ore omnia monstra facis: idest, turpissima quæque atque incredibilia confingis, & loqueris isto impolluto ore. Translatum autem videtur ab haruspicina, atque augurijs. Sic enim apud Diomedem grammat. *L. Cassius Hemina in* II. *Monstrum fit, sus parit porcos* XXX. Plautus in Mostell. *Quæ hic monstra fiunt.*

fiunt. Et Terent. idem significans, aliquid monstri alere, sic dixit, Cic. ad Att. *Venerat horis duabus antè Cherippus, mera monstra nuntiarat.* A

M. ANT. MVRETVS.

CREDIS *me potuisse.*] In his versibus nihil video, in quo explicando magnopere laborare oporteat.

SED *tu cum caupone.*] Indicat hunc, quisquis est, sępe in caupona versari, ac, cum caupone ipso perpotantem, varios de hoc aut illo sermones comminisci solitum fuisse, interdum nullo pacto verisimiles, planeque monstrosos: quale erat hoc, quod Catullum puellæ, quam plus oculis amabat suis, male dixisse fingebat. Porro quem, cauponem dicimus, antiqui cuponem vocabāt, à cupa videlicet, quod vas vinarium est: quin & mulierem quoque, quæ cauponem exerceret, vocabant cupam: vnde & nomen Virgiliano poëmati, quod hodie vulgo *Copa* dicitur: cum, *Cupam*, dici debere, ex Flauio Sosipatro constet. B

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

CREDIS *me potuisse mea maledicere vita.*] Vereor ne Catullus non *maledicere* scripserit, sed *valedicere*. Nam sane id fecerat, vt ex superioribus cognoscimus: C

Vale puella, iam Catullus obdurat. Item:
Cum suis viuat, valeatque mœchis.

Nunc Catullus videtur cōqueri apud amicum, quod id statim in eam partem tanquam serio à se dictum esset, interpretatus sit. Qui mutarant lectionem, rationem habebant syllabæ vltimæ in VALE. Atqui CAVE eodem modo corripiebant: item RESPONDE. Martialis:

Si, quando veniet? dicet. responde; poeta
Exierat. veniet, quum Citharœdus erit.

SED *tu cum Caupone.*] Nunquam hanc lectionem ego probaui, vt quę semper de mendo mihi suspecta fuerit. Tandem vetus lectio omnem prorsus dubitationem sustulit, quæ non *cum Caupone*, sed, *cum Tappone* habet. Tappones familia Romæ in gente Valeria. In veteri Inscriptione Placentiæ legi: C. VALERIVS TAPPO. item apud Liuium libro tricesimo octauo. Iste igitur Tappo cum isto insusurrabat Lesbię nescio quę, quibus suspitionem illi faceret Catullum aliò transtulisse calorem suum. Hoc negat Catullus: & contra illum τερατολογεῖν ait. Nam illud, *omnia monstra facis*, nihil aliud est, quam, πάντα τερατολογεῖς ad verbum, vel τερατεύεις. Est ergo Hellenismus. Posset tamen & obscœnitas intelligi, vt ad verbum apud Alexidem: D E

——ἐρᾷς δὲ πλουτοποιῶν τι ὦ
Εὐριπίδου; τίνα ἔχει τὸ θέατρον.
Ἢ γὰρ τερατεύειν ἐκτόπως μοι φαίνεται.
Καὶ πάντα τοῖς πτηνοῖς ὁρᾷς ἐναντία.

Nam hic τερατεύειν obscœne, quod Catullus monstra facere, si quidem aliquam obscœnitatem innuit. Male pro τερατεύειν legitur σπατεύειν.

In Mentulam. CVI.

MENTVLA conatur Pimplæum scandere montem:
Musæ furcillis præcipitem eijciunt.

ANTONIVS PARTHENIVS.

MENTVLA *conatur.*] Conabatur poëta cuiusdam virginis, quam erat nactus primitiis potiri: sed naturæ virginalis claustris, & obstaculis, atque puella reluctante prohibebatur. Iocosè atque facetè ait se conatum fuisse Pimpleum Musarum montem ascendere, sed à Musis inde præcipitatum esse. Per Pimpleum montem intelligit Eugium, quod est quædam pars media inter muliebria genitalia. quam partem mentula ingrediens ascendere videtur. Laberius Mimographus cuius verba ex hoc Catul. disticho formata videntur, de hoc sic scribit:

Quare tam arduum ascendas, an concupisti
Eugium scandere? ——

PIMPLEVM.] Pimpla locus Heliconi vicinus sic à Thracibus (qui Heliconem incoluerunt) denominatus. Nam (vt Strabo refert) Pieria, Olympus, Pimpla, & Libethrum loca quondā Thracia fuere, quique Musis Helicona consecrarunt Thraces fuerunt Bœotiæ accolæ, vt hi qui Libethriadum nympharum antrum consecrarunt, & qui priscæ musæ curam studiūque dederunt, Thraces fuisse perhibentur, Ephorus, Orpheus, & Museus, & Thamyris, Qua ex re (vt idem Strabo ait) suspicari licet eos qui Helicona, & Pieriam, & Libethrum, & Pimplam Musis eisdem consecrarunt Thraces extitisse.

FVRCILLIS.] Obstaculis. à furca fit furcilla diminutiuum.

PALLADIVS FVSCVS.

MENTVLA *conatur.*] Non poterat Catullus virginem irrumpere, cùm maxime cuperet, obstabat ei firmitas pelliculæ quæ virginibus obtenditur: hanc Catul. appellat montem Pimpleum. est autem Pimpla locus quem Parnaso & Heliconi proximum Thraces olim illucusque profecti Musis consecrarant. alij vero dicunt poëtam confiteri se obscœna scribere voluisse, sed à Musis quominus id faceret prohibitum.

ACHILLES STATIVS.

MENTVLA *conatur.*] Ineptum hominem, ac peni deditum, versus etiam facere temptantem, inridet Pimplæum montem, sic, vt est Sororum montem, Propert. in III. *Sed, quod pace legas opus hoc de monte sororum.* nisi quid significatur, quale illud Laberij apud Nonium Marcellum in verbo, Eugium. *Quare tam arduum ascendas. an concupisti Eugium scandere?*

A

M. ANT. MVRETVS.

MENTVLA.] Formianum illum, quem mentulam vocabat, ait ad poëticæ facultatis laudem contendere, sed reijci à Musis, quasique de monte ipsis sacro, quem ille conscendere conetur, præcipitem dari.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

MVSÆ *furcillis præcipitem eijciunt.*] δικράνοις ὠθῶ. Prouerbium. Innuit Mamurram inuitis Musis ad poëticem animum appellere.

B

De puero, & præcone. CVII.

CVM puero bello præconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

ANT. PARTHENIVS.

CVM *puero Obello præconem.*] Obelli pueri lenonem infamia, salsoque ioco notat, leporem distichoafferens ex ambiguis verbis. Nam cum dicit præconem reru venalium ministrum cupere vendere puerum, videtur poëta dicere quod præco auctioni aut hastæ puerum vendendum sit subiecturus: cum intelligat potius præconem præ auaritia esse lenocinio pueri mores corrupturum: ac pædiconibus subiecturum.

VENDERE.] Acceptis pecuniis corrumpere, ac eius amatoribus subijcere.

C

PALLADIVS FVSCVS.

CVM *puero Oebalio.*] Præcones sunt qui in auctionibus pretia rebus imposita clare enunciant: ad quod alludens Catullus, ait, quicunque videt Oebalium puerum cum præcone versari, non posse nisi credere se venundare. & ita innuit illum fuisse cinedum.

ESSE.] Emendo Ipse.

DISCVPERE.] Valde cupere.

ACHILLES STATIVS.

CVM *puero bello.*] In manuscriptis omnibus, Obelio. Si nomen forte id pueri fuit. Iocus à venditione puerorum petitus. pueros enim mangones vendere erant soliti. Martial. in I.

Millia pro puero centum me mango poposcit.

Aut præco igitur puerum, aut se puer ipse vendere discupiebat, sed ad tempus. In Maffei libro erat, *Præconem qui videt ipse.* Eiusmodi credo puerum Cato intelligit apud Gellium, *Sed nisi qui palam*, inquit, *corpore pecuniam quæreret, aut se lenoni locauisset.* & quæ sequuntur.

M. ANT. MVRETVS.

CVM *puero bello.*] Formosum quendam puerum à præconis consuetudine reuocare cupiens, ait homines, qui tam frequenter eum cum præcone videât, nihil posse aliud cogitare, quam velle ipsum pudicitiam suam ei, qui eam pluris liceatur, addicere, notum enim est: præcones vendendis in auctione rebus adhiberi.

Ad Lesbiam. CVIII.

SI quidquam cupido, optantíque obtigit vmquam
Insperanti, hoc est gratum animo propriè:
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quòd te restituis Lesbia mî cupido.
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te
Nobis. ô lucem candidiore nota!
Quis me vno viuit felicior, aut magis est me
Optandus vita, dicere quis poterit?

ANTON. PARTHENIVS.

D

SI *quidquam cupido.*] Iurgiis atque maledictis vltro citroq; iactatis discordiæ inter Lesbiam & Catul. intercesserant. Post ante paucos dies cum Cat. redit in gratiam Lesbia, animumque amatori suo restituit: quare poëta nunc lætatur, ac sibi Lesbiæ conciliatione gratulatur, dicens si cupidis hominibus quicquam gratum vmquam contigit sibi propriè gratiosissimam esse Lesbiæ reconciliationem atque restitutionem: qua facta se omnium felicissimum esse iactat.

INSPERANTI.] Ex quo mihi multo carior efficeris, cum tantam gratiæ reconciliationem desperarem.

CANDIDIORE *nota.*] Idest, feliciore die quę lapillo candido notatur. Horat.

E

Cressa nec careat pulchra dies nota.

PALLADIVS FVSCVS.

SI *quicquam cupido.*] Poëta post paucorum simultatem, cum videat Lesbiam sibi reconciliatam gaudio exultans negat esse quenquam inter homines, qui sit seipso felicior.

SI *quicquam cupido.*] Sensus est. Si quid vnquam homini cupido & insperanti cōtigit quod gratum foret, hoc esse sibi gratissimum, quod Lesbia secum in gratiam redierit.

CANDIDIORE *nota.*] Felici die. de more autem signandi dies felices pariter, & infelices

superiùs satis multa.

DICERE *quis poterit.*] Alium scilicet esse, cuius felicitas hodie sit magis optanda.

ACHILLES STATIVS.

SI *quidquam cupido, optantique obtigit vmquam.*] In manuscriptis. Si quidquid. in Patauino, pro Obtigit, Obtulit. legendum forte. Si quis quid cupido, optantique obtulit vmquam.

INSPERANTI, *hoc est gratum animo proprie.*] Arist. in II. Rhetor. ὅταν ᾖ τύχωσι τὸ παρὰ δόξαν. ita vero dispungo, vt insperanti animo gratum id esse proprie intellegatur.

QVARE *hoc est gratum, nobis quoque carius auro.*] Durius, quàm Catullinæ conueniat elegantiæ, Nobis quoque. legendum forte, Nobisque hoc carius auro. tametsi ἰσχυρῶς ante dixerit, Cupido, optantique. Sic vero Auro carius, quasi prouerbio dicebant, quod sibi gratissimum, carissimumque esse significabant. Tibullus in I.

Carior est auro iuuenis, cui leuia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.

O *mihi cara magis candidiore nota.*] In manuscriptis, Nobis ô luce. Et, Nobis ô lucem. Mihi quidem suspicari in mentem venerat, deesse versus, qui sequerentur. Martialis imitatus in IIII.

——Hanc lucem lactea gemma notet.

QVIS *me vno viuit felicior, aut magis hac est Optandus vita, dicere quis poterit.*] In manuscriptis omnibus, Aut magis me est, siue, Mage me est. Ego vero scriptum fuisse suspicor, Aut magis mi esse optandum in vita, dicere quid poterit. est enim planior, & concinnior sententia, nec longe à vestigijs veteris, quæcumque fuit, lectionis discedit. Plautus autem in Capt. in eandem sententiam,

Quoi hominum adaque nemo viuit fortunatior.

Vt contra in Amphitr.

Quisnam me Thebis alter viuit miserior?

M. ANT. MVRETVS.

SI *quidquam.*] Gratulatur sibi de reconciliato Lesbiæ animo; idque eo sibi gratius esse ait, quo minus sperauerat fore. nam & in rebus lætis & in tristibus ea nos præcipue, quæ insperantibus accidunt, mouent.

REFERS *te.*] Hac locutione vsus & Propertius,

Sic mihi te referas leuis, vt non altera nostro
Limine formosos intulit vlla pedes.

Huius epigrammatis tres postremi versus mihi valde suspecti sunt, ita enim varie leguntur, vt appareat eam varietatem non aliunde, quam ex corrigere volentium temeritate, extitisse.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

O *Mihi cara magis candidiore nota.*] Nusquam liberius peruagata est correctorum licentia. atque nunc plane est, vbi istis insanis capitibus succenseam, siue Marulli illi fuerint, seu quicunque volunt nos sapere suo capite. Restituenda est vetusta lectio:

Restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te
Nobis ô lucem candidiore nota.

Vere. ἀρχαϊσμός, insperanti nobis. vt Præsente nobis: Absente nobis apud Comicos. Tibullus.

Perfida, nec merito nobis inimica merenti.

Nobis merenti. Vere supra. ni fallor, diuinauimus, *valedicere* pro *maledicere* legendum esse. Nam hoc epigrãmation pendet ab illo: vt enim in illo excusat se non ex animo valedixisse. sic hic palam præfert se illi restitui.

AVT *magis hac est optandus vita.*] Lege ex veteri scriptura:

Quis me vno viuit felicior, aut magis est me
Optandus vita, dicere quis poterit?

Dicere quis poterit, quis felicior vno me viuit, aut magis me optandus est vita? Traiectio locum corrumpendi in caussa fuit. *optandus vita* ὁμοίως. ζηλωτὸς τῷ βίῳ. μακάριος τῷ βίῳ. Sic beatus vita. In Culice:

Quis magis optato queat esse beatior æuo?

Quod plane huic loco facem adlucet. Hic ergo, *quis magis me optandus vita*: est, τίς μᾶλλον μοῦ ζηλωτὸς τῷ βίῳ.

In Cominium. CIX.

SI, Comini, arbitrio populi tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat,
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorum
Lingua exsecta auido sit data vulturio,
Effossos oculos voret atro gutture coruus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

ANT. PARTHENIVS.

SICONI *arbitrio populi.*] Siconium maledicum, ac obscœnis moribus contaminatum atque diris totius populi execrationibus crudelissimo exitio destinatum deuouet Cat.

ARBITRIO.] Iudicio. Ordo est: Siconi tua cana senectus impuris moribus spurcata intereat arbitrio populi, idest, ad arbitrium & iudicium totius populi tui, cui vita tua scelerata est maxime inuisa.

NON *equid. dub.*] scil. arbitrio populi interibis.

PALLADIVS FVSCVS.

SICONI.] Inuehitur in Siconium hominem maledicum, qui si iudicio populi, cui inuisus est propter maledicentiam, intereat: ait fore vt à feris & volucribus absumatur.

SPVRCATA *impuris moribus.*] Magnis vitiis fœdata.

CORVVS.] Auis est quam vulgus ore coire arbitratur, sed negat Aristot.

LVPI.] De quibus plura legito apud eundem

Aristotelem, Plinium, Solinum & Albertum, nouissimum philosophorum: Sequens epigramma tam clarum est, vt nulla indigeat expositione. A

ACHILLES STATIVS.

SICONI *arbitrio.*] In manuscriptis, Sic homini populari arbitrio. in alijs, Sic horum. Emendauit Hieronymus Auantius, Si Comini arbitrio populi. incertum, an vetus exemplar secutus. Sed caussam, cur suo loco verba moueantur, non video. Legendum igitur, Si Comini populi arbitrio. B

QVIN *primum inimica bonorum.*] Loci similes sunt apud Horat. in v. Carm. ode v.

Post insepulta membra different lupi,
Et Esquilinæ alites.——

Et apud Ouidium in Ibin,

Siue per immensas iactabar naufragus vndas,
Nostraque longinquus viscera piscis edet.
Siue peregrinæ carpent mea membra volucres,
Siue meo tingent sanguine rostra lupi. Ac post,
Ipsæ te fugient, quæ carpunt omnia flammæ,
Respuet inuisum iusta cadauer humus.
Vnguib. & rostro tardus trahet ilia vultur,
Et scindent auidi perfida corda canes. C

LINGVA *exsecta.*] In manuscriptis omnibus, Exserta.

EFFOSSOS *oculos voret atro gutture coruus.*] In Patauino, pro Gutture, Gurgite legebatur.

M. ANT. MVRETVS.

SI, *Comini.*] Tantum odium populi in Cominium esse dicit, vt nemo sit, qui non eum à feris discerpi dilaniarique cupiat.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL. D

SI, *Comini populi arbitrio.*] Ex manuscripta lectione cognoscimus *popul' arbitrio* in Gallicano exemplari scriptum fuisse. pro quo in nostris libris exaratum fuit, *sic homini populari arbitrio.*

Ad Lesbiam. CX.

IVCVNDVM, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuumque fore. E
Dij magni, facite, vt verè promittere possit,
Atq; id syncerè dicat, & ex animo,
Vt liceat nobis tota producere vita
Alternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

ANTONIVS PARTHENIVS.

IVCVNDVM, *mea vita, mihi.*] Lesbia in gratiam cum Catul. rediens ei blandis verbis promittebat hunc amorem fore inter ipsos iucundum, atque perpetuum: orat igitur poëta deos, vt faciant Lesbiam vere promittere, atque ex animo syncere dicere: vt ambobus liceat in tota vita producere ac seruare hanc amoris coniunctionem.

SYNCERE.] Incorruptè ac purè.

ALTERNVM.] Mutuum.

ACHILLES STATIVS.

ATQVE *id syncere dicat, & ex animo.*] Sic Terentius in Eunucho loquitur, *Si istuc crederem sincere dici, quiduis possem perpeti.* Ex animo autem dicere, id Græcè est, ἀπὸ καρδίας. Sic vetus poëta ἢ μὴ ἐρῶν σοι τ᾽ ἀπὸ καρδίας. σαφῶς, καὶ μὴ πιστεύῃς αὐτῷ, ἀλλ᾽ ἴσον φρονῶ.

VT *liceat nobis tota perducere vita Alternum.*] In manuscriptis, Tota producere vita Æternum, &c.

Ad Aufilenam. CXI.

AVFILENA, bonæ semper laudantur amicæ,
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.
Tu quod promisti mihi, quòd mentita, inimica es:
Quòd nec das, & fers, sæpe facis facinus.
Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ,
Aufilena, fuit. sed data corripere
Fraudando, efficitur plusquam meretricis auaræ,
Quæ sese toto corpore prostituit.

ANTONIVS PARTHENIVS.

AVFILENA, *bonæ semper.*] Aufilenam mœcham fraudis atque perfidiæ arguit, quoniam ex pactione Veneris accepto pretio, pacta & promissa non seruet, sed coitum neget. ait poëta eam minime laudandam esse, quoniam neque benigna sit amica, neque ingenua, quia non dat: neque pudica, quia accipit pretium ac promittit: sed promissum non seruat. itaque cum corripiatur ab amantibus, data munera fraudando promissa, efficit maius scelus quàm pertineat ad auaram meretricem, quæ pro pecunia, lucroque omnes membrorum suorum partes stuprandas præbet.

A BONÆ.] Benignæ, liberales in re Venerea. bonus liberalis dicitur. Vir.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

BONÆ.] Inter quas minime potes numerari.

ACCIPIVNT.] Amicæ quę decreuerunt præbere coitum pretium accipiunt: at tu accipis, nec facis quod promittis.

QVOD.] Venereum opus.

QVOD *nec das.*] Quia non das mihi promissum, facis facinus indignum & maxime peccas.

EST.] Interest.

NON *promisse.*] Pro promisisse, & est ordo: Aut fuit pudice non promisisse, scilicet, quod seruare nolebas. B

SED *data corripere.*] Ordo: Sed fraudando corripere data, plus, scilicet, mali efficitur quam interest meretricis auaræ, quæ toto corpore sese prostituit.

FRAVDANDO.] Scilicet promissa.

PLVS.] Scil. mali facinoris: sic Propertius:

Mentiri noctem, promissis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.

TOTO *corpore.*] Superioribus & inferioribus corporis partibus.

C

PALLADIVS FVSCVS.

AVFILENA *bonæ.*] Increpat Aufilenam: quæ cum mœcha esset, promiserat se rem Catullo daturam, si is prius pretium sibi dedisset, quo accepto, ipsa postea poëtam producebat.

ACCIPIVNT *pretium.*] Capiunt mercedem.

QVÆ *facere instituunt.*] Quæ rem dare decernunt.

AVT *facere.*] Ordo est, Aufilena est ingenuæ mulieris, aut facere, aut fuit pudicæ, non promisse, pro promisisse.

SED *data corripere Fraudãdo efficitur.*] Ea inquit quæ postea quàm pretium accepit, non dando virum fallit, plus peccat, quàm meretrix quæ omnibus membris se ad quęstum prostituit. D

ACHILLES STATIVS.

TV *quod promisti, mihi quod mentita inimica es.*] Quod promisisti, & quod mentita es, primum scelus.

QVOD *nec das, & fers.*] Alterum flagitium. In manuscriptis est, Nec das, nec fers. Guarinus illo modo legit, nec tamen, librúmne veterem sit secutus, exprimit. Auctor carminis in Priapum verbo Dandi sic vtitur, *Quædam si placet hoc tibi, Priape, Ficosissima me puella ludis, Et nec das mihi, nec negas daturam.* Sic χαρίζεσθαι Græcis κυρίως τὸ συνουσιάζειν λέγεται, vt scribit interpres Pindari. E

SÆPE *facis facinus.*] Sic Plautus in Mostel. loquitur. *Habeo, Neptune. Non dici potest, quam indignum facinus fecisti, & malum.* Et in Aulul. *Hei, Megadore, haud decorum facinus tuis factis facis.* Et ante illum Ennius in Annali. VII. *Vt faceret facinus, leuis haud malus idem.* Plin. in XXXIII. nat. histor. cap. III. alijsque in locis, Scelus facere sic dixit.

DATA *corripere.*] Id est, dona. Sic opinor Ouid. de amore,

Nullis flectitur ille datis.

Certe Propertius hoc modo in III.

——heu nullis capta Lycina datis.

EFFICITVR.] In manuscriptis legitur &, Efficit, &, Effecit. itaque legendum, Efficitur.

M. ANT. MVRETVS.

AVFILENA.] Insectatur Aufilenam, quod cum promisisset, se ei potestatem sui corporis facturam esse, eoque nomine pecuniam accepisset, postea tamen cum ludificabatur, neque vnquam volebat in rem præsentem venire.

BONÆ.] Quæ neque faciunt copiam sui, neque à quoquam, ea caussa, pecuniam accipiunt.

AMICÆ.] ἑταῖραι.

QVOD *nec das.*] Dare eo sensu quo Græci dicunt παρέχειν.

ET *fers.*] Munera videlicet. fers autem pro aufers.

INGENVÆ.] Eius, quæ nullo rustico pudore, à præstanda, quam semel dederit, fide absterreatur.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

QVOD *nec das & fers.*] Vitiose vetus scriptura: *Quod nec das, nec fers.*

EFFICITVR *plusquam meretricis auaræ.*] Pro *efficitur* vetus lectio habet, *effecit*. hoc est, effecerit. Nam C pro X, scribebant veteres illi librarij. *effexit* supple facinus. ποιήσειεν ἂν τὸ τῆς πόρνης. ἐργάζοιτ' ἂν τὸ τῆς πόρνης, ἤγουν πλεῖ ἐργασίαν τῆς πόρνης.

Ad Aufilenam. CXII.

AVFILENA, viro contentam viuere solo,
Nuptarum laus è laudibus eximiis.
Sed cuiuis quamuis potius succumbere fas est,
Quàm matrem fratres efficere ex patruo.

ANT. PARTHENIVS.

AVFILENA, *viro contentam.*] Nefaria, prodigiosaque Aufilenæ incesta carpit: quoniam patruo suo se prostituerat, & ex eo filios genuerat. Ait igitur quod quamuis laus sit nuptarum, mulierem esse contentam vno viro, tamen magis esset fas cuicunque flagitio succumbere, quam filios ex patruo suo gignere. ordo est: O Aufilena laus nuptarum est laudibus eximiis scilicet nuptam viuere solo contentam viro.

CONTENTAM.] Intelligitur nuptam.

CVIVIS.] Homini scilicet non propinquo.

PALLADIVS FVSCVS.

AVFILENA, *viro contentam.*] Insectatur Aufilenam, quæ cum ex patruo filios genuisset, iactabat laudandam esse mulierem, quæ vno viro contenta foret: ei respondens Catullus ait fas esse cuiuis homini potius succumbere, quàm ex patruo filios gignere.

ACHILLES STATIVS.

NVPTARVM *laus est laudibus eximiis.*] Sic omnimo est in ijs, quos vidi libris. Mihi legendum videbatur,

Nuptarum est laus è laudibus eximiis.

Nuptas quoque absolute dixit Horat. nihil addens in 1. serm.

Hic nuptarum insanit amoribus.

Egregiam laudem nescio an hanc significarit Ausonius in Epicedio in patrem,

Matronale decus possedit filia, cuius
Egregia & nupta laus erat, & viduæ.

SED *cuiuis quamuis potius succumbere fas est.*] Sic Horatius, eodem vsus verbo,

— Iuuet vt tigres succumbere ceruis.

M. ANT. MVRETVS.

AVFILENA.] Vna de præcipuis nuptarum laudibus est, ab omni illicita Venere abstinere. præ ceteris tamen detestanda est earum libido, quæ se non illicitis tantum, verum etiam incestis coitibus commaculant: quod facere Aufilenam ait Catullus, quæ se patruo subijciebat suo.

FRATRES.] Patruorum enim filios, fratres patrueles vocamus. Quare ijdem Aufilenæ & filij, & fratres patrueles erant.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

AVFILENA *viro contentam.*] Liber scriptus, *contenta est.* Legendum sane *contentas.* ex quo fecerant *contenta'st.* Lege igitur:

Aufilena, viro contentas viuere solo
Nuptarum laus è laudibus eximiis.

Laus eximia nuptarum, contentas vno viro viuere.

In Nasonem. CXIII.

MVLTVS homo es, Naso, neque tecum multus homo, sed
Descendis Naso, multus es, & pathicus.

ANT. PARTHENIVS.

MVLTVS *homo es, Naso.*] Nasonem virum procerum ac longum mordet hoc disticho, significans eum esse pathicum: ac draucis se subijcere. in aliis codicibus hæc duo carmina

A cum superiore Epigrammate sunt coniuncta, sed sensu maxime repugnante duo diuersa esse Epigrammata demonstrantur.

NASO.] Vocatiuus est casus, quod sequentis versus verbum probat. ait enim: Multus es & pathicus. ideo legatur vtrumque verbum, præcedens es Naso, & descendis.

MVLTVS.] Procerus, aut frequens.

NEQVE *tecum.*] Sed cum draucis.

DESCENDIS.] Inclinaris ad stupra, & ideò es pathicus.

PALLADIVS FVSCVS.

B MVLTVS *homo es, Naso.*] In Nasonē, qui cùm vir esset proceræ staturæ, draucorum qui eum subagitabant commertio vtebatur.

NEQVE *tecum.*] Sed cum draucis qui te subagitant.

DESCENDIS.] Dum vis ab ijsdem draucis subagitari.

PATHICVS.] Pathici sunt qui se iniri patiuntur.

ACHILLES STATIVS.

C MVLTVS *homo es, Naso, neq; tecum multus homo.*] Multum. corpulentum intellegit, hunc autem prostratum ac libidinis alienæ patientem. id enim dicit, Descendere, non secum, sed vt Horatius loquitur, cinædo geminatum, multum esse dicit. Ouidius, Multam dicere videtur longam, in II. Elegiarum. apud eum sic est,

Tu quia tam longa es, veteres heroidas æquas,
Et potes in toto multa iacere toro.

Nisi sic intellegamus, eam quamtumuis longam, esse tamen aptam veneri. vel, quod tanta sit, totum lectum corpore suo occupaturam.

D
M. ANT. MVRETVS.

MVLTVS *homo.*] Hoc epigrammate turpem aliquam libidinem Nasoni obijci constat: quæ tamen cuiusmodi sit, non intelligere me ingenue fateor.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

MVLTVS *homo es, Naso.*] Venimus ad epigramma omnium iudicio in hoc poëta obscurissimum: sed meo, non adeo perplexum, si illi suam veterem non correctorum lectionem E restitueris. Simul enim id suæ antiquæ scripturæ reddideris, & suo nitori restitueris. Ita ergo ne vna quidem syllaba minus in illo libro perscriptum legimus:

Multus homo (es, Naso, nam tecum multus homo) est, qui
Descendit? Naso, multus es, & pathicus?

Notum est qui sint Aretalogi. & quod dicti, quia de virtute locuti faciunt id, quod Iuuenalis dixit. De virtute loqui esset ἀρεταλογεῖν. Hoc faciebat Naso, qui de virtute locutus, id quod taceo, facere deprehendebatur. Potest ne fieri, inquit poëta, vt tu ἀνδρῷος sis, qualem te verbis facis, & te κίναιδος, qualis esse deprehenderis? ἀνδρῷος

igitur es, & *κίναιδος*, Hæc ſanè non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur. Multus in aliqua re, vt apud Græcos *μυλός*. Nam nugantur, qui Moltus legunt à molendo.

Es *Naſo nam tecum.*] Es námque te iudice magnus vir ἢ ψωλάδης. Ita Propertius locutus eſt. *Nec tantum mecum Romana cubilia viſos.* hoc eſt, me iudice. vel ſimpliciter, tibi ſoli es. nam alij te non cenſent. Eadem ſententia erit, ſi minima licentia legeris ex ductibus priſcæ ſcripturæ:

Multus homo eſt Naſo (nam tecum multus homo es) qui
Deſcendit? Naſo Multus es, & pathicus?

Non eſt dubitandum ita à Catullo ſcriptum fuiſſe.

Qvi *deſcendit.*] ſcriptus liber more ſuo habebat qve pro qvi. quod tam ſæpe monui. *Deſcendit.* ſatis patet quid velit. Iuuenalis:

Ad terram tremulo deſcendunt clune puellæ.

Marem ſe dicebat, & maribus tamen ſuccumbebat. Nunc apertiſſimus huius Epigrammatis ſenſus.

Ad Cinnam. CXIV.

Consvle Pompeio primùm duo Cinna ſedebant
Mœchilli, facto Conſule nunc iterum
Manſerunt duo, ſed creuerunt millia in vnum
Singula, fœcundum ſemen adulterio.

ANT. PARTHENIVS.

Consvle *Pompeio.*] ad Cinnam de innumerabili mœcharum multitudine ſcribit dicens, Pompeio primum conſule duas fuiſſe Cinnæ mœchas, ſed Pompeio iterum conſule non ſolum illas duas manſiſſe mœchas, ſed etiam creuiſſe duo millia ſingula in vnum Cinnæ ſemen adulteris fœcundum.

Consvle *Pompeio.*] ſcilicet exiſtente ſolo conſule. Nam & ſi duo ſimul imperabant conſules, vt eſt in legibus apud Ciceronem, tamen, vt Aſconius & Suetonius ſcribunt, conſternata repub. Clodij cæde ſenatus vnum conſulem & nominatim Pompeium fieri cenſuit.

Sedebant.] placebant. Virgilius:

Et ſedet hoc animo, picturaque addere Troia
Teque tuoſque iuuat. ———

Moechalia.] mœchæ paruæ, ſcortilla. eſt autem græcum diminutiuum τὸ μοιχάλιον, vt à Glycere τὸ γλυκέριον Glycerium: ſic à μοιχαλίς τὸ μοιχάλιον formatur.

Advlterio.] ſcilicet tuo.

PALLADIVS FVSCVS.

Consvle *Pompeio.*] ſcribit poëta hoc tetraſtichō ad Cinnam de mirando Romæ mœcharum incremento. Pompeio enim primum

A conſule duæ tantum mœchæ in vrbe ſedebant, ſed poſtea cum idem Pompeius factus eſſet iterum conſul, creuerant ad duo millia.

Moechilia.] mœchilium græcum eſt vocabulum, quod paruam mœcham ſignificat.

Dvo.] duæ mœchæ.

Millia.] Ioannes Phoſphorus vir tam Græcè quam Latinè bene litteratus, qui in Cypro vbi publicè conductus profitebatur nupertime periit, legebat Chilia.

Foecvndvm *ſemen adulterio.*] ait Catullus ſemen eorum qui adulteria ſectantur eſſe admodum prolificum.

B

ACHILLES STATIVS.

Consvle *Pompeio primum duo Cinna ſedebant Mœchilia, facto conſule nunc iterum.*] Quam multorum ingenia locus hic exercuit? Quam parum etiamnum inter eruditos homines conuenit? Ego vero, cum veteris lectionis, quamuis corruptæ, rationem ſemper habendam exiſtimo, tum conandum etiam cuique vt ab illa, emendans, quam minime poſſit, longe diſcedat. itaque cum in manuſcriptis, quos viderim, omnibus, legatur, Mecilia, leuiter muto, diſtinguoque. *Mœchi, illo facto conſule nunc iterum.* Et quæ
C ſequuntur. Sed iſdem in libris erat, Solebant, non Sedebant. Sedebant, duco rectius. eſtque in obſcenis verbum Sedere. de quo iam dictum.

M. ANT. MVRETVS.

Consvle *Pompeio.*] ne hic quidem me pudebit fateri, hos quatuor verſus à me non intelligi. Poſſem, quæ ab aliis afferuntur, refellere: poſſem ipſe quoque, ſi liberet, aliquid eorum exemplo confingere. malo ſimpliciter id, quod eſt, dicere: neque facere, quod iſti, qui dum integra, corrupta, facilia, difficilia, nuſquam hæſitantes, ſine vllo diſcrimine interpretantur, im-
D peritis fortaſſe docti, doctis quidem & intelligentibus imperiti atque audaces videntur. ſed nimirum cæcorum oculis tantundem intempeſta nocte, quantum vel meridie, lucet. accuſet in his locis inſcitiam meam alius, dum ipſe, quod probemus, afferat. gaudebimus.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Primvm *duo, Cinna, ſedebant.*] Importuniſſimum correctorum vulgus hic quoque non vſitato ſcelere debacchatum eſt. Nam *ſedebant*
E ſuppoſuerunt pro eo, quod Catullus & veteres membranæ *ſolebant.* quod recte habebat. Superius monuimus veteres in iis, in quibus volebant reticere verbum, contentos fuiſſe ſolo verbo *ſolere.* Supra *-ſolet hæc imaginoſum.* Plautus: *Quæ nos prædicant cum viris ſuis ſolere.* non adhibuit verbum, quod præcipuum erat ſententiæ. Sed notum quid ſoleant Mœchi. Item notum *quid ſoleant* mulieres cum alienis viris.

Moechilia.] Egregia exemplaris Gallicani ſcriptura duabus ſynalœphis concepta, *Mœch' ill' a facto. a,* eſt *ab.* neque aliter in noſtro libro

scriptum fuit, *ill'* mutarant in *ili.* quia τὸ *l*, & *i* in Langobardicis literis nulla differentia est. Putant ænigma esse hoc, non epigramma homines eruditissimi, atque disertissimi. Atqui certissimum est Catullum hic τὴν σκάφην σκάφην vocare, & nulla nos flexuosa dictione, vt λοξίας ille solet, morari. Ait enim simpliciter, Pompeio primum consule vnum aut alterum reperiri Romæ alieni lecti insessores. eandémque ad eius secundum consulatum, adulteriorum raritatem fuisse. sed postea pro vno, mille succreuisse: & hinc propagatam illam infamiæ segetem, qua Catulli ætate tota Roma flagrabat. Quod si historia quædam hic intelligeretur, de solis Mamurra & Cæsare tantum sermo esset. vt illos Mœchorum signiferos dicat fuisse. Sane epigramma non adeo tantis tenebris obsitum est, quantis volunt homines magnæ eruditionis, & primi in literis nominis.

SED *creuerant millia in vnum singula.*] Liber habebat *Singulum*, non *Singula.* ita exteritur media, vt in *Auruncul eia.* Plautus Clitellaria: *Atat, singulum video vestigium.* Varro [illegible] libro primo: *Tu vero doces historiam necessariam, semel vnum singulum esse.* Idem octogesima [illegible] *Hoc erat incommodi, quod nesciebamus semel vnum singulum esse.*

In Mentulam. CXV.

FIRMANO saltu nõ falsò Mẽtula diues
Fertur, qui tot res in se habet egregias,
Aucupia omne genus, pisces, prata, arua, ferásque.
Nequiquã. fructus sũptib. exuperat.
Quare cõcedo sit diues, dũ omnia desint,
Saltũ laudemus, dũ tamen ipse egeat.

ANT. PARTHENIVS.

FIRMANVS *saltu.*] Salium Firmanum se magnæ mentulæ beneficio beatissimum, atque locupletissimum ridicule iactantem, ac propterea tanquam plurimum posset superbè minantem inimicis, amaris iocis insectatur.

NON *falso.*] ironica irrisio.

TOT *res egregias.*] aucupium, omne genus piscis, prata, arua, feras, vt ipse ridicule iactabat, pro his omnibus mentulam sibi satisfacere.

QVICQVAM *fructus.*] aliquid fructuum ex tot possessionibus mentulæ. Nam hic mentulatus adulteriis, atque vetularum subagitationibus multum diuitiarum consequebatur, sed omnia luxuriosis sumptibus quamprimum absumebantur.

INSTAR.] ad æquiparationem. & ordo est: Mentula habet triginta iugera prati, & xl. arui.

PALLADIVS FVSCVS.

FIRMANVS *Salius.*] irridet Firmianum, qui cum bene mentulatus esset, & ob id partim à vetulis prurientibus, partim à barbatis cinædis conductus, magnum lucrum faceret, iactabat se mentulæ beneficio habere omnia; arua scilicet prata, piscinas, & nemora feris referta.

SALIVS.] erant Salij sacerdotes martis, quos Numa primus instituit: eis, vt Varro ait, à saltando nomen est inditum: Nam quotannis ancylia per vrbem gestantes, carmina quædam cum lasciuia canentes populo inspiciente saltabant.

EGREGIAS.] egregium propriè dicitur quod ex grege eligitur: idem significat eximium.

AVCVPIVM *omne genus, piscis.*] ea breuiter commemorat, quæ Firmanus mentulæ beneficio se habere gloriabatur.

DVM *omnia sint.*] dum ipse nihil habeat.

ACHILLES STATIVS.

FIRMANO *saltu non falso Mentula diues Fertur.*] Guarinus legit, Firmani saltus. Aldus pridẽ impressit, quo modo posuimus. In scriptis libris est, Firmanus Saluus, &, Salius. Ego primum illud, Firmano saltu, retinendum censeo. vt Mentula Firmano saltu diues intellegatur. Cic. in II. de Diuin. *L. Tarutij Firmani meminit: cuius is forte saltus fuerat. L. quidem, inquit, Tarutius, familiaris noster, inprimis Chaldaicis literis eruditus.* & quæ sequuntur.

QVI *tot res in se habet egregias.*] In manuscriptis, Qui quot res in se habet egregias. Vt ab admirante hæc dici intelligas. Deinde enumeratio sequitur.

AVCVPIA *omne genus, piscis.*] In manuscriptis, Aucupia, distinctum ab, Omne genus piscis. sic. L. Pomponius ante eum, *omne piscati genus.* Piscis autem, pro, Pisces, more etiam antiquorum, dixit.

NEC *quidquam fructus.*] Nec enim quæstus potest consistere, vt ait Plautus, si eum sumptus superat. In manuscriptis, Ne quidquam fructus. illud probabilius.

SALTVM *laudemus, dum tamen ipse egeat.*] In manuscriptis omnibus, Dum modo. & retinendum puto.

M. ANT. MVRETVS.

FIRMANO *saltu.*] Mentulam, de quo superius egimus, id est, vt suspicor, Mamurram, ait non falso haberi diuitem, qui saltum habeat pulcherrimum, & fructuosissimum, eundem tamen ita sumptuosum esse, vt tantos fructus, quos ex illo saltu capit, exuperet sumptibus: itaque in tantis diuitiis perpetuo tamen egere. Pro *Firmano* autem, in non nullis legitur *Formiano.* & Firmani, & Formiani populi sunt Italiæ. vtrum verius sit, haud facile dixerim. quin enim Formianus quoque penultima breui dici queat, dubitari non oportet.

QVI.] saltus.

NEQVICQVAM.] frustra, inquit, hæc tam multa possidet. homo enim libidinosus.

FRVCTVS *sumptibus exuperat.*] Quo fit, vt in tantis diuitiis, omnia tamen ei deesse videantur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

FIRMANO *saltu.*] Omnia hæc supposititia sunt,& ab audacibus interpolata. Scriptura vetus né ipsa quidem sincera est, sed tamen præ se fert,quid velit. Ea habet : *Firmanus saluus non falso*, &c. Vt iam constet recto casu hic non sexto legendum, vt in vulgatis. Nam profecto *saluus* perperam pro *saltus* scriptum est. Iam Mamurra non Firmanus sed Formianus fuit,quanquam & prædia potuit habere in agro Firmano. sed hoc esset nugari. Nam quum constet Formiis natum Mamurram ex Plinio, item ex Iuuenale, qui Formias Mamurrarum domum vocat, cur alium illi prædium aut saltum dabimus, & suum illi auferemus? sed profecto Catullus scripsit:

Formianus saltus non falso, M. diues
Fertur. Nam Grammatici offensi sunt syllaba penultima,quam nollent à Catullo productam. atqui ita non est. Neque enim dactylus primus est pes, sed spondeus. Horatius:

Vt Nasidieni iuuit te cœna beati.

Secundus pes est spondeus. idem, *Vindemiator.* Est Epitritus quartus. Nam quatuor syllabarum est, trium longarum & vltima breui. Virgilius:

Fluuiorum rex Eridanus, primus pes spondeus. Est præterea mille talium exemplorum apud Veteres. quare & hic quoque nullo dubio *Formianus* legendum, duobus spondéis primoribus. Dirigitur autem sermo ad ipsum Mamurram. O Mamurra, Formianus saltus tuus non falso est diues,qui tanta bona in se habeat. Nam qualis barbarismus esset ille, si Catullus dixisset, Mamurram in se habere aucupia, & pisces, non saltum ipsum? Quod sane sequatur necesse est, si vulgarem illam ineptam lectioné tueamur, quæ est,contra scripturam antiquam,&, quod caput est.contra mentem poëtæ. Ac nescio an Catullus dixisset, *Ego sum diues illa re*, sed *illius rei.* quanquam non damno. Nam hoc modo supra dictũ notamus, beatus vita, pro quo alij, beatus vitæ.

QVI *tot res in se habet.*] Melius vetus scriptura: *quæ quot res.* Admirabundus hoc ait. & sensus est lepidissimus,& maxime conueniens ei quod dixit,non falso censeri diues esse illud prædium.

NEQVICQVAM *fructus sumtibus exuperat.*] Scribe: *Nequicquam, fructus sumtibus exuperas.* Secunda enim persona scribendum, quum ad ipsum Mamurram sermonem dirigat, vt iam dixi. Frustra, inquit, diues & copiosus est saltus tuus. Nam fructus illius prædij tu sumtibus tuis exuperas. Notus est nepotatus Mamurræ ex Iambo, quem in ipsum vibrauit Catullus.

DVM *tamen ipse egeat.*] Vetus scriptura, *dum modo*, non, *dum tamen.* quod melius est. Sed secunda persona hic legendum EGEAS, non EGEAT. Iam emendatissimum est epigramma hoc, quod correctores tot vulneribus confecerant.

In eundem. CXVI.

MENTVLA habet iusta triginta iugera prati,
Quadraginta arui, cætera sunt maria.
Cur nõ diuitiis Crœsũ superare potis sit.
Vno qui in saltu tot moda possideat?
Prata, arua, ingentes siluas, saltúsque, paludésque,
Vsque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.
Omnia magna hæc sunt. tamen ipse est maximũ' lustro,
Non homo, sed verè Mentula magna, minax.

ANT. PARTHENIVS.

INSTAR.] idest, ad æquiparationem. aut sic distinguatur: Mentula instar prati habet xxx. iugera:& mentula instar arui habet xl. iugera, reliqua mentulæ spacia sunt maria,& piscinæ.

MARIA.] retulit ad id, quod supra dixit omne genus piscis.

CROESVM.] rex Lydorum Crœsus, cuius diuitiæ, opesque insignes fuerunt cum Babyloniis aduersus Cyrum Persarum regem tulisset auxilium victus in regnum confugit. Cyrus autem victoria potitus in Lydiam transtulit bellum,in quo Crœsus ipse captus, maximáque regni parte mulctatus, vitam & patrimonij partem, vrbemque Bercem sibi à Cyro concessas recepit: alia & diuersa scribit Herodotus.

VSQVE *ad Hyperboreos.*] ironica hyperbole: Hyperborei Scythiæ vltimæ finitimi populi in Asiatico littore primi super Aquilonem, Rhipheósque montes sub ipso siderum cardine iacent: vbi Sol non quotidie vt nobis: sed primum verno æquinoctio exortus autumnali demum occidit. ideo sex mensibus dies & totidem aliis nox vsque continua est. Terra angusta, aprica, per se fertilis: cultores iustissimi:& diutius quàm vlli mortalium & beatius viuunt. hæc ex Mella.

IPSE *est maximus vltor.*] vt ipse iactat se hac mentulæ opulentia posse omnes iniurias vlcisci.

VERE.] certè,& non falso mentula ipsa magna est minax: non autem homo Salius est minax aut vltor.

PALLADIVS FVSCVS.

CROESVM.] quem constat fuisse hominum illius temporis ditissimum.

VNO *in saltu.*] appellat saltum eiusdem Firmani mentulam.

HYPERBOREOS.] Hyperborei populi sunt plagæ septentrionalis trans flatus Aquilonis iuxta Oceanum. de quibus scribit Plin. lib IIII. hist. nat. *pone eos montes vltraque Aquilonem gens felix (si credimus) quos Hyperboreos appellauere: annoso degit æuo fabulosis celebrata miraculis:*& paulò infra: *regio aprica, felici temperie, omni afflatu noxio carens, domus iis nemora lucique,& deorum cultus, viritim gregatimque discordia ignota & ægritudo omnis.*

Mentvla *magna minax.*] Firmanus enim minabatur se sola mentula omnes iniurias ab inimicis sibi illatas facile posse vindicare.

ACHILLES STATIVS.

Mentvla *habet instar triginta iugera prati.*] Est etiam in manuscriptis libris, Instar, & ferri possit. quæ fuit & aliorum poëtarum licentia, tamen ab ea lectione non longe abiens, suspicabar legendum, pro, Instar, Iusti.

Cetera *sunt maria.*] In Zanchi libro erat, Extera sunt maria.

Vno *qui in saltu tot bona possideat.*] In manuscriptis aliis, Moda, in aliis, Modo, vt in Zanchi. quod sit ipsum tolerabilius. nec enim plane satisfacit.

Omnia *magna hæc sunt, tamen vt sint maxima, & vltra, Non homo, sed vere mentula magna nimis.*] At in manuscriptis aliter. Sic nempe.

Omnia magna hæc sunt, tamen ipse si maximus vltor,
Non homo, sed vero mentula magna minax.

Credo ego, hunc Catullo in se iocanti, grauiter minatum, cum suas opes efferret. Hic igitur, inquit, vltor grauis, non homo, sed vero est minax mentula. Hic non, vt homines, telo, sed aliorum probitati ac pudicitiæ mentula minatur. Sed lego pro, Tamen ipse si, Tamen ipse hic, nec enim à praue scripta lectione longè disceditur. Verg. in VIII. Herculem maximum vltorem eodem modo dicit.

——nam maximus vltor
Tergemini nece Gerionis, spoliisque superbus
Alcides aderat.——

M. ANT. MVRETVS.

Mentvla *habet.*] hoc quoque versu eiusdem diuitias exagitat, negátque eum, diuitiarum caussa, pluris fieri oportere, cum hominis nomine indignus præter obscœnæ partis magnitudinem, nihil habeat, quo in aliquo numero poni queat.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Instar *triginta iugera prati.*] Scribe meo periculo, IVSTA, non *instar. Iusta*, pro quo nunc errorem librariorum & vitiosam consuetudinem sequuti dicimus, *iuxta*. Supra: --*Callisto iusta Lycaonida. Iusta* hic est iunctim, ἴσως.

Cætera *sunt maria.*] Prouerbium est, θάλασσα χρυσοῦ, Montes auri, & similia. Maria & montes polliceri. χρυσοῦ πόντος. Phœnix vetus poëta:

Ἀνὴρ Νῖνος τις ἐγένεθ᾽ ὡς ἐγὼ κλύω,
Ἀσσύριος, ὅς τις εἶχε χρυσοῦ πόντον,
Καὶ τἄλλα πολλῷ πλείονα Κασπίης ψάμμου.

Eadem figura apud Callimachum:

Οὐ φιλέω τ᾽ ἀοιδὸν, ὃς οὐχ ὅσα πόντος ἀείδει.

Hebræi quoque eodè prouerbio vtútur. In threnis Hieremiæ: *magna est sicut mare tribulatio tua.*

Vno *qui in saltu tot bona.*] Repone ex veteri lectione, *tot moda.* Notum, veteres, *omnimodum* dixisse. Sic *totmodum* vna voce. Sic omnifariam, & totfariam, & aliquotfariam. Varro.

Omnia *magna hæc sunt tamen vt sint maxima & vltra.*] Deformata omnia hæc sunt, vt apparet. Vetus lectio:

Omnia magna hæc sunt; tamen ipse est maximus vltor.

Transposita & luxata sunt ista. Nam ne vna quidem literula minus ita legendum:

Omnia magna hæc sunt, tamen ipse est maximus lustro.

Hæc quidem, inquit, magna confiteor. sed quum ipse omnia absumat in lustris, cui bono illæ tantæ opes, si fructus sumtibus exuperat? Lustro lustronis, est qui in lustris patrita & auita absumit. Næuius:

Pessumorum pessume, audax, ganeo, lustro, aleo.

Et verbum *lustrari.* Lucilius:

Quem sumptum facis in lustris, circum oppida lustrans.

Plautus:

Luxantur, lustrantur, comedunt quod habent.

Et *lustramentum*, apud Iurisconsultum, ἀσέλγεια, ἀφροδισιασμός.

Non *homo sed vere M. magna nimis.*] Repone.

Non homo, sed vero M. magna, minax.

ita habet vetus scriptura: Non homo, non hominis nomine dignus, sed ipsamet libido, quæ iactat sese de diuitiis suis. minacem vocat Aretalogum, qui hominum aures diuitiarum suarum prædicatione obtunderet. Hoc enim vult verbum minari. Horatius:

Atqui vultus eras magna & præclara minantis.

Sane scriptura, quam reposuimus, extat etiam in editione Parthenij. Quis primus mutauerit, nescio.

Ad Gellium. CXVII.

Sæpe tibi studioso animo venante requires
Carmina vti possẽ mittere Battiadæ,
Quis te lenirem nobis, neu conarere
Telis infestans icere mĩ vsque caput.
Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem,
Gelli, nec nostras huc valuisse preces.
Cõtra nos tela ista tua euitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

ANT. PARTHENIVS.

Sæpe *tibi studioso animo.*] Gellius vt à Catul. carmina ex Callimacho superius translata extorquere posset, ioco minitabatur poëtæ, se tanquam muscam telis & aculeis eius caput infestaturum, ni sibi Callimachi versus translatos mittat. Poëta nunc vrbanè, atque facetè respondet se frustra multas fudisse preces, vt à petendis carminibus Gellius desisteret, cùm omnino requirat identidem minitando: quare ait vrban Catul. se amicum muscæ illius tela & aculeos facile vitaturum.

Sæpe *requiris.*] plerunque repetis.

Venante.] captante meam voluntatem.

translatio à venatoribus feras indagantibus.

VTI.] pro vt.

CARMINA *Battiadæ*.] carmina mea ex Callimacho de Berenices crinibus traducta.

QVÆ.] carmina.

TE *lenirent*.] placarent ab infesta mihi ira, quam iocose fingebas.

NEV *conarere*.] hic versus à primo ad imum spondaicus est.

INFESTVM.] tibi obnoxium, & à te infestandum passiua significatione posuit. vt Cicero pro Planco: *Dolebam iudices & acerbè ferebam, si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior, quod is meam salutem, atque vitam sua beneuolentia, præsidio, custodiáque tenuisset*. Alias infestus dicitur qui infestat alios.

ICERE.] ferire, pertundere.

MVSCA.] tu tanquam musca vt iocosè minitaris: aliqui codices habent hæc verba, Minúsque pro musca. alij mitterem vsque caput, quorum neutra lectio probanda videtur. Nam in priori mi pro mihi superfluum esset, cum in præcedenti versu sit nobis. vt sit ordo: Meum tu conarere musca nobis icere telis caput infestum: alia vero à me improbata lectio syllabis inuersissimis: atque vitiosissimis seipsa confutat.

HVNC *laborem*.] nostras preces laboriosas.

NEC *nostras hinc valuisse preces*.] ephexegesis est.

ISTA *tua*.] istos tuos aculeos ô musca Gelli.

AMICTV.] tegumento capitis.

NOSTRIS.] alij codices habent nobis: quæ lectio probabilior videtur, vt sit: Tu affixus mihi, & meo capiti patieris supplicium.

DABIS.] finalis, s, de metro abiicitur more antiquorum licentioso, vt Ennius:

Egregie cordatus homo catus Aelius sextus.

HÆc habui humanissime lector; quæ assiduis literarij ludi humoribus implicitus atque distractus per singulas lectiones Catullianas annua fere, aut non multo longiore commentatione mihi annotata tecum, triennio post operis fœturam, communicanda esse duxi: vt si enarrationibus meis studio tuo vlla ex parte consului: tu quoque pari mecũ officio, & industria, si quid est à me vel prætermissum vel ignoratũ, quod ad necessariã Catulli mei pertineat illustrationem, istius arcani tui me participẽ benigne facias: atque si quid erratũ est, quod potuerit à me & deprehendi & corrigi, non tantum mihi vitio des, quãtum amicis meis honori meo nimis cupide studẽtibus: per quos non licuit mihi scripta mea in nonum cõprimere annũ. Est præterea quædã alia editionis festinatæ causa non minor in nonnullis hominibus inuidis, qui enarrationes meas superiore anno quarto discipulis meis dictatas, & in cõmentariũ sine nomine meo redactas, dũ iniquè intercipiunt, meũ operis maturandi consilium euerterunt. Sed ex is interpretationibus, si qua mihi mutanda quæ fortasse non pauca erũt, videbuntur, fato mihi non aduersante faciam te certiorem in quæstionibus meis: quas iam exorsus successiui temporis textura in lucem maturo partu deducã. Non autem ignoro plerosque literatores atq. difficiles Criticos vel reclamaturos A graui supercilio, vel scriptis suis huic meo conatui perinde ac temerario refragaturos: quoniam loca quædã mutãda censuerim, & innouare sim ausus, quale illud, Idæosne petã montes. Et Peneum propter amœnum. Verum hi si qui sunt hoc æquius videant, ne ipsi multo audaciorem, ne dicam impudẽtiorem temeritatem incurrãt, cùm ingenuos labores meos pro ciue meo piè susceptos ob paucissima loca vetustate corrupta inhumanè damnent: ac inuidia compulsi lacerẽt impudenter. Cur igitur huiusmodi homines tãquam fuci operi alieno infesti insidiatores ipsi B ante me tales conatus nõ sunt aggressi? Cur alienam inuentionem oscitantes expectarunt? Cur Herculea virtute instructi ac freti immanẽ Catulliani carminis hydram non sunt ausi conficere? Cur ante vigilias meas tam desidiosi hallucinatores fuere? Cur denique molesti alieni operis Critici benedicendo potiúsquam obtrectando honestis laboribus nomen ac famam sibi non quæsiuere? Vale.

PALLADIVS FVSCVS.

C SÆPE *tibi studio animo*.] Catullus nuper verterat in linguam quædam Callimachi carmina incertum eane, quæ de comis Berenices hic leguntur, an alia: id autem cum innotuisset, Gellius à poeta tanquam ab amico instanter petierat, vt eadem carmina sibi traderet legẽda. Verũ cum Catullus nondum illa edere vellet, & ideo Gellium orasset, vt is à petendo desisteret: Gellius quasi irasceretur, continuò minatus est se veluti muscam caput poetæ ictibus infestaturum: nec prius ab huiusmodi vexatione destiturum quam ei rem exoptatam extorsisset. ad hunc igitur scribit Catullus.

BATTIADÆ.] Callimachi de quo abunde diximus in superioribus.

D LENIRENT.] te mihi placarent.

MVSCA.] tanquam musca cuius ictus licet nobis cutem non saucient, sunt tamen molesti.

FRVSTRA *sumptum esse laborem*.] precandi scilicet ne à me peteres carmina ipsius Callimachi.

DABIS.] abiicitur S. de metro in scansione. quod à priscis fieri solitum multorum patet exemplis. Q. Catullus in epigrammate apud Gellium.

Ibimus quæsitum: verum ipsi ne teneamur
Formido quid ago, da Venus consilium.

E HI sunt nostri in Catullum Commentarij, Laurẽti iuuenis clarissime, quos ego hortatu amicorum editurus tibi lubens dedicaui: Vt ipsi tuo, cæterorumque Bragadenorum fauore, aliqua ex parte muniti in medium audacius prodirent. Quamuis enim in toto opere vsus sim eo temperamento, vt nemini vnquam detraham & si quid ab aliis didicerim, id acceptum referam: Video tamen mihi quoque paratos esse illos, qui obtrectatione alienæ scientiæ famam sibi aucupantur: vel ob id potissimum quod nonnullis in locis partim vetustioris exemplaris fidem secutus, partim ingenio meo fretus, epigrammata

quæ alij interpretes ante me iunctim legerunt, diuidere: & alia quæ iidem diuiserunt, coniungere non dubitauerim: sed ego tuo cuique similium iudicio contentus Homeromastigas omnes & quicunque illis fauet, vt Catulli verbis vtar, pili facio. Valeat præstantia tua cui me plurimum commendo.

ACHILLES STATIVS.

SÆPE *tibi studioso animo venante requires*
Carmina vti possem mittere Battiadæ
Qui te lenirem nobis, neu conarere
Telis infesta mic teremusque caput
Hunc video mibi nunc frustra sumptū esse laborē.] Ita descripsi hos versus, vt erant in melioribus manuscriptis. Nunc è malis bonos facere temptent, atque experiantur acuti homines. Si quis tamen in tanta corruptela, deprauationéque lectionis acumini locus esse potest, distinguebam ipse. Qui te lenirem nobis. Battiades vero Callimachus dicitur etiam Ouidio in Ibin,

Nunc, quo Battiades inimicum deuouet Ibin,
Hoc ego deuoueo teque tuósque modo.

TELIS *infesta.*] Legebam, Telis infestans mi icere musca caput. Veteres autem quasi prouerbio Μυίας δηγμὸν videntur dixisse. nam Plutarchus in libro σωικῶν ἐναντιωμάτων, Chrysippi sententiam refellens, Ὅμοια δ᾽ εἴρηκε τούτοις ἐν τῷ τετάρτῳ περὶ θεῶν. ἐπὶ γὰρ ἅμα, φησὶ, τινὰς ἐπαινοῦντες ἀποσώζεσθαι. καὶ τὰ πλεῖστα τῶν συμβαινόντων ἀπ᾽ ἀρετῆς, οὐ δυσχεραντέους χαλεπῶς ἀποφέρεσθαι, καὶ καρτερεῖν μυίας δηγμόν. Ac paulò post, εἰ γὰρ ἴσον δεῖ τὸν ἄνθρωπον, δῆγμα μυίας ἐνεγκεῖν, καὶ τὸ συμβαῖνον ἀποφέρεσθαι καλῶς, ἰδεῖν, ὅμως, διαφέρει τὸ σπουδαῖον ἀπὸ τούτου, ὃ ἀπ᾽ ἐκείνου ἐπαινεῖσθαι.

HVNC *video mibi nunc frustra sumptum esse laborem.*] Nunc, aduersatiua. Sic Metellus ad Cic. *Nunc video illum circumuentum, me desertum à quibus minimè conueniebat.* Præcedunt hæc ipsa, multa alia.

CONTRA *nos tela ista tua euitamus amictu*] Lenia scilicet. Sic Anacreon Κύσα βέλεμνα. est enim apud illum, φιλοκέρτομον γλυκὺς φθέγγε βέλεμνα κύσα.

ADFIXVS *nostris tu dabis supplicium.*] Nostrum, inquit, enim mage erit, vt ait poëta, penetrabile telum. Et posterior etiam Manilius. s. ipsum sic elisit, *Formosos Phœbus geminos, Cyllenius cancrum.* Vt Cicero ante, *Delphinus iacet haud nimio lustratus nitore.* Vetustiores autem fere semper elidebant.

M. ANT. MVRETVS.

SAEPE *tibi.*] difficile est in tam deprauatis versibus, quid verum sit, videre. si quis tamen coniecturæ locus est, ita suspicor. Gellius, propter impositas sibi Catullianis versibus notas, cœperat ipse quoque vicissim Catullum, non tam metuendus, quam ipsa assiduitate molestus hostis, quacunque ratione poterat lædere. Catullus, vt hanc à se molestiam depelleret, sæpe

A cogitasse se dicit, de carminibus quibusdam quæ ex Callimacho verterat, dono ad eum mittendis, quibus ipsius animus mitigaretur: quem laborem cum sibi frustra sumptum esse videat, intelligatque nulla ratione placari Gellium posse; hoc se fidere ait, quod tela Gellij eius generis sunt, vt facile vitari queant; at illa, quibus ipse Gellium fixit, eam vim habent, vt in omnem posteritatem nefarias ipsius libidines propagatura sint. Primi versus postrema vox desideratur.

TELA *infesta.*] in aliis,

Infestum telis icere musca caput.

B qui versus neque inconcinnus, neque à sententia alienus est; sed, quod in his rebus vnum considerari oportet, Catulli non est. hunc autem, quem nos reposuimus, in libris veteribus legi: ipsi quoque, qui eum reiecerunt, confitentur. Porro si, vbi veteres libri aut deficiunt, aut scripturam parum probabilem habent, tamen, eorum auctoritate neglecta, aliquid de suo attexere temeritatis est, vbi perspicue in eis probabile aliquid & idoneum legitur, consulto alia quærere, & noua veteribus, adulterina germanis, falsa veris anteponere, cuius insaniæ esse dicemus?

HÆC habui, quæ in Catullum scriberem: quæ
C si studiosis huius poetæ placebunt; erit quod mihi gratuler: sin minus; nunquam me tamen, præstitisse ea, quæ potui, & morem gessisse voluntati amicorum, qui hortati me sunt, vt hoc munus susciperem, pœnitebit.

IANVS DOVSA FIL.

TELA *infesta meum mittere in vsque caput.*] Sic Iulianus in Misopogone: βάλλετέ με τοῖς σκώμμασιν ὥσπερ τοξεύμασι hinc & iacere maledicta apud Liuium. *iacere contumeliam* atque etiam *iniuriam* apud Ciceronem. Sed & in Oratione pro Quintio scribit: *Ita fit vt ego, qui tela depellere & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cùm*
D *etiam telum aduersarius nullum iecerit.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SAEPE *tibi studioso animo veniam dare quæres.*] Hæc est vetus scriptura, quam alio modo in vulgatis editionibus legimus, Lege,

Sæpe tibi studioso animo venanda requirens, &c.

Sæpe, inquit, requirens, vt mitterem tibi carmina Callimachi studioso animo venanda. hoc est, quæ studiosè inuestiganda sunt. nam *requærere*, pro *requirere* dicebant, & *requæres*, pro *requærens*,
E vt supra *perures* pro *peruren*s.

TELIS *infestum icere.*] Vetus lectio: *Telis infestum iicere:* Lege.

Telis infesto mi icere, musca, caput.

Telis infestus, hoc est armatus. Sic dicunt, infestum spinis, infestum aculeis. Prouerbialiter dixit, Musca armatum petis.

AFFIXVS *nostris.*] Lege, *At fixus*, & ita vetus scriptura.

FINIS.

ALBII TIBVLLI EQVITIS ROMANI LIBRI IV.

ELEGIA I. LIB. I.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli:
Quem labor aßiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos claßica pulsa fugent,
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus aßiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus, & facili grādia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper aceruos
Præbeat, & pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis:
Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur antè Deo.
Flaua Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pēdeat ante fores.
Pomosisq; ruber custos ponatur in hortis,
Terreat vt sæua falce Priapus aues.
Vos quo felicis quondam, nunc pauperis horti
Custodes, fertis munera vestra Lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa iuuencos,
A Nūc agna exigui est hostia magna soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet, iô messes, & bona vina date.
Iam modò non possum contentus viuere paruo,
Nec semper longæ deditus esse viæ:
B Sed Canis æstiuos ortus vitare sub vmbra
Arboris, ad riuos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse boues.
Non agnámve sinu pigeat, fetúmve capellæ
Desertum oblita mare referre domū.
At vos exiguo pecori furésque, lupíque
C Parcite. De magno est præda petenda grege.
Hîc ego pastorémque meum lustrare quotannis,
Et placidā soleo spargere lacte Palē.
Adsitis Diui, nec vos è paupere mensa
Dona, nec è puris spernite fictilibus.
Fictilia antiquus primùm sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto.
D Non ego diuitias patrum fructúsque requiro,
Quos tulit antiquo cōdita meßis auo.
Parua seges satis est: satis est requiescere lecto,
Si licet, & solito mēbra leuare toro.

Quàm iuuat immites ventos audire cubantem, A
Et dominam tenero continuisse sinu!
Aut, gelidas hibernus aquas cùm fuderit Auster,
Securũ somnos, imbre iuuante, sequi.
Hoc mihi contingat. sit diues iure. furorem
Qui maris, & tristes ferre potest pluuias. B
O, quantum est auri, pereat, potiúsque smaragdi,
Quã fleat ob nostras vlla puella vias.
Te bellare decet terra, Messalla, mariq.
Vt domus hostiles præferat exuuias.
Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ:
Et sedeo duras ianitor ante fores. C
Non ego laudari curo, mea Delia, tecũ
Dummodo sim, quæso segnis, inersque vocer.
Te spectem, suprema mihi cùm venerit hora,
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis, & arsuro positum me Delia lecto,
Tristibus & lacrymis oscula mista dabis. D
Flebis: non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuuenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum. E
Tu Manes ne lade meos, sed parce solutis
Crinib. & teneris Delia parce genis.
Intereà, dum fata sinunt, iungamus amores,
Iam veniet tenebris mors adoperta caput.
Iam subrepet iners ætas, nec amare decebit:
Dicere nec cano blanditias capite.
Nunc leuis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, & rixas inseruisse iuuat.
Hìc ego dux, milésque bonus. vos signa, tubæque
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris,
Ferte & opes. ego cõposito securus aceruo
Despiciam dites, despiciámq; famem.

BERNARDINVS CYLLÆNIVS VERONENSIS.

DIVITIAS *alius fuluo sibi congerat auro, Et teneat culti iugera magna soli.*] Genus carminis dicitur Elegiacum, quod hexametro pentametróque versu alternatim locato constat. Est autem dictus elegus ἀπὸ τῶ ἐλέου.i. misericordia: factus est enim ad compassionem de mortuo concitandam. Ouid. in elegia de Tibulli interitu.

Flebilis indignos elegia solue capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.

hoc enim versiculo maiores primo de hominib. iam defunctis vita, querimonias, mox & in amorib. æstus ediderunt. Hor. Flaccus in poëtica.

Versibus impariter iunctis querimonia primum,
Post etiam est inclusa voti sententia compos.

siue dictus est elegus ab ἐλεω λέγω, vel à voce lamentantium super funere ἒ, ἒ, quod instituisse Midam Gorgij Lydis imperantem ferunt, dum celebraret matri parentalia: siue ab ἐλέγειν, hoc est desipiscere prisca Græcorum lingua. Namq; auctorem huius Theodem Naxium siue Erechtrieum tradiderunt, dum per insaniam vociferatur. Siue ab εὐλογεῖν, hoc est à laudandis mortuis: fiebant enim illorum laudationes versu alterna vice posito: fuit & carminis genus lugubre Nænia nomine, quod mortuis etiam tibia accinebatur: quod quidam Latinum, quidam Græcum esse voluerunt, id nunc epitaphium vocari dixit Acron secundo carminum cõmentario. Inuentum autem fuisse à Simonide scribitur poëta lyrico ex Cea insula oriundo: Quamobrem Catullus ad Egnatium Celtiberum ait,

Paulum quidlibet allocutionis
Mæstius lacrymis Simonideis. Sed Epitaphiõ est elogium illud quod in sepulchris marmoreis seu lapideis incisum videmus. fit enim, vt dixit Seruius in Bucolicis completa sepultura: vt

Daphnis ego in syluis. -- Sed Næniam & Epicedium esse idem fermè existimo. Vtrunq; enim dicebatur cadaueri priusquam tumulo mandaretur, quorum alterũ nuncupatur ἐπικήδειον & ἐπιτύμβιον, vltimum & extremum cum lamentatione. alterum verò μονῳδία.i. canticum. Stat. Siluarum II. *Vulnus, vt scis, epicedio prosecutus sum adeò festinanter.* Ab elego deducitur elegidium per diminutionẽ: quod elegiacas compositiones signat: vt Persius,

- non si qua elegidia crudi Dictarunt proceres - ab eodem quoq; descendit Elegia quæ miseria dicitur: qua veluti iam Latina, L. Apuleius in primo de magia vsus est: cuius nulla carmina extant nisi amoris elegia. Hæc vario accentu apud nostros profertur: nam Ouidius rationem Latinitatis secutus primam & secundam produxit, accentum locans in antepenultima, vnde in primo de remedio,

Blanda pharetratos elegia cantet amores.

& in III. de fine titulo,

Venit odoratos elegia nexa capillos.

Statius autem Papinius lib. Siluarum I. Græcos imitatus primam & alteram pariter corripiens in penultima obseruauit accentum.

Quas inter vultu petulans elegia propinquat.

Nec aliter Persius dixit,

Ebria veratro, non si qua elegidia crudi.

Quis vero fuerit certus elegorum inuētor: ignorari adhuc & in quæstione esse Horatius in poëtica voluit. In hoc genere plurimi Græcorum conscripsere, omnium tamen celebratissimi fuerunt Callimachus, & Philetas: dicente Propertio Elegiarum III.

Callimachi manes & Choi sacra Philetæ,
In vestrum, quæso, me finite ire nemus.

Sanè Tibullus hic vitam agrestē desiderat, dummodo Deliæ, hoc est Planiæ mutuis sibi amoribus potiri liceat. Est enim animaduertendum morem fuisse poëtarum, vt in canticis amatoriis recta nomina fugitarent, & quædam pro propriis efficta vsurpantes veris personis parcerent. Sic Catullus Lesbiam pro Clodia, & Tycidas Perillam pro Metella; Propertius pro Hostia Cynthiam dissimularunt. Virg. quoque in Bucolicis Alexandrum Pollionis amici, seu Mecœnatis, vt VIII. scribit Martialis, puerum vocitat Alexim, quasi sine responsione ac superbia modestè alludens ad adolescentis ingenuitatem & naturæ illius suauitatem. Deliam autem pro Plania appellari iccirco est interpretatio, quod prima fuerit quam deperierit Tibullus, vtpote dignam vatis amoribus ob eius propter reliquas Romanas adolescentulas pulchritudinem, & corporis excellētiam. Nam δηλοῦν est apparere, vnde Delia quasi inter pulchras eminens.

ALIVS *congerat diuitias.*] quiuis à me alter rem pro arbitrio paret, & est dictum cum nausea stomachantis: diuitias autem pretiosam facultatem, quas à Dite qui Græcè πλούτων dicitur deductas arbitror. *Is enim terra est*, vt in deorum natura Cicero commemorat, *in qua omnia ab ea ipsa orta recidunt, est diues, qui vt deus nihil indiget. A duo*, vt Varro ait, *Dis, ditior, ditissimus fit.* Diues autem diuitior tantum Calphurnius in egloga Iolæ & Lycidæ,

Sum quoque diuitior, certauerit ille, tot hædos
Pascere. —— Mart. ad Carinum,
Crœso diuitior licet fuissem.

FVLVO *auro.*] aut diuitias auri fului.i. pretiosorum congeriem. Figura est quam epithetō Græci, nos Latini adiectum possumus dicere. Fit enim quoties nomini suum adiectiuum damus. Græci duo etiam epitheta in oratione connectūt, quod propemodū apud Latinos vitiosū est.

A .CONGERAT.] coaceruet, accumulet: est congerere, coadunare. vnde Homerus Mantuanus, Quo congessere palumbes, ait, pro nidificauere, ad palumborum in struendo nidum naturam respiciens.

ET *teneat culti iugera magna soli.*] Vis est in verbo culti. Quamuis enim quispiam multorū prædiorum esset dominus, ea tamen nisi magnificè culta possederit, rē planè habet ab vno quoque magni animi viro negligendam. Iugerum est terræ spatium quod in vno die duobus bobus arari potest, de cuius mēsura alia alij scripserunt, vt Cato Priscus & L. Columella lib. VI. & Plinius noster in naturalis historiæ XVIII.

B VICINO *hoste.*] aut hostibus patriæ bellum inferentibus, qui agros depopulantes creberrimis incursionibus rura diruunt. Aut vicino hoste s. existēte. Vicini quidem alter alterius rebus inuident. Cui vero multa sunt, multùm quoque inuigilat, ne furto rem perdat.

CLASSICA *Martia.*] sonitus tubarum pugnam indicantium, quos cùm omnes ferè ciues expauescant, auarus tamen diues imprimis exhorret. Classica tubæ sunt, & earum signum in bello à καλῶ voco. fit etiam classicum adiectiuū à classe, pro nauali collectione. Proper. I Eleg II.

Nam quoties Mutinam & ciuilia busta Philippos,
C *Et canerem Siculæ classica bella fugæ.*

FVGENT *somnos.*] pluralem numerum protulit, vt eius interruptiones innueret. Diuiti enim tantus inest conseruandæ rei stimulus & augendæ appetitus, vt sæpissimè noctu experrectus quietē nequeat cōtinuare. Sic Hor. I. Car. II.

Nec leues somnos timor aut cupido Sordidus aufert.

TRADVCAT *vita inerti.*] Antiptosis est, & vitam vocat ignauam, quæ priuata est & publicę administrationis immunis. nam vt M. Varro lib. rerum rusticarum III scribit, *qui olim colebant Terram quæ Mater & Ceres dicitur, piam & vtilem vitam*
D *agere crediti sunt, & hi soli reliquias esse ex stirpe Saturni regis.* Quapropter poëta lepidus per totum hoc suum opus mirum in modum & quàm sæpissimè laudat Saturni sæculum.

DVM *meus assiduo luceat igne focus.*] Per figurā totius rei familiaris substantiam intelligit, hoc est, ad victum mediocrem facultatem, neque indoctè. Sceleratis namque & in Remp parricidis aqua & igni olim interdictum est, quæ duo elementa in hominum vsu maximè sunt necessaria. sic Horat. lib. Carminum II. ostendens vitam beatā consistere in mediocritate paupertatis ait,

Viuitur paruo bene, cui paternum
E *Splendet in mensa tenui salinum.* per synecdochem nempe dictum est. Sic & Stat. ad hunc locum Siluarum I. -- *diuesque foco lucente Tibullus.*

IPSE *seram teneras maturo tempore vites.*] Quæ facturus est narrat. posteaquam ea sibi quæ optat contigerint. Agricolationem se exercitaturum affirmat: cuius tenor maiores nostros mira suauitate detinuit. Cui Maro quoque se operam impartiri dixit, si Musæ quandoque defecissent.

TENERAS *vites.*] nouellas, viticulas. id est, malleolos. Malleoli enim, teste Columella libro de re rustica tertio, sunt nouelli palmites innati prioris anni flagellis, cognominatique

à similitudine rei, quod in ea parte quæ deciditur, quod veteres sarmento prominentes vtrinque malleolorum speciem præbent. Tribus autem modis fit vitium insitio, vt Cato Priscus docet cap. XLI. vna est per ver, altera cùm vua floret: ideò dictum est maturo tempore. tertiam vide apud auctorem.

GRANDIA *poma.*] fructum posuit pro arbore, vt Propert. lib. Elegiarum VLT.

Hic dulces cerasos, hic autumnalia poma.

Hac licentia & in prosa oratione scribentes plerunq; vsi sunt Grandia autem epitheton refertur ad arboris pomiferæ magnitudinem, ad fructus etiam quantitatem. Quanto enim poma grandiora sunt, tanto pretiosiora habentur. Et pomum quod potu indigeat, dictum placuit Varroni in I. rerum rusticarum cap. XXXII. Nam illis per siccitatem aquam addi opus est vt stabilia maturescant.

FACILI *manu.*] aut ad serendum apta, vt vitem aut arborem non delibret & bene coniungat surculos, aut non callosa, quales esse rusticorum manus cognouimus.

NEC *spes destituat.*] i. nec me fallat spes, quæ ea est vt agricolis in continuo versantibus labore spondeat futuri prouentus vbertatem. Qua de re inferius lectum est,

Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.

ACERVOS *frugum.*] copiā rerum vtensilium frugis appellatione nostri auctores Iurisconsultorum vanam prope reiicientes opinionem voluerunt intelligi, non solum quod ex frumentis & leguminibus est, verumetiam quod ex vitibus & arboribus omnifariam capitur.

PINGVIA *mu.* mellita & persuauia. Musta pinguedinem in se habent propriam, si ex vuis exprimantur, quæ ad maturitatem peruenerint.

PLENO *lacu.*] abundantiam ostendit dicendo pleno. Lacus est vas ad excipieda vina de torculo defluentia. Lucius Columel. & Palladius Rutilius, & ante hos ambos Cato Priscus scripsit. Illud sciendum à veteribus dici torculum, torcular, & torcularium pro ædificio vinario quo vua torquetur.

NAM *veneror,*] quòd bene sperare debeat, arguit à sua in deos religione.

STIPES *desertus.*] truncus, sine frondibus ad religionem relictus in agello: qui in limite possessionum pro deo habitus est, hoc est Termino. Ouid. Fast. II.

Termine siue lapis siue es defossus in agris,
Stipes ab antiquis tu quoque nomen habes.

LAPIS *vetus.*] vetustate sacer.

IN *triuio.*] Triuia & quadriuia erant rusticorum sacris attributa. illic enim & oues cædebantur & serta appendebantur. Et pro loco frequēti quo antiqui conuenire soliti sunt posita inueniuntur ab auctoribus. Catullus,

Omnibus vt triuiis vulgetur fabula passim. Iuue.
Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadriuio. ——

QVODCVNQVE *pomum.*] fructum cuiuscunq; generis mollem Macrob in Saturn dicit, Pomum esse quodcunque exterius est esui, interius verò non esui, de nuce secus esse. Nam & Propertius Elegiarum IV. Pyrum sub Mali nomine posuit his verbis,

Insitor hic soluit pomosa vota corona,
Cum Pyrus inuicto stipite mala tulit.

LIBATVM.] diis oblatum in sacro pro primitiis, vt ipsi à frugibus mala auertant.

PONITVR *ante deum*] illum s. deum cuius in tutela sit arbor, ex qua primitias offert.

FLAVA *Ceres.*] Apostrophe est ad Cererem frumentorum deam, quæ teste Tullio lib. de nat. deor II. dicta est quasi Geres à gerendis frugibus. hanc Græci Δημήτηρ vocant. Flaua autem epitheton est ad frumenti qualitatem maturescentis.

CORONA *spicea.*] Sertum ex spicis quod illi datur vt arua frugiferent. Virg in Priapeis.

Magnaque fœcundis cum messibus area desit,
In Cereris crines vna corona datur.

Nam poëtæ secuti veterum opinionē Theologorum, qui Cererem Tellurē interpretati sunt, finxerunt deam ipsam corolla frumentitia comas deuincire. Oui. Fast. IV.

Imposuitque suæ spicea serta comæ.

CVSTOS *ruber.*] protector hortuli, quem rubrum apertè totum dicit propter mentulam. Sic Ouid. Fast. VLT. *Et ruber hortorum custos.* ——
Custos autem est idē quod minister, vt in II. Saturn Macrob. scribit, est & prohibitor vt hîc, & alibi, *Et custos furum atque auium.*

TERREAT *vt saua falce Priapus aues.*] in dextra Priapus falcem habuisse fingitur, cuius motu aues & furunculos perterrefaceret. Moderatus Columel. lib. X.

Inguinibus puero prædoni falce minetur.

Et Horatius, —— *nam fures dextra coercet.*
Sed Martialis ait,

Tu qui pene viros terres, & falce cinædos.

Ouidius verò Metamorphoseon XIV.

Quique deus fures vel falce vel inguine terret.

VOS *quoque felices quondam.*] Sermonem vertit ad familiares deos, per quem fuisse olim se locupletem vult intelligi: Et secundum antiqua Pontificum instituta loquitur, vbi scriptum est quibus hostiis immolandum esset, & cui deo, quem horum dignum maioribus, quem lactentibus, quem maribus que fœminis putaremus.

LARES.] dij sunt qui ad vrbis commoda vigilare dicuntur inter compita, eosdémque coronarum honore celebrari. Ouid. lib. Fast. VLT.

Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt,
Hic vbi fit clara multa corona manu.

Sunt & Lares agrorum dij apud rusticos, de quibus hîc legitur: eorum originem poëta ingeniosissimus lib Fast II. pertractauit. Iuppiter enim cùm impotenti Iuturnæ amore deperiret, rem nymphis Tyberis accolentibus exponit, quibus ad opem sibi ferendam expeditis, interminatus est iram suam, si de dolo capto Iuturnam ex eis quæpiam commonefaceret. Lara Almonis fluminis nympha, & Iunoni furtum Iouis aperire, & Iuturnam insidias iam paratas docere ausa est, cui Laræ Iuppiter in procacitatis, & immodesti sermonis supplicium linguam indignatus eripuit, Mercurióque ad infernas sedes & silentij loca deducendam tradidit.

Sed inter eundum dux placidus formositate nymphæ correptus eam vi compressit, quæ geminos (qui Lares vocantur) filios sustulit, vrbis & agri custodes.

M V N E R A *vestra.*] aut coronas ex floribus. Calphurnius egloga II.

Nos quoq; pomiferi Laribus consueuimus horti
Mittere primitias aut victimam. ——

Nam statim subditur,

Agna cadet vobis. ——

Legimus præterea in Horatij carminibus Lares thure & horna, fruge & porca & agna & hædo placati, & coronas ex rore marino & myrto, & cuiuscunque generis flosculis offerri. hęc autem sacra Compitalia sunt.

T V N C *vitula.*] à consequenti probat quod pauper effectus sit.

I N N V M E R O S *lustrabat casa iuu.*] ex grege solitum fuit, vt eximior in deorum honorē immolaretur: ob hoc credebant pestem à reliquis depelli. Lustrare præter tria significata vsitatissima, signat etiam, quod vulgo dicũt, facere monstram: cuius sententiæ duo sunt quoque verba, recognosco s. & recenseo.

A G N A *cadet.*] Horat. itidem lib. Carm. I.

Seu poscat agnam seu malit hædo.

Hoc sacrificij genus (teste Festo, & Seruio commētatore in Damœta) dicitur Ambaruale, quod s. arua ambiret victima. Virg. in Georg.

Térque nouas circum felix eat hostia fruges.

sic amburbale vel amburbium dicitur illa supplicatio, qua vrbem circuimus. Lucanus,

Mox iubet & totam pauidis à ciuibus vrbem
Ambiri. ——

R V S T I C A *pu. cla.*] i. sacrum faciendo hymnos dicit, vt tempestatem dij auertant. hunc ritum Maro in Georgicis egregiè complectitur.

I O *messes & bona vina date.*] Io vox ouantis est, cui prima syllaba semper corripitur. Sed Io pro Inachi regis Argiuorum filia eãdem producit. Quare miror Ouid. in epist. Hypermestræ ita scriptum reliquisse,

Quæ tibi causa fugæ, quid Io freta longa pererras?

Sed Latinam in vocabulis similibus rationē secutus videtur.

C L A M A T.] pro clamabit. Virg. in Priapeis,

Dum tenet obsessas inuida barba genas.

Notãdum est quædam ita poni in oratione verba, vt quasi præsentes rem videamus transigere, & est tunc energia in dicendo. Catullus,

Scelesta téne? quæ tibi manet vita?

alij tamen textus habent, clamet.

V I N A *bona.*] quorum dulcedine rustici exhilarati incompositæ saltationis modum inuenerunt, ideò bona.

I A M *modo non possum.*] Epicurus dixit, *Si ad naturam viues nunquam eris pauper, si ad opinionem numquam diues.* Exiguem natua desiderat, opinio immēsum. in hac sententia loquitur poëta, sed magis placet (vt modo non) sit dictum per parenthesim, & sit sensus: Iam possum viuere cōtentus paruo, modo non s. poteram, cùm Deliam non arderem.

S E D *can. æst. æstus.*] Canis signum est non exiguæ magnitudinis, in quo (teste Ptolomæo) sunt A XVIII. stellæ, atque extra corpus XI. Hic fuit Icari fidelis custos, vt in Priapeis explicuimus. Quam quidē meditationem iamdudum edidissem, nisi me quorumdam seueriorum amicorum rigiditas inhibuisset.

Æ S T I V O S *canis o.*] i. caniculares dies caloris intensissimi. Persius, --*siccas insana canicula messes*
Iamdudum coquit. -- hoc fit circa medium Iulij, quando ipse canis in XXIX. Cancri gradu est.

A D *riu. præ. aquæ.*] In ripis fonticulorũ æstiuali tempore delectabilis captatur refrigeratio, si præcipuè locum frondosæ opacant arbusculæ. Virg. --*hic inter flumina nota*

B *Et fontes sacros frigus captabis opacum.*

Riuus est locus per longitudinē depressus, aquæ currentis quasi alueus ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. i. fluere, dictus.

A V T *stimulo tardos increpuisse bou.*] rusticorum morē exprimit, qui verbis & stimulo boues increpant lente curriculum pertrahentes. Stimulus est fustis acutæ cuspidis, quem bobus rustici suppungentes inurunt.

F V R E S.] surreptores taciti: fures à furuo. i. nigro appellantur, teste Labeone: vel à fraudando siue auferendo. vel à Græco. φῶρ enim vocant Græci, quod in VIII. commentario Seruius probat.

H I C *ego pastorémque meum lustrare quotannis.*] C mos ab antiquis habitus est singulis quibuscunque annis purificare pecus & pastores, antequã rem annuam Pali facerent. Quam rem Ouidius lib. Fast IIII. ponit. Quippe de Vestali templo culmē durioris falæ ac modicum ex vitullina fauilla suffimēnque accipiebant. Est autem suffimen sanguis equinus. Deinde cùm ex coronis & frondosis virgultis ouilia prætexissent, lustrabãt sub crepusculum pecus saturatum, quo tempore celeberrimi igniculi ex puro sulfure fiebant, pecúsq; inter fumantia tuguriola vt balaret necesse erat ad sacrę rei perfectionem. Pali tandem libam miliaceam, quam iuxta fiscella milio plena D subsequebatur, deportabant: itaq. posita dape numini supplicare se arbitrati sunt.

S P A R G E R E *lacte Palem.*] Pales est pastorum dea, cuius diem sacrum vocant Palilia, vel Perilia pro Paliria L litera transposita. Hi dies natalis est vrbis Romæ à pastoribus conditæ: vt Euseb. scribit lib. temporum, & Propertius elegiarum IIII. testatur dicens:

Vrbi festus erat, dixêre Palilia patres,
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.

Genus sacrificij erat, vt accensis stramentitiis fascibus ignem saltu transilirent, posteaque lac biberent, qui fructus pecoris est. Spargere ergo E lacte Palem, hoc est, in Palis honorem fundere. Ouidius,

—— *& tepido lacte precare Palem.*

P O C V L A *fictilia.*] laudat agrestum ingenia à solertia. Primi enim vasa terrea finxerunt, quæ fictilia dicũtur, quorum artifex vocatur figulus.

D E *fat. luto.*] Lutum intelligit argillam genus terræ mollissimæ, qua figuli vtuntur, vt Moderatus Columel. lib. IV. auctor est, quare Iuuen. assentatori ait, *Argillam atq; rotam citius properate.*

P A R V A *se. sa est.*] dubiũ est vtrũ segetē pro frumentis posuerit, an intelligat modicũ agri satis.

seges enim, vt Varro primo rerum rusticarum docet, est quod aratum est, sed nondum satum.

AVDIRE *imm. vent.*] aut immitis epitheton est ventorum qui sua tempestate sata destruunt, omniáque deperdunt: aut additum est, vt vim aduersam exprimeret. significat enim vetus prosperitatem apud Propertium libro Elegiarum secundo,

Et nobis Aquilo Cynthia ventus erit.

ET *dominam tenero cont. sinu.*] hoc quippe nil suauius, & gratius nihil potest inueniri.

AVT *gel. hybernus aquas: cùm fud. Auster.*] Auster ventus est meridionalis, cuius aduentus pluuiam inducit. Aquæ autem cum suapte natura frigidæ sint, hyemis tamen tempore magis in se frigiditatis habent.

O *quan. est aurum.*] sermo est diuitias detestantis, & est zeugma: & quantum auri comicè dicitur, pro quantum aurum reperiatur.

POTIVSQVE *smaragdi.*] smaragdus lapis est viridis coloris. Claudianus in Stilicone: *viridésque smaragdus Loricat.* Potius verò dixit, quoniam ipsorum smaragdorum interuentu amores conciliãtur inter amatores, eisdemque non datis dissoluuntur.

PRÆFERAT *exuuias.*] spolia ex hostibus superatis bello exuuiæ vocantur, & præferat dictũ est ad honorem suæ gentis, quasi præmonstret præsentibus & posteris.

VINCLA.] qui paret amori, is dicitur ferre iugum. vnde inferius,

Post Veneris vinclis subdere colla senem.

Præterea fingunt poëtæ amatores illigari vsque adeo, vt ab amore discedere etiam læsi nequeãt. Horat. iccirco frequentiùs ait: Aut compede aut loro aut vinculis iuuenes detineri.

IANITOR.] i. custos puellæ quam diligit. Ianitores sunt propriè quibus ex famulitio ianuę custodia commissa est: ne quis domum temere subeat. i. ostiarij. Sed custodẽ dixit pro se amãte, qui tanto amoris peruratur incendio, vt noctu proiectus ante amicæ ostiolum dormiat.

DVRAS *ante fores.*] i. inexorabiles. Horatius econtrà dicit:

Quæ prius multum facilis mouebat cardines.

SEGNIS *inersq́, vocer.*] insulsus & piger dicar. Segnis ad animi desidiã, iners ad corporis ignauiam refertur.

FLEBIS *& arś. positum me Delia. lecto.*] antiquissimũ sepulturæ genus fuit corpus terra humare, tanquam operimento matris obducere: quemadmodum de Cyro apud Xenophontem legitur. Sed Cicero scribit in eo libro quem de legibus composuit, quod Cornelius Romæ primus è patritiis igni cremare voluit.

LECTO.] lectus & capulus & feretrum dicitur. Sic Propert. lib. elegiarum II.

Nec mihi tunc fulcro lectus sternatur eburno.

Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.

Sed sciendum funerarios dici vespilones, qui baiulant cadauera ad sepulturam. Polinctores esse eos, qui vngunt ἀπὸ τοῦ λίπειν, id est vngere. Bustuarios qui perurunt, & hi vocantur etiam tum ab historicis, tum à poëtis, vstores. Catullus,

Ab semiraso tonderetur vstore.

A sed horum omnium ars quamuis eorumdem omnium idem sit officium Libitina appellatur à Valerio Maximo dicente lib. memorabilium IIII. *Qui tunc Libitinam exercebant.*

TRISTIBVS *& lachrymis oscula mi. d.*] Propert. hoc idem,

Osculaque in gelidis pones suprema labellis.

NON *tua sunt duro prae. se.*] ratio est ab humanitate Deliæ sumpta atque facilitate. Huiusmodi verba ab iratis amãtibus obiiciuntur apud auctores. Silex verò est lapis obdurus, cuius genus tam masculinum quàm fœmininum profertur.

B LVMINA *sicca.*] lachrymis carentia. Luca.

—— qui sicco lumine campos

Viderit Aemathios. ——

TV *Manes ne læde meos.*] Legum sententiã sequuntur ex XII. tabulis: in quibus, teste Cic. in I. de legibus scriptũ erat: *Mulieres genas ne radunto, Néve lesum funeris ergo habento.* Quod veteres interpretes Sextus Helius, & L. Attilius non satis intellexerunt, sed suspicati sunt vestimenti aliquod genus funere. Lælius antem lesu quasi lugubrem amicam deflere suum cadauer, sed ita ne seipsa laniet: in quo poëtæ facile & elegans ingenium deprehenditur. At Propertius se asC periorem in amoribus Patho ostendit, aliter comprecatus de domina post suum obitum inquiens,

Tu verò nudum pectus lacerata sequeris.

Dicit autem vmbram sui funeris afflictari posse, si se amica deformaret.

GENIS *teneris.*] mollibus genis, nec est synecdoche: nam & supra dictum est,

Mulieres genas ne radunto.

INTEREA *dum fata sinunt.*] sic & Ouid. ad amatrices lib. de arte amandi III.

Dum licet & veros etiam nunc editis annos:

Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.

D MORS *adoperta caput.*] tenebris, id est à nullo conspecta, & à nemine intellecta: vel atrum eius aspectum designat. Horatius libro sermonum II.

—— seu mors atris circumuolat alis.

NEC *amare decebit.*] nihil est (Ciceronis testimonio) turpius sene libidinoso. Nam quod in iuuenta decuit, iam modo crimen habet.

BLANDITIAS.] lasciuiuscula verba. Propertius vsus est blanditia in singulari,

Arguta referes carmina blanditia.

vnde blandicella per diminutionem (teste Festo) dicimus.

E DVM *frangere postes Non pudet, & rixas inseruisse iuuat.*] hoc est dum iuuenis ego sum. est enim iuuenilis ætatis rixas & contumelias inferre. Horatius lib. carminum III.

Lenit albescens animos capillus

Litium & rixæ cupidus proteruæ.

DVX *milésque bonus.*] ducem pro rectore, & militem pro ministro ponit. Lucanus itidem lib. VII.

Si placet hoc, inquit, cunctis, si milite magno

Non duce tempus eget. ——

SIGNA.] vexilla militaria signis. i. figuris, vt aquilarum, picta.

COMPOSITO.] congesto, coaceruato.

DITES *despiciam.*] ideò,

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro.

dictum est suprà,

DESPICIAMQVE *famem.*] quia composito frugum aceruo tranquillè vitam aget.

ACHILLES STATIVS.

ALBIO Tibullo quod prænomen fuerit, non cõstat, cùm Romanum equitem tria habuisse nomina necesse sit. Fulgentius Placiades in expositione antiquorum sermonum Flacci Tibulli cuiusdam meminit comœdiarũ scriptoris. Quos autem sequi, atque imitari Tibullus imprimis statuerit, declarat Diomedes Grãmaticus, apud quem sic est: *Elegias præcipuè scripserunt apud Romanos Propertius, Tibullus, Gallus, imitati Græcos, Callimachum & Euphorionem.* Atque alibi idem, *Tibullus, Bibaculus, imitati Callimachum, & Euphorionem.* Quis enim Tibullus fuerit, & ex eius quã alij scripserunt, vita potest intellegi, & quam sit idem hoc ipso in genere scriptor excellens, mollissimi eius versus ostendunt, & grauissimorum auctorum testimonia declarant. certè quidem Martialis elegiæ scriptorem significare cùm vellet, periphrasi est vsus Tibullo ipsi per honorifica. est enim apud illum in IIII.

Cum sis improbior Massiliane,
Quam qui compositos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos.

Eum enim honorem Tibullo detulit, qui Græcis poëtis tribui solet, cum eorum nomine, quo maximè sint vsi ipsi, genus carminum appellatum fuisse legimus. Est illud autem mea quidem sententia animaduersione non indignum, singulos Poëtæ huius libros singulis diuersisque amicarum eius, aut alterius alicuius nominibus esse distinctos. In primo enim libro frequens, atque vnum omnino nomen, Delia. In secundo, Nemesis. In tertio, Neæra. Quartus denique liber Cherinti, ac Sulpiciæ amores ferè continet. At Ouidius in Elegia de Tibulli morte, Deliæ, Nemesisque tantum meminit: quo maior esse in amore Propertij laus videtur, qui vna Cynthia contentus vixit. quasi enim Tibulli multos non probans amores dixit,

Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

Et Ouidius,

Vel tua, cuius opes Cynthia sola fuit.

ET *teneat culti iugera magna soli.*] In veteribus libris pro Magna, Multa legebatur. quæ lectio eo esse probabilior videtur, quod eo modo multi omnino, iique optimi scriptores locuti sunt. Idem enim in II. elegia III.

Vt multo innumeram iugere pascat ouem.

aut, vt paullò etiam melius est in veteri libro,

Vt multa innumera iugera pascat oue.

Et in III.

Aut vt multa mei renouarent iugera tauri.

Ouid. in IV. de Ponto,

A *Et teneat glacies iugera multa freti.*

Cicero similiter in V. in Ver. libro, *Nec id solum actum est, vt hi minus multis iugis arent.* Et Pauca iugera, non Parua dici ferè solent ab Horat. in III. Ode XVI.

——syluáque iugerum
Paucorum.—— à Vergilio in IV. Georg.
——cui pauca relicti
Iugera ruris erant.—— ab Ouidio,
Mœnia, quæ campi iugera multa tenent.

Atque in III. Fast.

Iugeráque inculti pauca tenere soli.

A Martiali in I.

Hoc nemus æterno cinerum sacrauit honore:

B *Frenius, & culti iugera pauca soli.*

Græci sic copiosum hominem significant. Basil. de capienda è paganorum scriptis vtilitate. Ἡμῖν δ' ἄρα εἰ μὲν τὰ πλεῖον τοῦ μικροῦ προσόντα πλεῖστα καὶ πλέθρα γῆς πόσα καὶ πόσα.

QVEM *labor adsiduus vicino terreat hoste.*] Huius, inquit, sint amplæ possessiones, qui militiã tolerat. post victoriam enim militibus agri hostiles diuidi solebant, vt & veteranis in coloniam deductis quantum ad alendum esset satis agri dabatur. Terreri autem vicino hoste, sub ipsúmque conflictum etiam fortissimi viri solent. auctor in problematis Aristoteles.

C MARTIA *cui somnos classica pulsa fugent.*] In eandem sententiam Horat. in V.

Nec excitatur classico miles truci.

Ea verò nocturna etiam fuisse signa, Silij Italici verba in VIIII. demonstrant illa,

—— nocturnáque classica velle.

Sed apud Stobæum cùm multa similia Bacchilidis & huic apta loco, atque sententiæ, tùm illud maximè ——χαλκέων

Δ' οὐκ ἔτι σαλπίγγων κτύπος οὐδὲ συλᾶται μελίφρων ὕπνος
Ἀπὸ βλεφάρων ἀμὸς, ὃς θάλπει κέαρ.

ME *mea paupertas.*] Et tamen diuitem illum

D fuisse videtur Horatius significare, cùm dicit,

Di tibi diuitias dederant.

Nisi alium potiùs Albium illum volumus intellegere, de quo alibi etiam dixerit,

—— stupet Albius ære.

DVM *meus adsiduo luceat igne focus.*] Hinc scilicet duxit, quod de Tibullo dixit Statius in I. Siluarum:

Diuésque foco lucente Tibullus.

Alij aliud, vt qui aquam imprimis laudat, Tibullus ignem maximi facit, idque præcipuum esse domus ornamentum sæpe significat Homerus,

Πῦρ τοι μὲν προπάροιθεν ἀεὶ μεγάροισι φαείνω.

E & alibi,

Αἰθομένου δὲ πυρὸς γεραρώτερος οἶκος ἰδέσθαι.

Martialis in X. Focum perennem dicit, τὸ ἄϋπνον πῦρ, exprimens. quod adsiduum dicit Tibullus. Erat autem in veteribus libris pro Adsiduo, exiguo. quod ei, quam tanto opere amplectebatur, tenuitati conuenit. Verg. Ignem exiguum dixit in I. Georg.

Et quamuis igni exiguo properata maderent.

Sed si Adsiduum malumus, ἄϋπνον intellegamus. Sin illud malumus, luculentum caminum, quo vtendum Trebatio in hybernis Cicero cẽsebat.

IPSE *seram teneras maturo tempore vites.*] Tempestiuè. Eodem ferè modo Propertius in III. ad Bacchum,

Ipse seram vites, pangámque ex ordine colles.

GRANDIA *poma manu.*] exquiri enim solent poma ad ferendum, vel odore, vel magnitudine præstantia.

ET *pleno pinguia musta lacu.*] de lacu vini post in II. in illud,

Tu quoque deuotos Bacche relinque lacus.

NAM *veneror.*] Veneramur, cùm etiam aliquid à Deo precamur. quo sanè modo dictum mi videtur illud à Vergilio in I. Georg.

Imprimis venerare deos. ——

Et à Iulio Capitolino in Marci Antonini philosophi vita, *Qui cùm Lucillam matrem Marci in viridario venerantem simulachrum Apollinis vidisset.* Multa omnino sunt apud Ciceronem eius rei testimonia.

SEV *stipes habet.*] cuiusmodi stipiti Pompeiũ comparans Lucanus scripsit in I.

Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuuias veteres populi, sacratáque gestans
Dona ducum, nec iam validis radicibus hærens,
Pondere fixa suo est, nudósque per aera ramos
Effundens, trunco, non frondibus efficit vmbrã.
Sed quamuis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum siluæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. ——

Ex eodem genere est illud Quintiliani in x. *Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus, in quibus grandia, & antiqua robora iam non tantam habent speciem, quantam religionem.*

SEV *vetus in triuio florida serta lapis.*] In veteri libro Guidonis Ascanij Sfortiæ Cardinalis, & Vaticano altero Florea, non Florida legitur. In eodem tamen libro post, illo in versu,

Cum Posti florida serta darem.

nihil est immutatum. Eiusmodi florea serta vulgus Italiæ nunc Festoni vocat. ab eo scilicet, quod poëtæ Festas frõdes in hoc genere dicunt. Quod autem in triuiis dixit, Compitalia, opinor, ipsa intellexit. qui dies vt Varro auctor est, Laribus sacer erat. Lares verò ipsi, vt Festus tradit, amplissimis coronis ornabantur, quos ornari bis in anno Augustus instituit. auctor Tranquillus. Eiusmodi lapidem intellegens Propertius dixit,

Et quicunque sacer qualis vbique lapis.

Triuia verò ipsa τριόδους videtur dixisse Moschus de amore fugitiuo, ἐν ταῖς τριόδοισι πλανώμενον ἀνδρα ἐρωτα.

NOVVS *educat annus.*] Aut aliarum gentium rationem secutus Nouum annum ab autumno incipientem intellexit, aut à nouo fructuũ prouentu, & copia Nouum dixit. redeuntem scilicet, atque in se sua per vestigia volutum.

LIBATVM *agricolæ ponitur ante deos.*] Hoc est, quod Græci dicunt, τὰς ἀπαρχὰς ποιεῖσθαι. Sic enim Porphyrius loquitur περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. In veteribus, quos vidi, libris est,

Libatum agricolæ ponitur ante deum.

In Angeli Colotij libro fuisse intellego,

Libatum agricolam ponitur ante deum.

illud non improbandũ, hoc videtur esse rectius.

A nam & agricolas, & ruricolas dictos ipsos deos demonstrat idem in II.

Redditur agricolis gratia cælitibus.

Atque hoc ipso in libro,

Ille deo fiet agricolæ. ——

Et Ouid. in I. Tristium,

Et te ruricola, Lampsace, tuta deo.

Atque haud satis scio an hi dicti sint etiam Græcis, νόμιοι θεοί. vt non vnius Apollinis, aut etiam Iouis nomen id fuerit. Romæ enim in Melinorum domo in veteri saxo inscriptum sic erat.

B

ΝΟΜΙΟΙϹ ΘΕΟΙϹ
ΙΟΥΛΙΟϹ
ΜΑΙΟΡ
ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ

Legi autem possit etiam, Agricolæ deo. quo modo Propertio dictum in IV. videtur illud in fabula Vortumni,

Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante meæ.

Ponere autem, hoc modo, & Figere sæpe posuerunt optimi scriptores. Propertius in II.

Suscipere & Veneri ponere vota iuuat.

C Iulius item Obsequens in Appij Claudij, & M. Perpernæ consulatu, *Sacrificatum à Romanis, donáque in templo posita.* Propertius item in II. Figendi verbo sic vsus dixit,

Magna ego dona tua figam Cytherëa columna.

Et Vergilius,

Suspendíve tholo, aut alta ad fastigia fixi.

Liuius in XXXIV. ab V. C. *Et ante fixa fictilia deorum inridentes.* Ante deum autem, non sine ritu ac cærimonia dixit. Idem enim in II.

Carmen vt ornatos diceret ante deos.

D Ponere ante sic quoque dixit Horatius in secundo Serm.

Aut positum ante mea, quia pullum in parte catini & c.

FLAVA *Ceres, tibi sit nostro de rure corona.*] tibi dicetur, consacretur. Idem alibi,

Tota tibi est hodie. ——

De nostro verò rure propterea, opinor, dixit, quod fruges aliunde per vim raptas, diis offerre nefas erat, cuius rei auctorem adducit Porphyrius. Festus Pompeius Præmetium esse scribit, quod prælibationis caussa ante metitur. cuiusmodi corona huius loci è frugum texta primi-

E tiis videtur esse. ac propterea legendus ille superior versus ita fortasse sit,

Libatum agricolæ ponitur ante deo.

vt intellegatur ante libatum, & vt Festus loquitur, prælibatum.

POMOSISQVE *ruber custos ponatur in hortis, Terreat vt sæua falce Priapus aues.*] Custos Priapus hortorum esse dicitur, itaque vel ex hoc loco emendemus, licet Bibaculi hendecasyllabum apud Tranquillum de Inlustribus Grammaticis,

Et illos custodis videt hortulos Priapi.

non vt vulgò legunt, Custodes. Sed erat hoc loco in veteri libro,

Terreat & sæua. ——

VOS *quoque felicis quondam, nunc pauperis agri*

Custodes, fertis munera vestra Lares.] felicem dicit fertilem, ac fructuosum. Fertis munera, vt & Græcè Theocrit. A

Μηνὶ Πᾶνα τὸ δεύτερον ἄλλα ἀνοίσῃ.

Lares verò, vt suprà diximus, hi sunt, qui in agris colebantur, ac propterea Compitales Suetonio dicuntur in Octauij Augusti vita. Scribit enim, *Compitales Lares ornare bis in anno instituit, vernis floribus, & æstiuis.* Sed idem in IV. ad Messalam, vicem suam, ac fortunæ commutationem dolens,

—— quamuis
Fortuna, vt mos est illi, me aduersa fatiget.
Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci,
Horrea! fecundis indeficientia mensis,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique lupóque;
Nunc desiderium superest. ——

Tvnc *vitula.*] Lustratio tùm fiebat maioribus hostiis, res cùm esset ipsa amplior.

Cadet *vobis.*] immolabitur. Callimachus,

—— οἱ δὲ πόληες
Θῦσι πλατυρρείην ὑποτημάτων ἢ ἔτι πολλοί
Τριέτεα πίονες ἐπὶ ἴχνεσιν, ὦ ἄνα, ταῦροι.

Idem Tibull. in IV. *—— nec illis*
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.

Et Ouid. in III. Amor.

— pro reditu victima vota cadit.

Qvam *circum rustica pubes (lamet.*] multi omnino libri, Clamat. morem vt illum veterem fuisse significet. Verg. in I. Georg. verbis simillimis eadem de re vtitur.

Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret.
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho.
Térque nouas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta. —

Quo loco Seruius aptè ad hunc etiam locum interpretans illud,

Et Cererem clamore vocent in tecta. —

Inuocant, inquit, *copiam frumentorum.* Quod autem Vocent, dixit Vergilius, hoc quoque priorem lectionem Clamet, planè confirmat.

Et *bona vina.*] Bona, non sine religione posuit. sic etiam Bonæ fruges, Bona Iuno, & Bona verba dicuntur.

Iam *modo non possum.*] id est, possum. Terentius in Phormione, *Is senem per epistulam pellexit modo non montes aureos pollicens.* Sed impedire sententiam videtur, quod sequitur, Nec semper. &c. Sed notãdum illud, non sic, Modo nec, dici, quomodo dicitur, Modo non. namque Modo non, quod valet Propemodum, aut Prorsus adfirmatiuè ponitur, rectè sic cum verbo Possum iungitur. & idem verbum, cum, Nec, coniunctum, planè negat. quasi dicat, Possum omnino paruo contentus viuere, nec longæ viæ semper esse deditus. Itaque & Terentius, vt supra posui, locutus est, & Verg. in IX. Æn.

Sed periisse semel satis est, peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Fœmineum. ——

Et Quintilianus in prooemio libri primi, Modo non, adfirmans posuit. *Quis enim*, inquit, *non de iusto, æquo, ac bono, modo non & vir pessimus loquitur.*

Tenvisse *bidentem.*] Veteres libri etiam multitudinis numero, Bidentes.

Increpvisse.] Verg. eodem modo increpitare dixit.

Non *agnámve sinu pigeat, fœtúmve capellæ.*] In veteribus libris, Agnámq; fetúmque. & pro Pigeat. repetitum, Pudeat.

At, *vos exiguo pecori furésque lupiq; Parcite.*] Idem in IV. ad Messallam,

Et domino satis, & nimium furique lupóque

De *magno est præda petenda grege.*] abest à quibusdam veteribus libris, Est.

Et *placidam soleo spargere lacte Palem.*] Palen, Græco accusatiuo, in nonnullis veteribus libris legitur. Ouidius idem significans dixit. B

— & tepido lacte precare Palem.

Nec *vos è paupere mensa.*] In veteribus libris, Neu vos, &c, De paupere. Porphyrius autem in II. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. Parcitatem, aut frugalitatem potiùs illam veterum multis omnino verbis persecutus ad Antiphanis, Mænandri, Sophoclis testimonia, addit deinde Theophrasti hoc. Διὰ πολλῶν δὲ ὁ Θεόφραστος τῶν παρ' ἑκάστοις πατρίων ἐπιδείξας, ὅτι τὸ παλαιὸν τῶν θυσιῶν διὰ τῶν καρπῶν ἦν, ἐπ' εἰπὼν πρότερον τῆς πόας λαμβανομένης, καὶ τὰ τῶν σπονδῶν ἐξηγεῖται τάδε, τὰ μὲν ἀρχαῖα τῶν ἱερῶν νηφάλια παρὰ πολλοῖς ἦν. νηφάλια δ' ἐστὶ, τὰ ὑδρόσπονδα, τὰ μετὰ ταῦτα μελίσπονδα. τὸν γὰρ ἕτοιμον παρὰ μελιττῶν πρῶτον ἐλάβομεν τὸν ὑγρὸν καρπόν. εἶτ' ἐλαιόσπονδα. τέλος δ' ἐπὶ πᾶσι τὰ ὕστερον γεγονότα οἰνόσπονδα. Quæ Theophrasti verba hoc de genere poëtarũ versus illustrant. C

Fictilia *antiquus.*] Veterem Romanorum morem declarat, opinor, Dionys. Halicar. Dis cenas in sacris Laribus supérque mensas ligneas, canistris atq; fictilibus apponendi. Idem Tibullus Eleg. X.

—— nec bella fuerunt
Faginus astabat cum scyphus ante dapes.

D In diuitiis habita fictilia, Martialis etiam significat.

Lautus erat priscis Porsena fictilibus.

Fictiles etiam deos ipsos faciebant. Propertius in IIII.

Fictilibus creuere deis hæc aurea templa.

Et Iuuenalis Sat. XI.

Fictilis, & nullo violatus Iuppiter auro.

Plinius in XXXIV. *Mirúmque mihi videtur, cùm statuarum in Italia tam vetus origo sit; potius lignea aut fictilia deorum simulacra in delubris dicata vsque ad deuictam Asiam, vnde inrepsit & luxuria.* Et in XXXV. *Nec enim tum effigies deûm erant laudatissimæ, nec pœnitet nos illorum qui tales coluêre. Aurum enim & argentum ne dis quidem conficiebant, durant etiamnum plerísque in locis talia simulacra. Fastigia quidem templorum in vrbe crebra & municipiis mira cælatura & arte firmitatéque aut sanctiora auro, certè innocentiora. in sacris quidem etiam inter has opes, non murrinis, crystallinísve, sed fictilibus prolibatur simpulis.* Idem Tibullus post, E

Neu pudeat prisco vos esse è stipite factos,
Sic veteres ædes incoluistis aui.
Tum melius tenuêre fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

D e *facili.*] parabili. Sic Horat. Facilem Venerem dixit.

S a t i s *est requiescere lecto.*] Hoc quoque magni faciens Catullus,

Desideratoque acquiescimus lecto.

S o l i t o *membra leuare toro.*] est in veteri libro, Referre, non Leuare. vt idem sit, quod reddere vel quieti, vel, quod malim, labori.

S e c v r v m *somnos igne tonante sequi.*] Imbre in veteribus nonnullis. Versus verò ipsi Sophoclis, qui adducuntur à multis, sunt in Grecorum sententiis, περὶ ταπεινώσεως. Τί τοῦδε χάρμα μεῖζον ἂν λάβοις ποτὲ τῆς γῆς ἐπιψαύσαντα κ' ὑπὸ στέγης πυκνῆς ἀκοῦσαι ψακάδος εὑδούσῃ φρενί. Illud verò ipsum, quod Securum dixit, omnino exprimit εὑδούσῃ φρενί.

E t *tristes ferre potest pluuias.*] Horat.

——— nec tristes hyadas.

O, *quantum est auri pereat, potiúsque smaragdi.*] Ordo verborum alius in veteri libro, isque concinnior, & facilior ad intellegendum,

O quantum est auri potius, pereátque smaragdi.

Sed pro Pereat, legendum censeo, Pereant.

V t *domus hostiles praeferat exuuias.*] Hoc è genere sunt & Propertij illa,

Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,

Atque onerare tuam fixa per arma domum.

Et illa Suetonij, *Domus priscorum ducum arserunt, hostilibus adhuc spoliis adornatae.*

M e *retinent vinctum formosae vincla puellae.*] Vt Philippum apud Horatium vincla mercenaria.

N o n *ego laudari cupio.*] magno consensu libri veteres, Curo, pro Cupio.

E t *teneam moriens deficiente manu.*] Ouidius in Elegia de Tibullo, totidem verbis,

Me tenuit moriens deficiente manu.

Atque hic quoque Te, pro, Et, in veteribus libris,

A r s v r o *positum me Delia lecto.*] Compositum, hoc de lecto & illud Propert. in II.

Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,

Nec sit in Attalico mors mea fixa toro.

T r i s t i b v s *& lacrymis oscula mixta dabis.*] Propertius,

Osculáque in gelidis pones suprema labellis.

N o n *tua sunt duro praecordia ferro Vincta.*] In multis veteribus pro Vincta, Iuncta. quae varietas in similibus his verbis scribendis saepe exsistit. Sic apud Verg. illud,

——— an vnquam tibi fistula cera

Iuncta fuit. ———

in veteri tamen libro, Vincta. quod non recusarem, nisi Tibulli auctoritas apud me pluris esset, quàm scriptoris librarij fides. ille enim in secunda sic,

Fistula, cui semper decrescit harundinis ordo,

Nam calamus cera iungitur vsque minor.

N o n *tua sunt duro praecordia ferro Vincta.*] Homerus Iliad. ω. σιδήρειον ἦτορ dicit.

N e c *in tenero stat tibi corde silex.*] Ennius apud Festum Pompeium, *Lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.* Et Ouid.

Et tua sunt silicis circum praecordia venae,

Et rigidum ferri semina pectus habet.

S e d *parce solutis Crinibus, & teneris Delia parce genis.*] Sic Ouid.

Parce tamen lacerare genas, nec scinde capillos.

I n t e r e a *dum fata sinunt.*] Notum Catulli illud, eandem in sententiam,

Viuamus, mea Lesbia, atque amemus.

& quae sequuntur.

I a m *subrepet iners aetas.*] sic Iuuenalis,

——— obrepit non intellecta senectus.

N e c *amare decebit.*] Ouid.

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

D i c e r e *nec cano blanditias capiti.*] Haud paulò melius in veteribus libris,

Dicere nec cano blanditias capite.

id est nos iam canos. Canum verò caput sic dixit, vt & Catul.

Suscitat, & cano vulturium capiti.

Lucianus in Alexandro πολιὸν ἄκρα sic dicit,

Οὔτ' ἰατρὸν προτίμα, οὔτε πολιῷ αἰδεῖ κομῶν.

E g o *composito securus aceruo.*] In cellis vel promptuariis.

D i t e s *despiciam.*] Quibusdam in veteribus libris ordo hic, Despiciam dites. aptissimè verò ipsam significat αὐτάρκειαν, quam Sotades apud Stobaeum μέσον βίον appellat. apud quem multa in hanc sententiam. idem alibi,

Et regum magnae despiciantur opes.

M. ANT. MVRETVS.

D i v i t i a s *alius.*] Vtrunque genus complexus est. diuitiae enim partim in rebus mobilibus consistunt, partim in rebus soli. è mobilib. autem aurum nominauit κατ' ἐξοχήν, Pindarus,

Ἄριστον μὲν ὕδωρ. ὁ δὲ

Χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ

Ἅτε διαπρέπει νυ-

κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου. id est,

Aqua est optima res quidem.

Aurum at, ignis vt ardens

Nocte relucet atra, inter opes quoque magnanimas sic

Splendet.

M e *mea paupertas.*] ego pauper sanè sim: dum & fruar ocio, neque arcta inopia premar.

I p s e *seram.*] oblectabo me agricultura, pastione & amore.

I p s e *seram.*] apparet, hunc poëtam elegantiam quandam putasse esse in eiusdem syllabae continuata repetitione. vt supra, *Me mea*: & nunc, *Ipse seram*: & mox, *Poma manu*: & infra, *multa tabella*: &, *sicca canis*, & tam multis locis denique, vt constet, hoc non casu, sed dedita opera factum.

R v s t i c v s *& facili.*] aliter facilem manum, & aliter paulò infra facile lutum; neque vllam vocé habent Graeci, quae huic planè respondeat.

N e c *Spes.*] Deae nomen est.

N a m *veneror.*] caussa, cur sperare debeat, agriculturam sibi fructuosam fore. colo enim, inquit, deos. Fuit haec pietas in veteribus, vt cùm ceteris in rebus, tum in hoc praecipuè studio quibus diuinus cultus neglectui non esset, iis omnia prosperè successura crederent. itaq; Virg.

In primis venerare deos, atque annua magna
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Et Horatius,

Cælo supinas si tuleris manus,
Nascente luna, rustica Phidile,
Si ture placaris & horna
Fruge lares auidáque porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.

& eodem pertinere arbitror prouerbium, quod est apud Varronem libro primo de re rustica, *Dij facientes adiuuant.* facientes enim accipio eos, qui rite operantur sacris: vt in illo, *Cum faciam vitula.* & Erasmum, qui multò aliter interpretatus est, falsum puto.

S E V *stipes.*] non dubium est, quin Terminũ dicat, de quo Ouidius,

Termine, siue lapis, siue es defossus in agro.
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.

Sed tamen illud quoque superstitiosis hominibus in consuetudine positum fuisse accepimus, temerè oblatos in via lapides, stipitésq. venerari. Xenophon, καὶ τοῖς μὲν οὐδὲ ἱερὸν, οὔτε βωμὸν, οὔτε ἄλλο τῶν θείων οὐδὲν τιμᾶν, τοῖς δὲ καὶ λίθους, καὶ ξύλα τὰ τυχόντα, καὶ θηρία σέβεσθαι. & ineptus quidem scriptor, non tamen omninò inutilis, Appuleius, *Neque enim iustius religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata. vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus.* Propertius,

Et quicunque sacer, qualis vbique, lapis.

F L O R I D A *serta.*] quæ significent deum esse.

L I B A T V M *agricolæ.*] Variè legitur hic versus: à quibusdam hoc modo,

Libatum agricolam ponitur ante deum. ab aliis,
Libatum agricolæ, ponitur ante deum. ab aliis,
Libatum agricolas ponitur ante deos.

ego autem lego,

Libatum agricolæ ponitur ante deo.

& deum agricolam expono eũ, qui præest agrorum cultui, id est Liberum patrem, de quo infra,

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.

siquidem Osirim & Bacchum eundem esse constat. & alibi,

Illa deo sciet agricolæ pro vitibus vuam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

ponendi autem verbum hac in re & Græcis & Latinis mirè vsitatum est. Catullus,

Mihi corolla picta vere ponitur.

Horatius,

Hic viuum mihi cespitem, hic
Verbenas pueri ponite, turáque.

& in epigrammatis Græcis,

Τίς θῆκε μαρμαίροντα βοάγρια;

neque tantum θεῖναι dicunt, verumetiam ἀνατιθέναι: vnde ἀναθήματα. neque est, quod quisquam propter vocem *ante*, de huius scripturæ veritate dubitet. sic enim & Plautus,

Bonum ante ponam prandium pransoribus.

A si quis tamen *agricolas deos* legat, & exponat, Liberum, Liberam, Cererem, Pana, cæteráq; ruris numina, non repugnauerim. nam & infrà ita locutus est, *Redditur agricolis gratia cælitibus.*

H O S T I A *parua.*] in quibusdam libris, *magna*: quod non displicet: vt, pro agri exiguitate, hæc quoque magna hostia esse dicatur.

I A M *modo non.*] modo non, est, μονονουχί. etsi sunt, qui aliter sentiant.

S E D *canis æstiuos ortus vitare sub vmbra Arboris.*] totidem prope verbis in quodam epigrãmate Alcæus,

—— λάμπει θέρμην ὑπὸ πετάλοιο
B Καύματ' ἐκπετάσειε φυγὴν κυνός.

S E C V R V M *somnos, igne iuuante, sequi.*] in aliis libris, *imbre iuuante sequi.* vtrumque ferri potest. nam & imber & ignis hieme somnum conciliant. illud etiam de imbre, conuenit cum illo Sophocleo, —— ὑπὸ στέγῃ
Πυκνῆς ἀκούων ψακάδος εὕδοντι φρενί.

& cum eo, quod est infrà,

Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidæ ducere posset aquæ.

C A N O *bland. capiti.*] libri veteres *capite.* & ita legendum puto.

C IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

D I V I T I A S *alius.*] Hæc elegia ordine prima est, sed tempore postrema. Nam lapsis opibus Tibullus secessit in agellum, qui illi superfuit, ex patrimonij naufragio, in regione Pedana. Vnde Horatius:

Di tibi diuitias dederant artémque fruendi.

Manifestò enim ostendit eum exhausto opimo patrimonio secessum ruris petiisse. Et, si coniecturæ locus est, videtur opes auitas in amoribus D profudisse, & magno matrimonio imminuto, ira ac dolore animi, rus se abdidisse, Horatius id planè indicat,

Non tu corpus eras sine pectore. di tibi formam,
Di tibi diuitias dederant. ——

Et sanè alibi eum eo nomine consolari videtur, quum ita canit: *Albi, ne doleas plus nimio, &c.* At ipse planè & paupertatem suam cõqueritur, & dolorẽ profitetur in Panegyrico ad Messalã:

Nam mihi quum magnis opib. domus alta niteret,
Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci
Horrea fœcundas ad deficientia messes,
Nunc desiderium superest. nam cura nouatur,
Quũ memor anteactos sẽper dolor admonet annos.

E Nam postremis versibus planè profitetur se pœnitere eius, cuius & Horatius se pœnitere non dissimulanter ait,

Hei mihi, per vrbem, nam pudet tanti mali,
Fabula quanta fui. conuiuiorum & pœnitet.

Quis ferat eos, qui dicunt non prodegisse patrimonium, sed agros eius assignatos fuisse? Atqui clarè loquitur, vt aliter interpretari, hoc sit Latine nescire. Dicit enim se diuitem fuisse, & statim subiicit se pœnitere annorũ anteactorum, quoties è quantis facultatibus exciderit, meminit: Sanè nõ solet pœnitere nos culpæ alienæ,

ſed noſtræ. Pœnitet eum amiſſorum bonorum. A Ergo culpa ſua amiſit, non ex aſſignatione aut perticatione. Quid quod ex Horatio tam clarè colligitur. Sed quid tam inique contradictioni occurro? Ipſa ſemet ſuo ſibi gladio iugulat. Hæc igitur ſcribit in prædiolo ſuo Pedano ad Meſſalam Coruinum tum in Ciliciam proficiſcẽtem: quem etiam anteà bello Aquitanico ſecutus erat. Huius poëtæ ea omnia quotquot in Italia extant exemplaria, recentiora ſunt, quam vt inter venuſtos libros cenſeri debeant. quin correctorum audacia multa perabſurda illis admiſta ſunt. Eiuſmodi vnum vidimus. cuius copiam nobis fecit Iuriſconſultiſſimus Iacobus Cuiacius. Sed & meliora quædam in eo, quàm alij in ſuis, inuenimus. Neque puto meliorem librum eo hodie extare. Nam quædam etiam vetuſtatis retinet veſtigia, quum paulò ante ineuntem typographicam artem ſcriptus ſit: & nondum correctorum audacia ita licenter in bonis auctoribus peruagaretur. Sed excerpta peruetuſta eius poëtæ in manus noſtras peruenẽre, quibus plurimum adiuti ſumus. Item fragmentum peroptimum, & quam emendatiſſimum à quarta elegia libri tertij ad finem vſque commodauit nobis idem præſtantiſſimus vir, ſummáque humanitate præditus Iacobus Cuiacius. Qui liber, etſi imperfectus, tanti apud me momenti eſt, vt non meminerim me vllum vetus exemplar emendatius legiſſe. Itaque hoc præter Italos, amplius conſecuti ſumus, vt vetuſtiores, quam illi, huius poëtæ reliquias nacti ſimus. Quæ quum egregiè nos in multis iuuerint, in eo tamen, quod caput erat medicinæ, nullum auxilium nobis tulerunt, hoc eſt in tranſpoſitione Elegiarum, & confuſione, qua non exigua pars huius poëtæ verſuum laborat. quod mirum nemini hactenus ne oboluiſſe quidem. Atqui nos id primi odorati ſumus, &, vt reipſa potiùs quã prædicatione noſtra cognoſcas, nihil eſt quod huius tibi maiorem fidem faciat, quàm prima elegia: quæ ita hactenus confuſa, & perturbata fuit, vt ne ipſe Tibullus, ſi reuiuiſceret, ſuam agnoſcat. Lege vitam huius poëtæ apud Lilium Gyraldum. Ibi videbis exemplar, ex quo omnia Tibulliana, quæ hodie extant, propagata ſunt, aliquot pagellis tranſpoſitis turbatum fuiſſe. Et tamen quibuſdam doctis mirum viſum nos dixiſſe quædam in hoc poëta alio ordine poſita, ac ab illo relicta erant. quod ita perſpicuum eſt, vt hoc negare ſit cæcitatem oculis ſuis conſciſcere. At quia omnes tantum huic poetæ deferunt, & rectè meo iudicio, vt pauci ſint, qui non aures eius lectione tritas habeant: nemo eſt, qui non eum ſe intelligere credat. quia enim character eius planus ac minime moroſus eſt, propterea omnem dubitationem ſuſtulit, poſſe aliquid, quod legenti negotium faceſſat, in eo reperiri. Atqui aliter ſe rem habere, ipſa editione, quam primum nunc noua incude recudimus, omnibus teſtatum eſſe volo.

QVEM *labor aſſiduus.*] Iſtud diſtichon totam ſententiam abrumpit. Sequebatur autem ſine dubio poſt illud: *Hoc mihi contingat. ſit diues iure*, &c.

ME *mea paupertas.*] Poſt hoc diſtichon reponendum illud, NEC SPES DESTITVAT. Dum, inquit, meus focus aſſiduè luceat, nec ſeges eludat ſementem. Spes enim pro reditu frugum apud veteres ponebatur, vt apud Varronem. Vnde & Varro ipſe ſpicam à ſpe dictam dicit. Nam, vt ait prouerbium Græcum, *αἰεὶ γεωργὸς εἰς νέωτα πλούσιος.* Quam autem bene hæc duo diſticha inter ſe coagmentata ſint, quid melius probauerit, quàm abſurditas illa, quam efficiebat interrupta ſententia interiectum diſtichon, IPSE SERAM.

DVM *meus adſiduo.*] Ita etiam citatur à Mario Victorino nobiliſſimo Grammatico. Vetuſta B verò excerpta huius poëtæ habent, non *aſſiduo*, ſed *exiguo.* quæ fortaſſe germana eſt lectio. Suppetat, inquit, ſemper foco, quamuis exiguus ignis. Nam illo epitheto indicat tenuitatem ſuam. Ita Ouid. *--paruo calfacit igne focum.* & præclare Statius,

——Diueſque foco lucente Tibullus.

Diues, inquit, foco lucente, quamuis exiguo igne. Alij quoque libri ſcripti habent *exiguo* non *aſſiduo.*

IPSE *ſeram.*] Poſt hoc diſtichon poſuimus, NEC TAMEN INTERDVM PVDEAT TENVISSE BIDENTEM, AVT STIMVLO C TARDOS, &c. quum hoc poſtulet ſententia. Ipſe, inquit, inſitioni dabo operam, quod eſt honeſtiſſimum munus rurantibus. non tamen, vt me aliquando pigeat oues paſcere, quod eſt infimum rure. Non negabũt homines docti hunc eſſe ordinem horum verſuum. Quam enim bene illi conueniat ſedes, quæ olim huic diſticho à librariis attributa erat, nemo non videt.

NAM *veneror.*] Ante hoc diſtichon collocauimus illud, HIC EGO PASTOREMQVE MEVM. Sententia ipſa eum ſuo loco reſtituit, vt abſurditas eum loco alieno expulit.

SEV *ſtipes.*] Hic ſtipitem & lapidem coniun- D git non immeritò. ſunt enim termini. Ouidius:

Termine ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Prudentius:

Ignoſco fatuis hæc tamen vulgaribus,
Quos lana terret diſcolor in ſtipite. Idem,
Deaſciato ſupplicare ſtipiti.
Verris cruore ſcripta ſacra ſpargere.

Stipites illi vocabantur Atiniæ. Lapides ipſi inſcripti erãt literis quadratis vncialib. Vnde Gãmati dicebantur, qui Γάμμα inſcalptum habebant. Alij interpretantur qui literæ Gamma ſimilitudinem habent. Habes igitur, quid Albius E noſter per ſtipitem, & lapidem intellexerit.

LIBATVM *agricolæ.*] Apuleius: *Iſte verò nec Diis rurationis, qui eum paſcunt, ac veſtiunt, ſegetis vllas, aut vitis, aut gregis primitias impartit. nullum in villa eius delubrum ſitum, nullus locus, aut lucus conſecratus.*

HOSTIA *parua ſoli.*] Repone ex veteri membrana *hoſtia magna.* Rectè ex tenuitate ſua dixit. neque id tantum intelligit, ſed ait nunc vitulæ eſſe agnam ſuccedaneam. quia hoſtia ſeu victima magna dicebatur tantum de bubulo genere. quod olim me annotare memini.

CLAMET, *io meſſes.*] Poſt hunc verſiculum repo-

reposuimus illud Distichō cum sequenti, ADSITIS DIVI. Nam diui illi sunt ipsi Lares, ad quos sermo semper continuandus est. Quod enim ipsi Lares sint, manifesto declarant illa:

——nec vos è paupere mensa
Dona, neque è puris spernite fictilibus.

Fictilia enim ista sunt patellæ, è quibus è mensa dapem libabant Laribus. Persius,

——cultrixque foci secura patella.

Ibi interpres vetus: *Cultrix foci, quia delibandæ dapes in ea positæ ad focum feruntur.* Varro: *Quocirca oportet bonum ciuem legibus parere, deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* At quo ore hæc distraxerant homines inuenusti? Post duo autem hæc disticha illud huc retrahendum. AT VOS EXIGVO. Pro ADSITIS DIVI vetustissima Excerpta habebant, *Vos quoque adeste Dei.*

NEC *è puris.*] Codex infimæ vetustatis, E PARVIS.

SCILICET *& solito.*] Excerpta habebant.

——satis est, requiescere lecto
Si licet, & solo membra leuare toro.

Quod valde amplectimur. solum torum sibi superesse ait. Aliud est leuare membra in Moreto. hoc est tollere. hic requiescere.

IMBRE *iuuante sequi.*] Hæc est prisca lectio, non *igne.* vt vulgatæ editiones. Sappho: —ὕδωρ

Ἀμφὶ δ' ψυχρὸν κελάδει δι' ὕσδων
Μαλίνων. αἰθυσσομένων δ' φύλλων
Κῶμα καταῤῥεῖ.

SIT *diues iure.*] Excerpta illa aliter habent:

——sit diues, rure furorem
Qui maris, & cœli nubila ferre potest.

Hoc sensu, Diuitem eum esse puto, qui abditus ruri ridet hibernas tempestates. Hoc enim valde cum superioribus cohæret. Præterea pentametrum concinnius habet. Sed illi lectioni cum sequentibus non bene conuenit. Videndum an melius huc traducatur distichon, quod secundum à principio Elegiæ legitur, vt ita continuetur:

Hoc mihi contingat. sit diues iure, furorem
Qui maris, & tristes ferre potest pluuias:
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.

Nam vt hoc distichon huc traductum sententiam bene continuat, ita ibi, vbi hodie legitur, abrumpitur.

IAM *modo non.*] Docti viri *modo non*, μονονουχὶ interpretantur. sed vereor vt satis fideliter concepta sit hæc lectio in codicibus infimæ vetustatis, quibus vsi sunt Itali Critici. Nam nostra illa Excerpta, quorum fidem ego satis spectatam habeo, legunt: *Quippe ego iam possum.* Idque retinendum puto. Quare tam certa lectio, nobis displiceat, auctore tam vetusto libro? vt taceam absurditatem vulgatæ. Nam sanè diu est, quum Tibullus multa vulnera accepit.

SED *canis æstiuos.*] Huc vsque omnia confusa ac perturbata erant in omnibus tam scriptis, quam formis excusis. sequentia continuant ab illo O QVANTVM EST AVRI. illa enim loco mouenda non sunt.

NON *ego laudari.*] Post hoc distichon retrahe huc quatuor disticha fugitiua, quæ in secunda Elegia inuenies: IPSE BOVES MEA SIM TECVM MODO DELIA. nempe, vt dixi, cum tribus sequentibus distichis. Quomodo hæc suo loco luxata fuerint, procliuius est mirari, quam eius rei rationem reddere, vt non parum fecerimus, qui hæc suo loco restituerimus. Nolo enim aliter diligentiam nostram venditare. Quod sentio, libere dicam. Hæc prima Elegia cum sequenti nihil aliud sunt quam excerpta ex pluribus elegiis. Tam multa sunt, quæ male cohærent, quibus omnibus opem ferre non possumus.

MEA *si tecum modo Delia.*] Lege, *mea, sim tecum modo, Delia*— vt supra dixit, *tecum dum modo sim.* & sequenti disticho eodem modo, *dum teneris liceat retinere lacertis.* Quæ omnia quam belle inter se apta sint, eruditiorum iudicium esto, quum antea ridicule alieno loco secunda elegia posita essent. Nos sanè istos alieni loci insessores versus inde iure pellendos censuimus.

QVID *Tyrio recubare toro*] Male hæc ab interpunctionibus laborant. Ita enim legendum:

Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest, quum fletu nox vigilanda venit?

Vigilanda venit, pro vigilanda est. qua in figura creberrimus Propertius, vt

——Non impune illa rogata venit.

hoc est, rogata est, aut rogatur. Post hoc distichon repone FERREVS ILLE, ex eadem secunda elegia. vt non solum commissum sit in loco horum versuum, quum in alienam elegiam traducti sint, sed in suo sibi ordine, quum inter se confusi sint.

FERREVS *ille fuit.*] Profecto legendum:

Ferreus ille fuat, qui, te quum possit habere,
Maluerit prædas stultus & arma sequi.

Est enim per hypothesin dictum, & vt barbarum vulgus Grammaticorum loquitur, potencialiter. Ferreus ille erit, inquit, quicunque te voluerit relinquere. Nam *Fuat*, εἴη ἄν. & *Maluerit*, βουλήσειεν ἄν, προαιρήσειεν ἄν. Virgilius:

Tros Rutulusve fuat. &, *Fors fuat.*

Propertius.

Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuat

ILLE *licet Cilicum.*] De Cilicibus triumphet per me quidem licet. Nam τὸ *Licet* aliter video accipi hic. De Cilicibus autem mentionem iniicit, quia eo profectus erat Messala. vt alibi patet, quum ait, *At te Cydne canam.* & inuitatus fuerat à Messala ad contubernium suum. Propterea supra iam respondet,

Te bellare decet terra, Messala, marique.

TE *spectem.*] Rectè ergo superiora huc traduximus. quum illa cum his belle conueniant. Triumphet ille de Cilicibus, quisquis est: Mihi sufficit, si te spectem, quum vltima dies mihi venerit. Quam enim verum sit ea apte & ex mente poëtæ huc traducta esse, non attinet dicere.

TV *manes ne læde meos sed parce solutis Crinibus.*] Manes offendi immoderato lesso, & planctu putabat veterum superstitio, quare & illud in monimento incidi iubebant. vt Narbone in veteri lapide:

...TIBI. PRAETERITO. REDEAT. FELICIOR. ANNVS A
...CAPER. ET. FACILI. VITA. REGATVR. OPE
...DVRAE. MORTIS. SACRATOS. LAEDERE. MANES
...ECCE. MONENT. LEGES. ET. LEVIS. VMBRA. ROGI.

HIC *ego dux milesque bonus.*] Hic ego, inquit, bonus miles ero, ô Messala, non ad Isauricum bellum, quo me inuitas, vt sim in contubernio tuo. Propertius:

Exitus hic vita superest mihi, vos quibus arma B
Grata magis, Craßi signa referte domum.

ELEGIA II.

ADDE merum, vinóque nouos compesce dolores:
Occupet vt fessi lumina victa sopor:
Neu quisquam multo perfusum tempora Baccho
Excitet, infelix dum requiescit amor: C
Nam posita est nostrae custodia saeua puellae,
Clauditur & dura ianua firma sera.
Ianua difficilis dominae, te verberet imber,
Te Iouis imperio fulmina missa petant.
Ianua iã pateas vni mihi victa querelis,
Neu furtim verso cardine aperta sones. D
Et mala si qua tibi dixit demẽtia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quae plurima voce peregi
Supplice, cùm posti florida serta darẽ.
Tu quoque ne timidè custodes Delia falle.
Audendum est. fortes adiuuat ipsa Venus.
Illa fauet, seu quis iuuenis noua limina tentat, E
Seu reserat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli decedere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono:
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandáque compositis abdere verba notis,
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota vagor anxius vrbe,
Securum in tenebris me facit esse Venus.
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutúsque sacérque
Qualibet, insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis,
Non mihi, cùm multa decidit imber aqua.
Non labor hic laedit, reseret modò Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu femina fias
Obuia: celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum: neu quaerite nomen:
Neu propè fulgenti lumina ferte face.
Si quis & imprudens adspexerit, occulat ille,
Pérque Deos omnes se meminisse neget.
Nam fuerit quicumque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem è rapido sentiet esse mari.
Nec tamen huic credet coniux tuus, vt mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de caelo ducentem sidera vidi:
Fluminis haec rapidi carmine vertit iter.
Haec cantu finditque solum, Manésque sepulcris
Elicit, & tepido deuocat ossa rogo.

Iam ciet infernas magico stridore cateruas:
Iam iubet adspersas lacte referre pedem.
Cùm lubet, hæc tristi depellis nubila cælo:
Cùm libet, æstiuo conuocat orbe niues.
Sola tenere malas Medeæ dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, queis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquã:
Non sibi, si in molli viderit ipse thoro.
Tu tamen abstineas aliis. nam cetera cernet
Omnia: de me vno sentiet esse nihil.
Quid credam? nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus aut herbis soluere posse meos.
Et me lustrauit tedis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla Deos.
Non ego, totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam: nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui, te cùm posset habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat antè cateruas,
Ponat & in capto Martia castra solo,
Totus & argento contextus, totus & auro
Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boues mea si tecum modò Delia possim
Iungere, & in solo pascere monte pecus,
Et te, dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis & inculta sit mihi somnus humo.

A *Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo*
Prodest, cum fletu nox vigilanda venit?
Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ.

* * *

B *Num Veneris magnæ violaui numina verbo,*
Et mea nũc pœnas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adiisse Deorum,
Sertáque de sanctis deripuisse focis?
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput:
C *Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,*
Et dare sacratis oscula liminibus.
At tu, qui lætus rides, mala nostra caueto.
Mox tibi nõ unus sæuiet vsque Deus.
Vidi ego, qui iuuenum miseros lusisset amores,
Pòst Veneris vinclis subdere colla senem,
D *Et sibi blanditias tremula cõponere voce,*
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, carǽue puellę
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuuenis turba circumstetit arcta:
Despuit in molles & sibi quisque sinus.
E *At mihi parce Venus. semper tibi dedita seruit*
Mens mea. quid messes vris acerba tuas?

BERN. CYLL. VERON.

ADDE *merum, vinoque nouos compesce dolores.*] In scribendo Tibullus sermonem variat, ita vt vni rei cœptæ non insistat, sed modo huc, modo illuc plerunque feratur: Et iccirco grata eius

oratio, & plurimo abundat lepore. Hic iubet A pincernam sibi comessanti largius vinum subministrare, vt iniuriam deleret, quam ob hoc cepit acerbissimam, quod custode posito nullus aditus ad amicam pateat.

Et *nouos compesce dolores.*] ideo dictum constat, quia Bacchus afflictis mortalibus requiem præstat. igitur ad eum Propertius elegiarum III. inquit:

Tu potes insanæ Veneris compescere fastus.
Curarumque tuo fit medicina mero.

Occvpet *vt fessi lumina victa sopor.*] fessi dixit propter amoris insaniam. Catullus ad Licinum: *Sed defessa labore membra Postquam semimortua lectulo iacebant:* huic labori remedium est optimi B vini ingurgitatio. Propertius eodem:

Tu modo seruitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput:

physicè nanque loquitur. Vinum enim cum ratione sumptum Venerem accendit, & amoris curas renouat: vbi vero immoderate receptum est, omnes euanescunt ægritudines animi: quod Ouid. quem nihil latuit, non ignorauit, in fine secundi de remedio inquiens:

Vina parant animos Veneri: nisi plurima sumas:
Vt stupeant multo corda sepulta mero.

Et subdit:

Aut nulla ebrietas: aut tanta sit: vt tibi curas. C
Eripiat: si qua est inter vtrunque nocet.

Percvssvm *tempora.*] vinum sine modo infusum acriores pulsus facit: ideo de eodem Propertius ait:

Quod si Bacche tuus per feruida tempora donis:
Accersitus erit somnus in ossa meus.

Quidam legunt perfusum: & tunc res est aperta.

Dvra *sera*] idest pessulo seu patibulo, à serando, id est claudendo.

Ianva *difficilis.*] imprecatio est in ianuam per phantasiam poeticam. malum enim rei inanimatæ tanquam affectum habenti optat, D quod statim in se ferri deprecatur, si ipsa placida suffragetur iter ad amicam. Hoc fit ex amoris vehementia vt scilicet ostio clauso male loquatur, & eidem aperto benè. Sic Plautinus Phedromus in Curculione:

Valuistin' ostium oculeissimum.

Vni *mihi victa querelis.*] datiuus est pro ablatiuo, & victa mihi, pro exorata ponitur. Ita Propertius elegiarum primo de ianua:

Victa meis nunquam ianua muneribus.

Nec *furtim verso cardine aperta sones.*] idē Phedromus Plautinus: *Bellissimum hercle vidi & taciturnissimum: Nunquam vllum verbum mutit: cùm aperitur tacet: Cumq; illa noctu clanculum ad me exit tacet.* E

Aperta *sones.*] ideo ait, quoniam vncta ianua non crepat dum panditur. Horat. lib. carminum, I.

Quæ prius multum facilis mouebat cardines.
Cùm posti florida serta darem:

hoc est dum te & precibus & munere exoratum venirem. Sic Propertius lib. antedicto.

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.

Namque præcipitur ab Oui. li. de arte amādi. II.

Postibus & duræ supplex blandire puellæ:
Et capiti demptas in fore pone rosas.

Fortes *adiuuat ipsa Venus.*] ita Ouid. de Thysbes animo puellari inquit:

Audacem faciebat amor.

Fixo *dente.*] dentem vocat clauem ipsam quæ dentata est.

Nvllo *sono.*] quia per timore suspensi vadunt amantes.

Nvtv.] arrisione oculorum.

Notis.] signis. Ouid. I. de arte:

Nec mihi per nutus accipienda nota est.

Svrgere *nocte timor.*] qui verè amat omnia intrepide persequitur, & audet intrepidè. Phedromus Plautinus:

Quo Venus Cupidoque imperat, suadetque amor.
Si media nox est siue est prima vespera.
Si status condictus cum hoste intercedit dies:
Tamen est eundum quò imperant, ingratiis.

Avt *rapta præmia veste petat.*] circitores, hoc est vrbis custodes, quem noctu inuenerint sine facibus: aut in carcerem detrudunt, aut arrepto palliolo præmium expostulant.

Qvisqvis *amore tenetur: eat tutusque, sacerque Qualibet, insidias non timuisse decet.*] sic Propertius elegiarum III.

Nec tamen est quisquam sacros qui lædat amantes.
Scironis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, vt noceat, barbarus esse volet.

Frigora *pigra.*] frigus non est pigrum, sed pigros homines sua sæuitia facit. Amantium quidem est, vt noctu ante ostia dominarum procumbant. Propertius de se ait:

Me mediæ noctes, me sidera plena tuentur.
Frigidaque Eoo me videt aura gelu.

Mvlta *decidit imber aqua.*] imber est (teste Apuleio in lib. de mundo) agmen aquarum largius ex concretis effusum nubibus. Nimbus vero repentinior & vehementior pluuia, & quanto est inprouisior tanto est præcipitatior, & breuiore astringitur casu. Pluuia enim iugis.

Parcite *luminibus*] sensus est: Auertite oculos in aliam partem, & silentio occultate, si fortè fortuna incideritis in amantes, & est commonefactio à futuro periculo.

Sva *furta.*] furtiuos coitus. Catullus:

Furtiuos hominum vident amores.

Si *meminisse neget.*] si ab eo quispiam hoc forsitan requisierit.

Is *sanguine natam.*] antiquissimi fabulantur ex testiculorum Cœli patris in mare proiectorum spuma Venerem exortam. Ex quo facto Macrobius Saturnalium primo Ἀφροδίτην appellatam dixit. Ouid lib. fastorum, IIII.

Sed Veneris mensem Graio sermone notatum
Auguror, à spumis est dea nata maris.

Et in Metamor. IIII.

Si tamen in medio quondam generata profundo
Spuma fui: gratumque manet mihi nomen ab illa.

E mari natam Venerem ait, per quod eam sanguinariam in omnes qui sua linguæ procacitate furta detexerint. Sed sciendum plures Veneres ex Ciceronis sententia de na. deo. III. fuisse. *Venus prima Cælo, & Die nata: cuius Elide delubrum videtur: altera, spuma procreata: ex qua & Mercurio Cupidinem secundum natum accepimus: tertia, Ioue*

nata, & Dione quæ nupsit Vulcano. Sed ex ea & Marte natus Anteros dicitur: quarta, Syria, Tyroque concepta: quæ Astarte vocatur: quam Adonidi nupsisse traditum est.

SAGA *verax.*] fidem facit amicæ ab eo quod incantatrix pollicita est: & obiectum absoluit quod fieri posset. Saga (teste Acrone primo carminum commentariolo) dicta est quod satis agat: & ea est, quæ carminibus & herbis mala hominibus dicebatur vel arcere vel impellere. Horat.

Quæ saga, quis te soluere Thessalis Magus venenis.

MAGICO *ministe.*] arte dæmoniaca. Nam Magus est apud nos sapiens, aut lingua Persarum sacerdos: si L. Apuleio credimus hoc in primo de magia sentienti, sed Magi incantatores ex officio apud nos vocari possunt.

VIDI. argumentum est à sui ipsius præsentia, quod superius dictum sit certissimum.

DVCENTEM *sidera.*] Virgilius.

Carmina de cælo possunt deducere Lunam.

In VI. super Lucanum commentario nostro multa super hac re exarabimus, quæ hic breuitatis gratia relinquuntur.

FLVMINIS *hæc rapidi carmine vertit iter.*] Oui. in epistola Isiphyles de Medea venefica:

Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit.

Et Lucanus,

——Amnisque cucurrit:
Non qua pronus erat.——

HÆC *cantu finditque solum.*] Luc.

Terra quoque immota percussit ponderis axem.

MANESQVE *sepulchris Elicit.*] idest cadauer facit reuiuiscere, vt legitur in preallegato Lucani lib. de Herychtho. Et Horat. lib. sermonum. I.

——Cruor in fossam confusus, vt inde
Manes elicerent animas responsa daturas.

TEPIDO *deuocat ossa rogo.*] hoc idem Ouid. in præfata dicit epistola:

Certaque de tepidis deuocat ossa rogis.

Et Lucanus:

Fumantes iuuenum cineres, ardentiaque ossa
E mediis rapit illa rogis.

INFERNAS *cateruas tenet.*] animarum multitudinem cum angore demoratur.

ASPERSAS *lacte.*] lactis enim alimento frui defunctorum animas credidere maiores nostri; cuius aspersione conciliari etiam putauere.

TRISTI *depellit nubila cælo.*] Lucanus:

——vocibus iisdem
Humentes late nebulas nimbosque solutis
Excussere comis.——

Hæc autem omnia cum sint impossibilia, Lucanus maius quiddam addit, scilicet,

——nubes suspexit Olympus,

quod contra omnium rationem fieri manifestum est.

HERBAS *Medeæ.*] idest, herbas quas Medeidas vocant poëtæ: hoc est, illarum vim quas Medea percalluit.

CANES *Hecates.*] male Cerberum tricipitem, sed tres rectè furias accipimus, vt Luca.

Stygiásque canes in voce suprema Destituam.

Et Horat. lib. sermonum I.

——Hecaten vocat altera sæuam

A *Altera Tisiphonem: serpentes, atque videres*
Infernas errare canes——

Hecate sanè Persephone dicitur à potestatum varietate, quòd cœlo atque Herebo potens sit.

TER *cane.*] vult illa ter esse canenda, quæ saga sapiens prestabit. Putauere quidam in sacris ternarium & quaternarium fuisse numerum perfectissimum: vt *O terque quaterque:* & Ouid.

Dic quater & vino perluere mero:

quidam septennarium numerum: vt Pythagoras religionibus apertissimum. Illud autem notandum quod in magicis refert Plin. *terna despuere deprecatione in carminibus necessarium.*

QVID *credam.*] tacitæ obiectionis responsio B est, & à simili superioris dicti probatio.

CANTIBVS *aut herbis.*] Hor. I. sermonum:

Quantum carminibus quæ versant atque venenis
Humanos animos.——

HOSTIA *pulla.*] rationem sacrorum diligenter seruat. Inferis enim victimas nigri villi veteres immolauerunt. Horat. lib. Sermonum, I.

Pullam diuellere mordicus agnam Cœperunt.

DEOS *magicos.*] infernales deos, qui dæmones sunt exitiosi.

NAM *neque tum pluuia.*] tangit ea quæ somnum prouocant: pluuiæ namque sua humiditate capitis ventriculos opprimunt, & causatur dormitio.

C STRAGVLA *picta.*] Stragulum vestis est qua lecti sternuntur, quæ vario figurarum delinimento aut acu picto, aut textili insigniri solita est, hoc in Martialis Coqui sæpius epigrammatis perlegimus.

MAGNÆ *Veneris.*] amatorum respectu magnæ, quibus Venus ipsa præsidet.

INCESTVS.] is dicitur incestus, qui cum sacerdote aut consanguinea rem habuerit, qui sacra contaminarit: deorum autem sedes sunt aditus templi, quò nulli præterquam sacerdoti accessus conceditur: per hoc se dubiusculè arguit an religionem violauerit: sed de sanctis focis D diripuisse serta, nihil aliud vult intelligi nisi sacrificium interturbasse quasi piaculum.

GENIBVS *prorepere supplex.*] supplicantis signum est: & veniam peccatorũ à diis exposcentis nudato genu per terram obrepere. Iuuen. lib. saty. II. *——Nuda ac tremebunda cruentis*
Erepsit genibus.——

FINGERE.] ornare, disponere.

SEMPER *tibi dedita seruit Mens mea.*] putarunt antiqui & bona & mala ex qualitate numinis amatorij prouenire. Iccirco senex Stalino in E Cas. Plaut. ratiocinatur:

Aut quid ego vnquam erga Venerem inique fecerim?
Cui sic tot amanti mihi obuiam eueniant moræ?

ACHILLES STATIVS.

ADDE *merum.*] sic in III. etiam loquitur.

I puer, & liquidum fortius adde merum.

Et Martial. in x.

Addat cum mihi cæcubum minister.

Et idem in Xeniis, *——adde falerna puer.*

VINOQVE *graues compesce dolores.*] Magno omnes consensu libri veteres pro, Graues, No-

uos, id est maximos, mirabiles. quo modo, opinor, poëta dixit, A

Pollio & ipse facit noua carmina.

NEV *quisquam multo persusum tempora Baccho.*] sic post elegia VII.

——*& multo tempora funde mero.*

Quamquam in veteribus libris fere omnibus Percussum, non Perfusum. Cuiusmodi est Ouidianum illud,

Aleaque & multo tempora quassa mero.

& Euripideum illud in Cyclope,

ἄλλως ἰδόντα πλόκαμον μυρόχριστον ἐπ' ὀφθαλμοῖσιν ... ἔχων.

DVM *requiescit amans.*] veteres libri omnes sic, vt olim Aldus, Amor, non, Amans. quale & Catullinum illud, B

Credo vt tum grauis acquiescat ardor.

CLAVDITVR *& dura ianua firma sera.*] pro Firma fere in veteribus libris, Fulta. quo modo Ouidius.

Atque erit opposita ianua fulta sera.

Idem tamen Tibullus post, in elegia VIII.

Quacumque opposita est ianua firma sera.

Sed ibidem tamen veteribus in libris pro, Firma, Dura, legebatur.

IANVA *difficilis dominæ.*] conuitiari ianuis amantes solent. Propertius ad ianuam,

Te non vlla mea læsit petulantia lingua,

Quæ solet irato dicere tota loco C

In veteribus autem libris melioribus, non Dominæ, sed Domini. itaque lenonem ipsum forte intellegit.

NEC *furtim verso cardine aperta sones.*] Furtim verso : tacito. Idem post, in eleg. VI.

Cardine nunc tacito vertere posse fores.

Sed pro. Nec, Neu, fere in omnibus libris.

ET *mala si qua tibi dixit dementia nostra.*] si quid iratus contumeliosum dixi. Cuiusmodi est Sophocleum illud in Oedipo Tyranno. ἀλλ' ἦλθε μὲν δὴ τοῦτο τοὔνειδος τάχ' ἂν ὀργῇ βιασθὲν μᾶλλον, ἢ γνώμῃ φρενῶν·

CAPITI *sint precor illa meo.*] sic olim quasi prouerbio dicebant. Cælius in epist. ad Cic. *Te ad IX. cal. Iun. subrostrarij, quod illorum capiti sit, dissiparant perisse.* Seneca in IV. epist. idem prope, quod Tibullus. *Quidquid*, inquit, *mali dixi, mihi, & capiti meo.* D

TE *meminisse decet, quæ plurima voce peregi Supplice.*] Supplicem vocem ἱκεσίαν φωνὴν sæpe in hymnis Orpheus dicit. Sed est in libris v. Et, non, Te.

CVM *posti florida serta darem.*] Ianua apud Propertium in I.

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.

Et Ouid. in I. de rem. amoris. E

Effice nocturna frangatur ianua rixa,

Et tegat ornatas multa corona fores.

In Sfortiæ libro, non Darem, sed Dabam.

AVDENDVM *est. fortes adiuuat ipsa Venus.*] Fortes adiuuat ipsa Venus. hoc vero totum non est huius poëtæ γνώμη. quamquam scriptis in libris legebam. Ouidij certe simillima sunt illa in II. Fast.

Exitus in dubio est : audebimus, vltima dixit,

Viderit, audentes forsque Venusque iuuat.

Et in x. Metam.

Audentes deus ipse iuuat,

de Atalanta atque Hippomene. De amore Euripides in Hyppolyto. ἔχει δὲ τόλμας καὶ θράσους διδάσκαλον ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον ἔρωτα, πάντων δυσμαχώτατον θεόν. Claudianus ad Probinum,

Fors iuuat audentes, prisci sententia vatis.

SEV *quis iuuenis noua limina temptat.*] pro Iuuenis, in multis, Iuuenum. Noua vero limina dicit, pro nouo amatore. Si quis recens amator ad nouas fores accessit.

SEV *referat fixo dente puella fores.*] Dentem, pro claui posuit. partem, pro toto. Germanicus in prognosticis.

Qualis ferratos subicit clauicula dentes,

Succutit & foribus producit vincula claustri.

MOLLI *decedere lecto.*] In vno libro, Discedere.

ILLA *pedem nullo ponere posse sono.*] Crepitus pedum is à Cicerone dicitur. ergo sine sono, silentio. Sic Columella de cultu hortorum,

Inuigilate viri, tacito nam tempora gressu

Diffugiunt, nulloque sono conuertitur annus.

Idem opinor Tibullus alibi,

Et strepitu nullo posse referre pedem.

NVTVS *conferre loquaces.*] in veteribus libris etiam Proferre, pro, Conferre. Simile huic illud Ouidianum.

Me spectet, nutusque meos, vultumque loquacem.

BLANDAQVE *compositis addere verba notis.*] Est in veteribus libris non Addere, sed Abdere. in aliis, Reddere. Ouid. in III. Amor. in eandem sententiam,

Quid iuuenum tacitos inter conuiuia nutus,

Verbaque compositis dissimulata notis.

Ex quo intellegitur legendum potius, Abdere. Simillima, totumque hunc locum inlustrant veteris poëtæ illa, *Quasi in choro pila ludens, datatim dat sese, & communem facit, alium tenet, alij nutat, alibi manus est occupata, alij peruellit pedem, alij dat anulum spectandum à labris, alium inuocat, cum alio cantat, attamen alii dat digito notas.*

DECET *hoc omnes.*] in veteribus libris erat, Docet.

TENEBRIS.] de nocte. Idem alibi.

Hæc mihi te adducit tenebris.

SECVRVM *in tenebris me facit ipsa Venus.*] Est in veteribus libris. νόθος tamen existimatur. commentum enim esse Aurispæ cuiusdam dicitur. Pontani fuerat,

Vsque meum custos ad latus hæret amor.

In nonnullis libris fuerat,

Non mihi nocte sopor, non mihi nocte quies.

In aliis erat, quod putatur rectius,

Ille deus certa dat mihi signa viæ.

quod si est, Ipse pro Ille legi malim. Sed in hac varietate, & importunorum hominum licentia, suspecta mihi sint omnia, potiusque sit ὑπεξαιρεῖν illud αὐτοῦ In libro Sfortiæ legebam,

Præsidio noctis sentio adesse deam.

QVISQVIS *amore tenetur, eat tutusque sacerque Qualibet.*] Propert. in III. eandem in sententiam.

Nec tamen est quisquam, sacros qui lædat amantes,

Scironis media sit licet ire via,

Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris,

Nemo adeo, vt noceat, barbarus esse solet,

Philostratus in vita Leonis sophistæ, inermes A amantes esse, Leonis ipsius verbis docet. Οὐ γὰρ πολεμικοὶ ἐρῶσιν, ἀλλὰ μαλακοὶ οἱ ἐρῶντες δίαιταν. Sed est in manuscriptis pro Qualibet, Quolibet.

INSIDIAS *non timuisse decet.*] In libro Sfortiæ, Nec timuisse.

NON *mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis.*] Pigra frigora, ab effecto. Sic opinor à poëtis Pigrum gelu, vel quod stet.

ET *voces ad digiti me taciturna sonum.*] In Vaticano, Tacitura. Velius Longus, de Orthographia, idem significans, *Deinde, Quid, Quod, & voces non simplices, habent tamen significationem, quamuis scribi non possint. nam & digitorum sono pueros ad respondendum ciemus.* B

SEV *vir, seu femina fias.*] In veteri l. Fiat.

CELARI *vult sua furta Venus.*] Sappho in asmate quodam in nectendis, & inueniendis dolis ingeniosissimam artificem δολόπλοκον vocat. Ouid. in II. de arte amandi in eam sententiam,

Præcipue Cytherea iubet sua sacra taceri,
Admoneo veniat ne quis ad illa loquax.
Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,
Nec caua vesanis ictib. æra sonant,
Attamen inter nos medio versantur in vsu,
Sed sic inter nos, vt latuisse velint.

NEV *strepitu.*] In quibusdam libris, Ne strepitu. C

NEV *prope fulgenti lumina ferte face.*] Quam de nocte manibus pueri gestare consueuerunt. Propert. in II.

Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.

SI *quis & imprudens adspexerit.*] In veteri libro, qui Marcelli Pont. Max. fuit, & in Vaticano, Si quid, non, Si quis.

IS *sanguine natam.*] Cruenta eius origo non lenem sui violatoribus illam fore declarat. Sic Ouidius de Simi s ex Gigantum sanguine natis.

——sedet illa propago, D
Contemptrix superum, sæuæq. auidissima cædis,
Et violenta fuit, scires è sanguine natam.

IS *Venerem è rapido sentiet esse mari.*] Idem in III.

Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti.

Ferocissimi enim sunt è mari geniti. A. Gellius in XV. cap. XXI. *Ferocissimos, & immanes, & alienos ab omni humanitate, tamquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt, Cyclopa, & Cercyona, & Lestrygonas.* Seneca in Hippolyto de Venere,

Diua non miti generata ponto.

Non nulla hic quoque varietas. in veteribus enim libris etiam sic.

Is Venerem è rapido sentiat esse mari.

VT *mihi verax Pollicita est magico saga ministerio.*] In Vaticano est, pro Pollicita, Sollicita. vt sit, magam ipsam vereri, ne tuus huic credat coniux. Eiusmodi sit illud fortasse Ouidij.

Sollicitor nullos esse putare deos.

Aut illud potius eiusdem Tibulli in Eleg. v. vt est in veteribus libris,

Carmine cum magico pertimuisset anus.

FVLMINIS *hæc rapidi carmine vertit iter.*] Magno consensu libri veteres, non, Fulminis, sed Fluminis. Vt & apud Ouidium, qui totidem prope verbis hunc ipsum locum ita tractat.

Illa reluctantem cursu deducere lunam
Nititur, & tenebris abdere Solis equos.
Illa refrenat aquas, obliquaque flumina sistit,
Illa loco siluas, viuaque saxa mouet.
Per tumulos errat sparsis discincta capillis,
Certaque de tepidis elicit ossa rogis.

Medea quoque apud eundem Ouid. eodem modo, *——cum volui ripis mirantibus amnes*
In fontes rediere suos.——

Idem alibi apud Tibullum, siquis est error, inoleuit similiter,

Illis eriperes verbis mihi sidera cæli
Lucere, & puras fulminis esse vias.

Legendum, Fluminis.

HÆC *cantu finditque solum,*] In veteri Sfortiæ libro, Fuditq. solum. Sed illud rectius. Sic enim etiam Ouid. in I. de remedio amoris,

Me duce, non tumulo prodire videbitur vmbra,
Non anus infami carmine rumpet humum.

Ouid. in I. Elegiarum de lena totum hunc locum pæne expressit.

Illa magas artes, Ææaque carmina nouit,
Inque caput liquidas arte recuruat aquas.
Scit bene quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.
Cum voluit, toto glomerantur nubila cælo,
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.
Sanguine, si qua fides, stillantia sidera vidi,
Purpureus lunæ sanguine vultus erat.
Hanc ego nocturnas versam volitare per vmbras
Suspicor, & pluma corpus anile tegi.
Suspicor, & fama est, oculis quoque pupula duplex
Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.
Euocat antiquis proauos, atauosque sepulchris,
Et solidam longo carmine findit humum.

IAM *ciet infernas.*] Omnes fere veteres libri non Ciet, sed Tenet. quod probandum videtur propter id, quod addit, Referre pedem.

IAM *iubet, adspersas lacte, referre pedem.*] Lycophronis interpres idem tradidit.

CVM *libet, æstiuo conuocat orbe niues.*] In nonnullis rectius opinor,

Cum libet æstiuas conuocat ore niues.

SOLA *tenere malas Medeæ dicitur herbas.*] In quibusdam veteribus libris, non Herbas, sed, Artes. in quibusdam vtrumque.

SOLA *feros Hecates perdomuisse canes.*] Lycophronis interpres Sophronem auctorem adducit, Hecatæ canes immolari solitos, quod baubantes, latrantesque visa dissipent.

QVIS *fallere posses.*] Aut alios posses fallere, aut ipsa latere.

TER *cane, ter dictis despue carminibus.*] Infamis E anus præcepta. Seruius in illud poetæ.

——Numero deus impare gaudet.

Quemcumque superorum ternario numero delectari, scribit. De terna vero despuendi ratione, ac deprecatione, multa Plinius in XXVIII. è quibus hæc. *Sed & alios efficaces eius vsus recognoscat vita. ita despuimus comitiales morbos, hoc est contagia regerimus, veniam quoque à deis spei alicuius audacioris petimus, in sinum spuendo. Etiam eadem ratione terna despuere deprecatione in omni medicina mos est, atque effectus adiuuare.* Deinde post, *Salpa torporem sedari quocumque membro insupente, si quis in*

sinum exspuat. Quod propterea etiam posui, quod pertinere nonnihil existimem ad illud in fine elegiæ, *Despuit in molles & sibi quisque sinus.* Et quod hoc loco pro Despue, quibusdam in libris, Exspue. Idem Plinius in. XXVI. carmen eiusmodi ter dicendum adducit totiens dispuentibus. *Experti*, inquit, *adfirmauere, plurimum referre, si virgo imponatur nuda, ieiuna, ieiuno, & manu supina tangens dicat, Negat Apollo pestem posse crescere, quam nuda virgo restinguat, atque retrorsa manu ter dicat, totiensque despuant ambo.* vide prouerbium, In sinum inspuere. Dictis vero carminibus despuere illum iubet, ex anicularum consuetudine, de qua Theocriti interpres in Θαλυσίοις sic scribit: Φθύζειν δὲ τὸ πτύειν εἰώθασι δὲ αἱ γραῖαι ὅταν ἐπᾴδωσι ἐπιπτύειν. Idem Tibullus post,

Carmine cum magico præcinuisset anus.

Ex quo intelligimus, anicularum magicum fuisse ministerium. Quod autem dixit Theocriti interpres, ἐπᾴδειν, valet, quod hoc loco Canere, & ἐπῳδαὶ idem omnino sunt, quod hoc in genere Carmina. Se quoque cæde putabant expiari, cæsi sanguinem ter in os exspuentes. sic enim de eo tradit interpres Apollonij in illud in IIII. Argon. Τρὶς δ' ἀπέλειξε φόνου τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυσ' ὀδόντων. post multa enim alia deinde hæc. Ἔπειτα τοῦ αἵματος αὐτοῦ λαβόντες τρὶς εἰς τὸ στόμα ἔπτυον. τοῦτο δὲ ἐποίουν πρὸς τὸ ἐξιλάσασθαι τὴν δολοφονίαν. Euripides in Medea idem prope videtur significare, quod & Plinius. *Si quis*, inquit Plinius, *pœniteat ictus eminus, comminusue illati, & statim exspuat mediam in manum, qua percussit, leuatur illico percussus à pœna.* Euripidis sunt illa: Προσπτύει πικρῶς ὤμοξε δ' ἀϊδὴς, ἐ προσπτύξας χέρας Κατὰ στόμα ... [illegible]

N O N *sibi, si in molli videris esse sinu.*] Veteres libri cum priore Aldina editione plane consentiunt. nec enim, Sinu, sed, Toro, habent. in isdem vero libris, pro Esse, Ipse.

T V *tamen abstineas aliis.*] Est in veteribus non nullis, non Tamen, sed Tantum.

D E *me vno sentiet esse nihil.*] Hoc quoque loco in veterib. libris non Esse, sed vel, Ipse, vel, Ille.

N E M P E *hac eadem se dixit amores Cantibus, aut herbis soluere posse meos.*] Rectum hoc quoque. Sed erat in veteri libro, Fallere, non Soluere. Sicut & Verg. *-insanum si fallere possit amorem.* Sed idem Verg. in IV. Æn.

Hac se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit, ast alijs duras immittere curas.

Et Horat. *A, A, solutus ambulat venefica Scientioris carmine.*

E T *me lustrauit tædis.*] Lustramentum per sacrificium, atque incantationem. tertium illud non adhibet per veneficium. De lustratione magica etiam Ouid. in VII. Metam.

Multifidasque faces in fossa sanguinis atra,
Tingit, & infectas geminis accendit in aris,
Terque senem flamma, ter aqua, ter sulpure purgat.

Et in X. eiusdem operis.

Sine aliquid nocuit, magico lustrabere ritu.

Idem post de lustratione cum sulpure,

Ipseque ter circum lustraui sulpure puro,
Carmine cum magico præcinuisset anus.

Anus enim saga adhibebatur. Ouid. in II. de arte amandi,

Et veniet, quæ lustret anus lectumque locumque
Præferat & tremula sulpur, & oua manu.

C O N C I D I T *ad magicos hostia pulla deos.*] Dis inferis, nigris, furuisque hostiis faciebant. Pullam hostiã sic dixit, vt & Horat. Pullam agnam, in primo Sermonum, Sat. VIII.

--scalpere terram
Vnguibus, & pullam diuellere mordicus agnam.

Ad magicos vero deos, id est, Dis magicis. Sic Ouid. *Ponitur ad patrios barbara præda deos.* Non possum hoc tempore deorum magicor. nomina commemorare, quæ sunt apud interpretem Orationis Gregori Nazianzeni eius, quæ inscribitur, στηλιτευτικός.

N O N *vt totus abesset amor.*] In veteri libro Sfortiæ, & Vaticano, haud paulo melius, ac numerosius, non, Vt, sed, Ego, Non ego totus abesset amor: cum superiore idem plane numerus,

Quisquis amore tenetur, eat———

Quo modo prius etiam Aldus ediderat. Ego, inquit, sacrificium dum fit eiusmodi, deos orabam, nõ illud, vt amore omnino soluerer, sed vt amaremus inter nos. nec enim, si possim maximè, te velim carere, teque non amare.

Q V I, *te cum posset habere.*] Veteres libri, quemadmodum & olim Aldus, Possit, non Posset. Sententia vero non dissimilis est Elegiæ X. Sed, Habere, quod dixit, proprio in amore verbo est vsus. Sic Verg.

Postquam nos Amaryllis habet.

Et Terent. in Andria.

Quis heri Chrysidem habuit?

Quod & monuit Aristoteles, ... τὸ ἔχειν.

V I C T A S *agat ante cateruas.*] In triumpho Legi etiam possit, Vinctas. quæ mutatio his in vocibus alterius in alteram sæpe accidit. Hanc, opinor, lectionem confirmare videntur Nazarij verba in Panegyrico, Constantino Cæsari dicto. *Non agebantur quidem*, inquit, *ante currum vincti duces, sed incedebat tandem soluta nobilitas. Nisi Reges tantum, ac duces ante currum vincti agebantur.* Agere vero ante, quasi vno verbo composito Anteagere. Sic Verg. in III. Georg.

Sæuit & in lucem Stygijs emissa tenebris
Pallida Tisiphone, morbos agit ante metumque.

P O N A T *& in capto Martia castra solo.*] Martia castra sic quoque dixit Manilius in IIII.

In bellum ardentis animos, & Martia castra.

T O T V S *& argento contextus.*] Quis triumphantis habitus fuerit, è Dionysi Halicarnasei scriptis, aliorumque sciri potest. Sed in veteri libro hoc loco non Contextus, sed Contectus, erat.

I P S E *boues mea si tecum modo Delia possim Iungere.*] Est & in veteri libro, Modo sim tecum. Sed illud etiam valde concinnum. Ego, inquit, si tecum modo id faciam, possim boues iungere, & quæ sequuntur.

E T *insolito pascere monte pecus.*] Distinctum in veteri libro, In solito, quod ipsum placet.

E T *te dum liceat.*] In veteri libro Sfortiæ, Et te cum liceat. Sed illud probabilius.

M O L L I S, *& inculta sit mihi somnus humo.*] In veteribus nonnullis, omnino melius,

Mollis in inculta sit mihi somnus humo.

Sic alibi Pedes dicit incultos,

Expressa incultis vua dedit pedibus.

Seneca in xiiii. epist. de primis illis mortalibus simillimis vsus verbis, dixit, *Mollem somnum illis dura tellus dabat.* Ouidius, in ii. de arte amandi, in eandem prope sententiam, in quam Tibul.

Clausa tibi fuerit promissa ianua nocte,
Perfer, in immunda ponito corpus humo.

At in iii. patientiam quoque suam declarans.

Ergo ego sustinui forib. tam sæpe repulsus
Ingenuum dura ponere corpus humo.

Propert. in i. eodem modo, quo Tibullus hoc loco, *Et datur inculto tramite dura quies.*

Qvid *Tyrio recubare toro sine amore secundo.*] Est in Sfortiæ libro pro Toro, Solo, Amorem vero secundum idem significans alibi,

Felix, cui placidus leniter adflat amor.

Cvm *fletu nox vigilanda venit.*] Idem post eleg. viii. *Est mihi nox multis euigilanda malis.*

Nam *neque tum plumæ.*] Hoc enim totum est, somnos quod inuitat leues.

Non *Veneris Magnæ.*] Parum, multumue, deficit certe hoc loco aliquid. Sic enim video & ab aliis hoc fuisse adnotatum, & meo quodam veteri libro admoneor, vt id putem. præsertim cum superiora, & quæ sequuntur, non vsquequaque inter se cohæreant, nisi quis dicat ad querelam illum institutam redire. aut si quid hoc aptius illi in mentem veniat. Sed pro, Non, est in veteribus libris, Num. omnino melius. vt & olim Aldus edidit.

Veneris *magna.*] Propert. in iii.

Et Veneris magnæ voluitur ante pedes.

Et *mea nunc pœnas impia lingua luit.*] Sic idem post in eleg. iii. verba vocat impia, dicta in deos.

Non dicta in sanctos impia verba deos.

Euripides in Hercule furente Ἄφρονα λόγον dicit; Ἄφρονα λόγον οὐρανίων μακάρων κατέβαλε, ὡς ἄρ' οὐ δυνατοὶ θεοί. Et Rhianus, μακάρεσσιν ἔπι ψόγον αἰὲν ἰάπτει. Sed erat etiam in veteribus libris, pro Luit, Tulit. Alij monent in veterib. etiam libris sic legi,

Vt mea nunc pœnas impia lingua luat.

Non *feror incastus.*] Hic quoque Num pro, Non, legendum, ex veteribus libris.

Sertaqve *de sanctis eripuisse focis.*] De sanctis altaribus,

Fumida cingatur florentib. ara coronis.

Non *ego tellurem.*] Hi duo versus in veterib. libris post sequentes duos leguntur. itaque olim Aldus edidit.

Et *miserum sancto fundere poste caput.*] Quod calamitatis est, magnique doloris argumentum. idq; post Varianam cladem fecisse dicitur Octauius. Sed pro Sancto in veteri libro Sfortiæ legebatur, Tacto.

Dvbitem *procumbere templis.*] Lucret.

Nec procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante deûm delubra.

Mox *tibi non vanus seuiet ipse Deus.*] In veteribus libris est,

Mox tibi non vnus seuiet vsque Deus.

Vidi *ego, qui iuuenum miseros lusisset amores.*] In multis veteribus libris, non, Iuuenum, sed Iuuenem. vt sit, Vidi ego iuuenem, qui miseros

A amores lusisset, eundem post senem, & quæ sequuntur. Idem alibi, non multum dissimili sententia,

Vidi iam iuuenem, premeret cum serior ætas,
Mærentem stultos præteriisse dies.

Quæ figura in optimis auctorib. insolens non est. In Sfortiæ libro, pro Lusisset, Læsisset.

Et *sibi blanditias.*] Id vero esse miserrimum, ille docet senarius, Γέρων ἐραστὴς ἐσχάτη κακὴ τύχη. Quo de alienissimo ad amandum tempore plura post in eleg. viii.

Tvrba *circumsteterit arta.*] In veteribus quibusdam, Circumterit atra.

B Despvit *in molles & sibi quisque sinus.*] Quid esset, In sinum despuere, iam dictum. nisi hîc illud significet, rideri propterea senem, vulgoq; contemni. Plautus in Curc.

Qui constitit, culpatur, conspuatur, vituperatur.

Eodem modo Theocritus in Βουκολίσκῳ. Τοιάδε μυθίζοισα, τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον.

Tibi *dedita seruit Mens mea.*] In veteri libro Sfortiæ, non Dedita, sed Debita. Sed illud, opinor, rectius. Dedita enim, id est, valde data. vt & Festus interpretatur. Idem Tibullus in ii.

Tu procul euentura vides, tibi deditus augur.

Et Lucret. in iii.

C *Et simul in pugnæ studio quod dedita mens est,*
Corpore cum reliquo pugnam cædesque petessit.

Ouid. quoque in ii. Amor.

Hos tua sentimus, populus tibi deditus, arma.

Qvid *messes vris acerba tuas.*] Prouerbium id fuisse apparet.

M. ANT. MVRETVS.

Adde *merum.*] In quibusdam libris, *vinoque graues compesce dolores:* in aliis, *vinoque nouos compesce furores.*

Nev *quisquam.*] In hoc versu quidam, *perfusum*, quidam, *percussum*, legunt. Seneca quidem in Troade, *percussam deo Mænadem*, dixit. ego tamen, quod hîc in libris veteribus perfusum repereram, nihil immutare volui.

D Dvm *requiescit amans.*] Libri veteres, *amor:* & tertio abhinc versu, iidem libri, *sanna fulta.*

Cvm *posti florida serta darem.*] Morem hunc amantum fuisse, notum est, spargendi mero, & ornandi floribus amicarum fores. Propertius,

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ. Ouid.

At tu non lætis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte iace. Plautus,
——agite, bibite festiua fores,

E *Potate, fite mihi volentes propitiæ.*

Blandaqve *compositis abdere verba notis.*] Scio fuisse, qui aduersus hanc emendationem, seu iudicio, seu δι' ἀνθρώπινόν τι πάθος, multa dixerint. sed profecto præclara illa est: δεῖ γὰρ τἀληθῆ λέγειν, vt ait Plato. hoc enim non obscure significat poëta, alienæ vxoris amatorem inuenire, monstrante Venere, quomodo cum ea, etiam viro præsente, impune colloquatur. componere enim ipsos inter se notas quasdam, quibus vtantur verborum loco, atque hoc modo abdere blanditias, quas sibi cum inuicem dicunt. sed hoc nullo ex loco melius intelligi potest, quam

ex his Ouidij versibus, qui sunt ex elegia quadam, qua amicam monet, quomodo se in cœna gerere debeat, cui cœnæ etiam vir ipsius erat interfuturus,

Me specta, nutusque meos, vultumque loquacem.
Excipe furtiuas, & refer ipsa notas.
Verba superciliis sine voce loquentia dicam.
Verba leges digitis, verba notata mero.
Cum tibi succurret Veneris lasciuia nostra,
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacita quod mente loquaris;
Pendeat extrema mollis ab aure manus.
Cum tibi, quæ faciam, mea lux, dicamue, placebunt:
Versetur digitis annulus vsque tuis.
Tange manu mensam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.

Huiusmodi notas, absque vlla dubitatione, hoc versu significat Tibullus.

NEC *vetat obscura surgere nocte timor.*] Eos, qui nocturnas formidines expauescunt, facile liberari hoc morbo, si amare occœperint, exemplo suo indicat Ouidius: cuius hæc sunt, (de amore autem loquitur)

Ille per excubias custodum leniter ire
Monstrat: inoffensos dirigit ille pedes.
At quondam noctem, simulacraque vana timebam:
Mirabar, tenebris si quis iturus erat.
Risit, vt audirem, tenera cum matre Cupido:
Et leniter, fies tu quoque fortis, ait.
Nec mora: venit amor: non vmbras nocte volantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.

EN *ego cum tenebris.*] Qui cum hoc loco elegiam Propertij è libro tertio, cuius principium est, *Nox media*, conferre voluerit, non minimam, ni fallor, è collatione capiet voluptatem.

SECVRVM *in tenebris.*] Hic versus legitur ille quidem in non nullis vetustis libris: sed in aliis lacuna est. in quibusdam etiam legitur,

Præsidio noctis sentio adesse deam, At in aliis,
Ille deus certa dat mihi signa via.

Vt si quis commotus illa tanta varietate, de mendo suspicetur, me quidem socium sit habiturus.

PROVOCAT *orbe niues.*] Ita est in veteribus, non, vt in aliis, *conuocat.*

TER *cane.*] Ternario numero in rebus diuinis vti solitos veteres, etiam ex Aristotele didicimus: cuius illa sunt libro primo de Cælo, μεγέθους δὲ τὸ μὲν ἐφ' ἕν, γραμμὴ δ' ἐπὶ τὸ δύο, ἐπίπεδον, τὸ δ' ἐπὶ τρία, σῶμα, καὶ παρὰ ταῦτα οὐκ ἔστιν ἄλλο μέγεθος, διὰ τὸ τὰ τρία πάντα εἶναι, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ. καθάπερ γάρ φασι οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται. τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον, καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τὸν τοῦ παντός. ταῦτα δὲ τὸν τῆς τριάδος. διὸ παρὰ τῆς φύσεως εἰληφότες ὥσπερ νόμους ἐκείνης, καὶ πρὸς τὰς ἁγιστείας χρώμεθα τῶν θεῶν τῷ ἀριθμῷ τούτῳ.

ILLE *licet.*] Per me licet, ille triumphans in vrbem inuehatur: dum modo ego ruri otiosus te frui possim.

ET *insolito.*] Alij, *& in solo.* placet.

ET *inculta.*] Alij, *& in nuda.* vt sit sensus: etiã in nuda humo mollis mihi fuerit somnus, si, te amplexus dormiam.

NON *ego tellurem.*] In veteribus libris distichon, quod hîc sequitur, antecedit.

A DESPVIT *in molles & sibi quisque sinus.*] Ad auertendam Nemesim. idem etiam ad fascinationes auertendas valere arbitrabantur. Theocritus,

Ὡς μὴ βασκανθῶ δέ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

Callimachus,

Δαίμονες. τί κόλποισιν ἐπιπτύομεν χιόνεσσι;

Et quidam in epigrammatis,

Ἐς βαθὺν τρὶς κόλπον ἀπέπτυσεν.

IANVS DOVSA FIL.

B QVOD in ipso penè Tibulliani libri vestibulo occurrit nobis:

NEV *quisquam multo perfusum tempora Baccho.*] An *percussum* legi debeat, quod veteres quidam libri agnoscunt, à multis variè agitatum est. quorum probationes & exempla ex Plauto, Ouidio aliisque depromta, quod nunc primùm nota non sint, sciens prætereo. Addam his tantùm velut supernumerarium testem Alexidem Comicum ita scribentem:

Πίνειν εἰώθας ὁμολογῶ δι' ἡμέρας
Διατείνεσθαι τοὺς κροτάφους ὑπὸ τοῦ ἀκράτου.

Neque abludit ab his illud Athenæi lib. XI. Θεόφραστος δ' ἐν τῷ ἐρωτικῷ Χαιρήμονά φησι τὸν τραγικὸν λέ-
C γειν ὡς τὸν οἶνον τῶν χρωμένων κεράννυσθαι, οὕτως καὶ τὸν ἔρωτα. Vnde intelligimus cur *μεθύων ἔρωτι* Anacreon dixerit, cúrque *amore saucios*, Ennius & Lucretius eadem tralatione quâ Iustinus siue Trogus Pompeius *mero saucios*. Sed quoniam in hanc amoris & ebrietatis comparationem occasione oblata non quæsita incidimus, lubet pauca adscribere quæ id illustrent; Plutarchus in Symposiacis: ἐλέχθη ὅτι τῷ μεθύοντι τὸ ἐρᾶν ὅμοιόν ἐστι, ποιεῖ γὰρ θερμοὺς καὶ ἱλαροὺς καὶ διακεχυμένους. Heliodorus lib. III. Διάκεινται ἐρῶντές τι, καὶ μεθύοντες. ἀνίσταται καὶ ὑγρότης ὄμμασιν ἐπιχεῖται. ἀπὸ τῆς ψυχῆς ἀμφοτέροις ἐφ' ὕψει τὸ πάθος συμβαίνει. Διὸ καὶ πρὸς μέθην ὁ ἐρῶν, καὶ πρὸς
D τὸ ἐρᾶν ὁ μεθύων ἐπιρρεπής. Verum vt ad Tibullum reuertar, si quis *perfusum*, retinere malit, haud valde renitar. præsertim quum hic noster & alibi ita loquatur, & Martialis ferè eodem modo:

Atque inter mensas largo iam nectare fusus.

IANVA *difficilis dominæ.*] Seneca III. de Ira: *Nunc ille, qui intra iacet, felix fortunatúsque est, & beati hominis ac potentis iudicat indiciũ, difficilem ianuam.* vnde videatur epithetũ illud *difficilis* ad *Ianuam* hîc referri posse, non ad *dominam*: quamuis etiam ita acceptum sententiam non malam efficiat.

CAPITI *sint precor illa meo.*] De hac loquendi consuetudine alij alia. nos hoc obseruamus per-
E tinere huc quod Lampridius de Commodo tradit, *sanguinem gladiatoris occisi eum sibi ad caput detersisse.* idque male ominosum fuisse addit. non alia vt opinor de caussa, quàm quòd hac ratione sibi ipsi imprecari videretur, vt in se & caput suum recideret gladiatoris sanguis. Quod & à Lipsio in Saturnalibus notatum tribus verbis, non adducto tamen Tibulli loco, diu post quàm hæc scripseram, animaduerti. quod dissimulare nolui. ne quis migrari à me putet illam Laurentium religiosissimè vbique mihi obseruatam legem: *Ne quid alieni.*

VT *mihi verax Pollicita est magico saga ministerio.*]

Notandum Epithetum sagæ *verax.* quo allusisse puto eum ad id quod hæ mulieres, *quæ deuotionibus ac maleficijs quiduis efficere credebantur*, vt Apuleius loquitur, *veratrices* dicerentur, vt videre est ex eodem Miles. ix. id quod nostra lingua felicissimè exprimit, *vvaerzeghters.*

Mollis *& inculta sit mihi somnus humo.*] Mirè variant hîc libri. alij enim *in inculta*, alij *& in culta*, nonnulli *& in nuda* habent. ex qua lectionum discrepantia venit mihi in mentem legendum fortè

Mollis & in dura sit mihi somnus humo.

Eleganter enim opponuntur hæc: *mollis somnus, dura humus.* Fauet coniecturæ nostræ illud Senecæ Epist. xci. *Sollicitudo nos in nostra purpura versat & acerrimis excitat stimulis, mollem somnum illis dura tellus dabat.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Ianva *difficilis dominæ.*] Scriptus liber, *Domini.* Quod rectum est. *Domini*, hoc est mariti. Sequentia id probant, ne forte putes aliud per dominum intelligi.

En *ego quum tenebris.*] Hoc distichon spurium & insititium est, &, quod caput est, ridiculum, atque, vt ille dixit, commictile. Quare ne verere illi transuerso calamo notam culpæ illinere. Non est enim, vt vnquam Tibulli officina illud bona moneta cuderit. Præter importunam sententiam, quam facit, satis falsi eum conuincit Pentametron diuerse conceptum:

Securum in tenebris me facit esse Venus.
Præsidio noctis sentio adesse Deam.
Ille Deus certæ det mihi signa viæ.

Quis sanus hæc Tibulliana dixerit? Putarunt otiosi & oscitabundi homines interruptam esse sententiam. At si illa genuina, quæ tam bene cohæret, interrupta est, quomodo tam aliena verba hic locum habebunt? Lege ergo, quæ Tibulli sunt, & illa expunge, videbis nihil elegantius illis esse: quæ, ne ego explicem, ipsa perspicuitas facit.

Avt *rapta præmia veste petat.*] Nonius, *Præmiatores nocturni prædones. Nonius Agrypnuntibus: Nam in cæna nos nocturnos capit præmiatores tollere.* Petronius: *Aduocati iam pene nocturni, qui volebant pallium lucrifacere.* Scio nos olim adolescentes aliter hunc locum explicasse.

Non *vt totus abesset amor.*] Hic clauditur Elegia. Reliqua quo pertineant, partim diximus, partim dicturi sumus.

Ad Messallam. Eleg. III.

Ibitis Aegeas sine me Messalla per vndas,
O vtinam memores ipse, cohorsque mei!
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris,
A *Abstineas auidas mors violenta manus,*
Abstineas mors atra, precor. non hîc mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.
B *Delia non vsquam: quæ me cùm mitteret vrbe,*
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Rettulit è triuijs omina certa puer.
Cuncta dabant reditum. tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret, nostras respiceretq; vias.
C *Ipse ego solator, cùm iam mandata dedissem,*
Quærebam tardas anxius vsque moras.
Aut ego sum caussatus aues aut omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem:
D *Audeat inuito ne quis discedere amore,*
Aut sciat egressum se, prohibente Deo.
Quid tua nunc Isis tibi Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties æra repulsa manu?
Quidve piè, dum sacra colis, pureque lauari
Te memini, & puro secubuisse toro?
E *Nunc Dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi*
Picta docet templis multa tabella tuis.
Vt mea votiuas persoluens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat:
Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereq; antiquo mẽstrua thura Lari.

Quàm bene Saturno viuebant rege priùs quàm
Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contemserat vndas,
Effusum ventis præbueratque sinum,
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa nauita merce ratem.
Illo non validus subijt iuga tempore taurus,
Non domito frenos ore momordit equus.
Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arua lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, vltróque ferebant
Obuia securis vbera lactis oues.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Immiti sæuus duxerat arte faber.
Nunc Ioue sub domino cædes, & vulnera semper,
Nunc mare, nunc lethi mille repentè viæ.
Parce pater. timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba Deos.
Quòd si fatales iam nunc expleuimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.
Hìc iacet immiti consumptus morte Tibullus,
Messallam terra, dum sequiturque mari.
Sed me, qui facilis tenero sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hìc choreæ, cantusque vigent, passimq; vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aues.
A *Fert casiam non culta seges, totosque per agros*
Floret odoratis terra benigna rosis.
Ac iuuenum series teneris immista puellis
Ludit, & assiduè prælia miscet Amor.
Illic est cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
B *At scelerata iacet sedes in nocte profunda*
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphonéque impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in porta serpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.
C *Illic Iunonem tentare Ixionis ausi*
Versantur celeri noxia membra rota;
Porrectusque nouem Tityus per iugera terræ,
Assiduas atro viscere pascit aues.
Tantalus est illic, & circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit vnda sitim.
D *Et Danai proles, Veneris quæ numina læsit,*
In caua Lethæas dolia portat aquas.
Illic sit quicumq; meos violauit amores,
Optauit lentas & mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positaque lucerna
E *Deducat plena stamina longa colo.*
Ac circa grauibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subitò: nec quisquam nunciet antè,
Sed videar cælo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obuia nudato Delia curre pede.

Hoc precor.

Hoc precor. hunc illum nobis Aurora nitentem
Luciferum roseis cãdida portet equis.

BERN. CYLL. VERON.

IBITIS *Aegæas sine me Messalla per vndas.*] Cum Messallam ducem Romani exercitus poëta sequeretur, vt ante dictum est, aduersa cum valetudo Corcyræ inuasit. Quamobrem hic lamentatur cum illo vlterius progredi non posse: in qua conquestione captat occasionem ab insania bellorum, vt Saturni ætatem commendet: deinde campos Elysios, quò se pium, cum fato perfunctus fuerit, descendere non dubitat.

MESSALLA.] Romanus patritius fuit: fueritne ille de quo Eusebius in li. Temporum meminit dubitatur: Nam ille Coruinus Messalla, primus præfectus vrbis factus vi. die magistratum abdicauit, ciuilem potestatem esse contestatus: & de alio siue eodem etiam inquit, qui fuit orator: & ante biennium quàm moreretur, ita memoriam ac sensum amisit, vt vix pauca verba coniungeret: ad extremum vlcere illi circa sacram spinam nato inedia se affecit anno lxx. ætatis: est autem Messalla nomen à Messana vrbe Siciliæ deductum: vt in i. Saturnaliúm Macrobius dixit. Nam Valerius quidam Maximus ea vrbe nobilissima capta hoc cognomen accepit.

O *vtinam.*] Geminatio est affectum animi per energiam manifestans: vt Virg.

O vtinam ex vobis vnus vestrique fuissem.

PHÆACIA.] Corcyra Phæacum est prima in Ionij maris littore: deriuatiuum fit Phæacius & Phæacus ca. cum. vna syllaba minus suo primitiuo. Propertius elegiarum tertio:

Nec mea Phæacas æquant pomaria siluas.

Quod autem ægrotauerit Corcyræ, quispiam fictum putaret, nisi Ouid. in elegia de eius obitu diceret: *Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus Ignotum vili supposuisset humo.* & ad ea quæ poëta hic infra ponit: alludens ait:

Hic certe fugientes pressit ocellos
Mater, & in cineres vltima dona tulit.
Hic soror in partem mixti cum matre doloris
Venit, inornatas dilacerata comas.

NIGRA.] Quia deformis esse dicitur, quòd hominem nigrum facit: vnde subdit,

Abstineas mors atra precor.

QVÆ *legat in mœstos ossa perusta sinus.*] Tangit antiquum morem: defuncti enim cineres qui ex genere proximior aderat, colligebat. Quod secutus Propertius elegiarum secundo ait, de Briseide:

Maximaque in parua sustulit ossa manu.
Cum tibi nec Peleus aderat, nec cærula mater
Scyria, nec viduo Deidamia viro.

IN *mœstos sinus.*] Pro ipsa mœsta colligat gremio. Lucanus:

Trepida vestes implere fauilla.

ASSYRIOS *odores.*] Amomum & balsamum &c. huiusmodi aromata, qualia thus, costum,

A quæ rogo superinfundere vetustas consueuit. Lucanus lib. viii.

Non pretiosa petit cumulato thure sepulchra
Pompeius, fortuna, tuus, non pinguis ad astra
Vt ferat è membris Eoos fumus odores.

Odores ergo Assyrios. idest, diuersas vnguentorum & odoramentorum species. vt Propertius,

Desit odoratis ordo mihi lancibus.

Assyria regio est in Asia maiore, quam Porphyrius & Acron in suo quisque commentario super Horatij carminum ii. dictam voluit prius Syriam: posteaque vna addita syllaba vocitatam Assyriam. Cleodemus qui Malchas quoque dicitur, aliter sentit: scribit enim multos Abraamo fuisse filios, & ex his tres nominat Afer, Assyn, & Afram, & Assyriam ab Assy denominatam contendit; ab Afer & Afram, vrbem Afram & regionem Africam appellatam.

B DELIA *non vsquam.*] De hac & Nemesi Oui. in prædicta elegia scribit ortam apud rogum altercationem, vtra earum magis fuerit dilecta.

ILLA *sacras pueri sortes ter sustulit.*] Genus fuit sortilegij per talorum iactum. Nam secundum eorum numerum rei euentum præmonebant. Iuue. lib. ii.

Et sortes ducet.——

C SVSTVLIT.] Eleuauit. de vrna enim tollebantur, in qua sortes ipsæ dimittebantur. Hora. lib. sermonum primo:

Quot puero cecinit diuina mota anus vrna.

DABANT *reditus.*] Spondebant reuersionem.

CVM *iam mandata dedissem.*] Consuetudinem amantium notat: quæ longinquius abituri mandant vicissim: eaque sunt amoris mutui argumentum & de reditu discedentis solatium, non minusquàm remanentis expectatione. Sappho ad Phaonem:

Non mandata dedi: neque enim mandata dedissem
D *Vlla: nisi vt nolles immemor esse mei.*

ANXIVS *quærebam moras.*] In hoc vim sui amoris explicat.

CAVSATVS, *aues.*] Iccirco caussatus vt cum amica esset diutius. Caussari est excusare caussas annectendo. Virg.

Caussando nostros in longum ducis amores:

Et est allegare quasi per rationem aliquid factũ esse, aut fieri non posse. Ouid. de arte i.

Si non esse domi quos des causabere nummos.

Dicimus autem causor repentinas pluuias inter nobis impendisse: pro in excusationem affero: vt excuso mortem patris repentinam, ne te viderem ante quàm discederes negauisse.

E TIMVISSE *diem Saturni.*] Sabbatum intelligit: qui dies itinerantibus exitiabilis est: namque & stella Saturni secundum astrologorum ratiocinationem nociua est: & geomantici illius die, vt damnoso, vetant homines iter carpere.

PEDEM *offensum in porta.*] Idest, in limine portæ. Antiquitas enim tam ingredientium quàm egredientium pedes in limine obseruauit. Nam si quid offendissent Ianum & Vestam iratos putabant: quare dixit Luc. lib. i. *Nec limine quisquam Hæsit:* quasi & patriæ & deorum neglecta cum exitio pietate.

QVID tua nunc Isis mihi Delia.] Isin dānat, quæ cultrici piæ castæque auxilium neget: nam amatores Isidi vouebant. Propertius secundo:

Redde etiam excubias diuæ nunc, antè iuuenca.

Isis fuit Inachi filia prius Io dicta, quæ pererrans olim cum ad Nili fines peruenisset, Iouis amatoris ope formam vaccæ immutauit, estque ab Ægyptiis pro dea celebrata: apud quos Isis est Iustitia, vt in secundo de Præparatione euangelica scribit Eusebius. *Iσω* enim Græcè, Latinè æquale dicitur, vnde iustitia oritur. Diodo. vero vult Isin Latinè dici priscam, Lunæ hoc nomine indito ab illis: ea enim semper æterna priscaque est. vnde Ouid. Met. IX. inquit:

-- Inerant lunaria fronti Cornua. --

SISTRA *repulsa manu*] Sistrum est tubæ genus Ægyptiacæ, cuius sonitus in sacris Isidis memoriam Osyris mariti significabat.

PVREQVE *lauari Te memini*] Hoc addit, quia Delia Isidi sacrum facere potuisset, sed non purè, hoc est à sordibus defęcata. Nam casta superis placent, vt inferius habetur. Quare dixit Mar. in epistola ad Domitianum: *Meminerit*, inquit, *non nisi religiosa purificatione lustratum accedere ad templa debere.*

ET *puro secubuisse toro.*] Qui sacrificaturi erant prisco tempore se à coitu temperabant nocte præcedenti. Vnde inferius legitur,

———discedat ab aris

Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Ouid. li. fastorum I.

Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno:
Et positis iuxta secubuere toris.
Caussa, repertori vitis pia sacra parabant,
Quæ facerent purè, cum foret orta dies.

Eadem sacra Isidi quamuis meretrici fiebant, quæ Propertius grauiter tulit ob à se puellam seiunctam. inquit enim:

Quæ dea tam cupidos toties diuisit amantes,
Quæcumque illa fuit semper auara fuit. Et subdit,
Quidue tibi prodest viduas dormire puellas,
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.

Et Ouid. in elegia prædicta ad hanc eandem sententiam ait:

Quid nos sacra iuuant: quid nos Aegyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse toro?

NAM *posse mederi Picta docet templis multa tabella tuis.*] Ab indiciis frequentissimarum tabularum arguit Isidem posse auxilium ferre ægrotanti. Mederi autem dixit pro sanari: huic Deæ ægrotantes liberati mala valetudine, & euasi naufragio tabellas suspendebant. Iuue.

Et quam votiua testantur fana tabella
Plurima, Pictores quis nescit ab Iside pasci?

TECTA *lino.*] Ideò lino potius cooperta quàm aliqua alia re, quod ab Osyride marito inuentum constat: quare Lucanus facti ignarus ait Protectum. lino enim dictum est pro lini velamento, qui mos est Ægyptiorum: lino namque vsi sunt ad rem diuinam, vt in Apologiæ primo docet Apule. quoniam seges eius est mundissima, & inter optimas fruges ex terra ortas non modò indutui & amictui est aptissima, sed opertui quoque ab Ægyptiis ipsis in sacris vsurpata: Sed dum tecta dicit, morem sacrificulorum antiquissimum tangit, qui se pannis operiebant. Iuu.

Stetit ante aram, nec turpe putauit
Pro cythara velare caput. Plau. in Curcul.
Quis est hic qui adoperto capite Aesculapium salutat.

Hoc propterea constitutum est, ne quid inter rogandum supplicis mentem turbaret. Quare Q. Curtius lib. I. ait: *Ille in candida veste verbenas manu proferens, capite velato præibat*, & Helenus Virgilianus Æneam caput velare iussit.

VOTIVAS *preces.*] Aut periphrasticōs vota intelligit, aut verba deprecatoria.

TVRBA *Pharia.*] Ideò turba, quia semiuiri sunt Isidis sacerdotes, vt Iuue.

Qui grege lanigero circumdatus & grege caluo.

MENSTRVA *thura.*] A mense fit menstruus, mensurnus, & menstrualis. Luc. li. V.

Menstruus in fastos distinguit sæcula Consul.

Cic. I. Rhe. *Pars quædam æternitatis cum alicuius anni mensurni, diurni, nocturni, vespertini certa significatione.* Plautus in Captiuis: *Quibus solebam menstruatis epulas ante adispicere.* Menstruum vero substantiuum significat mulierum profluuium, de quo Solinus & Pli. admiranda dixerunt.

QVAM *bene Saturno viuebant rege.*] Auream laudat ætatem ab hominum innocentia, & telluris vbertate. Rege dixit, pro regnante. Iuue. itidem:

Credo pudicitiam Saturno rege moratam.

Sed illud historicum est, hoc autem poëticum magis. Virg. VIII.

Aureaque, vt perhibent, illo sub rege fuerunt Sæcula.

REPETENS *compendia.*] Ex itinere & nauigatione & lucrum vtilitatemque sequens. Compendium lucrum significat & breuitatem: dispendium vero damnum. Cum Saturnus orbis potitus est, maxima fuit hominum integritas nulla pecuniarum siti laborantium. Quippe suis quisque finibus contentus erat: ac si quid opus erat, ex opportunitate permutandi sumebat: quem morem durasse ad Troiana vsque tempora, Home. ostendit in Iliade.

FRENOS *ore momordit equus.*] Frenum dicitur à frāgendo: frangit enim equorum ora: & (teste Festo) oria apud antiquos dicebatur quæ ora equorum coercet: vt aurea quæ ad aures religabatur: à quo aureax idest, auriga. Frenum in singulari genere efferimus neutro: in plurali vero frenos & frena legimus. Nec aliter ait momordit, quàm Virg.

Stat sonipes, ac frena ferox spumantia mandit.

LAPIS *fixus in agris.*] Saxum pro termino inter confines positum. Iuue. Satyra vltima:

Aut sacrum effodit medio de limite saxum,

Erat autem hic plerumq; Stipes. Oui. fasto. II.

Termine siue lapis, siue es defossus in agris
Stipes: ab antiquis tu quoque nomen habens.

CERTISQVE *finibus.*] Vt litigantium vicinorum rixæ tollantur de medio, qui plerumque alter alterius agrum student vsurpare. Ideo.

Separat indicio hic deus arua suo.

IPSÆ *mella dabant quercus.*] Rerum omnium copiam ostendit fuisse Saturni tempestate. Sic Ouid. *Flauaque de viridi stillabant ilice mella.*
Et Verg. *Et duræ quercus sudabunt roscida mella,*

Ipsæ *sua sponte.*] Nullo colente. Iuuenalis: A
Tanquam ipse suas incenderit ædes.
Id est, sponte.

Vbera *lactis.*] Sic Maro:
Ipsæ lacte domum referunt distenta capellæ Vbera.

Sævvs *faber.*] Ideò sæuus, quia gladios finxit: prima enim ętate enses fabricare nesciebant. Iuuenalis Satyra penultima:
—— Nescirent primi gladios extendere fabri.
Excusat tamen eosdem fabros inferius cum dicat:
——Nos ad mala nostra
Vertimus in sæuas quod dedit ille feras.

Inscriptis *notis.*] Literis pro epitaphio B positis.

Hic *iacet.*] Distichon est eulogiale.

Ipsa *Venus.*] Veneris opus poëta executus est. Ouidius ex hoc ait in elegia de istius morte:
Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo:
Quam iuueni rupit cum ferus inguen aper.

Ad *Elysios campos.*] Sedes piorum sunt Elysij: quos alij (vt Strab. scri. secundum Homerum) in Tartessiaca regione Hispaniæ esse voluerunt; quidam fortunatas esse insulas, quas Homerus, idem νήσους τῶν μακάρων vocat. Quidam esse apud inferos: Lucanus vero circa Lunæ globum atque circulum, quanquam de heroibus tantum C ipse intellexerit. Vnde Statius siluarum II. in eius Genethliaco dubitans ait:
At tu seu rapidum poli per axem,
Famæ curribus arduis leuatus:
Quà surgunt animæ potentiores
Terras despicis, & sepulchra rides
Seu pacis merito nemus reclusæ
Felix Elysijs tenes in oris
Quo Pharsalica turba congregatur.
Sed ad hunc locum inquit Ouidius in præfata Elegia:
Si tamen è nobis aliquid nisi nomen & vmbra
Restat: in Elysia valle Tibullus erit.

Hic *choreæ cantusque vigent.*] Ab amœnitate & delectatione laudat Elysios.

Casiam.] Casia herba est seu frutex (vt Pli. scri.) magni odoris: cuius prima semper corripitur. Virgilius: *Tum casia atque alijs.*

Non *culta seges.*] Seges terram hîc signat, vt *Quid faciat lætas segetes.*

Totos. *per agros.*] Claudianus in raptu Proserpinæ: *—— nec mollia desunt*
Prata tibi: Zephyris illic melioribus halant
Perpetui flores: quos nec tua percutit Aetna.

Myrtea *serta.*] Myrtus arbuscula sub tutela Veneris esse legitur, cuius frondibus heroici E poëtæ coronabantur. Ouidius li. de arte amandi secundo:
Sertaque odoratæ myrtea ferte comæ.

Nocte *profunda.*] Maximis & perpetuis tenebris, quemadmodũ Virgilius latè pertractat.

Flvmina *nigra.*] Aut qualitate aquarum, aut caliginosa opacitate obsita.

Impexa *feros pro crinibus angues.*] Ad fabulas respicit, quibus scriptum est Furias habere serpentes perquàm multiplices loco capillorum ad maiorem terribilitatis ostentationem. Catullus in Argonautica:
Eumenides, quibus anguineo redimita capillo
Frons exspirantis præportat pectoris iras.

Fvgit.] Timore supplicij.

Tvm *niger in porta.*] Canis quem poëtæ fingunt inferorum aditum custodire triceps est, & à voracitate Cerberum nominatum constat: τὸ κρέας enim caro: βορὸς vorans interpretatur. Mortuorum namque cadaueribus pascitur. Statius Thebaidos secundo.
Illos vt cæco recubans in limine sensit
Cerberus, atque omnes capitum surrexit hiatus,
Sæuus in intrantes populo iam nigra tumebat
Colla minax, iam sparsa solo turbauerat ossa.

Serpentvm *stridet.*] Hoc ita dictum est, vt illud in Statio:
Iam nigra tumebat Colla minax.

Æratas.] Adamantinas.

Tentare *Iunonem.*] De concubitu interpellare Iunonem: & est aphæresis. Tentare enim est rem non intellectam atque incertam aggredi; attentare vero de pudicitia, cum id scilicet agitur, vt impudicus fiat aliquis. Ixion Iouis fuit secretarius, qui cùm vitiare Iunonem ausus esset, ab ipso Ioue fulminis impetu detrusus ad inferos super celeri rota conuoluitur.

Tityvs.] Hic filius Iouis ex Tyara filia Oromeni dicitur, qui Latonæ vim parans sagittis ab Apolline confossus iacuit: dicente Statio Thebaidos primo:
—— tu matris honore
Terrigenam Tityon Stygijs extendis arenis.

Assidvas *aues.*] Indeficientes à pastu. Virgilius: *Nec fibris requies datur vlla renatis.* vultur enim in supplicij assiduitatem nunquam lassatur ab ingluuie. Claudianus in raptu Proserpinæ: *—— laterisque piger sulcator opaci*
Inuitus trahitur lasso de pectore vultur.

Tantalvs.] Hic filius Iouis ex Plote nympha, qui deis hospitio à se sumptis filium Pelo- D pem epulandum apposuit, dum vult deorum mentes inquirere: cuius facinoris gratia tale apud inferos supplicium perpetitur: vel quod (vt ait Lactantius grammaticus in Thebaidos vtramque attingens opinionem) dum deorum conuiua esset, eorum secreta prodidit. Ideo Statius: *Et sæua perijt iniuria mensa.*
Ouidius de arte II.
O bene, quod frustra captatis arbore pomis
Garrulus in media Tantalus ardet aqua.

Danai *proles.*] Danaus quinquaginta filias habuit, quas Danaides vocant poëtæ, & Belides à nomine aui Beli. Hæ omnes prima nocte viros suos pariter interfecerunt: præter vnam Hypermnestram quæ Lino pepercit.

In *caua dolia.*] Seu vrnas perforatas, vt in Medea dixit Tragicus, seu dolia sine fundo, vt Horat. carminum III.
Virginum pœnas & inane lymphæ
Dolium fundo pereuntis imo.
Seu vtrumque. Namque aquam, vt dolia sibi impleant, haurire vrnis fingunt, quod argutè Propertius complectens ait li. Elegiarum II.
Dolia virgineis idem ille repleuerit vrnis.

Pvella.] Ancilla qua cũ domina lanas trahat, & mulierũ pudicarum officiũ induit, q̃ lanificio

se exercent, vt libidinis appetitum ab se procul A abigant. vt Ouidius qui li. fastorum ij. castissimam Lucretiæ vitam conatus ostendere, inquit:

——nebat:
Ante torum calathi lanaque mollis erat.
Lumen ad exiguum famulæ data pensa trahebant.

AVRORA *candida roseis equis.*] Fictio est poëtica à vario cæli colore, quẽ Sol cum ab oriente leuatur, diffundit. Græcorum quidam fabulatores dixerunt Solem & Lunam & Auroram ex Hyperione genitas. Is enim deus est super omnia sæcula, vt nomen indicat.

ACHILLES STATIVS. B

HOC de Messalla quid tandem statuerem, diu, multumque dubitaui. nam, cum Tibulli æqualem illum fuisse necesse sit, Bibaculo, & Catone, & Catullo posteriorem fuisse oportet. & tamen auctor quisquis est libri de inlustrib. grammaticis, quo loco de grammaticorum appellatione multa disserit, horum supparem videtur facere. sic enim est apud illum: *Messalla Coruinus in quadam epist. non esse sibi dicens rem cum Furio Bibaculo, nec cum Sigeda quidem, aut litteratore Catone*, & quæ sequuntur. Aut igitur Messalla hic diutissime vixit, aut illorum se scripta C non attigisse significat. Vnde vero Messalla dicatur docet Seneca in libro de breuitate vitæ, cap. XIII. *Sane & hoc ad rem pertineat, quod Valerius Coruinus primus Messanam vicit, & primus ex familia Valeriorum, vrbis captæ in se translato nomine, Messana appellatus est, paullatimque vulgo permutante litteras, Messalla dictus est.*

PHÆACIA *tellus.*] Ouid. in elegia de morte Tibulli,

Sed tamen hoc melius, quam si Phæacia tellus
Ignotum vili supposuisset humo.

ABSTINEAS *auidas mors precor atra manus.*] In omnibus fere libris veteribus, *Mors modo nigra manus.* D Sed illud propter eam, quæ sequitur, iterationem aptius. Ouid. in elegia de Tibulli morte,

Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras inijcit illa manus.

At ipsum dicendi genus ab optimis auctoribus frequentatum. Cic. in III. ad Att. *Quod me ad vitam vocas, vnum efficis, vt à me manus abstineam.* Plautus in Pseudolo. *Credo in tenebris conspicatus si sis me, abstineas manum.* Et in Pœnulo, *Deos quoque ædepol & amo, & metuo, quibus ego tamen abstineo manus.* Nigram quoque mortem Theocritus dixit. Θάνατος τι ꝥ ἐν παλάμαις ἐφ᾽ ἵστατο E
Εἶλε μέλας.

NON *hic mihi mater.*] Sequitur post illa, apud Ouidium,

Hic certe manibus fugientes pressit ocellos
Mater, & in cineres vltima dona tulit.

In votis solebat esse, mori in patria. alibi, triste putabatur, Theocr. in epigram.

Καὶ γὰρ ἐγὼ ποιμὴν ἔχω ποιμαν, ἀνὰ δ᾽ πολλὰς
Πανελίδας ἔθνειν κείμαν ἐρτασίδας.

Et alibi,

Εἴμαι ἰδαῖος ἐπεῖπον ἀπὸ ξείνας ξεῖνος ἔτον.

QVÆ *legat in mœstos ossa perusta sinus.*] Sic Prop.

An poteris siccis mea fata reponere ocellis,
Ossaque nulla tuo nostra tenere sinu.

Et in IV. idem Propert.

Ossaque legisti, non illa ætate legenda
Patris.——

Et, vt opinor, idem Propert. alibi.

Noli nobilibus, noli conferre beatis,
Vix venit extremo qui legit ossa die.

Legebant autem ossa, ac deinde componebant. Idem alibi Propert.

Tu mea compones, & dices, ossa, Properti,
Hæc tua sunt.

ASSYRIOS *cineri quæ dedat odores.*] Sic alibi.

Vrantur pia tura focis, vrantur odores,
Quos tener è terra diuite mittit Arabs.

Et in eandem sententiam in III.

Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legent,
Et primum annoso spargent collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere ventis,
Atque in marmoreo ponere sicca domo.
Illic quas mittit diues Panchaia merces,
Eoique Arabes, diues & Assyria.
Et nostri memores lacrimæ fundantur eodem,
Sic ego componi versus in ossa velim.

Quod autem odorib. ossa condirentur, id vero externum fuit. Quod significare Corn. Tacit. videtur in XVI. de Poppææ corpore *Corpus*, inquit, *non igni abolitum, vt Romanus mos, sed regum externorum consuetudine differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur.* At, quando primum cœpta sint cremari corpora, Plin. in VII. nat. hist. tradit.

ILLA *sacras pueri sortes ter sustulit.*] Hæ ligneæ nonnumquam fuerunt, in quibus aliquid erat scriptum, & in situlam aquæ plenam conieciebantur. quod è Plauti Casina potest intelligi. nonnumquam etiam sortes versibus reddebantur, nisi si etiam in ligneis tabellis versus erant inscripti. Sed harum meminit Ælius Spartianus in Alexandro Seuero. *Ipse*, inquit, *cum vatem consuleret, hos accepisse dicitur versus, & primis quidem sortibus:*

Te tenet imperium cæli, terraque marisque.

Cum vero primas sortes dicat, plures fuisse facile intellegis, & cur ter illam sortis sustulisse Tibullus dixerit. Puerum vero è triuijs dicit, πυλάτην, qui cum sortibus in vicis appareret, aut vocatus temere, minimeque suspectus tollendis sortibus.

ILLI *Retulit è triuijs omnia certa puer.*] Pro illi veterib. in libris, Ille, ac pro Omnia, Omina.

CVNCTA *dabant reditum.*] In veterib. libris, Reditus, multitudinis numero.

DETERRITA *numquam.*] Nusquam, in veteribus libris.

QVIN *fleret.*] Quam fleret, in nonnullis, Cum fleret. quod idem valet. Sententia vero ipsa difficilior, & propter Cum particulæ lectionem, & vsum verbi Deterrita. Nam, si omnia bona omnino signa fuerant, cur deterreretur, vt fleret. facilius illud erat, & aptius, opinor, teneri illa non potuit, quin fleret, & quæ sequuntur. Nisi pro Tamen particula,

Tantum legamus. hoc ſane ſenſu, bona omnino erant omina, quibus id proficiebat tantum, ne deterreretur vnquam illa, cum me diſcedentem multis lacrymis proſequeretur. A

SATVRNI *ſacram me tenuiſſe diem.*] In veteribus libris eſt, Timuiſſe, pro Tenuiſſe. Quod ad eius vero diei religionem attinet, nihil dum inueni, quo quid explicem. dubitari poteſt, diem ne Saturni cuiuſque dicat hebdomadis, an Saturnaliorum tempus. hoc probabilius. multa enim illis diebus agere nefas erat. Legitur etiam in veteribus libris, Saturni aut ſacram.

OFFENSVM *in porta.*] De pedis offenſione, Valerius Max. Plinius, ceterique permulta. inſignes etiam loci ſunt, Ouidij in Amoribus. B

Omina ſunt aliquid. modo, cum diſcedere vellet,
Ad limen digitos reſtitit icta Nape.

Et apud eundem Laodamia,

Tes tuus offenſo limine ſigna dedit.

Et in libris Metam. de Myrrha,

Ter pedis offenſi ſigno eſt reuocata.

PROHIBENTE *deo.*] Malo amorem ipſum intellegere, quam Ianum, de quo quid ſcribat Feſtus Pompeius, non ſum equidem neſcius. Sed illud huic loco omnino aptius.

QVID *tua nunc Iſis tibi Delia.*] In veterib. libris, Mihi, pro Tibi. idque magno conſenſu. Suam vero Iſidem dicit, vt alibi, Suam Venerem. C

ILLA *tua totiens aera repulſa manu.*] Siſtra, opinor, ipſa intellegit, quæ ἀπὸ τοῦ σείειν eſſe dicta ſcribit interpres Hephæſtionis, quæ cuiuſmodi fuerint, ſcire poteſt quiſquis in Valentiniani Imp. nummos incidit, in quis & [illegible] eſt imago, & Hadriani Imp. in quibus eſt, ÆGYPTVS, At Alexandri Imp. eadem ſpecies eſt in vetuſtiſſimo lapide Romæ in Sanctæ Mariæ Transtiberinæ templo, ſcalptis vtrinque ramis laureis.

QVIDVE *pie, dum ſacra colis, pureque lauari Te memini.*] In veteribus libris ita diſpunguntur hæc Tibulli verba, vt ad verbum, Memini, punctum ſit adpoſitum. facilius putabam, ſi, Memini, per parentheſim poſitum eſſe intellegeretur. neque enim parentheſis ſigno, quo nunc vti ſolemus, veteres ſunt vſi. totamque diſpungendi rationem longe aliam fuiſſe conſtat. Sed in ſacris, aut antequam ſacra facerent veteres ijdem viuo flumine lauabant. Sin alio illo modo malumus intellegere, vel hic locus vnus contra Capri, opinor, ſententiam oſtendit verbum Memini cum infinito tam inſtantis, quam præteriti temporis poſſe coniungi. D

ET *puro ſecubuiſſe toro.*] Ad deos enim caſte adibant. Idem in II. eleg. I.

Vos quoque abeſſe procul iubeo, diſcedat ab aris,
Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus.

Apud Ouidium in II. Faſt. Omphale, atq; Hercules eandem ob cauſſam ſecubuere.

Sic epulis functi, ſic dant ſua corpora ſomno,
Et poſitis iuxta ſecubuere toris.
Cauſſa, repertori vitis quia ſacra parabant,
Quæ facerent pure, cum foret orta dies.

Puro autem, libidinum, & impuræ voluptatis experte. quo modo Purum, & Impurum dixit Martialis in XI. de Meneio, E

Nec purus eſſe, nec poteſt eſſe impurus.

Iſdem de ſacris eandem prope querelam querens Propertius in II.

Quidue tibi prodeſt viduas dormire puellas,
Sed tibi, crede mihi, cornua rurſus erunt.

VT *mea votiuas perſoluens Delia voces.*] Vota ſuſcepta, id eſt, hymnos. quas idem ſtatim vocat laudes. verbum autem Debet, ad votum pertinet ſuſceptum. Sed eſt in veteri libro Sfortiæ, Et mea.

ANTE *ſacras lino tecta fores ſedeat.*] Lino enim tectis Iſidi ſacra fiebant. Ouidius,

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

Et Suet. in Othone, *Sacra etiam Iſidis ſæpe in linea religioſaque veſte propalam celebrauit.* Quo, vt videbatur, habitu memini me Venetiis apud Andream Lauredanum, ſacerdotem Iſidis videre. E religione eadem fuit, Sedere ante fores, & ante pedes, tum narrare etiam beneficia deorum. Propert. in II.

Ante tuosque pedes illa ipſa adoperta ſedebis,
Narrabitque ſedens longa pericla ſua.

AT *mihi contingat.*] In Vaticano eſt, Ac, non, At, & in extremo margine, pro Ac, Fac. nec id, opinor, inſcite.

PATRIOS *celebrare penates.*] Peregre enim qui redibant, deos penates ibant ſalutatum. Senex, apud Terentium, è Sicilia reuerſus, *At ego,* inquit, *deos penates hinc ſalutatum domum diuertar.*

REDDEREQVE *antiquo menſtrua tura Lari.*] Quem floribus bis ornabant quotannis, ture ſingulis menſibus. Antiquum vero Larem ſic dicit, vt in II.

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit laribus.

De ture, quo fiebat, Iuuen.

O parui noſtrique Lares, quos ture minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exornare corona.

Lares autem & publici erant, & priuati. Plin. in XXI. Sed Vaticano in libro, Tura ſic ſcriptum erat, vt aſpirationis quidem abeſſet nota, ſupra tamen vocalem ipſam V, Aſperi nota ſpiritus eſſet hæc, T', quod & in meo veteri Terentij exemplo accurate deſcripto obſeruatum à librario animaduerti in Andriæ prologo in verbo, Petintiam, ſupra vocalem, A, cùm ſupra, T, conſonantem eſſe deberet, eodem poſito aſpirationis ſigno, quæ vt olim fuerit ſcribendi ratio vetus, non ea tamen eſt vetuſtiſſima: neque aut illo in lapide, veterib. notis inciſo, aut vetuſtiſſimo libro aliquo factum video. Sine eiuſmodi enim ſignis ſpirituum, accentuumque reliquorum ſua fere veteres ſcriptitabant. Quod ad verbum vero ipſum Tus, adtinet, magis equidem vetuſtiſſimi illius exempli Vergiliani codicis, quem Rodulphus Card. Carpenſis mihi vtendum dedit, fide, atq; auctoritate moueor, vt ſine aſpiratione vlla ſcribam, quam quo modo hodie ſcribunt. Etymonque τῷ θύειν mihi quidem tanti nō fuit, vt ab optimi libri ſcriptione diſcederem.

QVAM *bene Saturno viuebant rege.*] Quam bene: Vergilius, Ouidius, ceterique multa in eandem ſententiam. Verg. in I. Georg. Ouid. in III. amor. eleg. VII. qui hunc ſimillime locum tractauit.

TELLVS *in longas est patefacta vias.*] Ouid. in A II. Amorum:

In longas orbem qui secuere vias.

Ac post idem Ouid.

Si fuit in longas terra secanda vias.

NEC *vagus ignotis repetens compendia terris.*] Compendia, quæ lucra alibi vocat. In eandem prope sententiam Manilius in I.

Et vagus incertum penetrauit nauita pontum,
Fecit & ignotis iuter commercia terris.

Et in IIII.

Totque per ignotas commercia iungere terras,
Atque alio sub sole nouas exquirere prædas.

ILLO *non validis.*] Cum sponte scilicet omnia vulgo nascerentur. B

NON *domito frenos*] Cum sponte pareret.

NON *fixus in agris, Qui regeret certis finibus arua lapis.*] Quo de lapide intelligenda sunt etiam Vergilij illa in XII.

Saxum, immane, ingens, campo quod forte iacebat
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.

IPSÆ *mella dabant quercus.*] Vergil.

Et duræ quercus sudabant roscida mella.

Et Ouidius,

Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaque de viridi stillabant ilice mella.

NON *acies, non ira fuit, non bella, nec enses Inmitis sæuus duxerat arte faber.*] Multis hoc ipsum verbis, & Lucretius, & Vergilius. Sed in veteribus libris vnitatis numero, Ensem, non, Enses. C

NVNC *Ioue sub domino cædes, & vulnera.*] Vt illa quidem fuerunt sub Ioue nondum barbato, vt ait Iuuenalis, ita hæc eo iam imperante, tristia sunt consecuta. Sed in Colotij libro, aliisque nonnullis pro, Et vulnera, repetitum, Nunc vulnera.

FAC *lapis inscriptis stet super ossa notis.*] Non, vt nunc, iacebant lapides illi sepulchrales.

HIC *iacet immitis consumptus morte Tibullus.*] In D veteri libro Sfortiæ erat, pro Morte, Marte. Sententia non inelegante. Consumi aliquem morte, & confici, sic dixit, vt & Horatius, Plagis consumere,

Cædimur, & totidem plagis consumimus hostem.

Mars autem ipse homicida etiam ab Homero dici solet.

DVCET *in Elysios.*] Eodem in libro, Ad Elysios. Sic fere mortem significat. in III. enim,

Elysios olim liceat cognoscere campos.

Et Verg. in I. Georg.

Quamuis Elysios miretur Græcia campos.

TOTOSQVE *per agros.*] Vt & Verg. E

—— vndique totis Vsque adeo turbamur agris.

TERRA *benigna.*] Idem in III.

Et magnas messes terra benigna daret.

AC *iuuenum series teneris immixta puellis.*] Vetus Colotij liber habuit, Hic iuuenum series. In Sfortiæ libro est, Ac series.

ET *adsidue prælia miscet amor.*] Intellegi hoc quidem possit & de iuuenum cum puellis congressu, atque concubitu. de quo Verg.

At non in Venerem segnes, nocturnaque bella.

Et, de amantium ira. *Bellum*, ait Terentius, *pax rursum.* Idem Tibullus post, eleg. X.

At lasciuus amor rixæ mala verba ministrat,
Inter & iratum lentus vtrumque sedet.

Ouid. in II. de remedio Amoris.

Sæpe reas faciunt, & amant, vbi nulla simultas
Incidit, admonitu liber oberrat amor.

Amantium iram significans Menander dixit.

Ὀργὴ φιλοῦντος ὀλίγον ἰσχύει χρόνον.

Exprimens hoc Terentius,

Amantium iræ amoris integratio est.

ET *gerit insigni myrtea serta coma.*] Myrtus, Veneri sacra. hinc propterea sibi coronas plectere amantes, ac conficere, solebant. Ouid. in II. de arte amandi,

Sertaque odorata myrtea ferte coma.

Amantes quoque ipsos vita functos myrtea in silua errare dicit Vergilius in VI.

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silua tegit. ——

AT *scelerata iacet sedes.*] Eodem modo Ouid. in IV. Metamorph.

—— illa sorores,
Nocte vocat genitas, graue & implacabile nomen.
Carceris ante fores clausas adamante sedebant,
Deque suis atros pectebant crinibus angues.
Quam simul agnorunt inter caliginis vmbram,
Surrexere deæ. sedes scelerata vocatur.

Et quæ sequuntur, huic apta loco.

IMPEXA *feros pro crinibus angues.*] Et Ouidij similia illa, & hæc Vergilij in IV. Geor.

—— cæruleosque implexa crinibus angues.

Legendumque fortasse hoc loco, Inplexa.

TVM *niger in turba serpentum.*] In veteri libro erat, Hic niger. Pro eo autem, quod sequitur, In turba, in omnibus fere est, In porta. Fabulas ipsas non attingam. sunt enim valde notæ, & à poëtis Græcis, Latinisque tritæ sæpius, ac celebratæ.

CERBERVS *ore Stridet.*] Legendum Stridit, vt sæpe Vergilius. Docti homines interpretantur, vel quod serratos dentes habeat. χαρχαρόδοντα enim illum dicit Hesiodus. vel quod in cauda draconem habere dicatur. vel quod ex Echidna, & Tiphaone cum Artho Gerionis cane & Chimera natus sit. Idem in IV.

Nec canis anguinea redimitus terga caterna.

Ouid. in III. Amor.

Et tria vipereo fecimus ora cani.

VERSATVR.] Omnibus in libris erat, Versantur, nec de eo dubitandum. idem post celerem rotam dixit, & versare verbo est vsus,

Versatur celeri sors leuis orbe rotæ.

ET *Danai proles, Veneris quod numina læsit.*] In omnibus fere veteribus libris,

Veneris quæ numina læsit.

AT *tu casta precor maneas.*] Sic Horat. *Difficilis mane.* Eamque vim videtur habere, quam verbum apud Græcos μένειν.

HÆC *tibi fabellas referat.*] Historias, vt ait Flaccus, doceat, non tamen peccare docentes. hoc autem κατὰ τὸν ἰωνικὸν ἰδιωτισμὸν, dictum videtur ἀτρέμας, καὶ τὸν ἄλλον μῦθον εἰπεῖν.

TVNC *veniam subito, nec quisquam nunciet ante.*] In veteri libro, qui est Florentiæ in S. Laurentij, erat, Ne quisquam.

Hoc *precor hunc illum.*] Quod in libro veteri, Hæc precor. Ego vero legendum putabam,

Hunc precor hunc illum, nobis aurora nitentem.

Ac pro Nitentem, est etiam in quibusdam, Rubentem. Ouid. in III. Amorum similiter,

Hunc aurora diem, spectacula tanta ferentem,
Quamprimum croceis candida portet equis.

Similiter optat post, elegia VII.

At tu natalis multos celebrande per annos.
Candidior semper, candidiorque veni.

Candidum vero nonnumquam mihi significare videtur idem, quod Lætum. Sic prope in excerptis Sallusti in epist. ad C. Cæsarem senem: *Contra, qui benignitate & clementia imperium temperauere, his læta, & candida omnia visa.* B

M. ANT. MVRETVS.

Ibitis *Aegeas.*] ad M. Valerium Messallam Coruinum scribit, qui cum Augusto consul fuerat, qui postea de Gallis triumphauit. Videntur autem hæc scripta, cum Messalla ex consulatu in Macedoniam proficisceretur.

Abstineas *auidas.*] varia huius versus scriptura est. in aliis, *mors precor atra*: in aliis, *mors modo nigra*: in aliis, *mors violenta*, neque multum interest, quæ recipiatur.

Rettvlit *& triuiis.*] lego, *Rettulit & trinis*, & ad sortes refero, veteres tamen libri cum vulgatis consentiunt. C

Tamen *est deterrita nunquam.*] vtrum dicit, eam deterreri, id est, reuocari non potuisse, quin fleret: an, vt desperatam, quæ spem abiecit, dicimus, ita deterritam, quæ terrorem deposuerit, hoc loco intelligemus? quod si est, singulare, opinor, hoc sensu fuerit verbum.

Illa *tua toties sistra.*] ita est in libris veteribus, non, vt in peruulgatis, *æra*. Ouidius quoque hanc scripturam confirmat, qui, ad hunc locum respiciens ita cecinit in carmine, quo huius poëtæ mortem defleuit,

Quid nos sacra iuuant? quid nunc Aegyptia prosunt D
Sistra? quid in vacuo secubuisse thoro?

Menstrva *tura.*] alij, *mascula*. sed nihil necesse est, contempta veterum librorum auctoritate, quicquam mouere.

Fac *lapis.*] Versum hunc in antiquis quibusdam libris ita scriptum reperio,

Fac lapis inscriptus stet super ossa mea.

Tvm *niger in turba.*] iidem libri, *in porta.*

Tentare.] ita plane dictum, vt à Græcis πειρᾷν. Lucianus in dialogo, quo de hoc ipso Ixione agitur, μῶν ἔτι ἐπιχειρεῖς; & alibi, συγγνωστὸς γὰρ εἰ καλῆς οὕτως οὔσης ἐπείρα. Ixionis autem fabula petenda est è secundo ᾠδῇ Pythiorum Pindari. neque enim tantum appetiisse Iunonem, sed & primus, de quo quidem extet in Græcorum historiis, cædem pepetrasse memoratur, occiso per summam perfidiam socero suo. Virgilius eum capiti imminentis, & iamiam lapsuro similis saxi metu cruciari ait, suo quodam iure, quod ab aliis de Tantalo dicitur, ad hunc, & ad Lapithas, & ad Pirithoum transferens. E

Porrectvsqve *nouem.*] Virgilius VI. Æneidos: Homerus Ὀδυσ. λ. eius autem iecur A Virgilius ab vno, Homerus à duobus vulturibus carpi ait: at Demetrius in Pindarum, à serpentibus.

Tantalvs *est illic, & circum stagna.*] & circum Tantalum, stagna sunt. Tantalum Plato, quasi ταλάντατον, dictum ait. Porro & de peccato eius, & de supplicio admodum discrepantia prodita sunt literis. ego de vtroque, quæ in memoriam venient, huc conferam. Sunt, qui dicant, eum à Ioue patre admissum ad epulas deorum, quæ ibi arcana audierat, cum hominibus communicasse: ideoque detrusum ad inferos. & damnatum hac pœna, vt in aëre pendens, B æterno metu imminentis capiti lapidis torqueretur. Euripides,

Ὁ γὰρ μακάριος, κοὐκ ὀνειδίζω τύχας,
Διὸς πεφυκώς, ὥς λέγουσι, Τάνταλος,
Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον,
Ἀέρι ποτᾶται, καὶ τίνει ταύτην δίκην,
Ὡς μὲν λέγουσιν, ὅτι θεοῖς ἄνθρωπος ὤν,
Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον,
Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.

De hoc saxo Cicero de finibus, *Mors, quæ, quasi saxum Tantalo, semper impendet.* & Lucretius,

Nec miser impendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, vt fama est, cassa formidine torpens.

C & Plato, ὁ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τοῦ λίθου ταλαντεία. Pindarus quoque in Olympiis hoc ipsum Tantali supplicium agnoscit: sed hanc caussam fuisse ait, quod ipse ambrosiã & nectar furatus, compotatoribus suis communicauerit. aiunt, & Alcæum, & Alcmanen, & Archilochum huius lapidis mentionem fecisse. qui allegorice ista interpretantur, alij metum mortis, vt Cicero, alij metum deorum, vt Lucretius, significari putant: alij Tantalum physiologum diligentem fuisse dicunt, qui Solis præcipue naturam accuratissime contemplaretur: idoque dictum solem capiti ipsius impendere. nam solem quidem ipsum multi ex veteribus, Anaxagoram secuti, lapidem glebamve ignitam esse credebant. hanc postre- D mam sententiam Euripides ipse aperte confirmat in choro quodam ex eadem fabula, vbi solem πέτραν, & βῶλον nominat. Tradita & hæc de Tantalo fabula: fuisse canem quendam aureum, eundemque animatum, (vt minus mirum sit, quod de Talo in Catullum diximus) cum templo Iouis in Creta custodem additum fuisse: quem cum surripuisset Pandareus Milesius, asseruandum dedisse Tantalo: missum deinde à Ioue Mercurium, qui canem reposceret: sed negasse Tantalum, eum penes se esse: ob id igi- E tur detrusum ad inferos, ipsiusq; capiti impositum Sipylum montem: eúmque esse lapidem illum, de quo supra diximus. neque desunt, qui, quod Pelopem filium mactauerit, diisque epulandum apposuerit, ad inferos detrusum esse dicant. sed de supplicij genere, plurimos astipulatores inuenit Homeri narratio, quam hic quoque Tibullus insequitur. quæ, quia etiam vulgo notissima est, nihil esse, cur à me pluribus verbis explicetur, puto.

Et *Danai proles.*] de Danaidibus cetera peruulgata sunt: illud visum est non indignum, quòd annotaretur; cum, vnam modo ex eis

Hypermnestram fratri ac viro suo Lynceo pepercisse, traditum sit, esse tamen, qui hanc ipsius laudem cum Bebryce sorore communem faciant, & eam quoque Hippolyto pepercisse dicant. hoc reperi apud Eustathium, Dionysij interpretem.

Tvnc *veniam subito.*] contra consuetudinem Romanorum, qui, peregre cum redirent, aduentus sui nuncios præmittere ad vxores solebant. auctor Plutarchus. sed hic ideo subito venire vult, quod repentino aduentu suo maius gaudium puellæ obiectum iri videt.

IANVS DOVSA FIL.

Illic *Iunonem tentare Ixionis ausi*
Versantur celeri noxia membra rota]

Sic paulò post idem:

Versatur celeri fors leuis orbe rotæ.

Plautus in Cistellaria: *versor in amoris rota miser.* pro quo perperam, meo quidem animo, *vexor* substituere conati sunt alij. hinc & Seneca in VI. Natural. quæst. dixit: *nec hominum nec Deorum, nec rerum timore versari.*

Porrectvsq.] *nouem Tityus per iugera terra*
Assiduas atro viscere pascit aues.]

Seneca Thyeste:

Aut pœna Tityi, qui specu vasto patens
Visceribus atras pascit effosis aues.

Vbi & ad hunc Tibulli locum respexit, & ad illum Propertij:

Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur.

Similiter quoque Ouidius de eodem:

Ingeribúsque nouem, qui summus distat ab imo
Visceráque assiduæ dedita præbet aui.

Videmus autem Tibullum cæterósque Homeri & Apollodori, apud quos Tityo duo vultures iecur rimantur, contra Ouidium Virgilij secutum opinionem, qui ab vno discerpi depascique vult. vt & Petronius ex correctione Patris:

Cui vultur iecur vltimum pererrat,
Et pectus trahit intimásque fibras,
Non est quem Tityum vocant poeta.
Sed cordis mala, liuor atque luxus.

Sed hic videatur etiam scribi posse:

Qui vultur iecur vltimum pererrat, &c:
Non est, quem Tityi vocant poeta:

vt liuor & luxus vulturi assimilentur, quomodo ferè in Epigrammate Græco, quod hinc adumbratum puto Antholog. II.

Ὄρνεον οὐχ ἑτέρων κεκλημένοι ἄλλοι ἄνδρες
Ἄλλον ὀρνίζουσι βρώματα γηγενέων.
Καὶ τὸν μὲν Τιτυὸν κατὰ γῆς δύο γῦπες ἔδουσι,
Ἡμᾶς δὲ ζῶντας τέσσαρες αἰγυπιοί.

E Intelligit enim spem, metum, iram, cupiditatem. Cæterùm notandum in hac Tityi mentione *aues* aut *volucres* vbique pro vulturibus poni, quod ad imitationem Græci sermonis fieri credo. in illo enim οἰωνὸς cùm generaliter de omnibus auibus dicatur, tamen propriè adstringitur ad hanc significationem. Tzetzes in Hesiodum: οἰωνοὶ κυρίως οἱ γῦπες, ὡς οἶμαι. ὅτι μόνοι δίχα συνόντας οἰωνοὺς τὰ λείψανα θηρεύοντες.

A

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Illa *sacras pueri sortes ter sustulit.*] Tollere sortes est, κληδονίζειν. Vnde in veteribus inscriptionibus: SORTIBVS SVBLATIS. Sortes erant signa, quæ dabantur alicui puero de triuio, quæ si conuenerant ei signo, quod ille, qui sortes dederat, habebat in animo, tunc bene secum agi putabant. Apud Euripidem Hippolyto:

Καὶ δέλτος ἥδε κλῆρον οὐ δεδεγμένη.--

Interpres, κλήρους, ὅτι τὸ σημεῖον τὸ διδόμενον τοῖς μαν-
B τευομένοις, ἀφ᾽ ὧν οἱ μάντεις ὁρμώμενοι προσημαίνουσι περί τινος μελλόντων. τῆς δὲ μαντείας οἱ μὲν ὄρνεις προηγοῦνται, οἱ δὲ κλῆροι.

E trivijs.] *Puer è triuiis*, ὁ τυχών. oportebat enim ignotum esse, ne sciens, & prudens aliquid eorum facere videretur. Sic dictum puer è triuiis, vt apud Attium, *de vico Auspices*, item, *de Circo Astrologi*. *Ter* autem, vt, quod tertium addixisset, id certissimum omen esse putarent. Propterea fortasse dixerit Ausonius

——*omina trina.*

Avt *ego sum caussatus, aues dant omina dira.*]
Melius:

Aut ego sum caussatus aues, aut omina dira
C *Saturni sacra me tenuisse die.*

Nam quidam scripti non habent τὸ *aut* in posteriore versu.

Qvid *tua nunc Isis tibi Delia?*] Lege *mibi*, non *tibi* ex veteri scriptura. Nam liquet eam pro Tibulli morbo in casto Isidis fuisse.

Vt *mea votiuas.*] In infimæ vetustatis libro *Et*, non *Vt*. Magnum autem mendum est in hoc versu, *voces*, pro *noctes*.

Et mea votiuas persoluat Delia noctes.
Propertius:
Tristia iam redeunt iterum solemnia nobis,
Cynthia iam noctes est operata decem.
D Item:
Votiuas noctes & mihi redde decem.

In nostro libro autem *persoluat*, non *persoluens*. Ita erit ἀσύνδετον. vtraque lectio defendi potest. Illud tantum constet, *noctes*, non *voces* legendum.

Ante *sacras lino tecta.*] Linigeri Calui, qui Isiaca sacra gestabant, apud Martialem. In libro Catalectorum, quæ nos publicauimus, secundo:

Carbaseo post hunc artus indutus amictu
Memphidos antiquæ sacra, Deamque colit.

Bisqve *die resoluta comas.*] Hæc, puto, non aduerterunt Grammatici, quare scilicet bis in die dicere laudes Isidi debeat. Sciendum prima E hora sacerdotes Isidis templum aperire solitos, idque Apertio vocabatur, deinde salutabant Deam, quod Salutationem, & Excitationem vocabant, post, totum diem stipem emendicabant. inde ad octauam redibant, deam componebant, templum claudebant. Hoc igitur est bis die Deæ laudes canere, & mane quum salutatur dea: & hora octaua, quum templum clauditur. De apertione templi Apuleius Milesiæ fabulæ libro vndecimo: *Rebus iam rite consummatis, inchoatæ lucis salutationibus religiosi primam nuncian-*

des horam perstrepunt. Infra: *Ilico Deæ matutinis perfectis salutationibus summo studio percunctabar singulos.* Item: *Rite solenni apertionis celebrato ministerio, ac matutino peracto sacrificio.* Arnobius libro septimo: *Quid sibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus? obdormiscunt enim Superi, remeare vt ad vigilias debeãt. Quid dormitiones illæ, quibus bene vt valeant auspicabili salutatione mandatis? Somni enim quiete soluuntur: occupariq; vt hoc possint, leues audiendæ sunt næniæ.* Vbi plane habes de prima hora, de salutatione & excitatione Deæ, de apertione templi, de laudibus deæ ad tibiam cantatis, quod hic dicit Tibullus. Quare ὑμνῳδοὺς eos vocat Porphyrius περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. sed loquitur de Serapidis sacro, quod nulla in re differebat ab Isiaco. καὶ ταῦτα, inquit, δηλοῦσιν αἱ ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὡς ἔτι ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ ἀνοίξει τοῦ ἁγίου Σαράπιδος, ἡ θεραπεία διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος γίνεται, λείβοντος τοῦ ὑμνῳδοῦ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ φαίνοντος, ὁπηνίκα ἑστὼς ἐπὶ τοῦ οὐδοῦ τῇ πατρίῳ τῶν Αἰγυπτίων φωνῇ ἐγείρει τὸν θεόν. Tertullianus libro de ieiunio: *Nam & Ioel exclamauit: Sanctificate ieiunium, & orationem: prospiciens iam ex tunc & alios Apostolos & Prophetas sancituros ieiunium, & prædicaturos officia curantia Deum.* Vnde & qui in idolis comendis, & in hac re ornandis, & ad singulas horas salutandis adulantur, curationem facere dicuntur. Vides Salutationes illas dici Curationes, vt θεραπείας vocat Porphyrius. Atque hæc quidem de prima hora. de octaua Martialis:

Nunciat octauam Phariæ sua turba iuuencæ,
Atque pilata redit iamque subitque cohors.

Ita legendum in Martiale, non, vt hodie editur, *Et pilata*, prima longa. pice depilabantur Calui Isidis. hoc enim & pilare dicitur. Idem Martialis:

Nec plena turpi matris olla resina,
Summenianæ qua pilantur vxores.

Volsos enim fuisse vel nomen Caluorum, quo appellabantur, probauerit. ψιλοῦσθαι hoc Græci vocant. Et Iuuenalis:

——resinata iuuentus.

T I B I *dicere laudes.*] ὑμνῳδεῖν, vt iam diximus, quod male quidam ad votiuas voces, quod superius dixit, accommodant, quum locus sit corruptus, & à nobis iam emendatus.

T V M *niger in turba.*] Codex infimæ vetustatis non *in turba*, sed *in porta* habet, rectè.

Legendum autem:

Tum niger in porta serpens, tum Cerberus ore
Stridet —— *Niger serpens*, Hydra, quam

etiam in porta collocat Virgilius libro sexto:

Centauri in foribus stabulant, Scyllaque biformes,
Et centumgeminus Briareus, & bellua Lernæ
Horrendum stridens——

quæ omnia aperte hunc locum illustrant.

D E D V C A T *plena stamina.*] In nostro est ἀρχαϊσμὸς *Pleno.*

A T *circa grauibus.*] Maiuscula C, scribendum *Circa.* est nomen puellæ, κίρκη. Horatium semper Circam non Circem dixisse testatur Caper Grammaticus. Sed codex noster habebat, *Cura* non *Circa.* Ne ita quidem propterea non erit nomen proprium. κούρα enim est puella. Si quis aduerbiale mauult, ego nõ magnopere pertẽdo.

P A V L A T I M *somno fessa remittat opus.*] In meo est, *onus.* quod perplacet. Est autem idem quod Plautus in Casina:

——nam vbi domi sola sum
Sopor manus caluitur, iussin' colum ferri mihi?

N E C *quisquam nunciet ante.*] Quem morem vide apud Plutarchum in Quæstionibus Romanicis.

Ad Priapum. Eleg. IIII.

S I C vmbrosa tibi contingant tecta Priape,
Ne capiti Soles, ne noceántque niues.
Quæ tua formosos cepit sollertia? certè
Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstiui tempora sicca canis.
Sic ego. tum Bacchi respondit rustica proles,
Armatus curua sic mihi falce Deus.
O fuge te teneræ puerorum credere turbæ:
Nam caussam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quod equum compescit habenis,
Hic placidam niueo pectore pellit aquam.
Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed ne te capiant, primò si fortè negabit,
Tædia, paullatim sub iuga colla dabit.
L O N G A dies homini docuit parêre leones.
L O N G A dies molli saxa peredit aqua.
A N N V S in apricis maturat collibus vuas.
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time. Veneris periuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.

Gratia magna Ioui. vetuit pater ipse valere,
Iurasset cupidè quidquid ineptus amor.
Pérque suas impunè sinit Dictynna sagittas
Affirmes, crines pérque Minerua suos.
At si tardus eris, errabis: transiet ætas,
Quàm citò non segnis stat, remeátque dies:
Quàm citò purpureos deperdit terra colores:
Quàm citò formosas populus alta comas:
Quàm iacet, infirmę venêre vbi fata senectæ,
Qui prior Elæo est carcere missus, equus.
Vidi iam iuuenem, premeret cùm serior ætas,
Mærentem stultos præteriisse dies.
Crudeles Diui, serpens nouus exuit annos:
Formæ non vllam fata dedêre moram.
Solis æterna est Phœbo, Bacchóque iuuentas:
Nam decet intonsus crinis vtrumque Deum.
Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit,
Cedas. OBSEQVIO *plurima vincit amor.*
Neu comes ire neges, quamuis via longa paretur,
Et canis arenti torreat arua siti.
Quamuis prætexens picta ferrugine cœlum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel si cæruleas puppi volet ire per vndas,
Ipse leuem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duro subiisse labori,
Aut operi insuetas atteruisse manus.
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dũ placeas, humeris retia ferre neges.

A *Si volet arma, leui tẽtabis ludere dextra:*
Sæpe dabis nudum, vincat vt ille, latus.
Tunc tibi mitis erit: rapias tum cara licebit
Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primò, pòst offeret ipse volenti,
Pòst etiam collo se implicuisse volet.
B *Heu, malè nunc artes miseras hæc sæcula tractant.*
Iam tener assueuit munera velle puer.
IAM tu, qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix vrgeat ossa lapis.
Pieridas pueri, doctos & amate poëtas,
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
C *Ex humero Pelopis non nituisset ebur.*
Quem referent Musæ, viuet; dum robora tellus,
Dum cœlum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,
Idææ currus ille sequatur Opis,
Et tercentenas erroribus expleat vrbes,
D *Et secet ad Phrygios vilia membra modos.*
Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa fauet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, Deus edidit ore:
Sed Titium coniux hæc meminisse vetat.
E *Pareat ille suæ. vos me celebrate magistrum,*
Quos malè habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est. me, qui spernentur amantes,
Consultent: cũctis ianua nostra patet.
Tempus erit, cùm me, Veneris præcepta ferentem,

Deducat iuuenum sedula turba senem.
Eheu quàm lento Marathus me torquet amore!
Deficiunt artes, deficiúntque doli.
Parce puer, quæso, ne turbis fabula fiam,
Cùm mea ridebunt vana magisteria.

BERN. CYLL. VERON.

SIC *vmbrosa tibi contingant tecta Priape.*] super obscœna re & inuerecunda consulit Priapum lasciuiæ deum.

SIC] hæc particula est optantis illi bonum, à quo negotium petimus. Martialis,

Perpetuo sic flore mices: sic denique non sint
Tam longæ Bromio quàm tibi, Phœbe, comæ.

Ouid. Fastorum IIII.

Sic tibi, quam raptam quæris, sit filia sospes.
Surge: nec exigua despice tecta casæ:

Et in VIII. Metamor.

Sic mare compositum, sic sit tibi piscis in vnda.

SOLES.] Soles dicimus æstuosos dies, & solarium radiorum feruores: nam & soles & solibus pro Sole non vno, sæpe legimus. Priapus autem stare sub diuo consueuit coleis apertis: vt in Priapeis ad plenum tractatur.

QVÆ *tua formosos cepit sollertia.*] ex his significat formosos pueros non Priapi elegantia in vestitu aut habitu corporis, sed membri nimietate delectari: ad cuius teli ictu aperte conuolat: est enim tale vt id pathici tenere cupiant cinædi.

CERTE *non tibi.*] ratio est cur eu pueri obseruent: & est sumpta à turpitudinis obscœnitate, & inuenusto corporis habitu.

BRVMÆ *hyber.*] dies breues non nisi hyemis tempore esse possunt, qua tempestate omnia gelu congelascunt: & caligine obruuntur.

TEMPORA *sicca æstiuo Canis.*] Cane in cœlo regnante circa solstitium immensi exæstuant calores. Ideo sicca, nam terra fatiscit in puluerem. Catullus,

Cum grauis exustos æstus hiulcat agros.

TVM *Bacchi respondet rustica proles.*] Priapus dicitur Bacchi filius, vel quod vt agreste numen rura tueatur. Iuuenalis satyrarum II.

Custodem vitis & horti.

vel certè Liberi patris filius & nymphæ: vt Strabo meminit lib. III. Geographiæ.

CVRVA *falce.*] epitheton est falcis. Virgil. in Priapeis:

Sana nec incurua vulnera falce dabo.

armatus autem falce dicitur vt aues terreat, fures procul repellat.

PELLIT *aquam.*] qui nat brachiis pellit vndas. Statius Achilleidos primo:

Ter conata manu liquidũ, ter gressibus æquor Reppulit.

LONGA *dies homini.*] arguit à fortiori: vnd Calphurnius in æglogа vltima:

Quisquis amat pueros ferro precordia duret.
Nil properet, discatque diu patienter amare,
Prudentésque animos teneris non spernat in annis:
Perferat & fastus: sic olim grandia sumet,
Si modo sollicitos aliquis deus audit amantes.

SAXA *peredit aqua.*] non aliter Ouid. inquit de arte primo, docens in amanda muliere perseuerantiam,

Quid magis est durum saxo? quid mollius vnda?
Dura tamen molli saxa cauantur aqua.

IN *apricis collibus.*] colles ad Solem expositi aprici vocantur: iccirco dictum est ab excellenti rate, *Bacchus amat colles.*

ANNVS *agit certa lucida signa vice.*] Sol (vt astrologi referunt) per XII. Zodiaci signa excurrens annum conficit: à cuius conuersione annus denominatur.

IRRITA *per terras & freta summa ferunt.*] Propertius per contrariam huic sententiam deterret amicam à periurio: Nam lib. elegiarum I.

Non semper, inquit, placidus periuros ridet amãtes
Iuppiter: & surda negligit aure preces.

Sed Ouid. cum Tibul. ait:

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum:
Et iubet Aeolios irrita ferre Notos.

Sed hæ sententiæ communes vocantur. ad libitum enim ponuntur. Nam & Horat. ait carminum II.

Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
Simplices Nymphæ, ferus & Cupido
Semper ardentes acuens sagittas
Cote cruenta.

GRATIA.] benignitas. Gratia præter hoc significat amorem & causam seu respectum.

VALERE.] firmum & ratum esse.

INEPTVS *amor.*] incautum amantem intelligit: ponens amor pro amatore: vt Virgilius Venus pro amica:

Parta meæ Veneri sunt munera.

DICTYNA.] Diana dicta est Dictyna à fulgore luminis, quo noctu omnia ostendat: vel a retibus quæ δίκτυα vocant. Est enim venandi dea: quare dixit Catullus:

Montium domina vt fores,
Siluarumque virentium:
Saltuumque reconditûm,
Amniumque sonantium.

SVOS *crines.*] quorum pulchritudine cæteras fere omnes deas excellit.

NON *segnis.*] liptote est: Nam Ouidius inquit:

- Fugit irreparabile tempus:
Et celer admissis subditur annus equis.

QVAM CITO.] admiratiua locutio est: vel dicit ætatem non minus ocyter transire quàm dies &c. quæ subsequnutur.

COLORES *purpureos.*] flosculorum diuersitas in coloribus terram exornat: à quorum vestitu terra Vesta est appellata.

FORMOSAS *comas.*] frondes bicolores.

ELEO *carcere.*] Elis ciuitas est Arcadiæ, vbi annua equorum currentium spectacula fiebant in honorem Iouis Olympii.

MISSVS *prior.*] ergo victoriam adeptus; per id enim quod præcessit, quod postea subsecutum est intelligimus. Serior à iuuenta: inclinatior ad senium.

STVLTOS *dies.*] quos ipse dum non intelligit, quoad licuit, stultus fuit.

SERPENS *nouus.*] factus scilicet nouus abiectione pellis. Ouid. de arte aman. III.

Anguibus exuitur tenui cum pelle vetustas.

NOVVS.] id est, rediens ad priorem ætatem. Virg.

Cum positis nouus exuuiis nitidúsque iuuenta Voluitur.

SOLIS *æterna est Baccho Phœboque iuuenta: Nam decet intonsus crinis vtrumque deum.*] Bacchus & Apollo in iuuenum facie depinguntur, sed Bacchus speciem magis virginis præ se fert: ambo tamen comati. Virg. in Priapeis:

Forma conspiciendus Apollo est.

Formosus quoque pingitur Lyæus. Ouid. IIII. Metamor.

Tibi enim inconsumpta iuuenta,
Tu puer æternus, tu formosissimus alto
Aspiceris cœlo: tibi, cum sine cornibus astas,
Virgineum caput est.

Martialis votum faciens in epigrammate:

—— Sic denique non sint
Tam longæ Bromio quàm tibi, Phœbe, comæ.

QVAMVIS *prætexens picta ferrugine cœlum.*] *Arcus cœlestis denũtiat tempus futurum secundum eam partem cœli qua se extulerit:* hoc Seneca in quæstionibus dicit naturalibus. Ferrugo est color nigrioris rubedinis quasi violacei. Virg.

Obscura vultum ferrugine texit.

Et dum pictam dicit, respicit ad colorum varietatem.

VENTVRAM *aquam.*] Non semper decidit aqua ex arcus apparitione, sed serenum etiam indicat. Igitur notandum est quod Seneca in lib. de quæstionibus naturalibus dixit.

PVPPI *volet ire.*] puppi ablatiuus casus est. Nam qui in nominatiuo terminant in gemina cõsonante mittunt ablatiuum secundum grammaticos in e, vel in i. Virg. in VIII.

Adiectum Æneam classi: victosque penates.

CÆRVLEAS *vndas.*] Epithetum mari imponitur à specie aquarum & accidenti. vt Homerus vocat οἴνοπα πόντον I. vinosum mare.

ATTERVISSE.] pro attriuisse per epenthesim & antistichion.

INSIDIIS.] indagine. Namque indago feras latentes claudit, & paulatim admotis classibus arctat.

CAPIAS *tum cara licebit Oscula.*] basia quippe amatorum repugnantium gratiosiora sunt. Catullus:

Surripui tibi dum ludis, mellite iuuenti
Suauiolum dulci dulcius ambrosia.

Sappho ad Phaonem:

Oscula cantanti tu mihi rapta dabas:

hoc enim pudor suadet adulescentulis. quamquam magis eripere basia quàm à se eripi velint: ideo Horatius libro carminum II. de Lichima amatrice dixit:

Dum flagrantia torquet ad oscula
Ceruicem: aut facili sæuitia negat,
Quæ poscente magis gaudeat eripi,
Interdum rapere occupet.

TRACTANT.] exercẽt: & est dolẽtis locutio.

VENEREM.] coitum, & rem pro re posuit, A more poetarum vsitatissimo.

VRGEAT *ossa lapis.*] imprecatio grauissima est, vt defuncti ossa saxum vrgeat tanquam dolore afflictetur. E contra optima erat Iuuenalis satyrarum IIII.

Dij maiorum vmbris tenuem & sine pondere terram.

PIERIDES *pueri doctos & amate poëtas.*] exhortatio est, vt pueri amore virtutis capti, Musas & earum cultores obseruent. Sic Ouidius ad matronas:

Carmina qui facimus, mittamus carmina tantum:
Hic chorus ante alios aptus amare sumus:
Nam facimus placidæ latè preconia formæ:
Nomen habet Nemesis, Cynthia nomen habet.

B AVREA *nec superent munera Pieridas.*] Quæ munera musicam præstent in amore Ouid. grauiter indoluit inquiens:

A doctis pretium scelus est sperare poëtis.
Me miserum scelus hoc nulla puella mouet.

Pierides Musæ denominatæ sunt vel à loco vel à Pieri filiabus in musica superatis: Musæ verò ἀπὸ τοῦ μυεῖν dictæ sunt: quod Latinè honesta bonaque doctrina instituere signat, vt Eusebius dixit ex Diodori sententia. fuere Iouis Cœli ac Terræ filiæ, quamuis Hesiodus in Theogonia cum nouem numerasset, Varro tres tamen commemorat: Sed Cic. lib. de natura deorum III. scribit quatuor Musas primas Ioue altero natas; C scilicet Hathoen, Theximonem, Edearchem, Meleten. Secundas autem nouem procreatas ex Ioue tertio & Mnemosyne. Tertias Ioue tertio, Pierio & Antiopa: quas Pieridas & Pieras solent poëtæ appellare iis nominibus, eodem numero quo maximè superiores.

COMA *Nisi.*] Nisus rex Megarensium, fuit filius Pandionis. pater Scyllæ, quæ scelestissima, vt Minoi patris hosti iungeretur turpi amore, crinem aureum patri mutilauit: hoc est ceruicem abscidit: quæ ad hostẽ delata repudiatur, & figmento poëtico in auem sui nominis dicitur cõuersa: quæ Græcè Ciris vocatur: adepta nomen D à dempto patris capillo, vt ait Ouid. namque κείρω tondeo: & vulgo dicitur Alaudula. Cum ipsi quidem historici scribant à Minoe deiectam esse in maris profundum post sibi Niseam vrbẽ proditam: & Scylleo nomen ex se indidisse, accepto honore sepulturæ. De Nisi capillo vbique à poëtis insertum est: ipse enim Halietus est, & Smerilium vocamus: namque ἀπὸ τῆς λείας præda, Halietus dictus est. Hinc poëtarum vtilitas ex eorum familiaritate noscitur, qui mortales immortales faciunt suis scriptis.

E EX *humero Pelopis non nituisset ebur.*] Pelops Tantali filius à patre diis hospitibus pro brutali carne appositus fuit, quod dij omnes cum agnouissent, sola Ceres fame affecta humerum ex eo deuorauit: sed re tandem cognita partem quam comederat ex ebore rependit. Fuit & alter Pelops, siue hic idem, qui (teste Seruio in nono commentario) habitus est Atrei pater, genitus ex vno Atlantis filiorum.

QVEM *referent Musæ, viuet.*] æternitati donabitur quem Musæ cecinerint. Ideo Lucanus li. IX.

O sacer & magnus vatum labor, omnia fato
Eripis & populis donas mortalibus æuum!

DVM

DVM *robora tellus.*] per ambitum orationis significat mundi perpetuitatem. Sic Virgil. A

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbra
Lustrabunt, conuexa polus dum sidera pascet.

DVM *cœlum stellas, dum vehet annis aquas.*] vehet stellas. id est, sustinebit: sed ad vulgi opinionem respicit, qui volunt stellas noctu ascendere ex Oceano cœlum: & interdiu sub aquis delitescere: vnde Ennium secutus Maro dixit:

Et ruit Oceano nox. ——

IDÆÆ *currus ille sequatur Opis.*] Ops deûm mater. Idæa dicitur à monte Phrygiæ vbi primum coli cœpit. Huius ministri furore spirari diuino crediti sunt, & vagantes sacram rem Berecynthiæ facere. Qui mos ab Aty deperditissimè ab illa dilecto assumptus est. Ouidius Fastorum IV. B

Venit in exemplum furor, hic mollésque ministri
Cædunt iactatis vilia membra comis.

Ops Opis genitiuum facit. Opis nomen est nymphæ comitis Dianæ. Claudianus in Stilicone:

Et soror optatum nomen venientibus Opis.

huius primam Virgilius in Æneide corripuit: quem tamen errorem (teste Macrobio Saturnalium IIII.) videtur fecisse ex nimia doctrinæ profunditate: quemadmodum Alexander Ætolus poëta egregius asseruit. Ceterùm per hæc verba auctor vult intelligere lymphatum atque sine ratione hominem. C

TERCENTENAS *vrbes.*] finitus numerus pro infinito. Sanè sciendum tercentos dici & trecentos, quod ex poëticæ ignorantia Laurentius Valla Elegantiarum III. negat. Catullus ad Furium & Aurelium comites:

Quos simul complexa tenet trecentos.

Horatius,

Mille patens in fronte trecentos cippus in agros.

ERRORIBVS *expleat.*] excursionibus transeat, & vim habet Expleat. Namque Corybantes furendo tympana quatiebant & cymbala creberrimo pulsu. hoc Ouid. Fastorum IV. & Catullus in Aty explicant. D

VILIA *membra.*] mentulam capimus: quæ adeò illis habetur vilis, vt abscindatur tanquam inutile membrum. Sic Iuuen. Satyr. I.

—— *Phrygio quos tempus erit iam,*
More superuacuam cultris abscindere carnem.

AD *Phrygios modos.*] ad ritum sacerdotum Cybelis Idææ, qui suum sibi virile testaceo frusto amputabant. Iuuen.

Mollia qui rapta secuit genitalia Vesta.

CANEREM *Tityo.*] Tityus nomen est adolescentuli dilecti à Tibullo. Quidam tamen malè legunt Tityo ore à Tityis auibus, quas in auguriis certis obseruauit antiquitas. E

MALE *habet.*] malè tractat.

ARTE.] astutia quam τέχνην Græci vocant, & eo quasi iam Romano Terent. Latinissimus vtitur.

MAGISTERIA.] exercitia opera à magistro nominata.

ACHILLES STATIVS.

SIC *vmbrosa tibi.*] Tota hæc est de arte amandi elegia. multáque sunt eadem præcepta apud Ouidium, præsertim quæ pertinent ad obsequium. in II.

Obsequio tranantur aquæ. ——

Et quæ sequentur, atque ante hæc nonnulla. Sic particula optantes, adprecantésq; poëtæ vtuntur. Idem in II. Eleg. V.

Annue, sic tibi sint intonsi Phœbe capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

Verg. in Bucol.

Sic tibi cum fluctus subterlabere Sicanos,
Doris amara suam non intermisceat vndam.

QVÆ *tua formosos cepit solertia.*] Eodem verbo Propertius suo in amore vsus,

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

Tralatum à venatione. Eodem modo Meleager:

Κ' αὐτὸς ἔρως ὁ πτανὸς ἐν αἰθέρι ἥρπασε ...
Τοῖς σοῖς ἀγκίστροις ἔμμασι ...

NON *tibi barba nitet, non tibi culta coma est.*] Numero est vsus, à se non alibi frequentato. Sic enim ferè pentametrum facit, prior vt pars, quod ad temporum rationem attinet, posterior esse non possit, nisi posterioris cæsuræ pes sit trisyllabus. Aut igitur pentametri prioris cæsuræ pes posterior est trisyllabus, aut ita quidem se habet ipse, vt transferri inuertique propter temporum rationem partes non possint.

PRODVCIS *frigora.*] hiemem conficis. Sic, opinor, Horat. Noctem sermone dixit extendere.

SICCA *canis.*] Insuauior syllabarum Ca Ca concursus, &, vt nonnulli vocant, adliteratio. Propert. in II. idem significans canem siccum dixit,

Venit enim tempus, quo torridus æstuat aër,
Incipit & sicco feruere terra cane.

TVM *Bacchi resp. rustica proles.*] Bacchi enim filium fuisse Orum Thebanum, tradidisse adfirmat auctor magni Etymologici, in verbo Ἀδρυάδες.

ARMATVS *curua sic mihi falce deus.*] Quia de deorum numero sit agricolarum, falcem manu tenet, qua fures territat. Falcem enim agricolæ insigne esse, ac propterea Saturno etiam tributam fuisse, scribit Festus in verbis, Opima spolia. Armatum verò dicit, telum tenentem, non arma indutum. & Arma etiam illa, quæ feriunt, non tantum quæ muniunt, ac defendunt. Lucan.

—— *arma tenenti*
Omnia dat qui iusta negat. ——

Atque ante hunc Horatius lib. II. Sermonum Sat. VII.

—— *velut si*
Reuera pugnent, feriant, viténtque mouentes
Arma viri. ——

Et in Ibin Ouidius,

Armatúsque tulit vulnus inerme potens.

ANGVSTIS *quod equum compescit habenis.*] Coërcere verbo eodem in genere vsus Varius,

Quem non ille sinit lentæ moderator habenæ,
Qua velis ire, sed angusto prius ore coercens
Insultare docet campis, fingitque morando.

Niveo *pectore pellit aquam.*] Secat. Vergilius in IX.

—qualis Nereia Clotho,
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.

Niueo pectore: id est pulchro, & candido. vt & Theocritus, χιονέας ἐκ στηθέος.

Quia *fortis adest audacia.*] Adest, pro, est. Sic in IIII.

Si tibi de nobis mutuus ignis adest.

Audacia fortis: alacris, non fortis propter consideratam periculorum susceptionem.

B At illi *Virgineus teneras stat pudor ante genas.*] Rubor in genis, quòd imprimis formam auget. Idem pænè significans in tertio, Elegia quarta,

Vt iuueni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.

Teneritas verò ipsa, cum pulchritudine ferè coniuncta. Veteris poëtæ versus est, apud Hephæstionem,

Εἰ μοι ἦλθε παρθένος καλὴ & τέρενα.

Illud autem, quod ferè prouerbio dicebatur, etiam ad commendationem formæ pertineat, ἐπ' ὄμμασιν αἰδώς.

C Sed *ne te capiant.*] in veteri libro Sfortiæ, *Sed te ne capiant.—* Atque hæc iam Tibullo respondentur, constantia se id assecutum, vt etiam amaretur.

Longa *dies homini docuit parere leones.*] Ouidius in IV. Tristium,

Tempore Pœnorum compescitur ira leonum.

Atque ibi multa in hanc sententiam. Et apud eundem, Longa dies, id est, longum tempus, in XIV. Metam.

Tempus erit, cùm de tanto me corpore paruam
Longa dies faciet. ——

D Et Vergil. in VI.

Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem. ——

Et in V.

Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla.

Cic. *Dies ipsa.*

Longa *dies molli saxa peredit aqua.*] Aptissimo est vsus verbo, quo & Lucretius,

Nec mare quæ impendent vesco sale saxa peresa.

Sententiam verò eandem præter Chœrilon etiam Bion expressit, Ἐκ θαμινῆς ῥαθάμιγγος ὅπως λόγος αἰὲν ἰοίσας Χ' ἁ λίθος ἐς ῥωχμὸν κοιλαίνεται. Et Propertius in II.

Sed tamen obsistura teritur robigine ferrum,
Ferreus in paruo sæpe liquore silex.

E Annus *in apricis maturat collibus vuas.*] Ouidius, notato iam supra loco,

Tempus vt extentis etiam facit vua racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.

Annus *agit certa lucida signa vice.*] τὰ φαινόμενα. de quibus etiam Ouid. in I. Fast.

Lapsáque sub terras, ortáque signa canam.

Agi autem signa dicit ab anno. Contrà Verg. in I. Georg.

—vos ô clarissima mundi
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum.

A Manil. in I. simillimè.

Adtribuitque suas formas, sua nomina signis,
Quásque vices agerent, certa sub lege notauit.

Et in eandem sententiam videtur illa scripsisse Theophilus ad Autolicum libro primo Ἥλιος καὶ σελήνη καὶ ἀστέρες στοιχεῖα αὐτοῦ εἰσιν εἰς σημεῖα καὶ εἰς καιρούς, καὶ εἰς ἡμέρας, καὶ εἰς ἐνιαυτοὺς γεγονότα. Atque idem sensisse Aristoteles, Tempus ipsum definiens, videtur. Aratus Σήματα eodem modo dicit: Αὐτὸς γὰρ τά γε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν. Et interpres: Θέλει γὰρ τοὺς ἀστέρας σημεῖα λέγειν τῶν καιρῶν, καλῶς δὲ τοὺς ἀστέρας σημεῖα εἶπε. Καὶ γὰρ ὁ ποιητὴς τὸ περιέχον ἀστέρας σημεῖον ἐστὶ πολέμου λέγει, ἢ ταύτην τέρας.

B Veneris *periuria venti Irrita per terras, & freta summa ferunt.*] Idem in III.

—— periuria ridet amantum
Iuppiter, & ventos irrita ferre iubet.

Totidem propè verbis Ou. in II. de arte amandi,

Iuppiter ex alto periuria ridet amantum,
Et iubet Æolios irrita ferre Notos.

Idem significans Propertius etiam in II.

Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter, & surda neglegit aure preces.

Atque idem alibi,

Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas,
Quicquid iurarunt, ventus & vnda rapit.

Isdem propè verbis Ouidius in V. Fast. ne fraudi sint periuria, precari Mercurium videtur,

Siue deum prudens alium, diuámve fefelli
Abstulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant veniente die periuria nobis,
Nec curent superi, si qua locutus ero.

Et in III. Amorum,

Scilicet æterni falsum iurare puellis
Di quoque concedunt, formáque numen habet.

Sed ante hos omnes Hesiodus, Sophocles, Plato, Mænander & Callimachus. Hesiodus, vt adfirmat Apollodorus in I. Bibliothecæ. apud quē sic est, de Ino, & Ioue: Φωραθεὶς ὑφ' Ἥρας τῆς μὲν κόρης ἁψάμενος εἰς βοῦν μετεμόρφωσε λευκήν. αὐτὴν δὲ ἀπωμόσατο μὴ συνελθεῖν. διὸ φησὶν Ἡσίοδος οὐκ ἐπισπᾶσθαι τὴν ἀπὸ τῶν θεῶν ὀργὴν τοὺς γινομένους ὅρκους ὑπὲρ ἔρωτος. Sophocles verò apud Stobæum, Ἀφροδίσιος ὅρκος οὐκ ἐμποιεῖ μοι. Et apud eundem Callimachus, vt ego quidem priorem versum legendum puto, Ὤμοσεν ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα τοὺς ἐν ἔρωτι Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων. aut pro Θεῶν, Legendum fortè, Θεάων. Plato apud Athen. in XII. Πλάτων δὲ ἐν τῷ Φιλήβῳ, φησὶν οὐδενὶ μὲν γὰρ ἀπάντων ἐπιορκοῦσι, ὡς δὲ λόγος καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς ταῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια, ἃ δὴ μέγισται δοκοῦσιν εἶναι, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν.

Gratia *magna Ioui.*] Est. Sic Terentius in Adelphis,

Est dis gratia, & vnde hæc fiant. ——

Ouid. eodem, quo Tibullus, modo,

—— Gratia fama tibi.

atque alibi, *—— Gratia musa tibi.*

Perque *suas impune licet Dictynna sagittas.*] Deorum omnium fortissimum Amorem dicit esse Mænander, quod eius vnius caussa per cæteros deos peierant amantes. Eius versus apud Stobæum sunt, Ἔρως δὲ τῶν θεῶν ἰσχὺν ἔχων πλείστην ἐστὶ τούτῳ διόμνυται, δι' τοῦτο ἐπιορκοῦσι τοὺς ἄλλους θεούς. Consuetudinem autem iurandi per

deorum tela fuisse, videtur significare Iuuenalis Sat. III.

Per solis radios, Tarpeiáque fulmina iurat,
Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis,
Per calamos venatricis, pharetrámque puellæ,
Pérque tuum pater Aegei Neptune tridentem,
Addit & Herculeos arcus, hastámque Mineruæ,
Quidquid habent telor. armamentaria cœli.

Sed pro Dictynna, in veteribus nonnullis est, Diana.

TRANSIET *ætas.*] Non insolens declinatio. Sic enim & Terent. opinor. Et Carisius in II. idē videtur tradere his quidem verbis: *Item participium exiens, & genetiuus exeuntis in quarti ordinis futurum in Am est. sed cùm in Bo effertur, quotiens est ex eo, quod est* περίδειμα, *& quæ ex ipso deriuantur.* Romæ in Basilica sancti Pauli, in veteri monumento, NE. DENOMINE. EXIET. pro EXIBIT. & NE, pro NEC.

QVAM *cito non segnis stat remeátque dies.*] sic omnino distinguendum, hæc vt simul legantur. Dies, inquit; hodiernus, atque hic, qui nunc lucet, sol. id enim stare dicit, quum breui tempore it redit: Non te igitur in amando satietas capiat, sed & inseruiendo, & amando dum per ætatem licet, tibi ne desis. Sed hoc ipsum cum iis, quæ sequuntur, ἀσυνάρτητον videtur. ac, si per vetera liceret exempla, reicerem aliò. Scilicet, vt post versum illum,

Post etiam collo se implicuisse volet.

legerentur hæc ad illum vsque versum,

Nam decet intonsus crinis vtrunque deum.

Sed in Angeli Colotij libro fuisse aiunt,

It, remeátque dies. --

Non segnem diem sic dixit, vt & Hipponax Tempus, cuius versus est apud Stobæum hic,

Χρόνος δ' φογὴς σε Μηδὲ εἰς ἀργός.

QVAM *citò formosas popptulus alta comas.*] In veteribus libris esse adfirmant, Alba, pro Alta. in iis certè omnibus, quos vidi, Alta. itaque Horat. in II. Carm. Ode III,

Quo pinus ingens, altáque populus.

QVI *prior Eléo est carcere missus equus.*] Virg. in III. Georg.

Hic vel ad Eléi metas & maxima campi
Sudabit spatia. --

MOERENTEM *stultos.*] Aiunt fuisse in veteri etiam libro, Celeres, pro, Stultos.

CRVDELES *diui.*] Sic Verg.

Atque Deos, atq; astra vocat crudelia mater.

Andromache apud Ouid. in XIII. Metam.

Quidue moror? quo me seruas damnosa senectus?
Quo di crudeles? nisi quo noua funera cernam?

SERPENS *nouus exuit annos.*] In veteri libro Sfortiæ, Exuat. In eandem sententiam Ouid. in III. de arte amandi,

Anguibus exuitur tenui cum pelle senectus.

Et Virg. in III. Georg. de serpente,

Cum positis nouus exuuiis, nitidúsque iuuenta
Voluitur. --

Et Nicander in Theriacis:

Τῆμος ὅτ' αἰζήιον φολίδων ἀποδύεται γῆρας.

Plinius in XXX. membranam serpentes dicit exuere, idque canis ortu fieri negat. *Vanum, inquit, esse arbitror, canis ortu angues cauda membra-*

A *nam exuere, quoniam neutrum in Italia visum est, multóque minus credibile in tepidis regionibus tam sero exui.* Placidus Grammat. in Glossis: *Reduuia, dicuntur spolia serpentum, quibus quotannis senescentes sese exuunt, quasi quibus exuti in iuuentam redeunt. dicuntur enim Induuiæ, Exuuiæ, Reduuiæ.*

FORMÆ *non vllam fata dedere moram.*] Non nullis in veteribus libris, Non illam.

PHOEBO, *Bacchóq.*] In nonnullis etiam Baccho, Phœbóque. Æternam verò iuuentam Columella in proœmio operis etiam Telluri tribuit.

LIBEBIT, *Cedas.*] In veteribus libris, Credas. vt & Manutius olim tradiderat. In meo

B quodam etiam, Cedas.

OBSEQVIO *plurima vincit amor.*] Plerumque obsequendo alterius studiis amor, quod voluit, assequitur. Terent. *Obsequium amicos, &c.* Et Horatius,

Obsequio grassare. ——

& Propert. in I.

Melanion nullos fugiendo Tulle labores
Sæuitiam duræ contudit Iasidos,
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.

Et Ouidius in II. de arte multò plura de obsequio in amore.

C QVAMVIS *prætexens picta ferrugine cœlum.*] Picea, pro Picta, fuisse dicunt in Colotij libro. mihi tamen hoc alterum probatur. Ac Vergil. in III. Æneid. sic quoque verbo Subtexere est vsus.

Et sessum quotiens mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.

Et Ouid. in XIV. Metam. de Circe,

Quo solet & niueæ vultum confundere lunæ,
Et patrio capiti bibulas subtexere nubes.

VENTVRAM *admittat imbrifer arcus aquam.*] Pro Admittat, est in veteri libro Sfortiæ, nonnullísque aliis, Amiciat. quod ex Annuntiet cor-

D ruptum. Sed id quoque alieno loco ponitur, fuitque, opinor, grammatici glossema, verbum Admittat, interpretantis, paulatímque in alienum immigrauit. in meo quodam libro apertè sic est, Annuntiet. Nisi fortè quis etiam legi velit, Alliciat. è quo corruptum sit, Amiciat. Sed hoc alij viderint.

DVROS *subiisse labores.*] In veteri libro fuisse adfirmant, Obiisse. ego hoc alterum in iis, quos vidi, omnibus legi.

AVT *operi insuetas atteruisse manus.*] Pro, Operi, est in libro Sfortiæ, & in quodam etiam meo, Opera, quod etiam placet. Legi etiam pos-

E sit, Opere. Sed hoc nullo in libro, Atteruisse verò, in omnibus libris erat. nec enim nulli sunt qui malint, Attenuasse. Et erat id scriptum etiã in Vaticani libri margine. vtrumque namque bene Latinè dicitur. Verg.

Ipse labore manum duro terat. ——

Et Propertius,

Num grauis imbelles atterit hasta manus?

Illo etiam modo Lucret. in I.

—— *tum portas propter aëna*
Signa manus dextras ostendunt attenuari.

Sed præteritum ipsum verbi Atteruisse insolẽs,

nec dum mihi lectum alibi. Aristophanes apud Athenæum in IV. verbo eodem similiter est vsus:
Ὅτις δ' αὐτὴν αἰνεῖ καὶ λέγει κατὰ πετρίμμας χοιρίδιος, ὅτι μὴ ἐκκάλυπτε κανδύς.

N E C, *velut insidiis altos si claudere valles.*] Emendandum, quemadmodum in omnibus, Altas. Claudere autem valles, idem quod, indagine cingere. Idem in V.

Quis furor est, quæ mens densos indagine colles
Claudentem teneras lædere velle manus?

V M E R I *retia ferre negant.*] Ne cui mirum sit, si sine aspiratione, Vmeri, scripsi. ita enim in illo optimo antiquissimóque Ver. exemplo semper scriptum, & aliis vetustatis monumentis incisum reperi. Sed in veteribus libris fuisse aiunt,

—— vmeris retia ferre neges.

In iis, quos vidi, haud aliter, atq; impressis in libris. Idem in IV. similiter,

Ipsa ego per montes retia torta feram.

In eandem sententiam Ouid. in X. Metamor. de Apolline, Hyacinthum amante,

Immemor ipse sui, non retia ferre recusat,
Non tenuisse canes, non per iuga montis iniqui
Ire comes, longáque alit adsuetudine flammas.

Et in II. de arte amandi,

Sæpe tulit iusso fallentia retia collo.

Et paulò pòst,

Non te Mænalias armatum scandere siluas,
Nec iubeo collo retia ferre tuo.

S I *volet arma, leui temptabis ludere dextra.*] Leui. vt leuissimè tangas. Ludere in hoc genere dixit Horatius,

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.

Et Cic. de optimo genere oratorum.

P O S T *offeret.*] in omnibus, Adferat. ac pro, Post, in Colotij libro fuisse adfirmant, Mox. vt etiam scriptum legebam in veteri libro Sfortiæ.

I P S E *volenti.*] Ipsa, in veteri libro fuisse confirmant, & ita erat eodem in libro Sfortiæ. Pro Volenti autem, erat in veteribus, Roganti.

S E *implicuisse volet.*] Multis omnino in libris, Velit.

I A M *tu, qui Venerem.*] Ita etiam in Vaticano, sed emendatum suprà, At tibi. In Marcelli Pontificis Max. libro supernè emendatum, At tu qui.

I N F E L I X *vrgeat ossa lapis.*] Infelix, actiuè posuit. Imprecatione hac vti solebant, & apprecatione etiam illa, quæ est in II. Eleg. IV.

Terráque securæ sit super ossa leuis.

Qui locus eiusdem cum hoc est sententiæ.

P I E R I D A S *pueri.*] Tota huius loci sententia multis ab Ouidio tractatur versibus in III. de arte amandi,

Carmina qui facimus, mittamus carmina semper.

& quæ sequuntur apud illum.

C A R M I N E *purpurea est Nisi coma.*] in meis in Horatium commentationibus aliorum poëtarum versus eiusdem sententiæ posui. Atque hoc sanè loco perappositè Sapphus ipsius versus etiam posuissem illos, quorum est initium,

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι. —— qui sunt apud Stobæum περὶ ἀφροσύνης, ni corrupti deprauatique sic essent, vt vllo modo corrigi non posse viderentur. Purpuream verò comam pulchrā dicit. id enim Purpureum nonnunquam valet. Tametsi non idem Seruius, versus interpretans Vergil. in I. Georg.

Apparet liquido sublimis in aëre Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo,

De quo etiam Nemesianus in Cynegetico,

Non crimen Nisi, non sæua pocula Circes.

Et Statius in I. Thebaid.

Infames Scirone petras, Scylleáque rura
Purpureo regnata seni. ——

Quo in loco interpres, Nisi crinem purpureum ac fatalem significari dicit. Ouid. in II. de Ponto, ad Cottam, Purpureum idem sanè quod pulchrum, videtur dicere:

Sic tibi mature fraterni funeris vltor,
Purpureus niueis filius instet equis.

I D E Æ *currus ille sequatur Opis.*] Grauis imprecatio. hoc tantum deprecans malum Catullus dixit,

Dea magna, dea Cybelle, dea Dindymi domina
Procul à mea sit furor omnis hera domo.
Alios age incitatos, alios age rabidos.

E T *tercentenas erroribus expleat vrbes.*] Id est, Obeat. In Colotij libro fuisse adfirmant, Explicet, pro expleat. in meo quoque est, Impleat. sed vtrumque hoc sanè modo ab aliis acceptum scriptoribus nondum legi. nisi ita legendum sit,

Et tercentenos erroribus impleat orbes.

vt illum tot menses velit errare. Implere autem quis orbes lunæ dicatur, vt & Soles condere. Sed hoc alij viderint.

E T *secet ad Phrygios vilia membra modos.*] Vilia membra: id est pudenda. Ouidius in Ibin.

Attonitúsque seces, vt quos Cybeleia mater
Incitat, ad Phrygios vilia membra modos.

Et idem in IV. Fast.

Cædunt iactatis vilia membra comis.

Modos autem, numeros sonósque dicit. Propert. in II.

Cur aliquis sacris laniat sua bracchia cultris,
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros.

Et Ouid. in IV. Fast. paulò ante illa,

Tibia dat Phrygios, vt dedit antè, modos,

B L A N D I T I I S.] Duos hosce versus sic distinguo, ac lego,

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa fauet.

H Æ C *mihi, quæ canerem Titio.*] Puero videlicet formoso, aut ei, cuius Horat. meminit ad Iul. Florum.

Quid Titius, Romana breui venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus.

Titij Sabini meminit Tacitus in IV.

D E V S *edidit ore.*] πλεοναστικῶς. vt,

Sic ore locuta est. ——

Sic, opinor, Ouidius:

—— tales edidit ore sonos.

T E M P V S *erit, cum me, Veneris præcepta ferentem.*] Præcepta, quæ pòst dicit, Magisteria. quæ Moschus, eodem versans in genere, vocat Διδάγματα. Eius versus sunt apud Stobæum περὶ ἀφροδίτης. Ex quibus hic est,

Ταῦτα λέγω πᾶσιν τὰ διδάγματα τοῖς ἀνεράστοις.

Pro Ferentem, esse adfirmant in veteri libro, qui est Florentiæ, in diui Laurentij Bibliotheca, Canentem.

TEMPVS *erit.*] sic Vergil.

Turno tempus erit. ——

DEDVCAT *iuuenem plurima turba senem.*] In Colotij libro fuisse testantur, vt etiam in Sfortiæ Diludat, sed illud rectius. Atque in eandem prope sententiam, in quam Callimachus, cuius versus sunt apud Stobæum περὶ γήρως, illi:

Γηράσκει δ' ὁ γέρων κεῖνος ἐλαφρότερον
Κοῦροι τὸν φιλέουσι, νιὸν δέ μιν, οἷα τοκῆα
Χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρις ἄγουσι θύρην.

B EHEV.] omnibus in libris est, Heu heu, atque in optimo, veterrimóq; Vergilij libro, nunquam Eheu.

LENTO *Marathus me torquet amore.*] Sic Horatius, —— *lentis ignibus vri.*

& Ouid. in III. de arte amandi,

Ignibus hic lentus vretur, vt humida cera.

NE *turbis fabula fiam.*] In Colotij libro, & Florentino esse aiunt, vt in meo quoque est, Turpis, non Turbis. quod placet.

CVM *mea ridebunt vana magisteria.*] Magisterium etiam optimi scriptores dixerut, quo verbo sæpissimè vtitur Firmicus.

M. ANT. MVRETVS.

SIC *ego. tum Bacchi.*] in quibusdam veteribus, *Sic ego: sic Bacchi.* ab iis autem abest pentameter, qui sequitur. neque ego sanè, cum Tibulli esse, præstare ausim.

BACCHI *proles.*] Bacchi igitur filius est præclarus iste & virginalis deus. atque ita esse, confirmat etiam versus Antipatri Sidonij,

—— *τοῦθ' ὁ Πρίηπος*
Ὑμμιν ἐμορφώθης παῖς ἐνέπω Βρομίου.

D Orpheus Bacchum, Solem & Priapum eundem facere videtur. Theocriti scholiastes ait, Priapũ esse Naidis, aut Chiones nymphæ, & Bacchi filium: at alios eum cum Baccho eundem facere. Diodorus Siculus & Pausanias Bacchò & Venere genitum esse tradunt. Apud Lucianum reperio, eum esse Veneris filium: sed, si etiam Bacchi, næ ille patrem suum haudquaquam paternè Lampsaci accepit. at constat, eum Luciano non esse Dionysi filium.

ARMATVS *curua.*] hic versus, vt dixi, abest à quibusdam libris: atque in eisdem scriptum est ad marginem, FRAGM. Ego autem facilè mihi persuaserim, non vnum modò, sed & plures versus hoc loco desiderari. etenim quæ respondet Priapus, non pertinent ad id, quod ex ipso quæsierat Tibullus. vehementer itaque suspicor, versus aliquot, quibus paulò liberius quippiam, & paulò magis ex huius dei consuetudine dictũ esset, hoc loco esse omissos.

HIC, *quia fortis adest.*] Ouidius,

Siue aliqua est oculos in me deiecta modestos;
Vror, & insidiæ sunt pudor ille meæ:
Siue procax aliqua est; capior, quia rustica non est;
Spemq; dat, &c. ——

LONGA *dies molli.*] multi hanc sententiam expresserunt poëtæ: quorum primus videtur

A Chœrilus,

Πέτρην κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Lucretius,

Nonne vides, etiam guttas in saxa cadentes
Humoris longo in spatio pertundere saxa?

Ouidius,

Gutta cauat lapidem. ——

quemquidem cur tantopere abiiciat P. Victorius, vt etiam Chœrilo inferiorem faciat, miror. nam ille ipse, quem ex contentione tanto superiorem videri vult, Lucretius eandem sententiam, libro primo, non multò ornatius extulit,

Stillicidi casus lapidem cauat.

Neque nunc disputo, vter melior poëta sit: sed tamen indignum videtur, quenquam de Ouidio ita contemptim loqui. Propertius quoque hoc ipsum ita cecinit,

Sed tamen obscura teritur rubigine mucro
Ferreus, & paruo sæpe liquore silex.

TRANSIET *ætas.*] transiet, pro transibit: & contra analogiam, & contra consuetudinem.

QVAM *cito non segnis.*] si particula *non*, referatur ad nomen *segnis*; falsum erit, quod dicitur. dies enim neq; stat, neque remeat. sin ad verba; falsum erit epitheton, segnis. sin ad vtrunque;

C tamen, nisi locus aliter distinguatur, suberit vitium vel maximum. vox enim, *cito*, cum standi verbo cohærere nullo modo potest. Citò aut tardè moueri aliquid dicitur; cito quidem stare, aut quiescere aliquid, qui dicat, is non philosophiæ modò, sed omnino communis sensus expers esse videatur. distinguendum igitur est hoc modo,

At si tardus eris, errabis: transiet ætas
Quam citò? non segnis stat, remeátque dies.

vt significet ætatem citissimè transire, diem autem segnem esse, sed volatilem; neque stare vnquam, sed perpetuò fluere, neq; vnquam redire, sed irreuocabilem, atque irreparabilem esse.

VENTVRAM *admittat.*] portendat. est autem verbum augurale. Plautus,

Impetritum, inauguratum est. quouis admittũt aues.

dicitur & addicere. Liuius, *Aues semel atque iterum non addixerunt.*

IANVS DOVSA FIL.

LONGA *dies molli saxa peredit aqua.*] Eandem sententiam extulit Bion:

Ἐκ θαμινῆς ῥαθάμιγγος, ὅκως λόγος, αἰὲν ἰοίσας
E *Χὰ λίθος ἐς ῥωχμὸν κοιλαίνεται.*

Item Aristænetus alludens ad Chœrili versum: *ῥανὶς γὰρ ὕδατος ἐνδελεχῶς ἐπιστάζουσα καὶ πέτρας ἂν κοιλάνειεν.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ARMATVS *curua.*] Hic versiculus liquidò extat in nostro infimæ vetustatis, quo tamen vetustiorem non habent Itali Critici. quod ex illorum editionibus certò affirmare possum. Quare quod in quibusdam, vt ipsi aiunt, hic versus abest, potuit negligentia librariorum id committi. quod autem fragmentum hoc putarint esse: facile ignosco illis propter abruptam sententiã. quod non alia de causa accidit,

quàm quod hic, vt in aliis transpositio facta est. post hoc enim pentametrum collocandum est distichon: TV PVERO QVODCVNQVE TVO. At sequens distichon: O FVGE TE TENERÆ cum duobus sequentibus, vbi sit collocandum, suo loco ostendemus.

SED *ne te capiant.*] Quam rectè ante hoc distichon illud collocauimus, quum sententia ipsa tam clarè aperiat, quid opus est dicere? Hic enim est principium præceptorum & regularum illius ἀσελγείας. cuius vtinam nunquam illis veteribus in mentem venisset.

AT *si tardus eris.*] Legendum, *Ah si tardus eris.* Elegans admodum μίμησις. Hoc enim dicitur ex alia persona, nempe amantis, quem in hac re εἰσπνήλαν vocabant Lacones. verba, inquam, eius ad puerum. Vide, quam bene nunc cohæreant, quæ adeò luxata anteà, ac perturbata erant. Hoc enim præcipit dicendum puero, & peierandum in amatoriis, ἐν παιδικοῖς, si licet.

TRANSIET *ætas.*] ἀρχαϊκῶς, pro transibit. Tertullianus aduersus Iudæos: *Ex te enim exiet dux, qui pascat populum meum Israel.*

QVAM *cito formosas populus alta comas.*] Liber noster habet *ante comas.* rectè profectè. *ante comas*, τὰς πρὶν κόμας. hoc est hornotinas comas. τὰς ὥρας dixit Theophrastus. Sic Catullus,

Sed tu olim magnos vicisti sola furores.

Olim furores, τοὺς πάλαι. Et Virgilius *ante malorum*, τῶν πάλαι κακῶν.

SOLIS *æterna est.*] Hactenus μιμητικῶς. nunc redit in orbem flagitiosorum præceptorum suorum. Subdendum enim statim distichon, NEV COMES IRE NEGES. continuatio enim est eius, quod primo præceperat.

Tu puero quodcunque tuo tentare libebit,
Cedas. ——

VENTVRAM *admittat imbrifer.*] Eleganter *Admittat.* Quid sit admittere equum, notissimum est. Vnde Ouidius,

Et celer admissis labitur annus equis.

& idem alibi aquas amnis admissas vocat.

Et celer admissas exigit Hebrus aquas.

sed noster codex aliam lectionem præfert, nempe, *venturam amiciat.* quod si rectum est, aqua amictum intelligit, quod Physicus, & Meteororum indagator valde probabit. sed duplici ij scribendum, *amiciat.* vt quum volunt producere *obice*, addunt *i* alterum, imò restituunt, *obiice.* ab *ob* enim & *iacio* est. vt *amicio*, ab *am*, & *iacio.*

DVRO *subiisse labori.*] *Duros subiisse labores.* liber scriptus.

ATTERVISSE *manus.*] Grammatistæ *attenuasse* supposuerant. Vide quid super hoc in Varronis libros rerum rusticarum annotamus.

POST *offeret ipse volenti.*] Noster,

—— *mox offeret ipse roganti*

quod melius est.

BLANDITIIS *vult esse locum.*] Legendum sine dubio *Blanditiis.* Ita loquebantur veteres. Propertius:

Blanditiaeq; fluant per mea colla rosa.

Supplicibus est substantiuum, vt sæpius. Quare nihil mutandum. Non enim leuiter interpun-

A ctionibus suis hæc corruperant Grammatistæ. Lege igitur:

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa querelis.
Supplicibus miseris flentibus ipsa fauet.

HÆC *ego quæ canerem Titio.*] Iamdudum monuimus hic legendum esse, *cauerem* non *canerem.* tertia coniugatione, quæ causa fuit, vt insolentia coniugationis corruptus fuerit locus. Iurisconsultorum & prudentum more se de amore respondere & cauere aliis profitetur, vt ipsi de iure respondebant. Apud Virgilium:

—— *quum litora feruere late*
Prospiceres. ——

B Ibi Seruius: *Dicemus à tertia coniugatione esse Imperatiui: vt* CAVO CAVIS. *Hinc etiam Catullus* CAVERE *dixit.* Hoc in Catullo non extat. Sed videtur hunc Tibulli locum Seruius in animo habuisse. De quo non dubito. Aperta iam sententia. Nam Titium esse Iurisconsultorum personam ὑποθετικὴν, vt Philosophorum Θέωνα, Δίωνα, iam nemo potest ignorare. In quo tamen imprudenter faciunt, qui Titium, aut Tytium, τὰ παιδικὰ Tibulli accipiunt.

SED *Titium coniunx*] Post hunc versum inserenda tria disticha, quæ superiùs alieno loco expunximus, O FVGE TE TENERÆ. Nam &

C hic mira elegantia μιμητικῶς dictum ex persona vxoris. Quæ, candide lector, quum luce clariora esse videas, quid prius debeas hanc lectionem amplecti, an perturbatam illam vulgatem exibilare, incertum est. sed vtrunque debes, meo iudicio, quum hæc nostra vera sit, & illa inepta, præpostera, confusa.

VIRGINEVS *teneras.*] Hactenus matrona. Sequitur enim Tibullus:

Pareat ille suæ. —— Sequatur,

D inquit. illa præcepta. quæ? O FVGE TE TENERÆ.

VOS *me celebrate magistrum.*] Rectè *magistrum.* Iurisconsultum & Prudentem agit, & post verbum aptum ei rei, CONSVLTENT. & postremò: VANA MAGISTERIA. Hæc enim potiùs ad Qu. Mutium, aut Seru. Sulpitium, quam ad poëtam leuiculum pertinebant, vt & illa:

Deducat iuuenum sedula turba domum.

ELEGIA II.

E *ASPER eram, & bene dißidium me ferre loquebar:*
At mihi nunc lõgè gloria fortis abest.
Namque agor, vt per plana citus sola verbere turben,
Quem celer assueta versat ab arte puer.
Vre ferum, & torque, libeat nec dicere quidquam
Magnificum pósthac: horrida verba doma.
Parce tamen: per te furtiui fœdera lecti,

Per Venerem quæso, compositúmque caput. A
Ille ego, cùm tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipséque ter circum lustraui sulfure puro,
Carmine cùm magico præcinuisset anus.
Ipse procuraui, ne possent sæua nocere
Somnia, ter salsa deuenerandа mola.
Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis B
Vota nouem Triuiæ nocte silente dedi.
Omnia persolui: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix vtitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salua fuisses,
Fingebam demens, sed renuente Deo.
Rura colam, frugúmque aderit mea Delia custos,
Area dum messes Sole calente teret. C
Hæc mihi seruabit plenis in lintribus vuas,
Pressáque veloci candida musta pede:
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominæ ludere verna sinu.
Illa Deo sciet agricolæ pro vitibus vuã,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem. D
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ.
Et iuuet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahet arboribus:
Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat. E
Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurúsque Notúsque
Iactat odoratos vota per Armenios.
Sæpè ego tentaui curas depellere vino:
At dolor in lacrymas verterat omne merum.
Sæpè aliam tenui: sed iam cùm gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deseruítque Venus.
Tunc me discedens deuotum fœmina dixit,
Et pudet, & narrat scire nefanda mea.
Non facit hoc verbis: facie, teneríſque lacertis
Deuouet, & flauis nostra puella comis.
Talis ad Æmoniũ Nereis Pelea quondam
Vecta est frenato cęrula pisce Thetis.
Hæc nocuêre mihi, quòd adest huic diues amator,
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animæ circum, sua fata querentes:
Semper & è tectis strix violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens, herbásque sepulcris
Quærat, & à sæuis ossa relicta lupis.
Curras & inguinibus nudis, vlulétque per vrbes,
Post agat è triuiis aspera turba canũ.
Eueniet, dat signa Deus, sunt Numina amanti,
Sæuit & iniusta lege relicta Venus.
At tu quamprimum sagæ præcepta rapacis
Desere: Nam donis vincitur omnis amor.
Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit
Primus & in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ,
Subiicietque manus, efficiétque viam.
Pauper ad occultos furtim deducet amicos,
Vincláq; de niueo detrahet ipse pede.

Heu canimus frustrà: nec verbis victa patescit
Ianua, sed plena est percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata caueto:
VERSATVR celeri fors leuis orbe rotæ.
Non frustrà quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit,
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus, & ante ipsas excreat vsque fores.
Nescio quid furtiuus amor parat. vtere quæso,
Dum licet, in liquida nat tibi linter aqua.

BERNARD. CYLLÆN. VER.

ASPER *eram, & bene dissidium me ferre loquebar.*] Queritur de animo suo erga amicam officioso, & quæ pro illius ægrotantis salute fecerit: quæque sibi illa, si in pristinam fuisset restituta conualescentiam, proposuerat, cùm summo dolore obiicit. Hoc ideò facit, vt eam ab alterius amore ad se reuocet. *Dissidium* autem segregationem per discordiam signat, vel à dissidendo: vnde Terentius,

Valeant qui inter nos dissidium quærunt.

vel à deorsum cedendo: vnde Ouidius XIIII. Metamorphoseon pro discessu posuit inquiens,

Non bene dissidium Phrygij latura mariti.

Ferre ergo dissidium i. pati iniuriam per seiunctionem ab amica.

NAMQVE *agor.*] suam denotat instabilitatem cùm à turbine similitudinem sumat: amantes enim vario æstu afflictionum fluctuant. Plautus in Cistellaria,

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser
Exanimor, feror, differor, distrahor, diripior, ita nullam mentem
Animi habeo.——

TVRBO.] genus est instrumenti lusorij pueros maximè delectans: à cuius fastigiata & præacuta cuspide Turbino verbum apud Plinium frequens descendit.

CELER.] dum currens puer corrigia insequitur.

VERSAT.] funiculo.

TORQVE.] Persius,

Neu quis callidior buxum torquere flagello.

LICEAT *nec dicere quicquam Magnificum.*] A quale ilud Terentij in Eunu. *Egóne illam, quæ illum, quæ me, quæ non? sine modo: Mori me malim sentiet qui vir siem.*

FOEDERA.] pactiones clandestinas inter vtrumque factas intelligit, & ideò furtiui lecti.

IPSEQVE *ter circum lustraui sulfure puro.*] Sic Propert. Elegiarum IIII.

Térque meum tetigit sulfuris igne caput.

Et Ouidius de arte amandi II. hoc ita apertè declarat,

Et veniet quæ lustret anus, lectúmque locúmque
Perferat & tremula sulfur & oua manu.

Est autem præceptum in prædicto libro, vt pro amica voueamus, & in præsentia sua id palàm B faciamus. Vnde Propertius Elegiarum II. indignatus de riuali inquit ad Cynthiam,

Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Quum capite hoc Stygiæ iam peterentur aquæ
Et lectum flentes circunstaremus amici.

SEMINA.] rem nulli præter sibi amantibus intelligibilem pertingit: quidam tamen non semina sed somnia textus habent, & est sensus facilis: nam veneranda ter, pro pianda tribus vicibus, vt sæpè scripsimus, intelligit.

TVNICISQVE *solutis.*] de more sacrificantium, vt in IIII. Æneid. Virgil. de Didone scripsit.

C DEDI *nouem vota.*] nouies votum faciens Veneri sacrum exhibui.

OMNIA *persolui.*] huc redigitur omnis oratio: namque multa poterat vouisse, sed non persoluisse.

FRVITVR *nunc alter amore.*] fruitur. i. voluptatem capit ex te olim à me miserè peramata.

VTITVR *precibus meis.*] precibus s. quibus te precari consueueram.

FINGEBAM *demens.*] se dicit insanum quòd spem in constantia mulieris habuerit. Hora. lib. Carminum I.

Qui nunc te fruitur credulus aurea,
D *Qui semper vacuam, semper amabilem*
Sperat nescius auræ fallacis.

Ideò Catullus de Lesbia sua dixit,

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quàm mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
Dicit: sed cupido mulier quod dicit amanti,
In vento & rapida scribere oportet aqua.

RVRA *colam.*] hæc sunt quæ Tibullus in animo proposuerat.

CVSTOS *frugum.*] gubernatrix, administratrix prouentuum.

IN *lintrib. vuas.*] Linter est genus dolij rusticani, vt ostendit Cato Priscus: sed hîc pro naui po- E nitur, & est (teste Festo) lignum cauatum vt nauis, quo in vindemiis rustici vti solent: & per metaphoram pro nauicula ponitur.

CONSVESCET *numerare pecus.*] pastores cõsueuerunt vesperi pecus numerare, ne qua inter pascua aberrauisset, aut abactores, lupíve sustulissent: quem morem Homerus Mantuanus executus ait,

Bísque die numerant ambo pecus, alter & hædos.

VERNA.] famulus domi natus verno tempore ex ancilla Græcè οἰκογενὴς dicitur. Martialis,

Vxorem habendam non putas Quirinalis,

Cum vult habere filios & inuenit
Quo possit illud more? futuit ancillas,
Domúmque & agros implet equitibus vernis,
Pater familiæ verus est Quirinalis.

Hinc fit vernaculus pro proprio patriæ. Cicero de oratore III. *Vt ego ædilitate laboraui, quod quotidianis & vernaculis rebus satisfacere me posse huic populo non putabam.*

FERRE *dapem.*] victimam & reliqua quæ pro grege, vt valeat rectè & fœtura crescat, immolãtur. Sanè animaduertendum est quod Cato Priscus scribit, quando votum fit pro bobus, mulier interesse non debet ad rem diuinam, neq; videre quo pacto ea fiat. Sed hic auctor sacrificium intelligit compitale quod turis deis exhibeatur.

ME *nihil esse domo.*] hoc est nullius pretij atque auctoritatis. In præfatione operis diximus hinc illud Martialem assumpsisse in distichis,

Vssit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tota iuuit quem nihil esse domo.

IPSA *ministra.*] signum est non modicæ in Messallam beneuolentiæ, cùm cibum illi apparari ab amata muliere concedat.

PER *Armenios odoratos.*] Armenia regio est Asiæ Cappadociæ cõtermina, dicta ab Armenio Iasonis socio, & duplex est. vbi pretiosum inter reliqua aromata nascitur amomum.

CVRAS *depellere vino.*] sic supra,

Adde merum vino, nouos compesce dolores.

GAVDIA *adirem.*] rem turpem dictu, honestè satis & eleganter dat intelligere.

ADMONVIT *dominæ.*] mẽ commonefecit, ne dominam desererem. Notandum est locutionis genus antiquissimum, quod ab historicis vsurpatum legi: admoneo te patris, vel cuiuspiã imprudenter facti, sine accusatiuo; pro eo quod est admonitionem tibi præsto: quod sanè à Græcis traductum videtur, qui vtuntur genitiuo cùm ablatiuo careant, secundum quorum structuram Horatius Carm. II. ait,

Desine tandem mollium querelarum.

pro à querelis mollibus.

DESERVITQVE *Venus.*] quippe voto frui non licuit, quod aptius in sequenti declarat.

DEVOTVM.] fascinatum & execratum carminibus.

NON *facit hoc verbis.*] vt amicæ amorem erga se reconciliet, eius formã occultè laudat. Nãque veneficæ fascinant iuuenculos herbarum potentia fretæ.

TALIS *ad Hæmonium.*] comparat pulchritudinem amatricis cum formositate Thetidis, quando olim ducta est ad domum Pelei mariti.

NEREIS.] Thetis Neriæ, hoc est ex Nereo, nympha namque fuit Chironis filia.

PISCE *frenato*] delphino iugato, qui marinas deas vehere dicitur. Stat. ea propter in Achilleide ait: *Elicit inde fretis, & murice frenat acuto*
Delphines biiuges. ——

& Claudianus in Stilicone: Venerem à Tritone Mediolanum vehi, vt Honorij & Mariæ nuptiis interesset, cum diuarum marinarum, aliæ tigribus, aliæ ariete, aliæ leæna, monstris æquoreis portarentur.

SANGVINEAS *edat illa dapes.*] asperrima

A execrantis lenam imprecatio.

FELLE.] amaritie. fellis enim folliculus bilis atræ indignationem continet: & membrorum intrinsecorum fel est amarissimum.

QVERENTES *sua fata.*] dum s. centum annos transegerint, vt putauit antiquitas.

STRIX *violenta canat.*] Strix volucris est importuna, à stridendo dicta, quemadmodum Ouidius Fastorum VI. sensit: vbi hanc ipsam his verbis effinxit:

Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ,
Canities pennis, vnguibus hamus inest.

ideò autem violenta dicta est, quod pueros

B nutricis agentes aggreditur, & ex illorum corpusculis vitalem sanguinem absorbet: à cuius auis nocumento factum est, vt iam Striges appellemus mulieres noctu vel die puellulos fascinãtes suo contactu & lactis munerúmque oblatione. Qu. Serennius,

Præterea si forte premit strix atra puellos
Virosa immulgens exertis vbera labris.

SAGÆ *rapacis.*] Sagam vocat lenam rapacissimam & incantatoriam.

NAM *donis vincitur omnis amor.*] sententia peregregia: nulla certè tam casta est, quæ pretio corrumpi non possit.

C PAVPER *erit præsto.*] Præsto signat præsens sum, & faueo, & aduenio: docet hic commoditates quas amicæ ex pauperculis capiunt amatorculis.

ANGVSTO.] angustum ponit pro spisso & inculcato.

VINCLA *detrahit.*] à parte totum intelligimus calceolum, & est sensus: Te pauper si opus est excalciat.

DE *niueo pede.*] laus est pedum ab elegantia candoris. Sic Statius de Tethide Achilleidos I.

— Et niueas feriunt vada Thessala plantas.

HEV *canimus frustra.*] vox est poëtæ valde

D conquerentis.

PLENA *manu.*] plena s. nummis & aureolis: namque muneribus amor conciliatur: qui non affert excluditur ac negligitur. Quamobrem Propertius de amica dixit:

Cynthia non sequitur fasces, non curat honores,
Semper amatorum ponderat illa sinus.

AT *tu qui potior nunc es.*] illum monet qui suis in amore vicibus vtitur, vt dum licet, quod cupit, capiat. Fortunæ enim varia est & præceps stabilitas, sed in amoribus præsertim alternatur. Vnde Propert. Elegiarum II. ait,

Omnia vertuntur, certè vertuntur amantes,
Vinceris aut vincis, hæc in amore rota est.

E FORS *leuis orbis rota.*] Secundum antiquissimorum fantasiam loquitur, qui Fortunam super rota volubili assidentem depinxerunt: quo figmento mobilitas illius vt pateret omnibus, curarunt. & est quasi dictum simile cum Parmenone Terentiano, *Omnium rerum vicissitudo est.*

EXCREAT.] excreare est conatu quodam de pectore sputum eiicere. Virg. in Priapeis,

Dentem de tribus excreauit vnum.

& excreauit pro expuit accipimus hic eleganter. Plautus facetiarum suarum memor in Asinaria significauit. ibi enim Libanum seruum introdu-

xit dicentem domino.

Téq; obsecro hercle, vt quæ locutus sim despuas.

Subdit ipse:

Age quæso hercle vsque ex penitis faucibus.

& pòst ait, *Age age vsque excrea.* ——

In *liquida nat tibi linter aqua.*] metaphoricos dicit: Dum tecum fortuna bene agit vtere amoribus Deliæ, quæ me neglecto tibi vni seruit. Hanc fere eandem sententiam Ouid. in fine tertij de Fastis mutuatus est,

Nauiget hinc alia iam mihi linter aqua.

ACHILLES STATIVS.

Asper *eram.*] In eandem sententiam Propert. in II.

Liber eram, & vacuo meditabar viuere lecto.

Namque *agor, vt per plana citus sola verbere turben.*] Turben, scripsi, Carisij auctoritatem secutus. Cuius hæc sunt in I. *Turben. Tibullus,*

Namq. agor, vt per plana citus sola verbere turben.

Quem Maro VII. Turbonem vocat

-- tortus sub verbere turbo.

& ita putant dici debere hic Turben, quia & Homo, & Tempestas, & Buxum eodem possint nominatiuo perhiberi. Imitatus autem videtur Theocritum, apud quem in Pharmaceutria sic est:

Χ' ὡς δινεῖθ' ὅδ' ὁ ῥόμβος ὁ χάλκεος, ἐξ Ἀφροδίτας
Ὡς κεῖνος δινοῖθ' ὑμετέραισι θύραισιν.

Vergil. in VII. eadem vsus similitudine.

Tum verò infelix ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit lymphata per vrbem.
Ceu quondam volitans torto sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent, ille actus habena
Curuatis fertur spatiis. ——

Et apud Plautum meretrix, idem significans, in Cistellaria,

Mihi istum hominē vellem dari, vt ego illum vorsarē

Sappho verbo Versare eodem in genere vsa, dixit:

Ἔρως δ' αὖτέ μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ.

Qvem *tener adsueta versat ab arte puer.*] Nonnullam enim eius rei artem fuisse demonstrat Ouid. in II. Tristium,

Hic artem nandi præcipit, ille trochi.

Sed erat in veteri libro Sfortiæ, non Celer, sed Tener.

Vre *ferum.*] Hi duo versus mihi quidem suspecti sunt, & propter *ἀνακόλουθον*, & propter ipsum genus dicendi. Nam, si veniam sibi dari postulat, cur huic aliena sentētiæ interposuit? deinde, cur idem bis dixit?

—— libeat nec dicere quidquam.

&, quod idem valet, statim subiicit,

—— post hæc horrida verba doma.

Parce *tamen.*] Qui olim asper eram, neque discidium facile ferre iactabam, idem nunc tamen veniam peto.

Per *te.*] In veteribus libris omnibus, iterū, Parce. prauè omnino.

Per *te furtiui fœdera lecti.*] Idem significat pòst,

Nulla tuum nobis subducet fœmina vultum.

A Qualia sunt etiam illa fœdera apud Propertium in III.

Fœdera sunt ponenda prius, seruandáque iura.

Compositvmqve *caput.*] tuum istud compositum, atq; ornatum caput. neque enim aptum puto, si manes cari capitis intellegamus.

Ipseqve *ter circum lustraui sulpure puro.*] Sulpur, sine aspiratione scripsi, secutus Vergiliani illius libri fidem. Sed erat in veteri Sfortiæ libro, multisque aliis, non Ter, sed Te. vt à se illam circumlustratam significet. In Florentino esse adfirmant, Ipse ego te circum. Propertius in quarto alteram illam tueri lectionem vi-

B detur,

Imperat & totas iterum mutare lucernas,
Térque meum tetigit sulpuris igne caput.

Et quæ sequuntur. Puro autem, vel quod in sacris adhiberetur, vel ab effecto. Sic Ouid.

Cærulei fiunt puri de sulpure fumi.

Iuuenalis Sat. II. quæ in lustratione adhiberentur, enumerans,

—— quotiens hinc talis ad illos
Vmbra venit, cuperent lustrari, si qua darentur
Sulpura cum tædis, etsi foret humida laurus.

Lustrationis quoque sulpureæ, vt sic dicam, meminit etiam Propert. in IV.

C *Dein quemcunque locum externæ tetigere puellæ,*
Sufficit & pura limina tergit aqua.
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Térque meum tetigit sulpuris igne caput.

Præcinvisset *anus.*] In veteri Sfortiæ libro est, Procubuisset. In Vaticano, Pertimuisset. In alio quodam, Prætimuisset. Sacra ipsa, siue veneficia ignota: nihil igitur diiudicare possumus.

Ipse *procuraui.*] In Florentino testantur esse, Ipse ego curaui. Procurare verbum in religionibus idem ferè, quod Expiare. Eiusmodi verò mala somnia idem commemorat, & lib. II. Eleg.

D VI. & III. Eleg. IV.

Ter *salsa deueneranda mola.*] In omnibus ferè libris veteribus non Salsa, sed Sancta. Passiuè verò Deueneranda, vt & Horat.

Venerata Pales. —— Videndum autem, an Deuenerāda dixerit, quasi Deprecanda, & auerruncanda. Ter sanctam dixit molam salsam, quod, vt scribit Plinius, nulla sine salsa mola sacra fiant. Est enim apud illum lib. XXXI. *Maximè tamen in sacris intellegitur auctoritas, quando nulla conficiuntur sine mola salsa.*

Ipse *ego, velatus filo, tunicisque solutis.*] Filum fortasse dicit vestem lineam. Tegumentum ca-

E pitis esse hoc videtur apud Arnobium in VI. aduersus gentes. *Itaque*, inquit, *artifices omnes ipsis isdem quæ temporibus exstiterunt. quibúsque primas dabat exprimendarum similitudinum veritas, omni cura studióque certabant, filum capitis prostituti Cythereia in simulachra traducere.* Velato autem capite veteres sacra solitos facere, nemo nescit.

Vota *nouem Veneri nocte silente tuli.*] In Sfortiæ, vt in nonnullis aliis, non Veneri, sed Triuiæ. Nisi si Venerem exquisita aliqua ratione eandem, quam Triuiam velimus esse. Amantes quidem certè Lunam precari solitos, ostendi-

mus in commentationibus in Horatium. Vota tuli: obtuli, solui. Nouem verò, propter imparem numerū, qui sacer, & dis gratus. vel quod is numerus fuerit ἐν μυστηρίοις.

Area *dum messes sole calente teret.*] Sic Verg. in Georg.

— pingues palea teret area culmos.

Similiter Martialis,

Messes area dum ferit crepantes.

Nisi pro Ferit, Terit fortè sit legendum.

Avt *mihi seruabit plenis in lintribus vuas.*] In Colotij libro, pro Aut, Et. Lintres autem eiusmodi veteres Nauias dicebant. *Nauia*, inquit Festus Pompeius, *est vno ligno exculpto, vt nauis, quo vtūtur alueo in vindemia.* Romæ autem duas in veteribus saxis vidi exscalptas vindemias, alteram sub Ianiculi montis radicibus, qua cliuus ad S. Petri Montaurei ducit, muro cohærens. alteram ad domus Porciorum valuas. in his Nauiæ, siue lintres.

Pressaqve *veloci candida musta pede.*] In Vaticano, & Marcelli Pont. Max. aliísque nonnullis non Candida sed Pinguia. Cādidi quidem musti Plin. meminit in xiv. *Talpana nigra candidum facit mustum & albi musti candidi Sextarij xx.* Pinguia musta dixit etiam Manilius in tertio,

Aut reputat Bacchum per pinguia musta fluentem.

Atque alibi,

Pinguiaq; impressis despument musta racemis.

Consvesset *numerare pecus.*] In omnibus libris veteribus, Consuescet. Numerare pecus vt & Verg. in Bucol.

Bisque die numerant pecus. —

Atque alibi,

Cogere donec ouis stabulis, numerúmque referri
Iussit. — Et in iv. Georg.
Consedit scopulo medius numerúmque recenset.

Et Callimachus in Cererem, eodem modo,

—— ἐν ὄθρυι ποίμνι' ἀριθμεῖ.

Pro *segete spicas.*] In veteribus libris, Pro segete & spicas.

Et *iuuet in tota me nihil esse domo.*] Adiuuet, in multis omnino libris. quo probabilius est illud, quod in Colotij libro legebatur, At iuuet. Martialis in xiiii. de Tibullo totidem propè verbis,

Vssit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tota iuuit quem nihil esse domo.

Sed mirum illud, quod Nemesi dictum putet Martialis, quod hic Deliæ dicitur. nisi fortè eadem vtroque nomine intelligitur. Nihil esse dixit eodem modo Cic. in i. Epist. ad Att. *Ille alter ita nihil est, vt planè quid erit, nesciat.*

Selectis *detrahet arboribus.*] In nonnullis, Detrahat.

Et, *tantum venerata virum, hunc se. cu.*] sic in omnibus ferè libris veteribus. In Colotiano & Florentino fuisse intellego, Huic. vtrumque prauè. melius in Sfortiæ libro legebam vna plus particula,

Et, tantū venerata virum, hunc & sedula curet.

Cavrvsqve.] Eodem in libro, Eurúsque.

Iactat.] Sic de iis rebus loquebantur, quas obliuione sempiterna inuolui, atque obrui volebant. vel quæ frustrà fiebant. Sæpe sic

A Horat. & Catullus & Apollonius in i.

—— αἶψ' ἀνέμοισι
Δοιάδι ἀμπλακίῃ, ὡς ἐν πάρος ἀλγύνοντες.

Temptavi *curas depellere vino.*] In optimo Vergilij exemplo, Tempto, semper scriptum legebam. à qua ratione non discedo. Horat. eodem modo, quo hic Tibullus,

— Nunc vino pellite curas.

Sæpe *aliam tenui.*] Idem alibi,

Te tenet, absentes alios suspirat amores. Et,
Te teneam moriens deficiente manu.

Cvm *gaudia adirem.*] Gaudia, & Præbere gaudia. quo sensu ab his poëtis diceretur, exB posui in commentationibus in Horatium.

Tvm *me discedens deuotum femina dixit.*] Eodem in illo laudatissimo Vergil. exemplo, Femina, sine diphthongo: idque perpetuo, ac verissimè. Deuotum verò sic dixit, vt & pòst, Eleg. viii.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Deuouit tacito tempore noctis anus?

Et Ouid. in iii. Amor. Eleg. vi.

Num mea Thessalico languent deuota veneno
Corpora. ——

Et idem Ouid pòst,

Aut te traiectus Aeaea venefica vexis
C *Deuouet, aut alio lassus amore venis.*

Ac Suetonius in Caligula, *Clientelas*, inquit, *diu vexanti, non prius succensere in animum induxerit, quàm veneficiis quoque & deuotionibus impugnari se senserit.*

Et *pudet, & narrat scire nefanda mea.*] in veteribus etiam libris legi adfirmant, Et dominæ narrat, & quæ sequuntur. Ouid. in ii. de remed. amoris similiter,

Et pudet & dicam. ——

Sin illud malumus, Mea fortasse mutandum sit in Meæ. Vt illa quidem se dicat non nescire nefanda, ipsa nimirum veneficia dominæ meæ.

D Non *facit hoc verbis.*] Huic quasi respondens addit, nullo id fieri magico ministerio. Sed veteribus in libris etiam fuisse dicunt, non verbis, sed Herbis. quod ipsum probabile. Idem enim pòst, Eleg. viii.

Num te carminibus, num te pallentibus herbis.

Quæ verba iam suprà posui.

Talis *ad Aemonium Nereis Pelea quondam.*] Nonnullis in veteribus libris, Nereis quæ. In aliis, Nereísque. Legendum fortasse sit, Nereis quoque. Sed & trisyllabum etiam posuit Manilius in v.

Extulit & liquido Nereis ab aquore vultum.

E Vecta *est frenato carula pisce Thetis.*] Ad specum scilicet, quem eleganter describit Ouid.

Est specus in medio: natura factus, an arte,
Ambiguum est, magis arte tamen, quo sæpe venire
Frenato delphine sedens Theti nuda solebas.
Illic te Peleus, dum somno victa iacebas,
Occupat. ——

Et Balbus,

Hic sperata sedens Tyrrheno littore pristis,
Peleos in thalamos vehitur Thetis, aquora delphin
Corripit, & silet hac ad detecta lumina palla.

Qvod *adest huic diues amator.*] Adest, pro est, posuit, vt alibi quoque,

Et è tectis strix violenta canat.] Vergilius in vii. de Alecto,

At sæua è speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit, stabuli de culmine summo
Pastorale canit signum, cornúque recurno
Tartaream intendit vocem. ——

& quæ sequuntur.

Herbasque sepulchris Quærat.] In veteri libro esse aiunt, Escásque sepulchris. Cui simile esset & illud Catulli,

—— *sæpè quàm in sepulchretis*
Vidistis, ipso rapere de rogo cenam.

Post agat hanc triuiis.] In veteribus libris omnibus, E triuiis, non, Hanc triuiis. vt absolutè positum sit, Agat. Non multum dissimili sententia Horat. in v.

B

Senem quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburranæ canes.

Sed idem agere hoc modo, neque transitiuè posuit eodem in libro,

Nam qualis aut molossus, aut fuluus Lacon,
Amica vis pastoribus,
Agam per altas aure sublata niues,
Quæcunque præcedet fera.

Eveniet.] sic erit, quanquam veteri in libro legi etiam adfirmant, Euenient. Idem pòst,

C

Euentura precor. ——

Dat signa deus.] idem pòst, eodem loco,

Viden' vt felicibus extis,

& quæ sequuntur. Et Ouid. in iii. Amor.

Annuit & motu signa secunda dedit.

Sunt numina amanti.] vel fauent, vel peccanti irascuntur. Idem alibi,

—— *peccare paranti*
Sit deus, occultos qui vetat esse dolos.

Nam doms vincitur omnis amor.] In veteribus libris etiam fuisse adfirmēt, Non, pro Nam. quod esse magis è sensu nonnulli contendunt. Ac pro Amor, in Colotiano quidem amans.

D

Pauper erit præsto tibi, præsto pauper adibit.] In Vaticano, pro Tibi, Nam legebam.

Pauper ad occultos furtim deducet amicos.] In veteribus libris etiam sic esse testantur,

Pauper ad excultos furtim deducet amantes.

Nec verbis victa patescit Ianua.] In veteri libro Card. Sfortiæ pro Patescit, legebam Fatiscit, Verg. verbo illo vsus in ii. Æn.

Apparet domus intus, & atria longa patescunt.

Vinclaque de niueo detrahet ipse pede.] Sic Terentius,

E

Soccos detrahunt. ——

Vincula verò calciamenta dicit, vt Ouid. in ii. Fast. *Rumpebant magni vincula parua pedes.*

Et in iii. Metam.

Vincla duæ pedibus demunt. ——

Et in iii. de arte amandi,

Arida nec vinclis crura resolue tuis.

Et Verg. in iii. Æn.

Vnum exuta pedem vinclis. ——

At tu, qui potior nunc es, mea furta caueto.] Pro Nunc es, erat in Vaticano scriptum, Vinces. Pro Caueto, in omnibus ferè libris, Timeto.

Mea furta.] furtiuos concubitus.

Versatur celers fors leuis orbe rota.] In plerisque veteribus libris, Sors, non Fors, id est, Fortuna. In eandem sententiam Propertius in ii.

A

Omnia vertuntur, certè vertuntur amores,
Vinceris aut vincis, hæc in amore rota est.

Plautus in Cistellaria,

Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota.

Ammianus Marcellinus in xxvi. de rota fortunæ. *Ea*, inquit, *victoria vltra homines Procopius sese efferens, & ignorans, quod quiuis beatus versa rota fortunæ ante vesperum potest esse miserrimus.*

Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit] In veteribus libris legi adfirmant,

Sedulus, & crebro prospicit, atque refugit.

Et ante ipsas excreat vsque fores.] In veteri libro Sfortiæ, & Marcelli Pont. Max. & Vaticano, Excreat ipse fores.

Nescio quid furtiuus amor parat.] In Colotiano fuisse testantur, Nescis.

In liquida nat tibi linter aqua.] id est, vtere occasione, quam tibi præsens fert fortuna. translatio nota. non hæret enim linter in macra, vt ille dixit, aqua. Et Verg. dixit,

—— *natat vncta carina.*

Sed in Sfortiæ, & Marcelli Pontificis, libris pro Nat, Iam. Sit etiam fortasse hæc sententia, Lubricus amor est, atque instabilis, & paulo momento mutabilis, vt in aqua linter leui aura huc vel illuc impellitur. Simile illud Horatij,

—— *in dum tua nauis in alto est,*
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat aura.

M. ANT. MVRETVS.

Ipse procuraui.] apto verbo vsus est, & sumpto ex augurum disciplina. sic apud Ciceronem, *procurare monstra*. sed illud notandum, primam huius verbi syllabam etiam breuem esse posse.

Deveneranda.] venerari est precari, vt in Catilinarias docui. *deueneranda* igitur erit, deprecanda, &, vt veteres in his rebus loquebantur, auerruncanda. sed in plerisque libris veteribus, pro *falsa*, legitur, *sancta*.

Veneri.] Quidam libri veteres, *Triuiæ*.

Et iuuet in tota.] Martialis,

Vssit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tota iuuit quem nihil esse domo.

Et pudet, & narrat.] ex hoc versu, non video, quæ commoda sententia elici possit. quidam legunt,

Et dominæ narrat scire nefanda mea.

vt, nefanda, accipiamus nefandas artes, quibus puellam ad eum deuouendum ac defigendum, vti illa altera diceret.

Non facit hoc verbis.] sic alibi,

Forma nihil magicis vtitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, &c.

Escasque sepulchris.] ita meliùs videtur, quàm, vt in aliis, *herbásque*: vt sit simile illi Catulliano,

Vxor Meneni, sæpè quam in sepulcretis
Vidistis, ipso rapere de rogo cœnam.

IOS.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NAMQVE *agor vt per plana citus sola verbere turbo.*] Scribe *turben* auctore Charisio libro primo institutionum Grammaticarum. *Turben*, inquit, *Tibullus: Namque agor, vt per plana citus sola verbere turben. Quem Maro VII. turbonem vocat. --tortus sub verbere turbo.* Seruius tamen in illum locum: TVRBO, *Catullus hoc turben dixit, vt hoc carmen.* Et falsum à Catullo vsurpari, quum apud Tibullum legatur: & hoc turben dici, quum sit masculinum. Recte vero Charisius. Nam si in O analogia postulat vt in obliquis turbonem faciat. Sic *termo*, non *terminis*, sed *termonis* faciebat. Festus: *Termonem Ennius Græca consuetudine dixit, quem nos nunc terminum, hoc modo: Ingenti vadit cursu, qua redditu' termo' st* Si vero in EN facit obliquos *terminis*. Varro: *Itaque terminus quum in Latio aliquot locis dicitur, vt apud Attium, non Terminus, sed Termen.* Ergo vt Termo, termonis: Termen, terminis: sic Turbo, turbonis: Turben, turbinis dicebatur. Turbo est βέμβιξ.

PER *Venerem quæso compositumque caput.*] Componere caput, iungere caput, limare caput, idem. Ouidius:

Perque tuum, nostrumque caput, quod iunximus vna.

IPSEQVE *ter circum.*] Scriptura, & sententia postulat, vt TE non TER legas.

CARMINE *quum magico præcinuisset anus.*] Correctorum inuentum est *præcinuisset.* Nam scriptura vetus *procubuisset.* Id κατὰ τὸ σημαινόμενον intelligendum. procumbebat enim magicum carmen immurmurans.

TER *salsa deueneranda.*] Liber noster *sancta*, non *salsa.* vtrunque defendere potes.

TVNICISQVE *solutis.*] Sunt resolutoria sacra. vide quæ in Festum notauimus.

VOTA *nouem Veneri.*] Ineptissime hic Gramtistæ *Veneri* pro *Triuiæ*, quæ erat vetus lectio, supposuerant. Sunt enim non Veneria sacra, sed Stygialia, & Cocytia, quorum ritum & caussam vide in iis, quæ in Cirim scripsimus.

PLENIS *in lintribus vuas.*] Seruius nondum excusus in illud: *-cauat arbore lintres Aly,* inquit, *lintres, in quibus vua portatur, accipiunt.*

HÆC *mihi fingebam.*] Post hoc distichon, illud, NVM VENERIS MAGNÆ VIOLAVI NVMINA VERBO, cum nouem sequentibus ponendum est hic, quæ omnia hactenus perperam secundam Elegiam claudebant. Miratur Tibullus, vnde factum cur frustra de Delia sperarit, an Veneris numine læso, an aliquo alio Deo, vt sibi riualem superinductum videat. Quæ omnia ita sententiam huius elegiæ continuant, vt magno huius poëtæ & poëseos Latinæ studiosorum damno hæc distracta hactenus fuerint.

NON *ego tellurem genubus.*] Veterum superstitio. Iuuenalis:

——inde superbi.
Totum Regis agrum nuda, ac tremebunda cruentis
Erepet genubus.——

Dio libro quadragesimo tertio de Cæsare triumphante: καὶ τότε καὶ τοὺς ἀναβασμοὺς τοὺς ἐν τῷ καπιτω-
A λίῳ τοῖς γόνασιν ἀνερριχήσατο. Idem de Claudio victore Britanniæ: τὰ ἐπινίκεια τά τε ἄλλα κατὰ τὸ νενομισμένον ἔπραξεν, καὶ τοὺς ἀναβασμοὺς τοὺς ἐν τῷ καπιτωλίῳ τοῖς γόνασιν ἀνέβη, ἀναφερόντων αὐτὸν τῶν γαμβρῶν ἑκατέρωθεν.

AT *tu qui lætus.*] De hoc iam conquerebatur paulo superius:

Omnia persolui, fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix vtitur ille meis.

AT *tu qui lætus rides.*] Hæc corrupta, & male interpuncta sunt. Ita lege:

At tu, qui lætus rides mala nostra, caueto
Mox tibi. non vnus sæuiet vsque deus.

B Qui nos rides propter casum nostrum, time & tuum casum. Nam fortuna non constanter ita in me sæuiet semper, *non vnus*, vt Græci οὐχ ἱκανῶς. Ita enim habet codex noster, non, vt vulgo, NON VANVS. Plane huius distichi dissimulata est sententia in istis vulgatis editionibus.

MISEROS *lusisset amores.*] Infra:

Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes.

In nostro est, LESISSET. Alibi:

Quid mihi si fueras miseros læsurus amores.

Fortasse:

Vidi ego, qui iuuenis seros desisset amores.

Vidi, qui tandem ab amore desisteret. Propert.

Lynceus ipse meus seros insanit amores.

C Desinere aliquam rem, sciunt & pueri Latinum esse. Sed melius quidam libri: *Vidi ego qui iuuenem*, vt traiectio facta sit, pro: *Vidi iuuenem, qui.* Ouidius Elegiarum libro primo.

Quam face sustineo tecta superba petam.

hoc est, *face, quam sustineo.*

TVRBA *circumstetit.*] Suspicor legendum esse, *circumstrepit.*

SÆPE *ego tentaui.*] Est initium Elegiæ.

ET *pudet & narrat.*] Lege: *Et pudet hes, narrat,* Veteres EI sine aspiratione scribebant. vnde fecerunt, ET.

FACIE *tenerisque lacertis deuouet.*] Afranius:

D *Si possent homines delinimentis capi,*
Omnes haberent nunc amatores anus.
Aetas, & corpus tenerum, & morigeratio
Hæc sunt venena formosarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta inuenit.

Ouidius:

Moribus & forma conciliatur amor.

ESCASQVE *sepulcbris Quærat.*] Maiorem egestatem præfert membrana nostra:

——herbasque sepulcbris quærat.

Nam escas è silicernio rapere non ita miserum, vt herbas ex veteribus monimentis vellere.

E POST *agat hanc triuiis.*] Noster: *Post agat à triuiis.* Canes à triuiis, vt Ouidius *Asella à mola.*

Vt rudit à scabra turpis asella mola.

PAVPER *erit præsto.*] Mirum in vetustis Excerptis longè diuersius conceptum hoc distichon extare:

Pauper erit præsto, semper te pauper adibit
Primus, & in duro limine fixus erit.

Vulgatæ tamen lectioni subscribit Ouidius:

Quando non fixus lateri spatiantis adhæsi
Ipse tuus custos, ipse vir, ipse comes?

Illam alteram tuetur Tibullus ipse:

Hac scribusque manet noctu me affixa.

Oo

Affixa foribus, & fixus in limine. idem. A

SVBIICIETQVE *manus, efficietque viam.*] Horatius id voluit: ——*extrahe turba*
Oppositi humeris——

MEA *furta caueto.*] Ita etiam noster, non, vt quædam editiones, *mea fata*. Caueto ne imponam tibi, vt tu nunc mihi.

VERSATVR *celeri fors leuis orbe rotæ.*] In excerptis *orbe cito.* Fortasse melius conueniet temporibus Tibulli. quod eo tempore globo potius quam rotæ insistentem facerent. quod ego in multis numismatis memini me legere. In quibus Fortuna gubernaculum tenens pilæ vno pede insistit. Pacuuius Duloreste: B

Fortunam insanam esse, & cæcam, & brutam, perhibent philosophi.
Saxoque instare globoso prædicant volubili.
Id quo saxum impulerit fors, eo cadere Fortunam autumant.

Adde quod Ouidius ita loquitur, non addita rotæ mentione:

Nec metuis dubio Fortunæ stantis in orbe
Numen, & exosæ verba superba Deæ. Item:
Te fieri comitem stantis in orbe Deæ.

Est autem sententia Terentiana, vel potius prouerbium: *Omnium rerum vicißitudo.* & de eadem re dictum, de qua & hic apud Tibullum. Porro hoc pentametro clauditur hæc elegia. Nam se- C quentia alio transferenda, vt mox videbimus.

ELEGIA VI.

SEMPER vt inducar, blandos offers mihi vultus:
Post tamen es misero tristis, & asper Amor.
Quid tibi sæuitiæ mecum est? an gloria magna
Insidias homini composuisse Deum? D
Iam mihi tenduntur casses, iam Delia furtim
Nescio quē tacita callida nocte fouet.
Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est.
Sic etiam de me pernegat vsque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes. eheu nunc premor arte mea. E
Fingere tunc didicit caussas, cur sola cubaret,
Cardine tunc tacito vertere posse fores.
Tunc succos, herbásque dedi, queis liuor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu fallacis coniux incaute puellæ,
Me quoque seruato, peccet vt illa nihil.
Neu iuuenes celebret multo sermone caueto,
Nèue cubet laxo pectus aperta sinu.
Neu te decipiat nutu, digitóque liquorē
Ne trahat, & mensæ ducat in orbe notas.
Exibit quàm sæpè, time: seu visere dicet
Sacra Bonæ maribus nō adeūda Deę.
At mihi si credas, illam sequar vnus ad aras.
Tūc mihi non oculis sit timuisse meis.
Sæpè, velut gemmas eius, signúmque probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum.
Sæpè mero somnum peperi tibi: at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te læsi prudens: ignosce fatenti:
Iussit Amor. CONTRA quis ferat arma Deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,
Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus, tua si bona nescis
Seruare? frustra clauis inest foribus.
Te tenet, absentes alios suspirat amores,
Et simulat subitò condoluisse caput.
At mihi seruandam credas, non sæua recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga laxa sinu:
Quisquis & occurret, ne poßit crimen habere,
Stet procul, aut alia stet procul antè via.
Sic fieri iubet ipse Deus, sic magna sacerdos
Est mihi diuino vaticinata sono.
Hæc vbi Bellonæ motu est agitata, nec acrem

Flammam, non amens verbera torta timet. A
Ipsa bipenne suos cædit violēta lacertos:
Sanguinéque effuso spargit inulta Deam.
Státque latus præfixa veru, stat saucia pectus,
Et canit euentus, quos Dea magna monet.
Parcite, quàm custodit Amor, violare puellam: B
Ne pigeat magno pòst didicisse malo.
Attigeris; labētur opes, vt vulnere nostro
Sanguis, vt hic vētis diripitúrque cinis.
Et tibi nescio quas dixit mea Delia poenas.
Si tamen admittas, sit precor illa leuis.
Non ego te propter parco tibi, sed tua mater
Me mouet, atque iras aurea vincit anus. C
Hæc mihi te adducit tenebris, multóque timore
Coniungit nostras clàm taciturna manus.
Hæc foribúsque manet noctu me affixa, procúlque
Cognoscit strepitus me veniente pedū.
Viue diu, mi dulcis anus: proprios ego tecum D
Sit modò fas, annos cōtribuisse velim.
Te semper, gnatámque tuam te propter amabo:
Quidquid agit, sanguis est tamen illa tuus.
Sit modò casta doce, quamuis non vitta ligatos
Impediat crines, nec stola longa pedes. E
Et mihi sint duræ leges, laudare nec vllā
Possim, quin oculos appetat illa meos.
Et si quid peccasse putor, ducárque capillis
Immeritò, properas proripiárque vias.
Non ego te pulsare velim: sed venerit iste
Si furor, optarim non habuisse manus.
Nec sæuo sis casta metu, sed mente fideli.
Mutuus absenti te mihi seruet amor.

* * *

At quæ fida fuit nulli, post victa senecta
Ducit inops tremula stamina torta manu.
Firmáque conductis annectit licia telis,
Tractáque de niueo vellere ducta putat.
Hanc animo gaudente vident, iuuenúmque cateruæ
Commemorant meritò tot mala ferre senem:
Hanc Venus ex alto flentem sublimis Olympo
Spectat, &, infidis quàm sit acerba, monet.
Hæc aliis maledicta cadant. nos, Delia, amoris
Exemplū cana firmus vterque coma.

BERN. CYLL. VERON.

SEMPER *vt inducar blandos offers mihi vultus.*] quod amica sibi sæpissime arriserit: quodque postmodum se inexorabilem præbuerit, vsque adeo dolet, vt istuc ipsum amoris deo imputetur: Sed cum intelligat alium à Delia hominem foueri, consulit marito, ne eam libere vagari permittat, quoniam falletur à muliere sua libidinis impatiente.

QVID *tibi sæuitiæ mecum est.*] aut cur in se sæuiat quærit, aut inquit, quid est cur iniuriarum inter vtrumque oriatur occasio? Est autem antiquissima in latinitate locutio. Virgilius in Priapeis.

Quid mecum tibi circitor moleste.

TENDVNTVR *casses.*] metaphoricos ait, decipior à Delia.

FOVET.] amplexu tenet.

DVRVM *est.*] difficile atque intolerabile.

VSQVE.] perseueranter in omni re.

MISER.] miserum se dicit amore amantium quod ab amica deseratur.

HEV *heu.*] duplicatio est ad emphasim doloris.

VERTERE *fores*] aperire ianuam: & dicendo vertere respicit ad cardines, quibus fores sustentantur. fores dicuntur quæ foris aperiuntur: valuæ quæ intro voluantur, vertanturque.

CARDINE *tacito.*] quippe cum aperitur ostium stridorem cardo facit: qui quasi ipsius ianuæ pars est. Teren. *Concrepuit ostium.*

LIVOR.] liuorem plumbeus color: qui pro inuidia vsurpatur: Nempe qui inuidet pallet.

MVTVA.] Venus impresso dente: vnanimem coeuntium exprimit appetitum per pruritum

enim amorisque suauitatem colluctando aliter alterum morsitat. Propertius elegiarum IIII. A

Semper habens morsus circum tua colla recentes,
Litibus alternis quos putes esse datos.

Horat. carmin. I.

——sine puer furens
Impressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
Speres perpetuum dulcia barbarè
Lædentem oscula, quæ Venus
Quinta parte sui nectaris imbuit.

mutuam ergo Venerem vocat, cum pari coitu fœmina virque soluuntur.

SERVATO.] custodito. B

NEV *iuuenes celebret multo sermone caueto.*] hanc sententiam Iuuenalis & eorum quæ sequuntur quàm plurima complectitur satyrarum sexto.

Sed cantet potius quam totam peruolet vrbem
Audax: & cœtus quæ possit ferre virorum,
Cumque paludatis ducibus præsente marito
Ipsa loqui recta facie strictisque mamillis.

NEVE *cubet laxo pectus aperta sinu.*] Hanc cum verbis sententiam Ouid. fast. I. mutuatus est dicens:

Altera dissuto pectus aperta sinu.

Significat autem ne cum brachio iaceat expapillato, hoc est exerto, vt ait Festus. nam dum istud fit papilla nudatur. C

NEV *te decipiat nutu.*] ne te præsente aliis innuat, vt id te possit latere. Præceptum est enim ab Ouidio de arte amandi. I.

Atque oculos oculis spectare fatentibus ignem:
Sæpe tacens vocem verbáque vultus habet.

ET *mensa ducat in orbe rotas.*] Figura est hermineusis, per quam declaratur id.

DIGITOQVE *liquorem Ne trahat.*] hoc item à poëta omnium ingeniosissimo.

Blanditiásque leues tenui perscribere vino.
Vt dominam in mensa se legat illa tuam.

QVAM *sæpe.*] pro quam frequenter, idest, quotiescunque, tunc enim ad mœchum tendit. Iuuen. satyrarum II. D

——iamque expectatur in hortis:
Aut apud Isiacæ potius sacraria lenæ;

SACRA *Bonæ maribus non adeunda deæ.*] Bona dea apud nos (Varrone teste) fuit Dryas Fauni filia, vt Plutarchus refert, vxor, quam virilem adeo fugitasse aspectum ferunt vt in publico nunquam prospecta sit, quæ res effecit, vt postmodum mares inire illius sacra vetarentur. Iuuenalis.

Nota Bonæ secreta deæ.

Nec mares tantummodo homines, verum etiã masculini sexus animalis figuram inesse nefas erat. vt latè Iuuenalis satyra II. tetigit & Seneca epistola LXXXXVII. dixit: *Credas aliquis pecuniam esse versatam in eo iudicio, quo reus erat Clodius ob id adulterium quod cum Cæsaris vxore in operto commiserat, violatis religionibus eius sacrificij, quod pro populo fieri dicitur, sic summotis extra conspectum omnibus viris, vt picturæ quoque masculorum animalium contegantur.* quare Festus dixit, *Damium sacrificium, quod fiebat in operto in honorem deæ Bonæ, nominatum à contrarietate, quod minimè δαμόσιον esset, idest, publicum. dea quoque ipsa Damia, & sacerdos eius Damiatrix appellabatur.* Cæterum Græci Gynæciam nominant, quam Phryges, teste Plutarcho, matrem Midæ asserunt. nonnulli vero Græcorum illam esse etiam liberis matribus quam non fari liceat, quæ quum præesset parturientibus [illegible] dicta est. E

ABEVNDA.] passiue positum est: vt subeantur prospera castra.

SIT.] detur, liceat.

GEMMAS.] annulos per synecdochen.

SIGNVM.] impressuram.

PROBAREM.] laudarem vt egregiè factum.

PER *causam memini me tetigisse manum.*] per causam, idest, hac cum licentia spectandi annuli. Iccirco Plautus in Asinaria inter amantes legem conscribens hoc interposuit, scilicet, *spectandum ne cui annulum det atque roget.*

PEPERI.] suscitaui meracia tibi vina porrigendo.

NON *ego te læsi prudens.*] excusatio est criminis per translationem culpæ in Cupidinem: Nempe videtur accusandus quod sub familiaritatis prætextu insidias vxori amici sui tetendisset, & est suauis atque amatoria excusatio.

CONTRA *quis ferat arma deos?*] hoc est, quis deo resistat? quasi dicat, impossibile est aduersus numinis voluntatem insurgere. excusatio est quod ad impossibile nemo tenetur. & dum, arma ferat, dicit, à consequenti antecedens accipit: idest, quis repugnet? deinde sic ad arma veniendum.

SIMVLAT *condoluisse caput.*] vt inde fiat occasio conueniendi cum adultero.

DETRECTO *non ego vincla pedum.*] compedes non recusat ferre si se Delia fefellerit custodem. detrectare est negare & depellere. vincla autem pro compedibus quæ & boiæ dicuntur, siue ferreæ, siue sint ligneæ.

QVISQVIS *colit arte capillos.*] idest concinnat puellariter, quod ab homine procul abest & graui & modesto: ideo inquit Ouid.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos.

& est figura prolepsis imperfecta. Hîc lascinos notat ab crinium compositura, vt in sequenti ab habitu togæ demissæ. & dum dicit.

Effluat effuso cui toga laxa sinu:

togæ formam exprimit, laxa quippe erat, & in sinum multis crispulis subtractum subcingebatur, qualia sunt hodie quorumdam religiosorum vestimenta. vnde Horat. Sermonum primo, ostendens amicorum vitia ferenda esse si sint leuia, ait de homine iam maturioris ætatis,

——eo quod
Rusticius tonso toga defluit, & malè laxus
In pede calceus hæret.——

sed libidinosos & molles tangit, qui politiùs incedentes ad pedes omnem vestem demittebant. Ouidius de remedio in II.

Nec compone comas, cum sis venturus ad illas,
Nec toga sit laxo conspicienda sinu.

SACERDOS.] Bellonæ quidem sacerdos ex Curetibus seu Corybantibus afflata diuino spiritu.

Hæc *vbi Bellona motu est agitata.*] Bellona est dea belli, quæ Pallas est, siue Martis soror, vt Claudianus in Stilicone, siue auriga, vt in Thebaide scribit Statius. huius sacerdotes rem diuinam faciebāt proprij sanguinis effusione: quem ritum Lactantius Firm. in diuinarum institutionum lib. enarrat, & in raptu Proserpinæ Claudianus ait. *Corybas non impulit ensem.* in ipsa sanguinis effusione diuinum afflatum capiebant, ita vt præsentia explicarent, futura vaticinarentur: quare Iuuenalis in Crispino dixit.

——Sed vt phanaticus œstro
Percussus, Bellona, tuo diuinat, & ingens
Omen habet.——

Et Horat. sermonum. I.

Hunc circumtonuit gaudens Bellona cruentis.

Nec *acrem Flammam, non & amans verbera torta timet.*] ordo est. nec non timet amans acrem flammam & torta verbera. acrem flammam id est calorem exitialem. Lucanus V.

Magnoque exæstuat igne.

Sciendum sanè sacrificia omnia non eadem animi ratione agitari: sed alia cum afflatione numinis fiunt: quam rem synenthusiasmon appellant Græci. Hic enim synenthusiasmos videtur habere diuinam quandam de rebus inspirationem ad vaticinium. Alia fiunt sine afflatione, sed remissione quadam, quæ mentes hominum amouens ab inferioribus negotiis, trahit intellectum & conuertit ad diuinationem. Quædam cum musica: quædam sine musica: nonnulla mystica, idest, sine aperta significatione: nonnulla manifesta secundum deorum qualitatem.

Et *torta verbera.*] vel in seipsam sponte conuersa vulnera: vel quæ illi dea ingerit. Lucanus.

——nec verbere solo
Vteris: & stimulos flammasque in viscera mergis.

Violenta.] Violata autem est participium pro participio hoc est violans. Ouidius.

Hostibus à domitis Hostia nomen habet,

pro domandis, aut violata furore arreptitia. Lucanus primo.

Vocibus his prodens vrgentem pectora Phœbum.

Bipenne.] genus instrumenti vtrinque ferrum anceps habentis, quas pinnas vocat.

Svos *lacertos.*] Nil sane præter brachia ex toto corpore Corybantes in sacris vulnerabant. Lucanus primo.

——tum quos sectis Bellona lacertis
Sæua mouet: cecinere deos.

Inulta.] non rea piaculi: quippe in alium sacrilegium ruisset, si diuinam effigiem sanguine polluisset: sed is ita sacrificij ritus expostulabat.

Veru.] stilo, gladio: est autem instrumentum ad eliciendum sanguinem sed abusiuè, & est synedoche in structura.

Movet.] subministrat. Parcite quam custodit amor: verba sunt sacerdotulæ insanientis.

Parcite.] abstinete.

Attigerit.] suppletur si: vt si quisquam eam attigerit, quam custodit amor. sic Iuuenalis,

Græculus esuriens, in cœlum iusseris, ibit.

Labentvr.] euanescent: vt malè parta malè dilabuntur.

Cinis.] puluis: quem manibus exceptum aëra versus coniecerat. est cinis tam masculini quàm fœminini generis vt puluis. Propertius:

Sit mihi præcipuè puluis Hetrusca dolor,

Et alibi:

Et duo sunt versus qui nunc iacet horrida puluis.

Dixit *tibi quas.*] significauit te perpessuram quod me à te amoues.

Admittas.] in pristinam amicitiam recipias.

Illa *leuis,*] mitis sit in te execrando.

Anvs *aurea.*] auream vocat anum, quæ sua sedulitate non contra auro emi posset; & est amantium in laudanda vetulæ diligentia prouerbium.

Tenebris.] nocte tenebrosa.

Mvlto *timore.*] ne coniux tuus hoc persentiscat.

Manet *me.*] expectat me. & notandum maneo te, pro expecto sæpe dictum ab antiquis. Plautus in Amphytrione:

Nunc te nox quæ mansisti mitto: vt cedas diei.

Affixa *foribus.*] innixa hostiolo.

Cognoscit *strepitus me veniente pedum:*] obseruationem vetulæ in se ostendit, quæ venientem procul agnoscat ex pedum strepitu: quod non nisi ex maxima oritur assiduitate consuetudinis.

Contribvisse *tecum.*] pro eo quod est meos annos tuis, aut tuos meis adiungi, vt adeo senex non esses, tecum participare, vt vna ambo de vita migraremus. Est autem vehemens beneuolentiæ signum.

Qvamvis *non vitta ligatos Impediat crines, nec stola longa pedes.*] Sacerdotum integritatem tangit, & matronarum pudicitiam: quippe sacerdotes capillos suos vitta purissima obligabant. Iuuenalis in Crispino:

Cum quo nuper vittata iacebat.

Matronæ vero stola vtebantur, id autem erat indumentum ad talos. Vtrumque hoc Ouidius de arte amandi primo complexus est:

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios instita longa pedes.

namque instita (vt Acron primo sermonum testis est) fuit tenuis fasciola, quæ etiam prætexta dicitur, quæ stolæ vnam partem ambit. Horatius,

Quarum subsuta talos tegat instita veste.

Nec *sæuo sis casta metu.*] commendandæ sunt mulieres: quæ virtutis amore peccare nolunt. quæ vero delinquere metuunt pœnæ formidine, sunt omnino relinquendæ: non enim mens earum casta est, sed ludibrij turpitudo impudicitiam coërcet.

Victa *senecta.*] metaphoricos dictum est, quasi victrici senectuti succubuerit, & diutissimè senem factam intelligit.

Inops.] egena.

Manv *tremula.*] propter paralysim, quæ in vetulis nascitur defectu sanguinis. nihil autem

infortunatius mulieri potest accidere, quam si senio confectam cogat necessitas aut filare, aut texere, aut telas liciis connodare.

LICIA.] licia sunt quibus appenduntur telæ: vnde testiuilicium est fila de telis decidentia, vt Fulgentius Planciades scribit. Plautus in Casina: *Non ego hoc verbum expreßi testiuilicio.* idest, re admodum vilissima, prima in licio semper longa est: si à Lycia regione descendat primam corripit, quæ litera Græca ponitur. est & Lictius possessiuum à loco Cretæ: vt Lictius Idomeneus. idest, Cretensis: quod cum eadem littera scribatur: tamen κ. ante, T, recipit: vt in emendatis Græcorum exemplis legi.

CANA *coma.*] senectutem capit dicendo cana coma. naturaliter enim in senectute hominibus capita canescunt: & exemplum dicit amoris secundi: nam raro fit vt amantes ad senium perueniant concordes in amore: iccirco Horat. Carminum primo inquit:

Felices ter & amplius:
Quos irrupta tenet copula: nec malis
Diuulsus querimoniis
Suprema citius soluet amor die.

ACHILLES STATIVS.

SEMPER *vt inducar, blandos offers mihi vultus.*] in veteri libro Sfortiæ, Inducas, non Inducar. Verbo eodem sic vtitur Catullus in Alfenum,

Certe tute iubebas animam tradere inique, me
Inducens in amorem——

Et Horat. in II. Serm.

——*Ne si facies, vt sæpe, decora,*
Molli fulta pede est, emptorem inducat hiantem.

Et Festus in verbo, Adlicit, *Hinc*, inquit, *descendit, Inlicere, & Oblectare, idest frustrâtem inducere.* Et in verbo, Lacit, quod interpretans inquit, *Decipiendo inducit. in fraudem inducit.* Et Velius Longus, de Orthographia, *Pelliciendo*, inquit, *quod est Inducendo, geminat. L. Pellicere malunt, quam Perlicere.* Idem prope significans Lucret. in I. dixit,

—— *Quo quamque inducere pergis.*

Translatum fortasse sit. nam in laqueos se quis inducere Latine dicitur, Cicero in IIII. libro in Verrem, *Hic videte, in quot laqueos se induxerit.* Sic enim vidisse se emendatum pro, Induerit, mihi adfirmauit Honoratus Ioannius Episcopus Oximensis. Idemque in IIII. Commentariorum C. Cæsaris de bello Gallico legebat, *Se ipsi acutissimis vallis inducebant.* Itaque in veteri libro eruditissimi viri, Hieronymi Suritæ, fuisse testabatur. *Vultus*: nutus, signa, gestus. Sic etiam Cicero.

POST *tamen es misero tristis.*] Sic idem alibi,

Si quando fuerit tristior illa tibi.

IAM *mihi tenduntur casses.*] in veteribus libris omnibus, vt olim Aldus ediderat, Nam, non, Iam.

NESCIO *quem tacita callida nocte fouet.*] Tacita nocte. Catullus, *Cum tacet nox.* Idem Tibullus alibi, *Nocte silente.* Verg.

Per amica silentia noctis.

ILLA *quidem tam multa negat.*] Ouidius, hunc Tibulli locum totidem prope verbis repetens, A quæ sit vera multorum lectio verborum docet. Sunt autem illius hæc in II. Tristium,

Credere iuranti durum putat esse Tibullus,
Hoc etiam de se quod neget illa viro.
Fallere custodem demum docuisse fatetur,
Seque sua miserum nunc ait arte premi.
Sæpe, velut gemmam dominæ, signumque probaret,
Per caussam meminit se tetigisse manum.
Vtque refert, digitis sæpe est nutuque locutus,
Et tacitam mensæ duxit in orbe notam.
Et, quibus è succis abeat de corpore liuor,
Impresso fieri qui solet ore, docet.
Denique ab incauto nimium petit ille marito,
Se quoque vti seruet, peccet vt illa minus. B
Scit, cui latretur, cum solus obambulet ipse,
Cui totiens clausas excreet ante fores.
Multaque dat furti talis præcepta, docetque,
Qua nuptæ possint fallere ab arte viros.

SIC *etiã de me pernegat illa viro.*] In Colotiano fuisse autumant, Nam sic & de me. in pernegando autem malitiæ multum inest. Plautus in Menæhmis. *Nihil hoc confidentius, qui, quæ vides, ea pernegat.* Et vehementer negare. Terent. in prologo in Eunuchum,

Latinas scisse sese, id vero pernegat.

FINGERE *tunc dicit caussas.*] omnibus in libris non, Tunc, sed, Nunc.

C CVR *sola cubaret.*] in Colotiano, Vt sola cubaret.

CARDINE *tum tacito.*] est in omnibus veteribus libris hoc quoque loco, Nunc.

ME *quoque seruato.*] Me quoque ipsum obserua.

PECCET *vt illa nihil.*] Peccare verbo sic sæpe etiam Propert. & Ouid. sunt vsi. in veteri libro pro, Nihil, legi adfirmant, Minus. quod Ouidio etiam fit approbante.

IVVENES *celebret multo sermone.*] Verbo Celebrare sic sæpe utitur Cic. id est, crebris sermonibus & longis vsurpare.

D NEVE *cubet laxo pectus aperta sinu.*] in nonnullis veteribus libris, Laxo, legi testantur. Ouidius eadem in sententia Discincto dixit in I. Fast.

Altera discincto pectus aperta sinu.

Et idem de Remed. amoris,

Nec toga sit laxo conspicienda sinu.

DIGITOQVE *liquorem Ne trahat.*] in Sfortiæ libro, Neu trahat.

ET *mensæ ducat in orbe notas.*] Notam ducere: vt & Horat. in IV. dixit,

Qua notam duxit niueus videri, Cetera fuluus.

Sequitur autem apud Ouidium in I. de arte amandi.

E *Blanditiásque leues tenui perscribere vino,*
Vt dominam in mensa se legat illa tuam.

Et in epist. Helenæ ad Paridem.

Et sæpe extimui, ne vir meus illa videret,
Non satis occultis erubuíque notis.

Ac statim post,

Orbe quoque in mensa legi sub nomine nostro,
Quod deducta mero littera fecit, amo.

Orbem vero dicit, quod Mensæ apud veteres fere tripodes, & rotundæ fuerunt quarum hodiéque Romæ multæ in vetustis saxis species.

EXIBIT *quam sæpe.*] Lego, Cum sæpe. Scriptum enim, opinor, fuerat, Quom. tum, inquit, cauendum, cum sæpe exibit, seu cum dicet visere sacra Bonæ deæ, ne virum habeat comitem. Ouid. in III. de arte amandi.

Cum fuget à templis oculos Bona diua virorum,
Præter quos, si quos, illa venire iubet.

SACRA *Bonæ marib. non adeunda deæ.*] Iuuenalis Sat. II.

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ,
Et magno cratere deam, sed more sinistro
Exagitata procul non intrat fœmina limen.
Solis ara deæ marib. patet, ite profanæ,
Clamatur. ——

ILLAM *sequar vnus ad aras.*] Ad aras Bonæ deæ, nulla religione impeditus, aut ad aras vsque illam deducam, ne quo deflectat. Aram, in libro Sfortiæ.

TVM *mihi non oculis sit timuisse meis.*] μὴ γένοιτο, μὴ ἴσω μὴ ἀδίκησα. Idem in IIII.

Nec tibi sit duros acuisse in pectora dentes.

Et Verg. in Epigram.

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus.

PER *caussam memini me tetigisse manum.*] διὰ πρόφασιν. Sic Cæsar in III. de bello Gallico. *Nauesq; triremes duas, quas Brundusii faciendas curauerat per caussam exercendorum remigum, ad fauces portus prodire iussit.*

SOBRIA *supposita pocula victor aqua.*] Sobria dixit, non Ebria. idque noue. Sed hoc ab effectu. Meram aquam, vel eiusmodi pocula, in quibus aquæ plurimum, vini minimum inesset. Philoponus, verba interpretans Aristotelis in II. Ὑστέρων ἀναλυτικῶν, illa, Ἀεὶ γὰρ δεῖ ὃ ὑπάρχει ἕκαστον, ἐκεῖνο μᾶλλον ὑπάρχει, cur, cum vinum inebriet, non dici tamen Ebrium ipsum possit, ostendit. Dionysius Longinus περὶ ὕψους λόγου, aquam Sobrium deum dici scribit. verba namque Platonis ponit, Οὐ γὰρ ῥᾴδιον ἐννοεῖν, ὅτι πόλιν εἶναι δεῖ δίκην κρατῆρος κεκραμένην, οὗ μαινόμενος μὲν οἶνος ἐγκεχυμένος ζεῖ, κολαζόμενος δ' ὑπὸ νήφοντος ἑτέρου θεοῦ καλὴν κοινωνίαν λαβὼν, ἀγαθὸν πόμα, καὶ μέτριον ἀπεργάζεται. Addit deinde Dionysius, νήφοντα γὰρ φασὶ θεὸν τὸ ὕδωρ λέγει.

IVSSIT *amor.*] Similiter Theocritus,

Ὃς γ' πόθος μ' ἐκέλευε πόσιν ἄλλα ματρὸς ἰοῖσα.

CONTRA *quis ferat arma deos.*] Ausonius, *Non tutum renuisse deo.* idque cum facimus, θεομαχοῦμεν.

NEC *me iam.*] In Florentino, Nec iam me.

INSTABAT *tota cui tua nocte canis.*] Nihil amanti molestius. Idem alibi, *Et canis ipsa tacet.* Et Propert. in IIII.

Et canis in nostros nimis experrecta dolores.

TENERA.] Pulchra. Idem alibi. *Parce precor tenero.*

TVA *si bona nescis Seruare.*] Idem apud Vergil. numerus. —— *bona si sua norint.*

A *frustra clauis inest forib.*] Sine aspirationis etiam nota in veteribus libris erat scripta. A. huius loci interiectio. itaque etiam est in illo Vergilij laudatissimo exemplo.

TE *tenet, absentes alios suspirat amores.*] Næuius etiam ab amica teneri alium significans, verbis vtitur, & sententia, huic loco non alienis. Cuius hæc sunt apud Festum, in verbo, Adnictat. *Alij*

A *adnutat, alij adnictat, alium amat, alium tenet.* Et poëta alius, *Quasi in choro pila ludens, datatim dat sese, & communem facit. alium tenet, alij nutat, alibi manus est occupata, alij peruellit pedem, alij dat annulum spectandum à labris, alium inuocat, cum alio cantat, attamen alijs dat digito litteras.*

DETRECTO *non ego vincla pedum.*] Catenas, quibus inligati serui ianitores, ad fores excubabant.

EFFLVIT *effuso cui toga lapsa sinu.*] In veteri libro fuisse dicunt, Et fluit. Fluere vestem dixit, vt Catullus Fluitantem amictum: & Tacitus Fluitantem vestem. & Verg.

B —— *nodoque sinus collecta fluentes.*

At pro, Lapsa, in plerisque, Laxa. Sic idem in II. eleg. III.

Heu miserum! laxam quid iuuat esse togam.

Et Ouid. de remedio amoris.

Nec compone comas, cum sis venturus ad illam,
Nec toga sit laxo conspicienda sinu.

Effusum sinum dixit, vt ante de velo.

Effusum ventis præbueratque sinum.

Hoc vero ad comptum, atque elegantiam pertinere, etiam versus Ouidi demonstrant. Et Properti in IV.

Et series nudos veste fluente pedes.

C NE *possit crimen habere.*] In nonnullis libris melius, Ne crimen possit habere.

STET *procul, aut alia stet procul ante via.*] In veteri libro pro, Aut alia, esse adfirmant, Atque alia. quod omnino rectius. egoque eam iam ante coniecturam feceram. idemque legendum suspicabar pro, Ante, Inde. Legi etiam fortasse possit,

Stet procul ante alia, stet procul ante via.

Nec inuenusta repetitione. Mihi vero in mentem veniebat, etiam legere,

—— *aut alia stet procul anteuia.*

D Vnum verbum vt sit, Anteuia. vt Antemalorum, apud Verg. & Anteuolans. & apud Catullum, Postphasellus. aut inquit eadem via cum venerit obuiam, stet procul, ac resistat. aut alia anteuia resistat, antequam viam eandem ineat.

HÆC, *vbi Bellonæ motu est agitata.*] Motu, furore. Horat. in II. Serm.

- cerritus fuit, an commotæ crimine mentis
Absoluet hominem.--

Et Gellius lib. XV. cap. XIIX. Mota mente, & Motu mentis, dixit.

BELLONÆ *motu.*] Furore, insania. Sic ab Horat. Commota mens dicitur: & à Varrone

E in VI. de lingua Lat. *In Græcia commota mente, quos* νυμφολήπτους *appellant,* &c.

VERBERA *torta.*] Vergilius, *Et torto verbere turbo.* Atque alibi, *Illi instant verbere torto.* Sed, quod statim dixit, *-nec acrem Flammam*, videtur sequi debuisse, Nec amens. Sed veteres, Nec, pro, Non, sæpe posuerunt. Acrem flammam dicit, vt Acres oculos igni succensos, atque terribiles dixit Verg. in XII.

——*oculis micat acribus ignis.*

VIOLENTA.] In libro Sfortiæ est, Violata.

NE *pigeat magno post didicisse malo.*] Legendum forte sit, Tetigisse, pro Didicisse. Sequitur enim,

Attigerit. Magno malo: vt & Catullus,

Frustra, immo magno cum pretio, atque malo.

ATTIGERIT.] In veteri libro testantur esse, Attigeris.

LABENTVR *opes.*] Quale illud,

Male parta, male dilabuntur.

SANGVIS, *ut hic ventis, diripiturque cinis.*] Vt qui sibi vindicant, glebam tenent: qui Iouem, lapidem iurant, lapidem iaciunt: sic hæc sanguinem fundit: cinerem spargit. Si tamen admittas eam culpam.

SED *tua mater Me monet.*] In multis libris omnino melius, Me mouet.

ATQVE *iras aures vincit anus.*] Aureum vocant, quod laudant poëtæ. Sic Horat. Mores, aureos. Et Callimachus in hymno in Delon,

Τέφρα μὲν ὑπὸ σοὶ χθονίη ἐπιμίσγεται λιπεῖ.

HÆC *mihi te adducis tenebris.*] In veteri libro esse adseuerant, Hæc me deducit tenebris. Sed, Tenebris, eodem modo, in II. eleg. I.

Ad iuuenem tenebris sola puella venit.

Vt & σιγῇ, & silentio. Sic Cic. in II. Philippica, *Nam, quod quærebas, quo modo redissem, primum luce, non tenebris.*

QVICQVID *agit.*] Omnino melius in libro Sfortiæ, Quidquid agat.

SANGVIS *est tamen illa tuus.*] Chorus apud Euripidem in Bacchis: Τίς ἄρα τί ἐστιν, οὐ γὰρ ἐξ αἵματος γυναικῶν ἔφυ. Et Aristoteles: Γονεῖς μὲν οὖν τέκνα φιλοῦσιν ὡς ἑαυτούς, τὰ γὰρ ἐξ αὐτῶν οἷον ἕτεροι αὐτοί, τῷ κεχωρίσθαι. τέκνα δὲ γονεῖς. ὡς ἀπ' ἐκείνων πεφυκότα, ἀδελφοὶ δ' ἀλλήλους, τῷ ἐκ τῶν αὐτῶν πεφυκέναι· ἡ γὰρ πρὸς ἐκεῖνα ταυτότης ἀλλήλοις ταὐτὸ ποιεῖ, διὸ φασὶ ταὐτὸν αἷμα, καὶ ῥίζαν, καὶ τὰ τοιαῦτα.

QVAMVIS *non vitta ligatos Impediat crines.*] Cingat, vt Horat. Caput impedire myrto. Vitta vero, pudicarum, & religiosarum. Ouid. in I. de remedio amoris,

Thais in arte mea est, lasciuia libera nostra est,
Nil mihi cum vitta est, Thais in arte mea est.

Et in I. de arte amandi,

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios instita longa pedes.

ET *mihi sint duræ leges.*] In omnibus fere libris, Sunt duræ leges.

POSSVM, *quin oculos adpetat illa meos.*] Etiam in plerisque, Possum ego. Adpetere autem, sic hoc positum loco videtur, vt & apud Catullum,

Cui primum digitum dare adpetenti.

ET, *si quid peccasse putor, ducorque capillis Immerito, proprias proripiorque vias.*] Puter, ducar, proripiar, in plerisque. At pro, Proprias, legi veterib. in libris adfirmant, Pronas.

NON *ego te pulsare velim.*] Vt tu me indignissime tractaris, non ego te referiam.

SED, *venerit iste Si furor.*] In Vaticano, & Marcelli Pont. Max. libris non, Iste, sed Ipse.

NAM *quæ fida fuit.*] In multis omnino veteribus libris, At quæ.

VICTA *senecta.*] Sic Verg. in VII.

En ego victa situ.-

TRACTAQVE *de niueo vellere dente putas.*] In Colotij libro fuisse confirmant, Textaque de niueo vellere dente parat. In Sfortiæ libro sic, vt in optimo quoque Tractaque de niueo vellere

A ducta putat. Varro Tracta dixit lanea: *Etiam suis*, inquit, *manibus lanea tracta ministrasset infectori.* Dente putare, id est secare, truncare. vt vites putantur. Si legimus; Dente parat, qui pertinet ad textrinam, dentem intellegamus. Alij legunt,

Tractaque de niueo vellere fila parat.

HANC *animo gaudente.*] Verg. in VI.

——& mala mentis Gaudia.

ET, *insidiis quod sit acerba, monet.*] In veteribus libris legerunt etiam alij, Quam sit acerba.

HÆC *aliis maledicta cadant.*] Accidant. Sic sæpe Cicero.

B

M. ANT. MVRETVS.

QVID *tibi sæuitiæ.*] Alij, *Quid tibi sæue puer.*

AN *gloria magna est.*] Simile illud Virgilij,

Egregiam vero laudem.

Et quidam in epigrammatis Græcis,

Τί πλέον εἰ θεὶς ἄνδρα κατηφονίζα, ἢ τί τὸ σημεῖον
Δυνάσαι ἀπ' ἐμοῦ ἄθλον ἐγκεφαλῆς;

IMMERITO *proprias.*] In alijs, *In proprias merito*: in aliis, *immerito pronas*, ego locum corruptum esse existimo.

AT *quæ fida fuit nulli.*] Ita est, summo consensu,

C in veteribus libris, non vt in peruulgatis, *Nam quæ fida fuit.* constat autem, amissos aliquot versus, quibus exponeretur, castæ mulieres, & vno viro contentæ, quas commoditates in senectute ex constantia illa sua & fidelitate perciperent.

IANVS DOVSA FIL.

SEMPER *vt inducar blandos offers mihi vultus,*
Post tamen es misero tristis & asper amor.] Quod Tibullus hîc de amore, idem de fortuna dicit Theodorus Metochita in Disputationibus suis: cuius verba quod longiuscula sint, non ad-

D scribo.

TE *tenet, absentes alios suspirat amores.*] Sic infra lib. V. *Quod si fortè alios iam nunc suspirat amores.* legi quoque posset *absentis*, vt Martialis:

Se tenet absentis nostros cantátque libellos.

Si alteram retinemus, erit dictum, vt a Columella, libro De cultu hortorum:

Maximus ipse deûm posito iam fulmine fallax
Acrisionæos veteres imitatur amores.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

E SEMPER *vt inducar.*] Magis sententiæ conuenit scripta lectio, *inducas.*

ILLA *quidem tam multa negat.*] Lego, *iam multa.* Est locutio Archaica, *multa negat.* Ennius,

Quanquam ego multa manus supplex ad cærula cæli
Tendebam lacrymans. —

HEV *heu nunc premor arte mea.*] Ouidius:

Multa miser timeo, quia feci multa proterue,
Exemplique metu torqueor ipse mei.

ILLAM *sequar vnus ad aras.*] Ratio postulat, vt legatur *ad aram.* Vnica enim tantum erat, & statuebatur in domo Consulis eius, cuius eo mense fasces erant. Propertius:

Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quæ se summota vindicat ara casa.

INSTABAT *tota cui tua nocte canis.*] Post hunc versum pentametrum sequi debent tria disticha, quæ superiorem elegiam claudebant: NON FRVSTRA QVIDAM IAM NVNC IN LIMINE PERSTAT, auctore Ouidio, qui ita secundo Tristium post multos huius elegiæ ad verbum recitatos versus tandem ita ordine claudit:

Scit cui latretur, quum solus obambulat ipse.
Cur toties clausas excreet ante fores.

Cur legendum, vt posui, non *Cui*, vt est in vulgatis, docet nos Ouidius, quo sensu hæc accipienda sint. μιμητικῶς enim de se ipse Tibullus ait, tanquam moneat virum. quod artificiosissime factum à poëta, vt nescio an locus illustrior in toto Tibullo sit. Quasi diceret: sæpe ego obambulans ante fores excreo, vt illa me audiat. absq; Ouidio horum versuum sedem propriam ignoraremus, quamquam eos ex fine superioris elegiæ expunxeramus. Nam quem locum ibi habere poterant? præterea & verum huius loci sensum sine eiusdem ope diuinare difficile erat. Vides, candide lector, non iam nouum esse, coniectura nostra tot versus in hoc poëta suo ordini restitutos, quum videas huius rei nos fideiussorem locupletem Ouidium habere. Et tamen quidam factum improbant. quod vt nouum non est, neque à me primum incipit obtrectatio maleuolorum, ita ego non facio nauci.

ET *simulat transire Domum.*] Hæc & alia innuit se fecisse sæpe, quanuis tertia persona loquatur.

VTERE *quæso dum licet*] Hoc accendit stimulos ζηλοτυπίας ipsius viri.

IN *liquida nat tibi.*] In nostro, *iam tibi.* Ouidius eodem modo:

Nauiget hinc alia iam mihi linter aqua.

Prouerbio huic illud cognatum apud Senecam: *Ferrum tuum in igne est.*

SERVARE *ab.*] *Ab* deest in nostro.

EFFLVIT *effuso cui toga lapsa.*] Lege *laxa.* Horatius:

Malthinus tunicis demissis ambulat.

Ab eo Descapulatos iuuenes appellauit Seneca.

SPARGIT *inulta deam.*] *Inulta* passiue, ἀτιμωρήτως.

NE *pigeat magno post didicisse malo.*] Venuste detorsit in suum sensum prouerbium.

——ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

SI *tamen admittas.*] Si tibi videtur, si hoc tibi cordi est, opto vt illa Bellonaria anus nullo pondere verba effuderit. Ita hic versiculus exponendus.

VIVE *diu mihi dulcis anus*] Lege, *mi dulcis anus.* ἀρχαϊκῶς mutauit genus. Apuleius Milesia IIII. *Parce mi parens.* Alloquitur autem anum. Item VIII. Maritus Tlepolemus coniugem Chariten ita alloquitur: *Mi coniunx.* Imp. Aurelius Alexander Mammeæ matri: *Mi mater.* Nisi quis Mi pro Mihi dictum putet, vt sit Hellenismus. Eurip. Troadib. ὦ τέκος, ὦ τέκνα μοι. In Iphigenia in Tauris. ὦ μοι φίλτατε. In Iphigenia in Aulide: οὐδ' ὁ τίκτων μοι, καὶ τῶν πατρὸς ἔχεις. Et in Hercule furente: σύ τ' ὦ γυναῖ μοι, σύννομον ψυχῆς λαβέ. Sed, vt dixi, archaismus est. mi pro mea. Quare non est audiendus vetus Grammaticus Charisius, qui ait in omnibus Comœdijs nunquam mi pro feminino vsurpari. Atqui Apuleius magnus antiquarius non vsurpasset, nisi apud antiquos legisset. Denique optimus auctor Latinitatis Tibullus eum in ordinem cogit.

QVANVIS *non vitta ligatos.*] Quanuis sit libertinæ conditionis. Nam si non habet vittas, non sequitur statim meretricem fuisse.

ET *siquid peccasse.*] Lego:

Et si quid peccasse putor, ducterque capillis
Immerito, properas proripiarque vias.

Continuandum autem vno colo cum superioribus. Quanuis libertinæ conditionis sit, quanuis duris legibus me adstringat, quanuis denique ob exiguam culpæ suspitionem male mulcet.

PROPRIAS.] Ita scripta membrana. sed legendum *properas.*

NEC *sano.*] Scriptus liber, *Ne sano.* recte. Ita ergo continuandum:

--optarim non habuisse manus,
Ne sano sis casta metu.

Nolim, inquit, te manu verberare, ne coacta & inuita contineariis in officio.

AT *quæ fida fuit nulli.*] Nihil profecto hic deest, quum tamen docti aliquid deesse suspicentur.

ANNECTIT *licia telis.*] Tela hic numero plurali, sunt instrumenta textoria. Alibi:

Atque aliqua assidue textrix operata Mineruam
Cantat, & applofo tela sonant latere.

Seneca Epistola vna & nonagesima: *Quemadmodum tela suspensis ponderibus rectum stamen extendant.* Male enim excusum est, *extendat.* Ait illam operas diurnas texendæ telæ locare.

TRACTAQVE *de niueo.*] Aliter designata lectio in nostro:

Tractaque de niueo vellere ducta putat.

Tracta neutro genere, & tractæ feminino, Græce sunt κατάγματα ἐρίων. Glossæ *Tracta,* κατάγματα, μηρύματα. Varro: Mutuum muli scabunt, πρὶ φυλλων. *Vt venalem tuniculam poneret quotidie, vt vieret torum, denique etiam suis manibus lanea tracta ministrasset infectori.* Ab ea similitudine in panificio tractæ dicuntur, vt apud Catonem, & Athenæum. Quas Latini Tractas lanæ vocant, eas Lascias dixit Gregorius Turonensis lib. IIII. cap. XXVI. Quod nomen resedit hactenus in lingua Gallica, sed in aliis rebus, non in lana. Putare est prisca lingua purgare, vt nemini paulo humaniori ignotum est. Putare lanam Græci dicunt κρυκοδίζειν. Philætius poëta: κρυκοδίζουσα αὐτὴν καπλάσσειν. Grammatici exponunt, ὀλίγουσα τὸ τραχὺ τῶν ἐρίων. Latini Carrere. Plautus Menæchmis:

Inter ancillas sedere iubeas, lanam carrere.

Ab eo carduus, quia aptus carrendæ lanæ, & carmen, instrumentum ferreum ad carrendum lanam. Lucretius libro quarto:

Semper enim noua se radiorum lumina fundunt,
Primaque dispereunt, quasi marcine lana trahatur.

Ita habent meliores codices. Lege *carmine*, inuersis literis. A quo verbum Carminare. Aliud carmen à canendo. aliud carmen à carrendo. Carmen instrumentum hoc lanificum intelligit Iuuenalis:

Qui docet obliquo lanam deducere ferro.

Putare igitur lanam, est κρυκοδίζειν. Titinnius Fullon.

Date pensam lanam, qui non reddet temperi
Putatam recte, facite vt mulcetur malo.

Glossæ: *Putatrix*, ξαίνειρα.

T o t *mala ferre senem.*] Senex mulier. Pomponius in epigrammatio:

Nam vere pusus tu, tua amica senex.

Et Cicero dixit *famam senem.*

ELEGIA VII.

H v n c cecinere diem Parcæ fatalia nentes
Stamina, non vlli dissoluenda Deo:
Hunc fore Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret, forti milite victus Atur.
Euenere. nouos pubes Romana triumphos
Vidit, & euinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros, Messalla, gerentem
Portabat nitidis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanúsq; celer, magnusque Garumna,
Carnuti & flaui cærula lympha Liger.
At te, Cydne, canam, tacitis qui leniter vndis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis.
Quantus, & æthereo contingens vertice nubes
Frigidus intonsos Taurus alat Cilicas.
Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta colūba Syro?
Vtque maris vastum prospectet turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis & arentes cùm findit Seirius agros,
A *Fertilis æstiua Nilus abundet aqua.*
Nile pater, quanam possum te dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.
B *Te canit, atque suum pubes miratur Osirin*
Barbara, Memphitem plangere docta bouem.
Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terrę,
Pomaq; non notis legit ab arboribus.
Hic docuit tenerā palis adiungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam.
C *Illi iucundos primùm matura sapores*
Expressa incultis vua dedit pedibus,
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
D *B a c c h v s & afflictis requiem mortalibus affers,*
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, non luctus Osiri,
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor.
Sed varij flores, & frons redimita corymbis,
E *Fusa sed ad teneros lutea palla pedes:*
Et Tyriæ vestes, & dulcis tibia cantu,
Et leuis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, & centum ludos, Geniumque choreis
Concelebra, & multo tempore funde mero.
Illius è nitido stillent vnguenta capillo,
Et capite, & collo mollia serta gerat.

Sic venias hodierne: tibi dum thuris honores,
Liba & Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles quæ facta parentis
Augeat, & circa stet veneranda senem.
Nec taceant monumenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidaque antiquo detinet Alba Lare.
Namque opibus congesta tuis hîc glarea dura
Sternitur, hîc apta iungitur arte silex.
Te canit agricola è magna cum venerit vrbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper, candidiorq; veni.

BERN. CYLL. VERON.

HVNC *cecinere diem Parcæ, fatalia nentes Stamina.*] Natalem Messallæ celebrat, ea commemorans quæ ille augustissimè transegerit: sed more suo dum hoc agit, euagatur.

STAMINA *fatalia.*] Vitæ dispositionem accipimus per stamina secundum antiquorum opinionem. Parcæ autem dictæ sunt à contrario sensu, vt Diogenianus ait, quod nemini parcant. Sortes etiam vocatæ, quòd ita vnicuique sortitum sit, vt ipsæ voluerunt.

NON *vlli dissoluenda Deo.*] Si deis hoc negatur, minus hoc mortalibus concessum est.

DISSOLVENDA.] Per diæresim ponitur, vt illud Catulli:

Condita quin vere pectoris euoluem.

Quin Virgilius magis insuitatè in Priapeis dixit: *Pallorem maciemque lariualem.*

GENTES *Aquitanas.*] Aquitania regio est Hispaniæ seu Galliæ Transalpinæ, vt Strab. ait, quæ in Artanos, Belgas, Celtasque diuiditur tripartito, seu quadripartito secundum Cæsarem in commenta. Narbonenses adiungentem. Aquitani vero sunt hi qui ad Septentrionem Pyrenæi partem & Cemeniam habitant vsque ad Oceanum, & intra Garumnum fluuium. Hos populos Messalla bello superauit. Ideo legitur in II. lib.

Gentis Aquitanæ celeber Messala triumphis,
Et magna intonsis gloria victor ades.

FORTI *milite.*] Pro militibus robustis & strenuis, vt Luca.

Implentur valido tyrone cohortes.

Et Romanum intelligit exercitum.

ATAX.] Atax fluuius est qui ortum habet ex Pyreneo monte, & infunditur in mare Tyrrhenum, vt Pomponius Mella lib. II. scribit, vt Strabo Gnosius, ex Cemmeo monte. Nomina vero fluuiorum pro gentibus accolis poëtico de more ponuntur. Luca.

Sub iuga iam Seres, iam barbarus isset Araxes.

TREMERET.] Expauesceret. & tremo te, pro vehementer timeo te dicitur. Virgilius libro octauo, *Te Stygii tremuere lacus.*

PVBES *Romana.*] Vtriusque sexus iuuentutem intelligimus: nam iuuenes, mixtæque puellæ spectatum ibant.

ET *euinctos brachia capta duces.*] Synecdochicῶs. Sic Ouidius de arte amandi primo,

Ibant ante duces onerati colla cathenis.

VICTRICES *lauros.*] Idest, ex lauro corona triumphalis: namque (vt ait Plinius in naturalis historiæ XX.) laurus triumphis dicata est.

PORTABIT *niuidis currus eburnus equis.*] Apparatum triumphantium tangit. nam currum ex ebore inauratum quatuor equi candidissimi trahebant. Ouid. in præallegato libro,

Quatuor in niueis aureus ibis equis.

NON *fine me.*] Quippe qui Messallæ fuerat comes, vt antedictum est. Commilitones enim currum ductoris triumphalem sequebantur. Lucanus quinto, per prohibitionem:

Lauriferos nullo comitetur vulnere currus.

TVA *bella Pyrene Testis.*] Pyrene mons est Hispaniæ, cuius primam Lucanus produxit:

Nubifera colles atque aeriam Pyrenem.

Quanquam aliter in deriuatiuo fecerit.

Iamque Pyrene aquas nunquam soluere Titan.

Sed & deriuatiuum in primitiui rationem seruauit Claudian. in Stilicone:

Pyrenæa tegit lapidosis frondibus ilex.

Est autem appositio, Pyrene tua bella, & cætera.

OCEANI *littora Sanctonici.*] Idest, mare Sanctonicum. Sanctones sunt populi non longe à Tolossatium finibus: quæ ciuitas est in Prouincia, vt Cæsar primo commentariorum scribit. Eorum vrbs est Mediolanum ad Oceanum vergens, vt in geographia Strabo commemiuit. De his Lucanus primo,

——*gaudetque amoto Sanctonus hoste.*

Omnes enim hi ad Oceanum spectant. sed cum dicat: Littora testis. est vsurpatum, vt Seruius in Daphnide annotauit,

——*vos coryli testes & flumina nymphis.*

nusquam enim teste aut testia lectum est in neutro genere. per diffinitionem ergo dicimus: Testes mihi sunt tuæ res, Pyrene & littora Oceani Sanctonici. Sic Propertius elegiarum II.

Sidera sunt testes & matutina pruina.

Et Horatius carminum IIII.

Testis Metaurum flumen, & Hasdrubal deuictus.

ARAR.] Flumen est: quod (teste Cæsare in eodem commentario) per fines Heduorum & Sequanorum in Rhodanum fluit: eumque suo flumine præcipitem reddit, vt in Stilicone scribit Claudianus.

RHODANVSQVE *celer.*] Rhodanus est Nar- A bonensis prouinciæ antea Celticę dictæ: flumen adeo magni cursus, vt vix aduersa possit nauigari aqua: quem (Strabone in geographiæ IIII. referente.) quidam septem ostiis constare dixerunt: sed Artemidorus tribus dixit: Timæus vero quinque: quem Timæum Polybius arguit, duo tantum Rhodano tribuens ostia. de hoc Silius lib. III.

Aggeribus caput Alpinis & rupe niuali
Proserit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos.

MAGNVSQVE *Garumna.*] Garumna fluuius est eiusdem regionis, cuius magnitudio ex geo- B graphis nosci potest: tribus enim amplificatur amnibus: & per Bituriges, quos Ioscos nominant, & Sanctones, Gallicam vtramque gentem influit: quem in Oceanum labi ostendit Claudianus in Stilicone:

Quosque rigat retro pernicior vnda Garumnæ
Oceani pleno quoties impellitur æstu.

Carnuti autem sunt in Aquitania populi: per quos & Aluernos, vt Strabo scribit, Liger delatus in Oceanum influit. vterque autem maximi est cursus: namque Liger & Garumna paribus à Pyrene distantes interuallis, quasi deductis & pariter distantibus inuicem lineis duo confi- C ciunt loca aliis finita lateribus, Oceano, scilicet, montibusque Cemmenis Duobus autem stadiorum millibus vtriusque fluminis est nauigatio.

CÆRVLA *lympha Liger.*] Ligerim viridis coloris esse dicit, cùm lympham eius cærulam dicat. hinc inter Pictones & Nannetas excurrit.

AT *te Cydne canam.*] Cydnus fluuius est Ciliciæ, qui (Iustino & Curtio testibus) Tharsum vrbem præterfluit: dicente Prisciano in interpretatione Dionisij,

Flexilis & Cydnus dirimit qui flumine Tharson.

Huius origo (vt Solinus dicit in memorabilib.) D ignoratur: Sed Strabo lib. XIIII. à Tauro ortum habere scripsit non procul à Tharso. Verum (vt Solinus ait) ab vndarum colore denominatus est: namque quicquid candidum est gentili lingua Syri Cydnum vocant. atqui Solinus ab albedine Cydnum vocari dixit, & Valerius Maximus. c. de constantia ait: *Qui aquæ liquore conspicuus Tharson interfluit.* Sed epitheta ponuntur fluminibus apud poëtas ad placitum, & plerumque generalia.

TACITIS *vndis.*] Aut ad dubitationem Cydni refert, aut ad fluminis naturam: nam in quarto sibi contradicere videtur inquiens: E

Aut rapidus Cyri dementia Cydnus.

Vbi Gyndes legendum est. Quin Strabo scribit alueum eius per profundam vallem illatum recta in vrbem ingredi, cuius aqua est rapidissima & frigida: quapropter hominibus & bestiis auxiliatur, quæ neruos crassiores habent: ideò placidis aquis, vt arbitror, positum est.

FRIGIDVS *Taurus.*] Taurus mons est in Asia longissimus, de quo Plinius in IIII. naturalis historiæ multa commemorat, & Priscianus in interpretamento Dionysij: & longitudinem eius & nominis rationem ita ponit:

Ast Asiam qui non excelsus diuidit omnem,
Incipit à medijs terræ Pamphillidis oris
Et longis sese spacijs producit ad Indos;
Nunc obliqua means, nunc recto limite currens
Vertice, quem tortuo perhibent cognomine Taurum
Cornua nam summis scopulis imitatur acutis,
Multifidosque suos huc colles spargit & illuc.

Frigidus, altitudine sua & arborum densitate.

INTONSOS.] Hispidos & squallidos, qui latrocinium exercebant: & mancipiorum venundandorum mercatores ac venditores erant.

TAVRVS *arat.*] Hipallage est: de hoc ita scribit Strabo in Geographiæ duodecimo: *Mira est profecto locorum natura, cùm in summis Tauri partibus locus sit adeo ferax, vt multa hominum millia possit enutrire, pleraque loca ibi oleis & vitibus consita sunt, & omnium pecorum pascuis abundat. Circum imminent siluæ variæ materiæ plenæ.* Deinde libro eiusdem operis XIIII. ostendit duplicem Syriam esse, scilicet, Ciliciam & Tracheam, quæ montana est & perangusta & campestris. Sed montanæ Taurus imminet male habitatus vsque ad latera Borealia, quæ circa Isauriam sunt.

QVID *referam vt volitet crebras intacta per vrbes Alba Palæstino sancta columba Syro.*] Sciendum lege olim fuisse apud Syros vsum columbarum prohibitum: ideo illis in locis eorum copia tanta fuit, vt accedentium mercatorum ora peruolarent, mansuetius etiam quam ferarum natura pati videretur. Quod Eusebius lib. de præparatione Euangelica IX. scribit: vbi Philo Iudæus Hebræam disciplinam protegens introducitur. Intacta ergo, idest illæsa lege prohibente.

VOLITET.] Huc illuc vagetur sine insidiarum periculo, quanquam & illud procedere videatur, vt volitet per crebras vrbes, dictum sit, quod Damasceni Syrique omnes ab amicis litteras accipere & dare soliti sunt, quas columbis velut nunciis & cursoribus sub alis obligabant: quem morem nostros etiam secutos visus est Iuuenalis in Crispino ostendisse dicens:

—tanquam venisset epistola penna Præcipiti.

Columba vero dicitur non quod colat lumbos (vt Acron acutè hallucinatur) sed quod culmina villæ summa petat propter naturalem pauorem, vt Varroni placuit libro rerum rusticarum IIII.

PALÆSTINO *Syro.*] Palæstina regio est in Syria contermina Arabiæ, dicta à Palæsti vrbe metropoli, vt in quinto Plinius scribit. Nam & Herodotus III. Syriam alteram vocat Palestinam. Est & altera Palęstina propè Phæaciam, de qua Luca. in quinto:

Laxa Palæstinas nudis confinxit arenas.

Et Ouid. Fastorum IIII.

Sæpe Palæstinas iurat adesse deas. Idest, furias quæ de Palæstino hiatu ad superos progrediũtur.

SYRO.] Syriam colenti. Syria duplex est, teste Plinio, vna dicta Palæstina, altera Antiochia: Nam Syros à voce *σύρις*, idest, scopa vocitatur. & Syri deffossiones sunt terræ puteorum in modũ, vbi transmarinæ quædam prouinciæ loco horreorum frumenta defossa seruant, vt in primo Columella scribit, & M. Varro in libris rerum rusticarum.

PRIMA *ratem ventis credere docta Tyros.*] Tyros vrbs

vibs est Syriæ, vt in primo Pomponius Mella A
sensit, quæ continenti quatuor stadiorum longitudine diuisa est, vt Quin. Curtius attestatur. Hanc poëta vult primum fabricasse nauigium, & Priscianus in interpretamento Dionysij confirmat dicens:

Quod pelagus primi tentantes nauibus altis
Disiunctas gentes docuerunt iungere merces.

Sed poëta Argonautas primos testatur fuisse, auctore Typhi, quos tamen Clemens Sidonius scribit triremem inuenisse. Carchidonios autem quatriremem, cuius architectus Vosporus fuit.

SYRIVS *findit agros.*] Sole ad Cancrum accedente Nilus exit, & totam Ægyptum inundat, B
quo tempore regnat Syrius canis. Luc. x.

Hunc vbi pars cæli tenuit qua mixta leonis
Sidera sunt Cancro, rapidus qua Syrius ingens
Exerit, & varij mutator Syrius anni
Aegoceron, Cancrumque tenet, cui subdita Nili
Ora latent. ——

ABVNDET *aqua æstiua.*] Rationes cur hoc fiat variæ sunt: quas legendas relinquimus, cùm apud Luc. li. prædicto, tum Solinum in collectaneis, & Anneum Senecam in quæstionibus naturalibus, & in Geographia sua Strabonem.

QVIBVS *in terris.*] Quoniam eius ortus ab omnibus ignoratur, vt in primo commentario C
Pharsaliæ dicemus.

TE *propter nul. tel. tua po. im.*] Luca. de fœcunditate Ægyptum commendans inquit,

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis
Aut Iouis: in solo tanta est fiducia Nilo.

PLVVIO *Ioui.*] Vel cœlo pluuioso, vel Ioui, quem forsitan vocantes pluuium adorant, vt de Indis lectum est. Strabonis Geographia lib. xv.

TE *canit.*] Laudat: vt Regemque canebant.

ATQVE *suum pubes miratur Osirim.*] Osiris rex Ægypti coniux Isidis à Thyphone seu Stiphone fratre clandestina morte oppressus dedit vxori perpetui luctus materiam: Sed tandem inuentus D
iuxta Philas Syenes laceratus honorem sepulturæ, incertæ tamen (vt Strabo scribit) promeruit. cum vero bos cœpisset apparere, rati homines Osirim, pro Deo coluerunt, & commutato nomine Apim vocitarunt: hoc est, gentili lingua bouem. de hoc Plin. lib. viij. & in Memorabilibus Solinus late pertractarunt.

DOCTA *plaudere bouem Memphitem.*] Quippe inuentum Apim statuto die demergunt, mox ad exemplum Isidis alter quæritur: quem repertum centum antistites cum puerorum gregibus populoq; frequenti Memphim vsque prosequuntur patrios cantantes hymnulos, & plausum fa- E
cientes: ideo plaudere positum est. Memphitem accusatiuus est denominatiui quasi patronymici à Memphis, vt hic & hæc Memphites & hoc Memphite, huius Memphitis. At Iuue. aliam fecit declinationem, Satyrarum v.

—anne aliam terra Memphitide sicca
Inuidiam facerent nolenti surgere Nilo.

PRIMVS *aratra manu.*] Hoc etiam Diodorus ait. Sed (vt Seruius primo Georgicorum testatur) primus quidem Osiris aratri fuit inuentor, sed apud Ægyptios tantum: nam id diuersi diuersis in locis demonstrarunt.

FERRO *soll. hu.*] Idest, arauit. namque qui sursum vertit terram exercet, & subigendo sollicitat. Sollicitare enim est solo citare, idest, mouere.

COMMISIT *semina ter*] Sed hoc apud Ægyptios tantummodo: Nam in Græcia & Asia Triptolemus fuit.

PALIS *adiun.*] Generaliter dixit pro cultura vitiũ. Nam Varro, libro rerum rusticarum primo, docet quod species vitis plurimæ sunt: sunt enim quædam sublimes, vt iugatæ quæ pedaméntis & iugis coluntur: & iugorum quatuor sunt genera, pertica, harundo, restes, vites. sunt præterea quædam humiles ac sine ridicis, id enim est palus quo vitis erigitur, itaque pro omni cultu vineæ hoc dictum constat.

CÆDERE *falce comam.*] Periphrasis est putandi. falx est qua purgantur arbores. Catul. in Argonautica:

Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram.

Et Virg. *Incidere falce nouellas*, pastorali carmine inseruit.

INCVLTIS.] Pædore & stercore oblimatis.

VOCES *inflectere cantu.*] Musicæ peritiam notat: Namque Apollini & Musis & Libero patri antiquitas attribuit choricon, idest, chorearum solennia communia, & musicæ ornamentum ad certos modos ad difinitam commensurationem; & tripudium quæ saltatio etiam dicitur, Bacchum ostendit docuisse. Quare dixit Maro: *Saltantes Satyros imitabitur Alphesibæus.*
De origine pastorij carminis varia est tam apud Græcos, quam Latinos opinio. Quam sexcupliciter Serui. Honoratus in principio Buc. complexus est, Hic illud intellexisse satis sit, Liberum inuenisse rusticanæ modulos cantilenæ.

DVRA *cuspide.*] Calcari aut spina.

NEC *luctus Osiri.*] Osiris idem est apud Ægyptios qui Bacchus apud Græcos, & sacer Liber apud nos: de cuius nominis varietate ita ex Greco Ausonius immixto barbaro Liberi transtulit:

Ogygiæ me Bacchum vocant,
Osirim Aegyptus putat,
Mistæ Phanetem nominant,
Dionyson Indi existimant,
Romana sacrum Liberum,
Arabica gens Adonium,
Lucaniacus Pantheum.

FRONS *redimita corymbis.*] Hedera Bacchi arbuscula est, propterea quod Ouidius scribit Fastor. III. *Nyseias nymphas pueri quærente nouerca*
Hanc frondem cunis occuluisse ferunt.

Carpusculi hederæ corymbi vocantur,

SED *ad teneros lutea palla pedes*] Vestis Liberi patris longo syrmate per humum trahebatur, dum ipse incederet: ideò ad teneros pedes dictum est. Statius Achilleidos primo:

Si decet aurata Bacchum vestigia palla Vertere. –

Ab hoc vestimenti genere Bassareus Bacchus dictus est, vt Acron & Porphyrio in primo carminum Horatianorum scripserunt. Vestis enim ipsa ad imos pedes demittebatur, & à Bassara loco Lydiæ Bassaris nominata est. vnde Bacchæ Bassarides. Persius:

Et raptum vitulo caput ablatura superbo Bassaris.

Luteus autem color est rubeus à λύθρον, quod est

Pp

sanguinolentum: vel à lute, vt Aulus Gelli. scribit in noctibus Atticis, & pro splendido accipimus, vt Plantiades Fulgentius scribit.

ET *lenis occultos conscia cista sacris.*] Bacchi antistites (vt Strabo in geographia memoriæ prodidit) fuerunt Sileni, Bacchæ, Lenæ, Thyæ, Mimaliones, Naiades nymphæ, Tityri, Satyri, qui & Curetes nominantur. Hi præferre consueuerunt fabulam de Iouis origine: nam tympanis & aliorum armorum strepitu agilitatem edentes, & tumultuantes Rheam videbantur circumsistere, ne Saturnus filios in lucem editos deuorans, parturientis dolores sentiret: sed attonitus Iouem infantem ad seipsos oblegatum, & occultis cunis enutriendum datum non agnosceret: quo ex facto possumus Orgiasim istam per cistas occultas intelligere, aut ideò mystica ista in capsulis recôdita: fuisse sumptum ex fabula, quòd Bacchum, scilicet, nymphæ liberassent à manibus Iunonis super impositis cunabulo frondibus hederaceis: quod sensisse Horatius videtur carminum primo.

Nec varijs obsita frondibus
Sub diuo rapiam.——

Aut ideo factũ quod Serapis, qui & Bacchus dicitur, tertius ab Inacho cum mortuus esset in foro repositus est, in κίστῃ, idest, arca: vnde κισταφόρον primò vocitatum: mox, Nymphodorus in tertio de Asiaticis legibus contendit. Ad huius itaque imitationem cistellas solis sacerdotib. cognitas Bacchantes ferebant. Catullus in Argonautica,

Pars obscura cauis celebrabant Orgia cistis:
Orgia quæ frustra cupiunt audire profani.

STILLENT *vnguenta capillo.*] Romanorum more antiquorum, qui super conuiuiis vnguento emolliebantur. Horatius carminum II.

——*Cum quo morantem*
Sæpe diem mero fregi coronatus
Nitentes malobatro Syrio capillos.

Stillare est guttatim fluere, namq; stilla est gutta: sed stilla fluit, gutta stat, vt Palæmon Vicentinus grammaticus interrogatus referente Eusebio lib. temporum respondit.

THVRIS *honores.*] Thureum fumum in honore; nec absque ratione: Nam vt Ouidius scribit Fastorum III. Bacchus cinnama primus & thura ex captis gentibus dedit.

LIBA *& Mopsopio dulcia melle feram.*] Liba genus est dulciarij cibi à Libero patre dicta: vel à libando: vt in eodem Naso posuit. Sed aliud esse libum, aliud placentam docet Cato priscus, de agricolatione.

MELLE *mopsopio.*] Ideo cum melle, quia hoc & ipse inuenit. Ouidius Naso.

Liba deo fiunt succis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.

Et post enarratam fabulam subdit in fine:

Melle pater fruitur, liboque infusa calenti
Iure repertori candida mella damus.

Mopsopio autem vel dicemus spumaceo. μύον enim mediũ & ὀπὸς succus. vel Cilicio. Mopsopio legimus à Mopso: qui (teste Euseb. lib. tempo.) regnauit in Cilicia, à quo Mopsicrene & Mopsistre: vel Atheniensi à rege Athenarum. vnde Ouid. in fine quinti Metamorphorseon:

A *Mopsopium iuuenem sacros agitare iugales.* Dixit de Triptolemo Atheniensi. Idem in Hermione,

Reddita Mopsopia Tyndaris vrbe soror.

Hymetium autem mel significat. Quippe Hymetus mons est Atticus, vt in naturali historia scribit Plin. cuius mel pretiosum est. Martial. in distichis: *Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymeti Pallados, & saltus nobile nectar apis.*

AT *tibi.*] Messallam alloquitur.

MONVMENTA *viæ.*] Lithostrationem illius viæ dicit ab Alba Tusculum vsque impensa Messallæ fabricatam.

B TVSCVLA *tellus.*] Idest, Tusculum oppidulum non procul ab vrbe, quod ignobile Cato superior, vt Vale. inquit Maxi. nobilissimum reddidit ortu suo.

ALBA *cand.*] Alba ciuitas fuit Romam iuxta, quam candidam vocat respiciens ad historiæ veritatem, quia Æneas dicitur albam porcam cum trigenarij numeri fœtu eiusdem coloris comperisse: à cuius cognomine triginta post annos Ascanius vrbem ædificans nominauit. Namque (vt Var. scribit rerum rusticarum secundo) si plures porca pariat porcellos quam mammas habeat:

C portentum est. in quo hoc fuisse commemorat, cuius tempestate illius suis ac porcorum etiam tunc vestigia apparuisse in amne testatur. significat ante Messallæ iussu & sumptuuiam illam silicatam fuisse, quæ à Tusculo Albam vsq; protéditur: quod apertius carmẽ sequẽs manifestat.

GLAREA.] Via glareosa. est glarea terra sabulosa lapillulis densissimis confertissima. Luca.

Aut impulsa leui turbatur glarea vento.

SILEX.] Lapis durus, à quo stratæ viæ dicuntur silicatæ.

TE *canit.*] Idest, laudibus vehit.

NATALIS.] Seruius in Damœta annotauit

D veteres dixisse natalis sine die: quod quanquam per se planum esset: posteri tamen illud addiderunt. Iuue. *Natali Coruine die mihi dulcior hac lux.*

CANDIDIOR.] Felicior, beatior: & est ab ipsis Thracibus tractum, qui diem fortunatum albo, aduersum verò nigro capillo designarunt: inde factum est, vt poëta pro fausto & secundo dicant candidum. Catullus:

Fulsere vere candidi tibi Soles.

Et contra nigrum pro tristi & exitioso. Horatius sermonum primo:

-hunccine Solem Tam nigrum esse mihi.

E

ACHILLES STATIVS.

HVNC *cecinere diem Parcæ, fatalia nentes Stamina.*] Nam & Nere simul, & Canere finguntur. Ouid. similiter,

Scilicet hanc legem Parcæ fatalia nentes
Stamina bis genito bis cecinere tibi.

ATAX.] Quo de fluuio Mella in descriptione Galliæ.

EVENERE.] Idem alibi. *Eueniet, dat signa Deus.*

BRACCHIA *capta.*] Sic in omnibus scriptis, non, Rapta, bello enim capti dicuntur.

AT *te victrices lauros.*] In Sfortiæ libro, Alte, quod non improbandum videatur. Victrices autem lauros etiam dixit Vergil. in Bucol.

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

PORTABAT *niueis currus eburn. equ.*] In Sfortiæ libro, Portabit. Sed illud omnino rectius. etenim illa euenerant. Et pro, Niueis, in tribus libris erat. Nitidis. quo modo Aldus olim. In vno, Niueis. Et vtrumque probandum. Albis enim equis triumphantes inuehebantur.

NON *fine me est tibi partus honos, tua bella, Pyrene Testis, & Oceani littora Santtonici.*] Sic accipio. Tua bella, & Pyrene, testis. Et quæ sequuntur. Vel, Tua bella, idest Pyrene testis. & testes littora Oceani Sanctonici. Similiter idem in III.

Nam bellis experta cano, testis mihi victæ
Fortis Iapygiæ miles, testis quoque fallax
Pannonius. ——

Et quæ sequuntur. Et Ouid. in VI. Fast.

Sunt tibi Flaminius, Thrasimenaque littora testes.

Iosephus Scaliger legebat ipse, vel alios legere dicebat hoc loco, Terbela pro, Tua bella, quod eo tractu nomen loci fuerit. Plinius in IV. Aquitaniam describens Tarbelorum meminit. Antoninus Aug. in Itinerario Aquarum Terebelicarum eodem tractu. vel Pyrene dicta propterea Terbella.

NON *fine me est tibi partus honos.*] Similiter Verg. in IX.

Nulla meis fine te quæretur gloria rebus
Seu pacem, seu bella geram. ---

SANCTONICI.] In veteribus libris, Santonici.

CARMOTI *& flaui.*] In Sfortiæ libro, & Vaticano, & in II. meis, Carnoti.

AT *te, Cydne, canam, tacitis qui leniter vndis Cæruleus placidis per vada serpis aquis.*] Quam difficilis sit, & aliena structura verborum, in facillimo, candidissimoque poëta, nemo non videt. ab scriptis libris nihil erat subsidij. Ego, leuissime mutans, emendabam posteriorem versum,

Cæruleis placidus per vada serpis aquis.

Vt appareat iam non difficilis sententia. Cydnum fluuium suis leniter fluentibus vndis placitum cæruleis aquis per vada serpere: idest in cæruleas aquas ac marinas, influere. Cur enim Cæruleus dicatur Cydnus fluuius purissimus. de quo Curtius in I. quomodo fere Tibullus. *Cydnus non spatio aquarum, sed liquore memorabilis, quippe leni tractu è fontibus labens puro solo excipitur. Nec torrentes incurrunt, qui placide innantem alueum turbent. Itaque incorruptus, idemque frigidissimus, quippe multa riparum amœnitate inumbratus, vbique fontibus suis similis, in mare euadit.* Ouid. in III. de arte amandi Lucidum propterea vocat,

Vel prope te nato lucide Cydne croco.

Idem vero Tibullus in III. Cæruleum amnem mare dixit,

Iam nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum, cæruleo lauerat amne rotas.

Itaque pro eodem habet aquas cæruleas, & cæruleum amnem. Et idem ante cæruleas vndas mare significans dixit,

Vel si cæruleas puppi volet ire per vndas,
Ipse leuem remo per freta pelle ratem.

Et Ouid. in III. de arte amandi,

Nec quia cærulea mole fugantur aquæ.

A Quod autem, Tacitis vndis, dicit, eodem modo Vergil. in IX.

Ceu septem surgens sedatis amnib. altus
Per tacitum Ganges. ---

Et Esaias, Τὸ ὕδωρ τοῦ Σιλωὰμ, τὸ πορευόμενον ἡσυχῆ. Meminit autem, præter ceteros, huius fluuij Stephanus in verbo Cydna: Ἔστι δὲ Κύδνος ποταμὸς Βιθυνίας.

FRIGIDVS *intonsos Taurus arat Cilicas.*] In omnibus veteribus sic omnino erat. Et tamen sunt, qui, Alat, esse legendum putent. quam pridem etiam coniecturam feceram, Strabonis, opinor, adductus verbis, qui montis huius fa-
B stigium adeo ferax esse scribat, vt alere multa possit hominum millia. Sed, cum frigus quoque rugas inducere legissem, idque nonnumquam significari eodem verbo Arare: ait enim Ouidius, *Iamque meos vultus ruga senilis arat.* In tanto librorum consensu veterem lectionem putaui retinendam. namque Horat. in I. Epist. dixit,

Quem Mandela bibit rugosus frigore pagus.

ALBA *Palæstino sancta columba Syro*] Sanctam, quam Syri non edunt. Hyginus fabula CXCVII. *Syri pisces, & columbas ex deorum numero habent, non edunt.* Et vetus interpres Phænom. Arati, quæ
C conuertit Germanicus, in Piscibus signo. *Vnde hodie quoque Syri neque hos pisces edunt, & columbas potestate decorant.*

TVRRIBVS.] Quæ dicit Horat.

Alta nauium propugnacula.

DOCTA *Tyros.*] In plerisque hoc modo. In nonnullis libris, Tyrus. At illo modo etiam alijs in locis. in II.

Africa puniceum, purpureumque Tyros. Et in IV.

Vellera det succis bis madefacta Tyros. Et Propert. in III. *Et Tyros ostrinos præbet Cadmæa colores.*

CVM *findit Syrius agros.*] In Vaticano, & vno meo, Cum scindit. Sed illo modo etiam Vergil.

D *Ergo vbi bibula siti findit canis æstifer arua.*

QVANAM *possum te dicere caussa.*] In nonnullis libris, Possim.

AVT *quibus in terris occuluisse caput.*] Eodem modo Flaccus,

——*fontium qui celat origines Nilus.*

NEC *pluuio supplicat herba Ioui.*] Ζεὺς ὕετιος, καὶ ὄμβριος, à Græcis dictus. Hunc Tibulli versum Seneca tribuit Ouidio, lapsus opinor, memoria.

ATQVE *suum proles miratur Osirim.*] In Vaticano, & duobus meis veteribus, non Proles, sed Pubes. Pubes barbara: id est, Ægyptia. Quod
E autem Nilum Ægyptus Osirim dicat, nondum alibi legi; Giraldus scribit, deum existimari, ac Iouem etiam dici.

MEMPHITEM *plangere docta bouem.*] Sic in iis, quos vidi, scriptis libris, non Plaudere. Sic in vetustissimo epigrammate, apud Cardinalem Cæsium, Romæ: QVI. COLITIS. CYBELEN. ET: QVI. PHRYGA. PLANGITIS. ATTIN. Nilum vero, & Osirim, & Bacchum, pro eodem Tibullus habet. Qua de re Giraldus erudite, in historia deorum.

FERRO *sollicitauit humum.*] Sic Verg. in Georg.

Sollicitant alij remis freta. ——

POMAQVE *non notis legit ab arboribus.*] Quas ipse seuisset.

TENERAM *palis adiungere vitem.*] In quibusdam libris, Ternam. Sed illud omnino videtur rectius. Sic Verg. in I. Georg.

---vlmisque adiungere vites.

EXPRESSA *incultis vua dedit pedibus.*] Videndum, an potius legendum sit, Inlutis. in veteribus enim libris fere Eluta, & Inluta, pro, Elota, & Inlota, neque enim, Incultis pedibus, apte hoc loco, pro Nudis.

ILLE *liquor docuit voces inflectere cantu.*] Ouid.

——necnon & carmina vino

Ingenium faciente canunt.——

MOVIT *& ad certos nescia membra modos.*] Saltare docuit. Sic Horat.

Saxa mouere sono testudinis.——

Nescia: saltationis ignara.

PECTORA *tristitiæ dissoluenda dedit.*] Legebam, Tristitia. quale, illud Vergili,

——Soluite corda metu.

In vetusto libro Angeli Colotij fuisse adfirmant, Lætitia.

CRVRA *licet dura compede pulsa sonent.*] In vno meo pro Compede, Cuspide, & in Vaticano. itaque esse aiunt in Florentino libro Bibliothecæ S. Laurentij. Quod genus acerbitatis quale fuerit, cogitare non possum. Pro, Pulsa, Pressa, in nonnullis libris fuisse adfirmant. Idem Tibullus in II. similiter,

Spes etiam valida solatur compede vinctum,

Crura sonant ferro, sed canit inter opus.

NON *tibi sunt tristes curæ, non luctus Osyri,*] In veteribus, Nec luctus. quo modo olim Aldus. Sed pro Luctus, in Sfortiæ libro Vultus legebatur. quod etiam placet. Vt cum minime toruo esse vultu significet. quod Frontis rugam videtur Ouidius dicere, de eodem, in arte amandi,

Cura fugit multo, diluiturque mero.

Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua tollit,

Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abest.

ET *leuis aptus amor.*] Sic in omnibus, quos vidi, libris. Alij legunt, Lenis, & aptus amor. Aldus olim edidit, Leuis, & aptus amor. quomodo in Florentino. Sed illud probabilius. nam Leuis amor ab Ouidio sic dicitur. In IIII. enim Fastorum,

Nec coëunt pecudes, si leuis absit amor.

Et Paullus Silentiarius, apud Stobæum, eodem modo: Κῦφος ἔρως.

ET *frons, redimita corymbis.*] Vnde Corymbifer ab Ouidio dicitur.

FVSA *sed ad teneros lutea palla pedes.*] Eius amictum κροκοειδὲ scribit esse Gyraldus, auctore, opinor, Diodoro Siculo. qui color à flammeo parum distat.

ET *leuis occultis conscia cista sacris.*] Alludens ad hæc sacra Ouid. in II. de arte amandi,

Condita si non sunt Veneris mysteria cistis,

Nec caua vesanis ictibus æra sonant.

HVC *ades, & centum ludos, geniumque choreis Concelebra.*] Legendum forte sit, Centum ludis. Centum autem, pro multis dixit. Vergil.

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Atque hæc ad Messallam commodius, quam ad

A Bacchum referantur.

ET *multo tempora funde mero.*] Ouid. in I. de remedio amoris,

Aleaque, & multo tempora funde mero.

SIC *venias hodierne tibi dum turis honoris Liba, & Messopio dulcia melle feram.*] Legendum è veteribus,

Sic venias hodierne, tibi dem turis honores,

Liba, & Mopsopio dulcia melle feram.

Hæc autem etiam ad Messallam, quem vult adesse cum acino, ac floribus, ipse additurus & tus, & liba. Sic autem Hodiernus, pro, Hodie, dicitur a poëtis, perornatè: vt Crastinus, Matu-

B tinus, & Vespertinus, cum ad homines illa referuntur. Vocatiuus pro nominatiuo more veterum. Dulcia vero melle liba dicit, quæ Μελιτοῦττα dicuntur. Idem alibi similiter,

Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat,

Postque comes purum filius parua fauum.

ET *circa stet veneranda senem.*] Optimam lectionem libri Card. Sfortiæ sequor, emendoque Venerata.

NON *taceam monumenta viæ.*] In plerisque veteribus, Ne taceat, in nonnullis, Nec taceant. Hæc filios significat esse locuturos.

QVÆ *Tusculæ tellus.*] Viamne etiam strauerit, an

C restituerit, non exprimit Rutilius Munatianus. Sed idem in II. lib. itinerarij prope Centum cellas in Tauri Thermis illius poëma extitisse significat. scribit enim,

Hæc quoque Pierijs spiracula comparat antris

Carmine Messallæ nobilitatus ager.

Intrantemque capit, discedentemque moratur

Postibus adfixum dulce poëma sacris.

Et quæ sequuntur apud illum.

CANDIDAQVE *antiquo detinet Alba lare.*] In vno libro non, Alba, sed Arua. illud rectius. Incertus sum, an sic dicat, quod glareosus Albanus ager sit, an quod palustris glarea, & lapidib.

D à Messalla via fuerit strata. Quod indicare Sili versus videntur,

Vrbibus est illis caput, interiorque per vdos,

Alba sedet campos, pomisque rependit aristas.

Sed nodum expedit Propertius, qui ab albæ suis omine dictam Albam scribit. quamobrem candidam quoque dicit Tibullus. Versus Properti sunt in IV.

Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata.

Hac vbi Fidenas longa erat ire via.

TE *canit agricola, è magna cum venerit vrbe.*] In Vaticano, Te canet. In Sfortiæ libro præpositio, E, non legitur, non etiam in II. meis, aliisque

E nonnullis.

MVLTOS *celebrande per annos.*] In Sfortiæ libro, Celebrare. in vno meo, Celebrata. itaque legendum videtur, Celebrate.

CANDIDIOR, *candidiorque veni.*] Magis magisque candidus. *-candidiorque veni*: in eodem Sfortiæ libro, non Veni, sed Redi. Idem in III. in eandem sententiam.

O niueam, quæ te poteris mihi reddere, lucem.

M. ANT. MVRETVS.

HVNC *cecinere*.] Natalem Messallæ, & eiusdem victorias celebrat.

NON *sine me*.] Hoc distichon quidam non ineruditi homines ita legendum putant,

Non sine me est tibi partus honos per bella. Pyrene
Testis, & Oceani littora Santonici.

CARMOTI *& Flaui*.] Ita est in meo vetere libro: at in alio quodam, *Carnoti*. neque tamen mihi dubium est, quin legi debeat, *Carnuti*. sunt enim Carnuti populi Aquitaniæ, quos alluit Liger. Strabo, τούτων δὲ ἐπιφανέστατόν ἐστι τὸ τῶν ἀρουέρνων, καὶ τὸ τῶν καρνούτων, δι' ὧν ἀμφοῖν ἐνεχθεὶς ὁ λείγηρ εἰς τὸν ὠκεανὸν ἔξεισι. Sed cur Tibullus mox ex Aquitania, tanta pernicitate, in Ciliciam, aliasque regiones tantopere ab Aquitania dissitas euolet, haud equidem facile dixerim.

TAVRVS *alat Cilicas*.] Inepte in aliis libris, *Taurus arat Cilicas*. & inuenti sunt tamen, qui hanc scripturam reciperent, dicerentque hypallagem esse.

QVID *referam, vt volitet*.] Syri columbas, quod in tutela Veneris essent, violare nefas putabant. ijdemque piscibus (an omnino, an certo quodam piscium genere?) abstinebant: eosque in deorum loco habebant: quod ab ijs Venus, Typhonem fugiens, seruata esset. Xenophon libro primo de expeditione Cyri, μετὰ δὲ ταῦτα Κῦρος ἐξελαύνει σταθμοὺς τέσσαρας, παρασάγγας εἴκοσιν, ἐπὶ τὸν Χάλον ποταμὸν, ὄντα τὸ εὖρος πλέθρου, πλήρη δὲ ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς. Cicero, *Piscem Syri venerantur*. Ouidius,

Terribilem quondam fugiens Typhona Dione,
Tunc cum pro cælo Iuppiter arma tulit:
Venit ad Euphratem, comitata Cupidine paruo,
Inque Palæstinæ margine sedit aquæ.
Populus, & cannæ riparum summa tenebant:
Spemque dabant salices, hos quoque posse tegi.
Dum latet, insonuit vento nemus. illa timore
Pallet, & hostiles credit adesse manus.
Vtque sinu tenuit natum, succurrite nymphæ,
Et dijs auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora: prosiluit. pisces subiere gemelli:
Pro quo nunc dignum sidera numen habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Diodorus Siculus alias caussas affert. quod enim dea Derceto sese in stagnum quoddam Ascaloni vrbi vicinum coniecerit, ibique in piscem conuersa sit, id propterea Syros eis piscibus abstinere, eosque pro dijs colere. columbis autem eundem honorem tribuere, propter Semiramin, quam in columbam esse conuersam fabulentur. atque harum fabularum vtranque leuiter tangit Ouidius lib. IIII. Metamorph. At Diodorus, non columbis modo, sed omnino auium generi omni parci, diuinosque honores tribui ait à Syris: quod ab auibus eam, quam proxime nominaui, reginam altam esse opinentur. Ægyptios quoque piscium esum in rebus illicitis ducere, auctor est Herodotus. & Iuuenalis inter animalia, quæ ab eis colantur, A piscem nominat. Lucianus in Ioue Tragœdo Assyrios columbæ sacrificare ait: & in venustissimo libello περὶ τῆς Συρίης θεοῦ, Ἰχθύας, inquit, χρῆμα ἱρὸν νομίζουσι, καὶ οὔκοτε ἰχθύων ψαύουσι. καὶ ὄρνιθας τοὺς μὲν ἄλλους σιτέονται, περιστερὴν δὲ μούνην οὐ σιτέονται, ἀλλὰ σφίσι ἥδε ἱρή. τὰ δὲ γιγνόμενα δοκέει αὐτοῖς ποιέεσθαι, Δερκετοῦς καὶ Σεμιράμιος εἵνεκα. τὸ μὲν, ὅτι Δερκετὼ μορφὴν ἰχθύος ἔχει· τὸ δὲ, ὅτι Σεμιράμιος τέλος, ἐς περιστερὴν ἀπίκετο.

ARIDA *nec pluuio*.] ὀμβρίῳ, ὑετίῳ. Pausanias in Atticis.

PECTORA *tristitiæ*.] Mallem, *lætitiæ*, si alicuius antiqui codicis accederet auctoritas.

B SED *varij flores*.] Ostendit Osirim eundem esse & Bacchum.

IANVS DOVSA FIL.

ARIDA *nec pluuio supplicat herba Ioui*.] Alludere videtur ad γῆς ἄγαλμα ἱκετευούσης ὗσαί οἱ τὸν Δία. de quo Pausanias in Atticis. Id quod alij non monuerunt. nam de ὀμβρίῳ & ὑετίῳ Ioue omnia iam vulgata.

TE *canit agricola, è magna cùm venerit vrbe*.] Per C *magnam vrbem* Romam intelligendam puto, quomodo ab eodem accipitur lib. II.

—— hîc magnæ iam locus vrbis erit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

HVNC *fore Aquitanas posset qui fundere*.] In nostro, *Spargere*.

QVEM *tremeret forti milite victus Atax*.] Nusquam inuenies Galliam Narbonensem aliquid mouisse eo tempore, vt opus fuerit Augusto Messallam in eas partes mittere. Deinde Aquitanas D gentes tantum vicisse ait. Item alibi gentis Aquitanæ victorem appellat. non est dubium, quin amplior futura esset gloria triumphi, si de vniuersa Gallia triumphasset, non de parte tantum Aquitania. In Fastis Capitolinis: M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALLA A. DCCXXVI. CORVINVS PROCOS. EX GALLIA VII. K. OCTO. Ibi ex Gallia profecto interpretandum est, Aquitania. Nam tum Narbonensis non vocabatur Gallia. Quid ergo? Ego puto mendum esse in voce *Atax*. & legendum *Atur*. de Ature vel Atyro fluuio Nouempopula-E niæ nostræ, qui nauigiorũ etiam grauium patiens est, satis in lectionibus Ausonianis diximus. Et profecto ea est vera lectio. Ipse Atur ex montib. Pyrenęis fluẽs in Tarbellis supra Aquas Tarbellicas Oceano Tarbellico excipitur. eius fluuij nos pene caput in Bigerronibus vidimus. Quin etiam sententiam nostram confirmat ipse, quum Tarbellã Pyrenem testem militiæ suæ laudat. In eo, enim tractu est fluuius ille. At de Atace nugæ profecto. Sed id nomen, quia cuiuis obuium erat, pro eo, quod minus vulgatum iam tum erat, substitutum est. Noster codex autem habebat *Attas*. At in veteribus libris *u* pro *a*, & *r* pro *x*, non raro poni sciunt, qui earum litterarum studiosi sunt. Alij de Salassis, qui sunt in Narbonensi secunda, triumphasse scribunt: Certe

quum hic mentio Rhodani fiat, posset de Narbonensi quoque triumphasse videri.

Novos *pubes Romana triumphos.*] Mirum de hoc Aquitanico bello nihil in veterum monimentis proditum extare.

Portabat *niuces.*] Noster *Portabis.* tanquam nondum triumphasset. Nam ex persona Parcarum hæc dicit μιμητικῶς. Non enim hac elegia celebratur triumphus Messallæ, sed natalis. Ideo Parcarum interiecta mentio. Nascentibus enim fata à Parcis scribebantur. Auctor Tertull.

Non *sine me est tibi partus honos tua bella Pyrene.*] Iam monuimus *Tarbella Pyrene* legendum. vt qui de eo dubitarit, dignus sit, qui nunquam Chorographos & Geographos legat.

Testis *Arar.*] Arar vicinus finibus priscæ Aquitaniæ, Rhodanus etiam proxime ab ipsis finibus aberat. Nam sane illæ gentes, quæ Rhodano continebantur, nihil tum turbabant, neque de illis Messalam triumphasse vnquam mihi persuadebo.

Carnoti *& flaui.*] Noli dubitare quin legendum sit:

Carnuti & fluuij cærula lympha Liger.

Vt Tiberis Tuscus amnis dicitur, ita Ligerim Carnutum fluuium vocat. fines autem Carnutorum secat Liger. quod nemini dubium est, nisi ei, qui omnino ἀχωρόγραφος sit. Cæruleum vocat, hoc est æquoreum, quia Oceanum intrat per se, & æstuaria efficit. Nam cæruleus est æquoreus. Iuuenalis:

Illic cæruleos, hic piscem fluminis.

At *te Cydne canam.*] Spectat alium triumphum Messallæ ex Isauria, in qua tum belligerabat Messalla. Nam supra dixit:

Ille licet Cilicum victas agat ante cateruas.

Frigidus *intonsos Taurus arat.*] *Taurus* synecdochicῶs pro ipsis incolis. Cilicas altera synecdoche pro Cilicia. Ouidius:

Cretes nutrit. terra superba Ioue.

Qui legunt *alat*, profecto hæc considerare debebant, vt taceam, quod *alat* subiunctiuus non conuenit hic. Sed, ni fallor, hypallage est, *Taurus arat Cilicas*, pro, Cilices arant Taurum. Virgilius: *Talem diues arat Capua.*

Alba *Palæstino sancta columba Syro.*] Palæstinus Syrus, vt Psyllus Pœnus. Cinna: *Somniculosam vt Pœnus aspidem Psyllus*: Noster tamen codex legit *suo*, non Syro.

Arida *nec pluuio.*] Statius Theb. IIII.

--tu nunc ventis pluuioque rogarus
Pro Ioue -- Apollonius:

Καὶ βωμὸν ποίησε μέγαν Διὸς ἰκμαίοιο.

Crura *licent dura compede pulsa.*] Noster:

Crura licet dura cuspide multa sonent.

Sed τὸ *cuspide* natum ex vitiosa scribendi consuetudine, *cumpide.* cumpis. cumpidis. *Multa* autem pro, *pulsa*, verum est. Ita supra: *Illa quidem iam multa negat.* Idem est ἀρχαϊσμός.

Lenis *& aptus amor.*] Noster: *& lenis aptus amor.*

Huc *ades & centum ludos.*] Virgilius:

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Illius *è niuido.*] *Illius*, Genij. Alibi:

A *Ipse suos Genius adsit visurus honores,*
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo.
Atque satur libo sit, madeatque mero.

Tibi *dum thurss.*] *Tibi dem.* liber noster. Ouidius:

Libaque dem pro te genitale notantia tempus.

Non *taceam.*] *Nec taceant*, liber noster. id est liberi tui.

Candidior *semper candidiorque.*] *Candidior candidiorque*, vetus locutio. Apuleius Milesiæ fabulæ libro octauo: *Nonnunquam etiam cœna poculoque communi carior cariorque factus.* Silius libro B decimoquinto:

——consul ouans maior maiorque videri.

Græcanica loquutio. Xenophon: ὁ δὲ ὄχλος πλείων καὶ πλείων ἐπέῤῥει. Sic *magis magis* Græcum est. Eupolis:

πῶς ζῆς; μὴ θάπτετε τὸν πρῶτον ἡνίοχον,
Ἔπειτα μᾶλλον μᾶλλον ——

ELEGIA VIII.

Non ego celari possum, quid nutus amantis,
C *Quidve ferant miti lenia verba sono.*
Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum:
Præcinit euentus nec mihi cantus auis.
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.
D *Desine dissimulare. Deus crudelius vrit,*
Quos videt inuitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Sæpéque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente comas redimire, quid vngues
Artificis docta subsecuisse manu?
E *Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,*
Ansáque compressos colligat arcta pedes.
Illa placet, quamuis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Deuouit tacito tempore noctis anus?

Cantus vicinis fruges traducit ab agris
Cantus & iratæ detinet anguis iter.
Cantus & è curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma mihi magicis vtitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento.
Persequitur pœnis tristia facta Venus.
Munera ne poscas. det munera canus amator,
Vt foueat molli frigida membra sinu.
Carior est auro iuuenis, cui læuia fulgent
Ora, nec amplexus aspera barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnæ despiciantur opes.
At Venus inuenit puero concumbere furtim,
Dum timet & teneros conserit vsque sinus:
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, & in collo figere dente notas.
Non lapis hanc, gemmæque iuuent, quæ frigore sola
Dormiat, & nulli sit cupienda viro.
Heu serò reuocatur amor, seróque iuuenta,
Cùm vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ est; coma tum mutatur, vt annos
Dißimulet viridi cortice tincta nucis.
Tollere tunc cura est albos à stirpe capillos,
Et faciem dempta pelle referre nouam.
At tu, dum primi floret tibi temporis ætas;
Vtere. non tardo labitur illa pede.
A *Neu marathum torque. puero quæ gloria victo est?*
In veteres esto duro puella senes.
Parce precor tenero: non illi sontica caussa est,
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Vah miser, absenti mœstas quàm sæpe querelas
B *Coniicit, & lacrymis omnia plena madent?*
Quid me spernis? ait. poterat custodia vinci:
Ipse dedit cupidis fallere posse Deus.
Nota Venus furtiua mihi est, vt lenis agatur
Spiritus, vt nec dent oscula rapta sonum.
Et possum media quamuis obrepere nocte,
C *Et strepitu nullo clàm reserare fores.*
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
Et fugit ex ipso sæua puella toro?
Vel cùm promittit subitò, sed perfida fallit,
Est mihi nox multis euigilanda malis.
Dum mihi venturam fingo, quodcumque mouetur,
Illius credo tunc sonuisse pedes.
D *Desistas lacrymare puer. non frangitur illa,*
Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt Pholoë, moneo, fastidia Diui,
Nec prodest sanctis thura dedisse focis.
Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes,
E *Nescius vltorem post caput esse Deũ.*
Sæpe etiam lacrymas fertur risisse dolentis,
Et cupidum ficta detinuisse mora.
Nunc omnes odit fastus, nunc displicet illi
Quæcunque opposita est ianua dura sera.

At te pœna manet, nisi desinis esse superba.
Quàm cupies votis hunc reuocare diem?

BERN. CYLL. VERON.

NON *ego celari possum quid nutus amantis.*] Pholoem commonet ne dura esse velit in Marathum optimæ formositatis adulescentem, neque illum studeat sua perfidia detorquere: quoniam senex ipsa postmodum facta omnibus erit contemptui: Celari autem positum est, vt edoceri: & est sensus: Se omnes amatorios motus optime scire ex assiduo amoris vsu.

LÆVIA.] polita, facundula, ornatula.

MITI *sono.*] vocis mollitudine grata.

NEC *mihi sunt sortes.*] quamuis nullam in arte magica peritiam teneat, tamen affirmat se notas amatoris intelligere, & per sortes accipit sortilegij genus in vaticinando antiquissimum.

NON *conscia fibra deorum.*] haruspicium dicit appellatum quidem ab auium pastu vel inspectione: & dum fibra ponit, extispicium tangit.

EXPRIMIT *euentus nec mihi cantus auis.*] augurium nota dictum ab auium garritu. vnde augures qui suas aures auium vocibus accommodantes futura pronuntiant.

NODO *magico.*] idest cathena, quæ non minoris est efficaciæ quam nodus magicus: est enim inexplicabilis, quem nostri (vt quibusdam placet) Salomonis vocant: vel intelligimus nodum omnem intricationem magicam, quæ vim præpotentem continet in carmine: vt Lucan.

Traxerunt torti magica vertigine fili.

vel accipimus cingulum Veneris, atque Cupidinis cathenulam: de quo Martialis ad Iuliam:

Ludit Acidalio sed non Venus aspera nodo
Quem rapuit collo parue Cupido tuo.

Vel simpliciter intelligimus nodo religatum brachia, quod est metaphoricos irretitum amoris vecordia, vt ab amãdo se extricare non possit.

QVID *tibi nunc prodest.*] quasi dicat nihil hæc curate iuuat, nisi ames.

SÆPEQVE *mutatas.*] innuit sedulitatem mulieris in seipsam diligenter ornando, & ait comas sæpe mutatas: vt pote ineptè positas & sine arte comptas.

FVCO *splendente comas ornare.* fucum ponit pro vnguento quale malobatrum, myrobalanum, myrrham poëtæ memorant. his enim odoramentis atque unguentis fœminæ capillos suos perungebant, vt gratiosiores essent. Propertius elegiarum primo.

Aut quid Orontæa crines perfundere myrrha.

Namque fucum pro purpurissa seu cerussato colore legimus. Quin Horat. car. III.

——non amissos colores
Lana refert medicata fuco.

pro tinctura locauit: iuxta quam sententiam vult Acron Maronem in Bucolico scripsisse,

Alba nec Assyrio fucatur lana veneno.

A ARTIFICIS.] tonsoris. artifex ad omne exercitium generaliter pertinet.

DOCTA *manu.*] laus est à peritia artificis. Iuuenalis aliter,

Quo tondente grauis iuueni mihi barba sonabat:

pro imperito dixit. Matronæ sanè quondam in resecandis vnguium præsegminibus vtebantur tonsoris officio: quod ne quis dubitet, illud Valerij Maximi comprobat, vbi Portiæ Catonis Vticensis filiæ & Bruti vxoris fortitudinem ferè virilem tractans, dicit illam abrepto cultello tonsorio, quasi resecandorum vnguium causa seipsam ex industria vulnerasse, & à viro per B ancillarum clamorem accersito obiurgatam, quod tonsoris præripuisset officium.

FRVSTRA *iam vestes, frustra mutantur amictus.*] vestis appellatione tam virilis quam muliebris amictus continetur, ex antiquiorum in iure ciuili sententia: sed vestem puto interiorem, supra quam amictus ponitur. Est enim ipse exterior quasi pallium, seu pallium ab amiciendo id est, induendo.

ANSAQVE *compressos alligat arcta pedes.*] Ansam capimus pro fibula seu fixula, quæ calceis insuitur ab arcendo dictã, vt hic patet dum arcta adiungitur. aut certe arcta posuit respiciens ad calcei aptitudinem. est enim ansa canthari aurei C vtrinque prominens. Cantharus autem vasculum vinarium & Bacchi precipuè, vt in III. Saturnalium legimus, tametsi Philelphorum quidam dixerit esse vas ad euacuandum ventrem, quod vulgus Zancola vocat, & Iuuenalis vtitur testimonio:

——necnon & paruulus infra Cantharus:

cum Satyrus Aquinas de œnophoro intellexerit: de vase quod illius suis crassã Minerua literas eructantis ad receptaculum sordium blatterat: cuius vasculi nomen est lasanum, vt Acron primo Sermonum testis est. Horatius,

D *Te pueri lasanum portantes, œnophorumque.*

ILLA *placet quamuis inculto venerit ore.*) quin Horatius dixit:

Maius hoc vror seu tibi candidos
Turparunt humeros immodicæ mero Rixæ.

NEC *nitidum tarda compserit arte caput.*) acute satis verba locauit: tardiusculæ nempe sunt mulieres in se poliendo: ieccirco Terent.

Dum moliuntur dum comuntur annus est.

NVM *te carminibus.*] de sagarum incantationibus satis supra (vt arbitror) diximus.

CANTVS *vicinis fruges traducit ab agris.*] hoc fuisse verum lex duodecim tabularum indicat. E vbi scriptum est: *Neue alienam segetem pellexeris.* Quam opinionem secutus Maro inquit,

Atque satas alio vidi traducere messes.

DETINET *anguis iter.*) quin hoc maius ait Virgilius.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

IRATÆ.) exasperatæ, & ideo magis noxiæ.

DEDVCERE *lumina tentat.*) hoc supra affirmauit:

Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi.

alij legunt sic:

——& è curru Lunam deducere tentat.

ET *faceret, si non æra repulsa sonent.*] in Thessalia

homines pulsant, quæcumque possunt instrumenta arripere, cum magas ad carmen accinctas persentiscunt, hac ratione, ne vis veneficiorum ad Lunam perueniat. Iuuenalis saty. II.

——verborum tantat cadit vis,
Tot pariter pelues ac tintinnabula dicas
Pulsari, iam nemo tubas atque æra fatiget:
Vna laboranti poterit succurrere Lunæ.

AERA *recurua.*) quæcunque vasa conuexa quales gutturniones, labra, crateres. Sili. li. XVII.

Circum argutæ cauis tinnitibus æra, simulque
Certabant rauco resonantia tympana pulsu.

FORMA.) pulchritudo.

SED *femori conseruisse femur.*) rem turpem satis honestè dicit. Catullus itidem ad Ruffum:

Ruffe velis tenerum supposuisse femur.

FRIGIDA *membra.*) imbecilla: Nam veteli ex haustu sanguinis frigidiores sunt. At iuuenes cōtra sunt abundantia calidiores. ideo à magno est poëta dictum:

——at vos quibus integer æui Sanguis inest.

TERIT *amplexus.*) amplexam offendit mulierem.

SVPPONE.) supra extende & porrige.

ET *regum magnæ despiciantur opes.*) respectu voluptatis despiciantur. Ita Propert. elegiarum II.

Non si Cambysæ redeant & flumina Crœsi:
Dicas de nostro surge puella toro.

CONCVMBERE *puero.*) antique dictum, vt

Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.

veteres enim datiuo iungebant nunc ablatiuo cum præpositione, cum.

CONSERIT *vsque sinus teneros.*) actum libidinis verecunde exprimit.

ANHELANTI.) agitatione clunium dum Veneris opus perficitur.

PVGNANTIBVS *linguis.*) lasciua est oratio. Nam linguarum intelligit mobilitatem, dum in coitu colluctantur, quod cum fit, pugnare inter se videntur: & inde humida dantur oscula seu basia.

NOTAS.) signa, maculas.

NON *lapis hanc gemmæque iuuant.*) lapis & lapillus margaritum & margaritam significat. quod aliter conchylium vel conchyle dicimus: vulgus perlam vocat. Gemma autem est veluti Chrisolitus & Smaragdus, cæteraq. huiusmodi.

QVÆ *frigore sola Dormiat.*) sine viro iaceat. sic Lucanus quinto de Cornelia:

——viduo tum primum frigida lecto.

HEV *sero reuocatur amor.*) vox est admonentis cum mœstitia atque dolore, quasi dicat, tunc amare cupis cum à nullo sis amanda. Horatius Carminum IIII.

Nec Coæ referunt iam tibi purpuræ,
Nec clari lapides tempora, quæ semel
Notis condita fastis,
Inclusit volucris dies.

Sero autem vltimam habet indifferentem, vt omnia huiusmodi aduerbia. Statius in Thebaide: *——sero memor thalami.*

IVVENTA.) ætas, pulchritudoque iuuenilis.

TVM *studium formæ est.*) nihil verius dicitur. Mulieres enim cum ad grandescentem ætatem inclinauerint, student formæ, vt amatores ad se

A allliciant. Quare Horat. lib. carm. IIII. hanc sententiam complexus ad Lycen inquit.

Audiuere, Lyce Dy mea vota, Dy
Audiuere Lyce. fis anus: & tamen
Vis formosa videri
Ludisque & bibis impudens,
Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas, &c.

COMA *tum mutatur, vt annos Dissimulet viridi cortice tincta nucis.*) dicunt vnguentarij canitiem aboleri & in nigredinem conuerti, quæ succo viridulæ nucis sæpe permaduerit. & Plin. XV. refert nucum iuglandium cortice lanas tingi & capillos ruffari: hoc compertum est manibus B tractatu illarum infectis: nam ideo nux dicta est quod vt nox aërem, ita ea succo suo corpus atrum faciat: seu quod noceat linguæ. Huius diminutiuum est nucula idest, minuta nux: & eius vt puto nucella: Sed per periphrasin Culliolam intelligit. hæc est (teste Festo) cortex nucis viridis, dicta à similitudine culeorum quibus vinum siue oleum continetur. Gulioca vero per G, est nucum iuglandium summa & viridia putamina. ostendit etiam Q. Serenius crinem canum immutari ex cupressu cum aceto acri compressa, aut fronde lentisci cum sambuci fructu. Præterea ex nonnullis herbis factum medicamentum C canos à vertice aut eleuat aut permutat. Quod Ouid. de ar. amandi III. tetigit:

Fœmina canitiem germanis inficit herbis,
Et melior vero queritur arte color.

A STIRPE.] à radice.

ET *albos capillos.*] canos vult. his penè verbis Propertius elegiarum III. vsus est.

Vellere tum cupies albos à stirpe capillos.
Et speculo rugas increpitante tibi.

DEMPTA *pelle.*] anili scilicet, quæ arefacta artificiosis liquoribus tollitur. *Sed (vt ait Satyrus) facies omnino computat annos.*

AT *tu dum primi floret tibi temporis ætas Vtere.*] D Ouid. de arte amandi. III.

Dum licet & veros etiam nunc editis annos,
Ludite: eunt anni more fluentis aquæ.
Nec quæ preteriit iterum reuocabitur vnda,
Nec quæ preteriit hora redire potest.
Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas:
Nec bona tam sequitur, quam bona prima fuit.

VETERES *senes.*] bis ibi senem repetit ad nauseam.

NON *illi sontica causa est.*] sontes vocantur noxij: & sōticus typus ægritudinis ex specie morbi cuiuspiam: vt puta color ille quasi pallidus croceatus, qui ex intestinis vitiatis prouenit, pulE monis & iecoris insanitatem prædicat. Namque Festus ait: *Morbum sonticum existimari, quod perpetuo noceat.*

SED *nimius luteo corpora tingit amor.*] Hęc est verissima morbi causa in adulescente: amor enim concoquit amantium intestina, & pallidos eos facit paulatim deferuescendo. Qui color vt Ouid. ait, est amanti aptissimus: ideo dictum constat à Claudiano:

——& gratus amantum pallor.

Et Horat. car. III. dixit:

Nec tinctus viola pallor amantium.

A Lvteo.] non lucido subsanguinolento: sed pallido ferrugineo. nam à luto venit id est, cœno, quasi coloris luti: ideo primam corripit. Nam si lucidum, vel rubeum, pulchrumque significaret, eandem produceret, vt supra,

Et ad teneros lutea palla pedes.

tunc enim alteram habet deriuationem: vt indictum est.

Et *lachrymis omnia plena madent.*] amatorum ea est leuitas, vt vel repulsi plorent, vel riuales odio habeant. Horat. car. primo:

Cum tu Lydia Telephi
Ceruicem roseam, & cerea Telephi
Laudas brachia, væ, meum
Feruens difficile bile tumet iecur.
Tunc nec mens mihi, nec color
Certa sede manet humor, & in genas
Furtim labitur arguens,
Quam lentis penitus macerer ignibus.

Fallere.] custodes decipere.

Vt *lenis agatur spiritus.*] vt lensim amantes spirent cum ad amicam accessum habent. Agere est sursum ducere à pectoris profunditate: vnde pro mori vsurpatum, addendo animam. Seneca epistola vigesima sexta: *Quid egeris tunc apparebit cum animam ages.*

Reserare] aperire: Re plerunque in composito signat contrarium primitiui: vt tego, C retego: claudo, recludo

Vel *cum promittit subito, sed perfida fallit: Est mihi nox multis euigilanda malis.*] hoc quod poëta hîc dicit perquam durissimum est. Propertius elegiarum II.

Hic vnus dolor est ex omnibus acer amanti,
Sperantis subito si qua puella negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto.

Illivs *credo tunc sonuisse pedes.*] nimium ex hoc amantis affectum indicat.

Frangitvr.] flectitur. vt,

Nec lacrymas victus dedit aut miseratus amantem est.

Tvment.] causam physicam scimus cur ocelli tumescant. Catullus: D

Flendo turgiduli tument ocelli.

Fastidia.] quibus fastidiis amantem nauseas. & est nomen quasi passiue positum.

Thvra *dedisse.*] supplicasse.

Nescivs *vltorem post caput esse Deum.*] secundum hanc libidinosorum sententiam generalem, illa quoque tragici procedit,

Sequitur superbos victor à tergo Deus.

At *te pœna manet.*] hæc est mulieris pœna vt senex affecta negligatur. Elegiarum III.

Exclusa inque vices fastus patiare superbos.
Et quæ fecisti facta queraris anus.

Sed ante oculos Ouidius de arte amandi III. E posuit dicens:

Tempus erit quo tu, quæ nunc excludis amantes,
Frigida deserta nocte iacebis humi.
Nec tua frangetur nocturna ianua rixa,
Sparsa nec inuenies limina mane rosis.

Et Horat. lib. car. II. ad Lydiam:

Inuicem mœchos anus arrogantes
Flebis in solo leuis angiportu,
Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento.

Cum tibi flagrans amor & libido,
Quæ solet matres furiare equarum,
Sæuiet circa iecur vlcerosum
Non sine questu.

ACHILLES STATIVS.

Non *ego celari possum, quid nutus amantis.*] in veteribus omnibus, Celare possum. mihi valde probatur quod Aldus edidit,

Non ego celarim, possit quid vultus amantis.

Sed in Sfortiæ libro pro Amantis, Amoris legebatur. Nutus autem in amore adhiberi soli- B tos, multorum versus poëtarum Latinorum significant. Et Theocritus in Pharmaceutria.

Κήπει καί τιν ἰῶδε μάθοις μέτει, ὅσσα νίσσω.

Qvidve *ferant miti lenia verba sono.*) Lenes illi susurri, vt ab Horat. dicuntur.

Præcinit *euentus.*) Vaticanus liber duplicem ostendit lectionem. est enim etiam illic, Exprimit euentus.

Ipsa *Venus magico religatum bracchia nodo.*) Magicum nodum, dicit cantum ipsum veneficæ, quo quasi deuotus longo vsu, multaque acerba experiundo, amoris omnia perdidicit magisteria. Sic, vt facile intelligat, ac signis exploret amicæ suæ vel propensum animum in se, vel alienum.

Perdocvit *multis non sine verberibus.*) in Florentino, Perdocuit Marathum non sine vulneribus. De Marathi enim amoribus tam multa scribit.

Qvos *videt inuitos.*) Significat amicam vix tandem se amare cœpisse.

Qvid *tibi nunc molles.*) in Sfortiæ libro, Quid tibi tum.

Sæpeqve *mutatas.*) in Florentino, Sæpe & mutatas.

Qvid *fuco splendente comas ornare.*) in vno meo, non Comas, sed Genas. quod est omnino rectius. etenim Comas iam dixit.

Artificis *docta subsecuisse manu.*) Vaticanus liber illam quoque lectionem præ se fert, vt pro Subsecuisse, Supposuisse etiam legi possit. Quod si sequimur, Doctæ manu, legendum censeo. Vt sub cultro esse dicuntur, qui versantur in periculo, sic vngues artificis manu supponi dicantur circumcidendi.

Ansaqve *compressos colligat arta pedes.*) In Sfortiæ libro,

Ansaque compressos colligit arte pedes.

In nonnullis, Adligat arta pedes. Aldus olim,

Artaque constrictos cogit aluta pedes.

Quod esse docti alicuius commentum reor. Ansa vero est, quæ Græce ὁ λαβὶς dicitur. auctor Seruius in VII. in illud, *& pictis scuta Labici.* Ansulas etiam, in hoc genere, dixit Valerius Max. in VIII. cap. XIII. *Mirifice & ille artifex, qui in opere suo moneri se à sutore de crepida, & ansulis passus.* Et Plin. in XXXV. de eodem, *Ferunt que à sutore reprehensum, quod in crepidis vna intus pauciores fecisset ansas.* Et Sidonius Apollinaris ad Lampridium,

Perges sic melius volante saltu,
Si vestigia fasciata nudi
Per summum digiti tegant, citatis

Firmi ingressibus, atque vinculorum
Concurrentibus ansulis reflexa
Ad crus per cameram catena surgat.

ILLA *placet.*] in Florentino, Ipsa, vt & olim Aldus. in ceteris omnibus, Illa.

NEC *nitidum tarda compserit arte caput.*] Terent.
Dum comantur, dum molliuntur, annus est.

NVM *te carminibus, num te pallentibus herbis.*] ἀποστροφὴ ad Marathum. Pallentes herbas etiam dixit Vergilius,
Illice sub nigra pallentes ruminat herbas.

DEVOVIT *tacito tempore noctis anus.*] Magicæ mulieres, anus. Insignis vero locus est, apud Laertium in Bione, vbi anus, eiusmodi functa ministerio, ab eo describitur. De Bione enim, impietatis suæ pœnitente: Οὐδ' ὅτι μόνον ἤλθε, σύγχωτι τοῖς θεοῖς. ἀλλὰ καὶ γραιδίῳ δοῦναι ἀμμαφοῖς τράχηλον εἰς ἐπῳδήν, καὶ σκύτεσι βραχίονας πλεξάμενος ἴδιον. Quibus in verbis esse etiam illud videtur, quod supra dixit,
Magico religatum bracchia nodo.
Et, quæ vocantur in hoc genere Carmina, dici à Græcis Ἐπῳδάς. Et Theocritus Anum magicam significauit, & verbo Ἐπᾴδειν in hoc genere est vsus in Pharmaceutria: Ἢ ποίας ἔλιπον γραίας δόμον, ἅτις ἐπᾷδεν. De quo iam dictum. Sic Horat. in v. Carm. Carmen posuit,
A, a, solutus ambulat venefica
Scientioris carmine.
Et Ouid. in II. de Arte amandi,
Phasias Aesoniden Circe tenuisset Vlixem,
Si modo seruari carmine posset amor.
Idem Tibullus ante,
Carmine cum magico præcinuisset anus.

CANTVS *vicinis fruges traducit ab agris.*] Ἐκβαίνεις. In Sfortiæ libro, Segetes deducit. Sed illud probabilius.

CANTVS *& iratæ detinet anguis iter.*] sic etiam in scriptis libris, fœminino genere. Vergilius, masculino,
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Carisius in I. *Anguis, cum sit masculini generis, dixerunt tamen & fœminini, vt Tibullus,*
——iratæ detinet anguis.
Et Ouidius,
-mediæ Marsis finduntur cantibus angues,
Et Varro Atacinus,
Cuius vt aspexit torta caput angue reuinctum.

CANTVS *& è curru lunam deducere temptat.*] In vno meo, aliisque nonnullis, Deducere lumina. Horatius similiter,
Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.
Est enim, Deducere, ex alto, atque excelso loco deorsum ducere. Ouid in III. Fastorum,
Hunc tu non poteris per te deducere cælo.
Quo fit, vt probabilius legatur supra, Traducit, quam Deducit.

ET *faceret, si non æra repulsa sonent.*] Auctor poëmatis de medicamine faciei,
Et quamuis aliquis Temesæa remouerit æra,
Numquam luna suis excutietur equis.
Et Plin. *Misera mortalitas, velut mortem siderum pauens, deliquio solis in luna veneficia arguente ob id crepitu dissono auxiliata est.* Theocritus in Pharmaceutria:
Θέστυλι, καὶ κύνες ἄμμιν ἀνὰ πτόλιν ὠρύονται.
Ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι· τὸ χαλκίον ὡς τάχος ἄχει.
Interpres. Τὸν γὰρ χαλκὸν ἐπῆδον ἐν ταῖς ἐκλείψεσι τῆς σελήνης, καὶ ἐν τοῖς κατοιχομένοις, ἐπειδὴ ἐνομίζετο καθαρὸς εἶναι καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων· διόπερ πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν καὶ ἀποκάθαρσιν ἐχρῶντο. ὥς φησι καὶ Ἀπολλόδωρος ἐν τῷ περὶ θεῶν.

CARMEN.] τὴν ἐπῳδήν.

FORMA *nihil magicis vtitur auxiliis.*] eam forma vim habet, vt in sui amorem facile quemuis rapiat.

SED *femori conseruisse femur.*] legendum forte, *Sed femini conseruisse femur.* Sic enim Carisius in I. *Femini. Tibullus, Implicuit femur femini: non, Femori. quasi sit hoc Femur, huius Feminis. Femen enim nominatiuo vt Semen, necdum legimus à veteribus adsertum.* Versus, opinor, Tibulli fuit, *Implicuitque femur femini.* itaque obliquis huius nominis semper hoc vsum modo Tibullum existimo.

NEC *tu difficilis puero.*] sic Horat.
Et te sæpe vocanti
Duram, difficilis mane.
Et Ouid. in II. de Arte amandi,
Nec Venus oranti, nec enim dea mollior vlla est,
Rustica Gradiuo difficilisque fuit.

MVNERA *nec poscas.*] in multis veteribus hoc modo. In multis item, Ne poscas.

CVI *leuia fulgent Ora.*] In Sfortiæ libro, non Leuia, sed Mollia. Sic autem inberbem, atque inuestem significat. Quintilianus in XII. de Polycleto. *Nam vt humanæ formæ decorem addiderit supra verum, ita non expleuisse deorum auctoritatem videtur. Quin ætatem quoque grauiorem dicitur refugisse, nihil ausus vltra leues genas. Leue,* sine diphthongo scribendum. mutata enim quantitate aliud significat. hoc ita esse, vetera monumenta confirmant. Græce μαλακὸν sic prope dici videtur. Theocr. in Βουκολιασταῖς. Ὡς μαλακὸν τὸ [illegible] ἔχεις.

ASPERA *barba.*] in vno meo, Hispida.

HVIC *tu candentes humore suppone lacertos.*] In Vaticano præter hanc, illa etiam lectio, Huius candentes. Et quæ sequuntur.

ET *regum magnæ despiciantur opes.*] Propert in I.
Quæ mihi dum placata aderit, non vlla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

PVERO *concumbere furtim.*] in Sfortiæ libro, & Florentino, non, Concumbere, sed, Succumbere.

DVM *timet.*] in Sfortiæ libro, Dum tenet.

ET *teneros conserit vsque sinus.*] Sinus conserit, opponens alior. oculis, & puero imponens. vt translatum sit ab agricultoribus, frequentes arbores serētibus, vel à re militari, in qua qui sunt in insidiis, densas arbores opponunt oculis hostium: vel legendum, Congerit, non Conserit.

ET *in collo figere dente notas.*] Propertius in IV.
Hæc noceant potius, quam dentibus vlla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Et Horatius,
Impressit memorem dente labris notam.

QVÆ *frigore sola Dormiat.*] Per hiemem. Vergilius,
Lac mihi non æstate nouum, non frigore desit.

Atque alibi,

Ante focum, si frigus erit, si messis in vmbra.

Et Sophocles in Philoctete,

——ἵν' ἐν ψύχει μὲν ἡλίου διπλῆ

Πάρεστιν ἐνθάκησις, ἐν θέρει δ' ὕπνον

Δι' ἀμφιτρῆτος αὐλίου πέμπει πνοή.

Numero quoque multitudinis idem significat Columella in IV. Nam, *vbi ruris vastitas electionem nobis temporis negat, valentissimam quamque partem vincti frigoribus macerrimam vere, vel autumno.* Et quæ sequuntur.

Et *nulli sit cupienda viro.*] In Sfortiæ libro, Capienda.

Seroqve *iuuenta.*] In multis veteribus non Iuuenta, sed Iuuentas. quod placet.

Tvm *studium formæ est.*] in Sfortiæ libro non erat verbum, Est.

Coma *cum mutatur.*] in scriptis omnibus, Coma tum mutatur. cuiusmodi enim mutatio sit, ea, quæ sequuntur, ostendunt.

Tollere *tunc cura est.*] in multis libris, non Tunc, sed Nunc. illud rectius. Propertius in III. eodem modo,

Vellere cum cupies albos à stirpe capillos.

Eodem etiam pertinet, quod de Iulia narrat Macrobius in III. Saturn. in iocis August. *Illa enim mature habere cœperat canos, quos legere secreto solebat. itaque calua, quam cana, esse malle videbatur.* Eleganter in eodem genere Mimnermus lusit:

Ἥβη τιμήεσσα τὸ δ' ἀργαλέον καὶ ἄμορφον

Γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτίχ' ὑπερκρέμαται.

Albos *à stirpe capillos.*] canos. Vergilius in IX.

Omnia longæuo similis, vocémque colorémque

Et crines albos.

At *tu, dum primi floret tibi temporis ætas, Vtere.*] sic Ouid. in III. de Arte amandi, in eandem sententiam loquitur,

Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas.

Hev *Marathum torques.*] in nonnullis libris, Seu, non, Heu: &, Torque, non Torques. Legendum forte, Heu Marathum torque. Marathi vero liberti meminit Suetonius, in vita Augusti.

In *veteres esto dura puella senes.*] Veteros, vietos. Sic Horat. Saturnum dixit veterem. Verg. in IX. antiquum Buten. Terent. in Eunucho,

Hic est vetus, vietus, veternosus, senex.

Catullus Priscum parentem sic dixit, in Nuptiali carmine. quamquam alij alio referunt. Cecropem aiunt iureiurando Athenienses adstrinxisse, vt vna quisque vxore contentus viueret. hunc à Catullo Cecropem priscum parentem dici. Sitque eius loci sententia, Si tibi vxor alia placebat, me certe ancilla, ac serua vterere. Sed hoc eruditi viderint.

Non *illi sontica caussa est.*] In Vaticano etiam, Sattica. In vno meo, Rustica. In alio, Scutica. quæ sunt omnia vitiosa. Legendum itaque Sontica. est autem sensus, quod Marathus tam rubet, quam si luteo tinctus esset, non ille quidem turpe ob factum aliquod erubescit, sed amoris hæ notæ sunt, quo vehementer inceditur. Sontica caussa quæ sit, docere videtur Nævius, apud Festum Pompeium, cuius illa sunt:

A *Sonticam esse oportet caussam, quamobrem perdas mulierem.* Itaque grauem culpam sic, opinor, quasi prouerbio significabant.

Sed *nimius luteo corpora tingit amor.*] vel quod amore sit incensus, vt rubescat: vel quod eo sit amabilis colore. Luteum autem, non Lutum, dici à Vitruuio, adfirmant. Et legendum apud Vergilius,

Iam croceo mutabit vellera luteo,

idque per synæresin. Quam lectionem Seruius videtur agnoscere. interpretans enim ait, *Luteo colore, rubicundo.* itaque in meo bene veteri libro.

B Vel *miser, absenti mæstas quam sæpe querelas Conicit.*] Vel, particula sic iuncta cum Quotiens, &, Quam, particulis videtur, apud Terentium, in Hecyra.

Vel hic Pamphilus iurabat quotiens

Bacchidi, Quam sancte,

Mæstas querelas sic dixit, vt Vergilius,

Et mæstis late loca questibus implet.

Conicere autem querelas, sic dixit, vt & Verg. iactare, in Bucol.

——*tamen hæc incondita solus*

Montibus, & siluis studio iactabat inani.

Et in IV. Propertius,

Vt responsuræ singula verba iace.

C Et Græci, opinor, Ἀναβάλλειν.

Qvid *me spernis, ait.*] in nonnullis libris, Spernit.

Poterat *custodia falli.*] in omnibus libris, Vinci, non Falli.

Nota *Venus furtiua mihi.*] Nil est, inquit, quod te excuses: nihil quod vereare. possum enim ad te furtim venire, tecum esse, sine vllo animæ, aut osculorum, qui nos prodat, strepitu. Furtiuam quoque Venerem Mimnermus significat, apud Stobæum:

Κρυπταδίη φιλότης καὶ μείλιχα δῶρα καὶ εὐνή,

Ἄνθεα καὶ ἥβης γίγνεται ἁρπαλέα.

D Et, vt putatur, Orpheus in hymno in Venerem: Πόθοι λεκτροχαρής, κρυφία χαριδῶτι. Et Ouid. in I. de Arte Amandi:

Vtque viro furtiua Venus, sic grata puellæ.

Et *strepitu nullo.*] in Florẽtino, Et sonitu nullo.

Qvid *prosunt artes.*] sic in vno meo, & Florentino. In ceteris, Quid possunt artes. vt & Aldus pridem edidit. Ouidius illo modo,

Nec prosunt domino, quæ prosunt omnibus artes.

Evigilanda *modis.*] In Vaticano, ac nonnullis aliis, non Modis, sed Malis.

Desistas *lacrymare puer.*] Hæc Tibullus.

E Odervnt *Pholoe, moneo, fastidia diui.*] sic in veteri monumento. in Lusitania, verbum Moneo interpositum:

Vixi terdenos annos, sine crimine vita,

Viuite victuri, moneo, mors omnibus instat.

Fastidia vero sic dixit, vt & Verg. eodem in genere:

Atque superba pati fastidia.

Nescivs *vltorem post caput esse Deum.*] Amorem ipsum.

Sæpe *etiam lacrymis fertur risisse dolentis.*] in meis, item in Vaticano, & Florentino, Lacrymas, non Lacrymis.

Qvæ-

QVÆCVNQVE *opposita est.*] In Sfortiæ libro, Apposita est. At illo modo etiam Ouidius de arte amandi,

Si tibi per tutum, placitúmque negabitur ire,
Atque erit opposita ianua fulta sera.

IANVA *firma.*] In plerisque non Firma, sed Dura.

NISI *desinis*) In pletisque, Ni desinis.

M. ANT. MVRETVS.

NON *ego celari.*) ita exercitatum ac tritum dicit esse se in rebus amatoriis, vt vel ex nutibus facile intelligat, quasíque auguretur, quis adolescens cuius puellæ amore ardeat: quare non esse, cur amorem suum abscondere nitatur Marathus: se enim facilè perspicere, cum mirifico quodã Pholoes amore torqueri. Hunc Marathum amabat Tibullus: hac igitur elegia hortatur Pholoen, vt ei parcat, neque tam pulchro puero amatorem vllum, quamuis diuitem, anteponendum putet.

NON *ego celari.*] idem de se profitetur Propertius,

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere, quos iuuenes quæque puella domet.
Me dolor & lachrymæ merito fecere peritum.
Atque vtinam posito dicar amore rudis.

NEC *mihi sunt sortes.*] Ouidius,

Non ego Phœbe datas à te mihi mentiar artes:
Nec nos aeriæ voce monemur auis.

& paulò pòst, *Vsus opus mouet hoc.* ——

QVID *tibi nunc molles.*) hæc videtur hisce versibus subesse sententia. Quid tibi prodest, ô Marathe, tantum studium posuisse in forma excolenda. vt Pholoen tui amore incenderes? contra enim cecidit. neque illa tui, sed tu ipsius amore correptus es. itaque ipsa iam tibi, etiam si incompta, atque inornata venerit, placet.

SI *non æra repulsa sonent.*] æris enim tinnitu credebant fieri, vt ne magicorum carminum sonus ad lunam perueniret: eámque hoc modo laborantem adiuuari.

SED *corpus tetigisse.*) potitus igitur ea iam erat Marathus. sed ipsa post superba facta erat.

ASPERA *barba.*) liber vetus, *hispida.*

AT *Venus inuenit.*) non perfacile est videre, horum quatuor versuum sententia quo modo cum cæteris cohæreat. videtur autem hoc dicere: Si fortè metuat sibi Pholoë ne à diuite amatore illo sene deseratur, si se Maratho quoque facilem præbuerit, Venerem ipsam inuenisse modos, quibus ipsa clam cum puero delicias facere, &, vt Plautus loquitur, caput collimare possit.

NON *lapis hanc.*) mulier illa quæ neminem habet, quicum se oblectet, quæque hieme longas illas noctes viduas exigit: etiam si lapillorum ac gemmarum vim maximam habeat, voluptatem tamen ex eis nullam capit.

LVTEO.) aut crasis est, aut legendum vt in quibusdam veteribus, *luto.*

IANVS DOVSA FIL.

NVM *te carminibus, num te pallentibus herbis.*] Idem epithetum herbis tribui videmus à Virgilio. vnde & Sappho loquens de pallore illo amantium viola, vt Horatius ait, tincto: χλωρο-τέρη ἢ ποιᾶ ἔμμι, dixit. Videndum tamen, an non *pollentibus* scripserit Tibullus ad vim herbarum & efficaciam respiciens.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

NON *ego celari.*) οὐκ αὖ λάθοιμι. Ouid. Fast. III.

Præcipue cupiam celari Thesea. ——

QVID *fuco splendente genas ornasse.*) Fucus erit sandix & cerussa. Sed optima illa excerpta habebant *succo*, non *fuco*. Ego puto legendum,

Quid succo splendente genas onerasse?

Succus splendens est crassius sputum ex madido pane, vt ius collyricum, cuius illitu genis splendorem conciliabant. Tertullianus de cultu mulierum: *Ad mensuram neminem sibi adiicere posse pronunciatum est. Vos plane adiicitis ad pondus, collyridas quasdam, sputorum vmbilicos ceruicibus astruẽdo.* Collyridas vocat à succo crassiore. vnde offas etiam vocat Iuuenalis:

Sed quæ mutatis inducitur, atque fouetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicetur, an vlcus?

Ex pane enim siligineo id fiebat. Idem:

Et pressum in facie digitis extendere panem.

Suetonius in Othone: *Quin faciem quotidie rasitare, de pane madido linere consuetum. idque instituisse à prima lanugine, ne barbatus vnquam esset.* sputum autem Tertull. vocat tenue corium aut crustam, quæ ex illo tectorio inducebatur. Mart.

Hoc linitur sputo Iani caryota calendis.

sputo, corio tenui sputi vmbilicos, bullas & pompholygas illius crustæ. Sic tenuis lamina σιάλωμα, hoc est sputamentum, dicitur Polybio. Rectè autem *onerasse genas.* Vnde Tertullianus dixit mulieres adiicere ad pondus sui moduli, quum crasso illo pane faciem onerarent. Recepta lectio defenditur Plauti auctoritate:

Venisti buccam exornatus ossibus.

ANSAQVE.) Ansa calciamentorum ἴουλαν, ἀγκύλην. Vide quæ in librum v. Manilij notamus.

CANTVS *vicinis fruges traducit.*] Rectè exprimit verbum excantare duodecim Tabularum. Excantare fruges non est simpliciter incantare. sed è loco in locum carminibus traducere. Ouidius:

Nec seges ex aliis alios transibit in agros.

In nostro libro erat *deducit* non *traducit.*

CANTVS *& irata.*) Citatur à Charisio.

CANTVS *& è curru Lunam.*) Veteres rarò dicebant ἔκλειψιν σελήνης, sed καθαίρεσιν σελήνης. Nam de Sole veteribus ἔκλειψις vsurpatur tantũ. Scholiastæ Apollonij: ἐφαντάζοντο οἱ ὅτε ποτὲ τῆς σελήνης ἔκλειψιν ὑπὸ φαρμακίδων γίνεσθαι καθαιρουμένης, διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ καθαιρέσεις ἐκάλουν τὰς ἐκλείψεις. Sosiphanes Meleagro:

Μάγοις ἐπῳδαῖς πᾶσα Θεσσαλὶς κόρη
Ψευδὴς σελήνης αἰθέρος καταιβάτις.

vbi καταβάτης est καταιβάτης.

A T *Venus inuenit.*] Lege *Inueniet.* cætera docebit Venus.

C O N C V M B E R E.] Lege *succumbere*, ex veteri ſcriptura. Catullus:

Sed cuiuis quamuis potius ſuccumbere fas eſt.

D V M *timet.*] Omnino legendum, *Dum tumet.* ὀργᾷ.

E T *teneros conſerit vſque ſinus.*] Lucretius,

—— *muliebria conſerit arua.*

& in Oraculo: μὴ σπεῖρε τέκνων ἄλοκα δαιμόνων βίᾳ. Locus hactenus non intellectus, ἐκεῖ δὲ τὸ ἀπόρρητα ἔσπειρεν ἄλοκα παίδων.

N O N *lapis hanc, gemmaq́ue iuuant.*] Lege:

Non lapis hanc, gemmaq́ue iuuent, quæ frigore ſola
Dormiet: & nulli ſit cupienda viro.

Η μονοκοιτοῦσα αἰσχροφρόδιτος καὶ ἄχαρις ἔστω.

E T *faciem demta pelle referre nouam.*] Putabam noſtro tempore tantum hoc incœpiſſe. Sed quãtum video, non minus illæ veteres lupæ inſaniebant, quàm hæ noſtræ ætatis.

H E V *Marathum torques.*] Lege, *Neu Marathum torque.* Et in libro quarto:

Neu iuuenem torque. ——

N O N *illi ſontica cauſa eſt.*] Liquida ſcriptura in noſtro libro. θανάσιμον πάθος, ſonticam cauſſam vocabant. & θανάσιμον νόσον morbum ſonticum. Feſtus: *Sontica cauſſa dicitur à morbo ſontico, qui quid gerendum agere non permittit. Cato de Regis Attali vectigalibus.* Mox citat verba. In epitome Pauli: *Sonticum inſlum.* Gloſſæ Iſidori: *Sonticus verax.* Gloſſæ Græcorum: *Sonticus* ἄξιος.

S E D *nimius luteo.*] Scribe *luto.*

—— *mutabit vellera luto.*

I L L I V S *credo tunc ſonuiſſe pedes.*] Scribe, *pedem.* vt eſt in priſca ſcriptura. Ab hoc pentametro duo diſticha ex II. libro huc retrahenda ſunt.

Ah pereant artes, & mollia iura colendi.
Horrida villoſa corpora veſte tegam.
Nunc ſi clauſa mea eſt, ſi copia rara videndi,
Heu miſerum, laxam quid iuuat eſſe togam?

A H *pereant artes.*] quomodo ſuperius iam dixit:

Quid proſunt artes, miſerum ſi ſpernit amantem?

E T *mollia iura colendi.*] Verbum colere circa curam veſtimentorum. Iuuenalis:

—— *vel Thaida nullo*
Cultam palliolo. ——

Martialis,

Nec ſic in Tyria ſindone cultus eris.

Ouidius,

Cui color infelix? aut cui placuiſſe laborem?
Ille mei cultus vnicus auctor abeſt.

H O R R I D A *villoſa corpora veſte tegam.*] Ita legendum, non *tegant.* vt in excuſis, vbi etiam verſum inſititiũ inculcauerant, quia non videbant, quid volebat poëta, neque quo pertinebant hæc duo diſticha. Ergo, inquit, hos amictus molles deponam. Sumpſerat enim molles ornatus, quo placeret amicæ, vt ſuprà iam dixit Tibullus:

Fruſtra iam veſtes, fruſtra mutantur amictus.

vt indubitata ſit horum quatuor verſuum in hunc locum reſtitutio.

D E S I S T A S *lacrymare puer.*] Iam enim lacrymabundus dicebat:

Heu miſerum, laxam quid iuuat eſſe togam?

O D E R V N T *Pholoe.*] Pudicam fuiſſe, & nemini patuiſſe etiam teſtatur Horatius:

—— *Cyrus in aſperam*
Declinat Pholoen. ſed prius Appulis
Iungentur capreæ lupis
Quam turpi Pholoe peccet adultero.

ELEGIA IX.

Q V I D mihi, ſi fueras miſeros læſurus amores,
Fœdera per diuos clã violanda dabas?
Ah miſer, & ſi quis primò periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedib.
Parcite Cœleſtes. æquũ eſt impune licere
Numina formoſis lędere veſtra ſemel.
Lucra petens habili tauros adiungit aratro,
Et durum terræ ruſticus vrget opus.
Lucra petituras, parẽtia per freta ventis;
Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.
Muneribus meus eſt captus puer: at Deus illa
In cinerem, & liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi perſoluet pœnas, puluiſque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Vretur facies, vrentur Sole capilli.
Deteret inualidos & via lõga pedes.
Admonui quoties, Auro ne pollue formam,
S Æ P E ſolent Auro multa ſubeſſe mala.
Diuitiis captus ſi quis violauit amorem,
Aſperáque eſt illi, difficiliſq; Venus.
Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga ſeca.
Nec tibi celandi fas ſit. peccare paranti
Sit Deus, occultos qui vetet eſſe dolos.
Ipſe Deus tacito permiſit laua miniſtro,
Ederet vt multo libera verba mero.
Ipſe Deus ſomno domitos emittere vocem
Iuſſit, & inuitos facta tegenda loqui.

Hac ego dicebam: nunc me fleuisse loquentem, **A**
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tum mihi iurabas, nullo te diuitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si pretium Campania terra daretur,
Nō tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera cœli **B**
Lucere, & puras fluminis esse vias.
Quin etiam flebas. at non ego fallere doctus
Tergebam humentes credulus vsque genas.
Quid facias, nisi & ipse fores in amore puellæ?
Sit precor exemplo sed leuis illa tuo.
O quoties, verbis ne quisquā cōscius esset, **C**
Ipse comes multa lumina nocte tuli!
Sæpè insperāti venit tibi munere nostro,
Sed latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interij, stultè cōfisus amari:
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
At me nūc nostri, Pieridúmq; pudet. **D**
Illa velim rapida Volcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis [aqua.]
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est,
Et pretiū plena grande referre manu.
At te, qui puerū donis corrūpere es ausus,
Rideat aßiduis vxor inulta dolis.
Et cùm furtiuo iuuenem lassaueris vsu, **E**
Tecū interposita lāguida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis sēper aperta domus.
Nec lasciua soror dicatur plura bibisse
Pocula, vel plures emeruisse viros.
Illam sępe ferunt cōuiuia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi prouocet orta diē.
Illā nulla queat melius consumere noctē,
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit, nec tu stultißime sētis,
Cùm tibi non solita corpus ab arte mouet.
Túne putas illam pro te disponere crines?
Aut tenues denso pectere dente comas?
Ista hæc persuadet facies, auróq; lacertos
Vinciat, & Tyrio prodeat apta sinu?
Non tibi, sed iuueni cuidam vult bella videri,
Deuoueat pro quo rémque domúmq; [tuam.]
Nec facit hoc vitio, sed corpora fœda podagra,
Et senis amplexus culta puella fugit.
Huic tamen accubuit noster puer. hunc ego credam
Cum trucibus Venerem iungere pos- [se feris.]
Blāditiásne meas alij tu vēdere es ausus?
Tune alij demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, cùm me vinctum puer alter habebit,
Et geret in regno regna superba tuo.
At tua tum me pœna iuuet, Veneríque merenti
Fixa notet casus aurea palma meos:
Hăc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat, & grata sis, Dea, mēte rogat.

BERN. CYLL. VERON.

QVID *mihi si fueras teneros lusurus amantes.*] de puero conqueritur, qui se neglexerit. alij legunt Amores miseros.

PER *diuos.*] i. deorum testimonio perpetrata.

ET *si quis.*] hoc dicit quasi inferens illum solum esse perfidum, quibus verbis eum ab amore alieno reuocet.

TACITIS *pœna.*] lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira: tarditatémque supplicij grauitate compensat. Et tacitis pedib. dixit ad opinionem antiquitatis: nam (vt refert Porphyrius) dij pedes habere lanatos crediti sunt, quod nonnunquam tarde punirent peccatores. Horat. Carm. III.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

NVMINA *formosis lædere vestra semel.*] mutat sententiam quam suprà dixit,

Ne iurare time, Veneris periuria venti
Irrita per terras & freta summa ferant.

Ita etiam Propert. Elegiarum II.

Non semper placidus periuros ridet amātes Iuppiter.

LVCRA *petens habili.*] pecuniæ cupiditate puerum captum dicit à simili. secutus est enim

lucrum ac arator & nauclerus, qui labores omnes immodicos, & asperrima perpetiuntur incommoda, dummodo lucrum faciant.

DVRVM *opus terræ.*] laboriosam significat agricolationem. nam semper in ea quid est agendum. Præterea (vt primo rerum rusticarum scribit Varro) cùm primum terram rustici arant, dicuntur proscindere: cùm iterum, effringere appellant: quoniam prima aratione glebæ grandes solent excitari. cùm iterant effringere vocant: deinde lyrant seu occant: quod genus in agricultura multa sunt.

SIDERA *certa.*] sidera multa multis sunt fidissima, & alia aliis, vt Cynosura Tyriis, Helice Graiis. Flaccus in Argonautic. I.

- neue in Tyriis Cynosura carinis

Certior: aut Grays Helice seruanda magistris.

Omnibus autem nostris generaliter inspicitur Septentrio. Manilius lib. Astronomicon.

Summa tenent eius miseris notissima nautis

Signa per immensum cupidos ducere pontum.

CERTA *ergo.*] i. cursum suum dirigentia. vt Horat. Carm. II.

- neque certa fulgent Sydera nautis.

DETRAHET *d.*] deformabit pulchritudinem.

VRENTVR *sole capilli.*] quippe Sol nimius asperos & nigros capillos efficit. Vnde Hercules apud Propert. Eleg IV. inquit ad nymphas:

Terreat & Lybico Sole perusta coma.

DETERET.] lædedo imminuet. est enim deterere, detrahere & diminuere. Iuu. in Vmbricio:

- atque eadem cras Deterere exiguis aliquid.

SAEPE *solent auro multa subesse mala.*] verius vero & certius certo: nam propter aurum (vt Phocyllides scribit bellu est, raptúsq; necésque, quod eius est doli apud mortales, vt cùm omnium malorum causam iniungat, & vitam tristitia affliктет, irreptum fuisse præstiterit.

DIVITIIS *captus.*] iratam Venerem dicit his qui diuitias amori præponderant. Quare Propert. indignatus Eleg. II. exardet dicens:

Ergo muneribus quiuis mercatur amicam?

Iuppiter! indigna merce puella perit.

ASPERAQVE *est illi difficilisque Venus.*] sic suprà: *-- Et insidiis quod sit acerba monet.*

INTORTO *verbere.*] flagrum seu scuticam ex materia intorta significat.

EDERET *vt multo libera verba mero.*] temulentorum vitium est vt omnia publicent secreta animi, cùm nullam rationem in se habeant, & ignorent inguinis & capitis quæ sint discrimina, qua ex causa ab eis occulta facile detorquentur. Horat. in arte poëtica,

Et torquere mero quem perspexisse laborent,

An sit amicitia dignus. Et in Carminibus,

Arcanique fides prodiga perlucidior vitro.

Liba autem verba sine respectu intelligit. & à Libero patre liber, ra, rũ deducitur: quin, vt Val. Max. ait, liberalitas quoque ex ipso numine nomen quæsitum est.

PERDERE.] destruere atq; violata abiicere.

CAMPANIA *terra.*] Campania est fertilissima regio, à quo denominatiuum fit Campanus, minusculum suo primitiuo vna syllaba, vt Hispania Hispanus: sed metri gratia Campania

A pro Campana ponit vsurpatiuè.

AGER *Phalernus.*] Phalernum mons est Campaniæ iuxta Puteolos: vbi optimum vinum nascitur quapropter cura Bacchi esse dicitur, qui vitis sator fuit.

ERIPERES.] quasi inuitum cogeres, vt ita tibi crederem.

PVRAS *fluminis esse vias.*] flumina naturaliter sunt lutulenta si rapidè fluant: tùm quia sabula deuoluunt: tùm quod in ea domorum purgamenta, & cloacarum sordes immittuntur. Alij legunt fulminis: fulmen enim dum exprimitur luctatione ventorum scindit aëra, & vias non

B puras agit.

IN *amore puellæ.*] à qua illuderis. & Marathum videtur significare: de quo elegia ad Pholoem meminit.

O *quoti.*] pericula sua obiicit, quæ ipse promptè adiit, dum eum ad puellam euntem comitatur.

MVNERE.] officio.

LATVIT.] ideo latuit, ne à me agnosceretur.

ATTONITA.] nimia cupiditate canendi.

AT *tu qui puerum.*] dira est imprecatio in pueri corruptorem.

DOLIS.] furtiuis concubitibus.

LASSAVERIT *vsu.*] assiduo coitus vsu per clunium excussionem defatigauerit. vsum enim

C assiduè in libidine clunopalin vocant, quod Iuu. ait: *Et lassata viris nec dum satiata recessit.*

INTERPOSITA *veste.*] seu stratum capit, seu culcitram. sensus est: quod mulier inter se & virum quasi irata vestem interponat, ne se tangat.

EXTERNA.] aliena adulteria.

CVPIDIS.] cupidè intrare cum vxore cupiétib.

NEC *lasciua soror.*] non vxorem tantum modò vult istius corruptoris esse impudicam, sed eius etiam sororem: vt quæstum meretricium faciat, imprecatur esse vulgati corporis.

PLVRA *bibisse Pocula.*] aut toto vitæ spatio plures cyathos bibisse, aut nocte illa atque die, quasi quod vinosior sit inferat.

D QVAM *plures emeruisse viros.*] sensus est: Non plures ad quæstum sui corporis accepisse viros quam cyathos vini biberit, & emeruisse dixit, quoniam prostitutæ dicuntur meretrices à merendo: vnde & scorta meritoria vocantur, & notanda est locutio non plura bibisse pocula quàm emeruisse plures viros.

DVM *rota Luciferi prouocet orta diem.*] significat per hoc lasciuam puellam ab Occidente Sole ad Orientem conuiuium protrahere.

VARIAS *vices operum.*] exercitationum variam actionem aut fututionum variatos vsus: de quibus Ouidius in calce voluminis: quod de arte amandi composuit eleganter meditatus est.

E TVA *perdidicit.*] adulteria s. didicit, namq; vt facinus adulteri celet cùm debita Veneris munera coniux exigit, ipsa clunes quidem mouet, sed non mutuo coitus appetitu, quemadmodum inter caros coniuges conuenit.

AB *arte Non sol.*] olim quidẽ non solita & arte, inquit. i. apta mobilitate corporis ad cõcubitũ, ita quidẽ vt suum cum amatore celet adulteriũ.

DENSO *dente.*] à parte totum per periphrasim pectinem dicit, qui per denticulos minutissimos est insectus.

A

Bella.] formosa, pulchra. bonus & diminutiuum bellus elegantem significat. Propert. Eleg. II. *At si cæruleo quadam sua tempora fuco.*

Tinxit.] Icsirco cærulea forma bona est. i. pulchra.

Devovebat.] i. deuouendo consumet, vel cum deprecatione execret.

Non *facit hoc vitio.*] vt acerbius inimicum corruptorem pueri vituperet, dicit coniugem eius non suopte ingenij vitio adulteram esse, sed ipsius culpa. Fœtet enim & senio & podagris qui odor vxori maximè est odio. Quare Catullus amicum de riuali podagroso cõsulens dixit:

B

Nam quoties futuit toties vlciscitur ambos,
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

Corpora *fœda.*] fœdata intelligit corpora propter vnguenta, quibus podagrico dolori medentur.

Culta *puella.*] ergo sene indigna homine.

Hvic.] vetulo, quem coniux tenera fugit, & est admiratiuè prolatum.

Ivngere *Venerē.*] libidinis opus perficere.

Cvm *trucibus feris.*] sanè vt rem penè impossibilem diceret, addidit trucibus: nam ferarum quædam cicures sunt. hoc autem asperius est illo Virgiliano: *Iungentur iam gryphes equis.* — & est vehementius illo Horatiano:

C

Sed prius Apulis iungetur caprea lupis.

Et *geret in gremio regna super.*] i. dominabitur. namque amicæ vocantur dominæ, & earum obsequium regnum seu imperium, quasi amatores amatis subditi sint iure seruitutis. Horatius Carminum IIII.

Non sum qualis eram bonæ
Sub regno Cinaræ: desine dulcium
Mater sæua cupidinum
Circa lustra decem flectere mollibus
Iam durum imperiis. ——

D

Hanc *tibi fallaci.*] proseuche est ad Venerem, vt amatori suo gratę mentis indicium exhibeat. hoc vero sciet, si puero ipsi, cuius amore impotente Tibullus languit, se duram & inexorabilem in alias præbuerit.

ACHILLES STATIVS.

Miseros *læsuros amores.*] In Florentino, amantes. vt & olim Aldus.

Foedera *per diuos clam violanda dabas.*] Dare fœdera per diuos est, eorum numen atque auctoritatem, vt ita dicam, interponere.

E

A *miser.*] sic omnino legendum.

Et *si quis.*] Duo verba sunt.

Sera *tamen tacitis.*] Propert.

Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter. ——

Et *durum terræ rusticus vrget opus.*] Idem in II. hoc ipsum intellegens opus,

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.

Lvcra *petituras freta per parentia ventis.*] In Florentino, Parentia per freta. Lucan. in V.

Et dubium pendet vento cui pareat æquor.

Sunt, qui se legisse etiam dicant in veteribus libris, —— *per vela patentia ventis.*

At *Deus illa In cinerem & liquidas munera vertat aquas.*] Sic de rebus dicebant, quas esse funditus deletas volebant. Propert.

Sed quascunque tibi vestes, quoscunque smaragdos,
Quósve dedit flauo lumine Chrysolithos,
Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas.
Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua.

Et Ouid. in eodem genere, in III. Amor.

O si neglecti quisquam Deus auctor amoris,
Tam malè quæsitas puluere mutet opes.

Et auctor Culicis, in alio tamen genere,

Quamuis ignis eris, quamuis aqua, semper amabo.

Quæ omnia ducta ab Homerico illo:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

Iam *mihi persoluet pœnas.* Sic in omnibus veteribus libris. Aldus tamen olim, Persolues.

Paranti *Sit Deus.*] verbum, Esse hoc loco eam vim habet, vt infensum Deum significet. vt & Additus verbum apud Verg.

—*nec Teucris addita Iuno Vsquam aberit.* —

In nonnullis libris, Est Deus.

Ipse *Deus tacito permisit lene magistro.*] In vno meo,

Ipse deus tacito permisit lena magistro.

quod placet, si pro Magistro, legas, quod est in ceteris omnibus, Ministro. Vt lena, cui minister plurimum vini fudisset, taceti interim multa dixerit.

Somno *domitos.*] Ennius eodem modo in VIII. Annali.

Nunc hostes vino domiti somnóque sepulti.

Et *inuitos facta nefanda loqui.*] Cicero in libro Topicorum, de genere argumentorum ἀτέχνων. Et Lucret. in IIII.

Multi de magnis per somnum rebus loquuntur,
Indicióque sui facti persæpe fuere.

Nvllo *te diuitiis auri Pondere.*] In multis veteribus, non Te, sed Tibi. Eo forte sensu, aurum illi quocunque pondere diues non videri, præ fide ipsa.

Si *pretium Campania terra daretur.*] Propertius in III.

Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur.

Et Florus in I. cap. XVI. *Omnium non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est.*

Si *Bacchi cura Falernus ager.*] Bacchi cura, id est, Amor. Sic Verg.

—— *tua cura Lycoris.* Et Horat.

—— *tuenúmque prodis Publica cura.*

Illis *eriperes verbis mihi.*] persuasisses non lucere, alienatis propè sensibus, ac sublatis. Horatius eodē verbo sic est vsus in II. Serm. Sat. II.

Non tamen eripiam, posito pauone velis quin
Hoc potius quàm gallina, tergere palatum.

Et Cornelius Celsus eodem prope modo in VI. *Pæne ineptiæ sunt curare varos, & lenticulas, & ephelidas, sed eripi tamen fœminis cura cultus non potest.*

Sidera *cæli Lucere.*] Placet Vaticani libri lectio, —*sidera cælo Lucere.* —

Et *puras fulminis esse vias.*] vias: sulcos. Festus in verbo Sulci. Vergilius in V. Viam simili dixit in genere.

Namque volans liquidis in nubibus arsit harundo
Signauítque viam flammis.

Fulmen etiam, qua eius vestigium, similiter appellatur. nam legendum videtur hoc loco, Fulminis, non Fluminis. illo enim modo est in Florentino, ac nonnullis aliis. Puras autem, claras intellego. Lucanus in v. cùm portentum significaret, alienúmque ab eo, quod naturale & cõsuetum esset, A

Lux etiam metuenda perit, neq; fulmina currunt
Clara. ——

Sed nec, si Fluminis legamus, alienum videatur. Nam quod hoc loco bidental quidam, & contacta loca dicunt intellegi, quæ nec intueri, neque calcari debere fulgurales libri pronuntiant, vt ait Ammianus Marcellinus in XXIII. repugnans id esset poëtæ sententiæ. quid enim dicat, Eripères pura esse ea loca, persuaderes pura non esse, quæ verè pura non sunt. In Vaticano autem non Esse, sed Ire legebatur. quod placet. B

QVID *facerem.*] Aldus olim edidit, Quid faciam. In veteribus quibusdam, Quid faceres. Sed quocunque modo legas, difficilis est omnino sententia. Ego, quod est in Vaticano libro, vehementer probabam,

Quid dicam, quod, vt ipse, fores in amore puella.

Quid inquit, dicam etiam, quemadmodum ipse ego in tui amore, sic tu esses in amore puellæ. deinde commemorat quæ præstiterit amantibus obsequia.

O *quotiens, verbis.*] legi quidem hoc modo etiam potest, sed duriusculè. ego legendum putabam, non Verbis, sed Vobis.

SED *latuit.*] in quibusdam libris, Et latuit. quod placet.

NAM *poteram ad laqueos cautior esse tuos.*] similiter Sappho in asmate de Venere,

Καὶ σε χλιδῶσαν φιλεῖτο.

CVI *formam vendere cura est.*] in omnibus scriptis libris, Cura est.

QVI *puerum donis.*] In Florentino, Qui donis puerum.

FVRTIVO *iuuenem lassauerit vsu.*] Furtiua Venere, quod suprà dixit. in nonnullis autem libris etiam, Laxauerit. Sed illo modo etiam Ouid. in III. Amor.

Vidi ego cum foribus lassus prodiret amator,
Inualidum referens emeritúmque latus.

Atque alibi,

Aut te traiectis Aeæa venefica ramis
Deuouet, aut alio lassus amore venis.

SINT *externa tuo semper vestigia lecto.*] Vestigia corporis, quæ dicit Ouid. in III. de arte amandi, & Propert. in II.

Nec domina vlla meo ponet vestigia lecto.

Et in III.

Apparent non vlla toro vestigia presso
Signa voluptatis, nec iacuisse duos.

In omnibus ferè libris,

Semper sint externa tuo. ——

CVPIDIS.] amantibus. Idem alibi,

Et cupidi ad ripas arma relicta dei.

& sæpè sic alij.

DICATVR *plura bibisse pocula.*] idem alibi,

—— *at ipse bibebam*
Sobria supposita pocula victor aqua.

VEL *plures emeruisse viros.*] In vno meo, & Vaticano, non Vel, sed Quam. idque probandum etiam videtur.

ILLAM *sæpè ferunt.*] Placet, quod est in Florentino, Ferant, non Ferunt.

CONVIVIA *ducere Baccho.*] Producere. In eodem genere Horat. in III. Carm.

Te, Liber, & si læta aderit Venus,
Segnésque nodum soluere Gratiæ,
Viuæq; producent lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

ILLA *queat nullam melius consumere noctem.*] sic in vno meo. in cæteris, Illa nulla queat, & quæ sequuntur.

ATQVE *operum varias disposuisse vices.*] Totum hoc perobscœnum.

NEC *tu stultissime sentis.*] Catullus,

Mule nihil sentis. ——

TV *ne putas.*] in vno meo, atque in Sfortiæ libro, Putes.

AVT *tenues denso pectere dente comas.*] in Florentino, Et tenues. Tenuis capillos etiam dicit Manilius in I.

Flamma comas imitata volat, tenuísque capillos.

In eodem genere Simonides,

Ἀεὶ δ᾽ χαίτην ἐκτενισμένην φορεῖ
Βαθεῖαν ἀνθέμοισιν ἐσκιασμένην.

C ISTA *hæc persuadet facies.*] Hoc, vt ea quæ sequuntur membra, per interrogationem legitur. Est autem sensus, Tua ne ista facies persuadet hæc, vt & lacertos ore vinciat, & quæ sequuntur. Nam quod in verbo Suasum scribit Festus, huc videtur pertinere non posse.

AVRÓQVE *lacertos Vinciat.*] Armillis.

ET *Tyrio prodeat apta sinu.*] sic verbo Prodire est vsus Horat. in II. Carm.

—— *enitescis*
Pulchrior multo, iuuenúmque prodis
Publica cura.

Apta tanquam vincta, collecto sinu. ornata.

D Vergilius,

Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

DOMVMQVE *tuam.*] οἰκίας. id est, gentem. Sic enim Arist. in Poëtica loquitur, & Verg.

Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum
Adducat. ——

Catullus similiter,

Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullũ.

VENEREM *iungere.*] coire. vel matrimonio coniungi. Idem in IV.

Hoc primum iuncta est fœdere nostra Venus.

ET *geret in gremio regna superba tuo.*] In Sfortiæ libro, Et reget in regno regna. Quod dictum sic, vt Gaudere gaudium, & eiusmodi multa. In duobus meis,

E *Et geret in regno bella superba tuo.*

Quod non displicet.

AT *tua tum.*] In veteribus omnibus, Dum, non Tum.

VENERIQVE *merenti.*] In Vaticano, Veneri ipsa merenti.

FIXA *notet casus aurea palma meos.*] vnde pendeat id quod sequitur.

RESOLVTVS *amore Tibullus.*] Sic Martialis in X.

Addat cum mihi cæcubum minister
Idæo resolutior cynædo.

Sic resolutum videtur accepisse Columella in procemio lib. I. *Nam sic iuuenum corpora fluxa & resoluta sunt, vt nihil mors mutatura videatur.*

DEDICAT.] eodem verbo, & eodem pænè in genere Ouid in I. Amor.

Subscribam Veneri, fidas tibi Naso tabellas
Dedicat: at nuper vile fuistis acer.

M. ANT. MVRETVS.

QVID *mihi.*] ruptam sibi fidem conqueritur: & ei, qui illum, muneribus captum, abduxerat, malè precatur.

PETITVRAS.] si nihil vitij subest, secundam syllabam produxit, præter consuetudinem.

NEC *tibi celanti fas sit peccare.*] nec possis ita peccare, vt lateas. fas enim est δυνατόν.

PARANTI *sit deus*] si clam peccare pares, præsto sit deus ille, qui dolos occultos esse non patitur.

PERMISIT *lene.*] liber calamo exaratus, *permisit sæuis.* ego legendum suspicor, *permisit sæpè.*

ISTA *hæc persuadet.*] ista tua facies tam deformis ei persuadet, vt se comat, tantúmque in cultu corporis studium ponat, vt tibi bella videatur? scilicet, vt fœdo ac podagrico seni placeas, ita se comit. aut igitur cum interrogatione legendum est, aut è contrario intelligendum.

IANVS DOVSA FIL.

IPSA *Venus somno domitos.*] Allusit ad Epithetum Somni Homero frequens πανδαμάτωρ. Non ad viuum resecanda omnia in poëticis obseruationibus, neq; quærendam in eorum commentis constantiam, cùm aliàs deprehendi potest, tum ex hoc Tibulli loco liquidò videre est.

ILLAM *sæpè ferunt conuiuia ducere Baccho, Dum rota Luciferi prouocet orta diem.*] Attribuit enim currum Lucifero, quum apud alios ferè solo equo vectetur fusco quidem vespere, quando dicitur ἕσπερος, candido autem mane, quando est φωσφόρος. Quod ex Ouidij versu in Fastis,

Hesperus & fusco roscidus ibat equo.

obseruauit sæculi nostri ornamentum Ios. Scaliger in libro secundo singularis illius atque admirandi operis de Emendatione Temporum. Quod quia ab illo tantum obiter dictum est, neque pluribus auctorum testimoniis confirmatum, ad fidem maiorem hîc accuratius quædam exædificare decreui super fundamentis ab illo iactis. De candido quidem equo non memini legere. cæterùm de fusco est apud Pedonem Albinouanum Elegia in Mœcenatis obitum:

Quæsiuere chori iuuenem sic Hesperon illum
Quem nexum medio soluit in igne Venus:
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contrà currere cernis equis.

Nisi quod & hic videtur de curru intelligi posse, cùm dicit *equis.* Sed apertius Statius Papinius in VI. Thebaid.

Roscida iam nouies cœlo dimiserat astra
Lucifer, & totidem Lunæ prauenerat ignes
Mutato nocturnus equo. ——

Quod autem Scaliger addit; *desultorem* dici Luciferum, patéisque equos habere, vt desultores in Circo, quoniam exemplum nullum adduxit, auctoritatem eius rei commodè petam à Cassiodoro ita scribente: *Equi desultatorij, per quos Circensium ministri missus denunciant exituros, Luciferi præcursorias velocitates imitantur.* Sed neque illud obseruatione indignum aut ab hoc loco alienû est, Horatium, (quod tamen monere neglexerunt Commentatores) vtramque Veneris stellæ appellationem sub *Vesperi* vocabulô confudisse, quum ait:

—— *nec tibi Vespero*
Surgente decedunt amores
Nec rapidum fugiente Solem.

Hesperus enim hîc etiam pro *Lucifero* accipitur, cuius rei haud scio an exemplum aliud exstet. nisi quod Plautus in Amphitruone *Nocturnum* (quem non noctis Deum, vt vulgò capiunt, sed Hesperum esse mihi persuadeo) pro Lucifero sumserit. vt quidem eum locum præter interpretum mentem explicandum censeo.

Credo ego hac noctu nocturnû obdormisse ebrium.

Valde enim insulsus iocus fuerit, si Noctis Deû, qui tunc, diei finibus in arctum redactis, pomœria sua valde extenderat; ac non potius Luciferum, quod non exoriretur, velut sui muneris oblitum in somnum profundiorem incidisse intelligat, præsertim quum Solem eandem ob caussam paulò pòst accuset his verbis:

Credo edepol equidem dormire Solem atque appotum probè.

Neque turbet aliquem, quod statim deinde *vesperuginis* mentio fiat à Sosia; hæc enim decorè confunduntur in persona serui. *Nocturnum* porro pro Hespero videtur etiam Statius accepisse in versibus quos modò adduxi, quum dicit,

Mutato nocturnus equo. --

nisi sit Luciferi epithetum, & *nocturnum Luciferum* pro *Noctifero* posuerit. Hæc scripseram, cùm deprehendi posteà in Lactantio, siue Luctatius est, Statij interprete hæc quæ vnicè ad rem nostram faciunt: *Lucifer & mane oritur & vespere, sed equo mutato.* ac paulò pòst: *Post autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos singulos sydersbus. eundem ergo Vesperum vult haberi, vt Horatius Vesperum pro Lucifero posuit.* Sed vt tandem ad Tibullum redeamus, video quomodo Lucifer è curru suo, cui eum modò imposueram, deduci ac detrahi possit in hoc quidem Tibulliano versu, sed non cantu, quod Lunæ suprà apud hunc nostrum euenturum fuerat, nisi æra repulsa restitissent, verùm significatione mutata. si *rotam Luciferi* scilicet pro ipso Lucifero capiamus: vt *rotam Solis* pro ipso Solis corpore legimus apud Lucretium, Ciceronem, Virgilium, Sidonium Apollinarem atque alios.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

FOEDERA *per diuos clam*] In nostro, IAM. Quod rectum est. quid tam sanctè iurabas mihi, si iamiam mox peieraturus eras?

NEC *tibi celanti.*] Non dicam quam vitiosa

hæc sit lectio, neque iuueniliter vectabor in doctissimis viris reprehendendis, qui hoc loco emendādo, aut interpungendo & se & lectorem diutissimè torserunt. Excerpta illa seu eclogaria habebant egregiè:

Nec tibi celandi spes sit peccare paranti;
Est deus, occultos qui vetat esse dolos.

Pentametrum simile illi apud Diphilum:

Ἔστι δίκης ὀφθαλμός, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

Planè vitiosæ sunt editiones, quæ doctos viros in errorem impulerunt. Alius scriptus habebat:

Nec *tibi celanti sit peccare paranti.*

quod & ipsum rectum est. Non est dubium, quin hanc sententiam ex Diphilo Comico expresserit: ex cuius longo testimonio apud Clementem hi versus sunt, quos expressit Tibullus:

Εἰ τις δὲ θνητῶν οἴεται τοὐφήμερον
Κακόν τι πράξας τοὺς θεοὺς λεληθέναι,
Δοκεῖ πονηρὰ, καὶ δοκῶν ἁλίσκεται,
Ὅτ' ἂν σχολὴν ἄγουσα τυγχάνῃ Δίκη.

IPSE *Deus tacito permisit lene ministro.*] Corruptus locus, vt & cæco apparet. Noster liber, *permisit lena ministro.* Lege *vela.* Prouerbialiter permittere vela, tradere libidini, ac voluntati. Quod sane elegantissimum est, *Deus permisit ministro*, ἀνῆκεν τὸν θεράποντα. Nam de vino loquens Homerus hoc verbo vtitur super eadem sententia.

EDERET *vt multo.*] Prouerbium: In vino veritas. Nam vino vim adhiberi ait Horatius:

Munitæq; adhibe vim sapientiæ.

Munitos ostendit vocari. quos nondum vinum arcana foras efferre adegit. Sic Græci eos vocant ἐμφρόνους. quod ad verbum est munitos. Xenophon in Laconicis, καὶ μὴν τὸ ὑπὸ οἴνου μὴ σφάλλεσθαι ἐπιμεμελῆσθαι εἰδότας, ὅτι οὐδαμοῦ ἐσθίοντες οὐ καταπεσοῦνται, καὶ τῇ ὄρφνῃ ὅσα ἡμέρᾳ χρηστέον. οὐ δὲ γὰρ ὑπὸ φανοῦ τὸν ἔτ' ἔμφρουρον ἔξεστι πορεύεσθαι. Ita videmus in Horatio esse penum abstrusæ Græcarum venustatum copiæ.

QVID *faceres.*] Magis placet scriptura libri nostri, *Quid facerem?*

TV *procul hinc absis.*] Hanc chriam in gnomen conuertunt Eclogaria illa:

Sit procul à nobis, formam cui vendere cura est.

EMERVISSE *viros.*] τὸ Emerere viros in ea significatione, in qua illud,

Quæ tot nocte viros peregit vna.

ILLA *queat nullam.*] Recta est scriptura in nostro:

Illa nulla queat melius consumere noctem.

ISTA *hæc persuadet.*] Potest & ἐρωτικῶς sine interrogatione. Scilicet ista facies tua illi persuadeat, vt se ornet tibi. Quasi dicat: cadauerosa hæc facies tua nunquam illam alliciet, &c.

FIXA *notet casus aurea palma meos.*] Ego suspicor legendum *aurea lamna.* Nam in lamina, non in palma eos notare potuit. Deinde nulla est hic victoria, vt palma opus sit, sed est tabella εὐχαριστικὰ, tanquam naufragium euaserit. Sed non dubium est, quin parma legendum sit. In clipeolis enim signabant sua vota aut εὐχαριστήρια, quos ita dedicabant.

ELEGIA X.

QVIS fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit:
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit. nos ad mala nostra
Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus adstabat cùm scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnúmque petebat
Securus varias dux gregis inter oues.
Tunc mihi vita foret: vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde micante tubam.
Nunc ad bella trahor: & iam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrij seruate Lares. aluistis & iidem,
Cursarem vestros cùm tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse è stipite factos,
Sic veteris sedes incoluistis aui.
Tunc melius tenuêre fidem, cùm paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.
Hic placatus erat, seu quis libauerit vuam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comę.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat.
Pôstque comes purum filia parua fauum.

At nobis ærata Lares depellite tela, A
* * *
Hostiáque è plena rustica porcus hara.
Hunc pura cum veste sequar, myrtóque canistra
Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput,
Sic placeam vobis. alius sit fortis in armis,
Sternat & aduersos Marte fauente duces. B
Vt mihi potanti poßit sua ducere facta
Miles, & in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis accersere mortem?
Imminet, & tacito clàm venit illa pede.
Non seges est infrà, non vinea culta, sed audax C
Cerberus, & Stygiæ nauita puppis aquæ.
Illic percußisque genis, vstóque capillo
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quàm potius laudandus hic est, quem prole parata
Occupat in parua pigra senecta casa. D
Ipse suas sectatur oues: at filius agnos,
Et calidam fesso comparat vxor aquam.
Sic ego sim, liceátque caput candescere canis,
Temporis & prisci facta referre senem.
Intereà Pax arua colat. PAX *candida primùm*
Duxit araturos sub iuga curua boues. E
Pax aluit vites, & succos condidit vua,
Funderet vt gnato testa paterna merum.
Pace bidens, vomérque vigent: at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus è lucóque vehit malè sobrius ipso
Vxorem plaustro, progeniémque domum.
Sed Veneris tunc bella calent, scissósque capillos
Femina perfractas conqueritúrque fores:
Flet teneras subtusa genas: sed victor & ipse
Flet sibi demẽtes tam valuisse manus.
At lasciuus Amor rixæ mala verba ministrat,
Inter & iratum lentus vtrumque sedet.
Ah lapis est ferrúmque suam quicunque puellam
Verberat: è cœlo deripit ille Deos.
Sit satis, è membris tenuem perscindere vestem:
Sit satis, ornatus dissoluisse comæ:
Sit lacrymas mouisse satis. quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed manibus qui sæuus erit, scutúmq; sudémque
Is gerat, & miti sit procul à Venere.
At nobis Pax alma veni, spicámque teneto:
Perfluat & pomis candidus ante sinus.

BERNARD. CYLLÆN. VER.

QVIS *fuit horrendos primus qui protulit enses.*] Iouis ætatem imperantis vituperat, sub cuius imperio tum enses fabrefacti sunt, tùm leti diuersitas orta est: vnde capta occasione aure Saturni sæculum miro præconio extollit. Tibullum quidem Messalla expedito exercitu in Arupinos & Hipigas sequi castra cogebat. Lucretius autem lib. v. ait: Æris vsus prius fuit cognitus quàm ferri: quod ferrum Idæi Dactyli repererunt.

QVAM *ferus & verè ferreus ille fuit.*] ferus est qui durioris est vitæ & animi crudelioris: ferreus verò durus & immitis, quasi intractabilis: à ferro, quod nihil in se præter duritiem habet.

BREVIOR.] præcipitatior s. ante diem.

IN *sæuas feras.*] ob incursum truculentorum animalium tutelæ hominum gratia, & sæuas

addidit, vt causam augesceret, vt supra, A

Cum trucibus feris ——

DIVITIS *auri.*] diuitis. i. pretiosi homines diuites efficientis. Sic suprà,

Tunc mihi iurabas nullo tibi diuitis auri.

FAGINVS *scyphus.*] scyphus vel cyphus vas Herculis fuit potorium, sicut in III. Saturnaliũ legimus. hoc in sacris veteres vsi sunt, & in conuiuiis. Horat. Carm. I.

Natis in vsum lætitiæ cyphis.

de quo vase quidam inter nostri temporis homines literatos sanè doctus vult Virgilium intellexisse VII. Æneid.

Hoc pater Anchises cypho libabat ad aras. B

cum auro libabat à Marone scriptum est: nam prima cyphi vbique breuis est.

NON *vallus erat.*] vallus vsurpatiuè dictum à masculino genere, cùm vallum dicatur: sed ab eo quod efficit, id quod efficitur intelligit. Népe ex vallis, hoc est, palis vallum fit, quo castra muniuntur. vulgus palificatam vocat.

VARIAS *dux gregis inter oues.*] aut varias. quoniam earum quædam candidæ sunt, aliæ nigræ; aut diuersi generis animalia sub ouis vocabulo comprehendit. Fuisse autem casam & pecori & pastori communem: cùm Statius Theba. C primo dixerit:

Et pecori commune solum.

Iuuen. aptius ostendit Satyra II.

Et pecus & dominos communi clauderet vmbra.

FORET.] de præterito vsus est, foret: vt in Virgilium Seruius lib. VIII. annotauit:

Quique à stirpe fores geminis coniunctis Atridis.

Cæterùm est optantis oratio.

TRISTIA.] detestabilia.

CORDE *micante.*] ex tubarum clangoribus cor trepidat: adeò vt plerunque timidis fluxum ventris afferat. Iuuenal. Satyra XIV. D

- & trepido soluunt tibi cornua ventrem,

Cum lituus audita. ——

E *prisco stipite.*] è lignorum truncis, vt antiquorum in religione fuit consuetudo.

AVI.] auum pro tota maiorum suorum serie posuit.

VETERES *sedes.*] antiquas ædes suæ stirpis.

TVM *melius tenuere fidem cum paupere cultu Stabat in exigua ligneus æde deus.*] sensus est: Cùm fictiles fuerunt imagines deorum, tùm ipsi magis fideles habiti sunt, vt in humanis rebus. Iuu. Satyra XI. his monuit nos: E

Hanc rebus Latiis curam præstare solebat

Fictilis & nullo violatus Iuppiter auro.

Propertius Elegiarum IV.

Fictilibus creuere deis hic maxima regna:

Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.

Seneca Epist. XXX. lib. IV. *Exurge & te quoque dignũ finge deo, finges autem non auro aut argento: non potest ex hac materia à magno deo exprimi similis. cogita illos cùm propitij essent, fictiles fuisse.*

VOTI *compos.*] victor. dicitur enim voti cõpos qui ex sententia animi desideratam rem obtinuit.

PVRVM *fauum.*] i. sine fæce. Fauus vocantur ceteræ tabellæ: in quarum cellulis apes mel recondunt. & hunc in altaria allatum fuisse diis acceptissimum refert Varro rerum rustic. III.

E *plena mystica porcus hara.*] hara porcorum est stabulum, quę eadem corripit primam: quam aspirat Virg. in Priapeis:

Caditur è tepida victima porcus hara.

est autem porcus Græcum vocabulum, sed vt Varro refert rusticarum rerum II. antiquitate obseruatum, quod vocant χοῖρον. Hic etiam sus dicitur: quia (eodem teste) ὗς Græcè dicitur: sed olim vocabatur θύειν, quod est immolare. Sacri enim instituti initium à suillo genere cœptum esse, & Græcorum & Latinorum obseruationes docent. vnde Ouid. Metamorphos. vltimo ex Pythagoræ sententia scribit:

—— *& prima putatur*

Hostia sus meruisse mori: quia semina pando

Eruerit rostro: spemq. interceperit anni.

Notandum sanè obseruatum fuisse, vt diebus natalitiis non immolaretur hostia. Nam (vt Varro ait) indignum visum est aliis lucem adimere, die quo ipsi acceperunt.

PVRA *veste.*] sacerdotalem tunicam intelligit & candidam & sine sordibus.

CANISTRA.] canistrum vas vimineum est: Græci κάναστρον vocant: nos canistrum: & per diminutionem canistellum.

MARTE *fauente.*] secundo prælio victoribus semper Mars fauet.

ET *in mensa pingere castra mero.*] morem militantium exprimit, qui domum reuersi narrant sua circunstantibus facinora: faciendo signum aut gladiolo, aut cyatho: vt ante oculos audientium res ipsa, de qua sermo est, videatur existere. Ouidius in Heroidibus:

Pingit & exiguo Pergama celsa mero.

QVIS *furor est.*] sermo increpatorius ex dolore proficiscens. Lucanus:

Quis furor ò ciues? ——

CLAM *venit.*] subrepit enim non intellecta senectus.

INFRA.] in Inferno. Nam sedes infernorum est infra terram, vt poëtæ sentiunt.

NAVITA.] Charon: quem Fulgentius in editione physica super XII. Virgilianos codices interpretatur quasi χρόνον, id est tempus.

ERRAT.] centum errant annos animæ quarum corpora iacent inhumata, & hoc sentit antiquitas.

AD.] apud. iuxta.

CALIDAM *aquam.*] vt per allutionem squalorem deponat.

PIGRA.] at quæ cito venit: sed pigra à consequenti, quod pigros delumbes homines reddat.

CASA.] gurgustium. antiqui à cauando casam vocarunt: nempe cauatas rupes inhabitabant.

FACTA *temporis prisci.*] Horatius in Poëtica:

Laudator temporis acti.

de sene, inquit: nam semper senes laudant præteritos, præsentes despiciunt annos.

TESTA *paterna.*] testa tegetem significat à tegendo: & est vinarium dolium. Paterna verò ait in quam pater vinum infuderat nouum, vt à filio vetus exhauriretur.

BIDENS.] bidens est ferramenti genus rusti-

cani: duobus dentibus vtrinque prominentibus. Ouid. Fasto. IV.

Sarcula nunc, durúsque bidens, & vomer aduncus
Ruris opes vigeant, inquinet arma situs.

B e l l a *Veneris calent.*] vt

O non in Venerem segnes nocturnáque bella.

& calent dixit, quoniam Bacchus & Ceres libidinis incitamenta sunt. nam & malè sobrius suprà posuit, cùm è luco ipso vbi sacram rem fecerat domum iter verteret.

D e m e n t e s *manus.*] quod in colluctatione cum amica capillos illius fregerit, & genas contuderit.

L a p i s.] immobilis vt lapis.

F e r r v m.] inexorabilis, inflexibilis: hoc est, affectibus humanis carens, vt lapis & ferrum.

Q v a t e r.] pro perfectè, respectu numeri dicitur.

Q v o *tenera irato flere puella potest.*] signum est immensi amoris cùm puella ipsa lachrymas effundat, quod iratum sibi amatorculum sentiat: hoc autem ab ea fit, vt beneuolum reddat.

I s *gerat scutúmque su.*] i. stipendium facit. nam,

Nulla fides pietásque viris qui castra sequuntur.

Sudes genus est teli militaris secundum veteres. Propertius Eleg. IV.

Nec rudis infestis miles radiabat in armis,
Miscebant vsta prælia nuda sude.

& est paxillus igni retorridus. Virg.

—— sudibúsve præustis.

P a x *alma.*] epitheton pacis. Sillius XI.

—— Pax optima rerum,
Quas homini nouisse datum est: pax vna triumphis
Innumeris potior, pax custodire salutem,
Et ciues seruare potens. ——

Huius simulachrum effingebatur manu spicam gerens, ideò alma: nam pacis tempore agriculturæ florent: vnde illi spicæ & poma & huiusmodi reliqua offerebantur.

C a n d i d v s *sinus.*] fingunt poëtæ pacem esse alis albissimis & vultu, ideò sinus candidus. Calphurnius in I. Ægloga:

Candida pax aderit, nec solum candida vultu.

ACHILLES STATIVS.

H o r r e n d o s *primus qui protulit enses.*] Proferre nouitatem significat, quo verbo sic Horatius, alijque vtuntur.

Q v a m *ferus, & verè ferreus ille fuit.*] Aratus in sententiis Græcorum in eandem sententiam,

Χαλκείη γενεὴ προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες,
Οἳ πρῶτοι κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην· πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

Idem Tibullus in III. similiter,

Qui primus caram iuueni, carúmque puellæ
Eripuit iuuenem, ferreus ille fuit.

T v n c *cædes hominum generi, tunc prælia.*] In scriptis libris, vtrobique Tum. non Tunc.

D i r æ *mortis.*] In Sfortiæ libro, Duræ mortis.

I n *sanas quod dedit ille feras.*] Seneca in XIIII. epist. in eandem sententiam, *Arma cessabant, incruentaq; humano sanguine manus odium omne in feras verterant.*

N o n *arces, non vallus erat.*] Legendum for-

A tè, Non acies. Idem enim antè,

Non acies, non ira fuit, non bella, nec enses.

Vallum neutro genere fiebat ex vallis. Propertius in IV.

Occidat immerita qui carpsit ab arbore vallum
Et struxit querulas rauca per ora tubas.

N e c *audissem corde tremente tubam.*] In veteribus omnibus, Corde micante. id est, saliente, trepidante. Caussam adfert in Problematis Aristoteles. Plaut. in Cistell. Phorm.

Extimuit tum illam. Me. Iam horret corpus, cor salit.

Ouid. in III. de arte amandi lectionem veterum librorum videtur confirmare,

B *Vidit vt oppressam, vestigia corporis, herbam,*
Pulsantur trepidi corde micante sinus.

A l v i s t i s *& iidem.*] scribendum Idem, per simplex I, vt in veteribus monumentis, & in Sfortiæ libro.

N e v *pudeat prisco vos esse è stipite factos.*] In Vaticano, nonnullisque aliis, Nec pudeat. E ligno autem veteres Deos faciebant. Ouidius in Metamorph.

—— quo multa sacerdos
Lignea contulerat veterum simulacra deorum.

Quem morem etiam significat Asconius Pædianus, in Diuin. *Sunt etiam*, inquit, *qui delubra ligna delibrata, id est, decorticata, pro simulacris deorum more*
C *veterum posita existiment: sed malè.*

S i c *veteres.*] In scriptis omnibus, Veteres. vt vel aui veteres, vel sedes dicantur. In Sfortiæ libro legebatur,

Sic veteris ædes incoluistis aui.

Vt auorum ædes etiam ligneas fuisse significet. Interpres Apollonij in I. Κάλα δὲ τὰ ξύλα. ξυλίνας γὰρ εἶχον τὸ παλαιὸν οἰκίας, λίθοις μηδέπως οἰκοδομοῦντες.

T v n c *melius tenuere fidem.*] Vaticanus liber illam etiam lectionem præ se ferebat, Sic melius tenuere fidem.

H i c *placatus erat, si quis libauerat vuam.*] Por-
D phyrius in II. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων, de Theophrasti sententia sacrificia vilibus rebus, & inemptis fieri solita declarat, Διὰ πολλῶν δ' ὁ Θεόφραστος τῶν παρ' ἑκάστοις πατρίων ἐπιδείξας ὅτι τὸ παλαιὸν τῶν θυσιῶν διὰ τῶν καρπῶν ἦν, εἶτ' ἐκείνων πρότερον τῆς πόας λαμβανομένης καὶ τὰ τῶν σπονδῶν ἐξηγεῖται τοῦτον τὸν τρόπον. & quæ sequuntur. Versus autem adducit è Polyedo Sophoclis, aptissimos huic loco,

Ην μὲν γὰρ οἰὸς μαλλὸς, ἦν δ' ἀμπέλου
Σπονδή τε ῥὰξ εὖ τεθησαυρισμένη·
Ενῆν δὲ παγκάρπεια συμμιγὴς ὀλαῖς
Λίπος τ' ἐλαίας καὶ τὸ ποικιλώτατον
Ξουθῆς μελίσσης κηρόπλαστον ὄργανον.

E A t q v e *aliquis voti compos.*] In Vaticano, aliisque nonnullis, Compos voti.

L i b a *ipsa ferebat.*] Legendum puto, Ipse, non Ipsa.

A t *nobis ærata Lares depellite tela.*) Dixit antè,

Sed patrij seruate Lares. ——

H o s t i a q v e *è plena rustica porcus hara.*) ἀνακόλουθον videtur. Sed erat tamen hoc modo in omnibus libris. nisi donaria ipsa atque hostias, tanquam numina etiam aduocarent. cuius rei quærendum exemplum. Quod autem hoc loco

AT *nobis Pax alma veni, spicamque teneto.*] Paci Spicam tribuit, quia vt ait Ouid. in IIII Fast.

Pace Ceres læta est, & vos orate coloni
Perpetuam pacem, pacificúmque ducem.

Pacem quoque cum Cerere coniunxit auctor hymni in Cererem: Πλουτοδότειρα θεὰ καλλιπλόκαμε, πολυδότειρα, Εἰρήνῃ χαίρουσα, καὶ ἐργασίαις πολυμόχθοις. Ac post: Ἐλθὲ μάκαιρ', ἁγνὴ καρποῖς βρίθουσα θερείοις Εἰρήνην κατάγουσα καὶ εὔνομον ἐργατείην, Καὶ πλοῦτον πολύολβον, ὁμοῦ δ' ὑγίειαν ἄνασσαν. Quo in hymno multa præterea sunt, huic apta loco. Germanicus in Aratæis versibus, vbi de virgine, id est, Astrea.

Fulget spica manu, maturisque ardet aristis,

PERFLVAT *& pomis candidus ante sinus.*] Quamobrem etiam dicitur Καρποῖς βρίθουσα θερείοις. In Florentino autem, ac nonnullis aliis, est, Profluat. In Vaticano, & quibusdam aliis, Præfluat. Profluat pomis, abundet, poma fundat. Fluere autem & Sinus dicuntur. Quintilian. in XI. *Sinus decentissimus, si aliquando supra imam togam fuerit, numquam certe sit inferior, ille qui sub humero dextro ad sinistrum oblique ducitur velut balteus, nec strangulet, nec fluat.* In veteribus autem numismatis imperatorum Rom. Pacis effigies fere semper cum cornucopia.

M. ANT. MVRETVS.

QVIS *fuit.*] bellum detestatur: pacem autem commendat, & eius commoda enumerat.

AT *nobis arata.*] post hunc versum, videtur aliquid deesse.

IANVS DOVSA FIL.

DIVITIS *hoc vitium est auri.*] Eleganter & verè malorum omnium caussam auro potius quàm ferro imputandam censet, vt & Ouidius, Metamorph. I.

Iámque nocens ferrum ferróque nocentius aurum
Prodierat; prodit bellum quod pugnat vtroque.

apposite ad hanc sententiam Seneca lib. I. Natural. Quæstionum: *Postquam deterior populus ipsas subiit terras effossurus obruenda, ferrum primùm in vsu fuit, & id homines impunè eruerent, si solum eruissent.* hinc & Manilius Astronom. V. de ferro loquens:

Quod solum decuit mortales nosse metallum.

DVXIT *aratores sub iuga curua boues.*] Quod si legamus, vt in veteri codice clarissimi Lipsij erat, *aratores*, pulchrè respondebit illi quod Græci Poëtæ dicunt ἀροτῆρας. Orpheus Hymno in Cererem de illa idem quod hic de Pace scribens: ἣ πρώτη ζεύξασα βοῶν ἀροτῆρα τένοντα.

AH *lapis est ferrúmque.*] Sic Ennius Andromacha:

——sed quasi ferrum aut lapis
Durat, rarenter gemitum conatur grauem.

Ita enim lego & distinguo ista. Moschus Idyll.

——πέτρας ἔγ' ἔχεν νόον, οὐ σιδάρω
καρτερὸν ἐν στήθεσσι.——

Hinc & *lapideum cor* Ennius & σιδήρεον ἦτορ Homerus dixit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVIS *fuit horrendos.*] Eiusdem argumenti cum fine primæ huius libri Elegiæ. Nam detestatur bella, quia inuitabatur à Messala ad expeditionem in Orientem. Vnde ait: *Nunc ad bella trahor.*

AT *nihil ille miser meruit.*] Melius, meo iudicio, Eclogaria:

Forsan & ille nihil meruit.——

POSTQV. *comes purum filia parua fauum.*] Ouidius:

Porrigit incisos filia parua fauos.

HOSTIAQ. *è plena.*] Larum victima familiaris & compitalitia, porcus. Propertius:

Parua saginati lustrabant compita porci.

Nihil est integrius hoc loco, quem tamen docti viri mancum clamant.

MYSTICA.] Propter Cererem, vt nemo nescit. Itaque in nummo Q. VIBI, C. F. cusa est Ceres cum porca.

HVNC *pura.*] Scribe *Hanc*, vt est in manuscripto. Hanc victimam scilicet.

SIC *placeam vobis.*] ô Lares. Quare frustra hic desiderari aliquid suspicantur.

ILLIC *perfusisque genis.*] Liber scriptus *perscissisque.* Perscindere genas, quod in lege XII. tabularum radere genas, ἀμύσσειν. Nisi quis malit *Percisis. Os tibi percisum est.* Martialis & Plautus.

PACE *bidens vomérque vigent.*] Excerpta, *nitet. splendescere vomer aratro.* Virgil. Marcus Cato in oratione ad filium: *Vir bonus est, Marce fili, colendi peritus, cuius ferramenta splendent.*

RVSTICVS *è lucóque vehit.*] Nihil muto. Poterat tamen legi:

Rusticus elucoque vehit malesobrius ipse, &c.

Malesobrius eluco. Elucus, ἀκρατοποσία. Tertullianus: *ab eluco defensitare.* Vide Gellium libro decimo sexto, capite duodecimo.

FLET *teneras subtusa genas.*] Lego, *subfusa.* Virgilius:

Tristior, & lacrymis oculos subfusa nitentes.

Facile diuinatu, quare pudicitia expugnata erubescat. Potest etiam retineri *subtusa* verberata. Sed altera lectio melior.

SIT *satis ornatas.*] Noster liber, *Sit satis ornatus dissoluisse comæ*, satis sit, destruxisse suggestum comæ.

FED. MORELLI GRÆCA Metaphrasis.

OI φρῶτες κακόεργοι ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν,
Νηλέες ἠδ' ἄξενοι χάλκεον ἦτορ ἔχοντες.
Η τότ' ἐπιχθονίοισι φόνος, πόλεμοί τε μάχαι τε
Καὶ βαιὸς ἐς θάνατον λευγαλέου γέγονε.
Οἱ δ' οὐκ ἔστιν γ' αἴτιοι ἡμεῖς δ' ἐς κακὸν αὐτοὺς
Ἐβάπτομεν θῆρας τὰς ἔθεμεν ἔχειν.
Ην δ' ἄρα χρυσοῦ μεγαίρεος ὁ πόλεμος γὰρ
Ην ὅτ' ἐν εἰλαπίναις φηγινος ἦν κύλιξ.
Οὐ τάφρος, οὐ πύργος ἦεν ὕπνον δ' ἄφροντις ἔκαλος
Ποιμὴν εἰροπόκοις ἐν ὄεσσι λάβε.
Ζῆν τότε κἀμὲ φίλον ἦν· λαῶν δ' οὐκ ἔντεα γνοίην
Μέρμερα, σάλπιγγος δ' οὐκ αἴοιμι φρίμαν.

Rr

Νῦν ϖρὸς φυλόπιδ' αἰνὴν ἕλκομαι· ἢ τάχα δή τις
 Δηϊος ἐν δέρῳ μοι πηξόμενος φορέει.
Σώζετ' ἀτάρ με θεοὶ πατρῷοι, θρεψάμενοί με,
 Ὁππότε παῖς γενέων προὔδραμον ὑμετέρων.
Οὐκ αἰδὼς παλαιοῖο τετύχθαι ἐκ ξυλίνους· ὡς
 Ναίετε ἀρχαίης μου προγόνοιο δόμους.
Εἶχον δὲ τότε πίστιν ἀμείνω, εὖτε σεβασθεὶς
 Ἱδρύνθη ξύλινος τοῖς θεὸς ἐν τιμῇ.
Ἔνθα θεῷ σταφυλὴν λάβεν κεχαρισμένος ἦεν,
 Δὺς τε κόμῃ στεφάνους ἀσταχύων ἱερῷ,
Εὐχωλὴν τε τυχὼν, ψαιστὸν φορέεσκε καὶ αὐτὸς,
 Κηρίον εἶτα δ' ἔχουσ' ἦλθεν ὄπισθε κόρη.
Χάλκεα δ' ὦ μάκαρες πατρῷοι ἀπείργετε κῆλα,
 Θῦμα δ' ἄγροικος σῦς ἐκ συφεῶν καλῶ.
Σοὶ καθαρῇ δ' ἐσθῆτ' ἕψομαι, κοφίνους τε δεθέντας
 Μυρσίνῃ φορέω, κακκεφαλήν τε δεθείς·
Ὧδ' ὑμῖν ἀδέοιμι. αἰχμητὴς δ' ἀρετηρός τις,
 Ἐχθρῶν ἡγεμόνας δῄοις Ἄρεος ἕλοι.
Ὄφρα ἐμοὶ πίνοντ' ἐὰ φαίδιμα ἔργα κατείποι
 Ὁπλοφόρος, γραφέτω ἐν δαιτὶ πότῳ τι χάρακ.
Πορφύρεον πότμον προκαλεῖν πολέμῳ μανῆ ἄφρα·
 Οὔδας ἐπικεῖσθ' ἀγχιάλῳ πόδ' ἰόν.
Οὐ κεκὰ λεῖ ἔνερθε πέλει. ὁ γεωπὸς ἀλωῆς.
 Κέρβερος ἄρ, ναύτης τε Στυγὸς ἔστιν ἐκεῖ.
Ἔνθαδε δρυπτοπάρῃος καὶ πεχέμενος ἀλᾶται
 Τέφρεος δνοφερῷ χλωρὸς ὄχλος παρ' ἕλος.
Ζηλωτὸς δὲ πλέον κεῖνος, τὸν γ' ἀγλαΐη γε
 Δυσμελὴς φθίνει γῆρας ἐν οἰκιδίῳ.

A Ἕσπεται ὄϊς ἰοῖς μήλοισιν, καὶ παῖς ἀμνοῖς,
 Θερμὸν δ' ἑτοιμοῖ κεκμηῶτι ἄοχος.
Τοῖος ἐγὼν εἴην, πολιοκρόταφός τε γενοίμην,
 Ὡς ἀρχαῖ' εἴδοις ἔργα λαλοῖμι γέρων.
Εἰρήνη δ' ἐν ἀγροῖς ναίοι. Εἰρήνη ἀγαθὴ
 Ἤ 'γ' ἀροτρευσόμενον ζευγάεσιν βοῦν.
Ἄμπελον εἰρήνη ἔθρεψε, χυλὸν δ' ἀνέθηκε
 Βότρυος, ὄφρ' αὐτοῖς υἱεῖ ῥέοι πατρός.
Εἰρήνῃ σκαπάνη χ' ὕννις θάλλουσι. τὰ δ' ὅπλα
 Αἰχμητοῦ, εὐρὼς ἐν σκοτίῳ κατέχει.
B Οἰνοβαρὴς δ' ἀγρότης ἐξ ἄλσεος ἀνταφύλλαι
 Οἴκαδ' ἁμαξοφορεῖ τέκνα, δάμαρτά θ' ἑήν.
Θερμαίνει δὲ τότ' ἔργ' Ἀφροδίτης. μέμφεται κούρη
 Κειρθεῖσάν τε κόμην, ῥηγνυμένας τε θύρας.
Κλαίει δ' ὕβρισθ' ἐρυθροπάρῃος. παρθενοπίπης
 Αὐτὸς ὀδύρεται ὡς τόσσα ἔδρασε παλάμαις.
Ἀγκυλότοξος ἔρως ἑκηλὸς μαργοῖς κακοχαίρων
 Ἐν μέσῳ ἀμφοτέρων ἵζει, ἀβρέμας ὤν.
Ἡ λίθος οὖν σίδηρος, ὃς ἂν ἔπληξε γυναῖκα.
 Οὐρανόθεν κεῖνος ἀθανάτοις ἐρύει.
Ἀρκεῖ δ' ἐκ μηρῶν μαλακὴν ἐσθῆτ' ἀποτμῆξαι,
C Ἀρκεῖ ἀμφίδρομον τ' ἐκ κεφαλῆς ἀφελεῖν.
Δακρυχέουσαν ἐγεῖραι ἅλις· ὃς γὰρ ποιεῖ μάκαρ, ὃ σφ
 Ἄβρα χολωσαμένου δάκρυα χεῦσε κόρη.
Ὃς δ' ἀθέμιστα χεροῖν ἐπιπρέπεται, ἀσπίδ' ἴδ' αἰχμὴν
 Σχοίη, ἑκὰς ἔστω δὲ μειλιχίης Παφίης.
Δεῦρ' ἴθι πότνια Εἰρήνη. στάχυν ἐν δ' ἔχουσα,
 Καὶ μήλοις ἐσθλοῖς κόλπος ἴδοιτο γέμων.

FINIS.

ALBII TIBVLLI EQVITIS ROMANI
LIBER II.

Elegia I.

Qvisqvis adest, faueat: fruges lustramus, & agros,
Ritus vt à prisco traditus extat auo.
Bacche veni, dulcisq; tuis è cornibus vua
Pendeat, & spicis tẽpora cinge Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.
Soluite vincla iugis: nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata Deo: nõ audeat vlla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo. discedat ab aris,
Cui tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis. pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes vt eat sacer agnus ad aras,
Vinctáque post olea candida turba comas.
Dij patrij, purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messẽ fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.
Tũc nitidus plenis cõfisus rusticus areis,
Ingeret ardenti grandia ligna foco,
Turbáque vernarum, saturi bona signa coloni,
A *Ludet, & ex uirgis extruet arte casas.*
Euentura precor. viden' vt felicibus extis
Significet placidos nuntia fibra Deos?
Nunc mihi nunc fumo veteris proferte Falernum
Consulis, & Chio soluite vincla cado.
Vina diem celebrent. non festa luce madere
Est rubor, errãteis & malè ferre pedes.
B *Sed bene Messallam, sua quisque ad pocula dicat,*
Nomen & absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messalla triũphis,
Et magna intonsis gloria victor auis,
Huc ades, adspiráque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia Cælitibus.
C *Rura cano, rurísque Deos: his vita magistris*
Desueuit querna pellere glande famẽ.
Illi compositis primùm docuêre tigillis
Exiguã viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Seruitiũ, & plaustro supposuisse rotã.
Tũc victus abiêre feri: tũc insita pomus:
Tũc bibit irriguas fertilis hortus aquas:
D *Aurea tunc pressos pedibus dedit vua liquores,*
Mistáq; securo est sobria lympha mero.
Rura ferũt messes, calidi cùm sideris æstu
Deponit flauas annua terra comas.
Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,
Compleat vt dulci sedula melle fauos

Agricola aßiduo primũ satiatus aratro A
Cantauit certo rustica verba pede,
Et satur arenti primùm est modulatus auena
Carmẽ, vt ornatos diceret ante Deos.
Agricola & minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus à pleno memorabile munus ouili (oues. B
Dux pecoris hircus. duxerat hircus
Rure puer verno primùm de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit Laribus,
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ouis.
Hinc & femineus labor est, hinc pensa, colúsque,
Fusus & opposito pollice versat opus. C
Atque aliqua aßiduè textrix operata, Mineruam
Cantat, & à pulso tela sonat latere.
Ipse quoque inter agros, intérque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primùm se exercuit arcu.
Hei mihi quàm doctas nunc habet ille manus! D
Nec pecudes, velut antè, petit: fixisse puellas
Gestit, & audaces perdomuisse viros.
Hic iuueni detraxit opes: hic dicere iussit
Limen ad iratæ verba pudenda senem.
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes: E
Ad iuuenem tenebris sola puella venit:
Et pedibus prætentat iter suspensa timore,
Explorat cæcas cui manus ante vias.
Ah miseri quos hic grauiter Deus vrget: at ille
Felix, cui placidus leniter afflat Amor.
Sancte veni dapibus festis, sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc precor abde faces.
Vos celebrem cantate Deum, pecorique vocate,
Voce palàm pecori, clàm sibi quisque vocet:
Aut etiam sibi quisque palàm: nam turba iocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curua sono.
Ludite: iam nox iungit equos, currúmque sequuntur
Matris lasciuo sidera fulua choro:
Póstque venit tacitus, fuluis circumdatus alis,
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

BERN. CYLL. VERON.

QVISQVIS *adest valeat: fruges lustramus & agros.*] Hîc secundus liber incipit. Diuiditur enim totum hoc opusculum in quatuor (vt diximus) libellos: quorum primus maximus est: hoc in loco lustrum celebrat: & agrestem vitam summopere commendat. Sed Cato in libro de agricultura ostendit Solitaurilia consuesse diuis circumagi: & ponit quibus verbis vtebatur antiquitas in precatione. Id volumen quoniam Venetiis, dum hanc meditationem sequor, imprimitur, quæ ille ibi commemorat legenda curiosis relinquo: breuitate quidem maximè delector. Insuper quoque de lustrandi ritu multa superius exposita sunt. Videtur autem sacrificia pro asseruatione frugum facere, quasi dimissa expeditione militiæ possit sine fastidio agros colere. nam (vt Cato ait) ille fuerat maximè laudatus, qui bonus dictus colonus esset. Plinius refert Romulum aruorum sacerdotes instituisse, & se XII. fratrem appellasse. Hos deos præcipuè nouit rusticitas: Sæiam deam à serendo, ac Segestam à segetibus: Fortunam caluam, cui farris torrendi ferias Numa instituit: Terminos agrorum & Lares. Tria tempora obseruarunt frugibus periculosa, propter quod feriæ, festique dies sunt instituti: Floralia IIII. calendas Maij anno vrbis CCCCCXI. ex oraculo Sibyllæ, vt omnia benè florescerent: Rubigalia Numa instituit XI. regni sui anno, quæ Plinius refert sua tempestate acta. VII. calend. Maij. Rubigo enim quæ est scabies

ſeu vitium in culmo naſcens tunc temporis occupat ſegetes: Vinalia IX. cal. Martij pro deguſtandis vinis inſtituta.

E T V I S *cornibus.*] ratio phyſica eſt, cur Bacchus in virgunculæ ſpecie pingatur cum corniculis: nam nimio vino homines truces fiunt, vnde μαίνεσθαι, ideſt, furere & inſanire Bacchus dicitur: quod autem ait, vua pendeat, prælargam denunciat futuræ vindemiæ vbertatem.

L V C E *ſacra requieſcat humus.*] feſtis diebus colendi dei ſunt ex pontificum libris, vt ait Virgilius,

In primis venerare deos.——

G R A V E *opus.*] ſic ſupra.

Et durum terra ruſticus vrget opus.

S V S P E N S O *vomere.*] applicato parieti aut trabi, ne ſcabiem contrahat.

I V G I S.] vinculis. Eſt enim iugum quo boues ad inuicem arctantur: & eſt lignum quo textores telam conuoluunt. Ouid. Metamor. VI.

Tela iugo eſt iuncta.——

N V N C *ad præſepia debent.*] Iulius auctor eſt ſacerdotes ambaruales coronare ſolitos ſpicis & frugiferis ramuſculis boues ad præſepia pabulantes, quibus in villicatione vſi eſſent.

O P E R A T A *deo.*] ſenſus eſt, Omnes ſacrificent, namque operor eſt rem diuinam facio. Propertius elegiarum III.

Cynthia iam noctes eſt operata decem.

L A N I F I C A M *penſis impoſuiſſe manum.*] ab antecedenti conſequentia intelligitur: primo enim filatrices manum ſtamini applicant, deinde deducendo filant: ſed lanificam dixit manum, vt breui duo complecteretur: nam & carminare & filare mulierum fuit: quod oſtendit Ouid. Metamor. IIII. de Minei filiabus lanificium exercentibus:

Aut ducunt lanas aut ſtamina pollice verſant.

C V I *tulit heſterna gaudia nocte Venus.*] ſupra diximus fuiſſe procul ab religione pollutum hominem accedere ad rem diuinam.

C A S T A *placent ſuperis.*] ex lege religionis ſumptum eſt: quam Cicero in lib. de legibus recitat, vbi ita ſcriptum conſtat, *Ad diuos adeunto caſte.* Caſte autem accipitur, animo videlicet, in quo ſunt omnia: nec tamen tollit caſtimoniam corporis: ſed cum animus multo præſtet corpori, etiam obſeruetur, vt caſta corpora ſacris adhibeantur.

P V R A *cum veſte venite.*] vt ſupra: *Hac pura cum veſte ſequar.* Feſtus enim ſcribit ſacerdotes ad ſacrificium pura habuiſſe veſtimenta, id eſt, non obſita, non fulgurata, non funeſta, non maculam habentia.

E T *manibus puris ſumite fontis aquam.*] religio ſacrificij apud antiquitatem exigebat, vt ante ſacrum ſacrificulus manus ablueret: à quo facto delubrum putant deriuatum. Hauriebat enim ſacrificaturus aquam de flumine currenti. Virgilius octauo:

——*vndam de flumine palmis Suſtulit.*

Hoc ideo obſeruatum dixit Seruius quando ſuperis ſacrificabatur, vel propterea quod nox etiam ſolo ſomno polluere credita eſt. Propertius elegiarum IIII.

A *At primum pura ſomnum tibi diſcute lympha.*
Vt enim Cicero in prædicto loco dixit, Corporis peccata tolluntur vel aſperſione aquæ, vel dierum numero. Puris ergo pro expurgatis à ſcelerum macula dictum eſt: vt Horatius Carminum III.

Immunis aram ſi tetigit manus
Non ſumptuoſa blandior hoſtia.

A G N V S *ſacer.*] dicendo ſacer illud intelligit quod ſit purus ad ſacrificium vt immoletur: namque (vt refert Varro rerum ruſticarum II.) agni ad quatuor menſes à mammis vbi nati ſunt non diſiunguntur, hædi tres, porci duos, è quibus quoniam puri ſunt ad immolationem ſacres appellarunt. Plautus: *Quanti ſunt porci ſacres.* (B)

V I C T A *comas olea.*] ſynecdochicῶs: olea eſt arbor Palladis pacem ſignificans: & illius imbecillitatem à quo præfertur, Græci ἐλαίαν dicunt. & oleum ἔλεος enim eſt miſericordia, vnde olea.

A G R E S T E S.] paſtores: agricolas.

P E L L I T E *mala.*] ideſt, auertite mala. in antiquitatibus ſcriptum eſt, aueruncaſint pro aueruncent & auertant.

F A L L A C I B V S *herbis.*] aut herbas obruentes ſegetem in agris, quales ſunt lolium, lappa, tribulus, carduus, herba alba panico ſimilis, & (C) omnium ſatorum vitium, orobanche, erratitricum, feſtuca, ægilops, ſecuridaca, quç palagmon: Aut ipſam ſegetem intelligit, quæ ſine fruge calamos educat, & fallat agricolarum ſpem. Et, eludat meſſem, dicit ad orationem alludendo, quam habuerunt olim in purgatione luſtrali: Nam Cato priſcus ea commemorans ita ait: *Vtique tu fruges, frumenta, vineta, virgultáque grandire, beneque euenire ſinas, paſtores paſcuáque ſalua ſeruaſsis.*

N E C *timeat celeres tardior agna lupos.*] hoc eſt quod ait Horatius Carminum III.

Inter audaces lupus erret agnos.

G R A N D I A *ligna.*] aut magnos truncos & (D) arbores, aut ad copiam reſpicit, vt Horatius primo,

Ligna ſuper foco large reponens.

T V R B A Q V E *vernarum ſatyri bona ſigna coloni Ludet, & ex virgis extruet arte caſas.*] Satyri coloni: aut per hoc vult intelligi omnium ſylueſtrium deorũ formas, quas ex virgultis vernas confecturos dicit: aut Bacchi tãtùm effigiem ſeu ſimulachrum, qui ruris deus eſt & Satyrorum ductor. Vnde Catullus cum thyaſo ſatyrorum: Aut certè Priapi imaginem intelligit, qui Satyrus eſt: & ſignum eius ſatyricum, vt in Priapeis diximus: (E) Sed quoquomodo verſum interpretemur hoc ait: Vernalem turbam extructuram eſſe per intercolumnia caſarum formas ex virgis ad veros deorum vultus, circum quas ipſa ludet. Virg. Georgi. II.

Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia pinu.

Bona ergo ſigna ſi ad Priapum referas, accipe vbertatem ſignificantia. Nam prẹter multas quas retulit Seruius de oſcillis opiniones, illud quoq; ab eo dictum meminimus oſcilla eſſe mẽbra virilia de flumineis iũcis facta, quæ ſuſpẽdebantur per intercolumnia: ita vt in ea homines acceptis

clausis personis impingerent, & ea ore cillerent id est, mouerent ad risum populo commouendum: Et quæritur cur, ludet, poëta dixit, & est hyppalage, pro extruet bona signa ante casas, & ludet.

VIDEN'.] apocope est pro vides ne: & vltima semper corripitur: repentinum autem quid signat, vt Catullus,

Viden' vt perniciter exiluere

ergo quasi repentinum spectaculum fuerit Viden' ait.

FIBRA.] fibram pro interaneis ponit, quorum inspectione deorum mens proditur. Lucanus primo:

Atque iram superum raptis quæsiuit in extis.

Sunt enim fibræ extrema iecinorum à fibro, vt ait Festus. Est enim fiber genus vespæ incitatissimum quadrupes, quo nomine extremæ fluminum oræ appellantur, & fimbrias vestimentorum dicimus.

FVMOSOS *phalernos.*] quoniam de vino intelligit masculino genere protulit in plurali: namque singulare neutrum est, & locum nota.

FVMOSOS.] austeros vult accipi. Persius:

Indomitum quod despumare Phalernum
Sufficiat ———

ideo Satyrus Aquinas ad naturam eius retulit dicens: *Cum pulmo Phalerno arderet.* Seruius enim scribit Phalernum aqua domari vix posse. Tria eius sunt genera, austerum, dulce, & tenue.

VETERIS *consulis.*] ex hoc vini vetustas noscitur in cellario reconditi: Mos enim fuit vt annos à consulibus denominarent: hoc in Horatio & Lucano sæpius perlegitur.

ET *Chio soluite vincla cado.*] ideo soluite quod lagenas suas antiqui opertimento operiebant cum pice ac gypso illito. Horatius carm. III.

Hic dies anno redeunte festus
Corticem astrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere institutæ
Consule Tullo.

Chio autem cado, id est, amphoræ plenæ vino Chio, quod constat esse optimum. Plautus in Curculione: *Quasi tu lagenam dicas vbi vinum Chium solet esse.* Cadus enim est œnophorum. Virgilius.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

MADERE.] ebrium esse. vnde madidi ebrij.

MALE *ferre pedes errantes.*] errantes scilicet quantum ad saltationem. Virgilius,

Tum motus incompositos.

id est, implicitos, aut male errantes nimietate vini: cum nec pes nec caput suum facit officiũ.

DICET.] inuocet.

GENTIS *Aquitanæ.*] verba sunt Tibulli sacrificantis in honorem Messalæ.

CELEBER *triumphus.*] sic supra:

Hunc fore Aquitanas posset qui frangere gentes.

ADES *gloria magna intonsis.*] hîc intonsis non placet intelligere Romanam iuuentutem, quæ nisi ad xl. annum peruenisset tondi nouacula non poterat, vt A. Gellius lib. III. noctium Atticarum testis est: quem morem Iuuenalis secutus ait:

A ———*nam Sergiolus iam radere guttur Cœperat.*

Sed intonsis senibus grauioribus in repub. qui ea fuerunt seueritate, vt nullam de corpore curam haberent, intenti tantisper publico bono. Horatius carm. II. ait.

Non ita Romuli perscriptum & intonsi
Catonis auspiciis veterumque norma.

Nam & in primo eiusdem operis dixerat:

Hunc & incomptis Curium capillis
Vtilem bello tulit & Camilium
Sæua paupertas. ———

Et Iuuenalis satyrarum quinto:

Et credam dignum barba dignumque capillis
B *Maiorum.* ———

Sed quamquam Terentius in Heautontumerumenon senes tonderi faciat, tamen (vt Varro refert rerum rusticarum secundo) olim tonsores non fuisse significant antiquorum statuæ, quod pleræque habent capillum & barbam magnam: Nam dicunt tonsores in Italiam primum venisse ex Sicilia. P. R. cons. anno cccclIII. vt scriptum in publico Ardeæ literis extat, eosque adduxisse Publicum Ticinium Alenam. Alij putant intonsis triumphis, quos de victoria Pannonum habuit, intelligi, qui sunt comati.

C COELITIBVS *agricolis.*] contradictio est. nam si cœlicolæ non ergo agricolæ, & è contra. Sed cœlicolis dixit pro eis quibus datum est epulis diuorum accumbere, & superorũ interesse consiliis, quales sunt Satyri, Fauni, Pomona, Vertumnus: Sed hi (vt fabulantur poëtæ) sunt turba minor, & Seniones vocantur.

QVERNA *glande.*] qua cum primi homines vescerentur, Ceres eam mutauit arista. à quercus fit quernus, querceus, & quercetum.

TIGILLIS *compositis.*] idest apte ordinatis trabibus. Tignum est trabs, qua variè disposita
D domus extruitur: à tegendo dicitur, vt Vulpianus & Paulus meminerunt, qui ex lege XII. tabularum referunt omne genus materiei ex qua ædificia constant, tigni appellatione contineri: Inde fit tigillum prima correpta, vt à signo sigillum. Gellius ait Doxium Celei filium lutei ædificij inuentorem, sumpto exemplo ab hirundinum nidis. Plinius refert Eurelium & Hiperbium fratres Athenis domos lateritias constituisse, & antea specus fuisse pro domibus.

FRONDE *viridi.*] sic de Saturno Eutropius primo inquit: *Ipse adhuc rudes populos domos ædificare, terras colere, plantare vineas docuit, at-*
E *que humanis moribus viuere, cùm antea semiferi glandium tantummodo alimentis vitam sustentarent, & aut in speluncis aut frondibus virgultisque contextis casulis habitarent.*

IRRIGVAS *aquas.*] aquæ irriguæ dicuntur quæ irrigant idest, humectant hortum: & irriguus hortus qui humectatur passiuè dictum, vt Festi comprobat auctoritas.

ÆSTVS *sideris calidi.*] aut feruores æstiuales, aut canis ardores. sol enim sidus calidum est.

VERNO *flores apis ingerit alueo.*] duplex est apis in nominatiuo terminatio, scilicet in es

& in is: sed in is nonnisi raro. Ouidius Metamorph. XIV.

Non apis inde tulit collectos sedula flores.

Et Calphurnius Ægloga II.

Dædala nectareis apis intermittere florem.

Hanc Melissam Græci vocant à Melissa pulcherrima muliere, quam (teste Moderato Columella de re rustica X.) Iuppiter in apem conuertit, quanquam Homerus poëtarum princeps ex crabronibus & sole apes genitas ratiocinetur, quas apes nymphæ Phrusonides educauerunt: mox eas apes in specu Iouis fuisse nutriculas, ipsásque pabula dei munere sortitas, quibus educauerunt alumnum.

B Alveo.] pro aluearío suo: nam alueus seu aluus (vt Varro vtitur) sunt cauatæ cortices, aut viminea vascula manu facta, in quibus quid propter concauitatem reponitur, vbi apes etiam mellificant: dictæ alui à mellis alimonio, vt idem III. rerum rusticarum voluit. Tria sunt mellis genera, Plinio auctore, vernum vocatum, & anthimum ex florum suauitate: æstiuum quod æreū ab herba & rutilum est post solstitium conficitur: siluestre quod ericeum ab herba quæ in siluis floret post primos autumni imbres.

Certo *pede.*] diffinita rhythmorum lege: vt suprà in primo notauimus. Nam Censorinus ait cantus fuisse antiquiores ex numeris, sed inornatis, posteà modulata sunt legitimè. Lucretius enim cantum inuentum à pastoribus ait imitatione auium concentus.

Rvstica *verba.*] Bucolicum carmen.

Modvlatvs *auena.*] modulari est per modos carmen elicere. Auena est genus segetis: sic Maro:

—— gracili modulatus auena.

Minio *suffusus Bacche rubenti.*] hoc est habens faciē rubricam illinitam per synecdochen, qui mos obseruatus est in exemplum Panos pastoris, qui ita depingebatur propter ętheris concoloritatem, & æther ipse est Iuppiter. Virg.

Sanguineis ebuli baccis, minióque rubentis.

Minium fuit olim magnæ religionis, auctore Verrio: Nam Iouiani simulacri faciem illinebant diebus festis, & triumphantium corpora, vt Camilli minio inungebantur.

Inexperta.] non illis cognita, & stat passiuè.

Dvx *pecoris hircus auxerat hircus oues.*] hircus est caprarum admissarius, id est, vir dictus, quasi fircus Sabinorum lingua, si Terentio Varroni credimus. alij ab hirquis putant qui sunt oculorum anguli: vt Suetonius Tranquillus de vitiis corporis affirmat: propterea quod libidinis appetitu sępe aciem ad hirquos capri retorqueant. Pecoris autem appellatione refert Marcellus libro Digesto. L. putasse Cassium eas quadrupedes contineri, quæ gregatim pascuntur & contineantur, vnde Ouid. Metam. inquit:

Quisque creauit ouis pecudes caper.—

ouis enim Græcum est. Nam illi ὄϊς dicunt, sed V, interposita ouis fit, & plerunque capellarum gregem significat, vt suprà legere ęst: sed dux earum ouium aries & mittus appellatur, vt Varronem Seruius in tertio Georgicorum commen-

A tario allegat.

Et *antiquis imposuit Laribus.*] diximus in primo commentario Lares ab antiquis celebratos esse cum multis oblationibus, cum coronarum honore. Iuuen Sat. III.

O parui nostríque Lares: quos thure minuto,
Aut farre & tenui soleo exornare corona.

Lvcida.] alba.

Exhibitvra *curam puellis.*] ad filandum sollicitudinem datura. Lana enim postquam carminata est à puellis trahitur.

Hinc *& fœmineus labor est*] quia solis muliercculis propter sexus imbecillitatē lanificium, & cætera huiusmodi mollia concessa sunt. Lucretius ait, homines ante genus mulierum lanā fecisse, sed postea impeditos duriori opere fœminis concessisse.

Apposito *pollice versat opus.*] ad conuersionem fusi pollex adhibetur. Catullus,

—— tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum.

Textrix *operata Mineruam.*] inuentricem pro re inuenta, id est, telam posuit. Sic Propert. Eleg. I.

Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo.

Pallas enim textoriam artem perdocuit. Ouid.

C Fasto. III.

Illa etiam stantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine densat opus.

Tela *sonat appulso latere.*] gestum textricis innuit: nam appulso pectine vi brachiorum latus telarij constrepit cum tela & iugo.

Inter *equas indomitas.*] discretionem facit inter equas & armenta, cùm tamen constet sub armenti vocabulo quadrupedes omnes grandiores complecti: iccirco vt furore libidinis equas trahi feruentius cæteris animalibus ostenderet, inter quas luxuriæ Deus genitus feratur,

D indomitas ait præ furore feruescentis libidinis. Virgilius,

Scilicet ante omnes furor est insignis equarum.

Qua ex re (teste Acrone. Horatius Carm. I.) nouo verbo vsus est cùm ait:

Cùm tibi flagrans amor & libido:
Quæ solet matres furiare equorum.

Arcv *indocto*] pro ipse indoctus sagittam loco destinato figeret.

Ivveni *detraxit opes.*] id est, effundere prodigaliter fecit.

Iratæ.] puellæ.

Et *pedibus iter prætentat suspensa timore.*] ele-

E ganter incedentis puellæ nocturnum egressum ad amatorem describit.

Svspensa *timore.*] ne exeuntem custodes audiant.

Explorat *cæcas cui manus ante vias.*] sic Virgilius,

Insimulo, sollicitáque manu tene exp.iner.

Ah *miseri, quos hic grauiter deus vrget.*] miserantis oratio. grauiter autem dicit pro profunde & immense, hoc est, totis viribus.

Leviter.] mediocriter, sine stimulatione vecordiæ.

Abde.] absconde, amoue.

FACES.] poëtæ fingunt Cupidinem gestare manu faculas. Ouid.

Altera tela arcus, altera tela faces.

PALAM.] clare, aperte.

CLAM.] occulte. intra se ne vicinus exaudiat.

IOCOSA.] ioco plena, & tripudiis dedita.

ET *Phrygia tibia curua sono.*] sic Catullus,

Tibicen vbi canit Phryx curuo graue calamo.

Plin. refert Mydam obliquam tibiam in Phrygia inuenisse: dextra parte vnum, in sinistra duo foramina habentem in sacris Cybeles à Dindyma adhibitam, Virgilio auctore lib. IX. sed Cybele quidem (vt Diodorus III. historiarum scribit) fistulam inuenit, quam Græci φώτιγγα vocant: quam sententiam Naso sequitur Fastorum IIII.

Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flauit. —— & iterum,
Tibia dat Phrygios, vt dedit antè, modos.

Nam & Acron in primo Horatianorum carminum commentario scribit Euterpem tibiarum inuentricem fuisse, in quibus est sonus. Horat.

Si neque tibias Euterpe prohibet.

Et (vt testis est Porphyrio eorundem carminum III.) Phrygia dicebatur: ad cuius cantus etiam conuiuantes saltabant. ideò Horatius ait:

Cur Berecynthiæ cessant flamina tibiæ.

& (vt idem ipse Porphyrio in vltimo eiusdem operis reponit) tres modi tibiarum fuerunt. s. Ionicus, Lydius, Barbarus.

SEQVVNTVR.] ab Oceano digrediētia sydera.

ACHILLES STATIVS.

HOC Sacrificij genus etiam significans Verg. in I. Georg.

In primis venerare deos, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.
Extremæ sub casum hiemis, iam vere sereno.
Tum pingues agni & tum mollissima vina,
Tum somni dulces, densæque in montibus vmbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte fauos, & miti dilue Baccho
Térque nouas circum felix eat hostia fruges,
Omnis quam chorus, & socij comitentur ouantes,
Et Cererem clamore vocent in tecta, neque antè
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, & carmina dicat.

FRVGES *lustramus.*] *Ambaruales hostia*, inquit Festus, *rei diuinæ caussa circum arua ducitur ab iis qui pro frugibus faciunt.* Hoc quoque sacrum Ambaruale significans in Bucolicis Verg. ait,

Cum faciam vitula pro frugibus. ——

LVCE *sacra.*] die festo. Horat.

Nósque & profestis lucibus & sacris.

Lucem pro die sæpissimè poëtę Latini, & Græci. Euripid. apud Athen. in II.

ἐν ταυτῷ φέγγει μοιεδίῳ φθιμένους.

OPVS.] absolutè positum Opus rusticum significat: vt ἔργον, Græcis.

OMNIA *sint operata Deo.*] cùm sacrum Cereri fieret, Deo, opinor, pro Deæ, dixit, more Græcorum.

NON *audeat illa Lanificam pensis imposuisse manum.*] Antiquitus enim præmittebantur à flaminibus qui denunciarent opificibus manus abstinerent ab opere. Festus.

LANIFICAM.] Lanam facere dicebantur mulieres, vetusta, & consueta dicendi forma.

VOS *quoque abesse procul iubeo. discedat ab aris.*] sic etiam in scriptis libris. Aldus olim, Discedite ab aris. quod retinendum censeo. Nam, quod addit, Discedat, quasi κατ' ἐξοχὴν additum videtur. quasi dicat, Neque enim sacris interesse debet is, qui externa se nocte à Venere non abstinuit. Vnde illud apud Ciceronem, *Ad diuos castè adeunto.* Insignis locus est apud Porphyrium in II. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων hac ipsa de re: Ὅπου γὰρ τὸ σῶμα μετ' ἐσθῆτος λαμπρυνάμενοι μὴ καθαρὸν καθαρὰν δὲ ψυχὴν ἔχοντες ἴασι πρὸς τὰς θυσίας, οὐδὲν διαφέρειν νομίζουσιν, ὥσπερ οὐ θεῷ τῷ τινι τῷ ἐν ἡμῖν χαίροντι μάλιστα, τῷ θείῳ διακειμένῳ καθαρῶς, ὄντι συγγενεῖ πεφυκότι. ἐν γοῦν Ἐπιδαύρῳ προεγέγραπτο, Ἁγνὸν χρὴ ναοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα ἔμμεναι· ἁγνεία δ' ἐστὶ φρονεῖν ὅσια. Idem significans Ouid. in II. Fast.

Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno,
Et positis iuxta secubuere toris.
Caussa, repertori vitis quia sacra parabant,
Quæ facerent pure, cùm foret orta dies.

Annua quoque sacra Cereris significans Ouid. in III. Amorum, quæ Vergilius, & eorum caussa secubitus,

Annua venerunt Cerealis tempora sacri,
Secubat in vacuo sola puella toro.

Tum alibi eodem in libro hanc declarans puritatem,

A tenera quisquam sic surgit mane puella,
Protinus vt sanctos possit adire deos.

CVI *tulit externa gaudia nocte Venus.*] In Vaticano atque aliis, non Externa, sed Hesterna.

GAVDIA.] opus Venerium. sic alibi,

—— *præbebat aperte*
Mitis in vmbrosa gaudia valle Venus.

Et Horatius,

Cui donet improuisa raptim
Gaudia luminibus remotis.

ET *manibus puris sumite fontis aquam.*] Namque sacrificaturi viuo flumine, aut aqua profluēte, se abluebant.

PVRGAMVS *agrestes.*] ipsos agricolas & colonos. Verg. in I. Georg.

Dicendum & quæ sint duris agrestibus arma.

VOS *mala de nostris pellite limitibus.*] In Florentino, Tollite, non Pellite. Et in Vaticano pro Limitibus, Liminibus. Sed illud probabilius.

NEV *seges eludat messem fallacibus herbis.*] similiter Verg. in I. Georg.

—— *sed illos*
Expectata seges vanis elusit auenis.

TARDIOR *agna.*] In Sfortiaco, Segnior agna.

INGERAT.] in meis, Ingeret. quod rectū est.

TVRBAQVE *vernarum, saturi bona signa coloni, Ludet.*] Martialis de villa Faustini,

Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad lares silua.

Et Horat. in V. Carm.

Positósque vernas, ditis examen domus.

EXSTRVET *arte casas.*] In Sfortiæ libro, atque aliis Ante, non Arte.

EVENTVRA *precor.*] idem ante, Eueniet, dat signa deus. A

VIDEN' *vt felicibus extis.*] lætis. Cornel. Tacitus in XVIII. *Sostratus, sacerdotis id nomen erat, vbi læta & congruentia exta, magnisque consultis annuere deam videt.*

SIGNIFICET *placidos nuntia fibra deos.*] Idē Tacitus paullo ante illa, *Certissima fides haedorum fibris.*

NVNC *mihi fumosos veteres proferre falernos Consulis.*] Legendum, Veteris. vt sit veteris consulis, vt est in veteribus libris. Legendum verò suspicabar hoc loco, Fumosum falernum. Quod si illo modo, cados intellegemus. Sequitur enim B

—— *& Chio soluite vincla cado.*

MADERE.] ebrium esse. vt Græcè, βρέχω.

SED *bene Messallam sua quisque ad pocula dicat.*] Messallam benedicat, laudet, aut εὐφημείτω.

SINGVLA *verba sonent.*] id est, cuiúsque voces. Consuetudo verò ipsa nominandi absentes inter bibendum, nota, & ab aliis tradita.

GENTIS *Aquitanæ.*] finge sic laudatum à bibente.

ET *magna intonsis gloria victor.*] Illum, opinor, vtriusque Galliæ tum brachatæ, tum comatæ victorem ac triumphatorē significat, quibus tantus victor laudi sit.

HVC *ades.*] in Vaticano, atque vno meo, Nunc ades. C

REDDITVR *agricolis gratia.*] in Vaticano, non Gratia, sed Gloria.

ILLI *compositis primum docuêre tigillis.*] Diodorus Siculus Cererem domum primum ædificasse tradit, Hesiodus agrestium inuentum esse significare videtur, cùm dixit,

Οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα.

TVNC *victus obuere feri.*] eodem verbo sic vtitur Plautus in Mostellaria,

Neque tam vuere selectis, quàm tu, victibus.

BIBIT *irriguas fertilis hortus aquas.*] Sic, vt Prata bibere dixit Verg. & alibi, D

—— *irriguúmque bibant violaria fontem.*

& Columella de cultu hortor.

Vicini quoque sint omnes, quos incola durus
Attrahas auxilio semper sitientibus hortis.

Ac post,

Et primum moneo largos inducere fontes,
Ne sitis exurat concepto semine partum.

Deinde alibi,

Humidáque Andrachne sitientes protegit antes.

AVREA *tunc pressos pedibus dedit vua liquores.*] Auream vuam dixit, pulchram, pretiosam: vel adlusit ad id, quod Græci χρυσόμηλον dicunt.

MIXTAQVE *securo sobria lympha mero.*] Securo, quod capiti non noceat: an potius, quod securos, & curis solutos reddat. E

ANNVA *terra.*] quæ singulis renouatur annis. vt Menstrua Luna dicitur.

COMPLEAT *ut dulci sedula melle fauos.*] Sedulam quoque apem dixit Ouid. in XIV. Metam.

Non apis inde tulit collectos sedula flores.

CANTAVIT *certo rustica verba pede.*] verba: cantilenam. Verg.

— *numeros memini, si verba tenerem.*

Atq; alij eodem modo, Cantauit autem, ad stius.

ARDENTI *primum est modulatus.*] Hoc Vergilianum videri possit. ille enim dixit,

- *gracili modulatus auena Carm.* -

CARMEN, *vt ornatos duceret ante deos.*] Placet, quod est in Sfortiæ libro, & Florentino, Diceret, non Duceret. Ornatos autem deos, coronatos. Horat.

Ac nec me foliis ideò breuioribus ornes.

AGRICOLA *& minio suffusus, Bacche, rubenti.*] intempestiuè Bacchum videtur appellare. Mihi aut aliquid deesse, aut vitio scriptum videbatur. Minium rubens & Verg. dixit in Bucol.

Sanguineis ebuli baccis, minióque rubentem.

Et in Ciri,

—— *minióque infecta rubenti.*

DVXIT *ab vrbe.*] in Sfortiæ libro, ac Vaticano, item in duobus meis, Ab arte, non Ab vrbe. quod etiam sequor.

HVIC *datus à pleno memorabile munus ouili.*] Memorabile, opinor, dicit, quod esset tragœdi præmium.

DVX *pecoris hircus.*] Ab Ouidio in libris de Arte amandi dicitur,

Dúxque patérque gregis. ——

Pecus autem maiorem & minorem gregem significat. Columella ouillum, & caprinum pecus dicit.

AVXERAT *hircus oues.*] In Sfortiæ libro, Auferat. Auxerat autem, id est, ad oues, quas habebat, ea fiebat accessio. Sic Plautus in Mostellaria,

Augebis ruri numerum genus feratile.
Vt idem ouile hircos, ouésque contineret.

TEXTRIX *operata Mineruam.*] sic in omnibus libris, quos quidem viderim, non Mineruæ, vt nonnulli volunt. Ac nescio, an sic Mineruam operari dicat, vt Lanam facere. Vergilius in III. Æneid. in eadem prope significatione, sed cum dandi casu,

Connubiis, aruísque nouis operata iuuentus.

ET *appulso tela sonat latere.*] esse aiunt in quibusdam libris, Et applauso. Sic equorum plausa colla Verg. atque Ouidio dicuntur.

Et pedibus choreæ plauduntur. ——

Textricis enim latus in texendo huc illuc adplicatum, atque agitatum, edit etiam plausum.

IPSE *quoque inter agros.*] in Florentino, Ipse intérque greges.

ILLIC *indocto primum se exercuit arcu.*] legendum forte, Indoctus, non Indocto. Bion, apud Stobæum, natum in siluis, & leænæ educatum incusat,

Νῦν ἔγνων τὸν Ἔρωτα, βαρὺς θεός, ἦ ῥα λεαίνας
Μαζὸν ἐθήλαζεν, δρυμῷ τέ νιν ἔτραφε μάτηρ.

& reliqua. Vergilius in Bucol. indixit,

Nunc scio, quid sit amor, duris in cotibus illum.

& quæ sequuntur.

HIC *dicere iussit Limen ad iratæ verba pudenda senem.*] Horat. in III. Carm.

Non hoc semper erit liminis, aut aquæ
Cælestis patiens latus. ——

Et Propert. in I.

Quam ego rita tuo limino verba querar.

TENEBRIS.] sic positum videtur, vt, Silentio, quo modo Cæsar, Cic. ac Liuius loquuntur.

Et apud Festum Pomp. in verbo Sinistrum, Silentio surgere. de quo iam dictum. A

ET *pedibus praetemptat iter, suspensa.*] suspenso gradu, vt est apud Terentium.

EXPLORAT *caecas cui manus ante vias.*] Ou. in II. Fast.

Et praefert cautas subsequiturq; manus.

A *miseri.*] Horat. paene eodem modo in I. sine interiectione,

Miseri quibus intemptata nites.

CVI *placidus leuiter adflat amor.*] legendum vt in omnibus veteribus, Leniter. Idem alibi,

Tum quibus aspirabat amor. ——

ET *pone sagittas.*] similiter Horat. in Carmine saeculari, de Apolline, B

Condito mitis, placidúsque telo.

VOS *celebrem cantate Deum.*] Amorem.

PECORIQVE *vocate Voce, palam pecori, clam sibi quisque vocet.*] Palam: clamore, vt ait Vergilius clare: Ennius, apud Festum, in verbo Mutire, *Palam mutire plebeio, piaculum est.* Et idem Ennius, alteri opponens, dixit,

Quocum multa volup, & gaudia clámque palámq.

Idem Tibullus in IV.

—— *quid refert, clámve palámve roget.*

SIBI QVISQVE *vocet.*] Idem alibi,

Hac cecinit vates, & te sibi, Phoebe, vocauit. C

ET *Phrygio tibia curua sono.*] Ouidius,

Tibia dat Phrygios, vt dedit antè, sonos.

LVDITE: *iam nox iungit equos.*] In Sfortiae libro, non Iam, sed Nam. Vetus poëta apud Varronem in IV. de lingua Lat.

Nocti bigas tribuit. ——

Quem locum, vt in vulgatis legitur libris, ponam,

- Itaque dicit Andromache:

Noctíque cana caeli signitenentibus conficis bigeis.

Ego leuissime mutans lego,

Itaque Andromacha dicit nocti,

Quae caua caeli signitenentibus conficis bigeis. D

Erit enim sic plana sententia, versúsque constabit. Horatius eodem forte respiciens in I. Carm. dixit,

Iam Cytherea choros ducit Venus imminēte Luna.

Veneris enim stella Vesper dicitur, quae Martis curru vehi dicitur, quam ob caussam, opinor, hoc loco lectum à quibusdam, vt olim ab Aldo editum,

Currúmque sequuntur Martis. ——

non, Matris, contra scriptorum omnium librorum fidem. Namque Manilius in primo, à Venere Noctem duci, vt à Nocte stellas Tibullus, dixit, E

Et Venus accenso ducit iam vespere noctem.

Orpheus autem, vt putatur, auctor hymni in stellas, matrem astrorum Noctem facit:

Ἀστέρες οὐράνιοι νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης.

Theocritus verò Noctis comites Stellas vocat in Pharmaceutria:

Χαῖρε σελαναία, λιπαρόχροε, χαίρετε κ᾽ ἄλλοι

Ἀστέρες εὐκήλοιο κατ᾽ ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.

Rufus Festus Auianius in libro de Orbe terrae Solem genitorem astrorum vocat,

—— *Sol magni gratia mundi*

Astrorum genitor. ——

POSTQVE *venit tacitus, fuluis circundatus alis, Somnus, & incerto somnia nigra pede.*] in Florentino sic leguntur hi versus,

Pόstque venit tacitus, nigris circundatus alis

Somnus & incerto somnia vana pede.

Alij pro Fuluis, Fuscis legunt. quod sane etiam probabile.

M. ANT. MVRETVS.

QVISQVIS *adest.*] Ambaruualis sacrificij descriptio est.

VOS *quoque.*] hi versus variè leguntur. alij legunt, *discedite ab aris, queis tulit*: alij, *discedat ab aris, cui tulit*: alij, *discedite ab aris cui tulit.* meus vetus liber hac in parte mutilus est. scripturarum autem quas protuli, ea, quae primo hoc loco posita est, mihi maxime probatur.

EXTRVET *arte casas.*] puerilis ludicri genus. Horatius,

Aedificare casas, plostello adiungere mures.

Idem alibi,

- aedificante casas qui sanior?

FVMOSOS *Falernos.*] mire dictum. quasi vinum, non neutro, sed masculino genere diceremus.

MADERE.] madidos aut vuidos vocabant ebrios; contráque siccos, sobrios. sic & Graeci βεβρεγμένους ebrios dicunt.

DVX *pecoris hircus: auxerat hircus oues.*] quo modo, quaeso, hircus oues auxerat? capras potius credidissem. scio à Graecis interdum μῆλα capras vocari, sed nihil ad rem. quid igitur? nimirum vnius literulae mutatio hanc effecit absurditatem. neque enim, *auxerat* legendum est, sed *duxerat.*

VOS *celebrem cantate deum.*] locum hunc, multis in libris deprauatum, primus ita legendum esse, vt nos edidimus admonuit pater tuus Torquate, vir omni virtute ornatissimus, Petrus Bembus, in eo libello, quem de Virgilij culice scribit.

MATRIS *lasciuo.*] in aliis, *Martis*, inepte ipsam autem noctem matrem siderum vocat.

IANVS DOVSA FIL.

QVISQVIS *adest, faueat.*] malim,

Quisquis ades, faueas. ——

Sic infra,

Quisquis ades, lingua vir mulierque faue.

CARMEN *vt ornatos diceres ante deos.*] ornatos, id est coronatos, & sertis redimitos. Sic Apuleius Milesi. III. *Eponae deae simulachrum residens aediculae quod accurate corollis roseis equidem* (lego *& quidem*) *recentibus fuerat ornatum.*

ET *Phrygio tibia curua sono.*] Sic Lucretius:

Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentes.

Ouidius,

Tibia dat Phrygios, vt dedit antè, sonos.

LVDITE, *iam nox iungit equos.*] Nocti equos & currum tribuit exemplo, vt opinor, Poëtae illius Tragici apud Aristoph. in Θεσμοφοριαζούσαις.

—— ὦ νὺξ ἱερά

Ἡ μακρὸν ἵππευμα διώκεις

A *Ἀμφιθέα νυκτὸς ἀμβροσίου*
Αἰθέρος ἱερῆς
Τὸ σημαίνεται δ' ὀνόματι.

Vbi notandum illud *αἰθέρος νυκτὸς*, quomodo apud Philostratum in Epistolis *τοὺς ἱερᾶς νύκτας* legitur. ad cuius imitationem Apuleius dixit in libro De mundo, vbi de stellis agit: *& simplex ætheris dorsum alma & sacrata lucis amœnitate coronant.* & Boëtius lib. IV. de Consolatione:

Polum relinquas extimum,
Dorsáque velocis premat ætheris
Compos verendi luminis.

Sed hæc obiter dicta sunto. Nocti autem interdum bigæ tribuuntur; apud Varronem lib. IV. B De Lingua Latina:

Itaque dicit Andromeda Nocti:
Quæ caua cæli signitenentibus
Conficis bigis.

qui versus Ennij sunt. Interdum quadrigæ, vt apud Poëtam nostrum infra lib. III. Eleg. IV.

Iam nox ætherium nigris emensa quadrigis
Mundum cæruleo lauerat amne rotas.
——currúmque sequuntur
Matris lasciuo sidera fulua choro.

Expressus locus ex illo Theocriti Idyllio II.

--χαίρετε δ' ἄλλοι
Ἀστέρες εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.

C Aestuat autem in huius Tibulliani loci explicatione eruditissimus Muretus Variar. lib. V. cap. II. neque tamen se explicat. Quum enim probare velit satis lepidè dici posse Noctem siderum matrem, nihil ad opinionis suæ confirmationem adfert, nisi quod Euripidi dicta sit Nox siderum nutrix; quod quidem aliquid esset, si *matrem* in Tibullo pro *nutrice* accipi vellet Plautino more, aut *τροφὸν* seu *nutricem* in Euripide pro *matre*, Varroniano. Nunc quum apertissimus sit Poëtæ sensus, apertior quoque explicatio quærenda, quam sagacier indagando videor inuenisse. est enim ab Orpheo sumtum ita in Hymnis scribente:

D *Ἀστέρες οὐρανίοι νυκτὸς φίλα τέκνα μελαίνης.*

Quòd si quis caussam huius opinionis quærat, non facilè afferam aliquid certi. sed tamen suspicor id fortè ab Hesiodi Theogonia fluxisse, qui Ætherem nocte genitum canit, quod & in Vmbra nostra tetigimus. ætheris autem appellatione quum *οὐρανὸς καὶ ἄστρων οὐσία* comprehendatur, quod testatur Aristoteles seu Theophrastus in libro de Mundo, quúmque cœli & stellarum eadem sit materia, vt à nobis ita explicatum est in primo Rerum Cœlestium, rectè dicetur etiam siderum mater, quæ cœli est. Sed vt hoc dubitanter pronuntiem, facit ambigua significatio ætheris, quem in illo Hesiodi aërem designare Tzetzes commentator asserit. Potest etiam altera ratio afferri ex Aegyptiorũ Theologia, qui quoniam priusquam mundus hanc elementorum dispositionem sortiretur & ordinem quem videmus, inuoluta tenebris omnia fuerint, ex eo Noctem rerum matrem nuncupatam, Latonęque, id est, noctis liberos Apollinem Dianámque, id est Solem & Lunam fingi volebant. Aut postremò referendum ad eam Philosophorum opinionem, quæ noctem non solùm antiquissimam, sed & rerum omnium productricem ac Deorum ipsorum obstetricem esse credebat. Ita enim vetus Poëta apud Proclum in Commentario II. in Timæum Platonis: *Μαῖα θεῶν ὑπάτη νύξ.* apud quem vide plura ad hanc rem pertinentia. Ad alia enim properamus.

LASCIVO *sidera fulua choro.*] Chorus siderum interdum generatim de omnibus stellis, vt hîc, interdum de solis errantibus dicitur. Prioris significationis multa exempla ex Varrone Atacino, Statio, Apuleio, Nonno aliísque adferre possem, quæ breuitatis gratia sino præterfluere. ponam tantum vnum ex Varronis Marcipore vt emendem:

Cùm pictus aër feruidis latè ignibus
Cæli choréas astricas ostenderet,
Nubes aquali frigido velo leues
Cæli cauernas aureas subduxerant.

In penultimo enim versu corrigo *aquai* pro *aquali*, ne insuauior sit duorum Epithetorum concursus. Posterioris significationis hæc legi. Manil. Astronom. lib. I.

Et quinque aduerso luctantia sidera mundo
Exercent varias naturæ lege choréas.

Proclus Hymno in Solem:

Ζωοτόκοι δὲ πλανῆτες ἀειθαλέας σοὶ πυρσοὺς
Αἰὲν ὑπαμπέμπουσι καὶ ἀκαμάτοισι χορείαις
Ζωογόνος πέμπουσιν ἐπιχθονίοις ῥαθαμιγγας.

Caussam dat Censorinus de die Natali cap. XIII. *Quare Dorylaus scripsit esse hunc mundum organũ Dei: alij addiderũt esse idẽ τὸ ἑπτάχορδον, quia septẽ sunt vaga stellæ, quæ plurimũ mouẽtur.* Vbi fortasse *Deũ* pro Sole posuit exẽplo Græcorũ. Vnde & Martial. lib. XII.

Martis alumna dies, roseam quo lampada primùm
Magnáque sideris vidimus ora Dei.

Interdum non simpliciter *Deus* sed *Deus Sol* dicitur. Inscriptio Vetus:

DEO
SOLI. INVICTO
P. POMPONIVS
CLITVS
EX VOTO

Sed & *annum Dei* apud eundem Cẽsorinum pro *Solari* accipiendum obseruauit omni doctrina politissimus Florens Christianus. Igitur si mundum organum Solis esse intelligamus, illustris sententia fuerit & ex Orphicæ Theologiæ penetralibus depromta. is enim cœlum vniuersum Apollinis cithara temperari canit pulcherrimis versibus Hymno in Apollinem:

——σὺ δὲ πόλον ἅπαντα κιθάρῃ πολυκρέκτῳ
Ἁρμόζεις· ὁτὲ μὲν νεάτης ἐπὶ τέρματα βαίνων,
Ἄλλοτε δ' αὖθ' ὑπάτην, ποτὲ Δώριον εἰς διάκοσμον
E *Πάντα πόλον κεράσας, κρίνεις βιοθρέμμονα φῦλα.*

Huc respexit Varro Satyra *ὄνος λύρας.*

Quam mobilem Diuûm lyram Sol harmoge
Quadam gubernans motibus diis veget.

Neque enim assentior doctissimo Ariano Iunio solicitanti hanc lectionem, quæ optima est, & nouam architectãti: *Diuûm* enim *lyra* est id quod *organum Dei* vocauit Dorylaus, scilicet mundus ipse & Planetæ circum Solem *ἅπτω* [illegible] *χορεύοντες*. Quod autem sequitur: *--harmoge*
Quadam gubernans motibus diis veget.

dixit ex opinione veterum, qui ceterorum cursus astrorum pendere à vi nutúque Solis existimabant temperantis sibi circumiectas rotationes. Quin & planetarum stationes à Sole fieri censebant, vt ex his Vitruuij verbis apparet lib. IX. cap. IV. *Ergo potius ea ratio nobis constabit, quod feruor, quemadmodum omnes res euocat & ad se ducit, eadem ratione Solis impetus vehemens radiis trigoni forma porrectus, insequentes stellas ad se perducit, & ante currentes veluti refrenando retinendóque non patitur progredi, sed ad se cogit regredi, & in alterius trigoni signum esse.* Item his Plinij lib. II. cap. XVI. *Percussæ* (scilicet stellæ) *in quâ diximus parte & triangulo Solis radio inhibentur rectum agere cursum, & ignea vi leuantur in sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro, ideóque existimantur stare, vnde & nomen accepit statio. Progreditur deinde eiusdem radij violentia, & retroire cogit vapor repercussas.* Quò respiciens Lucanus dixit:

——Sol tempora diuidit anni,
Mutat nocte diem, radiísque potentibus astra
Ire vetat, cursúsque vagos statione moratur.

Sed vt è diuerticulo in viam redeamus, & illud nobis enucleandum est in Tibullo cur dicat *lasciuo choro.* equidem tametsi ad cœlestium motuum flexus ac varietates referri possit, tamen haud aliò eum respexisse crediderim, quàm quòd inerrantium astrorum chorus tremula acie crispare lumen suum & velut scintillare videatur. cuius rei caussas legere est apud Aristotelem in secundo libro De cœlo, & non minorem Aristotele Iulium Cæsarem Scaligerum perfectissimum illud naturæ miraculum Exercitat. LXIII. Eandémque rem carmine à me expressam, sicui id curæ erit, videbit in primo Rerum Cœlestium. Eleganter ergo lasciuiam sideribus tribuit Tibullus eâdem ferè ratione, quâ *lasciuiam piscium* dixit Pacuuius apud Ciceronem lib. I. De Diuinatione, imitatus, vt credo, illud Liuij Andronici:

Tum autem lasciuum Nerei simum pecus.

Postqve *venit tacitis fuluis circundatus alis Somnus.*] Fallor? an legendum *furuis* aut certè *fuscis*, quod agnoscunt libri. sic infra:

Et cùm te fusco somnus velauit amictu.

certè fuscas alas etiam Somniis tribuit Euripides in Hecuba:

——ὦ πότνια χθὼν
Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων.

& iterum in eâdem Tragœdiâ:

Ἔμαθον ἔνυπνον ὀμμάτων ἐμῶν
Ὄψιν. οὐ με παρέβα φάσμα
Μελανόπτερον, ἃν ἐσεῖδον
Ἀμφὶ σ' ὦ τέκνον.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Qvisqvis *adest valeat.*] Lege, *faueat* Alibi:

Quisquis ades, lingua, vir mulierque, faue.

Et *spicu.*] Mallem, *aut spicis.* Et ita postulat sententia.

Plena *coronato stare boues.*] Excerpta,

Plena coronato vertice stare boues.

Tvm *nitidus plenis confisus rusticus agris.*] Profecto hic est spurium nescio quid in voce agris Ego censeo legendum, *areis*, per synæresin. Quod quam melius sit, quam id, quod editum est, nemo non videt. Nam hoc vult quemadmodum pro nouis frugibus ambaruale sacrificium fit: ita pro collectis alterum fit, plenis scilicet areis, & bene nitidvm: quasi epulis functum. Horatius:

Me pinguem & nitidum bene curata cute vises.

Extrvet *arte casas.*] Repone veterem scripturam, *ante.* Sic alibi: *& festas extruet ante Cespitibus mensas.*

Nvnc *mihi fumosos.*] Hoc ὑποπτεύω. Sed nos legimus:

Nunc mihi nunc fumos veteris proferte Falernos
Consulis—— *Fumos Falernos*, hoc est vina quæ fumum bibere sunt instituta, vt loquitur, Horatius:

Amphora vinum bibere instituta.

Vnde rectè ea vina fumos vocabant. Sed Martialis fumos Massilitanos dixit in deteriorem partem, quod non potest dici de Falernis vinis. Ea enim non opus habebant bibere fumum. Infodiebantur enim, vt vetustate gratiam acquirerent. Quare assentior iis, qui fumosum Falernum legunt.

Sed *bene Messalam.*] Ouidius:

Et bene te, bene me patriæ pater, optime Cæsar.

Melius tamen, *Et bene Messala.* Ouidius:

Et, bene, dic domina, bene cum quo dormiet illa.

Tamen vtrumque admitti potest: neque vtrouis modo legas, magnopere laboro.

Et *magna intonsis gloria victor ades.*] Mendum est in hac lectione. Nam quid est, *intonsis*? Non dubito Tibullum scripsisse:

Et magna intonsis gloria victor auis
Huc ades ——

Nam scriptum erat, *abis.* ex quo fecerant, *ades.* Ouidius:

Hoc apud intonsos nomen habebat auos.

Agricola *adsiduo primum satiatus.*] Fortasse,

Lassatus——

Dvceret *ante Deos.*] Ducere carmen. Horatius:

——forte epos, acer
Vt Varius, nemo ducit——

Quare non assentimur iis, qui legunt *diceret.*

Dvxit *ab arte choros.*] Legendum, *ab arce.* intelligit ἄστυ Atheniensium. Primum chori in oppido introducti, à quo ἀστικοὶ ἀγῶνες, qui Baccho fiebant. propterea hic mentio Bacchi. qui Aristophanem & veteres Grammaticos, item incomparabiles patris mei Poëtices commentarios legit, nunquam mirabitur, quare Bacchi mentio hic iniecta est. Non enim aduerterunt Tibullum hic initia Tragœdiæ ordiri. præsertim quum hircum datum in præmium dicat, à quo τραγῳδία dicta. Hoc enim est, quod subiungit:

Huic datus è pleno memorabile munus ouili
Dux pecoris hircus. duxerat hircus oues.

Dvxerat *hircus oues.*] Ita olim adolescentes emendauimus. Pausanias Arcadicis: τοῖς δὲ ποιμέσιν ἡγεμόνας τῶν προβάτων ὄντων αἶγας. κιλλιάδας οἱ ποιμένες ὀνομάζουσιν αὐτάς.

Et

A

Et *appulso tela sonat latere.*] Malim, *& applaso tela sonant latere. applauso* pro apploso. *Tela* numero plurali sunt istonis instrumenta. Valerius Flaccus libro tertio:

Dat pictas auro, atque ardentes murice vestes.
Quas rapuit telis formosa vocantibus austris,
Hypsipyle——

De hoc & libro primo diximus.

Et *procul ardentes hinc precor.*] Liber noster, *hinc procul.* est enim *procul procul.* Supra, *Stet procul, aut alia stet procul ante via. procul procul este profani.* ἑκὰς ἑκὰς ὅστις ἀλιτρός. Callimachus.

B

Avt *etiam sibi quisque palam.*] Mirum hanc veteribus superstitionem fuisse, vt non nisi taciti vota conciperent. Infra:

Optat idem iuuenis, quod nos, sed tutius optat.
Nam pudet hæc illum dicere vota palam.

Item:

Illa aliud tacita iam sibi mente rogat.

Martialis:

Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roges ore Deos.

In Satyra:

At bona pars populi tacita libabit acerra.

Item:

Haud cuiuis promptum est murmur tacitosque susurros
Tollere de templis & aperto viuere voto.

C

Lvdite. *iam nox.*] Ad verbum Euripides Ione,

Μελάμπεπλος δὲ νὺξ ἀσείρωτον ζυγοῖς
Ὄχημ' ἔπαλλεν. ἄστρα δ' ὡμάρτει θεᾷ.

Matris.] Ita rectè M. Antonius Muretus, quum antea legeretur martis.

ELEGIA II.

Dicamvs bona verba: venit natalis ad aras.
Quisquis ades, lingua, vir, muliérque faue.
Vrantur pia thura focis; vrantur odores,
Quos tener è terra diuite mittit Arabs.
Ipse suos Genius adsit visurus honores;
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo,
Atque satur libo sit, madeátque mero.
Annuat & Cherinte tibi quodcunque rogabis.
En age quid cessas? annuit ille, roga.
Auguror, vxoris fidos optabis amores.
Iam reor hoc ipsos edidicisse Deos.
Nec tibi malueris, totum quacunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arua boue:
Nec tibi gemmarum quidquid felicibus vndis
Nascitur, Eoi quà maris vnda rubet.
Vota cadunt. vtinam strepitantibus aduolet alis,
Flauáque coniugio vincula portet Amor!
Vincula quæ maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiátque comas.
Huc veniat natalis auis, prolémque ministret,
Ludat & ante tuos turba nouella pedes.

BERN. CYLL. VERON.

Dicamvs *bona verba, venit natalis ad aras.*] Cornuti seu Cherinthi natalem celebrat, qui sibi & officio & beneuolentia iunctus fuisse legitur. Potest tamen de suo etiam ad Cornutum natali scribere, vtrumque licet augurari.

Dicamvs *bona verba.*] iubet esse sacrificio præparatos, omissis rebus & verbis lasciuiusculis.

Venit *natalis ad aras.*] honor scilicet pro natali diis exhibendus.

Qvisqvis *ades lingua vir, mulierque faue.*] vox est in sacris sacerdotum frequentior, Fauete linguis. Horatius lib. carminum III.

Odi profanum vulgus & arceo.

Fauete linguis, hoc est, mecum supplicate. Nam Seneca in libro de vita beata: *Et quoties*, inquit, *mentio sacra literarum interuenerit, Fauete linguis: hoc verbum non (vt plerique existimant) à fauore trahitur, sed imperatur silentium, vt rite peragi possit sacrum, nulla voce mala obstrepente.*

D

Thvra *pia.*] religionibus apta. ideo sane pia quia ἀπὸ τοῦ θύειν, id est, sacrificare dicta.

Tener *Arabs.*] Arabem vocat tenerum respectu comparaturæ id est, gracilem, nam qui in calidis locis nascuntur, vt in architecturæ lib. memoratur à Vitruuio nostro, sunt gracilioris corporis. Vel tener idest mollis: quoniam odoramentorum copia abutuntur, & effœminati habentur. Catullus: *Arabasque molles.*

E

Vrantvr *odores.*] Amomum & cinnamomum, & cætera aromata. Nam cinamomum perfectissimum nascitur in Aethiopia secundum Plinium in XI. naturalis historiæ. Propertius elegiarum III.

Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.

Sed amomum cum nascatur in Ponto, Armenia, Arabia, Arabicum laudatur magis.

Ipse *suos Genius.*] Genius est vere deus: *qui* (teste Festo) *vim obtinet omnium rerum gerendarum*, & Aufustius inquit, *Genius est deorum filius & parens hominum ex quo homines gignuntur, cuius* (vt ait Quint. Censorinus) *ductu prospera eueniunt, & pro igne concipitur.* Nec mirum cum antiqui appellauerunt deos geniales aquam, aërem, terram & ignem. Persius:

Funde merum genio.

Hinc genialis pro voluptuosus. Iuuenalis in Crispino.

——*genialis agatur Iste dies.*

Svos *honores.*] quia ipse Genius secundum Socratis & Platonis veterem sententiam cum homine simul nascitur, & cum homine pariter concidit.

Illivs *puro distillent tempora nardo.*] sic supra:

Illius & nitido stillent vnguenta capillo.

Nardum genus est vnguenti pretiosi ex nardo suauissima herba, seu frutice, & nardinum foliatum quo apud antiquos caput in epulis vnguentari supra diximus. Horatius carminum secundo:

—— sic temere, rosa &
Canos odorati capillos,
Dum licet: Assyriaque nardo,
Potamus vncti. ——

Est autem nardus tam neutro, quam feminino genere ab antiquissimis prolata. Puro autem idest non adulterato: est enim (vt ait Plinius) magna materia adulterandi, & herbarum species sunt nouem, quas quia imitantur nardum, meminisse debent vnguentarij.

Annvat.] concedat. nam nutus deorum voluntatem significat. ideo Virgilius in Priapeis iocis scaturiens ait:

Mentulámque mouit pro nutu deus,
——*& rogata fecit.*

Putarunt antiqui quicquid fecissent in natali Genium concessurum: ideo Ouidius in Tristibus ait:

Si tamen est aliquid nobis hac luce petendum:
In loca ne redeas amplius ista precor.

En *age.*] exhortantis oratio.

Qvid *cessas.*] idest tardas moram trahendo: quin aliquid roges tuum Genium.

Amores *vxoris fidos.*] quippe res est præcipua casti corporis & syncerae fidei vxorem habere. Nam (Satyrico teste) *ocyus illud extorquebis, vt hac oculo contenta sit vno.*

Edidicisse.] præcognouisse: quasi inferat non hoc impetrari posse: quod factum sit difficillimum.

Fortis *arat valido rusticus arua boue.*] plenus est versiculus: duobus enim epithetis constat alternatim positis & proprie locatis, & structura perfacilis, & tenor egregius est: per hoc vult intelligere fertilem terram.

Eoi *qua maris vnda rubet.*] in mari rubro gemmarum, lapidumque pretiosorum inuenitur copia. Qua scilicet parte rubet quæ australis est. Nam (vt Priscianus in interpretamento E Dionysij scribit) mare in Orientali regione dicitur Eoum & Indum: in meridionali ora Aethiopicum & Rubrum vocatur: sed quod rubeat diuersæ sunt opiniones, nam *ἐρυθραῖον* Græcè dicitur à colore arenularum, vt Varronis sententiam Solinus refert in memorabilibus: sed Quint. Curtius in principio sexti libri non à colore vndarum, seu arenarum vult appellatum, sed ab Erythro rege: quapropter lib. IIII. de India loquens ait: *Mare certè quidem alluitur, nec colore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythro rege*

A *ge inditum est nomen. Propter quod ignari rubere aquas credunt.* hoc Priscianus in eodem sensit,

Vlterius pergas si post Carmanica summa
Ogyris occurrat, quæ dicitur esse sepulchrum
Regis Erythræi, dederit qui nomina ponto.

Et Strabo ita scribit Geographiæ XVI. *Nam ex sententia Artemidori dixit putare quosdam mare Rubrum esse à colore per reflexionem expresso, vel à Sole cum supra verticem est: vel à montibus ex adustione rubentibus. Nam vtroque modo verisimile est. Ctesiam vero Gnidium historiæ mandasse refert fontem quendam esse, qui aquam rubicundam ac minio plenam in mare emittit. Agatarchidem autem illius ciuem à* B *Boxo quodam accepta tradidisse, quod Persa quidam cum equorum armentum à leana vel asello tactum vsque ad mare agitaretur: atque inde in insulam quandam transmitteret: primus constructa rate in insulam transierit: videnſque habitabilem armentum rursum in Persiam abegerit: ac missis in eam & in alias insulas colonis & in maritimam oram: pelagus de suo nomine appellarit. Aliqui vero Persei filium Erythram asserunt, qui in his locis imperarit.*

Vota *cadunt.*] vota dicuntur cadere cum preces nullum effectum sortiuntur.

Alis *strepitantibus.*] ideo strepitantibus vt augurium fortius procedat.

C Flava *vincula.*] zonam accipit, quam Venus ad honestas nuptias afferre credita est: à Græcis ceston nominatur. Quo quidem cesto coniuges deuinci putarunt, vti concordes in vita viuerent. Ideo Martialis in distichis ait:

Sume Cytheriaco medicatum nectare ceston:
Vssit amatorem balteus iste Iouem.

Et ante dixerat:

Collo necte puer meros amores
Ceston de Veneris sinu trahentes.

Namque Claudianus eius potentiam volens innuere dixit in epithalamio:

——*& blando spirantem numine ceston*
Cingitur impulsos pluuiis quo mitigat amnes,
Quo mare, quo ventos, iratáque flumina soluit.

D nam scribit Lactantius grammaticus secundo Thebaidos Venerem ad turpes nuptias non venire, ideo incestum dicitur quod sacrato illo Veneris cingulo non fuerit vinctum. Præterea hoc ita ait Tibullus, quia vt idem eodem libro testatur, antiqui iura nuptiarum celebrabant ante aras numinum.

Mandant.] perdurant.

Inficiatqve *comas.*] hoc est, dum canis albicét capilli: & est inficere maculis, deturpare.

ACHILLES STATIVS.

Dicamvs *bona verba.*] Totus ille apparatus, aræ, odorum, coronarum, vestis albæ, qui die natali adhiberi solet, explicatur ab Ouidio, in III. Tristium, eleg. XIII. & in V. eleg. VI. Atque idem in III. Bonas preces, & Bona verba pro eodem videtur posuisse,

Libáque dem pro te, genitale notantia tempus,
Concipiámque bonas ore fauente preces.

Et paulò post,

Nec dare tura libet, nil exorantia diuos,
In tantis subeunt nec bona verba malis.

Et in v.

Lingua fauens adsit, nostrorum oblita laborum,
Quæ puto didicit iam bona verba loqui.

Orpheus, siue quisquis alius auctor hymni in Curetas, εὐφήμους λόγους videtur dicere:

Ἔλθοιτ' εὐθυμέοντες ἐπ' εὐφήμοισι λόγοισι.

VIR *mulierque fauė.*] Iulius Pollux in IX. in Synonymis, similia multa adducit, ad significandam promiscuam hominum multitudinem: Καὶ ἴσως δ' ἄν τις εἴποι, παῖδα, γέρων, καὶ πᾶσα ἡλικία, καὶ ἀνὴρ ἴσος, καὶ ὁ παῖς, καὶ γυνή.

VRANTVR *pia tura focis.*] Tus adhiberi solitum in hoc sacrificij genere, significant etiam versus Ouidij, illis, quos supra posui, locis.

VRANTVR *odores.*] Verg. similiter, in IIII. Georg.

Hic iam Galbaneos suadebo incendere odores.

Et Plautus in Manæhemis,

——*sternite lectos, incendite odores.*

QVOS *tener è terra diuite mittit Arabs.*] Idem in III.

Illic quas mittit diues Panchaia merces,
Eoique Arabes, diues & Assyria.

In IV.

Possideatque, metit quidquid bene olentibus aruis
Cultor odoratæ diues Arabs segetis.

Et Arabum mollitiam, & varios eorum odores, significat Manilius in IIII.

——*Arabes, terramque ferentem*
Delicias, variæque nouos radicis odores.

Et alibi,

Et Molles Arabes syluarum ditia regna.

Verg. in Georg. Molles Sabæos dixit, in eodem genere,

India mittit ebur, molles sua tura Sabæi,

Itaque Tibullus eodem modo Tenerum dixit Araba, quo alij Mollem. Plautus in Pœnulo Arabium odorem dixit *Arabius, Murrinusque odor omnia complebat.* Et Ouid. in Epist. Sapphus ad Phaonem,

Non Arabo noster rore capillus olet.

GENIVS *adsit.*] in Sfortiæ libro, ac Vaticano, Adsit genius.

FLOREA *serta.*] in scriptis omnibus, Mollia serta.

ILLIVS *è puro.*] in Sfortiæ libro, Vaticano, Florentino, & vno meo, Illius puro.

ATQVE *satur libo sit.*] Ouidius *Liba* dixit,

——*genitale notantia tempus.*

Et in IIII. Tristium,

Lucifer amborum natalibus adfuit idem,
Vna celebrata est per duo liba dies.

Et in I. de Arte amandi,

Quid quasi natali cum poscit munera libo.

Et idem in Tibul. in III.

Ter tibi sit libo, ter dea casta mero.

ANNVAT *& Cherinthe tibi.*] in Vaticano, Florentino, atque vno meo, Cornute, non Cherinthe.

AVGVROR, *vxoris fidos optabis amores.*] Sic Ouid. in I. de Arte amandi:

Auguror, en vinces.——

Et Propertius in III.

Illum post cineres auguror esse diem.

VOTA *cadunt.*] sic Propert. in I.

A *Omniaque ingrato litore vota cadunt.*

Et in III.

Exciderant surdo tot mea vota Ioui.

Et Horat. sic dixit Verba cadentia, in I. epist.

Sic iterat voces, & verba cadentia tollit.

Propertius in I.

Neu tibi pro vano verba benigna cadant.

Atque alibi,

Et mea nocturno verba cadunt zephyro.

Vt Sophocles in Trachiniis: ὦ τέκνον, ὦ παῖ, κἀξ ἀφύκτων ἄρα Μῦθοι καλῶς πίπτουσι.

STREPITANTIBVS *aduolet alis.*] in vno B meo. Trepidantibus, non Strepitantibus.

HVC *veniat.*] in Sfortiæ libro, in Florentino, atque vno meo, Hic, non, Huc. Auis ipsis, tibi, atque vxori tuæ. vt vos filij auos faciant, numerosa eorum prole.

M. ANT. MVRETVS.

DICAMVS *bona verba.*] natalem aut suum, aut Cherinthi celebrat.

DICAMVS *bona verba.*] Summa enim diligentia cauebant, ne sibi eo die vel imprudentibus vocula excideret vlla, in qua mali ominis C aliquid inesset. versum autem hunc ita distinguendum putarim,

Dicamus bona verba (venit natalis) ad aras.

LINGVA *faue.*] ἢ σίγα, ἢ εὔφημα φώνει.

IAM *reor hoc ipsos.*] puto hoc votum tuum deos edidicisse, qui tam sæpe illud ex te audierint. quoties enim sacra facis, nihil prope ab eis aliud petis. hunc versum, visum est mihi, vt exponerem: propterea quod Cyllenium quendam Veronensem fœde in eo declarando lapsum videbam.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

D IAM *reor hoc ipsos edidicisse deos.*] Pendet à superiori animaduersione quod taciti vota illa immurmurarent.

HVC *veniat natalis auis*] Auis est cornix, quam concordiæ symbolum veteres in nuptiis inuocabant. Quod conuenit ei, quod iam dixit:

Flauaque coniugio vincula portet amor.

Ælianus de animalibus: ἀκούω δὲ τοὺς πάλαι καὶ ἐν τοῖς γάμοις μετὰ τὸν ὑμέναιον τὴν κορώνην καλεῖν, σύνθημα ὁμονοίας τοῦτο τοῖς συνιοῦσιν ἐπὶ παιδοποιίᾳ διδόντας. Natalem dixit à Iunone quæ Natalis est Dea, & nuptialis, & cuius ea ales in tutela est. vnde & Monetula congenera eius auis dicitur, quia Iuno E Moneta cognominatur. Iuno igitur καὶ γενέθλιος καὶ γαμήλιος θεά.

ELEGIA III.

PVRA tenent Cornute meam, villæque puellam.
Ferreus est, eheu, quisquis in vrbe manet.
Ipsa Venus lætos iam nunc migrauit in agros,

Verbáq. aratoris rustica discit Amor.
O ego cùm dominam adspicerem, quàm fortiter illic
Versarem valido pingue bidēte solum?
Agricolæq. modo curuū sectarer aratrū,
Dū subigūt steriles arua serēda boues.
Nec quererer, quòd Sol graciles exureret artus,
Læderet & teneras pustula rupta manus.
Pauit & Admeti tauros formosus Apollo,
Nec cithara, intonsæ profuerúnt-ve comæ:
Nec potuit curas sanare salubribus herbis.
Quidquid erat medicæ vicerat artis Amor.
Ipse Deus solitus stabulis expellere vaccas,
Et potum pastas ducere fluminibus,
Et miscere nouo docuisse coagula lacte,
Lacteus & mistis obriguisse liquor.
Tūc fiscella leui detexta est vimine iūci,
Raráque per nexus est via facta sero.
Ah quoties, illo vitulū gestāte per agros,
Dicitur occurrens erubuisse soror!
Ah quoties ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rūpere mugitu carmina docta boues?
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus:
Venit & à templis irrita turba domū.
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa nouerca prius.
Quisquis inornatúmque caput, crinésque solutos
Adspiceret, Phœbi quæreret ille comā.
Delos vbi nunc Phœbe tua est? vbi Delphica Pytho?
Nēpe amor in parua te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri cùm fertur apertè
Seruire æternos non puduisse Deos.
Fabula nunc ille est: sed cui sua cura puella est,
Fabula sit, mauult, quàm sine amore Deus.
At tu quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo.

A Ferrea non Venerem, sed prædam sæcula laudant,
Præda tamen multis est operata malis.
Præda feras acies cinxit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiórque venit.
Præda vago iussit geminare pericula ponto,
B Bellica cum dubiis rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsidere cāpos,
Vt multa innumera iugera pascat oue.
Cui lapis externus curæ est: vrbísque tumultu,
Portatur validis mille columna iugis.
Claudit & indomitum moles mare, lentus vt intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.
C At tibi læta trahant Samiæ conuiuia testæ,
Fictáque Cumana lubrica terra rota.
Eheu diuitibus video gaudere puellas:
Iā veniant prædæ, si Venus optat opes:
Vt mea luxuria Nemesis fluat, vtque per vrbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas femina Coa
Texuit, auratas dispósuitque vias.
D Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.
Illi selectos certent præbere colores
Africa puniceū, purpureúmque Tyros.
Nota loquor. regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.
At tibi dura seges, Nemesim quæ abducis ab vrbe,
E Persoluat nulla semina terra fide.
Et tu Bacche tener, iucūdæ consitor vuæ,
Tu quoque deuotos Bacche relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
Abdere. non tāti sunt tua musta pater.
O valeant fruges: ne sint modò rure puellæ,
Glans alat, & prisco more bibantur aquæ.

Glans aluit veteres, & paßim semper amarunt. (tos?
Quid nocuit, sulcos non habuisse satum, quibus aspirabat Amor, prabebat apertè (nus.
Mitis in vmbrosa gaudia valle Venullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Ianua. si fas est, mos precor ille redi.
Ah pereant artes, & mollia iura colēdi,
* * *
O vtinā veteri peragrantes more puellæ
Horrida villosa corpora veste tegant.
Nunc, si clausa mea est, si copia rara videndi, (togam?
Heu miserum, laxam quid iuuat esse
Ducite, ad imperium dominę sulcabimus agros:
Nō ego me vinclis verberibúsque nego.

A B C

BERN. CYLL. VERON.

RVRA *meam, Cornute, tenent villaque puellam.*] ad Cornutum cruciatus sui vim scribens, aperit quem dolorem ex puella conceperit ruri vitā traducēte. Quodque insuper fœmellæ Romanæ non pulchritudine amatorum vel scientia delectentur: sed pretio captæ diuitibus auscultent. Rus Græcum est vocabulum, ἀγρὸς enim dicitur latinè ager: siue hoc etiam Græcum ἀπὸ τοῦ ἄγειν quoniā in eo aliquid semper agatur: putetur latinissimum. Villa est casa villatica à vallis: quibus extruitur: seu à vehendo, quod illuc ex agris anni fructus aduehuntur.

O EGO.] ex amoris immensitate cupit in conspectu dominæ agrum aratro vertere, Versarem, foderem fossorio.

CALIDO *bidente.*] bidens quod (vt superius diximus) ferreum est instrumentum, quod tum calescit cum in pingui & spissa tellure imprimitur. Maior enim vis brachiorum in illa perquiritur, & versarem dicendo, solum sarriremaccipit, à quo sarculum pro fossorio deducitur.

AGRICOLÆQVE *modo curuū sectarer aratrū.*] curui sūt aratores in arādo, propterea quod durim manu tenētes sequūtur aratrum. Quare ait Plin. in naturali hi. *Arator nisi curuus arauerit praeuaricatur.*

SVBIGVNT.] sursum euertunt.

STERILES *boues.*] non boues sunt steriles, sed terra infructuosa.

EXVRERET.] vrendo nigros efficeret, vt supra, *Vrentur scilicet ea.*

PVSTVLA *rumpi manus.*] Pustula est species occultæ vomicæ. hic pro callo manus accipitur, quæ duricies cum tumefacta, mollescit aqua intercepta, vulgus vesicam vocat. Calfurnius in Aegloga Myconis & Canti:

——tacitum ne pustula virus
Texerit occulto sub vulnere.

de occulto morbo intellexit. Sed pusula est tumefactio illa leuis, quæ in coquendo pane solet assurgere, quam Festus hetam quoque vocari dicit, quod pro re nullius pretij ponitur. Moderatus vero Colu. lib. VIII. pro genere sacri ignis pusulam accepit: ita de morbis pecudum: *Est etiā insanabilis sacer ignis, quam pusulā vocant pastores.*

PAVIT *& Admeti tauros formosus Apollo.*) quod sibi turpe non sit rus colere, probat à maiori. Admetus fuit Thessaliæ rex Pherecij filius, dicente Ouid. de arte amand. III.

Fata Pheretiada coniux Pegasaa redemit:

huius armenta Apollo pauit annos nouem priuatus cœlo, propterea quod Cyclopas flagellasset, qui Ioui fulmina subministrauerant ad internecionem Aesculapij. Namque, vt refert Euseb. preparationis Euāgelicæ II. ex Diodori sententia historiarum IIII Iuppiter indignatus ideo dicitur Aesculapium confecisse, quod adeo medicinalium artium peritia prestaret, vt ab incurabili morborū omni genere sanaret ægrotātes, vt poëtæ fabulantur, quod Hyppolitum ab inferis sedibus in pristinam vitam sua scientia reuocasset. Apollines autem plures fuisse in antiquitatibus in dies legitur.

NEC *potuit curas sanare salubribus herbis.*] curas vocat molestos ac sollicitos amores. *Amor enim nullis est* (vt Ouid. ait) *medicabilis herbis*: quam sententiam Propert. elegiarū II. prior cōplexus est:

Non hic herba valet, non hic nocturna cytheis,
Nec per Medeæ gramina cocta manus.

Et in eodem:

Omnes humanos sanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

CVRAS.) idest amorem. Ipse etiam Macharei filiam ita amauit, vt non puduerit habitu pastorali seruire Machareo, dum nata potiretur: cuius rei meminit Ouid. VI. meta.

——Et pastor Machareida luserit Isfen.

D

VICERAT *amor.*) Non enim proderant domino quæ prosunt omnibus artes: namque Phalaris Agrigentinus scribit in epistolis: *Morbum corporis medicus sanat, morbum animi sanat mors.*

STABVLIS *depellere.*) à stabulis in pascua agere.

ET *mi. no. docuisse coag. lacte.*) signat Apollinem docuisse rusticos caseum facere. Est coagulū (vt Noni. Marcellus inquit) dictum à coagendo: quod est colligendo. eo enim lac conglobatur in massam.

TVNC *fiscella leui detexta est vimine iūci.*) sic Vir.

——gracili fiscellam texit hibisco.

E

Est sanè fiscella vasculum virgulteum, quo lac colatur dum caseus imprimitur: vnde antiquitas appetitorem casei mollis fiscellum vocitauit.

RARAQVE *per nexus est via facta sero.*) ideo hoc factum est vt lac purificatum defluat. Serum est lactis aqua dum id premitur in caseum. Virgil.

Pasce sero pingui. hoc quidam male colustrum vocant, quia (vt ait Palladius de Nouēbri mense) colustrum vocant pastores illud exiguum lactis in quo est spissior: nam mulgetur ex vberibus fœtæ, antequam natus vberibus matris admoueatur: vt Martia. in distichis innuit,

Surripuit pastor quæ nondum stantibus hædis.
De primo matrum lacte colustra damus.

PER *nexus.*] per tenuissima foramina.

SOROR.] Diana. nempe ex Latona Apollo & Diana geniti sunt.

ALTA.] profunda, spatiosa.

PETIERE *oracula.*] oraculum est responsum ab ore dictum, vt Prisci. scribit in libello, quem de duodecim Virgilianis carminibus cõposuit.

TREPIDIS *rebus.*] dubiis scilicet & laboriosis. Liui. lib. IIII. de bello Macedonico: *Ne se in rebus tam trepidis deserat*, & Horat. car. III.

Vitamque sub diuo & trepidis agat In rebus.

Nam vt Ser. in Virg. ego in Horatio animaduertimus: vterque eorum trepidare pro festinare, seu maturare sæpissime vsi sunt.

IRRITA.] delusa, vana.

HORRERE.] sordescere, turpari.

IPSA *nouerca.*] Iuno. scilicet capillorum miram ostendit pulchritudinem, quos mulier dea etiam inimica est admirata.

DELOS *tua.*] tua idest, genialis: quoniam Latona geminos enixa est in Delo insula ex Cycladibus.

DELPHICA *Pythos.*] Python serpens fuit: quem missum Iunonis iussu (vt dictant fabulamenta poëtica) Apollo puer in cunis interemit: ex quo ludi (qui Pythia vocantur) eius in honorem fuerunt instituti, quemadmodum in primo Met. tractat Ouid. Sed Ephorus (Strabone teste Geographiæ nono) talem affert cum fabula historiam: *Quo tempore Parnassij Autochthones id est indigenæ, & Aborigines Parnasum colebant, Apollo in terram aduentauit, & mansuefaciens homines in viuendi ritu asperrimos, adiit Delphos ab Athenis, eam per viam, qua nunc Atheniensis populus, Pythidem supplicationem cum pompa præmittit ad Panopeam: deinde consistens prope vrbem Tityum clade affecit eius loci tyrannum, virum violentum ac flagitiosum: Postea coniuncti illi Parnassij alio nunciarunt hominem esse nomine Pythonem, ac cognomine Draconem: quo sane sagittis debellato, inter adhortandum iē παιᾶν clamitasse, vnde consuetudinem traditam ferunt, vt qui consequuntur aciem, sic Pæanis celebrationem clamitent.* Python autem fœminino genere protulit: At Claudianus masculino.

Cæruleus teli prostratus Apolline Python.

SERVIRE *æternos non puduisse deos.*] hoc trahit ex fabula: Cum Marte olim Venus coniungi consueuerat, rem Vulcano Sol explicat: ille retia tenui fabrica cudit, ambósque coeuntes adulteros in amplexibus captos diuis cœlestibus aduocatis ostendit: ex quibus multi cum nudæ Veneris formositatem conspicerent, in Martis substitui locum cupiebant. Quare ait Ouid. de arte aman. II.

Hic aliquis ridens in me fortissime Mauors
Si tibi sunt oneri vincula transfer, ait.

Et in Metamorphoseon IIII.

Atque aliquis de diis non tristibus optat
Sic fieri turpis.——

FABVLA.] sermo à fando Iuuenalis,

A diuerticulo repetatur fabula.

DEVS.] Cupido amoris præses. sed plures fuerunt Cupidines, vt refert Cic. de nat. deo. III.

A *Primus ex Mercurio & Diana prima natus: Secundus ex Mercurio & Venere secunda. Tertius quidem Anteros ex Marte & Venere tertia.*

GEMINARE *pericula ponto.*] qui nauigant vitam in dubio habent, qui eodem præliantur duplicant discrimen.

BELLICA.] belligera.

ROSTRA *dubiis ratibus.*] rostrum est proræ pars altior ferrea à rostri alitis similitudine nominata: ratis autem ipsius nauis vtrunque latus. Innuit autem bellum nauale commissum, vbi naues rostratæ fabrefieri cœptæ sunt, aut peritiam notat in nauali certamine. Sic Lucanus

B de instructione nauali in Massiliensium pugna:

Phocaicis medias nostris oppone carinas.

CVI *lapis externus curæ est.*] sensus est: Quem iuuat ædificare, ille profecto piscinas & viuaria ad voluptatem struit. Externus vero lapis id est, adductitius, exoticus: Nam aduehebantur marmora ex Phrygia, Numidia, Carysto, Paro, Lacedæmonia, Nilo, Ægypto, Æthiopia, Germania.

COLVMNA.] lapis magnus oblongus, qui ob longitudinem & grauitatem vehitur per vrbem maximo cum tumultu. Quare Iuuenalis indoluit in Vmbricio:

C *Nam si procubuit, qui saxa Ligustica portat*
Axis, & euersum fudit super agmina montem,
Quid superest de corporibus?

MILLE *validis iugis.*] idest, mille paribus boum: & ex hoc iudicatur lapidis columnaris granditas. Cor. Nepos tradit XXXII. pedum longitudine columnas vidisse habitas magno miraculo.

CLAVDIT *moles mare indomitum.*] sensus: Maris inundationes excipiuntur magnificis ædificiorum molibus, vt piscium fiat quasi receptaculum seu piscina. idcirco Horat. carm. III. inuectus in luxuriam omnia profanantem dixit.

D *Cæmentis licet occupes*
Tyrrhenum omne tuis, & mare Ponticum.

NEGLIGAT *hybernas piscis adesse minas.*] idem Horat. carm. III.

Contracta pisces æquora sentiunt
Iactis in altum molibus: huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis dominúsque terræ
Fastidiosus.

TESTÆ *Samiæ.*] Samos insula Aegæi vbi olim fictilia sunt egregiè fabricata: vnde Samia vocantur. Ausonius Burdigalensis de Agathocle tyranno:

E *Fictilibus cœnasse ferunt Agathoclea regem:*
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.

Est & altera Samos Iunoni sacra: eo quod prima illius vidisse feratur.

LÆTA *conuiuia.*] ideo læta, quia (vt ait Satyricus) *nulla aconita bibuntur Fictilibus.*

ROTA *Cumana.*] Cumæ ciuitas Campaniæ vasis olim terreis gloriabatur.

LVBRICA *terra.*] argillam intelligit per periphrasim.

NEMESIS.] nomen est amicæ Tibulli, de qua hic auctor in II. lib. scribit: quare Ouid. ait:

Nomen habet Nemesis, Cynthia nomen habet.

Martial. in distichis:

Vssit amatorem Nemesis lasciua Tibullum:
In tota iuuit quem nihil esse domo.

Qvas *fœmina Coa Texuit.*] Cous insula est in Ægæo, vt Solinus ait, quæ arte lanificij ita claruit, vt Cous amictus cata exochem dicatur: quasi subtili & artificioso opere textus. Propert. Elegia. primo: *Aut tenues Coa veste mouere sinus.* & infra habituri sumus: *& Coa puellis Vestis.*

Avratas *disposuitque vias.*] Idest, fila cum tela subtili intertexuit: vnde auro chlamys intertexta dicitur: & vulgus broccatam ex auro vocat. Picturata auté vestis vel acu picta, vel Phrygiata dicitur rechamata.

Fvsci.] Fuscus color est subniger: hoc est, non plenè niger. Ouid. de arte II.

——fusca vocetur
Nigrior Illirica cui pice sanguis erit.

Talis enim est Indorum meridionalium color & Æthiopum. Sappho ad Phaonem:

Andromade patriæ fusca colore suæ.

Solis *& admotis inficit ignis equis.*] Hermeneusis est. Declarat enim id quod India torret: Nam solaribus radiis propinquior est India & Æthiopia: ideo nigra sunt habitantium corpora, & opinionem poëtarum sequitur de Sole istis propinquiore, vt Theodectes qui ait:

Quibus propinquam Phœbus admouens rotam,
Atra fauilla corpora infecit virum
Caloribusque adducens præpotentibus
Retorridas crispauit eorum comas.

Vnde Ouid. Meta. II. per poëticam fantasiam attribuit Phaetontis fabulæ inquiens:

Sanguine tunc credunt in corpora summa vocato
Æthiopum populos nigrum traxisse colorem.

Sed Theodectem Onesicritus (vt Strabo refert) criminatur, qui caussam talem referat ad Solem, cùm ipse aquam esse in animalibus proprietatum caussam putet. nam & pecora coloré suum immutant, si peregrina illuc aduehantur, & his qui in ventre matris sunt, Sol non est coloris nigrioris caussa, cùm eos nondum attigerit. Soli tamen (teste Strabone) tribuenda est caussa & eius adustioni, per vehementem quandam summi humoris attractionem. Quamuis enim Indi humido & temperato satis aere participent: nihilominus per seminalem ex Sole dispositionem tales sunt quales qui eos progenuerũt: hæ enim passiones à generatione contrahuntur.

Admotis *equis.*] Indis quidem Sol est magis perpendicularis & propinquior. Nam cum terra sit quasi punctus ad Solis sphæram, nonnullæ regiones vt de proximo valde calidæ sunt: nonnullæ vt de longinquo minus.

Africa *puniceum purpureumque Tyros.*] Duplicem purpuræ colorem tangit. Purpura vtique pro Solis propinquitate colorem habet: vt in VII. de architectura noster Vitruuius memorat. Puniceum enim procreat Africa, idest, quasi violaceo colore. Tyros auté rubeum, idest, purpureum. Græcè Τύρος dicitur. hęc purpura omnium optima est, vt scribit Strab. vnde Ouid. in II. de remedio:

Confert Amyclæis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio: turpius illud erit.

A Africa regio calida est meridiem versus: vnde ab α. sine & φρίκη frigus denominatam Latini pæne omnes sentiunt. At Iosephus de antiquitate Iudaica primo, vult ab Afro filio Abraæ: qui eam regionem occupauit.

Nota *loquor, regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit Barbara gypsatos ferre catasta pedes.*] Quidam intelligunt de fœmina quæ venalis fuerit: ac veluti regina nunc incedit, vt probetur mulieres gaudere diuitiis. Quidam de Lucilio accipiunt dictum à poëta facili sine reprehensione. Hic seruus Romam vectus libertinitatem promeruit,

B & perbreui tam opulentus euasit, & auctoritate potens, vt ad arbitrium cuncta ministraret. de quo Iuue.

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Nec is solum ex grege seruorum magnus fuit: sed alij quidem permulti. Quare Plinius in naturalis historiæ XXXV. *Iam enumerare*, inquit, *non est libertos ex sanguine Quiritum & proscriptionum licentia ditatos.*

Catasta.] Genus compedis seruilis. Persius: *Cappadocas rigida pingues pauisse catasta.* Accipitur pro loco vbi pueri & puellæ venales seruabantur: hoc in siluis Papinij, hoc in Martialis epigrammatibus legitur.

C Pedes *gypsatos.*] Argentaria creta illinitos, quod venalis serui signum fuit. Nam Plinius in naturali historia varias cretæ species enumerat, inter quas est quædam dicta argentaria, quæ arti nitorem reddit, estque omnium vilissima: cuius tactu (vt diximus) venalium seruorum pedes trans mare aduectorum, maiores nostri illinire instituerunt. Gypsum est genus lapidis quasi calcis albæ, quæ lente durescit, & facile soluitur.

Nvlla *fide.*] Vt fallax sit, & nullo fœnore depositum reddat.

Consitor.] Vitis sator.

Relinqve *lacus.*] Vt nulla, scilicet, sit vuarum vindemia.

D O *valeant.*] Idest, pereant, quasi ad nos amplius non reuersuræ.

Glans *alnit veteres.*] Iuue. satyr. IIII.

——grata post munus aristæ:
Contingunt homines veteris fastidia quercus.

Et Lucretius ait:

Quod Sol atque imbres dederant, quod terra crearat
Sponte sua, satis id placabat pectora, demum
Glandiferas inter curabant corpora quercus.
Plerumque & quæ nunc hyberno tempore cernis,
Arbuta puniceo fieri matura colore.

Aspirabat.] Afflabat, fauebat.

E Vmbrosa *valle.*] Frondosis & amœnis locis.

Præbebat *aperte gaudia.*] Coitus sine occultatione, idest, passim, & licenter proruebat in concubitus.

Si *fas est.*] Pro si licet & possibile est.

Mos *precor ille redi.*] Iteratio est eiusdem dicti vt auiditatem mentis exprimat.

Villosa.] Animalium ex pellibus quasi aspera.

Laxam *togam.*] Vt supra:

Effluit effuso cui toga laxa sinu.

Dvcite.] Ex amoris desperatione loquitur.

ACHILLES STATIVS.

RVRA *tenent, Cornute, meam.*] In ſcriptis omnibus, Rura meam, Cornute, tĕnent. Alij pro, Cornute, legunt, Cherinthe. quod nuſquam legi.

FERREVS *eſt eheu.*] In pleriſque, Heu heu. Sed in Vaticano, etiam hoc modo, Ferreus eſt heu heu ſi quis. -*diſcit* in Sfortiæ libro, Miſcet.

O *ego cum dominam adſpicerem.*] In ſcriptis, Cum adſpicerem dominam.

VERSAREM *valido pingue bidente ſolum.*] Verſarem: ararem. Vergil in I. Georg. Verſando terram experti. Et, Vertere terram, eodem modo dixit. Et Ouid. in I. de rem. amoris,

Obrue verſata cerealia ſemina terra.

Et in I. de arte amandi,

Et grauibus raſtris ſub Ioue verſat humum.

Pingue vero ſolum valido bidente verſandum, ideſt maiore vi. Verg. in I. Georg.

Pingue ſolum primis extemplo à menſibus anni
Fortes inuertant tauri. ——

In nonnullis, pro Valido, erat, Calido.

AGRICOLÆQVE *modo.*] Horat. in IV.

——*ego apis Matinæ More modoque.*

STERILES *arua ſerenda boues.*] Steriles: quia caſtrati. In Florentino, non Serenda, ſed Colenda.

PAVIT *& Admeti tauros formoſus Apollo.*] Plutarchus in vita Numæ: Καὶ ὁ παμμαλακὸς ἦν ὁ τὸν Φόρβαντα καὶ τὸν ὑάκινθον καὶ τὸν ἄδμητον ἐρωμένους ἀποφαίνων γενέσθαι μυθολογοῦντες, ὥσπερ καὶ αὐτὸν ἱππόλυτον. Et Euſebius in proœmio Χρονικῶν: Hercules, cum quo Apollo ſeruiuit Admeto. Eodem prope pertinent illa Theocriti, in Βουκολίσκῳ· Ἀλλ' ὅτι βουκόλος εἰμὶ παρείδομαι, κ' οὐκ ἀκούει Ὡς καλὸς Διόνυσος ἐν ἄγκεσι πόρτιν ἐλαύνει. Et quæ ſequuntur. Idem vero Tibullus poſt,

Me quondam Admeti niueas pauiſſe iuuencas,
Non eſt in vanum fabula ficta iocum.

Et Ouid. in II. de arte amandi,

Cynthius Admeti vaccas pauiſſe per aſtus
Fertur, & in parua delituiſſe caſa.

CVRAS.] Amores.

STABVLIS *expellere vaccas.*] In Sfortiæ libro, Vaticano, alijſque, Depellere, non Expellere.

ET *potum paſtas ducere fluminibus.*] Sic Verg. in Bucol. ——*paſce capellas,*

Et potum paſtas age Tityre. Atque alibi,

Non vlli paſtos illis egere diebus
Frigida Daphni boues ad flumina.

In ſcriptis vero omnibus, Feſſas, non Paſtas. Sed ſuperiori verſu in ſcriptis omnibus ſubditur ille alter, *Creditur ad mulctram conſtituiſſe prius.* Sed ponam hos verſus eo, quo leguntur, ordine in ſcriptis libris. In Patauino poſt verſum, Ipſe Deus ſolitus, ſequitur, Et potum feſſas: deinde, Et miſcere: poſt, Lacteus & mixtus. In vno meo, Ipſe Deus, &c. Creditur ad mulctram, &c. Et miſcere, &c. Et potum, &c. In altero meo, Ipſe Deus, Creditur ad mulctram, Et potum, Et miſcere, Lacteus. Mihi probabilior videtur ſecunda lectio. Expectanda probior. mihi enim ſuſpectus locus eſt, & alieni verſus eſſe videntur inculcati.

A RARAQVE *per nexus eſt via facta ſero.*] Ouid. in IIII. Faſtor.

Denique viam liquido vimina rara ſero.

A *quotiens.*] In ſcriptis omnibus, O quotiens.

A *quotiens auſæ.*] In ſcriptis, O quotiens. vt ſupra.

VENIT *& à templis irrita turba domum.*] Domum venire, ſic dixit etiam Euripides in Ione: Οὐκ ἠξίωσε τὸ θεῖον ἀντιλαμβάνειν Μάντευμα ἐν γυνῶ ὄντα, ἐκ ἄπαιδα με πρὸς οἶκον ἥξειν, νῦν σ' ἐκ χρηστηρίων.

QVISQVIS.] In Vaticano, Si quis.

PHOEBI *quæreret ille comam.*] Qui ab Orpheo in hymno Χρυσοκόμας, dicitur.

B DELOS *vbi nunc, Phœbe, tua eſt.*] Sic ſolebant veteres de rebus amiſſis. aut cum quid in aliquo deſiderarent. Euripides in Phœniſſis, Ὁ δ' Οἰδίπους, ποῦ δὲ τὰ κλεινὰ αἰνίγματα. Et Bibaculus, apud Suetonium de inluſtrib. grammaticis,

Orbilius vbinam eſt, litterarum obliuio.

IN *parua te iubet eſſe caſa.*] Ouid. de eodem,

Fertur, & in parua delituiſſe caſa.

Quos eius verſus alibi poſuimus.

FELICES.] Nominandi caſu. Idem alibi: Crudeles diui. Et Theognis,

C *Ὄλβιος, ὅς τούτων ἀμφοτέρων ἔλαχεν.*

VENERI *cum fertur aperte Seruire æternos non puduiſſe Deos.*] Ouid. in eandem ſententiam,

Regnat, & in dominos ius habet ille Deos.

Euripid. in Hippol. coron.

Σὺ τὰν θεῶν ἄκαμπτον φρένα, καὶ βροτῶν ἄγεις Κύπρι.

FABVLA *nunc ille eſt.*] Ἐπιβόητος, ἐπίφαμος, in Magno Etymolog. Διαβόητος, καὶ ἐπιβόητος διαφέρουσι· διαβόητος μὲν γάρ ὁ ἐπὶ ἀρετῇ ἐγνωσμένος, ἐπιβόητος δὲ, ὁ μοχθηρὰν ἔχων φήμην. Ἀνακρέων· Καί μ' ἐπιβόητον κατὰ γείτονας ποιήσεις. τῶν δὲ ἔνιοι τῶν ποιητῶν ἐπίφαμον καλοῦσι. Pœnæ genus putat Propert. in II.

Semper formoſis fabula pœna fuit.

D SED *cui ſua cura puella.*] In multis veteribus, Puella eſt. In Florentino pro Sua, Nunc, Cura autem, amor.

AT *tu, quiſquis is es.*] Sententia difficilis. Ego ſic intellego, Cum amori nihil anteponam, ſi quis tamen amorem experitur difficilem, is ſuû meo ſoletur caſu. hoc enim eſt,

——*in noſtra ſint tua caſtra domo.*

Sic enim malo legere, quam, Vt noſtra. illo enim modo legitur in vno meo. Quod militarib. verbis, Imperare, &, Caſtris, eſt vſus, cur id fecerit, declarat Ouid.

E *Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido.*

FERREA *non venerem.*] Alienum videtur. & deſit hoc forte loco quippiam, niſi cauſſas adfert difficilis amoris.

PRÆDA *tamen multis eſt operata malis.*] In Florentino, non Operata, ſed Adoperta. vt ſit, Præda multorum eſt cauſſa malorum.

PRÆDA *ferro acies cinxit diſcordib. armis.*] In Sfortiæ libro, Tinxit, pro Cinxit.

HINC *cruor, hinc cædes.*] In Sfortiæ libro, Hinc furor, hinc cædes.

BELLICA *cum dubijs roſtra dedit ratibus.*] Dubijs ratibus: vtrimque, opinor, roſtratis. quamobrem geminari forte dixit pericula.

PRÆDATOR *cupit immenſos obſiſtere campos.*] Placet legere, Obſidere, vt eſt in Vaticano, non

Obsistere. Sic Vergilius,

Et Sallentinos obsedit milite campos.

Et Lucret. in IIII. similiter,

Obsiditque vias oculorum.

Tametsi apud Ennium in XVIII. Annali.

——montibus obstitis, vnde oritur nox.

Sed aliis legendum videtur, Montibus obstantibus.

VT *multo innumeram iugere pascat ouem.*] Legendum, vt in omnibus scriptis libris,

Vt multa innumera iugera pascat oue.

VRBISQVE *tumultu.*] Legendum, Tumultus, vt in veteribus. Sic Horat.

——fumum, & opes, strepitumque Romæ.

PORTATVR *validis multa columna iugis.*] In plerisque veteribus, non Multa, sed, Mille. vt sit, Mille boum validis iugis columna portatur.

LENTVS.] In vno Colotij fuisse aiunt, Intus legendum forte, Tutus. Sed, Lentus, securus. Verg. *——tu Tityre lentus in vmbra.*

AT *tibi lata trahant Samia conuiuia testæ.*] Lucilius, *Testam sumit homo Samiam.*

CVMANA *lubrica terra rota.*] E qua Cumani calices. de quibus Varro, apud Nonium Marcellum, in verbo Obba, *Obbas, & Cumanos calices.* Placet autem, quod in Florentino legitur, Testa, pro, Terra. de qua Ouid. in II. Tristium,

Alter humum, de qua fingantur pocula, monstrat,
Quaque docet liquido testa sit apta mero.

EHEV.] In omnibus, Heu heu.

QVAS *femina Coa Texuit.*] Idem post,

Hic dat auaritiæ caussas, & Coa puellis Vestis.

QVOS *India torret.*] A Catullo India tosta dicitur.

CERTENT *præbere.*] Sic Verg.

——certantque inludere capto.

AFRICA *puniceum, purpureumque Tyros.*] Distinguit etiam colorem vtrumque Lucret. in II.

Purpura, puniceusque color clarissimus multo.

Et Donatus, in amictu personarum comicarum, *Lacto, inquit, vestitus candidus, ærumnoso obsoletus, purpureus diuiti, pauperi phœniceus datur.* alios enim Pœnos, alios esse Tyrios constat. nanque, vt auctor est Probus, Ennius ait Pœnos Sarra oriundos, id est Tyro. Propert. in III. eundem significans colorem, dixit,

Et Tyros ostrinos præbet Cadmæa colores.

QVO *sæpe coegit.*] Legendum, vt in Florentino, Quem, non Quo. In Vaticano etiam, Quam: quod mutandum in, Quem.

BARBARA *gypsatos ferre catasta pedes.*] Vel potius cretatos pedes. Plin. in XXXV. *Alia creta argentaria appellatur, nitorem argenteum reddens. Est & vilissima, qua circum præducere ad victoriæ notam, pedesque venalium trans mare aduectorum denotare instituerunt maiores.* Seruos etiam ipsos Catastos à Catasta dixit Martialis.

NEMESIM *quæ ducis ab vrbe.*] Legendum, vt in omnibus veteribus,

Nemesim qui abducis ab vrbe.

PERSOLVAT *nulla semina terra fide.*] Horat.

Et segetis certa fides meæ.

Et Quintilianus in XII. *Quos ego existimo, si quod in his finib. vberius inuenerint solum, fertilioremve segetem, negaturos Atticam esse, quod plus, quam acceperit,* A *seminis reddat. quia hanc eius terræ fidem Menander eludit.* Sed tamen hi versus male sic leguntur,

At tibi dura seges, Nemesim quæ ducis ab vrbe,
Persoluat nulla semina terra fide.

Nam, si Dura seges dixit, cur addit, Terra. idem enim valere videntur hoc loco. Itaque legendum putabam,

At tibi dura seges, Nemesim qui adducis ab vrbe,
Persoluat nulla semina tecta fide.

Verg. sic in I. Georg.

Necnon & lini segetem, & cereale papauer
Tempus humo tegere.——

Et Ouid in I. de remedio amoris:

B *Obrue versata cerealia semina terra,*
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.

TV *quoque deuotos, Bacche, relinque lacus.*] Idem post,

Oblitus & musto feriet pede rusticus vuas,
Dolia dum, magni deficiuntque lacus.

Lacus de vino etiam dixit Ouid. in III. Trist.

Nec cumulant altos feruida musta lacus.

Et in III. Fast.

Præmia de lacubus proxima musta tuis.

Et Plin. lib. XIIII. *Ergo mergunt è lacu protinus in aqua cados, donec bruma transeat.* Deuotos autem lacus dixit, Baccho dedicatos.

C NE *sint modo rure puellæ.*] Modo ne sint puellæ ruri. Idem in IIII. in eandem sententiam:

Dulcius vrbe quid est? an villa sit apta puellis?

QVID *nocuit, sulcos non habuisse satos.*] In Vaticano etiam hoc modo legitur,

Quis docuit sulcos nos habuisse satos.

PRÆBEBAT *aperte Mitis in vmbrosa gaudia valle Venus.*] Lucret. in V.

Et Venus in siluis iungebat corpora amantum.

A *pereant artes.*] Pudet nugarum meminisse eorum, qui, cum locum hunc mancum, mutilumque credidissent, multos ineptissimos versus huc inculcarunt. Ego, vt erat in vno meo valde D probabiliter scriptum, pono:

A pereant artes, & mollia iura colendi,
Horrida villosa corpora veste tegant.
Nunc, si clausa mea est, si copia rara videndi,
Heu miseram, laxam quid iuuat esse togam.
Ducite ad imperium dominæ, sulcabimus agros:
Non ego me vinclis, verberibusque nego.

ET *mollia iura colendi.*] Colendi, se vt ad comptum, atque ornatum, referamus.

HORRIDA *villosa.*] Hoc potius modo viuamus, vt in agris rusticos decet, vbi puellæ versantur.

HEV *miseram.*] Legendum puto. Heu misero. E vel, Heu miserum. Quorsum, inquit, toga, qui ciuilis est habitus, si puella in agris est.

NON *ego me vinclis, verberibusque nego.*] Quibus, opinor, suppliciis neglegentes operæ rusticanæ adficiebantur. Coniunxit vtrumque etiam ante. *——non sæua recuso*

Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

M. ANT. MVRETVS.

RVRA *tenent.*] Dolet abesse se à puella sua, quæ rusticatum ierat.

CORNVTE.] In aliis libris, *Cherinthe.*

Ipsa *Venus latos.*] Libri veteres, *letos.* quod placet. significat enim, agros dominæ suæ præsentia hilarari.

Pavit *& Admeti.*] Hac de re ita Apollinem ipsum alio loco commemorantem facit,

Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas,
Non est in vanum fabula ficta iocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos:
Sed perlucenti cantus meditabar auena,
Ille ego, Latonæ filius atque Iouis.

Sequitur autem Tibullus Rhiani, veteris poëtæ Græci, & Callimachi μυθολογίαν, qui Apollinem sponte Admeto seruijsse tradunt, ipsius amore captum. nam alij aiunt, cum damnatum à Ioue hac pœna ob interfectos Cyclopas: vt Euripides, apud quem Apollo ipse ita loquitur,

Ω δώματ' Ἀδμήτει', ἐν οἷς ἔτλην ἐγὼ
Θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι θεός περ ὤν.
Ζεὺς γὰρ κατακτὰς παῖδα τὸν ἐμὸν, αἴτιος,
Ἀσκληπιὸν, στέρνοισιν ἐμβαλὼν φλόγα.
Οὗ δὴ χολωθεὶς, τέκτονας δίου πυρὸς
Κτείνω Κύκλωπας. καί με θητεύειν πατὴρ
Θνητῷ παρ' ἀνδρὶ τῶνδ' ἄποιν' ἠνάγκασεν.
Ἐλθὼν δὲ γαῖαν τήνδ' ἐβουφόρβουν ξένῳ.

Est autem hic ille Admetus Pheretis filius, cui cum fatales anni expleti essent, Apollo à Parcis obtinuisse dicitur, vt ipsius morti mora aliqua produceretur, si quis reperiretur, qui pro eo mori vellet. tunc igitur neque Pheres, grandis natu pater, neque iam exacta ætate mater Clymene, neque denique quisquam amicorum repertus est, qui non suam, quam alienam, vitam seruare mallet. sola vxor Alcestis ea in virum fuit caritate ac fide, vt se sponte pro eo ad mortem obtulerit. sed & eam ipsam postea Hercules liberauit. ex eo cœptum est vulgo cani Athenis σκόλιον quoddam, cuius alij Alcæum, alij Sappho, alij Praxillam Sicyoniam auctorem esse dicebãt. cuius principium hoc fuit,

Ἀδμήτου λόγον ὦ 'ταῖρε μαθὼν, τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
Τῶν δειλῶν δ' ἀπέχου, γνοὺς, ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.

Hæc autem vxor ei Apollinis beneficio venerat. cum enim Pelias pater nuptias illius proposuisset ei, qui leonem & caprum ad eundem currum iungeret; id ei Apollo ipse confecit.

Tavros.] Callimachus, non tauros, sed equas iugales,

Φοῖβον καὶ νόμιον κικλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
Ἐξ ὅτ' ἐπ' Ἀμφρυσσῷ ζευγίτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
Ἠϊθέου ὑπ' ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Ipse *deus.*] Post hunc versum desideratur pentameter. nam illi, qui in varijs libris leguntur,

In nemora, & pastas inde referre domum: aut,
Creditur ad mulctram constituisse prius: aut,
Et potum pastas ducere fluminibus:

adulterini sunt. hic postremus, qui trium minime ineptus est, in vetere quodam libro scriptus est ad marginem, cum hac additione, *Versus Aurispæ.*

Lactevs *& mistus.*] Non dubito, quin legendum sit, *mistis*: vt ad coagula ipsa referatur.

Delphica *Pytho.*] Pytho aut Python, (vtroque enim modo dicitur) vrbs Phocidis, Apollini A sacra, quæ alio nomine Delphis vocatur, & qui vicinum agrum incolunt, Delphi. ac Pytho quidem, aut, quod ibi discerentur futura, aut, quod ibi serpens Python contabuerit: Delphi autem à Delphyne: id enim nomen serpenti illi fuit, quem sagittis Apollo interfecit. Dionysius,

Τὸ πρὶν Πυθῶνος δαὶ πέδον, ἧχι δράκοντος
Δελφίνης τελέθεσκε τὸ πάροιθεν ἐπίκλησις.

Fabvla *nunc ille est.*] Olim non homines modo, sed ipsi quoque dij aperte Veneri seruiebant: neque cuiquam amare pudor erat. nunc qui amorem colit, vulgi fabula est. at quem puelB læ suæ amor ad ossa tetigit, mauult amare & à vulgo contemni, quam sine amore deus esse. hæc quoque præterijssem silentio, nisi vidissem alios quosdam longissime ab horum versuum sententia, quæ tamen satis aperta est, aberrasse.

Fabvla.] In omnium ore ac sermonibus versatur. Horatius,

Heu me: per vrbem, (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui. ———

Geminare *pericula.*] Nam ipsa per se nauigatio periculosa est. at geminatur periculum, vbi bellum geritur mari.

Qvas *femina Coa.*] Plinius libro quarto, de Cea insula loquens, *Ex hac,* inquit, *profectam deliC catiorem feminis vestem, auctor est Varro.* Idem libro xi. *Telas* (de bombycibus loquitur) *araneorum modo texunt, ad vestem luxumque feminarum, quæ bombycina appellantur. prima eas redordiri, rursusque texere inuenit in Ceo mulier Pamphila, Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, vt denudet feminas vestis.* Ex his Plinij locis iudicauit Hermolaus Barbarus, vbicumque apud poëtas Coarum vestium mentio est, Ceas, non Coas, legi oportere. ego nihil temere asseuerauerim. nam & Hermolai auctoritas magna est, & argumenta, quibus vtitur, firma: neque tamen librorum veterum, quæ contra stat, contemnenda consensio; D præsertim cum, bombycas etiam in Co insula nasci, idem Plinius tradat. Adde, quod Aristotelis verba sunt è quinto περὶ ζώων ἱστορίας. Ἐκ δὲ τούτου ζῴου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινὲς ἀναπηνιζόμεναι, κἄπειτα ὑφαίνουσι. πρώτη δὲ λέγεται ὑφῆναι ἐν Κῷ Παμφίλη Πλάτεω θυγάτηρ. sed Hermolaus apud Aristotelem quoque, ἐν Κέῳ, non ἐν Κῷ, legendum esse censebat.

Nota *loquor.*] Aliquem notat, qui, cum aliquando seruus fuisset, postea diuitiis fretus, ad regiam potentiam peruenerat.

Nemesim *qui abducis.*] Ita emendaui è meo E vetere libro: cum inepte antea legeretur, *Nemesim quæ ducis.*

IANVS DOVSA FIL.

Rvra *tenent Cornute meam villæque puellam.*] His & sequentibus haud abludunt illa quæ apud Philostratum in Epistola quadam exstant: Τί ἐν μόνοις τοῖς ἐμοῖς ἐξῆλθες εἰς ἀγρὸν ὡς τύραννος, ὃ τοιούτων ἡμερῶν τοὺς ἐν ἄστει διατριβὰς καταλείπεις. ἐγὼ μὲν ἀναγκάσω σαφῶς ἀπολαύειν μηδὲν ἄλλο ὁρῶν οὐδὲ μὴν ἀκούειν ὅτι μὴ σὺ ἐρᾷ. ἐγὼ μὲν γὰρ ἔφοδοι σοι τομίζω καὶ τὴν πόλιν ἐξιόντα, καὶ αὐτοὺς τοὺς ἐν ἄστει θεοὺς ἐλκομένους ὑπὸ τῆς θέας. οὐ γὰρ ἐνταῦθα μόνοι μένειν. εἰ δὲ πείθοιο κατ' χάριν

μένειν, ἀλλ' ἔγωγε οὐκ ἀπολειφθήσομαι τοῦ ἔρωτος ἐφόλκιον. εἰ δὲ καὶ σκάπτειν δέοι, λήψομαι τὴν δίκελλαν. εἰ τι κλᾶν, θεραπεύσω τὰς ἀμπέλους. εἰ τι ἐπιχεῖν λαχάνοις ὕδωρ, ὑδατισίσω τὸν δρόμον.

—— LENTVS *vt intra*

Negligat hybernas piscis adesse minas.] Quod si audaculo mihi liberet esse, omnino emendarem:

Nesciat hybernas piscis adesse minas

O valeant fruges, ne sint modò rure puellæ.] Sic infra:

Pace tua pereant arcus, pereántque sagittæ,
Phœbe modò in terris erret inermis Amor.

DVCITE *ad imperium dominæ sulcabimus agros.*

Non ego me vinclis verberibúsque nego.] Simile huic illud eiusdem:

—— *non sæua recuso*
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

Philostratus in Epistolis: πλέω κέλευσον, ἐμβαίνω. πληγὰς ὑπομεῖναι, καρτερῶ. ῥίψαι τὴν ψυχὴν, οὐκ ὀκνῶ. Neque abludit his illud Petronij Arbitri in Epistola Polyæni ad Circem: *Sine occidere places, ferro meo venio; siue verberibus contenta es, curro nudus ad dominam.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

IPSE *deus solitus stabulis.*] Vt Tibullus hos quatuor versus vnquam fecerit? vt hac barbarie ille se contaminarit? Minime gentium. apage, apage ista sterquilinia ab hoc puro sacello. Quos versus vt ego subdititios esse facile odoratus sum, ita miror à doctis viris, qui hunc poëtam adeo triuerunt, hoc nunquam animaduersum esse. Quare eos audacter deleas licet, vt illuc, vnde malum pedem tulerunt, redeant, & eos, rupices magistri in suis scholis misellam iuuentutem doceant. Eos autem huc inculcarant, qui putabant sensum abruptum esse. at quam bene cum suis egregiis illis versibus continuarint, ipsi viderint. Nam sane Tibullus nunquam scripsit versus ὑποσολοίκους, βαρβαρίζοντας, καὶ ἀναισθήτους.

FABVLA *sit mauult quam sine amore deus.*] Post hoc pentametrum iungẽdum est illud cum sex sequentibus distichis, AT TIBI DVRA SEGES. Nam quatuordecim illa disticha interiecta alio pertinere docebimus, antequam hunc secundum librum è manibus amittamus.

AT *tibi dura seges Nemesim qua abducis ab vrbe.*] QVÆ non QVI legendum esse vetus scriptura docet. Nam quod docti viri censent absurdum *terra* hic legi, quum sit idem inquiunt, cum segete, vnde pro *terra*, *tecta* legunt: quum igitur ita censeant, sciant illi nihil mutandum esse. Nam recte dicitur, O seges, terra persoluat tibi nulla semina. Quid enim absurdum hîc inuenerint, quod eorum eruditas aures offendat, non video. Nam seges & pro terra sata, vt apud Virgilium, & pro aruo, vt apud eundem ponitur, & apud Ennium Ecuba:

Et si in segetem sunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent.

Poëta enim Græcus, vnde ipse suam mutuatus est Tragœdiam, ante dixerat:

—— οὔκουν δεινὸν, εἰ γῆ μὲν κακὴ,
Τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν, εὖ στάχυν φέρει,
Χρηστὴ δ' ἁμαρτοῦσ', &c.

Et eadem locutio est, vt Lucretiana illa, qua dicitur *Matuta ferre auroram, & Tiberis ire amne placido.* Sane pudet me in re tam clara immorari. Sed quem non remoratura erant ista, quum illa doctis viris negotium ac molestiam pepererint?

TV *quoque deuotos.*] *Deuotos*, κατωμότας.

IANVA *si fas est.*] Duo sequentia disticha quo pertinerent, iam à nobis copiose discussum est. Nam vt huc intruderentur, ea causa fuit, quod in illis mentio est ianuæ clausæ. quare propter similitudinem rei, quia & hic quoque ianuæ mentio est, hunc locum illi deberi ariolati sunt homines elegantia temporum suorum digni.

DVCITE. *ad imperium.*] Claudit Elegiam. Vincla intelligit compedes, in quibus serui opus rusticum faciebant. Non nescis; qui sint Compediti serui Columellæ.

ELEGIA IIII.

HIC mihi seruitium video, dominamq́; paratam.
Iam mihi libertas illa paterna vale.
Seruitium sed triste datur, teneorque catenis,
Et numquàm misero vincla remittit amor.
Et, seu quid merui, seu quid peccauimus, vror:
Vror, io remoue sæua puella faces.
O ego, ne possim tales sentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis,
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet vnda maris.
Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra est.
Omnia nam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo.
Illa caua pretium flagitat vsq; manu.
Ite procul Musæ, si non prodestis amãti.
Non ego vos, vt sint bella canenda, colo.
Nec refero Solisque vias, & qualis, vt orbem

Compleuit, versis Luna recurrat equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quæro.
Ite procul Musæ, si nihil ista valent.
At mihi per cædem, & facinus sunt dona paranda,
Ne iaceam clausam flebilis ante domum.
Aut rapiã suspensa sacris insignia fanis.
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet, dominamque rapacem
Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat quicumque legit viridésque smaragdos,
Et niueam Tyrio murice tingit ouem.
Hic dat auaritiæ caussas, & Coa puellis
Vestis, & è rubro lucida cõcha mari.
Hæc fecere malas: hinc clauem ianua sensit,
Et cœpit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victa est,
Nec prohibent claues, & canis ipse tacet.
Heu quicumque dedit formam cœlestis auaræ,
Quale bonum multis abdidit ipse malis?
Hinc fletus, rixæque sonant: hæc denique caussa
Fecit, vt infamis hic Deus esset Amor.
At tibi quæ pretio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus, & ignis opes.
Quin tua tunc iuuenes spectent incendia læti,
Nec quisquam flammæ sedulus addat aquam:
Seu veniet tibi mors, neque erit, qui lugeat, vllus,
Nec qui det mœstas munus in exequias:

A *At bona, quæ nec auara fuit, centum licet annos*
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,
Annua cõstructo serta dabit tumulo,
Et, bene, discedens dicet, placideq; quiescas,
B *Terraque secura sit super ossa leuis.*
Vera quidem moneo. sed prosunt quid mihi vera?
Illius est nobis lege colendus Amor.
Quin etiã sedes iubeat si vendere auitas,
Ite sub imperium, sub titulumque Lares.
Quidquid habet Circe, quidquid Medea veneni,
C *Quidquid & herbarum Thessala terra gerit,*
Et quod, vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.
Si modò me placido videat Nemesis mea vultu,
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

D

BERNARD. CYLLÆN. VER.

SIC *mihi seruitium video, dominamque paratam.*] Conqueritur de Nemesi, quæ alieno amore correpta eum ipsum negligit: quod amatori graue est. Sed illud vt grauissimum dolet, quod illa pecuniarum pretio succumbat: ad cuius amorem erga se reconciliandum nihil Musas operari suas indignatur.

LIBERTAS *paterna.*] Aut antiqua: aut quam à patre accepit, vt nulli vnquam seruiret: quasi non possit ab amantis se fastidientis imperio dissolui & liberari.

E TENEORQVE *cathenis.*] Que causatiua est: vt apud Lucanum: *Bellumque sine hoste est.* Cupit enim solui ab amore Nemesis: Sed ita se irretitum sentit, vt hoc non posse doleat.

VINCLA *remittit amor.*] Est nempe in Nemesin amore deperditus: quam cum misere amet, illius impotente ardore rumpitur. Quare Plau. in Asinaria: *Fixus est hic apud nos animus tuus clauo Cupidinis.*

FACES.] Amorem Nemesis dicit, quam se non minus quam ignis torreat.

O *ego ne possem.*] Optat se insensibile saxum fieri,

fieri, ne quos perpetitur, dolores sentiat.

IN *gelidis montibus.*] Gelidis, ratione frigoris. nam alti montes aut auris semper afflantur, aut gelu rigescunt & niuibus.

CAVTES *obnoxia.*] Exposita. Luc. v.
Dalmatico Boreæ, Calabroque obnoxius Austro.

INSANIS *ventis.*] Magnis, vt,
Insani feriant sine littora fluctus.
Venti nempe procaciter effuriunt, vnde insani quoque dicuntur. Catullus,
Deprehensa naui in mari vesaniente vento.

NAVFRAGA.] Dubium est cautes ne naufraga dixerit, an vnda naufraga, idest, procellosa: quæ naues frangat.

TONDERET.] Assiduis fluctibus illideret.

VMBRA *noctis.*] Pro nox vmbrosa: vt Iuue. *Crispini iucunda senectus*: Periphrasticos.

TRISTI *felle.*] Tristi amaritudine: vt pote qui & oculis & animo doleat cum corporis ægritudine. Plau. in Cistellaria: *Namque Ecastor amor & melle & felle fœcundissimus, dulce gustum dat: amarum ad satietatem vsque congerit.* Est autem animaduertendum intestinorum nomina plerumque ad mores transferri vt membrorum. Cor enim pro animo ponitur, vt minimi cordis, id est, animi: ita fel pro amaritudine animi accipi potest.

ELEGI *quid prosunt.*] Elegi quod querelosi sint, ἔλεγοι denominantur. vnde Ouid. in Elegia de morte Tibulli:
Flebilis indignos Elegia solue capillos,
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit.
Quod autem Tibul. in amorem fuerit deperditus. Horat. indicat carminum primo: vt supra diximus. Elegi ergo nil prosunt qui ad compassionem mouendam inuenti sunt.

APOLLO *auctor carminis.*] Quippe Poëtis præest Apollo, vt in primo commentario diximus. Fuisse vero Apollines quatuor scribit Cic. in deorũ natura IIII. *quorum antiquissimus fuit ille quem Vulcanus genuit: Alter Corybantis filius natus in Creta. Tertius Ioue tertio natus & Latona. Quartus in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellant, quod ab eo se ferunt νόμους*, id est, leges accepisse.

MANV *caua.*] Mulieris poscentis pecunias gestum exprimit.

NEC *refero Solisque vias.*] Hoc est non astrologicam disciplinam scribo, vbi narratur an Sol erret à Zodiaco nec ne: an altius modo, modo depressius meet.

VERSIS *equis.*] Tanquam completo menstruo spatio.

ORBEM.] Cursum suum: quo orbem minuit & auget.

FACINVS.] Scelus maximum veluti sacrilegium, quod statim subdit.

SVNT *dona paranda.*] Idest, acquirenda res est, vnde Nemesi donum mittat.

NE *iaceam clausam flebilis ante domum.*] Rem dicit qua nihil est in amore durius. Propert. elegiarum I.
Tum graue seruitium nostræ cogere puellæ
Discere: & exclusum quid sit abire domum.

INSIGNIA.] Oblata diis munera.

MALVM *facinus.*] Bene malum. nam facinus
A *μέσον* est vocabulum.

OVEM *niueam.*] Vellus ouis album: est autem continens pro contento synecdochicῶς.

TYRIO *murice.*] Purpura Tyria, idest, Sarrana.

LVCIDA *concha.*] Conchyle dicit, quam margaritam vocamus: quæ luciditatem præ se fert ob suum rorem quem absorpserit: vt in memorabilibus scribit Solinus.

CVSTODIA.] Custodes ipsi, locus est pro custodientibus. Custodia, enim est excubia, & carcer Græcis φυλακὴ à φυλάττειν custodire: vnde φύλαξ custos. Plautus in Captiuis: *Illic est abdu-*
B *ctus recte in Phylacam vti dignus est.* Sed custoditio est opera ad custodiendum quid sumpta.

VICTOS *pretio.*] Qui nequeunt amicæ lucris exhibere quod petitur, victi pretio dicuntur.

ADDAT *aquam flammæ.*] Id est, ingerat aquam vt flama extinguatur.

MANVS.] Quales solent in exequias amicarum conferre amatorculi.

BONA.] Pulchra, elegans.

FVIT *nec auara.*] Idest, mulier quæ venusta fuit, nec rapax.

ANTE *ardentem rogum.*] Vbi corpora defunctorum ex ritu comburebantur.

C BENE *placite.*] Feliciter, tranquillè.

TERRAQVE *secura sit super ossa leuis.*] Vsitatum amatorum verbum. Martial.
Sis licet inde sibi tellus placata leuisque. Et alibi:
Sit precor & tellus mitis & vnda tibi.

LEGE.] Conditione, vt munera, scilicet, ferat si recipi vult.

SVB *imperium.*] Sub alterius hominis potestatem.

SVB *titulumque.*] Qui est venditi iuris, vt scil. alterius esse dicamini. Ouid. in I. de remedio:
Sub titulos nostros misit auara lares.
Hoc solet fieri postquam omnis res minor fa-
D cta est. Præterea quasi domina pretium ædium suarum in ornamentis & vestibus expendere debeat: nam tunc etiam temporis mulieres sumptuosæ erant. Plautus in Epidico: *Quid istuc mirabile est, quasi non fundis exornatæ multæ incedant per vias?*

CIRCE.] Solis filia ex Persa nympha, veneficiorum summa artifex habita est, quæ Vlyssis socios in porcos (vt ferunt poëtæ) conuertit.

THESSALA *terra.*] Thessalia profert tum gramina, tum saxa veneficiis aptissima dicente Luca. lib. VI.
Thessala quin etiam tellus herbasque nocentes
E *Rupibus ingenuit: sensuraque saxa canentes*
Arcanum ferale magos, ibi plurima surgunt
Vim factura, deis, & terris hospita Colchis.
Legit in Hæmoniis quas non aduexerat herbas.

HIPPOMANES *cupidæ stillat ab inguine equæ.*] Virus quod ab inguinibus furiatarum amore equarum fluit Hippomanes dicitur, vt Pli. ait. Propert. elegia. IIII.
Consuluitque striges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.
Ergo cum Venus afflat amorem gregibus, tum colligitur Hippomanes, quod in furorem vertit. Cuius rationem Colu. his verbis lib. VII. ponit,

nam mense XII. partum edunt maxime: Itaque curandam est, vt prædicto tempore anni tam fœminis quam admissarijs desiderantibus fiat coeundi potestas: quia id præcipue armentum, si prohibeas, libidine extimulatur furijs. Vnde & equinũ nomen veneno inditum est, quod equinæ cupidinis similem amorem mortalibus accendit. Cupidæ itaque dixit, quoniam in earum conceptu (vt Scribit Solinus) hoc virus enascitur.

BIBAM.] Ex amoris impotentia dictum est, quasi dicat, quæcunque vult ipsa amica, intrepide sumam, toxica.

ACHILLES STATIVS.

SIC *mihi.*] In multis veteribus, Hic.

PARATAM.] Quasi partam, & constitutam. vt sit in perpetuum viuendum hoc modo. Sic alibi:

Et merito laudandus hic est, quem prole parata, &c.

Et Verg. *Viuite felices, quibus est fortuna parata Iam sua.*——

ET *numquam misero vincla remittit Amor.*] In scriptis libris, Remittet. in vno, Remittat. legendum forte,

Vt numquam misero vincla remittat amor.

SEV *quid peccauimus, vror.*] In scriptis omnib. Vrit. quod placet. sequitur enim apte, Vror, io.

TVNDERET *vnda maris.*] In Florentino, Ira, non, Vnda.

NVNC *& amara dies.*] Verg. in v. acerbum diem dixit,

Iamque dies, ni fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum, sic di voluistis, habebo.

ILLA *caua pretium flagitat vsque manu*] Vola. Sic Propert. in I.

Hunc sitina cauis poma dabam manibus.

Et Seneca in XIIII. Epist. *An ille, qui, cum vidisset puerum caua manu bibentem aquam, fregit protinus exemptum è perula calicem.* Et apud Arnobium contra gentes, sed, vt opinor, vitio vel scriptoris, vel auctoris, *Quas caua succutiens baulo manu.* Sed caua manu pecuniam veteres solitos flagitare, significant illa Suetonij verba in Vespas. Aug. *Nuntiantes legatos decretam ei publice nõ mediocris summæ statuam colosseam, iussit vel continuo ponerent, cauam manum ostentans, & paratam basim dicens.*

SI *non prodestis.*] In eodem, Si nil prodestis.

ET *qualis.*] In scriptis omnibus, Æqualis. Sed illud rectius.

VT *orbem.*] In scriptis item omnibus, Vbi, non, vt.

RECVRRAT.] In plerisque, Requirit. in vno meo, Recurris.

AVT *rapiam suspensa sacris insignia fanis.*] In Sfortiæ libro,

Aut rapiam suspensa focis insignia sacris.

Arma deposita, vel templis adfixa, vel domi. Sic alibi, *Occupet in tenebris militis arma situs.*

SMARAGDOS.] In veteribus monumentis Romæ eam vocem scriptam inuenio semper hoc modo, Zmaragdus. veluti apud Episcopum Capranicensem, & Achillem Maffeum, & in ea basi, siue Pacis ara, quæ est apud Ranutium Farnesium, Card.

TINGIT *ouem.*] Lanam, ex qua vestes.

A HIC *dat auaritiæ caussas.*] In Vaticano, ac nonnullis aliis, Stimulos. non Caussas. Hic, inquit, emptor voluptatis pretiosus dat caussas auaritiæ, & eius dona Coa vestis, & concha. Quo de genere etiam post in IV.

Et quascumque niger rubro de litore conchas
Colligit Eois proximus Indus aquis.

Sed illo modo etiam Cic. loquitur, in XI. epist. Ad Matium. *Quid mihi dedit caussam harum litterarum.*

MALAS.] Proteruas, callidas, auaras. nam post, *At bona, quæ nec auara fuit.*

CLAVEM *ianua sentit.*] Placet, quod est in

B Vaticano, sensit.

ATTVLIT *ipse.*] In Florentino, Ille, non, Ipse.

QVÆ *pretio victos excludis amantes.*] In Vaticano, Vinctos, non, Victos.

ERIPIANT *partas ventus, & ignis opes.*] Ignem significat violentum, ventoque sæuientem. Verg. in Georg.

——*præsertim si tempestas à vertice siluis*
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.

SEV *veniet tibi mors.*] In Sfortiæ libro, Veniat. in vno meo, Venit. quod placet. mortuum enim

C iam significari malim.

NEC *qui det mæstas munus in exequias.*] Quo de genere munerum ipse post,

Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores.

Et Propert.

Quo dabitur Syrio munere plenus onyx.

Et Verg. in v.

Hic duo rite mero fundens carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.
Purpureosque iacit flores.——

AT *bona, quæ nec auara fuit.*] Bona: simplex, benigna. Idem alibi,

Lena nocet nobis: ipsa puella bona est.

D Contra, Malus. Verg. in amore sic dixit,

Daphnis me malus vrit.

VETERES *veneratus amores.*] Catull.

Cum desiderio veteres renouamus amores.

Verg. ——*agnosco veteris vestigia flammæ.*

Et Propert. in III.

Hoc mihi quod veteres custodit in ossibus ignes.

Et Columella, de cultu hortorum,

Maximus ipse deum, posito iam fulmine, fallax
Acrisioneos veteres imitatur amores.

ANNVA *constructo serta dabit tumulo.*] Morem hunc significat in v. Verg.

E *Annuus exactis completur mensibus orbis,*
Ex quo reliquias, diuinique ossa parentis
Condidimus terra, mæstasque sacrauimus aras.
Iamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum, sic di voluistis, habebo.
Hunc ego Gætulis agerem si Syrtibus exul,
Argolicove mari deprensus, & vrbe Mycenæ,
Annua vota tamen solemnesque ordine pompas
Exsequerer, strueremque suis altaria donis.

Struere altaria, sic dixit Verg. in his versib. vt & Tibul. Constructum tumulum.

ET, *bene, discedens, dicet.*] Requiret. Idem ante,

Sic bene Messallam sua quisque ad pocula dicet.

TERRAQVE *secura sit super ossa leuis.*] Securæ: minime sollicitæ, placide compositæ. Similiter in veteri monumento,

Sit tibi terra leuis, mulier dignissima vita.
Atque alibi.
Vt mihi non vllo pondere terra foret.
Sed hoc frequens in veterib. monumentis, S.T.T.L. In Lusitania, in veteri monumento,
Dic rogo, qui transis, Sit tibi terra leuis.
Quo ex genere est etiam illud Euripideum, κοῦφα σοι χθὼν ἐπάνω πέσοι, γύναι. Et illud Theocriti, χαιρέτω οὗτος ὁ τύμβος ἐρεῖ. ἐπὶ δ' ἐρμάδοντος Κύπρις τῆς ἱερῆς κοῦφος ὕπερ κεφαλῆς.

SVB *titulumque Lares.*] Vt ædes proscribantur. etenim reb. venalib. titulus præponebatur. quod intelligi potest ex Edicto Ædilium curulium, apud Gellium l. IIII. cap. II. *Titulus seruorum singulorum vt scriptus sit, curato, ita vti intelligi recte possit, quid morbi, vitijque cuique sit.* &c. Ouid. in I. de remedio amoris,
Illud, & illud habet, nec ea contenta rapina est,
Sub titulum nostros misit auara Lares.

QVIDQVID *& herbar. Thessalla terra gerit.*] Gerere verbo in hoc genere sic est vsus etiam Verg. in II. Georg.
Aut quos Oceano proprior gerit India lucos.
Et Cererem à gerendo dictam Cicero tradit.

HIPPOMANES *cupidæ stillat ab inguine equæ.*] Propert.
Hippomanes fetæ semina legit equæ.
Et Ouid. in II. de arte amandi:
Fallitur, Aemonias si quis decurrit ad artes,
Datque quod à teneri fronte reuellit equi.
Cupidæ autem, libidine incensæ.

MILLE *alias herbas misceat illa, bibam.*] Verg. in Bucol.
Hippomanes, quod sæpe malæ legêre nouercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.
Et Manilius in II. verbo Miscere hoc ipso in genere est vsus,
Et varias pacis clades, & mixta venena.

M. ANT. MVRETVS.

SED *Venus ante alias.*] Liber vetus, *ante alios.* placet.

SED *pretium si grande feras.*] Idem prope cecinit Antipater Thessalonicensis in quodam epigrammate, his versibus,
Ἢν μὲν γὰρ τὸ χάρισμα φέρῃς φίλος, οὔτε θυρωρὸς
Ἐν ποσὶν, οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται. Id est,
Nam pretium si grande feras, nec ianitor vllus,
Nec vinctus rigidas stat canis ante fores.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SEV *quid peccauimus, vror.*] Repone, vt in antiqua scriptura, *vrit.*

ILLA *caua pretium.*] Caua manus, κοιλή. Aristophanes ἔμβαλε κοιλῇ.

AVT *rapiam suspensa sacris insignia fanis.*] Interpolatitia sunt. Scriptura vetus ita postulat: *suspensa focis insignia sacris.* Alibi:
Num feror incestus sedes adijsse Deorum,
Sertaque de sanctis deripuisse focis?

HINC *clauem ianua.*] Charisius *clauim.*

SEV *veniat tibi mors, neq; erit.*] Lego, *neq; sit.*

THESSALA *terra gerit.*] Malo *genit.*

ELEGIA V.

PHOEBE faue, nouus ingreditur tua templa sacerdos,
Huc agè cum cithara, carminibúsque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triũphali deuinctus tempora lauro;
Cum cumulant aras, ad tua sacra veni:
Sed nitidus, pulcerque veni, nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas,
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
Victori laudes concinuisse Ioui.
Tu procul euentura vides: tibi deditus augur
Scit bene, quid fati prouida cantet auis.
Tuque regis sortes: per te præsentit haruspex,
Lubrica signauit cùm Deus exta notis.
Te duce Romanos numquam frustrata Sibylla est,
Abdita quæ senis fata canit pedibus.
Phœbe sacras Messallinum sine tangere chartas
Vatis, & ipse precor, quod canat illa, doce.
Hæc dedit Æneæ sortes, postquàm ille parentem
Dicitur, & raptos sustinuisse Lares.
Hæc fore credebat Romam, cùm mæstus ab alto
Ilion, ardentes respiceretque Deos.
Romulus æternæ nondum formauerat vrbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo.

Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ, A
Et stabant humiles in Iouis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis vmbræ,
Et facta agresti lignea falce Pales,
Pendebatque vagi pastoris in arbore votum
Garrula siluestri fistula sacra Deo:
Fistula, cui semper decrescit arundinis ordo: B
Nam calamus cera iungitur vsque minor.
At, quà Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulla per vada linter aqua.
Illa sæpe gregis diti placitura magistro,
Ad iuuenem festa est vecta puella die.
Cum qua fecundi redierunt munera ruris, C
Caseus, & niueæ candidus agnus ouis.
Impiger Aenea volitãtis frater Amoris,
Troica qui profugus sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes aßignat Iupiter agros,
Iam vocat errantes hospita terra Deos. D
Illic sanctus eris, cùm te veneranda Numici
Vnda Deum cælo miseris indigetem.
Ecce super fessas volitat victoria puppes:
Tandem ad Troianos Diua superba venit.
Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.
Iam tibi prædico barbare Turne necem, E
Ante oculos Laurens castrum, murusq; Lauini est,
Albaque ab Ascanio condita longa duce.
Te quoque idm video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos,
Concubitusque tuos furtim, vittásque iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc tauri de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnæ iam locus vrbis erit,
Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Qua sua de cælo prospicit arua Ceres,
Quáque patent ortus, & qua fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur, & sibi dicet,
Vos bene tam longam consuluisse viam.
Vera cano: sic vsque sacras innoxia lauros
Vescar, & æternùm sit mihi virginitas.
Hæc cecinit vates, & te sibi Phœbe vocauit,
Iactauit fusa sed caput antè coma.
Quidquid Amalthea, quidquid Marpesia dixit,
Herophile Phœbo grata quod admonuit,
Quódque Albuna sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco perlueritque sinu.
Hæ fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus vt in terras deplueretque lapis;
Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cælo
Audita, & lucos præcinuisse fugam:
Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos:
Et simulacra Deûm lacrymas fudisse tepentes,
Fatáque vocales præmonuisse boues.

Hæc fuerunt olim. sed tu iam mitis Apollo
Prodigia indomitis merge sub æquoribus:
Et succensa sacris crepitet bene laurea flamis,
Omine quo felix, & sacer annus eat.
Laurus vbi bona signa dedit, gaudete coloni,
B *Distendet spicis horrea plena Ceres;*
Oblitus & musto feriet pede rusticus vuas,
Dolia dum, magni deficiúntque lacus.
At madidus Baccho sua festa Parilia pastor
Concinet. à stabulis nunc procul este lupi.
Ille leuis stipulæ solennes potus aceruos
Accendet, flamas transilietque sacras.
Et fetus matrona dabit, gnatúsque parenti
Oscula comprensis auribus eripiet.
Nec tædebit auum paruo aduigilare nepoti,
D *Balbaque cum puero dicere verba senem.*
Tunc operata Deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquæ qua leuis vmbra cadet.
Aut è veste sua tendent vmbracula sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.
At sibi quisque dapes, & festas extruet altè
Cespitibus mensas, cespitibusque torum.
Ingeret hîc potus iuuenis maledicta puellæ,
Postmodò quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suæ, plorabit sobrius idem,
Et se iurabit mente fuisse mala.
A *Pace tua, pereant arcus, pereántque sagittæ*
Phœbe, modò in terris erret inermis Amor.
Ars bona, sed postquàm sumsit sibi tela Cupido,
Hei mihi quàm multis ars dedit illa malum!
Et mihi præcipuè iaceo cùm saucius annum,
Et faueo morbo, cùm iuuat ipse dolor.
Vixque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest, iustos aut reperire pedes.
At tu (nam Diuûm seruat tutela poëtas)
C *Præmoneo, vati parce puella sacro.*
Vt Messallinum celebrem, cùm, præmia belli,
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus, lauro deuinctus agresti,
Miles Iò magna voce triumphe canam.
Tunc Messalla meus pia det spectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater.
Annue: sic tibi sint intonsi Phœbe capilli,
Sic tua perpetuò sit tibi casta soror.

BERN. CYLL. VERON.

PHOEBE *faue, nouus ingreditur tua templa sacerdos.*] Inuocat Apollinis numen, vt sibi sacrificanti fauorem præstet: à cuius laudibus ad Sibyllæ vaticinium descendit, quod ab effectu commendat: tum ingreditur Romani loci primordia. Sed sciendum id quod Acron Sermo. II. reposuit, quod secundum numinum qualitatem laus ipsa Deorum diuerso nomine vocatur: Nam si Iouis celebrantur præconia, Hymni vocantur: Si Apollini, aut Dianæ, aut Latonæ canitur, Pæanes: si Libero aut Semelæ, Dithyrambi: Si ad cæteros omnes deos oratio habetur, Prosodia: Si homines laudamus, ea est Laus: Si improbamus, ea dicitur Vituperatio. Messallino ante congratulatur, qui augur fuerat creatus. augures autem enim sunt Apollinis sacerdotes, vnde ait.

NOVVS *sacerdos.*] Idest augur, vel nouus

sacerdos, quia poëtæ Musarum & Apollinis sacerdotes sunt. ideo sacri habentur. nam eorum capiunt afflatum. Quare dixit Ouid.

Numen inest illis: Pieridesque fauent.

Horat. carm. III. *-- carmina non prius*
Audita Musarum sacerdos
Virginibus puerisque canto.

Et Propert. Eleg. III.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios Orgia ferre choros.

Quinimmo ipsi poëtæ plerumque dij nominantur. Virg. in Buc.
Mirabar quid mœsta deos Amarylli vocares.

Et Propert. eleg. I.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros euiolasse deos.

Nec mirum est, nam Grecè *ποιητὴς* & deum & vatem significat quasi factor. Sunt ante vates dicti à viendis versibus, vt Varroni placuit: nam viere significat vincire.

Tva *templa.*] Aut Palatinum templum vult, quod ab Augusto ædificatum est post Actiacam victoriam de quo Propert. elegia. IIII. meminit:
Musæ Palatini referamus Apollinis ædem.

Aut fanum in foro constitutum.

Hvc *age cum cithara, carminibusque veni.*] Macrob. in Satur. li. varias Apollinis potestates refert. est enim ipse carminis auctor, vt supra,
—— nec carminis auctor Apollo.

Est vaticinij præses, vt supra,
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus.

Sagittandi peritiam habuit. Iuue.
Parce precor Pæan, sed Pæan contrahit arcum.

Diuinam medicinę artem percalluit, vt inferius:
Huc ades & teneræ morbos expelle puellæ.

Chordæ *vocales.*] Horat. carm. I.
Tuque testudo resonare septem
Callida neruis.

Est maxima Apollinis laus ipsa musica: Namque ab ea Pythagorici omnes & Plato philosophiam vocauerunt musicam, quia mundi fabricam vniuersam ex harmonia & concentibus constare ratiocinati sunt. Ideo omne musicum genus deorum esse opus arbitrabantur: vnde Apollo Musęque omnes hymnorum celebratores dicuntur: ipsarum vero Musarum ministri sunt eruditissimi viri, & hi proprie musici. apparatus enim moralis attribuitur musicæ: & cum eiusdem Dei præsides sint, reliquum est vt rectæ mentis sint qui musicæ operam indulgent. Sed Apollinis ministri cum exculti literis homines sint, adduntur etiam vates. Sed poëtæ cum litteratissimi sint, & diuina quadam mentis agitatione moueantur, ad futurorum etiam scientiam merito sacri, & inde sacerdotes Musarum & Apollinis habentur.

Vestem *sepositam.*] Eam vestem dicit, qua Apollinem indui non nisi diebus feriatis putauit antiquitas.

Qvalem *te memorant.*] Ex antiqua fabula dictum est: Poëtæ fabulantur Apollinem Ioui patri laudes celebrasse de triumpho: quem ille assecutus est de fuga Saturni. Tunc enim Phœbus tantæ fuit elegantiæ, vt deos omnes in se conuerterit.

A Cantet *auis.*] Hinc augurium dictum ab auium garritu deprehendimus.

Provida.] Intelligens.

Præsentit arus. Lu. signauit cum deus exta notis.]
Hinc aruspicem nominari, quod exta auium inspiciat, manifestum est.

Te *duce.*] Quippe fatidicum spiritum in viscera vaticinantis mergit Apollo.

Sibylla.] Cumanam dicit, quæ fata populi Romani heroico carmine conscripsit: vnde ait, Senis pedibus: ex sex enim pedibus constat versus Heroicus. Hanc ferunt illam fuisse, quæ libros nouem attulit ad Tarquinium Priscum, B proque illis postulauit trecentum Philippæos, rege vero eius insaniam illudente, sex ex illis semel atque iterum combussit: motus tandem rex perseuerantia mulieris in pretio exigendo, tres reliquos quo volebat fœmina pretio emit: in quibus Romanorum fata continebantur, vt Aulus Gellius noctium Atticarum primo commemorat.

Messallinvm.] Filium Messallæ.

Sine.] Permitte.

Tangere *sacras chartas vatis.*] Aut vatis idest Apollinis, vt poëta fiat, aut Tibulli carmina, aut Sibyllæ libros. vt auguralem disciplinam C recte percipiat, quia augur erat creatus. quod placet.

Hæc *dedit Aeneæ sortes.*] Hoc totum in diuino Maronis opere pertractatur.

Parentem.] Anchisem.

Lares *captos.*] Deos patrios, quos vt tolleret, Hector in somnis admonuit. Captos autē à Græcis vtique euersa vrbe intelligendum. Virg.
Aduectum Aeneam classi, victosque penates
Inferre.——

Ilion.] Græcus est accusatiuus, & neutri generis. At Ouid. de arte aman. primo fœminino genere protulit:
D *Tunc cum tristis erat defensa est Ilion armis.*

Et Euseb. lib. temporum ait: *Ilion condita ab Ilio.*

Et III. carm. Horat. *Non semel Ilios vexata est.*

Nondvm *firmauerat.*] Nondum sancierat vrbem suo de nomine, nisi deinceps captis in Auentino auguriis: vel nondum vrbem muro sepserat: aut septam muro ne quis transgrederetur, per supplicium nondum firmauerat. Propertius elegiarum III.
——& caso mœnia firma Remo.

Consorti *non habitanda Remo.*] Nempe Romulus vbi muro vrbem sepsit, legem tulit, ne quis mœnia transiliret, qui secus faceret reus E esset capitis. Remus seu fratris præcepta negligens, seu iuuenili raptus impetu ea supergressus est, & à Celere Ductore (vt historici scribunt) seu à Fabio (vt Euseb. lib. temporum meminit) nam Fabius Celer forte vocabatur, pastorali rastro percussus occubuit. Luca. I.
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Consors dicitur eiusdem sortis, id est, qualitatis in omni fere negotio. Sappho ad Phaonem:
Non tantum Alcæus consors patriaque, lyraque
Laudis habet.

Hic enim de fratre dixit, vt Ouid. Metamor. XI. de Ceyce,

Quæ dum Lucifero genitis miracula narras
De consorte suo.

HERBOSA *palatia.*] loca herbis obsita, vbi Romana palatia superba structurâ ponenda erant.

IN *Iouis arce.*] vbi nunc est Capitolium, quod dicitur arx Iouis: quod (vt ait Varro) in summitate Tarpei locata esset ea ædes. Propertius elegiarum IIII.

Tarpei vsque pater nuda de rupe tonabat.

STABANT *casæ*] idest, constructæ erant. Idem eodem elegiarum:

Hoc quodcunque vides, hospes quam maxima Roma
Ante Phrygem Aeneam collis & herba fuit.
Atque vbi nauali sunt sacra palatia Phœbo
Euandri profugæ procubuere boues.

FISTVLA *garrula.*] id est, arguta, vocalis. Sic Maro in Copa.

En & Mænalio quæ garrit dulce sub antro
Rusticæ pastoris fistula in ore sonat.

AGRESTI.] rudi.

SILVESTRI *fistula facta Deo.*] fabulam mouet: Pan cum Syringæ amore detentus fugientem puellam insequeretur, Dij miseratione moti supplicem in calamum conuerterunt: quem calamum incisum ad sui doloris solatiolum ille in fistulam paulatim coniunxit, quæ postea septem cicutis, hoc est internodiis calamorum compingebatur: Quod ideo figuratum est, quoniam Pan naturę similitudinem habet, & septem sonos in cœlesti harmonia declarat per fistulæ septimam compagem. dicta vero est fistula à φυσῶ, inflo. Pan ipse natus est ex tertio Mercurio & Penelopa, si Ciceroni credimus de nat. De. III. & Herodoto histori II.

IVNGITVR *cera.*] ex arte scilicet inuentoris. Virgilius.

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit.——

AT *qua Velabri regio patet.*] Auentini accipit circuitum: cuius pars ima prope Tyberim dicitur Velabrum à velis, quod Romam versus per flumen velabant idest nauigabant: seu à vehendo, vt Varro scribit. de Velabro Propertius ita elegiarum IIII.

Qua Velabra suo stagnabant flumine, quâque
Nauta per vrbanas velificabat aquas.

Illuc enim ad sacrum commune homines Latini vehebantur nauigiis.

NIVEÆ *candidus agnus ouis.*] laus est muneris, quod agnus cum sit albi coloris, ex matre tamen candida natus dicatur. Scimus enim oues quanto candidiores tanto pretiosiores haberi: ob eam rem, quod lana earum varios & sine difficultate capiat colores.

IMPIGER *Aenea volitantis frater Amoris.*] Sibyllę vaticinium scribit de Aenea & vrbe condenda habitum, signaque futuro populo prodigiosa enarrat, & suæ se demum Nemesi etiam atque etiam commendat. Omnes autem, quos vidi, codices hanc à superiori diuisam habent, cùm tamen videatur membrum esse præcedentis. dixit enim *Hæc dedit Aeneæ sortes*: reuertitur enim ad propositum post multam euagationem. Sciendum sanè nihil hic ab eo tâgi, quod à

A Liuio diffusè & ordinatim non sit in historia ab vrbe condita commemoratum. Quem tamen vna cum reliquis historiographis (vt noster est mos) omittimus, contenti poëtarum testimoniis, quæ omnia tametsi ad historiæ vtique comprobationem non erunt, ad verba tamen referentur inter exponendum.

VOLITANTIS *frater amoris.*] Aeneas ex Anchise & Venere genitus est: at Cupido ex Venere & Marte natus, qui Anteros dicitur, Quamquam secunda Venus (vt supra diximus) ex secundo Mercurio Cupidinem alterum sustulerit. Frater ergo Aeneas Cupidinis. Virgil.

Frater vt Aeneas pelago tuus, omnia circum
B *Littora iactetur.*——

Ibi Seruius Honoratus scribit Simonidem voluisse Cupidinem ex Venere tantum esse progenitum: ideo ab eodem poëta, *Nate meæ vires* dictum. Alij verò ex Venere & Chao, primę rerum naturæ cum esse filium volunt, & Amoris Tibullus dixit pro Cupidinis, vt Maro:

Ergo his aligerum dictis affatur Amorem.

Græcos ambo imitati, qui vno nomine vtrumque significant.

VOLITANTIS.] vagabundi. Nam philosophi ventosas ei pennas addiderunt, sententiæ instabilitatem, suæ demonstrantes in amatore. Terentius *In amore hæc sunt vitia, iniuriæ, suspiciones,*
C *inimicitiæ, induciæ, bellum.*

IMPIGER.] strenuus, diligens. Cic. *Quis est tam in scribendo impiger quam ego.*

SACRA.] deos penates.

IAM *tibi Laurentes assignatur Iuppiter agr.*] Laurens oppidum à Pico conditum. Virgilius,

Laurentis regia Pici.

vel à Latino, vt meminit Seruius, vtramque in VII. commentario colligens opinionem à lauro maxima denominatum. Aeneas autem (vt scribit Euseb. lib. temporum) Latium venit post captam Troiam anno III. seu VIII. vt quidam alij putant, Latinisque imperauit, qui postea
D Romani dicti sunt, annorum trium spatio.

ERRANTES *deos.*] multis quippe in locis consederunt, vbi sedem figere non licuit.

NVMICI *vnda.*] Numicius fluuius est in agro Laurenti: iuxta quem Aeneas sacrificans prolapsus, nec inuentus, postea Iuppiter indiges vocatus est; Ouidio scribente XIIII. Meta.

——*fecitque deum quem turba Quirini*
Nuncupat indigetem, temploque, arisque recepit.

Cato tamen scribens apud Laurolauinium orta pugna Aeneam non comparuisse, qua Latinus moritur, & Turnus aufugit.

E DIVA *superba.*] Victoria nobilis, quam precatur Aeneæ fauea: secutus Maronem qui Turnum dicit ignes iaculatum fuisse in naues Troianorum, cum Aeneas ipse ad socialia arma comparandum tetendisset, sed ex Matris deûm precibus in nymphas mutatæ fuerunt.

RVTVLIS *castris.*] Rutula gens fuit, cui Turnus imperauit.

IAM *tibi prædico barbare Turne necem.*] Turnus ab Aenea singulari certamine victus est, vt diuinum Maronis poëma testatur. Atqui maledicit Turnum barbarum vocando, cùm ille Rutulus

fuerit: sed vel eum barbarum vocat, quod tametsi Rutulus, erat tamen sui maiores ex Græcia oriundi fuerant. Venilia enim Amatæ Latini regis vxoris soror eum genuit, quam constat duxisse genus à Danae Acrisij filia. hæc etenim vitiata à Ioue, cum arcula esset inclusa proiicitur in mare parentis iussu, sed in Italiam delata inuenitur à piscatoribus cum Perseo puero, quem in illa ediderat, & oblatam regi, rex sibi iunxit in matrimonium, Ardeámque ipsa condidit. Quare cum Turnus quasi semilatinus esset, forsitan ob id quod prauitate in loquendo vteretur, & Latina imperfectè quasi barbarè pronunciaret, barbarum appellauit. vel quod difficulter cum asperitate & duritia tanquam inuita natura loqueretur: quos homines balbos, blæsósque dicere soliti sumus. Quapropter ingeniosus poëta alludens ad crassitudinem Turni regis barbarum dicit, effingens tarditati cognatum in loquendo nomen per conuicium quidem, quasi duriloquum & crassilinguem dicere eum voluisset.

LAVRENS *castrum.*] Laurentum dicit. Castrum est locus muro circundatus, quod per diminutionem (teste Prisciano) castellum facit. Ouid Metamor. vltimo:

——donec castrumque, sacrásque
Lauini sedes Tyberináque ad hostia venit.

Sed Castra tentoria sunt, in quibus expeditionum tempore milites diuersantur.

MVRVSQVE *Lauini est.*] periphrasticos Lauinum significat ab Lauinia Latini regis filia denominatum Iuuenalis Satyr. IIII.

Atque nouercali sedes prælata Lauino.

ALBAQVE *ab Ascanio condita longa duce.*] Alba vocata est longa: vt Liuius scribit, à situ in longum dorsum porrecto, quam Ascanius condidit, sed vter fuerit dubitat Titus Liuius: ille ne ex Creusa patrem Aeneam fugientem secutus in Italiam: An qui ex Lauinia genitus sit. Dixit enim Virg. VIII.

Ex quo terdenis vrbem redeuntibus annis,
Ascanius clare condet cognominis Albam.

Perplures tamen affirmant Ascanium ex Creusa. Statius syluarum quinto in epicædio patris:

Iugera nostra tenens vbi post Aeneia fata,
Stellatus Latiis ingreßit montibus Albam
Ascanius: Phrygio dum pingues sanguine campos
Odit, & infestæ regnum dotale nouercæ.

Hoc item Eutropius lib. I. & Eusebius de temporibus, & Iuuenalis præallegata satyra attestantur.

ILIA] quæ mater Romuli & Remi fuit, dicta Ilia, Rhea, Siluia. trinomina enim fuit.

VITTASQVE *iacentes.*] namque dum aquari vult somno vrgente iacens humi à Marte comprimitur, vnde comarum turba vitta concidit: Forsitan etiam ad id refert quod illa ante corporis stuprum vidit, Ouidio scribente hoc Fastorum III.

Ignibus Iliacis aderam, cum lapsa capillis
Decidit ante sacros vitta soluta focos.

De septem montibus à quibus Roma septemcollis appellata est: eorum montium nomina sunt hæc, Capitolinus qui & Tarpeius, Auentinus, Palatinus, Cælius maior & minor, Exquilinus, Viminalis, Quirinalis.

MAGNÆ *iam locus vrbis erit.*] magna fuit Roma & amplitudine loci & imperio. Propertius elegiarum III.

Septem vrbs alta iugis, toto quæ præsidet orbi.

QVA *sua de cælo prospicit arua Ceres.*] error est de Sicilia intelligere. Nempe Romani imperij fines latiores fuisse quam Sicilia concipiat quisque vel infantissimus nouit: Sed totius ferè terræ ambitus accipiendus est. Dixit enim Ceres sua arua prospicit, pro quocunque homines Cereris alimento, idest, rationabiliter vitam ducunt: Nam & Romani suum imperium per orbem terrarum sed neutique totum prolatarunt. Seu Cererem pro Luna ponit è diuerso Virgilius Georgicorum, primo, Nam Democritus & Stoici vnum deum, & alteram deam, sed diuersis in vtilitate mortalium nominibus asseuerarunt.

QVAQVE *patent ortus.*] de vtroque mundi cardine ponens, mundum intelligit vniuersum in laudem Romani imperij, & est quasi expositio superioris versiculi. Vt enim diximus, per ortum & occasum, totius mundi naturam colligit. Sic Horatius carm. III. per arcticon & antarcticon de Romanis inquiens,

Quicunque mundo terminus obstitit,
Hunc tanget armis visere gestiens:
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulæ pluuiique rores.

VNDIS *fluitantibus.*] propter naturalem Oceani fluxum.

AMNIS.] liptote, vt *Apparent rari nantes in gurgite vasto.* aut respicit ad maris naturam amnis dicendo à circumnando, quoniam ex Græca præpositione sumptum, quæ est ἀμφὶ, significat enim circum: & nare fluere. Nam Oceanus terram circuit. & velox est, vnde (teste Prisciano de duodecim Virgilij carminibus) dicitur ἀπὸ τῆ ὠκύς hoc est celeri motu: quare fluitantibus vndis dictum est.

EQVOS.] Solis equi quatuor sunt, Pyrous, Eous, Aethon, & Phlegon.

ANHELANTES.] diurno labore anxios. Statius Achilleidos primo:

——& Oceani penetrabile littus anhelis
Promittebat equis.

TROIA *quidem tunc se mira.*] alludit ad vocabulum animalis & insigne Troianorum: nam Troianorum insigne Troia fuit. vulgus latinitatem seruat, id est, scrofam seu suem vnde, *Arma quæ fixit Troia: Et ingentem fatis fer ad athera Troiam*, Virgilius ait, id est, insigne Romanorum, vt ad Octauium Messala interpretatur. Mirabitur ergo se ex sui nominis homines adeo creuisse.

CONSVLVISSE.] consulto determinasse, vt *Consultaque bella.*

VESCAR *laurus sacras.*] id est, fungar scientia vaticinandi, & antique posuit vescor cum accusatiuo, vt potior & fungor apud Terentium. eiusmodi verba ablatiuum recipiunt.

TE *sibi Phœbe vocauit.*] vt scilicet à furoris pondere leuaretur.

QVICQVID *Amalthea, quicquid Marpesia di-*

xit, Heryphile Phœbo grataque quod monuit.] Lactantius Firmianus diuinarum Institutionum primo, decem Sibyllas enumerat: & qua de re, quibusque auctoribus, quæque scripserint. Prima fuit de Persis, vt Nicanor gestorum ab Alexandro scriptor ait: Secunda Libyca: Tertia Delphica: Quarta Cumana in Italia: Quinta Erythræa, quam Strabo dicit fuisse tempore Alexandri: & aliam ex eodem loco nominat, quæ Athenais nomine dicebatur: Sexta Samia: Septima Cumæa nomine Amalthæa, quæ ab aliis (vt ait) Demophile nominatur, quæ nouem libros ad Tarquiniũ detulit, vt scriptores omnes attestantur: Octaua Hellespontiaca in agro Troiano nata vico Marpisso circa oppidum Gargitium: Nona Phrygia, quæ vaticinata fuit Ancyræ: Decyma Tyburs nomine Albumea. Sed (vt Eusebius refert libro temporum) quæ in Samo fuit insignis habita, Heryphile dicta est. Fuit autem Candale Lydis regnante anno ferè imperij illius decimo. Cæterum Lactantius ipse Firmianus dicit tantam esse de Sibyllis confusionem vt ignoretur quid verè dici possit. Ex Græcia enim Sibyllini libri Romam transuecti sunt: quorum admonitu respublica Romana gerebatur.

Qvasqve *Albana sacra.*] ex omnibus quatuor vaticinatas refert Et Tyburtinam sortes Romam detulisse per Anienem, qui Tyberim auget. Alij interpretantur vaticinium de Remo & Romulo abiectis in Tyberim iussu Amulij Albani, fluuius autem fatorum prouidus se contraxit. Alij Chœliæ facinus intelligunt, quæ à Lauso genus duxit Albano. Legimus etiam in quinto ab Vrbe condita apud Liuium, lacum in Albano nemore sine vllis aquis cœlestibus in altitudinem miraculosam creuisse, & vaticinatum fuisse à Veiente aruspice, & ita ab Apolline Delphico responsum: dissipandum esse per agros Albanam aquam: tunc Veios futuros sub potestate populi Romani, quibus captis Iuno Veientana in Auentinum per iuuenes electos portata est. Sed poeta ait, *Per flumina Tybris.*

Hæc *fore dixerunt.*] de comete in primo Lucani commentario abunde dicemus. Latini crinitam vocant, Græci κομήτην ἀπὸ τὸ κόμη. & est malum plerunque futuri periculi signum, cùm populi non impune vident. declarat autem prodigia, quæ ab Vrbe condita apparuerunt.

Mvltvs *vt in terras deplueritque lapis.*] hoc explicat Titus Liuius in Decade ab Vrbe condita. Depluerit autem pro deciderit. Sed notandum contra omnium grammaticorum regulas dictum esse: de quibus literatores moderni multa sunt hallucinati, dicentes pluo carere supposito habens appositum ablatiuum, vt Titus Liuius lib. vi. de bello Macedonico, *Terracinæ & Amiterni nunciatum est aliquoties lapidibus pluisse.* Nam (vt aiunt) nunc dicimus, Deus pluit carnem & escam. Sed præter vsitatum Titi Liuij in dicendo modum, Valerius Maximus libro suo in capitulo de Prodigiis, *In Piceno lapides pluisse* ait: *& hic lapis depluerit.* Et Liuius ipse in x. de bello Macedonico: *In area Vulcani & Concordiæ sanguis pluit.* Martialis ad Faustinum longè aliter scribens vtitur verbo:

A

Capena grandi porta qua pluit gutta.

sed alij legunt fluit. textus antiquus habet, pluit.

Tvbas *atque arma audita.*] syllepsis est causa maioris significati. Tubas, Lucanus primo:

Insonuere tubæ, & quantum cl. more cohortes
Miscentur, tantùm nox atra silentibus vmbris
Edidit——

Arma *strepitantia.*] Sic Lucanus eodem:

Tum fragor armorum.

Lvcos *præcinuisse fugam.*] idem ibi:

——magnæque per auia voces
Auditæ nemorum.——

B

Defectvm *lumine.*] splendorem sub eclypsi amittentem. Defectus vocem præteriti participij habet, & in significantiam præsentis. Virgil in Priapeis:

Defectus pueroque, fœminæque pallentis.

Et *simulachra deum lacrymas fudisse.*] Lucan. ibi:

Indigetes fleuisse deos, vrbisque labores
Testatos sudore Lares.

Virgilius,

Et mœstum illachrymat templis ebur.

Boves *vocantes.*] Lucanus.

Tum pecudum faciles humana ad murmura linguæ.

Virgilius,

C

——pecudesque locutæ Infandum.

Merge.] dele: metaphoricos.

Prodigia.] signa malum prodigentia id est, indicantia.

Bene *crepet.*] signum est fertilitatis si laurus clarè crepitum fecerit. exprimit enim naturam lauri dum perustulatur. Ouid. Fasto. IIII.

Et crepet in mediis laurus adusta focis.

Istius facti rationem refert Eusebius præparationis Euangelicæ II. *Namque antiqui laurum Apollini dedicarunt, quia ignea est, vnde odio Dæmonibus, & si comburitur plurimum sonat, quod prædicendi virtutem significat.*

Felix *& sacer.*] ideo religiosus & abundans, quod laurus bene crepitans optima signa dedit.

D

Horrea.] granaria quasi forrea à farre.

Distentet.] onerabit.

Oblitvs.] illinitus, turpatus. ab oblino, id est, inquino.

Ille *leuis stipulæ.*] Ouidius Fastorum quarto:

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis aceruos
Traiicias celeri strenua membra pede.

Foetvs.] liberos.

Compressis *auribus.*] morsem puellorum exprimit in libando patris osculo.

E

Tædebit.] futurum est indicatiui à tædet impersonali, idest, pigebit.

Parvo *aduigilare nepoti.*] vt scilicet puellus somnum capiat.

Balba *verba.*] imperfecta & inexpedita. à senibus enim ex industria non ex linguæ defectu verba imperplexa effutiuntur, vt puellis alludant: Aliter enim esset naturæ vitium balbutire.

Arboris *antiquæ qua leuis vmbra cadit.*] conuiuiis ritu & vmbra conueniunt. Horatius Carminum I.

-- nunc viridi membra sub arbuto
Stratus: nunc ad aquæ lene caput sacræ.

A

AVT *è veste sacris tendent vmbracula sertis.*] sensus est: Vmbracula conficient ex vestibus inuicem complicatis hoc est quod dicit Ouidius:

-- pauci tentoria ponunt:
Desuper extentas imposuere togas.

CALIX *coronatus.*] aut calicem plenum intelligit ad summum marginem, aut coronis, id est, sertis circumamictum. vnde legitur:

-magnum cratera corona
Induit, impleuitque mero.

Quin (vt Seruius in primo Æneidos attestatur) tractum est ab Home. qui istiusmodi sermonis genere in Iliade vtitur:

B

CESPITIBVS.] idcirco cespitibus, vt religiosius res procedat.

ARS *bona.*] scilicet si sit inermis iuuat quod amem.

SINE *qua versus mihi nullus.*] sic Propertius Elegiarum II.

Quæritis vnde mihi toties scribantur amores?
Vnde meus veniat mollis in ora liber?
Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo,
Ingenium nobis ipsa puella facit.

IVSTOS *pedes.*) versus iustum μέτρον. hoc est mensuram habent cum syllabarum seruata ratione æqualiter componuntur.

C

TVTELA *diuum.*] sunt nempe vatibus cum cœlo commercia: & numinis diuinitate participant, sicut supra edocuimus.

FERET.] in triumpho portabit.

OPPIDA *victa.*] simulachra depicta ad veram oppidorum similitudinem. Ouid. de arte aman. I.

Quæ loca, qui fluctus, quæve ferantur.

LAVRO *agresti.*] lauri variæ sunt species: tres præcipuè Priscus Cato de agricultura nominat, Delphicam scilicet Cypriam & Syluaticam. Quare miror Plinium allegasse Catonem, cùm duo tantùm genera esse dixisset, sed impressorum est error, eorumque idiotarum, qui libros impressoribus ipsis non castigatos, sed sua imperitia corruptos tradunt: De quibus in lucubrationibus nostris late pertractauimus.

D

IO *triumphe.*] militum est vociferatio in triumphis, vt M. Varroni scribit Horatius ad ipsum triumphum sermonem conuertens carminum IIII.

Tuque dum procedis, io triumphe,
Non semel dicemus, io triumphe,
Ciuitas omnis, dabimusque diuis
Tura benignis.

E

Triumphus autem à Græcis: qui θρίαμβον dicunt acceptus est, seu à Θριάμβῳ Liberi patris cognomento: vnde triumphare. & ideo Io triumphe vox lætantis vsurpata.

PIA *semper.*] ideo significantia pietatem patris in filium, quod ipse equo insidens sequi velit filium triumphantem, vt de Fabio Rutiliano legimus in historiis.

PRÆTEREVNTE *curru.*] currum intellige non Messalæ, sed Messalini triumphantis.

PERPETVO *casta.*] vt casta fruatur virginitate perpetua,

ACHILLES STATIVS.

PHOEBE, *faue, nouus ingreditur tua templa sacerdos.*] inuocationis genus. Tua templa ingreditur, prædicturus olim futura. quæ sanè πρόληψις mire poëtica est.

NVNC *precor ad laudes flectere verba meas.*] verba cantum significare, iam docui. Orat igitur Phœbum, vt ad laudes suas, quas Messallino dicet, cantum flectat. id est, vt hoc eius carmen sit hoc tempore.

QVALEM *te memorant.*] in Sfortiæ libro, Referunt, non Memorant.

TIBI *deditus augur.*] Tibi deuotus. Idem alibi,

-tibi dedita seruit
Mens mea.

Horatio in I. Carm. dicitur Augur Apollo. Callimachus in hymno in Apollinem:

Κεῖνο δ' τελαὶ ὁ μάντις.

SCIT *bene, quid fati prouida cantet auis.*] Quid fati. vel intellegamus, Fati prouida.

REGIS *sortes.*] præs sortibus. Catullus,

Quæque regis Golgos,

Sortes autem, oracula.

SIBYLLA *est.*] in veteribus multis, Est, non erat.

SINE *tangere chartas Vatis.*] Sibyllæ. Ergo Messallinus in Augurum Collegium cooptabatur, aut inter XV. viros adlegebatur. quos fas erat Sibyllinos adire, atque consulere.

SVSTINVISSE.] portasse.

HÆC *fore credebat Romam.*] legendum, vt in omnibus scriptis, Nec, non, Hæc.

ROMVLVS *æternæ nondum formaverat vrbis Mœnia.*] Romæ, In vetustis monumentis, vt ad Portam Portuensem, VRBS ÆTERNA Roma dicitur. Sed ego legendum suspicabar, Firmauerat, non, Formauerat.

CONSORTI.] sic Lucan. in I.

- quæcumque potestas
Impatiens consortis erit.

ET *stabant humiles in Iouis arce casæ.*] id est, in Capitolio, vbi Romuli casa, stramentis tecta.

LACTE *madens.*] lacte di agrestes piabantur. Horat. in II. epist.

Tellurem porco, Siluanum lacte piabant.

Lacte madere, sic dixit, vt, vino madere, vel quod lacte perfusus esset.

SVBERAT *Pan ilicis vmbram.*] in plerisque veteribus, Vmbræ. in uno meo, Vmbra.

FACTA *agresti lignea falce Pales.*] è stipite facti Di. Sic Horat.

Cum faber, incertus, scamnum, faceretne Priapum.

FISTVLA *sacra.*] in Florentino, Farta. in vno meo. Facta.

FISTVLA *cui semper decrescit arundinis ordo.*] sic Fistulam quoque describit Pollux lib. IIII. ἡ μὲν καλάμων ἐστὶ συνθήκη λίνῳ δὲ καρῷ συνδέδεται, ἔχει αὐτοφυεῖς αὐλοὶ πολλοί, ἕκαστος χῶ μικρὸς ὑφ' ἑκάτερ ἐπαλλήλους ὡς τὸ ἐλάχιστον ἀπὸ τοῦ μεγάλου αἰσχύνει ἔχοντες, ὡς ἔοικεν πτέρυγι ἐοικέναι. Verg. idem significans in Bucol.

Est mihi disparibus septem compacta cicutis
Fistula. ——

NAM *calamus cera iungitur vsque minor.*] Theocr. in I. Edyl.

—— καὶ τὶν δ' ἐστὶ ...

... χείλος ... Et *Pan primus calamos cera coniungere plures Instituit.——*

PVLLA.] nonnulli legunt, Pulsa. Sed aqua pulsa nigrescit, Corinthus in Dorica dialecto: ... Et auctor magni Etymologici, in illud Hom. ... Sed illo etiam modo commode legitur. de eodem enim Propert. in IV.

Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.

ILLA *sæpe, gregis Ditis placitura magistro.*] in Sfortiæ libro, Magistris. Ditis autem gregis magistris, sic, vt Verg. *Pecoris magistrum.* itaque ibi solitos versari pastores significat.

REDIERVNT.] Dote dicta, & data. tantum redibat è prouentu.

IMPIGER *Aenea.*] in vno meo, veterum consuetudine, scriptum, Inpiger. Impiger autem, præstans animi, & corporis viribus: Sic ab Hor. Impiger Hercules dicitur. Et poëta alius,

Sumptis non impiger armis.

Hoc ipsum similibus verbis significat Sophocles in Philoctete: Γλῶσσαν μὲν ἀργὸν, χεῖρα δ' ἔχοντ' ἐργάτιν.

VOLITANTIS *frater amoris.*] Veneris verba sunt, ad Amorem. Apud Verg. in I. Aen.

Frater vt Aeneas pelago tuus omnia circum
Litora iactetur——

CVM *te veneranda Numici Vnda Deum cœlo miserit indigetem.*] Ouid. in XIIII. Metam. idem ipsum de Aenea:

Perque leues auras iunctis inuecta columbis,
Litus adit Laurens: vbi tectus arundine serpit
In freta flumineis vicina Numicius vndis.
Hunc iubet Aenea quæcumque obnoxia morti
Abluere, & tacito deferre sub æquora cursu.
Corniger exsequitur Veneris mandata, suisque,
Quidquid in Aenea fuerat mortale, repurgat
Et respergit aquis; pars optima restitit illi.
Lustratum genetrix diuino corpus odore
Vnxit, & ambrosia cum dulci nectare mixta
Contigit os, fecitque Deum, quem turba Quirini
Nunc vocat Indigetem, temploque arisque recepit.

ECCE *super fessas volitat Victoria puppes.*] Fessas, tot erroribus. Victoriæ alatæ multa sunt Romæ hodieque monumenta. vt in Arcu L. Septimi Seueri, triumphis insigni. Ouid. in II. Tristium,

Sic adsueta tuis semper Victoria castris,
Nunc quoque se præstet, notaque signa petat.
Ausoniumque ducem solitis circumuolet alis,
Ponat & in nitida laurea serta coma.

Et in III. Amor.

Prima loco fertur sparsis Victoria pennis.

Apud Silium Italicum Virtus sic loquitur,

Mecum Honor, & laudes, & læto Gloria vultu,
Et Decus, & niueis Victoria concolor alis,
Me cinctus lauro perducit ad astra triumphus.

Nazarius in Panegyrico, Constantino Cæsari dicto, *Iam quidem lætitiam gestæ rei diffuderat fama velox, & ad celeritatem nuntij pinnata Victoria insequebatur.* In numismatis autem Augustorum sæpe ea nota visitur. Pausanias alatæ sæpe Victoriæ meminit, non alatæ etiam nonnumquam, vt in Atticis: Νίκης ἐστὶν ἀπτέρου ναός. Et in Laconicis: Καὶ Ἀθηναίας ... Et in Eliacis: ... Sed in Sfortiæ libro erat, Volitans, non Volitat. quod placet. vt volitantem dicat venire.

DIVA *superba.*] erat enim etiam in dis Victoria, cuius imago erat in Senatu. Aelius Lampridius in vita Alexandri Seueri: *Pater eadem nocte in somniis vidit alis se Romanæ Victoriæ, quæ in Senatu, ad cœlum vehi.*

RVTVLIS *incendia castris.*] in scriptis nonnullis, Rutilis. Forte Rutila, fulgentia dixit, vt Horat. in I. Carm.

——seu te fulgentia signis Castra tenent.

BARBARE *Turne.*] Barbare, idest, Latine. Rufus Festus Auianius, de Oris maritimis, *Gens Punicorum Mons quod altus barbaro, id est, Latino dicti, vt auctor Plautus est.* Loci apud Plautum insignes, in prologo Asinariæ, *Huic nomen Græce Onagros est fabulæ, Demophilus scripsit, Marcus vortit barbare.* Et in Captiuis, post iusiurandum: Νὴ τὸν Πραινέστην, ... *addit alter, Quid tu barbaricas vrbes iuras.* Sunt autem illæ vrbes Italiæ. Et Festus Pompeius in verbo, Vapula Papiria: *Plautus, inquit, in Feneratrice, Heus tu in barbaria quod dixisse dicitur liberta suæ patronæ, Ideo dico, liberta salue, vapula papiria.* In barbaria, est, in Italia. Plutarchus in ... Barbaros dicit Italos: ... βαρβάρους, ... γλώττας, ... διαιτας.

VICTASQVE *iacentes.*] vel cæco apparet, legendum, Vittasque.

CARPITE *nunc, tauri, de septem montibus herbas.*] Ouid. in I. Fast.

Hic, vbi nunc Roma est, tunc ardua silua virebat,
Tantaque res paucis pascua bubus erat.

ROMA *tuum nomen terris fatale regendis.*] Verg. in VI.

Tu regere imperio populos, Romane, memento.

QVA *sua de cœlo prospicit arua Ceres.*] in Florentino, Quaqua, non, Qua sua. Idem opinor dicere Dionysium Halicar. Romam terræ imperasse, quæcumque adiri, colique posset.

SOLIS *anhelantes abluit amnis equos.*] Amnem etiam in III. mare,

——cæruleo lauerat amne rotas.

TROIA *quidem tunc se mirabitur, & sibi dicet. Vos bene tam longam consuluisse viam.*] sententia mihi difficilis videtur. nec enim video, ad quos referatur, quod dicit, Vos. itaque illud mutabam in, Nos. vt de seipsa Sibylla dicat, vel de omnibus vatibus, quos Aeneas consuluerat.

SIC *vsque sacras innoxia laurus Vescar.*] in Vaticano, Laurus, accusandi casu, idque placet. Et in Florentino, Noscar, pro Vescar. Sed illud rectius. Dicebantur enim vates δαφνηφάγοι. qua de

re pluta Lycophronis interpres. Iuuenalis Sat. vii.

——neclit quicumque canoris
Eloquium vocale modis, laurumque momordit.

Et *aeternum.*] semper, aduerbium. Verg.

Salue aeternum mihi maxime Palla,
Aeternumque vale.

Et *te sibi, Phoebe, vocauit.*] antequam sortes ederet.

Iactavit *fusas & caput ante comas.*] Verg. in vi. de eadem,

Non comptae mansere comae.

In Vat. Fuscas, non Fusas. Sed hoc probabilius.

Iactavit *comas ante caput.*] nescio, an capitis illam rotationem sic significet, an potius dictis sortibus passis crinibus vultum texerit.

B Qvicqvid *Amalthea.*] Varronem in libris rerum diuinarum, quos ad Caesarem Pont. Max. scripserit, tradidisse aiunt, Amaltheam eandem Cumanam, eandem Demophilen, siue Herophilen. Tibullus aliam fecit Herophilem, eosdem, opinor, auctores secutus, quos Eusebius in Chronicis, qui Herophilen Samiam Sibyllam fuisse dicit.

Qvicqvid *Marpesia.*] praue omnino. cum vero in quibusdam veteribus libris, sit, Marmesia, constet autem, Sibyllam Hellespontiacam in Marinesso, agri Troiani vico, natam, leuiter mutandum: & pro Marmesia, legendum Marinesia, siue Marinessia. sin Marmesso vico nomen fuit, legendum, Marmessia.

C Herypхile.] alij legunt, Europhile: alij, Herophile, vt est apud Eusebium.

Grata, *quod admonuit.*] placet, quod in Vaticano, aliisque nonnullis, legitur, Grataque quod monuit. Saepe enim Moneo verbo in hoc genere optimi vtuntur auctores. Idem in i.

Et canit euentus, quos Dea magna monet, Et,
Diui vera monent.

Et Vergilius in ii. Aeneid.

——aut quem tum vates Cassandra moneret.

D Qvasqve *Albana sacras Tiberis per flumina sortes Portarit.*] dubitandum non est, quin haec de Tiburte Sibylla dicantur, quae nominabatur Albunea. quare Pontanus hoc loco Albunea legebat, vt posteriores duae syllabae coirent in vnam. vel legendum sit forte, Albuna. Sed in Florentino non, Quasque sed, Quotque.

Sicco *pertuleritque sinu.*] in Sfortiae libro, atque vno meo, Pertuleritque, quae vera est omnino lectio. Sicco sinu: id est, pedestri itinere. vt significet Romam venire solitos Tiburtinos vel secundo flumine, vel Tiburte via.

Hae *fore dixerunt.*] Haec in meis, non Hae. Huc autem superiora illa referuntur, ab illo versu, Quidquid Amalthea. vt vnam e Sibyllis, siue Erythream, siue quamuis aliam, laeta omnia praedixisse significet, has vero tristia.

Mvltvs *& in terras depluerit que lapis.*] in Vaticano in margine, pro, Multus &, Plurimus. In Florentino, In terris, non, In terras. Alij legunt, Multus vt in terras. quod mihi probabile videtur.

Atqve *arma ferunt strepitantia caelo.*] in meis, ac nonnullis aliis, Crepitantia. Vergilius in extremo i. Georg. similiter,

Armorum sonitum toto Germania caelo Audiit.

Et *lucos praecinuisse fugam.*] Vergilius

Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens.——

Ipsvm *etiam Solem defectum lumine.*] Vergil. de Sole,

——ille etiam caecos instare tumultus
Saepe monet, fraudemque, & operta tumescere bella.

Et *simulacra Deum lacrymas fudisse tepentes.*] Vergil.

Et maestum inlacrymat templis ebur.

Fataqve *vocales praemonuisse boues.*] Vergilius ibidem,

——pecudesque locutae.

Saepe cum Iulius Obsequens, tum alij scriptores, Bos locuta. Sed in Sfortiae libro, non Boues, sed Deos.

Prodigia *indomitis merge sub aequoribus.*] in mare deportabantur portenta & monstra, quae triste quid ostendissent.

Vt *succensa.*] in Sfortiae libro, atque vno meo, Et succensa. quod placet.

Crepitet *bene laurea flammis.*] Crepitare igni: vt & Vergilius in i. Georg.

Atque leuem stipulam crepitantibus vrere flammis.

Et in xii. de lauro,

Ac vel vti immissi diuersis partibus ignes
Arentem in syluam, & virgulta sonantia lauro.

Ouid. in i. Fast. crepitum eundem significans,

Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.

Et in iiii.

Vre mares oleas, taedamque herbasque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus adusta focis.

Verg. in Pharmaceutria, laurum adhibens,

Sparge molam, & fragiles incende bitumine lauros.

Lauream autem, idem, quod laurus. Sic apud Horat. atque alios.

Et *sacer annus eat.*] In Sfortiaco, ac duobus meis, non Eat, sed Erit.

Distendet *spicis horrea plena Ceres.*] Verg. de apibus in i. Aen.

——dulci distendunt nectare cellas.

Dolia *dum, magni deficiantque lacus.*] Dum, quoad dolia, lacusque deficiant, illa condendo, hi fundendo vino id est, Tantus erit prouentus vini, vt dolia, lacusque vincat, nec capiendo, atque condendo, satis esse possint. Dolia vero, quibus vinum condebatur, vasa erant fictilia, quorum hodie Romae visuntur imagines in veteri saxo, parieti domus Pompei Castellani impresso, via Sancti Martinelli. haec simillima, vel eadem E potius sunt iis, quas Romae vulgus Vettinas vocat.

Madidvs *Baccho.*] bene potus, ebrius. Id etiam Graecis significat, βρέχω.

Sva *festa Palilia pastor.*] in scriptis omnibus, Palilia, a Pale dea. De quibus Propertius in iv.

Vrbi festus erat, dixere Palilia patres,
Hic primus coepit moenibus esse dies.

Atque alibi,

Annuaque accenso celebrare Palilia foeno,
Qualia nunc curto lustra nouantur equo.

Levis

Levis *stipulæ.*] Verg. *Atque leuem stipulam.* A

Flammas *transilietque sacras.*] Genus expiationis.

Et *fetus matrona dabit.*] Pacis bona, quam Euripides propterea vocat κουροτρόφον θεάν.

Dabit.] edet. Verg.

—geminam partu dabit Ilia prolem.

Natusque *parenti Oscula compressis auribus eripiet.*] in Florentino, atque Sfortiaco, non Compressis, sed Comprensis. Quæ lectio potior. Sic Plautus in Pœnulo,

Sine te prehendam auriculis, sine dem suauium.

Atque alibi,

Prehende auriculas, compara labella cum labellis. B

Hoc osculi genus χύτρα Græcis dicitur. Iulius Pollux in x. Εἰδέναι δὲ σὺ φαῦλον ὅτι καὶ χύτρα φιλήματός τι εἶδος, ὅταν τὰ παιδία φιλεῖν τῶν ὤτων ἐπιλαμβανόμενα. Multa enim esse osculorum genera, significat idem Pollux, eodem in libro: Τὸ στόμιον, inquit, ὄνομα φιλήματος ἐν τοῖς Τηλεκλείδου Ἡσιόδοις μετὰ τῶν ἄλλων τινῶν εἰρημένον. Romæ, apud Episcopum Capranicensem in veteri monumento, Dis Manibus Zosimæ sacro, Cupido alatus, comprensis auribus, Zosimem ipsam deosculatur. Praue autem quibusdam in libris pro Auribus, legitur Naribus.

Tunc *operata Deo pubes discumbet in herba.*] C Verg. in i. Georg.

Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis.

Qua *leuis vmbra cadet.*] Sic Vergilius in iii. Georg. *Speluncæq; tegant, & saxea procubet vmbra.* Sed in melioribus libris, Cadit. idque rectius.

Aut *è veste sacris tendent vmbracula sertis.*] Sacris sertis: vt capita cum coronis tegantur desuper. Similiter Ouid.

—paci tentoria ponunt,

Desuper extentas imposuere togas.

Coronatus *stabit & ipse calix.*] in Sfortiæ libro, & Florentino,

—stabit & ante calix. D

Vel ex hoc loco, opinor, intellegitur, quid sit apud Verg. *—vina coronant.*

At *sibi quisque dapes, & festas exstruet alte Cespitibus mensas.*] in Florentino Aut, non At. Quod autem Extrui dapes etiam dixit, Plautus in Menæch. idem significans,

Ita est adulescens ipsus esca maxima,

Ceriales cenas dat, ita mensas exstruit,

Tantas struitias concinnat patinarias.

Standum est in lecto, si quid de summo petas.

Ingeret *hic potus iuuenis maledicta puellæ.*] sic, Maledicta ingerere, dixit, vt & Hora. in i. Ep. E

Tum pueris nautæ, pueri conuitia nautis

Ingerere.— Et Cl. Marius Victor in iii.

Qui maledicta tibi, conuitiáque ingeret.

Postmodo.] Eodem verbo Ouidius est vsus in iii. de arte amandi,

Postmodo riualem, partitáque fœdera lecti,

Sentiat.—

Et in i. de remedio amoris,

Vtilior velis postmodo ventus erit.

Et Propert. in ii.

Sentiat illa tuas postmodo victa manus.

Nam *ferus.*] In Sfortiæ libro, Iam ferus.

Mente *fuisse mala.*] Mente non sana. Seneca in iii. de beneficiis eodem modo, *Et, cum, malam mentem habuisse se pridie, iurasset.* Et Ou. Non bonã mentem, idem significans, dixit in ii. Amor.

Quid, quod in ancillam si quis delinquere possit

Illum ego contendi mente carere bona.

Pereant *arcus.*] in Sfortiaco, Pereãtq; arcus.

Hei *mihi.*] in omnib. scriptis libris, Heu heu.

Quam *multis ars dedit illa malum.*] nocuit. Quare illud, apud Pedianum,

Malum dabunt Metelli Næuio poëtæ.

Et *mihi præcipue.*] in Florentino, At mihi.

Taceo *cum saucius annum.*] qui anno toto taceo saucius.

Et *fauco morbo.*] indulgeo dolori.

Cum *iuuat ipse dolor.*] in Vaticano, ac nõnullis aliis, non Cum, sed Tum. legendum forte, Dum.

Vixq. *cano Nemesim.*] in Sfortiæ libro, Florẽtino, ac duobus meis, Vsq. cano. Nemesis eadem illa, de qua supra, & Martialis in viii.

Fama est arguti Nemesis formosa Tibulli.

Iustos *aut reperire pedes.*] Musicos pedes dicit Plin. in xxix. historiæ Naturalis: *Discesseruntq; scholæ, & omnes eas damnauit Herophilus, in musicos pedes venarum pulsu discreto per ætatum gradus.*

Nam *Diuum seruat tutela poëtas.*] Ouid.

At sacri vates, & Diuum cura vocamur.

Vt *Messallinum.*] in Vaticano, atque aliis, Et Messallinum.

Ante *suos currus oppida victa feret.*] Fercula pompæ triumphalis. Horat. in ii. Epist.

Captiuum portatur ebur, captiua Corinthus.

Nisi æs intellegit Corinthium. Sed in Vaticano, Geret, non Feret. In vno meo, Gerent, numero multitudinis. In Florentino, Ferent, eodem numero.

Ipse *gerens laurus, lauro deuinctus agresti, Miles.*] caussam adfert Festus Pompeius. *Laureati,* inquit, *milites sequebantur currum triumphantis, vt quasi purgati à cæde humana intrarent vrbem.* & quæ sequuntur.

Io *magna voce triumphe canet.*] in Vaticano, non Canet, sed Canat. Horat. in iv.

Túque procedis, Io triumphe

Non semel dicemus, Io triumphe,

Ciuitas omnis.

Tunc *Messalla meus.*] in nonnullis libris, Tum, non Tunc. quod est ipsum mollius.

Et *plaudat curru prætereunte pater.*] in Florentino non Pater, sed Parens.

Sic *tibi sunt.*] orat per ea, quæ propria sunt, atque æterna, more plane poëtico.

M. ANT. MVRETVS.

Phoebe *sane.*] Messallinum celebrat, cooptatum in collegium xv. virorum, ad quos cura librorum Sibyllinorum pertinebat.

Tua *templa.*] Sibyllinos enim libros, duobus auratis forulis condiderat Augustus sub Palatini Apollinis basi. Suetonius.

Ad *tua sacra.*] liber calamo exaratus, *ad tua templa.*

Chartas *vatis.*] Sibyllæ libros.

Hæc *fore credebat.*] Sibylla, vtpote futuri conscia, iam tum credebat Romam fore, cum

adhuc fumaret Troia.

Cum *mœstus.*] Æneas.

Fundaverat.] alij, *formauerat*: alij, *firmauerat.*

Sed *tunc pascebant.*] confer cum hoc loco, quæ scribit Propertius, principio lib. IV.

Impiger *Aenea.*] hæ sunt sortes, quas Æneæ Sibyllam dedisse dicit.

Lauros *vescar.*] laurum enim comedebant vaticinaturi. quod iampridem annotauerat Ludouicus Cœlius.

Quicquid *Amalthea.*) pendet è superioribus, vsque ab illis versibus,

Phœbe sacras Messallinum sine tangere chartas
Vatis; & ipse, precor, quid canat illa, doce.

nunc addit, non tantum doce eam, quid canat Sibylla Cumana, verum etiam, quicquid Amalthea, Marpesia, cæteræque dixerunt, ac quemadmodum exposuerat, quid Cumana cecinisset: sic hoc loco exponit, quid cæteræ dixerint: aitq; eas complexas esse versibus suis prodigia, quibus bellorum ciuilium tumultus, cæteræque calamitates portenderetur. Sciendum autem est, libros illos Sibyllinos, qui Romæ asseruabantur, non vnius Sibyllæ opus, sed è plurium Sibyllarũ carminibus concinnatum quiddam fuisse.

Amalthea.] Amaltheam & Cumanam eandem ex Varrone fecit Lactantius: & eam ipsam ait Demophilen, aut Herophilen vocari, vt appareat, Tibullũ alios auctores secutum. Marpesia autem Solonis & Cyri temporibus fuit.

Quasque *Albana.*] Albanam videtur dicere, quam alij Albuneam, genere Tiburtem.

Perlueritque.] putarim legendum, *pertulerisque.*

IANVS DOVSA FIL.

Et *cupidi ad ripas arma relicta dei.*] *Cupidi*, id est, amore incensi sic alibi,

Ipse dedit cupidis fallere posse deus.

Ipsum *etiam Solem defectum lumine vidit Iungere pallentes nubilus annus equos.*] Notandum hîc *pallentes equos* Soli tribui in defectu: contra nigros à Propertio. sic enim is lib. III.

Solis & atratis luxerit orbis equis.

vtrumque non sine ratione: hoc propter tenebras, quas inducit: illud propter colorem, quem induit. quamuis etiam *pallentes vmbras* de tenebris dixerit Virgilius in III. Georg. Verùm hic Tibulli locus non est intelligendus de deliquio illo, qui Lunæ interuentu fit; sed de prodigioso quodam ac longiore Solis defectu, qui fit a vaporibus ac nebulis adeò spissis, vt visus intercipiatur, ac Solis debile admodum lumen fit. qualem totius penè anni pallore continuo hoc ipso tempore de quo Tibullus loquitur, scilicet Cæsare dictatore occiso, accidisse testis est Plin. lib. II. Natu. Historiæ cap. XXX. Quod & doctrinarum omnium clarissimum lumen Ios. Scaligerum video notasse in lib. V. De emendatione temporum. vbi idem ex cœlestium motuum ratione subtilissimè computata probat nullam Solis defectioné, qualé vulgus opinatur in nostro hemisphærio visã eo anno, quo Cæsar interfectus est.

A

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Tibi *deditus augur.*] Liber scriptus, *debitus.* Horatius,

Debita nymphis opifex corona.

καθιερωθεὶς.

Et *captos sustinuisse.*] *Raptos* legendum docet historia.

Nondum *fundauerat.*] Vetus scriptura, & primæ editiones *formauerat.* Formæ architectonicæ quomodo dicantur vide in Ausonianis lectionibus.

B Lacte *madens illic.*] Nimirum quia pastorales Dij lacte spargebantur. Supra:

Et placidam soleo spargere lacte Palem.

Fistula *sacra Deo.*]

Aut arguta sacra pendebit fistula pinu.

Virgilius.

Cui *semper decrescit arundinis ordo.*] Ouid.

—— nam ponit in ordine pennas
A minima coeptas longam breuiore sequente,
Vt cliuo creuisse putes. sic rustica quondam
Fistula disparibus paulatim surgit auenis.

Exiguus *pulla.*] Lege, *pulsa.* Propert.

—— Lerna pulsa tridente palus.

C Virgilius, *—— Asia longe*
Pulsa palus. ——

Impiger *Aenea.*] Veteres editiones, & liber scriptus hîc alius elegiæ principium facit. quod sequi, nisi stolidi sumus, visum non est. Nam, vt alia taceam, quid habebant in animo illi, qui ita ex vna duas elegias fecerunt: qui non viderint claudi inuocatione Phœbi hanc Elegiam, vt ab eadem incepta est? Ridicule ergo & puerile ex vna duas efficere, quum aliter ne sententiæ quidem tenor constet.

Iam *tibi Laurentes adsignat.*] Post hoc distichon inserendum illud, Troia quidem tum se mirabitur. Nunc quæ sit eius

D sententia manifestum est. at in illis sedibus, quas illi editiones & scripti proxime ætatem auorum nostrorum libri assignarunt, quid sibi velit, equidem iuxta, vt inquit ille, cum ignarissimis scio. *Vos* ergo, hoc est, ô Ænea. Virgilius,

Vos ô Calliope precor adspirate canenti.

Legendum verò *longa via*, non *longam viam.*

—— & sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.

Dicet vos bene consuluisse sibi tam longa via.

Iactavit *fusas & caput ante comas.*] Inepte. E quasi potuerit alterum sine altero. Sed legendũ:

Iactauit fusa set caput ante coma.

Set pro *sed* dedit ansam errori. Hæc, inquit, dixit abreptitia illa, sed non prius inuocato Phœbi nomine, quam effusa coma caput iactaret. Nam fanaticorum hic erat mos, vt capillum funderent. Plautus:

Hariolus fiam: capillum promittam.

Quicquid *Marpesia.*] Per duplex *ss*, μάρπησσα. Eam cum Herophila eandem faciunt Græci, quum Marpessia sit cognomen à patria Marpesso vico Troadis. qua de re cui magis, quàm ipsi Herophilæ credemus ita de se caneti?

Εἰμὶ δ' ἐγὼ γεγαυῖα μέσον θνητοῖο θεᾶς τε
Νύμφης δ' ἀθανάτης, πατρὸς δ' αὖ κητοφάγοιο
Μητρόθεν ἰδογενής. πατρὶς δέ μοι ἐστὶν ἐρυθρὴ
Μάρπησσος μητρὸς, ἱερὴ ποταμός δ' Ἀϊδωνεύς.

Quare videntur quidam in hoc decepti in eandem culpam Tibullum induxisse. Amaltheam verò quidam Cumanam faciunt, quam vocatam aiunt Δημώ.

HEROPHILE.] Sacerdos Sminthei Apollinis fuit, in cuius luco sepulta fuit, vt ostendebat epigramma epitaphij,

Εἰδ' ἐγὼ ἁ Φοίβοιο σαφηγορὶς εἰμὶ Σίβυλλα
Τῷδ' ὑπὸ λαϊνέῳ σάματι κευθομένα,
Παρθένος αὐδάεσσα τὸ πρὶν, νῦν δ' αἰὲν ἄναυδος
Μοίρᾳ ὑπὸ στιβαρᾷ τάνδε λαχοῦσα πέδαν.
Ἀλλὰ πέλας νύμφαισι, καὶ Ἑρμῇ τῷδ' ὑπόκειμαι
Μοῖραν ἔχουσ' ἐκάτω τᾶς τότ' ἀνακτορίας.

QVASQVE *Albana.*] Liber noster, *Quodque Albana.* quod retinebis. Illud QVOD creberrimum in ea significatione Plauto. *Quod ille dicat, periisti.* *Albuna* autem, non *Albana* legendum. eadem est Albuneæ.

SACRAS *Tiberis per flumina sortes.*] Male hic quidam *Tiburs* pro *Tiberis.* Albuna detulit libros vaticinos Tarquinio. quas sortes vocat nunc. Ita Tiresias apud Euripidem Phœnissis:

Κλήρους τέ μοι φύλασσε παρθένῳ χερί,
Οὓς ἔλαβον οἰωνίσματ' ὀρνίθων μαθὼν
Θώκοισιν ἐν ἱροῖσιν, οὗ μαντεύομαι.

Interpres, *οἱ γὰρ οἰωνοσκόποι ἐν δέλτοις ἐσημειοῦντο τὰς πτήσεις, ἵνα διὰ μνήμης ἄγοιεν.*

HÆ *fore dixerunt.*]

Ἐν δὲ δύσει, ἀστὴρ λάμψει, ὃν ἐροῦσι κομήτην
Ῥομφαίας, λιμοῦ, θανάτοιό τε σῆμα βροτοῖσι.

in Sibilla.

MVLTVS *vt in terras.*] Noster, *Multus & in terra.* Lege etiam, *deplueres*, non *deplueris.*

ET *simulachra Deûm lacrimas fudisse tepētes.*] Vir.

Et mæstum illacrimat templis ebur, aráq; sudant.

Apollonius IV.

Ἢ ὅτ' αὐτόματα ξόανα ῥέῃ ἱδρώοντα
Αἵματι, καὶ μυκαὶ σηκοῖς ἔνι φαντάζονται.

Scholion: *ὅταν μέλλῃ τι συμβαίνειν χαλεπὸν, εἰώθει τὰ ἀγάλματα ἱδροῦν. ὥσπερ καὶ ἐν Θήβαις συνέβη ὅτε συνίστατο ὁ περὶ Χαιρώνειαν πόλεμος Φιλίππῳ πρὸς Ἀθηναίους.*

OSCVLA *compressis.*] Vetus mos scribendi *compreßis*, pro *comprensis*, vt COSS. pro *Consules*, CESS. pro *Censoribus* apud Varronem. *auribus* autem pro *naribus* emendasse nos olim testaretur, si viueret Gulielmus Canterus, cui olim adolescens ego id indicaram cum testimonio Aristophanis, quo ille nititur.

AVT è *veste sacras.*] Lege ex veteri libro,

Aut è veste sua tendent vmbracula sertis
Vincta. ——

Sertæ, quæ essent, diximus apud Varronem in prouerbio Sertam ducere. Nam sertæ sunt hic & ibi τὰ χέρια. Intelligit autem trichilas, de quibus olim in Copam diximus. Quod verbum primi in Cæsare exsuscitauimus, quum antea id ignoraretur. Beroaldus tam felici stoliditate eo loco deprauando lusit, vt omnibus hactenus persuaserit quod volebat. quanquam scio quosquam adhuc inuentis frugibus βαλανηφαγῶν. quod quidem per me faciant licet. Imò, si volunt, σ-σκοροφαγῶν, me auctore faciant, censeo, modo μετα-φαγεῖ id faciant. Nan me sane conuiuam non habebunt.

CONSTRVET *alte.*] Quidam scripti, *Construet ante.*

TACEO *quum saucius annum.*] Lego, *iaceo quum saucius.*

VERBA *potest.*] Huc traducenda duo disticha, quæ in sequenti elegia ordine leguntur, ACER AMOR FRACTAS. Hoc enim continuandum cum iis, quæ superius dixit:

Pace tua pereant arcus, pereántque sagittæ
Phœbe, modo in terris erret inermis Amor.

Quam enim apte nunc illa eo referentur? *Acer amor vtinam,* &c. Sane vbi hodie legũtur illi quatuor versus nec sibi nec alteri prodesse possunt.

MILES *io magna voce triumphe canet.*] Sine dubio legendum *Canam.* Ipse ego miles canam. Tamen si receptam lectionem tueri volumus, id non sine magna verisimili caussa nobis licebit facere.

SIC *tibi sint intonsi Phœbe capilli.*] Hæc manifesto ostendunt vnam perpetuam esse elegiam ab eo principio, *Phœbe faue.*], quum in eadem re desinat, à qua initium fecit. Quare non sine rubore qui aliter sentiunt hæc lecturos puto.

ELEGIA VI.

CASTRA Macer sequitur, tenero quid fiet Amori?
Sit comes & collo fortiter arma gerat.
Et seu longa virum terræ via, seu vaga ducent
Æquora, cum telis ad latus ille volet.
Vre puer quæso, tua qui ferus otia liquit,
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quòd si militibus parces, erit hic quoque miles
Ipse, leuem galea qui sibi portet aquã.
Castra peto, valeátque Venus, valeántque puellæ.
Et mihi sunt vires, & mihi facta tuba est.
Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausæ fortia verba fores.
Iuraui quoties, rediturum ad limina nunquam.
Cùm bene iuraui, pes tamẽ ipse redit.
Acer Amor fractas vtinam tua tela sagittas,
Si licet, exstinctas aspiciámque faces.

Tu miserum torques, tu me mihi dira precari A
Cogis, & insana mẽte nefanda loqui.
Iam mala finissem letho: sed credula vitam
Spes fouet, & fore cras semper ait melius.
Spes alit agricolas: spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fenore reddat ager. B
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cùm tenues hamos abdidit antè cib.
Spes etiã valida solatur compede vinctũ:
Crura sonãt ferro, sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesim spondet mihi: sed negat illa.
Hei mihi, ne vincas dura puella Deã.
Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis,
Sic bene sub tenera parua quiescat humo.
Illa mihi sancta est, illius dona sepulcro,
Et madefacta meis serta ferã lacrymis.
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata querar cinere.
Non feret vsque suum te propter flere clientem.
Illius vt verbis sis mihi lenta, veto.
Ne tibi neglecti mittant mala somnia Manes,
Mœstáque sopitæ stet soror ante torũ.
Qualis ab excelsa præceps delapsa fenestra
Venit ad infernos sanguinolẽta lacus.
Desino ne dominæ luctus renouentur acerbi.
Nõ ego sum tanti, ploret vt illa semel.
Nec lacrymis oculos digna est fœdare loquaces.
Lena nocet nobis: ipsa puella bona est.
Lena vetat miserum Phryne, furtímque tabellas
Occulto portans itque, reditque sinu.
Sæpe ego cum dominæ dulces à limine diro
Agnosco voces, hæc negat esse domi.
Sæpè vbi nox promissa mihi est, languere puellam
Nũtiat, aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis: tunc mens mihi perdita fingit,
Quisve meam teneat, quot teneátve modis:
Tunc tibi lena precor diras. satis anxia viuas,
Mouerit è votis pars quotacunque Deos.

BERN. CYLL. VERON.

Castra *Macer sequitur, tenero quid fiet amori?*] hoc elegidio tria complectitur: de Macro proficiscente in militiam relicta puella loquitur: tum Nemesim rogat, ne ea se sibi inexo-
C rabilem præstet: demum Phyrnes lenunculę calliditatem detestatur. Macer autem fuit Tibulli familiaris, ad quem Ouidius scribit de Ponto: sed fuerit ne hic Macer Romanus an Veronensis ignoratur. Possumus tamen augurari eum ipsum fuisse Æmilium Macrum ciuem nostrum, qui (teste Eusebio lib. Temporum) in Asia diem vltimum obiit: fuit enim eadem tempestate qua Tibullus.

Vaga.] fluctuantia.

Pver.] Cupido, & est sermonis apostrophe.

Svb *tua signa.*] diximus alibi otium amatorium vocari à poëtis expeditionis cuiusdam ge-
D nus, & militiæ. Ouid. de arte amandi I.

Qui noua nunc primum miles in arma venis.

Et in eiusdem operis III.

Militiæ species amor est, discedite segnes,
Non sunt hæc timidis signa petenda viris.

Ob hoc enim Hora. Carm. III. renuncians amoribus inquit,

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militaui non sine gloria.

vnde Porphyrio commentator vult Horatium per allegoriam bella & militiam Veneris pro amoribus dicere. Sic enim quartus Carm. liber incipit,

E *Intermissa Venus diu*
Rursus bella moues. ——

Erronem.] vagabundum hominẽ dicimus erronem ab errando. Sic Sappho ad Phaonem:

At vos erronem tellure remittite nostrum.

Sed Vlpianus lib. Digestorum XXI. refert errone ita à Labeone diffinitum, *non quidem qui fugit, sed qui frequenter sine causa vagatur, & temporibus in res nugatorias consumptis serius ad dominum redit.* Iccirco Horatius alludens ad seruilem conditionem Sermonum II. ait:

—— *téque ipsum vitas fugitiuus, vt erro.*

ITERVM *voca.*] aut iterum, quoniam semel alias aberrare voluerit: aut iterum voca pro reuoca dictum.

POTET *galea.*] galea militis est poculum. Statius Thebaidos III.

Hostilem Ismenium galea Dircénque bibemus.

Et Propertius Eleg. III. ad hanc sententiam,

Tu tamen intecta rectus vesane lacerna,
Potabis galea fessus Araxis aquam.

VALEATQVE *Venus.*] non valeat. i. pereat Venus, sed discedat tanquam à se nunquam amplius conspicienda & diligenda. Nam valere ab ὑγιαίνω deductū: quod est saluus sum, vdicti potest. vnde Apollinem οὔλιον Milesij, Delijque vocitarunt, id est, saluatorem.

FORES *clausa.*] exclusio amantem vsq; adeò affligit, vt nihil putetur in amore grauius. Hîc verò instabilitas amantium ponitur: qui nunc vnum quid sibi proponunt, nunc aliud eligunt: nam ab omni deficiunt proposito, vt Terentius facunde complectitur.

SPES *credula.*] ideò credula quod homines credulos facit de euentu fortunæ meliori: qua sola ridiculi sunt omnes amatores.

FOENORE.) reditu: fœnus est terræ prouentus à fundo, fundis: posteà ad pecuniam translatum est. Varro à fœtu deductum vult: vnde fœneror & fœnero & fœnerator. A. Gellius Cloatium risit noc. Att. XVI. qui fœneratorem appellatum dixit quasi φαινεράτωρ, quod scilicet id genus hominum speciē ostentent humanitatis, & commodi esse videantur inopibus nummos desiderantibus, quasi apparentes ad humanitatem præstandam.

LAQVEO.] nodo, casse.

ARVNDINE.] hamo infixo calamis. Est autem hamus genus curui vnci & pusilli, à quo hamatus, curuatus. prima huius est naturaliter producta. Sed si instrumentum ferreum significet, quo diuitum arcæ nummariæ obsepiuntur, ne res facilis apertu surripiatur, eadem corripitur. Iuuenalis Satyrarum quinto:

Dispositis prædives hamis vigilare cohortem.

Posset etiam liquescere, vt

- inter se coisse viros & decernere ferro.

CIBVS] esca piscatoria.

VALIDA *compede.*] compes vinculum cuius arctura rei custodiebantur seruuli ad ergastula missi. ea erant officinæ vbi opus illi facere cogebantur: ab ἐργάζομαι operor, vel ἔργον τίνω opus mitto. Iuuen. Satyra IV.

Squallidus in magna fastidit compede fossor.

ferrea boia.

INTER *opus.*] dum operatur. & est pulchra Latinitas inter opus propter operandum, vt super opus. Statius Thebaidos II.

Et super externas licuit cognoscere mensas.

DEAM.] Spem ipsam, quam non secus atq; Fortunam deam facimus.

OSSA *immatura.*] mortem intempestiuam, & ante diem venientem.

SOROR.] ipsius quidem Nemesis soror germana, cùm è fenestra decidisset, è vita repente excessit: statim namque subiicitur,

Qualis ab excelsa. &c.

A quare notandum quod Plantiades Fulgentius scribit choragium esse virginale funus. Apuleius in Metam. *Choragio itaque perfecto omnes domuitionem parant. Suggrundarium antiqui dicebant infantium sepulchrum, qui necdum XL. dies implessent, nec busta dici poterant, quoniam ossa quæ comburebantur, non erant, nec tanta immanitas cadaueris qua locus tumesceret. vnde Rutilius Geminus in Astianactis Tragœdia ait: Melius Suggrundarium miser quæreres, quàm sepulchrum.*

HVMO *tenera.*] leui & facili. Nihil enim mortuis (vt semel atq; iterum suprà memorauimus) B deprecari viui poterant, quàm vt bene placidéque quiescerent. Ouid. in Elegia lamentatoria de Tibulli obitu,

Ossa quieta precor, tuta requiescite in vrna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

MVTO.] extincto.

FERET.] patietur.

SVVM *clientem.*] se dicit clientem quod illius amoribus olim fuerit deditus, vt Ouidius I. de arte amandi,

Qui modo patronus nunc cupit esse cliens.

Cliens est quasi coliens dictus á colendo: qui & assecla alio nomine vocatur ab assequendo. Iuu. C Satyrarum III.

Vos humili assecla, vos indulgebitis vnquam
Cultori. ——

sed sicut cliens dicitur amator respectu amatricis: ita & domina puella ipsa dicitur patrona respectu clientis per correlationem. Catullus,

Qualecunque quod hæc patrona virgo.

SOMNIA *mala.*] nocturnæ apparitiones malæ, quod homines perterrefaciant in somnis.

VENIT.] iuit. venire est ire, & è contrà. Statius Achilleidos primo,

Tum pater ire iubet natas. ——

RENOVENTVR.] recrudescant.

D DOMINÆ.] sorori ipsius Nemesis, quæ Tibulli domina. i. amica fuit.

OCVLOS *loquaces.*] amantium ocelli dicuntur loquaces, quod in notis assignandis vocis vim habent.

FOEDARE.] maculare, turpare. fletus quidem continuus faciem perdit, & genarum nitorem tollit.

BONA.] tractabilis.

LENA *nobis Phryne.*) nomen est lenæ idoneū: namque (vt in historiis legimus) Phyrne fuit scortum Athenis nobile, quæ cum adulescentibus pacta est se Xenocratis constantiam labefa-E ctare posse.

TABELLAS.] literulas: nam antiqui in pugillaribus scribebāt, a quo ritu mansit vt literas vocemus tabellas. Vitelliani autem sunt pugillares amatorij. Martial. in Distichis:

Nondum legerit hos licet puella,
Nouit quid cupiant Vitelliani.

QVOTACVNQVE.) id est minima. à quotus quotacunque deducitur, & pro paruo vsurpatur, habita in re diligenti ratione.

ACHILLES STATIVS.

CASTRA *Macer sequitur.*] is est Macer, de quo Ouid. II. Amor.

Nos Macer ignaua Veneris cessamus in vmbra.

Et Sueton. in Cæsare dictatore: *Quos omnes libellos vetuit Augustus publicari in ea epistula, quam breuem admodum ac simplicem, ad Pompeium Macrum, cui ordinandas bibliothecas delegauerat, misit.* Loquitur autem eodem modo Lucan.

Nulla fides pietásque viris, qui castra sequuntur.

TENERO *quid fiet amori.*] sic sæpissimè sunt optimi Latinitatis auctores locuti. Plautus in Bacchidib.

—— quid fiet mihi postea.

Lucretius in primo,

—— quid fiet denique telo. Et Cicero *Diodoto quid faciam.*

ARMA *gerat.*] In Sfortiæ libro, Ferat, non Gerat.

SEV *vaga ducent Aequora.*] in eodem libro, non Vaga, sed Mala.

TVA *qui ferus otia liquit.*] In Sfortiæ libro, Linquit. Otia verò, quia Venus, vt ait Ouidius, otia amat. & hoc præcipuum amoris remediũ, militare & res agere.

ATQVE *iterum erronem.*] non displicet Vaticani libri lectio, Et verum erronem.

PARCES.] In Florentino, Parcis.

LEVEM *galea qui sibi potet aquam.*] In omnibus scriptis libris, Pottet, non Potet. quanquam illo modo Propert.

Potabis galea fessus Araxis aquam.

LEVEM *aquam.*] vilem. Horat.

Et spondere leui pro paupere.

Vilem autem, alibi. In I. Serm.

—— venit vilissima rerum
Hic aqua. ——

In Florentino tamen, Leui galea.

LOCVTO.] In Sfortiæ libro, Loquenti.

TV *me mihi dira precari.*] In Sfortiæ libro, non Dira, sed Cura. Legendum fortè Dura. Sic Caluus apud Probum,

Mens mea dura sibi confingens omnia vecors.

Est autem idem omnino, quod Mala. Sequitur enim, *Iam mala finissem leto. ——*

Et Horatius,

Durum, sed leuius fit patientia. &c.

Atque idem alibi iungens,

Dura fugæ mala, dura belli. ——

Et Vergilius in VIII.

Multáque dura suo tristi cum corde putabant.

IAM *mala finissem leto.*] quod esse putabant misero remedium facillimum. Euripid. in Hippol. coronato.

Ταχὺς γὰρ ᾅδης ῥᾷστος ἀνδρὶ δυστυχεῖ.

SED *credula vitam Spes fouet.*] Ouid.

Spes bona dat vires, animus quoque pascitur illa.

Multa, ab optimis auctoribus in hanc dicta sententiam, in vnum collegit studiosissimus iuuenis, mihique amicissimus, Aldus Manutius, Pauli F. in suis in Sallustij Catilinam eruditis Scholiis.

ET *melius cras fore, semper ait.*] In vno meo,

A ac Florentino,

—— & fore cras semper ait melius.

In altero item meo, & Vaticano,

-- Et semper cras fore ait melius.

Simile illud Theocriti,

Θαῤῥεῖν χρὴ φίλε Βάττε, τὰ δ' αὔριον ἔσσετ' ἄμεινον.

Plautus in Cistellaria,

Gy. Bono animo es. erit isti morbo melius. Si. confidam fore,
Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest.
Gy. Veniet. Si. spissum istud amanti est verbum,
Veniet, nisi venit. ——

B Et Cicero in VI. Epist. ad Cæcinam, *Melius exspectans, sic dixit.*

SPES *sulcis credit aratis Semina.*] Horatius in I. Epist.

Spem mentita seges. ——

QVÆ *magno fenore reddat ager.*] Ouidius in I. de rem. amoris,

Obrue versata Cerealia semina terra,
Quæ tibi cum magno fenore reddat ager.

Et in II. de arte amandi,

Credita non semper sulci cum fenore reddunt.

Manil. in V. Astron.

Nec solum terræ spem credit inania vota.
Aruorum ingenerat studium, rurísque colendi,
C *Semináque in fenus sulcatis reddere terris,*
Vsurámque sequi maiori sorte receptis
Frugibus innumeris.

SPES *etiam valida solatur compede vinctum: Crura sonant ferro, sed canit inter opus.*] fossorem, opinor, intellegit. Ouidius,

—— vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero cum graue mollit opus.

Inter opus, sic etiam posuit Columella, de cultu hortorum,

Et secum gracili connectere carmina filo,
Quæ canat inter opus musa modulante putator
Pendulus arbustis, olitor viridantibus hortis.

D DVRA *puella.*] In Florentino, Bella puella.

DEAM.] Spem.

PER *inmatura tuæ, precor, ossa sororis.*] per ipsam mortuam ἀώρως. Sic Horatius in secundo Sermonum,

Filius inmaturus obisset.

INMATVRA *ossa.*] id est, per ante diem versam in ossa. Idem alibi,

Sic ego componi versus in ossa velim.

Inmatura ossa, mortem significant inmaturam. Sic Propertius, Inmaturum mortis iter dixit in III.

Per te immaturum mortis adimus iter.

FVGIAM.] confugiam.

E CLIENTEM.] cultorem. Horat. in II. Epist.

—— & fugit vrbes
Rite cliens Bacchi. ——

ILLIVS, *vt verbis.*] intellegi fortasse etiam possit, Tanquam illius verbis.

SIS *mihi dura veto.*] In Sfortiæ libro, Lenta, non Dura.

MITTANT *mala somnia Manes.*] in eodem libro, Noua somnia. Verg. in VI.

Sed falsa ad superos mittunt insomnia Manes.

FENESTRA.] Vat. Sagitta. prauè, opinor.

DESINO.] in Sfortiæ libro, atque vno meo, Desine. vt sit apostrophe ad seipsum, Qua sanè apostrophe vsus idem in I. dixit,

Desine dissimulare Deus crudelius vrit,
Quos videt inuitos succubuisse sibi.

NEC *lacrymis oculos digna est fœdare loquaces.*] Cicero in I. de legibus: *Nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo adfecti simus, loquuntur.*

LENA *nocet nobis: ipsa puella bona est.*] Bona est: fauet. Sic Vergilius,

Sis bonus ô, felixque tuis. ——

FVRTIMQVE *tabellas Occulto portans itq́, redítque sinu.*] Sinu enim fere scripta portabant feminæ. Idem antè,

Quasque Albana sacras Tiberis per flumina sortes,
Portarit, sicco pertuleritque sinu.

Ouidius ancillarum, & lenatum hoc significans ministerium, in I. de arte amandi,

Si tamen illa tibi, dum dat, recipitque tabellas,
Corpore, non tantum sedulitate placet.

Et in tertio,

Conscia cùm possit scriptas portare tabellas,
Quas tegat in tepido fascia lata sinu.

Et quæ sequuntur.

SÆPE, *vbi nox promissa mihi est.*] in Sfortiæ libro, atque vno meo,

Sæpe vbi nox, mihi promissa est. —

Et Ouid. in II. de arte amandi,

Clausa tibi fuerit promissa ianua nocte.

TVM *mens mea.*] in scriptis omnibus, Tum mens mihi.

TVNC *tibi, lena, precor diras.*] Distinguendum hoc loco. sequuntur enim diræ.

M. ANT. MVRETVS.

AD *latus ille volet.*] anteà legebatur, *ad latus ire volet.* ego, (verum enim fatebor,) coniectura tantum fretus, (nam veteres libri hac quidem in parte cum vulgatis consentiebant) scribendum curaui, *ad latus ille volet.* neque mihi vllo modo dubitandum videtur, quin ita legendum sit.

ET *mihi grata tuba est.*] alij, *& mihi facta tuba est.* ego, in veterum librorum discrepantia, eam scripturam secutus sum, quæ mihi probabilior visa est.

SCILICET *extinctas.*] Legendum puto, *Si licet.*

LENA *vetat miserum Phyrne.*] sic anteà legebatur. Sed ego, quanquam vetustis libris repugnantibus, statui legendum *Phryne.* eodem modo corruptum est nomen hoc alicubi apud Propertium, vt suo loco dicetur.

IANVS DOVSA FIL.

IPSE, *leuem galeâ qui sibi portet aquam.*] Omnino hæc vera est huius loci lectio, non illa altera quam impressi quidam præferunt, *potet aquam.* Quamuis enim Propertius dixerit,

Potabis galea fessus Araxis aquam.

tamen hîc otiosum fuerit illud *sibi*, nisi legamus *portet.* Adiuuat in partem Claudianus in Panegyrico de III. Consulat. Honorij:

Nec non in clypeo vigiles perducere noctes,
In galeâ portare niues. ——

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

SIT *comes & collo.*] Vix est, vt vulgo bene intelligantur, quia pessimè interpunctionibus accepta sunt, vt totam mentem Tibulli dissimularint. Nos autem ita emendamus & distinguimus,

Si comes, & collo fortiter arma geret.
Et, seu longa virum terræ via, seu vaga ducent
Aequora, cum telis ad latus ire volet.
Vre puer quæso, tua qui ferus otia liquit.

Si, inquit, armiger esse vult, hoc est, Cacula militaris, & pedestri, an marino itinere, cum telis sequi militem herum volet, vre eum. Hæc profecto ita scripsit Tibullus, & in inuidiam castrensis, & militaris vitæ caculam eum potius, quam militem dicit. Non potest dici quam diuersam sententiam hæc concipiant in vulgatis editionibus.

QVOD *si militibus.*) Eædem importunæ interpunctiones totam sententiam horum quoque versuum interpolarunt. quos ita leges:

Quod si militibus parces, erit hic quoque miles
Ipse, leuem galea qui sibi portet aquam.
Castra peto. ——

Quod si non Cacula militaris, quod genus militiæ ærumnosissimum ac laboriosissimum est, sed iustus miles erit, ego quoque castra peto, si modo, inquam, ille miles erit, quod parces illis, id est, quod illi meliore sunt conditione, quàm serui militares. Est autem Macer ornithogoniæ, & aliorum poëmatum scriptor, municeps Catulli.

PORTET *aquam.*) Ita ex veteri scriptura repono.

QVVM *bene iuraui.*) Post hunc versum reuocandi huc sunt exules illi versus, quorum numero quatuordecim sunt disticha in Elegia RVRA TENENT. Eorum initium est: AT TV QVISQVIS IS ES. Nunc, qui dicebat se militaturum, posteà victus animi eandem militiam detrectauit, idem quoque suadet cuilibet amanti, nempe vt in vrbe sub signis amoris militet, non in castris. At tu, inquit, quicunque es sub imperio amoris, in contubernio nostro milita. Eandem enim militiam sub eodem duce Amore sequimur.

PRÆDA *tamen multis est operata.*) Rectè, *operata.* hoc est functa. Vt functa sacris, & operata, idem est. & functiones, & operationes, idem.

MORS *propiórque venit.*) Excerpta:

— *Morsque propinqua venit.*

BELLICA *quum dubiis.*) Concinnius in nostris Excerptis:

Quum tribuit dubia bellica rostra rati.

OBSIDERE *campos.*) Codex infimæ vetustatis, *obsistere.*

VT *multo innumeram.*) Codex infimæ vetustatis, item Excerpta habent,

Vt multa innumera iugera pascat oue.

hoc est, vt multos scripturarios agros habeat.

PORTATVR *validis multa columna.*] Lege ex veteri libro, *mille columna iugis.*

AT *tibi læta trabant.*] Eclogaria membrana vetus habebat, *At mihi.* & fortasse melius. vt Horatius,

Me cichorea, leuésque maluæ
Pascunt. ——

SOLIS *& admotis inficit Indus equis.*] Propert.

Quos Aurora suis rubra colorat equis.

Theodectes poëta:

Ἧς ἀγχιτέρμων ἥλιος διφρηλατῶν
Σκοτεινὸν ἄνθος, διέχρωσε λιγνύος
Εἰς σώματ' ἀνδρῶν, καὶ συνέστρεψεν κόμας,
Μορφὰς ἀναυξήτοισι συντήξας πυρός.

NOTA *loquor. regnum ipse tenet.*] Hoc argumentum tractauit lepidissimus Anacreon. cuius verba hunc locum non parum illustrant:

Πρὶν μὲν ἔχων βερβέριον καλύμματα
Ἐσφηκωμένα καὶ ξυλίνους ἀστραγάλους ἐν ὠσὶ
Καὶ ψιλὸν περὶ πλευρῇσι βοὸς νεόπλυτον
Εἴλυμα κακῆς ἀσπίδος,
Ἀρτοπώλισι καὶ ἐθελοπόρνοισιν
Ὁμιλέων ὁ πονηρὸς Ἀρτέμων
Κίβδηλον εὑρίσκων βίον,
Πολλὰ μὲν ἐν δουρὶ τιθεὶς αὐχένα,
Πολλὰ δ' ἐν τροχῷ,
Πολλὰ δ' ἐν νώτῳ σκυτίνῃ
Μάστιγι θωμιχθείς, κόμην
Πώγωνά τ' ἐκτετιλμένος.
Νῦν δ' ἐπιβαίνει σατίνη χρύσεα
Φορέων καθέρματα παῖς Κύκης
Καὶ σκιαδίσκην ἐλεφαντίνην
Φορεῖ γυναιξὶν αὔτως.

QVEM *sæpe coegit.*] Sæpius redhibitus propter vitiositatem. consule Ædilitium Edictum.

A Claudianus primo in Eutropium:

—— *discrimina quædam*
Sunt famulis splendórq; suus: maculamq; minorē
Conditionis habet, domino qui vixerit vno.

Lege reliqua, quæ diuinitus dicta hunc locum illustrant. Actio Athenis, quæ concepta erat de redhibendo mancipio, dicebatur ἀγωγὴ δούλου.

FERRE *catasta.*] Ridicule quidam magni nominis catastam compedem ligneam interpretatur. An non legit in suis martyrologiis catastæ ferreæ martyres imponi?

IAM *mala finissem leto.*] Excerpta gnome hanc periodum comprehendunt:

B *Finirent multi leto mala. credula vitam*
Spes fouet. ——

Quod melius. Hinc autem alia Elegia incipit.

SPES *etiam valida solatur.*] Vetus poëta primo libro Catalectorum à nobis editorum:

Captiuus duras illa solante catenas
Perferet, & victos vincere posse putat.
Noxius infami districtus stipite membra
Sperat & à fixa posse redire cruce.
Spem iussus præbere caput palóque ligatus,
Quum micat ante oculos stricta securis, habet.
Sperat & in sæua victus gladiator arena,
Sit licet infesto pollice turba minax.

NE *vincas dura puella deam.*] Dea Spes.
C Theognis:

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστι.
Ἄλλοι δ' Οὔλυμπον δ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.

Ouidius hoc distichon vertit.

Spes igitur pœnæ menti, Gracine, leuanda
Non est ex toto nulla relicta mea.
Hæc Dea, quum fugerent sceleratas numina terras,
In diis inuisa sola remansit humo.

FINIS.

ALBII TIBVLLI EQVITIS ROMANI LIBER III.

ELEGIA I.

MARTIS Romani festæ venêre Kalendæ.
Exoriens nostris hic fuit annus auis.
Et vaga nunc certa discurrunt vndique pompa,
Pérque vias vrbis munera, pérque domos.
Dicite Pierides, quonam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen?
Carmine formosæ, pretio capiuntur auaræ:
Gaudeat, vt digna est, versibus illa meis.
Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum,
Pumex & canas tondeat antè comas:
Sũmáq. prætexat tenuis fastigia chartæ,
Indicet vt nomen littera facta tuum:
Atque inter geminas pingantur cornua frontes,
Sic etenim comtum mittere oportet opus.
Per vos auctores huius mihi carminis oro,
Castaliámque vmbram, Pieriósque lacus,
Ite domum, cultúmque illi donate libellum,
Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referet, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.
Sed primùm meritam larga donate salute,
Atque hæc submisso dicite verba sono.
Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit, &, accipias munera parua, rogat.
Téque suis iurat caram magis esse medullis,
Siue sibi coniux, siue futura soror.
Sed potius coniux: huius spem nominis illi
Auferet exstincto pallida Ditis aqua.

BERNARD. CYLLÆN. VER.

MARTIS *Romani festa venêre Calendæ.*) Tertius opusculi totius liber hinc initiũ habet, qui breuiora Elegidia continet ad Neæram tertiã post Deliam, & Nemesim dominas perscripta. In hac omnium prima quod munus ad amicam miserit declaratur: sed quoniam fœminarum aliæ munera pretiosa quærunt, aliæ magis versibus oblectantur, ipse seu dubitabundus Musas interrogat: & velut ab eis accepto consilio, quod & ipsemet anteà videtur nouisse, libellum quendam canticis heroïcis à se compositum, & eleganter à compaginatore exornatum destinat. Sanè apud antiquos fuit consuetudo, vt Martiis Calendis, qui dies (vt Porphyrio Carminum III. testatur) Matronarum festus dicitur, ad amicas amatoria munera mitterẽtur:

Quod Iuuenalis Satyrarum IX. tetigit dicens,

—— aut madidum ver
Incipit, & strata impositus longáque cathedra
Munera fœmineis tractas secreta Calendis.

Nec Iuuenalis tantum meminit, verùm etiam alij permulti, quos inter Valerius Martialis Epigrammaton Graphiarcos est qui ait ad Gallam,

Scis certe puto vestra iam venire
Saturnalia, Martias Calendas,
Tunc reddam tibi Galla quod dedisti.

Idcirco Horat. Flaccus Carminum III. ad Mœcenatem scribēs se purgat, quod Calendas Martias, cùm non sit sibi vxor celebret,

Martiis cælebs quid agam Calendis,
Quid velint flores, & acerra thuris
Plena, miraris, positúsque carbo in
Cespite viuo.

Huius constituti rationem Ouid. Fastorum III. enarrat quoniam quidem Sabinæ pacem inter Romanos & Sabinos composuerunt, vel quoniam Ilia Rhea Siluia mater de Marte bene merita est: cuius in honorem matres Romanæ rectè colunt sacra, diémq; Martis mensis primum: vel Pompeio teste, quod eo die Iunonis ædes coli cœpta sit. Festæ ergo Calendæ erant. i. primus mensis dies. Ouidius in præallegato loco:

Inde diem qui prima meas celebrare Calendas,
Oebaliæ matres non leue munus habent.

Exoriens *nostris hic fuit annus auis.*] secundum Romuli dispositionem Martius totius anni primus mensis est habitus: dicente Ouidio, lib. eodem,

A te principium Romano ducimus anno
Primus de patrio nomine mensis eat.

Et *vaga nunc certa discurrunt vndique pompa.*] Vaga munera ideò dictum, quod huc illuc discurrunt, & certa pompa pro apparatu annuatim statuto, vel ad amicas destinato sine dubitate. Pompa enim ἀπὸ τοῦ πέμπω. i. mitto Latinè dicitur.

Honore.] honorabili munere: & est capta consultatio ad collegium Musarum, vt digna quippe formositate præstat, & ab auaritia procul est.

Membrana *lutea.*] membranā dicit coriū aut pellem rubei quasi coloris. Membrana enim dicta est, quod ab animalium membris educatur, & olim pro charta habita est. Posteà verò vocata pergamena, vbi Pergami rex Attalus Romam misit multitudinem membranarum, ob chartarum inopiam. Graphicè autem scribit librum compaginatum à bibliopola, quem dono mittit ad Neæram, non exornatum modo quantum ad pumicationem & vmbilicorum conglutinationem polite factam, sed etiam ad malleationem. Malleati enim libri dicūtur vulgo stampati. Vnde Vlpianus XXXII. Digestorum inquit: *Sed præscripti libri nondum malleati vel ornati.*

Pumicet.] pumice poliatur. Nam Plinius in Naturali historia dicit pumicem ad polliendos libros aptissimum. Catullus,

Arido modo pumice expolitum.

Tondeat *canas comas.*] abradat eminentias libri extrinsecus.

Littera *facta.*] s. in ea parte libri quæ con- A detur, quam ipse vocat summa fastigia.

Indicet *nomen.*] antiquorum more & Græcorum indicet, qui inter vtramq. tabellam compositæ parti scribebant libri nomen & auctoris. rectè enim indicet, id est, manifestet: nam index, id est, titulus ab indico venit.

Pingantur *cornua.*] id est, versicoloris fiant: puta auri oblinimento, seu auripigmento & minio, & huiusmodi coloribus.

Frontes *geminas.*] libri capita vtrinque existentia metaphoricè frontes vocat: libri maxima cura exornabantur, vt poëta significat, & Ouidius infortunium suum notans ait ad li- B brum,

Vade sed incultus, qualem decet exulis esse,
Infelix habitum temporis huius habe.
Nec te purpureo velent vaccinia succo:
Non est conueniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur
Candida, nec nigra cornua fronte geras.

Auctores.] fœminino genere protulit. Est auctor is qui potestatem habet alicuius rei faciendæ: vel cuius ductu quidpiam fit. & est obsecratio aptè posita.

Castaliam *vmbram.*] id est, amœnum Castalium. nam fontes & flumina arboribus obsita sunt delectabilia. Castalius fons est Bœotiæ Musis consecratus, circa quem magnas ar- C bores nasci dixit Lactantius grammaticus: vnde poëta lib. I. The.

—— squammísque annosam terentem
Robora, Castaliis dum fontibus ore trisulco
Fusus hiat. ——

Pierios *lacus.*] Aganippen intelligit Hippocrenem.

Domum.] Neæræ sedem.

Sicut *erit.*] sicut pro qualiscunque erit.

Defluat.] dum ad Neæram deportatur.

Referet.] pro recompensabit.

Pectore *deciderim.*] hoc est, sit ne mei pe- D nitus oblita. Amantium quidem curæ in pectore. i. corde versantur.

Larga *donate salute.*] multis verbis iubetote saluere. & larga dicit, id est, vt optima & diutissima. Sciendum tamen quod salutare & salutem dicere non accedētibus tantum, sed abeuntibus etiam attribuitur pro vale. quod ante loquacitatem Vallensem Lactantius grammaticus annotauit, dicente Statio lib. IIII. Theb.

Stant tamen & nota puppim de rupe salutant.

Submisso.] humili. nam qui se submittit se humiliat.

Futura.] s. sis futura soror, seu potius, vt E cupit, coniux.

Huius *spem nominis.*] nominis dicit, id est, cōiugis: sperat enim se illius futurum maritum.

Pallida *aqua Ditis.*] i. Lethe, & per antecedens mors ipsa. Et est sensus: Sola mors coniugij nomen ex animo meo delere poterit: quasi dicat, omnino te mihi vxorem futuram velim.

ACHILLES STATIVS.

EXORIENS *nostris hic fuit annus auis.*] Varro in v. de lingua Latina, *Mensium nomina sunt aperta fere, si à Martio, vt antiqui instituerunt, numeres.*

PERQVE *vias vrbis munera, pérque domos.*] Saturnalibus scilicet. Sic Ouid. in II. Fast.

Pérque vias vrbis, latósque vlulasse per agros.

Et Vergil. similiter, in VIII.

Lætitia, ludísque viæ, plausuq; fremebant.

LVTEA *sed niueum inuoluat membrana libellum.*] Inuolucrum, vel luteum, vel purpureum. huius mentionem facit Martia. in V. ad Musas.

Nunquam grandia, nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata, purpuráque
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Ac paullo post,

Vltro purpureum petet libellum.

PVMICET, *& canas tondeat arte comas.*] sic in plerisque scriptis libris. in Sfortiæ libro, Punicet. alij legunt,

Pumex & canas tondeat ante comas.

Sed, si veterem lectionem retinemus, ad membranam referamus. vt ipsa comas & punicet, & tondeat, poëticè. aut passiuè, quo modo lauare dicuntur, qui lauantur. Eodem autem verbo est vsus Lucilius, apud Nonium Marcellum in verbo, Desquamat. quem locum vitio scriptum in vulgatis libris puto,

Sador, subellor, desquamor, punicor, ornor,
Expilor, pingor. ——

Emendabam,

Rador, subuellor, desquammor, púnicor, ornor,
Expilor, pingor. ——

In veteri impresso libro erat, Subbellor. quo probabilius fit legendum, Subuellor.

SVMMAQVE *prætexat tenuis fastigia chartæ.*] Protexat in Vaticano. Sic autem significatur ipsa inscriptio.

SICVT *erat.*] in Vaticano, Sicut erit.

NVLLVS *defluat inde color.*] & Liquidi colores ab Horatio dicuntur in IV. Carm.

REFERAT.] In Florentino, Referet.

MVTVA *cura.*] amor mutuus.

AT *minor, an toto pectore deciderim.*] in Vaticano, legendum forte, Et toto.

AN *minor.*] in Florentino, An maneam.

SED *primum nympham.*] in eodem, Meritam, non Nympham.

LARGA *donate salute.*] In Sfortiaco, Longa.

HÆC *tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra.*] Vir quondam: id est, olim futurus coniunx, nunc enim frater, id est, amicus. quod idem prope valet, quod mœchus. quem huius loci nodum pereruditè Lycophronis interpres expedit, in illa verba.

Τὴν κασίαν δὲ καὶ μυγάδας θεός.
Κασίαν τὴν Ἀφροδίτην, τὴν μοιχείαν.
Κασίαν δὲ τὴν ἀδελφοποιΐαν.
Τοὺς γὰρ ξένους ἀδελφοὺς τὰ ἐρωτικὰ ποιοῦσιν.
Οἱ γὰρ ἐρῶντες συνεχῶς λέγουσιν.
Ἀδελφός μου, ἡ συγγενής μου ἐστίν.

Neque aliter possumus intellegere. abhorret enim à Romanis moribus. Æmilius Probus, in procemio historiæ de Imperatoribus, *Neque Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio: quippe cum ciues eius eodem vterentur instituto. at id quidem nostris moribus nefas habetur.*

PALLIDA *Ditis aqua.*] Pallidam aquam sic videtur dicere, vt & Hadrianus apud Spartianum, in versiculis suis, Pallidula loca vocat inferorum. Eandem aquam dicit ignauam post,

Ditis in ignaua luridus Orcus aqua.

Verg. in VI. de aqua eadem, liuida vocat vada.

—— *vel quo discrimine ripas*
Hæ linquunt, illæ remis vada liuida verrunt.

In vno tamen, Langobardicis scripto litteris, Vada liquida. sed illud, opinor, rectius.

M. ANT. MVRETVS.

MARTIS *Romani.*] Dialogus est ipsius poëtæ cum Musis sane quàm elegans. Cum Calendis Martiis (qui dies hodiernus est) ad mulieres munera mitti soleant, dicite, quo modo potissimum Neæram π eam debeam munerari. Tum illæ, Mittito ei versuum tuorum libellum, omni diligentia exornatum atque expolitum. At poëta. Immo verò vos ipsæ ite, ac librum ad eam perferte, méque apud ipsam in quam maxima gratia ponite.

VERSIBVS *illa tuis.*] ita legendum est, non vt antea, *meis.* Musæ enim ipsæ loquuntur.

SI *nostri mutua cura est.*] si, pro, an, more Græco.

VIR *quondam, nunc frater.*] id quo modo acciderit, coniectura satis assequi non queo; vt, qui antea vir fuerat, nunc sit frater; idemq; speret, quæ nunc soror est, aliquando coniugem fore. nisi forte id est, quod vnum mihi venit in mentem: Tibullum (ipsum enim esse arbitror, qui se ficto nomine Lygdamum vocat) & hanc Neæram, quæcunq; tandem est: nam hoc quoque nomen commentitium est: eos igitur fratrum aut sororum filios fuisse. Notum est autem, & eos, qui fratribus sororibúsve editi sint, fratres vocari; & inter eos olim & legitimas & vsitatas fuisse nuptias. Hãc igitur sororem suam videtur Tibullus aliquandiu in matrimonio habuisse: deinde casu aliquo interuenisse discessio. Sperabat autem Tibullus, nuptias denuo conglutinatum iri, idque toto pectore cupiebat. Hoc probabilius afferre nunc quidem nihil possum.

IANVS DOVSA FIL.

AD Græcorum imitationem videtur dixisse Tibullus Elegia I. huius libri: *pallida ditis aqua.* sic enim Anyte Poëtria;

—— *ἃ πρὸ γάμοιο*
Χλωρὸν ὑπὲρ ποταμοῦ χεῦμ' Ἀχέροντος ἔβα.

Vnde probatur eius lectionis integritas Eleg. V.

Parcite, pallentes vndas quicunque tenetis.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

EXORIENS *nostris hic fuit.*) Lege auctore scriptura, *hinc fuit.*

Atta. ——— *annum nouum*
Voluerunt esse primum mensem Martium.

GAVDEAT *vt digna est, versibus illa meis.*) *Meis* est liquido scriptum in nostro libro, vt & omnes editiones habent. Nihil enim impedit, Tibullum ipsum ista sibi dicere. Et, si diligenter inspiciamus, non loquuntur hic Musæ.

PVMICET *& canas.* Lege, *Pumix & canas.* Pumix, alis, germin, rumin, pro pumex, ales, germen, rumen scribere solebant.

TENVIS *fastigia chartæ.*) ἀκροκόλλιον intelligit. sicut imum chartæ ἐσχατοκόλλιον. Martialis: *Spectas ἐσχατοκόλλιον Seuere.* Perperam hodie legitur ἐσχατοκώλιον. In charta κόλλα sunt partes adglutinatæ, quos scapos vocabant: vnde regiæ chartæ μακρόκολλα vocabãtur ab amplitudine. Ab eo membranæ pelles ἢ διφθέραι, quia vnum tantum κόλλον habent, nec adglutinantur, vt chartæ. propterea vocantur σωμάτια à Græcis, nimirum quia vnum corpusculum sunt, & non pluria membra, vt chartæ.

SED *primum nympham.*) Lege ex veteri scriptura:

Sed primum meritam longa donate salute.

Longum saluere, longum valere dicebant.

Et longum formose vale, vale, inquit, Iola.

HÆC *tibi vir quondam.*) Ouidius:

Alloquor Hermione nuper fratrémque virúmque,
Nunc fratrem. nomen coniugis alter habet.

Neque enim tantum, quod αὐτάδελφος esset, fratrem vocauit: sed quia amatorium est ita se vocare: vt vides hîc apud Tibullum. Nam vir disertus hic in plana via offendit. quemadmodum & in eo hallucinatur, quod hîc dialogismum esse putat poëtæ cum Musis. Quomodo enim dialogus interuenire possit, vbi vnius tantum poëtæ alloquium est?

ELEGIA II.

QVI primùm caram iuueni, carúmq. puellæ
 Eripuit iuuenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
 Viuere & erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc: non hæc patientia nostro
 Ingenio. FRANGIT fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est, vitæque fateri
A Tot mala perpessæ tædia nata meæ.
Ergo cùm tenuem fuero mutatus in vmbram,
 Candidáque ossa super nigra fauilla teget;
Ante meum veniat longos incomta capillos,
 Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
B Sed veniat caræ matris comitata dolore:
 Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.
Præfatæ ante meos Manes, animámque precatæ,
 Perfusæque pias antè liquore manus.
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
C Incinctæ nigra candida veste legant,
Et primùm annoso spargant collecta Lyæo,
 Mox etiam niueo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
 Atque in marmorea ponere sicca domo.
D Illic, quas mittit diues Panchaia merces,
 Eoique Arabes, diues & Assyria.
Et nostri memores lacrymę fundantur eodem,
 Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera caussam,
E Atque hæc in celebri carmina fronte notet:
Lygdamus hîc situs est. dolor huic, & cura Neæræ
 Coniugis ereptæ caussa perire fuit.

BERN. CYLL. VERON.

QVI *primus caram iuueni, carámque puellæ.*] quidam opinati sunt Tibullum nominasse se Lygdami nomine: vt titulus proprius in amore occultaretur. Sed male. Nam & in aliis se ipsum amoribus deditum propalauit. Sed seu pro Lygdamo puero loquitur, cuius dissidium cum Neæra dolet, dicitque illum emori velle dum Neæra cum matre suo funeri intersit, & epitaphium illius facit amore Neæræ dominæ consumpti: Seu vult vt sub Lygdami nomine in verna epitaphium imprimatur.

ERIPVIT *iuuenem.*] iuuenis communis generis est, à quo iuuencus & iuuenca, & per diminutionem iuuenculus & iuuencula veniunt, quemadmodum in Horatium, Porphyrio commentatur.

ERIPVIT.] sua procurauit diligentia, vt iniuriarum inter illos intercederet occasio.

ET.] pro etiam: vt Virgilius,

Attulit & nobis aliquando optantibus ætas Auxilium.

DVRVS.] insensatus.

POTVIT *viuere.*] potius quam emori sicut res exigebat. Plin. refert. M. Lepidum facto diuortio cum vxore Apuleia extinctum nimia pietate.

NON *ego firmus in hoc.*] negat se velle, aut posse dolorem pati: Nam non molles modo dolor emacerat: sed robustos quoque eneruat & emollit.

VERA *loqui.*] quasi pleonasmō fecit, vt supra:

——hanc dicere iussit
Limen ad irata verba pudenda senem.

IN *vmbram tenuem.*] tangit opinionem antiquorum supra memoratam, homines scilicet post corporis combustionem verti in vmbram inuisibilem & impertractabilem.

NIGRA *fauilla.*] quæ demum in nigredinem vertitur.

OSSA *candida.*] cinerem ex ossibus collectum, qui candidus est.

COMITATA.] vis est passiui participij: vt Virgilius,

Fido comitatus Achate.

Nec mirum cum Propertius elegiar. II. dixerit:

——comitata vt populo,
Qui si vera mea comitarent castra puellæ.

HÆC *genero.*] de matre loquitur quæ fleat ob generi interitum.

ILLA.] Neæra.

PRÆFATÆ.] pro qua præfatæ fueritis antea græco more dictum. Consuetudo fuit vt propinquiores admissis in cubiculum quos vellent, ter mortuum proprio nomine vocarent: seu alter vale dicto affari cadauer, vt seruat Virgilius.

ANIMAMQVE *rogatæ.*] textus est antiquitatis vitio obscurus: nam quidam habent *rogatæ*: quidam codices seruant *precatæ*. Si rogatæ legimus insitate dictum constat, sin aliter rectè quidem & latinè. Namque est hyppallage per zeugma: vt sit sensus: Mater generum, filia virum suum ploret, ambæ tamen antea mutis Manibus præfatæ, & animam precatæ. At non nulli

A dicūt illud, Que, esse superuacuum animámque rogatæ, vt si præfatæ meos Manes & ante perfusæ manus pio liquore rogate animam, & rogate imperatiui modi sit.

LIQVORE.] aqua pura & feruenti, vt sacri ritus expostulant, vt tanquam expergefacti se viuere ostenderent.

NIGRA *puella.*] vt dolori extet indicium.

LEGENT.] colligent, & in vnam congerent.

SPARGENT *perfusa Lyæo.*] spargent & perfundent ex ritu antiquitatis. Manibus enim antiqui vino sacrificabant immixto lacte recenti. Quam consuetudinem Virg. vbique in suo diuino poe-

B mate meminit.

LYÆO *annoso.*] metonymicōs pro vino veteri.

TOLLERE *humorem.*] desiccare humorem ex ossibus, & arida facere.

VENTIS *carbaseis.*] venti non sunt carbasei. Sed carbasa hoc est vela suo pellunt flamine. sed carbaseis pro agitatione carbasi ventis excitatis. vt Propertius IIII.

Exhibuit vinos carbasus alba foros.

Nam carbasus species est velamenti in Hispania citeriore inuenti.

DIVES *Panchaia merces.*] Panchaia (teste Seruio in II. Georg.) & Sabæorum gens eadem est

C apud quam thus nascitur, vnde Plautus Arabico thure dixit: & thus deducitur ἀπὸ τοῦ θύειν.

EOIQVE *Arabes.*] Arabia regio orientalis est sacra, olim dicta à prouentu aromatum pretioso.

DIVES *& Assyria.*] diues vocatur propter varia vnguentorum genera, Sed in primo commentario satis super Assyria multa diximus.

COMPONI.] collocari.

LITTERA.] breue epitaphium.

FRONTE *celebri.*] in parte superioris frontispicij, quod ab omnibus videri legique potest.

DOLOR *huic & causa Neæra.*] ordo est, Neæra dolor & causa ereptæ coniugis fuit huic causa

D perire. Sensus vero est, quod ob ereptam sibi Neæram, quam sibi in matrimonium copulare sperauerat, morte occubuit.

CAVSA *perire.*] structura ad imitationem Græcorum: infinitum enim pro gerundio ponunt, vt Propertius elegiarum primo.

Ibat & hirsutas ille videre deas.

sed hic perire pro, vt periret, exponitur.

CONIVGIS.] non quæ coniux esset, sed quam sperabat futuram vxorem. Vergil. itidem.

Quos ego sum toties iam dedignata maritos.

ACHILLES STATIVS.

E QVI *primum.*] in omnibus scriptis libris, Primus, non, Primum.

CARAM.] Caram etiam puellam, id est, amabilem, sic dixit Flaccus in I. Epist.

Ne dominus pueri pulchri, caræque puellæ
Munere te beet.——

NON *hæc patientia nostro Ingenio.*] in Vaticano,

Non hoc nostro patiemur Ingenio.

TOT *mala perpessæ tot superesse meæ.*] sic in vno meo. in ceteris omnibus,

Tot mala perpessæ tædia nata meæ.

vt tot mala sibi perpesso, nata dicat vitæ tædia,

aut illa tot post mala, tædia alia esse orta etiam.

Ergo, *ego.*] abest omnibus libris scriptis, Ego. delendum igitur.

Cvm *tenuem fuero mutatus in vmbram.*] Horatius in IIII. Carminum,

——Puluis, & vmbra sumus.

Sed *veniet.*] in Vaticano, ac duobus meis, Veniat.

Præfatæ *ante meos manes.*] vt apud Verg.

——præfatusq; diuos.

nam, Ante, prius, hoc loco.

Animamqve *rogatæ.*] sic in omnibus veteribus, non, Precatæ. Credo, in Cærimoniis hoc fuisse, vt alij alios, qui præsentes adessent, defuncti animam rogarent, vbi esset, aut quid simile. Vergilius in III. Æneid.

—— animamque sepulcro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Sed illud, Ciemus, aliter Seruius. Et in eodem post,

——manésque vocabat
Hectoreum ad tumulum.

Et in VI. consuetudinem hanc vocandi animas significat, de Deiphobo.

Tunc egomet tumulum Rhœteo in litore inanem
Constitui, & magna manis ter voce vocaui.

Nisi legendum forte sit, Togatæ. qui est habitus meretricius. vt vos, præfate meos manes, animámque, togatæ, & quæ sequuntur.

Pars *quæ sola mei.*] in omnibus ferè scriptis libris, non, Quæ, sed, Quoque vitio scriptum.

Et *primum annoso spargent collecta Lyæo.*] in Vaticano, non, Collecta, sed, Perfusa. vt in vno meo. Vino autem, atque vnguentis, solitos esse cinerem spargere, vel Ausonij versus ille declarat,

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo.

Mox *etiam niueo fundere lacte parent.*] Verg. in III. Aeneid. de Polydoro,

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,

Post *hæc carbaseis vmorem tollere ventis.*] sic in omnibus scriptis libris. alij legunt, velis; alij, Vittis. quod probabilius videtur. nam, cum forte scriptum fuisset veterum more, Veittis, factum ex eo, Ventis.

Atqve *in marmorea ponere sicca domo.*] Domum quoque monumentum dicebant.

Romæ, in D. Stephani, è regione templi D. Luciæ.

. . . .
. . . . MALA EST GRATIA
M. IVNIO . M . F . PAL . RVFO
SOTERICHVS . PAEDAGOG . FECIT
HAE SVNT . PARVAE . TVAE MEAEQ . SEDES
HÆC CERTA EST . DOMVS HAEC COLENDA NOBIS
HAEC EST . QVEM MIHI SVSCITAVI VIVVS

Dives *& Assyria.*] in Sfortiæ libro, atque vno meo, Pinguis & Assyria.

Sic *ego componi.*] Siti componi dicebantur. Horatius in I. Ser.

Omnes composui.——

Et Catull.

Inter cognatos compositum cineres.

Sed in Sfortiæ libro, & Florentino, Carmen in ossa. Si hoc modo, carmen quod sequitur, intellegamus, Lygdamus, &c. quod ante quam ponat, cuiusmodi esse velit, demonstrat. Sin illo, quod videtur ipsum probabilius, intellegamus, Ego versus in ossa, cum nihil mei, præter ossa, reliquum erit, eáque perusta. Idem alibi,

——non hic mihi mater,
Quæ legat in mœstos ossa perusta sinus.

Sic *tristem.*] legendum, quemadmodum in omnibus scriptis, Sed tristem.

Demonstret *littera caussam.*] in Florentino, Casum, non, Caussam. Littera vero tristis est, Θ, de qua Isidorus in I. Etymologiarum cap. XXII. *Tau,* inquit, *nota in capite versiculi superstitem designat, Θ, ad vniuscuiusque defuncti nomen adponebatur. de qua Persius,*

Et potis est nigrum vitio præfigere Θ.

Romæ vero multis in monumentis mortuorum nominibus, Θ, præfixum hodiéque cernitur. & res ipsa notior, quam vt indicari debeat. Nisi Litteram, versus ipsos, atque inscriptionem, significare velit.

Atqve *hæc in celebri carmina fronte notet.*] ipsa prior littera Θ aut illo altero modo. In fronte autem quid sit, multa vetusta monumenta declarant, in quibus, In. fronte. p. In. ag. p. Celebrem frontem dicit, quod spectaret in viam celebrem, ac frequentem.

LYGDAMVS *hic situs est.*] Hæc quoque litteræ singulares in vetustis monumentis sæpe leguntur, atque intelleguntur, H. S. E. Lygdami cuiusdam Propertius etiam non semel mentionem facit.

Dic mihi de nostra quæ sentis vera puella,
Sic tibi sint dominæ, Lygdame, lenta iuga.

Sententia vero non dissimilis apud Theocr. in φαρμακευτρίᾳ. Γράψω δ' τόδε γράμμα τὸ καὶ σῆμα χαλκέῳ, Τῆνον ἐγὼς ἔκτανεν ἐδωκτόρε.

ET *cura.*] amor. de quo ante. Alij legunt, Caussa. In veteribus libris erat compendio scriptum, C.I. quod vtrumque possit significare.

M. ANT. MVRETVS.

QVI *primus.*] tantum dolorem esse dicit, quem capit è suo & Neæræ dissidio, vt mortem sibi ex eo imminere præsentiat.

TOT *mala perpessæ.*] versus hic in quibusdam veteribus libris ita legitur,

Tot mala perpessæ tot superesse meæ. in aliis,
Tot mala perpessæ tædia nata meæ.

ego hoc posterius verum puto: & ita expono, Non est mihi pudor vera loqui, ac fateri, natum esse in animo meo viuendi tædium, ex quo tot perpessus sum mala.

DOLOR *huic & cura.*] nihil horum verborum sententia, vt mihi quidem videtur, apertius. sed tamen sunt, qui etiam media in luce offendant, locúmque hunc, non intelligendo, corrumpant. hoc igitur dicit, Dolor & cura, quam concepit ex Neæra coniuge erepta, fuit ei caussa perire, id est, caussa pereundi.

IANVS DOVSA FIL.

NON *hæc patientia nostro Ingenio.*] *Patientiam* pro duritia accipio hoc loco, quomodo *patiens* pro duro apud Propertium est:

Sit licet & saxo patientior illa Sicano.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

TOT *mala perpessa tot superesse meæ.*] Corruptus locus. Restitue auctore libro nostro:

Tot mala perpessæ tædia nota meæ.

Tædia vitæ meæ perpessæ tot mala.

MOEREAT *hæc genero.*] Hellenismus est. Euripides:

Κ' οὐκ αὖ μακαρίας ἔστιν κακοῖς ἐμοῖς.

PRÆFATÆ *ante meos manes.*] *Et mæsta supremum voce ciemus.* Euripides.

Προσεῖπον' ἐξ ἦκον ὕστατον ἰδεῖν.

ANIMAMQVE *rogata.*] Ita habēt veteres editiones, & membrana nostra. pro quo sustituerunt, *animamque precata.* quia videbant Rogari non dici, vt precari. Venusti homines, qui animam cum hoc verbo, non cum PRÆFATÆ connectebant. Nam est, *Præfatæ ante meos manes, animamque.* deinde: *-rigatæ Perfusæque pias ante liquore manus.* Ita enim legendum ex corrupto illo *rogatæ.* Animam præfari quid sit ostendunt multa in veterum libris passim, vt

——magna manis ter voce vocaui.

A POST *hæc carbaseis humorem tollere velis.*] Repone *ventis*, vt etiam nonnullæ editiones habebant. Significat collecta in linteo ventilari solita, vt exugeretur humor, quo sparsa erant.

DEMONSTRET *litera.*] *Litera*, ἐπιγραφή. Supra:

Indicet vt nomen litera facta tuum.

DOLOR *huic & cura Neæræ.*] Corrupta hæc sunt ab imperitis hominibus, qui statim quæ nesciunt, delent. Vetus scriptura fuit: *-dolor huic, & caussa Neæræ Coniugis ereptæ caussa perire fuit.* Elegantia antiqua. *Caussa Neæræ* est Neæra ipsa.

B Iurisconsulti *caussam bonorum*, hoc est bona. Propertius: *Ite rates curuæ, & leti texite caussam.* hoc est letum. nam male legitur *caussas.* Mille talium poteram adducere, si nescirem esse multos eruditos, qui sciunt me verum loqui. Eleganter ergo repetit τὸ *caussa* penè diuerso sensu, *caussa Neæræ Coniugis ereptæ caussa perire fuit.* hoc est, in caussa fuit coniunx Neæra erepta, vt ille perierit. Dolor & caussa Neæræ ereptæ, ἐν διὰ δυοῖν. dolor ob ereptam Neæram. De erepta Neæra habes in Elegia. DI *Meliora ferant.* Quæcunque fuerit ista Neæra. eius non meminit in duobus prioribus libris. Tamen constat eam

C esse, quam Horatius in Oda ad Tibullum Glyceren vocat. Nam de eadem re ibi sermo, de qua hic, nempe de dolore Tibulli ob ereptos sibi amores. Quare quemadmodum alio nomine Neæram, ita & se Lygdamin vocat. An dicemus omnes amicas Neæras vocari? Sanè Omphalen Neæran Herculis vocat Prudentius in Romano: *Fusos rotantem cernimus Tyrinthium. Cur, si Neæræ non fuit ludibrio?* Sic Ariadnen vocat Bacchi Neæram:

Hanc iubet assumptam feruens post vina Neæran
Secum in delitiis fluitantis stare triumphi.

Sed non ideo puto Tibullum suos amores Neæran vocasse. Nam quod amores suos vnusquis-

D que vocaret Neæram suam tempore Prudentij, hoc manauit ex illo *-ipse Neæran Dum fouet-*

ELEGIA III.

QVID prodest cælum votis implesse Neæra?
Blandáque cum multa thura dedisse prece?
Non vt marmorei prodirē è limine tecti
E *Insignis clara, conspicuúsque domo,*
Aut vt multa mei renouarent iugera tauri
Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum vt longæ sociarē gaudia vitæ,
Inque tuo caderet nostra senecta sinu:
Tunc cùm permenso defunctus tempore lucis
Nudus Lethæa cogerer ire rate.

Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri,
Aruáque si findant pinguia mille boues?
Quídve domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tænare siue tuis, siue Cariste tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurateǽque trabes, marmoreúmque solum?
Quídue in Erythræo legitur quæ litore concha,
Tinctáque Sidonio murice lana iuuat?
Et quæ præterea populus miratur, in illis
Inuidia est. falsò plurima vulgus amat.
Non opibus mentes hominum curæque leuantur.
Nam fortuna sua tẽpora lege regit.
Sit mihi paupertas tecũ, iucunda Neæra.
At sine te regum munera nulla volo.
O niueam, quæ te poterit mihi reddere, lucem,
O mihi felicem térque, quatérque diem.
At si pro dulci reditu, quæcunque vouentur,
Audiat auersa non meus aure Deus:
Nec me regna iuuent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarũ sustinet orbis opes.
Hæc alij cupiant: liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge posse frui.
Adsis, & timidus faueas Saturnia votis,
Et faueas concha Cypria vecta tua.
Aut, si fata negant reditum, tristésque sorores,
Stamina quæ ducunt, quæque futura neunt,
Me vocet in vastos amnes, nigrámque paludem
Diues in ignaua luridus Orcus aqua.

BERN. CYLL. VERON.

Qvid *prodest cælum votis impleſſe Neæra.*] de sacro votiuo à se Deis exoluto Neæram alloquitur.

Implesse *cælum.*] hyperbolicῶs aërem capit: aut est continens pro contento: hoc est, deos cœlestes.

E limine *marmorei tecti.*] hoc refertur ad porticum ex marmore structam. Horatius Carminum II.

——non trabes Hymettiæ
Premunt columnas vltima recisas
Africa——

Insignis.] notus & egregius. insignis (vt annotat Festi auctoritas & veterum vsus comprobat) tam benè quam malè accipitur. boues enim qui in femore, atque pede album habent quasi insigniti, vocantur insignes.

Conspicvvs.] venerabilis. Sensus est: Vota feci non vt nobilis generositate fierem aut opulentus, sed te vt frui, potirique possem.

Benigna *terra.*] tellus dicitur benigna quod depositum fideliter reddat.

Nostra *senecta.*] pro ego senex effectus.

Permensæ *defunctus tempore lucis.*] defuncti vocantur magistratus excedentes ex officio: vnde per translationem defuncti vita mortui dicuntur.

Grave.] onerosum.

Findant *boues.*] idest, arent. Terra enim dum colitur scindi videtur.

Innixa.] suffulta.

Phrygiis *columnis.*] hoc dixit quantum ad columnas testudineatæ porticus. In Synnada ciuitate Phrygiæ olim marmor effodiebatur laudatissimum. Horat. car. III.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis.

de hoc marmore Strab. scrib. Geographiæ duodecimo. Synnada enim vrbs est non magna, ante quam planicies iacet oleis consita lx. ferè stadiorum. Vlterius est Docimia vicus & Synnadicis lapidis lapidifodina. sic enim Romani eum appellant: indigenæ verò Docimitem & Docimæam. Vena in initio paruas glebas emittebat, sed postea propter maximos Romanorum sumptus columnæ integræ & ingentes extrahebantur varietate alabastrico lapidi proximæ: ideo Claudianus in Stilicone dixit:

——pretiosáque picta
Marmore purpureis cedit quod Synada venis.

Et Statius Syluarum. I.

Sola cano Phrygiæ mittit quam Synados antro
Ipse cruentauit maculis lucentibus Atys.

Nam multa huiusmodi onera ad mare deuehebantur, & columnæ & lapideæ tabulæ magnitudine ac pulchritudine admirabiles Romam deferebantur.

Tænare *siue tuis, siue Caryste tuis.*] Tænarus (teste Lactantio grammatico in primo The.) est locus vmbrosus in radice Maleæ promontorij Laconiæ: iuxta hunc specum marmora quæ

Laconica dicuntur effossa sunt. Propertius Elegiarum III.

Quod non Tanareis domus est mihi fulta columnis.

Carystus vero insula est in Laconia in Arcadiam vergens locus Aegis extat, à quo vinum Carystium ab Alcmane celebratur: & ciuitas in Euboea, vbi erant (Strabone teste) latomiæ Carystiarum columnarum, id est, lapidum excisio marmoreorum, quæ à loco etiam Carystæa appellabantur. Quare Lucanus v. ait.

Qua maris angustat fauces saxosa Carystos.

ET *nemora in domibus sacros imitantia lucos.*] Luci sunt incæ dui deorum dicati numinibus. Nemora viridaria voluptatis gratia & amœnitatis. Siluæ conditæ manu, quæ olim in nobilium ædibus amplissimæ fuerunt. Iuuenalis in Crispino:

——quanta nemorum iactetur in vmbra.

Horatius itidem ostendere cupiens ad Lycem Carminum III. quod in illius nemoribus tempestas sæuiebat, inquit:

Audis quo strepitu ianua, quo nemus
Inter pulchra situm tecta remugeat
Ventis.——

AVRATÆ *trabes.*] ideo auro coopertæ vt sumptuosiores viderentur. Lucanus x.

—— crassumque trabes absconderat aurum.

SOLVM.] solum dicitur quodcunque sustentat. hîc accipitur pro pauimento quod vulgus solarium vocat.

CONCHA.] piscis ex quo margarita sumitur.

IN *Erythræo littore.*] in mari rubro, quod Græci ἐρυθρὰν à rege nominauerunt.

SYDONIO *murice.*] murex purpura est, quam Sydon vrbs Syriæ gignit: & murex est ferreus triangulatus per cuspidem, vulgo tribulum vocamus.

INVIDA.] inuidia digna: hoc est, neglectibilia.

SVA *lege.*] quæ instabilis est: & modo affert, modo aufert.

AT *sine te regum munera nulla volo.*] quin Plauti in Curculione Phedronum dicentem introducit: *Siquidem hercle mihi regnum detur, nunquam id potius sequar, quando ego te videbo.* nam prius dixerat: *Sua sibi habeant regna reges, sibi diuitias diuites, sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia, dum mihi abstineat inuidere, sibi habeat quisque quod suum est.*

O MIHI *diem felicem.*] expolitio est: nam & lux & dies idem est: & ter & quater pro absolutè ponitur.

AVERSA.] irata. Virgilius.

——auersa Deæ mens.

NON *meus deus.*] hoc est, non mihi præsens, propitius, fautor.

LYDIVS *aurifer amnis.*] Pactolus Lydiæ fluuius arenas aureas & strigmenta voluisse legitur apud auctores.

ORBIS *terrarum.*] tmesis est, est autem mos loquendi, vt minimè gentium, vbique locorum.

TIMIDIS *faueas Saturnia votis.*] benè Saturniam precatur, quæ nuptiis præest. Ouid. in epist. Medeæ:

Conscia sit Iuno sacris præfecta maritis.

A CYPRIA.] Venus quæ Cypris & Cypria dicitur, quod nata in Cyprum statim applicuit, vel quod parturientibus præsideat.

TVA *concha.*] qua mari deuecta est in Cyprum, cùm primum ex spumis genita est.

TRISTESQVE *sorores.*] hermineusis est.

NIGRAM *paludem.*] Stygem intelligit.

LVRIDVS *Orcus.*] Orcus est inferni flumen ab Stygê defluens ab vrgendo dictus: aut ab ὅρκος, quod est iuramentum: quod per id dei iurare solebant. Cic. vero de natu. deo. III. scri. *Orcum Neptuni & Iouis fratrem fuisse: per quem Ditem nos seu Plutonem possumus accipere.* Orca etiam reperi-

B tur, sed est genus marinæ belluæ maximum, vt Festus ait, ad cuius similitudinem vasa vinaria orcæ dicuntur: sunt enim teretes atque vniformi specie. Est quoque orca vasculi genus oris angustioris, in quam pueri nuces dato pignore certant miscere. Persius,

Raderet angusta collo non fallier orca.

ACHILLES STATIVS.

COELVM *votis impleße Neæra.*] Vergilius in IX. dixit onerare,

Multa deos orans, onerauitque æthera votis.

C BLANDAQVE *cum multa tura tulisse prece.*] Blanda tura, quod Diis quodammodo blandiantur, vel quod eos nobis blandos faciant. Sic etiam Propertius in IV.

Costum molle date, & blandi mihi turis honores.

SED *tecum vt longæ sociarem tempora vitæ.*] in Vaticano, & Sfortiaco, Sociarent, id est, vt me tecum longa vita sociaret.

TVNC, *cum premensa defunctus tempora lucis.*] in Vaticano, Tum, cum permensæ. itaque in vno meo. In altero, Tunc, cum permenso defunctus tempore lucis Vt enim, Viam metiri, dicebant id est, ire, sic etiam Lucem dixit. Propert.

D in II. eodem modo transferens,

Qualem si cuncti vellent decurrere vitam.

PRODEST *pondus.*] in Sfortiæ libro, Pondus prodest.

QVID-VE *domus prodest, Phrygiis innixa columnis.*] Plin. in XXXVI. *Nonne inter magnifica Basilicam Pauli columnis è Phrygibus mirabilem, Forumque Diui Aug.* Et quæ sequuntur.

TÆNARE *sine tuis*] Propertius.

Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis.

SIVE *Cariste tuis.*] Martialis in IX.

De marmore omni, quod Caristos inuenit.

ET *nemora in domibus sacros imitantia lucos.*]

E Idem significans Horatius,

——quo strepitu nemus
Inter pulchra situm tecta, remugiat.

QVID-VE *in Erythræo legitur quæ litore concha.*] sic alibi loquitur.

O pereat, quicumque legit viridesque zmaragdos.

Et Ouid. in III. de Arte amandi,

Lectaque diuerso litore concha venit.

INVIDA *quæ falso plurima vulgus amat.*] Alij legunt, Inuidia est falso. vel igitur Inuidia positum actiue, vel legendum forsasse, Inuidet, & falso.

FALSO.] magno errore.

NON *opibus mentes hominum, curæque leuantur.*] Horat. in eandem sententiam,

——non ætis aceruus & auri
Aegroto domini deduxit corpore febrim.

ET *sine te regum munera nulla volo.*] Idem ante,

Et regum magnæ despiciantur opes.

Plaut. in Curcul. in eandem prope sententiam,

Sibi sua habeant regna reges, sibi diuitias diuites,
Sibi honores, sibi virtutes, sibi pugnas, sibi prælia,
Dum mihi abstineant inuidere, sibi quisque habeat,
Quod suum est.

O MIHI *felicem.*] actiue Felicem dixit. Sic Terent. *O faustum & felicem diem.*

AVDIAT *auersa non meus aure Deus.*] Auersa aure: vt Horat. in v.

Preces & auersum ad Iouem.

NON *meus.*] non propitius. Idem Horat.

Ventis iturum non suis,

Et Martialis,

Et cursu facili, tuisque ventis
Hispana pete Tarraconis arces.

IVVENT.] in multis scriptis libris, Iuuant.

FVTVRA *neunt.*] res futuras. Indidem transferens Horat. in v.

Vnde tibi reditum certo subtemine Parcæ
Rupere.——

Quo loco, non, Certo, sed, Secto, legendum puto. Sic Homer. in 1. Odyss.

Τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἴκαδε νέεσθαι Εἰς Ἰθάκην.

DIVES *in ignaua luridus Orcus aqua.*] esse aiunt in nonnullis libris, Ditis, non, Diues. Legendum forte, Diuus. vt sit, orcus, qui diuus luridus. vel diues, quasi ἄδην dictum velit, à non carendo, non, vt alij, à lucis defectu: atque inopia. Luridum Orcum etiam Horatius dicit in III. Carminum.

Mæretque partus fulmine luridum
Missos ad Orcum.

M. ANT. MVRETVS.

QVID *prodest.*] negat sibi quicquam distracto à Neæra esse posse iucundum: séque mori cupere, ni spes sit, fore, vt illa redeat.

QVID *prodest.*) quid prodest, tam sæpe petiisse à diis, vt tecum vitam exigere liceret, si id nunc non datur?

NON *opibus.*] præclara sententia. cui similis est illa Varronis,

Non fit thesauris, non auro pectu' solutum.

Sed in verbo, *leuantur*, est homonymia. alio enim modo leuari mentes, dicimus, & alio, curas.

IANVS DOVSA FIL.

DIVES *in ignaua luridus Orcus aqua.*) Idem ferè de Acheronte Pindarus apud Plutarchum: ἔνθεν τὸν ἄπειρον ἐρεύγονται σκότον βληχροὶ δνοφερᾶς νυκτὸς ποταμοί. quæ & Tibulli,

——vastos amnes nigrámque paludem.

Et Horatij, *languidum flumen*, exprimunt. Porrò *Orcus* hic Plutonem significat, vt apud Plautum in Epidico:

A *Cuius quoties sepulchrum vides, sacruficas ilicò Orco hostiis*

Interdum pro Charonte sumitur. Glossæ priscæ: *Orcus*, Χάρων. Isidorus Origin. lib. VIII. *Orcum vocant, quasi receptorem mortuum, vnde & orca nuncupatur vas quod recipit aquas. Ipse & Gracè Charon.* Hinc libertos, qui *Orcini* dicuntur. χαρωνίτας appellat Plutarchus. Idem quoque sed aliis exemplis confirmat Iurisconsultorum eximius Iacobus Cuiacius ad Africanum Tractatu IX. quem vide. Sed hîc Orci ipsius regnatorem intelligendum apparet ex adiuncto *Diues.* sic enim

B Græci πλούτωνα vocant διὰ τὸ πυρὸς πάντων.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SED *tecum vt longa sociarem.*] Profecto legendum, *satiarem.* & benè huic rei conuenit quod Lucretius præcipit, è vita vt saturum conuiuam recedere. Nam vulgaris lectio nihil ad sensum poëtæ. Sequitur enim,

Inque tuo caderet nostra senecta sinu,
Tunc quum permenso defunctus tempore lucis, &c.

Hoc enim planè satiatum non sociatum ostendit.

C NAM *graue quid prodest.*] Eclogæ habebant.

Quid prodesse potest pondus mihi diuitis auri?

INVIDA *quæ falso.*] Longe melior sententia in Excerptis.

Et quæ præterea populus miratur, in illis
Inuidia est. falso plurima vulgus amat.

Rotunde, & venuste. sed nondum, vt puto, plane purgatus est locus. Legendum enim:

Et quæ præterea populus miratur? in illis
Inuidia est.——

QVÆQVE *futura neunt.*] *Neunt*, non à Neo, sed à Ne eo vt Abnueo. Ennius:

Certare abnueo, metuo legionibu' labem.

Et quamuis sic secundæ coniugationis videntur,

D tamen *abnueo* non facit *abnuent*, vt *docent*, sed abnueunt. Sic hic *Neunt*, non *Nent.* Hic Grammatista volui esse, quia hoc non est in aliis scriptoribus vulgare.

DIVES *in ignaua.*] Et diues & Dis ab eadem mente, à qua Græcis πλούτων & πλοῦτος.

ELEGIA IIII.

DI meliora ferãt, nec sint insõnia vera,
Quæ tulit hesterna pessima nocte quies.
E *Ite procul. vanum falsúmque auertite visum,*
Desinite in vobis quærere velle fidem.
Diui vera monent: ventura nuntia sortis
Vera monẽt Tuscis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.
At natum in curas hominum genus, omina noctis

Farre pio placant, & saliente sale.
Et tamen, vt cumque est, siue illi vera monenti,
Mendaci somno credere siue volent,
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritũ pertimuisse velit:
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec læsit magnos impia lingua Deos.
Iam nox æthereum nigris emensa quadrigis
Mundũ, cæruleo lauerat amne rotas.
Nec me sopierat menti Deus vtilis ægræ
Somnus. sollicitas deficit ante domos.
Tandem, cùm summo Phœbus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hîc iuuenis casta redimitus tẽpora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quidquam formosius vlla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa ceruice fluebant,
Spirabat Tyrio myrtea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niueo corpore purpureus.
Vt iuueni primùm virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.
Vt cùm cõtexunt amarãthis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla.
Namque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ, fulgẽs testudine & auro
Pendebat læua garrula parte lyra.
Hanc primùm veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquàm fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc tristi dulcia verba modo.
Salue cura Deûm, casto nam ritè poëtæ,
Phœbusque, & Bacchus, Pieridesque fauent.

A *Sed proles Semeles Bacchus, doctæque sorores*
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, æuique futuri
Euentura pater posse videre dedit.
Quare ego quæ dico non fallax, accipe, vates,
B *Quodque Deus vero Cynthius ore ferat.*
Tantùm cara tibi, quantùm nec filia matri,
Quantùm nec cupido bella puella viro,
Pro qua sollicitas cælestia numina votis,
Quæ tibi securos non sinit ire dies,
Et, cùm te fusco somnus velauit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus.
C *Carminib. celebrata tuis formosa Neæra*
Alterius mauult esse puella viri:
Diuersásq; tuis agitat mẽs anxia curas,
Nec gaudet casta nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen:
Ah pereat, didicit fallere si qua virum.
D *Sed flecti poterit: mens est mutabilis illis.*
Tu modò cum multa brachia tende fide.
Sæuus amor docuit dominæ fera verba minantis:
Sæuus amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas,
Non est in vanum fabula ficta iocum.
E *Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,*
Nec similes chordis reddere voce sonos,
Sed perlucenti cantus meditabar auena,
Ille ego Latonæ filius, atque Iouis.
Nescis quid sit amor iuuenis, si ferre recusas
Immitem dominam coniugiúmque ferum.

Ergo ne dubita blandas adhibere querelas,
Vincvntvr molli pectora dura prece.
Quòd si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer.
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse
Felix. hoc alium desine velle virum.
Dixit, & ignauus defluxit corpore somnus.
Ah ego ne possim tanta videre mala:
Nec tibi crediderim votis cōtraria vota,
Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti,
Nec flamam voluens ore Chimæra fero.
Nec canis anguinea redimitus terga caterua,
Cui tres sunt linguæ, tergeminumque caput:
Scyllaque virgineam canibus succincta figuram,
Nec te conceptam sæua leæna tulit.
Barbara nec Scythiæ tellus, horrendáve Syrtis,
Sed culta, & duris non habitanda domus,
Et longè ante alias omnes mitissima mater,
Isque pater, quo non alter amabilior.
Hæc Deus in melius crudelia somnia vertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre Notos.

BERN. CYLL. VERON.

Dii *meliora ferant, nec sint insomnia vera.*] Explicat insomnium quod de Neæra nocte præcedenti somniauerat: sed antequam hoc enarret prius vanum esse optat quodcumque apparuerit. Notandum sane contra litteratores nostri temporis somnium dici & insomnium: & ita insomnia, quod Virgil. & Propert. factitauerunt. Lucretius tradit studio mortales obnoxios rerum mente perturbatos somniare.

Pessima *quies.*] Quippe non quies fuit, sed perterrefactio somniculosa.

Vani.] Hos dicit qui rem minimam superstitiose quærunt.

Falsvm *visum.*] Fictam apparitionem.

In *votis.*] Desideriis desideratis.

Fidem.] Credulitatem.

Vera *nuncia.*] Nota nuncium pro re nuncianda in genere neutro contra Laurentium Vallam, Seruio illudentem in elegantiarum ambagibus. Sic Catullus in Aty:

Geminas deorum ad aures
Noua nuncia referens.

Sortis *futura.*] Scilicet, fortunæ.

Thvscis *exta probata viris.*] Constat Thuscos aruspicinæ artis fuisse repertores, vt Liuius ab Vrbe condita, & Vale. Maxi. in cap. de cultu & religione deorum testantur. Quare dixit Iuuenal. *Et Thuscis digna libellis.*

Nocte *fallaci.*] Ideo fallaci quòd per corporis alterationem plurima noctu visuntur falso. Lu. Pharsaliæ II.

Ecquid ait, vani terremur imagine somni?

Pavidas.] Meticulosas, inconstantes.

Et *vanum metuens hominum genus.*] Hominum nempe formido ingenita Deos esse fecit. Ideo Sta. Thebaidos III. *Primus in orbe deos fecit timor:* scripsit. Fuit enim Epicureorum sententia deos esse: sed de mortalibus curam non habere: eo quod (vt ait Lucretius.)

Immortali æuo cum summa pace fruuntur,
Semota à nostris rebus longeque reuincta.

Farre *pio placant.*] Far pro mola posuit à parte totum assumendo. Immolare enim est farre mollito & sale hostiam perfusam sacrificare. Iouem autem placandum mola scimus. Plaut. in Amphytrione: *Somnium narrat tibi, sed mulier postquam experrecta es prodigiali Ioui aut mola salsa hodie, aut thure comprecatum oportuit.*

Et *saliente sale.*] Sal suapte natura dum superinicitur igni exilit cum crepitu. Horat. carm. III. *Farre pio & saliente mica:* de sale intellexit.

Lvcina.] Luna: quæ eadem est Diana à luce denominata. Catull.

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis.

Tvrpi *facto.*] Scelesto facinore.

Læsit.] Probro offendit ac falso periurio.

Iam *nox æthereum.*] Describit tempus & noctem præcessisse diem.

Cærvleo *amne.*] Liptote est seu tapinosis: hoc est mari Oceano: aut ad id respexit quod supra memorauimus, quod, scil. ambiat totam terram. Fingunt namque poëtæ noctem mergi in Oceano superueniente die.

Menti *deus vtilis ægræ.*] Deum vocat somnum ipsum: qui homines curis afflictos leuat. Virgilius.

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Desinit, & dono diuum gratissima serpit.

Ante *domos.*] Quoniam ad torum non peruenit.

Prospexit.] Cœpit apparere in diluculo: & est animaduertēdū duo dici scilicet, diem iam aduenisse, & se neutique vnquam dormiuisse, vt

fides habeatur rei quam dicturus est. Namque aut obiectum esset crapulam, aut somnum fuisse visionis caussam: sed vtrunque amouet.

Casta *lauro.*] Quantum ad Daphnem casta, quæ vt castitate frueretur deorum benignitate ab Apollinis manibus euadens in arborem laurum versa euituit. Describit autem graphice Apollinis elegantiam tam forma quam habitu.

Myrrhea *coma.*] Idest, vnguentata myrrha suauissima specie. Ouid. de arte amandi, I.

Illius & lachrymis, quas arbor fundit odora
Vngimur, & dominæ nomina gutta tenet.

Legitur & myrtea coma, quod à nobis non probatur. Scimus enim ab omnibus (quot legi) auctoribus, scriptum esse Apollinem cingi laurea non myrto. hoc & ipsa physica dat intelligere. quod autem Apollinis crines myrteum colorem præ se tulerint, error esset interserere, cùm auri nitorem effingere crediti sint à poëtis rationem cæli sequentibus.

Tyrio *rore.*] Puta balsamo vel nardo. rore autem dixit sicut Sappho ad Phaonem:

Nec meus Arabio rore capillus olet.

Luna *Latonia.*] Diana Latonæ filia, & intelligit puniceum sublacteum colorem, quo illa præstat.

Inficitur *teneras genas.*] Synecdoche est: & notandum contra imperitos nostri temporis litteratores quosdam negantes synecdochem recte posse fieri præterquam in participio. Sic Horat. in poëtica:

——*O ego leuis,*
Qui purgor bilem sub verni temporis horam.

Et *cum contexunt amaranthis alba puella Lilia.*] Alia est similitudo comparatiua. Amaranthus flos est suauissimus & purpureus quasi immarcessibilis vocatus: de quo ita Plin. in natu. hist. *Amaranthus est spica purpurea verius quàm flos aliquis & ipse sine odore. Prouenit Augusto mense: durat in autumnum. Summa natura in nomine eius est, appellata, quia nõ marcescit.* Puto ab μαραίνω, verbo, idest, marceo: & α. priuationem significante deductum: quasi æternus. Ideo Columella dixit, *immortales amaranthi*, de hortorum cura pertractans.

Et *autumno candida mala rubent.*] Mala quidem ex parte lactent, ex parte rubent.

Palla.] Vestis manicis apertis: dicta ἀπὸ τοῦ πάλλειν, idest, concutere.

Ima.] Oblonga ad imos pedes.

Alludere *talis.*] Idest, talos percutere spiris crispulosis, vnde talaris dicitur. Nam illudere & eludere metaphorice dictum accipitur pro eo quod vulgus vndezare vocat. Catullus:

Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.

Ouid. Metam. IIII.

——*& in alludentibus vndis*
Summa pedum talosque tenus vestigia tingit.

Talus est quem clauiculam pedis appellamus: alij dicunt plantam pedis, idest, κοῖλον τοῦ ποδός, cauum pedis. Ouid. Metam. X.

Occidit in talum serpentis dente recepto,

Quanquam de clauicula & ipse intellexit. respexit enim ad anguis pressi conuersionem. nam & in VIII. dixit de Fame:

Et immodice prodibant tubere tali.

Sed hic exprimitur habitus deis congruus. Virg.

——*talos vestis defluxit ad imos,*
Et vera incessu patuit dea.

Lyra *garru.*] sonora fistula seu tibia & cithara: vt supra,

Garrula siluestri fistula sacta deo.

Ore *canente.*] Sonum quidem Apollo ex cithara elicuit: & vocis pariter modulationem commiscuit.

Digiti *cum voce locuti.*] Chordæ per digitorum tactum variatam symphoniam reddunt: ita vt digiti sint illi, quorum opera cantus effunditur modulatus.

Dulcia.] Quantum ad verborum opera contextum.

Tristi.] Quantum ad sententiam, quæ Tibullo minime fuit grata.

Cura *deum.*] Supra diximus quod diuorum tutela seruat poëtas. ad hanc sententiam Ouid. ait in eleg. de Tibulli obitu.

At sacri vates, & diuum cura vocamur,
Sunt etiam qui nos numen habere putant.

Casto *poeta.*] Poëta castus esse debet, vnde camœnæ, quod qui eas exercet castæ mentis existat: quamuis versiculi sui sint tenelluli. Catullus ad Aurelium & Furium comites:

Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos minus necesse est.

Ideo Mart. ad Cæsarem inquit,

Lasciua est nobis pagina, vita proba.

Quamquam etenim lasciuiant poëtarum moduli & petulci videantur, eorum tamen sententia animi grauis est & optima. quapropter diuus Adrianus cum (teste Lu. Apuleio in I. pro magia) ornare vellet Vaconij poëtæ familiarissimi sepulturam, his versibus celebrauit:

Lasciuus versu, mente pudicus erat.

Bacchus.] Vbertatis deus: ob cuius gratiam super meditationibus inuocatur à poëtis.

Sorores.] Musę sorores non genitura sunt, sed vnanimitate & concordia quasi collegæ.

Hora *sequens.*] Non enim Bacchus, Musæque nouerunt vnquam qui sit rerum euentus.

Leges *fatorum.*] Lex enim est, vt semel edita moriantur. Fatum autem est lex mundi insolubilis, nulla deorum voluntate permutabilis.

Pater.] Iuppiter.

Posse *videre.*] Nam & Apollo ipse rerum futurarum casus ignorat, nisi ei præscire Iuppiter concesserit. Quod mysteriorum argumentum non præterit Maronem, qui in Æneide dixit,

Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit.——

Filia *matri.*] Quæ naturali lege valde diligitur.

Bella.] Elegans.

Cupido *viro.*] Proprium est epitheton viri amatoris cupidum. Mart.

Pædicare semel cupido dabit illa marito.

Sollicitas *votis.*] Virg.

——*diuosque in vota vocauit.*

Amictu *fusco.*] Hoc ponit pro alarum vmbrosarum velamento.

Casta *domo.*] Quoniam cupit adulterari.

AH *crudele genus.*] Fœminarum genus aspe-rum vocat, quod ne filiis quidem suis pepercerint, vti de Medea legitur & Althæa.

NEC *fidum fœmina nomen.*] Nihil profectò verius in hoc opusculo ponitur. Ita Propertius:

—— *nulla diu fœmina pondus habet.* Et alibi,
Sed vobis facile est verba & componere fraudes
Hoc vnum didicit fœmina semper opus.

Et Maro in Æneide:

—*varium & mutabile semper Fœmina.*

Quapropter Hora. carm. I. scripsit de amatore non cauto: —— *heu quoties fidem*
Mutatosque deos flebit, & aspera
Nigris æquora ventis
Emirabitur insolens.

MVTABILIS.] Fœmina ita mutatur, vt nullo vento crebrius frondes & fluctus moueantur: quin Calphurnius dixit: *Mobilior ventis fœmina.* Et Horat. lib. carm. præallegato perfidiosæ mulieris instabilitatem auram vocauit dicens:

Nescius auræ fallacis.

IN *vanum iocum.*] Derisio est vanus iocus.

SONORA.] Propter chordas vocales quas in se habet.

NEC *similes chordis reddere voce sonos.*] Similes sonos dicit, hoc est, congruos & consentaneos. Namque iam ait:

Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti.

AVENA.] Auenico calamo vel cicuta.

ILLE *ego.*] Emphasis est in verbis, quasi dicat, ille ego qui sum filius magni Iouis agresti fistula cantum modulabar.

IGNAVVS.] Qui homines ignauos, hoc est, sine industria facit.

VOTIS.] Scilicet, vota tua aduersa meis. Nam vota sunt contraria votis, cùm amator amatrice potiri cupit: illa vero alium sibi virum copulare quærit. Votis ergo dicit, quæ sunt vt illa virum alium habere optet.

NEC *tam vasti.*] Arguit ab ea parte, quæ est ab amantibus vsitata, quando crudelitatem aduersi amãtis mollire nituntur: vt in IIII. Æneid. Virgil. obseruauit. Sed hic à contrario illius sententiæ arguit. Namque vult ostendere amicam suam facilem ac perhumanam esse, quoniam à feris bestiis non est orta. Quare Catullus hac sententia longe acerbiorem facit in Argonautica dicens sub Ariadnæ accusantis Thesëum persona:

Quod mare conceptum spumantibus expuit vndis.

NEC *flammam voluens ore Chimæra fero.*] In Caio monte ipsius Lyciæ monstrum horrendum fuit: quæ Chimæra vocitatur: filia Typhonis & Chedira flammis armata: cætera leonis, draconis, capræ partibus similis. de qua Ouid. Metam. X. scribit: *Voluens ore flammam.* Virgil. in VIII. de latrunculo,

—— *illius atros Ore vomens ignes.*

Est enim Caius altissimus, & globos igneos euoluit, quare fabulis figmentum suffecit.

NEC *consanguinea redimitus terga caterua.*] Cerberum per circuitionem dicit, qui iubas habet serpentinas, & tribus capitibus deformis est. hunc Fulgentius interpretatus est fuisse causidicum, vt Petronius in Eustion narrauit, quem

A iurgij calumnia & lingua venali, quam plurimum in alienis negociis exercebat, pessimum omnibus vixisse, & post mortem fabulæ datum nomen. Consanguinea enim caterua ait: quia & ipse fingitur serpens. Sic Iuue. *Longe cognata colubræ*, dixit de anguilla.

TRES *linguæ.*] Quoniam & tria habet capita.

TERGEMINVMQVE *caput.*] Idest, ternum. indocti quidam putant tergeminum quasi bis geminatum ter: hoc est sex dici: Sed latinitas voluit eodem partu editos tergeminos & quatergeminos: vt de tergeminis Curiatiis, atque B Horatiis apud historicos legimus.

SCYLLAQVE *virgineam canibus subnixa figuram.*] Scylla Phorci filia ex Creteide fuit olim peramata à Glauco deo marino, quæ cum fontem solitum subintrasset, vt ex consuetudine sordes ablueret corporis, efficacibus Circes veneficiis amore Glauci deperditæ inferiorem pubem immutatam sensit in canes & horrida animalia, ideo pudore victa in mare se præcipitem dedit, quemadmodum Ouid. XIIII. Metamorph. scribit. At Probus commentator Virgilianus sane perantiquus ponit Scyllam Tritonem habuisse, quem amore detorqueret: postea Neptunum conciliasse: ea re exacerbatus Triton à C Circe venenorum auxilia (quibus illa pollebat) accepit, & infecto mari per quod ad Neptunum Scylla ventitabat, puella rei paratæ ignara tenus inguina conuersa sit in canes, reliqua delphinus fit, pars sola qua super aquam eminet, hominis effigiem retinuit.

SÆVA *leæna.*] Leænæ feritas immanissima est. Sic Catullus ad Ruffum:

Nam te leæna montibus Libyssinis,
Aut Scylla latrans infima inguinum parte
Tam mente dura procreauit ac tetra.

BARBARA *tellus Scythiæ.*] Idest, Scythia regio D efferatarum gentium plena: de qua multa Herodotus: Halicarnasseus, & Iustinus in Trogi Pompei epitomate dixerunt.

HORRENDAVE *Syrtis.*] Syrtis locus in Africa fabulosus, vbi variatis vicibus natura alludit: neque nauibus transire illac datur, tum arenarum cumulis, tum maris fluxu ac refluxu repugnante.

AMABILIOR.] Dilectior, obseruantior.

NOTOS *tepidos.*] Notus meridionalis ventus est, qui (quoniam ex parte calidissima perflat) nobis tepidiusculus venit: ita quidem spirans vt serenum turbet, & nubilum serenet. Quãobrem E à Græcis νότος dicitur: à latinis vero albus. Horatius carm. I.

Albus vt obscuro detergit nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos.——

ACHILLES STATIVS.

DII *meliora.*] Sic solebant, amolientes, & auertentes, atque auerruncantes, quæcumque impenderent mala. Sic Lucilius, & Cicero, apud Nonium Marcellum, in verbo, Auerruncare, *Di maluerint meliora.* Et Seneca, de remediis

fortuitorum, *Morieris. di melius.* Et Valer. Max. A in v. *Di melius, quod hunc animum viris ear. non dederunt.*

Q V Æ *tulit hesterna proxima nocte quies.*] Quæ mihi per quietem videre visus sum. Hesternam noctem dicit idem post etiam,

Hesterna quam te solum quod nocte reliqui.

V A N I.] Mendaces. Vero enim Plautus opponit in Mostell.

Vera cantas: vana vellem. patris amicus videlicet.

D E S I N I T E *in votis.*] Sic in scriptis libris. legendũ forte, non, In votis, sed vno verbo leuiter mutato, Inuentis. Desinite, inquit, vani vestris inuentis fidem quærere. Aut, Inuitis. Sed B videtur & vetus lectio retinenda. namque in extrema elegia,

Non ego crediderim votis contraria vota.

Vt sit hæc sententia, Cauete putetis similia votis somnia futura. nam, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt, vt ait Vergil.

V E R A *monent.*] Verbum, Moneo, ad futurorum prædictionem pertinet. vt alibi dictum. Pli. in III. nat. hist. *Quinimmo vates intellegitur potius, ac monitor auctu suo.*

N V N T I A *fortis.*] Sic in omnibus, præterquam in Sfortiaco, Nun ina. C

E T *vanum metuens hominum genus, omnia noctis.*] Sunt, qui pro Omnia, legant, Omina, in Vaticano,

Et tantum metuens hominum genus, omnia noctis.

In duob. meis,

Et natum in curas hominum genus, omnia noctis.

In Sfortiæ libro probabiliter,

Et vanum ventura hominum genus, omnia noctis.

Sequitur enim apte.

F A R R E *pio placant, & saliente sale.*] Far pium etiam Verg. in v.

——*& canæ penetralia Vestæ*

Farre pio, & plena supplex veneratur acerra. D

Et Ouid. vtrumque in IV. Fast.

Farra dea, micaque licet salientis honorem Detis.

Arnobius in VII. contra gentes, Far pium in sacrificiis, sine ture, adhibitum declarat. *Neque genetrix, & mater superstitionis Etruria opinionem eius nouit, aut famam, Sacellorum vt indicant ritus. neque quadringentis annis, quibus Albana res viguit, in vsum cuiquam venit, sacra cum res fieret. neque ipse Romulus, aut religionibus artifex in comminiscendis Numa, aut esse sciuit, aut nasci, vt pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum sollemnium munia.*

M O N E R I.] Placet Vaticani libri lectio, Monenti. Quo modo & in Florentino. E

I A M *nox ætherium nigris emersa quadrigis Mundum.*] In Florentino, non, Emersa, sed, Dimensa. legendum forte, vt alij putant, Emensa.

C Æ R V L E O *lauerat amne rotas.*] Mari. Paludem cum Homero Theognis cæruleam mihi videtur dicere, siue purpuream,

Οὔτ' ἂν πορφυρέης ὑπὲρ ... ἐς ... λίμνης.

Homerus autem ante, Amnem quoque dixit Oceanum, cuius in XIX. Iliad. versus est,

Ἐν ... ποταμοῖο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο.

Idem Tibullus ante, in II.

Quaque patens ortus, & qua fluitantibus vndis,
Solis anhelantes abluit amnis equos.

S O L L I C I T A S *deficit ante domos.*] Deficit ante sollicitas domos: nec enim sollicitos curæ dormire sinunt.

S V M M O.] In Vaticano, Somno. quasi dicat, Phœbus oriens, & Somnus tandem me prospexere, & quasi miserati consopiuere.

L V M I N A *fera.*] In Sfortiæ libro, & duobus meis, Fessa, non, Sera.

H V M A N V M *nec videt illud opus.*] In Vaticano, Fuit, non, Videt. quod placet.

S T I L L A B A T *Tyrio myrtea rore coma.*] Multi docti homines, Myrrhea, pridem legerunt. quorum post secuti sunt etiam multi sententiam. In scriptis tamen omnibus erat, Myrtea. Myrrhea vero coma sic dicta est à colore, vt Acron tradidit, illud interpretans Horatij, in III.

Myrrheum nodo cohibere crinem.

Columella tamen, de cultu hortorum, de Cinara, *Myrteolo modo crine viret.* Iam quod non, Tyrio, sed, Syrio, legi quibusdam in libris adfirmãt, mihi si libros eosdem videre licuisset, adseuerantius dixissem placere. Sed idem post in extremo, eodem modo:

Iam dudum, Tyrio madefactus tempora nardo.

Stillare sic dixit, vt Anacreon, ψακάζει· Γέλων μύρων ... ἐπ' ἤρος ... ψακάζεις. Idem prope significans Eurip. in Cyclope:

Ἐπὶ δεμνίοις δὲ ξανθὸν χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
Μυρόχριστος λιπαρὸς βόστρυχον.

C A N D O R *erat, qualem præfert Latonia luna.*] Ouid. in IV. Metamorph. hoc ipsum, & id quod sequitur,

——— *& autumno candida mala rubent,*

Secutus, dixit,

Nais ab his tacuit, pueri rubor ora notauit,
Nescit, quid sit amor, sed & erubuisse decebat,
Hic color aprica pendentibus arbore malis,
Aut ebori tincto est, aut sub candore rubenti,
Cum frustra resonant æra auxiliaria luna.

V T *iuueni primum virgo deducta marito.*] Deduci, in coniugijs. Cic. apud Macrobium, in II. Saturn. *Comparauit hunc fundum Seruilia, tertio deducta.* Ex quibus verbis intellegimus, cum etiam tertio deduci solerent, Tibullum voluisse summum pudorem significare, qui, Primum deducta, dixerit. Eodem verbo, atque eodem in genere, Propertius est vsus in IV.

Qua mihi deductæ fax omen praetulit.

Et Tacit. in extremo XIV. *Huic primum nuptiarũ dies loco funeris fuit deducta in domum, in qua nihil, nisi luctuosum, haberet.*

V T *cum contexunt amaranthis alba puellæ Lilia.*] Multis modis huius suauitatem coloris poetæ significant. Verg. in XII.

Indum sanguineo veluti violauerit ostro
Si quis ebur, vel mixta rubent vbi lilia multa
Alba rosa, tales virgo dabat ore colores.

Et Propert. in II.

Nec me tam facies, quamuis sit candida, cepit,
Lilia non domina sint magis alba mea,
Et Mæotica nix minio si certet Hibero,
Vtque rosæ puro lacte natant folia.

I M A *videbatur talis inludere palla.*] Ouid. longam quoque vestem esse Pallam significat,

Verris humum Tyrio saturata murice palla.

Similiter Propert. in II. de Apolline:

Deinde inter matrem Deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

FVLGENS *testudine, & auro.*] Mira fuisse Lyrarum ornamenta, Ouidij versus ille etiam declarat,

Distinctamque lyram gemmis, & dentibus Indis.

Et Cassius Parmensis, in Orpheo,

Arguta primum cum plectra parentis, & auro
Distinctam sumpsit citharam Rhodopeius heros.

EDIDIT *hac tristi dulcia verba modo.*] In Sfortiæ libro, Sono, non, Modo. Modus autem, Τόνος, qui à Musicis dicitur. Ergo verba erant ipsa dulcia, & lugubria, ad modum adtemperata lugubrem.

B QVID *feras ora sequens.*] Vt illud, *Quid serus vesper vehat.*

ÆVIQVE *futuri.*] In Sfortiæ libro, atque vno meo, Quicumque non, Æuique quod quam possit efficere sententiam, non video.

ACCIPE, *vates.*] In Vaticano, Excipe. vt apud Cic. *Excepta vox est.*

QVODQVE *Deus.*] In Sfortiæ libro, Quidq;. In vno meo, Quidque.

SECVROS *non finit ire dies.*] Securos: vacuos à curis.

DIVERSASQVE *suas agitat mens anxia curas.*] In omnibus veteribus, non, Anxia, sed, Impia. Suas vero curas agitat, diuersas à te. id est, aliorum amores, non tuos, cogitat. Diuersas etiam curas sic dixit Verg. in XII.

Diuersæque vocant animum in contraria curæ.

NEC *gaudet casta pulchra Neæra domo.*] Verg.

Casta pudicitiam seruat domus.

TV *modo.*] Sic idem in IV.

Tu modo semper ama, salua puella tibi est.

Et Cic. in I. ad Att. *Tu modo nos reuise aliquando.*

CVM *multa bracchia tende fide.*] Supplex orabis, crediturus, si quid pollicebitur. vel, in fide permanens puellæ, nec ab eius amore discedens.

FERA *verba.*] In Vaticano, Fera bella. vt in vno meo.

NIVEAS *pauisse iuuencas.*] In Sfortiæ libro, *niueos pauisse iuuencos.* Nam ante etiam,

Pauit & Admeti tauros formosus Apollo.

Et, vt tradit Eustatius, Dionysij interpres, in Icaro insula religiose colitur Apollo Ταυροπῶλος.

FABVLA *ficta.*] Eodem in libro, Fabula facta.

NEC *similes chordis reddere voce sonos.*] Similiter Anacreon:

Θέλω λέγειν Ατρείδας
Θέλω δὲ Κάδμον ᾄδειν,
Α βάρβιτος δὲ χορδαῖς
Ερωτα μοῦνον ἠχεῖ.

Loquitur autem eodem modo Flaccus,

Sed neque chorda sonum reddit, quem vult manus, aut mens.

NESCIT.] Legendum, vt in veterib. Nescis.

NOSTRO *nomina.*] Lapsus operarum. legendum, Nomine.

AC *alium.*] Legendum, Atque alium. neque enim Ac coniunctio vocem, à vocali incipientem, præcedit.

NEC *tibi crediderim.*] In Vaticano, atque vno

A meo, *Non ego crediderim.*

NAM *te nec vasti genuerunt æquora ponti.*] Catull.

Quod mare conceptum spumantibus exspuit vndis.

NEC *flammam voluens ore Chimæra fero.*] Pindar. in Olymp. Καὶ Χιμαίραν πῦρ πνέοισαν.

NEC *canis anguinea.*] In Vaticano, atque vno meo, Nec consanguinea.

SCYLLAQVE *virgineam canibus submixta figuram.*] Iisdem in libris, Succincta, non, Submixta. quo modo etiam Verg.

Candida succinctam latrantibus inguina monstris.

ET *longe ante alios omnes.*] Lapsus operarum. legendum, Ante alias omnes. vel, vt in Vaticano, Ante omnes alias.

ET *iubeat tepidos irrita ferre Notos.*] In scriptis omnibus, Impia, non, Irrita. Ouidius in II. Amor. similiter,

Tu dea, tu iubeas animi periuria nostri
Carpathium tepidos per mare ferre Notos.

Notum quoq; calidum significat Lucan. in X.

——licet vsque sub Arcton
Regnemus, Zephyrique domos, terrasque premamus
Flagrantis post terga Noti.——

Idem Tibullus post, in eandem sententiam:

C *Quid precor à demens! venti temeraria vota,*
Aeriæ & nubes diripienda ferant.

Et Ouid. in I. de remedio amoris,

Nec mea dicta rapax per mare ventus agat.

Sic sæpe Horatius, atque alij, de ijs, quæ vellent irrita esse.

M. ANT. MVRETVS.

DI *meliora.*] Detestatur somnium, quo visus sibi erat audire ex Apolline, Neæram alterius viri amore captam esse: ipsiusque dei verbis eam admonet, ne quod eiusmodi consilium capiat.

D DESINITE *in votis.*] Suspicor legendum, *Desinite in vanis.*

DIVI *vera monent.*] In oraculis, & in extispiciis veritas inest, non in somniis.

VENTVRÆ *nuncia sortis.*] Non, vera nuncia, vt inepti exponunt: sed, exta nuncia venturæ sortis, vera monent.

TVSCIS.] Notum est, quantopere ea gens omni diuinarum rerum intelligentia credita sit excellere.

AT *natum in curas.*] Ita est in meo vetere libro:

E & melius videtur, quam quod in aliis legitur, *Et vanum metuens.*

IAM *nox ætherium.*] Describit tempus illud, quo vera somnia videri solent: vt è Theocrito & Horatio alibi docuimus.

SOLLICITAS *deficis ante domos.*] Qua hora ego nondum somnum videram, ea hora in domibus sollicitis, id est, quas incolunt naui, & industrij homines, nemo amplius dormit.

MYRRHEA.] Ita legendum est, non, vt in alijs, *Myrtea.* Horatius,

Myrrheum nodo cohibente crinem.

DIVERSASQVE *suas.*] Lego, *Diuersasque suis.*

HOC *alium.*] Ita emendaui è meo vetere libro: cum in aliis legeretur, *ac alium.* est autem simile

loquendi

loquendi genus illi Horatiano,

—— *alium sapiente bonoque.*

& illi, *Qui species alias veris.* ita enim legendum esse docuit nuper homo eruditissimus Dionysius Lambinus.

IANVS DOVSA FIL.

DII *meliora ferant, nec sint insomnia vera.*] Lucilius in XXVII. Satyr.

Dij maluerint meliora, atque amentiam auerruncassint tuam.

Vbi libens reposuerim:

Di annuerint meliora.

Sententia & versu ita exigente.

IAM *nox æthereum nigris emensa quadrigis.*

Mundum.] Quamuis *Mundus* ἁπλῶς pro cælo plerumque dicatur, tamen addit Epithetum, *ætherij*, quod imitatus Seneca in Hippolyto dixit:

—— *quaque æthereo*
Candida mundo sidera currunt.

Reliqua de noctis curru accurate excussimus supra capite IV.

CÆRVLEO *lauerat amne rotas.*] *Amnem* Oceanum dixit & hic & supra: *Solis anhelantes abluit amnis equos.* tum Homeri exemplo Iliad. T.

Ἐν δ' ἦλθε ποταμοῖο μέγα σθένος ὠκεανοῖο.

Tum Philosophorum, qui ab Oceano illo (Homero inquam) sententiarum suarum flumina deduxerunt. Aristoteles enim in I. Meteor. sic scribit: δεῖ δὲ νοῆσαι, τοῦτον ὥσπερ ποταμὸν ῥέοντα κύκλῳ ἄνω καὶ κάτω, κοινὸν ἀέρος καὶ ὕδατος. πλησίον μὲν γὰρ ὄντος τοῦ ἡλίου, ὁ τῆς ἀτμίδος ἄνω ῥεῖ ποταμὸς, ἀφισταμένου δὲ, ὁ τοῦ ὕδατος κάτω. καὶ τοῦτ' ἐνδελεχὲς ἐθέλει γίγνεσθαι κατά γε τὴν τάξιν. ὥστ' εἴπερ ᾐνίττοντο τὸν ὠκεανὸν οἱ πρότερον, τάχ' ἂν τοῦτον τὸν ποταμὸν λέγοιεν, τὸν κύκλῳ ῥέοντα περὶ τὴν γῆν.

IMA *videbatur talis illudere palla.*] Vide quæ de hoc loco notauit Pater in Præcidaneis Catullianis. Similis autem huius verbi significatio est etiam in illo Senecæ Thyeste:

Et curuata suis fœtibus ac tremens
Illudit patulis arbor hiatibus.

Quod imitatus illustre Bataviæ nostræ decus Ioannes Secundus in Basiis, quæ vel diuini illius viri Iulij Scaligeri testimonio, quouis nectare suauiora & planè diuina. sic autem ille:

Quà violisque rosisque & flauicomis Narcissis
Vmbraculis trementibus
Illudit Lauri nemus.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVÆ *tulit hesterna.*] Longe melius liber noster: *Qua tulit extrema. Extrema nocte*, hoc est, quarta vigilia. ὅτε τρίτατον νυκτὸς λάχος ἵσταται, ait Theocritus, & tunc sunt insomnia vera, si eidem & Horatio credimus. Quod extrema igitur nocte somnium hoc viderit, & ab eo verum esse intelligi vult, ipse indicat, quum ait:

——*quum summo Phœbus prospexit ab ortu,*
Pressit languentis lumina sera quies.

ITE *procul vani.*] Lege ex eodem libro:

Ite procul, vanum falsumque auertite visum.

DESINITE *in votis.*] Lege: *in vobis.* Desinite o insomnia, quærere vt in vobis fides repe-
A riatur. Diui enim vera monent; non vos. Exta indicant mentem Deorum: contra somnia ludunt hominum mentes.

AT *natum in curas.*] Hæc, omnia vulgus interpolatorum conspurcauit. Scripta lectio nullo modo mutari debet.

Et vanum ventura hominum genus omina noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Continuanda autem cum præcedentibus. Somnia, inquit, iubent pauidas mentes falsa timere, & vani homines noctis omina mola salsa deuenerantur.

B SPIRABAT *Tyrio murrhea.*] Virgilius:

——*crines*
Vibrati calido ferro, murrhaque madentes. Horat.
Murrheum nodo cohibere crinem.

Vbi tamen vetus interpres Pomponius Porphyrio: *colorem*, inquit, *myrteum in crinibus hodie quoque dicunt, qui medius est inter flauum & nigrum.* Vt videatur in Horatio *myrteum* legisse, non *murrheum.* Et sane in hoc etiam Tibulli loco liber noster habet scriptum *myrtea* non *murrhea.* Color ille, de quo scribit Porphyrio, non in crinibus solum dicebatur, sed in aliis quoque rebus. Pe-
C tronius: *Myrtea subornatus gausapia, cinguloque succinctus.* Isidorus lib. VI. cap. XI. *Nam & qui nummulariam discunt, denariorum formis myrteos pannos subijciunt.* Plin. de amomo: *frutice myrtuoso.* lege *myrtiolo.* Dioscorides: ξύλον ὑπόκιρρον. Columella: *Myrtiola modo crine viret*, nam Cinaræ flos, ὑπόκιρρος. Et ita Isidorus: *Myrteus*, inquit, *color pressus in purpura.* Nam Color ὑπόκιρρος est purpura fuscior. Sed in crinibus color est, quem Galli flauum castaneum dicunt: Pro Tyrio videtur legendum Syrio. Syrium rorem vnguentum malabatrinum intelligit.

NEC *fidum femina nomen.*] Val. Cato. in Di-
D ris, ——*& felix nomen agelli.* Silius V.

Quosve nefas vetiti transcendere nomen Iberi.

& XIII. ——*aut Ledæ rediturum nomen Amyclas.*

Item XVII. ——*fortissima quæque*
Nomina obit ferro——

MENS *est mutabilis illi.*] Vetus scriptura, *illis.* comprehendit omnes feminas.

SÆVVS *amor docuit.*] Hæc elegia cum reliqua parte libri huius, item & toto quarto extat in Bibliotheca clariss. viri Iac. Cuiacij. Quod fragmentum emendatissimum est, & eius ope multa menda in hoc poëta sustulimus. Illud igitur
E Fragmentum aliter hos versus legit, vt appareat, quomodo hodie leguntur, interpolatos esse. Ita igitur habet.

Sæuus amor docuit validos tentare labores.
Sæuus amor docuit verbera sæua pati.

Quare ita emendato.

PROMITTIT *Delius ipse Felix. hoc alium.*] Plane liber ille optimus habet, *Felix hoc.* non, vt editiones, *Felix, ac alium.* Sed harum interpunctionum confusione pulcherrima antiquitatis obseruatio obsolescit. Ita enim distinguendum:

Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse.
Felix hoc. alium desine velle virum.

Nam in conditione conuenta nuptiarum, aut sponsaliorum, dicebatur Feliciter, Felix hoc sit. Quod bene vortat tibi, & mihi. Iuuenalis:

Signata tabule, dictum, Feliciter. Plautus:
Quæ res rectè vertat mihique, tibique, tuæque filiæ
Filiam tuam mihi vxorem posco, promitte hoc fore.

FELIX.] *Felix* simpliciter, &c, *Felix hoc*, vt bene habet, simpliciter, & Hoc bene habet. Bonum sit, &c, Hoc bonum sit.

CANIBVS *submista.*] SVCCINCTA. Ex veteribus libris.

ET *diris non habitanda.*] Vel, vt vetus scriptura, *duris*, hoc est barbaris, vt dixit *Scythiæ tellus.*

ELEGIA V.

Vos tenet Etruscis manat quæ fontibus vnda,
Vnda sub æstiuum non adeunda canem,
Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
Cùm se purpureo vere remittit hiems.
At mihi Persephone nigram denuntiat horam.
Immerito iuueni parce nocere Dea.
Non ego tentaui nulli temeranda Deorum
Audax laudandæ sacra docere Deæ:
Nec mea mortiferu infecit pocula succis
Dextera; nec cuiquam tetra venena dedit:
Nec nos sacrilegos templis admouimus ignes,
Nec cor sollicitant facta nefanda meum.
Nec nos insanæ meditantes iurgia linguæ
Impia in aduersos soluimus ora Deos.
Et nondum cani nigros læsere capillos,
Nec venit tardo curua senecta pede.
Natalem primò nostrum videre parentes,
Cùm cecidit fato Consul vterque pari.
QVID fraudare iuuat vitem crescentibus vuis,
Et modò nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes vmbras quicunque tenetis,
Duraque sortiti tertia regna Dei.
A *Elysios olim liceat cognoscere campos,*
Lethæamque ratem, Cimmeriosque lacus,
Cùm mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque vtinam vano nequidquam terrear æstu:
Languent ter quinos sed mea membra dies.
B *At vobis Tuscæ celebrantur Numina nymphæ,*
Et facilis lento pellitur vnda manu.
Viuite felices, memores & viuite nostri,
Siue erimus, seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et niuei lactis pocula mista mero.

C

BERN. CYLL. VERON.

NOS *tenet Hetruscis manat quæ fontibus vnda.*] De seipso ægrotante mentionem facit. aduersa enim valetudine correptus per quindecim dies Romæ iuxta Tyberim iacuit: quapropter Proserpinam dominam mortis & vitæ rogat, vt sibi diutius viuere contingat, quippe & iuuenis est & piissimus.

FONTIBVS *Hetruscis.*] Non ex fontibus Thusciæ emanant aquæ, quæ iuxta Baias faciunt balneas amœnissimas. sed ait se Romæ fuisse æstiuo tempore cum Baijs morãdum esset: nam Tyberis defluit ex ea parte Vesuli montis quæ Thusciam spectat.

D

SVB *æstiuum non adeunda Canem*] Qui de Baijs intelligunt, asserunt Cane regnante Baiarum fontes esse periculosos. æstuant enim maxime & solaris feruor caliditatem propriam earum auget. Ideo æstatis tempore abstinendum est. Mart. ad Faustinum:

Horrida sed feruent Nemæi pectora monstri:
Nec satis est Baias igne calere suo.
Ergo sacri fontes & littora grata valete:
Nympharum pariter Nereidumque domus.

E

Alij de Romana vrbe dictum putant.

NVNC *autem sacris.*] Vernale tempus fuisse dicit quando æger erat, sacris verò fontibus pro morbos depellentibus.

SE *cum purpureo vere remittit humus.*] Remittit, idest, relaxat, aperit, soluit per aduentum veris. Virgilius,

——— *& Zephyro putris se gleba resoluit.*

Sed purpureum ver appellat flosculorum varietate, nec mirum: nam purpureus pro pulchro ab excellentibus poëtis vsurpatur. Virgil.

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Horat. Carm. IIII.

Pauli purpureis ales oloribus

namque olores albi sunt: non purpurei.

PERSEPHONE.] Proserpina: cuius in arbitrio nostræ vitæ potestas est. Virg. in Æneid.

Quæ luctantem animam, nexosque resolueret artus.

Hoc autem facit Tibull. veluti ante diem cadat.

NIGRAM *denunciat horam.*] Horam pro diecula mortem afferente. est enim (vt diximus) Proserpina vitæ nostræ arbitra. Martial. ad Lucinum:

Non omnes fallit, scit te Proserpina canum:
Personam capiti detrahet illa tuo.

Horat. itidem carm. I.

Mixta senum ac iuuenum densantur funera nullum
Sæua caput Proserpina fugit.

Nam & ea est, quæ nascentibus lucem præstat: vnde morientium dominam per lucis defectum putauit antiquitas. Ideo dicta est Iuno Lucina, & Iuno infera. Statius siluarum secundo:

Iam complexa manu crinem tenet infera Iuno.

Tiresia libro sermonum secundo introductus dare inopi consilium parandæ rei, quasi iam multa dixisset, inquit. —— *sed me*
Imperiosa trahit Proserpina: viue valeque.

Namque Pythagoras (teste Lactantio grammatico libro Thebaidos quinto) duo dixit esse hemispheria: quibus proprios deos assignauit: superioris Iouem & Iunonem reges fecit: inferioris Ditem & Proserpinam: quos Iouem infernum & Iunonem infernam vocauit. Secundum quem Virgil. ait: *Iunoni infernæ dictus sacer.* Ideo Persephonem intelligit, & est supplicationis genus ad Proserpinã per sermonis apostropham.

NON *ego tentaui.*] Probat à pietate se longiori vita dignissimum. Ordo est: Ego audax non tentaui docere sacra deæ laudandæ nulli deorum temeranda: & sit sensus: Quod non verbo læsit Cereris benignæ sacra, quæ nulli deorum publicare fas est. Fuerunt enim Cereris mysteria nulli profano homini detegenda. Quare Iuuenalis:

——*nec enim bonus & face dignus*
Arcana, qualem Cereris vult esse sacerdos.

Horat. itidem, Carm. III.

—— *vitabo qui Cereris sacrum*
Vulgauit arcana, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat phaselum.

Dixit de scelerato homine: cui dei ipsi fatum destinant ob suæ linguæ garrulitatem. Est autem laudanda Proserpines mater Ceres ob merita quæ in mortales contulit.

DOCERE.] Detegere, publicare, vulgare.

VENENA *certa.*] Certa, id est, præsentanea. certum quidem venenũ dicitur quod efficax est.

DEDIT.] Porrexit.

ADMOVIMVS *agros sacrilegis templis.*] Hoc est in sensu: non hortati sumus scelestos homines, vt sacra de templo sublegerent: vel aliter, non arcuimus ex templis ægros sacra colentes, & tamen admouimus pro expulimus legitur. Quidam textus habent, admouimus ignes, & est clarus sensus.

FACTA *nefanda.*] Sacrum dixit nefandum. non sollicitat cor meum per hypallagem, idest, non ego pectore scelus perpetrandum voluo,

A vel scelus nefandum vocat homicidium: quod facinus vexat facinorosos & curis & sollicitudine. Cicer. pro Roscio: *Sua quemque fraus & suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes conscientiaque animi terrent.*

IMPIA *in aduersos soluimus ora deos.*] Blasphemiam in deos coniecisse se negat.

NIGROS *capillos.*] Nigros pro teneros: nam respectu quo dixerat cani subdit nigros: aut significat se nigrioris capilli fuisse, & per talem verborum ambitum vult inferre quod nondum consenuit.

B CVRVA *senecta.*] Quippe percuruum facit hominem, vt —*baculoque adiuta senectus.*

TARDO *pede.*] Propter imbecillitatem, quam infert homini senio macerato.

CVM *cecidit fato consul vterque pari.*] Se natum dicit eo tempore quo Hircius & Pansa conciderunt in bello contra Antonium pro Decio apud Mutinam gesto, secundo, scilicet imperij Octauij anno. Suet. attestatur ambos consules opera Octauij occisos, vt solus imperaret: *Aquilius Niger Hircium in tumultu pugnæ interemptum ab Octauio dixit, sed Pansæ quoque mors suspecta, Glyconis medici veneno in vulnus indito.*

C QVID *fraudare iuuat.*] A simili arguit quod diutius viuere mereatur.

VVIS *crescentibus.*] Vuæ non maturæ dicuntur semper excrescere vsque quo ad maturitatem peruenerint.

POMA *modo nata.*] Poma intelligit, quæ vix è ligno prodierint, & mala manu dixit, vt Virg.

Atque mala vites incidere falce nouellas.

TERTIA *regna.*] Tertium regnum vocatur infernus locus infra terram. Ferunt enim fabulamenta sortibus olim in vrnam coniectis, Ioui cælum, Neptuno aquam, Infernum Plutoni contigisse.

D CIMMERIOS *lacus.*] Cimmerij populi sunt in Asia, qui quoniam remotiores sunt à nobis, apud inferos esse putantur, habita consideratione ad mundi dispositionem, secundum antiquam maiorum nostrorum rationem. Cimmerij, enim Græce Cimbri vocantur, à quibus Bosphorus Cimmerius nominatur. De his in IIII. amplè dicemus.

TEMPORA *prisca.*] Senes semper transacta laudant, præsentia obscurant.

TERQVINOS *dies.*] Quindecim dierum ægritudine.

E ET *facilis lenta pellitur vnda manu.*] Eleganter versiculum fecit dum intendit dicere innato, Namque dum natatur aqua impellitur natantis manuum agitatione.

NON *velint.*] Pro nolint, sicuti non scio pro nescio. Sed sciendum aliquid semper inter vtrũque poni venustatis gratia.

NIGRAS *pecudes.*] Vt super:

Concidit ad magicos hostia pulla deos.

Nempe pecus villi nigrioris diis inferis, quod obscuritate gaudent, cæditur ad sacrificium.

ET *niuei lactis pocula mixta mero.*] Ita mos sacrorum exigit: nam manibus purum vinum, & lac recẽs, idest, statim mulctum: aut id quod post

fœtum, quod colustrum vocant, libabant. Virgil.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

ACHILLES STATIVS.

NOS *tenet Etruscis manat quæ fontibus vnda.*] Calidar. aquar. in Tuscis mẽtionem facit Varro de lingua Lat. lib. IIX. cuius verba, quo modo mihi legenda videntur, ponam. *Sic Aqua calida, à loco, vt quæ ibi scaterent. cum vero colerentur, & venissent in vsum nostris, tum aliæ ad alium morbum idoneæ visæ sunt. Hæ cum plures essent, vt Puteolis, vt in Tuscis.* Et quæ sequuntur. Sed in Vaticano etiam pro, Fontibus, legebatur, Montibus. consentanea lectio Lucretianæ in VI.

Is lacus est Cumas apud, Etruscos & montes,
Oppleti calidis vbi fumant fontibus auctus.

NVNC *autem sacris Baiar. maxima lymphis.*] Etruscæ quidem aquæ, nullo modo per æstatem adeundæ: at nunc, id est vere ineunte, etiam ipsis Baiar. aquis maximæ, atque optimæ, videntur. Dandi enim casu, Sacris lymphis, positum accipio. Quo sane modo difficultas omnis tollitur, quæ multos exercuit, eosque adegit adeo, vt veterem lectionem commouerent, multaque inepta, & commenticia inculcarent. nec enim in Bais erat, qui etiam in extrema Elegia. in Tuscis esse se, demonstrat Horatius in I. Epist. etiam per hiemem Baianas aquas non probasse Musam Antonium significat, ——*nam mihi Baias,*

Musa superuacuas Antonius: & tamen illis
Me facit inuisum, gelida cum perluor vnda
Per medium frigus.——

Sacris autem, τοῖς ἀποσβεννύουσι τὰς νόσους.

CVM *se purpureo vere remittit humus.*] In Vaticano, non, Vmus, sed, Hiems. quo modo etiam Lucanus loquitur in I. *Et, qua bruma rigens, ac nescia vere remitti.*

LAVDANDÆ.] Contra, de Osyri, Vergil. *Illaudatus Osyris.*

DOCERE.] Vulgare.

NEC *cuiquam.*] In Florentino, Non vmquam.

CERTA *venena.*] In Sfortiæ libro, Tetra venena.

DEDI.] In scriptis omnibus, Dedit, vt olim Aldus.

NEC *nos sacrilegos templis admouimus ignes.*] Sic omnino in vno meo. In altero, atque in Sfortiæ libro,

Nec non sacrilegis templis admouimus ægros.

In Vaticano, & Marcelli Pont. Maximi, Sacrilegos ægros. Ego legendum putabam, *Sacrilegi templis admouimus ignes.*

NEC *cor sollicitant facta nefanda meum.*] Idem ante,

Si mea nec turpi mens est obnoxia facto.

IVRGIA *linguæ.*] In Vaticano, & Florentino, atque vno meo, non Linguæ, sed Mentis.

IMPIA *in aduersos soluimus ora Deos.*] Sæpe sic. In I. eleg. III.

——*tumidum non me periuria terrent.*
Non dicta in sanctos impia verba Deos.

A Hoc ipso libro, Eleg. IV.

Nec læsit magnos impia lingua Deos.

Et in IV.

Dicit in æternos aspera verba Deos.

Sed hor. versuum duor. sententia eadem prope apud Æschylum. Ἔπτα ἐπὶ Θήβαις· Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖ δρᾶν παρεσκευασμένος, Θεοὺς ἀτίζων κ' ἀπογυμνάζων στόμα Χαρᾷ ματαίᾳ θνητὸς ὢν ἐς οὐρανὸν Πέμπει, γεγωνὰ Ζηνὶ κυμαίνοντ' ἔπη. Et apud Euripid. in Herc. furente: Τίς ὁ θεὸς ἀπέμφαινε χάριν, θνητὸς ὢν ἀφροσύνας λέγων οὐρανίων μακάρων κατέβαλ', ὡς ἄρ' οὐ σθένουσι θεοί. Arriani in sententiis quamquam non tam simile, at eiusdem generis illud, Μακάριοι δ' ἐπὶ ψόγῳ αὐτοῖς ἵστανται.

B NATALEM *primo nostrum videre parentes.*] In Sfortiæ libro, Nostri, non, Nostrum.

CVM *cecidit fato.*] Eodem est vsus versu, tamquam suo, Ouid. in Tristibus.

ET *modo nata mala vellere poma manu.*] In Vaticano, Lædere, non, Vellere. Sed Ouid. illo modo legisse videtur, hunc imitatus locum, in II. Amor.

Quid plenam fraudas vitem crescentibus vuis?
Pomaque crudeli vellis acerba manu?

C Mala manu, dixit etiam Plautus in Amphitr.

Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu.

PALLENTES *vmbras.*] In scriptis omnibus, Vndas, non, Vmbras. Idem: *Pallida, Ditis aqua.*

LETHÆAMQVE *ratem.*] Idem, opinor, alibi: *Lethæa cogerer ire rate.*

CIMBRIOSQVE *lacus.*] In scriptis omnibus, Chimerios. Scribendum forte, Cimmerios: à populis, qui inter Baias, & Cumas.

TERREAR *æstu.*] In Vaticano, Torrear.

ATQVE *mihi.*] In nullis scriptis libris hoc modo. sed, Atque nobis: vel, At nobis: vel,

D Et nobis. Itaque, cum in pluribus sit, At nobis, retinendum.

CELEBRANTVR.] Coluntur. quo verbo est vsus Varro.

ET *facilis lenta pellitur vnda manu.*] Facilem aquam Propert. etiam dixit, in I.

Alterna facilis cedere lympha manu.

SEV *nos fata fuisse velint.*] In vno meo, Volent, non Velint.

M. ANT. MVRETVS.

E LAVDANDÆ *dea.*] Videtur exprimere voluisse epitheton ἐπαινή, quod Græci tribuunt Persephonæ. Hesiodus,

Ἰφθίμου τ' Ἀΐδεω, καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης. Homerus,

Κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν.

Græci tamen grammatici aliter id nomen interpretantur.

CVM *cecidit fato.*] Eodem illo anno cum se natum significaret Ouidius, hoc eodem versu vsus est. ita enim scribit,

Editus hinc ego sum: nec non, vt tempora noris,
Cum cecidit fato consul vterque pari.

PAREITE *pallentes vndas.*] Sic supra.

——*pallida Ditis aqua.*

In alijs, *Vmbras.* & sic Virgilius,

Pallentes vmbras Erebi.

AT *vobis.*] Inepte in aliis legebatur, *Atque mihi.* ego mei veteris libri scripturam repræsentandam curaui.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NOS *tenet.*] Plane ex contextu ipso legendum *Vos.* quod iam à doctis viris animaduersum.

NVNC *autem sacris Baiarum maxima.*] *Maxima Baiarum.* quia omnia θερμὰ ὕδατα vocabantur Baiæ, à Baijs illis Campaniæ. Martialis:

Stratasque non vnas tingant triclinia Baias.

Sidonius: *Ibis Phocida, Sentiasque Baias.*

Idem apud eundem *Calenses Baiæ.*

Mirantur tamen docti viri quid sit hic Baiarum. adeo vt integram lectionem contaminare veriti non sint. Mens Tibulli. Aqua hæc non adeunda Caniculæ sidere confecto. at vere nullæ calidæ aquæ cum illa comparandæ. Vides apertissimum sensum. Quas autem aquas intelligat in Etruria, quum plurimæ in ea regione fuerint, nescio. Strabo: πολλὰ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν τυῤῥηνίαν. τῷ πλησίον δ' εἶναι τῆς ῥώμης, οὐχ ἧττον εὐανδρεῖ τῶν ἐν Βαΐαις, ἃ διωνόμασαι πολὺ πάντων μάλιστα.

NVLLI *temeranda deorum.*] Hæc quoque lectio extat in codice infimæ vetustatis. sed diligens librarius *Deorum* expunxit, & sua manu eodem tractu, *virorum* apposuit quod verissimum est. Non enim attinet de diis loqui. quum pœna irrogata sit hominibus, qui sacrum Cereris & Proserpinæ vulgarint. Horatius:

—— vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat phaselum——

LAVDANDÆ *dea.*] τῆς ἐπαινῆς φερσεφονείας. Proserpinæ & Cereris sacra intelligit, quæ alij μυστήρια, & initia vocant. Sed & ipsa Ceres ἐπαινὴ dicebatur, quod ex epigrammate Crinagoræ libro primo Anthologiæ constat:

Εἰ καὶ σοι ἑδραῖος ἀεὶ βίος, οὐδὲ θάλασσαν
Ἔπλως, χερσαίας τ' οὐκ ἐπάτησας ὁδούς.
Ἔμπης Κεκροπίης ἐπιβήμεναι, ὄφρα κ' ἐκείνας
Δήμητρος μεγάλας νύκτας ἴδῃς ἱερῶν.
Τῶν ἄπο κἀν ζωοῖσιν ἀκηδέα, κ' εὖτ' ἂν ἵκηαι
Ἐς πλεόνων, ἕξεις θυμὸν ἐλαφρότερον.

In vulgatis editionibus ridicule legitur:

Ὄφρ' ἐν ὀκείαις Δήμητρος.

Est autem Epigramma hoc Crinagoræ notatu & explicatu dignum in eo, quod eos, qui mysteria Eleusinia viderint, & in hac vita, & morte obita felices dicat futuros, quod tangit Hercules apud Euripidem: —τὰ μυστῶν δ' ὄργι' ηὐτύχησ' ἰδών. Duplicia enim erant mysteria, minuscula, & maiuscula Minuscula quidem quotannis mense Anthesterione instaurabantur: maiuscula autem quinto quoque anno, mense Boedromione. Initiandi igitur dicebantur Μύσται per totum quadriẽnium, in quo præceptis superstitionis Eleusiniæ informabantur, ipso mense Anthesterione, minusculis mysteriis: quinto autẽ anno ineunte ad ipsa sacra admissi ἐπόπται dicebantur, maiusculis mysteriis mense Boedromione, nempe ab eo quod illis sacra inspicere permitteretur, quæ quidem fiebãt intra sacrarium, quum antea Mystæ prohiberentur aditu sacrarij, & intra vestibulum cõsistere cogerentur. Seneca natural. quæst. lib. VII. cap. XXXI. *Non semel quædam sacra traduntur. Eleusis seruat, quod ostendat reuisentibus. Rerum natura sacra sua non semel tradit. Initiatos nos credimus, in vestibulo eius hæremus. Illa arcana non promiscue, neque omnibus patent. Reducta & in interiore sacrario clausa sunt.* Ergo ante sacrarium, non in sacrario Mystæ consistebant, nempe in ipso vestibulo, quod Græcy ὑπαίθρον, Latini etiam Subdiual vocant. Quia vero summa felicitas eis promittebatur, qui illis sacris initiabantur, vt ex Crinagora, & Euripide ostendimus, & solido quadriennio cogebantur expectare illam felicitatem, propterea summis suspiriis & gemitibus illud tempus desiderabãt, quo in illa ἐποπτικὰ admitterentur. Quando, inquiebant, licebit nobis in illa adyta admitti, & tantæ felicitatis compotes fieri? Ideo eleganter vocat illa vota Tertullianus Epoptarum suspiria: Et quia sero ac vix tandem, nempe post quadriennium Epoptæ fiebant, & ad sacrarium admittebantur, propterea aditus τῆς ἐποπτείας cruciari dicit idem Tertullianus: quod nimirum nisi post longam expectationem ea sacra inspicere non permitterentur. Porro minuscula mysteria erat κατήχησις & informatio maiusculorum: & per ea ad illa deducebantur, teste Plutarcho in Demetrio. Vnde elegantissime somnum esse μικρὰ μυστήρια mortis dixit Euripides:

Ὕπνος δὲ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια.

Nempe quod somnus mortis sit imago & informatio quædam, vt minuscula mysteria sunt gradus ad maiuscula. Itaque maiora mysteria dicebantur ἐποπτικά. Plutarchus Demetrio: ἔγραψεν, ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν πᾶσαν ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. Post quadriennium statim ad ἐποπτείας admittebantur: aliquando differebantur in annum sequentem, siquidem verum dicit Plutarchus ibidem: ἐπωπτεύετο δὲ τοὐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλείποντες. Sed errat. Nam μεγάλα μυστήρια, quibus solis licebat ἐποπτεύειν, quinto quoque anno, non etiam sexto instaurabantur. Tertullianus autem quum dicit Epoptas institui solitos quinquennio, vtitur idiotismo, quo Olympias πεντετηρὶς & Octaeteris dicitur Enneaeteris: Præterea alio idiotismo, quum dicit Epoptas instituere, qui nondum essent epoptæ, sed mystæ: quomodo dicuntur milites & gladiatores institui, antequam sint milites aut gladiatores, quum adhuc tirones sint. Pythagoras qui Philosophiã suam vocabat mysteria, per omnia illorum Eleusiniorum ritus & nomina æmulabatur. Quadriennium silebant Eleusiniaci, vt præter alios tam Græcos, quã Latinos etiam Tertullianus monet. At Pythagorei quinquennium solidum silentio operabantur, quod ipsis dicebatur ἐχεμυθία. Eleusiniaci toto silentij quadriennio dicebantur mystæ: Pythagorei toto ἐχεμυθίας suæ tempore dicebantur ἀκουστικοί. Mystæ intra vestibulum sacrarij continebantur. Pythagorei ἀκουστικοὶ extra sindonem, siue velum secretario illius Philosophiæ obtentum: quo nomine dicebantur ἐξωτερικοί.

Post quadriennium Eleusiniaci intromittebantur ad ἐποπτείαν, & dicebantur Epoptæ. Pythagorei post quinquennium intra velum recipiebantur, & dicebantur ἐσωτερικοί, quia ἔσω σινδόνος ἐπήκουον τοῦ Πυθαγόρου μετὰ τοῦ καὶ βλέπειν αὐτόν, πρότερον δὲ ἐκτὸς αὐτῆς καὶ μηδέ πω αὐτοῦ ἑωρῶντες. Itaque, vt diximus, Eleusiniacorum sacrorum simiæ erant Pythagorei. Sed & vetustissimi quoque Christiani ab iisdem sacris nomina Mystarũ & Epoptarum mutuati sunt. Nam qui Eleusiniis Mystæ, ij ipsis κατηχούμενοι, dicebantur. Ausonius vero Mystas etiam vocat:

Et deuota pij celebrant ieiunia Mystæ.

Hoc est κατηχούμενοι & cãdidati τῆς εὐχαριστίας. Nam non leuiter errant, qui Mystas apud Ausonium Sacerdotes interpretantur, veterum Ecclesiasticorum locis aliis decepti. Quemadmodum per quadriennium Eleusiniaci aditu sacrarij arcebantur: ita etiam toto κατηχήσεως tempore Mystæ Christiani sacræ synaxi interesse vetabantur. Quando vero ad κοινωνίαν recipiebantur, tunc & ἐπόπται dicebantur, & ipsa κοινωνία ἐποπτεία, vel ἐποπτικὴ θεωρία. Clemens Alexandrinus: τὸ βρῶμα δὲ τὴν πλείονα τροφὴν πρὸς τῷ Ἀποστόλῳ εἴρηται. γάλα μὲν ὁ κατήχησις, οἱονεὶ πρώτη τῆς ψυχῆς τροφὴ νοηθήσεται· βρῶμα δὲ ἡ ἐποπτικὴ θεωρία. Rursus multis suspiriis desiderabant ἐποπτεύειν Eleusiniaci. Eodem modo, de quo minime dubium est, & κατηχούμενοι illum felicem diem τῆς κοινωνίας multis votis & desideriis prosequebantur. Vnde, nisi fallor, ipsa κοινωνία dicta est Desiderata. In Glossis: *Desiderata* λειτουργία, ποθητή. Quid enim aptius potest dici. Nam κοινωνία est ποθητή, & functio ipsius λειτουργία. Atque hæc quidem nos fusius persecuti sumus præter morem nostrum, vt amicis nostris satisfaceremus, quibus correctiones nostræ in Tertulliani prologo in Valentinianos valde probatæ sunt, sed caussas à nobis exigebant. Nam, vt alibi monuimus, ineptissime legebatur, *quum & portas ante quinquennium instituant*. Recta lectio est: *quum Epoptas ante quinquennio instituant*. Rursus ineptius. *tot suspiria portarum*. Nos, *tot suspiria Epoptarum*. Nam nihilo consultius Beatus Rhenanus suspiria in sipparia mutauerat. Quod si & vulgatam lectionem Tertulliani sequeris, & quid sit Epopta ignoras, nunquam mentem Tertulliani toto illo proœmio assequeris.

Nec *cuiquam certa venena*.] Fragmentum illud peruetustum: *trita venena*. recte. potest &, *tetra venena*.

Nec *nos sacrilegos templis admouimus ignes*.] Locus deformatissimus, & à Grãmatistis, quia non intelligebant, interpolatus. At nemo vidit vnquam sacrilegum incendere templa, vt ea spoliet. quid enim spoliabit incendiarius, cui ignis nihil reliquum fecerit? Nostra scriptura:

Nec nos sacrilegi templis admouimus agros.

Quod sane non ita debuit istis acutis correctoribus displicere, vt saltem non considerarent, vera ex illis lectio elici posset necne. quod tamen fieri potest, ita:

Nec nos sacrilegi templis admouimus ergo.

Nec, inquit, sacrilegij ergo admouimus nos templis, hoc est, direximus nos in templa, eorum diripiendorum caussa. Sic supra:

Num feror incestus sedes adiisse Deorum,
Sertaque de sanctis diripuisse focis? Item:
Aut rapiam suspensa focis insignia sacris.

Veram igitur lectionem dicamus licet, quam proposuimus.

Nec *nos insanæ meditantes iurgia linguæ*.] Tale illud:

Num Veneris magnæ violaui numina verbo?

Quum *cecidit fato*.] Hic versiculus quoque totidem verbis extat apud Ouidium. Quare eodem die nati duo summi poëtæ Tibullus & Ouidius. Mirum vero quare Ouidius dicat Tibullum se maiorem fuisse, qui tamen ne vno quidem die maior erat illo. Quid enim volunt illa.

Virgilium vidi tantum, nec auara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi:
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Vtque ego maiores, sic me coluere minores.
Notaque non tarde facta Thalia mea est.

Equidem hæc non possum concoquere. Rursus Tibullus ait se in contubernio Messallæ fuisse bello Aquitanico. Atqui Messalla triumphauit de Gallis, vt supra vidimus, anno ab vrbe condita DCCXXVII. quando Tibullus sexdecim annorum erat tantum. Ergo XV. annos natus sequutus est Messallam in bellum, & fortasse minor XV. annorum adhuc in prætexta, quod tametsi fieri potuit, tamen cum iis, quæ adduximus ex Ouidio comparatum iustas dubitationis caussas subministrat, & suspitionem auget. Quod si dixeris suspectum quoque esse versiculum hunc, præsertim quum extet apud Ouidium; ideoque Tibullum ante Ouidium natum videri: respondemus ipsum Tibullum decessisse iuuenem teste Domitio Marso. Atqui obijsse eum idem Domitius Marsus scribit eodem tempore, quo Virgilium. Obijt autem Virgilius C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vispillone Coss. hoc est annis XXIIII. post consulatum Hirtij & Pansæ. Itaque si ita senem facias, vt eum inter antiquiores seponere possit Ouidius: non potuerit mori iuuenis. Istos scrupulos merito iniecit mihi hic versiculus, de quo eruditioribus amplius deliberandum relinquimus.

Qui *fraudare iuuat vitem*.] Tale illud:

——*quid messes vris acerba tuas?*

Seu *nos fata fuisse velint*.] Abstinet mentione mortis. Plaut. *pene hic nobis fuit Phronesium*, id est, μικροῦ ἀπώλετο.

Et *niuei lactis pocula mista mero*.] Similis potio illi quam Burranicam appellabant.

ELEGIA VI.

Candide *Liber ades. sic sit tibi mystica vitis,*
Sic edera semper tẽpor[...] feras.
Aufer & ipse meum p[...]icando dolorem:
*Sæpe tuo cecidit [...]

Care puer, madeant generoso pocula Baccho:
Et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores:
Fulserit hic niueis Delius alitibus.
Vos modò proposito dulces faueatis amici,
Néve neget quisquam me duce se comitem.
Aut si quis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos Deus, ille ferocem
Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fuluas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & maiora valet: sed poscite Bacchi
Munera. quem vestrum pocula sicca iuuant?
Conuenit ex æquo, nec toruus Liber in illos,
Qui se, quique vna vina iocosa colunt.
Iam venit iratus nimium, nimiumque seuerus.
Qui timet irati Numina magna, bibat.
Quales his pœnas Deus hic, quantasque minetur,
Cadmeæ matris præda cruenta docet.
Sed procul a nobis hic sit timor: illaque si qua est,
Quid valeat læsi, sentiat, ira Dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota
Aëreæ & nubes diripienda ferant.
Quamuis nulla mei superest tibi cura Neæra,
Sis felix, & sint candida fata tua.
At nos securæ reddamus tempora mensæ.
Venit post multos vna serena dies.

BERN. CYLL.

B
C
D
E

[illegible]

Sfortiæ
quod est
, *illaque sic*
ubes diripien-
nus vsurpa-

Plurimus hic æger moritur vigilando.

Qu. Serennius:

Noxia sæpe sibi nimium madendo fuerunt.

Martialis ad Zoilum:

Felicem cœnam Zoile dando tuam: &c.

quæ perrara sunt.

MVNERE.] vino à Baccho reperto, & mortalibus donato in vsum vitæ felicioris.

PVER.] minister, pincerna.

GENEROSO.] nobili & loco & tempore.

ET *nobis prona funde Falerna manu.*] hoc dicto eleganti id Catullianum non est minus pulchrum,

Minister vetuli puer Falerni
Inger, mi, calices amariores.

ITE *procul durum curæ genus.*] appositio est curæ durum genus. Curę dicuntur quod cor vrant. Igitur & graues sunt, & dicendo Ite, iocosè vtitur ad rem inanimatam sermone.

DELIVS.] Apollo: à Delo natali insula.

NIVEIS *alitibus.*] aut quasi Apollo augur omen dederit hilaritatis & felicitatis hoc dixit, aut se vino operam impendere quoad Sol pulcherrimus oriatur intelligit. Horatius Carminum III.

Viuæque producent lucernæ
Dum rediens fuget astra Phœbus.

PROPOSITO.] instituto meo.

ME *duce.*] principe seu primario, quem Archipinon seu Archipotem vocamus. Namque in sodalitio veteres regem faciebant sortibus iactis. Horatius Carminum primo.

Nec regna vini sortiere talis.

Et alibi:

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

MITE *certamen.*] suauem concertationem in bibendo plurima vini pocula. Maiores enim nostri tot cyathos vini bibere in conuiuio consueuerunt, quot annos amica sua haberet, aut quot in eius nomine essent literæ. Martialis:

Neuia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno,
Et quia nulla venit tu mihi Somne veni.

Certamen ergo mite dixit cum alter alterum studet bibendo vincere: nam & in compotationibus sacrorum tot quoque vini pocula ingurgitabant, quot annos viuere cupiebant. ideo Ouid. fastorum III.

Sole tamen vinóque calent, annósque precantur
Quot sumant cyathos, ad numerúmque bibunt.
Inuenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.

RECVSET.] tanquam reliquis sapientior.

FALLAT *eum tecto cara puella dolo.*] dira est amantibus imprecatio, vt cara fœmina amatorem decipiat cum altero iniens.

ILLE.] Bacchus.

DITES *animos.*] vinum homines hilarat, & fœcundiora ingenia reddit: vnde lectum est Ennium non nisi epotum composuisse carmen egregium. Et Horatius dixit Carm. III.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Ideo Propertius elegiarum IIII. ait:

A *Ingenium positis irritet musa poëtis,*
Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.

Quin Græci putauerunt sapientiæ vim augeri vino: vnde Horat.

Munitaque adhibe vim sapientiæ.

ARMENIAS *tigres.*] quippe in Armenia tigres sæuissimæ nascuntur, quæ (vt Solinus refert in memorabilibus) iccirco Bacchi currum trahere simul cum lyncibus feruntur, quod vtrumque animal vino & vua depascitur. Has dixerunt poëtarum fabulamenta à Baccho perdomitas ad iugum trahendum. Horatius Carminum III.

Hac te merentem Bacche pater tuæ
B *Vexere tigres indocili iugum*
Collo trahentes. ——

MOLLIA *corda dedit.*] idest, mansuefecit animalia effera.

SICCA.] sobria.

CONVENIT *ex æquo.*] vtile & conueniens est ex æquo id est, iusta parte.

SE.] ipsum Bacchum.

VINA *iocosa.*] quibus iocosi homines fiunt: Nam si immodicè bibantur, faciunt eos contumeliosos. Ideo Horat. Carm. I.

At ne quis modici transiliat munera Liberi:
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata. ——

C IAM *venit.*] pro veniet. hæc temporum mutatio fit cum repentinum adesse malum existimamus. Sic in alteram partem Lucanus:

—— *Vicimus ô socij.*

BIBAT.] nempe statim flectetur numen.

HIS.] qui bibere recusant.

CADMEÆ *matris præda cruenta docet.*] argumentum sumptum ab exemplo Penthei: quod Bacchus est iniuriarum persequentissimus. Pentheus fuit Echionis filius & Agaues Cadmi filiæ, qui cum Liberi sacra non modo negligeret, sed matrem etiam, reliquumque fœminarum gregem ab eis prohiberet, fortè visus à bacchante
D genetrice pro fera discerptus est. Porphyrio tamen commentator carminum II. scribit Pentheum fulmine ictum interiisse, quod Liberum patrem teneret in custodia.

PRÆDA *cruenta.*] putauit enim Agaue filium procul conspectum esse feram, dicente Ouidio Metamor. III.

Ille aper in nostris errat qui maximus agris
Ille mihi feriendus aper.

ILLAQVE *siqua est.*] malum Neæræ imprecatur.

IRA *dei.*] quoniam illa Tibullum amantem
E spernit.

QVID *precor ah demens.*] correctio est ex instabilitate amantis.

VENTI *contraria vota Aëria nubes diripienda ferant.*] antiquus est in dicendo modus quoties vim verbis suis inesse volunt, qua quoque oratione demonstrabant vanum verborum exitum. Catullus ad Alfenum perfidum amicum:

Ventos irrita ferre ac nebulas aërias finis.

Vnde Statius de Achille præmissorum frustrationem volens ostendere inquit:

Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.

AT *nos secura reddamus tempora mensa.*] hoc est, sine iurgio & rixa conuiuemur. Ita Horatius Carminum tertio.

——*procul omnis esto Clamor & ira.*

Præterea dicit in crastinum nihil prospiciamus, & hora præsenti dona læti capiamus.

ACHILLES STATIVS.

CANDIDE *Liber, ades.*] Candidum quoque dixit Ouid. in III. Fast.

Restat, vt inueniam, quare toga libera detur
Luciferis pueris, candide Bacche, tuis.

SIC *sit tibi mystica vitis.*] Mystica, sacra. Modus autem bene precandi, etiam Græcis vsitatus. Lucilius in II. Epigram. Græcorum εἰς λαμίδη γύς.

Οὕτω σοι π , δωύσε παρὰ φρεσί.

SIC *edera semper cornua vincta feras.*] in plerisque scriptis libris ordo verborum hic, Semper sic edera. Bacchum quoque lætum edera significat Eurip. in Cyclope: Κισσῷ τὸν φιλομανφέρα βρόμιον, παθὼν εἰσιδὼν ἔχω. Cur autem Hedera, vtroque enim modo scriptum inuenio, in Liberi tutela sit, caussas adfert Fest. Pomp. in verbo, Hedera. Propert. in IIII.

Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.

Et idem, de Bacchi cornibus in III.

Quod superest vitæ, per te, & tua cornua, viuam.

FERAS.] in Florentino, Geras.

AVFER *& ipse meum pariter, medicando, dolorem.*] Ego, etiam nullis veteribus libris auctoribus, legendum puto, Medicande. Est enim mollius, atque aptius politissimo poëtæ. Et, o, finale perrarro illius sæculi poëtæ, præterquam in quibusdam verbis, corripuerunt.

PRONA *fun le falerna manu.*] in Sfortiæ libro, Plena, non, Prona. id est, large. vide Prouerbium, Plena manu.

ITE *procul, durum curæ genus.*] in Florentino, Dirum, non, Durum. Sic ante, Ite procul vani. Et in primo,

Vos signa, tubæque Ite procul.

LABORES.] vt Græci, πόνοι, id est, angores animi.

FVLSERIT *hic niueis Delius alitibus.*] Vergil. etiam, Vates, addidit, in VI.

——*cui mentem, animumque*
Delius inspirat vates.——

Sed in Florentino, legitur, Fluxerit, non, Fulserit. Optat autem, vt eo Apollo equis, quibus vtitur, alatis, quasi defluat suprema tempestate, cum genio sit indulgendum. Similiter Horat. in IV. ad Venerem.

Tempestiuius in domo
Pauli, purpureis ales oloribus,
Comessabere Maximi.

VOS *modo proposito dulces faueatis amici.*] Plin. in extremo Panegyrico: *Vos modo fauete huic proposito, & credite.*

NE-VE *neget quisquam, me duce, se comitem.*] sic loquitur etiam in I. de Arte amandi Ouid.

Si qua repugnabat nimium, comitémque negabat.
Sublatam cupido vir tulit ipse sinu.

AVT, *si quis.*] in Sfortiæ libro, atque vno meo.

A AT, *si quis vini certamen mitt.*] Horat. in IIII.

Nec certare mero.

RECVSAT.] in Vaticano, & quibusdam aliis, Recuset.

ILLE *facit dites animos Deus.*] Horat. de vini laud. in I. Epist.

Spe cum diuite manet In venas,

ILLE *ferocem Contudit.*] in Sfortiæ libro, & Florentino, Feroces, non, Ferocem.

ET *fuluas ille leænas.*] in Vaticano, atque vno meo, Et fuluos ille leones.

ET *maiora voles.*] in vno meo. Et maiora valet.

B In Sfortiæ libro, & maiora dedit.

BACCHI *munera.*] similis Ouidi periphrasis, panem significantis,

Cereris sine munere——

Et Horatius in IV.

Inter iocosi munera Liberi.

POCVLA *sicca.*] & Cic. & Horat. Siccare calices, & pocula, dixerunt.

NEC *tenuus Liber in illos.*] in scriptis omnibus, In illis. Sed illud omnino rectius.

QVI *se quisque vna.*] in nonnullis, Qui se quisque, quod non placet.

IAM *venit iratus nimium.*] in vno meo, Nam venit. In ceteris omnibus, Non venit. illud rectius,

C

QVALES *his pœnas.*] in vno meo, Quales is pœnas. Is. per. I. simplex dandi casu, more veterum.

CADMEÆ *matris pœna cruenta docet.*] Agaue, Cadmi filia, spretis Liberi patris sacris, Pentheum filium, errore obiecto à Libero patre, miserabiliter dilaniauit.

ILLAQVE *si qua est.*] Illa: mater Cadmea.

SI *qua est.*] nisi ficta res est, & commenticia.

VENTI *temeraria vota Aëriæ & nubes diripienda ferant.*] Catullus.

——*ac tua dicta omnia, factáque*
Ventos irrita ferre, ac nebulas aerias finis.

D Poëtæ, opinor, Græci, ἀνέμοι φέροιεν.

SIS *felix.*) Verg. actiue posuit, Sis felix.

ET *sint candida fata tua.*) in Vaticano, non, Tua, sed, Tibi. Candidius fatum dixit etiam Ouid. in III. Tristium,

Dignus es, & fato candidiore frui.

Propert. in IV. Omina candida.

——*Date candida ciues Omina.*

SECVRÆ.) oblitæ, & curarum nesciæ.

VENIT *post multos vna serena dies.*) in Sfortiæ libro, atque vno meo, Post multas. quod est aptius.

E

M. ANT. MVRETVS.

ILLAQVE *si qua est.*) libri veteres, *illaque sicque*, ego legendum puto, *illaque sicca.*

TV *puer & liquidum.*) malim, *Tu puer huc liquidum.*

IANVS DOVSA FIL.

VENTI *temeraria vota Aëriæ & nubes diripienda ferant.*) Idem loquendi genus vsurpatum ab Homero Odyss. ϑ.

——ἵππος δ' οἶνόν τε βίβαστας
Δῆριν, ἄφαρ τοι φέροιτο ἀφαρπάξασιν αἶψα.

Alia quæ ad huius loci illustrationem faciunt, dixi in Catullum.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET *nobis prona funde Falerna manu.*) Mallem.

I, nobis prona funde Falerna manu.

Nam EI. pro I, scribebant. sic infra:

Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.

Vbi idem error vulgo.

ILLE *facit dites animos deus.*) Lepidissimum asma Bacchylidis extat apud Athenæum in hanc sententiam.

Γλυκεῖ' ἀνάγκα σευομένα κυλίκων
Θάλπησι θυμὸν Κύπριδος,
Ελπὶς δ' αἰθύσσει φρένας
Αμμιγνυμένα Διονυσίοισι δώροις,
Ανδράσι δ' ὑψοτάτω
Πέμπει μερίμνας.
Αὐτὶς μὲν πόλεων
Κρήδεμνον λύει,
Πᾶσι δ' ἀνθρώποις
Μοναρχήσειν δοκεῖ.
Χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε
Μαρμαίρουσιν οἶκοι,
Πυροφόροι δὲ κατ' αἰγλήεντα
Νᾶες ἄγουσ' ἀπ' Αἰγύπτου
Μέγιστον πλοῦτον,
Ως πίνοντος ὁρμαίνει κέαρ.

QVALES *his pœnas deus hic.*] Et hæc quoque non assequuti peruerterunt homines ferreæ frontis. Nam optimum illud fragmentum ita legit:

Quales his pœnas qualis quantúsque minetur.

Sic Virgilius,

Nam qualis quantúsque cauo Polyphemus in antro.

Quod Græci feliciter vno verbo ἡλίκος dicunt, hoc Latini sermonis egestas dicit, Qualis quantúsque, duobus verbis.

ILLAQVE *si qua est.*] Nihil mutandum, & si qua est eiusmodi, vt Agaue, sentiat vltoris dei iram, non autem nos, ætati & capiti illius sit, quæcunque illa est, non nobis.

ELEGIA VII.

HEI MIHI difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente iocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore,
NEC bene sollicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curæ.
Odit Lenæus tristia verba pater.
Gnoßia Thesea quondam periuria linguæ
Fleuisti ignoto sola relicta mari.
A *Sic cecinit pro te doctus Minoï Catullus,*
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo. FELIX, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda sordida lingua fide.
B *Et si pérque suos fallax iurauit ocellos,*
Iunonémque suam, pérque suam Venerem,
Nulla fides inerit. periuria ridet amantum
Iupiter, & ventos irrita ferre iubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Cõqueror? ite à me seria verba precor.
Quàm vellem longas tecum requiescere noctes,
C *Et tecum longos peruigilare dies.*
Perfida, nec meritò nobis inimica merenti
Perfida, sed quamuis perfida, cara tamen.
Naiada Bacchus amat. cessas ô lente minister?
Temperet annosum Martia lympha merum.
D *Non ego, si fugiat nostræ conuiuia mensæ*
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota suspiria nocte,
Tu puer huc liquidum fortius adde merum.
Iamdudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

BERN. CYLL. VERON.

E HEI *mihi difficile est imitari gaudia falsa.*] conquestio de mulierum fallacia. sanè intelligendum est Tibullum cum accumberet sollicitante cura, quam immensam sustinebat, in hunc sermonem prorupisse. Sensus est: Difficile videri posse simulare lætitiam, & hoc nulli præterquam sapienti contingit. Itaque de Virgiliano Aenea legitur:

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

Istos autem quatuor versiculos decet auri linimento transcribere, quia Cicero nihil fictum

posse esse diuturnum tradit. Sollicitudine igitur oppressus proposita, vt tempora mensæ secura duceret declinans suspirat hæc inquiens

TVRPES *curæ.*] quæ hominem turpem, hoc est, deformatum efficiunt.

ODIT *Lenæus tristia verba pater.*] ideo odit quoniam -- *hilarat conuiuia Bacchus.* Est Lenæus Bacchus nominatus à leniendo secundum Donatum, quod leniat mentem, quem Ser. Georgi. primo damnat: nam (vt inquit ipse) verbum græcum non potest latinam etymologiam recipere. Diod. enim Siculus: vt Euseb. refert, à ληνός, id est, torculari deductum affirmat.

MINOI *Gnosia*] Minois Ariadna dicta est à patre Minoe. est enim fœmininum patronymicum. Catul.

Quem procul ex alta mœstis Minois ocellis.

GNOSIA.] denominatiuum est à Gnoso ciuitate Cretæ. Infert autem optimum esse, si dolor vitetur exemplo: veluti si ab Ariadna sumamus exemplum, quæ in Dia insula Aegæi à Theseo relicta est.

MARI *ignoto.*] Catul.

Desertam in sola miseram se cernit arena.

DOCTVS *Catullus cecinit.*] fabulam quidem Ariadnæ Catul. noster in Argonautica eleganter tetigit. Est enim doctus epitheton ab omnibus antiquissimis Catul attribut. Martial.

Verona docti syllabas amat vatis

Fuit enim & oratione perspicuus & carmine.

TVM *facundus.*] tum lasciuus & grauis. Hunc A. Gel. poëtarum vocat elegantissimum in his lib. quos noctium Atticarum titulo inseruit.

VIRI *ingrati.*] Thesei, qui beneficium acceptum non recompensando ingratus merito vocatur.

VOS *ego nunc moneo.*] ordo est: Ego vos nunc moneo, felix est quicunque disces posse carere tuo, sup. dolore alterius; sensus est: Fortunatum videri quicunque dolori resistit suo, eumque vitat alterius infelicitatis exemplo: vnde dictum est,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

PENDENTIA *brachia.*] illecebras mulierum notat. nam dum volunt aliquid à maritis impetrare, osculantur eos: quos ex iratis beneuolos efficiunt brachia collo molliter iniiciendo. Catullus ad Cecilium Nouocomensem:

Quamuis candida millies puella
Euntem reuocet, manúsque collo
Ambas iniiciens roget morari.

SORDIDA.] falsa, periura, & malignitate scaturiens.

IVNONEM *suam.*] Iuno dicitur sponsis esse pronuba. Ouid. in epistola Phyllidis:

Iunonémque toris quæ præsidet alma maritis.

PERIVRIA *ridet amantum Iuppiter.*] sic suprà:

Nec iurare time, Veneris periuria venti
Irrita per terras & freta summa ferunt.

PERVIGILARE.] Per, valde significans auget orationem: nam vigiliarum integritatem notat: Nec obstat an dicamus vigilo noctem vnam, & per vnam noctem vigilaui: quod aliter sentiunt, qui sunt imbecillioris ingenij, vti Lau. Val. in elegan. ambagibus. Maro enim nobis scriptum reliquit: *Per noctes aliquot diesque cesso:* & ante eum Cic. in procem. libel. qui Lucullus inscribitur. *Ibi per aliquot annos admirabili quadam laude prouincia præfuit.*

NEC *merenti.*] merenti id est, immerito nulla de causa, & merenti addidit, vt rem adaugeret.

NAIDA.] lympham, hoc est aquam. Baccho quidem aquas immiscere vtile & honestum est. Namque Horat. ea propter (Acrone teste Carminum II.) scripsit ad Bacchum: *Tu flectis amnes*: quoniam munera eius admiscentur aquis ad suauiorem vsum, qua ex causa fingunt poëtæ Bacchi viribus amnes domitos esse ac superatos.

MINISTER.] pincerna à *vino* Bibo & *μετρῶ* metior dicitur.

MARTIA *lympha.*] Tyberina aquula, idest, Romana à Marte, qui iuxta Tyberim Syluiam compressit. Nam Prisc. ostedit in trac. de nume. & ponde. antiquos L. pro N, posuisse. N namque est nota 50. vt Apollonides, & L. Tartheus testantur. vnde Latini dicunt lympham pro nympham aquam vel fontes volentes monstrare. Virgilius,

Dant famuli manibus lymphas. ---

Possumus etiam Martiam lympham interpretari ductilem illum riuulum, quem Plin. refert in naturali hist. 36. à Qu. Martio iussu senatus, vt aquarum alueolos reficeret inductum, & ab auctoris nomine appellationem sumpsisse.

LIQVIDVM *fortius adde merum.*] vult aquam vino immisceri, sed vberiorem vini copiam infundi.

AT *Catullus.*] ad pincernam dixit:

At vos quod iubet hinc abite lymphæ
Vini pernities, & ad seueros
Migrate, hic merus est Thyonianus.

ACHILLES STATIVS.

SEPTIMAM facio elegiam, secutus omnium, quos viderim, veter. libror. fidem.

QVID *queror.*] in Florentino, Quid loquor.

GNOSIA *Thesea.*] ab exemplo docet, rem, vt ille dixit, perfidiosam esse Amorem.

SIC *cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus.*] Pro te. Nota apud Catullum prosopopoeia. Et Martialis Doctum Catullum vocat:

Verona docti syllabas amat vatis.

NVNC *moneo.*] in Florentino, Sic moneo,

IVNONEMQVE *suam, perque suam Venerem.*] Iunones, & Genios, ait Plinius, sibi homines adoptant. Iunones mulierum. Namque vt scribit Petronius, mulieres Iunonem suam iurabant. Et verba illius sunt, *Iunonem meam iratam habeam, si me vnquam meminerim virginem fuisse.*

NVLLA *fides inerit.*] sic Manilius in IV.

Nulla fides inerit natis. ———

LONGAS *tecum.*] in scriptis libris, Tecum longas.

PERFIDA.] Hic versus in scriptis omnibus, vno excepto, sic legitur,

Perfida, nec merito nobis inimica, merenti Perfida.

Plaut. in Cistell.

Perfidiosus est amor.
Vt illam merenti, atque immerito, æque perfidam significet.

NON *ego, si fugiat nostræ conuiuia mensæ.*) in Vaticano sic quoque nisi quod situs verbor. duorum alius, Nostræ fugiat, In vno, meo, Non te si nostræ capiant. In altero, Non te si nostræ fugiat. vtrumque mendose.

TV *puer & liquidum fortius adde merum.*) sic in omnibus veteribus legendum forte,

Tu puer i, liquidum fortius adde merum,

sine coniunctione. vt illud Verg.

I sequere Italiam ventis.

Horat. similiter,

I puer, & citus hæc aliqua suspende columna.

Et Persius,

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Fortius autem, pleniore manu. quod verbum facit, vt putem legendum supra, Plena, non, Prona manu.

QVI.) reliqui versus sunt,

IAMDVDVM *Tyrio madefactus tempora nardo, Debueram sertis implicuisse comas.*) non huius esse loci mihi videbantur. Sed non repugnabo, si quis contra putet. Pro Tyrrio autem, quibusdam in libris est, Syrio. idque probandum videtur.

IANVS DOVSA FIL.

FELIX, *quicunque dolore Alterius disces posse carere tuo.*) Καλὸν γὰρ τὸ δύνασθαι ταῖς τῶν ἄλλων ἀγνοήμασι πρὸς διόρθωσιν χρῆσθαι παραδείγμασι. vt ait Diodorus Siculus in 1. Biblioth.

A

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

HEI *mihi difficile est.*) Ineptissime hæc sunt separata à superioribus in libro infimæ vetustatis, & in aliis editionibus. Nam hæc sunt, vt superiora, in quibus nihil omnino cohæret. Sed non aduerterunt imperiti homines, quid sibi vellet Tibullus. Sunt enim hæc omnia tanquam Satura quædam συμποτικῶν αἰνιγμάτων. Quod sane imprimis considerandum fuit.

NEE *vos aut capiant.*) Aliter hæc concepta sunt in Eclogario:

B *Non vos decipiant pendentia brachia collo,*
Nec capiat blanda sordida lingua prece.

Quod nō dubium est, rectum esse. Per hæc enim intelligit auaram & petacem amicam.

PERFIDA *nec merito.*) Distingue:

Perfida nec merito nobis inimica merenti.

Sic Catullus,

——— *insperantiq; ipsa refers te*
Nobis. ——— *Insperanti nobis,*

vt hîc, *merenti nobis.* Virgilius,

Vos ô Calliope. ———

C PERFIDA *sed quamuis perfida cara tamen.*) Euripides Phœnissis.

Φίλος ἐὼν ἐχθρὸς ἔφυτ', ἀλλ' ὅμως φίλος.

NOSTRÆ *conuiuia mensa.*) Hæc enim, vt dixi, omnia sunt συμποτικὰ αἰνίγματα.

TV *puer & liquidum.*) Fragmentum illud emendatissimum. *Tu puer i, liquidum.* Nam, vt supra dixi, scribebant EI, pro I.

FORTIVS *adde merum.*) Ita interpretatur, τὸ ζωρότερον. Martialis *largius, & vuidius.*

ALBII TIBVLLI EQVITIS ROMANI LIBER IIII.

AD MESSALLAM. I.

TE Messalla canã. quãquã tua cognita virtus
Terret, vt infirmæ valeant subsistere vires,
Incipiam tamẽ: ac, meritas si carmina laudes
Deficiant, humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua, te præter, chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis vt non maiora supersint.
Est nobis voluisse satis. nec munera parua
Respueris. etiam Phœbo gratißima dona
Cres tulit, & cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, vt puro testantur sidera cælo,
Erigonéque, Canísque: neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides Deus ascensurus Olympum
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Paruáque cœlestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus paruus labor, vt tibi possim
Inde alios, aliósque memor componere versus.
Alter dictet opus magni mirabile mundi,
A Qualis in immenso desederit aëre tellus,
Qualis & in curuum pontus confluxerit orbem,
Et vagus è terris quà surgere nititur aër,
Huic & contextus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur vt omnia cælo.
At quodcunque meæ poterunt audere Camenæ,
B Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit, vltrà,
Siue minus, certéque canent minus, omne vouemus
Hoc tibi, ne tanto careat mihi nomine charta.
Nam, quamquam antiquæ gentis superent tibi laudes,
C Non tua maiorum contenta est gloria famæ,
Nec quæris, quod quaque index sub imagine dicat:
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quàm tibi maiores, maius decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
D Æterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Conueniéntque tuas cupidi componere laudes
Vndique, quique canent vincto pede, quique soluto.

fœtum, quod colustrum vocant, libabant. Virgil.

Hic duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte nouo, duo sanguine sacro.

ACHILLES STATIVS.

NOS *tenet Etruscis manat quæ fontibus vnda.*] Calidar. aquar. in Tuscis mētionem facit Varro de lingua Lat. lib. IIX. cuius verba, quo modo mihi legenda videntur, ponam. *Sic Aquæ calidæ, à loco, vt quæ ibi scaterent. cum vero colerentur, & venissent in vsum nostris, tum aliæ ad alium morbum idoneæ visæ sunt. Hæc cum plures essent, vt Puteolis, vt in Tuscis.* Et quæ sequuntur. Sed in Vaticano etiam pro, Fontibus, legebatur, Montibus. consentanea lectio Lucretianæ in VI.

Is lacus est Cumas apud, Etruscos & montes,
Oppleti calidis vbi fumant fontibus aucttus.

NVNC *autem sacris Baiar. maxima lymphis.*] Etruscæ quidem aquæ, nullo modo per æstatem adeundæ: at nunc, id est vere ineunte, etiam ipsis Baiar. aquis maximæ, atque optimæ, videntur. Dandi enim casu, Sacris lymphis, positum accipio. Quo sane modo difficultas omnis tollitur, quæ multos exercuit, eosque adegit adeo, vt veterem lectionem commouerent, multaque inepta, & commenticia inculcarent. nec enim in Bais erat, qui etiam in extrema Elegia. in Tuscis esse se, demonstrat. Horatius in I. Epist. etiam per hiemem Baianas aquas non probasse Musam Antonium significat, ——*nam mihi Baias,*

Musa superuacuas Antonius: & tamen illis
Me facit inuisum, gelida cum perluor vnda
Per medium frigus.——

Sacris autem, τοῖς ἀπονεμομένοις ἐπὶ νόσων.

CVM *se purpureo vere remittit humus.*] In Vaticano, non, Vmus, sed, Hiems. quo modo etiam Lucanus loquitur in I. *Et, qua bruma rigens, ac nescia vere remitti.*

LAVDANDÆ.] Contra, de Osyri, Vergil. *Inlaudatus Osyris.*

DOCERE.] Vulgare.

NEC *cuiquam.*] In Florentino, Non vmquam.

CERTA *venena.*] In Sfortiæ libro, Tetra venena.

DEDI.] In scriptis omnibus, Dedit, vt olim Aldus.

NEC *nos sacrilegos templis admouimus ignes.*], Sic omnino in vno meo. In altero, atque in Sfortiæ libro,

Nec non sacrilegis templis admouimus ægros.

In Vaticano, & Marcelli Pont. Maximi, Sacrilegos ægros. Ego legendum putabam, *Sacrilegi templis admouimus ignes.*

NEC *cor sollicitant facta nefanda meum.*] Idem ante,

Si mea nec turpi mens est obnoxia facto.

IVRGIA *linguæ.*] In Vaticano, & Florentino, atque vno meo, non Linguæ, sed Mentis.

IMPIA *in aduersos soluimus ora Deos.*] Sæpe sic. In I. eleg. III.

——*tumidum non me periuria terrent.*
Non dicta in sanctos impia verba Deos.

A Hoc ipso libro, Eleg. IV.

Nec læsit magnos impia lingua Deos.

Et in IV.

Dicit in æternos aspera verba Deos.

Sed hor. versuum duor. sententia eadem prope apud Æschylum. Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις· Καπανεὺς δ' ἀπειλεῖ δρᾶν παρεσκευασμένος, Θεοὺς ἀτίζων κἀπογυμνάζων στόμα Χαρᾷ ματαίᾳ θνητὸς ὢν ἐς οὐρανὸν Πέμπει γεγωνὰ Ζηνὶ κυμαίνοντ' ἔπη. Et apud Euripid. in Herc. furente: Τίς ὁ θεοὺς ἀνομίᾳ χραίνων, θνητὸς ὢν ἄφρονα λόγον οὐρανίων μακάρων κατέβαλ', ὡς ἄρ' οὐ σθένουσι θεοί. Arriani in sententiis quamquam non tam

B simile, at ciusdem generis illud, Μακάρων δ' ἐπὶ ψόγον ἄγειν ἰέναι.

NATALEM *primo nostrum videre parentes.*] In Sfortiæ libro, Nostri, non, Nostrum.

CVM *cecidit fato.*] Eodem est vsus versu, tamquam suo, Ouid. in Tristibus.

ET *modo nata mala vellere poma manu.*] In Vaticano, Lædere, non, Vellere. Sed Ouid. illo modo legisse videtur, hunc imitatus locum, in II. Amor.

Quid plenam fraudas vitem crescentibus vuis?
Pomaque crudeli vellis acerba manu?

C Mala manu, dixit etiam Plautus in Amphitr.

Huic homini nescio quid est mali mala obiectum manu.

PALLENTES *vmbras.*] In scriptis omnibus, Vndas, non, Vmbras. Idem: *Pallida, Ditis aqua.*

LETHÆAMQVE *ratem.*] Idem, opinor, alibi: *Lethæa cogerer ire rate.*

CIMERIOSQVE *lacus.*] In scriptis omnibus, Chimerios. Scribendum forte, Cimmerios: à populis, qui inter Baias, & Cumas.

TERREAR *æstu.*] In Vaticano, Torrear.

ATQVE *mihi.*] In nullis scriptis libris hoc modo. sed, Atque nobis: vel, At nobis: vel,

D Et nobis. Itaque, cum in pluribus sit, At nobis, retinendum.

CELEBRANTVR.] Coluntur. quo verbo est vsus Varro.

ET *facilis lenta pellitur vnda manu.*] Facilem aquam Propert. etiam dixit, in I.

Alterna facilis cedere lympha manu.

SEV *nos fata fuisse velint.*] In vno meo, Volent, non Velint.

M. ANT. MVRETVS.

E LAVDANDÆ *dea.*] Videtur exprimere voluisse epitheton ἐπαινήν, quod Græci tribuunt Persephonæ. Hesiodus,

Ἰφθίμου τ' Ἀΐδεω, καὶ ἐπαινῆς Περσεφονείης. Homerus,
Κικλήσκουσ' Ἀΐδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν.

Græci tamen grammatici aliter id nomen interpretantur.

CVM *cecidit fato.*] Eodem illo anno cum se natum significaret Ouidius, hoc eodem versu vsus est. ita enim scribit,

Editus hinc ego sum: nec non, vt tempora noris,
Cum cecidit fato consul vterque pari.

PARCITE *pallentes vndas.*] Sic supra.

——*pallida Ditis aqua.*

In alijs, *Vmbras.* & sic Virgilius,

Pallentes vmbras Erebi.

AT *vobis.*] Inepte in aliis legebatur, *Atque mihi.* ego mei veteris libri scripturam repræsentandam curaui.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NOS *tenet.*] Plane ex contextu ipso legendum *Vos.* quod iam à doctis viris animaduersum.

NVNC *autem sacris Baiarum maxima.*] *Maxima Baiarum.* quia omnia θερμὰ ὕδατα vocabantur Baiæ, à Baijs illis Campaniæ. Martialis:

Strataque non vnas cingant triclinia Baias.

Sidonius: *Ibis Phocida, Sentiasque Baias.*

Idem apud eundem *Calenses Baiæ.*

Mirantur tamen docti viri quid sit hic Baiarum. adeo vt integram lectionem contaminare veriti non sint. Mens Tibulli. Aqua hæc non adeunda Caniculæ sidere confecto. at vere nullæ calidæ aquæ cum illa comparandæ. Vides apertissimum sensum. Quas autem aquas intelligat in Etruria, quum plurimæ in ea regione fuerint, nescio. Strabo: πολὺ δὲ καὶ τῶν θερμῶν ὑδάτων ἀφθονία κατὰ τὴν τυῤῥηνίαν. ἃ τῷ πλησίον εἶναι τῆς ῥώμης, οὐχ ἧττον εὐανδρεῖ τῶν ἐν Βαΐαις, ἃ διωνόμασαι πολὺ πάντων μάλιστα.

NVLLI *temeranda deorum.*] Hæc quoque lectio extat in codice infimæ vetustatis. sed diligens librarius *Deorum* expunxit, & sua manu eodem tractu, *virorum* apposuit quod verissimum est. Non enim attinet de diis loqui. quum pœna irrogata sit hominibus, qui sacrum Cereris & Proserpinæ vulgarint. Horatius:

—— vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub ijsdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat phasellum——

LAVDANDÆ *dea.*] τῆς ἐποπτικῆς ἀπορρήτου. Proserpinæ & Cereris sacra intelligit, quæ alij μυστήρια, & initia vocant. Sed & ipsa Ceres ἐποπτὶς dicebatur, quod ex epigrammate Crinagoræ libro primo Anthologiæ constat:

Εἰ καί σοι ἑδραῖος ἀεὶ βίος, οὐδὲ θάλασσαν
Ἔπλως, χερσαίας τ' οὐκ ἐπάτησας ὁδούς.
Ἔμπης Κεκροπίης ἐπιβήμεναι, ὄφρ' ἂν ἐκείνας
Δήμητρος μεγάλας νύκτας ἴδῃς ἱερῶν.
Τῶν ἄπο κἂν ζωοῖσιν ἀκηδέα, κ' εὖτ' ἂν ἵκηαι
Ἐς πλεόνων, ἕξεις θυμὸν ἐλαφρότερον.

In vulgatis editionibus ridicule legitur:

Ὄφρ' ἐν ἀκαίναις Δήμητρος.

Est autem Epigramma hoc Crinagoræ notatu & explicatu dignum in eo, quod eos, qui mysteria Eleusinia viderint, & in hac vita, & morte obita felices dicat futuros, quod tangit Hercules apud Euripidem: τὰ μυστῶν δ' ὄργι' ηὐτύχησ' ἰδών. Duplicia enim erant mysteria, minuscula, & maiuscula Minuscula quidem quotannis mense Anthesterione instaurabantur: maiuscula autem quinto quoque anno, mense Boedromione. Initiandi igitur dicebantur Μύσται per totum quadriēnium, in quo præceptis superstitionis Eleusiniæ informabantur, ipso mense Anthesterione, minusculis mysteriis: quinto autē anno ineunte ad ipsa sacra admissi ἐπόπται dicebantur, maiusculis mysteriis mense Boedromione, nempe ab eo quod illis sacra inspicere permitteretur, quæ quidem fiebāt intra sacrarium, quum antea Mystæ prohiberentur aditu sacrarij, & intra vestibulum cōsistere cogerentur. Seneca natural. quæst. lib. VII. cap. XXXI. *Non semel quædam sacra traduntur. Eleusis seruat, quod ostendat reuisentibus. Rerum natura sacra sua non semel tradit. Initiatos nos credimus, in vestibulo eius hæremus. Illa arcana non promiscue, neque omnibus patent. Reducta & in interiore sacrario clausa sunt.* Ergo ante sacrarium, non in sacrario Mystæ consistebant, nempe in ipso vestibulo, quod Græcy ὑπαιθρον, Latini etiam Subdiual vocant. Quia vero summa felicitas eis promittebatur, qui illis sacris initiabantur, vt ex Crinagora, & Euripide ostendimus, & solido quadriennio cogebantur expectare illam felicitatem, propterea summis suspiriis & gemitibus illud tempus desiderabāt, quo in illa ἐποπτικὰ admitterentur. Quando, inquiebant, licebit nobis in illa adyta admitti, & tantæ felicitatis compotes fieri? Ideo eleganter vocat illa vota Tertullianus Epoptarum suspiria: Et quia sero ac vix tandem, nempe post quadriennium Epoptæ fiebant, & ad sacrarium admittebantur, propterea aditus τῆς ἐποπτείας cruciari dicit idem Tertullianus: quod nimirum nisi post longam expectationem ea sacra inspicere non permitterentur. Porro minuscula mysteria erat κατήχησις & informatio maiusculorum: & per ea ad illa deducebantur, teste Plutarcho in Demetrio. Vnde elegantissime somnum esse μικρὰ μυστήρια mortis dixit Euripides:

Ὕπνος δὲ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια.

Nempe quod somnus mortis sit imago & informatio quædam, vt minuscula mysteria sunt gradus ad maiuscula. Itaque maiora mysteria dicebantur ἐποπτικά. Plutarchus Demetrio: ἔγραψεν ὅτι βούλεται παραγενόμενος εὐθὺς μυηθῆναι, καὶ τὴν πᾶσαν τελετὴν ἀπὸ τῶν μικρῶν ἄχρι τῶν ἐποπτικῶν παραλαβεῖν. Post quadriennium statim ad ἐποπτείας admittebantur: aliquando differebantur in annum sequentem, siquidem verum dicit Plutarchus ibidem: ἐπώπτευον δὲ τὸ ἐλάχιστον ἀπὸ τῶν μεγάλων ἐνιαυτὸν διαλείποντες. Sed errat. Nam μεγάλα μυστήρια, quibus solis licebat ἐποπτεύειν, quinto quoque anno, non etiam sexto instaurabantur. Tertullianus autem quum dicit Epoptas institui solitos quinquennio, vtitur idiotismo, quo Olympias πενταετηρὶς & Octaeteris dicitur Enneaeteris: Præterea alio idiotismo, quum dicit Epoptas instituere, qui nondum essent epoptæ, sed mystæ: quomodo dicuntur milites & gladiatores institui, antequam sint milites aut gladiatores, quum adhuc tirones sint. Pythagoras qui Philosophiā suam vocabat mysteria, per omnia illorum Eleusiniorum ritus & nomina æmulabatur. Quadriennium silebant Eleusiniaci, vt præter alios tam Græcos, quā Latinos etiam Tertullianus monet. At Pythagorei quinquennium solidum silentio operabantur, quod ipsis dicebatur ἐχεμυθία. Eleusiniaci toto silentij quadriennio dicebantur mystæ: Pythagorei toto ἐχεμυθίας suæ tempore dicebantur ἀκουστικοί. Mystæ intra vestibulum sacrarij continebantur. Pythagorei ἀκουστικοὶ extra sindonem, siue velum secretario illius Philosophiæ obtentum: quo nomine dicebantur ἐξωτερικοί.

Post quadriennium Eleusiniaci intromittebantur ad ἐποπτείαν, & dicebantur Epoptæ. Pythagorei post quinquennium intra velum recipiebantur, & dicebantur ἐσωτερικοὶ, quia ἤδη σπουδαίως ἐπήκοοι τοῦ Πυθαγόρου μετὰ τοῦ καὶ βλέπειν αὐτὸν, πρότερον δὲ καὶ ἀκοῆς αὐτῆς καὶ μηδέ πω αὐτοῦ ὁρῶντες. Itaque, vt diximus, Eleusiniacorum sacrorum simiæ erant Pythagorei. Sed & vetustissimi quoque Christiani ab iisdem sacris nomina Mystarũ & Epoptarum mutuati sunt. Nam qui Eleusiniis Mystæ, ij ipsis κατηχούμενοι, dicebantur. Ausonius vero Mystas etiam vocat:

Et deuota pij celebrant ieiunia Mystæ.

Hoc est κατηχούμενοι & cãdidati τῆς διχαριστίας. Nam non leuiter errant, qui Mystas apud Ausonium Sacerdotes interpretantur, veterum Ecclesiasticorum locis aliis decepti. Quemadmodum per quadriennium Eleusiniaci aditu sacrarij arcebantur: ita etiam toto κατηχήσεως tempore Mystæ Christiani sacræ synaxi interesse vetabantur. Quando vero ad κοινωνίας recipiebantur, tunc & ἐπόπται dicebantur, & ipsa κοινωνία ἐποπτεία, vel ἐποπτικὴ θεωρία. Clemens Alexandrinus: τὸ βρῶμα δὲ τὴν τελείαν τροφὴν πρὸς τοῦ Ἀποστόλου εἰρῆσθαι. γάλα μὲν ἡ κατήχησις, οἱονεὶ πρώτη τῆς ψυχῆς τροφὴ νοηθήσεται. βρῶμα δὲ ἡ ἐποπτικὴ θεωρία. Rursus multis suspitiis desiderabant ἐποπτείαν Eleusiniaci. Eodem modo, de quo minime dubium est, & κατηχούμενοι illum felicem diem τῆς κοινωνίας multis votis & desideriis prosequebantur. Vnde, nisi fallor, ipsa κοινωνία dicta est Desiderata. In Glossis: *Desiderata* λειτουργία, πλεκτή. Quid enim aptius potest dici. Nam κοινωνία est πλεκτὴ, & functio ipsius λειτουργία. Atque hæc quidem nos fusius persecuti sumus prȩter morem nostrum, vt amicis nostris satisfaceremus, quibus correctiones nostræ in Tertulliani prologo in Valentinianos valde probatæ sunt, sed caussas à nobis exigebant. Nam, vt alibi monuimus, ineptissime legebatur, *quum & portas ante quinquennium instituant.* Recta lectio est: *quum Epoptas ante quinquennio instituant.* Rursus ineptius. *tot suspiria portarum.* Nos, *tot suspiria Epoptarum.* Nam nihilo consultius Beatus Rhenanus suspiria in sipparia mutauerat. Quod si & vulgatam lectionem Tertulliani sequeris, & quid sit Epopta ignoras, nunquam mentem Tertulliani toto illo proœmio assequeris.

N E C *cuiquam certa venena.*] Fragmentum illud peruetustum: *trita venena.* recte. potest &, *tetra venena.*

N E C *nos sacrilegos templis admouimus ignes.*] Locus deformatissimus, & à Grãmaticis, quia non intelligebant, interpolatus. At nemo vidit vnquam sacrilegum incendere templa, vt ea spoliet. quid enim spoliabit incendiarius, cui ignis nihil reliquum fecerit? Nostra scriptura:

Nec nos sacrilegi templis admouimus ægros.

Quod sane non ita debuit istis acutis correctoribus displicere, vt saltem non considerarent, vera ex illis lectio elici posset necne. quod tamen fieri potest, ita:

Nec nos sacrilegi templis admouimus ergo.

NEC, inquit, sacrilegij ergo admouimus nos templis, hoc est, direximus nos in templa, eorum diripiendorum caussa. Sic supra:

Num feror incestus sedes adijsse Deorum,
Sertaque de sanctis diripuisse focis? Item:
Aut rapiam suspensa focis insignia sacris.

Veram igitur lectionem dicamus licet, quam proposuimus.

N E C *nos insanæ meditantes iurgia linguæ.*] Tale illud:

Num Veneris magnæ violaui numina verbo?

Q V V M *cecidit fato.*] Hic versiculus quoque totidem verbis extat apud Ouidium. Quare eodem die nati duo summi poetȩ Tibullus & Ouidius. Mirum vero quare Ouidius dicat Tibullum se maiorem fuisse, qui tamen ne vno quidem die maior erat illo. Quid enim volunt illa.

Virgilium vidi tantum, nec auara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi:
Quartus ab his serie temporis ipse fui.
Vtque ego maiores, sic me coluere minores.
Notaque non tarde facta Thalia mea est.

Equidem hæc non possum concoquere. Rursus Tibullus ait se in contubernio Messallæ fuisse bello Aquitanico. Atqui Messalla triumphauit de Gallis, vt supra vidimus, anno ab vrbe condita DCCXXVII. quando Tibullus sexdecim annorum erat tantum. Ergo XV. annos natus sequutus est Messallam in bellum, & fortasse minor XV. annorum adhuc in prætexta, quod tametsi fieri potuit, tamen cum iis, quæ adduximus ex Ouidio comparatum iustas dubitationis caussas subministrat, & suspitionem auget. Quod si dixeris suspectum quoque esse versiculum hunc, præsertim quum extet apud Ouidium; ideoque Tibullum ante Ouidium natum videri: respõdemus ipsum Tibullum decessisse iuuenem teste Domitio Marso. Atqui obijsse eum idem Domitius Marsus scribit eodem tempore, quo Virgilium. Obijt autem Virgilius C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vispillone Coss. hoc est annis XXIIII. post consulatum Hirtij & Pansæ. Itaque si ita senem facias, vt eum inter antiquiores seponere possit Ouidius: non potuerit mori iuuenis. Istos scrupulos merito iniecit mihi hic versiculus, de quo eruditioribus amplius deliberandum relinquimus.

Q V I D *fraudare iuuat vitem.*] Tale illud:

—— quid messes vris acerba tuas?

S E V *nos fata fuisse velint.*] Abstinet mentione mortis. Plaut. *pene hic nobis fuit Phronesium*, id est, μικροῦ ἀπώλετο.

E T *niuei lactis pocula mista mero.*] Similis potio illi quam Burranicam appellabant.

ELEGIA VI.

C A N D I D E *Liber ades. sic sit tibi mystica vitis,*
Sic edera semper tẽpora vincta feras.
Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem:
Sæpe tuo cecidit munere victus amor.

Care puer, madeant generoso pocula Bacchho: A
Et nobis prona funde Falerna manu.
Ite procul durum curæ genus, ite labores.
Fulserit hic niueis Delius alitibus.
Vos modò proposito dulces faueatis amici,
Néve neget quisquam me duce se comitem.
Aut si quis vini certamen mite recusat, B
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos Deus: ille ferocem
Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fuluas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & maiora velit: sed poscite Bacchi
Munera. quem vestrum pocula sicca iuuant? C
Conuenit ex æquo, nec toruus Liber in illos,
Qui se, quique vnà vina iocosa colunt.
Iam venit iratus nimium, nimiúmque seuerus.
Qui timet irati Numina magna, bibat. D
Quales his pœnas Deus hic, quantúmque minetur,
Cadmeæ matris præda cruenta docet.
Sed procul à nobis hic sit timor: illáque, si qua est,
Quid valeat læsi, sentiat, ira Dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota
Aërea & nubes diripienda ferant. E
Quamuis nulla mei superest tibi cura Neæra,
Sis felix, & sint candida fata tua.
At nos securæ reddamus tempora mensæ.
Venit post multas vna serena dies.

BERN. CYLL. VERON.

CANDIDE *Liber ades: sic sit tibi mystica vitis.*] sermonem facit ad Liberum vt se dolore leuet: dehinc pincerna iusso pocula subministrare, socios rogat vino libere indulgeant, quod animis faueat.

ADES.] faueas, præsens sis seu fauorabilis.

CANDIDE.] pulcher: nam virgunculæ speciosæ figuram tenet.

SIC *sit tibi mystica vitis.*] antiquus mos dum precari volunt vtilia vel grata. vt supra,

Sic vmbrosa tibi contingant tecta Priape.

Vitis autem mystica id est, figuratiua dicitur ad representationem facti. Et Virgilius dixit,

——mystica vannus Iacchi.

Ipsa sacrorum significatio occulta (vt Strabo scribit) mystica dicitur, & in hac nos imitantes naturam numinis effugientem nostrum sensum mirum in modum numen ipsum honestamus. Fit autem mysticum à mysterio: & est mysterium (teste Eusebio præparationis Euangelicæ II.) dictum à μῦσος, quod latinè scelus est, quod Dionysio accidit, vel ab Actico Myente, qui venando periit, vt Apollodorus scripsit: vel forte quasi μῦθοι id est, fabulamenta quædam: hoc est quædam fabularum significatio.

MEDICANDO.] maxima est inter grammaticos disceptatio de gerundiis: Diomedes asserit Probum hæc participiali modo verborum supina appellasse, quoniam nec certum habent numerum nec personam, sed significatum, quo solo ab impersonalibus differunt: Impersonalia agentis tantum habent significatum, vt legitur, scribitur, id est, omnes legunt, omnes scribunt: Participialia autem & patientis habent significatum, vt

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Et
——vritque videndo Fœmina.

non dum cantat videt, sed dum cantatur, dum ab omnibus videtur. Seruius vero Aeneid. IIII. super illo Virgiliano:

Ire iterum in lachrymas: iterum tentare precando:

dixit. do, naturaliter breuem esse, sed plerumque à Virgilio produci: vt

——Cantando tu illum. Et
Cantando rumpitur anguis.

At Priscianus grammaticus octauo scribit: quod in o terminantia quæ gerundia à modernioribus appellantur, & supina tamen sunt, vt Probus (teste Diomede) voluit, tam produci, quam corripi possunt more verborum seu aduerbiorum in ô desinentium. nam vel nomina vel verba esse constat. apparet autem plurimis ex causis esse nomina, quoniam & præpositioni iunguntur, vt ad legendum, etiam separatim, quod verbi non est quia per casus varientur. Sed (vt ego arbitror) nomina non sunt: quoniã ea est nominum vis, vt in huiusmodi casibus producantur, sed verba potius dicenda, quoniam ad libitum ponuntur: sed seu verbi vim habeat, siue aduerbij rariuscule correptum, do, apud auctores inueni. Iuuenalis:

Plurimus hic æger moritur vigilando.

Qu. Serennius:

Noxia sæpe sibi nimium madendo fuerunt.

Martialis ad Zoilum:

Felicem cœnam Zoile dando tuam: &c.

quæ perrara sunt.

Mvnere.] vino à Baccho reperto, & mortalibus donato in vsum vitæ felicioris.

Pver.] minister, pincerna.

Generoso.] nobili & loco & tempore.

Et *nobis prona funde Falerna manu.*] hoc dicto eleganti id Catullianum non est minus pulchrum,

Minister vetuli puer Falerni
Inger, mi, calices amariores.

Ite *procul durum curæ genus.*] appositio est curæ durum genus. Curę dicuntur quod cor vrant. Igitur & graues sunt, & dicendo Ite, iocosè vtitur ad rem inanimatam sermone.

Delivs.] Apollo: à Delo natali insula.

Niveis *alitibus.*] aut quasi Apollo augur omen dederit hilaritatis & felicitatis hoc dixit, aut se vino operam impendere quoad Sol pulcherrimus oriatur intelligit. Horatius Carminum III.

Viuæque producent lucernæ
Dum rediens fuget astra Phœbus.

Proposito.] instituto meo.

Me *duce.*] principe seu primario, quem Archipinon seu Archipotem vocamus. Namque in sodalitio veteres regem faciebant sortibus iactis. Horatius Carminum primo.

Nec regna vini sortiere talis.

Et alibi:

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

Mite *certamen.*] suauem concertationem in bibendo plurima vini pocula. Maiores enim nostri tot cyathos vini bibere in conuiuio consueuerunt, quot annos amica sua haberet, aut quot in eius nomine essent literæ. Martialis:

Neuia sex cyathis, septem Iustina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno,
Et quia nulla venit tu mihi Somne veni.

Certamen ergo mite dixit cum alter alterum studet bibendo vincere: nam & in compotationibus sacrorum tot quoque vini pocula ingurgitabant, quot annos viuere cupiebant. ideo Ouid. fastorum III.

Sole tamen vinóque calent, annósque precantur
Quot sumant cyathos, ad numerúmque bibunt.
Inuenies illic qui Nestoris ebibat annos,
Quæ sit per calices facta Sibylla suos.

Recvset.] tanquam reliquis sapientior.

Fallat *eum tecto cara puella dolo.*] dira est amantibus imprecatio, vt cara fœmina amatorem decipiat cum altero iniens.

Ille.] Bacchus.

Dites *animos.*] vinum homines hilarat, & fœcundiora ingenia reddit: vnde lectum est Ennium non nisi epotum composuisse carmen egregium. Et Horatius dixit Carm. III.

Narratur & prisci Catonis
Sæpe mero caluisse virtus.

Ideo Propertius elegiarum IIII. ait:

A *Ingenium positis irritet musa poëtis,*
Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.

Quin Græci putauerunt sapientiæ vim augeri vino: vnde Horat.

Munitaque adhibe vim sapientiæ.

Armenias *tigres.*] quippe in Armenia tigres sæuissimæ nascuntur, quæ (vt Solinus refert in memorabilibus) iccirco Bacchi currum trahere simul cum lyncibus feruntur, quod vtrumque animal vino & vua depascitur. Has dixesunt poëtarum fabulamenta à Baccho perdomitas ad iugum trahendum. Horatius Carminum III.

Hac te merentem Bacche pater tuæ
B *Vexere tigres indocili iugum*
Collo trahentes. ——

Mollia *corda dedit.*] idest, mansuefecit animalia effera.

Sicca.] sobria.

Convenit *ex æquo.*] vtile & conueniens est ex æquo id est, iusta parte.

Se.] ipsum Bacchum.

Vina *iocosa.*] quibus iocosi homines fiunt: Nam si immodicè bibantur, faciunt eos contumeliosos. Ideo Horat. Carm. I.

At ne quis modici transiliat munera Liberi:
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
Debellata. ——

C Iam *venit.*] pro veniet. hæc temporum mutatio fit cum repentinum adesse malum existimamus. Sic in alteram partem Lucanus:

——*Vicimus ô socij.*

Bibat.] nempe statim flectetur numen.

His.] qui bibere recusant.

Cadmeæ *matris præda cruenta docet.*] argumentum sumptum ab exemplo Penthei: quod Bacchus est iniuriarum persequentissimus. Pentheus fuit Echionis filius & Agaues Cadmi filiæ, qui cum Liberi sacra non modo negligeret, sed matrem etiam, reliquumque fœminarum gregem ab eis prohiberet, fortè visus à bacchante D genetrice pro fera discerptus est. Porphyrio tamen commentator carminum II. scribit Pentheum fulmine ictum interiisse, quod Liberum patrem teneret in custodia.

Præda *cruenta.*] putauit enim Agaue filium procul conspectum esse feram, dicente Ouidio Metamor. III.

Ille aper in nostris errat qui maximus agris
Ille mihi feriendus aper.

Illaqve *si qua est.*] malum Neæræ imprecatur.

Ira *dei.*] quoniam illa Tibullum amantem E spernit.

Qvid *precor ah demens.*] correctio est ex instabilitate amantis.

Venti *contraria vota Aëria nubes diripienda ferant.*] antiquus est in dicendo modus quoties vim verbis suis inesse volunt, qua quoque oratione demonstrabant vanum verborum exitum. Catullus ad Alfenum perfidum amicum:

Ventos irrita ferre ac nebulas aërias finis.

Vnde Statius de Achille præmissorum frustrationem volens ostendere inquit:

Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.

AT *nos securæ reddamus tempora mensæ.*] hoc est, sine iurgio & rixa conuiuemur. Ita Horatius Carminum tertio.

—procul omnis esto Clamor & ira.

Præterea dicit in crastinum nihil prospiciamus, & hora præsenti dona læti capiamus.

ACHILLES STATIVS.

CANDIDE *Liber, ades.*] Candidum quoque dixit Ouid. in III. Fast.

Restat, vt inueniam, quare toga libera detur
Luciferis pueris, candide Bacche, tuis.

SIC *sit tibi mystica vitis.*] Mystica, sacra. Modus autem bene precandi, etiam Græcis vsitatus. Lucilius in II. Epigram. Græcorum εἰς λαμάδρυς.

Οὕτω σοι π' ... διώνυσ' πολλὰ φύοιδ.

SIC *edera semper cornua vincta feras.*] in plerisque scriptis libris ordo verborum hic, Semper sic edera. Bacchum quoque lætum edera significat Eurip. in Cyclope: Κἀγὼ τὸν φιλοκισσοφόρον βρόμιον, ποθεινὸν οὐκ ὄντ' ἔχω. Cur autem Hedera, vtroque enim modo scriptum inuenio, in Liberi tutela sit, caussas adfert Fest. Pomp. in verbo, Hedera. Propert. in IIII.

Mi folia ex hedera porrige, Bacche, tua.

Et idem, de Bacchi cornibus in III.

Quod superest vitæ, per te, & tua cornua, viuam.

FERAS.] in Florentino, Geras.

AVFER *& ipse meum pariter, medicando, dolorem.*] Ego, etiam nullis veteribus libris auctoribus, legendum puto, Medicande. Est enim mollius, atque aptius, politissimo poëtæ. Et, o, finale perarro illius sæculi poëtæ, præterquam in quibusdam verbis, corripuerunt.

PRONA *funde falerna manu.*] in Sfortiæ libro, Plena, non, Prona. id est, large. vide Prouerbium, Plena manu.

ITE *procul, durum cura genus.*] in Florentino, Dirum, non, Durum. Sic ante, Ite procul vani. Et in primo,

Vos signa, tubæque Ite procul.

LABORES.] vt Græci, πόνοι, id est, angores animi.

FVLSERIT *hic niueis Delius alitibus.*] Vergil. etiam, Vates, addidit, in VI.

—cui mentem, animumque
Delius inspirat vates.—

Sed in Florentino, legitur, Fluxerit, non, Fulserit. Optat autem, vt eo Apollo equis, quibus vtitur, alatis, quasi defluat suprema tempestate, cum genio sit indulgendum. Similiter Horat. in IV. ad Venerem.

Tempestiuius in domo
Pauli, purpureis ales oloribus,
Comessabere Maximi.

VOS *modo proposito dulces faueatis amici.*] Plin. in extremo Panegyrico: *Vos modo fauete huic proposito, & credite.*

NE-VE *neget quisquam, me duce, se comitem.*] sic loquitur etiam in I. de Arte amandi Ouid.

Si qua repugnabat nimium, comitémque negabat.
Sublatam cupido vir tulit ipse sinu.

AVT, *si quis.*] in Sfortiæ libro, atque vno meo.

A AT, *si quis vini certamen mite.*] Horat. in IIII. *Nec certare mero.*

RECVSAT.] in Vaticano, & quibusdam aliis, Recuset.

ILLE *facit dites animos Deus.*] Horat. de vini laud. in I. Epist.

Spe cum diuite manet In venas,

ILLE *ferocem Contudit.*] in Sfortiæ libro, & Florentino, Feroces, non, Ferocem.

ET *fuluas ille leænas.*] in Vaticano, atque vno meo, Et fuluos ille leones.

ET *maiora volet.*] in vno meo. Et maiora valet.

B In Sfortiæ libro, & maiora dedit.

BACCHI *munera.*] similis Ouidi periphrasis, panem significantis,

Cereris sine munere—

Et Horatius in IV.

Inter iocosi munera Liberi.

POCVLA *sicca.*] & Cic. & Horat. Siccare calices, & pocula, dixerunt.

NEC *tornus Liber in illos.*] in scriptis omnibus, In illis. Sed illud omnino rectius.

QVI *se quisque vna.*] in nonnullis, Qui se quisque, quod non placet.

IAM *venit iratus nimium.*] in vno meo, Nam venit. In ceteris omnibus, Non venit. illud rectius,

C

QVALES *bis pœnas.*] in vno meo, Quales is pœnas. Is. per. I. simplex dandi casu, more veterum.

CADMEÆ *matris pœna cruenta docet.*] Agaue, Cadmi filia, spretis Liberi patris sacris, Pentheum filium, errore obiecto à Libero patre, miserabiliter dilaniauit.

ILLAQVE *si qua est.*] Illa: mater Cadmea.

SI *qua est.*] nisi ficta res est, & commenticia.

VENTI *temeraria vota Aëriæ & nubes diripienda ferant.*] Catullus.

—ac tua dicta omnia, factáque
Ventos irrita ferre, ac nebulas aërias sinis.

D

Poëtæ, opinor, Græci, νεφέλας ποτᾶσθαι.

SIS *felix.*) Verg. actiue posuit, Sis felix.

ET *sint candida fata tua.*) in Vaticano, non, Tua, sed, Tibi. Candidius fatum dixit etiam Ouid. in III. Tristium,

Dignus es, & fato candidiore frui.

Propert. in IV. Omina candida.

—Date candida ciues Omina.

SECVRÆ.) oblitæ, & curarum nesciæ.

VENIT *post multos vna serena dies.*) in Sfortiæ libro, atque vno meo, Post multas. quod est aptius.

E

M. ANT. MVRETVS.

ILLAQVE *si qua est.*) libri veteres, *illaque sic qua*, ego legendum puto, *illaque sicca.*

TV *puer & liquidum.*) malim, *Tu puer huc liquidum.*

IANVS DOVSA FIL.

VENTI *temeraria vota Aëriæ & nubes diripienda ferant.*) Idem loquendi genus vsurpatum ab Homero Odyss. θ.

——ἴσως δ' ὑπὲρ τι βέβακας
Δεινὸν, ἄφαρ τὰ γέροντ' ἀφαρπάξαιμι αἷμα.

Alia quæ ad huius loci illuſtrationem faciunt, dixi in Catullum.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET *nobis prona funde Falerna manu.*) Mallem.

I, nobis prona funde Falerna manu.

Nam EI. pro I, ſcribebant. ſic infra:

Tu puer, i, liquidum fortius adde merum.

Vbi idem error vulgo.

ILLE *facit dites animos deus.*) Lepidiſſimum aſma Bacchylidis extat apud Athenæum in hanc ſententiam.

Γλυκεῖ' ἀνάγκα σευομένα κυλίκων
Θάλπησι θυμὸν Κύπριδος,
Ἐλπὶς δ' αἰθύσσει φρένας
Ἀναμιγνυμένα Διονυσίοισι δώροις,
Ἀνδράσι δ' ὑψοτάτω
Πέμπει μερίμνας.
Αὐτὶς μὲν πόλιων
Κρήδεμνον λύει,
Πᾶσι δ' ἀνθρώποις
Μοναρχήσειν δοκεῖ.
Χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε
Μαρμαίρουσιν οἶκοι,
Πυροφόροι δὲ κατ' αἰγλήεντα
Νῆες ἄγουσ' ἀπ' Αἰγύπτου
Μέγιστον πλοῦτον,
Ὡς πίνοντος ὁρμαίνει κέαρ.

QVALES *his pœnas deus hic.*] Et hæc quoque non aſſequuti peruerterunt homines ferreæ frontis. Nam optimum illud fragmentum ita legit:

Quales his pœnas qualis quantúſque minetur.

Sic Virgilius,

Nam qualis quantúſque cauo Polyphemus in antro.

Quod Græci feliciter vno verbo πηλίκος dicunt, hoc Latini ſermonis egeſtas dicit, Qualis quantúſque, duobus verbis.

ILLAQVE *ſi qua eſt.*] Nihil mutandum, & ſi qua eſt eiuſmodi, vt Agaue, ſentiat vltoris dei iram, non autem nos, ætati & capiti illius ſit, quæcunque illa eſt, non nobis.

ELEGIA VII.

HEI MIHI difficile eſt imitari gaudia falſa,
Difficile eſt triſti fingere mente iocum.
Nec bene mendaci riſus componitur ore,
NEC bene ſollicitus ebria verba ſonant.
Quid queror infelix? turpes diſcedite curæ.
Odit Lenæus triſtia verba pater.
Gnoßia Theſeæ quondam periuria linguæ
Fleuiſti ignoto ſola relicta mari.
A *Sic cecinit pro te doctus Minoï Catullus,*
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo. FELIX, quicunque dolore
Alterius diſces poſſe carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,
Aut fallat blanda ſordida lingua fide.
B *Et ſi pérque ſuos fallax iurauit ocellos,*
Iunonémque ſuam, pérque ſuam Venerem,
Nulla fides inerit. periuria ridet amantum
Iupiter, & ventos irrita ferre iubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Cõqueror? ite à me ſeria verba precor.
Quàm vellem longas tecum requieſcere noctes,
C *Et tecum longos peruigilare dies.*
Perfida, nec meritò nobis inimica merenti
Perfida, ſed quamuis perfida, cara tamen.
Naiada Bacchus amat. ceſſas ô lente miniſter?
Temperet annoſum Martia lympha merum.
D *Non ego, ſi fugiat noſtræ conuiuia menſæ*
Ignotum cupiens vana puella torum,
Sollicitus repetam tota ſuſpiria nocte,
Tu puer huc liquidum fortius adde merum.
Iamdudum Syrio madefactus tempora nardo
Debueram ſertis implicuiſſe comas.

E BERN. CYLL. VERON.

HEI *mihi difficile eſt imitari gaudia falſa.*] conqueſtio de mulierum fallacia. ſanè intelligendum eſt Tibullum cum accumberet ſollicitante cura, quam immenſam ſuſtinebat, in hunc ſermonem prorupiſſe. Senſus eſt: Difficile videri poſſe ſimulare lætitiam, & hoc nulli præterquam ſapienti contingit. Itaque de Virgiliano Aenea legitur:

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Iſtos autem quatuor verſiculos decet auri linimento tranſcribere, quia Cicero nihil fictum

posse esse diuturnum tradit. Sollicitudine igitur A oppressus proposita, vt tempora mensæ secura duceret declinans suspirat hæc inquiens

TVRPES *curæ.*] quæ hominem turpem, hoc est, deformatum efficiunt.

ODIT *Lenæus tristia verba pater.*] ideo odit quoniam -- *hilarat conuiuia Bacchus.* Est Lenæus Bacchus nominatus à leniendo secundum Donatum, quod leniat mentem, quem Ser. Georgi. primo damnat: nam (vt inquit ipse) verbum græcum non potest latinam etymologiam recipere. Diod. enim Siculus: vt Euseb. refert, à ληνὸς, id est, torculari deductum affirmat.

MINOI *Gnosia*] Minois Ariadna dicta est B à patre Minoe. est enim fœmininum patronymicum. Catul.

Quem procul ex alta mœstis Minois ocellis.

GNOSIA.] denominatiuum est à Gnoso ciuitate Cretæ. Infert autem optimum esse, si dolor vitetur exemplo: veluti si ab Ariadna sumamus exemplum, quæ in Dia insula Aegæi à Theseo relicta est.

MARI *ignoto.*] Catul.

Desertam in sola miseram se cernit arena.

DOCTVS *Catullus cecinit.*] fabulam quidem Ariadnæ Catul. noster in Argonautica eleganter tetigit. Est enim doctus epitheton ab omnibus antiquissimis Catul attribut. Martial.

Verona docti syllabas amat vatis

Fuit enim & oratione perspicuus & carmine.

TVM *facundus.*] tum lateiuus & grauis. Hunc A. Gel. poëtarum vocat elegantissimum in his lib. quos noctium Atticarum titulo inseruit.

VIRI *ingrati.*] Thesei, qui beneficium acceptum non recompensando ingratus merito vocatur.

VOS *ego nunc moneo.*] ordo est: Ego vos nunc moneo, felix est quicunque disces posse carere tuo, sup. dolore alterius; sensus est: Fortunatum videri quicunque dolori resistit suo, eumque vitat alterius infelicitatis exemplo: vnde dictum est,

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

PENDENTIA *brachia.*] illecebras mulierum notat. nam dum volunt aliquid à maritis impetrare, osculantur eos: quos ex iratis beneuolos efficiunt brachia collo molliter iniiciendo. Catullus ad Cecilium Nouocomensem:

Quamuis candida millies puella
Euntem reuocet, manúsque collo
Ambas iniiciens roget morari.

SORDIDA.] falsa, periura, & malignitate scaturiens.

IVNONEM *suam.*] Iuno dicitur sponsis esse pronuba. Ouid. in epistola Phyllidis:

Iunonémque toris quæ præsidet alma maritis.

PERIVRIA *ridet amantûm Iuppiter.*] sic suprà:

Nec iurare time, Veneris periuria venti
Irrita per terras & freta summa ferunt.

PERVIGILARE.] Per, valde significans auget orationem: nam vigiliarum integritatem notat: Nec obstat an dicamus vigilo noctem vnam, & per vnam noctem vigilaui: quod aliter sentiunt, qui sunt imbecillioris ingenij, vti Lau. Val. in elegan. ambagibus. Maro enim nobis scriptum reliquit: *Per noctes aliquot diesque cesso:* & ante eum Cic. in proœm. libel. qui Lucullus inscribitur. *Ibi per aliquot annos admirabili quadam laude prouinciæ præfuit.*

NEC *merenti.*] merenti id est, immerito nulla de causa, & merenti addidit, vt rem adaugeret.

NAIDA.] lympham, hoc est aquam. Baccho quidem aquas immiscere vtile & honestum est. Namque Horat. ea propter (Acrone teste Carminum II.) scripsit ad Bacchum: *Tu flectis amnes*: quoniam munera eius admiscentur aquis ad suauiorem vsum, qua ex causa fingunt poëtæ Bacchi viribus amnes domitos esse ac superatos.

MINISTER.] pincerna à μίνω Bibo & μετρῶ metior dicitur.

MARTIA *lympha.*] Tyberina aquula, idest, Romana à Marte, qui iuxta Tyberim Syluiam compressit. Nam Prisc. ostēdit in trac. de nume. & ponde. antiquos L. pro N, posuisse. N namque est nota 50. vt Apollonides, & L. Tattheus testantur. vnde Latini dicunt lympham pro nympham aquam vel fontes volentes monstrare. Virgilius,

Dant famuli manibus lymphas. ---

Possumus etiam Martiam lympham interpretari ductilem illum riuulum, quem Plin. refert in C naturali hist. 36. à Qu. Martio iussu senatus, vt aquarum alueolos reficeret inductum, & ab auctoris nomine appellationem sumpsisse.

LIQVIDVM *fortius adde merum.*] vult aquam vino immisceri, sed vberiorem vini copiam infundi.

AT *Catullus.*] ad pincernam dixit:

At vos quod iubet hinc abite lymphæ
Vini pernities, & ad seueros
Migrate, hic merus est Thyonianus.

ACHILLES STATIVS.

D SEPTIMAM facio elegiam, secutus omnium, quos viderim, veter. libror. fidem.

QVID *queror.*] in Florentino, Quid loquor.

GNOSIA *Thesea.*] ab exemplo docet, rem, vt ille dixit, perfidiosam esse Amorem.

SIC *cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus.*] Pro te. Nota apud Catullum prosopopoeia. Et Martialis Doctum Catullum vocat:

Verona docti syllabas amat vatis.

NVNC *moneo.*] in Florentino, Sic moneo,

IVNONEMQVE *suam, perque suam Venerem.*] E Iunones, & Genios, ait Plinius, sibi homines adoptant. Iunones mulierum. Namque vt scribit Petronius, mulieres Iunonem suam iurabant. Et verba illius sunt, *Iunonem meam iratam habeam, si me vnquam meminerim virginem fuisse.*

NVLLA *fides inerit.*] sic Manilius in IV.

Nulla fides inerit natis. ———

LONGAS *tecum.*] in scriptis libris, Tecum longas.

PERFIDA.] Hic versus in scriptis omnibus, vno excepto, sic legitur,

Perfida, nec merito nobis inimica, merenti Perfida.

Plaut. in Cistell.

Perfidiosus est amor.
Vt illam merenti, atque immerito, æque perfidam significet.

NON *ego, si fugiat nostræ conuiuia mensæ.*) in Vaticano sic quoque nisi quod situs verbor. duorum alius, Nostræ fugiat, In vno, meo, Non te si nostræ capiant. In altero, Non te si nostræ fugiat. vtrumque mendose.

TV *puer & liquidum fortius adde merum.*) sic in omnibus veteribus legendum forte,

Tu puer i, liquidum fortius adde merum,

sine coniunctione. vt illud Verg.

I sequere Italiam ventis.

Horat. similiter,

I puer, & citus hæc aliqua suspende columna.

Et Persius,

I puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Fortius autem, pleniore manu. quod verbum facit, vt putem legendum supra, Plena, non, Prona manu.

QVI.) reliqui versus sunt,

IAMDVDVM *Tyrio madefactus tempora nardo, Debueram sertis implicuisse comas.*) non huius esse loci mihi videbantur. Sed non repugnabo, si quis contra putet. Pro Tyrrio autem, quibusdam in libris est, Syrio. idque probandum videtur.

IANVS DOVSA FIL.

FELIX, *quicunque dolore Alterius disces posse carere tuo.*] Καλὸν γὰρ τὸ δύνασθαι τοῖς τῶν ἄλλων ἀγνοήμασι πρὸς διόρθωσιν χρῆσθαι παραδείγμασι. vt ait Diodorus Siculus in 1. Biblioth.

A

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

HEI *mihi difficile est.*) Ineptissime hæc sunt separata à superioribus in libro infimæ vetustatis, & in aliis editionibus. Nam hæc sunt, vt superiora, in quibus nihil omnino cohæret. Sed non aduerterunt imperiti homines, quid sibi vellet Tibullus. Sunt enim hæc omnia tanquam Satura quædam συμποτικῶν ἀστεϊσμάτων. Quod sane imprimis considerandum fuit.

NEC *vos aut capiant.*) Aliter hæc concepta sunt in Eclogario:

B *Non vos decipiant pendentia brachia collo,*
Nec capiat blanda sordida lingua prece.

Quod nō dubium est, rectum esse. Per hæc enim intelligit auaram & petacem amicam.

PERFIDA *nec merito.*) Distingue:

Perfida nec merito nobis inimica merenti.

Sic Catullus,

——*insperanti, ipsa refers te*
Nobis.—— *Insperanti nobis*,

vt hîc, *merenti nobis.* Virgilius,

Vos ô Calliope.——

C PERFIDA *sed quamuis perfida cara tamen.*) Euripides Phœnissis.

Φίλος γὰρ ἐχθρὸς ἐγένετ᾽, ἀλλ᾽ ὅμως φίλος.

NOSTRÆ *conuiuia mensæ.*) Hæc enim, vt dixi, omnia sunt συμποτικὰ ἀστεϊσματα.

TV *puer & liquidum.*) Fragmentum illud emendatissimum. *Tu puer i, liquidum.* Nam, vt supra dixi, scribebant EI, pro I.

FORTIVS *adde merum.*) Ita interpretatur, τὸ ζωρότερον. Martialis *largius*, & *tumidius.*

ALBII

ALBII TIBVLLI EQVITIS ROMANI LIBER IIII.

AD MESSALLAM. I.

TE Messalla canā. quāquā tua cognita virtus
Terret, vt infirmæ valeant subsistere vires,
Incipiam tamē: ac, meritas si carmina laudes
Deficiant, humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua, te præter, chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis vt non maiora supersint.
Est nobis voluisse satis. nec munera parua
Respueris. etiam Phœbo gratißima dona
Cres tulit, & cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, vt puro testantur sidera cælo,
Erigonéque, Canísque: neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides Deus ascensurus Olympum
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis.
Paruáque cælestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus paruus labor, vt tibi possim
Inde alios, aliósque memor componere versus.
Alter dictet opus magni mirabile mundi,
A Qualis in immenso desederit aëre tellus,
Qualis & in curuum pontus confluxerit orbem,
Et vagus è terris quà surgere nititur aër,
Huic & contextus paßim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur vt omnia cælo.
At quodcunque meæ poterunt audere Camenæ,
B Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit, vltrà,
Siue minus, certéque canent minus, omne vouemus
Hoc tibi, ne tanto careat mihi nomine charta.
Nam, quamquam antiquæ gentis superent tibi laudes,
C Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quæris, quod quaque index sub imagine dicat:
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quàm tibi maiores, maius decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
D Æterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Conueniéntque tuas cupidi componere laudes
Vndique, quíque canent vincto pede, quíque soluto.

Quis potius, certamen erit. sim victor in illis,
Vt nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Nam quis te maiora gerit castrisve forove?
Nec tamen hinc, aut hinc, tibi laus maiórve, minórve,
Iusta pari premitur veluti cùm pondere libra
Prona, nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa,
Qualis, inæquatum si quando onus vrget vtrinque,
Instabilis natat alterno depreßior orbe.
Nā seu diuersi fremat inconstātia vulgi,
Non alius sedare queat: seu iudicis ira
Sit placāda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos, aut Ithace tantos genuisse feruntur
Nestora, vel paruæ magnum decus vrbis Vlyssem,
Vixerit ille senex quamuis, dum terra per orbem
Sæcula fertilibus Titan decurrerit horis.
Ille per ignotas audax errauerit vrbes,
Quà maris extremis tellus includitur vndis.
Nam Cyconúmq; manus aduersis reppulit armis:
Non valuit Cyclops cœptos auertere cursus:
Cessit & Ætnęę Neptunius incola rupis
Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos,
Incultos adiit Læstrygonas, Antiphaténque,
Mobilis Artaciæ gelidos quos irrigat vnda.
Solū nec doctæ verterunt pocula Circes:
Quamuis illa foret Solis genus, apta vel herbis,
Aptáq; vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmerium etiam obscuras accessit ad arces,

A *Queis numquam candente dies apparuit ortu,*
Siue super terras Phœbus, seu curreret infrà.
Vidit vt inferno Plutoni subdita regna
Magna deûm proles leuibus discurreret Vmbris.
Præteriitque cita Seirenum litora puppi.
Illum inter geminæ nantem confinia mortis
B *Nec Scyllæ sæuo conterruit impetus ore,*
Cùm canibus rapidas inter freta serperet vndas;
Nec violenta suo consumsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontū.
Non violata vagi sileātur pascua Solis.
Non amor, & fecunda Atlantidos arua Calypsus,
C *Finis & errorum misero Phæacia tellus.*
Atque hæc seu nostras intersunt cognita terras,
Fabula siue nouum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius, tua dum facundia maior.
Iam te non alius belli tenet aptiùs artes,
D *Quà deceat tutam castris prædecere fossam,*
Qualiter aduersos hosti defigere ceruos,
Quémve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fōtibus vt dulces erumpat terra liquores:
Vt facilisque tuis aditus sit, & arduus hosti.
Laudis vt aßiduo vigeat certamine miles.
E *Quis tardámve sudem meliùs, celerémve sagittam*
Iecerit, aut lento perfregerit obuia peilo?
Aut quis equum, celerémque arcto compescere freno
Possit, & effusas tardo permittere habenas?
Inque vicem modò directo contendere passu,
Seu libeat curuo breuius cōtendere gyro,

Quis parma, seu dextra velit, seu læua tueri,
Siue hac, siue illac grandis venit impetus hastæ,
Amplior, aut signata sita loca tangere funda?
Iam simul audacis veniunt certamina Martis,
Aduersisq; parant acies cōcurrere signis:
Nunc tibi non desit, faciem componere pugnæ,
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus vt æquatis decurrat frōtib. ordo:
Seu libeat duplicem, seu iunctum cernere Martem,
Dextérque vt læuum teneat, dextrúmque sinister
Miles, sitq. duplex gemini victoria casus.
At non per dubias errant mea carmina laudes.
Nā bellis experta cano. testis mihi victæ
Fortis Iapydiæ miles, testis quoq. fallax
Pannonius, gelidas paßim disiectus in Alpes.
Testis Arupinis & pauper natus in armis. (gerit ætas,
Quem si quis videat vetus vt non fre-
Terna minus Pyliȩ miretur sæcula famȩ.
Centum fecundos Titan renouauerit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Audet equum, validisque sedet moderator habenis.
Te duce non aliàs conuersus tergą domator
Libera Romanæ subiecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
Instant, compertum est veracibus vt mihi signis,
Queis Amithaonius nequeat certare Melampus.
Nam modò fulgentem Tyrio subtemine vestem

A *Indueras, oriente die duce fertilis anni,*
Splendidior liquidis cùm Sol caput extulit vndis,
Et fera discordes tenuerūt flamina venti,
Curua nec assuetos egerunt flumina cursus: (stitit vndis,
Quin rapidum placidis etiam mare con-
Vlla nec aëreas volucris perlabitur auras, (siluas:
B *Nec quadrupes densas depascitur aspera*
Quin largita tuis sunt multa silētia votis.
Iupiter ipse leui vectus per inania curru
Affuit, & cœlo vicinū liquit Olympum,
Intentáq; tuis precibus se præbuit aure,
Cunctáque veraci capite annuit. abditus aris
Lætior eluxit structos super ignis aceruos.
Quin, hortāte Deo, magnis insistere reb.
C *Incipe, non iidem tibi sunt, aliisque triumphi.*
Non te vicino remorabitur obuia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris,
Nec fera te Tyrio tellus obsessa colono,
Nec quà vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit, aut rapidus Cyri dementia Gyndes,
D *Ardet Aractais aut vnda perhospita campis:*
Nec quà regna vago Tomyris finiuit Araxe,
Impia nec sæuis celebrās conuiuia mēsis,
Vltima vicinus Phœbo tenet arua Padæus,
Quáque Hebrus, Tanáisque Getas rigat atque Magynos.
E *Quid moror? Oceanus ponto quà continet orbem,*
Nulla tibi aduersis regio sese offeret armis.
Te manet inuictus Romano Marte Britannus,
Téque interiecto mundi pars altera Sole.
Nam circumfuso consistit in aëre tellus,
Et quinque in partes totus disponitur orbis,

Atque duæ gelido vastantur frigore semper:
Illic & densa tellus absconditur vmbra,
Et nulla incepto perlabitur vnda liquore,
Sed durata riget densam in glaciémque niuémque,
Quippe vbi non vnquam Titan superegerit ortus.
At media est Phœbi sēper subiecta calori,
Seu propior terris æstiuum fertur in orbē,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro:
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terræ.
Non illic colit arua Deus, Bacchúsve Cerésve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hāc inter posita est, interq; rigētes,
Nostráque, & huic aduersa solo pars altera nostro,
Quas similis vtrinq; tenens vicinia cœli
Tēperat: alter & alterius vires necat aër,
Hic placidus nobis per tempora labitur annus.
Hic & colla iugo didicit summittere taurus,
Et lenta excelsos vitis cōscendere ramos,
Tondetúrq. seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære.
Quinetiā structu exurgūt oppida muris.
Ergo vbi præclaros poscent tua facta triumphos,
Solus vtroq; idē dicêris magnus in orbe.
Nō ego sū satis ad tātæ præconia laudis,
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui posit magnis se accingere reb.
Valgius: æterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor otia, quamuis
Fortuna, vt mos est illi, me aduersa fatiget.
Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci,

A *Horrea fecundas ad deficientia messes,*
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupóque,
Nunc desiderium superest. nam cura nouatur,
Cùm memor anteactos semper dolor admonet annos.
B *Sed licet asperiora cadant, spoliérque relictis;*
Non te deficient nostræ memorare Camenæ:
Nec solùm tibi Pierij tribuentur honores:
Pro te vel rapidas ausim maris ire per vndas,
Aduersis hiberna licet tumeant freta ventis:
C *Pro te vel solus densis subsistere turmis,*
Vel paruum Ætnææ corpus committere flammæ.
Sum quodcunque, tuum est. nostri si paruula cura
Sit tibi, quantalibet, si sit modò, non mihi regna
Lydia, nō magni potior sit fama Gylippi,
Posse meleteas nec mallē mittere chartas.
D *Quòd tibi si versus noster totúsve minúsve,*
Vel bene si totus, sūmo vel inerret in ore,
Nulla mihi statuent finē te fata canendi.
Quin etiam, mea cùm tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies celerem properat mihi mortem,
E *Longa manet seu vita tamen mutata figuram;*
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctū, seu tardi pecoris sim gloria taurus,
Siue ego per liquidū volucris vehar aëra pennis,
In quencunque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

BERNARD. CYLLÆN. VER.

E *Messalla canam, quanquam mea cognita virtus Terret.*] Quartus & vltimus liber incipit in Messallam continẽs Panegyricon cum quibusdã elegidiis, quorum pleraque potius epigrammata vocari merentur, quæ de Cherinto adulescente formosissimo & Sulpitia Seruij filia habentur.

M E A *virtus cognita.*] laus est à prudentia, è cœlo enim descendit γνῶθι σαυτόν.

V T *infirmæ valeant subsistere vires.*] iuxta Horatij præceptum in poëtica,

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus: & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc nec lucidus ordo.

S V B S I S T E R E.] quasi plus humeris sustulerit quàm ferre possit, & est metaphora sumpta à baiulo.

S I.] pro quamuis.

L A V D E S *deficiant carmina.*] hoc est, non possum æquare laudes tuas præconiis versuũ meorũ.

C O N D I T O R.] compositor. Nam condere componere est.

N E C *tua te præter charta intexere quisquam Facta velit.*] Messallæ beneuolentiam venatur, quem egregiè doctum fuisse ostendit.

T E *præter.*] cuius eloquentia cæteros anteit.

E S T *nobis voluisse satis.*] sic Propertius,

Quod si deficiant vires, audacia certe
Laus erit: in magnis & voluisse sat est.

Et Ouidius ad Rufinum,

Vt desint vires, tamen est laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror esse deos.

& sensus est: voluntas erit pro perfecto officio.

N E C *munera parua Respuerit.*] à maiori probat munuscula non esse negligenda.

C R E S *tulit.*] quidam Dædalum male putant, qui remigium alarum postquam ex Creta in Italiam aufugit, consecrauit Apollini. nam Dædalus non Cretensis sed Atheniensis fuit: quidam Minoem iustissimum regem Cretæ, de quo tamen ambigimus: res enim perobscura est. quisque quod placet dicat, nostrum est nihil imaginari. Scimus tamen Higinium scripsisse ex sententia quorundam Græcorum Iouem hędos beneficio matris inter sidera collocasse. Nam rex quidam Cretæ fuit, ad cuius filias Iuppiter enutriendus est delatus: quem quod lac illæ non habuerint, capram ei admisisse Amalthæã nomine, quæ illum educauit, & cum solita esset geminos procreare, eo fere tẽpore procreauit, quos inter sidera Cleostratus dicitur primus ostendisse. & alij autumant Cretam pastorem fuisse in Attica: alij eum qui ex se Cretem nominauit. Cretes quoque Iuppiter esse accipitur, qui (vt scribit Diodorus) cùm gigantes vrgeret in Creta, sed præcipue Milyum ante pugnam Soli & Cœlo bouem mactauit: quo sacro manifestum fuit Iouem fore victorem.

I C A R V S.] Io. Tor. in lib. ortogra. scribit

A Icarium quatrisyllabum nomen fuisse, filium Oebali Laconũ regis ex Dorodoche filia Orsilochi, quem Liber pater comitem habuit, sed ego apud Latinos inueni tantum trium syllabarum, vt hic, & apud Propertium Eleg. II.

Icare Cecropiis merito iugulate colonis.

Hic cum sua in Bacchum fide vini vsum meruisset, suisque nouum messoribus poculum porrexisset, ab illis opinantibus venenum sibi datum peremptus est. Quare vt longas fabulæ ambages omittamus, sæuitia ortæ pestis sedata est, habito oraculo Manibus filiæ suspensæ & interempti Icari sacrificandũ. Filia Erigone in signum quod

B iustitia dicitur translata est, canis autem, cui Mera fuit nomen in sui nominis sidus, quod etiam Prochyon, ipse Icarus in Bootem, qui Arctophilax vocatur.

A L C I D E S *deus ascensurus olympum.*] Hercules cùm se in Oetha combussisset, ob suorum facinorum gloriam in cœlestium numerum est à patre receptus, vt in Metamorphos. tractat Ouidius. Dictus est Alcides ab Alceo auo Amphytrionis patre: seu ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, robore, quod sensisse visus est Propert. Eleg. IV.

Audisti ne aliquem tergo qui sustulit orbem
Ille ego sum, Alcidem terra recepta vocat.

C L Æ T A *Molorcheis posuit vestigia terris.*] Molorchus pastor fuit Cleoneus non longè à Nemea silua inhabitans, cuius Hercules fuit hospes, cùm ad leonis interitum descendisset. De hoc Callimachus meminit in Η Ο Ι Ω Ν libris. Terris ergo Molorcheis, id est, domo Molorchi Cleonei, qui quod parum virilium testiculorum haberet, Molorchus est nominatus. Læta autem vestigia, quod benigne Herculem suscepit, quãquam pauper censu, sed affectu diues, vt ait Lactantius Grammaticus: vnde Statius poëta:

Gloria nota casæ foribus simulata salignis,
Hospitis arma dei paruóque ostenditur auro

D *Robur ibi, & lassos qua declinauerit artus*
Ilice, qua cubiti sedeant vestigia terra.

Aut quia honores illi pene diuinos tribuit, postquam ipse Hercules addiscens ab eo, quemadmodũ leo coiret in ferrum prostrauit belluam, quæ filium suum dilacerauerat. Instituit enim ludos quos Nemea à siluæ loco appellauit.

P A R V A *mica.*] frustulũ crusti micam vocat.

P A V I T.] cibauit, impleuit. Est enim præteritum à pasco.

C O R N V *inaurato.*] vt fiat solennius sacrum. Iuuenalis:

E ——— *& auratam Iunoni cæde iuuencam.*

G R A T V S.] quippe non facultas in amico, sed voluntas spectari debet.

I N D E.] post hoc.

A L I O S Q V E *fastus.*] id est, multos & varios.

O P V S *mi. mundi.*] hoc est, per scientiam philosophicam narrat de mundi machina, quæ qualis sit ipse statim declarat per partes.

Q V A L I S *in immenso descenderit aëre tell.*] omnium elementorum terra depressissima est, quoniam in globum constet formata, suisq; viribus tendat ad centrum, idest, medium, circunquaq; ipso aëre lustratur. Lucanus:

- dum terra fretum, terrámque leuabit Aër.

Nam, vt ait Cicero de natura deorum II. *Principio terra ipsa sita in media parte mundi circumfusa vndique est hac animabili, spirabilique natura, cui nomen est aër.*

CONFLVXERIT *orbem in curuum.*] totam nempe terram mare circuit, vnde Amphitrite & Neptunus vocitantur. Ideò Manilius libro Astronomicon ait,

Aequora diffudit toto nascentia ponto.

Catullus,

Oceanúsque mari totum qui amplectitur orbem.

AER *vagus.*] hoc est, naturæ mobilis huc illuc permeans.

QVA *surgere mititur.*] omnia elementa circularia sunt, itaque dum alterum ab altero discedit proximum attingit.

ÆTHER *paßim fluat.*] quatuor elementa tetigit quibus cœli fabrica consistit, quorum ignis liquidissimus est, Ouidio scribente primo Metamorphos.

Hunc super imposuit liquidum & grauitate carentē Aethera. ——

Fuit verò Æther filius Dæmogorgonis & Achæ, vt Pronapides dixit: verum nostri cum Græcis pro elemento acceperunt. Quare Appuleius maius quid in libro de Cosmographia ait, scilicet cœlum ipsum stellas atque omnem sideream compagem ætherem vocari, non quod igneus sit & incensus, vt quidam putauerunt, sed quod cursibus rapidis semper rotetur: vnde Aristotelis sententia comprobatur in libris quos de cœlo composuit, ex ἀεὶ θεῖν. ἀεὶ enim semper & θεῖν, curro, componi dixit.

CONTEXTVS *huic.*] aëri coniunctus. Ouidius ibidem,

Proximus est aër illi leuitate locoque.

COELO *pendenti.*] cœlum à cauitate quidam dici voluerunt veteres, aut à cælatura. Græci κόσμον ab ornatu: Latini à puritie mundum.

CLAVDANTVR *vt omnia.*] quasi cœlum à à celando, id est, tegendo deducatur. Sic Ouidius ibidem,

—— *& quod tegit omnia cœlum.*

PAR.] æqualem laudem.

SEV *quod spes abnuit vltro.*] quasi velit dicere maiora: sed hoc non solum sperat.

TANTO *carmine.*] vbi de tuis laudibus agatur.

CHARTA.] liber iste.

NAM *quanquam antiqua.*] Messallam dicit præclarum à stemmate domus suæ.

GENTIS.] prosapiæ.

SVPERANT.] superabundant.

NON *tua gloria est contenta maiorum fama.*] hac scilicet ratione non est contenta, quam ponit Satyricus, nempe

—— *miserum est aliena incumbere fama.*

IVDEX.] existimator, quasi iudex rerum tuarum.

IMAGINE.] tuorum maiorum.

QVAM *tibi maiores.*] sensus est: Tu contendis anteire omnes maiores tuos re & virtute, vt ipse futurus sis venturis maius decus, quàm tibi tui maiores extitere.

AT *tua non titulis.*] promittit Messallam æternum fore propter sua benefacta. vno enim titulo non capientur omnia à se gesta, sed magna de illis volumina construentur. Titulus ergo non capiet, id est, epitaphium non comprehendet. Est enim titulus (teste Lactantio Grammatico Theba. III.) memoria bonorum factorum, qui solet supponi tumulis mortuorum.

CVPIDI.] auidi auctores s.

COMPONERE.] ad componendum conuenire.

QVIQVE *canent iuncto pede.*] poëtas intelligit quorum ars in versibus colligitur structura pedum egregiè locatorum.

QVIQVE *soluto.*] Historiographos accipit, qui libera scribendi licentia vagantur.

QVIS *potius certamen erit.*] quis pro quibus inerit concertatio, vt alius alium eleganter & copiosè scribendo superet.

CASTRISVE *foróve.*) sensus est: Eorum quisque scriptorum excellentiora dicet de tua in militia, domíque administrationis sapientia & integritate: nemo tamen virtutem tuam æquare verbis poterit: hoc est, digna satis oratione comprehendere, quod statim per similitudinem declarat.

LIBRA.) bilanx, trutina.

SEDET.) descendit. Est autem dictio sumpta à trutina.

ALTERNO *orbe.*) orbem vocat scutulas ipsius bilancis. alterno verò pro alternatim descendente & exurgente.

INCONSTANTIA *vulgi.*) hendyadis est pro vulgus inconstantissimum.

SEDARE *queat.*) hoc est officium summi & maximæ auctoritatis viri. solus enim vir integer ignobilem vulgum potest componere: quare Maro per comparationem dixit:

Tum pietate grauem ac meritis si forte virū quem
Conspexêre silent, arrectísque auribus astant,
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

PYLO.) Pylus Nestoris ciuitas fuit, de qua diuersa est apud Geographos sentētia, vt in VIII. Strabonis de Geographia legitur.

ITHACE.) oppidum vbi Vlysses regnauit & vna ex Echinadibus insula, sed istud refertur ad sequentem versum,

-- *vel parua magnum decus vrbis Vlyssem.*

ILLE.) Nestor.

DVM *terna per orbem Secula fertilibus Titan decurreret horis.*) ita dictum est, vt ab Ouidio XII. Metamorphos.

Annos bis centum nunc tertia ducitur ætas.

Annos enim Nestor tercentos egit. Homerus,

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίαθ' οἵ οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο
Ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν.

Acron tamen Horatianorum Carminum secundo commentario ait: Nestorem annos nonaginta vixisse, hoc est, tribus ætatibus functum. vnam enim ætatem triginta annos posuisse antiquitatem refert: quod & Lactantius Grammaticus Thebaidos IV. secutus est. Credit enim Nestorem annorum sexaginta fuisse, cùm bellum Thebanum cōflatum est, in quo tamen ipse militare voluit: vnde poëta scribit,

—— iuuenis ætate secunda

Nestor & ire tamen persuasa in castra negauit.

ILLE *per ignotas audax erraueris vrbes.*) Horatius in Poë. ex Homero transferens ait:

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Sed dum audax dicit, Vlyssis laudem imminuit, vt Messallam vberius laudet. Nam poëtæ, sicut Strabo in Geographia scribit, heroas illos antiquissimos singulari præditos sapientia fuisse declarant, qui ad multa peregrinantes loca longis vagabantur erroribus: in amplissimo enim ponebant multorum mortalium vrbes vidisse, & prudentiam intellexisse, vt Nestor & Menelaus apud Homerum gloriantur, qui quidem Homerus Vlyssi ante omnes in omni genere virtutum ornato hoc attribuit in primis:

Oppida multa adiit, fuit huic sapientia nota.

Hic verò tractatus Tibullianus ex Homerica lectione totus excerptus est.

QVA *maris extremis.*) ad penitissima quippe orbis loca Vlysses iactatus est, & Hispaniam accipit, vbi extra columnas in Atlantiaco pelago Homerus Vlyssem fuisse scribit.

CICONVM *manus.*) Cicones populi sunt Thraciæ iuxta Hebrum, quos Vlysses certamine inito superauit. Namq. Dictis asserit, quod cùm Vlysses de Palladio cum Palamede certaret, & iam eius causa occubuisset, Aiax timens ne ipse interciperetur, enauigauit clanculum: Neptunus ex obitu Palamedis nepotis indignatus eum vi tempestatis aggressus est; sed ille in Ciconum terras veniens vix illis superatis euasit sospes.

NON *valuit Cyclops cœptos auertere cursus.*) de Polyphemo intelligit, qui in Sicilia Ætnam inhabitauit. huic vnum oculum in fronte solum attribuit antiquitas, vt rem poëtico figmento doceret: fuit enim vir qui prudentia plurimum valuit, quo circa in fronte, hoc est in cerebro vnum oculum pro vigilantia & calliditate dicitur habuisse: vnde Polyphemus quasi multæ famæ interpretatur.i. percelebris.

GESSIT *& Aetnea.*] interpretatio est superioris versiculi: duriusculum enim id visum est ad intellectum. Polyphemus quidem filius fuit Neptuni, ea ratione quam A. Gellius in noctibus Atticis ponit. Vetustas enim homines supra humanas vires aliqua excellentes via Deorum filios dixit, qui si ferociores, crudelioresque fuerant, Neptuni.i. maris credidit. vel certe filius fuit Neptuni ex Thosa filia Phorci, vt Homerus in Odyssea ponit. Hic tentauit Vlyssem decipere, nisi viri grauis prudentia intercessisset, quam tangit dicendo per synecdochen:

Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.

Sed clarius & breui pertractanda est fabula. Post excidium Troianum Vlysses ab Celeno cepit oraculum se variis regionibus iactandum antequam ad patrios Lares perueniret: postea quam igitur multa perpessus est, venit in Siciliam, XII. comitibus sociatus, vbi hominem ferum & immanem Polyphemum nomine conspicatus, de loci situ & hominum ritu sciscitatur, ille superbe, vt feritas postulabat, respondens, duos ex illis continuo inglutiuit, sequenti luce totidem fregit dentibus, nec aliter inclinante die in cæteros

A se habuit: tunc Vlysses pacis reconciliatione simulata, cadum vnum ex tribus, quos secum vexerat, sitienti porrexit, supplicās vt sibi reliquisque sodalibus vim polleat inferre, quod gigas si alium sibi dedisset, vni cadum, deinde alium pollicitus est. Quamobrem ebrius somnum cepit, cui Vlysses cum cætero comitū cœtu necem parans oculum vnum, quem solum in fronte gestabat, acutis palis eruit: interfectarúmque ouium pellibus induti omnes, vt fallaciam illi iniicerent, ab antro tuti digressi sunt. Maroneo ergo Baccho positum est non à Marone, de qua vrbe Liuius in primo de bello Macedonico meminit,

B sed ab homine Maroneo nomine, vt in Probo commentatore scriptum inueni. Nam vbi Virgilius in Georgicis dicit,

—— iuuat Ismara Baccho

Conserere. ——

ille ait Ismarum esse oppidum, quod expugnauit Vlysses cùm à Troia discederet, & victor vinum accepisset à Maroneo, cuius pater Cupithus traditur, quod vinum Cyclopi dedit. Eius autē tanta vis fuit, vt vnum vini metron viginti metra sustinuerit aquæ, iuxta quam sententiam auctor loquitur, & Propertius Elegiarum secundo inquit:

C *Necnon Ismario tu Polypheme mero.*

Plinius autem in Naturali historia XIV. ex Homeri sententia Maroneum nasci in loco Thraciæ maritimo dicit.

VEXIT *& Aeolios placidum per Nerea ventos.*) Fabulamenta poëtarum referunt, quod itidem ab Æolo Hippotadæ ventos accepit in vtro, vt domum suam sine læsione eorum enauigaret, at cum diebus nouem enauigans portum tetigisset, tanta fuit familiarium auiditas, quid illud esset intelligendi, quod opes putantes illic congestas vtrem soluerunt: quo facto Vlysses iterum vi ventorum aduersaria arreptus peregre ire coactus est, dicente Ouidio Metam. XIV.

D *Proxima post nonam cum sese Aurora moueret,*
Inuidia socios prædæq; cupidine captos:
Esse ratos aurum dempsisse ligamina ventis,
Cū quibus isse retro per quas modo venerat vndas,
Aeolyq; ratem portus repetisse tyranni.

Æolus enim (vt Strabo in Geographia scribit ex Græcorum sententia) ideò habitus est ventorum custos & rex, quod in ipsius freti locis, per quæ cursus & recursus est, & nauigationis asperitas per fluxus atq; refluxus aggrediendi signa commonstrabat. Apud enim maiores nostros ob aliquam commoditatis rationem magni viri sunt

E celebrati pro diis, vt in deorum natura Cicero scribit. & plerique primatu digni sunt habiti, qualis Danaus in Argis inundationes ostentans, & Atreus aduersum Solis cursum, vates habiti & aruspices reges. Præterea (vt idem geographiæ VI. scribit) Sicilia Vulcano sacra tribus in locis quasi crateribus efflat, cum tota ignita sit: Si igitur venti spiraturi sunt, pro eorum qualitate signa protenduntur: namque si Auster erat, nebulosa circum insulam effundebatur caligo, adeo vt procul spectantibus Sicilia non cerneretur. Si Boreas, ex altero cratere puræ flammæ altius vehebantur, maioresque irrumpebant spiritus.

Sic de Euri & Zephyri obseruationibus scribitur, in quibus omnibus custodiendis Æolus diligentissimus à poëtis sub fabulamento poëtico veritatem sequentibus ventorum rex vocatus est. Vlysses autem secundum Homerum in Sicilia coriorum sutorem inuenit: à quo ventos datos ab Æolo insutos esse fictum est, qui alludere voluit ad piscationẽ galeatorum piscium, quam in VI. Strabo pertractat.

INCVLTOS *Lestrygonas.*] Lestrygones populi sunt in extremo Italiæ Siciliam versus efferis moribus habitantes prius vrbem Formiarum inter Terracinam & Sinuessam, dicente Ouidio,

Inde Lami veteres Lestrygones inquit in vrbem
Venimus, Antiphates terra regnabat in illa.

Ad hos enim Vlysses peruenit. Iuuenalis,

Fingentem immanes Lestrygonas. ——

ANTIPHATEMQVE.] hic fuit Lestrygonum rector, vt in antedicto loco Ouidius ostendit, —— *Antiphates terra regnabat in illa.* Sed quare Lestrygonas dixerit, postea regem illorum subdiderit, ea est ratio, vt historiam expleret. Namque Ouidius scribit Machareum ab Vlysse missum cum duob. sociis ad Antiphatem vix cum altero vitam fuga seruasse: sed orto bello vna cum Vlyssis naue effugisse, cætera sociorum classe amissa.

NOBILIS *Artacia.*] Artacia fluuius est per Lestrygonum regionem decurrens fonte limpidissimo, vt Homerus auctor est.

SOLVM *nec doctæ verterunt pocula Circes.*] Circe filia Solis fuit ex Persa nympha Oceani filia, vt poëtæ fabulantur. Diodorus ait filiam ex Æeta & Hecate filia Persis: nam refert quod Sol ex Persa duos filios habuit Æetam & Persen, ex Perse nata est Hecate, quæ cùm pater venenum assumpsisset, nupsit Æetæ patruo, trésque liberos sustulit, Circem, Medeam, Ægialeum. Hæc Circe omnes Vlyssis socios vertit in porcos. Virgilius,

Carminibus Circe socios mutauit Vlyssis.

Solus Vlysses euasit, quippe (vt Ouidius refert) Mercurius Vlyssi florem dederat, Moly nomine vocant superi, nigráque tenetur radice, & aureum colorem ostendit. de quo in Naturali historia Plinius ait. *Huius ope & deorum monitis ipse sospes stetit.* hunc Maro in Priapeis iocis scaturiens & salibus mentulam interpretatur: qua ob insolitam crassitudinem Circe oblectata se abstinuit ab Vlysse. Circe enim ex taurico regno fugiens non lõge à Caieta sedem posuit in monte qui Circæus dicitur, de suo nomine, scribente Ouidio:

Nomine dicta suo Circæa reliquerat arua.

HERBIS *vel cantu*] veneficarum est herbarum & verborum vti potentia, vt Lucanus sexto docet.

CYMMERION *etiam obscuras accessit ad oras.*] Cymmerion Græcè positum est, & populi sunt in Asia vicini sedibus Amazonum, ad quos Homerus in Odyssea scribit Vlyssem ex vltimo Occidentis mari applicuisse, quos certe ipse ad inferos esse constituit ea ratione quod ad Septentrionem & occasum habitant loca sita ad Bosphorum, vel quod Homeri ætaté vel paulò ante accessum ad Cymmerios factum fuisse commemorant ad Æoliam vsque ad Ioniam: ideò etiam obscuras oras dicit, quod Taurum (vt ait Priscianus)

Cymmeriis gelidis habitant sub finibus vnum.

Quippe hoc itidem ostendit Homerus: obscuras eorum oras per agri clima insinuans, quod tenebrosus sit cum aëre & nebula illi cooperti sint. Vnde Guarinus noster in Strabonis Geographiæ primo Homerum interpretans ait:

Illis Sol nunquam Phaeton sua lumina spargit:
Pernitiosa super nox semper tenditur istis.

Idcirco Ouidius Metamorph. vndecimo Somni domum describens cùm prope Cymmerios esse dixisset, subdidit:

- quò nunquam radiis oriénsve cadénsve
Phœbus adire potest, nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæve crepuscula noctis.

QVIS.] pro quibus antique positum.

CADENTE *dies nunquam ortus apparuit.*] hinc dignoscitur quod sunt populi in vltima regione Asiæ versus Septentrionem positi, cùm neque in ortu suo, neq; in occasu Sol illis se nunquam ostendat.

DIES.] solaris lux.

SEV *curreret infra.*] per Antipodum regionem nobis inferiorem dicit quasi mirum non sit, si cùm Sol nobis lucet, illis non videatur: at saltem cùm à nobis recedens lustrat Antipodas, videri procul dubio apud illos deberet.

VIDIT *vt inferno Plutonis subdita regno Magna deum proles leuibus discurreret vmbris.*] per fabulamenta poëtica Vlyssem ad inferos descendisse dicit: cùm ille scilicet ad Bosphorum Cymmerium & Cymmerios populos accesserit, qui quoniam tenebrosa incolunt loca: antiquitas Vlyssem finxit ad inferos descendisse, hoc est, ad finitimas inferno & obscuras regiones. Propertius secundum fabulas ait Elegiarum III.

Nigrantésque domos animarum implesse silentum.

Nam ibi deorum prolem vidit, qualis fuit Hercules & Bacchus, quorum simulachra stetisse illic putauit antiquitas. Potest & generaliter accipi de humano genere. omnes enim serius aut citius ad imam sedem properamus, vt Ouidius tradit. Illud quoque non inconuenit, vt magna deûm proles ad Vlyssem referatur, & subintelligatur dum discurreret. Nam ex Ioue genitus est Acrisius, & ex eo Laërtes: ex quo & Anthidia Vlysses à Ioue quartũ tenens locum propaginis.

SIRENVM *littora puppe.*] Sirenes nymphæ fuerunt Acheloi filiæ. quæ in tractu Pelori tam artificiosè concinebant, vt vna voce, altera lyra, tertia tibia transeuntes nautas detinerent, Ouidio scribente de arte amandi III.

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.

Hac ex caussa Vlysses prudentissimus & rerum scientissimus socios cera suas aures obligare iussit, vt imminens periculum euaderent, dicente Martiale ad Cassianum:

Sirenes hilarem nauigantium pœnam,
Blandásque mortes, gaudiúmque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.

Sed Palæphatus libro primo incredibilium eas fuisse meretrices scribit, quæ deciperent nauigantes, vt Eusebius de temporibus memorat.

CONFINIA *tergemini montis.*] nequaquam fines Lilybei, Pachyni, Pelori, accipimus: inter quos Scylla latrans infima inguinum parte tumultuatur. Sed quod ait Eratosthenes, quem Strabo in geographiæ primo damnat, cum Homerum reprehendat compluribus in locis, tum quod de Sirenibus locutus sit perperam. nam sunt (vt ait ille) qui Sirenes in tractu Pelorio ponant, alij ad Siremissas insulas, qua plus quã duo millia stadiorum absint: illas autem triuerticem esse scopulum, qui Cumanum à Possidomate sinum dirimat: verùm scopulus ille nequaquam triuertex est, nec nimis in sublime tollitur. Cæterum cubitus quidẽ lõgus & angustus à Caprearum freto locis extenditur, altero ex montis latere Sirenum sacellum habens, ex altero autem ad Possidomatem sinum paruæ tres insulæ adiacent desertæ petrosæ, quas Sirenussas vocant. Sed cùm Homerus dixerit eas esse non est error, habito ad Siciliam respectu vnde non discessit.

NANTEM.] nauigantem.

ORBE *sæuo.*] gurgite: tametsi vtique semper procelloso, tùm maximè tamen sæuo: quippe Ouidius scribit Metam. XIV. Scyllam cùm in monstrum horrendum conuersa esset memorem veneficiorum Circes absorpsisse quosdam ex Vlyssis sociis Circem amantes.

CHARYBDIS *violenta suo ore.*] hoc ideo dictum est, quoniam monstrum istud loco est tempestuoso: namque alternatim sursum deorsum versus voluitur, quod statim poëta notificat, & Homerus scribit Vlyssem in sorbitionem ipsius incidisse, sed tamen euasisse.

PASCUA *vagi Solis.*] non occidentem regionem accipit, vbi fabulantur poëtæ esse Solis stabula, sed Siciliæ partem intelligit, vbi ex sententia Homeri in Odyssea, Lampetie, cuius soror erat Phaëtusa Solis filia, ex Neæra nympha, patris armenta custodiebat, quã iter faciens Vlysses sociis permisit, vt ex illis arriperent: quod ne facerent à Circe præmonitus erat: quamobrẽ fecit naufragium. hanc fabellam tetigit Propert. Eleg. III.

Lampeties Siculis verubus mugisse iuuencos
Pauerat hos Phœbo filia Lampetie.

ATLANTIDOS *arua Calypsus.*] Calypso fuit Atlantis filia, vt in Odyssea scribit Homerus, & Virgilius Maro in Priapeis inquiens,

Hic legimus Circen Atlantiadámque Calypson
Grandia Dulichij vasa petisse viri.

Quanquam Hesiodus in Theogonia Oceani & Tethyos filiam scripserit. Ad hanc naufragus Vlysses post abitum à Circe peruenit, eiúsque contubernio septennium vsus est, quæ habitauit in insula, de suo nomine in mari Africo iuxta Ionium versus maiores Syrtes.

TELLUS *Phæacia.*] Corcyram dicit, quo perueniens naufragus ab Alcinoo rege benignè susceptus est: cuius in dicendo copia & ornatu capta dicitur Nausicaa regis filia: quamuis Homerus noster in Priapeis ridens dixit membri magnitudine oblectatam, cuius crassitudinem mirata est frondenti ramo vix potuisse tegi.

FINIS.] quippe suorum errorum finis fuisset Corcyra, si regiam filiam oblatam sibi in matrimoniũ accepisset, sed abiit, vt Homerus amplissimè cecinit.

SEU *finis.*] quia inde discedens rectè domum annauigauit, sed à Telegono interceptus vitam finiuit.

ATQUE *hæc seu nostras.*] vult poëta de erroribus Vlyssis famam diminuere, vt Messallæ gloriam largius extollat, quasi fabulosa fuerint multa quæ de eo enarrantur, vt Ouidius in Tristibus,

Adde quod illius pars maxima ficta laborum.

Et Eratosthenes adeò fabulatorias de Vlysse nugas ludit, vt cum omnes tum maximè Homerũ vaniloquuum fuisse testatus sit.

TUA *dum facundia maior.*] Quintilianus decimo Messallam facundum fuisse notat, *Messalla nitidus & candidus & quodammodo præferens in dicendo nobilitatem suam viribus minor: qui etiam Cicerone florente non parum in eloquentia dignitatis cum Pollione obtinuerit.*

NOVUM.] non verum sed fictum.

ARTES *belli.*] rei militaris scientiam.

FOSSAM.] fossa est castrorum & murorum circa & extra pomeria, fouea verò scrobs dicitur, à fodio vtrumq; venit, inde fossor & fossorium. Describit autem particulatim quibus inniti rebus imperator in bello debet.

NERVOS.] instrumenta bellica qualia sunt phalarica, balista, scorpio & huiusmodi reliqua.

SIT *melius claudere.*] scilicet ab incursu hostium.

DULCES *liquores.*] fonticulosos, ne exercitus aquarum penuria obruatur.

ASSIDUO *certamine laudis.*] Miles non torpere debet, sed assiduo ludo laudem quærere: cui propter strenuitatem ductor afficiatur. hoc autem satellites in castris decet efficere, vti postea in bello corpus ad omnem virtutis patientiam induratum habeant: Iccirco Lucanus de Catone scripsit:

Iámque actu belli non doctam ferre quietem
Constituit mentes, seriémque agitare laborum.

& à Claudiano scriptum legimus.

-si bella tonant prius agmina duris
Exercet studiis, & sæuo præstruit Marti.

TARDAM.] non celeri volantem cursu.

LENTO.] flexibili, vel tardo.

ARCTO *freno.*] id est, otia satis anguste fabrefacta.

COMPESCERE.] retinere: quod magnæ est industriæ. Huius dicti contrarium statim ponet.

PERMITTERE.] effundere, & in totum dare. Virgilius,

—— classíque immittit habenas.

LOCA *signata*] pro scopulo dixit: quasi ad signum.i.metam electa.

MARTIS.] belli, aut veri aut in speciem veri.

ADVERSIS *signis.*] vexillis obuiam directis.

FACIEM.] prospectum totius pugnæ.

AGMEN *quadratum.*] vti per quadrangulum dispositum incedat quadrate. huiusmodi instructionis exercituum in bello varias species Liuius in Decadibus ponit.

INÆQVATIS.] vt altera sit maior, & effusior altera.

DVPLICEM.] dupliciter diuisum, aut iunctum, simul commixtum.

DEXTRAQVE *vt leuum teneat miles.*] intelligit strenuitatem militis vtramque in pugnę partem se viriliter exercentis.

DVBIAS.] incognitas & non veras.

FORTIS *Iapydia.*] laus est à corpore & animo. De fortitudine Iapydum scribit Appianus Alexandrinus: *Iapis Aetolus fuit, qui in ea parte qua Timauus fluuius decurrit, oppidum constituit: & inde ea pars Iapydia appellata est.* horum populorum oppidum Arupinum Messalla deuicit, vt idem auctor describit.

FALLAX *Pannonius.*] fallaces, hoc est, rebelles & perfidos Pannonios ostendit idem Appianus in libro, qui inscribitur Illyrius, vbi ait: *quod Pannonij sunt à Romanis dicti, qui à Græcis Paones appellantur, olim inter Illyrios annumerati.* Pæones autem appellati à Pæono vel Pannonio filio Autarij nepote Illyrij, qui genitus est ex Galatea & Polyphemo: eam enim regionem tenuit, & à se cognomen imposuit.

IN *gelidas Alpes disiectos.*] in montes altissimos: & ideo ad capiendum difficillimos.

TESTIS *Arupinus, & pauper natus in armis.*) duo dicit. primùm hominem natum loco durissimo, deinde pauperrimo, quæ omnia fortitudinem alumnis præstant. Vnde Horatius libro Carm. III.

Robustam amica pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat. ——

VT *non fregerit ætas.*) quippe diutissime viuunt.

SÆCVLA *famæ Pyliæ.*) ætatem diutissimam Nestoris Pylij, quem supra diximus ternam vixisse ætatem.

CENTVM *fœcundos.*) non de Hyperboreis loquitur populis, qui annum centesimum transigunt, & vltra (vt Festus asserit) & Pindarus Simonidésque poëtæ annos mille viuere dixerunt, sed de Gallicis quibusdam seu Septentrionalibus intelligit gentibus.

IPSE *tamen velox.*) sensus est: quod quando effœtus sit propter annorum multitudinem, insilit tamen etiã forti equo perquam intrepide.

MODERATOR.) rector equi infrenis.

DOMATOR.] antique protulit pro domitor. Dixerunt enim veteres domo, domas, domaui, domatum. Domitor itaque hoc est, gubernator, & quasi equiso.

LIBERA *colla.*) non alias à Romanis in seruitutem redacta.

CATHENÆ *Romanæ.*) imperio Romanorum, & stat in metaphora à canibus collum loro supponentibus.

VERACIBVS *signis.*) vera enim sunt, quoniam sequitur cœli rationem, vt apparebit ex inferioribus.

A QVIS *Amithaonius nequeat certare Melampus.*) Melampus fuit Amithaonis filius, ex Argo regione medicus & augur inclytus: de quo Statius in Thebaide sua.

NAM *modo.*) signum ponit futuri euentus.

TYRIO *subtegmine.*) trama Tyria, & vestem purpuream Tyrio stamine factam intelligit. Itidem Sillius Italicus XIV.

Vestis spirantes referens subtegmine vultus:
Quæ radio cælat Babylon vel murice picto
Læta Tyros. ——

DIE *oriente.*) in ortu diei, qui dux est anni fertilis. Hic eum puto intelligere Martias Kalen-
B das: à Marte enim olim cœptus est annus: vnde suprà:

Martis Romani festæ venêre Kalendæ:
Exoriens nostris hic fuit annus auis.

Potest & intelligi de Ianuariis Kalendis.

SPLENDIDIOR.) multo lucidior solito, & hoc propter Messallam.

LIQVIDIS *vndis.*) Orientali Oceano.

FERA *flamina.*) impetus naufragos & perniciosos.

DISCORDES.) oppositis ad inuicem regionibus discedentes.

CVRVA.) epitheton est.

CVRSVS *assuetos.*) nempe astiterunt. Arguit
C autem à quatuor elementis futuram Messallæ gloriam atque felicitatem excellentissimam.

RAPIDVM.) quia semper fluctuat. Est huic Virgiliana sententia consimilis,

Cum placidum ventis staret mare. ——

Intelligit verò γαλήνην fuisse, quæ Latinè flustra dicitur, Græci quoque γαλήνην vocant: quando fluctus non moueantur.

IVPPITER.) qui votis ac precibus orantis non defuit.

VICINVM *Olympum liquit.*] hypallage est: nam prius liquit cœlum, deinde veniens affuit. Sed Olympum montem qui excedit nubes si-
D gnificat: ideò vicinus cœlo dicitur.

INTENTVMQVE *tuis precibus se præbuit aure.*) qui audit, aurem præstat. Iuuenalis,

-nam cum facilem stillauit in aurem.

In hoc autem quod attente audit propitius videtur. Horat. Serm. I.

—— nec se fore posthac
Tam facilem dicat votis vt præbeat aurem.

id est, exaudiat vota precantis.

CAPITE *annuit.*) diuorum sanctitas & regum maiestas exigit vt capitis motu & inclinatione voluntatem indicent suam, vt supra dictum.

E GALLIA.) quæ tum populo Romano rebellis bellum inferebat.

AVDAX *Hispania.*) proprium est Hispaniæ adiectiuum. ideò Horatius Flaccus Carminum quarto,

Quis, Germania quos horrida parturit
Fœtus, incolumi Cæsare? quis feræ
Bellum curet Iberiæ? ——

LATIS *terris.*) quia amplissima est Hispania. Lucanus,

-- emitti terrarum in deuia Martem
Inq; feras gentes Cæsar vides. --

A

& Priscianus in interpretamento Dionysij:

Ad spatium multum terrarum rura colentes,
Oceanum Borea contingunt frigore durum,

Sic Horat. laudans Cæsarem Carm. IV. has duas gentes complectitur:

Te non pauentis funera Galliæ:
Duraq; tellus audit Iberiæ.

NEC *fera Thereo.*] aut Theroneo legemus, aut Theréo penultima producta adiecto te ex versu. Alij legunt Rhetæo. Nam Salustius in Iugurtino Theronem coloniam meminit in Cyrenis, & Africam intelligit, quam olim Herculis socij diuersi generis tenuerūt: seu Thereo à Thereis conditoribus, eadem tamen est historia. Strabo enim in vltimo Geographiæ scribit Cyrenem vrbem esse maximam, quam Therei condiderunt, qui ex Laconia profecti Theram insulam coluerunt. hæc autem Thera olim vocabatur Calisto, vt Callimachus ait,

B

Nomine Calisto primum, sed postmodo Thera
Dicta fuit tellus vrbis origo mea.

Et Eusebio referente libro Temporum: Therei condiderunt Cyrenem oraculo sic iubente, sed eius conditor fuit Battus, qui proprio nomine fuit Aristeus: Sed cùm à Cyrene Libya sit Cyrenea, vt Iustinus scribit, postmodum vocata, hic nos Africam intelligimus.

C

NILVS.] Ægyptus scilicet, nec Ægyptus tantum, sed & Arabicus tractus, & regio quæcunque Nilo alluitur: nam à flumine prouincias capit.

VEL *regia lympha Choaspes.*] quidam Driaspes legunt. Choaspes fluuius est ex Perside profusus fonte cadens Indo, stringit Susa oppidum, in cuius ripis (vt Priscianus in interpretamento Dionysij ait)

——præclarum fulget Achates
Pondere consimilis voluit quos vnda Cylindris.

Huius fluminis aqua tantæ dulcedinis est, vt Solinus referat in memorabilibus reges Persarum ex ea iussisse sibi in mensa vtique ministrari: quod & Herodotus libro primo Historiarum testatur, qui si forte peragrandum esset, ne tam dulci carerent poculo, exhaustam ex eo secum ferebant.

D

AVT *rapidus Cyri dem. Cy.*] aut Cyri Græcè dixit pro Alexandri: qui μέγας κύριος id est, magnus dominus respectu rerum à se gestarum dictus est. In Cydni enim alueum Alexander itineris æstuatione feruescens se iniecit, vt illius refrigeratione æstum leuaret, sed rigiditate obstupefactus ægrotauit: ideò dementia Cyri dictum est. Aut Cyri regis Persarum, qui cùm signa conferret aduersus Tomyrim, cuius filium bello interfecerat, fluuium temerè transgressus, dissipato ab aquarum rapidarum vorticibus exercitu fere oppressus est. Seu legimus Gindes ex sententia Herodoti primo Historiarum. Regionem enim Babyloniæ intersecans, Opin oppidum interfluit: namque Cyrus olim in Labuntum Nicoris filium agmen mouens, cùm cerneret vnū ex sacris equis id flumē ingressum submergi indignatus, Deos testatus est se adeò eum exhaustum, vt vel muliercuIæ permeabile fieret, ac statim intermisso itinere dum flumen dispargit

E

in tercentos & sexaginta riuos æstatem omnem contriuit.

IMPIA *nec sæuis celebrans conuiuia mensis Vltima vicinus Phœbo tenet arua Padæus.*] Padæi populi sunt Indiæ Auroram versus carnibus crudis vescentes, qui (teste Herodoto libro Historiarum III.) cùm vident familiarem ægrotare, eum interimunt, licet neget se ægrotare, necatúmque epulantur: quin etiam sene homine ex consuetudine occiso pascuntur.

NEC *quà regna vago Tomyris finiuit Araxe.*] Tomyris regina Amazonum bello inuictissima hoc suum ampliauit imperium vsque ad Araxem, qui (teste Stra. XI. Geographiæ) Armeniam & Atropiam terminat: nam ab Oriente illatus ad occasum, Septentrionémque flectit, & primo Azaram præterlabitur: deinde Artazata Armeniæ vrbem, postea per Araxinum campum in mare Caspium emittit: & Herodotus, quem imitatus est Callisthenes, dixit eum ex Mantiana profluentem in XL. amnes scindi, & Scythas, Bactrianósque diuidere: Sed hæc Straboni non visa sunt valde verisimilia.

CRETÆIS *ardens, aut vnda Caristia campis.*] de Carysto Euboeæ supra memorauimus, iuxta quam fuerunt aquæ calidæ ex sententia Plinij XXXI. Naturalis Historiæ, & eiusdem operis IIII. vbi ait, quod Carystos notior est aquis calidis: quæ Alopiæ vocantur quàm marmore Carystio. Strabo autem refert Iouem scripsisse de Euboëa quod vel tenuis Euripi tempestas Satyriensiū in Euboëa agrum ad Omphalem à Bœotiæ litore segregauit, cùm apud Cretam fretum appellatum abscinderet: vnde Cretæis campis vnda ardet, positum est. Et prius id Strabo dixerat ex Possidonij sententia terræ motum in Euboëa penetrasse olim ex Syria, adeò vt Arethusæ, qui in Chalcide fons est, occæcatus fuerit ortus: & permultis adeò post diebus scaturisse ore, nec anteà conquassari desiuisse multas insulæ partes, quàm in Lelanto campo telluris hiatus ignitum fluuium euomuerit. In X. quoque eiusdem operis idem auctor refert, Chalcidis vrbis campum esse, Liliantum seu Lelatum appellāt, in quo calidarum aquarum scaturigines erumpebant, ad curandos morbos aptissimarum, quibus Cornelius Sylla imperator Romanorum est vsus: sed hoc sua etiam tempestate prorsus euanuisse dicit. Seu intelligimus Carystum flumen Cretes regionis iuxta Pontum in Colchos defluens, vt Ptolomæus scribit. Caius Balbus primam syllabam corripuit in primo Argonautices:

——timeo pontúmque Cretámque.

Sed Virg. Maro inquit in Bucolicis,

Pars Scythiā aut rapidum Creta veniemus Oaxē.

QVAQVE *Hebrus, Tanaïsque Getas rigat atque Maginos.*] Getæ & Magini populi sunt in parte Septentrionali: alteros Tanaïs, alteros Hebrus irrigat. Hebrus est Thraciæ ex Pindo deriuans, vt in Meteoris dixit Aristoteles. Tanaïs Scythiæ in parte vbi Aquilo oritur, vt dixit Porphyrio commentator Carminum Horatianorum III. Strabo verò affirmat originem habere incertam, sed nonnullos existimasse eum habere fontem in Caucasiis montibus, quod multus ad Se-

ptentrionem feratur, postea conuersus emittit in paludem Meotin. Populi iuxta hos fluuios habitantes bellicosissimi sunt. Horatius Carminum IV. Augustum laudans:

Non Seres, insidiq; Persæ,
Non Tanaim prope flumen orti.

Qvid moror? *Oceanus ponto qua continet orbem.*] figura est correctio. Quippe generatim particulas totius orbis tetigit, sed nunc vniuersum terrarum tractum concipit dicens:

- Oceanus ponto qua continet orbem.

Armis *aduersis.*] infestis armis & oppositis. Infert enim eas gentes tam vehementer formidaturas: vt se bellum inferre contra Messallam non audeant.

Te *manet inuictus Romano Marte Britannus.*] hoc non illi obstat quod dixit,

Oceanus ponto quà continet. ——

Nam extra orbis circulum sunt & alia loca, vt Thyle, Orcades, Btitannia, quæ penitus orbe toto diuisæ sunt. Sunt autem Britanni bello inuicti, vt historici tradunt, quos Tibullus à Romanis nunquam superatos dicit.

Te *manet.*] Messallæ commendatio non exigua. Alij quippe imperatores Britanniam subiugare non potuerunt, at Messalla expugnabit.

Mvndi *pars altera.*] Antichthones intelligit qui nobis sub pedibus sunt. Et interiecto Sole dicit, quoniam sol à nobis discedens illis diem affert. Quod hoc possibile sit rationem subdit dicendo,

Nam. *circunfuso consistit in aëre tellus.*] sane locutus est secundum geonomos & astrologos, talemq́ue affert sensum: Terra globea est, id est, sphærica in medio posita, ita vt aëre circunquaque voluatur: Eius partes sunt quinque, quarum duæ extremæ sunt inhabitabiles. semper enim frigore rigescunt, media nimietate caloris excludit habitationem: cæteræ duæ inter hanc calidam zonam mediam, & extremas alias frigidas tēperiem habent: idcirco ab hominibus coluntur. His ita positis demonstrat Antipodes esse in inferiori parte earum regionum, quas non habitamus: cùm & aër illas temperet & Sol.

Consistit,] quasi punctus circunfuso aëre. Lucanus,

Dum terra fretum, terrámque leuabit Aër.

Disponitvr *in partes.*] diuiditur ab astrologis in quinque plagas, duæ extremæ scilicet.

Vastantvr *frigore.*] hanc sententiam Virgil. Maro in Georg. & Ouidius Naso I. Metam. complexi sunt.

Illic *& densa tellus absconditur vmbra.*] quippe (vt ait Virg. Maro)

-- Sol pallentes haud vnquam discutit vmbras,
Nec cum inuectus equis altū petit æthera: nec cum
Præcipitem Oceani rubro lauit æquore currum.

Densa itaq; vmbra defectu Solis inaccessi. Horat. Carm. I.

Pone me pigris vbi nulla campis
Arbor æstiua recreatur aura:
Quod latus mundi nebulæ malúsque
Iuppiter vrget.

A

Incepto *perlabitur vnda liquore.*] signat flumina concrescere vi frigoris, nec naturalem habere cursum, quod statim declarat.

Dvrata *in glaciem & niuem.*] i. concreta & gelu & niuium rigoribus.

Qvippe *ibi non vnquam Titan superingerit ortus.*] rationem prædictorum ponit. Sol enim per signiferum semper discurrens, ab eius ecliptica nunquam discedit: is autem obliquus est, & per mediam australem tendit: quare Septentrionalis & brumalis nunquam radios solares accipiunt. Sed philosophorum referre varias de hac cœli parte opiniones graue non

B

esset, nisi verear officium interpretis transgredi.

At *media est Phœbi semper subiecta calori.*] quæ dicitur australis.

Svbiecta.] quoniam ea est via Solis continua.

Sev *propior terris æstiuum fertur in orbem.*] Secundum astrologiam loquitur cùm Sol nobis appropinquat è zodiaco regrediens fit æstas: cùm verò zodiaci signa ascendit, nos linquit: & hyems fit. In orbem autē æstiuum intelligitur solstitium æstiuale: tunc enim cùm Sol ad Cancrum properans venit & properat, inquit, respiciens ad breue spatium lucis: Nam quanto

C

magis à nobis recedit, tanto minor est dies.

Tellvs *consurgit.*] nam cùm aratur terra excrescit: & per hoc quod terra non exurgat, signat ab antecedenti terram in plaga boreali & antarctica non arari.

Segetes.] terræ vel semina. Et est sensus: Semen si ibi spargatur, frugem non facit.

Pabvla.) pascua, herbas.

Bacchvsve *Cerésve.*) hoc est, nec vina nec frumenta nascuntur.

Animalia *habitant partes exustas.*) id est, mediam zonam, quæ australis dicitur: quæ

D

non modo non habitatur ab hominibus, sed nec ab reliquis animalibus, præterquam paucis.

Fertilis *hanc interposita est, intérque rigentem.*) vnam plagam vult intelligi dupliciter, & quam nos habitamus: ideò nostra quæ per interpretationem subdit, & quæ ab Antipodibus colitur: quare infert statim,

Et *huic aduersa solo pars altera nostro.*) nam vt Virg. inquit,

Sub pedibus nox atra tenet, Manésque profundi.

Aduersa ergo, quia opposita est nobis, & propter hoc eius incolas Antichthonas & Antipodas appellamus.

E

Qvas *similis vtrinque tenens vicinia cœli Temperat.*] ex confinio ipsarum & nostræ & Antipodum plagarum vtraque temperiem habet: ex nostro tamen ad illorum tractum aëre nullus est spiritu commistus, sed per se vtraque earum vitalis est.

Hinc *placidus nobis.*] quippe respectu anni Antipodalis & nostri variantur vices temporum apud vtrosque. Quando enim illis est æstas, nobis tunc forte hyems est. Placidus quantum ad varietatem quatuor temporum: veris scilicet,

æstatis

æstatis, autumni, hyemis: ideo per tempora subditum.

LABITVR.] sua enim per vestigia se vertit.

SVBMITTERE *colla iugo.*] idest iugari vt terram subuertat aratro, & hoc quantum ad veris & autumni tempus quo terra colitur.

ET *lenta excelsos vitis conscendere ramos.*] hoc quantum ad tempus veris spectat. Vere enim vites pullulant.

LENTA.] flexibilis.

TONDETVRQVE *seges maturos annua partus.*] hoc ad æstatem refertur, qua tempestate metuntur segetes. Et tondetur maturos partus eleganter per Synecdochen dictum est. Nam (vt Marcus Varro rerum rusticarum primo scribit) tria sunt genera messionis. Vnum vt in Vmbria, vbi secus terram stramenta succidunt, & manipulos redigunt: Alterum vt in Piceno, vbi ligneum habent (vt ipse ait) incuruum bacillum, in quo sit in extremo serrula ferrea: qua quidem serrula vbi comprehenderint fascem spicarum secant, ita, vt in agro stantia stramenta sint postmodum subsecanda: Tertium vt sub vrbe Roma, vbi manu sinistra stramentum capiunt, & dextra subsecant ad medium, à quo medio ipse idem putauit messem dictam, seu à metendo.

ET *ferro tellus: pontus confunditur ære.*] Ferro, vomere, rastris, bidentibus.

AERE.] æratis cutis, id est, palmulis: hoc est nauigatur.

EXVRGVNT *oppida.*] hoc addidit vt habitantium multitudinem ostendens plagæ temperiem indicet.

IN *vtroque orbe.*] nostro scilicet & Antipodum. Itidem Lucanus octauo:

——sed magna feram solatia mortis
Orbe iacens alio.

Non ego sum satis: ad id redit quod initio dixerat, & circulari quasi vtens oratione se non idoneum ad celebrationem virtutum Messalæ affirmat per id quod si ipse Apollo carmen sibi dictarit, tamen esset insufficiens.

PRÆCONIA.] laudes. præconium à præ & cano dicitur, & est veluti degustatio soni, & significat sermonem & laudem.

PRÆSCRIBAT *carmina.*] hoc est Apollo ipse dictatum mihi proponat quod enunciaturus sum.

EST *tibi qui possit magnis se attingere rebus Valgius.*] excusat se quod sit minus idoneus ad laudationem: sed Messalam vehementer laudat à consuetudine & familiaritate doctorum hominum. Valgium enim ei amicissimum dicit qui sua possit gesta diuino carmine conscribere. Fuit quidem Valgius vir singularis amicus Horatij Flacci: ad quem ipse Flaccus Carminum II. scribit consolans eum de morte Mystis filij sui, vbi ostendit eum poëtam fuisse pereximium, quando ait:

——desine mollium
Tandem querelarum, & potius noua
Cantemus Augusti trophea.

Et Valgium dictum putamus à valgio labrorum vitio, quod est quasi derisionis cuiusdam species. Valgia enim (teste Plantia. Fulgentio) sunt labrorum obtorsiones in supinationem factæ.

NON *alter propior.*] nota elocutionem, pro quo non est alter propior id est vicinior.

HOMERO *æterno.*] Homerus ex dubitabili loco oriundus in poëtica diuinus fuit, vnde æterno eleganter positum est: Quamquam non me præterеat nonnullos autumasse eum opus suum non carmine composuisse sed canticis.

LANGVIDA *non noster peragit labor otia.*] ostendit se de diuite pauperem effectum, non posse grauibus vacare musis: Otium enim languidum vocat studium in rebus arduis poëticum. Sic Virgilius pro artis poëticæ vacatione se studiis florentem ignobilis oci dixit in Georgicis.

QVAMVIS.] aut quamuis pro quantumuis, vt illud Virgilianum:

Vt quamuis auido parerent arua colono:

Aut quamuis pro quacunque parte & via.

VT *mos est illi.*] mos est fortunæ vt bonos vexet: malos immunitate malorum donet. Plautus in Captiuis: *Sed viden', fortuna humana fingit artátque vt ludet me: qui liber fueram seruum fecit: ex summo, infimum: Qui imperare insueueram, nunc alterius imperio obsequor.* Fortunæ enim varietas est mirabilis, adeo vt dicatur iocari quoties ignauos honorat, & honestos deprimit. Iuuenalis Satyr.

Extollit quoties voluit fortuna iocari.

Claudianus contra Eutropium Eunuchum:

Culmine deiectum vitæ fortuna priori
Reddidit insano non satiata ioco.

ergo aduersa id est, inimica: vt

Viris inuida fortibus.

NAM *mihi cum magnis.*] imperfectus est sententiæ tenor, nisi suppleas languida quondam otia peragebam cum domus niteret magnis opibus: hoc est, dum locuples essem, operam musis impartiebar: Nam supra Albiorum familiam ostendit opulentam fuisse cum dixit:

Non ego diuitias patrum fructúsque requiro,
Quos tulit antiquo condita messis auo.

DOMVS *alta.*] magnitudinem ostendit ædium suarum & generis claritatem.

SVLCI *flaui.*] ab effectu flaui, quod in eis flauescant segetes.

DITANTES *ordine horrea indeficientia mensis fœcundis.*] ordine dicit cum velit significare se olim collegisse suis in agris cumulos ex diuerso frugum genere, & in repositorio collocasse per seriem, vt Cato priscus de veterum agricultura docet obseruandum: per id vero quod ait, indeficientia, notat abundantiam: quia quamuis multa colligeret, plura tamen multo potuisset expendere: & ne quispiam auaritiam ei posset obiicere, dixit mensis fœcundis, hoc est abundanter instructis, & copiosè congestis.

DENSO *agmine.*] larga copia.

ET *domino satis, & nimium furique: lupoque.*] pecus indicat suum adeo magnum fuisse, vt

quamquam voluntate domini aliquid in dies eximeretur, & lupi furésque arbitrio auferrent, ex eo tamen minuebatur parum. Per hæc autem omnia & domum egregiam, & agros multos & fertiles, & greges amplissimos habuisse se declarat.

NVNC *desiderium superest.*] Sensus est: Olim ego quidem diuitias possedi optimas, sed nunc illis carens easdem peropto: eo certè magis quod me video in ætatem descendere, cui defuturum est viaticum.

NAM *cura nouatur.*] cura innouatur toties quoties aliquis eadem super re cogitat & cupit.

RELICTVS.] in vita scilicet.

SPOLIER.] bonis priuer meis.

PRO *te vel rapidas.*] quoniam Messala dubitare potuisset, an quæ Tibullus pollicetur vana essent, vtpote per verborum iactantiam edita, nunc vates ipse præter vires ingenij corpus etiam pro illius arbitrio expositurum se ait, si demum opus sit vita defungi.

IRE.] nauigare.

VNDAS *rapidas.*] aut rapidas respectu procellarum marinarum, aut tunc præcipuè rapidas cum hyems est, & sæuit mare.

FRETA *hyberna.*] id est mare hyberno tempore tempestuosius est, vtpote quod ea tempestate venti obnixius ruant, tunc enim à nauigationibus abstinetur. Iccirco Aeneam Dido de temerario proposito increpat:

Quin etiam hyberno molitus sidere classem,
Et mediis properas Aquilonibus ire per altum.

VEL *paruum Aetneæ corpus committere flammæ.*] in ignem se protecturum testatur pro Messalæ salute. paruum autem corpus dictum est pro quantuluncunque. Aetna enim mons est Siciliæ æterna ignium eructatione mirandus.

SOLVS *subsistere.*] hoc est solum opponere se militum cateruis.

SVM *quodcumque tuum est.*) sensus est: Quicquid vis esse me pro te, sum: & si de me curam aliqualiter habueris, non curo imperium Crœsi vel Gylippi gloriam. Quidam legunt Dum Si per, in carmine heroico diminutiuorum abiicienda est ratio: in antiquis tamen constat aliquando diminutiones, vt hic, & Catullus inquit in Argonautica:

Frigidulos vdo singultus ore cientem.

Et iterum:

Languidulósque pares tecum coniungere somnos.

sed aut necessitate fit aut per expressionem, aut fabula recitatur, aut laus dicitur.

REGNA *Lydia.*) quæ ditissima fuerunt, vbi flumina & lacus aureas glebulas ferunt, & strigmenta argentea. Quare Horat. Carm. III. se sua mediocritate contentum inquiens esse, melius quam si pretiosæ prouincię dominus esset, dixit,

Quam si Mygdoniis regnum Halyattici
Campis continuem. ——

Strabo autem in Geogra. scrib. illa auri strigmenta & stricturas illiusmodi iam prorsus defecisse.

FAMA *Gylippi.*) quiddam Philippi legunt patris Alexandri magni: qui multa memoratu sempiterno digna fecit. Gylippus autem fuit vir

A Lacedæmonius in bello strenuus, vt Iustinus scribit epitomatis Trogiani. IIII. & Plut. in Niciæ vita: Cum Syracusanis Athenienses bellum intulissent, in eorum auxilium Gylippus mittitur à Lacedæmoniis, vt is in quo omnis spes esset: Itaque sæpe congressus cum Atheniensibus sæpe superauit, aliaque non pauca facinora præclare perpetrauit: ideo magni fama Gylippi dictum est.

POSSE *Melethæas nec mallem mittere chartas.*) Melethæas, id est, Homericas. Nam Strab. Geogra. XII. scrib. plurimos existimasse Smyrnam esse Homeri patriam: ex quorum opinione hic auctor loquitur:. Namque prope Smyrnam

B amnis fluit Meles nomine, vt ille ait, de quo Statius lib. II. syluarum in Genethliaco Lucani meminit:

Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melethe Bethis.

Et in III.

Smyrna tibi gentile solum potiúsque verendo
Fonte Meles. ——

Ephorus autem Cumæus in lib. de patriis rebus inquit: Critheidam Apellis filiam vitiatam à Menone patruo peperisse Homerum, cum prope fluuium Melethem proficisceretur, atque ibidem puerum Melesigenem appellatum, deinceps Homerum Ionicè, quod oculis captus

C esset.

CANENDI *te.*) id est laudandi te: vt

——*regemque canebant.*

QVIN *etiam mea tunc tumulus cum texerit ossa.*) ad Pythagoræ Samij opinionem loquitur, qui sanè dixit hominem post fata non absumi, sed vel in hominem, vel in diuersas species animalium mutari per metempsychosin, id est, transitionem de corpore in corpus. Vnde Oui. Meta. vltimo illius sententiam executus ait:

Omnia mutantur, nihil interit, errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, éque feris humana in corpora transit,

D *Inque feras, nostro nec tempore deperit vllo.*

Siue ergo, inquit, ero homo post mortem, siue animal, tamen de te componam, & laudes tuas celebrabo. Significat autem post obitum suum illius etiam se futurum memorem.

DIES *matura fato*) idest approperata per mortem, aut iam fato debita.

LONGA *vita.*) scilicet post priuationem præsentis corporis, quod subdit inquiens,

TAMEN *mutata figuram.*) per synecdochen, vt de Tithono in cicadam conuerso legimus.

E GLORIA.) per miram candoris & formositatis speciem.

TARDI *autem pecoris.*) pro armenti boum dictum est: cui propter immensitatem corporis & neruorum crassitudinem tarditas inest cognita.

PER *liquidum volucris aëra pennis.*) siue fiat volucris auis. Quemadmodum Horatium poëtam legimus in cycnum olim permutandum, cum inquit Carminum II.

Non vsitata, nec tenui ferar
Penna biformis, per liquidum æthera
Vates neque in terris morabor Longius.

In *quemcunque hominem.*] in cuiuſuis hominis formam immutabor.

Svbtexam *carmina inceptis chartis.*] metaphoricè ſubtexam dictum, pro ſubiungam his verſibus de te iam ſcriptis. Texere eſt textorum qui telam faciunt:& texui textum facit. teſſo autem teſſis, teſſi, teſtum pro ſpolio & nudo. Plautus in Amphytrione:

Illic non vult me denuo pallium deteſſere.

Et Virgilius,

- dum teſſit Hiamon Haleſus.

ACHILLES STATIVS.

Panegyricvs quodam modo Meſſallæ ſcriptus videtur, quo factum, vt longis verſibus in rebus ab eo geſtis dicendis vtatur.

Mea *cognita virtus.*]in Florentino, Tua. quod aptius videtur.

Vt *infirmæ valeant ſubſiſtere vires.*] vt, id eſt, ne non valeant.

Svbsistere ὑποστῆναι.

Incipiam *tamen à meritis.*] Ego verſus hos legebam, ac diſtinguebam.

Incipiam tamen, at meritis ſi carmine laudes
Deficiant, humilis tantis ſim conditor actis,

Si æquare illius laudes meis verſibus nequeam, in humilium ſim laudatorum numero.

Actis.] factis. Sic ſæpe Ouid. & Propert. in I.

Hæc ſoror acta tuis ſentias è lacrymis. Et in II.
Accipe, quæ ſerues funeris acta mei.

Te *præter.*]in Vaticano, Præter te.

Est *nobis, voluiſſe ſatis.*] ſimiliter Propertius, in I.

Quod ſi deficiant vires, audacia certè
Laus erit, in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Et Ouid.

Vt deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas,
Hac ego contentos auguror eſſe Deos.

Mvnera.] in Sfortiæ libro, Carmina.

Respveris.] in eodem libro, Deſpueris.

Etiam *Phœbo gratiſſima dona Cres tulit.*]hiſtoria mihi prorſus ignota. Sed in duobus meis, Res, non, Cres. Et in Marcelli Ceruini, Pont. Max. libro, & Patauino vno, Tres. Neſcio, an legendum ſit, Thes, id eſt, Pauper. Interpres Apollonij in I. In Vaticano erat,

Detulit in cunctis Baccho iucundior hoſpes.

Vt idem Icarus, hoſpes Bacchi, dona Phœbo dederit gratiſſima, vinum ſcilicet. Sed videndum amplius.

Vestigia.] in Vaticano, Faſtigia. Sed vitio.

Tavrvs *cadit hoſtia.*] Maxima hoſtia, Taurus. Verg. in III. Georg.

Alter *dicat opus.*]in Vaticano, & Marcelli libro, Dictat, non, Dicat.

Qvalis *in immenſo deſcenderit aere tellus.*] in Vaticano legitur, In immenſum deſcenderet aera. In Sfortiæ libro, non, Deſcenderit, ſed Deſederit. Sic Cic. *Cum ad infinitam altitudinem deſediſſet.* Similiter Ouid. in v. Faſt.

Pondere terra ſuo ſubſedit, & aera traxit.

Hvic *& contextus.*] in Sfortiæ libro, atque vno meo, Hinc, non, Huic.

A At, *quodcunque.*] in Sfortiæ libro, Et, non At.

Sev, *quod ſpes abnuit.*] in quibuſdam Sed, quod. Sed illud rectius.

Omne *mouemus.*] in ſcriptis omnibus, non, Mouemus, ſed, Vouemus.

Ne *tanto careat mihi nomine charta.*] in Vaticano,

Nec tanto careat mihi pondere charta.

In reliquis,

Nec tanto careat mihi carmine charta.

Svperent.] in veteribus, Superant.

B Nec *quæris, quid qua index ſub imagine dicat.*] in Vaticano, atque vno meo, item in Marcelli libro, Quidquam, non, Quid qua. Sed hoc rectius. Niſi quod mihi leuiter mutandum videtur, Quis qua. Iudices enim, opinor, ad ſtatuas inluſtrium virorum ius dicebant.

Ipse *futuris.*] in Vaticano, & in meis, Futurus. quod placet.

At *tua non titulus capiet ſub nomine facta.*] in Vaticano, Captet, non, Capiet. Sed hoc aptius. Tituli vero breuiores, qui ſaxis erant inciſi, ſiue, vt ait Iuuenalis, hærebant.

Vincto *pede.*] in Vaticano, Iuncto pede.

C Qvis *potius, certamen erit.*] vtrum horum certamen erit laudabilius, in eo præſtem.

Qvisqve *tibi maiora gerit.*] vnuſquiſque tibi primas defert.

Castris-ve, *foro-ve.*]in ſcriptis omnibus, Chartis-ve, foro-ve, id eſt, ſiue ſcribis ipſe domi meditatus, ſiue dicis in foro.

Onvs *vrget.*]in Vaticano, Onus ſurgit.

Vtrimqve.]legendum, vt in Florentino, Vtrumque.

Nam, *ſeu diuerſi fremat inconſtantia vulgi.*] in Vaticano,

Nam, ſeu diuiſi premat inconſtantia vulgi.

Sed Fremat, omnino retinendum. Vergil. idem
D ſignificans, in I. Aen.

Ac veluti magno in populo,

& quæ ſequuntur.

Non *valuit Cyclops cœptos auertere curſus.*] in Sfortiæ libro,

Non valuit tempus cœptos auertere curſus.

In Florentino,

Non valuit tempus cœptos conuertere curſus.

Qvamvis *illa foret Solis genus.*] Filia. Sic Vegilius in x.

Latonaque genus duplex.——

Simonides:

Τεῦξα καλὸν κ' ὄνομα κλυτὸν ἦος.

E Ad *oras.*]in Vaticano, ac ceteris, Arces, non, Oras.

Qveis.] Quis. vt in veteribus.

Sive *ſuper terras.*] in Florentino, Siue ſupra terras. In vno meo, Seu ſupra terras.

Vidit *vt.*] Vidit &, in Sfort.

Levibvs *diſcurreret vmbris.*) in Marcelli libro, *Mediis diſcurreret vndis.* In Sfort. *Leuibus diſcurreret vndis.* vt ferè in omnibus.

Illvm *tergemina.*) legendum forte, Inter geminæ.

Nec *Scyllæ ſæuo conterruit impetus orbe.*) Orbe: vertice aquarum.

A CVM *canibus rapidas.*] placet, Rabidas, legere, vt est in Marcelli, & Sfortiæ libris.

FINIS *& error. misero.*] in Sfortiæ, & Marcelli, Miseri, non. Misero.

TVTAM *castris deducere fossam.*] in veteribus, & Prædurere, & Producere, & Perducere, legitur, non Deducere.

DEFIGERE *neruos.*] in Vaticano, Vernos. Sed vitio. Sunt autem huiusmodi multa, quæ neruo impelluntur, & adiguntur in hostes.

ERVMPAT *terra liquores.*] in Marcelli libro, Educat, non, Erumpat.

AVT *quis equum.*] in Vaticano, At quis equum. In Sfortiæ. Et quis.

B CELEREM-VE *arto.*] sic in omnibus, veteribus, præterquam in Florentino. in quo pro, Ve, Ne. vt parelcon fortasse sit, vt in, Quisne, & & apud Terent. *Faciunt ne.* Colotium legisse adfirmant in veteri libro, *Et quis equum celerem artato.*

CONTENDERE *cursu.*] in Florentino, Passu. vt olim Aldus edidit.

CVRVO *melius.*] in Vaticano, & Marc. Turno breuius. In ceteris, Curuo melius. In vno meo, non, Breuius, sed, Leuius. De quo Ouid. in III. de Arte amandi,

Armáque & in gyros ire coactus equus.

PARMA *seu quos dextra velit, seu læua tueri.*] variè legitur. In Vaticano, Per via seu dextra. In
C Sfortiaco.

Quis parma seu dextra velit, seu læua tueri.

quod probabilius videtur.

AMPLIVS *aut signata*] in Vaticano, Amplior. vt olim Ald.

VENIVNT *certamina.*] Vat. ceterique, Venient.

ADVERSISQVE *parant.*] in isdem libris, Parent.

TVNC *tibi non desit.*] in Florentino, Non desit.

SEV *sit opus quadratum acies consistat in agmen.*]
D hanc ipsam significans faciem Vergilius in II. Georg.

Indulge ordinibus, nec secius omnis in vnguem
Arboribus positis secto via limite quadret.
Vt sæpe ingenti bello, cum longa cohortes.
Explicuit, legit, & campo stetit agmen aperto,
Directaque acies, ac late fluctuat omnis
Aere renidenti tellus, nec dum horrida miscent
Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis,
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum.

REETVS *inæquatis decurrat frontibus ordo.*] legendum puto, Rectus vt æquatis.

E DEXTERAQVE *vt læuum teneat, dextramque sinistra.*] commutatis ordinibus, dextro in læuum, & contra. In veteribus nonnullis,

Dexterque vt læuum teneat, dextrumque sinister.

Sequitur enim.

MILES, *sitque duplex gemini victoria casus.*] legitur in Sfortiæ libro, *Geminus victoria castris.*

FORTIS *Iapygiæ.*] in Florentino, & Sfort. Iapydiæ.

TESTIS *Arupinus, & pauper natus in armis.*] in Vaticano,

Testis & Arpinis, & pauper natus in armis.

In vno meo,

Testis & Arapinis, & pauper natus in armis,

In altero,

Testis & Arpinis, & pauper natus in aruis,

In Sfort.

Testis & Alpinis, & pauper natus in armis.

Alij legunt,

Testis in Alpinis è pasfernatus in armis.

In Florentino,

Testis & Alpinis est pauper natus in armis.

In qua tanta varietate quid sequar, aut exputem legendum? Plin. in III. nat. historiæ, populos nominat Inalpinos.

PERAGIT *dum secula vita.*] in Vaticano, atque vno meo, Famæ. vt olim etiam Aldus. Longæ vero famæ, id est memoriæ. qui præterita altissime repetita meminisse possit.

RENOVAVERIT *annos.*] in omnibus ferè veteribus, Renouauerat. In Florentino, Reuocauerat.

VALIDISQVE.] Vaticanus, & vnus meus, Validúsque.

NON *alias conuersus terga domator.*] sic in veteribus. Alij legunt, pro, Domator, Comatus, id est, Gallus. Sed, si illo modo, intelligamus Messallam ipsum, domitorem gentium, numquam hostibus terga dedisse.

SVBIICIT *colla.*] in Sfort. libro, Terga, non, Colla.

QVEIS.] Quis.

TYRIO *subtegmine.*] legendum, opinor, subtemine.

ORIENTE *die, duce fertilis anni.*] in Vaticano, Artis, non, Anni.

CVM *Sol.*] in Florentino, Tum Sol.

ET *fera discordes tenuerunt flamina venti.*] Verg. similiter,

——& hibernis parcebant flatibus Euri.

CVRVA *nec adsuetos egerunt flumina cursus*] Vergilius,

Et stupefacta suos tenuerunt flumina cursus.

QVIN *rapidum placidis etiam mare constitit vndis.*] Vergilius,

Cum placidum staret mare.——

VLLA *nec aerias.*] in Vaticano, *Nulla hæc aerias.* Legendum forte, *Nulla hic aerias.*

ET *cælo vicinum liquit Olympum.*] Ego montem Olympum facile posse intelligi puto, à quo Iuppiter Olympicus. Alij philosophantur altius, & Olympum intelligunt, de quo Stobæus, περὶ τάξεως τοῦ κόσμου, hæc: Ὅμηρος τὸν αἰθέρα τοῦ ἀέρος ὑψηλότερον εἶναι φησί. εἴρηκε δὲ οὕτως, ὡς ἐλάτην ἀναβὰς ἀκρομήκεα, ἥ τότ' ἐν Ἴδῃ μακροτάτη πεφυκυῖα δι' ἀέρος αἰθέρ' ἵκανε, ὑπεράνω δὲ τοῦ ἀέρος τὸν οὐρανὸν ὑπάρχειν ἀποφαίνεται. λέγει γὰρ πάλιν δὲ, Ὣς οἱ μὲν μάρναντο σιδήρειος δ' ὀρυμαγδὸς Χάλκεον οὐρανὸν ἷκε δι' αἰθέρος ἀτρυγέτοιο. πρὸ πάντων δὲ, τὸν Ὄλυμπον ὑπάρχειν κατ' ἐξοχήν τινα καὶ τίθησι. φησὶ γὰρ οὕτως Ἠερίη δ' ἀνέβη μέγαν οὐρανὸν, Οὔλυμπόν τε. τὸ γὰρ ἀνώτατον τῆς γῆς, καὶ μήτε πνοὰς σκιὰς αὐτῆς μήτε τὰς ἀναθυμιάσεις προσδεχόμενον ὡς ἀνεμώδεις, καὶ ὀμβρώδεις. ὄλυμπον οἱ παλαιοὶ προσηγόρευσαν. Significat ergo, susceptis votis à Messalla, consulatum ineunte, Iouem annuisse.

ADDITVS *aris.*] in Florentino, Abditus.

Non *iidem tibi sunt, aliisque, triumphi.*] in veteribus,

Nunc idem tibi sunt, aliique triumphi,

Rhetæo *tellus obsessa colono.*) in Sfortiæ, atque vno meo, Tetereo tellus. In Vaticano, Terreno. In Florentino, Threicio.

Avt *rapidus Cyri dementia Gindes.*] in scriptis omnibus, Cydnus, non, Gindes. Cychrus in Thracia lacus, siue fons. Itaque quærendum amplius.

Cretæis *ardens aut vnda Caystria campis.*] in Sfortiæ, Caristria. In duobus meis, Caristia. De qua Solin. cap. xvii.

Tomyris.] in scriptis, Tamyris.

Mosinos.] in Vaticano, atque vno meo, Magistros. In Sfortiæ libro, atque vno meo, & Florentino, Maginos.

Invictvs *Romano Marte Britannus.*] sed ab Augusto tamen victus.

Teqve *interiecto.*] ἀντίχθονες.

Et *quinque in partes totos disponitur orbes.*] legendum, vt in Vaticano, Sfortiæ, Marcelli, libris, Toto disponitur orbe.

Atqve *duæ gelido.*] Verg. in I. Georg.

Quinque tenent cælum zonæ.

Quibus versibus Eratosthenis versus esse videtur interpretatus, quos adducit Heraclides Ponticus in Homericis Allegoriis, & Achilles Statius de Sphæra.

Πέντε δ' αἱ ζῶναι περιηγέες ἐσπείρηντο
Αἱ δύο μὲν γλαυκοῖο κελαινότεραι κυάνοιο
Ἡ δὲ μία ψαφαρή τε, καὶ ἐκ πυρὸς οἷον ἐρυθρή
Τυπτομένη φλογμοῖσιν, ἐπεὶ ῥά ἑ μοῖραν ὑπ' αὐτήν.
Κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀειθερέες πυρόωσιν
Αἱ δὲ δύω ἑκάτερθε πόλοις περιπηγέες.
Αἰεὶ κρυμαλέαι, αἰεὶ δ' ὕδατι μογέουσαι.

Qvippe *ibi nonnumquam.*] in Sfortiæ libro,

Quippe ibi non vnquam Titan superegerit ortus.

In Vaticano, & Marcelli, Etiam super egerit. In Florentino, Quippe vbi. Legendum ergo,

Quippe vbi non vnquam Titan superegerit ortus.

itaque in vno meo.

Sev *celer hibernas properat decurrere luces.*] in Sfortiæ,

Seu celer hibernas properet decurrere noctes.

Consvrgit.] in meis, & in Marcelli & Florentino, Exurgit.

Nvlla *nec.*] legendum forte, Vlla nec.

Rigentes.] in Sfortiæ, atque vno meo, Rigentem.

Alter *& alterius vires negat aer.*] legendum forte, Necat, non, Negat.

Hic *& colla iugo.*] in veteribus omnibus, Hinc & colla iugo.

Pontvs *confinditur aëre.*] in Vaticano, & Marcelli, ac duobus meis, Confunditur, non, Confinditur.

Exvrgvnt *oppida.*] in vno meo, Consurgunt. In Vaticano, & Sfortiæ, Exurgitat. Sed vitio.

Aeterno *propior non alter Homero.*] Ouid. in II. de Ponto, ad Macrum:

Tu canis, æterno quidquid restabat Homero.

Langvida *non noster peragit labor otia.*] aut

A se minime otiosum esse significat in re non magna. aut minimè idoneum scriptorem se significat, qui in re tenui otio non abundet. quo in primis opus est.

Nvnc *desiderium superest.*] Horatius in I. Carminum,

Nunc desiderium, pœnaque non leuis.

Cvm *memor acceptos semper dolor admonet annos.*] in Sfortiæ libro,

Accito cum me semper dolor admonet annos,

vt sit, Me accito. In Vaticano, & vno meo, Accitus.

Asperiora *cadant.*] accidant.

B Spolierqve *relictis.*] in plerisque, Relictus. Sed illo modo Martialis,

Res non parta labore, sed relicta.

Pro *te vel solus densis obsistere turmis.*] in plerisque, *densis solus subsistere turmis.* In vno meo, *densis solus consistere.*

Corpvs *committere.*] in Sfortiæ, Submittere.

Svm *quodcumque, tuum est.*] in Vaticano, & Florentino, Dum quodcumque. vt olim Aldus. In meis, Sum quodcumque tuus, nostri, &c.

Gylippi.] in veteribus, Gelippi.

Vel *bene si notus.*] placet, quod in Sfortiæ libro, Vel bene si notus.

C Svmmo *vel mares in ore.*] placet, quod in Vaticano,

Summo vel inerret in ore.

Similiter in Cyri Vergilius,

——multus inepto

Virginis insolitæ sermo nouus errat in ore.

Tamen *mutata figuram.*] sequor Sfortiæ librum, atque vnum ex meis, itémque Florentinum: &, nominandi casu, lego, Figura.

Rigidos *percurrere campos.*] legendum forte, Riguos, non, Rigidos.

Tardi *pecoris sim gloria taurus.*] in Vaticano, Tardus.

D In *quemcumque hominem.*] in meis, In quæcumque. legendum forte, In quodcumque.

Svbtexam *carmina.*] in Florentino, Nomina, non, Carmina.

IANVS DOVSA FIL.

Dictis *vt non maiora supersint.*] Huic simile illud Petronij Arbitri: *Quicquid dixero, minus erit.*

Cessit *& Aetneæ Neptunius incola rupis.*] Incertus Poëta apud Charisium:

Cyclops Aetnæus cultor, Neptunia proles.

E Qvamvis *illa foret Solis genus.*] Id est, Solis filia. sic Hymenæum *Vraniæ genus* vocat Catullus, Virgilius:

Latonæque genus duplex.

Illvm *inter geminæ nantem confinia mortis.*] Declamator quidam apud Senecam Suasoria I. de Scylla & Charybdi, quamuis diuerso respectu dixit: *Quid ibi potest esse saluum, vbi ipsum mare perit?*

Ivppiter *ipse leui vectus per inania curru Adfuit.*] Currum leuem videtur dixisse propter alas, quas ei adiungit Plato in Phædro ita

scribens: ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων. Lucanus in Piscatore: ὡς μέγας Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων ἀγανακτοίη ἄν, εἰ μὴ ὅλος ὑπέχῃ τὸν δίκλον. Meminit etiam Hermogenes lib. I. de Ideis. Hinc lucem accipit Plauti locus Amphitruone non satis excussus ab interpretibus:

——quadrigas si nunc inscendas Iouis,
Atque ita effugias, ita vix poteris effugere infortunium.

Item Horatij in Odis:

——namque Diespiter
Plerunque per purum tonantes
Egit equos, volucrémque currum.

Ac denique Apuleius in libro de Mundo: *Deus namque, inquit, sicut & vera continet ratio, principia, fines & media rerum omnium penetrat, atque illustrando curru volucri superfertur.* ita enim legendus is locus ex M S. Codice clarissimi Bon. Vulcanij. Quò respexit etiam Boëtius in Consolat. lib. IV.

Hic Regum sceptrum dominus tenet,
Orbisque habenas temperat,
Et volucrem currum stabilis regit
Rerum coruscus arbiter.

ET *cælo vicinum liquit Olympum.*] Interpretes hunc locum accipiunt de Olympo monte. qui altitudine nubes excedit, eóque *cælo vicinus* dicitur. quibus non accedo, & Olympum interpretor cum Homero θεῶν ἕδος, quam quidem Iouis ac Deorum sedem, οὐρανῷ siue cœlo superiorem facit ita canens:

C *ἵκειν δ' αἰθέρα μακρὸν οὐρανὸν οὔλυμπόν τε.*

Rectè ergo dicetur *cælo vicinus*, è quo in cœlum proximus descensus sit.

NAM *circumfuso consistit in aëre tellus.*] Sic Ouidius Metamorph. I.

Nec circumfuso pendebat in aëre tellus.

Tibull. suprà:

Qualis in immenso desederit aëre tellus.

Manilius lib. I.

Est igitur Tellus mediam sortita cauernam
Aeris, & toto pariter suspensa profundo.

Quin & terram ab aëre vehi sustinerique, vt alij ab aqua, existimabant. Quod quia minus notum est, imò quia planè ignotum est, firmandum est exemplis, vt credatur. Lucanus lib. I.

—— dum terra fretum terrámque leuabit Aër.

Qui versus reprehensus est à viris magnis non considerantibus sequutum eum auctorum quorundam opinionem, quam nos primi, nisi fallimur, in lucem protraximus. Claudianus de IV. Consulatu Honorij:

Et qui perpetuo terras ambitque vehitque,
Nec premat incumbens oneri, nec cesserit aër.

Macrobius Saturnal. I. cap. XXI. *Quis enim ambigat matrem Deûm terram haberi? hæc enim leonibus vehitur validis impetu atque feruore animalibus, quæ natura cæli est, cuius ambitu aër continetur, qui vehit terram.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

TE MESSALA CANAM.] Istud poëmatium in Fragmento illo, quo vetustius exemplar Tibulli extare non puto, titulum habebat: PANEGYRICVS MESSALÆ. Et rectè. Eius argumenti scripserunt Lucanus

A in Pisonem, Ausonius in Mosellam, Claudianus in aliquot viros illustres, Sidonius etiam in non paucos. Ego autem crederem hoc carmen excidisse Tibullo admodum adolescenti aut potius puero, nisi viderem tunc scriptum fuisse, quum iam patrimonium prodegisset. Id enim τὸ παιδαριῶδες & ieiunitas scriptionis facit. Denique si titulum Tibulli non præferret, ego illud infimo poetæ attribuissem. adeo hic sui dissimilis est Tibullus. Nunc quia sine vllo dubio Tibulli auctoris est, non Tibulliani characteris, ego potius quis scripserit, non quid scriptum sit æstimans, paucas horas ei emendando impendam. Nam sanè hæc Latina sunt.

B QVANQVAM *mea cognita virtus.*] Lege vt in veteri scriptura, *Quanquam me.* Quanquam, inquit, mihi conscius quam tenuis virtus mea sit, vt vires non possint subsistere. *Virtus*, quod hic dicitur, vulgo in idiotismo *Sufficientia* dicitur. Quare grauiter peccarunt, qui legebant, *quanquam tua cognita virtus.*

VT *infirmæ valeant.*] Scribe ex Fragmenti auctoritate, *nequeant.* Antea inepta erat huius principij lectio, vt & sequentium.

INCIPIAM *tamen.*] Quia hactenus principium huius poematij penitus ignoratum est propter importunas interpunctiones, & menda, quibus totum poëma scatet: apponam, vt legendum est, vt appareat, quid voluerit Tibullus:

Te Messala canam. Quanquam me cognita virtus
Terret, vt infirmæ nequeant subsistere vires,
Incipiam tamen. At meritas si carmina laudes
Deficiant: humilis tantis sim conditor actis:
Nec tua præter te chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis vt non maiora supersint:
Et nobis voluisse satis. ——

Sanè hæc elegantiora quam antea, sunt, vt quæ pristino nitori suo reddita sint. Aperta est sententia. Tametsi, inquit, meritas laudes tuas carmine meo assequi non possim, & sim poëta

D impar tantis actis, nec alius, præter te possit gesta tua mandare literis, vt non plura dicenda dictis relicta videat: tamen egregiæ meæ voluntatis ratio habebitur, vbi nulla potest facultatis haberi.

EST *nobis voluisse satis.*] Omnino hæc mutuatus est in suo Panegyrico ad Pisonem Lucanus:

Quod si digna tua minus est mea pagina laude,
At voluisse sat est, animum non carmina iacto.

OMNE *mouemus Hoc tibi.*] Optimus codex, item & illæ infimæ vetustatis habent, *vouemus*,

E & rectè.

NE *tanto careat mihi nomine.*] optimus codex cum altero scripto habet, *carmine.* Tantum consensum repudiare non debui.

QVID *qua index sub imagine.*] Iam profectò istis correctoribus bonam mentem precor. Nam quid hoc sirpi, aut griphi sit, ego non intelligo. Sed optimum fragmentum rectè habet:

Nec quæris, quid quaque index sub imagine dicat.

Quis nescit hic indices esse titulos imaginum? Sed quem meliorem interpretem quam Tibullum ipsum producere possum? Ait enim:

At tua non titulus capiet sub nomine facta.

QVISQVE *tibi maiora geret.*] Si Tibullus ab inferis excitetur, hæc non agnoſcat. Melius optimus liber:

Nam quis te maiora gerit chartiſue ſorore?
Nec tamen hic aut hic tibi laus maiorve minorve.

NON *valuit Cyclops cœptos.*] Hoc quoque quomodo agnoſceret Tibullus pro ſuis, quæ ne in ſomnis quidem cogitauit? Ope igitur illius optimæ membranæ legimus:

Non valuit lotos captos auertere curſus.

Recte captos. Nam notum quid accederit τοῖς λωτοφάγοις. Tamen cœptos, quod vulgo legitur, non damno. Nam cuius ſtuporis erat hic Cyclopis mentionem facere, cui rei dicatus eſt ſequens verſiculus?

VICTA *Maroneo.*] Alij vincta. De Marone hoc habes ὀδυσσείας ι.

--Μάρων Εὐάνθεος υἱὸς ἱρεὺς Ἀπόλλωνος.

Sed & Poëtæ Maronem pro vino vſurparunt. Plato Comicus:

——— ὑπὸ τοῦ
Μάρωνα τοῦ ποιοῦντ --

NOBILIS *Artaciæ gelidos.*] Optima membrana *erigit* non *irrigat.* Lego:

Mobilis Artaciæ gelida quo ſe exigit vnda.

Mobilis, vt Horatius: *Mobilibus pomaria riuis. Exigit* pro *erigit*, X pro R, quod aliquando in his libris accidiſſe ſupra retulimus. Ouidius:

Et celer admiſſas exigit Ebrus aquas.

ARTACIE.]

Η μὲν ἀπὸ κρήνης κατεβήσετο καλλιρέεθρου
Ἀρτακίης. ἔνθεν γὰρ ὕδωρ προτὶ ἄστυ φέρεσκον.

ILLVM *ter geminæ.*] Optimum Fragmentum: *Illum inter geminæ.* Ita etiam olim vix dum ephebos egreſſi emendaueramus. geminam mortem vocat Scyllam, & Charybdin.

NEC *Scylla ſæuo conterruit impetus orbe.*] Lege *ore* ex eodem fragmento. *Scyllæ impetus* eſt περίφρασις. hoc eſt Scylla ipſa vaſta. Lucretius dixit cæli impetum pro cælo.

QVALITER *aduerſos hoſti defigere neruos.*] Germanus Valens Pimpontius, vir & eruditione, & dignitate ampliſſimus, in ſuis in Virgilium doctiſſimis commentariis docet nos legendum eſſe *Ceruos.* Quod quis non credat præſertim tam eruditi viri auctoritate permotus? Quid ſit figere Ceruos non minus potes ex Seruio diſcere, quam ex Cæſare, qui ſint Ceruí.

LAVDIS *& adſiduo.*] Exercitationem campeſtrem intelligit.

PARMA *ſeu quos dextra velit.*] Quid ego iſtis tortoribus librorum amplius optem, quam vt ab hac ſcabie, qua illos laborare video, vngues teneant: Certe actum eſt de illis, ſi nullum bonum auctorem, quem corrumpant. Hominum fidem, hunc locum quo genere deformarunt? Nam ita omnis vetus ſcriptura eum conceptum habet:

Quis parma ſeu dextra velit, ſeu leua tueri,
Siue hac, ſiue illac veniat grauis impetus haſtæ,
Amplior, aut ſignata cita loca tangere funda?

TVM *tibi non deſit faciem.*] DESIT COMPONERE loquutio etiam Propertio vſurpata:

Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ.

A SEV *ſit opus quadratum.*] Tria genera aciei inſtruendæ apponit, quadratum, duplex, pilatum. Varro mediū ignorat, duo reliqua teſtatur. *Duo*, inquit, *ſunt genera agminum: quadratum, quod immiſtis etiam iumentis incedit, ſed inter ſe denſum eſt, quo facilius per iniquiora loca tranſmittatur.* Scaurus de vita ſua: *In agrum hoſticum veni. pilatim exercitum duxi.* id eſt, ſtrictim & denſe. Aſellio Sempronius: *Quartum ſignum accedebat, ſiue pilatim, ſiue paſſim iter facere volebat.*

SEV *iunctum cernere Martem.*] Hoc eſt pilatum.

B DEXTRAQVE *vt leuum.*] Neque hæc minore medicina egent, quam ſuperiora. Quare ita auctoribus veteribus libris lege:

Dexter vti lauum teneat, dextrumque ſiniſter
Miles ———

Hic eſt traiectio facta. Nam hoc eſt plane duplex acies, non pilata. quare non ad IVNCTVM referendum, ſed ad DVPLEX.

IAPYGIÆ.] Vitioſa ſcriptura. quum ſit *Iapidia.* Ita omnes auctores. & libri noſtri calamo exarati. & Strabo ἰαποδία *Iapidis ora Timaui.* Virgilius.

FALLAX *Pannonius.*) Quare *fallax*? Dio de hoc bello, libro XLIX. παιονας δὲ αὐτοὶ τὸ πάλαι αἰδεσθέντες προθυμότατα μὲν ὑπὸ τῆς δυνάμεως ἀναπεισθέντες

C ὡμολόγησαν τι αὐτῷ, ... ὁμήρους ἔδοσαν, μετὰ δὲ ταῦτα τοῖς τε πύλαις ἀπέκλεισαν καὶ ἐς πολιορκίαν κατέστησαν. Perſequitur autem fuſius hanc hiſtoriam Dio ipſe eodem libro, in quo perperam editum eſt σισκία pro σισκία, quæ eſt vrbs Pannoniæ. Cæterum hoc bellum non auſpiciis Meſſalæ profligatum, quicquid nobis perſuadere conetur Tibullus. Neque in nationibus inalpinis vllum Marte ſuo confecit præterquam id, quo Salaſſos vicit. Dio: τούς τε σαλάσσους, καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς μετ᾽ αὐτῶν πολεμήσαντας ὁ μεσσαλᾶς οὐαλέριος ἐχειρώσατο.

TESTIS *Arupinus.*) Legimus, *Arupinis*, quod etiam confirmat emendatiſſimum fragmen-

D tum. Strabo de hoc ipſo bello Iapidico ſcribens, de quo nunc ſentit Tibullus: ἑξῆς δὲ ἐστιν ὁ Ἰαποδικὸς παράπλους χιλίων σταδίων. ἵδρυνται γὰρ οἱ ἰάποδες ἐπὶ τῷ ἀλβίῳ ὄρει τελευταίῳ τῶν ἄλπεων ὄντι ὑψηλῷ σφόδρα. τῇ μὲν ἐπὶ τοὺς παννονίους καὶ τὸν ἴστρον καθήκοντες, τῇ δὲ ἐπὶ τὸν ἀδρίαν, ἀρειμάνιοι μὲν, ἐκπεπονημένοι δὲ ὑπὸ τοῦ σεβαστοῦ τελέως. πόλεις δὲ αὐτῶν μέτουλον, ἀρούπινος, μονήτιον, οὐένδον (οὐενδών) In itinerario Antonini in itinere ab Aquileia per Liburniam: *Auendone, Aurupio, Bibium.* Lege: *A Vendone Arupinum.* Lege, οὐενδών. Omnino his Strabonis verbis obſcuro loco Tibulli lux adfertur. Legebam etiam *Arupinas*, vt ſit gentile. quod malim: vt ſit pauper

E Arupinas.

PAVPER.) Quare pauper, mox ſubijcit Strabo: λυπρὰ δὲ ἡ χώρα, καὶ ζειὰ καὶ κέγχρῳ τὰ πολλὰ τρεφόμενοι. Ergo κατ᾽ ἐξοχὴν *Pauper.*

NATVS *in armis.*] Iam explicauit Strabo, quū vocat ἀρειμανίους.

CONVERSVS *terga domator.*) *Domator*, πωλοδάμνης. Sed ſuſpectum eſt de mendo.

NEC *fera Rhœteo.*) Ita hunc locum deprauarunt, qui veterem ſcripturam non aſſequebantur hanc, *Nec fera te tereo.* Vnius literulæ commutatione legendum, *te Tyrio.* tellus habitata Tyrio colono eſt Africa profecto, aut cedo ſis

aliam, in quam coloniam miserint Tyrij. Est igitur Africa, quam tacere non debebat Tibullus, quum totum orbem hic trophæis Messalæ implet. Mirum vero tantum virum Messalam in omnibus bellis à Dione prætermissum; & Appiano, præter pauca admodum, quæ de eo dixit, quibus breuiter ipsius laudes perstringit.

VEL *regia lympha Diaspes.*] Nulla est mutatio in veteribus libris, ne in optimo quidem. Vocat igitur Diaspem, quem alij Choaspem. Notum ex Herodoto quid velit, & Ausonio:

Hunc cuperes, Rex Mede, tuis contingere castris
Flumina consumpto quum desecere meatu,
Huius fontis aquas peregrinas ferre per vrbes,
Vnum per cunctas solitus portare Choaspen.

CYRI *dementia Cydnus.*] Hunc vocat Herodotus Gynden. Quare ita legendum videtur, vt iam ab aliis animaduersum.

CRETÆIS *ardens aut vnda Carystia campis.*] Mendosissimus locus, ita tamen vt etiam in codice infimæ vetustatis eadem lectio reperiatur. Quare non hodie atque heri inoleuit hæc macula huic loco, sed morbus, vt video, inueteratus est. At peroptimus ille, quem tam laudamus, habet:

Ardet Arectæis aut vnda perhospita campis.

Recte ita me Deus bene iuuerit. Arectæi campi, sunt quos Strabo Ἀρχωνὶς appellat, mendose sane, quum sit legendum ἀρεκτηνὶς, vt ex hoc loco apparet, & ex Geneseos capite decimo, vbi mentio fit Herois illius Nemrodi, *Eius*, inquit, *regni caput fuit, Babylon, Arec, Acad, & Cadne in terra Sēnaar*, Ab hoc igitur Arec, ἀρεκτηνοὶ & Aractei campi. in illis campis est lacus ardens, cuius meminit Plinius libro secundo: *Campus*, inquit, *Babyloniæ flagrat quadam veluti piscina, iugeri magnitudine.* Qui ridiculam illam lectionem vulgatam pro hac nobis supposuerant, habebant in animo Θερμὰ λουτρὰ quæ sunt ad Caryston Euboeæ. ingeniosi & astuti homines, qui quasvis calidas aquas statim ardere putarent. Atqui esto. cur iterum rediret in Græciam Tibullus? Nam in ea est Euboea. At non nisi nunc de remotis gentibus agit. Nos igitur ope peroptimæ membranæ tam fœdas maculas ex hoc cultissimo auctore sustulimus. *Hospita vnda*, Græcum est ξενίζουσα, hoc est mira. Melius legeretur: *Ardet Arectæos aut vnda per hospita campos.* Sic infra *-secundas ad deficientia messes.*

PADÆVS.] Padæorum mentionem habes apud Herodotum.

ATQVE *Mosynos.*] *Magynos* & *Maginos* habent libri nostri. μοσσυνοίκους cogitabant, qui turres pro hominibus nobis supposuerant. Nam μόσσυνες sunt Falæ ligneæ. At μοσσύνοικοι populi in Falis habitantes. Sed qui sint Magyni ipsi, aut vnde expiscatus sit Tibullus, nondum reperi, quia quærere otium non est.

TE *manet inuictus.*] Inuictus sane adhuc eo tempore. Nam hactenus ne Cæsar quidem illos subiugauit. Primus Cæsarum Claudius de illis triumphauit. Cuius rei amplissimum testimonium habes in Catalectorum meorum libro priore, nempe elegantissimos versus à quodam eius temporis poëta scriptos. quos inde petas

A licet. Sed & Seneca in ἀποκολοκυνθώσει idem testatur in choricis anapæstis. *Et cæruleos Scotobrigantas*, pro quo ineptissime hodie editur *scuta Brigantas.* Nam quibus displicet hæc emendatio, quod Scoti in Britanniam, vt aiunt, non traiecerint ante tempora Valentiniani, nihil agunt. Erant tamen adhuc in Hibernia: ad quæ loca etiam videntur appulisse Romani temporibus Claudianis. Nam Iuuenalis meminit litorum Iuuernæ, id est Hiberniæ, antè tempora sua subactorum. Cærulei scuta Latinum scimus, vt opus non fuerit nos de Grammatica monere. Nam & ita Virgilius loquitur: *-& picti scuta Labici.* Sed B quis sanus dixerit cæruleos scuta, qui cute Cærulei essent? Quare vt ipsi non audire nos volunt vera proponentes, ita neque nos illos vero aduersantes audiemus. An ignorant Brigantes Britanniæ esse Ἰουερνίας Βριγάντας Hiberniæ, quorum amborum meminerit Ptolemæus? Brigantes igitur apud Senecam & Scoti sunt in Hibernia adhuc, non in Britannia. Itaque de sero transitu Scotorum in Britanniam, quod objiciunt, frigidum: quum eos adhuc velimus esse in Hibernia. Nam ipse Seneca meminit ibidem Britannorum. Quod si iam Brigantes in Britannia, C bis ergo idem dixisset Seneca. Porro Brigantum, qui in Britannia, meminit etiam Pausanias Arcadicis. Adrianus Iunius vir eruditissimus, quum mendum apud Senecam olfecisset, non tamen tollere potuit: quin oblitus moduli syllabæ legit cute Brigantas. Quæro vnde Picti dicti sunt? an quia scuta picti, non cutem? Certe Scoti ab ijsdem partib. Hiberniæ. Et ambo picti non scuta, sed cutem. Quare & Scoti hanc gentis suæ antiquitatem mihi debent, qui primus illum locum emendaui: quum ipsi hactenus suæ gentis testem Claudiano antiquiorem non haberent. Sed & locus in Octauia Tragœdia de eadem re D deprauatissimus est. qui tamen ad hanc rem facit. Ita enim ediderunt:

En qui ora Tanais primus imposuit iugo,
Ignota tantis classibus texit freta.

Loquitur de Claudio Cæsare. Legendum sane:

En qui Britannis primus imposuit iugū.

SVPERINGERIT.] *Superegerit* est in duobus nostris.

PER *tempora labitur annus.*] Codex infimæ vetustatis *vertitur.* [illegible]

ERGO *vbi præclaros poscent.*] Liber optimus habebat *ierint*, non *poscent.* Ergo legendum *per* E *claros.*

Ergo vbi per claros ierint tua facta triumphos.

NAM *mihi quum magnis opibus.*] Horatius idem prorsus tangit:

Di tibi diuitias dederant ——

FOECVNDIS *indeficientia mensis.*] Legebamus olim:

Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci
Horrea, fecundas ad deficientia messis.

Messis pro messes. pro quo excuderant *mensis.* Sed postea coniecturam nostram confirmauit liber optimus, in quo & *messes* disertim scriptum erat.

QVVM *memor anteactos.*] Lege *anteactos*, vt habent libri nostri scripti. Memorem dolorem vocat pœnitentiam anteactorum.

SPOLIERQVE *relictis.*] A creditoribus scilicet. Et hæc plane adtestantur de ære alieno contracto in luxu & nepotatu contra mentem eorum, qui nobis obstrigillarunt: Itaque Horatius obrutum curis ob æs alienum ita alloquitur:

Item spem curamque timores inter & iras
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.
Grata superueniet quæ non sperabitur, hora.

Quum igitur dicat spoliari se relictis, an & agellos reliquos suos assignari intelligit? Si non reliquos assignari, neque priores igitur.

DENSIS *obsistere turmis.*] Libri nostri *subsistere.* Sic Liuius *subsistere feris.* ὑφίστασθαι τοῖς θηρίοις. Ergo hanc lectionem retine.

NEC *mallem mittere chartas.*] *Vincere* liber optimus.

MVTATA *figuram.*] Lego ex libro nostro, *figura.* Seu figura finget me.

IN *quæcunque.*] Optimus liber *Quandocunque.*

LAVS SVLPITIÆ AD MARTEM. II.

Sulpitia est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis,
Spectatum è cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet. at tu violente caueto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadãt.
Illius ex oculis, cùm vult exurere Diuos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quidquid agit, quoquò vestigia flectit,
Componit furtim, subsequiturque decor.
Seu soluit crines, fusis decet esse capillis:
Seu comsit, comtis est veneranda comis.
Vrit, seu Tyria voluit procedere palla:
Vrit, seu niuea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo,
Mille habet ornatus, mille decenter habet.
Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros.
Possideatque, metit quidquid bene olentibus aruis
Cultor odoratæ diues Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc vos Pierides festis cantate Kalendis,
Et testudinea Phœbe superbe lyra.
Hoc sollenne sacrum multos hoc sumet in annos.
Dignior est vestro nulla puella choro.

BERN. CYLL. VERON.

SVLPITIA *est tibi culta tuis Mars magne calendis.*] Sulpitia fuit filia Seruij viri nobilis: miræ pulchritudinis adulescentula, quam seu Tibul. (vt in ipsius vita diximus) cum Cherintho misere amauit, seu Cherinthus solus dilexit. Huic mirum in modum exornatæ Martiarum calen. solennitate poëta Martem precatur, vt adsit. Dictum est enim superius commentario III. Cal. Mar. fuisse matronalia.

SI *sapis.*] Si prudentia non cares in puellæ consideranda forma & elegantia.

HOC *Venus ignoscet.*] Auget sermonem. nam Venus ipsa formosissima tametsi cum Marte assuescat, & concessura tamen est adultero vt Sulpitiam spectatum veniat. Scit enim puellam esse tantæ pulchritudinis vt spectari mereatur.

VIOLENTE.] Impetuose. Mars, enim dicitur, vt voluit Cicero, quod magna vertat.

NE *tibi miranti turpiter arma cadant.*] Homines nempe lasciuiusculi dum petulcas illecebras spectant ad libidinem mouentur, & obliti pudoris motus edunt inhonestissimos. Vnde Iuue. ad irritamentum Veneris Satyr. II. inquit:

Appula gannit Sicut in amplexu.

ILLIVS *est oculis.*] Sensus est: Habet illa nescio quid vigoris in tuendo, quo dij etiam ad inhonestum appetitum incitantur.

GEMINAS *lampadas.*] Laus est à potentia oculorum. Propert. II.

Non oculi gemina sidera nostra faces.

QVOQVO.] Modus dicendi pro in quãcumque velit partem se conuerterit.

SVBSEQVITVRQVE *decor.*] Laus est à gratia corporis.

VERTVMNVS.] Deus est Vertumnus, quem nasci in Thuscis oris dixit Propert. & eundem esse Tiberim: sed quod iter institutum verterit, Vertumnum esse denominatum. Seu dicitur quod omnium fructuum primitiæ suæ sint: seu quod rerum omnium & hortorum præcipue habeat dominationem: in quorũ figuras varias se transformat, vt omnes suos ornatus in prædicto loco posuit Propert.

VELLERA *det succis bis madefacta Tyros.*] In Tyrio agro Phœnice memorabili Sarranum ostrum nascitur, pro quo ponitur. Sane lana bis tincta purpureo colore pretiosior est, vt probat vsus, & antiquorum auctoritas. byssinum autem nuncupatur ad dibaphum. Sta. Sil. III.

-rubeat quo purpura succo,
Sidonijs iterata vadis.

BENE *olentibus.*] Aromatum suauitatem.

ET *testudinea Phœbe superbe lyra.*] Lyram Mercurius inuenit ex testudine, & Orpheo donauit, vt Eratosthenes poëta scrib. At Porphyrio & Acron commentario Horatianorum Carm. I. asserunt primo inuentam lyram à Mercurio, datamque Apollini, accepto baculo, quem Caduceum vocant. Testudinea ergo aut incurua, aut quæ primum ex testudineo cortice, seu corio fieri cœpta est. Horat. *Saxa mouere sono testudinis.* Superbus vero nobilis dicitur & gloriosus respectu lyræ, vt Virgili.

-spolijsque superbus Alcides aderat.

ACHILLES STATIVS.

SVLPICIA *est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis.*] Matronalib. Horat.

Martijs calebs quid agam Kalendis?

HOC *Venus ignoscet.*] In Florentino, Sed Venus. Litteram vero. T. extremam produxit, more veterum.

NE *tibi miranti turpiter arma cadant.*] Similiter Propert. in IV.

Obstipuit regis facie, & regalib. armis,
Inter & oblitas excidit vrna manus.

ILLIVS *ex oculis.*] Propert. in II.

Non oculi gemina sidera nostra faces.

COMPONIT *furtim.*] Omnem eius motum, atque habitum, decor, & lepos quasi condit non intellectus.

VRIT, *seu Tyria*] Similiter Propert. in II.

Illaque plebeio, vel sit Sandycis amictu,
Hæc, atque illa, mali vulneris vna via est.

VERTVNNVS.] In veteri monumento, Romæ, apud Thomam Cauallerium, VORTVMNVS. de cuius varietate formarum, ac decore, Ouid. in XIIII. Metam. Legendum autem videtur hoc loco, non, Æterno Olympo, sed Ætherio.

CARIS.] Pretiosis.

BIS *madefacta.*] δίβαφα. Horat.

—— te bis Afro Murice tinctæ Vestiunt lanæ.

CONCHAS.] In veteribus omnibus, Gemmas.

ET *testudinea, Phœbe superbe, lyra.*] Sic post,

Huc ades, intonsa, Phœbe superbe, coma.

CELEBRETVR.] In veterib. omnibus, Hoc sumet.

VESTRO.] In plerisque, Nostro.

IANVS DOVSA FIL.

ILLAM *quicquid agit, quoquo vestigia vertit*
Componit furtim subsequitúrque decor.] Quintilianus lib. I. cap. XI. *Neque enim gestum oratoris componi ad similitudinem saltationis volo, sed subesse aliquid ex hac exercitatione puerili, vnde nos non id agentes furtim decor ille discentibus traditus prosequatur.* Qui locus ex Tibulliano hoc planissimè adumbratus.

A

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PROXIMVS *Eois colligit Indus aquis.*] Oceano Indicô. Sed melius, *equis.* Propert.

Quos Aurora suis rubra colorat equis.

Supra Theodectes: *οὓς ἀγχιτέρμων ἥλιος διφρηλατῶν,* & cæt.

MVLTOS *celebretur in annos.*] Veteres omnes libri: *hoc sumet in annos.* lego, *consumet*, pro consummet.

B

SVLPICIA AD CHERINTVM. III.

PARCE meo iuueni. seu quis bona pascua campi.
Seu colis vmbrosi deuia montis aper.
Nec tibi sit duros acuisse in prœlia dentes.
Incolumem custos hunc mihi seruet Amor.
C *Sed procul abducit venandi Delia cura.*
O pereant siluæ deficiantque canes.
Quis furor est, quæ mens densos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus?
Quidve iuuat furtim latebras intrare ferarum?
Candidaque hamatis crura notare rubis? D
Sed tamen, vt tecum liceat Cherinte vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quæram vestigia cerui,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi tunc placeant siluæ, si, lux mea, tecum
E *Arguar ante ipsas concubuisse plagas.*
Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit,
Ne Veneris cupidæ gaudia turbet aper.
Tunc sine me sit nulla Venus: sed lege Dianæ
Caste puer casta retia tende manu.
Et quæcunque meo furtim subrepit amori,
Incidat in sæuas diripienda feras.

At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

BERNARD. CYLLÆN. VER.

PARCE *meo iuueni.*] Sub persona Sulpitiæ loquitur, quæ cum amore pueri vel Cherinthi deperiret, & ad venationem proficiscentem videret, ex formidine ne lædatur à feris aprum rogat habitantem loca ad quæ puer est accessurus, vt ab amatore dentem amoueat. Postea verso sermone puerum reprehendit tanta insania correptum, vt se potius lacerandum inter ferarum lustra efferat, quam suo frui complexu velit.

DVROS *dentes.*] Dens est apri telum, quo solo homines euiscerat.

DELIA.] Non amatrix Delia, sed Diana venationis dea. Est autem sensus: Puer siluularum amore, campulorumque siluestrium captus est.

INTRARE *latebras.*] Excutere ferarum lustra.

RVBIS *hamatis.*] Spinis cuspidatis. est rubus spinæ genus: quod Horat. indicat inquiens: *Seu virides rubum dimouere lacertæ.* cum Virg. scripserit: *Virides occultant spineta lacertos.* Ruscus quoque vepris genus non nimium diuersum. Calphurnius:

—— duris ego perdita ruscis
Iam dudum nullos dubitaui crura rubetis
Scindere.——

Rubi autem Ruborum, ciuitas est Italiæ. Horat. Sermonum primo, *Inde Rubos fessi peruenimus:* vbi Acronis expositinem demiror, qui hoc probans allegat Virgilium scribentem:

Nunc facilis rubea texatur fiscina virga.

Cum de virgulto sagmineo vates intelligat.

RETIA *torta.*] Ex filo torto per plagas: aut propter spinarum contorsionem.

FERREA *vincla.*] Collare est vinculum illud, quo canum colla astringuntur, & Melium vocauit antiquitas, vt in secundo rerum rusticarum Var. refert. Fit è corio firmo cum clauis capitatis, & circum collum cani annectitur. hic copulam accipit quæ circum brachia venatorum inspiratur, & vulgus Lassum vocat: Nam altero ipsius capite remisso canis laxatur aduersum prædam. Ouid. VII. Metamorph.

Copula detrahitur canibus, quos illa sequentes
Effugit.——

ARGVAR.] Dicam indicio meo.

TVRBET *gaudia Veneris cupida.*] Nos in complexu proiectos suo aduentu perterreat.

NVLLA *Venus.*] Nullius luxuriæ exercitatio.

LEGE *Dianæ.*] Quæ illibata fuit: cuius comites perpetua virginitate insignes fuerunt.

SVBREPIT.] Tacite subijt ac successit, & est præteritum à subrepo.

ACHILLES STATIVS.

BONA *pascua.*] Læta.

NEC *tibi sit duros acuisse in pectora dentes.*] Idest, liceat. ἐξέστω σοὶ. vt & Propert. in III.

Nec digitum angusta est inseruisse via.

A Et Verg. in IV. Georg.

Scis, Proteu, scis ipse: nec est, te fallere, cuiquam.

Et in Epigrammate de Æneide,

Si mihi susceptum fuerit decurrere munus.

Et Liuius in XLII. *Quæ verbo obiecta, verbo negare sit.* Theocritus, Βυκολιάσαις, Μή μοι γᾶν Πέλοπος, μή μοι χρύσεια τάλαντα Εἴη ἔχειν.

VENANDI *Delia cura.*) Venandi studium, atque amor.

QVIS *furor est.*) Sic Ouid. in III. de Arte amandi:

Quis furor est, census corpore ferre suos?

B Et idem Tibul. in I.

Quis furor est, atram bellis arcessere mortem?

Et Iuuen. Sat. IIX.

--furor est post omnia perdere naulum.

QVÆ *mens.*) Verg. in II. Æneid.

--quæ mens tam dira, miserrime coniux.
Impulit his cingi telis?--

DENSOS *indagine colles Claudentem.*) Eodem est vsus verbo Verg. in IV. Æn. *Saltusque indagine cingunt.* Seruius interpretatur, ferarum inquisitionem. Et Placidus in Glossis, *Cuniculi*, inquit, *genus quoddam agrestium animalium, quod canum indagine concludi consueuit speluncis.*

CANDIDAQVE *hamatis crura notare rubis.*)

C Ouid. in I. Metamorph.

Me miserum, ne prona cadas, indignaque lædi
Crura notent sentes.--

Et Columella, de cultu hort.

Nec manibus mitis ferulas, nec cruribus æque
Terga rubi.—

Legendum vero, Æqui, non, Æque. Rubi, non æqui cruribus: idest, inimici. Sic Verg. in II. Æn. dixit, *non æqua Palladis.—*

RETIA *torta.*) Hinc, opinor, apud Gratium de retibus, Quadruplex tormentum. nisi legendum, Tomentum.

FERREA *vincla.*) Ouid. in VIII. Metam.

D *Vincula pars adimunt canibus.*

TVNC *mihi, tunc placeant silua.*) Verg.

Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes.

LVX *mea.*) Ouid. in III. de Arte amandi:

Scilicet Aiaci mulier mæstissima dixit,
Lux mea, quæque solent verba iuuare viros.

RETIA *tende.*) In veteribus omnibus, Tange, non, Tende.

SVBREPIT.) In Sfort. Subrepet. quod placet.

VENANDI *studium.*) Ouid. in I. de remedio amoris:

Vel tu venandi studium cole.——

E ET *celer in nostros ipse recurre sinus.*) Sic Propert.

Non tamen illa meos fugit auara sinus.

IANVS DOVSA FIL.

QVIS *furor est, quæ mens densos indagine colles Cingentem.*) Scribendum puto, quamquam hoc timidè affirmem: *Quis furor est, demens, densos indagine colles:* loquendi forma Propertio alijsque vsitata.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ACVISSE *in pectora dentes.*] Repone ex optimo libro:

——acuisse in prælia.

VENANDI, *Delia, cura.*] Scribe, *deuia cura.* nec in tam deuijs saltibus veneris. *Delia* sane huc non pertinet.

RETIA *tende manu.*] Repone ex libris, *tange.*

ET *quacunque.*] *At quacunque.* Libri.

AD PHOEBVM. IV.

Hvc ades, & teneræ morbos expelle puellæ,
Huc ades intonsa Phœbe superbe coma.
Crede mihi propera: nec te iam Phœbe pigebit
Formosæ medicas applicuisse manus;
Effice ne macies pallentes occupet artus,
Neu notet informis pallida membra color.
Et quodcunque mali est, & quidquid triste timemus,
In pelagus rapidis euehat amnis aquis.
Sancte veni, tecumque feras quicunque sapores,
Quicunque & cantus corpora fessa leuant.
Neu iuuenem torque, metuit qui fata puellæ,
Votaque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vouet: interdum, quòd langueat illa,
Dicit in æternos aspera verba Deos.
Pone metum Cherinte. Deus non lædit amantes.
Tu modò semper ama. salua puella tibi est.
Nil opus est fletu: lacrymis erit aptius vti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est, te solũ candida secũ
Cogitat, & frustra credula turba sedet.
Phœbe faue: laus magna tibi tribuetur, in vno
Corpore seruato restituisse duos.
Iam celeber, iam lætus eris, cùm debita reddet
Certatim sanctis lætus vterque focis.
Tunc te felicem dicet pia turba Deorum:
Optabunt artes & sibi quisque tuas.

BERN. CYLL. VERON.

HVC *ades & teneræ morbos expelle puellæ.*] Proseuche ad Phœbum medicinæ artis principem pro Sulpitia Cherinti ægrotante. Phœbus autem iccirco medicinæ magister dicitur, quia Sol sua temperie salutis caussa sit, & per intemperiem mortes inferat, vt Macr. & Strabo docent: ea propter Milesij ac Delij eum vocant οὔλιον, idest, salutiferum. nam οὔλω idem est quod valeo: & οὐλὴ cicatrix dicitur. Artemis etiam nominatur, quod integros facit mortales. Diodorus vero refert. VI. beneficium rationis medicæ Iouem donâsse Apollini in celebratione nuptiarum Iunonis.

NON *pigebit.*] Te maxime iuuabit.

OCCVPET.] Occupando deformet.

PALLENTES.] Morbo tabidos, non natura.

COLOR *informis.*] Palliditas in exangui corpore.

SAPORES.) Succos.

CANTVS.) Incantationes.

NEV *iuuenem torque.*) Quippe, Apollo si puellæ non te mouet pulchritudo, at Cherintus amator te flectat, qui maceratur ad necem.

VIX *numeranda.*) Pro innumerabilia.

PONE *metum.*) Exhortantis est oratio.

SEDET.) Ante torũ stat, vel ante fores ædium.

TVRBA *credula.*) Proci credentes à Sulpitia se diligi.

RESTITVISSE.) A morte reuocasse Cherintum & Sulpitiam. Sic Propert.

Si non vnius, saltem miserere duorum,
Viuam si viuet, si cadet illa cadam.

TRISTIOR.) Iratior, asperior.

CELEBER.) Quantum ad amantis seruatæ gloriam.

TVTVS.) Quantum ad amorem riualium procorumque.

ACHILLES STATIVS.

INTONSA, *Phœbe superbe, coma.*) Similiter ante, *-testudinea, Phœbe superbe, lyra.* Dicitur autem Phœbus propterea ἀκερσεκόμης.

QVICVMQVE *sapores.*) Sic legendum I. Sucos, herbas, pocula.

CORPORA *fessa.*) Idem post,

Qui mea nunc vexat corpora fessa calor.

METVIT *qui fata puellæ.*) Puellæ, dandi casu.

VOTAQVE *pro domina vix numeranda facit.*) Verg. in XI. *Fors & vota facit.* Cic. in IIX. epist. ad Att. cum præpositione, De, *Vt cum de illo ægroto vota faciebant.* Similiter Verg. in IIX. *Vota metu duplicant matres.*- Ego vero perturbatum ordinem versuum puto. nam & in Marcelli libro, & Vaticano, versus illi, Nil opus est fletu, &, Si quãdo fuerit,

fuerit, leguntur post versum, Corpore seruato. Itaque legendos, & hoc loco puto simul ponendos, Phœbe, faue: Corpore seruato: Iam celeber: Certatim sanctis: Tunc te felicem: Optabunt artes.

VOVET.] Absolute, vota facit, nuncupat, suscipit.

PONE *metum.*] Sic Verg.

Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur.

Et Corn. Tacit. in xv. *Necdum posito metu redibat.*

TV *modo semper ama.*] Ouid. *Tu Pari semper ama.*

TRISTIOR *illa tibi.*] Infensior.

TE *solum candida secum Cogitat.*] Phædria Teren. in Eunucho,

Dies noctesque ames me, me desideres,
Me somnies, me expectes, de me cogites.

CREDVLA *turba.*] In Sfort. libro, Sedula, non, Credula. De amatoribus autem dicit, falsa spe ductis, & foribus adsidentibus.

LAVS *magna tibi tribuetur, in vno Corpore seruato restituisse duos.*] Ouid. in II. Amor. similiter,

Huc adhibe vultus, & in vna parce duobus,
Nam vitam domina tu dabis, illa mihi.

CVM *debita reddet.*] Vota. Propert.

Debitaque occultis vota tuli manibus.

Quorum votorum rei sint. Reddere verbo hoc in genere vsus etiam Horat.

Ergo obligatam redde Ioui dapem.

Et, Debita, eodem prope modo:

Debita sparges lacrima fauillam, Vatis Horati.

LÆTVS *vterque.*] Læti enim vota soluebant. Vnde sollemne illud in veteribus monumentis, V. S. L. M. Verg.

Vobis lætus ego hoc candentem in litore taurum
Constituam ante aras voti reus.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

TECVMQVE *feras quicunque sapores.*] Sapores, χυλοί. Græco more dixit. Et Plinius de papauere: *E nigro papauere sapor gignitur scapo inciso, vt Diagoras suadet, quum turgescit: vt Iolas, quum defloreseit. hora diei sereni, hoc est quum ros in eo exaruerit.* Hæc Plinius, qui postea succum vocat, malo exemplo, quum aliud sit χυλός, aliud ὀπός. Nam male vocauit saporem, quum lacrimam dicere debebat. Sapor enim vel χυλός fit expressione, non autem sponte manat.

Ad Cherintum. V.

QVI mihi te Cherinte dies dedit, hic mihi sanctus,
Atq; inter festos semper habendus erit.
Te nascēte nouum Parcæ cecinere puellis
Seruitium, & dederunt regna superba tibi.
Vror ego ante alias. iuuat hoc Cherinte, quòd vror.
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
A Mutuus adsit amor, tua per dulcissima furta,
Perque tuos oculos, per Geniumque rogo.
Magne Geni, cape thura libens, votisque faueto,
Si modò cùm de me cogitat, ille calet.
Quòd si fortè alios iam nunc suspirat amores,
B Tunc precor infidos sancte relinque focos.
Nec tu sis iniusta Venus. vel seruiat æquè
Vinctus vterque tibi, vel mea vincla leua:
Sed potiùs valida teneamur vterque catena,
Nulla queat posthâc quam soluisse dies.
Optat idem iuuenis, quod nos, sed tutius optat,
C Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu natalis quoniā Deus omnia sentis,
Annue, quid refert clámne, palámne roget?

BERN. CYLLÆN. VERON.

EST *qui te Cherinte dies dedit, hic mihi sanctus.*] Sulpitia de natalitio loquitur amatoris, quē diem se celebraturā omnino fatetur: tum quod illum amet, tum quod illo die ipse natus sit. D Postea se conuertit ad Genium, Veneremque naturæ deos, orans vt ventitent ad hunc si modo syncere diligitur.

DEBERVNT.] Systole est, quia producta corripitur.

REGNA *superba.*] Ex tua pulchritudine dominaris puellis.

DVLCISSIMA *furta.*] Epitheton est tum aptum rei, tum amatoris iracundiæ reconciliandæ. Virgilius: *Fuit aut ibi quicquam dulce meum.*

PERQVE *tuos oculos.*) Mos antiquorum fuit iurare per rem carissimam. amanti enim nihil ad conciliandum amorem gratius est oculis: E ideo oculissimus pro gratissimus apud Plautum legimus. Itaque Catullus inquit:

Quinti si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud si quid carius est oculis.

Præterea in homine vel formoso nil laudatur magis quam oculorum vigor, quod sit totius corporis pars optima. Qu. Serennius:

Summa boni est alacres homini contingere visus.

SVSPIRAT *alios amores.*] Detentus quippe alterius amore, vt supra:

Te tenet, absentes alios suspirat amores.

INFIDOS *focos.*) Respectu Cherinti fallacis.

INIVSTA *Venus.*) Quæ tunc dicitur iniusta,

quando alter amantium est mentis impos, alter vero prorsus à cura solutus.

CATHENA.] Vinculo.

CLAMVE *palamne roget.*] Voluntas namque pro verbis apud Deos vim habet.

ACHILLES STATIVS.

EST, *qui te, Cherinthe, dies dedit hic mihi sanctus.*] Est mihi sanctus, colendus. Idem ante:

Alba Palæstino sancta columba Syro.

MVTVVS *ignis adest.*] Adest, pro, Est. Sic Ouid. in II. de remedio amoris:

Nec curandus adest, odio qui finit amorem.

MVTVVS *adsit amor.*] ἀμφιθαλὴς ἔρως. Plautus in Cistell. *Is amore proiectitiam illam deperit.*

Quæ dudum flens hinc abijt ad matrem suam:

Et illa hunc contra, qui est amor suauissimus.

Et in Mil. glor. *Et illa illum contra, qui est amor cultu optumus.*

TVA *per dulcissima furta.*] In veteribus, Te per dulcissima furta, &, Per te dulcissima furta. Quæ vero in amore Furta dicantur, nemo nescit. Ver. in IV. Georg. *Vulcani, Martisque dolos, & dulcia furta.* Idem Tibullus ante, *Celari vult sua furta Venus.* Et Sappho, in asmate in Venerem, Παῖ Διὸς δολοπλόκε.

PER *geniumque rogo.*] Vetus orandi mos, per cuiusque genium. Horat. in I. Epist.

Quod te per genium, dextramque, deosque penates,

Obsecro, & obtestor. —— Propert. in IV.

Exuitur, geniumque meum prostratus adorat.

Genium autem venerantes frontem tangebant. Auctor Seruius in III. Æn. in illud,

Dixerat, & genua amplexus.

MANE, *geni.*] In Vaticano, Marcelli, vtroq. meo, Mane, veni. vt olim Aldus. quod probo. Mane autem, sanctè. Varro de ling. Lat.

CVM *de me cogitat.*] Sic ante Terent. *De me cogites.*

VALET.] Alij legunt, Calet.

ALIOS *iam nunc suspirat amores.*] Ante, in I. *Te tenet, absentes alios suspirat amores.*

NEC *sis nunc.*] In vtroque meo, & Sfortiaco, Nec tu sis.

NVLLA *queat posthac quam soluisse dies.*] In Vaticano, Quæ soluisse. In vtroque meo, & Florentino, Nos soluisse. quod placet.

SED *tutius optat.*] Alij legunt, Sed tectius optat. quod est aptius. Sic Ouid.

Vir male dissimulat, tectius illa cupit.

AT TV, *Natalis, quoniam, Deus.*] Natalis deus, qui ab Horat. in II. Epist. dicitur Naturæ deus humanæ.

OMNIA *sentis.*] Quia præsens adesse festum agentibus credebatur.

IANVS DOVSA FIL.

NEC *tu sis iniusta Venus. vel seruiat æquè*
Vinctus vterque tibi, vel mea vincla leua.]
Idem planè votum est Lucilij Poëtæ Anthol. VII.

Ἢ τὸ φιλεῖν περίγραψον, Ἔρως, ὅλον, ἢ τὸ φιλεῖσθαι
Πρόσθες, ἵν' ἢ λύσῃς τὸν πόθον, ἢ κεράσῃς.

Item Rufini ibidem:

Ει δυσὶν οὐκ ἴσχυσας ἴσην φλόγα πυρφόρε καίειν,
Τὴν ἑνὶ καιομένην ἢ σβέσον ἢ μετάθες.

Cuius eiusdem & illud est alibi:

Εἰ μὲν ἐπ' ἀμφοτέροισιν ἔρως ἴσα τόξα τιταίνεις,
Εἶ θεός. εἰ δὲ ῥέπεις πρὸς μέρος, οὐ θεὸς εἶ.

Quò facit hoc Tibulli: *Nec tu sis iniusta Venus.* Ad quæ sic allusit Ausonius:

Hoc quod amare vocant, misce aut dissolue, Cupido,
Aut neutrum flammis vre, vel vre duos. & iterũ:
Aut restingue ignem, quo torreor, alma Dione,
Aut transire iube, vel fac vtrumque parem.

Quam sententiam & nos nouo verborum ambitu expressimus hoc modo:

Aut restingue ignem, aut exæqua: & cura, Cupido,
Vel sit nulla mihi, mutua sit ve mei.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

EST *qui te Cerinthe.*] Scribe, vt in optima membrana, *Qui mihi te, Cerinthe.*

MANE *Geni.*] Scribe, *Magne Geni*.

QVVM *de me cogitat ille calet.*] Propius veritatem accedunt editiones, quæ habent, *valet.* Nam ex veteri libro legendum *volet.* Si modo, inquit, idem amor vrit illum, qui me. Infra:

Ah ego non aliter tristes euincere morbos
Optarim, quam te si quoque velle putem.

Hoc est si te pari igne vri putem.

QVID *refert clamve palamve roget.*] Supra indicauimus superstitionem veterum in votis tacite concipiendis. Apuleius: *Tacitas preces in templo Deis allegasti. igitur magus es, aut cur optasti?*

Ad Iunonem. VI.

NATALIS Iuno sanctos cape thuris aceruos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie, tibi se lætissima cõsit,
Staret, vt ante tuos conspiciẽda focos.
Illa quidem ornandi caussas tibi, Diua, relegat,
Est tamen occultè cui placuisse velit.
At tu sancta faue, ne quis diuellat amantes,
Sed iuueni quæso mutua vincla para.
Sic bene compones. vlli non ille puellæ
Seruire, aut cuiquam dignior illa viro.
Nec possit cupidos vigilans deprendere custos,
Fallendiq; vias mille ministret Amor.
Annue, purpureaque veni perlucida palla,
Ter tibi fit libo, ter Dea cassa mero.

Præcipit & gnatæ mater studiosa, quod optat?
Illa aliud tacita iam sibi mente rogat.
Vritur, vt celeres vrunt altaria flamæ:
Nec, liceat quamuis, sana fuisse velit.
Sit iuueni grata, ac veniet cùm proximus annus,
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

BERN. CYLL. VERON.

NATALIS *Iuno.*] Ad Iunonem sermonem de Sulpitia: quæ diem natalem celebratura se exposiuit eleganter & vtriusque amantis commendatio continetur.

DOCTA.] Aut literis imbuta, aut prudens & rerum non ignara.

TOTA *tibi est hodie.*] Tuæ ditionis est hodie. se enim tibi dicauit, idest, in honorem tuum.

RELEGAT *causas ornandi.*] Se dicit ob eam causam ornasse, quod tibi rem diuinã factura est.

OCCVLTE.] Sub hoc sacrificij prætexto.

MVTVA *vincla.*] Iuno agundis præest matrimoniis, vnde Gamylia dicitur.

STVDIOSA.] Sedula.

QVOD *optat.*] Coniugium scilicet pro voto: sed illam precatur vti possit Cherinthi pueri formosissimi frui complexibus.

VRITVR *vt celeres.*] Comparatio ad amoris incendium.

SANA.] Sine amore: contra insana pro amãte: nam qui amoribus corripiuntur insani efficiuntur: vnde Propertius:

Is primum vidit sine sensu viuere amantes.

PROXIMVS.] Sequens.

ACHILLES STATIVS.

NATALIS *Iuno.*] Quæ ab Horatio in v. Carm. Genitalis dicitur, à Cic. in III. de Nat. deorum, Natio. à nascentibus nominata, quia partus matronar. tueatur. Videtur autem Genius marium, Iuno feminarum deus fuisse natalis.

SANCTOS *cape turis aceruos.*] De quibus dixit Verg. in I. Æn. --*aut supplex aris imponat honores.*

TIBI *est hodie.*] In tua potestate.

ORNANDI.] In Vaticano, & Florentino, atque vno meo, Orandi.

NE *nos diuellat.*] In vno meo, & Florentino, Ne nox. quod sequor. Sequitur enim post,

Ne possit cupidos vigilans deprendere custos.

SIC *bene compones.*] Vt quasi ex composito sibi inuicem polliceantur. vel, Compones, coniunges. Sic Horat.

Vt non compositus melius cum Bitho Bacchius,

Ouid. in II. de Arte amandi, eodem modo,

Hoc bene compositos, & firmos rumpit amores.

FALLENDIQVE *vias mille ministret Amor.*] Aristarchus, apud Stobæum, in eandem sententiam, de Amore:

Ἔρωτος ὅστις μὴ πεπείραται βροτῶν,
Οὐκ οἶδ' ἀνάγκης θεσμὸν, ᾧ πεισθεὶς ἐγώ.
Οὕτω κρατηθεὶς τὰς δ' ἐπιστείλαν ὁδοὺς
Οὗτος γὰρ ὁ θεὸς καὶ τὸν ἀσθενῆ σθένειν
Τίθησι, καὶ τὸν ἄπορον εὑρίσκειν πόρον.

TER *tibi sit libo.*] In Vaticano, Marcelli, & Sfortiaco, Sic, non, Sit. legendum forte, Fit. Sacrum fit: sic enim veteres loquebantur, Fit sacrum boue, agno. Fest. Pomp. in verbis, Opima spolia. *Ad adem Iouis Feretrij poni, testimonio esse libros Pontificium, in quibus sit, pro primis spolys, boue, pro secundis solitaurilibus, pro tertijs agno publice sacra fieri.* Liba vero in sacrificiis fere adhibita fuisse, dictum ante. Ouid. in IV. Fast.

Quæ precor eueniant, & nos faciamus ad annum
Pastorum dominæ grandia liba Pali.

QVOD *optat.*] In Florentino, Quod optet. itaque in vno meo.

ILLA *aliud tacita iam sua mente rogat.*] In Florentino, Iam sibi. itaq. in Marcell. quod sequor.

VRITVR, *vt celeres vrunt altaria flammæ.*] Similiter Verg.

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit
Vno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.

SIT *iuueni grata, adueniet cum proximus annus.*] In veteribus, Sic iuueni grata veniet, In Florentino, *Sic iuueni grata est? veniet*, &c. Ego legendum putabam,

Sic iuueni gratum, veniet cum proximus annus,
Hic idem votis iam vetus vt sit amor.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

VLLI *non ille puellæ.*] Libri nostri *vllæ* ἀρχαϊκῶς.

TER *tibi sit libo.*] Varro: *Hisce maniabus lacte fit non vino.*

ILLA *aliud tacita iam sibi.*] Lege auctore optima scriptura, IAM SVA. Iam sui iuris, non ex præscripto matris. Pendet hoc ex eadem stulta religione votorum tacite concipiendorum.

SIT *iuueni grata, adueniet.*] In libris nostris VENIET. Lege igitur:

Sic iuueni grata, veniet quum proximus annus.

Grata hoc est gratare. quod non intelligebant Correctores.

HIC *idem votis iam vetus adsit amor.*] Liber infimæ vetustatis ESSET AMOR. Quod retinendum est. Iam, inquit, votis proximum annum inuocat, vt iste iam vetus esse videatur. Si vota spectes, quæ faciunt, iam putes eos plurimos annos amare, iam vetus videtur eorum amor. Eorum enim votorum festinatione videntur properare anni. Sic Petronius -*votis absentem interficit hostem.* & Oedipus ille apud Sophoclem:

——ἐγὼ δ' ὅδ' ἐνθάδε
Ἄψαυστος ἔγχους. εἴ τι μὴ 'μῷ πόθῳ
Κατέφθιτο.——

Nisi, inquit, votis ipsum interfeci, nisi imprecatione mea mors illi properata sit.

Sulpitia loquitur. VII.

TANDEM *venit amor, qualem texisse pudore*

Quàm nudasse alicui sit mihi fama magis. A
Exorata meis illum Cytherea Camenis
Attulit, in nostrum deposuitq́; sinum.
Exsoluit promissa Venus. mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse suum.
Non ego signatis quidquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quàm meus, ante velim: B
Sed peccasse iuuat: vultus cōponere famæ
Tædet, cùm digno digna fuisse ferar.

BERN. CYLLÆN. VERON.

TANDEM *venit amor.*] Exultatio est Sulpitiæ de amoris obtentu cum puero. Tandem ait post rem multum desideratam.

QVALEM *texisse pudori.*] Ne sodalibus exponens infamis sim.

NVDASSE.] Aperuisse, declarasse.

CYTHEREA.] Venus à loco, ad quam supra fudit preces.

NON *habuisse suam*] Non potitum esse suæ dominæ concubitu.

ACHILLES STATIVS.

QVALEM *texisse pudori.*] In Florentino, atque vno ex meis, Pudore.

ALICVI.] προσωπικῶς. vt in Commentario in Catullum doceo Sic Ouid. in XIIII. Metam. D

Et modo de multis alicui blanditus amicis.

DICETVR *si quis non habuisse suam.*] Tale Terentij illud, *Quis heri habuit Chrysidem?* Quod autem dixit, Mea gaudia narret, cum Gaudium, vt iam dixi, concubitum significet, habere suam quid sit, intelligitur. Idem Tibullus ante in I.

Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere,
Maluerit prædas, stultus, & arma sequi.

Et Verg. in Bucol. *—& Phyllida solus habeto.* Non dissimile videtur, quod Aristoteles ἐν ταῖς κατηγορίαις περὶ τοῦ ἔχειν scribit.

NON *ego signatis quidquam mandare tabellis. Ne legat id nemo, quam meus, ante velim*] Posterior versus varie legitur in veteribus. In Sfort. Nec legat id nemo. In duobus meis, & Patauino, & Marcell. Me legat aduenio. Ego impressam lectionem sequor, vt negationes duæ vehementius etiam negent, more Græcorum, & non nihil etiam Latinorum. Et ea sit sententia, vt nemo id ante legat, quam meus. id est, quam meus fiat intimus, ac familiaris. Eadem negationum abūdantia vtitur Ennius, apud Festum Pomp. *Lapideo sunt corde multi, quos non miseret neminis.* Id est, quos nullius miseret.

SED *peccasse iuuat.*] Sed cur, inquit, tanto-pere id tegere laborem, quod laudi futurum sperem.

VVLTVS *componere famæ Tædet.*] An ego, inquit, ita me comparem, vt dissimulem, & culpam vultu tegam, famamque, & aliorum in me collatam suspicionem sic refutem. Famam vero, malam intellegit. vt supra.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DICETVR *si quis non habuisse suam.*] Vetus liber, *sua*, hoc est gaudia. Vtro modo legas parum interest. *Mea gaudia*, τὰ μοι παιδικά, meos amores. Val. Cato in Diris.

Inuideo vobis agri, mea gaudia habetis.

NE *legat id nemo.*] Duæ negationes pro vna. Propertius:

Absenti nemo non nocuisse velit.

VVLTVS *componere.*] Prouerbium est, [illegible]

Ad Messallam. VIII.

INVISVS natalis adest, qui rure molesto, C
Et sine Cherinto tristis agendus erit.
Dulcius vrbe quid est? an villa sit apta puellis,
Atque Eretino frigidus amnis agro?
Iam nimium Messalla mei studiose quiescas,
Non tempestiua sæpe propinque viæ.
Hic animum, sensusque meos abducta relinquo, D
Arbitrio quamuis non sinis esse meo.

BERN. CYLLÆN. VERON.

INVISVS *natalis adest.*] Sulpitia Messallam affinem alloquitur: dolens natalem aduenisse, quem sit ruri sine Cherintho celebratura.

RVRE *molesto.*] Omnia nomina locorum propria & quæ pro propriis accipiuntur in datiuo & ablatiuo ponuntur, cum in loco significant. hoc omnis correctior grammatices ratio postulat, quamquam Seruius scribat Virgilium per figuram posuisse Tyria Carthagine pro Carthagini. & (quod magis miror) Ciceronem in prosa oratione, Narbone pro Narboni per antiptosim dixisse. E

ATQVE *Arretino frigidus amnis agro.*] Dicunt quidam Arretinum amnem intelligi Ælarim, qui ex Arretio olim delabebatur tribus alueis, sed emendo textum Eretino. Est enim Eretium oppidum non longe à Nomento, Albulas prospectans gelidissimas: nam non conuenit vt ex vrbe puella Arretium commigraret.

STVDIOSE.] Sollicite.

Non *tempestiua*.] Non gratæ: vt vrbem deserens in villam tuam commeet.

Abdvcta.] Ab vrbe aduecta, vbi amator relinquitur.

Arbitrio.] Iurisdictione & volũtate libera.

ACHILLES STATIVS.

An *villa sit apta puellis*.] In Vaticano, Sfort. Florentino, atque vno meo, Puellæ, non, Puellis.

Qviescas.] In vrbe.

Propinqve *via*.] Accinctæ itineri. Dixit autem ante, de Messallæ monumento, in Tuscis. cuius rei, credo, caussa sæpe illo ventitabat. Sed in Vaticano, Tuæ, non Viæ. legendum forte, Fugæ.

Hic.] In vrbe. quamquam in Vaticano, His.

Arbitrio *quamuis non finis esse meo*.] In Florentino, Quoniam, non, Quamuis. Quoniam, inquit, non est, vt volo. Legi fortasse etiam possit, Arbitrio quam vir non finis esse meo. Est in quibusdam libris, Sinit, non, Sinis. Quod vt conueniat, legendum puto disiunctim, Quam vis: quam, inquit, vis suo viuere arbitratu non finit, alioque abducit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Invisvs *natalis adest*.] Messala amauit Sulpitiam. Hæc est, ni fallor, quam Messala carminibus suis celebrauit. de qua Virgilius in Prolusionibus scribens ad Messalam ipsum:

Certatim ornabant omnes Heroida Diuæ.
Certatim Diuæ munere quæque suo.
Felicem ante alias tanto scriptore puellam.

Nunc Messala eam rus ad natalem suum celebrandũ inuita in agro Eretino. Illã piget eo ire, quia relinquendus esset Cerinthus, sine quo omnes epulas insuaues, omne solenne festum, nefastum putat.

An *vlla sit apta puellis*.] Nostri libri, *puellæ*. & sane de se non de aliis loquitur.

Atqve *Aretino*.] Assentior doctis hominibus, qui *Eretino* legunt, quia Aretium nimis longinquum esset, quam vt puella ab vrbe eo animi caussa deducenda esset. Eretum vicinum Trebulæ, vt testatur Strabo. Meminit Virgilius: *Ereti manus omnis*. Totus autem ille tractus gelidissimus, vt pote intra montes porrectus. Martialis:

Humida qua gelidas submittit Trebula valles,
Et viridis Cancri mensibus alget ager.

Puella igitur conqueritur se in frigidissimum agrum abduci, &, quod familiam ducit, sine Cerintho suo. Ineptum vero putare hic *amnis* legendum esse, quum amnis quantumuis frigidus nihil nocere possit. ineptius vero aquas vicinas frigidas hic putari innui, quod video quibusdam placere. quas aquas λάβατα ὕδατα codex vulgatus Strabonis vocat, quum legendum sit, ἄλβατα ὕδατα. sed sine dubio legendum *frigidus annus*, non *amnis*. Conqueritur se diuelli à Cerintho tempore anni inclementissimo in agrum frigidissimum. Ita loquuntur veteres, vt Plancus Ciceroni, *Copias tempore anni eduxi*. Grecum est, ὥρᾳ

A ἔτους. Sane hæc est vera lectio, quam hic proposuimus. An, inquit, opportune hiems transigetur frigidissimo agro? Vide quas difficultates proponit, hiemem, agrum frigidum, puellam sc. vrbe carere, abesse à Cerintho.

Iam *nimium Messala*.] Noli nocere, dum iuuare putas. hoc est enim, *nimium studiose*.

Non *tempestiuæ*.] Qui sæpe te accingis itineri intempestiuo. Est enim anni tempus asperrimum. Quare hæc confirmant emendationem nostram, *frigidus annus*, pro *frigidus amnis*.

Hic *animum*.] Quanuis alio abducta, tamen
B Romæ, vbi Cerinthus est, animum, sensusque meos relinquo. quanuis tu arbitrio meo non sinis esse Romæ. vel, quanuis non sinis me esse arbitrij mei. quod melius est. Est autem mollissimum, ac delicatissimum epigramma, & Tibulli Musa dignissimum. Et, nisi fallit me iudicium meum, hactenus eius sententia obscura fuerat.

De natali die. IX.

Scis iter ex animo sublatum triste puellę,
Natali Romæ iam licet esse tuo.
C *Omnibus ille dies nobis natalis agatur,*
Qui nec opinãti nunc tibi forte venit.

BERNARD. CYLLÆN. VER.

Scis *iter ex animo*.] Eadem ad Cherinthum quod Romæ natalem non possit colere. rus enim contra voluntatem abit.

Non *finit*.] Supple, quod iter non permittit illam.

Svblatvm *ex animo*.] Susceptum contra animi sententiam.

D Agatvr *natalis*.] Idest, pro natali colatur.

ACHILLES STATIVS.

Scis *iter ex animo sublatum triste puellæ*.] Legendum puto coniuncte, vno verbo, Exanimæ. &, Scis, mutandum forte in, Sic.

Svblatvm *iter*.] Susceptum. Sin retinemus, Scis, legendum statim, Sinere. probabiliter.

Natali *Romæ non finis esse suo*.] In Vaticano, Non finet esse tuo. Ex quo amicus meus fecerat, Non finere esse tuo. minus enim molestię fuerit. In omnibus autem, Tuo, non, Suo.

E Agatvr] Sic ante,

Et sine Cherintho tristis agendus erit. Omnib. autẽ natalis agitur, quasi omnes eo essent nati die.

Nec *opinanti*.] ὑφίν. vt annotauit Donat. in Andria, in illud, *Id voluit, nos sic nec inopinantes duci falso gaudio*. Ouid. in 1. Metam.

Nocte grauem somno, nec opina perdere morte.

Et sæpe sic alij.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Scis *iter ex animo*.] Hæc verbis suis Tibullus ad Messalam. Scis, inquit, Sulpitiam à profectione illa in agrum tuũ destitisse. Quare quum illa obfirmarit se non ituram, non sine illa natalem tuum celebremus.

NATALI *Roma non finit esse suo.*] Diu est, quum hic versus corruptus est. Ita enim codex infimæ vetustatis habet. At optimus ille longe aliter:

Natali Romæ iam licet esse tuo. Iam, inquit, illi licet esse Romæ, dum tu celebras natalem tuum rure. Sustulit enim iter ex animo. Hoc est decreuit non ire. Sane absq; illa optima mẽbrana nullus verus sẽsus ex hoc epigrãmatio elici poterat.

Ad Sulpiciam. X.

GRATVM est, securus multum quod iam mihi de me
Permittis subitò, ne malè inepta cadã,
Sit tibi cura togæ potior, preßũq; quasillo
Scortum, quam Seruî filia Sulpitia.
Solliciti sũt pro nobis, quib. illa dolori est,
Nec credã ignoto maxima cura toro.

BERN. CYLLÆN. VERON.

GRATVM *est.*] Sulpitia ad amicum seipsam negligentem, & scorti illecebris delinitum scribit.

DE *me securus.*] Nullam amplius de me curam habens.

PERMITTIS.] Sinis euenire.

MALE *inepta.*] Vt mulieres in amore perditæ. quæ quid conueniat non decernunt.

CADAM.] In ignominiam prolaber à pudoris sublimitate, & est ex vulgari sumptum.

CVRA *togæ.*] Togati scorti, idest adulteræ & meretricis. nam togata pro scorto Hor. in pri. Sermonum ponit. & Porphy. commen. testatur deprehẽsas in adulterio mulieres togam induisse. vnde Iuu. *Talem non sumet damnata togam.*

PRESSVM *quasillo Scortum.*] Aut pauperem meretricem objicit, quæ vitam quærat lanificio, aut eum improperat, quod domi clausam meretriculam teneat. Est qualus vas lanificio aptum & quasillus calathus est. nam Varro refert Thalassionem in nuptiis signum fuisse lanificij: is enim vocabatur quasillus.

NEC *credam.*] Ne fidem habeam verbis tuis pro coniugio.

ACHILLES STATIVS.

GRATVM *est.*] Lætor, inquit, quod, omni metu liber, me meo permittas arbitrio, nec tãtopere zelotypia labores. Simili vsus principio Martialis in VII.

Gratum est, quod Celeri nostros legis, Aucte, libellos.

Loquitur eodem modo M. Tullius in VII. epist. ad Att. *Quod me amicißime admones, vt me integrum, quo ad poßim, seruem, gratum est.*

PERMITTIS.] In Vaticano, & Florentino, & Marcelli, Permittas.

SVBITO.] Præter opinionem.

NE *male inep. cad.*] Lego, quemadmodum in Sfortiæ libro, Nec male inepta cadam. Nec, inquit, quia tu de me nihil dubitas, committam, vt in crimen incurram. Male inepta, sic dixit, vt & Catullus, *Insulsa male.*

SIT *tibi cura toga potior.*] Togatam, inquit, ama potius, & cole. id est, scortum. Sic Martialis, *Matrisque togatæ Filius.* Et sequitur, quod idem valet.

PRESSVMQVE *quasillo Scortum.*] Pressum quasillo, quasi adsiduo adtritum opere. Ordo vero est, Sit tibi togatæ potior cura, sic potius scortum quasillo pressum, &c. Cura vero, vt sæpe alibi, amor.

QVAM *Serui filia Sulpicia.*] Togatas potius ama, quam senatorum, ac primariorum ciuium filias.

SOLLICITI *sunt pro nobis, quibus illa dolori est.*] Lego, Sint, non, Sunt. id est, alios eius amatores sollicitos esse sinamus, quos illa dolere cogit. ne simus ipsi solliciti.

NEC *credam ignoto maxima cura toro.*] In veteribus omnibus, Maxima caussa, non, Cura. In Vaticano,

Ne credam ignoto maxima caussa toro.

Lego ego,

Ne cedam ignoto maxima caussa toro.

Id est, maxima caussa est, cur alienæ, atque ignotæ, cedere minime debeam, à téque posthaberi.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

GRATVM *est securus.*] Gratum est, inquit, ô Cerinthe, quod tam libere fateris te securum esse, ne in te peccem turpi adulterio. Apage cum tua illa securitate, dignus non ingenuo amore, sed aliquo prostibulo, aut quasillaria muliere. Satis sollicite obseruant me riuales tui, & diligenter ac curiose cauent, ne id flagitium committam: quos illa pudicitia mea, quæ facit, vt ne alij viro succumbam, acriter vrit. vellent enim & sibi morigera essem, & facerem id, quod tu te tam secure ais negligere, quum ais te non vehementer curare, ne male inepta cadam, hoc est, ne peccem alio viro. Hęc, quia obscura erant, fusius à me contra morem meum explicata sunt. Non enim satis ea vulgus assequebatur. Imo Sibyllæ folium illis erat hoc poëmatium acutissimi argumenti.

SIT *tibi cura toga potior.*] Togatam, & quasillariam ancillam simul coniungit, vt Horatius:

——bonam deperdere famam,
Rem patris oblimare, malum est, vbicunq. (quid interEst) in matrona, ancilla, peccésve togata.

Ita legendus locus ille apud Horatium: qui vulgo male ab interpunctionibus laborat. Deprehensas quoque in adulterio in toga traduci notius est, quam vt repeti debeat. Sed Isidorus scribit in amiculo lineo, non in toga.

PRESSVMQVE *quasillo.*] Intelligit, vt dixit, ancillam quasillariam. Petronius: *Nec contenta mulier tam graui iniuria mea, conuocat omnes quasillarias, familiaeque sordidißimam partem.* Iuuenalis:

Horrida quale facit residens in codice pellex.

quasillariam intelligit. In Glossario: *Quasillarius,*

ψιλωτίς. Lege, *Quasillarius*, ψιλωτίς. *Amphitapa* sunt villosa gausapia: Psilæ, belluata tapetia sine villis, quorum tapetiorum opifices in quasillis repositos habent lanarum discolorium glomos multos: à quibus quasillis nomen illis. Apud Isidorum: *Sipla, Tapeta ex vna parte villosa, quasi simpla*. Inepte *Sipla* pro *Psila*. In Glossis: ψιλόν, *Tenue. Babylonicum.*

SOLLICITI *sunt pro nobis.*] Fingit alios amatores sibi esse, quibus dolet, quod vni Cerintho addicta sit, fingit, inquam, vt iam tepentem pueri amorem accendat. Quod sanè non potest dici, quã venuste ab erudito poëta commentũ sit.

MAXIMA *cura.*] Repone, vt libri, & primæ editiones habent, MAXIMA CAVSSA. Caussa ne credat ignoto toro, est amor, quo vnicum Cerinthum complectitur. fides, quam integram illi vni seruat. ignotum torum, quemuis alium, cui succumbat, intelligit.

Ad Cherintum. XI.

ESTNE tibi Cherinte tuę placiturę puellę,
Qui mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes euincere morbos
Optarim, quàm te sic quoq; velle putē.
Non mihi quid prosit morbos euincere? vbi tu
Nostra potes læto pectore ferre mala?

BERN. CYLL. VERON.

ESTNE *tibi Cherinte.*] Sulpitia igne amoris nimio aggrauata alloquitur amatorem se excusans quod illum hesterna nocte reliquerit, amorem dissimulans suum.

TVÆ *puella.*] scorto ante memorato. est enim puella nomen non integritatis, sed ætatis. Iuue.

Et ad circum iussas prostrare puellas.

ACHILLES STATIVS.

EST *ne tibi.*] Cherinthe, tuæ placiture puellæ, mutuo ne es in me amore?

QVAM *te sic quoque velle putem.*] lego. Si, non, Sic. Ego vero, inquit, ne morbo quidem liberari velim, nisi tu quoque id velis.

NAM, *mibi.*] in veteribus omnibus, A mihi. vt repetatur interiectio.

QVID *tu.*] sic in veteribus omnibus, non, Si tu.

NOSTRA *potes, læto pectore, ferre mala.* Catull.

Non ego te gaudens lætanti pectore mittam.

Et Vergilius,

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Quibus in locis, vt sępe alibi, Pectus pro animo.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

EST-NE *tibi Cerinthe.*] Malè cum aspiratione prima syllaba huius nominis scribitur. est enim Κίναιδος. Huius etiam formosi meminit Horatius Sermonum primo, Satyra secunda. Pendet autem hoc epigramma à præcedente. Verum enim est illud: *Amantium iræ amoris redintegratio est.* Sulpitia volens amorē suum dissimulare, Cerinthum à se cum illa responsione, quam superius vidimus, amolita est. Nunc amoris impotentia incidit in morbum, & fatetur adolescenti se non alia via posse malo mederi, quam si sentiat illum amore sui mutuo vri. Denique aperte fatetur se nihil tota vita sua stultius fecisse, quam quod illum deseruit, studio ardorem suum dissimulandi.

NAM *mihi quid prosit.*] Nostri codices.

Ah mihi quid prosit morbos euincere?

QVID *tu.*] Corruptus locus. Nam legendum ——*quod tu.*

Ah mihi quid prosit morbos euincere, quod tu
Nostra potes lento pectore ferre mala?

Nã libri illi habebant *lento*. Quid prodest morbo occurrere, quãdoquidem securus es nostri mali?

Ad Eundem. XII.

NE tibi sim, mea lux, ęquè tã feruida cura,
Vt videor paucos ante fuisse dies.
Si quidquam tota commisi stulta iuuēta,
Cuius me fatear pœnituisse magis,
Hesterna quã te solũ quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum?

BERN. CYLL. VERON.

TOTA *iuuenta.*] iuuenta est temporis iuuenilis ætatis. Iuuentas dea, sed iuuentatem nusquam legi. Ouidius enim iuuentæ VII. ponit.

ACHILLES STATIVS.

NEC *tibi sit, mea lux.*] legendum puto, Nec tibi sim mea lux. vt amicæ verba sint ad amantem, Lucem vero suam ἐρωτικῶς alter alterũ dicebant. id notius, quã vt exēplis doceri debeat.

AEQVE *tam feruida cura.*] ita, inquit, tu me ardenter non ames.

VT *videor paucos.*] rectius in duobus meis, Ac videor. optime enim respondet, Aeque, ac. Ita tua cura non sim tam feruida, vt videor fuisse. Iam, quæ sequuntur, sunt facilia.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NE *tibi sim mea lux.*] Iurat. Optat sibi euenire contrarium voto suo, ni pœnitet se, quod eum pridie reliquisset. Votum est, vt ab eo tam feruide ametur, quam paulo ante amata fuerat. Ne, inquit, ita amer à te, vt ante hos dies amabar, ni stulte feci, quod te reliqui volens ignem meum dissimulare.

HESTERNA *quod te solum.*] Innuit ea, quæ superiore epigrammate dicta sunt. Scio hæc antea plebi Grammaticorum, & fortasse proceri-

bus Criticis ignorata fuisse.

Ad amicam. XIII.

Nvlla tuum nobis subducet femina lectum,
Hoc primum iuncta est fœdere nostra (Venus.
Tu mihi sola places, nec iam te præter in vrbe
Formosa est oculis vlla puella meis.
Atque vtinã posses vni mihi bella videri.
Displiceas aliis: sic ego tutus ero.
Nil opus inuidia est, procul absit gloria vulgi.
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possũ bene viuere syluis,
Qua nulla humana sit via trita pede.
Tu mihi curarũ requies, tu nocte vel atra
Lumen, & in solis tu mihi turba locis.
Nũc licet è cœlo mittatur amica Tibullo
Mittetur frustra deficiétque Venus.
Hæc tibi sancta tuæ Iunonis numina iuro,
Quæ sola ante alios est mihi magna (Deos.
Quid facio demens? heu, cui mea pignora credo,
Iuraui stultè. proderat iste timor.
Nunc tu fortis eris: nunc tu me audacius vres:
Hoc peperit misero garrula lingua (malum.
Iam faciam quodcunque voles: tuus vsque manebo,
Nec fugiam notę seruitium dominæ:
Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras:
Hæc notat iniustos, supplicibúsque (fauet.

BERN. CYLL. VERON.

Nvlla *tuum titulis.*] Tibullus amicam alloquitur: cui pollicetur amorem suum fore sempiternum.

Titvlis.] stemmate nobilitatis.

Nil *opus inuidia.*] nil ex formositate tua quæro mihi ab aliis inuideri.

Procvl *ab. glo.*] vulgarium est iactantia, vt omnes intelligant se habere vxorẽ pulcherrimã.

Tv *mihi curarum requies.*] Propertius I.

Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes:
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.

Tvrba.] multitudo. Oui. *Nos duo turba sumus.*

A Solis.] desertis, solitariis.

Est *tibi magna ante alios deos.*] est enim pronuba Iuno.

Qvid *facio demens.*] correctio est quod temere sit testatus deos se illius semper futurum.

Pignera.] fœdera.

Prodeat.] euanescat.

Fortis.] inexorabilis.

Avdacivs.] licentius.

Garrvla.] in iurando prompta.

Notat.] notat, idest, pœna afficit.

ACHILLES STATIVS.

B Nvlla *tuum titulis subducet femina lectum.*] in vtroque meo, & Sfortiæ, & Florentino, non, Titulis, sed, Nobis. Sed, si, Titulis, retinemus, feminam inlustrem significat, multis suorum titulis, & maiorum claram imaginibus. Subducere autem lectum, pænè sic dixit, vt & Sophocles in Electra: τοὺς ἀδίκως θνήσκοντας ὁρᾶτε, τοὺς καὶ εὐνὰς ὑποκλεπτομένους. Idem significans Propert. in I,

Ne mihi riualis certos subducet amores.

Tvm *mihi sola places.*] in scriptis omnibus, *Tu modo sola places.* Propert. tamen, in II.

Tu mihi sola places, placeam tibi, Cynthia, solus.

Nil *opus inuidia est.*] nobis vt quisquam inuideat.

C Procvl *absit gloria vulgi.*] è qua, inuidia. nec ita gloriemur, vt vulgus solet.

Qvi *sapit, in tacito gaudeat ille sinu.*] in veteribus, Gaudeat ipse. Plautus in Epidico, similiter: *Quod boni est, id tacitus taceas tute tecum, & gaudeas.* Et Cic. in III. Tusc. *Gaudere in sinu.* Idem valet apud Oui. in IV. Trist. *Intra tua pectora gaude.* Propert. in II. *In tacito cohibe gaudia clausa sinu.*

Deficietqve *Venus.*] Idem ante.

Admonuit dominæ, deseruitque Venus.

Hæc *per sancta.*] in veteribus, Hæc tibi sancta.

Est *tibi.*] in Florentino, ac duobus meis, Est mihi.

D Magna.] Catull. *Dea magna, dea Cybelle.*

Hev, *cui mea pignora credo.*] in veteribus, Heu heu, non, Heu cui. In Vaticano, atque vno meo, Cedo, non, Credo. Erit autẽ sensus, Ego mea pignora, id est, hunc timorem, ac dubitationem de me tuam tollo, & hæc, quasi pignora, cedo.

Prodeat *iste timor.*] lego, Proderat. vt significet, amicæ de se dubitationem, ac timorem, sibi magno vsui fuisse.

Sed *Veneris sanctæ considam vinctus ad aras.*] plana sententia, si, quemadmodum est in Vaticano, atque vno meo, legas, Confidam, non,

E Considam. Nisi in more id olim positum fuerit, vti supplices ad aras vincti considerent.

Hæc *notat iniustos.*] Notat: transfert à nota censorum, ac multa.

IANVS DOVSA FIL.

Procvl *absit gloria vulgi.*] *Gloriã* pro gloriatione dictã accipio, quomodo & apud Propertium:

Dispeream, si quicquam aliud quàm gloria de te
Quæritur. hinc & *gloriarum plenus* de homine iactabundo Comicis frequens.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

NVLLA *tuum titulis.*]Nescio vnde illud *Titulis* conflauerunt correctores isti. Libri enim nostri habent, *nobis.* & rectè. sententia plena est. Ita autem loquitur Propertius:

Nec mihi riualis certos subducet amores.

HOC *primum iuncta est fœdere nostra Venus.*] Hoc est πρῶτον ἐρῶσα ἀπ' ἀρχῆς ἐκοινωνήθη.

TV *mihi.*] TV MODO Liber noster.

QVÆ *sola ante alios est tibi magna.*]Inepte TIBI. Lege MIHI. vt habent libri nostri. Iuno Genius feminarum. Ait ergo geniũ puellæ suæ sibi omnium Deorum esse maximũ Notum est feminas iurare solere: Iunonem meam iratam habeam.

HEV *cui mea pignora credo.*] Inepta lectio, quum libri nostri habeant:

Quid facio demens? heu heu, mea pignora cedo.

De concidendis pignoribus eorum, qui illis captis absentes coercebãtur, Cicero scribit de Oratore. Profecto dementem esse oportet, qui sua sibi pignora concidat. Prouerbium non notatum, *sua pignora cedere.* Referendum ergo ad illud vetustissimum ius Romanum.

PRODEAT *iste timor.*] Hæc quoque lectio quam inepta est? Veteres nostri libri, *proderat.* vna litera mutata lege, *proderit.* Ah quid iuraui. iste timor tibi magis proderit. quomodo? subiicit: *Nunc tu fortis eris: nunc tu me audacius vres.* At ij, qui putant se plurimum Tibullum iuuisse, quod ex *prodeat* faciunt *proderat*, & ea pompa nimium quantũ vectantur, quam bene hoc modo huic loco cauerint, ipsi viderint. Nam ne tũc quidem constabit sententia. Nam quare diceret se pœnituisse quod iurauerit, si illud iusiurandũ proderat? Contraria plane hæc, & pugnantia,

SED *Veneris sancta considam vinctus ad aras.*] Persistit ἐν κυριολογίᾳ. Nam quia seruum se dominæ suæ dicit, illius quidem se mãcipium profitebitur, sed quia domina in se nimium sæuit, confugiet ad aram Veneris, vt eius sæuitiam vitet. Nam duo perfugia habebant serui, aram, & deprecatorem. Vnde illud: *Nec hic tibi aliquam aram, aut deprecatorem paraueris.* De ara habes exempla apud comicos, & in iure de seruis ad statuas confugiẽtibus. Euripides Andromacha:

——ἔχει γὰρ καταφυγὴν θὴρ μὲν πέτραν
Δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν. ——

Deprecatorum autem mentio apud Terentium Phormione, qui precatorem vocat. *Nunc ad precatorem abeam, qui mihi sic oret,* &c. Meminit & Iurisconsultus de Ædilitio Edicto L. XVII. & l. Bouem. Eleganter ergo hæc Tibullus.

HÆC *notat iniustos supplicibúsque fauet.*]Eadem sententia alibi:

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa querelis.
Supplicibus miseris flentibus illa fauet.

De infamia suæ puellæ. XIV.

RVMOR ait crebrò nostram peccare
puellam.
Nũc ego me surdis auribus esse velim.
A *Crimina non hæc sunt nostrò sine ficta*
dolore. (tace.
Quid miserum torques rumor acerbe?

BERN. CYLL. VERON.

RVMOR *ait nostram.*] Tetrastichon de puellæ suæ infamia se prostrantis omnibus peraudita.

PECCARE.] cum aliis consuescere.

AVRIBVS *surdis.*] vt non intelligam. Itidem

B Catullus,

Quæ tam & si vno non est contenta Catullo:
Rara verecundæ furta feremus heræ.
Ne nimium simus stultorum more molesti.

CRIMINA.] criminationes de amicæ impudicitia: vel carmina, idest, tetrastichon.

TACE.] ne me tanto afflictes dolore. Hactenus ex ingenio nostro Tibulli elegias enodauimus: prosecuturi lucubrationes cœptas in Propertium, & longas in Catullum peregrinationes: si ex his labores nostri probabuntur.

C ACHILLES STATIVS.

RVMOR *ait.*]Propert. in IV. *Cras, vt rumor ait.*

CRIMINA *non hæc sunt nostro sine facta dolore.*]in Florentino, Ficta, non, Facta. Sic Propert. in IV.

Non bona de nobis crimina ficta iacis.

At illo modo etiam Ouid. in II. de Arte amandi:

Corpore si nequeunt, quod possunt, nomine tangũt,
Famáque, non facto crimine, crimen habet.

RVMOR *acerbe, tace.*]in Sfortiaco, Sile, non, Tace.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

D CRIMINA *non hæc sunt nostro sine ficta dolore.*] Et Propertius:

Quid mihi desidiæ non cessas fingere crimen?

Tamen libri nostri habebant *facta*, non *ficta.*

Domitij Marsi de Tibulli morte.

TE quoque Virgilio comitem non æqua,
Tibulle,
Mors iuuenem cãpos misit ad Elysios:
Ne foret, aut elegis molleis qui fleret
E *amores,*
Aut caneret forti regia bella pede.

ACHILLES STATIVS.

TE *quoque, Vergilio.*]in vno meo, Me quoque, Sed illud rectius.

NE *foret, aut elegis molles qui fleret amores.*] est enim Elegia, flebile carmen.

AVT *caneret forti regia bella pede.*] Regia bella: quæ à regibus fere geruntur. Horatius,

Res gestæ regúmque ducúmque, & tristia bella.

Forti pede: longis versibus. Horat.

——*forte epos acer Vt nemo, ducit varius.*——

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

TE *quoque Virgilio comitem.*] In peruetusto illo schedio Titulus huic epigrammatio erat, DOMITI MARSI. Quare hoc illi debemus, quod eius ope poëma suo auctori asseruerimus. Nam sine illo fieri non poterat. Est autem ex quadam Marsi Elegia depromptum, vt apparet, in qua bonorum poëtarum mortem defleret.

NON *æqua.*] Quia Virgilium senem, te iuuenem abstulit. Ex quo docemur vno tempore Virgilium, & Tibullum obiisse.

HÆC DVO EPIGRAMMATA QVAE IN PRIAPEIS leguntur, viri Docti Tibullo adscribunt.

TIBVLLVS AD PRIAPVM.

VILLICVS ærari quondam, nunc cultor agelli,
Hæc tibi perspectus tēpla Priape dico.
Pro quibus officiis, si fas est, sancte paciscor,
Assiduus custos ruris vt esse velis:
Improbus vt si quis nostrum violarit agellum:
Hunc tu, sed taceo: scis puto, quod sequitur.

ACHILLES STATIVS.

IN vno meo extremum erat Epigramma, quod in lusibus in Priapum legitur,

Villicus ærari quondam, nunc cultor agelli.

In quo eadem omnia, præterquam in vltimo versu,

Hunc tu, sed taceo, scis puto, quod sequitur.

In vulgatis enim legitur, Hunc tu, sed tento. Sunt autem versus ipsi Tibullo, elegantissimo poëta, digni.

Eiusdem ad Priapum.

QVID hoc noui est? quid ira nuntiat Deûm?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente cùm iaceret abditus sinu,
Venus fuit quieta, nec viriliter
Iners senile penis extulit caput.
Placet Priape? qui sub arboris coma
Soles sacrum reuincte pampino caput
Ruber sedere cum rubente fascino.
A *At ô Tripalle sæpe floribus nouis*
Tuas sine arte deligauimus comas,
Abegimúsque voce sæpe, cùm tibi
Senéxve coruus, impigérve graculus
Sacrum feriret ore corneo caput:
Vale nefande destitutor inguinum,
Vale Priape: debeo tibi nihil.
Iacebis inter arua squalidus situ.
Canísque scæua, súsque ligneo tibi
B *Lutosus adfricabit oblitum latus.*
Sceleste penis, ô meum malum graue,
Graui piáque lege noxiam lues.
Licet querare: nec tibi tener puer
Patebit vllus, imminente qui toro
Iuuante verset arte mobilem natem.
Puella nec iocosa te leui manu
Fouebit, apprimétve lucidum femur.
Bidens amica Romuli senis memor
Paratur: inter atra cuius inguina
C *Latet iacente pantice abditus specus,*
Vagáque pelle tectus annuo gelu
Araneosus obsidet forem situs.
Tibi hæc paratur, vt tuũ ter, aut quater
Voret profunda fossa lubricum caput.
Licebit æger angue lentior cubes,
Terêris vsque, donec ah miser, miser
Tripléxque, quadrupléxque compleas specum.
Superbia ista proderit nihil, simul
D *Vagum sonante merseris caput luto.*
Quid est iners? pigétne lentitudinis?
Licebit hoc inultus auferas semel:
Sed ille cùm redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede:
Repente neruus excitet libidinem
Et inquietus inguina arrigat tumor,
Neque incitare cesset, vsque dum mihi
E *Venus iocosa molle ruperit latus.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVID *hoc noui est.*] In veteribus excusis Tibulli nomine editur hoc politissimum poëmatium: itémque in veteri membrana Tibulliana, quæ est penes te Iacobe Cuiaci, vir eruditissime. Totúmque ex puris Iambis constat. & sane multum spirat illam venustatem, quę hodie percipitur in Elegiis illius suauissimi Poëtæ. Quod ne cui mirũ videatur, Tibullum Priapeia

conscripsisse, iam puto satis confirmari superiore Epigrammate. Sed & clarius Martialis:

Quam qui compositos metro Tibulli
In Stellæ recitat domo libellos.

PLACET *Priape.*] Icane Priape? Elegans loquendi modus: vt in illa expostulatione, *Places hoc ergo? & leges diligētissimæ pudoris custodes decumas vxoribus dari, quantas meretricibus, iubēt?* Græcis est, ἄληθες, Aristophanes, ἄληθες ὦ 'πίτριπτε. Martialis:

Hoc Labulle verum est?

REVINCTVS *pampino.*] Claudicat versus. Legendum vocandi casu: *-reuincte pampino caput.* Et ita non raro veteres loquuntur. Tibullus ad Bacchum:

Huc venias hodierne, tibi dum turis honores,
Libáque Mopsopio dulcia melle feram.

hodiernus enim dicendum erat. Albinouanus in Epicedio Mecœnatis:

Impiger Alcide, multo defuncte labore
Te memorant curas sic posuisse tuas.

Nám dicendum erat *defunctum.* Plautus Curculione: *Haud male meditate male locutus es.*——
Theocritus: ὄλβιε κῶρε βιώσεο——
Debuit enim ὄλβιος. Persius:

Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censorémque tuum vel quod trabeate salutas.

Ausonius:

Distinctas interne vias mirere domorum.

hoc est, *internus.* Propert. *Sic mihi te referas leuis.* Nam *leuem* dicere debuit.

AT *ô Priape.*] In illa optima scheda liquido exaratum erat: *At ô Tripalle.* hoc est, τρίφαλλε. Nam τριφάλλης, & ἰθύφαλλος cognomina Priapi. Quin & *Triphallus* περὶ ἀφροδισίων inscripta fuit Menippea Varronis. de generatione scilicet. licet aliter vir doctissimus interpretatus sit. Ergo *At ô Triphalle* reponendum est. In veteri Glossario: *Trepallos,* τρίφαλλος.

ABEGIMVSQVE.] Ille Horatianus Priapus, si sciens fallit, imprecatur sibi hæc

——*merdisque coinquiner albis Cornorum*——

Iccirco μηνίσκοι imponebantur statuis, ne ab auibus conspurcarentur. Aristophanes Auibus:

Ην δὲ μὴ κρίνητε, χαλκεύεσθε μηνίσκους φορεῖν
Ὥσπερ ἀνδριάντες. ὡς ὑμῶν ὃς ἂν μὴ μηνίσκον ἔχῃ,
Ὅταν ἔχητε χλανίδα λευκήν, τότε μάλισθ' οὕτω δίκην
Δώσετ' ἡμῖν πᾶσι τοῖς ὄρνισι κατατιλώμενοι.

Hi μηνίσκοι adhuc, hodiéque in templis Christianorum imponuntur capitibus statuarum. Cuius tamen rei caussam ignorantes Pictores, dum putant honoris caussa imponi debere, non solum non omnibus statuis imponunt: sed & imaginibus quoque pictis adhibuerunt: quæ tamen illis opus non habent, vt statuæ.

IACEBIS *inter arma.*] in Græcia proiectis simulacris ita insultabant, vt ea scillis herbis impeterent. Theocritus Thalysiis:

Χ' ὢ μὲν ταῦθ' ἔρδοις ὦ Πὰν φίλε, μή τι τυ παῖδες
Ἀρκαδικοὶ σκίλλαισιν ὑπὸ πλευράς τε, καὶ ὤμους
Τανίκα μαστίσδοιεν, ὅτε κρέα τυτθὰ παρείη.

Ita enim solebant exigere καθάρματα, καὶ φαρμακούς. Hipponax.

Βάλλοντες ἐν χειμῶνι, καὶ ῥαπίζοντες
Κράδῃσι, καὶ σκίλλῃσιν, ὥσπερ φαρμακόν.

SQVALLIDVS *situ.*] In membrana

——*Pallidus situ.* Nam etiam *pallor* pro squallore, vel carie. Lucillius:

——*pallor, tineæ omnia cædunt.*

CANIS *aut tibi.*] In quibusdam schedis mediæ vetustatis, quas nobis amicus noster P. Pithœus commodauit, quæque habebant hoc solum Epigramma exaratum, ita legebatur iste, & alter versiculus:

Canisve sæuus vsque imminget, aut tibi
Fricabit oblitum latus aper lutosius.

Ex quibus deprauatis hanc lectionem eruimus:

Canisve sæuus vsque minget, aut tibi
Aper fricabit oblitum latus luto.

Sed in alia longe melioris notæ scheda aliter concepta erat lectio:

Canisque sæuus vsque ligneo tibi
Lutosus affricabit oblitum latus.

Non magni negotij erat illa corrigere:

Canisque sæua, susque ligneo tibi &c.

Horatianus ille Priapus sibi imprecatur:

——*in me veniat mictum, atque cacatum*
Quicquid cornorum est.——

Et apud Aristophanem de statua Lyci Herois, iudiciorum præsidis, loquitur φιλόδικος quidam. κοὐ μήποτε σοῦ παρὰ τὰς κάννας οὐρήσω, μηδ' ἀποπαρδῶ. In contemptum enim immingebant in statuas vel Deorum, vel Magnatum. Iuuenalis:

Effigiémque Deæ longis syphonibus implent.

Item:

Cuius ad effigiem tantum non meiere fas est.

Vbi *tantum non* est μονονουχί.

OCYI *meum malum.*] In scheda Pithœi nostri:

——*ô meum malum graue*
Licet querare——

Theocritus:

Ἐξ ὧ ἀπώχετο κεῖνος ἐμὶν κακὸν, οὔτ' ἀρίστας.

Sed in illa altera optima scheda interiiciebatur versiculus, qui & in quibusdā excusis reperitur:

Graui, piaque lege noxiam lues.

Noxiam & *noxam* idem esse vult Seruius in Virgilium. Et annotandum, quod hodie in Gallia iurgium vocatur *noise,* id à *noxia* detortum esse: quod aliquando notat iurgium, ac dissidium. Petronius: *in mediam noxam perfertur.* Ausonius:

Sæpe in coniugiis fit noxia, si nimia est dos.

LVCIDVM *femur.*] In iisdem schedis P. Pithœi: *--lubricum femur.* hoc est λεῖον. Martialis:

Dum, puer es, redeas: dum vultus lubricus.--

Horatius:

Et vultus nimium lubricus aspici.

VACVAQVE *pelle.*] Lego. *vagaque pelle.* Persius:

Quum morosa vago singultiet &c.

Error inde natus, quod illi imperiti librarij scripserant, *vagáque pelle.* In altera peroptima membrana præcedebat hunc versiculus iste:

——*inter atra cuius inguina,*
Latet iacente pantice abditus specu &c.

Ego nullo labore lego:

Latet iacente pantice abditus specus.

De panticibus vide quid in Catalectis annotauimus. A pantice, vulgo ventrem vocamus *panciam.* Nisi sit à pane, quasi *paniciam*: quod facile credo.

TECTVS *inguinum.*] In optima membrana
—*tectus annuo gelu.*
Persistit in metaphora. vt de locis Septentrionalibus, aut montibus editissimis dicimus eos annua niue damnatos esse. Vt sane horum versuum lepor, & elegantia, satis commendari à me non possit.

AVT *languentior.*] Legeram olim iamdudum, *angue lentior.* quam coniecturam meam gaudeo confirmari manu scripta lectione, quæ extat in scheda illa optima. *Lentus* flexibilis, vt *lentum vimen*, & *lentare remum* Virgilio, *κάμπτειν.* & *lenta membra*, *γναμπτοῖς μελέεσσι.* & pulchre *angue lentiorem.* Talis enim anguis gradiens. & prius Aristophanes accepit *ἑρπ* pro pudendo remisso in Concionatricibus:

> Ἐκπιεῖν σε τὸ πρᾶγμα
> Τό, τ' ἐπίκλινθεν ἀποβάλοις
> Βυλομένη σου δ' ἐπιδίξ.
> Καὶ τὸ κλίνης ἕρπει ἔξερεις.

Nam nisi *ἀλληγορικῶς* accipias, refrixerit omnis lepos huius sententiæ.

NERVOS *excitet.*] *Neruos* ἀρχαϊκῶς, pro *neruus* recto casu. *Excitet* vero ἐνεργητικῶς. vt Varro, *mutat mare.* & Catullus,
—*tantum abhorret, ac mutat.*
non *nutat*, vt in vulgatis. Item Gellius lib. 2. cap. 23. *quantum stupere, ac frigere, quantumque mutare à Menandro Cæcilius visus est.* At editiones hodiernæ perperam habent *nutare.* Hic vero *neruus excitet*, est τοιοῦτο. At membrana illa fidelissima habebat: *Rigente neruus excubet lubidine.* quæ vera est lectio. in excubiis sit. Sic vulgo Galli, *sont aux aguets.* Non potuit elegantius dici.

NEQVE *mutare.*] Non constat versus. Vetus illa bona membrana, & nonnullæ editiones habent: *Neque incitare cesset.* Quod & imitatum est in Iambis puris Græcis, quibus fere ad verbum hoc poëmatium redditum est.

Hæc Græca expressa sunt ex priore editione, quæ correcta est ex scheda Pithœi nostri. Quod quam difficile, & arduum sit, nemine puto scire, nisi eum, qui scit primum, quid sit iambis puris scribere, deinde, qui Græcè Latina reddere. dico Latina. Nam non omnium est Latine loqui.

PRIAPEIVM
ALBII TIBVLLI
EQVITIS ROMANI,

Ἔα, τί χρῆμα, τί χρέος θεόσυτον,
Ἐμοὶ μὲν ἄρτι σφρίγα, πηδηθεὶς πέρας
Λευκὴ νυκτὸς αἴγλας ἀμφιθάλπεται.
Φάλητος ἔσω μὲν ἔργον οὐδέν. οὐδ' ἅμα
Ἀκμῆς αἰτίῃ σιωπῶσιν κάρα.
Ἀληθὲς ὦ πρίηφ' ὃς ἐν δρυὸς σκιᾷ
Ἐρυθρὸς ἐξ ἐρυθρῶν ἀνίστανεις τέως
Κάθῃ, πυκαστὸς ἀμπελοστεφὴς κάρα,
Τείθηγε, σοὶ γὰρ τῷ μὲν ἀνθέμων φόβῃ
Ἔδησα δυσκτήτοις βοτρύχοις πλόκα.
Τόδ' αὖ σελῶν ἔκυρσε, ὅτε σοι πέλας
Τρίχας καλαιὸς, ὅτε πημπελος κόραξ
Κάρα κόλασμα χάλκεο' ἀγκυλοτόμοις.
Ἀπορρεῖ. ἦ γὰρ οὐδὲ δὴ πεπόνθαμεν.
Ἀπορρεῖ, ἀπορρεῖ λέγε τί τοῦ τίνος ἀνομένες,
Χαμαιρριφὴς γὰρ, δυσπετὴς τε κείσεαι.
Κύων δ' ἐπιδαίπερος, οὐ βερβέρω
Εὐθὺς κατευρελὼν σε σῦς ὀρειτρόφος.
Ἀνεῖ ἅπαντα φάλλ' ἑκὼν μέγας φθόρος,
Κακῶς, σκάφ' ἴδε, πόνας τέμνων δέκα.
Κλαύσεις ἄρ. ὁ δὲ σοι φίλη κόρη ποτὶ
Χάρις θροεῖ αὖ, ὃς λυχνηρὸν ὦ μάλα
Στροφαῖς λεπτήνυγε ἐμμεμηνίσκετο.
Σὺ δ' ἐπὶ χεροῖν ὁ φιλοσόβος κόρη
Τεθάλψατ' οὐδὲ χθὼν συμπλακεῖσα.
Χαμαιπετὴς γὰρ τοσὸς, ὁ πέρας κύνος
Βαρὺς, ἐφ' ὃς γε δυσωπῆς ἐξεμπραγὸς
Γλαφυρόφοις ἐλικτὰ [illegible] χελαῖς
Ἀραχναῖον πέριδος πεπλεγμένον ῥάκη.
Ἰδὲ περὶ σὲ τὸ ὡς σε πτερύγος μάλα
Ἀβυσσα αὖ βέρεθρον ἐγκάτω κάρα.
Καρυβαρὲς θροεῖ αὖ, ἰκτῖνος τ' ὄφις.
Ἀβὰρ παλαιοσεβὲς γε φεῦ πέλας πέλας
Ἐπιστρεφὴς τέθαλλε πλαθυμῆς κύβος.
Ὑπέρφορος δ' αὖ οὐκ ὄναρ χίμαρος
Τότ' ἦν, ἐς ἰκλὼ, ὁ ἀγαυὸς βύθος πέσε.
Τί σοι, ὦ φρένας ἐ ἔφικε τῆς ἀθυμίας,
Τοσαῦτ' ἀθῶοι μοι καθεσπείσατο.
Ὅπερ γὰρ κῶνος οὐδὲ πῆς ἀφίξεται,
Ψόφος δέ σ' αὖτ' ἀπερπὴς τοδὲ βαγῇ,
Στύεις αὖ ὀρθοφρημένος ἔρχεαι τόσος.
Τά, τ' ἄρθρα τομηπαγμένος ἐμβριθὲς αὐτοῦ
Λέβος αὖ ἀστράδεσος, ὥστ μοι κημόσι,
Πριεῖν σε τέρμα λοιπὸν δέμας κόπτοι.

FINIS.

SEXTI PROPERTII ELEGIARVM LIBRI IIII.

ELEGIA I.

CYNTHIA prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactũ nullis antè cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis preßit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, & nullo viuere consilio.
Et mihi iã toto furor hic nõ deficit anno:
Cùm tamẽ aduersos cogor habere deos:
Minalion nullos fugiẽdo, Tulle, labores
Sæuitiam duræ contudit Iasidos.
Nam modò Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.
Ille etiam Hylei percussus vulnere rami,
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam:
Tantum in amore preces, & benefacta valent.
In me tardus amor nõ vllas cogitat artes,
Nec meminit notas, vt prius, ire vias.
At vos, deductæ quibus est fallacia Lunę,
Et labor in magicis sacra piare focu,
En agedum dominæ mentem conuertite nostræ:
Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
A *Posse Cytæinis ducere carminibus.*
At vos qui serò lapsum reuocatis amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sæuos patiemur & ignes:
Sic modò libertas, quæ velit ira, loqui.
Ferte per extremas gentes, & ferte per vndas,
Quà non vlla meum femina norit iter.
B *Vos remanete, quibus facili Deus annuit aure,*
Sitis & in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore desit amor.
Hoc, moneo, vitare malum. sua quemque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
C *Quod si quis monitus tardas aduerterit aures,*
Heu referet quãto verba dolore mea!

PHILIPPVS BEROALDVS BONONIENSIS.

ELEGIACVM carmen, quod à luctu, siue à miseratione nomen accepit, querimoniis, lamentationibúsque est accõmodatum: eóque vsi veteres sunt ad defunctorum laudes in funeribus celebrandas. Romani id genus carminis quod cum lamentatione mortuis adcanitur, Næniam nuncupauerunt. Posteriores vero Elegiaco metro Amores, resque alias scriptitare cœperunt: & (vt inquit Hor.)

Inclusa est voti sententia compos.

Elegiam apud Græcos multi scripsere præclarè, quorum princeps habetur Callimachus: secundas confessione plurimorum Philetas occupauit: Apud Latinos Elegię scriptores complusculi floruerunt, ex quibus tersus atque elegans maxime videtur Quintiliano Tibullus: Ouidiū lasciuire existimanti. Consensus plurimorum palmam dat Sex. Propertio, qui grauitate sententiarum, pondere verborum, eruditione minime triuiali haud dubie est eminentissimus: Idem ardens concitatus, & interdum supra elegiacum stylum grandiloquus. In affectibus vero amatoriis explicandis facile pręcipuus: Amat vt qui verissimè: dolet vt qui impatiētissimè. Græcorum & in primis Callimachi exprimit æmulationes, quo vno præcipue est vsus archetypo: Vnde non minus verè quàm eleganter se Romanum Callimachum appellat. Patriam habet Meuaniam, quæ ciuitas est Vmbriæ in sexta Italiæ regione, Parentibus obscuris natus, fortuna modica, sed ingenio nobili, cuius beneficio peruenit ad Augusti Cęsaris commendationem, qui ingenia sæculi sui modis omnibus fouit: promeruit & Mecœnatem eruditorum id tēporis singulare præsidium. acceptissimus fuit Tullo haud dubie nobilissimo, cuius nomen perire non sinit ipsius poetæ carmen: sodalicij iure Ouid. copulatus: Virgilij vt pote synchroni admiratur & laudat ingenium: Nauta passim cognominatur, nullo satis idoneo argumento, videntúrque plerique omnes id opinari ex illo ipsius poëtæ versiculo: *Et quamuis nauita diues eras.*

Sed nos in commentariis nostris aliter legendū, & intelligendum locum illum esse docuimus. Hostiam puellam quam efflictim deperiit sub nomine Cynthiæ versibus illustrauit, sicut Cat. Lesbiam pro Clodia, & Tibullus Deliam pro Plania nominauerunt. Monobiblon Propertij opus inscripsere non pauci tanquam de sola Cynthia cōcinnatum: sed ex nulla veterum scriptorum allegatione id confirmari potest, qui poëtæ testimonium citantes elegiarum libros appellitant. Hic vnus omnium affectiones cupidineas apte, miseranter, lachrymose, inflāmanter exequutus est: Idque sentiet esse verissimū quisquis miles est Cupidinis, & in castris Venereis iā fecit prima stipendia. A Propertio genus duxit Passienus Paulus poëta absolutissimus, qui scripsit Elegos opus tersum, molle atque iucundum in primis Propertium æmulatus. Sed iam enarrationem auspicemur, in qua non solum quid nobis placeat, sed quid aliis etiā videatur explicabimus. Nam (vt inquit diuus Hieronymus) commentatoris officium est multorum sententias exponere, vt prudēs lector cum diuersas explanationes legerit, iudicet quid verius sit, & quasi verus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet, & probā syncerámque recipiat.

PROPERTIVS suos & Cynthiæ scripturus amores in principio operis ostendit quam sit imperiosus in ipsum Cupido, quam ardenter Cynthiā depereat in amore superbientem, à qua mutuis affectibus amari desiderat, & carminis magici implorat auxilium.

MISERVM.] quoniam, vt inquit Plautus in Asinaria, miser est homo qui amat.

OCELLIS.] oculi sunt pars corporis pretiosissima, & qui, teste Plinio, lucis vsu vitam distinguant à morte. Oculi sunt, vt ait Palęmon, flores animæ. Oculus, vt scribit Albertus magnus in primo de animalibus, verus est cordis nūcius: & profecto in oculis animus inhabitat: suntque in his maxima indicia amoris, & odij: adeoque illicibiles sunt oculi ad amorem, vt sine illorum venustate, atque decentia, nec ipsa Venus placere possit Vulcano suo. Oculi modici habētur optimi, vt auctor est Aristo. in primo de animalibus. Oculos Varroni dictos esse placet, quod ciliorum tegminibus oculuntur: Idem sentit Lactantius in lib. de opificio.

NVLLIS *cupidinibus*.] idest nullis amoribus nullóque Cupidinis telo. Cupidines multos fuisse finxit antiquitas, sicut & Veneres plures: vnde ait Papi. in siluis: *Hic puer è turba volucrum.* Pla. in sym. scribit duos esse Cupidines, alterum cœlestem & diuinum, alterum vulgarem atque plebeium: quod secutus videtur Ouid. in Fastis sic scribens:

Alma faue dixi geminorum mater Amorum.

Græci Erota amorem appellant: Vnde Heroum nomen ductum esse autumat Plato in Cratylo. Non prætereundum est deum, qui amori contrarius est, amorémque dissoluit, vocitari Anterota: de quo intelligit Cice. sic scribens in tertio de natura deorum: *ex Venere & Marte natus Anteros dicitur.* eiusdem meminit & Ser. in quarto commentario. Cupidines interdum accipiuntur pro cupiditatibus. Horat.

Non ne cupidinibus statuit natura modum quem.

FASTVS.] superbiæ: quæ in amatore nulla esse debet. vnde cecinit Tibul.

Nescis quid sit amor iuuenis, si ferre recusas
Coniugium dominæ seruitiumque ferum.

& Plato dixit amorem habitare in animo miti ac molli.

NVLLO *consilio*.] amor formæ, vt auctor est Hierony. in secundo contra Iouinianum, rationis obliuio est, & insaniæ proximus, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit. Inde ita loquitur Plautinus amator in Cistellaria: *Nullā mentē animi habeo, tibi sum, vbi non sum, ibi est animus.*

FVROR *hic*.] scilicet amoris, qui furor est: qui non consilio ducitur, sed furore: &, vt inquit Plato in Phedro, amans furit.

MIMALIONN.] exemplo Mimalionis ostendit obsequio & tolerantia laborum exorari posse puellam etiam immitē, qualis fuit Atalanta: Sibi vero nihil prodesse, & amorem in dies magis infestum esse conqueritur. Atalātas duas fuisse notissimū est, vt scribit Lactantius Statij interpres: alteram Arcadicam, cuius filius fuit Parthenopeus: alteram de Sceno, nobilem cursu. Arcadicam efflictim arsit Mimalion: quod eleganter docet Ouidius his versibus:

Sæpe suos casus immitia facta puella
Flesse sub arboribus Mimaliona ferunt:

Cuius obsequiis exorata tandem puella succubuit: vnde idem alibi:

Mimalion humeris Atalanta crura ferebat.

Is dum venantem sequitur puellam vulneratus fuit sagitta ab Hyleo riuali: Vnde scribit Ouid. in II. de arte:

Sensit & Hylei contentum saucius arcum.

IASIDOS.] idest Atalantæ Iasij neptis filiæ, Scenei: quam quidam autumant Iasij filiam fuisse, qui existimant Iasida cognominari quasi Argiuam: falluntur propterea quod Arcadica non Argiua fuisse fertur à luculentis scriptoribus: Non eo inficias Argiuos nuncupari Iasidas à Strabone in octauo. & à Papinio illo versu:

Hic more parentum Iasidæ,

Fuit enim Iasius ex priscis regibus Argiuorum: Vnde ait idem Statius in Thebaide,

Hunc tegit Iasiusque senex: placidiúsque Phoroneus.

Sed Argiui nihil ad eam de qua loquimur Atalantam.

PARTHENIIS.] Arcadicis: est enim Parthenus vnus ex nobilioribus montibus Arcadiæ. Auctores Strabo & Plin.

AMENS.] ob amorem: quoniam immodice amare insanum est, vt ait Plaut. in Gurgulione.

PSILEI *rami.*] Propertius Psileum appellat, quem Ouid. Hyleum nominauit: à quo percussus fuit in venatione Mimalion: Namque vtroque nomine dictus esse creditur. Psilei per sineresim legendum est, vt apud Virgil. Aiacis Oilei. Potes etiam, si libet, exponere Psilei rami idest sagittæ, quæ tenuis est ramusculus. Psilon Græce dicitur tenue. In quibusdam codicibus Hylei legitur, & ita sensus erit apertior, & fabulæ accommodatus, quæ de Hyleo vulgata est.

NEC *meminit.*] sensus est: Amor qui solet multiplices vias & astus reperire ad amicam exorandam, nunc in me omnes oblitus est: vel non me leuiter torquet, vt prius torquere solebat.

IRE *vias.*] poëticum est. ita Virgilius,

——longam incomitata videtur
Ire viam.——

AT *vos deductæ.*] auxilium implorat magorum & sagarum, vt artibus magicis sibi Cynthiam concilient, quibus Lunam de cœlo deducebant, iuxta illud Virgilianum:

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

& Luc. in VI. multis versibus vim magicam describit. Hoc persuasum fuit priscis carmine magorum Lunam despumari, Solem inhiberi, elementa concuti, mentes hominum turbari: quod docent Apuleius & Aug. quod etiam in decretis scriptum est XXVI. q. V.

PALLEAT.] quoniam pallor amanti aptus est, vt inquit Ouid. & ait Hora.

Tinctus viola pallor amantium.

CITEINIS *carminibus.*] id est magico susurramine. Nam in Colchis vrbs fuit nomine Citea: vnde à Strabone Aeeta Citeus cognominari videtur. Regio autem illa propter Medeam & Circem insignis est veneficiis, & incantamentis: & Apollonius Medeam Citeidem nuncupat. Quidam legunt Citalinis, quod idem significat Namque Circe Citalis cognominata fertur ab insula Citale, quam incoluit: ibique carmina inuenit ad Lunam deducendam accommodata. siue ergo legas Citalinis siue Citeinis expone pro magicis, & talibus qualibus vsæ sunt Circe & Medea triueneficæ. Prior lectio verior est: nam & alibi à poëta Citeis magna nuncupatur.

LAPSVM *in foueam.*] scilicet amoris præcipitatum: & eius pedicis illaqueatum. Scribit Salomon in prouerbiis: mulierem foueam esse profundam.

QVÆ *velut ira.*] iracundi, vt inquit Arist. in IIII. Ethicorum, cito desistunt: qui iram non comprimunt, sed effundunt: quod ipsis optimum est: & vt ait Sene. in declamationibus:

Omnis aduersa fortuna habet in querelis leuamentum.

NOSTRA *Venus.*] idest Cynthia. Ita Virg.

Parta meæ Veneri sunt munera.

DESIT.] amor: legendum est desit: vt apud Virg.

Lac mihi non æstate nouum non frigore desit.

non autem desit, vt grammatistæ legere consueuerunt.

SVA *cura.*] suus amor. Monet poëta amores non esse mutandos, neque ab assueta amica recedendum.

M. ANT. MVRETVS.

MILANION.] Admirabilis est hominum in fouendis erroribus pertinacia. sed præclare ageretur cum rebus humanis, si ad hæc modo nostra leuiora studia id pertineret, neque in rebus maximi momenti magno omnium malo quotidie cerneretur. Hoc mihi nunc ex eo venit in mentem, quod sæpe animaduerti euenire, vt optimos quosque scriptores maculæ quædam errorum occupent, in iisque insideant, quæ cum postea inueterarunt, quasi dedita opera retinentur à librariis: vix vt vlla sit cuiusquam eruditi hominis auctoritas tanta, quæ illos ad eas purgandas, & eluendas possit adducere. Eius rei exempla vtinam ne tam multa suppeterent: sed nos id, quod se nunc offert, indicasse contenti, plura persequi abstinebimus. *Mimalionem* hoc loco imperitus aliquis pro *Milanione*, & paulo infra *Psileum* pro *Hylæo* scripserat. Quis tum eruditorum non admonuit, quomodo vtrunque nomen scribi oporteret? aut quis hodie est omnium, tinctus modo atque imbutus literis, cui vel obscurum id, vel ambiguum sit? Cedo tamen librum Propertij vnum, in quo non deprauata illa scriptura permanserit, Nihil negocij fuerit, eiusdem generis alia enumerare perplurima, ita manifesta, ita perspicua, ita testata, vt, quod in eis assidue librarij peccant, non negligentia, non inscitia labi, sed prudentes, scientes, ea, quæ vitiosa esse constat, amplexari atque approbare videantur. Sed quod attinet ad fabulam, quæ his versibus à Propertio tangitur, sciendum est in ea tradenda, non satis concordare ac concinere inter se aut poëtas, aut poëtarum interpretes. quod

enim alias sæpe, idem hic quoque contingit, vt, cum duæ potissimum ab ipsis celebrentur Atalantæ, earum historiæ commisceantur inter se, vtque, quod de vna earum ab aliis dicitur, id ipsum de altera alij dicant. Congeram huc locos aliquot, in quibus earum mentio est, eósque inter se contendam ac comparabo: vt id, quod dico, magis intelligatur. Duæ igitur, vt ante dixi, Atalantæ apud poëtas reperiuntur, Arcadica vna: Argiua, seu, vt alij aiunt, Bæotica altera: illam Iasij, aut Iasonis, aut Iasionis, hanc Schœnei filiam fuisse ferunt. nam Beroaldus quidem & Volscus ineptiunt, qui eandem Schœnei filiam, Iasij neptem fuisse comminiscuntur. Illam Milanioni, hanc Hippomeni nupsisse accepimus. Hæc, antequam longius progrediar, confirmanda sunt. Scholiastes Apollonij, Ἀταλάντη Ἰάσονος θυγάτηρ, ἣ ἔγημε Μελανίωνα, ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ Ἀργεία ἡ Σχοινέως ἣν ἔγημεν Ἱππομέδων. Sed hic aut legendum est Ἱππομένης, aut dicendum, eundem ab aliis Hippomenem, ab aliis Hippomedontem vocari. Arcadicam Milanioni nupsisse, testatur etiam hoc loco Propertius, & Ouidius libro II. & lib. III. de arte amandi. Schœneida cessisse Hippomeni, qui eam cursu, ope Veneris, deuicerat, venustissime narrat Venus ipsa apud Ouidium libro X. Metamor. narrat & breuiter Theocritus in Comaste, & fusissime is qui scholia in eum scripsit. atque hanc intellexit Catullus illis versibus,

Tam gratum mihi, quam ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

& auctor lasciui carminis.

Qualibus Hippomenes rapuit Schœneida pomis.

Arcadicæ patrem Iasiona nominat Aelianus lib. XIII. de varia historia. idoneos testes laudasse videor eorum, quæ hactenus dixi. quadrant autem non male ad hunc vsque locum omnia. in iis quæ sequuntur, mira varietas. Versus est Virgilij è sexto Aeneid.

Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.

quem exponens Seruius, *Parthenopæus*, inquit, *Menalippæ & Martis, siue Milanionis filius, qui Thebana bella puer admodum petiit.* Ergo de huius grammatici sententia, Parthenopæi pater quidem est Milanion: mater autem non Atalanta, sed Menalippa. At Statius lib. IIII. Thebaidos aperte huius ipsius Parthenopæi matrem Atalantam facit Iasij filiam: patrem autem Lactantius interpres, non Milanionem, vt Seruius, sed Meleagrum vocat. nisi forte dicamus, eandem Menalippam & Atalantam, eundem Meleagrum & Milanionem vocati. sic enim est idem Paris & Alexander, eadem Cassandra & Alexandra. At Diodorus Parthenopæi matrem Atalantam esse ait Schœnei filiam. Hyginus autem cum Lactantio faciens, eum genitum esse dicit matre Atalanta Iasij filia, patre Meleagro. Arcadicam Statius venatricem, ac Dianæ comitem fuisse dicit, idémque confirmat Aelianus: & scholiastes Theocriti ait eam mittendis arcu sagittis præstitisse: cum illam alteram sola pedum pernicitas nobilitauerit. At Oppianus Atalantam Schœnei filiam venatricem, & iaculatricem eximiam fuisse ostendit libro II. κυνηγετικῶν, his versibus,

Σχοινῆος προπάροιθε δὲ κλυτὴ θυγάτηρ Ἀταλάντη
Θηρσὶ φόνον πορόντα συνεῦνος ἔπλετο χαίτης.

Hippomenem in leonem, Atalantam Schœnei filiam in leænam mutatam esse, canit Ouidius. At Hyginus, parum ipse sibi constans, Atalantæ Schœnei filiæ, & Meleagro: Palephatus Atalantæ & Milanioni id contigisse narrat. sed sæpe alias monui non esse quærendam in mendaciis veritatem. Sic cum Scyllas duas fuisse proditum sit, alteram Nisi, alteram Phorci filiam, quorum illam in auem, hanc in monstrum marinum conuersam esse fabulantur: non defuerunt tamen poetæ, qui, quod de Phorci filia traditur, id ad Nisi filiam referrent: vt aperte colligitur è scholiaste Euripidis in Hippolytum. sed multo apertius è Virgilio in Ciri: cuius hæc sunt,

Impia prodigiis vt quondam exterruit amplis
Scylla, nouósque auium sublimis in aëre cætus
Viderit, & tenui conscendens sidera penna,
Cæruleis sua tecta superuolitauerit alis:
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,
Proque patris soluens excisa funditus vrbe.
Complures illam, & magni Messalla poetæ
(Nam verum fateamur, amat Polyhymnia verū)
Longe alia perhibent mutatam membra figura:
Scylleum monstra in saxum conuersa vocari:
Illam esse ærumnis, quam sæpe legamus Vlyssis,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.

Atque hanc sententiam idem poëta secutus est in eclogis: quo in loco frustra se quidam eruditi homines torquent.

ILLE *etiam Hylei.*] idem etiam innuit Ouidius hoc versu,

Sensit & Hylei contentum saucius arcum.

Apud Aelianum nihil tale reperio; Hylæum quidem ipsum & Rhœcum sagittis ab Atalanta confixos lego.

VELOCEM.] indocte Volscus eandem putat esse hanc, & illam Catulli perniciem puellam. nam Catullus, vt dictum est, de Schœneide loquitur: at hic de Arcadica sermo est. quam ipsam quoque agilem fuisse, testatur Aelianus: cuius verba quoniam in impressis libris deprauata sunt, quomodo corrigenda suspicer, admonebo. ita igitur vulgo leguntur, ἐπεφύκει δὲ ὠκίστα τοὺς πόδας, καὶ οὐκ ἂν αὐτὴν διέφυγεν οὔτε θηρίον, οὔτε ἐπιβουλεύων αὐτῇ ἄνθρωπος, φυγεῖν ἐθέλουσαν, ἀλλ' οὐδὲ μὴν οὐκ ἄν τις αὐτὴν κατέλαβε. ego autem lego, ἐπεφύκει δὲ ὠκίστη τοὺς πόδας, καὶ οὐκ ἂν αὐτὴν διέφυγεν οὔτε θηρίον, οὔτε ἐπιβουλεύων αὐτῇ ἄνθρωπος· φυγεῖν δὲ ἐθέλουσαν, οὐκ ἄν τις αὐτὴν κατέλαβε. nihil autem obstat, quominus de eodem oleo & opera aliquot ex eadem narratione locos, qui corrupti videntur, quomodo emendandos putem, admoneam: vt meo labore, quantum quidem in in me est, aliorum minuatur labor. vbi ergo legitur, ἀλλ' ὃ φύσει ἔργον ἡ χροιά, legendum arbitror, ἀλλ' ἦν φύσεως ἔργον ἡ χροιά. natiuam enim, non fuco quæsitam, pulchritudinem Atalantæ tribuit. & paulo post, τὸ δὲ ὅλον ὀρεινοῦ θηρίου ἀνδρός.

ὥσπερ τοῦ κάλλους, ἢ τὸ σεμνότατον αἰδεῖσθαι περιφανῶς παρθένον; lego, τί δὲ οὕτως ὡραῖον φύσεως αἰδώς, ὥσπερ τὸ κάλλιον ἢ τὸ σεμνότατον αἰδεῖσθαι περιφανῶς παρθένον. & ad finem, vbi legitur, σὺν ὕβρει καὶ ἀτυχίᾳ, legendum crediderim, σὺν ὕβρει καὶ αἰσθήσει.

Non *vllas.*] ita emendaui è veteribus libris: cùm antea inepte legeretur, *non nullas.*

Fallacia.] τέχνη.

Et *facite illa meo.*] & facite, vt ipsa me vehementius amet, quam ego ipsam.

Citeinis.] legendum, *Cytainis.* Scholiastes Apollonij, Κύταια, πόλις Κολχίδος. Stephanus, Κύτα πόλις Κολχική, πατρὶς Μηδείας.

IANVS DOVSA FIL.

Cynthia *prima suis miserum me cepit ocellis.*] Quod Propertius de semetipso, id de Amore Meleager scribit his verbis:

Καὐτὸς Ἔρως ὁ πτανὸς ἐν αἰθέρι δέσμιος ἥλω
Τοῖς σοῖς ἀγρευθεὶς ὄμμασι, Τιμάριον.

Tvm *mihi constantis deiecit lumina fastus.*] Quid si *constanti?* Ita & quidem Propertio constabit suus lepor, & *fastus* interpretabimur contemtum ac repulsam, loquendi forma huic nostro vsitata, vt ad Cynthiam referatur, non ad Poëtam.

Et *caput impositis pressit amor pedibus.*] Idem prorsus & Paulus Silentiarius de Amore, Anthologia VII.

——ἔχω γὰρ ἐγὼ
Ἀλλὰ θεοῦ κέρας ποσσὶν ἐπειγόμενος.

IANI DOVSÆ PATRIS
Notæ reliquæ.

In *me tardus Amor non vllas cogitat artes.*] Fortè, *illas.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Cynthia *prima.*] In plerisque Val. Martialis manuscriptis exemplaribus in Apophoretis inscribitur liber iste, *Properti Monobiblos.* vt appareat antiquissimam esse inscriptionem illam. Librī quoque Propertij scripti eundem titulum præferunt. Et sane verum est Monobibli appellationem antiquam esse. sed toti operi Propertiano eam vnam fuisse, id verò falsum est. Propertius adhuc in amoris tyrocinio primum librum emisit, quem Monobiblon appellauit, quia singularis tantum liber esset, & non plures, vt Galli, & Varronis Atacini. Sic Iurisconsultorum singulares libros appellarunt Pandectarum consarcinatores, vt Vlpiani de sponsalibus, de officio præfecti vrbi, &c. Pauli de pœnis paganorum, de pœnis militum. Hunc enim primum se tantum edidisse ipsemet testatur libro secundo, quum scribit:

Tu loqueris, quum sis iam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro?

Satis ostendit singularem illum primum & scripsisse se & emisisse. Quin & illa satis probant:

Vix vnum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te iam liber alter erit.

Hinc inter primi editionem, & alterius scriptionem mēsem interesse cognoscimus. Satis etiam illo idem probamus:

Quæritis vnde mihi toties scribantur amores?

Iam enim & scripserat & ediderat. Sic Horatius libris tribus Carminum longo post tempore quartum addidit. Sic Martialis singulos suos edidit. At Martialis, inquies, libro primo Monobiblo titulum non fecit. quid tum postea? Ita placuit criticis vocare, vt hic primus Monobiblos esset, quia seorsim editus, & postea vt nomen non amitteret, tametsi tunc solus non esset, quia alij additi. Quid quæris præterea? Ita, vt dixi, Martialis etiam vetustissima quædā exemplaria in apophoretis hunc titulum Monobibli præferunt in lemmate distichi:

Cynthia facundi carmen iuuenile Properti.

Habent enim MONOBIBLOS PROPERTIANA. Itaque dissimilis plane sui est Propertius in secundo & sequentibus. Nam in primo plane ἁπλοῦς. In vno manuscripto, cuius copiam nobis fecit clarissimus Iacobus Cuiacius, Titulus idem conceptus est. item & in antiquis editionibus, hoc vno excepto. quod Nautæ alterum cognomen illi attribuunt. Ita enim scribitur: *Sex. Aureli Properti Nautæ monobiblos ad Cynthiam.* Sed satis certum est nomen nautæ illi attributum ex vitiosa scriptura,

—— quamuis nauita diues eras.

nam legitur nunc emendatum, *non ita diues eras.* Quis igitur sit & quare monobiblos liber, & vnde Nautę nomen natum sit, ostendimus. Nescio verò an omnia huius poëtæ extent opera. Versiculum hunc ex Propertio producit Fulgentius,

Diuitias mentis conficit omnis amor.

qui certe non extat in iis, quæ hodie ad manus nostras peruenerunt. Quare aliquid desideretur necesse est. quod quidem verisimile est. Nam auorum nostrorum memoria post multa sæcula tandem in cella vinaria inuentus fuit. ex quo exemplari omnia illa, quotquot hodie in Italia habentur, descripta sunt. quo fit, vt vetustum eius poëtæ nullum exemplar inueniatur. Qui autem illud descripsit primus, næ ille audax aut negligens homo fuit, quisquis ille fuit. nam præter innumera menda, quibus totum librum præstantissimi poëtæ aspersit, magni sceleris se obligauit, quum in secundo & tertio libro integras paginas, & magnum numerum versuum suo loco luxauerit, & infinitis locis magnas tenebras offuderit. adeò, vt neminem esse putem (libere enim quod sentio fatebor) qui hunc poëtam in secundo libro nisi per caliginem, quod dicitur, intelligat. Nos primi eam perturbationem versuum odorati sumus, & bene nobis successit labor iste. Parem enim diligentiam in eo restituendo, ac in Tibullo, posuimus. Miraberis, candide lector, neminem vnquam extitisse, qui id ante nos viderit, quum tamen multi eius poëtæ studiosi hodieq; sint. Sed, quod supra tetigimus, plures sunt qui eum poetam ament, quàm qui intelligant.

Atqui rei publicæ literariæ intererat eum poëtam & integrum & emendatum legi. Ne tamen quæso putes nos operam nostram venditare. Nihil enim præstitimus, præ vt erunt ea, quæ à doctissimis viris expectamus, qui exemplo nostro excitati, tametsi in his lucubratiunculis nostris longe dissimilem studio euentum comperient, tamen conatum non improbabunt.

SÆVITIAM *dura contudit Iasidos.*] Quum duæ Atalantæ fuerint, altera Arcadica, altera Argiua, Arcadica fuit mater Parthenopæi ex Minalione, cuius hîc mentio. Itaque insigne mendum tollendum ex Panegyrico in Maiorianum Sidonij Apollinaris.

—— plantásque superbas
Haud ita per siccam Nemeen citus extulit Arcas,
Cuius in Aetolo volitantem puluere Martem
Horruit Hippomenes. ——

Legendum enim *matrem* non *Martem*. Nam Arcas ille est Parthenopæus, non Mercurius, cuius mater Atalanta. Et allusum est à Sidonio ad VI. Thebaidos: quem locum consule.

POSSE *Cytainis.*] κυταῖς vel κυταία, κυταῖος. vt ἐλαία, ἐλάινος. sed tunc claudicaret versus. Præterea ἐλάινος est oleaceus, cuius scilicet materia ex olea. At κυταῖος nihil tale potest esse. non enim ciues de materia vrbium suarum factos dicimus, sed ex vrbibus suis ortos. Suspicor Propertium scripsisse,

Posse Cytæi tuis ducere carminibus.

Cytæis est Medea. vel Cytæeis. quod verum est. Κυταῖος, vt Πτολεμαῖος. Propertius,

Et Ptolemææ litora capta Phari.

Κυταία vrbs Colchidis, vnde Medea Κυταιίς. etiam Æetes pater eius Κυταῖος non Κυταιεύς dictus: quod notandum. Callimachus.

— ὡς ἥρωες ἀπ' Αἰήταο Κυταίου
Αὖθις ἐς ἀρχαίην ἔπλεον Αἱμονίην.

Est autem κυταία vrbs, in quam deportatæ decem tribus à Salmanasser Assyrio. vnde Samaritani hactenus à Iudæis κυταῖοι dicti, Cutæi. Etiam incolas illorum tractuum circuncidi scribunt veteres.

ELEGIA II.

QVID iuuat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste mouere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Téque peregrinis vendere muneribus?
Naturaq; decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in propriis membra nitere bonis?
Crede mihi, non vlla tuæ medicina figuræ est.
Nudus amor formæ non amat artificem.
A *Aspice quos summittit humus formosa colores,*
Et veniant ederæ sponte sua melius,
Surgat & in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.
Litora natiuis persudent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.
B *Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,*
Pollucem cultu non Thelaira soror.
Non Idæ, & cupido quondam discordia Phœbo
Eueni patriis filia littoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Auecta externis Hippotamia rotis.
C *Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,*
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla satis forma, pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sis mihi vilior istis.
Vni si qua placet, culta puella sat est.
D *Cùm tibi præsertim Phœbus sua carmina donet,*
Aoniámque libens Calliopéa lyram,
Vnica nec desit iucundis gratia verbis,
Omnia quæque Venus, quæq; Minerua probat.
His tu semper eris nostræ gratissima vitæ,
Tædia dum miseræ sint tibi luxuriæ.

E

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVID *iuuat ornato procedere, vita, capillo.*] alloquitur Cynthiam, eámque monet, vt nolit pigmentis fucare faciem, & ornatu delicato corpus excolere, cùm pudicitia & probi mores sint vera mulierum ornamenta.

ORNATO *capillo.*] ornantur capilli variis modis: quædam crines inficiunt, vnde Cyprianus, *Mutant adulterinis coloribus crinem*: & Valerius refert, matronas Romanas fuisse solitas ru-

tilare cinere capillos. Quædam vnguentis capillos olentes efficiunt: hinc Apuleius, *capillus guttis Arabicis obunctus.* & Sappho apud Ouid.

Non Arabo noster rore capillus olet.

& apud Homerum Iuno capillos decoros ac fulgidos oblinit oleo pingui Ambrosio odorato, quod vnguentum Thymiama vocant: cuius erat tanta fragrantia, vt è cœlo in terram vsque odoris aura ferretur. Aliæ reticulum auratum comis implent: aliæ gemmis venustant: aliæ calamistrum adhibent ad crispandum comam. Est enim calamistrum ferrum siue acus maior, quod calefactum in cinere crispat capillos: à quo ministerio dicitur cinerarius & cinislo, vt Porphyrio & Varro tradiderunt: cuius rei meminit etiam Virg.

Vibratos ferro calido myrrháque madentes.

A calamistro deriuatur coma calamistrata, quã in Gabinio vituperat Cicero.

VITA.] vox est amatoria. Græcè à Iuuenale dictum est, ζωὴ ϗ ψυχή. i. vita & anima. id genus multa reperies apud Plautum: imitatio est Callimachi, à quo ζωὴ, id est vita amica appellatur.

COA *veste.*] In insula Co vestes bombycinę primùm inuentæ fuerunt, quas prima texisse dicitur Pamphile Platis filia, vt tradit Plinius in XI. & Arist. in v. de animalibus. ad luxum fœminarum id genus vestis subtilioris excogitatum est. s. vt matrona transluceat. Inde vestes Coas vt pote pretiosas identidem reperies celebrari à poëtis: de quibus sic scribit Solinus, *Cos subtilioris vestis amicula arte lanifica prima in ornatum mulierum cedit.* Quidam malunt Ceam vestem appellare, quam Coam. quoniam vt ait Plinius in IV. Latini eam insulam dixère Ceam.

ORONTEA *myrr.*] diximus paulò antè mulieres vnguento comas perunxisse, vt nitidiores conspicerentur. Vnguentum autem ad id opus erat potissimum myrrha Arabica: cuius liquor qui sponte stillabat ex arbore pretiosior existimabatur, & hæc dicebatur stacte, id est, gutta siue stilla myrrhæ: vt Hieronymus & Origenes interpretantur. & docet Plin. in XII. in quo sensu accipiendus est ille apud Columellam versiculus,

Et melior stactis ponatur Achaica myrrha.

Oronteam appellat poëta à fluuio Oronte, qui fluit in Syria, vt ait Mella. Est & Orontes mons, cuius fit mentio à Diodoro.

MERCATO *perdere cultu.*] emptis pigmentis, & fuco mulieres polluunt formam à natura traditam: in quam sententiam est illa apud diuum Cyprianum luculenta præceptio: *Estote tales quales vos artifex Deus facit: maneat in vobis facies incorrupta, ceruix pura, forma syncera.*

ASPICE *quos summittit.*] ostendit natiuos colores formosiores esse adulterinis, atque ficticiis. colores enim florum, quos producit tellus sua formositate delectant.

SVMMITTIT.) pro eo dictum accipe, quod est gignit & suggerit. ita Lucret.

— tibi suauis Dædala tellus
Summittit flores.

ARBVTVS.) arbor est fruticosa: alio nomine dicitur Vnedo, cuius pomum est inhonorum: A auctor Plin. in XV.

ET *volucres nulla.*) in luscinia, quæ minima est auicula citra vllam artem ars musicæ absolutissima reperitur: id quod Plinius elegantissimè expressit in X.

NON *sic Leucippis.*) exemplis probat in mulieribus non amari fucum lenocinantem, sed formam naturalē. Leucippus filias habuit Phœbem & Ilairã, quas formositate præcellentes rapuerunt Castor & Pollux, vnde ait Ouid.

Te rapuit Theseus, geminas Leucippidas illi,

Idem in v. Fastorum narrat quemadmodũ propter has puellas pugnatum est à Castore & Pol- B luce aduersus Idam & Lyceum fratres, quibus filias desponderat pater Leucippus. in eo certamine occubuit Castor trucidatus à Lyceo: Lyceum interfecit Pollux: Idas fulmine Iouiali extinguitur. Sensus est poetæ.

PHOEBE *Leucippis.*) hoc est filia Leucippi.

NON *sic.*) i. cultu, ornatúque peregrino inflammauit amore sui Castora, nec soror Ilaira Pollucem, sed forma coloréque natiuo.

NON *Idæ & cupido.*) Euenus filiam habuit nomine Marpesam speciosã inter paucas nympham, quæ fuit vxor Idæi siue Idæ omnium illius sæculi virorum formosissimi, vt scribit Ho- C merus, cùm hanc Apollo rapuisset arcu, sagittísque, ausus est Idas deum inuadere ob vxorem recuperandã: tunc Iuppiter misit Mercurium qui iuberet contentione deposita, vt Marpesa vtrum vellet eligeret: illa elegit Idam.

EVENI *filia.*) i. Marpesa, cuius pater se in Licormam fluuium præcipitans illi nomen imposuit: vnde sic scribit Ouid. in Ibin:

Vtq; vel Euenus torrenti flumine mersus.

NEC *Phrygium falso.*) nec etiam Hippodamia ornamentis externis: sed naturali pulchritudine traxit ad se amandam Pelopem maritum. de qua scribitur talis historia: Oenomaus filiam habuit Hippodamiam, quam nulli D despondere volebat, veritus oraculum, quod cecinerat tunc ipsum moriturum cum filia nupsisset. Cùm multi proci quotidie connubium puellæ postularent, proposuit illis curule certamen hac conditione, vt victus necaretur, victor filiam duceret vxorem: hoc pacto cùm plures equorum velocitate interemisset, Pelops Tantali filius corrupit Myrtillum aurigam Oenomai, eiúsque opera victoriam in cursu adeptus est: Oenomaus sibimet mortem consciuit: Hippodamia facta est vxor Pelopis. auctores sunt Dio & Seruius. à Pelope Peloponesus nomen E accepit, vt Thucydides in primo. & meminit Strabo in VII.

EXTERNIS *rotis.*) id est, curru peregrino, hoc est Pelopis, qui erat Phryx, cùm Hippodamia esset Achaica.

FACIES *obnoxia gemmis.*) dicimus faciem mulieris obnoxiam esse gemmis, quando propter gemmarum ornamenta conspicitur & laudatur. Illa verò facies est obnoxia nullis gemmis, hoc est, nihil debet gemmosis monilibus, quæ suo ornatu, natiuáque pulchritudine spectanda est, non autem cultu gemmarum condecoratur.

In *tabulis Apelleis.*] Apelles pingendi arte superauit omnes ante se genitos, & postea sequutos. Pinxit ea quæ pingi non possunt, fulmina, fulgetras, atque tonitrua. Multa de hoc apud Plinium in xxxv. quæ qui scire velit, illic requirat. sensus est: qualis erat pictura simplex non fucata in tabulis ab Apelle depictis, talis fuit forma illarum priscarum, quæ nullo fuco vtentes placebant natiuo colore. Simplicitate commendatus est Apelles in pictura. Potest hoc etiam referri ad eam sententiam, quod Apelles pingebat formas mulierum sine ornamentis, sed quales ipsa natura fabricauerat: & laudata fuit Apellis illa Venus quam nudam pinxit.

B Calliopeia *lyram.*] laudat Cynthiam ab eruditione carminũ & disciplina musicæ quam dicit didicisse ab ipsa Calliope, quæ vna est ex nouem Musis, cunctisque nobilior, vt tradit Dio. & commendatio est à bonis animi, quæ, vt inquit Plato in III. de legibus, sunt prima bona, & maximè honoranda.

Aoniam.] id est, musicam. Nam Musæ dicuntur Aonides à poëtis: quoniam Aonia, id est, Bœotia tota Musis dicata est, quam Aones populi barbari incolentes Aoniam nominauerunt: cuius rei meminit Seruius apud Virgilium scribentem:

Aonas in montes. ——

C & Strabo in IX.

Tædia *luxuria.*] id est, prodigi ornatus. nam luxuria apud eruditos fere nunquam significat Veneream libidinem, sed immodicam profusionem & luxum exuberantem: non opus est auctoritatibus idoneis confirmare, cùm scriptorum plena sint omnia. Apud ecclesiasticos aliquando reperies luxuriam accipi pro libidine, sed qui signate & pure loquuti sunt in ea significatione acceperunt quam tradidimus: & idem significat luxurio, quod vel vnius Virg. testimonio manifestarium est:

Luxuriátque toris animosum pectus. -

D Et alibi:

Luxuriem segetum tenera depascit in herba.

Scribit Aristotel. in II. Oeconomico. id quod ad hanc sententiam pertinet, quod nec vestimentorum nitor, nec auri magnitudo tantum valet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus & boni mores.

M. ANT. MVRETVS.

Et *sciat indociles.*] noue dixit, indociles vias, ἀδιδάκτους, indocilem enim vsitatius dicimus eum, qui doceri non potest: quam rem ipsam, quæ doctrina non comparatur, sed Achilles Statius Lusitanus mihi confirmauit, se veterem librum habere, in quo scriptum sit,

E *Vt veniant ederæ.* ——

& paulò post,

Surgat vt in solis. ——

& in hoc versu:

Vt sciat indociles. —— quam scripturam reiiciendam non puto.

Non *sic Leucippis.*] fabula est apud Theocritum in Dioscuris, apud Ouidium quinto Fastorum, apud Hyginum: sed nemo est eorum, qui non ab aliis aliqua in parte dissentiat.

A Non *Ida.*] de Marpissa Eueni filia ausus est olim Idas cum Apolline certamen suscipere. Homerus Iliados I.

Ne *sim tibi vilior istis.*] ne minoris apud te sim, ob ista, quæ modo dixi.

Vni *si qua places.*] satis est culta, quæ vni placet. nam, pluribus ornare se, prostitutarum est.

IANVS DOVSA FIL.

Crede *mihi non vlla tua medicina figuræ est.*] Locum hunc à nemine discussum ita interpretor: Tam formosa es, vt nulla medicamina sint, siue venena, vt veteres loquebantur, quæ formam tuam propriis bonis & natiua venustate pulcherrimam emendare ac velut ægrotantem restituere possint, id quod mulieres interpoles faciunt. medicina autem egent ea quæ in morbo cubant. &, vt scitè Philostratus in Epistolis scribit, ἡ καλλωπιζομένη γυνὴ θεραπεύει τὸ ἐλλεῖπον, φοβουμένη φωραθῆναι ὃ οὐκ ἔχει. ἡ φύσει καλὴ οὐδενὸς δεῖται τῶν ἐπακτῶν, ὡς προσηρκεσμένη αὐτῇ πρὸς πᾶν τὸ ὁλόκληρον. ὀφθαλμῶν δὲ ὑπογραφαὶ καὶ κομῶν προσθέσεις, καὶ χειλῶν βαφαὶ, καὶ ὅσα κομμωτικῆς φαρμακεία, καὶ ὅσα ἐκ φυκίου δολερὸν ἄνθος, ἐπανορθώσεις τοῦ ἐνδεοῦς εὕρηνται. Quæ omnia ad interpretationis nostræ stabilimentum vnicè faciunt, atque adeò vel sola explicant hunc Propertij locum.

Aspice *quos submittit humus formosa colores,* *Et* (fortè *Vt*) *veniant hederæ sponte sua melius.*] Similia his & illa eiusdem Philostrati in alia Epist. τὸ κάλλος ὀρθούμενον μᾶλλον αὔξει, καθάπερ τὴν φύσιν ἴσα τῇ φύσει θαρροῦντα καὶ τῆς τῶν χρωμάτων ὁλκῆς οὐ χρῄζοντα. & paulò post, ὥσπερ οἱ βότρυες καὶ τὰ μῆλα, ὅτι ἄλλο αὐτόματον καλόν.

Non *sic Leucippis succendit Castora Phœbe.*] Vtitur exemplis mulierum de heroicis sæculis, quas, vt ipse alibi loquitur,

—— *tulit formosi temporis ætas.*

ad comprobandum ingenuæ pulchritudinis decus magis quàm affectatæ atque interpolis formæ lenocinium ad amorem non allicere solum, sed & trahere homines. Similiter & Philostratus: σὺ δὲ ἐν ταῖς κρείσσοσι πίναξι χαίρεις, ἀλλ' ἐν ταῖς ἀδόλοις καλαῖς. ὧν καὶ αἱ πρότεραι ἦσαν ἃς χρυσὸς ἔγημε καὶ βοῦς καὶ ὕδωρ καὶ ὄρνιθες καὶ δράκοντες.

Nec *Phrygium falso traxit candore maritum.*] Sic Philostratus: καὶ ταύτης ἕλκεις τῆς λίαν ἀρθρουμένης.

Qualis *Apelleis est color in tabulis.*] Huc pertinet illa Carfilidis interrogatio: τί κάλλος; φυσικὴ ζωγραφία.

Non *illis studium vulgò conquirere amantes.*] ὁ γὰρ καλλωπισμὸς ἐπιμελικὸν, vt Philostratus ait, & τὸ φυκίον καὶ ὁ κηρὸς καὶ τὸ προαγωγικόν, καὶ οἱ ἐπικάρπιοι ὄφεις, καὶ αἱ χρυσαῖ πέδαι, θαΐδος καὶ ἀσπασίας καὶ λαΐδος φάρμακα. & vt ipse mox dicet.

Vni si qua placet, culta puella sat est.

Vtrumq; exprimit Melissa in Epistola ad Clearetam: cùm enim de sumtuoso vestium apparatu locuta esset, subiungit: ταῖς ἑταίραις γὰρ ταῦτα χρήσιμα ποττὰν τῶν πλεόνων θήραν. τᾶς δὲ ποθ' ἕνα τὸν ἴδιον εὐαρεστούσας γυναικὸς κόσμος ὁ τρόπος πέλει καὶ οὐχ αἱ στολαί.

AONIAMQVE *libens Calliopea lyram.*] Videtur alludere ad formulam: LVBENS MERITO.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

AVT *quid Orontea.*] Oronteam myrrham non quod in Syria nasceretur, sed quia Antiochiam eo tempore totius Orientis celeberrimum emporium camelis deferretur. Sic malabatrum, quod non nisi in India prouenit, Syrium vocant poëtæ, propter eandem caussam. Non enim, vt Dioscorides falso prodidit, in paludibus Syriæ prouenit.

LITTORA *natiuis pellucent picta lapillis.*] SCIAT ET PELLVCENT non bene congruunt. Vetus scriptura in nostro, *persuadent*, non *pellucent*. sane legendum:

Littora natiuos per se dent picta lapillos.

De qua lectione qui dubitarit, is mentem Propertij non animaduertit. *Per se* αὐτομάτως, vt *natiuos*, αὐτοφυεῖς. Sic paulo ante indociles vias, αὐτοδιδάκτους.

NON *ego nunc vereor ne sim tibi vilior istis.*] Ea est in nostro manuscripto lectio: sed mendose. Legendum enim:

Non ego nunc vereor ne sis mihi vilior istis.

Sequentia coniecturæ nostræ subscribunt, & vulgarem editionem falsi damnant.

NOSTRÆ *gratissima vita.*] Id est, nobis, vt dicebant eodem modo ætati nostræ.

ELEGIA III.

QVALIS Thesea iacuit cedente carina
Languida desertis Gnosia litoribus,
Qualis & accubuit primo Cepheïa somno
Libera iam duris cotibus Andromede:
Nec minus assiduis Edonis fessa choreis
Qualis in herboso concidit Apidano,
Talis visa mihi mollem spirare quietem
Cynthia, non certis nixa caput manibus,
Ebria cũ multo traherẽ vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.
Hanc ego, nondum etiam sensus deperditus omnes,
Molliter impresso conor adire toro.
Et quamuis duplici correptum ardore iuberent
Hac Amor, hac Liber, durus vterque Deus,
Subiecto leuiter positam tentare lacerto,
Osculaque admota sumere, & arma manu:
A *Non tamen ausus eram dominæ turbare quietem,*
Expertæ metuens iurgia sæuitiæ:
Sed sic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus vt ignotis cornibus Inachidos.
Et modò soluebam nostra de fronte corollas,
Ponebamq; tuis Cynthia temporibus:
Et modò gaudebam lapsos formare capillos;
B *Nunc furtiua cauis poma dabam manibus:*
Omniaque ingrato largibar munera somno,
Munera de prono sæpe voluta sinu.
Et, quoties raro duxti suspiria motu,
Obstupui vano credulus auspicio,
Ne qua tibi insolitos portarent visa timores,
C *Néue quis inuitam cogeret esse suam:*
Donec diuersas percurrens Luna fenestras,
Luna moraturis sedula luminibus,
Compositos leuibus radijs patefecit ocellos,
Sic ait in molli fixa toro cubitum:
Tandem te nostro referens iniuria lecto,
Alterius clausis reppulit è foribus.
D *Namque vbi longa meæ consumpsti tempora noctis,*
Languidus exactis hei mihi sideribus?
O vtinam tales perducas, improbe, noctes,
Me miseram quales semper habere iubes.
Nam modò purpureo fallebam stamine somnum,
E *Rursus & Orpheæ carmine fessa lyræ:*
Interdũ grauiter mecũ deserta querebar
Externo longas sæpe in amore moras.
Dum me iucundis lapsam sopor impulit alis.
Illa fuit lacrymis vltima cura meis.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVALIS *Thesea.*] Describit qualem deprehenderit noctu Cynthiam dormientem, quæ ipsius poëtæ aduentum præstolabatur. Eius somnum comparat somno Ariadnes, Andromedes, & feminæ bacchantis. Ariadna Minois filia amauit Theseum, quem edocuit quo pacto interfecto Minotauro è labyrintheis flexibus egrederetur,

Errabunda regens tenui vestigia filo.

Vt ait Ca. Theseus ex Creta discedens Ariadnam abduxit, quam dormientem reliquit in insula Dia, quæ alio nomine Naxos appellatur. Vnde ipsa ita conqueritur apud Ouid.

Crudeles somni quid me tenuistis inertem?

Historiam Plutarchus & Diodorus tradiderunt.

LANGVIDA *Gnosia.*] Idest, Ariadna somnolenta, quam Gnosiam vocat à Gnoso oppido Cretæ: quod priscis temporibus alio nomine Ceratum appellauerunt, vt scribit Strabo.

DESERTIS *littoribus.*] Insulæ Naxi siue Diæ, vbi relicta fuit à Theseo: de cuius loci solitudine ita loquitur ipsa apud Cat.

——*Omnia muta:*

Omnia sunt deserta: ostentant omnia letum.

QVALIS *& accubuisse.*] Andromede filia Cephei regis Æthiopum fuit proposita ceto monstro marino propter superbiam maternæ linguę, quæ gloriabatur se forma superare Nereidas. Hanc Perseus periculo liberauit, interfecto ceto, eamque duxit vxorem. Fabula scribitur ab Higinio, & Ouidio. sensus poëtæ est: Talem sibi Cynthiam visam fuisse dormientem, qualem somnum credibile est cœpisse Andromedam, quando fuit liberata à duris illis cotibus & saxis, quibus fuerat religata interfecto monstro illo formidando. Non irritus rumor vulgauit Andromedam fuisse expositam belluæ: Nam scribunt Pli. & Solinus ossa illius monstri Romam deportata fuisse à Marco Scauro, quæ erant longitudine pedum quadraginta, altitudine costarum elephantos excedente.

CEPHEIA.] Cephei filia, qui inter sidera fuit collocatus.

EDONIS *fessa choreis.*] Edonides dicuntur fœminæ bacchantes ab Edone monte Thraciæ, quæ furore diuino agitatæ mysteria Bacchi celebrabant. Edonidum meminit Plutarchus in Alexandro. de quibus & Ouid. ait:

Protinus in siluis matres Edonidas omnis.

Luc. systolem fecit illo versu:

Edonis Ogygio decurrit plena Lyeo.

Variis nominib. appellantur huiuscemodi Bacchantes: nam & Euantes, & Thyades. & Mimallonides, & Mænades, & Bassarides, atque Cocytiæ à poëtis nuncupantur. sensus est: Vt Edonis, idest, Baccha, dulci somno quiescit ad Apidanum fluuium Thessaliæ post saltationem illam adhibita in Orgiis Bacchicis, talis dormiebat mea Cynthia.

CHOREIS.] Chorea tripudium est & concentus, vt ait Plato, scribens chorum à χαρᾶς idest, lætitia nominari.

A CONCIDIT.] Recepta, scilicet, mente: & finito furore: quo erat afflata. ita Luca. loquens de Phemone Pythia inquit: *Vixque refecta cadit.*

SERA *nocte facem pueri.*] Idest, ministri facem concuterent, quæ exagitata ignes restituit, immota torpescit, vt ait Sene. Amatores quando ibant ad amicam, facem ferre solebant. Persius:

Ebrius ante fores extincta cum face canto.

Et Horatius:

Ambulet ante noctem cum facibus.

Inde à Plauto scriptum est in Curgulione: *Luces cereum.* Pueros seruos appellamus, vt scribit Iurisconsultus de verborum significatione. Plau-

B tus, I, *puere pulta:* & in hoc significato pueri dicuntur à poëta serui daduchi, hoc est tædiferi.

DVPLICI *ardore.*] Scilicet, amoris & vini. Vinum enim & adulescentia, vt scribit Diuus Hieronymus, duplex est amoris incendium.

ET *arma manu.*] Verecunde virilia appellauit arma: Hoc enim telum est Venereæ pugnæ: ita ait Ausonius,

Altius ad vmum persedit vulnere mucro.

CORNIBVS *Inachidos.*] Io Inachi filia amata fuit à Ioue, & in vaccam transformata, Iunonique tradita. Iuno custodem illi apposuit Ar-

C gum, qui erat totus oculeus, & vt inquit Ouid.

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.

Quem deinde iussu Iouis Mercurius interemit. Fabula notissima. sensus est: Quemadmodum Argus vigilantibus oculis obseruabat Ionem, & eius cornibus, quæ ignorabat esse mulieris, sed vaccæ esse credebat, custos inhærebat, ita ego intentis ocellis Cynthiam speculabar.

INACHIDOS.] Idest, Ionis, ita enim secundum latinam linguam declinatur: & ita à Plauto dicitur, vt Dido Didonis: & Cęsar, teste quintiliano, vsus est hac ratione declinandi.

COROLLAS.) Diminutiuum est à corona: &

D Pli. scribit corollas apud antiquos dictas fuisse strophia & strophiola.

VANO *credulus auspicio.*] *Credula res amor est.* Vanum appellat mendax, fallaxque auspicium. vanos enim doctissimi veterum dixerunt mendaces & infidos, vt docet Gellius: & ait Cicero, *Nihil turpius esse vanitate*, hoc est, mendacio. Vanitudinem Plau. appellat. Duo sunt genera auspiciorum, vnum ad oculos, alterum ad aures pertinens: ad oculos, scilicet, volatus: ad aures vox auium, vt in Decretis scriptum est, xxvi. quæst. IIII. Dicta autem sunt auspicia quasi auiũ

E spicia: nam quod nos cum præpositione dicimus aspicio apud veteres spicio dicebatur, vt inquit Festus: Qui auspicio præsunt, auspices dicuntur: qui auium voces obseruant, augures: sed indifferenter sæpe accipiuntur. Auspicium antiqui curiosissime obseruabant, adeo vt nihil publice sine auspiciis, nec domi, nec militiæ gereretur, vt docent Cic. & Vale. Primi Cilices & Pamphylij putauerũt & Pisidarum gens futuras res declarari volatibus auium & cantibus. Virg. auspicium auguriumque vno versu complexus est: *Et volucrum linguas & præpetis omnia pennæ.*

VISA.] Quod Græci φάσματα dicunt, Cice. quoties opus hoc nomine fuit, visum vocauit. idem tradit Macrob. in primo somnij Scipionis.

NE *ne quis inuitam.*] Timebam, inquit Propertius, ne quis te artibus magicis inuitam & reluctantem traheret ad amorem: Hoc enim fieri posse testatur Maronianum carmen:

Hæc se carminibus promittit soluere mentes:
Quas velit: ast alijs duras immittere curas.

Et apud Horat. Canidia cogit veneficijs Varum, vt se amet. Et Apuleium Pamphile magicæ artis scientissima vbi iuuenem formosum aspexerat, illum incantamentorum vi atque pollentia ad se rapiebat.

TANDEM *te nostro,*] Verba sunt Cynthiæ conquerentis de longa Propertij cunctatione, & illius perfidiam criminantis.

EXACTIS *sideribus.*] Idest, finita nocte: Nam aduentu Solis sidera occultantur, & exacta tunc dicuntur, hoc est, expulsa. Exigere enim apud antiquos interdum significat excludere. Teren. *Spectandæ, an exigendæ sint*, vt exponit Donatus excludendæ. ita apud Iurisconsultos scriptum est, Exactis regibus pro eiectis, & ab Apuleio Publicola regum exactor nominatur, quoniam reges Tarquinios expulit, & eiecit.

ORPHEÆ *lyra.*] Nemo est qui nesciat quemadmodum Orpheus Thrax musica ac melodia omnes superauit, quem canentem siluæ & feræ passim sequebantur. Ouid.

Saxa ferasque lyra mouit Rhodopeius Orpheus.

Horatius,

Vocalem temere insecutæ Orphea siluæ.

De Orpheo carmen est apud Claudianum, & Oda apud Boe. historia Orphei traditur à Diodo.

LAPSAM *sopor impulit alis.*] Somnus alatus à poëtis describitur. Ouid.

Ille volat nullos strepitus facientibus alis.

Virga tangit aut alis quibus soporem cupit infundere. vnde ait Papi. ad Somnum:

——nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis, hoc turba precatur:
Lætior extremo me tange cacumine virga.

M. ANT. MVRETVS.

SIC *ais.*] Liber vetus, *Hic ait.* vt sit, hic, pro, tunc.

INTERDVM *grauiter.*] Libri calamo exarati, *Interdum leniter,*

IANVS DOVSA FIL.

ET *quamuis duplici correptum ardore iuberent*
Hac Amor hac Liber, durus vterque Deus.] Huc pertinet illud Græci Poëtæ Anthol. IV.

Ἐν κυάθῳ τὸν ἔρωτα. οἶνος χέειν, ἄρτι τὸν ὅπλ
Αἴθαλος κραδίην. μὴ πυρὶ πῦρ ἐπάγῃ.

OSCVLAQVE *admota sumere & arma manu.*] Quid hoc loco per *arma* denotari velit Poëta noster, non est consulendus λοξίας, satis enim declarat suam mentem. Cæterum notandum in eadem significatione apud Græcos ὅπλα poni. Nicander in II. Georg. apud Athenæum:

—— ἢ δέ τε ἐπὶ μέσσον ὅπλοις
Ὄντων βρομέουσι δικτύλλων περάτησι.

A Antipater Anthol. I.

——πολλὰς δ' ἐπὶ χειμῶνας ἰδὼν
Οὐχὶ κακὰς τὴν ὅπλα ἐπισταμένας ἀκοίτας.

Mulieres intelligens, qualis illa Glyco apud Furium Comicum, quam ita loquentem inducit, Fulgentio teste: *Myrrhinum mihi adfer, quò viribus armis occursem fortiuscula.*

DVM *me iucundis lapsam sopor impulit alis,*
Illa fuit lacrymis vltima cura meis.]

Planè huic geminum illud Heliodori lib. I. *καὶ τὸ δ' αὖ ἐπάξαι θρηνοῦντες, οἱ μὲν εἰς ἑτέρους ... ἐφ' ἑαυτοὺς τὸν γόον ἐπῆγον τὸν δακρύων.* vbi sententia postulat, vt *τὸν τε δακρύων* aut *καὶ δακρύων* legatur.

B

IANVS DOVSA PATER.

ET *quamuis duplici correptum ardore iuberent*
Hac amor, hac Liber.] Ouidius:

Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

LVNA *moraturis sedula luminibus.*] Sic etiam lib. II. *Phœbe moratura contrahe lucis iter.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

OSCVLAQVE *admota sumere & arma manu.*] C Putaui olim adolescens legendum, *sumere tarda.* Sic libro secundo: *Oscula sunt labris nostra morata tuis.* fortasse melius: *sumere certa manu.* certa non reluctantia. propterea *admota manu.* vt vltima syllaba in voce ARMA ex sequenti conflata sit.

EXPERTÆ *metuens iurgia.*] Noster codex *verbera.* Horatius,

——metuentes patruæ verbera linguæ.

ARGVS *vt ignotis.*] Lege, *Argus vti notis.* & fortasse scriptum fuit, *gnotis* archaico more.

DONEC *diuersas.*] Lege, *Diuisas.* hoc est fissas, sic infra *diuersos* legebatur in manuscripto, pro D *diuisos.*

Possum ego diuisos iterum coniungere amantes.

Itaque alterum pro altero facile commutatur, vt non raro in Manilio.

ALTERIVS *clausis expulit.*] Liber noster, *rettulit.* nimirum, quia *repulit* scripserat poëta, ita repone.

ELEGIA IIII.

QVID mihi tam multas laudando Basse puellas
E *Mutatum domina cogis abire mea?*
Quid me non pateris, vita quodcunque sequetur,
Hoc magis assueto ducere seruitio?
Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Spartanæ referas laudib. Hermionæ,
Et quascunque tulit formosi temporis ætas,

Cynthia non illas nomē habere sinat:
Nedum, si leuibus fuerit collata figuris,
Inferior duro iudice turpis eat.
Hæc sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt maiora, quibus Basse perire iuuat:
Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita dicere veste libet.
Quo magis & nostros contendu soluere amores,
Hoc magis accepta fallit vterque fide.
Non impune feres. sciet hæc insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me posthac committet Cynthia, nec te
Quæret. erit tanti criminis illa memor:
Et te circum omnes alias irata puellas
Differet. heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras.
Et quicunque sacer, qualis vbique, lapis.
Non vllo grauius tentatur Cynthia damno,
Quàm sibi cum rapto cessat amore Deus,
Præcipuè nostri. maneat sic sēper, adoro;
Nec quicquam ex illa, quod querar, inueniam.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVID *mihi tam multas laudando, Basse, puellas.*] Alloquitur Bassum conantem abducere poëtam ab amore Cynthiæ: ostenditque nullius fœminæ forma mutari posse, vt Cynthiæ amores obliuiscatur.

ASSVETO *seruitio.*] Amore, scilicet, Cynthiæ iam inueterato, Qui amat seruit amicæ: Vnde dominam amicam appellare cōsueuimus. Omnis vita seruitus est, vt ait Seneca, Ille seruitutem seruit, qui amat: hoc expertus loquor, hoc verissimum esse nouit quicunque amori mancipatus est. Hoc verissimum sensit Tibullus cum sic cecinit,

Sic mihi seruitium video, dominámque paratam,
Iam mihi libertas illa paterna vale.

TV *licet Antiopa formam.*] Quamuis inquit, ô Basse, laudibus extollas Antiopam Nyctei filiam, A & Hermionem Menelai, & omnis illas veteres heroidas, quæ ob formositatem celebrantur, tamen forma illarum pulchritudine Cynthiæ exuperantissima obumbratur, & delitescit. Antiopa Nyctei filia compressa fuit à Ioue in Satyri formam commutato, ex quo compressu peperit Amphionem & Zethum: quod tangit Ouid. in vi. Metam. his versibus,

Addidit vt Satyri calatus imagine pulchra
Iuppiter impleuit gemino Nycteida fœtu.

Home. Antiopam Asopi filiam fuisse scribit in xi. Odysseæ. cuius verba hæc sunt: *Vidi Antiopam Asopi filiam, quòd in complexu Iouis iacuisset, gloriantem: quæ genuit filios duos Amphionem & Zethum.* B Hi, vt scriptores Græci tradiderunt expositi fuerunt in monte Cytherone, quos pastor reperit & educauit. Lycus frater Nyctei Antiopam Dircæ vxori custodiendam commisit, quæ ob pellicatus suspitionem cathenis, vinculisque asperioribus illam coercebat: ea tandem aufugit, & vt in iii. scribit Propert.

Regales manicas rupit vtraque manu.

In Cytherone filios reperit, qui Dircem in matris vindictam caudæ tauri alligarunt, eamque discerpserunt: à cuius nomine fons in Bœo. dicitur Dirce. Ouid.

—— tauro rapiente traharis,
Vt tracta est coniux imperiosa Lyci. C

Dirces fontis Pli. & Soli. meminerunt.

SPARTANÆ *Hermionæ.*] Hermionem Menelai & Helenæ filiam Oresti desponsatam, & à Pyrrho raptam fuisse docet Nasonis epistola, qua Hermione apud Orestem sua fata conqueritur. Orestes ægre ferens sibi ereptam fuisse formosissimam coniugem, clam insidiatur Pyrrho filio Achillis: &, vt inquit Maro, illum:

Excipit incautum, Patriasq. obtruncat ad aras.

Spartana dicitur Hermione à Sparta ciuitate Laconica, quam condidit Spartus filius Phoronei, vt docet Euseb.

D NEDVM *si leuibus.*] Sensus est, Cynthia cum obscuret nomen & decus earum, quæ formosissimæ fuerunt, tanto magis comparata vilioribus minusque formosis enitescet, cuius formositas tanta est, vt etiam ab iniquo iudice laudari mereatur.

INGENVVS *color.*] Idest, Liberalis, atque natiuus, ingenua fœmina dignissimus. ita Iuue.

Ingenui vultus puer ingenuique pudoris.

Ita & Mar.

Si facie nobis hæc erit ingenua.

Ingenuos appellant Iurisconsulti, quorum parentes non seruierunt.

E QVO *magis, hoc magis.*] Idest, quanto magis, tanto magis, elocutio frequentissima.

DEFERET *te.*] Idest, accusabit. Mart. *Ecce reum carus te detulit.* Inde delatores appellantur accusatores. Placet magis vt legas, Differret: nam differre significat apud priscos maledicendo infamare. Plau. *Hic te pipulo differam.* idest, conuitio proscindam.

NVLLAS *fletibus aras.*] Sensus est, apud altaria omnium deorum etiam minutorum lachrymas fundet, vt ita tibi illi reddantur infesti. Nullum etiam stipitem, nullumque lapidem, qui sacratus

ſacratus ſit relinquet inhonoratum: venerabitúrque viliſſima quæque, vt odioſus, inuiſúſque omnibus efficiaris. Solent viatores ſi in itinere conſpicati fuerint, aut truncum dolamine effigiatum, aut lapidem vnguento delibutum pro numinibus colere & adorare, vt tradit Apuleius in Floridis: vnde ait Tibullus:

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in triuio florea ſerta lapis.

Et Ouidius in Faſtis hoc idem refert ſic ſcribẽs:

Termine ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes: ab antiquis tu quoque nomen habes.

PRÆCIPVE *noſtri.*] ſubintelligendum eſt amore.

DEVS.] Cupido.

IANVS DOVSA FIL.

VITÆ *quodcunque ſequetur Hoc magis aſſueto ducere ſeruitio.* [Scriptus codex V. C. Franciſci Modij pro *ducere viuere* habebat, quod damnare mihi religio ſit, qui ſciam *vitam viuere, ſeruitutem ſeruire, noxam nocere*, & hæc talia tralaticia eſſe apud Latinos. Sed & *nauem nauigare* dixit Vlpianus l. 1. ff. *Nautæ caup. ſtabul.*

Cynthia non illas nomen habere ſinat.] Omnino legendum *ſinet*, quomodo & in codice Modiano exſtare poſtea comperi.

SCIET *hæc inſana puella.*] Malim: *ſciet hoc inſ.*

NVLLAS *illa ſuis contemnet fletibus aras.*] *Contemnet*; id eſt, præteribit ſeu negliget. Apuleius Mileſ. VI. *rata ſcilicet nullius Dei fana & cærimonias negligere ſe debere, ſed omnium beniuolam miſericordiam corrogare.*

MANEAT *ſic ſemper adoro, Nec quidquam ex illa, quod querar, inueniam.*] Lego: *Ne quidquam*, vt concinnior ſit ſententia.

IANVS DOVSA PATER.

GAVDIA *ſub tacita dicere veſte lubet.*] Fortè *ducere*.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SPARTANAM *referas.*] Repone auctore libro ſcripto, *Spartanæ Hermionæ*. Licet laudibus referas formam Antiopæ & Hermionæ.

HÆC *ſed formæ mei pars eſt extrema furoris.*] Sic in eandem ſententiam libro ſecundo:

Nec me tam facies, quamuis ſit candida, cæpit.

DEFERET.] Liber, *Differet*. Ita repone.

NON *vllo grauius tentatur.*] Hanc chriam Gnome Euripidis expreſſit:

Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα δεύτερ' ἂν πάσχοι γυνὴ,
Ἀνδρὸς δ' ἁμαρτάνουσ' ἁμαρτάνει βίου.

MANEAT *ſic ſemper adoro.*] Virgilius:

In rupes, in ſaxa volens vos Turnus adoro
Ferte ratem —— Ouidius:
Hanc ego, me non vt defendere tentet, adoro.

Baſſus autem iſte eſt Iamborum ſcriptor. Ouidius:

Ponticus heroo, Baſſus quoque clarus Iambis.

ELEGIA V.

INVIDE, tu tandem voces compeſce moleſtas,
Et ſine nos curſu, quo ſumus, ire pares.
Quid tibi vis inſane? meos ſentire furores?
Infelix properas vltima noſſe mala:
Et miſer ignotos veſtigia ferre per ignes,
Et bibere è tota toxica Theſſalia.
Non eſt illa vagis ſimilis collata puellis:
Molliter iraſci non ſciet illa tibi.
Quòd ſi fortè animis non eſt contraria noſtris,
At tibi curarum millia quanta dabit?
Non tibi iam ſomnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animis alligat vna viros.
Ah mea contemptus quoties ad limina curres!
Cùm tibi ſingultu fortia verba cadẽt,
Et tremulus mæſtis orietur fletib. horror,
Et timor informem ducet in ore notã:
Et quæcunque voles fugient tibi verba querenti;
Nec poteris, qui ſis, aut vbi, noſſe miſer.
Tũ graue ſeruitium noſtræ cogêre puellæ
Diſcere, & excluſum quid ſit abire domum.
Nec iam pallorem toties mirabere noſtrum,
Aut cur ſim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit ſuccurrere amanti.
Neſcit amor priſcis cedere imaginib.
Quòd ſi parua tuæ dederis veſtigia culpę,
Quàm citò de tãto nomine rumor eris?
Non ego tũ potero ſolatia ferre roganti,
Cùm mihi nulla mei ſit medicina mali:
Sed pariter miſeri ſocio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere ſinu.
Quare, quid poſſit mea Cynthia, deſine Galle
Quærere. nõ impunè illa rogata venit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

INVIDE *tu tandem voces compesce molestas.*] dehortatur Gallũ ab amore Cynthiæ, cuius pulchritudine inflammatus iam cœperat æstuare: docétque quot incommoda, & ærumnas sit toleraturus si Cynthiam adamauerit.

E TOTA *toxica Thessalia.*] venenorum & herbarum magicarum feracissima fertur esse Thessalia, quod indicat Luca. in sexto his versibus:

Thessala quin etiam tellus herbásque nocentes
Rupibus ingenuit ——

& paulo post:

—— *terris hospita Colchis*
Legit in Hæmoniis, quas non aduexerat herbás,

& Porphyrio scribit Thessal. esse feracem venenorum; vnde ait Horat. in Epodo: *Herbásque quas & Iolchos & Hiberia mittit venenorum ferax.* Iolchos autem ciuitas est Thessaliæ, notissima testimonio Strabonis, & Pomponij Mellæ. Toxica, vt interpretatur Plin. dicta sunt quasi taxica, quoniam taxos arbor est veneni præsentissimi; & (vt auctor est Theophrastus in tertio de plantis) si iumenta Taxi folia comederint, emoriuntur.

COLLATA *puellis.*] æquiparata & deducta in comparationem, hoc enim significat confero: vnde collata deriuatur. Ouid.

Confer Amyclæis medicatum vellus abenis
Murice cum Tyrio: turpius illud erit.

VAGIS.] optimo vsus est epitheto: nam (vt inquit Maro) *Varium & mutabile semper Fœmina*: at mea Cynthia, ait, constans est in amore.

ORIETVR *fletibus horror.*] ex amore nimio dictum est. Natura enim magni caloris incutit horrorem sicut nimiæ febres: & in hanc sententiam loquitur Phedria amator apud Terent. *Totus Parmeno tremo, horreoque postquam aspexi hanc*: nam, vt philosophi tradunt, Amatores calent, frigéntque vicissim, instar eorum quos tertiana febris inuasit. frigent quia calore proprio deseruntur, nec in seipso amantis est animus, sed viuit in alieno corpore, vt inquit Pla. Horror dicitur vbi totum corpus intremiscit: de quo sic scribit Cor. Celsus in tertio: *Febres aliæ protinus incipiunt à calore, aliæ à frigore, aliæ ab horrore. frigus voco vbi extremæ partes membrorum inalgescunt. Horrorem vbi totum corpus intremit.*

ET *timor informem notam.*] amantes timidi & audaces vicissim existunt: omnia timent, omnia audent, timor causa palloris est: nam (vt scribit Aristo. in problematibus) in metu sanguis & calor summa corporis deserunt, & in interiora perfugiunt: inde metuentes pallescunt, & amantes. iuxta illud Ouid. *Palleat omnis amans*, & illud Horat. *Et tinctus uiola pallor amantium*, vt supra dictum est.

TOTO *corpore nullus ego.*] hoc ideo dictum: quia amore marcescimus, atque tabescimus: & corpora amantium emaciata penitus efficiuntur. Ouid. *Fecit amor maciem.* & (vt inquit Plau. in cistellaria) *Amor carnificinam primus commentus est.* Potest etiam referri ad animum & hominem interiorem, qui non videtur esse in corpore amatoris, qui incolumi animo non est, nec sanæ mentis compos.

NESCIT *amor priscis.*] idem Ouid. *Nobilitas sub amore iacet.*

IMAGINIBVS.] apud maiores in atriis cereæ imagines singulis disponebantur armariis, quæ gentilitia funera comitabantur. Auctor Plin. in. xxxv. & hoc erat peculiare nobilium. vnde ait Sene. in. v. epistolarum ad Lucil. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus*: in qua sententiam Iuue. est illud: *Fumosos equitum cum dictatore magistros*: neque famosos legendum est, vt passim legitur.

RVMOR *eris.*] eadem sententia apud Ouid.

Fabula, nec sentis, tota iactaris in vrbe.

Rumor sermo est sine vllo auctore certo dispersus, vt auctor est Quinti. apud oratores loci sunt communes pro rumoribus & contra rumores. Rumoris diminutiuum est rumusculus: qua dictione, Ci & Hiero. vtuntur.

NON *impune rogata venit.*] id est, pœnam & tormentum affert amatori, quasi dicat non sine fellis & absinthij amaricie est amor Cynthiæ, & potissimum cùm rogatur.

IANVS DOVSA FIL.

AT *tibi curarum millia quanta dabit.*] Sic dictum millia quanta, vt à Plauto:

Sexcenta tanta reddam, si viuo, tibi.

IANVS DOVSA PATER.

NON *tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos.*] Huc pertinet illud libri quarti:

Illius arbitrio noctem lucémque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.

Cùm tibi singultu fortia verba cadent.] Sic & Martialis:

Esse pudor vetuit fortia verba mihi.

Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.] Hinc veteris prosapiæ ac multarum imaginum apparet fuisse Gallum, contra Suetonij sententiam, qui eum ex humili ad præfecturam Ægypti ab Augusto prouectum autumat.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET *miser ignotos vestigia ferre.*] Prouerbium est. Horatius: —— *& incedis per ignes*
Suppositos cineri doloso.

NON *est illa vagis.*] Vagæ puellæ, ἀγελαῖαι. contra Horatius Deuias. At bonus Beroaldus: vagas sumit pro variis, & inconstantibus.

MOLLITER *irasci non solet.*] Quomodo *non solet*, si nunquam adhuc expertus est? incedere enim per ignotos ignes eum dixit, vt pote qui Cynthiæ amore tum primum incalescebat. Næ ille oscitabunde hæc legebat quisquis hæc mutauit. Scriptura enim vetus habet, *nõ scies.* Quod explicatione non indiget. Facilis autem lapsus fuit, vt *c*, in *o*, & *i* in *l* mutaretur.

QVOD *si forte tuis.*] Et hæc quoque non minore flagitio, quam illa, mutarunt. quum liber scriptus habeat.

Aut si fortè ausis non est contraria nostris.

est συγχώρησις. Aut pone illam mihi pro te precanti victas manus dedisse. Manifestum enim Gallum æmulum fuisse Propertij, & tunc primum cæpisse Cynthiam amare, ac orasse Propertium, vt sibi patarius & proxeneta esse vellet inter se & illam in amoribus nouis. Id quod tota ex hac elegia colligas licet, præsertim ex fine:

—— *non impune illa rogata venit.*

precatorem enim sibi & rogatorem Propertium assumpserat.

ELEGIA VI.

NON ego nunc Adriæ vereor mare noscere tecum
Tulle, neque Ægeo ducere vela salo,
Cum quo Rhiphæos posim conscendere montes,
Vlteriúsq; domos vadere Mēnonias.
Sed me complexæ remorantur verba puellæ,
Mutatóq; graues sæpe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta Deos.
Illa meam mihi iam se denegat: illa minatur,
Quæ solet irato tristis amica viro.
His ego non horam possum durare querelis.
Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere diuitias:
Vt mihi deducta faciat conuicia puppi
Cynthia, & insanis ora notet manibus?
Osculaq; opposito dicat sibi debita vēto,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis iura refer sociis.
Nam tua non ætas vnquam cessauit amori,
Semper at armatæ cura fuit patriæ.
Et tibi non vnquam nostros puer iste labores
Afferat, & lachrymis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.
A *Multi longinquo periere in amore libenter,*
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis quà tēdit Ionia, seu quà
B *Lydia Pactoli tingit aratra liquor,*
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, & accepti pars eris imperij,
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Viuere me duro sidere certus eris.

C PHILIPP. BEROALD. BON.

NON *ego nunc Adriæ vereor mare noscere tecum.*] inuitatus à Tullo ad peregrinationē Asiaticam, cuius prouinciæ ille Procōsul erat destinatus. dicit se hominem posse comitari per maria & regiones penitissimas, nisi eum remoraretur amor puellę, qui plus potest pollétque, quàm vota mortalium.

ADRIÆ *mare.*] Adriaticum intelligit, quod alio nomine mare superum appellamus. Adriaticum ab Adria Thuscorum colonia vocauerunt Italicæ gentes, vt docet Liuius in quinto, à poëtis absolutè dicitur Adria. Horat.

D *Adria Diuisus obiecto, remittas.* Lucan.

—— *sonat Ionio grauis Adria ponto.*

SALO *Aegæo.*] Ægæum dictum est à scopulo, qui procul spectantibus effigiem capræ repræsentat. Auctor Plini. Aex ægos Græcè, capra dicitur Latinè. Strabo refert Ægas oppidū fuisse in Eubœa, à quo Ægæum mare nomen accepit. alij existimant Ægæum dici ab Ægæo patre Thesei, qui se in id mare præcipitauit, vel quòd in eo Ægæa Amazonum regina perierit.

RIPHÆOS.] montes sunt Scythiæ, & meminerunt Geographi. Virg.

E *Gens effrena virûm Riphæo tunditur Euro.*

DOMOS *Memnonias.*] Memnon Tithoni filius venit in auxilium Priamicum cum decem millibus Æthiopum, totidémque Susianis: ædificauit Susis loco eminentiori regiam, quę ab ipsius nomine dicta est Memnonium: interfectus ab Achille sepultus est in Syria, vt ait Strabo: vt sentit Diod. & tangit Plin. in Aethiopia. ad eius sepulchrum Memnonides aues quotannis depugnant parentalia celebrantes, vt Ouid. & Plin. tradiderunt. Domos Memnonias intelligit longinquas regiones, siue Aethiopiam vbi sepultus fuit, siue Persiam vbi habuit arcem & regiam. Cat. Memnona Aethiopem appellat.

ARGVTAT *noctibus ignes.*] Argutare & argutari in eadem dicuntur significatione:& significat vtrumque loquaciter proloqui) vt docet Nonius: vnde ait Neuius: *Totum diem argutatur quasi cicada.* sensus est poëtæ: Cynthiam per totas noctes suos ignes, hoc est, amores loquaciter & sine intermissione enarrare,ipsique obiectare.

SI *quis lentus amare potest.*] Illi dicuntur lenti esse in amore,qui non commouentur, nullisque affectibus exagitantur, sed quadam quasi lentitudine torpescunt: vnde ait alibi,

Hostibus eueniat lenta puella meis. & Ouid.
Lentus es & pateris nulli patienda marito.

DEDVCTA *puppi.*] Deducere est nauem è terra in mare mittere, sicut subducere in terram trahere, vt ait Ser. Virg. *Deducunt naues socij.* in alio significatu deducere dicimus comitari. Horat. *Occurram,in triuijs deducam.* Liuius: *Frequentes eum deduxerunt domum.*

CONARE *anteire secures.*] Hortatur Tullum ad facinora patrui,qui & ipse Asiam prouinciam rexerat superanda, & eius magistratum imitandum. Secures, enim, pro dignitate & magistratu accipiuntur, quoniam consules habebant duodecim lictores, qui gestabant fasces virgarum securibus alligatos: cuius rei causam refert Plutarch. in problematibus, cuius verba hæc sunt: *Quid est quod pratorum virga securibus alligatæ præferuntur? an signum est non oportere magistratus iracundiam promptam ac dissolutam esse, & virgarum dissolutio mora & tarditate iram frangit, & impetum moderatur: sed malicia, quoniam partim medicabilis est, partim curari non potest: virgæ quod mutari potest corrigunt: secures autem quod emendari non potest abscindunt.* Hactenus Plutar. proconsules sex tantum fascibus vtuntur, vt scribit Vlpia. Virgæ illæ magistratuum terribiles peculiariter fiebant ex arbore betulla,quæ eximio est candore,& tenuitate,vt scribit Pli. in XVII.

OBLITIS *socijs.*] Refer inquit, ô Tulle, iura illa sociis prouincialibus quæ patruus tuus iam pridem illis sanctissimis reddidit, quorum ipsi iam obliti sunt propter longa temporis interstitia: vnde optare videntur vt per te pristina iurisdictio renouetur: hinc colligimus patruũ Tulli ius dixisse prouincialibus Asiaticis.

PVER *iste.*] Scilicet,Cupido. optat,ne Tullus vnquam sentiat tales ictus Cupidinis,quales ipse patiebatur.

EXTREMÆ *nequitiæ.*] Petulantiæ venereæ & rei penitus vanæ: nequitia proprie significat vitium contrarium frugalitati, vt docet Cice. in Tusculanis: & Clau. (teste Gellio) nequitiam appellauit luxum vitæ prodigum, atque effusum. Publius Africanus ita scribit: *Omnia mala, probra, flagitia, quæ homines faciunt, in duabus rebus sunt, malitia, atque nequitia.* interdum nequitia pro lasciuia petulantique libidine accipitur, vt illud Mart. *Nequitias tellus scit dare nulla magis.*
Et illud Ouid.

Nequitia est quæ te non finit esse senem.

Nequitiam ab eo dictam putat Mar. Tul. quod nequicquam sit in tali homine, vnde etiam nequam deriuatur, vt docet Var. in VI. cuius hæc sunt verba:

In quo putamus esse nequicquam dicimus nequam.

MOLLIS *Ionia.*] Regio est Asiatica ab Ionio Xuti filio nominata: quo duce, Athenienses duodecim colonias in Asiam deduxerunt. Auctor Victruuius. dicitur mollis à Propert. quoniam omnis ille tractus mollis & delicatus est,vbi clementissimum cælum,vberrimum solum,mitissima accolarum ingenia sunt: & amœnitas Asiatica eneruauit viuidos animos Romanorũ, quod Pli. Liuiusque notificant.

PACTOLI *liquor.*] Fluuius est Lydiæ è Tmolo fluens,olim multa auri ramenta deferebat: ex quo celebratas fuisse ferunt Crœsi diuitias. auctor Strabo. vnde Virg. *Pactolusque irrigat auro.* & Sillius inquit: *Hunc certant Pactole tibi, Duriusque, Tagusque.*

M. ANT. MVRETVS.

AT *tu seu mollis.*] Locum hunc à Beroaldo non intellectum, declarauit Cœlius Rhodiginus libro quarto lectionum antiquarum.

IANVS DOVSA FIL.

CVM *quo Ripbæos possim conscendere montes.*] Si audaci mihi liberet esse, legerem *ausim*, pro *possim.* quamuis id hic eodem sensu retinere possimus, vt infrà:

Et contra magnum potes hos attollere Solem.

Potes, id est, audes. Similem mendam eluo Manilio lib.v. vbi in omnibus libris legitur:

Cum semel æthereos iussus conscendere currus
Summum contigerim sua per fastigia culmen.

Rescribo enim: *ausus.* neque obstat quod præcessit:

Me properare viam Mundus iubet.

INSANIS *ora notet manibus.*] Sic Ouidius:
——& insanis vnguibus ora nota.
Ipse alibi:

Proijcis insana cymbia plena manu. Item:
Saucia vesana verberat ora manu.

SEMPER *at armatæ cura fuit patriæ.*] Videtur dictum, vt à Pyndaro Olymp. I.

ἀρετῶν μαχαλόνας ὕιος.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

OSCVLAQVE *opposito dicat sibi.*] Hoc est, exprobret vento sibi eripi oscula ab ipso. Opposito, aduerso, vt oppositi sunt vultus eorum nobis, quibuscum expostulamus. In priore editione non bene hæc assequebamur.

NAM *tua non ætas vnquam seruiuit.*] Mutatum ignoratione priscæ lectionis, quæ habebat, *cessauit*, vt diserte extat in nostro. cessare amori, operam dare amori. Infra:

Nam tua non ætas vnquam cessauit amori.

Horatius:

Ad strepitum citharæ cessatum ducere curas.

Strepitum citharæ,cui cessatur, hoc est,cui vacatur. Ouidius IIII. Fastorum.

Largaque prouenis cessatis messis in aruis.

ELEGIA VII.

Dum tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ,
Armáque fraternæ tristia militiæ,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modò fata tuis mollia carminibus,
Nos, vt consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quærimus in dominam;
Nec tantum ingenio, quantum seruire dolori
Cogor, & ætatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitæ modus, hæc mea fama est,
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudēt doctæ solùm placuisse puellæ,
Pontice, & iniustas sæpe tulisse minas.
Me legat aßiduè post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoq; si certò puer hic cōcusserit arcu,
Quod nolim nostros te violasse deos:
Lōgè castra tibi, lōgè miser agmina septē
Flebis in æterno surda iacere situ:
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subijciet carmina serus Amor.
Tunc me non humilem mirabere sæpe poëtam:
Tunc ego Romanis præferar ingenijs:
Nec poterunt iuuenes nostro reticere sepulcro,
Ardoris nostri magne poëta iaces.
Tu caue nostra tuo contemnas carmina fastu.
Sæpe venit magno fœnore tardus amor.

PHILIPP. BEROALD. BON.

CVM *tibi Cadmeæ dicuntur, Pontice, Thebæ.*] Ponticus poëta clarus Heroico carmine scripsit Thebanum bellum, cuius meminit Ouid. in Tristibus:

Ponticus heroo, Battus quoque clarus Iambis,
Dulcia conuictus membra fuere mei.

Ad hunc scribens poëta ostendit se in scribendis A amoribus esse occupatum, & idem facturum Ponticum præsagit seposito carmine heroico si cœperit miles esse Cupidinis. Cadmeas Thebas appellat à Cadmo conditore. fabula nota apud Ouid. Scri. Stra. in IX. Cadmum arcem Cadmeā muro vallasse, & regnum suis posteris reliquisse, qui deinde arci Thebas adiunxerunt.

ARMAQVE *fraternæ tristia militiæ.*] Bellum Thebanum scripsit Ponticus: scripsit & Statius quod inter Etheoclem, & Polynicem fratres gestum est tanto odio, vt semet mutuis vulneribus confoderint: & alter super alterum moribundus corruerit: quorum impias, & truces animas ita B execratur Statius in XI. Thebaidos:

Ite truces animæ, funestáque Tartara leto
Polluite, & cunctas Herebi consumite pœnas.

Hanc ergo militiam fraternam intelligit poëta.

SERVIRE *dolori Cogor.*] Scribit in exemplis, Pli. *dolorem plerumque venustos facere,* & Ouid. *grande doloris Ingenium est.*

HINC *cupio nomen.*] Ex rebus videlicet amatoriis scriptitandis.

NOSTROS *euiolasse Deos.*] Poëta Deos appellat iuxta illud Maronis: *Mirabar quid mœsta Deos.* & Ouid. ait: *Est Deus in nobis.* & Plau. dicit Poëtam Deo plenum esse, & Homerum diuinissimum nuncupat. Quin etiam interpretes C poëtarum afflatu diuino moueri autumat. legimus in vetusto codice euoluisse, quod non displicet: & erit sensus: Nollem Deos nostros, hoc est Cupidines voluisse hoc: vt, scilicet, te ô Pontice sagittis suis concuterent. quidam ita legunt te violasse, vt sit sensus: Nolim Deos, hoc est amores te, ô Pontice, violasse diuerso tramite, ad idem tamen compitum perueniunt. Prior sententia vulgatior est.

DVRO *sidere.*] In prospera & aduersa constellatione. ex illorum opinione loquitur, qui, teste Pli. astro suo euentus assignant: & Plotinus librum inscripsit: *Sic faciunt astra.*

D LONGE *miser agmina septem.*] Materia belli Thebani inculta iacebit: nec heroicum carmen amplius à te, ô Pontice, scribetur: cum percussus fueris sagitta Cupidinis. Septem agmina dicit propter septem duces, qui simul profecti sunt ab bellum Thebanum contra Etheoclem conficiendum. Nomina ducum hæc sunt, Polynices, Adrastus, Tydeus, Amphiaraus, Hippomedon, Capaneus, & Parthenope.

MAGNO *fœnore tardus amor.*] Sententia catholica, quā ostendit amorem quanto serius, tardiusque venerit, tanto vehementius torquere, E cruciaréque amantem: in quam sententiam ait Phædra apud Ouid. *Venit amor grauiùs, quo seriùs.*

M. ANT. MVRETVS.

CVM *tibi Cadmeæ.*] Prope simile principium est elegiæ Ouidij ad Macrum,

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem.

EVIOLASSE.] Beroaldus testatur, in antiquis libris partim, *euoluisse*, partim, *te violasse*, legi. quarum scripturarum ego quidem vtram libet huic vulgatę facile antepofuerim. Sed quod Volscus admonet deos hic intelligi, nō Venerem, &

Cupidinem, sed poëtas ipsos: id, mea quidem A sententia, tale est, vt, si fatuis, & insulsis declarationibus præmium aliquod positum esset, id Volscus hac vna fretus, sine controuersia, suo iure, diis hominibusque plaudentibus, ablaturus fuisse videatur.

IANVS DOVSA FIL.

ATQVE, *ita sim felix, primo contendis Homero.*] Augustus apud Suetonium in Tiberio cap. XXI. *Vale iucundissime, &, ita sim felix, vir fortissime.*

LONGE *castra tibi, longè miser agmina septem Flebis in æterno surda iacere situ.*] Sic Silius, lib. I. *——longe clausis sua fœdera, longè Ausoniam fore.* Florus lib. II. cap. II. *Longè illos nautica artes, detorquere remos & ludificari fugâ rostra.* & cap. VI. *Longè illi triplex murus, totidemque arces.* B

IANVS DOVSA PATER.

ATQVE *aliquid duram quærimus in dominam.*] Cato XXXIX. cap. de Re Rustica: *Per imbrem in villam quærito, quod fieri possit.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL. C

DICVNTVR *Pontice Thebæ.*] Veteres scripti. *ducuntur.* Recte. Horat. *-forte epos, acer Vt Varius, nemo ducit.* Hic noster libro IIII. *Cæsaris in nomen ducuntur carmina-* Ducere carmen poëtæ dicuntur, quum carmina componunt. Virgilius dicit Æneam, rectum est. Virgilius dicit Æneida, barbarum. Hic quoque Latinum esset dicere Thebas non Thebaida.

QVOD *nolim nostros euiolasse.*] Ita & liber noster. Sed magis placet, quod Beroaldus in suo legit, *euoluisse.* Quod magis, quam voluisse. imo D potius ab euoluendo. Idque retinemus. vt dicitur *-id voluere fata.*

NEC *tibi subijciet.*] *Subijciet*, verbum scænicarum operarum. ὑποβαλεῖ. ὑποβάλλειν est dictare alicui, monere. vnde monitores, qui aliter Secundarij dicebantur. hoc est, ὑποβολεῖς. Glossæ, *Secundarius, Subdiga*, ὑποκριτής. lege, *Subdica*, qui secundo dicit. quanquam hoc vere non est monitor. In Phormione quoque ita accipiendum: *tum autem Geta monitor.*

SÆVVS *amor.*] Inepte etiam hæc mutarant interpolatores. Nam *serus* non *sæuus* scripserat E Propertius, vt cognoscimus ex libro calamo scripto. Quare serum amorem dixerit, non obscurum est ei, qui totam elegiam legerit.

ARDORIS *nostri magne poëta iaces.*] Scribo, vt in veteri, *magne poeta vale.* Hoc enim prætereuntes dicebant, HAVE, ATQVE VALE. quod etiamnum in vetustis aliquot monimentis visitur in Italia, & Narbone, vt:

LAGGE. FILI
BENE. QVIESCAS
MATER. TVA. ROGAT
TE. VT. ME. AD. TE
RECIPIAS. VALE
P. Q. XV

ELEGIA VIII.

Tu ne igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria?
Et tibi iam tanti, quicunque est iste videtur,
Vt sine me vento quolibet ire velis?
B *Tu ne audire potes vesani murmura ponti?*
Fortis & in dura naue iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcire pruinas?
Tu potes insolitas Cynthia ferre niues?
O vtinam hibernæ duplicentur tempora brumæ,
C *Et sit iners tardis nauita Vergiliis,*
Ne tibi Tyrrhena soluatur funis arena,
Neue inimica meas eleuet aura preces:
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cùm tibi prouectas auferet vnda rates,
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta sæpe vocare manu.
D *Sed, quocunque modo de me periura mereris,*
Sit Galatæa tuæ non aliena viæ;
Vt te felici præuecta Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos æquoribus.
Nam me non vllæ poterunt corrumpere tedæ,
Quin ego, vita, tuo limine verba querar.
E *Nec me deficiet nautas rogitare citatos,*
Dicite, quo portu clausa puella mea est?
Et dicam, licet Athracijs considat in oris,
Et licet Elais, illa futura mea est.
Hìc erit, hìc iurata manet. rumpantur iniqui.
Vicimus: aßiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia liuor:
Destitit ire nouas Cynthia nostra vias.

Illi carus ego, & per me carißima Roma
Dicitur, & sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecũ requiescere lecto,
Et quocunque modo maluit esse mea,
Quàm sibi dotatæ regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes antè pararat equis.
Quamuis magna dares, quamuis maiora daturus,
Non tamen illa meos fugit auara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo.
Queis ego fretus amo: Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Siue dies, seu nox venerit, illa mea est:
Nec mihi riualis certos subducet amores.
Ista meam norit gloria canitiem.

PHILIPP. BEROALD. BON.

TV *ne igitur demens.*] Cynthiam parantem iter in Illyricum diuitiis prætoriis pellectam reuocat: & rogando monet ne sibi riualem anteponere velit: quo impetrato lætitia exultat, seque beatum esse confitetur, cùm ametur à Cynthia.

VILIOR *Illyria.*] Illyrium siue Illyria: vtroque enim modo dicitur, regio est contermina Epiro propinqua Italiæ: ab Illyrio Polyphemi filio denominata, vt auctor est Appianus.

VESANI *ponti.*] procellosi maris à Catul. dictum est. Vesaniente vento pro furibundo atque procaci. Pontus autem Nerei filius fuit, & pater Neptuni: vt scrib. Euseb. in primo præparationis Euangelicæ. Vnde pontus mare dici videtur. Alij pontum vocari existimant quasi ponon, quia laboribus sit mare refertissimum.

PEDIBVS *sulcare pruinas.*] dehortatur Cynthiam proposita peregrinatione, asperitatem locorum commemorando. ita Virg.

Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

pruinam ex rore gelido gigni memorat Plin. in II. Aristoteles scrib. in primo Meteororum: Pruinam fieri ex euaporatione, quæ congelascit, & frigidis maxime locis prouenire, & per frigora.

A ET *sit iners tardis.*] optat vt sidus Vergiliarũ tardius solito oriatur, ne possit Cynthia discedere: Nam hyberno tempore maria clausa sunt, quæ in principio veris aperiuntur nauigantibus, vt refert Plin. in II. Libertima vero nauigatio est ab exortu Vergiliarum, quæ post ver exoriuntur: vnde & nomen acceperunt, vt auctor est Higi. Sunt autem Vergiliæ stellæ numero septem, alio nomine Pleiades appellatæ; in Tauro locatæ sunt, quarum signo exoriente, æstas significatur: occidente, hyems ostenditur Cic. *Vergilias tenui cum luce videbitur.* De his multa Plin. & Higi. quarum etiam meminit Gel. in XII.

B TYRRHENA *arena.*] Hetrusco littore: ex quo ex vrbe Roma nauigantes oram soluunt. ita enim funus nauticus appellatur. Quin. in IIII. *Sublata sunt anchora, soluimus oram, profecti sumus.* eadem dictione vtitur in Liui. in XIX.

SIT *Galathea tua non aliena via.*] optat Deos marinos, deásque propitias esse Cynthiæ nauigaturæ. Galathea nympha est maris amata à Polyphemo. Fabula notissima apud Ouid. ita Papinius in syluis Nereides rogat vt incolumem deducant amicum Metium, & officiosæ sint circa eius nauigium:

Officio careat Glaucarum nulla sororum.

C Cum autem Galathea mater fuerit Illyrij, à quo Illyria nomen accepit, non absurde eam in primis optat suppetias ferre Cynthiæ in Illyricum nauiganti.

CERAVNIA.] montes sunt Epiri à crebris fulminibus dicti, vt docet Ser. Alio nomine Acroceraunia nominantur. Horat.

Infames scopulos Acroceraunia.

ORICOS *æquoribus.*] Oricos ciuitas est à Colchis condita, vbi initium est Epiri. auctor Plin. in III. à qua Terebinthus Oricia dicitur à Virg. Ponp. Mella ita scrib. *Vrbium prima est Oricum. secunda Dyrrachium.*

D NAM *me non vllæ.*] nullus amor alterius puellæ poterit inquit efficere, quin ego conquerar, & lamentationis plena verba pronunciem: Est enim, vt inquit Sen. aliquod in querelis leuamentum.

ET *dicam Atracius.*] sensus est: Siue audiuero Cynthiam esse in Thessalia, siue in Achaia, tamen dicam eam vbicunque locorum sit futuram meam. Atracias oras vocat Thessalicas: Est enim Atrax oppidum Thessaliæ, vt Stra. & Plin. meminerunt. scrib. Lact. Statij interpres, Atracium fuisse patrem Hippodamiæ, primúmque artem magicam in Thracia reperisse: vnde vide-
E tur dictum esse à Papinio, *Atracia rubet arte labor.* & Ouid. Hippodamiam vocat Atracida quasi Atracij filiam, illo versu:

Atracis ambiguos traxit in arma viros.

ELEIS.] Elei populi sunt in Peloponeso clarissimi propter delubrum Iouis olympij inclytissimum, ludósque olympicos, omnium scriptorum monumentis celebratos: quorum præfecturam Elei habuerunt, & olim Choræbus Eleus in curuli certamine victoriam reportauit. multa de his scribit Strab. in VIII. inde frequenter leges apud poëtas celebrari Eleos

equos: Helesimque carcerem vocitari. Lucan. A

——quantum clamore iuuatur Heleus sonipes.

Tibullus.

Qui prior Heleo est carcere missus equus.

Virgilius,

Hic vel ad Helei metas.

Et alibi:

——Heliadum palmas Epiros equarum.

ob hoc dixit paulo post Propertius:

Et quas Helis opes ante pararat equis.

constat enim Heleos & imperio, & diuitiis fuisse condecoratos propter oraculum Iouis Olympij, & propter celebritatem ludorum: cuius rei argumenta sunt dona ex vniuersa Græcia Ioui missa: in cuius templo simulachrum aureum à Cypselo Corinthio consecratum est: meritò ergo dixit Propertius Heleos sibi opes comparasse equis: hoc est, cursu equorum in illis memoratissimis ludis Olympicis, qui illorum iuri subditi fuerunt. Quid si legas pro Atraciis & Heleis, Autariis & Isseis: cum Autarij, teste Appia. in eo li. qui inscribitur Illyrius, populi sint in Illyrico: qui olim Apollinis indignatione ad extremum excidium deuenere. Issa vero, vt scri. Ptolo. insula est, & ciuitas in ora Dalmatiæ cuius meminit Plin. in III. Non displicet, inquam, hæc lectio cum de Cynthia loquatur regiones Illyricas petente. Vtramque sententiam diximus, vt lector sequatur quid velit.

Cvpidvs *li.*] iam, inquit, inuidi deponant falsum illud gaudium, quod conceperant ex mea tristitia, cùm Cynthia non amplius sit discessura, vt illi sperabant & cupiebant. Cupidus dicitur liuor accommodato epithetò, quoniam inuidi semper cupiunt gaudere ex alterius incõmodo: sed Dij bene fecerunt, qui huic teterrimo vitio supplicium annexum esse voluerunt: vt enim rubigo ferrum, ita inuidia inuidos consumit, vt dicere solebat Antisthenes: & eleganter dixit Alexander apud Curtium: *Inuidos homines nihil esse aliud quam ipsorum tormenta.* liuor est illud vestigium & nota, quæ fit ex flagello: vnde in Ecclesiastico scriptum legimus, quod flagelli plaga liuorem facit: & quoniam talis est color inuidorum, ideo liuor accipitur pro inuidia. Ouid.

Pascitur in viuis liuor.——

& id frequentissimum est apud scri. Qualis autem sit facies Inuidiæ discas quæso ex luculentis illis versibus Nasonis, quos habere cordi & memoriæ operæ pretium est.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto:
Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno,
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.

Liuorem accipit Tibul. pro signo, quod mordicus amicæ infigit amator. Sic enim ait:

Tunc succos, herbásque dedi, quis liuor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

Regnvm *vetus Hippoda.*] regnum Pisanorum intelligit, qui sunt in Achaia, qui olim potentissimi fuerunt: & Olympici agonis possessores: quorum princeps fuit Oenomaus pater Hippodamiæ, quæ, vt supra docuimus, nupsit Pelopi, superato Oenomao in certamine, tótumque illud regnum pro dote datum est Pelopi: à quo dicta fuit Peloponesus: vnde à poëta dicitur dotata, quoniam cum dote luculentissima nupsit.

Non *Indis flectere conchis.*] gloriatus quod carminibus exorauerit Cynthiam non autem gemmis, & vnionibus, quibus auaræ capiuntur. Oceanus Indicus maxime mittit margaritas: quæ oriũtur in conchis, cõcipiũtur ex rore. Existimat Plin. nihil aliud esse margaritas quam partum concharum. vniones dicuntur, quoniam nulli duo reperiuntur indiscreti. dos omnis est in candore, magnitudine, leuore, pondere, rotunditate: vulgus perlas appellat. Hieronymus neutro genere dixit Margaritum. Lege Plin. nouum volumen, & Solinum, qui de vnionibus multa facundissimè scripserunt.

Qvis *ego fretus amo.*] confisus Musis & Apolline amo, cum apud amicam sim fauorabilis illorum auxilio, hoc est carminibus amatoriis.

Qvis.] pro quibus. frequens elocutio apud poëtas.

Rivalis.] riuales dicuntur qui per eundem riuum aquam ducunt, vt docet Iurisconsultus digestis de aqua quotidiana, & æstiua: & inde riuales dicimus qui in vnum amorem quasi deriuantur.

M. ANT. MVRETVS.

Tvne *igitur,*] Cynthiam, cum quodam, qui ex prætura in Illyriam proficiscebatur, ire meditantem, dehortatur, ne id faciat. mox, se ei, quod voluerat, persuasisse, lætatur. sed hunc prętorem ex Illyria reuersum postea coluit Cynthia. vide elegiam quandam è libro secundo, cuius principium est, *Prætor ab Illyricis.*

Virgiliis.] quarum exortu aperiuntur maria.

Ne-ve *inimica meas.*] ne ve cogar pro te nauigante vota facere, quæ tamen aduersos & reflantes ventos nihil moueant.

Vacva *patiaris arena.*] alij libri, iique veteres, *Vacua patietur in ora.* vt verbum, *patietur*, referamus ad vndam ipsam. quod mihi quidem paulo magis arridet. nam illud alterum non satis intelligendo consequi possum.

Oricos.] portus Epiri. Hecatæus apud Stephanum, Μετὰ δὲ Βουθρωτὸς πόλις, μετὰ δὲ Ὠρικὸς λιμήν.

Et *dicam, Autaricis.*] Autarici, & Hyllæi, populi Illyriæ.

IANVS DOVSA FIL.

Nec *tibi Tyrrhena soluatur funis arena.*] Versus huius generis non solùm Ouidio, sed & Propertio nostro ita crebri, vt penè elegantiæ studio vltrò affectati videantur. & quidem, qui in inciso & extremo æquali sono finiantur, præter hunc sunt isti: Eleg. XVII. huius libri:

Quin etiam absenti prosunt tibi, Cynthia, venti.

Lib. III. Eleg. VI.

In mare cui soli non valuere doli. Eleg. VII.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas.

In duobus versibus vnum exstat exemplum lib. II. Eleg. III.

Non non humani sunt partus talia dona,
Ista decem menses non peperere bona.

Quod & apud Græcos Anacreon fecit:

Ἵν' αὖ θανεῖν ἐπέλθῃ,
Λάβῃ τε καὶ παρέλθῃ.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

TV *pedibus teneris positas sulcare pruinas.*] In nostro liquide scriptum est-*positas fulcire ruinas.* Ruinas vocat, ni fallor, ruentem cœlo aquę concretæ, & niuis stragem. Hoc enim exprimit belle Petronius: B

Ipsæ iam nubes ruptæ super arma cadebant,
Et concreta gelu putri velut vnda ruebat.
Victa erat ingenti tellus niue-

Fulcire pro calcare, ἢ στείβειν posuit elegantissimus scriptor Corn. Celsus libro septimo vbi περὶ θεραπείας ἑλκῶν agit: *Quod vbi incidit, linamenta super non fulcienda, sed leuiter tantum ponenda sunt.* Nam ibi plane fulcire est, τὸ πιέζειν. Quanquam & simpliciter potest intelligi fulcire, sustinere. nam aptum est verbum ruinæ. Apparet igitur commentitiam esse receptam lectionem, vt ne addam, quod sulcandi verbum hic minime aptum, quicquid argutentur Grammatici.

E T *me defixum vacua patiaris arena.*] Hæc corrupta sunt non leuiter ab imperitis correctoribus. quod tamen puto accidisse propter transpositionem, quæ hic commissa est, quæ etiam eodem modo erat in nostro manuscripto. Primum igitur in eo libro ita legitur hic versus: C

Et me defixum vacua patiatur in ora.

Deinde animaduertimus nostrorum patrum ætate hæc corrupta fuisse propter illam, quam dixi, transpositionem. Nam distichon illud, ET ME DEFIXVM præcedere debet illud, ATQVE EGO NON VIDEAM. Ita igitur & reponenda sunt, & interpungenda: D

Ne tibi Tyrrhena soluatur funis arena,
Néue inimica meas eleuet aura preces:
Et me defixum vacua patiatur in ora
Crudelem infesta sæpe vocare manu.
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Quum tibi prouectas auferet vnda rates.

Igitur, *vacua patiatur in ora*, scilicet aura. ne aura eleuet meas preces, néue patiatur me in vacua ora te crudelem vocare.

A T Q V E *ego non videam.*] Atque vtinam non videam tales vẽtos, quales imprecor tibi, residere, atque detumescere mare, quum solues ratem ab hoc litore. desidere venti dicuntur, quum ponunt flatum, quum flaccescunt, vt loquitur Pacuuius Chryse: Nam hæc omnia perperam vulgo accipiebantur. E

V T *te felici vectam per cærula.*] Hæc quoque non diu est, quum contaminata sunt. Habebat enim prisca lectio:

Vt te felici prauecta Ceraunia remo
Accipiat placidis Oricos æquoribus.

Vocatiuus pro alio quouis casu, quum aliquem alloquimur. De quo in Ausonium satis diximus, vt:

Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis, &c.

Alibi idem est,

Sic mihi te referas leuis,

hoc est leuem. Lucillius:

Hu te versibus interea contentus teneto.

Hic nominatiuo vsus est pro accusatiuo. Apollinaris Anthologiæ II. εἰς ψεύστας.

Μέχρι τίνος Πολύκαρπε κακῆς ἐλπίδας σπαταλίζεις
Λόγους γραμματίας ψευδῆ ἀποστείλας,
ψεύδεαι αἰεὶ σὺ ψευδόμενος.

N A M *me non vlla poterunt.*] Pro *teda*, vetus scriptura habet, *de te.* & pro *limine, lumine.* Quod nos ita legimus:

Nam me non vlla poterunt corrumpere, de te
Quin ego, vita, tuo lumine acerba querar.

Nullarum vnquam mulierum amor poterit flectere, quin ego ea querar de te, quæ tibi acerba futura sunt. Nam lumen tuum hoc est te ipsam. tuo lumine acerba, tibi acerba. *lumine*, pro *lumini.* vt alibi *ore*, pro *ori. funere* pro *funeri.* vt supra *nostra gratissima vita*, hoc est, nobis. Superuacuum mihi videtur dicere eum in limine amicæ queri, quum hoc non sentiat, sed vbique de eius perfidia se conqueri paratum esse. *Teda* autem, quod hic legebatur, nullum hic locum habet. Nam non coniugia intelligit, sed quemuis nouum amorem. Verba queri, non est Latinum. Vnus quisque, quod magis placuerit, sequatur.

N E C *me deficiet.*] Nec me deficiet rogitare οὐ παύσομαι πενθησόμενος. Eadem figura alibi: *Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.* οὐ παύονται στέφανοι ἀπαρτησόμενοι. De hoc infra amplius.

E T *dicam, Atracius.*] Pro *Atraciis*, *Autaricis.* & pro *Eleu Issæu* dubitabundus reponebat Beroaldus. quod tamen non tanquam à dubitante, sed vt à iurato dictum esset, omnes editiones admiserunt. Quia mentio fit Illyrij, propterea putauit hic gentes Illyricas substituendas esse. Atqui Proconsul iste non proficiscebatur in Illyrium. neque enim nauem soluisset ab Ostiensi portu, sed à Brundusino. ab Ostia enim manifesto soluit, quum ipse dicat:

Ne tibi Tyrrhena soluatur funis arena.

Proficiscebatur autem in Achaiam. quod ipse postea his verbis declarat:

Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocunque modo maluit esse mea,
Quam sibi dotata regnum vetus Hippodamiæ,
Et quas Elis opes ante pararat equis.

Quia igitur Acroceraunia, quæ sunt in finibus Illyrij ad Epirum vsque præteruehi necesse habebat, propterea tractus Illyrici meminit. Et alibi,

Dic alias iterum nauiget Illyrias.

Quum igitur illam ad portum vsque Oricum prouehi optat: quid opus hic populis Illyrij? Sed, vt iam dixi, Proprætor aut Proconsul ille in Achaiam proficiscebatur. Itaque Atracij sunt populi Aetoliæ, quos Atracas Plinius vocat, ab Atrace fluuio, qui Ionio confunditur. Ab eo sunt initia Achaiæ. Itaque quum Catullus ait, Smyrnam Cinnæ Atracis ostia penetraturam, innuit eã in Græciam peruenturam, vt hominũ Græcorum quoque manibus teratur. Quare

male censet Beroaldus hic *Autaricis* pro *Attraciis* reponendum: vt paci errore *Issaeis*, pro *Eleis*. Nam ad Eleos & Peleponnesum ibat Proconsul. Videtur enim manifesto Achaia prouincia illi obtigisse.

HIC *erit hic iurata manet.*] Repone ex veteris scripturæ fide:

Hic erit hic. iurata mea est. rumpantur iniqui.

CONTINGERE *sidera plantis.*] Mallem *palmis*. Nam prouerbiũ erat: Digito cœlũ tangere.

ET *tibi nunc quæuis imperat emta modo.*] Non quæuis sane. nam vnam tantum deperibat. Sed bene vetus scriptura, *quouis* non *quæuis*.

QVI *non ante patet donec manus attigit ossa.*] Beroaldus censet dictum, amorem non ante patere, donec intra medullas intrauerit. At ego quæro quid faciemus illo MANVS? Nam si dixisset, *Qui non ante patet, donec attigit ossa*, hoc aliquid esset. Præterea verbum *attigit*, non pertinet huc cum illa significatione. Nam simplici potius vsus esset, tetigit. vt:

Quem tetigit iactu certus ad ossa Deus.

Quid quod hoc non vult poëta? non enim nunc tempus nec locus est huic sententiæ. Mens huius loci hæc est, non quam olim hariolabamur. Amor non ante patet, quam emaciato corpore ossa cutem ipsam pene pertundant, vt ipsa manu tangi possint.

SÆPE *in amore leuat.*] Scriptus liber, IVVAT. Quod melius est.

ELEGIA IX.

DICEBAM tibi venturos irrisor amores,
Nec tibi perpetuò libera verba fore.
Ecce iaces, suppléxque venis ad iura puellæ,
Et tibi nunc quouis imperat empta modo.
Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere, quos iuuenes quáque puella domet.
Me dolor, & lacrymæ meritò fecêre peritum,
Atque vtinam posito dicar amore rudis.
Quid tibi nunc misero prodest graue dicere carmen?
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.
Carmina mansuetus lenia quærit Amor.
A *I quæso, & tristes istos depone libellos,*
Et cane, quod quæuis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquã.
Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni.
Hæc est venturi prima fauilla mali.
B *Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,*
Et magis infernæ vincula nosse rotæ,
Quàm pueri toties arcum sentire medullis,
Et nihil iratæ posse negare tuæ.
Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Vt non alterna presserit ille manu.
Nec te decipiat quòd sit satis illa parata:
C *Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.*
Quippe vbi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor.
Qui non antè patet donec cutis attigit ossa.
Quisquis es, assiduas aufuge blanditias.
D *Illis & silices, & possunt cedere quercus,*
Nedum tu possis spiritus iste leuis.
Quare, si pudor est, quamprimum errata fatere,
Dicere quo pereas sæpe in amore iuuat.

PHILIPP. BEROALD. BON.

E DICEBAM *tibi venturos.*] Ponticus, cuius supra facta est mentio, lapsus est in amorem, quod futurum prædixerat poëta. Nunc eum hortatur, vt stylo grandiloquo deposito: scribat Elegiacum carmen, quoniam in amore plus valet Elegíacus poëta epico vate, & cothurnato.

ECCE *iaces.*] hæc particula, vt inquit Donatus, apud Virg. aliquod semper repentinum malum insperatúmque significat. vt

Ecce manus iuuenem. & alio loco:
Ecce autem gemini à Tenedo.

ſcribit Aſconius hoc proprium eſſe Ciceronis, vt in rebus improuiſis hac particula vtatur: quod Virgil. cum cura legit & tranſtulit, cum apud alios interdum in rebus lætis vſurpetur. Ouid. *Ecce Corinna venit.*

NON *me Chaoniæ.*] ſenſus eſt: Oraculum Iouis Dodonei non me vincere in rebus amatoriis prædicendis. & ita oſtendit ſe tanquam oraculum vera prædicere amatoribus. in Epiro Chaones populi à Troiano Chaone nominati: Hic erat templum Iouis Dodonei oraculo illuſtre: quod monti Tomaro ſubiectum Pelaſgi conſtruxerunt: Auctores Strab. & Plin. In hoc templo columbæ,& quercus humana voce reſponſa dediſſe dicuntur, vt ſcribit Probus grammaticus: vnde à Virg. dictum eſt:

——atque habita Graiis oracula quercus.

ſcribit Herod. in II. Antiſtites Dodonei Iouis dicere ſolitos geminas ex Aegypto columbas euolaſſe, vtramque nigram, vnam quidem in Africam, alteram vero ad ipſos, quæ fago arbori glandiferæ inſidens humana voce loquuta ſit. Exiſtimat Herodotus mulieres fuiſſe, quæ reſponſa dederint, & ideo vocatas columbas, quia cùm barbaræ eſſent, ſimile quid auibus ſonare videbantur. Nigras dicunt fuiſſe, quoniam Ægyptiæ fœminæ fuerunt, quæ ſunt colore nigro. Seruius vero enarrās illud Virgilianum, *Chaonias dicunt aquila veniente columbas*, ita ſcribit: *In nemore Epiri reſponſa dabant columbæ, quod ideo fingitur, quia lingua Theſſala Peliades & columbæ & vaticinatrices vocantur.* Igitur per columbas Chaonias intelligere debemus oraculum Iouis Dodonei: quod erat prope Chaoniam regionem Epyroticam. In hanc Propertij ſententiam ſic ſcribit Ouid.

Sed neque Phœbei tripodes, nec corniger Hammon:
Vera magis vobis, quam mea muſa canet.

AVT *Amphioniæ lyræ.*] id eſt, quid tibi nunc prodeſt, ô Pontice, deſcribere Thebas, & bellum Thebanum, cum verſus heroicus nihil valeat ad amorem. Fabulæ tradunt Amphionem lyræ ſono ſuauiſſimo ſaxa traxiſſe, Thebas condidiſſe, quod ideo fictum eſt, vt inquit Solinus, quia eloquij ſuauitate homines rudes, & incultis moribus, ad obſequij ciuilis pellexit diſciplinam. Cithara cum cantu primus cecinit Amphion. auctor Plin.

MIMNERMI *verſus Homero.*] in rebus amatoriis Homero anteponitur Mimnermus, qui ſine amore, & iocis nihil iucundum eſſe cenſebat. ſicut oſtendit Horat. illo verſu:

Si Mimnermus vti cenſet ſine amore, iociſque
Nil eſt iucundum, viuas in amore iociſque.

de eodem alibi ait:

Si plus adpoſcere viſus Sit Mimnermus.

Fuit autem poëta Colophonius & ſcriptor Elegiarum, vt docet Strabo in XIIII.

MEDIO *flumine quæris.*] allegoricōs oſtendit Ponticum in magna copia laborare inopia, & cùm habeat ingenium fœcundiſſimum ſterilitate fatiſcere.

PRIMA *fauilla.*] tranſlatio eſt ab igniculo, qui quandoque ingentem exſuſcitat flammam, &, vt innuit eleganter Curtius, *parua ſæpe ſcintilla*

A *contempta magnum excitauit incendium.*

VINCVLA *noſſe rotæ.*] mauult amator Plautinus cum Hydra, apro, & Antæo decertare, quam cum amore, qui melle & felle fœcundiſſimus eſt, ſed amarum ad ſatietatem vſque ſuppeditat: ita Ponticus potius volet rotari in rota Ixionia, quam ſagittas Cupidineas experiri. Apud inferos Ixion hoc ſupplicio afficitur, vt religatus ad rotam cinctam ſerpentibus iugiter verſetur. Tibullus:

Illic Iunonem tentare Ixionis auſi
Verſantur celeri noxia membra rota.

Ouidius:

B *Voluitur Ixion, & ſe ſequiturque fugitque.*

Torquetur autem hoc cruciatu, quia, vt inquit Diodo. Iunonem de ſtupro interpellare auſus eſt. Heliogabalus, teſte Lampridio, Ixionis amicos vocabat paraſitos, quos ad rotam aquariam ligabat, & cum vertigine ſub aquas miſſos rurſus in ſummum reuoluebat.

ALTERNA *preſſerit ille manu.*] Plautina ſententia eſt: *Altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera:* Ita amor cum amatori paulum arriſerit, ſeque mitem præbuerit, mox allidit & peſſundat. In hanc ſententiam ait Martianus ſic ſcribens de dea Nemeſi: *Eiſdem quibus fuerat eblandita ictibus crebris verticem, complicatiſque in condylos digitis vulnerabat.*

C ACRIVS *illa ſubit.*] vera hæc eſt & ex penitiſſimis Veneris documentis deprompta ſententia, qua oſtenditur illius puellæ amorem altius illabi intra amatoris præcordia, quæ amatori obſequitur, quæ amatorem nulla non arte, omnibúſque blanditiis demeretur, & illaqueat: ita enim fit vt amor in dies augeatur, & acrius ſubeat intra medullas amatoris. Hoc enim vt ait Lucre. conciliat amorem diuturnum.

ATTIGIT *oſſa.*] per tranſlationem oſtendit amorem furtim, ſenſimque animos noſtros occupare, nec prius fieri manifeſtarium, quam intra medullas penetrauerit.

D DICERE *quo pereas.*] generalis ſententia, qua admonemur maximum eſſe ſolatium amatori puellam efflictim depereunti habere amicum, quicum poſſit ſuos amatores communicare. Hinc naſcitur curarum leuamentum, & animus noſter voluptate perfunditur: vnde non minus vere quam luculente ſcripſit Seneca:

Nullius boni ſine ſocio poſſeſſionem eſſe iucundam.

Et ait Ouidius:

Strangulat incluſus dolor, atque cor æſtuat intus.

E

IANVS DOVSA FIL.

DICEBAM *tibi venturos irriſor amores.*] Quatuor his verſibus idem dicit quod Alciphron in Epiſtolis ex perſona amatoris cuiuſdam. ὁ καὶ γελῶν τοὺς ἐκ τροφῆς παιδὶ δυσκλιέντας ὅλως εἰμὶ τοῦ πάθους.

DICERE, *quos iuuenes quæque puella domet.*] *Dicere* interpretor, quaſi ex oraculo promere, (hinc *Dictio* pro oraculo.) innuit enim ſe de amore conſultum reſpondere poſſe, quod & Tibullus de ſe ipſo profitetur:

Gloria cuique sua est. me, qui spernentur amantes,
Consulsent. cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, cùm me Veneris præcepta ferentem
Deducat iuuenum sedula turba senem.

QVAM *Pueri toties arcum sentire medullis.*] Malo legere, atque omninò ita restituendum puto:
Quàm Pueri totis arcum sentire medullis.
Sic Ouidius:
——totis bibit ossibus ignem.

QVARE, *si pudor est, quamprimùm errata fateri.*] Legendum arbitror *ni pudor est*, sententia aptissima atque etiam apertissima, si accommodentur huc illa Catulli
Flaui delitias tuas Catullo,
Ni sint illepidæ atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verùm nescio quid febriculosi
Scorti diligis. hoc pudet fateri.
Quæ non parum aperiunt mentem huius loci, si ita legatur, vt eum restituendum putamus.

DICERE *quo pereas, sæpe in amore iuuat.*] *quo* scilicet amore: aut legendum *quâ*, vt intelligatur amica. Alludit autem ad Prouerbium Græcorum, cuius & Plato in Symposio meminit: κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾶν τοῦ λάθρᾳ. vt enim Aristænetus in Epistolis inquit: πέφυκε πως πόθον ἐν μᾶλλον ἐπαύξειν ὁ λαθραῖος ἅμα καὶ σιγώμενος ἔρως. hinc Horatius:
——dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere, quâ pereat sagitta,

IANVS DOVSA PATER.

QVI *non ante patet, donec manus attigit ossa.*] *Attigit* pro *attigat* seu *attingat* positum opinor. Futurum antiquum. Sic Horat.
Edit cicutis allium nocentius pro *Edat.*

ELEGIA X.

O IVCVNDA *quies, primo cùm testis amori*
Affueram vestris conscius in lacrymis!
O noctem meminisse mihi iucunda voluptas,
O quoties votis illa vocanda meis,
Cùm te complexa morientem Galle puella,
Vidimus, & longa ducere verba mora.
Quamuis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et mediis cælo luna ruberet equis,
Non tamen à vestro potui secedere lusu.
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
A *Sed quoniam non es veritus concredere nobis:*
Accipe commissæ munera lætitiæ.
Non solùm vestros didici reticere dolores.
Est quiddam in nobis maius amice fide.
Possum ego diuersos iterum coniungere amantes,
B *Et dominæ tardas possum aperire fores,*
Et possum alterius curas sanare recentes,
Nec leuis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper, quæcunque petenda,
Quæque cauenda forent. nonnihil egit amor.
Tu caue, ne tristi cupias pugnare puellæ,
C *Né-ve superba loqui, né-ve tacere diu,*
Neu si quid petiit, ingrata fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit, quando contemnitur illa,
D *Nec meminit iustas ponere læsa minas.*
At quo sis humilis magis, & subiectus amori,
Hoc magis effectu sæpe fruare bono.
Is poterit felix vna remanere puella,
Qui nunquam vacuo pectore liber erit.

E PHILIPP. BEROALD. BON.

O IVCVNDA, *quies primo cum testis Amori.*] scribit Aristoteles in VIII. Ethicorum, & Pythagoricum præceptum est amicum seipsum esse alterum: & qui se mutuo amãt, bona sibi inuicem cupere. vnde verus amicus voluptatibus amice perinde lætari debet ac suis. Ita noster Propert. cum amicum Gallum ad amicam deduxisset, & illorum delitias inspexisset: non minus se gauisum esse testatur, quam si proprias voluptates percepisset, laudat itaque noctem illam, quæ

Gallus coram ipso fuit inter amplexus & oscula puellæ. Mox præcepta dat didascalica ad amorem diutissime conseruandum.

LONGA *mora.*] Pathos est ab amore qui sæpe efficit, vt amator coram domina vix & cunctanter verba depromat: Iuxta illud: *Incipit effari.* Quidam codices habent in longa mora, quod placet, cum idem tamen sit sensus.

IN *alternis vocibus.*] mutuis & quas vicissim ritu amatorio Gallus & puella proferebant.

CONCEDERE *nobis.*] legendum est concredere, vt sit sensus: Non dubitasti committere mihi, ô Galle, tuos amores, & fidei meæ credidisti. credere enim est fidei cõmittere. vt ait No. inde cõcredere dictum est. Plaut. *Si tibi cõcredo fides.*

MAIVS *ams. fi.*] non solum inquit, didici seruare fidem, & præstare silentium rebus arcanis, sed etiã, quod maius est, possum ex discordia rursus ducere in concordiam ipsos amantes, & medelas adhibere saluberrimas languenti amatori. Diuersos intelligit disiunctos, atque discordes: inter quos dissidium est. quidam diuisos legunt. *In amore bellum est, pax rursum, inimicitiæ, induciæ, suspitiones, iniuriæ.* vt ait Teren.

CVRAS *re.*] vt inquit Cic. in Philippicis: *Malũ nascẽs facile opprimitur, inueteratũ fit plerũq; robustius.*

TV *caue ne tristis.*] hoc est munus quo Gallum remuneratur pro amoribus sibi concreditis. Præcipit enim obsequendum esse puellæ, nec cum illa irata velitandum: quoniam, vt inquit Sene. *Fœminarum iræ acres sunt.* & (teste poëta Satyrico) *Vindicta nemo magis gaudet quam fœmina.* hoc idem monet Ouid.

Cede repugnanti, cedendo victor abibis.

NEVE *tacere diu.*] docet seruandam esse cum amica in rebus omnibus mediocritatem. silentium enim si immodicum est, reprehensibile est. vnde apud Curtium ait Alexander, *Rumpite obstinatum silentium.*

NEV *tibi pro vano.*] optimum documentum, quo admonemur nihil esse promittendum amicæ, quod deinde dare nolimus. sunt enim multi, qui pollicitationibus apud puellas sunt liberalissimi: vbi autem re opus est, tenacissimi. melius est non polliceri, quam pollicita non præbere. monet itaque Gallum, vt caueat ne verba benigna, hoc est liberalitatem sonantia sint irrita, sed si quid benigne promiserit, benigne largiatur. Benignitas enim dicitur beneficentia & liberalitas, vt docet Ci. in officiis: & benignum vocamus liberalem, atque munificum. Horatius,

Quippe benignus erat.

AT *quo.*] id est, quãto: & hoc tãto vt supra exposuimus: Ille magis fruitur amoris fructu qui summisse agit apud amicam, quam qui insolenter. obsequio enim complacandæ sunt fœminæ, non superbia exasperandæ.

NVNQVAM *liber.*] qui amat mancipatus est Cupidini. inde Tibul.

Iam mihi libertas illa paterna vale.

M. ANT. MVRETVS.

O IVCVNDA *quies.*] Gallus arbitrum deliciis suis adhibuerat Propertium, quo è spectaculo tantam se voluptatem hausisse dicit: vix vt, quamuis multa iam nocte, abstrahi posset: vtque nunc quoque in illius noctis memoria iucundissime acquiescat. ergo, vt præmium amico aliquod persoluat, defert ei operam suam ad multa amantibus vtilia, quorum se peritum esse profitetur. ad extremum etiam ei aliquot conseruandi amoris præcepta tradit.

VESTRIS *conscius in lacrymis.*] non desunt, qui legendum putent,

Affueram vestris conscius inlecebris.

lacrymarum tamen, eadem in re narranda, infra quoque mentio est,

Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere iniectis, Galle, diu manibus.

CVM *te complexa.*] ita videtur dixisse, complexa puella: vt,

Expertæ metuens iurgia sæuitiæ.

vtrunque autem etiam Ciceronis exemplo confirmari potest. in oratione pro Sex. Roscio, *Scelestum dij immortales, ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo vno maleficia ac scelera omnia complexa esse videantur.* Idem pro Balbo, *Cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret, huius præsens, experta, atque perspecta, obtrectatorum voce lædetur?* Atque in his loquendi generibus nimium religiosi sunt quidam nostri temporis homines: ita vt interdum etiam veterum scripta corrumpere audeant, sicubi illi contra eam, quæ nunc est, consuetudinem aliquid dixisse videantur. quale est, quod designarunt in ipso principio elegantissimi libelli, quem scripsit Q. Cicero de petitione Consulatus. id enim cum ita legeretur in omnibus ad vnum antiquis libris, *Etsi tibi omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, aut vsu aut diligentia possunt:* inculcata est ab istis vox, *homines:* ne illud *consequi*, παθητικῶς, vt erat, positum videretur. Atqui si librorum consensio, quam nemo vnquam sapiens contemnendam putauit, nihil istos mouebat: recordari certe eos par fuit, assequendi verbum eodem illo modo vsurpatum esse à M. Tullio: cuius hæc sunt è secundo libro accusationis, *Ac ne forte ea, quæ remota de medio, atque erepta vobis sunt, omnia ita condita fuisse, atque ita abdite latuisse videantur, vt hac diligentia, quam ego à me expectari maximè puto, nihil horum inuestigari, nihil assequi potuerit, &c.*

QVAMVIS *labentes.*] duæ caussæ erant, cur discederem: quod & dormire cupiebam, & media iam nox erat. at vtranque facile superabat ea, qua, spectandis lusibus vestris, perfundebar, voluptas.

ET *mediis cœlo.*] ad medium cœli prouectis.

LVNA *ruberet.*] est ne ita dictum, *ruberet*, vt,

——*vento rubet aurea Phœbe?*

equidem nihil tale intelligendum putarim. sed ne Volsco quidem accesserim, qui rubescere ait Lunam, cum appropinquat dies. mihi sane pallescere potius videtur. opinor igitur, iccirco hoc verbo vsum poëtam, quod multi è veteribus ignea esse credebant corpora cœlestia: eamque opinionem poëtæ fere insequuntur, ruber autem est ignitorum color.

EQVIS.] alij à mulis, alij à iuuencis eius bigas trahi aiunt.

QVANDO *contemnitur.*] fuit tempus, cum vix putabam, vocem, quando, hoc sensu à veteribus acceptam legi. legitur tamen, sed non sæpe. Plautus, A

Hæc vrbs Epidamnus est, dum hæc agitur fabula.
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum.

Idem,

Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi:
Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.

IANVS DOVSA FIL.

CVM *te complexa morientem Galle puella.*] sic suprà: B

Sed me complexæ remorantur verba puellæ.

Petronius: *Animam nostro amplexam in corpore.* id est, περιπλεχθεῖσαν. Vide Priscianum lib. VIII. & X. Quod autem dicit *morientem*, egregie tangit affectus amantium, vt & Sappho:

Τεθνάναι δ' ὀλίγω δέουσα
Φαίνομαι ἄπνυς.

Et ipse infrà:

Et cupere optatis animam deponere verbis.

Sed omnium elegantissimè & χαριέντως hæc describit Heliodorus lib. II. καὶ εἶχον ἀλλήλους ἄναυδοι μὲν ἀλλ' ὥσπερ ἡνωμένοι, καὶ μικροῦ ἔδει ἀποθνήσκειν αὐτούς, οὕτως ἄρα καὶ τὸ χαρᾶς ὑπερβάλλον εἰς ἀλγεινὸν περιίσταται πολλάκις, καὶ τὸ ἡδονῆς τὸ ἄμετρον ἐπισπᾶται νόσον ἑλόμενον, ex quibus verbis haud difficile explicatu est, cur *lacrymas*, *dolores*, *curas* toties iteret hac Elegia. C

NON *tamen à vestro potui secedere lusu,*
Tantus in alternis vocibus ardor erat.]

Sic infra Elegia XIII.

Non ego complexus potui diducere vestros,
Tantus erat demens inter vtrósque furor.

NON *solùm vestros didici reticere dolores.*] quid si *calores*? nam dixerat antea:

Tantus in alternis vocibus ardor erat.

Tamen neque vulgatum illud displicet propter caussam, quam modò exposui. D

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ADPVERAM *vestris conscius in lacrymis.*] Propertiana loquutio, *conscius in lacrymis*, imo archaica. Alibi:

Surget & inuitis spiritus in lacrymis.

Item:

Tantus in erepto surgit amore dolor.

Catullus,

——*in mala Deditus vir adultera.*

VIDIMVS *in longam ducere verba moram.*] Alia lectio est in scripto:

Quum te complexa morientem, Galle, puella E
Vidimus, & longa ducere verba mora.

Quæ non aspernanda sunt.

ET *possum alterius curas.*] Liber noster, *pœnas.*

QVÆQVE *cauenda forent.*] Interpolata ex veteri scriptura. Nam ita in libro nostro legitur: *Quæque quærenda forent.* lego, *Quæve verenda forent.* Nihil tamen de sententia deperit.

ELEGIA XI.

ECQVID *te mediis cessantem Cynthia Baiis,*
Quà iacet Herculeis semita littoribus,
Et modò Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis æquora nobilibus,
Nostri cura subit memores abducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit è nostris Cynthia carminibus?
Atque vtinam mage te remis confisa minutis
Paruula Lucrina cymba moretur aqua:
Aut teneat clausam tenui Teuthrantis in vnda
Alternæ facilis cedere lympha manu,
Quàm vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito littore compositam:
Vt solet amoto labi custode puella
Perfida, cõmunes nec meminisse deos.
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
Sed quod in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri: culpa timoris erit.
An mihi sit maior caræ custodia matris,
Aut sine te vitæ cura sit vlla meæ?
Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.
Seu tristis veniam, seu contra lætus amicis:
Quidquid ero, dicam, Cynthia caussa fuit.
Tu modò quamprimùm corruptas desere Baias.

Multis ista dabunt littora dißidium.
Littora, quæ fuerunt castis inimica puellis:
Ah pereant Baiæ crimen amoris aquæ!

PHILIPP. BEROALD. BON.

ECQVID *te mediis cessantem Cynthia Baiis.*] interrogat Cynthiam fruentem Baiano secessu, & delitiis indulgentem: nunquid pristini amoris recordetur: dicitque se timere non modicè illud Baianum diuersorium vbi multæ puellæ corrumpebantur: hortaturque vt cito velit in vrbem repedare: quoniam solus sibimet grauis est.

ECQVIDEM.] pro nunquid. ecquis pro nunquis, eleganter dici solet. Cic. in Pisonem: *Ecquid vides: ecquid sentis.* Plaut.

Ecquis aperit ostium.——

BAIÆ.] in Campania amœnissimæ fuerunt ab omnibus fere scriptoribus celebratæ. Adeo vt dixerit Horat.

Nullus in orbe locus Baiis prælucet amœnis.

Hîc aquæ erant sanandis morbis & voluptati accommodatissimæ, vt refert Strabo. Baias diuersorium vitiorum vocat Seneca, quoniam nimia illa amœnitas animos effœminabat: vbi audiebantur conuitia nocturna canentium, vbi meretrices visebantur, vbi cymbæ erant variis pictæ coloribus: lege Senecam in septimo epistolarum ad Lucilium multa luculentissime scribentem in Baianam luxuriam. Dictæ sunt Baiæ à socio Vlyssis Baio, vt scribit Strabo in v. & meminit Sillius in octauo.

SEDES *Ithacesia Baiæ.*] ordo est: Ecquid cura nostri subit te, ô Cynthia, cessantē mediis Baiis.

HERCVLEIS *semita littoribus.*] ferunt Herculem viam haud procul à Baiis construxisse, quę Herculea sit vocitata, vt auctor est Dio. in v. de qua sic scribit Strabo in v. *Lucrinus sinus vsque Baias latitudinem pandit, quæ ex exteriori pelago per aggerem longitudinis stadiorum octo, latitudinis autem vnius orbitæ arcetur. Illum autem ab Hercule traducendarum à Gerione boum causa aggeratum fuisse perhibent, quem Agrippa posterioribus temporibus exornauit.* De hac via Herculea loquitur poëta, quam semitam appellat, quoniam pedibus perambulari vix poterat. Hanc Cic. in oratione contra Rullum viam Herculaneam vocat, eámque multarum delitiarum fuisse significat: in eodem tractu Campano fuit ciuitas nomine Herculaneum, & Pompei ab Hercule conditi, quia victor ex Hispania pompam boum duxerat, vt Seruius & Solinus tradiderunt.

THESPROTI *subdita regno.*] loca Campaniæ intelligit, sed quærendum est quare appellet regnum Thesproti: an quia in Epyro vbi Thesproti populi sunt Acherusia est palus, sicut in Campania prope Cumas, altera est Acherusia. ideo propter similitudinem locorum & nominis Baiana loca subdita esse dicit regno Thesproti? an vero quod olim Thesphrotij tenuerint loca illa Campaniæ, cum scribat Strabo Græcas esse res Campanorum, Græcisque permistas.

MAGE *te.*] pro magis. ritu antiquorum dicit se potius hoc velle, vt Cynthia nauiget per lacum Lucrinum in exigua cymba, quam vt audiat susurros: & verba blanda alterius amatoris. Cymba nauicula est. Cicero: *Cymbarum ante pedes multitudo.* Vir. *Gemuit sub pondere cymba Sutilis.*

AQVA *Lucrina.*] contiguus Baiis est Lucrinus lacus, vt ait Srabo: & Florus in primo sic scribit: *Tēpentes fontibus Baiæ, Lucrinus, & Auernus quædam maris ostia.* Augustus immisso mari in portum Lucrinum & Auernum prope Baias, effecit portum Iulium, vt auctor est Tranquillus. de quo intellexit Virg.

Iulia quà ponto longe sonat vnda refuso.

TENVI *Teutatis in vnda.*] nomen esse videtur pusilli fluminis siue lacus propinqui Baiis. possumus intelligere ibi fuisse templum Mercurij: quem prisci Teutatem vocitarunt: Quem Plato in Phedro Teuth appellat, eúmque inuentorem fuisse geometriæ, & astronomiæ, atque talorum refert. cuius sit etiam mentio ab Eusebio in præparatione euangelica. Hunc Galli humano sanguine placabant, vt docet Lactantius in primo Institutionum: de quo ait Lucan.

Teutates horrénsque feris altaribus esus.

VT *solet amota.*] dolet puellas sine custode labi præcipites ad impudicitiam. Vt, cum dolore & tractim legendum est: & accipitur pro quemadmodum & quantum. Ita apud Persium:

Vt nemo in sese tentat descendere nemo.

Et apud Virgi. *Vt vidi vt perij.*

Aliquando Vt significat vtinam. Plaut.

Vt dij perdant qui primus horologium reperit.

COMMVNES *deos.*] quos communi cōsensu veneratur amator & amica. per quorū numina mutua per iusiurandum fide astringuntur: & dij peculiares amatorum sunt Venus & Cupidines.

CORRVPTAS *desere Baias.*] diximus supra Baias dici à Sen. diuersorium vitiorum. Vnde & Martialis scribit matronam castissimam factam esse Helenam, hoc est impudicam & adulteram, dum Baianis sæpe fouetur aquis: & nunc poëta Baias detestatur: & crimen amoris appellat: quia amorem faciebant criminosum corrumpentes puellas illuc secedentes.

M. ANT. MVRETVS.

ECQVID.] profecta ad aquas Cynthia, atque illic desidente, metuit, ne ipse ex animo illius excidat; néve se alius quispiam in eius amorem insinuet. quare eam, vt illa loca relinquat, hortatur. ordo autem verborum, quòd est paulo perturbatior, fefellit interpretes. eum igitur indicabo: Ecquid cura subit te, ô Cynthia, cessantem mediis Baiis abducere, id est, abducendi, exigendi, noctes memores nostri?

ET *modo.*] exponit, quod antea dixerat, cessantem. ita, inquit, ociosam & vacuam, vt totos dies mireris modo ac contēpleris vicinū mare, aliud præterea nihil negotij habeas. sed quod illa maria Epiro, id enim Thesproti regnū est, subdita esse dicit: equidē, id quo modo accipiendum sit,

non assequor. nam neque ea quæ à Beroaldo & Volsco dicta sunt, placent: neque mihi quicquam, quod plane approbem, venit in mentem.

ABDVCERE.] ita est in meo vetere libro, non, vt in aliis, *adducere*.

A NOSTRIS *carminibus*.] à lectione meorum carminum, quæ tuam mei memoriam confirmarent. erat autem erudita hæc puella, vt multis è locis intelligimus, mirificéque versibus Propertij capiebatur. vnde est illud,

Nam mea cum recitat, dicit, se odisse beatos.
Carmina tam sanctè nulla puella colit.

ATQVE *vtinam*.] vtinam potius aut nauigando, aut natitando ocium fallas, quam aures alienis blanditiis præbeas.

MAGE.] potius.

AVT *teneat*.] aut lympha facilis cedere alternæ natitantis manui, teneat te in vnda tenui clausam.

NATITANTIS.] alij, *Tentantis*: & meras ineptias afferunt. meus vetus liber habet, *natantis*: vnde coniecturam feci, legendum esse, *natitantis*.

MANV.] antiquè: pro, *manui*. sic alibi,

Nec mirum: cum sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu. rursusque alibi,
Tantaleæ poterit tradere poma manu.

ATTVLERINT *nostri*.] interpunctum vnum perperam collocatum, & vna litera mutata, sententiam huius versus corruperant: qui à nobis ex antiquis libris integritati restitutus est.

AN *mihi sit maior*.] in aliis libris, *An mihi non maior*: quo nihil ineptius.

IANVS DOVSA FIL.

QVOD legitur hac Elegia:
VT *solet amoto labi custode puella*
Perfida, communes nec meminisse Deos.]
variam explicationem admittit. nam aut ad omnes deos referri potest, quibus quasi testibus interpositis mutua inter se fide amantes obligantur: aut ad solam Fortunam, quæ omnibus communis est, & nunc huic, nunc alij benigna, quæ sententia firmatur hoc Menandri versu: ἄνθρωπος ὢν μέμνησο τῆς κοινῆς τύχης. aut etiam ad Venerem, quam ab inconstantia ποικιλόθρονον appellat Sappho. aut denique ad Amorem, qui paullo momento mutabilis & ita vt leuitate sua constans est, vt periculum sit patri siue vitrico, ne cognominis sui iacturam faciat, quem [illegible] Græci vocant: nam vt Ouidius dixit in Amoribus:

Quòd dubius Mars est, per te priuigne cupido est.

Hinc & ipse supra:

Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Vt non alterna presserit ille manu.

Et lib. II.

——sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus antè fuit.

Et Philostratus in Epistolis: καὶ ἔρως, καὶ νέμεσις ἴσως θεοὶ καὶ συνοικοῦσι. vbi Nemesim & Amorem ritè coniunxit, nam eius Deæ simulachra, veluti

A & Cupidinis, apud Smyrnæos alata fuerunt, teste Pausania, quòd eius numen, vt idem addit, in iis potissimum appareret, qui amore capti sunt. *Communes* porro *Deos* dixit similiter ac Pindarus in Nemeis:

Κοιναὶ γὰρ ἔρχοντ' ἐλπίδες
Πολυπόνων ἀνδρῶν.

Sic Apuleius in libro de Mundo *communem stellam Cylleniam* appellat. quod, quia aliis minus intellectum, occasionem dedit locum in suspicionem corruptelæ vocandi, breuiter explicare constitui. Ac primùm communis appellari potest Mercurius, quòd cuicunque se Planetæ
B coniunxerit, cum eo vires suas communicet, & noxius salutarisve fiat pro noxia aut salutaris stellæ applicatione & aspectu. Est enim sidus versipelle, vt cum Plauto loquar, eóque per aquæ elementum apud Platonicos designari solitum. Notandum autem, quod minus tritum est, hic caussam à quibusdam desumi, cur eloquentiæ præses appelletur; quod nos docuit Ioannes Salisberiensis Policratici sui, siue De nugis curialium lib. 2. cap. XIX. *Mercurius verò talis est, qualem vicini Planetæ permiserunt: cùm & ipse*
C *conuertibilis naturæ sit, potentioribúsque cohæreat. Vnde plerique eum præsulem eloquentiæ opinantur, eò quòd illa iuncta sapientiæ plurimùm prosit, malitiæ sociata noceat plurimùm.* Neque hæc apud alium scriptorem facilè reperias. quæ ille haud dubiè, vt pleráque omnia, hausit ex aliquo eorum qui nunc non exstant. Epitheti *communis* & altera ratio è secretiore Astrologorum doctrina peti potest. qui inter erraticas stellas Solem Iouémque diurnas appellârunt, nocturnas autem Lunam & Venerem. φθορᾶς verò & interitus caussam adferentes Saturnum & Martem, hunc nocturnis, illum diurnis attribuerunt. bonis siquidem beneficisque stellis id ipsum, per quod boni effectores sunt, eripiunt. nam & Saturnus,
D vt pote rigoris genitor, diurnum calorem à Sole ac Ioue quodammodo aufert, & Mars humorem illum genitalem, quo Luna & Venus pollent, exsiccat. Mercurium porro communem diei noctisque & stellarum, quæ tenebris aut luci præsunt, esse voluerunt. Potest etiam allusisse videri Apuleius, ad illud Græcorum κοινὸς ὁ ἑρμῆς, quod adagionis vim in se habet, quóque Plutarchus & Lucianus vtuntur. Quid quòd æquam potestatem in cœlo & apud inferos illi tribuant Poëtæ? vnde *superis Deorum Gratus & imus* Horatio, *commune profundis, Et superis numen* Claudiano dicitur. Quod tametsi non tam
E ad Mercurij sidus quàm ad numen pertinet, tamen addere visum est, ne cui eo nomine tantum id elegantius videretur, quod id nos fugisset.

TV *mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes.*] Planè Homericum est. ita enim Andromache apud illum Iliad. Z.

Ἕκτορ ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Οὐδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

Huc quoque pertinet illud Eleg. XVIII. lib. II.

Cùm tibi nec frater, nec sit tibi filius vllus,
Frater ego, & tibi sim filius vnus ego.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PROXIMA *Misenis.*] Non est dubium, quin ita interpolarint Grammatici, quum lepida repetitio sit in nostro:

Et modo Thesproti mirantem subdita regno.
Et modo Misenis æquora litoribus.

Intelligit duo maria, alterum Puteolis, alterum Misenis subiectum. Dion libro quadragesimo octauo. ἐν τῇ Κύμῃ τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Ποτιόλων μηνοειδές ἐστιν, ὄρεσί τε γὰρ σμικροῖς καὶ ψιλοῖς πλὴν βραχέων περιείληπται, καὶ θάλασσαν τεναγώδη ἔχει. Deinceps ponit quæ sint ex θαλάσσης. In medio mari erant Baiæ, nempe prope Lucrinum. Quum igitur Cynthia esset Baijs, sinistra Puteolos, quæ est ora Thesprotia, dextra Misenos habebat. In ora Cumarum, quæ Græcis coloniis Abantum prætexta erat, sunt Puteoli: quam oram propterea vocat regnum Thesproti: quia Thesprotus nomen fecit Thesprotiæ Epiri: à qua Ambraciotæ Abantes profecti occuparunt eam oram, vbi fuerunt Cumæ, vt & mediocriter docti sciunt. Quid ergo est, quod hic tam facessit negotium doctissimis viris? Amabo desinite præclari in doctrina viri amplius in re vel pene pueris nota hæsitare. Primus ansam dubitandi dedit amœni vir ingenij Iacobus Sannazarus apud Miscellaneorum scriptorem Alexandrum de Alexandro Neapolitanum. Si miraris Thesprotiam dici, vbi Thesproti coloni sunt, quare non etiam miraris Frãciam in Celtis, Langobardiam in Insubribus, Burgundiam in Maxima Sequanorum, Vasconiam in Nouempopulania? At tandem rixarum modus esto. Quod igitur falsa sit, & vitiosa vulgata lectio, apparet ex verbis Dionis, quæ supra adduximus. Nam idem sinus non est subiectus Thesprotiæ Cumarum, qui & Misenis, sed inter hunc & illum, est Baianus. Quare hic error erat & ἀχρονογραφία.

NOSTRI *cura subit memores abducere.*] *Abducere noctes* pro abnoctare dici Latine, non mihi persuadeo. Sed neque multo sincerior est scriptura nostra, *adducere*. Lego, *ab ducere*. Perspicuè verum.

SVSTVLIT *è nostris.*] Nam in caussa erit, ne amplius celebrem te carminibus meis.

TENVI *tentandis in vnda.*] Noster liber & commentarius Beroaldi, *Teutantis.* vna litera plus lego, *Teutrantis.* Nam Teuthras est nomen Græcum, & aptum Græcæ coloniæ. Præterea Silius Italicus quum soleat fingere nomina à fluuiis, Cumanum quendam vocat Teuthrantem, libro vndecimo: *Personat Euboica Teuthras testudine Cymes Incola.* A Baiano igitur vicino fluuiolo Teuthrantem Cumanum vocat. Quis dubitat esse aut fluuiolum, aut Euripum, quum ipsemet poëta id clare loqui videatur?

CVLPA *timoris erit.*] Noster, *timentis.*

ELEGIA XII.

QVID mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quòd faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo diuisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram. non illo tempore cuiquam
Contigit, vt simili posset amare fide.
Inuidiæ fuimus. num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?
Non sum ego qui fueram. mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primùm longas solus cognoscere noctes
Cogor, & ipse meis auribus esse grauis.
Felix qui potuit præsenti flere puellæ.
Non nihil aspersis gaudet amor lacrymis.
Aut si despectus potuit mutare calores:
Sũt quoque translato gaudia seruitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac desistere fas est.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVID *mihi desidiæ non cessas fingere crimen.*] Quidam annectunt hæc superiori Elegiæ, alij disiungunt. & melius est vt separemus: cum tamen sententia istius Elegiæ dependeat à superiore. Conqueritur enim propter Baianum secessum abalienatam esse ab amore suo Cynthiam, nec se posse id efficere, quod multis fuit præsentissimo remedio, vt scilicet in aliam transferat amorem; quoniam Cynthia est primus amor, & futura est vltimus. In principio

Home. in xi. Odyssex. Diodorus in quinto. Strabo in octauo. Hoc significare videtur & Ouid. illo versu dimidiato, *Tu visus Enipeus.*

TENARIVS *deus.*] id est, Neptunus, qui templum habet in Tenaro. Est autem Tenaron promontorium & oppidum & spiraculum in Laconia, vt ait Solinus: de templo Neptuni Tenarij meminit Strabo.

SALMONIDA.] id est, Tyro siue Tyronem Salmonei filiam.

MISTVS *Hæmonio Enipeo.*] quoniam Neptunus induit forma Enipei, quem diligebat Tyro. Homerus:

Illa nimis flagrans dilexit Enipea diuum.

Quæritur quare à Propertio Enipeus vocetur Hæmonius, cũ nõ sit in Thessalia, quę & Hæmonia dicitur, sed in Achaia. Scire debes duos esse Enipeos, alterum Achaicum labentem (vt diximus) ex fonte Salmone: alterum in Thessalia, qui ex Pharsalo delabens ingreditur Apidanum, vt ait Strabo. Nunc poëta scitissime ritúque poëtico Epitheton vnius tribuit alteri.

AMOR *Herculis Heben.*] Hercules indutus tunicam imbutã sanguine Nesseo, vt scribit Ouidius, tantis cruciatibus vexari cœpit, vt per Oetam Thessaliæ montem furibundus præ dolore discurreret: Tandem desperata salute pyram sibimet struxit in Oeta, quam succendit Philoctetes, ibique exuit mortale corpus, quod immortale erat in cælum translatum est. Herculi iam deo facto nupsit Hebe Iunonis filia Iuuentutis dea, in cuius delitiis versabatur, quam Home. dixit pulchris pedibus fuisse decoratam. Hæc tradunt Ouid. Diodor. & Seneca, qui scripsit Tragœdiam: cui titulus est Hercules Oeteus. vnde dicit poëta in Oetes iugis sensisse Herculem prima gaudia, quoniam in Oeta monte combustus factus est deus: & maritus Hebes, quæ Græcè dicitur pubertas.

PROXIMA *Ledæ.*] amicam Galli formositate proximã dicit esse Ledæ matri Helenæ, quam Iuppiter adamauit, ex qua nati sunt Castor, Pollux, & Helena. fabula notissima. Higinius non nihil dissentit, ouum tergeminum referens ad Nemesium, quod & Ausonius sensit, tanquam Nemesis genuerit Castores & Helenam, Leda vero educauerit. Dicit poëta vnam amicam Galli gratiorem esse Castoribus, & Helenæ, qui tres partus sunt Ledæ: vel, quod magis existimo, eam dicit formosiorem esse tribus, hoc est Helena & Clitemnestra, quæ sunt Ledæ partus, & ipsa Leda. & fœmina solis ita fœminis in formositate anteponetur. & ex hoc formosissima ostẽditur, quæ pulchertimas pulchritudine exuperaret. Sẽsum autem, quo facilius intelligatur, ita ordinamus: Cum sit Cynthia proxima Ledæ, & cùm sit proxima Ledæ partu: Bis enim accipiendum est proxima, & partu casus erit datiui pro partui, sicut doctissimos veterum loquutos esse comperimus, & docet Gellius.

INACHIIS *&* *blandior heroinis.*] heroinas Inachias appellat: quas Ouid. & Statius heroidas nominauerunt: & pro vxoribus heroum accipiuntur, & ætas heroica describitur ab Hesiodo. Ouid.

Tu quia tam longa es veteres heroidas aquas.

Statius:

Quæ veteres Latias, Graiásque heroidas æquas.

Inachiæ ab Inacho dictæ, qui fuit rex Argiuorum, vt scribit Eusebius, qui filium habuit Phoroneum, qui primus legum thesauros, & iudicia constituisse fertur: quod Valerius in epistola ad Ruffinum scribit, & Isidorus docet: & in decretis scriptum est in septima distinctione.

M. ANT. MVRETVS.

TV, *quod sæpe soles.*] lætaberis, inquit, & quodam modo insultabis mihi, quod, distractus à Cynthia, amores amplius non exerceam.

CERTVS *&* *in nullo.*] bis repetenda negatio: in nullo amore certus, in nullo amore quæris moram.

ET *primo lapsus.*] lapsus ab illo constantiæ gradu, quem prius obtinebas.

ADIRE.] quidam alij, *amore.* ego, *amare.*

VIDI *ego.*] supra. *O iucunda quies.*

NON *sic Aemonio.*] fabula est apud Home. libro vndecimo Odysseæ, & apud Lucianum in dialogis marinis. ac suspicari fortasse confidentior aliquis possit, Propertium hoc loco aut memoria lapsum, aut nominum similitudine deceptum esse. is enim Enipeus, cuius amore flagrauit Tyro, non in Thessalia est, sed in Peloponneso. in Thessalia autem non Enipeus, sed Eniseus fluit, ab hoc alius: vt cognoscitur ex octauo Strabonis libro. ac, ne quis forte, Beroaldum secutus, putet vtrunque Enipeum dici; & Propertiũ, more poëtis non inusitato, vni eorum tribuisse, quod esset alterius; apud Strabonem autem Eniseum pro Enipeo vitiosè legi: sciat hoc ipsum discrimen Enipei & Enisei è Strabone annotatum esse ab Eustathio.

NEC *sic cæleStem.*] Hercules in cælum receptus, Heben duxit vxorem. itaque apud inferos, non Herculem ipsum, sed eius tantum simulacrum Homericus Vlysses sibi visum esse ait,

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον. αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃς, ϗ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο, ϗ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

FLAGRANS *amor.*] ac serio quidem flagrans. neque vllus vnquam amator verius ardere dictus est.

ET *Leda partu.*] pro, *partui,* antique.

GRATIOR *vna tribus.*] Leda ipsa, & Helena, & Clytemnestra: vt præclare exposuit Beroaldus.

IANVS DOVSA FIL.

NEC *sic cæleStem flagrans amor Herculis Heben.*] Duo hic obseruanda sunt, primum *flagrans* cum accusatiuo iunctum: deinde *flagrans amor Herculis* positum pro Hercule amore incenso, vt *error Herculis* pro errante Hercule infra Eleg. xx. sic *hiatum leonis* pro leone hiante inuenias apud Lucretium lib. v. *equorum vires* pro valentibus equis apud Manilium lib. v. μεγασθενέων κλυτὰ φῦλα pro inclytis Heroibus apud Appollonium

fugam seruorum pro seruis fugitiuis in leg. 2. ff. de lege Fabia.

Nec *sinet abduci.*] In libro clarissimi Modij erat *adduci*, quod probo. pendet enim ἀπὸ κοινοῦ *præteritos fastus.*

IANVS DOVSA PATER.

ET *cupere optatis animam deponere verbis.*] Alij non *verbis* sed *membris*, legunt, quibus assentior, maximè propter Pentametrum, quod sequitur:

Et quæ deinde meus celat amice pudor. Sic lib. II.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita.

Concludit deinde:

Qvæ *tibi sit felix, quoniam nouus incidit error,*
Et quodcunque voles, vna sit ista tibi.] Ego tamen *quotcunque* malim, vt significet Poëta, vtinam sit vna hæc instar omnium,

Et quasi pro multis millibus vna tibi.

Sic Sappho Ouidiana ad Phaonem suum:

Abstulit omne Phaon, quod vobis antè placebat.
Improbe, multarum quod fuit, vnus habes.

Elegans autem loquutionis ratio est illa Elegia sequenti.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ANIMAM *deponere verbis.*] Non dubitamus Propertium scripsisse:

Et cupere optatis animam deponere membris.

In libris scriptis mirum quoties *verba* & *membra* inter se commutant.

Sensit *in Oetæis.*] Falsum. In Oetæis iugis arsit, in cælo duxit Heben vxorem. Legendum: Sensit ab Oetæis. Idem inuenies apud alios poëtas. Nam ab Oetæis rogis in cælum venit, vbi Heben accepit.

Illa *sit Inachiis & blandior.*] Male hæc distinguuntur vulgo. Ita enim potius legenda:

Nec mirum, quum sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu: gratior vna tribus
Illa sit Inachiis & blandior Heroinis.

Tribus Inachiis heroinis. hoc est Leda, Helena, & Clytæmnestra. Nam male interpres Beroaldus.

Et *quodcunque voles vna sit ista tibi.*] Martialis:

Et quicquid voluit testa vocatur anus.

ELEGIA XIIII.

Tv licet abiectus Tiberina molliter vnda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modò iã celeres mireris currere lintres,
Et modò tam tardas funibus ire rates.
Et nemus omne satas intendat vertice siluas,
Vrgetur quãtis Caucasus arboribus,
Non tamen ista meo valeant contendere amori,
A *Nescit amor magnis cedere diuitiis.*
Nam siue optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem:
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub æquoribus:
Tum mihi cessuros spondent, mea gaudia reges;
B *Quæ maneant, dum me fata perire volent.*
Nam quis diuitiis aduerso gaudet amore?
Nulla mihi tristi præmia sint Venere.
Illa potest magnas heroũ infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor:
C *Illa neque Arabium metuit transcendere limen,*
Nec timet ostrino Tulle subire toro,
Et miserum toto iuuenem versare cubili.
Quid releuãt variis serica textilibus?
Quæ mihi dum placata aderit, non vlla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

D
PHILIPP. BEROALD. BON.

TV *licet abiectus Tibe. mol. vn.*] anteponit amorem Cynthiæ delitiis aliis omnibus & voluptatibus, in quam sententiam ait Plautinus amator: *Sibi habeant regna reges, sibi diuitias diuites, mihi amare relinquatur.* Alloquitur Tullum luxuriosis delitiis defluentem.

Lesbia *Men. vina.*] inter vina generosa numeratur vinum Lesbium, quod suauius Rhodio dixit esse Aristo. Lesbium vinum in primis celebrauit Erasistratus medicus: & Cæsar dictator
E epulo quod Romanis dedit inter cætera vina Lesbium apposuit. de quo Horat. in Epodo:

Et Chia vina & Lesbia.

de hoc loquitur Virgili. in Geor.

Quam Methymnæo carpit de palmite Lesbos.

& Ouidi.

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Est enim Methymna ciuitas in Lesbo, vt meminit Stra. Mentoreum opus intelligit vasa potoria pretiosa. Fuit enim Mentor vascularius, hoc est vasorũ artifex peritissimus, vt auctor est Plinius in trigesimo tertio. *Lucius Crassus orator duos habuit scyphos Mentoris manu cælatos, centum sestertiis emptos: confessus est tamen se bis nunquam vsum esse propter verecundiam.* Vasa Mentoria consecrata

Home. in xi. Odyssee. Diodorus in quinto. A Strabo in octauo. Hoc significare videtur & Ouid. illo versu dimidiato, *Tu visus Enipeus.*

TENARIVS *deus.*] id est, Neptunus, qui templum habet in Tenaro. Est autem Tenaron promontorium & oppidum & spiraculum in Laconia, vt ait Solinus: de templo Neptuni Tenarij meminit Strabo.

SALMONIDA.] id est, Tyro siue Tyronem Salmonei filiam.

MISTVS *Hæmonio Enipeo.*] quoniam Neptunus induit forma Enipei, quem diligebat Tyro. Homerus:

Illa nimis flagrans dilexit Enipea diuum. B

Quæritur quare à Propertio Enipeus vocetur Hæmonius, cũ nõ sit in Thessalia, quę & Hæmonia dicitur, sed in Achaia. Scire debes duos esse Enipeos, alterum Achaicum labentem (vt diximus) ex fonte Salmone: alterum in Thessalia, qui ex Pharsalo delabens ingreditur Apidanum, vt ait Strabo. Nunc poëta scitissime ritúque poëtico Epitheton vnius tribuit alteri.

AMOR *Herculis Heben.*] Hercules indutus tunicam imbutã sanguine Nesseo, vt scribit Ouidius, tantis cruciatibus vexari cœpit, vt per Oetam Thessaliæ montem furibundus præ dolore discurreret: Tandem desperata salute pyram si- C bimet struxit in Oeta, quam succendit Philotectes, ibique exuit mortale corpus, quod immortale erat in cælum translatum est. Herculi iam deo facto nupsit Hebe Iunonis filia Iuuentutis dea, in cuius delitiis versabatur, quam Home. dixit pulchris pedibus fuisse decoratam. Hæc tradunt Ouid. Diodor. & Seneca, qui scripsit Tragœdiam: cui titulus est Hercules Oeteus. vnde dicit poëta in Oetes iugis sensisse Herculem prima gaudia, quoniam in Oeta monte combustus factus est deus: & maritus Hebes, quæ Græcè dicitur pubertas.

PROXIMA *Ledæ.*] amicam Galli formositate D proximã dicit esse Ledæ matri Helenæ, quam Iuppiter adamauit, ex qua nati sunt Castor, Pollux, & Helena. fabula notissima. Higinius non nihil dissentit, ouum tergeminum referens ad Nemesium, quod & Ausonius sensit, tanquam Nemesis genuerit Castores & Helenam, Leda vero educauerit. Dicit poëta vnam amicam Galli gratiorem esse Castoribus, & Helenæ, qui tres partus sunt Ledæ: vel, quod magis existimo, eam dicit formosiorem esse tribus, hoc est Helena & Clitemnestra, quæ sunt Ledæ partus, & ipsa Leda. & fœmina solis ita fœminis in formositate anteponetur. & ex hoc formosissima ostẽditur, quæ E pulcherrimas pulchritudine exuperaret. Sẽsum autem, quo facilius intelligatur, ita ordinamus: Cum sit Cynthia proxima Ledæ, & cùm sit proxima Ledæ partu: Bis enim accipiendum est proxima, & partu casus erit datiui pro partui, sicut doctissimos veterum loquutos esse comperimus, & docet Gellius.

INACHIIS *& blandior heroinis.*] heroinas Inachias appellat: quas Ouid. & Statius heroidas nominauerunt: & pro vxoribus heroum accipiuntur, & ætas heroica describitur ab Hesiodo. Ouid.

Tu quia tam longa es veteres heroidas aquas.

Statius:

Qua veteres Latias, Graiásque heroidas aquas.

Inachiæ ab Inacho dictæ, qui fuit rex Argiuorum, vt scribit Eusebius, qui filium habuit Phoroneum, qui primus legum thesauros, & iudicia constituisse fertur: quod Valerius in epistola ad Ruffinum scribit, & Isidorus docet: & in decretis scriptum est in septima distinctione.

M. ANT. MVRETVS.

TV, *quod sæpe soles.*] lætaberis, inquit, & quodam modo insultabis mihi, quod, distractus à Cynthia, amores amplius non exerceam.

CERTVS *& in nullo.*] bis repetenda negatio: in nullo amore certus, in nullo amore quæris moram.

ET *primo lapsus.*] lapsus ab illo constantiæ gradu, quem prius obtinebas.

ADIRE.] quidam alij, *amore.* ego, *amare.*

VIDI *ego.*] supra. *O iucunda quies.*

NEN *sic Aemonio.*] fabula est apud Home. libro vndecimo Odysseæ, & apud Lucianum in dialogis marinis. ac suspicari fortasse confidentior aliquis possit, Propertium hoc loco aut memoria lapsum, aut nominum similitudine deceptum esse. is enim Enipeus, cuius amore flagrauit Tyro, non in Thessalia est, sed in Peloponneso. in Thessalia autem non Enipeus, sed Eniseus fluit, ab hoc alius: vt cognoscitur ex octauo Strabonis libro. ac, ne quis forte, Beroaldum secutus, putet vtrunque Enipeum dici; & Propertiũ, more poëtis non inusitato, vni eorum tribuisse, quod esset alterius; apud Strabonem autem Eniseum pro Enipeo vitiosè legi: sciat hoc ipsum discrimen Enipei & Enisei è Strabone annotatum esse ab Eustathio.

NEC *sic cælestem.*] Hercules in cælum receptus, Heben duxit vxorem. itaque apud inferos, non Herculem ipsum, sed eius tantum simulacrum Homericus Vlysses sibi visum esse ait,

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο, καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

FLAGRANS *amor.*] ac serio quidem flagrans. neque vllus vnquam amator verius ardere dictus est.

ET *Leda partu.*] pro, *partui*, antique.

GRATIOR *vna tribus.*] Leda ipsa, & Helena, & Clytemnestra: vt præclare exposuit Beroaldus.

IANVS DOVSA FIL.

NEC *sic cælestem flagrans amor Herculis Heben.*] Duo hic obseruanda sunt, primum *flagrans* cum accusatiuo iunctum: deinde *flagrans amor Herculis* positum pro Hercule amore incenso, vt *error Herculis* pro errante Hercule infra Eleg. xx. sic *hiatum leonis* pro leone hiante inuenias apud Lucretium lib. v. *equorum vires* pro valentibus equis apud Manilium lib. v. παλαιγενέων κλέα φωτῶν pro inclytis Heroibus apud Appollonium

fugam seruorum pro seruis fugitiuis in leg. 2. ff. de lege Fabia.

N e c *finet abduci.*] In libro clarissimi Modij erat *adduci*, quod probo. pendet enim ἀπὸ κοινοῦ *praeteritos fastus.*

IANVS DOVSA PATER.

ET *cupere optatis animam deponere verbis.*] Alij non *verbis* sed *membris*, legunt, quibus assentior, maximè propter Pentametrum, quod sequitur:

Et quae deinde meus celat amice pudor. Sic lib. II.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita.

Concludit deinde:

Q v æ *tibi sit felix, quoniam nouus incidit error,*
Et quodcunque voles, vna sit ista tibi.] Ego tamen *quotcunque* malim, vt significet Poëta, vtinam sit vna hæc instar omnium,

Et quasi pro multis millibus vna tibi.

Sic Sappho Ouidiana ad Phaonem suum:

Abstulit omne Phaon, quod vobis antè placebat.
Improbe, multarum quod fuit, vnus habes.

Elegans autem loquutionis ratio est illa Elegia sequenti.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ANIMAM *deponere verbis.*] Non dubitamus Propertium scripsisse:

Et cupere optatis animam deponere membris.

In libris scriptis mirum quoties *verba* & *membra* inter se commutant.

S e n s i t *in Oetæis.*] Falsum. In Oetæis iugis arsit, in cælo duxit Heben vxorem. Legendum; Sensit ab Oetæis. Idem inuenies apud alios poëtas. Nam ab Oetæis rogis in cælum venit, vbi Heben accepit.

I l l a *sit Inachiis & blandior.*] Male hæc distinguuntur vulgo. Ita enim potius legenda:

Nec mirum, quum sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu: gratior vna tribus
Illa sit Inachiis & blandior Heroinis.

Tribus Inachiis heroinis. hoc est Leda, Helena, & Clytæmnestra. Nam male interpres Beroaldus.

E t *quodcunque voles vna sit ista tibi.*] Martialis:

Et quicquid voluit tecta vocatur anus.

ELEGIA XIIII.

Tv licet abiectus Tiberina molliter vnda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modò iã celeres mireris currere lintres,
Et modò tam tardas funibus ire rates.
Et nemus omne satas intendat vertice siluas,
Vrgetur quãtis Caucasus arboribus,
Non tamen ista meo valeant contendere amori,
Nescit amor magnis cedere diuitiis.
Nam siue optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem:
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub æquoribus:
Tum mihi cessuros spondent, mea gaudia reges;
Quæ maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis diuitiis aduerso gaudet amore?
Nulla mihi tristi præmia sint Venere.
Illa potest magnas heroũ infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor:
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino Tulle subire toro,
Et miserum totò iuuenem versare cubili.
Quid releuãt variis serica textilibus?
Quæ mihi dum placata aderit, non vlla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

PHILIPP. BEROALD. BON.

TV *licet abiectus Tibe. mol. vn.*] anteponit amorem Cynthiæ delitiis aliis omnibus & voluptatibus, in quam sententiam ait Plautinus amator: *Sibi habeant regna reges, sibi diuitias diuites, mihi amare relinquatur.* Alloquitur Tullum luxuriosis delitiis defluentem.

L e s b i a *Men. vina.*] inter vina generosa numeratur vinum Lesbium, quod suauius Rhodio dixit esse Aristo. Lesbium vinum in primis celebrauit Erasistratus medicus: & Cæsar dictator epulo quod Romanis dedit inter cætera vina Lesbium apposuit. de quo Horat. in Epodo:

Et Chia vina & Lesbia.

de hoc loquitur Virgili. in Geor.

Quam Methymnæo carpis de palmite Lesbos.

& Ouidi.

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Est enim Methymna ciuitas in Lesbo, vt meminit Stra. Mentoreum opus intelligit vasa potoria pretiosa. Fuit enim Mentor vascularius, hoc est vasorũ artifex peritissimus, vt auctor est Plinius in trigesimo tertio. *Lucius Crassus orator duos habuit scyphos Mentoris manu cælatos, centum sestertiis emptos: confessus est tamen se bis nunquam vsum esse propter verecundiam.* Vasa Mentoria consecrata

non assequor. nam neque ea quæ à Beroaldo & Volsco dicta sunt, placent: neque mihi quicquam, quod plane approbem, venit in mentem.

ABDVCERE.] ita est in meo vetere libro, non, vt in aliis, *adducere*.

A NOSTRIS *carminibus*.] à lectione meorum carminum, quæ tuam mei memoriam confirmarent. erat autem erudita hæc puella, vt multis è locis intelligimus, mirificéque versibus Propertij capiebatur. vnde est illud,

Nam mea cum recitat, dicit, se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.

ATQVE *vtinam*.] vtinam potius aut nauigando, aut natitando ocium fallas, quam aures alienis blanditiis præbeas.

MAGE.] potius.

AVT *teneat*.] aut lympha facilis cedere alternæ natitantis manui, teneat te in vnda tenui clausam.

NATITANTIS.] alij, *Tentantis*: & meras ineptias afferunt. meus vetus liber habet, *natantis*: vnde coniecturam feci, legendum esse, *natitantis*.

MANV.] antique: pro, *manui*. sic alibi,

Nec mirum: cum sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu. rursusque alibi,
Tantaleæ poterit tradere poma manu.

ATTVLERINT *nostri*.] interpunctum vnum perperam collocatum, & vna litera mutata, sententiam huius versus corruperant: qui à nobis ex antiquis libris integritati restitutus est.

AN *mihi sit maior*.] in aliis libris, *An mihi non maior*: quo nihil ineptius.

IANVS DOVSA FIL.

QVOD legitur hac Elegia:

Vt solet amoto labi custode puella
Perfida, communes nec meminisse Deos.]

variam explicationem admittit. nam aut ad omnes deos referri potest, quibus quasi testibus interpositis mutua inter se fide amantes obligantur: aut ad solam Fortunam, quæ omnibus communis est, & nunc huic, nunc alij benigna, quæ sententia firmatur hoc Menandri versu: ἀνθρώπους ὢν μίμνησο τῆς κοινῆς τύχης. aut etiam ad Venerem, quam ab inconstantia ποικιλόθρονον appellat Sappho. aut denique ad Amorem, qui paullo momento mutabilis & ita vt leuitate sua constans est, vt periculum sit patri siue vitrico, ne cognominis sui iacturam faciat, quem ἀμφοτερόπλουν Græci vocant: nam vt Ouidius dixit in Amoribus:

Quòd dubius Mars est, per te priuigne cupido est.

Hinc & ipse supra:

Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Vt non alterna presserit ille manu.

Et lib. II.

——sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus antè fuit.

Et Philostratus in Epistolis: καὶ ἔρως, καὶ νέμεσις ἐξῆς θεοὶ ἢ προσοῦσιν. vbi Nemesim & Amorem ritè coniunxit, nam eius Deæ simulachra, veluti

A & Cupidinis, apud Smyrnæos alata fuerunt, teste Pausania, quòd eius numen, vt idem addit, in iis potissimum appareret, qui amore capti sunt. *Communes* porro *Deos* dixit similiter ac Pindarus in Nemeis:

Κοιναὶ γὰρ ἔρχοντ' ἐλπίδες
Πολυπόνων ἀνδρῶν.

Sic Apuleius in libro de Mundo *communem stellam Cyllenium* appellat. quod, quia aliis minus intellectum, occasionem dedit locum in suspicionem corruptelæ vocandi, breuiter explicare constitui. Ac primùm communis appellari potest

B Mercurius, quòd cuicunque se Planetæ coniunxerit, cum eo vires suas communicet, & noxius salutarisve fiat pro noxia aut salutaris stellæ applicatione & aspectu. Est enim sidus versipelle, vt cum Plauto loquar, eóque per aquæ elementum apud Platonicos designari solitum. Notandum autem, quod minus tritum est, hic caussam à quibusdam desumi, cur eloquentiæ præses appelletur: quod nos docuit Ioannes Salisberiensis Policratici sui, siue De nugis curialium lib. 2. cap. XIX. *Mercurius verò talis est, qualem vicini Planetæ permiserunt: cùm & ipse conuertibilis naturæ sit, potentioribúsque cohæreat. V-*

C *nde plerique eum præsulem eloquentiæ opinantur, eò quòd illa iuncta sapientiæ plurimùm prosit, malitiæ sociata noceat plurimùm.* Neque hæc apud alium scriptorem facilè reperias. quæ ille haud dubiè, vt pleráque omnia, hausit ex aliquo eorum qui nunc non exstant. Epitheti *communis* & altera ratio è secretiore Astrologorum doctrina peti potest. qui inter erraticas stellas Solem Iouemque diurnas appellârunt, nocturnas autem Lunam & Venerem. φθοράς verò & interitus caussam adferentes Saturnum & Martem, hunc nocturnis, illum diurnis attribuerunt. bonis siquidem beneficisque stellis id ipsum, per quod boni effectores sunt, eripiunt. nam & Saturnus,

D vt pote rigoris genitor, diurnum calorem à Sole ac Ioue quodammodo aufert, & Mars humorem illum genitalem, quo Luna & Venus pollent, exsiccat. Mercurium porro communem diei noctísque & stellarum, quæ tenebris aut luci præsunt, esse voluerunt. Potest etiam allusisse videri Apuleius, ad illud Græcorum κοινὸς ὁ Ἑρμῆς, quod adagionis vim in se habet, quóque Plutarchus & Lucianus vtuntur. Quid quòd æquam potestatem in cœlo & apud inferos illi tribuant Poëtæ? vnde *superis Deorum Gratus & imis* Horatio, *commune profundis, Et superis numen* Claudiano dicitur. Quod tametsi non tam

E ad Mercurij sidus quàm ad numen pertinet, tamen addere visum est, ne cui eo nomine tantum id elegantius videretur, quod id nos fugisset.

TV *mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes*.] Planè Homericum est. ita enim Andromache apud illum Iliad. Z.

Ἕκτορ ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

Huc quoque pertinet illud Eleg. XVIII. lib. II.

Cùm tibi nec frater, nec sit tibi filius vllus,
Frater ego, & tibi sim filius vnus ego.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PROXIMA *Misenis.*] Non est dubium, quin ita interpolarint Grammatici, quum lepida repetitio sit in nostro:

Et modo Thesproti mirantem subdita regno.
Et modo Misenis aequora litoribus.

Intelligit duo maria, alterum Puteolis, alterum Misenis subiectum. Dion libro quadragesimo octauo. ἐν τῇ Κύμῃ τῇ Καμπανίδι χωρίον τι μεταξὺ Μισηνοῦ καὶ Ποτιόλων μηνοειδές ἐστιν, ὄρεσι τε γὰρ σμικροῖς καὶ ψιλοῖς πλὴν βραχέων περιείληπται, καὶ θάλασσαν τεναγώδη ἔχει. Deinceps ponit quæ sint ex θαλάσσης. In medio mari erant Baiæ, nempe prope Lucrinum. Quum igitur Cynthia esset Baijs, sinistra Puteolos, quæ est ora Thesprotia, dextra Misenos habebat. In ora Cumarum, quæ Græcis coloniis Abantum prætexta erat, sunt Puteoli: quam oram propterea vocat regnum Thesproti: quia Thesprotus nomen fecit Thesprotiæ Epiri: à qua Ambraciotæ Abantes profecti occuparunt eam oram, vbi fuerunt Cumæ, vt & mediocriter docti sciunt. Quid ergo est, quod hic tam facessit negotium doctissimis viris? Amabo desinite præclari in doctrina viri amplius in re vel pene pueris nota hæsitare. Primus ansam dubitandi dedit amœni vir ingenij Iacobus Sannazatus apud Miscellaneorum scriptorem Alexandrum de Alexandro Neapolitanum. Si miraris Thesprotiam dici, vbi Thesproti coloni sunt, quare non etiam miraris Frãciam in Celtis, Langobardiam in Insubribus, Burgundiam in Maxima Sequanorum, Vasconiam in Nouempopulania? At tandem rixarum modus esto. Quod igitur falsa sit, & vitiosa vulgata lectio, apparet ex verbis Dionis, quæ supra adduximus. Nam idem sinus non est subiectus Thesprotiæ Cumarum, qui & Misenis, sed inter hunc & illum, est Baianus. Quare hic error erat & ἀχωρογραφησία.

NOSTRI *cura subit memores abducere.*] *Abducere noctes* pro abnoctare dici Latine, non mihi persuadeo. Sed neque multo sincerior est scriptura nostra, *adducere.* Lego, *ab ducere.* Perspicuè verum.

SVSTVLIT *è nostris.*] Nam in caussa erit, ne amplius celebrem te carminibus meis.

TENVI *tentandis in vnda.*] Noster liber & commentarius Beroaldi, *Teutantis.* vna litera plus lego, *Teutrantis.* Nam Teuthras est nomen Græcum, & aptum Grææ coloniæ. Præterea Silius Italicus quum soleat fingere nomina à fluuiis, Cumanum quendam vocat Teuthrantem, libro vndecimo: *Personat Euboica Teuthras testudine Cymes Incola.* A Baiano igitur vicino fluuiolo Teuthrantem Cumanum vocat. Quis dubitat esse aut fluuiolum, aut Euripum, quum ipsemet poëta id clare loqui videatur?

CVLPA *timoris erit.*] Noster, *timentis.*

ELEGIA XII.

QVID mihi desidiæ non cessas fingere crimen,
Quòd faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo diuisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram. non illo tempore cuiquam
Contigit, vt simili posset amare fide.
Inuidiæ fuimus. num me Deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?
Non sum ego qui fueram. mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor!
Nunc primùm longas solus cognoscere noctes
Cogor, & ipse meis auribus esse grauis.
Felix qui potuit præsenti flere puellæ.
Non nihil aspersis gaudet amor lacrymis.
Aut si despectus potuit mutare calores:
Sũt quoque translato gaudia seruitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac desistere fas est.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVID *mihi desidiæ non cessas fingere crimen.*] Quidam annectunt hæc superiori Elegiæ, alij disiungunt. & melius est vt separemus: cum tamen sententia istius Elegiæ dependeat à superiore. Conqueritur enim propter Baianum secessum abalienatam esse ab amore suo Cynthiam, nec se posse id efficere, quod multis fuit præsentissimo remedio, vt scilicet in aliam transferat amorem; quoniam Cynthia est primus amor, & futura est vltimus. In principio

respondet illi, qui poëtam culpabat tanquam desidiosum & lentum amatorem, qui nec vrbem relinquere posset ob Cynthiæ amorem. Ostendit se quamuis sit Romæ, disiunctissimum tamen esse à complexu Cynthiæ, quę poëtam obliuioni tradiderat. ad Tullum scribi videtur.

QVANTVM *Hipanis Veneto.*] ex nimio amoris affectu hoc dictum est, tanquam Cynthia sit à poëta maximo interuallo sequestrata: quoniam secum non erat in eodem cubiculo, quamuis esset in eadem vrbe: vel potius in Baiano secessu. Hipanis fluuius est Scythiæ, ex magna palude profluens, vt scribit Herodotus in Melpomene. huic miscetur fonticulus qui sua amaricie totum corrumpit Hipanim, & eius aquas reddit amaras, vt ait Solinus. adeo vt dissimilis in maria condatur. Alter est Hipanis in India, qui intrat Indum fluuium, vt auctor est Strabo in decimoquinto. Eridanus vero fluuius Italiæ cognitissimus, alio nomine Padus nuncupatus, à Virgilio fluuiorum rex dictus. De quo multa Plinius in tertio, & Solinus memorant. Herodotus ignorauit Eridanum, vnde ait in Thalia. *Non assentior fluuium quendam Eridanum esse à barbaris vocitatum, qui subit mare ad septentrionem spectans, vnde electrum venire narratur.*

NVM *me deus obruit.*] interrogatiue pronunciandum. Quærit enim, an deus Cupido sit causa suarum ærumnarum, an herbæ magicæ ipsum separent ab amica, & translatio est ab his qui naufragantes obruuntur.

IVGIS *Prometheis.*] in quibus scilicet religatus fuit Prometheus. Fuit autem religatus in monte Scythię Caucaco ob furtum lemnium, vt ait Cicero, hoc est propter ereptum Iouis ignem, traditúmque mortalibus: ibique afficitur hac pœna, vt aquila iecur eius dilaniet & exedat, quod adesum renouatur. Scribit Æschylus ad triginta millia annorum religatum mansisse. De Prometheo multa Hesiodus, Higinius, & Seruius conscripserunt. Addit Plin. Prometheum ignem in ferula seruari docuisse, vnde apud Martialem ita ferulæ loquuntur:

Ligna Prometheo munere clara sumus.

Idem primus annulo ferreo vsus esse fertur: in quo saxi fragmentum fuerit loco gemmæ. In Scythia herba est inter cæteras dicta Scythica, quam in ore habentes famem, sitimque non sentiunt. Præterea herbarum tanta est potentia, vt multi existimauerint nihil non herbarum vi confici posse. Non est ergo mirandum si poëta imputat herbis magica arte pollentibus causam dissidij sui cum Cynthia.

TRANSLATO *gaudia seruitio.*] Catholica sententia est, & talis qualis illa Nasonis:

Successore nouo tollitur omnis amor.

multi hoc remedio vtuntur, vt scilicet transferentes amorem in aliam puellam cura sollicitudinéque leuentur. Ego vero cum vellem torrentissimos amoris æstus mitigare, qui me noctes diésque coquebant, cœpi alteram amare, vt ita translato seruitio, transmutatóque amore refrigerarer, atque lenirer: sed dij boni, secus accidit: Nam posterior amor priore factus est æstuosior. prius amabam, nunc insanio. prius Panthiam cecini, nunc Martiam celebrare compellor, Prosit itaque aliis transferre seruitium, & ab vna in alteram amores transfundere, vt monet poëta, mihi certe non profuit.

M. ANT. MVRETVS.

QVID *mihi.*] Accusabatur desidiæ ab aliquo amicorum, qui etiam desidiæ illius caussam conferebat in amorem Cynthiæ: eo enim Propertium frangi, ac dissolutum effici, & ab agendis rebus abduci. Respondet ipse, multum abesse, vt ita sit: Cynthiam enim non tantum corpore distractam à se, verum animo quoque abalienatam esse. tum queritur, quod neque eam præsentem alloqui, neque ad vllam aliam amandam applicare animum possit.

QVOD *faciat.*] hic versus varie legitur in vetustis libris. sunt, in quibus hoc modo,

Quod faciat nobis conscia Roma moram. in aliis,

Quod faciat nobis Cynthia Roma moram.

ego autem suspicabar ita legendum,

Quod faciat nobis Cynthia amore moram?

hanc autem è vocum similitudine elegantiam consectatus est etiam in elegia quæ proxime sequitur,

Certus & in nullo quæris amore moram.

QVANTVM *Hypanis.*] ex opinione sua, & amatorie loquitur.

HYPANIS.] duo sunt hoc nomine fluuij; vnus in India, ad cuius ripam sunt formicæ, quæ effodiunt aurum, alter in Scythia.

ERIDANO.] non eruditis modo, quibus hæc omnia notissima sunt, sed neminem esse credo tam in literis hospitem, cui notum non sit Eridanum à Græcis dici, quem Latini Padum vocent. de hoc tamen fluuio, qui sit, vbi sit, aut omnino sit, nec ne sit, mirum quantum inter se antiqui scriptores discrepent: aliis eum cum Pado eundem esse, aliis eundem cum Rhodano, aliis in Padum, aliis in Rhodanum influere, aliis in Venetia, aliis in Iberia, aliis in Scythia fluere, aliis etiam, quorum sunt Herodotus, & Strabo, nusquam omnino esse dicentibus. Pausanias Eridanos agnoscit duos, in Gallia vnum, alterum in Attica.

LECTA *Prometheis.*] Promethea iuga Caucasum dicit. creditus est autem is quoque mons herbarum ad incantationes potentium ferax. Seneca in Medea,

Congerit in vnum frugis infaustæ mala,
Quæcunque generat inuius saxis Erix,
Quæ fert opertis hieme perpetua iugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei.

Cœlius autem Rhodiginus dum in hoc loco explicando noua quædam afferre vult, attulit non noua tantum, verum etiam aliena, & absurda.

ELEGIA XIII.

Tu, quod sæpe soles, nostro lætabere casu
Galle, quod abrepto solus amore vacē.

At non ipse tuas imitabor perfide voces. A
Fallere te nunquã, Galle, puella velit,
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus & in nullo quæris amore moram,
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, & primo lapsus adire gradu.
Hæc erit illarum contempti pœna doloris:
Multarum miseras exiget vna vices:
Hæc tibi vulgares istos compescet amores:
Nec noua quærendo semper amicus eris.
Hæc ego non rumore malo, non augure doctus,
Vidi ego. me quæso teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere iniectis, Galle, diu manibus,
Et cupere optatis animã deponere verbis,
Et quæ deinde meus celat, amice, pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros.
Tantus erat demens inter vtrosque furor.
Non sic Æmonio Salmonida mistus Enipeo
Tænarius facili preßit amore deus:
Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oetæis gaudia prima iugis.
Vna dies omnes potuit præcurrere amantes:
Nam tibi non tepidas subdidit illa faces;
Nec tibi præteritos passa est succedere fastus,
Nec sinet abduci, te tuus ardor aget.
Nec mirum: cùm sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu, gratior vna tribus.
Illa sit Inachiis & blandior heroinis,
Illa suis verbis cogat amare Iouem.
Tu verò quoniam semel es periturus amore,
Vrere. non alio lumine dignus eras:
Quæ tibi sit felix. quoniam nouus incidit error:
Et quodcunq; voles, vna sit ista tibi.

PHILIPP. BEROALD. BON.

B TV *quod sæpe soles nostro lætabere casu.*] Gallus qui solitus erat puellas decipere, & nulli fidem præstare didicerat, cæpit tandem vnam ardenter amare atque constanter: quod factum esse vult poëta, vt hæc puella, quam efflictim deperibat Gallus vlciscatur illarum iniurias, quas illudere solebat. Primus versus cum ironia est pronunciandus: est enim ex loquutione quotidiana translatus.

VACEM.] vacuus & otiosus sim sublato amore Cynthiæ, tanquam Gallus vitio daret Propertio, quòd perdito vnius Cynthiæ amore non esset futurus occupatus in alterius puellæ amore, sed otiosus, nec aliam posset amare præter C Cynthiam.

IN *nullo quæris amore moram.*] id est, multarum gaudes amoribus & nullã vere amas, quod Ca. à Lesbia fieri scribit, & factitauit Canius poëta Gaditanus. propter quod his verbis reprehensus est à Liuio viro graui & historiographo: *Nostram philosophiã participare non poteris: dũ à tot participaris.*

CONTEMPTI *pœ. doloris.*] dicit Gallum amicæ daturum pœnas ob neglectum dolorem illarum, quæ dolebant cum à Gallo non amarentur.

EXIGIT *vices.*] sensus est: Puella quam nunc perdite amas, sumit à te pœnas illas, quas tu D multas alias puellas pati coëgisti. vices pro pœnis accipi legimus. vt apud Virg.

Vitauisse vices Danaum. ——

& ita exponit Ser.

NEC *noua quæren.*] non poteris, inquit, facere id quod consueuisti, videlicet amorem mutare quotidie nouo amore: Non enim tibi licebit ab ista discedere, quam perditè amas & immodice.

DIDVCERE.] id est diuidere, vt docet Seruius.

NON *sic Hæmonio Salmonida.*] non tanto, inquit, amore concubuit Neptunus cum Tyro E Salmonei filia, nec Hercules cum Hebe, quanto ardore Gallus amicam complexus est. Salmoneus à cuius nomine dicta est ciuitas Salmonea: regnauit in Pisana regione: Is filiam habuit nomine Tyro, decore formáq; eximiam, quę amauit Enipeum fluuium labentem ex fonte Salmone. Neptunus transformatus in Enipeum concubuit cum puella, cui post concubitum dixit:

Nunc gaude dilecta: ast cum se euoluerit annus:
Illustres (neque enim diuûm cubilia vana)
Natos nixa dabis. ——

& se Neptunum deum esse confessus est. ex hoc compressu nati sunt Pelias & Neleus, auctores

Home. in xi. Odysseæ. Diodorus in quinto. A Strabo in octauo. Hoc significare videtur & Ouid. illo versu dimidiato, *Tu visus Enipeus.*

TENARIVS *deus.*] id est, Neptunus, qui templum habet in Tenaro. Est autem Tenaron promontorium & oppidum & spiraculum in Laconia, vt ait Solinus: de templo Neptuni Tenarij meminit Strabo.

SALMONIDA.] id est, Tyro siue Tyronem Salmonei filiam.

MISTVS *Hæmonio Enipeo.*] quoniam Neptunus induit forma Enipei, quem diligebat Tyro. Homerus:

Illa nimis flagrans dilexit Enipea diuum. B

Quæritur quare à Propertio Enipeus vocetur Hæmonius, cū nō sit in Thessalia, quę & Hæmonia dicitur, sed in Achaia. Scire debes duos esse Enipeos, alterum Achaicum labentem (vt diximus) ex fonte Salmone: alterum in Thessalia, qui ex Pharsalo delabens ingreditur Apidanum, vt ait Strabo. Nunc poëta scitissime ritúque poëtico Epitheton vnius tribuit alteri.

AMOR *Herculis Heben.*] Hercules indutus tunicam imbutā sanguine Nesseo, vt scribit Ouidius, tantis cruciatibus vexari cœpit, vt per Oetam Thessaliæ montem furibundus præ dolore discurreret: Tandem desperata salute pyram si- C bimet struxit in Oeta, quam succendit Philoctetes, ibique exuit mortale corpus, quod immortale erat in cælum translatum est. Herculi iam deo facto nupsit Hebe Iunonis filia Iuuentutis dea, in cuius delitiis versabatur, quam Home. dixit pulchris pedibus fuisse decoratam. Hæc tradunt Ouid. Diodor. & Seneca, qui scripsit Tragœdiam: cui titulus est Hercules Oeteus. vnde dicit poëta in Oetes iugis sensisse Herculem prima gaudia, quoniam in Oeta monte combustus factus est deus: & maritus Hebes, quæ Græcè dicitur pubertas.

PROXIMA *Ledæ.*] amicam Galli formosita- D te proximā dicit esse Ledæ matri Helenæ, quam Iuppiter adamauit, ex qua nati sunt Castor, Pollux, & Helena. fabula notissima. Higinius non nihil dissentit, ouum tergeminum referens ad Nemesium, quod & Ausonius sensit, tanquam Nemesis genuerit Castores & Helenam, Leda vero educauerit. Dicit poëta vnam amicam Galli gratiorem esse Castoribus, & Helenæ, qui tres partus sunt Ledæ: vel, quod magis existimo, eam dicit formosiorem esse tribus, hoc est Helena & Clitemnestra, quæ sunt Ledæ partus, & ipsa Leda. & fœmina solis ita fœminis in formositate anteponetur. & ex hoc formosissima ostēditur, quæ E pulcherrimas pulchritudine exuperaret. Sēsum autem, quo facilius intelligatur, ita ordinamus: Cum sit Cynthia proxima Ledæ, & cùm sit proxima Ledæ partu: Bis enim accipiendum est proxima, & partu casus erit datiui pro partui, sicut doctissimos veterum loquutos esse comperimus, & docet Gellius.

INACHIIS *&* *blandior heroinis.*] heroinas Inachias appellat: quas Ouid. & Statius heroidas nominauerunt: & pro vxoribus heroum accipiuntur, & ætas heroica describitur ab Hesiodo. Ouid.

Tu quia tam longa es veteres heroidas æquas.

Statius:

Quæ veteres Latias, Graiásque heroidas æquas.

Inachiæ ab Inacho dictæ, qui fuit rex Argiuorum, vt scribit Eusebius, qui filium habuit Phoroneum, qui primus legum thesauros, & iudicia constituisse fertur: quod Valerius in epistola ad Ruffinum scribit, & Isidorus docet: & in decretis scriptum est in septima distinctione.

M. ANT. MVRETVS.

TV, *quod sæpe soles.*] lætaberis, inquit, & quodam modo insultabis mihi, quod, distractus à Cynthia, amores amplius non exerceam.

CERTVS *&* *in nullo.*] bis repetenda negatio: in nullo amore certus, in nullo amore quæris moram.

ET *primo lapsus.*] lapsus ab illo constantiæ gradu, quem prius obtinebas.

ADIRE.] quidam alij, *amore.* ego, *amare.*

VIDI *ego.*] supra. *O iucunda quies.*

NON *sic Aemonio.*] fabula est apud Home. libro vndecimo Odysseæ, & apud Lucianum in dialogis marinis. ac suspicari fortasse confidentior aliquis possit, Propertium hoc loco aut memoria lapsum, aut nominum similitudine deceptum esse. is enim Enipeus, cuius amore flagrauit Tyro, non in Thessalia est, sed in Peloponneso. in Thessalia autem non Enipeus, sed Eniseus fluit, ab hoc alius: vt cognoscitur ex octauo Strabonis libro. ac, ne quis forte, Beroaldum secutus, putet vtrunque Enipeum dici; & Propertiū, more poëtis non inusitato, vni eorum tribuisse, quod esset alterius; apud Strabonem autem Eniseum pro Enipeo vitiosè legi: sciat hoc ipsum discrimen Enipei & Enisei è Strabone annotatum esse ab Eustathio.

NEC *sic cæleſtem.*] Hercules in cælum receptus, Heben duxit vxorem. itaque apud inferos, non Herculem ipsum, sed eius tantum simulacrum Homericus Vlysses sibi visum esse ait,

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον. αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο, καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

FLAGRANS *amor.*] ac serio quidem flagrans. neque vllus vnquam amator verius ardere dictus est.

ET *Ledæ partu.*] pro, *partui*, antique.

GRATIOR *vna tribus.*] Leda ipsa, & Helena, & Clytemnestra: vt præclare exposuit Beroaldus.

IANVS DOVSA FIL.

NEC *sic cæleſtem flagrans amor Herculis Heben.*] Duo hic obseruanda sunt, primum *flagrans* cum accusatiuo iunctum: deinde *flagrans amor Herculis* positum pro Hercule amore incenso, vt *error Herculis* pro errante Hercule infra Eleg. xx. sic *hiatum leonis* pro leone hiante inuenias apud Lucretium lib. v. *equorum vires* pro valentibus equis apud Manilium lib. v. παλαιγενέων κλέα φωτῶν pro inclytis Heroibus apud Appollonium

fugam seruorum pro seruis fugitiuis in leg. 2. ff. de lege Fabia.

Nec *finet abduci.*] In libro clarissimi Modij erat *adduci*, quod probo. pendet enim ἀπὸ κοινοῦ *praeteritos fastus.*

IANVS DOVSA PATER.

Et *cupere optatis animam deponere verbis.*] Alij non *verbis* sed *membris*, legunt, quibus assentior, maximè propter Pentametrum, quod sequitur:

Et quae deinde meus celat amice pudor. Sic lib. II.
Quod mihi si ponenda tuo sit corpore vita.

Concludit deinde:

Qvae *tibi sit felix, quoniam nouus incidit error,*
Et quodcunque voles, vna sit ista tibi.] Ego tamen *quotcunque* malim, vt significet Poëta, vtinam sit vna haec instar omnium,

Et quasi pro multis millibus vna tibi.

Sic Sappho Ouidiana ad Phaonem suum:

Abstulit omne Phaon, quod vobis antè placebat.
Improbe, multarum quod fuit, vnus habes.

Elegans autem loquutionis ratio est illa Elegia sequenti.

IOS. SCALIGER IVL. CAES. FIL.

Animam *deponere verbis.*] Non dubitamus Propertium scripsisse:

Et cupere optatis animam deponere membris.

In libris scriptis mirum quoties *verba* & *membra* inter se commutant.

Sensit *in Oetaeis.*] Falsum. In Oetaeis iugis arsit, in caelo duxit Heben vxorem. Legendum: Sensit ab Oetaeis. Idem inuenies apud alios poëtas. Nam ab Oetaeis rogis in caelum venit, vbi Heben accepit.

Illa *sit Inachiis & blandior.*] Male haec distinguuntur vulgo. Ita enim potius legenda:

Nec mirum, quum sit Ioue digna, & proxima Ledae,
Et Ledae partu: gratior vna tribus
Illa sit Inachiis & blandior Heroinis.

Tribus Inachiis heroinis. hoc est Leda, Helena, & Clytaemnestra. Nam male interpres Beroaldus.

Et *quodcunque voles vna sit ista tibi.*] Martialis:

Et quicquid voluit testa vocatur anus.

ELEGIA XIIII.

Tv licet abiectus Tiberina molliter vnda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modò iam celeres mireris currere lintres,
Et modò tam tardas funibus ire rates.
Et nemus omne satas intendat vertice siluas,
Vrgetur quantis Caucasus arboribus,
Non tamen ista meo valeant contendere amori,
A *Nescit amor magnis cedere diuitiis.*
Nam siue optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem:
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub aequoribus:
B *Tum mihi cessuros spondent, mea gaudia reges;*
Quae maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis diuitiis aduerso gaudet amore?
Nulla mihi tristi praemia sint Venere.
Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor:
C *Illa neque Arabium metuit transcendere limen,*
Nec timet ostrino Tulle subire toro,
Et miserum toto iuuenem versare cubili.
Quid releuant variis serica textilibus?
Quae mihi dum placata aderit, non vlla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

D PHILIPP. BEROALD. BON.

Tv *licet abiectus Tibe. mol. vn.*] anteponit amorem Cynthiae delitiis aliis omnibus & voluptatibus, in quam sententiam ait Plautinus amator: *Sibi habeant regna reges, sibi diuitias diuites, mihi amare relinquatur.* Alloquitur Tullum luxuriosis delitiis defluentem.

Lesbia *Men. vina.*] inter vina generosa numeratur vinum Lesbium, quod suauius Rhodio dixit esse Aristo. Lesbium vinum in primis celebrauit Erasistratus medicus: & Caesar dictator epulo quod Romanis dedit inter caetera vina
E Lesbium apposuit. de quo Horat. in Epodo:

Et Chia vina & Lesbia.

de hoc loquitur Virgili. in Geor.

Quam Methymnaeo carpis de palmite Lesbos.

& Ouidi.

Gargara quot segetes, quot habet Methymna racemos.

Est enim Methymna ciuitas in Lesbo, vt meminit Stra. Mentoreum opus intelligit vasa potoria pretiosa. Fuit enim Mentor vascularius, hoc est vasorum artifex peritissimus, vt auctor est Plinius in trigesimo tertio. *Lucius Crassus orator duos habuit scyphos Mentoris manu caelatos, centum sestertiis emptos: confessus est tamen se bis nunquam vsum esse propter verecundiam.* Vasa Mentoria consecrata

fuerunt Ioui Capitolino, & Dianæ Ephesiæ. de A his intellexit Iuuenalis sic scribens:

Rara sine Mentore mensæ. & Martialis:

Solus Mentoreos habes labores.

Laudat Cicero in Verrinis pocula duo, quæ Heraclea cognominabantur Mentoris manu summo artificio facta, quæ sustulit Verres.

LINTRES.] nauiculas. Tibullus:

—— *in liquida nat tibi linter aqua.*

Ex arboribus excauatis fieri docet Virgil. scribens in Georgicis:

Cauat arbore lintres.

Liuius: *Ingens coacta vis est lintrium ad vicinalem vsum paratarum.* Horatius: B

Partitur lintres exercitus.

Scribit Nonius lintres naues fluuiales.

PACTOLI *liquores.*] sensus est, cum fruor complexu Cynthiæ mihi tunc videor possidere diuitias aurumq; Pactoli fluminis, de quo supra dictum est, & gemmas, quæ in mari Rubro nascuntur. Nam (vt docet Plin.) laudatissimæ margaritæ reperiuntur circa Arabiam in sinu Persico Rubri maris: sed cum Iurisconsultus margaritas nec gemmis nec lapillis contineri scribat, & Plin. Margaritas inter gemmas non numeret, C videamus quæ sit Gemma intelligẽda apud poëtam. India & Arabia fœcundissimæ fuere gemmarum, & Plin. quosdam carbunculos laudatissimos in Arabia nasci testatur, & topazion in insula maris Rubri repertam esse scribit. Ne ergo discedamus à latinitate, intelligemus gemmam lapillos pretiosos in mari Rubro & Arabia prouenientes. Ita apud Martialem.

Quicquid Erythrea niger inuenit Indus in alga.

Quin. Curtius: *Gemmas, margaritásque mare littoribus infundit.* Rubrum mare dixerũt, quia aquas rubere credebant. Quidam à Solis repercussu existimarunt talem reddi colorem: Alij ab D arena, terráque: quod Latini Rubrum mare nũcupãt, Græci Erythreum vocant. Erythros Græcè, Rubrum significat Latinè. Existimat Curtius à rege Erythra inditum esse nomen.

ILLA *neque Arabium.*] ostendit Venerem cuncta domare, nec reges, diuitésque intactos prætерire, qui ædes habent pulcherrimas, & limina ex Arabico marmore splendicantia. In Arabiæ mõtibus Onychitem lapidem nasci, nec vsquam alibi putauere nostri veteres, vt scribit Plinius in XXXVI. Cornelius Nepos tradit se vidisse columnas ex onychite, XXXII. pedum longitudine; Plin. E se vidisse ampliores, XXX. in scena, quam Calistus Claudij libertorum potentissimus exædificauerat: Hunc aliqui lapidem alabastritem vocant. de hoc ait Papinius in primo Siluarum: *Hic flexus onyx.* Lepidus primus omnium limina ex Numidico marmore in domo posuit.

OSTRINO *toro.*] id est, lecto purpureo. Ostrũ enim purpureus color est. Nam (vt scribit Vitruuius in septimo) eiicitur è conchilio marino, è quo purpura efficitur. & ideo ostrum est vocitatum; quia ex concharum marinarum testis eximitur. Virgil.

—— *Sarrano dormiat ostro.*

Multa de purpuris scribuntur à Plinio in nono.

QVID *releuant variis serica textilibus.*] sine amore nihil prodesse sericas vestes & peripetasmata ostendit: in quam sententiam ait Tibullus,

Quid Tyrio recubare toro sine amore secũdo Prodest,

& Lucretius ait: Febres non sanari auleis pictis, neq; lecto purpureo. De serico dictum est à nobis copiose in annotationibus nostris in Seruiũ. Textilia varia accipe pro vestimentis versicoloribus, quæ erant pretiosa. Vnde ait Liuius, Olim interdictum fuisse matronis, ne vterentur versicoloribus. Iurisconsulti versicoloria vocant, quæ mutauerunt natiuum colorem, colores diuersos vestibus intexere Babylon maximè celebrauit, & Babylonica nominauit, auctor Plin.

ALCINOI *munera despicere.*] Homerus in septimo Odysseæ celebrat & extollit opulentiam regis Alcinoi, qui regnauit apud Phæacas: & in primis laudat eius ædes magnificentissime structas, & viridaria: vbi arbores erant semper pomiferæ. De quibus ait & Papin.

Quid bifera Alcinoi referam pomaria, vosque,
Qui nunquam vacui prodistis in athera rami.

Idem Homer. refert quemadmodum Alcinous cum Phęacibus munera hospitalia dederit Vlyssi, vestimẽta, tripodem magnum, & lebeta, multúmque auri, quod Polydædalum cognominat in XIII. Odysseæ. Ad quæ munera nunc videtur alludere poëta.

IANVS DOVSA FIL.

NAM *quis diuitiis aduerso gaudet amore? Nulla mihi tristi præmia sint Venere.*] Non longè abludit hinc illud Mimnermi:

Τίς δὲ βίος; τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης;

cuius meminit Horatius Epist. lib. I.

IANVS DOVSA PATER.

TV *licet abiectus Tiberina molliter vnda.*] Id est, leuiter, temerè, atque sine arte proiectus, & quasi effusè iacens. Sic Dido apud Ouidium:

Sic, vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Sequitur in Propertio:

ET *modò tam celeres mireris currere lintres, Et modò tam tardas funibus ire rates.*] Quod postremum nobis interpretatus est Ouidius lib. IV. Tristium, vbi scribit:

Cantat & innitens limosæ pronus arenæ,
Aduerso tardam qui trahit amne ratem.

ELEGIA XV.

SÆPE ego multa tuæ leuitatis dura timebam,
Hac tamẽ excepta Cynthia perfidia.
Aspice me quãto rapiat fortuna periclo,
Tu tamẽ in nostro lenta timore venis,
Et potes externos manibus componere crines,
Et longa faciem quærere desidia:

Nec minus Eois pectus variare lapillis. A
Vt formosa nouo quæ parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleuerat æquoribus.
Multos illa dies incomptis mæsta capillis
Sederat iniusto multa locuta salo:
Et quamuis nunquam posthac visura, dolebat
Illa tamen longæ conscia lætitiæ. B
Alphesibœa suos vlta est pro coniuge fratres,
Sãguinis & cari vincula rupit amor.
Nec sic Æsonidem rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo cõstitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Vt semel Æmonio tabuit hospitio.
Coniugis Euadne miseros elata per ignes,
Occidit Argiuæ fama pudicitiæ. C
Quarum nulla tuos potuit conuertere mores,
Tu quoque vti fieres nobilis historia.
Desine iam reuocare tuis periuria verbis
Cynthia, & oblitos parce mouere deos.
Audax ah nimium nostro dolitura periclo,
Si quid fortè tibi durius inciderit! D
Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus & inuersas duxerit antè vices,
Quàm tua sub nostro mutetur pectore cura,
Sis quodcunque voles, non aliena tamen,
Quàmve mihi viles isti videantur ocelli, E
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Vt tibi suppositis exciderẽt manibus:
Et contra magnum potes hos attollere solem?
Nec tremis admissæ conscia nequitię?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum inuitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes:
O nullis tutum credere blanditiis?

PHILIPP. BEROALD. BON.

SÆPE *ego multa tuæ leuitatis damna timebam.*] conqueritur de Cynthiæ perfidia, quæ nihil dolebat, nihil angebatur ipso periclitante, nec cultum formæ intermittebat, cum in aduersa poëtæ fortuna debuisset omnes ornatus flocci-pendere, & lugubres vestes induere.

RAPIAT *fortuna.*] quo periculo vexaretur nõ explicat; sed existimare possumus vel ob necem Galli consortis, de quo infra dicetur fuisse peregrinabundum maxima cum anxietate, vel naufragio agitatum. Nam exempla Vlyssis & Iasonis hoc significare videntur.

ET *potes externos.*] adiuuandum hoc pronunciatione, vt & rei indignitas & indignatio dicentis exprimatur: qui nõ modicè indignatur, quòd Cynthia capillis peregrinis caput comat, & ornet. Ouid.

Nescio quam pro me laudat nunc iste Sicambram.

Fœminæ enim propriis capillis destitutæ alienos ẽmunt ad caput comendum: Mart.

Dentibus atque comis nec te pudet vteris emptis.

Tales ait diuus Hieronymus in epistola ad Demetriadem, Ornare crinem & alienis capillis turritum verticem struere.

FACIEM *quærere desidia.*] hoc conuenit illi Terentianæ sententiæ,

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Plaut. scribit duas esse res quæ nunquam satis exornari possunt, Nauem scilicet & fœminam.

AT *non sic Ithaci.*] exemplis fidelissimarum mulierum taxat infidelitatem Cynthiæ dolenter & grauiter.

CALYPSO.] in insula Ogygia regnauit, quæ naufragum Vlyssem hospitaliter suscepit, cuius contubernio & concubitu diutissime oblectata, tandẽ coacta est obtemperare volũtati Iouis iubentis per Merc. vt sineret Vlyssem in patriam Ithacam reuerti: itaque Calypso vestes & cibaria & id genus necessaria dedit discessuro Vlyssi: eúmque inuita amoris desiderio vidit abeũtem. longa est de hac re narratio apud Homer. in quinto Odysseæ. & Ouid. ait:

Ah quoties illum doluit properare Calypso:
Remigióque aptas esse negauit aquas!

Vlyssem Ithacum vocat ab Ithaca insula vbi regnauit. ita Virg.

Hic Ithacus vatem magno Chalcanta tumultu.

tropos antonomasia frequens apud poëtas.

ALPHESIBOEA *suos.*] Alcmeon filius vatis Amphiarai quærebat purgari ob interfectam matrem Eriphylen, venit ad Phegeum patrem Alphesibœæ, cui dedit monile maternum pretiosum, cuius & maritus factus est. Profectus deinde ad Acheloum, filiam eius adamauit nomine Callirrhoen, quæ cũ & ipsa supplex monile illud posceret, rediit ad Alphesibœam ad monile repetendum: tunc à fratribus Alphesibœæ

Themeno & Axione interfectus est: quos Alphesibœa in vltionem mariti interemit, vt auctor est Pausanias apud Græcos & apud Latinos Ouid. qui in nono Metamorphoseon hāc historiam signat magis quam explicet his versibus:

Donec eum coniux fatale poposcerit aurum,
Cognatúmque latus Phegeus hauserit ensis.

Actius tragœdiam scripsit nomine Alphesibœam, cuius testimonio vtitur persæpe Nonius Marc.

SANGVINIS *& cari vincula.*] docet amorem cūcta superare, quando Alphesibœa vt maritum vlcisceretur non pepercit fratribus, & ita amor coniugalis rupit vincula sanguinis fraterni.

NEC *sic Aesonidem.*] amor Iasonis & Hypsipyles notissimus est vel vna Nasonis epistola, qua Hypsipyle conqueritur se à Iasone fuisse derelictam, quem cum Argonautis ad vellus aureum proficiscentem suscepit hospitio & lecto, quem abeuntem lachrymis prosequuta est, nec post amorem Iasonis altero amore occupata est: Nam fugiens ex Lemno rapta à prædonibus functa est officio nutricis in alendo Archemoro. longa est narratio Hypsipyles apud Statium in Thebaide sua fata referentis.

HÆMONIO *tabuit hospitio.*] id est, affecta est amore Iasonis, quem Hæmonium vocat ab Hæmonia regione, quæ & Thessalia nominatur: Nam ab Hæmone Hæmonia dicta est: à cuius filio Thessalo Thessalia vocitata. auctor Strabo. Iasonem autem Thessalum fuisse notissimum est. Tabescere dicimur in amore & in mœrore. Gel. *Delphinus amans desiderio tabuit, exanimatúsque est.* Plaut. in captiuis:

Tuo mærore maceror, macesco, consenesco, & tabesco miser.

Solent enim ita amantes macie emaciari, vt illi qui tabem patiuntur. Qui morbus eos male habet quos inuasit: cuius plures species sunt, auctore Celso, Atrophia, cachexia, & pthisis. Tabo vero vtuntur poëtæ pro sanie & corrupto sanguine, vt docent Seruius & Donatus, enarrantes illud Virgilianum:

Et terram tabo maculant. ——

CONIVGIS *Euadne.*] Capaneus in bello Thebano dux & bellator egregius, dū vi in murū Thebanum scādere conatur, occubuit, vt tradit Diodor. cecinit Statius in x. Capaneum, cum viribus humanis extingui non posset, interfectum fulmine Iouiali. refert Vegetius ab hoc scalas fuisse repertas, quibus in muros hostiles ascenditur. Euadne vxor Capanei in rogum flagrantis cadaueris præ nimio amore se immisit. vnde ait Stat.

Turbine quo sese caris instrauerit audax
Ignibus Euadne. —— & Ouid.
Accipe me Capaneum cineres miscebimus inquit
Iphias: in medios desiluitque rogos.

MVLTA *prius vasto.*] ab impossibili ostendit se nunquam ab amore Cynthiæ discessurum. Flumina enim non egrediuntur è mari, sed mare ingrediuntur. attamen scrutatores rerum naturalium tradunt è mari omnes aquas oriri, & per interuenta terrarum erumpentes rursus in mare remeare: & hanc asserunt esse causam cur maria non crescant: vnde ait facundissime Sene. in tertio quæstionum naturalium: *Maria non crescunt, quia quicquid influxit non in suum vertunt, sed protinus reddunt. occulto enim itinere subeunt terras.* Sunt & Lucretij versus super hac re memoratu digni.

Debet vt in mare de terris venit humor aquai.
In terras itidem remeare ex æquore salso.

Hoc idem tradit Nicolaus de Lyra, enarrans illud in instrumento veteri:

Omnia flumina intrant mare, & mare non redundat.

& cum Plin. in II. luculentissime multa de mari dixisset, ita conclusit, *Manifestum est quare tot fluminū quotidiano accessu maria non crescant.* Arist. quoque in II. Meteororum ita scribit: *Mare putatur principium omnis humoris & aquæ, ideóque fluuios non solum in hoc, sed ex hoc fluere aiunt.* Plato in Phædone tradit fontē aquarum omnium esse Tartarū: verum cur maria non crescant aliæ quoq; causæ traduntur à philosophis, quibus supersedebimus, cùm satis philosophatum sit.

QVAM *mihi ne viles.*] legendum est. *Quámve mihi viles.*

ET *fletum inuitis.*] sensum verbis significantibus protulit. cui simile est illud Terent.

Vna mehercule falsa lachrymula,
Quam oculos tergendo vix vi expresserit, restinguet.

M. ANT. MVRETVS.

SÆPE *ego multa.*] queritur de perfidia Cynthiæ: quod, cum ipse in magnum discrimen adductus sit, illa nihil omnino de eo laboret, neque quicquam remittit de pristino colendæ formæ studio. se tamen vnquam illius amorem ex animo depositurum negat. Quod autem fuerit periculum, in quo tum constitutus erat poëta, diuinare fas non est. nisi illud quidem constat, vrbem eum reliquisse, & mare conscendisse.

AT *non sic Ithaci.*] Homerus Odys. ε.

ALPHESIBOEA.] ita vocabant omnes elegantioris formæ puellas: quasi, quæ reperirent procos, qui ipsis boues darent dotis nomine. eo enim pecore solitos vti antiquissimos in æstimandis rebus, nondum introducto vsu nummorum, indicat vel illud τεσσαράβοιον,

—— ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων.

at hic nomen proprium est. historiam autem, quam hic tāgit Propertius, diffuse exponit Pausanias in Arcadicis: nisi quod apud eum fratrum ab Alphesibœa interfectorum nulla mentio.

HYPSIPYLE.] Ouidius in epistolis, Papinius libro sexto, interpres Pindari in Nemea.

HOSPITIO.] vt seruitium pro seruo dicimus, sic hospitium hic pro hospite accipimus.

EVADNE.] hæc initio Ianira dicebatur. sed vt Alphesibœas vocatas diximus, quæ propter pulchritudinem, reperirent magnam dotē: (vxores enim à viris, non, vt nunc, viros ab vxoribus, dotem accipere mos erat) ita hæc Euadne dicta est, quod bene dotata esset à Capaneo coniuge. ἕδνα enim vocabant nuptialia munera. Hanc Iphidis filiam fuisse, ait interpres Pindari: & ob id Iphias ab Ouidio vocatur. Hyginus tamen Philaci filiam facit.

MVLTA

Mvlta *prius.*] nihil temere affirmauerim: sed, si quis meam cõiecturam antiquus liber adiuuet, libenter pro, *multa*, legerim, *muta.* vt significet, prius fore vt flumina tacita, & sine vllo strepitu labantur in mare, quam ipse Cynthiam amare desinat.

Labentvr.] veteres libri, *labantur.* & melius conuenit cum eo, quod sequitur, *duxerit.*

IANVS DOVSA FIL.

At *non sic Ithaci digressu mota Calypso Desertis olim fleuerat aequoribus.*] Sic infra Elegi. xx.

Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleuerat Ascanio.

Ouidius Fastor. III. ex persona Ariadnes:

En iterum fluctus similes audite querelas.

Lycophron in Cassandra:

Τί μακρὰ τλήμων ἐς κωφὰς πέτρας,
Εἰς κῦμα χερσόν, εἰς νάπας δυσαυλίας
Βάζω, κενὸν ψάλλουσα μάστακος κτύπον; id est:
Sed quid misella longùm ad ignaras petras,
Salúmque surdum, & asperas cautes loquor
Sonos inanes murmuris rauci ciens?

Similiter profundit questus suos apud Sophoclem Philoctetes, loco quem paulo post citabimus. Alia quædam ad hanc rem pertinentia dixi in Catullum.

Sis *quodcunque voles, non aliena tamen.*] sic Tibullus:

Perfida, sed quamuis perfida, cara tamen.

IANVS DOVSA PATER.

Tv *quoque vti fieres nobilis historia.*] Simile illud Iuuenalis:

Vt pueris placeas, & declamatio fias.

Avdax *ah nimium nostro dolitura periclo.*] Sic Horatius:

O dolitura meâ multum virtute Neæra.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Sæpe *ego multa tuæ leuitatis iura timebam.*] In ora nostri libri eadem manu adpositum erat, *leuitatis dura*, quod verum est, & à nobis probatur. *dura leuitatis*, vt Horatius, *per acuta belli.*

FED. MORELLI P. R.

PARAPHRASIS
αὐτοσχεδιαστική.

EIVSDEM ELEGIÆ.

Πολλάκι πολλὰ φρενῶν κούφης σου σκληρὰ φοβούμην,
Γλυκὺ δὲ Κυνθία σῆς αἰὲν δολοφροσύνης.
Ηνίδ' ἔσωσέ με πήματος οὐλία μοῖρα κυλίνδη
Κινδυνεύουσαν ὅμως σὲ βραδύγραμος ἐμοῖς.
Οἷά τι ἀλλοτρίας παλάμαις συμπαίξαι ἰθύνεις,
Ηδὲ ἀεργία ἐλθέμεν ὧδε ἄρα.
Οὐδ' ἔθελε σύ γε καίζει λαμπρὰ σοι λίθοισιν,
Ηὖτε καλλικόμος φῶτ' ἀεισόμενοις.

Οὐχ ὡδ' ἰαυομένου Λαερτιάδαο Καλυψώ,
Κώκυσεν πολιῆς ἐξ ἁλὸς ἱζομένη·
Μυρομένη πλοκάμοις αἰχμηρεῖς ἤματα πολλά,
Πόντῳ ἀπηνεῖ ἔπη προφέα μεμφομένη.
Καί τοι οὔποτε ὀψομένη Ἰθακήσιον, ἱμείρ
Ηλγησ' ἱμπείρος εὐφροσύνης δολιχῆς.
Τίουτο δ' Αλφεσίβοια κασιγνήτους ἐφ' αἴδρις,
Αἵματος ἀνδρὶ φίλου δέρμα λύων φιλότης.
Οὐχ ὡδ' Αἰσονίδου ἁρπαζομένοιο θυέλλαις
Εστη Ὑψιπύλη ἐν θαλάμοις κενεοῖς.
Οὐκ ἄλλοις ποτ' ἄρ Ὑψιπύλη τηρήσατ' ἔρωτας,
Αἱμονίοιο ἅπαξ τηκομένη ξενίῃ.
Ευάδνη δῆμ πυρκαΐας Καπανῆος ἰοῦσα,
Εξέπτο' Αργῴης δόξα σαοφροσύνης.
Τῶν οὔτις σοῦ πρίψαι αὐδὴ καταδέξατο ἦθος,
Οφρ' ἐπιφημίζῃ ἔξοχος ἱστορίη.
Παύεο δ' ὧκα παλιλλογίαις ἐπίορκον ἀΐξαι,
Μήτ' ἐπιληθομένοις Κυνθί' ἔχθρα θεοῖς.
Α πολύτολμα, τηκομένη δ' ἄτησιν ἐμῆσιν,
Ὕστερον αὖ ἴσιον ῥίζῃ λυῖ τι πάθης.
Ρεῖν ποταμοὶ λελίπωτο παλιόρρυτα νῶτα θαλάσσης,
Καὶ λυκάβας ὥρας ἀλλοπάδην περάγοι·
Πρὶν σου ἐμοῦ φροντίδα παλιτάχιστον ἔρχεσθαι φρενός;
Εσσο δ' ὁποιασοῦν· οὔποτε γ' ἀλλοτρίη.
Ηὲ πρὶν ἐμοὶ γλυκεραί σου φαίνοντ' εὐδαίμονες,
Πεποίηνται θαμὰ μοι σῆς ἀγλαοσύνης.
Ων δία λυῖ τι ψευσαμένη ἐπίορκον ὀμόσσης,
Αἴθε πίπτοιεν ἐλαί ἐς χέρας, αἲ χαμαί.
Εἶπε σοῖς παρ' ὑελίνου πανδερκέι δεῖξαι,
Οὐ θαμὰ δὲ πόσσα ὤδινα ἀπαθανίζω;
Τίς σοι ἀνάλκιδα πολυχρόνιον αἰχμάζειν
Κλαύματ' ἀειπνὶ ποτ' ἐγχείη φαίνει;
Οἷον ὄλωλα ἐγών! οὕτω δυσίμερος ἐρίψας,
Αἱμύλιοι μῦθοι πέμπουσιν ἄπιστοι ἄεραι!

ELEGIA XVI.

Qvæ fueram magnis olim patefacta triumphis
Ianua Tarpeiæ nota pudicitiæ,
Cuius inaurati celebrarũt limina currus,
Captorum lacrymis humida supplicibus;
Nunc ego nocturnis potorũ saucia rixis,
Pulsata indignis sæpe queror manibus.
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ
Semper, & exclusi signa iacere faces:
Nec possum infamis dominæ defendere noctes
Nobilis obscœnis tradita carminibus.
Nec tamen illa suæ reuocatur parcere famæ
Turpior, & secli viuere luxuria.
Has inter grauibus cogor deflere querelis

Supplicis à longis tristior excubiis.
Ille meos nunquam patitur requiescere postes
Arguta referens carmina blanditia.
Ianua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtiuas reddere mota preces?
Nulla ne finis erit nostro concessa dolori?
Tristis & in tepido limine somnus erit?
Me mediæ noctes, me sidera prona iacentem,
Frigidáque Eoo me dolet aura gelu:
Tu sola humanos nunquam miserata dolores
Respondens tacitis mutua cardinibus.
O vtinam traiecta caua mea vocula rima,
Percussas dominæ uertas in auriculas!
Sit licet & saxo patientior illa Sicano,
Sit licet & ferro durior, & chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget & inuitis spiritus in lacrymis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto,
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed tu sola mei tu maxima caussa doloris,
Victa meis nunquam ianua muneribus.
Te non vlla meæ læsit petulantia linguæ,
Quæ solet irato dicere tuta loco,
Vt me tam longa raucum patiare querela,
Solicitas triuio peruigilare moras.
A *At tibi sæpe nouo deduxi carmina versu,*
Osculáque impreßis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quoties verti me perfida postes,
Debitáque occultis vota tuli manibus?
Hæc ille, & si quæ miseri nouistis amantes,
B *Et matutinis obstrepit alitibus.*
Sic ego nunc dominæ vitiis, & semper amantis
Fletibus, æterna differor inuidia.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVÆ *fueram magnis olim patefacta triumphis.*] per Prosopopœiam siue conformationem introducit loquentem ianuam puellæ, quæ habitabat in arce Tarpeia: qui olim fuerat locus di-
C catus triumphantibus: conqueritur itaque ianua, quòd ab amatoribus potis pulsetur: quòd domina infamis sit: quòd Propertius suis carminibus eam quiescere non patiatur.

PATEFACTA *triumphis.*] Imperatores Romani quando triumphum agebant per portam triumphalem ingrediebantur, cuius meminit Tranquillus, & per viam sacram pompatico fauore transeuntes ibant in Capitolium Ioui gratulatum: vbi Bos immolabatur, cum in ouatione ouem immolarent: Milites lauro coronati ramum quoque laureum manu gestantes Imperatorem sequebantur, qui curru deaurato
D vehebatur; altera manu tenens eburneum sceptrum, altera laurum: A tergo triumphantis seruus coronam ex auro sustinebat: in digito ipsius annulus ferreus erat, vt meminit Plin. in xxxiii. Denique si nosse cupis formam pompámque triumphi Romani, lege Plutarchum in Æmilio, & Appiani librum qui inscribitur Libycus, qui cuncta copiosissime commemorant. de Tarpeia dicetur in quarto.

POTORVM.] id est, ebriorum. Cicer. *Ad de inscitiam pransi, poti, oscitantis ducis.*

TVRPES *pendere corollæ.*] solebant amatores ante fores amicæ coronas apponere, & ipsos co-
E ronare. Tibull.

Cum posti florida serta darem.

Ouidi.

At tu non lætis detracta corona capillis
Dura super tota limina nocte iace.

quin etiam faces extinctas illic relinquebant post exactas cantilenas. vnde à Persio dictum est:

—— dum Chrysidis vdas
Ebrius ante fores extincta cum face canto.

SECLI.] pro seculi metaplasmus syncope est. Seculum ante, vt docet Varro, significat spatium annorum cẽtum: dictum à sene, quòd longissimum spatium senescendorum hominum id

putarunt. Quidam crediderunt annos xxx. sæculum conficere: quos multum errare existimat Censorinus, qui scri. in lib. de die natali seculum esse spatium vitæ humanæ longissimum partu & morte diffinitum. quot autẽ annorum sit nõdum arbitratur ad subtile examinatum esse. loquitur ex sententia illorum, apud quos corrumpere & corrumpi seculum vocatur, vt auctor est Cor. Taci.

Excvbiis.] Excubiæ sunt diurnæ & nocturnæ: vigiliæ tantummodo nocturnæ.

Ianva v. d.] hæc sunt illa carmina, quæ dicit Ianua cantari à Propertio nocturno tempore, quæ postes ipsius quiescere nõ sinunt: in quibus poëta excubans crudelitatem accusat ianuę, quæ facta erat inexorabilis.

Nvlla ne fi.] masculino & fœminino genere finem dicit, testis est Virg. qui ait:

Hæc finis Priami fatorum. &:

—— *quem das finem rex magne laborum:*

quod diligenter obseruauit Gellius in xii.

Miserata dolores.] misertus cum genitiuo: miseratus cum accusatiuo dicitur. Quintil.

Misertus mei, misertus patris. Virg.

—— *aut miseratus amantem.*

Saxo Sicano.] scopulis Siculis, qui à Plin. dicuntur scopuli Cyclopum. Virg.

—— *penitúsque sonantes*

Accestis scopulos: vos & Cyclopeia saxa

Experti ——

Sicilia dicta est Sicania à Sicanis populis, qui primi eam insulam incoluisse feruntur, qui tamẽ non sunt indigenæ, sed Hispani à Sicano flumine nominati, vt docet Thucydides in sexto. Oui. cum ostendere vellet puellam difficilem & immitem eadem similitudine vsus est, sic scribens, His immobilior scopulis, videlicet Siculis. est enim Polyphemus Siculus, qui introducitur conquerens de Galatheæ insolentia.

Dvrior & Chalybe.] Chalybe posuit pro ferro, quoniam apud Chalybas nascitur ferrum. tropos metonymia. ita Vir. *vulnificúsque Chalybs.* Sunt autem Chalybes populi Paphlagoniæ, siue Cappadociæ, qui alio nomine Chaldei dicuntur. Nonnulli existimant eos prius Alybas nuncupatos: apud Chalybes fuerunt clarissima metalla non solum ferri, sed etiam argenti, vt docet Strabo in xii. Mihi videtur Propertius intelligere voluisse nomine Chalybis metallum durius ferro, quoniam iam dixerat

—— *durior & ferro:*

ne idem bis dixisse videatur. sunt & Chalybes in Hispania à fluuio Chalybe nominati: qui (vt scribit Iustinus in vltimo) ferro cæteris præstare dicitur, & quamuis Virg. dixerit:

At Chalybes nudi ferrum ——

Plin. tamen in xxxiv. palmam dat ferro Serico, secunda laudem Parthico.

Petvlantia linguæ.] ostendit poëta nullis se conuitiis ianuam incessere, qualibus amatores exclusi vti solent, qualia per indignationem Tibull. effundit:

Ianua difficilis dominæ te verberet imber.

Dedvxi carmina.] signate loquutus est. ita Virg. —— *deductum dicere carmen.*

quod Quint. ait epitheton esse carminis accommodatissimum; & vt Macro. interpretatur pro tenui & subtili eleganter positum est. Hæc ille. Nunc loquitur ianua post enarratam amatoris cantilenam.

Obstrepitvm alitibus.] quasi dicat, durat vsque ad gallicinium, & cantu obstrepero concinnentes auiculas infestat, & aduersus illas resonat.

Differor.] id est, distrahor, discindor, infamor, vt supra docuimus.

IANVS DOVSA FIL.

Tvrpior & secli viuere luxuria.] Locus hic commodè mihi in memoriam reuocat illum Senecæ Epist. lxxxix. *Quid inquiris, an Penelope impudica fuerit, an verba seculo suo dederit.* In quo miror inuenisse viros doctos quod offenderet, & suspectam faceret Latinitatem eius locutionis: *verba seculo suo dare*, Atqui si exempla requirunt, ingero illis Ouidium Amorum lib. iii. Eleg. xiii.

Da populo, da verba mihi. sine nescius errem,

Et liceat stulta credulitate frui.

Planè enim similia hæc, *populo* & *seculo dare verba.* Ac fortasse scripsit Seneca: *an Penelope pudica fuerit*, vt opponantur inter se, pudicam esse, & verba dare iis quibus pudicam se esse persuaserat.

Frigidaqve Eoo me dolet aura gelu.] Allusit ad etymon *aura*, quod est, quasi ἀπὸ τῆς ἠοῦς ῥέειν. vnde & ἄλχαιον diluculum appellat Apollonius in Argonauticis, id quod alij κνέφας· ἀεὶ γὰρ τὸν ποιοῦντα καιρόν, vt tradit Apollonij Scholiastes, αἱ αὖραι πνέουσι, καὶ τοῦτο δὲ ἐκ τοῦ ποιητοῦ·

Αὔρη δ' ἐκ ποταμοῦ ψυχρὴ πνέει ἠῶθι πρό.

Sic ego nunc dominæ vitiis & semper amantis.] *Fletibus.* malim *semper amantis*, vt sic ἀεί. sic Lucretius: *semperflorentis Homeri.*

IANVS DOVSA PATER.

Qvid mihi tam duris clausa taces foribus? Propriè de ianua, quæ nunquam recluditur, vt amanti pateat, ideóque *tacere* dicitur μὴ ψοφεῖν, quòd cardines eius crepitum non edunt, diuersa tamen ratione, quàm bellissimum illud & taciturnissimum ostium in Curculione Plautina, cuius cardinis lepos ab adolescente amatore eo maximè nomine commendatur, quòd nunquam vllum verbum mutiret, vnde & *oculissimum* dici meritum. Quò item alterum illud ab eodem Comico trahas licet:

Fac habeant linguam tuæ ædes, vt me, quum veniam, vocent.

Explicat deinde seipsum Propert. quum scribit:

Sit licet & saxo patientior illa Sicano, Sit licet & ferro durior & chalybe.] *Patientior* enim idem quod *durior*, & *durior* idem quod *patientior*, quæ duo etiam in vno Martialis versu coniuncta reperias hoc exemplo:

Si patiens, fortísque tibi, durúsque videtur:

vnde *durare* pro pati non raro à Poëtis sumitur. & Ouidius in Ponticis *duritia* pro patientia est vsus ad Pedonem scribens versu illo:

Et quos tu silices. & quod, carissime, ferrum
Duritiæ confers Albinouane meæ?

Versum illum Elegiæ XVII. puto rescribendum hoc modo:

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET *mihi non desunt turpes pendere.*] *Desunt pendere.* Silius:

Pascere nec Pœnus prauum, aut nutrire fauorem
Deerat —— Item:
Nec densæ trepidis absunt se inuoluere nubes. Item:
Nec quos vile genus despectáque lucis origo
Fœdabat, sperare sibi, & deposcere primi
Deerant imperium, & patriæ pereuntis habenas.

NOBILIS *obscænis tradita carminibus.*] Ouidius Amorum III. Elegia loquitur:

Ah quoties foribus duris incisa pependi.
Non verita à populo prætereunte legi.

HAS *inter grauibus cogor deflere querelis.*] Legendum profecto:

Has inter grauius cogor deflere querelas.

Præter eas querelas est quod grauius doleat mihi. Quod GRAVIVS bene repositum sit à nobis fidem fecerit, τὸ TRISTIOR.

ME *sidera plena.*] Lege *prona*, vt in nostro libro. At illud *plena* ineptum.

ME *dolet aura.*] Et hoc quoque ineptum. In margine codicis legitur *dolas.* quod retinendum.

QVÆ *solet irato dicere tuta loco.*] Liber scriptus, *Quæ solet iratus.* recte. Fortasse autem *trita.* non *tuta*:

Quæ solet iratus dicere trita loco.

Trita illa, & solicita, quæ irati solent loco & tempore, hoc est quotiescunque poscit locus vt irascantur, effutire. Occurrit sæpe in libris scriptis vt Tritus, & Tutus inuicem commutentur.

ELEGIA XVII.

D

Et merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor halcyonas.
Nec mihi Caßiope solito visura carinã,
Omniaq́; ingrato littore vota cadũt.
Quinetiam absenti prosunt tibi Cynthia venti.
E *Aspice quàm sæuas increpat aura minas.*
Nulla ne placatæ veniet fortuna procellæ?
Haccine parua meum funus arena teget?
Tu tamen in melius sæuas conuerte querelas.
Sat tibi sit pœnæ nox, & iniqua vada.
A *An poteris siccis mea fata reponere ocellis?*
Ossaq́; nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicunque rates, & vela parauit
Primus, & inuito gurgite fecit iter.
Nónne fuit leuius dominæ peruincere mores?
Quamuis dura, tamen rara puella
B *fuit:*
Quàm sic ignotis circũdata litora siluis
Cernere, & optatos quærere Tyndaridas?
Illic si qua meum sepelirent fata dolorem,
Vltimus & posito staret amore lapis:
Illa meo caros donasset funere crines,
Molliter & tenera poneret ossa rosa:
C *Illa meum extremo clamasset puluere nomen,*
Vt mihi non vllo pondere terra foret.
At vos æquoreæ formosa Doride natæ,
Candida felici soluite vela choro.
Si quando vestras labens Amor attigit vndas,
Mansuetis socio parcite littoribus.

PHILIPP. BEROALD. BON.

ET *merito, quoniam potui fugisse procellam.*] deprehensus à procellosa tempestate se ipsum accusat, meritóque se pati ait fluctus vndabundos, quoniam potuit relinquere Cynthiæ amores. potest hoc referri ad illud periculum, cuius supra meminit: principio vtitur abrupto.

ALLOQVOR *Halcyonas.*] Halcyones aues sunt, quæ fœtificant bruma. nidos faciunt septem diebus ante brumam, & totidem sequentibus pariunt, qui dies Halcyonides vocantur, quibus maria mitiora sunt & nauigabilia. auctor Plin. in x. Arist. in octauo de animalibus, duplex genus esse refert Halcyonum, alterum vocale harundinibus insidens: alterum mutum quod ampliore corpore est. interpres Aristotel. pro Halcyonibus dicit Halcedones, & ita ab antiquis dicebantur, vt scribit Festus. inde discito locum apud Plautum reconditum, neque cognobilem apud magistros scientiæ triuialis: in Cassina legitur:

Tranquillum est, Halcedonia sunt circa forum,

quod metaphoricὼs significat forenses lites cessare, & tranquillitatem ita in foro versari, quemadmodum maria tranquillabantur diebus il-

lis septem, quos dicimus Halcyonides vocari, qui & Halcedonia nominantur: quorum meminit Gelli. in III. de quibus ita scribit Ouidius:

Pérque dies placidos hyberno tempore septem
Incubat Halcyone pendentibus aquore nidis:
Tum via tuta maris,ventos custodit & arcet
Aeolus egressu: prastátque nepotibus aquor.

scribit Plin. Halcyonem paulo ampliorem esse passere colore cyaneo: scito cyaneum colorem à Græcis nigrum, cæruleúmque vocitari. & ita Aristotelis interpres: quem Plin. dicit cyaneum, ipse interpretatus est cæruleum. Non sunt prætereunda quæ tradit Albertus Magnus in XXIII. de animalibus loquens de Halcyonibus. ita enim scribit: *Dicunt quòd mari tempestuoso oua Halcyonum obiecta statim inducunt tranquillitatem, & hanc gratiam hanc autem à Ioue esse consequutam, vt in tempore sollicitudinis sua etiam in hyeme serenos, XIIII. dies accipiat, quos dies nautici Halcyonidas vocant.* merito Propertius tempestate vexatus alloquitur, & inuocat Halcyonas, vt scilicet illæ suo aduentu tranquillent mare vndabundum. Desertas vocat, quia rarissime visuntur, nec nisi circa solstitia in mari apparent.

NEC *mihi Cassiope.*] nec stella inquit Cassiope tranquillitatem vllam denunciat. Est enim Cassiope siue Cassiopeia sidus in cælo ita figuratum, vt in siliquastro sedeat, auctore Higinio. est autem siliquastrum sella à sedendo nominatum, vt docet Varro. apud Plinium pro herba accipitur. Hoc dixi de siliquastro vt intelligeres quid sibi vellet Higinius. vt ad Cassiopem reuertamur, constat stellis tredecim. occidens cum Scorpione capite cum sedili resupina ferri perspicitur: exoriri autem cum Sagittario. Mythici dicunt Cassiopem Andromedes matrem olim gloriabundam dixisse se forma præstare Nereidibus, pro quo facto inter sidera constitutam esse, vt resupinato capite ferri videatur. de hoc sidere ita loquitur Manilius in primo ex simili dictum: *Cepheusque & Cassiopeia.* & Cicer. in secundo de natura deorum: *Obscura specie stellarum Cassiopeia.*

PROSVNT *tibi Cynthia venti.*] sensus est, venti qui me vexant, prosunt tibi, tanquam in gratiam Cynthiæ sæuiant cupientis excidium Propertij.

HAECCINE.] dicticôs est, & pathos mouet à loco.

AH *pereat quicunque.*] naufragio periclitabundus illum detestatur, qui primus cœpit nauigare. quis autem fuerit incertum faciunt scriptorum sententiæ dissidentes: nam Philostephanus auctor est Iasonem primum longa naue nauigasse: Ctesias Samyram: alij Semiramim. nauem primus in Græciam, auctore Plinio ex Ægypto Danaus aduexit: ante ratibus nauigabatur inuentis ab Erythra rege. Tibullus primos Tyrios nauigasse autumat illo versu:

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

talis fere detestatio est apud Horat. & Papinium in eum:

-qui primus fragilem truci
Commisit pelago ratem.

Memoria mehercule digni sunt Papinij versus, quos scriptos reliquit tertio Siluarum,

Quis rude & abscissum miseris mortalibus aquor
Fecit iter: solidaque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus. ——

ET *vela.*] Icarus vela primus inuenit, Dædalus vero malum & antennam.

INVITO *gurgite.*] idem Papin.

Inde furor ventis indignataque procella.

& paulo post:

-visisque tumuerunt puppibus vnda:
Inque hominem surrexit hiems.

QVAERERE *Tyndaridas.*] qui tempestatibus, procellísque agitantur quærunt & implorant Tyndaridas, hoc est Castores: quod sidus felix & propitium est nauigantibus. de quibus ita scribit Plinius in secundo: *Vidi in nocturnis militum vigiliis inhærere pilis pro vallo fulgurum effigies, graues hæ & antennis nauigantium: aliísque nauium partibus ceu vocali quodam sono insistunt, vt volucres sedem ex sede mutantes: graues cum solitariæ venere, mergentésque nauigia. Geminæ autem salutares, & prosperi cursus prænuntiæ: quarum aduentu fugari diram illam ac minacem, appellatámque Helenam ferunt: & ob id Polluci & Castori id numen assignant, eósque in mari deos inuocant.* Hactenus Plinius. Idem quoque refert Seneca in quæstionibus. scribit Diodor. *Cum Argonautæ tempestate agitarentur astra duo supra Pollucis & Castoris capita apparuisse. Quo facto sedata tempestate constitutum est, vt quos postmodum tempestas agitaret Castoribus vota pro salute facerent.* refert Lactantius Statij interpres: *Si Helenæ stella naui insederit, nautas sine dubio perituros: Castorum vero sidera esse nauigantibus salutaria.* Hæc ideo retuli copiosius, quoniam existimaui me facturum operæ pretium propter poëtas, apud quos fere omnis fit mentio Castorum stellarum. Horatius:

Sic fratres Helenæ lucida sidera.

Martialis:

Et gratum nautis sidus fulgere Laconum.

Papinius:

—— *proferte benigna*
Sidera, & antennæ gemino considite cornu
Oebaly fratres. ——

Tyndaridæ dicuntur eo modo quo Hercules dictus est Amphytrioniades, tanquam filij Tyndarei, cum sint Iouis. Ausonius:

Tyndareus pater his & Iuppiter: hic putat: hic scit.

ILLIC.] scilicet Romæ.

DONASSET *caros crines.*] sumptum ex Homero, qui scribit in XXIII. Iliados Patrocli cadauer opertum fuisse capillis sociorum superiectis: & Achillem comam, quam Sperchio fluuio nutrierat secuisse, eamque in defuncti Patrocli Manibus deposuisse: quæ res omnes ad fletum prouocauit.

OSSA *rosa.*] Marcus Varro ritu Pythagorico sepeliri voluit in myrti, & oleæ, & populi nigræ foliis.

CLAMASSET *puluere nomen.*] ex ritu

antiquorum dictum est: apud quos nomina defunctorum conclamabantur, & post vltimam conclamationem comburebantur, vt tradit Seruius: vnde dictum est à Lucano:

—— corpora nondum Conclamata iacent.

& Apuleius in primo de asino aureo:

Domi tuæ, inquit, *iam deffletus & conclamatus es.*

hinc tractum est illud Terentianum:

Desine, conclamatum est. ——

quod, vt Donatus exponit, pro transacto accipitur. Inclamari manes defunctorum solitos indicat ille Virgilij versus,

—— animámque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

DORIDE *natæ.*] suppetias & opem petit à nymphis: quæ Doridis filiæ dicuntur, vt scribit Seruius. Quod ostendit Ouid. in secundo Metamorphoseon:

Doridaque & natas, quarum pars nare videtur.

FELICI *Choro.*] Chorus ventus est occidentalis, de quo Lucanus in quinto:

Primus ab Oceano caput exerit Atlantheo
Chore mouens æstus ——

Flat ab occasu solstitiali, vt auctor est Plinius in secundo. Chorus nomen est mensuræ; vnde scriptum est in instrumēto veteri libro tertio Regū, *Erat cibus Solomonis per dies singulos XXX. Chori similæ & LX. Chori farinæ.* Chorus significat multitudinem psallentium: vnde quærit Iurisconsultus digestis de Ædilitio edicto, *Si veneat chorus, & vnus in choro morbosus vel vitiosus fuerit: an omnes debeant redhiberi?* Chorum à χαρᾷ id est lætitia prisci nominauerunt, vt docet Plato in secundo de legibus. à Propertio accipitur chorus pro numerosa multitudine Nereidum, vt apud Virgilium:

—— audiit omnis
Nereidum, Phorcíque chorus: Panopeiáque virgo.

Qui Chorum pro vento in hoc loco accipiendum autumant ratione metrica facile coarguuntur, syllaba prima repugnante, quæ in vento producitur, vt indicat Lucani versus, quem modo retulimus: & Iuuenalis,

In Chorum atque Eurum solitus sæuire flagellis.

SI *quando vestras.*] soluite inquit, ô nymphæ, mea vela, mihique aspirate periclitanti, si vnquam amastis, & amor domuit numina aquarum. Ouidius de amore loquens ait,

Tu superos, ipsúmque Iouem, tu numina ponti
Victa domas. ——

& amores nympharum celebrantur à poëtis, vt Galatheæ, atque Salmacidis.

M. ANT. MVRETVS.

AT *merito.*] libri veteres, *Et merito.*

AN *pereat.*] Quomodo pereat, si iampridem periit? sed videlicet tale est, quale illud,

Illi sub terris fiant mala multa puella, &c.

IANVS DOVSA FIL.

NVNC *ego desertas alloquor Halcyonas.*] Sic Elegia sequenti:

Et quodcunque mea possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aues.

A innuens deesse sibi frequentiam hominum quibus querelas suas (in quibus *omnis aduersa fortuna habet leuamentum*, vt Seneca loquitur) exponere possit. ita conqueritur & Philoctetes apud Sophoclem:

Ω λιμένες, ὦ προβλῆτες, ὦ ξυνουσίαι
Θηρῶν ὀρείων, ὦ καταρρῶγες πέτραι,
Υμῖν τάδ'. οὐ γὰρ ἄλλον οἶδ' ὅτῳ λέγω.

IANVS DOVSA PATER.

NVLLANE *placata veniet fortuna procellas?*] non *placata procella*, vt est in omnibus impressis
B nullo sensu. quod si cui probabitur, is sciat velim, *fortunam* hoc loco pro felici euentu, tranquillitatéque, ac malacia quadam positum se accipere debere. Sequitur euestigio:

AN *poteris siccis mea fata reponere ocellis?*] Id est, cadauer & cineres meos indeploratos vrna condere: vel potius à te segregare & obliuisci, quasi meum funus nihil ad te pertineat? Notandum etiam *quærere* pro quæsere & implorare positum videri posse eo versu: *& optatos quærere Tyndaridas.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

C NEC *mihi Cassiope solito visura carinam.*] Nec mihi Cassiope apparet, vt solet. Hæc tamen inconcinna sunt, neque magno aliquo mendo carent. Ego lego:

Nec mihi Cassiope solito visura carinam
Ominat. ingrato litore vota cadunt.

Nec, inquit, sidera dant mihi omen se visura carinam. Hypallage: ominor ex ipsa Cassiope & aliis astris me non visurum carinam. nube enim omne cælum obductum est. Ominat, & ominatur, vtrunque dixerunt veteres. Pomponius Cretula: *—— Nil petituræ? bene*
D *Eueniat. Ita fit. Et tibi bene sit, qui recte ominas.*

Est autem Græca figura, *ominat visura*, pro ominat visuram. Sic alibi:

Visura & quamuis nunquam speraret Vlyssem.

DONASSET *funere crines.*] crebertimus in hoc casu Propertius, *funere, ore, lumine*, pro *funeri, ori, lumini.* donare crines funeri notum ex Tragicis Græcis, & ex ipso Propertio alibi:

Exequiæ fuerant rari furtiua capilli
Vincula ——

CANDIDA *felici soluite vela Noto.*] Repone VELA CHORO. Ex fide eiusdem libri.

E

ELEGIA XVIII.

HÆC certè deserta loca, & taciturna querenti,
Et vacuum Zephyri poßidet aura nemus.
Hìc licet occultos proferre impunè dolores,
Si modò sola queāt saxa tenere fidē.
Vnde tuos primum repetam mea Cynthia fastus?

Quod mihi das flendi Cynthia principium?
Qui modò felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?
An noua tristitiæ caussa puella tuæ?
Sic mihi te referas leuis, vt non altera nostro
Limine formosos intulit vlla pedes.
Quamuis multa tibi dolor hic meus aspera debet,
Non ita sæua tamen venerit ira mea,
Vt tibi sim meritò semper furor, & tua flendo
Lumina deiectis turpia sint lacrymis.
An quia parua damus mutato signa calore:
Et non vlla meo clamat in ore fides?
Vos eritis testes, si quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata deo.
Ah quoties teneras resonant mea verba sub vmbras,
Scribitur & vestris Cynthia corticibus!
An tua quòd peperit nobis iniuria curas,
Quæ solùm tacitis cognita sunt foribus?
Omnia consueui timidus perferre superbæ
Iussa, neque arguto facta dolore queri.
Pro quo diuini fontes, & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies,
Et quodcunque meæ possunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere solus aues.
Sed qualiscunque es, resonent tibi Cynthia syluæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacēt.

A

PHILIPP. BEROALD. BON.

HÆC *certe deserta loca, & taciturna querenti*] in loco siluoso atque deserto solus liberiore querimonia lamentatur de fastu Cynthiæ ac leuitate. itaque seipsum prouocans ad dolores suos aperta voce proferendos ait: Hæc certe, quod totum pronunciatione adiuuandum est.

AVRA *Zephyri.*] Zephyrus ventus est: qui ab occasu æquinoctiali aduersus Eurum flat, Fauonius Latinè vocatur, vt docet Gel. in secundo. de quo ita scribit Plin. in XVI. *Hic est genitalis spiritus mundi à fauendo dictus, vt quidam existimauere. flat ab occasu æquinoctiali ver incheans, hoc maritantur viuiscentia è terra.*

B

COGOR *habere notam.*] id est suggilationem & infamiam. nota enim frequenter accipitur in deteriorem partem: vnde apud Valerium titulus est de Censoria nota. in quo ita scriptum est: *Mirifica nota causa.* inde notare, significat ignominia afficere. Horat.

——multa cum libertate notabant.

Interdum dicitur nota in meliorem partem. verba Liuij hæc sunt ex lib. XXIIII. *Neminem nota strenui aut ignaui militis notasse volui.* & apud Ouid.

C

Ille Numantina traxit ab vrbe notam.

PROFERRE *dolores.*] est enim, vt ait Sene. quoddam in querelis leuamentum. & è contrario, Strangulat inclusus dolor, vt eleganter scribit Ouid.

QVÆ *te mihi carmina mutant.*] vel carmina intellige alterius poëtæ: vel potius incantamenta, quibus mentes amantium permutantur, iuxta illud Maronianum: *Hæc se carminibus promittit soluere mentes Quas velit.*

SIC *mihi*]. deprecatiua particula. Virg.

Sic pater ille deum faciat: sic altus Apollo.

Horatius,

D

Sic te diua potens Cypri.

DOLOR *aspera debet.*] à debitoribus translatum, qui quod debent creditoribus reddere iubentur. Ita inquit poëta: Dolor meus debet Cynthiæ aspera, quoniam cùm propter eius perfidiam doleam, dolor meus est obnoxius Cynthiæ. Illi debet non dulcia nec bona, sed aspera & mala multa, quæ tamen reddere se nolle dicit.

MVTATO *signa calore.*] qui mutat calorem, id est, amorem propter recentem flammam prioris obliuiscitur, nec pristina signa ardoris ostentat. Vetus prouerbium est, *vt clauus clauo eiicitur, ita nouo amore veterem eliminari.* Cuius rei meminit Cice. in Tusculanis.

E

VOS *eritis testes.*] apostrophe est ad arbores, quarum in amore suo erga Cynthiam testimonium citat.

FAGVS *& Arcadio pinus.*] fagus arbor est glandifera, cuius glans dulcissima est, auctore Theophrasto. & vt scrib. Plin. *Suem hilarem facit, carnem coctibilem ac leuem, & vtilem stomacho.* Pinus in tutela est Cybeles, vt ait Ser. Vnde Mart. *Poma sumus Cybeles.* Causam retulit Ouid. in X.

——quoniam Cybeleius Atys
Exuit hac hominem, truncoque indurnit illo.

Dicata est Pani deo Arcadico: Vnde ait ipse Pan apud Papi. *Et nostræ stupeant tua germina pinus.* Et Ou. in Fast. *Pars tibi qui pinu tempora nexa geris.* De Pane cum in scholis triuialibus quotidie multa memorentur, hoc nobis dixisse sufficiat, quod tradit Herodotus in Euterpe, Pana scilicet inter octo deos Aegyptiorum numerari: cuius simulachrum formatur caprina facie, hircinisque cruribus: apud Mendesios præcipuè venerabilis, qui Ægyptiacè dicitur Mendes. scribit Euseb. olim nunciatum fuisse Tiberio magnum Pana mortuum esse, & cum diligenter vestigaret, quisnam Pan hic foret, consultos philosophos respondisse eum esse qui ex Mercurio & Penelope natus fuisset.

CYNTHIA *corticibus.*] nomen Cynthiæ in corticibus fagi & pinus scriptitabat: quod indicium est amoris exuperantissimi. Ita Oenone apud Ouid. dicit nomen suum à Paride incisum fuisse in cortice fagi,

Incisæ seruant à te mea nomina fagi.

SVPERBÆ.] scilicet Cynthiæ.

IVSSA.] omnia perpertior.

ARGVTO *dolore.*] clamoso & sonoro. Virg.

Forte sub arguta consederat ilice Daphnis.

Aliquando argutum significat breue. Virg.

Argutúmque caput. ———

Argutos vocat Probus eos, qui celeritate loquuntur & multum: quoniam Græcè Argos, velox dicitur Latinè.

PRO *quo diuini fontes.*] præmium, inquit, laborum meorum & ærumnarum, quas patior ob amorem hoc mihi datur, vt scilicet duram quietem capiam in rupibus & aspretis.

AD *argutas dicere.*] sensus est: Ego cum in loco frequenti inter mortales queri non possim de Cynthiæ fastu, cogor querelas omnes effundere in solitudine ad auiculas recinentes, quæ argutæ sunt & canoræ. Democritus scripsit aues quasdam esse, ex quarum confuso sanguine serpens gignatur: eum si quis ederit, linguas auium, & colloquia interpretaturum.

IANVS DOVSA FIL.

ARCADIO *pinus amica Deo.*] Verè amica, vtpote quem Boreæ amatori item suo, tunc quum puella adhuc esset, longè præferret, vnde Thrax ille iniuriæ impatiens deprehensam fortè solam spatioso campo, saxo allisit, quam infeliciter moribundam exceptam intra gremium suum tellus in arborem cognominem commutauit, cuius frondibus postea tempora præcinctus semper spectatus est Arcas Deus. Quæ fabula exstat apud Constantinum Geoponic. xi. & tangitur à Nonno in Dionysiacis. neque monuissem, nisi neglexissent monere, qui cætera in enarrandis fabulis diligentissimi, ita vt hæc sola penè illis cura curata. quod autem libri nonnulli *amata* legunt pro *amica*, minus placet. præcessit enim: *si quos habet arbor amores*, id est, si quando amor etiam arbores tetigit, veluti Pitym puellam, quæ, quòd Pani se amicam præstitit, in arborem commutata est: nisi fortè referendum ad amores illos, de quibus Aristænetus: ἀλλ' ὦ φίλτατα δένδρα τῶν ἀδελφαίων ὅπερ... εἰ δύναισθε, ἆρα καὶ ἐν ὑμῖν ἐστιν ὁ ἔρως, ἢ πίτυες παρ' ἐκείνην κατακέκλισθε, & quæ sequuntur.

PRO *quo diuini fontes.*] Frontinus de Aquæductibus: *Fontium memoria cum sanctitate adhuc exstat & colitur.* hinc à Cicerone in 2. de Legibus *fontis ara* memoratur, in tertio de Natura Deorū *fontis delubrū*. Ianus Gruterus amicus meus & curiose doctus has literas, legit *Clitūni fontes* in Suspicionib. quod non improbo. cæterū *diuini* eadē sententia putem retineri posse, vt Clitumnus ipse intelligatur per hos *diuinos fontes*, *numen præsens atque etiam fatidicum*, cuique eo loco *adiacet templum priscum & religiosum*, vt auctor est Plin. in Ep.

IANVS DOVSA PATER.

VOS *eritis testes, si quos habet arbor amores.*] id est, si fortè & vos amoris igne vnquam afflatæ fuistis, in quam rem Aristænetus consuli poterit in arguta Epistola illa de Acontij & Cydippes nuptiis. nisi quis amores arbori inscriptos interpretari malit, id quod solere etiam fieri innuit statim poëta cùm ait:

AH quoties teneras resonant mea verba sub vmbras,
Scribitur & vestris Cynthia corticibus.]

Cui sonat Callimachus:

Ἀλλ' ἐνὶ δὴ φύλλοισι κεκομμένα τόσσα φέροιτε
Γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν.

Quem locum imitatus est Aristænetus: ὦ γενναῖα καὶ τῶν φλοιῶν ἐγκεκολαμμένα φέροιτε γράμματα, ὅσα τὴν Κυδίππην ἐπονομάζει καλήν. Eodem quoque referenda Nasonis illa:

Incisæ seruant à te mea nomina fagi,
Et legor Oenone falce notata tua.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

VT TIBI *sim merito semper furor.*] Non attinet monere quoties illud *semper* vsurpatur otiose à Propertio. Hoc enim infinitis locis facit. Sic Dio: τῶν ἀεὶ ὑπάτων, οἱ ἀεὶ δήμαρχοι, τῶν ἀεὶ στρατηγούντων, τῶν ἀεὶ ἀρχόντων, ὥστε ἀεὶ βουλεύειν.

SCRIBITVR *& vestris Cynthia corticibus.*] Callimach. Ἀλλ' ἐνὶ δὴ φύλλοισι κεκομμένα τόσσα φέροιτε
Γράμματα, Κυδίππην ὅσσ' ἐρέουσι καλήν.

AN *tua quod peperit nobis iniuria curas.*] Liber noster *curam*, sed eadem manu in ora emendatum, *curas*. Ego puto legendum parua mutatione: *An, tua quæ peperit nobis iniuria, curas,*

Quæ solum tacitis cognita sunt foribus?

Curas verbū. Ita enim melius legi posse videtur.

PRO *quo diuini fontes.*] Scio fontes sacros esse, non tamen vt vllus veterum eos diuinos vocauerit. Sed mendū est, quod facillime tolli potest.

Pro quo. Di, viui fontes, & frigida rupes.

Pro qua pietate, ô Dij, ita me remuneramini, vt potus aqua viua, cubile frigida rupes sit. Contra Catullus: *O Dij, reddite mi hoc pro pietate mea.* Recte igitur Deorum compellatio interposita.

SED *qualiscunque es.*] Hoc distichon à Grammaticis corruptum ita ex nostro libro legito:

Sed qualiscunque es, resonant mihi Cynthia siluæ,
Nec deserta tuo nomine saxa vacant.

Saxa, inquit, & siluæ resonant mihi τὸ Cynthia. vt quod ex Callimacho modo citauimus Κυδίππην καλήν.

ELEGIA XIX.

Non ego nunc tristes vereor mea Cynthia manes,
Nec moror extremo debita fata rogo,
Sed ne fortè tuo careat mihi funus amore:
Hic timor est ipsis durior exequiis.
Non adeò leuiter nostris puer hæsit ocellis,
Vt meus oblito puluis amore vacet.
Illic Phylacides iucundæ coniugis heros
Non potuit cæcis immemor esse locis,
Sed, cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Thessalis antiquam venerat vmbra domum,
Illic quicquid ero, semper tua dicar imago:
Traiicit & fati littora magnus amor.
Illic formosæ veniant chorus heroinæ,
Quas dedit Argiuis Dardana præda viris,
Quarum nulla tua fuerit mihi Cynthia forma
Gratior, & tellus hoc ita iusta sinat:
Quamuis te longæ remorentur fata senectæ,
Cara tamen lacrymis ossa futura meis:
Quæ tu viua mea possis sentire fauilla,
Tum mihi non vllo mors sit amara loco.
Quàm vereor, ne te contempto Cynthia busto,
Abstrahat è nostro puluere iniquus amor,
Cogat & inuitam lacrymas siccare cadentes.
Flectitur assiduis certa puella nimis.
Quare dum licet, inter nos lætemur amantes,
Non satis est vllo tempore longus amor.

A

PHILIPP. BEROALD. BON.

NON *ego nunc tristes vereor mea Cynthia manes.*] ostendit se non tam metu mortis perturbari quam timere ne funus suum careat amore Cynthiæ: & hunc timorem sibi ipsa morte formidabiliorem esse demonstrat. mox suadet dum vita superest amori esse indulgendum.

TRISTES *manes.*] de manibus hæc traduntur. Animum humanum corpore exutum prisci Manem deum nuncuparunt: & honoris gratia dei vocabulum additum est vt scribit Apuleius, qui in Dæmonio Socratis multa facundissimè B tradidit de Manibus, de Lemuribus, Laruis, & Genio, quæ ab Augustino in octauo de ciuitate dei repetita sunt. Refert Martianus Capella in nuptiis Philologiæ Manes tam bonos quam truces esse, qui cum sint constituti sub potestate Plutonis, merito Pluto Summanus dicitur, quasi summus manium. Maiores nostri manes adorabant. Vnde ait Plin. in VII. *Post sepulturam aliæ atque aliæ manium ambages, sensum inferis dando, & manes colendo, deumque faciendo, qui iam etiam homo esse desierit.* De Manibus ita scribit Cic. *Deorum manium iura sancta sunto: hos leto datos diuos habento: sumptum in illos luctúmque minuunto.* Manes autem nominati sunt ab eo quod antiqui ma- C num bonum vocabant, vt Nonius & Festus memorant: vel quod melior mors sapientibus quam vita probetur, vel quod boni. In quam opinionem potest videri incidisse Virg. qui ait:

——vos mihi manes Este boni.——

Inferior mundi pars diis manibus erat consecrata: Manes ad superos manare credebantur per ostium Orci.

NEC *moror fata.*] id est, non retardo, inhibeóque mortem. ita Terent. *Egomet conuiuas moror.* Alias Moror significat expecto. Horat.

Nil moror officium quod me grauas.

Et Virg.

D *——nec dona moror.*

& creber est Plaut. in hac eloquutione: vt ita dicat:

Nil moror istas magnas dotes dapsiles:

pro eo quod est Nihil curo, & expecto id genus bonorum. Moror prima producta significat insanio: quod ostendit Tranquillus scribens solitum esse dicere Neronem desiisse Claudium inter homines morari, pro eo quod est insanire.

PVER *hæsit ocellis.*] id est, Cupido, qui cum sit puer, instabilis esse consueuit.

PVLVIS.] puluerem accipe pro cinere cada- E ueris combusti. Ita Horat. *Puluis & vmbra sumus.*

ILLIC *Phylacides.*] exemplo Protesilai probat amorem etiam post obitum permanere. Protesilaus sub cuius imperio fuerunt Antron, Phylaca, & Larissa pensilis ciuitates Thessaliæ primus Græcorum est naui in Troianum littus egressus: fuit interemptus à viro Dardano, vt auctor est Home. in II. Iliados: Cuius vxor Laodamia, cùm maritum in bello Troiano cecidisse cognouisset, optauit vt eius vmbram videret: quæ re concessa, non deserens eam in illius amplexibus expirauit, vt refert Ser. Hoc nunc te-

fertur à Propertio. Phylacides dicitur Protesilaus, quia fuit Phylaci nepos, & Phylaca oppidum Thessaliæ illi seruiebat, vt docet Strab. in IX. Vnde apud Ouid. ait Laodamia. A

Conueniunt matres Phylacides & mihi clamant.

THESSALVS *vmbra.*]legendum est Thessalis vmbra. non autem Thessalus, vt scriptum est in codicibus deprauatis. Vmbram enim Thessalida appellat ipsius Protesilai, quæ vxoris causa reuersa est ad superos. patronymicum tale est apud Ouid.

Nulla caret fumo Thessalis ara meo.

TRAIICIT *fati littora.*]sententialiter loquutus. Vult enim ostendere magnum amorem inferorum & mortis limina penetrare: & si vllus est defunctis sensus:etiam defunctos amare. B

HEROINÆ.]expone (vt supra exposuimus) vxores heroum & filiæ. Heroides autem certum locum apud inferos habere memorantur à poëtis. Virg. & Auso. in campis lugentibus eas collocauerunt, quæ amoris duri tabe consumptæ sunt.

DARDANA *præda.*] Troiana. de qua Virg.

——pueri & pauidæ longo ordine matres
Stant circum.——

REMORENTVR.]remoror & remoratio deriuantur a remora pisciculo, vt tradit Donatus, qui alio nomine Echeneis appellatur, qui naues retinet in mari:de quo multa leges apud Plin. in XXXII. de quo Lucan. C

In mediis Echeneis aquis.

Ita enim cum Luca.profiteremur,publico gymnasio legendum esse asseruimus, & ostendimus auctoritate luculentissimorum scriptorum, & potissimum Aristotelis. & Plin. explodendam esse illorum sententiam, qui legunt. *In mediis echinus aquis:*qui echinus ab echineide tam dissimilis est, quam Thais ab Hermione.

QVAM *vereor.*] cum suspirio pronunciandum.Dubitat enim de Cynthiæ constantia,quoniam(teste Calphurnio) *Mobilior vētis est fœmina.*

CERTA *puella.*] quæ firma & stabilis est in amore. D

ELEGIA XX.

Hoc pro continuo te Galle monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo:
Sæpe imprudēti fortuna occurrit amāti.
Crudelis Minyis dixerit Ascanius. E
Est tibi non infra speciem, non nomine dispar,
Thiodamāteo proximus ardor Hylæ.
Hunc tu siue leges vmbrosæ flumina siluæ,
Siue Aniena tuos tinxerit vnda pedes,
Siue Gigantea spatiabere littoris ora,
Siue vbicunque vago fluminis hospitio,
Nympharum cupida semper defende rapina.
Non minor Ausoniis est amor in Dryasin.
Ne tibi sit duros mōtes,& frigida saxa
Galle, neque expertos semper adire lacus:
Quæ miser ignotis error perpessus in oris
Herculis indomito fleuerat Ascanio.
Námque ferunt olim Pagasæ naualibus Argo
Egressam, longe Phasidos isse viam,
Et iam præteritis labentem Athamantidos vndis
Mysorum scopulis applicuisse ratem.
Hic manus heroum placidis vt constitit oris,
Mollia composita littora fronde tegit.
At comes inuicti iuuenis processerat vltra
Raram sepositi quærere fontis aquā.
Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles,
Hunc super & Zethes, hunc super & Calais
Oscula suspensis instabant carpere palmis,
Oscula & alterna ferre supina fuga.
Ille sub extrema pendens secluditur ala,
Et volucres ramo submouet insidias.
Iam Pandioniæ cesset genus Orithyiæ.
Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
Hic erat Arganti Pegæ sub vertice montis,
Grata domus nymphis humida Thyniasin:
Quam supra nullæ pendebant debita curæ
Roscida desertis poma sub arboribus,
Et circum irriguo surgebant lilia prato
Candida purpureis mista papaueribus:

A *Quæ modò decerpens tenero pueriliter vngui*
Proposito florem prætulit officio,
Et modò formosis incumbens nescius vndis
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demißis flumina palmis,
Innixus dextro plena trahens humero.
Cuius vt accēsæ Dryades cādore puellæ,
Miratæ solitos destituere choros,
Prolapsum leuiter facili traxere liquore.
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa, sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
C *His ô Galle tuos monitis seruabis amores,*
Formosum nymphis credere visus Hylam.

PHILIPP. BEROALD. BON.

HOC *pro continuo te Galle monemus amore.*] Gallus puerum formosum in delitiis habebat, quem monet poëta vt diligentissimè eum custodiat à rapina nympharum Italicarum, ne idem patiatur, quod in Hyla puero passus est Hercules, quem Nymphæ Bithynicæ rapuerūt. D

CRVDELIS *Minyis dixerit Ascanius.*] in Phrygia Epicteto fluuius est Ascanius. est & alter Ascanius in Mysia contermina Bithyniæ. est & regio Ascania, vt auctor est Strabo in XII. Vult poëta Ascanium lacum dixisse Argonautas, post raptum Hylam, Herculeum.

SÆPE *imprudenti fortuna occurrit amanti.*] crudelem appellat propterea quod nymphæ Ascanaides puerum Hylam Herculi ademerunt, dum per imprudentiam illum ab oculis suis longius abire permittit. Myniæ dicuntur Argonautæ à natione Minyarum, ex quibus coloni quidam deducti fuerunt ad Iolchum patriam Argonautarum, vt docet Strabo in VIII. Vnde ait Ouid. E

Iámque fretum Minyæ Pagasæa puppe secabant.

Et alibi:

Quid mihi cum Minyis, quid cum Tritonide pinu?

De posteris Minyarum luculenta historia est apud Herodotum in Melpomene. Quidam codices habent, dux erit: & tunc versus superior non pendebit ab inferiori, sed erit sensus: Ascanium pro duce & exemplo & testimonio esse amanti, si imprudens fuerit, obesse fortunam.

NON *nomine dispar.*] tanquam puer Galli gentilis Hylæ foret, & eodem nomine vocaretur. vel hoc dicit nomen pueri Galli non minus egregium esse, quam fuerit nomen Hylæ. Prima sententia verior esse videtur, & verbis poëtæ accommodatior.

THIODAMANTHEO *Hylæ.*] Hylas Thiodamantheus dicitur, quoniam fuit filius Thiodamanthis, vt ait Probus Grammaticus. paulo post quæ de Hyla feruntur, enarrabimus.

ANIENA *vnda.*] Anio fluuius est in agro Tyburtino, qui è sublimi in vallem subiectam præceps fertur, vt inquit Strabo: vnde ait Horat.

B *Et præceps Anio & Tyburti lucus.*

Declinatur autem Anio, Anienis, vt Nerio, Nerienis, auctore Gellio. Nerio autem si forte quæras quid significet, est potentia & maiestas quædam Martis. Plaut. in Truculento, Nerienem coniugem Martis esse dicit. Sic enim scribit: *Mars peregre aduenicns salutat Nerienem vxorem suā.*

SIVE *gigantea ora.*] prope Cumas fuit campus nomine Phlegræus in quo res à gigantibus gestas fabulæ diuulgant, vt tradit Strab. in V. de hoc bello giganteo in Italia confecto ita loquitur Diodo. *In campo Cumæo tradunt fuisse homines admodum fortes gigantes appellatos, qui cognito Herculis aduentu, copiis instructis omnes ei obuiam profecti sunt, acrique commissa pugna ferunt Diis adiutoribus, Herculem plures ex gigantibus interfecisse, eámque regionem ab id genus hominibus repurgasse. Campus ille dictus est Phlegræus à colle, qui olim plurimum ignis euomebat, quem Vesuuium scriptores appellant.* Poëta nunc oram giganteam vocat campos illos Phlegræos, quorum & Plin. meminit, in quibus gigantes ab Hercule debellati fuere.

AVSONIIS.] Adriacis. Non minus, inquit, amant nymphæ Italicæ formosos, quam Bithynicæ: quę ob amorem Hylam corripuerunt. Ausones populi sunt qui Campaniam, Latiumque incoluerunt, ut Plin. & Strab. meminerunt. Ausonum gentem à Romanis deletam bello fuisse refert Liuius in IX. Ab Ausone Vlyssis filio nominati sunt, à quo & tota Italia dicta est Ausonia: auctor Festus. In vetusto codice scriptum legimus: *Ausoniis est amor in Dryadis*: quæ lectio non displicet: ne duo epitheta esse videantur, & Dryadis erit primi ordinis.

ERROR *Herculis.*] Hercules amisso Hyla errabundus vagabatur, & de Ascanio fluuio conquerebatur, cuius nymphæ rapuerant Hylam.

NAMQVE *ferunt olim Pagasæ.*] historia talis est: Argonautæ duce Iasone Argo nauem conscenderunt in Colchorum regionem ad vellus aureum proficiscentes: Ex quibus clarissimi fuerunt Castor & Pollux, Telamon, Orpheus, Hercules, & Hylas puer. Argos dicta vel ab architecto, vel à celeritate, quam Græci argon appellant. Alexander Cornelius arborem eonem appellauit ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quæ nec aqua, nec igni posset corrumpi. Argonautæ cum peruenissent in Mysiam, siue in Bithyniam (sunt enim conterminæ regiones) Hylas delitium Herculis egressus est aquatum, & cùm ad fontem peruenisset adamatus est à nymphis, & raptus: Quapropter

Hercules, teste Probo, sequi noluit Argonautas, tanquam indiligentes in custodiendo Hyla suo fuissent. Scribit Aristo. in tertio politicorum Herculem cum vnà cum aliis nauem regere nollet, fuisse relictum ab Argonautis, tanquam nimium superexcellentem inter nauigantes. narrat Flaccus in III. Argonauticorum, ceruum immissum fuisse à Iunone, quem dum auidius Hylas insectatur, peruenit ad fontem, in quo dum vult corpus plenum sudoris abluere, raptus fuit à nympha quam Dryopem vocat. Scribit Solinus in Bithynia lacum esse nomine Hylam, in quo resedisse credunt Hylam delitias Herculis, nymphis rapinam, in cuius memoriam vsque adhuc solemni tripudiatione lacum populus circuit, & Hylam voce clamant. Hoc quoque refertur à Seruio enarrante illud Virgilianum:

——vt littus Hyla, Hyla omne sonaret.

Hanc omnem rem nunc exequitur Propertius.

PAGASÆ *naualibus.*] Emporium ferarum in Thessalia Pagasæ fuerunt, quas ideo Pagasas dictas esse ferunt, quia eo in loco nauem Argo compegerint: vel propter vicinos fontes, id est, Pagas, qui frequentes aquarum vbertate scaturiunt. Iuxta Pagasas sunt Aphetæ, quod significat emissa, quia hinc emissi fuerunt Argonautæ. à Pagasis dicitur Iason Pagasæus à poëtis: & puppis Pagaseia nauis Argo vocitatur à Flacco, & Ouid. Lucan. in secundo Pharsaliæ:

Vt Pagasæa ratis peteret cum Phasidos vndam.

De Pagasis eruditè scrib. Strab. in IX.

PHASIDOS.] Phasis fluuius est Colchorum nobilissimus, & ciuitas eiusdem nominis in regione Colchica Emporium. Catul.

Phasidos ad fluctus & fines Aeatéos.

ATHAMANTIDOS *vndis.*] Hellespontiacas vndas intellige, quas Athamantidos vocat propter Hellen filiam Athamantis, quę in aquas lapsa mari nomen imposuit. nam ab Helle Hellespontus nominatur, vt docet Higinius, & apud Ouid. in tertio Fastorum fabula refertur.

MYSORVM *scopulis.*] Mysia regio est Asiatica contermina Bithyniæ, & Phrygiæ: vt fines earum regionum determinare difficile sit, auctor Strabo in XII. sunt auctores ex Europa transisse Mysos, & Phrygios, & Thynos, à quibus appellantur Asiatici, Mysi, Phryges, & Bithyni.

AT *comes.*] scilicet Hylas. Comitem accipere debemus eum qui comitetur & sequatur tanquam inferior superiorem. Labeo ita comitem diffinit, qui frequentandi cuiusquam causa vt sequeretur destinatus est. Inter comites vtique & pædagogi erunt, vt docet Iurisconsultus. ff. de iniuriis.

AQVILONIA *proles.*] Aquilo ex Orythia filios suscepit, Zeten & Calain, de quibus ita scribit Ouid.

Implumes Calaisque puer, Zetesque fuerunt.

Hi cum Argonautis profecti sunt ad vellus aureum.

OSCVLA *supina.*] hoc ideo dicit, quia Zetes & Calais habebant alas & supra Hylam volitabant pueri oscula affectantes.

VOLVCRES *insidias.*] id est, Zetem & Calain alatos, quod docet Ouid. in VI. Metamorphoseon sic scribens de his:

A

Mox pariter pennæ ritu capere volucrum
Cingere vtrunque latus.——

IAM *Pandioniæ cesset.*] iam, inquit, à rapina Hylæ cessent Zetes & Calais, & de ipsis sileamus cum parata sit nympha ad puerum rapiendum. Genus Orythiæ Pandoniæ vocat, quoniam filij fuerunt (vt diximus) Orythiæ & Aquilonis. Orythia vero filia fuit Erythei regis Athenarum, quæ Pandioni successit in regno. Vnde Pandionia nuncupatur à Pandione. Athenas Pandionias cognominauit Ouid. illo versu:

Quid Pandioniæ restant nisi nomen Athenæ?

B

HAMADRYAS] id est, nympha: sunt enim Hamadryades nymphæ, quas cum arboribus crescere & decrescere referunt Probus & Ser. Dryades sunt siluarum, Oreades montium. Fortassis intelligit illam nympham quam Flaccus Dryopem nominauit.

HIC *erat Arganthonini.*] ita scribit Strab. in XII. *Prusiadi mons imminet, quem Argātoninum vocant: hoc in loco Hylam vnum ex sociis Herculis, qui etiam Argonauta erat cum aquatum egrederetur à nymphis captum finxerunt.* sub hoc itaque monte ait poëta fuisse domum nympharum quę Hylam rapuerūt, quas Thyniacas appellat quasi Bithynicas: quoniam (vt paulo ante retulimus Thyni ex Europa transeuntes in Asiam nomen indiderunt Bithyniæ: quamuis Soli. existimet à Bithyno rege Bithyniam fuisse nominatam. prioris sententię auctor est Plin. in V. cui astipulatur Clau. illo versu:

C

Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur.

diuisit tamen idem Plin. Thynos à Bithynis, quando sic scripsit: *Tenent oram omnem Thyni: interiora Bithyni.* & Catul. ait: *Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos liquisse campos.* præterea Thynias promontorium est Bithyniæ, ad quod delati sunt Argonautæ.

NVLLI *debita cura.*] quæ poma sponte naturæ proueniunt sine vlla cultura, illa nulli curæ debent, nec obnoxia sunt manibus agricolarum, sicut illa quæ nascuntur opera & diligentia insitionis & cura rusticorum. in hanc sententiam est illud Virgilianum:

D

——iuuat arua videre
Non rastris hominum: non vlli obnoxia curæ.

PRÆTVLIT *officio.*] officium aquæ hauriendæ oblitus est pręstudio carpēdi flores. ita Hor.

Scorto postponet honestum officium.

TARDAT *imaginibus.*] more Narcissi, qui illusus est à suamet imagine, dum fontanas aquas speculatur.

ALCIDES *iterat responsa.*] scribit Flaccus nympham iniecta manu Hylam detraxisse cientem auxilia, & magni referentē nomen amici: Herculem vero magno clamore Hylam inclamasse: vnde ait:

E

Rursus Hylam & rursus Hylam per longa reclamat
Auia, responsant siluæ & vaga certat imago.

Et hoc est, quod ait Propert.

Nomen ab extremis fontibus aura refert.

Nam Echo Hylam inclamatum ab Hercule referebat, quæ voces reciprocas efficere solet per concauos vallium sinus, & densos vertices aëre resultante. legimus apud Pli. & Lucre. loca esse,

quæ

quæ acceptas voces, numerosiore repercussu multiplicant: & Olympiæ fuit porticus Heptaphonos appellata, quoniam septies eadem vox reddebatur.

M. ANT. MVRETVS.

HOC *pro continuo.*] Gallum, qui Hylam habebat in deliciis, exemplo Herculis monet, ne eum incomitatum vagari sinat.

CRVDELIS *Minyis.*] magnum hic versus mihi negocium exhibuit: neque sane adhuc in eius sententia eruenda mihi ipse satisfacere potui. Ascanium lacum in Bithynia esse, haud procul ab eo loco, vbi raptus esse Hylas dicitur, è Strabonis libro duodecimo notum est. sed quæso, quid tum postea? cur is lacus Minyarum dux fuisse, aut, quod etiam absurdius est, fore dicatur? Beroaldus pro, dux erit, videtur legisse, *dixerit*, ita tamen vt vtranque scripturam agnoscat. sed illud, *dixerit*, ita interpretatur, Ascanium lacum, post amissionem Hylæ dixisse hoc Minyis, fortunam crudelem sæpe imprudenti amãti occurrere. quæ expositio mihi quidem insigniter frigida videtur. Equidem, quę mihi pridem coniectura in mentem venerat, eam ne nunc quidem, cur reiicere debeam, video. suspicabar autem, pro, *Ascanius*, legendum, *Aesonius*. crudelem autem vocari Iasonem, pro eo quod Herculem, amissione pueri exanimatum, & eius reperiendi desiderio huc illuc vagãtem, nihil miseratus, reliquerit, & inceptum iter, deserto eo, sit persecutus. sed tamen ne sic quidem satis cohæret sententia. denique habeo librum ab eruditissimo homine Francisco Porto cum multis veteribus diligentissime collatum: in quo notatũ est ipsius manu esse antiqua quædam exemplaria, in quibus hoc loco lacuna est, cum his literis, *Fragm.* quod si est, *χαράσσω* plane vlcus hoc fuerit.

THIODAMANTEO.] Callimachum & Apollonium sequitur, qui Hylam Thiodamantis filium faciunt. alij enim aliter. est autem operæ precium cognoscere, puer hic qui, tantopere heroi fortissimo carus & acceptus fuit, quo modo in ipsius manus peruenisse dicatur. ea de re ita memoriæ proditum est: Hercules cum Deianirã Oenei filiam duxisset vxorem, Calydone degebat. quodam die accidit, vt Cyathus puer, Architelis filius, qui Oeneo pocula ministrabat, Herculi manus abluturo, aquam eam, quę abluendis pedibus comparata erat insciens infunderet. indignatus Hercules pugno eum interfecit. quam ob cædem profugus, cum vna cum vxore se in viam dedisset, ad Euenum fluuium Nesso Centauro mortem attulit: vt & Archilochus narrat. deinde progrediens, in Dryopiam venit. est autem ea gens rapinis ac latrociniis dedita, contermina Mileensibus, vt est apud Pherecydem in tertio. ibi cum Hylus filiolus, quem secum ferebat, esuriret, Lycas autem pædagogus procul relictus esset, à Thiodamante, in quem inciderat, Hercules pauxillulum cibi petere occœpit. negat ille. commotus Hercules, abreptum interfectúmque vnum è bobus ipsius cum sacrificasset, epulabatur. Currit propere in Dryopum vrbē Thiodamas, euocatósque eos aduersus Herculem educit, tum in eam necessitatem Hercules adductus est, vt vxorem quoque armauerit. quem in etiã in pugna vulnus accepisse propter mammam ferunt. Sed tandem superior effectus Hercules, Thiodamante interfecto, filium eius Hylam abduxit, cúmque in deliciis habuit.

ASCANIO.] hic quoq. libêrius legerim, *Aesonio.*

NAMQVE *ferunt.*] Hinc incipit enarrare fabulam de Hylæ raptu, quam varie tractãt Theocritus *εἰδυλ. ιγ.* Apollonius libro 1. Valerius Flaccus lib. III. eandem etiam proxime M. Antonius Flaminius in elegia quadam ita eleganter ac suauiter descripsit, vt mihi quidem cum antiquis illis merito comparari posse videatur.

HVNC *duo sectati.*] hoc de duobus Boreadis ab alio nemine, quod sciam, traditum est. itaque puto Propertij inuentũ esse ad exornandã fabulã.

IAM *Pandioniæ.*] desinant Boreadæ Hylan persequi: eum enim abreptura sequitur Dryas. Hãc autem nympham Flaccus Dryopen vocat. Apollonius nomen ipsius non exprimit. Theocritus, non ab vna, sed ab omnibus eius loci nymphis raptum Hylan esse dicit. Onasus historicus, dum aquam haurire vellet, in fontem decidisse, ibique submersum esse.

AH *dolor.*] versus hic abest à quibusdam veteribus libris. & vereor, vt aut Propertij sit, aut satis emendate legatur.

HIC *erat Arganthi Phlegre.*] omnino ita est in plerisque omnibus veteribus libris. neque tamẽ adduci possum, vt eam scripturam probem. Orpheus quidem Arganthi montem nominat, ad quem raptus sit Hylas, —— ἀμφὶ δὲ κραιπνὸς

Ἀργάνθων κατέβαινε, βαθυσκίνηκόη κολώνας.

sed Phlegram in his regionibus nusquam reperio, neque vsquam omnino, nisi in Italia ad Cumas, & in Thracia ad Pallenẽ. Strabo libro duodecimo Arganthonium montẽ ait Cio, seu Prusiadi imminere, vbi raptum esse à nymphis Hylã fabulentur, celebrari etiam à Prusiensibus sacra quædam, in quibus per montes huc illuc currãt, & Hylæ nomen inclament. sed homo ineptissimus, Volscus, fretus illo, quem modo recitaui, Orphei versu, quasi pro suo iure imperat, vt Strabonem corrigamus, Arganthúmque, non Arganthonium montem apud eum legamus. in quo est, cur inscitiam ipsius misericordia, audaciam odio prosequamur. Equidem Strabonis scripturam non omnino emendatam esse existimo, sed tamen ita leuiter deprauatam, vt, vna litera addita, corrigi possit. Ἀργανθώνειον enim, non Ἀργανθώνιον ὄρος, legendum puto. quin & hunc versum Propertij ita legendum censuerim,

Hic erat Arganthonei sub vertice montis.

neque me fugit, apud Stephanum Ἀργανθώνη, non Ἀργανθώνιον legi: vnde etiam hic, vir clarissimus, Hermolaus Barbarus, *Argathonei*, non *Arganthonei*, legendum pronunciauit, sed mouent me cũ alia, tum Arrianus, qui Arganthonem nymphã nominat. omnem autem dubitationẽ tollit, nisi magnopere fallor, Apollonius, qui hunc ipsum montẽ Arganthoneũ, id est, Ἀργανθώνειον, nominat,

Τῆμος ἄρ᾽ οἵγ᾽ ἀφίκοντο Κιανίδος ἤθεα γαίης,
Ἀμφ᾽ Ἀργανθώνειον ὄρος, προχοάς τε Κίοιο.

THYNIACIS.] Thynia enim, seu Bithynia contermina est Mysiæ. Arrianus ait, Argāthones nymphæ filios fuisse Thynū & Mysum, à quorū altero Thynia, ab altero Mysia nomē acceperit. A

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

CRVDELIS *Minyis dixerit Ascanius.*] Ita liber noster, & recte. *dixerit*, εἴποι ἄν. Huius rei, inquit, testis esse possit Ascanius. Cuius?

Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.

Virgilius in Prolusionibus:

Altera non forma, dixerit ipse, prior. Horat. B

--fatcor me, dixeris ille, Duci venire leuem--

ipse & ille, ὁ δεῖνα. Ascanius lacus crudelis Minyis dicitur, quod rapuerit Hylā, vt propterea Hercules Mynias reliquerit. Nota est historia. Nam tam falsum est Æsonius legendum, quod credidit vir disertissimus, quam corruptum esse locum. Quid enim perspicuum magis?

SIVE *Aniena tuos.*] Noster codex *Amerina.* Pulcherrimus tractus lacus Vadimonis, quā vocat Amerinā vndā, vt alibi fusius à nobis dicetur.

VMBROSÆ *flumina silua.*] intelligit locum, vbi Clitumnus per quædam siluarum occulta eripit se è conspectu hominum. Alibi: C

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco

Integit.- Hoc suo loco explicaturi sumus. Nam nemo hactenus intellexerat.

NON *minor Ausoniis est amor in Dryadis.*] Ineptus metaplasmus, & Propertiana facundia indignus. Noster liber & editiones ante Beroaldum, *est Amor Adriacis.* Nos olim Valentiæ Cauarum vbi scripti libri fecit nobis copiā Iurisprudentiæ antistes Iac. Cuiacius emendauimus, *ab Dryasin,* moti eodem exemplo in hac eadem elegia infra:

Grata domus nymphis humida Thyniasin,

nam plane ita scriptum est in libro nostro. Meminimus etiam eadē forma Catullum *Myniasin* dixisse. Ergo *Dryasin, Thyniasin, Minyasin,* sunt δρυάσιν, θυνιάσιν, μινυάσιν. *Amor ab Dryasin,* vt infra: D

Ha dolor ibat Hylas, ibat Hamadryasin.

NE *tibi sit durum.*] Lege, *duro.* Ne tibi duro sit adisse. ne ita contumax fueris, vt adeas.

EGRESSAM *longe Phasidos isse viam.*] *Longe viam,* τὴν πόῤῥω ὁδόν Sic libro quarto:

Hac vbi Fidenas longe erat ire via, Martialis:

Rus hoc vocari debet, an domus longe?

Domus longe, ὁ πόῤῥω οἶκος. Allusum autem ad prouerbium: εἰς φῶσιν, ἴτ᾽ ἂν ταινὰν ἴχαδε δρόμος.

MOLLIA *composita litora fronde tegit.*] Imitatur Apollonium super eadem re. --οἱ δ᾽ ἐν μεγάλῳ

φυλλάδα λειμῶνος φύλλ᾽ ἀμητοὶ ἀμώοντες E

Στόρνυσαν-

RARAM *sepositi quærere fontis aquam.*] Ad verbum ex eodem Apollonio.

Τόφρα δ᾽ ὕλας χαλκῇ σὺν κάλπιδι νόσφιν ὁμίλου

Δίζητο κρήνης ἱερὸν ῥόον. *Sepositi* νόσφιν ὁμίλου.

IBAT *Hamadryas hinc.*] Scribe *Hamadryasin.* ἁμαδρυάσιν. Iam diximus.

HIC *erat Arganthi Phlegre.*] Scribe *Pege* αἱ πηγαί.

GRATA *domus nymphis humida Thyniacis.*] *Thyniasin,* liber noster: hoc est θυνιάσιν.

QVAM *supra nullis.*] *Nulla* ἀρχαϊκῶς, Codex scriptus, Tibullus: *-vlla non ista puella Seruire-*

ET *circum irriguo.*] Liber, *& circumriguo.* ἀμφίῤῥυτα. Omnino totus Græcus est in hac Elegia Vmber noster.

INNIXVS *dextro.*] Apollonius:

λέχρις ἐπαγκωνοῖς.

FORMOSVM *nymphis credere visus Hylam.*] Noster liber, TVTVS, non VISVS. quod germanum est Propertij. In quo, vt in tota reliqua Elegia ἐπιλωβᾶς. *Tutus enim est* ἀπαλλόφρων, φιλαιδόφρος.

ELEGIA XXI.

Tv, qui consortē properas euadere casū,
Miles ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te seruato poßint gaudere parentes:
Hæc soror Acca tuis sētiat è lacrymis,
Gallū per medios ereptum Cæsaris enses,
Effugere ignotas non potuisse manus.
Et quicūque super dispersa inuenerit ossa
Montibus Etruscis, hæc sciat esse mea.

PHILIPP. BEROALD. BON.

TV *qui consortem.*] quidam hanc Elegiam cōiungunt cum superiore, sed male. Namque hîc introducit Gallum loquentem, qui fuerat interfectus in bello Perusino, admonentémque commilitones ex acie fugientes: vt sorori suæ velint obitum eius nunciare: & quemadmodum ossa sua per Hetruriam fuerint dissipata: O commilito, inquit, Gallus, qui festinas euadere casum consortem, hoc est, commune periculum: cui pariter fuimus omnes obnoxij, quid flectis oculos lachrymis turgentes?

AB *Hetruscis saucius aggeribus.*] signat bellum Perusinum, quo Augustus L. Antonium Perusiæ obsedit, & ad deditionem fame compulit. vnde ait Lucan.

His Cæsar Perusina fames.

Perusia tunc incendio tota conflagrauit, vt scribit Appianus in quinto bellorum ciuilium. Augustus in plurimos animaduertit secutos L. Antonium, &, vt quidam scribunt, trecentos ex dedititiis immolauit hostiarū more ad aram diuo Iulio extructam: lege Suetonium, Appianū, & Florum de bello Perusino scriptitantes. Gallus secutus partes L. Antonij fuerat trucidatus à grassatoribus, dum euadere conaretur: Nec intelligas hunc esse illum Gallum, qui primus Aegyptum prouinciam rexit, qui Foroiuliensis fuit, qui propria se manu interfecit: ille enim fuit alter dictus Cornelius Gallus, cuius fit etiam mentio à Virg. in Buco. de quo Strabo & Eusebius meminerunt. Aggeres intelligimus illos, quibus Augustus Perusiam circūualauit, in quibus, vt ait Appianus in v. turres ligneæ fuerunt

constitutæ numero mille & quingentæ. Perusiam Liuius in nono fuisse olim scribit caput Hetruriæ, quam Tyrrheni, teste Appiano, condiderunt. A

Hæc *soror.*] dictio mendosa est vnius litteræ inuersione: nam legendum est Hæc soror, vult enim sorori suæ casus suos & obitum renunciari. sensus est: Soror mea sentiat quæ sequuntur ex te ô miles, qui incolumis euasisti me scilicet interfectum fuisse ab hoste ignoto, & ossa mea per montes Hetruscos dispersa iacere, quæ ipsi scilicet grassatores disperserunt insepulta relinquentes.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL. B

Hæc *soror acta tuis.*] Sine dubio legendum. *Hæc soror Acca tuis sentiat è lacrymis.*

Et *quicunque super.* Lege auctore libro, *Quæcunque*, & ita postulat sententia. Quæcũque ossa.

ELEGIA XXII.

Qualis, & vnde genus, qui sint mihi Tulle penates,
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriæ sũt nota sepulcra, C
Italiæ duris funera temporibus,
Cùm Romana suos egit discordia ciues
(Sit mihi præcipuè puluis Etrusca dolor,
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui:
Tu nullo miseri contegis ossa solo)
Proxima supposito contingens Vmbria campo D
Me genuit terris fertilis vberibus.

PHILIPP. BEROALD. BON.

Qualis *& vnde genus.*] quo genere natus sit, & qua patria docet hac breui Elegia, vel potius Epigrammate. Scribit ad Tullum, cui & opus dicat.

Si *Perusina tibi patriæ.*] id est, ô Tulle, si nouisti sepulchra patriæ, hoc est Romanorum, qui in bello Perusino perierũt, & Perusiæ sepulti sunt, scito meum præcipuum dolorem esse obitum Galli, cuius ossa sparsa sunt per Hetruriam: occupauit opinio indoctorum vetus, & falsa conualuit, vt plerique omnes Perusium dicant genere neutro, quos refellit auctoritas scriptorum probatissimorum, & in primis Liuij, Plinij, atque Tranquilli, qui Perusiam fœminino genere dicendum esse docuerunt, quorum tanta est auctoritas: vt pro ratione habeatur.

Egit *discordia ciues.*] hoc dictum est propter Augustum, & L. Antonium, & Fuluiã M. Antonij vxorem inter se inimicitias exercentes, quæ fuit causa, vt bellum Perusiæ inter ipsos ciues Romanos, non sine magnis discriminibus conficeretur. lege Appianum in primis, qui hæc omnia copiosissime perscribit.

Pulvis *Hetrusca.*] attende eloquutionem inusitatam, vbi puluis fœminino genere peculiariter dictum est: sicut alibi inquit: *Iacet horrida puluis.* & hoc dici propter Gallum sequens versus ostendit, quem propinquum suum vocat.

Me *genuit Vmbria.*] Propertius Meuaniam patriam habet ciuitatem Vmbriæ: quam ab Hetruria Tyberis disterminat. Plin. in tertio Vmbriam collocat in sexta Italiæ regione: quorum gens antiquissima Italiæ existimatur, vt quos Vmbrios à Græcis putent dictos, quod inundatione terrarum imbribus superfuissent. trecenta Vmbrorum oppida Thusci debellasse reperiuntur. in Vmbria sunt Meuanates municipes Propertij, quam ciuitatem ita celebrat Sillius in octauo:

His vrbes Arna, & latis Meuania campis.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Si *Perusina tibi patriæ sunt nota sepulchra.*] Lego, *sepultæ*, non *sepulchra.* Si tibi nota sunt funera patriæ sepultæ. Hoc autem epigramma facile declarat hunc primum librum seorsim antea editum fuisse, quia poëta ibi subiecit patriam suam, & genus, vt Horatius in fine libri primi Epistolarum, quem singularem ediderat, addit & genus suum & ætatem.

Sit *mihi præcipue.*] Lege Sis. Hic autem versiculus, & sequentes duo parenthesi includendi.

Membra *propinqui.*] Galli, de quo antecedente poëmatio.

Tv *nullo miseri.*] Supra:

Et quæcunque super dispersa inuenerit ossa
Montibus Hetruscis, hæc sciat esse mea.

De hoc eodem libro quarto:

Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante Aquilæ rostra cruenta suæ.

Contingens *Vmbria campo.*] Contingens absolute: contigua. Vide quæ in Manilium notamus, vbi Tangere absolute positum.

FINIS.

SEXTI PROPERTII ELEGIARVM LIBER II.

ELEGIA I.

QVÆRITIS, vnde mihi toties scribantur amores,
Vnde meus veniat mollis in ora liber?
Non mî Calliope, non hæc mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Siue togis illam fulgentem incedere Cois,
Hoc totum è Coa veste volumẽ erit:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis:
Siue lyræ carmẽ digitis percußit eburnis,
Miramur faciles vt premat arte manus:
Seu cùm poscẽtes somnũ declinat ocellos,
Inuenio caussas mille poëta nouas:
Seu nuda erepto mecũ luctatur amictu,
Tunc verò longas condimus Iliadas:
Seu quicquid fecit, siue est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.
Quod mihi si tantum, Mæcenas, fata dedissent,
Vt possem heroas ducere in arma manus:
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, vt cœli Pelion esset iter:
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
A *Xerxis & imperio bina coisse vada:*
Regnáve prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorúmque minas, & benefacta Mari:
Belláque résque tui memorarem Cæsaris, & tu
Cæsare sub magno cura secunda fores.
B *Nam quoties Mutinam, aut ciuilia busta Philippos,*
Aut canerẽ Siculæ claßica bella fugæ,
Euersósque focos antiquæ gẽtis Etruscæ,
Et Ptolemææ littora capta Phari,
Aut canerem Ægyptum, & Nilum cùm tractus in vrbem
Septem captiuis debilis ibat aquis:
Aut regum auratis circumdata colla catenis,
C *Actiáque in Sacra currere rostra via:*
Te mea Musa illis sẽper cõtexerit armis,
Et sumpta & posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles;
Hic Ixionidem, ille Menœtiaden.
Sed neque Phlegræos Iouis, Enceladíque tumultus
D *Intonet angusto pectore Callimachus:*
Nec mea conueniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen auos.
Nauita de vẽtis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oues:

Nos contra angusto versamus prælia lecto.
Qua pote quisque in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus altera si datur vno
Posse frui, fruar ô solus amore meo.
Si memini, solet illa leues culpare puellas,
Et totã ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi, sint tangenda nouercæ pocula Phædræ,
Pocula priuigno non nocitura suo,
Seu mihi Circæo pereundum est gramine, siue
Colchis Colchiacis vrat ahena focis;
Vna meos quoniam prædata est fœmina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores.
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon,
Phœnicu Chiron lumina Phillyrides:
Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis:
Nysus & Æmonia iuuenis, qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opẽ.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantalea poterit tradere poma manu;
Dolia virgineis idem ille repleuerit vrnis,
Ne tenera assidua colla grauẽtur aqua;
Idẽ Caucasea soluet de rupe Promethei
Brachia, & à medio pectore pellet auẽ.
Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breue in exiguo marmore nomẽ ero:
Mæcenas nostræ spes inuidiosa iuuentæ,
Et vitæ & morti gloria iusta meæ.
Si te fortè meo ducet via proxima busto
Esseda cælatis siste Britanna iugis:
Taliáque illacrymans mutæ iace verba fauillæ,
Huic misero fatum dura puella fuit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

VÆRITIS *vnde mihi toties scribantur amores.*] alloquitur Mecœnatem ostendens sibi à Cynthia vires ad carmina scribenda, ingeniúmque poëticum suppeditari: & ex rebus minimis argumenta se sumere ad Elegias concinnandas, dicitque se libenter fuisse scripturum carmen heroicum, si tantum posset quantum cupit. Verum non omnia vni dij dederunt.

INGENIVM *nobis.*] propter hoc videtur dixisse Martialis:

Cynthia te vatem fecit lasciue Properti:

& in hanc sententiam locutus est Oui.

Mouerat ingenium totam cantata per vrbem
Nomine non vero dicta Corinna mihi.

COIS.] scilicet vestibus. In primo commentario dictum est de veste Coa, siue Cea.

CONDIMVS *Iliadas.*] allusit ad Iliada Homericum poëma.

HEROAS *manus.*] id est, heroum res gestas, & bella describere. de heroibus scripsimus affatim in annotationibus in Seruium.

NON *ego Titanas canerem.*] non scriberem neque bellum Titanum, neque gigantum. Titanas sex numero viri: fœminæ quinque fuerunt à Titea matre denominati, vt scribit Diodorus in VI. Lactantius vero in primo Institutionum refert Titanem cum filiis, qui Titanes vocantur, comprehendisse Saturnum fratrem: eúmque vinxisse compedibus. Iouem comparato exercitu Titanas pugnando vicisse, & parentes vinculis exemisse, & Saturno regnum restituisse. traditur à Seruio Titanas ab vltione nominatos, quæ Græcè Tisis dicitur, terræque filios fuisse, & contra Saturnum dimicasse quemadmodum Gigantes aduersus Iouem dimicarunt regnum cœleste affectantes. Fabula notissima carminibus poëtarum..

NON *Ossan Olympo.*] id est non canerem gigantomachiam, quã gigantes ter sunt conati imponere Pelio Ossan:

Scilicet atque Ossæ frondosum inuoluere Olympum:

qui sunt montes in Thessalia celebratissimi monumentis Plinij. Strab. & Solini.

NON *veteres Thebas.*] id est, Thebanum bellum, quod Ponticus, & Statius cecinerunt.

NEC *Pergama nomen Homeri.*] id est bellum Troianum, quod inclytissimus poëtarum Homerus in Iliade complexus est vigintiquatuor voluminibus, cuius ex ore profuso,

Omnis posteritas latices in carmina duxit:

vt inquit Manilius. Pergama, vt ait Seruius, propriè Troianæ arces sunt, à quibus arces omnes Pergama appellantur.

XERXIS *& imperio.*] historiam Xerxis regis Persarum scribunt Plutarchus in Themistocle, Herodotus in Polymnia, & Vrania, Iustinus in secundo, & Probus Aemilius: ad quos poteris te conferre cum gesta Xerxis nosse concupiueris:

nos illud tantum in præsentia referemus, quod pertinet ad poetæ enarrationem. Xerxes bella gesturus contra Græcos, & potissimum Athenienses, comparauit copias ingentes, qui omnium exercituum maximus exercitus existimatus est: iussit pontem fabricari super Hellespontum, quem tempestas adorta dissipauit: iterum alios architectos parauit qui mira solertia ex nauibus pontes duos construxerunt, quorum alter vergebat in Pontum, alter in Ægæum, quibus omnes copias transportauit in Europam. Postremus omnium ipse Xerxes transisse fertur. Transiuit autem exercitus septem per dies, totidémque noctes nullo tépore intermisso: ex quo coniectare licet copias fuisse innumerabiles.

B I N A *vada.*] Bina ergo vada imperio Xerxis coniuncta fuerunt, quæ prius erãt disiuncta spacio septem stadiorũ: nam tanta est latitudo Hellesponti. Et bina vada accipe pro vtroque littore Hellespontiaco: quorum alterum Asiaticum est, alterum Europeum. in Asia Abydos, in Europa Sextos ciuitas est. de hoc ita scribit Lucanus in secundo:

Tales fama canit tumidum super æquora Xerxem
Construxisse vias, multum cum pontibus ausus,
Europámque Asiæ, Sestonque admouit Abydo.

Xerxes lingua græca idem pollet, quod bellator, Artoxerxes, quod magnus bellator. Herodotus auctor.

R E G N A-V E *prima Remi.*] id est, originem vrbis Romæ à Remo fratre Romuli. historia cognitissima apud Dionysium, Liuium, & Plutarchum. Remum occidit Romulus, qui certabant vtrum Romam, Remoram-ve vocarent: vt scribit Ennius.

A N I M O S *Carthaginis altæ:*] idest bella Punica, quæ cecinit Silius, quæ inter Carthaginenses & Romanos tamdiu gesta sunt, donec ab Æmiliano fuit Carthago funditus deleta, & incendio desolata. Quod tertium Punicum bellum argumento vnius pomi Cato in senatu Romano persuasit esse capessendum: vt Plutarchus & Plin. tradiderunt. Nequeo mihi temperare quin ipsa Plinij verba subiiciam ita scribentis in xv. *Cato cum clamaret in omni senatu Carthaginem delendam, attulit quodam die in curiam præcocem ex Africa ficum, ostendénsque patribus, Interrogo vos, inquit, quando hoc pomum demptum putatis ex arbore? cum inter omnes recentem esse constaret, At qui tertium, inquit, ante diem scitote decerptum Carthagine, tam prope à muris habemus hostem: statimque sumptum est Punicum tertium bellum, quo Carthago deleta est. Super omnia est, quo nihil equidem mirabilius duco, tantam illam vrbem & de terrarum orbe per CXX. annos vrbis æmulam vnius pomi argumento euersam.*

C Y M B R O R V M Q V E *minas & benefacta Mari.*] bellum Cymbricum dicit, quod Marsi Arpinatis virtute confectum est. Cymbri populi Germaniæ Oceano proximi latrocinando in Asiam vsque processerunt, quorum omnes fere scriptores meminerunt. Cornelius Tacitus, Plinius, & Diodorus Cymbros breuiter attigerunt: Plutarchus vero in Mario, Strabo in septimo, & Florus in tertio, multa memoratu digna de Cymbris tradiderunt: & hæc in primis, quod relicto natali solo nouas quærentes sedes miserunt ad Romanos, qui peterent sibi aliquid terræ dari, quod esset quasi stipendium, & prout vellent manibus atque armis suis vterentur: Repulsi quod nequiuerant precibus, armis petere constituunt: Romani duces & exercitus congressi cum Cymbris trans Alpes victi sunt, fugati, & castris exuti. Actum erat de Romano imperio, nisi Marius illi sæculo contigisset, qui mira statim velocitate profectus in Galliam ad aquas Sextias prælio Teutones, Ambronésque, quos Cymbri bipartitis copiis in Gallia reliquerant, cùm ipsi in Italiam contra Catullum descendissent, oppressit: Marius mox regressus in Italiam in patentissimo iuxta Athesim fluuium campo Cymbros adeo cæcidit, atque prostrauit, vt supra XII. Myriadas trucidauerit: sex vero captiuas ceperit. est autem Myrias numerus continens decem millia. Non minus bellicosæ mulieres quam ipsi viri extiterunt, quæ è carpentis, plaustrisque pugnabant: quarum aliæ viros, aliæ fratres, aliæ filios trucidabant, quædam seipsas laqueo suspenderunt. ob hanc tam claram illustrémque victoriam decretus est triumphus Mario, qui vna cum collega Catullo triumphauit, qui dictus est tertius conditor vrbis Romæ à populo Romano, tanquam post Romulum, atque Camillum optime omnium meritus esset de Romana republica. Vnde merito poëta benefacta Marij appellauit. Cymbri lingua gallica latrones nuncupantur.

T V I *memorarem Cæsaris.*] Augustum intelligit, sub quo floruit Mecœnas, qui signabat rana. vnde est illud Plinianum: *Mecœnatis rana per collationem pecuniarum in magno terrore erat.*

N A M *quotiēs Mutinam aut ciuilia busta Philippos.*] ordo est: O Mecœnas, mea musa te semper contexerat armis Augusti, quoties canerem aut Mutinam, aut Philippos: & reliqua. Signat autem bella gesta à Cæsare Augusto, Mutinense, Philippense, Siculum, Perusinum, Aegyptiacum, & Actiacum. per Mutinam intelligito bellum Mutinense, quo Decium Brutum obsessum Mutinæ ab Antonio liberauit, Antonium castris exuit: in quo bello Hircius in acie, Pansáque post ex vulnere perierunt, qui erant Romani consules. Per Philippos accipe bellum Philippense, quod gessit aduersus Brutum, & Cassium in Philippicis campis, quod duplici prælio transegit: quorum priore ipse Augustus castris exutus fuit à Bruto, cum Cassij castra capta fuissent ab Antonio. Cassius & Brutus sibi mortem consciuerunt. Cassius Pindaro se iugulandum præbuit: Brutus gladio incubuit, quem Strato rhetor subiecerat: auctores Plutarchus, Tranqui. Liui. Florus, & Appianus: apud quos inuenies si quid copiosius desideraueris: nos enim commentatoris officio fungimur, non recitatoris. Philippos condidit Philippus rex, & à nomine suo vocitauit: ciuitas est Thraciæ in prærupto colle constructa. Lucanus.

——vidi iam Phœbe Philippos.

Et Maro.

Romanas acies iterum vidēre Philippi.

Busta dicuntur sepulchra. Ita enim scribit Cice. in legibus. *Bustum puto appellari tumbam: quod nefas erat violare.* Ser. ait Bustum vocari, quando iam exustum est cadauer. vnde ait Virg.

——semiustáque seruant
Busta——

A busto bustuarij dicuntur gladiatores, qui ad busta depugnant. & à Martiale Mœchæ bustuariæ cognominantur.

Classica *bella fuga.*] bellum Siculum signat, quod gestum est ab Augusto in Sicilia contra Sextum Pompe. Pompeij magni filium: in quo Marcus Agrippa egregiam operam nauauit, qui pugna nauali Sextu superauit, cum classis Augusti pro fligata fuisset: vnde à Virgilio dictum est:

Parte alia ventis: & diis Agrippa secundis.

Sextus amissa classea ccc. & quinquaginta nauium, cum sex nauibus, fugam capessit, annulos in mare proiicit, lumen prætoriæ nauis extinguit, vestem imperatoriam deponit, & cum in Asiam peruenisset, Mileti à Tiryo trucidatur. Classica bella accipe pro nauali bello, à classe deriuatum nomen. Alias Classicum tubam dicimus, & sonum tubæ. Virg.

Classica iámque sonant——

& apud Liuium: *Concionem classico aduocari iussit.* Seri. Vegetius in secundo de re militari: *Classicum dici quod buccinatores per cornu dent, quod insigne videtur imperij, quia classicum canit imperatore præsente, vel cum in militem capitaliter animaduertitur.*

Sicvlæ *fugæ.*] propter Sextum Pompeium: qui ex Sicilia victus aufugit.

Eversosqve *focos.*] Perusinum bellum intelligit, de quo supra dictum est.

Et *Ptolomæa Phari.*] in Ægypto Pharos insula fuit colonia dictatoris Cæsaris iuncta ponte Alexandriæ, vt scri. Plin. In insula turris est magna altitudine mirificè extructa, quæ nomen ab insula accepit, vt docet Cæsar in commẽta. Hæc insula obiecta Alexandriæ portum efficit. Hanc Pharon Cæsar apprehendit in bello Alexandrino. Lucan.

——Pharos insula quondam In medio stetit illa mari.

scri. Solinus ab hac Pharo Pharos vocari machinas in portubus ad prælucendi ministeriũ fabricatas, quoniam ex hac Pharo Alexandrina dirigebantur nocturnæ nauigationes facibus accensis. Sostratus Gnidius primus ob salutem nauigantium turrim Pharon fabricauit, & permittente Ptolomeo suum ipsius nomen inscripsit. Inde à Iuuenale dictum est,

Tyrrhenámque Pharon—— & à Papinio:

Lumina noctiuaga tollit Pharus æmula Luna.

Quo versu Papin. turrim Pharon, quæ erat Capreis significauit, vt enarrauimus in siluis. Ptolomæam appellat poëta epitheto accommodato, quoniam Ptolomei reges diu in Ægypto regnarunt, quorum primus fuit Ptolomeus Lagi filius, à quo etiam Lagidæ nominantur. Ecclesiastici scriptores Pharaones appellant Ægypti reges, quod cognomen est dignitatis, vt scribit Eusebius, & vt eleganter tradit Iosephus in octauo antiquitatum, Pharaonis nomen secundum Ægyptios significat regem; & reges cum primũ perueniebant ad imperium hoc nomen accipiebant: Nam & Alexandriæ reges cum primitus aliis nominibus vocarentur, venientes ad regnũ vocati sunt Ptolomei, sicut Romanorum imperatores Cæsares appellantur.

Ptolomææ.] quinque syllabum est à Ptolomeo deductum nomen, errore manifestario illorum, qui Ptolomei legunt, cum & ratio metrica, & elegantia poëtica repugnent. Intelligit hoc in loco poëta bellum quod gessit non Iulius Cæsar, sed Augustus post prælium Actiacum. Tunc enim transiuit in Ægyptum, & obsedit Alexandriam, quò Antonius & Cleopatra confugerant, qua intra breue tempus potitus est. Antonius sibi mortem consciuit, Cleopatra veneno diluto siue aspide periit. Historia notissima.

Nilvm *cum tractus in vrbem.*] Augu. triumphos tris egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum. In Alexandrino simulachrum Nili ductum est more Romano, qui simulachra oppidorum & fluuiorum in triumpho ducebant. Vnde scribit Florus, quod in ferculis triumphi Cæsaris dictatoris fuit Nilus. & auctor est Plinius Cornelium Balbum simulachra oppidorum deuictis Garamantibus in triumphali pompa ostentasse. Refert Liuius Scipionem Asiaticum in triumpho duxisse simulachra oppidorum centum triginta. & Cicero ait in libris Officiorum, Massiliam se vidisse in triumpho duci, sine qua imperatores Romani non triumphauerant. de fluminibus ita tradit Ouidius:

Hic est Euphrates præcinctus arundine frontem.

& Iulius Cæsar olim imagines Scipionis Petreij, & Catonis inter pompæ triumphalis fercula repræsentauit non sine populi Romani dolore, vt refert Appianus.

Septem *aquis.*] quia Nilus septem habet ostia. vnde ait Virgilius,

Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

Similiter Catullus Nilum septem geminum nominauit. Nomina ostiorum hæc sunt, Canopicum, Bolbiticum, Sebeniticum, Phaniticum, Mendesicum, Tanicum, vltimúmque Pelusiacum.

Actiaqve *in sacra.*] omnibus notum est, quemadmodum Augustus prælio nauali apud Actium promontorium Epyri, Marcum Antonium & Cleopatram vicit, fugauitque: & vt Actiacæ victoriæ memoria celebratior in posterũ esset vrbem Nicopolin apud Actium condidit, ludósque illic quinquennales constituit, quos Actio Apollini dicauit, & Actia appellauit. ad quod alludens Virg. dixit in III.

Actiáque Iliacis celebramus littora ludis.

Historiam scribũt Plutarchus in Antonio: Strabo in VII. Tranquil. in Augusto. Virg. in octauo luculentissimis versibus Actiacam pugnam enarrauit. In triumpho igitur Actiaco rostra nauium expugnatarum traducta fuerunt per viam sacram, qua triumphantes ibant in Capitolium, vt docet Porphyrio: vnde ait Horat.

Cæsarem quandoque trahet feroces
Per sacrum cliuum merita decorus
Fronte Sicambros.

ET *sumpta & posita pace.*] laus Mecœnatis, qui tempore pacis & belli fidissimus foret Augusto: quamuis aliquando Augustus desiderauerit Mecœnatis taciturnitatem; qui secretum de comperta coniuratione vxori Terentiæ prodiderat.

THESEVS *infernus.*] amicitiam & fidem Mecœnatis erga Cæsarem comparat amicitiæ Thesei erga Pirithoum, Achillis erga Patroclum. Quatuor amicitiarum exempla fuisse apud antiquos auctor est Lactantius, videlicet Thesei & Pirithoi, Achillis & Patrocli, Orestis & Pyladis, Tydei & Polynicis. Theseus cum Pirithoo amicitiam iureiurando confirmauit, vt refert Plutar. in Theseo: Cum eo profectus est ad inferos ad Proserpinam rapiendam, vt poëtæ fabulantur, vbi ambo capti fuerunt: vnde ait Ouid.

Pirithoum Theseus Stygias comitauit ad vndas.

Horatius:

Nec lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo ——

Quantopere autẽ Achilles dilexerit Patroclum testis est Homerus, qui describit querelas, luctus, & mœrores Achillis in funere Patrocli. vnde ait Achilles apud Homer. conquerens de illius morte, *Nunquam pari, dum viuam, dolore afficiar.* Multi sequuti Æschylum existimarunt Patroclum amatum fuisse ab Achille tanquam minorem natu à maiore, quorum opinionem refellit Plato in Symposio, ostendens Achillem multo natu minorem fuisse, quam Patroclum. & Achillem appellat amatum, Patroclum vero amatorem. Mart. tamen illo versu secus sentit atque Plato præcipiat,

Aeacida propior leuis amicus erat.

IXIONIDEM.] id est, Pirithoum Ixionis filium, vt docet Diodor. & Ouid.

Duxerat Hippodamen audaci Ixione natus.

MENOETIADEM.] id est Patroclum, qui filius fuit Menœcei, cui pollicitus est Achilles se filium patri sospitem reducturum ex expeditione Troiana. Sed quod promisit præstare non potuit, cùm Patroclus ab Hectore fuisset interemptus. Ouid.

Siuẽ Menœtiadem falsis cecidisse sub armis.

SED *neque Phlegræos.*] quemadmodum Callimachus, cui in Elegia primas tribuunt Græci, non esset idoneus ad bella gigantea carmine heroico describenda: ita genium suum ait poëta non conuenire versibus durioribus & bella concinentibus.

PHLEGRÆOS *tumultus.*] diximus supra bellum giganteum ab Hercule gestum fuisse in Phlegræis campis Italicis, sed de hoc non loquitur nunc poëta, sed de bello, quod gesserunt Dij & gigantes in Phlegra Macedonica: de qua sic scribit Solinus: *Admonet Phlegra vbi antequã oppidum fieret, rumor est in militia mundi dimicatum cum gigantibus.* Idem asserit aquarum nimbis torrentes excitari, & ossa detegi longe grandiora his quæ nunc sunt ex corporibus humanis, quæ argumentum præbent belli gigantei.

ENCELADI.] nomen est gigantis. de quo Horatius:

Enceladus iaculator audax.

IN *Phrygios auos.*] quoniam gens Iulia oriunda est à priscis illis Troianis: quos memorat Ouid. in fast.

A

Dardanon Electra quis nescit Atlantide natum.

NAVITA *de ventis.*] iuxta prouerbium:

Quam quisque norit artem, in hac se exerceat.

VERSAMVS *prælia.*] scilicet nocturna. vt illud Mart.

O quæ prælia: quas vtrinque pugnas
Felix lectulus & lucerna vidit.

QVA *pote.*] pro potis est. Nam, vt tradit Priscianus in xv. ab eo quod est potis nascitur hic & hæc potis & hoc pote. vnde Persi.

Qui pote vis dicam nugaris cum tibi Calue.

B

id est, quomodo possibile est. hinc fit comparatiuum potior, & superlatiuum potissimus, & aduerbium potissimum.

LEVES.] quæ non contentæ vno amatore plures concupiscunt, & leuitate quadam amatoria citò desistunt, citò appetunt.

EX *Helena.*] id est, propter Helenam, cuius perfidiam vituperat, vtpote quæ relicto Menelao secuta sit adulterum Alexandrum.

POCVLA *Phæ.*] philtra intelligit & amatoria, quibus Phædra priuignum Hippolytum in amorem suum pellicere conabatur, sed frustra: cum ille esset castissimus, & osor maximus mulierum, vt ipse ait apud Sene. in Tragœdia Hippolyto. Sensus est: Si qua me veneficiis perditura est, Cynthia me perdet.

C

CIRCÆO *gramine.*] Circem polypharmacam appellat Homer. quod si verbum exprimere velis ex verbo, Latinè dices triueneficam: qua dictione vsus est Plautus. Hæc multarum herbarum vires prima inuenit: Socios Vlyssis vertit in feras: Circeios in Italia habitauit notissima monumentis poëtarum. vnde ait Horat.

Sirenum voces, & Circes pocula nosti.

D

Multus est Homerus in admiratione Circes. Plinij verba hæc sunt ex vigesimo quinto: *Certe quid non repleuere fabulis Colchis Medea aliæque, in primisque Italica Circe, Diis etiam ascripta? vnde arbitror natum, vt Aeschylus è vetustissimis in poetica refertam Italiam herbarum potentia proderet, multique Circeios agros, vbi habitauit illa.*

COLCHIS.] id est, Medea Colchica, quam artis magicæ & veneficiorum peritissimam fuisse etiam pueri sciunt. Hæc pellicem cremauit flammis coronalibus, vt ait Apuleius. Quod declarat Plinius scribens in secundo: Naphtam ge-

E

nus esse liquidi bituminis, cui magna cognatio est cum igne, transiliente in eam protinus vndecunque visam. Misit itaque Medea coronam illitam hac naphta nouæ nuptæ: quæ cum sacrificatura ad aras accessisset, & flamma repente trãsilisset in coronam cum tota regia conflagrauit. Paulo secus narrat Diodorus in quinto, & Horat. in Epodo.

VRAT *ahena focis.*] scribit Sophocles Medeam falcibus æneis herbas maleficas secuisse, & illarum succum in cados æneos refudisse. &, vt docet Macrobius, ad rem diuinam pleraque ænea adhiberi sunt solita, & in his maximè sacris quibus delinire aliquos, aut deuouere, aut denique morbos exigere volebant. Merito igitur dicit Proper. ahena vasa vti in sacris magicis, vtpote

accommodatiora ferreis. Idem scribit Ouidi. in vii. loquens de veneficiis Medeæ,

Membra simul pecudis, validósque venefica succos
Mergit in ære cauo.

Tarda *Philoctetæ.*] docet exemplis omnes morbos etiam maximos sanari posse medicamētis præter amorem. Iuxta illud Ouidij,

Hei mihi quòd nullis amor est medicabilis herbis!

Philoctectes Pœantis filius, Herculis comes, sagittæ Herculeæ casu semet in pede vulnerauit, quo tumulum Herculis indicauerat, cuius vulneris tantus fuit putor, vt impatibilis fieret. Itaque suadente Vlysse subtraxit se bello, & discedens ex exercitu Grecorum in insulam Lemnon profectus est, *Tentauitque feros requie lenire dolores.* Hunc sanauit Machaon filius Æsculapij, qui cū fratre Podalyrio bello Troiano secutus Agamemnonem, non mediocrem opem commilitonibus suis attulit, vt docet Celsus. Homer. vero scribit hos neque in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilij: sed vulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi solitos esse. De Philocteta scribunt Seruius & Ouid. De quo ita Cicer. in secunda Tusculana, *Aspice Philoctetam, cui credendum est gementi. Nihil hunc virum sagittæ, quas ab Hercule acceperat, tum consolabantur, cum è viperino morsu venæ viscerum veneno imbutæ tetros cruciatus cierent.*

Phoenicis *Chiron.*] Phœnix Amyntoris filius precibus maternis impulsus cum concubina paterna concubuit: quod vbi pater resciuit filium execratus est, inuocatísque furiis imprecatus orbitatem filiorum, paternæ imprecationes ratæ fuerūt: vt tradit Homer. in ix. Iliados. Phœnix furtim solus profugit ex patria, deuenítque ad Peleum, qui eum nutricium dedit Achilli filio, vt illum efficeret oratorem verborum, actorémque rerum: quod & Cicero & Fabius retulerunt. Hunc luminibus orbatum sanauit Chiron, quòd priuatus fuerit oculis. meminit Ouid.

Flenit Amyntorides per inania lumina secum.

Chiron dicitur Phyllirides à poëtis, quoniam Phyllitæ & Saturni filius fuit, qui primus inuenit herbariam medicinam, à quo inuentore centaurion & chironion herbæ nomen acceperunt, vt docet Plinius in vii. & xxv.

Et *deus extinctum.*] Androgeus Minois filius athletico certamine clarus insidiis Ægæi Atheniensium regis occiditur. Minos filij morte perturbatus, Atheniensibus bellum indixit, addita execratione, qua Atheniensibus pestilentiam, faménque imprecabatur. Auctores Plutarchus & Diodorus. Androgeum, siue Androgeona neque poëtæ neque historici Latini tradiderunt ad vitam restitutum fuisse ab Æsculapio, sicut insinuat hoc loco Propert. Apud vnum Higinium legi Glaucum Minois filium Æsculapij opera reuixisse, qui visus herba ab angue allata Glaucum ad vitam reuocauit: ex qua consuetudine institutum est, vt medici anguibus vterentur. Intellige ergo Androgeona binominem fuisse, & altero nomine Glaucum nominatum: vel, vt sæpe fieri animaduertes, variis nominibus nuncupari à variis scriptoribus: Quod non solum in rebus fabulosis accidere solet, sed etiam in historia, quod vel vnius Gellij testimonio est manifestum, qui scribit egregium facinus à Quinto Ceditio factitatum esse, quem Claudius Quadrigarius Laberium appellat, qui à Plinio, & Liuio Calphurnius Flamma nuncupatur. Epidaurius dicitur Æsculapius ab Epidauro oppido Achaiæ, quod Æsculapij delubro celebre est, vt refert Plin. vnde ait Serenus:

Qui colis Aegæas, qui Pergama, quique Epidaurum.

& à Papinio dictum est:

—— hinc mecum Epidauria proles.

Cressis *herbis.*] ideo dicitur, quia Cretensis erat Androgeus.

Mysus *& Hæmonia.*] notum est quemadmodum Telephus ab Achille vulneratus, ab Achille sanatus fuit eodem telo repercussus. Serenus:

Vt Larissæa curatur Telephus hasta.

& Ouidius:

Vulneris auxilium Pelias hasta tulit.

Scribit Plin. Achilleon herbam ab Achille inuentam fuisse, qua vulneribus medebatur, hac sanasse Telephum dicitur. Alij primum æruginem inuenisse vtilissimam emplastris; ideóque depingitur ex cuspide decutiens eam gladio in vulnus Telephi, alij vtroq; vsum medicamento volunt. Idem in xxxiiii. ita scripsit: *Est & rubigo ferri in remediis, & sic proditur Telephum sanasse Achilles, siue id æræa siue ferrea cuspide fecit.* Mysum nominat Telephum, quoniam in Mysia regione Asiatica regnauit institutus successor regni à Theuthrante. Auctor Diodorus.

Tantaleæ *manu.*] datiuus casus est, quo veteres in nominibus quarti ordinis frequenter vtuntur, vt Gellius meminit. Vnde ait Virg.

—— téque aspectu ne subtrahe nostro.

& alibi:

Quod nec concubitu indulgent ——

& à Lucilio dictum est: Anu noceo pro anui. Hoc idem docet Priscianus in septimo. Tantali fabula notior est, quam vt enarrationis indigeat. Omittendum non est quod tradit Plato in Cratylo: Tantalum dictum esse quasi ταλάντατον, hoc est, infelicissimum. Tale vtique nomen fortunæ eius aduersæ optime congruit.

Dolia *virgineis.*] Belidas intelligit, quæ apud inferos dolio perforato hauriunt aquas, quod nunquam expleri potest. Id Lucretius ad nos referendum esse docet, qui vitæ fructibus nunquam explemur. Versus Lucretij hi sunt ex libro tertio:

Nec tamen explemur vitai fructibus vnquam.
Hoc vt opinor id est æuo florente puellas,
Quod memorant laticem pertusum congerere in vas
Quod tamen expleri nulla ratione potestur.

Idem dicit, Tantalo saxum semper impendere, quod ad superstitionem refert, qui metus vrget inanis mortales.

Pellet *autem.*] Aquilam dicit, quæ aduncis unguibus lancinat iecur opimum Promethei, de quo supra dictum est. Cum ante hæc omnia impossibilia sint, ostendere vult se nunquam ab amore posse liberari. Scribit tamen Higinius Io-

uem exemisse vinculis Prometheum pro accepto beneficio. A

SPES *inuidiosa.*] vera lectio est pars,non spes, vt sit sensus:Inuidere liuidos ipsius poetæ ætati floridæ:partim propter studia literarum,partim propter amicitiam Mecœnatis,à quo peculiariter fouebatur.

ESSEDA *cælatis siste.*] Esseda sunt currus, quibus peculiariter vtebantur Britanni in bello.Longa est narratio apud Cæsarem in quarto & quinto commentario de Essedariis id est,militibus Britannis, qui ex essedis pugnabant, & ex essedis interdum desiliebant, & strepitu rotarum plerumque perturbabant ordines Cæsarianorum.Ouid. B

Paruáque quam primum rapientibus esseda mannis.

Horatius:

Esseda festinant pilenta, petorita, naues.

Porphyr. dixit Esseda esse vehicula Gallorum. Quod idem sensit Seruius scribens vsum essedorum apud Belgas fuisse repertum.vnde à Vir. Belgica cognominantur.

CÆLATIS.] ornatis.Plin. in XXXIII.castigans luxuriam Romanorum inquit: *At nos inuenimus carrucas ex argento calare.*

MVTÆ *fauillæ.*] id est, cineri meo sepulto. Horat. C

Debita sparges lachryma fauillam Vatis amici.

Fui in hac elegia explicãda prolixior, propterea quòd singuli pene versus egebant interpretationis, & Domitius nullum penitus verbum scripsit super his, quæ nullo pacto erant silentio prætereunda.

M. ANT. MVRETVS.

THESEVS *infernis.*] deest, quale vt sit, quale caput testatur fuisse Pirithoum inferis Theseus, Patroclum superis Achilles. cur autem ille inferis, hic superis? an, quod & Pirithous, & Theseus apud inferos sunt? Virgilius, D

— sedet, æternúmque sedebit
Infelix Theseus. — Horatius,
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo. —

Achilles autem ad superos propter virtutem euectus est.

IXIONIDEM.] Pirithoum, Ixionis ex Dia filium. quomodo igitur & ipse,& Theseus à Virgilio diis geniti vocantur?

Dis quanquam geniti,atque inuicti viribus essent.

sed Thesei quidem patrem habitum Neptunum, Pirithoum autem Iouis nepotem fuisse constat.Ixion enim Iouis filius. E

MENOETIADEN.] Patroclum Menœtij filium.Menœtius autem Pelei frater:vt non amicitia tantum,sed cognatio quoque inter Achillẽ & Patroclum intercesserit. variæ autem fuerunt de horum ætate sententiæ, quas collegit Politianus cap. XLV. miscellaneorum. Ceterum Lucianus iuniorem,& ab Achille adamatum fuisse Patroclum,iucundo magis,quam verecundo argumento, ex ipsis Homeri versibus colligit, in dialogo, qui inscribitur ἔρωτες.

SED *neque Phlegræos.*] neque Callimachus poterat grandia poëmata conscribere, neque ego possum. hoc autem vitio datum Callimacho ab inuidis, ipsemet testatur elegantissimis versibus, quos ascribere non grauabor,

Ο φθόνος Ἀπόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν,
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.
Τὸν φθόνον ὡπόλλων ποδί τ' ἤλασεν, ὧδέ τ' ἔειπεν·
Ἀσσυρίου ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι,
Ἀλλ' ὅτις καθαρή τε, καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον.

IANVS DOVSA FIL.

ILLVD quod in ipso secundi libri limine occurrit:

SIVE *lyra carmen digitis percussit eburnis.*] vt à vera germanaque scriptura degenerasse credam, facit locutionis eius insolentia, *digitis carmen percutere.* quam si consideres, nihil verius arbitrabere coniectura nostra:

Siue lyræ carmen digitis percurrit eburnis.

Sic Virgilius in Culice ex correctione Scaligeri:

Mollia sed tenui percurrere carmina versu.

Et Ouidius Amorum lib. II. Eleg. X.

Hæc querulas habili percurrit pollice chordas.

TALIAQVE *illachrymans muta iace verba fauillæ.*] Sic supra:

Quæ tu viua meâ possis sentire fauillâ. Horat.
Debita sparges lacryma fauillam
Vatis amici.

IANVS DOVSA PATER.

ESSEDA *cælatis siste Britannia iugis.*] Refer ad Pliniana ista lib. XXXIV. cap. XVII. *Cœpêre deinde & esseda, & vehicula, & petorita exornare, similique modo ad aurea quoque non modò argentea staticula inanis luxuria peruênit.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

VNDE *mihi veniat mollis in ora.*] Liber noster habet *ore.* quod retinemus. Vnde liber sit in ore meo. Venire apud Propertium est, ὑπάρχειν, πάρχειν.

SIVE *togis illam fulgentem incedere Cois.*] Coa proprie puellarum famæ non nimium bonę fuerunt. Quare quum Horatius dicit:

— Cois tibi pene videre Vt nudam, est —

facile diuinandum nobis relinquit, quam intelligat. vt si dixisset, in stola, matronam profectò intellexisset. Quare qui lectionem Horatij in *Chlorin* pro *Cois* mutarunt, minus prudenter fecisse videntur.

SEV *quum poscentes somnus.*] Profectò & sententia *somnum* legendum postulat, & scriptura libri nostri confirmat.

QVA *pote quisque.*] ἔρδοι τις, ἣν ἕκαστος εἰδείη τέχνην.

LAVS *in amore mori laus si datur altera.*] Recentiores editiones hunc versiculum aliæ alio modo corruperunt. Sed antiquiores, itémque liber scriptus rectè habent: *- Laus altera, si datur vno Posse frui.* Planus est sensus. Primo optat amãtem

mori. secundo vnam tantum amare, neque omniuolum, vt ille ait, esse. Post hoc distichon interserendum hoc aliud, quod est circa finem Elegiæ, quæ in vulgatis editionibus tertia numero est. Quare ita leges cum isto;

Laus in amore mori. laus altera, si datur vno
Posse frui. fruar, o, solus amore meo.
His saltem vt tenear iam finibus: aut mihi si quis
Veneris alter amor, acrius vt moriar.

Non solum hoc distichon suis antiquis sedibus restituimus, sed etiam inuersum pentametrum quo verborum ordine legi debuit, posuimus. Scio τὸ vt, ἀντὶ τοῦ ὡς posse exponi. sed, vt id concedamus, quam bene illud distichon sententiam suam tueatur illo loco, quo legitur hodie, velim dicant mihi quicunque opinioni nostræ aduersari parati sunt. contra, quam non hic conueniat, doceant me, quæso. ego coniecturam meam feliciori successu defendam, quam illi eam oppugnabunt.

COLCHIS *Colchiacis.*] Malo, *Iolchiacis.*

BRACHIA *& à medio pectore pellet auem.*] Post hunc versiculum sequi debent ordine quatuor disticha, quæ in quarta elegia sunt quorum initium, NON HIC HERBA VALET.

QVANDOCVNQVE *igitur vitam mea fata reposcent.*] Quia iam dixerat: *Ambulat, & subito mirantur funus amici.* Quia igitur hoc mihi contingere potest, qui cum eodem morbo conflictor, &c.

ELEGIA II.

LIBER eram, & vacuo meditabar viuere lecto,
At me composita pace fefellit Amor.
Cur hæc in terris facies humana moratur?
Iuppiter ignoro pristina furta tua.
Fulua coma est, longæque manus: & maxima toto
Corpore: & incedit vel Ioue digna soror,
Aut cùm Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis,
Qualis & Ischomache Lapithæ genus heroine,
Centauris medio grata rapina mero,
Mercurio & sanctis fertur Babeidos vndis
Virgineum Brimo composuisse latus.

A *Cedite iam diuæ, quas pastor viderat olim*
Idæis tunicam ponere verticibus.
Hanc vtinam faciem nolit mutare senectus,
Et si Cumææ sæcula vatis aget.

PHILIPP. BEROALD. BON.

B LIBER *eram, & vac. med. vi. lecto.*] formam Cynthiæ causam fuisse dicit, vt amori sit mãcipatus, eámque heroinis & deabus æquiparat, & nulla annosa ætate mutari posse desiderat.

FVRTA *tua.*] furta pro adulteriis accipe. Ouidius:

Iuppiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis.

& Virgilius:

—— Martísque dolos & dulcia furta.

videtúrque alludere ad rapinam Europes.

MAXIMA.] humero validissima, quæ forma etiam in fœminis placet, & vt scribit Aristot. in IIII. Ethicorum. *Pulchritudo consistit in magno cor-*
C *pore, & parui pulchri esse non possunt.*

AD *aras Du.*] Pallas dicitur spaciari ad aras Dulichias propter Vlyssem, cui iugiter adhærebat, quem imperasse Dulichiis notissimum est: Vel quia in ea insula colebatur. Est autem Dulichium insula vna ex Echinadibus alio nomine Dolicha nuncupata. Quam formosa, inquit, est Pallas, quando velato capite Meduseo, quod gestat in ægide spaciatur ad aras Dulichiorum: tam formosa sit Cynthia. In ægide Pallas gestat caput Gorgoneum. Virgil.

Ægidáque horrificam, turbatæ Palladis arma.

Nota sunt quæ de Gorgone anguifera traduntur
D à poëtis, quam interemit Perseus, & caput Palladi dono dedit. Historici tradunt Gorgonas insulas esse in Æthiopia, in quas penetrauit Hanno Pœnorum imperator, prodidítque hirta fœminarum corpora viros pernicitate superasse, duarúmque Gorgonum cutes argumenti & miraculi gratia in Iunonis templo posuit spectatas vsque ad Carthaginem captam. Scri. Diodor. in IV. Amazonas Libycas exercitum contra Gorgonidas duxisse, eásque inito certamine debellasse: Gorgonidas deinde tradunt cum vires auxissent iterum à Perseo expugnatas, cùm illarum esset regina Medusa. Postremo ab Hercule
E deletæ fuerunt.

QVALIS *& Ischomache.*] Hippodamia Atracij filia, quam poëta Ischomachem appellat, nupsit Pirithoo: in cuius nuptiis Centauri mero calescentes & libidine æstuantes ad rapinam puellarum conuersi sunt, & in primis ipsius nouæ nuptæ. vnde ait Ouid. in XII.

Raptatúrque comis per vim noua nupta prehensis.
Eurytus Hippodamen: alij quam quisque probabat.

Tunc Pirithous, Theseúsque, aliíque præstantissimi heroes vnà cum Lapithis aduersus Centauros insurrexerunt: multísque trucidatis, reliquos fuderunt, fugarúntque. auctores Ouid. & Diodor.

Lapithæ.] à Lapitho Apollinis filio appellati: quorum rex fuit Pirithous, qui Pindum & Othrim Thessaliæ montes habitarunt, vt refert Plinius. Ischomache ergo heroina Lapitharum genus sua formositate stimulauit Cētauros in medio conuiuio ad vim inferendam. Quæritur cur à Propertio dicatur Ischomache, quam cæteri scriptores Hippodamiam siue Hippodamen appellant, Plutarchus vero Deidamian: Nomen est compositum ex duobus verbis Græcis ischo, & mache. Ischo Græcè significat habeo: & mache dicitur pugna. Quia Hippodamia habuit in nuptiis suis pugnam, certamenque Centaurorum. Ideo Ischomache eleganter nuncupatur. Ita & à Callimacho nominatur, cuius carmen expressit Propertius. Centauri primi pugnare ex equo inuenerunt habitantes supra Pelion montem. auctor Plini. & ideo existimati sunt biformes, vt autumat Probus.

Mercurio *Sais.*] Minerua dicitur Sais lingua Ægyptia. Vnde scribit Herodotus in secundo: *Quot annis conuentum fieri ab Aegyptiis in vrbe Sai in honorem ipsius Mineruæ.* Saitæ populi colunt ouem, vt scribit Strabo, & Mineruam venerantur: in cuius templo Psammetichi sepultura est. Inde Saitica præfectura nominata. auctor est Plato in Timeo, Mineruam quam Græci Athenam nominant fundatricem extitisse Sais ciuitatis, vnde fuit rex Amasis. Bobeis autem lacus est in media quodammodo Thessalia, vbi dicitur Minerua pedes abluisse iuxta illud Hesiodium, quod refert Strabo in nono:

Permultis coram plantam sibi virgo senera
Bobeide in stagno lauit ——

Sensus est: Quam formosa fuit Pallas loto corpore in vndis Bobeidos, cum primum Mercurio copulata est, tam formosa est Cynthia.

Cedite *iam diuæ.*] Iunonem, Venerem, & Pallada intelligit, quas nudas inspexit Paris: quando malum aureum velut victoriæ calculum Veneri tradidit. Quod iudicium Paridis celebratissimum apud poëtas luculenter enarrat Apuleius in x. de Asino aureo.

Idæis.] Idæa duplex est, altera in Creta, altera in Phrygia: de qua nunc intellige.

Cvmææ *vatis.*] id est, Sibyllæ viuacissimæ. Ausonius:

Vincas Cumæam tu quoque Deiphoben.

Sibyllas appellarunt veteres omnes fœminas vaticinantes, vt Lactantius & Varro testantur: & meminit Seruius, quæ dictio consilium dei interpretatur Æolico genere sermonis. Sibyllas decem numero fuisse tradit Diuus Hieronymus in libris contra Iouinianum, quarum propria nomina refert Lactant. in primo: ex quibus vna fuit Cumæa in Italia, quæ responsa dedit Æneæ: de qua nunc loquitur. Longæua sacerdos à longo æuo dicitur à Virgilio. Cuius rei fabulam leges apud Seruium & Ouid. in XIIII. Metamorphos.

M. ANT. MVRETVS.

Ivpiter, *ignosco.*] in aliis, *ignoro.* vt sit: nescio, cur olim tam multas rapueris, cum hanc antiquis omnibus formosiorem in terra relinquas.

Ischomache.] alij Deidamian, aut Hippodamian vocant.

Mercvrio *Sais.*] ἀπὸ κοινοῦ intelligendum, qualis. fabula autem, quam hîc tangit Propertius, mihi prorsus ignota est. nam quod Saidem Mineruam interpretantur, multis de caussis nō placet. primum, quod nusquam alibi lectum est, Mineruam cum Mercurio corpus commiscuisse: immo vero eam summo consensu ἀπαρθένωτον faciunt. deinde, quod etsi Saitica præfectura Mineruæ sacra est, dea tamen ipsa non Sais ab Ægyptiis dicitur, sed Neith. adde, quod iam Cynthiam cum Minerua contulerat, illo versu, *Aut cum Dulichias.* plane in meo vetere libro, non *Sais* legitur, sed, *sanctis.* falsam declarationem, vt opinor, confutauimus. veram aut alij, aut fortasse nos ipsi olim reperiemus.

IANVS DOVSA FIL.

Ivppiter *ignoro pristina furta tua.*] *Ignorare* hic est aspernari & cognoscere nolle, qualique mentione indignum negligere. qualem eius verbi notionem notauit in illo Plauti Amphyt. Ianus Guilielmus:

Quē omnes mortales ignorant, & ludificant, vt lubet.

Cui addo similiter accipi id verbum apud Ciceronem Orat. pro Roscio Amerino: *à me autem iy contenderunt, qui apud me & amicitia, & beneficiis, & dignitate plurimùm possunt: quorum ego neque beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam.* hinc lucem capit Apuleij illud Milesf. v. *Iamque ista, quæ ferimus, non parentibus nostris, ac nec vlli demonstremus alij: imò nec omnino quidquam de eius salute norimus.* Similiter etiam intelligendus ille Bruti locus in Epistola ad Ciceronem, *Iuuat enim magnificè loqui & certè decet aduersus ignorantes, quid pro quoque timendum aut à quoque petendum sit.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Pectvs *operta comis.*] Noster, *pectine operta.* lego, *pectine operta comas.* Ait pexam esse colubris, quæ subnascuntur ex incisa ceruice Medusæ. Sed non ausim receptam lectionem mutare. Nam in Ægide dicitur habere Gorgonem.

Qvalis *& Ischomache.*] Liber scriptus, *Ischomene.* Potest fieri, vt & illud nomen apud quosdam Mythologos habuerit.

Virginevm *Brimo.*] Ita olim emendauit lumen literatorum Adr. Turnebus. Sed antequam ille Aduersaria sua publicaret, nos ita emendaueramus ex eo ipso Etymologici loco, ex quo ipse quoque coniecturam suam fecerat. Testis huius emendationis nostrę nobilissimus atq; eruditiss. Ludouicus Castanæus eques Regius

Tor-

Torquatus, & Christianissimi Regis ad summum Pontificem Legatus. Quum enim illi Propertium explicarem, ita eius libri oræ à me annotatum fuit. neque hoc solum, sed paulo ante, quum eidem quinque libros Siluarum Statij enarrarem, ostenderam illi eundem errorem esse in libro secundo, in Arborem Atedij Melioris. Nam vbi editum est:

—— omnia questus,
Inmitem Bromium: stagna inuida ——

indicaui emendandum esse, *Inmitem Brimo.* Ita duo similes errores à nobis ex duobus bonis auctoribus sublati.

IDÆIS *tunicam.*] Liber, *Tunicas.* Sic Catullus,
—— & abiectis peruigilat tunicis.

ELEGIA III.

Qui nullum tibi dicebas iam posse nocere,
Hæsisti, cecidit spiritus ille tuus.
Vix vnum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te iam liber alter erit.
Quærebam sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto viuere toruus aper:
Aut ego si possem studiis vigilare seueris.
Differtur, nunquam tollitur vllus amor.
Nec me tam facies, quamuis sit candida, cepit:
Lilia non domina sunt magis alba mea,
Vt Mæotica nix minio si certet Ibero,
Vtque rosæ puro lacte natent folia:
Nec de more comæ per leuia colla fluentes,
Non oculi, geminæ, sidera nostra, faces;
Nec si qua Arabio lucet bōbyce puella:
Non sum de nihilo blandus amator ego.
Quantum, quòd posito formosè saltat Iaccho.
Egit vt euantes dux Ariadna choros:
Et quantum Æolio cùm tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyræ,
A *Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ,*
Carminaque Erynnes non putat æqua suis.
Nū tibi nascenti primis, mea vita, diebus
Aridus argutum sternuit omē Amor?
Hæc tibi contulerunt cælestia munera diui:
Hæc tibi ne matrē fortè dedisse putes.
B *Non nō humani sunt partus talia dona:*
Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis vna es tu nata puellis.
Romana accūbes prima puella Ioui,
Nec semper nobiscum humana cubilia vises.
Post Helenam hæc terris forma secunda redit.
C *Hac ego nunc mirer si flagret nostra iuuentus?*
Pulchrius hac fuerat Troia perire tibi.
Olim mirabar, quod tanti ad Pergama belli
Europæ atq; Asiæ caussa puella fuit:
Nunc Pari tu sapiens, & tu Menelaë fuisti,
Tu quia poscebas, tu quia lentus eras.
D *Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,*
Vel Priamus: belli caussa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat inante meam:
Siue illam Hesperiis, siue illam ostendet Eois;
Vret & Eoos, vret & Hesperios.
E *His saltem vt tenear iam finibus, aut mihi si quis,*
Acrius vt moriar, venerit alter amor,
Ac veluti primo taurus detrectat aratra.
Pòst venit assueto mollis ad arua iugo:
Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua, & iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,

Cognitus Iphicli surripuisse boues; A

Quem non lucra, magis Pero formosa coëgit,

Mox Amythaonia nupta futura domo.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVI *nullum tibi dicebas iam posse nocere.*] seipsum alloquitur, ostendens cecidisse spiritus illos feroces: quibus quondam gloriabatur, séque amoris mancipium esse fatetur: Laudátq; formositatem Cynthię laudibus cumulatissimis. B

HÆSISTI.] captus ex amore. Translatio ab auibus, quæ visco hærent in captura, vel ab eo qui in luto hæsitat.

STVDIIS *seueris.*] scilicet philosophiæ, omissis rebus amatoriis.

PISCIS *arena.*] scribit Auicenna humidos esse pisces, frigentisque naturæ: & ideo frigidis & aquaticis nutriuntur alimentis. Nam, vt scribit Albertus magnus, omnis natura desiderat simile sibi.

LILIA *non domina.*] lilium rosæ nobilitate proximum est. Lilion appellant oleum liliorum: candor lilij eximius est, & lilium rubens. Narcissum vocant lilium purpureum. Auctor Plin. in vigesimo primo.

VT *Mæotica nix.*] Mæotis palus est siue lacus in quam influit Tanais. Scythæ Mæotin vocant Temerinda, quod significat matrem maris. vt refert Plinius. In illis regionibus sunt perpetuæ niues propter frigus intolerandum. Scribit Herodotus in IIII. Aërem pennatum esse in Scythia, quoniam illic assidue ningit, & nix pennis persimilis est. Plin. eam regionem vocat Pterophoron: quasi pennas ferentem.

MINIO *Ibero.*] minium inter pigmenta magnæ auctoritatis est: laudatissimum nascitur in Hispania, quæ Iberia dicitur à fluuio Ibero: nec fere aliunde quam ex Hispania Romam deferebatur. Miniaria metalla celeberrima erant in Betica Hispaniæ regione. Lege Plinium in trigesimo tertio. Laudat poëta colorem Cynthiæ, quem dicit talem fuisse, qualis est niuis coniunctæ cum minio. Talis color à Virgilio laudatur in Lauinia his versibus:

Indum purpureo veluti violauerit ostro:
Si quis ebur vel mixta rubent vbi lilia multa,
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.

PER *leuia colla.*] idest, polita. prima producta scribitur Martialis,

Leuior ô conchis Galle cytheriacis.

& Iuuenalis,

Sponsus leuis adhuc. ——

SIDERA.] laus oculorum, quorum fulgor sideribus comparatur, vt illud Martialis:

Lumina sideribus certent. ——

Sidera à considendo sicut stellas à stando dici, auctor est Martianus Capella.

ARABIO bombyce.] vestem bombycinam accipe, de qua Iuuenal.

Cuius delitias & panniculus bombycinus vrit.

& hæc est vestis Coa, de qua supra memorauimus. Sunt enim bombyces vermiculi, qui primo erucæ sunt: Fit deinde quod vocatur bombylis: ex ea necydalus: ex hoc in sex mensibus bombyces. Telas araneorum modo texunt, ad vestem, luxúmque fœminatum, quæ bombycina appellatur. Auctor Plin. in XI. Arabia bombycem vocat à regione opulentissima, quæ omnibus delitiis abundat, vnde à Græcis dici meruit Endemon: à nostris felix Arabia. Plinius tamen laudat bombycem Assyriam, quæ viri fœminis cesserunt: cum viros etiam non puderet has vestes vsurpare propter onera æstiua. In tantum, inquit ille, à lorica gestanda discessere mores, vt oneri sint etiam vestes.

IACCHO.] id est, vino. tropos metonymia. Nam per Iacchum, hoc est Bacchum, inuentorem vini intelligitur inuentum.

EVANTES.] diximus supra bacchantes fœminas inter cætera cognomina euantes dici. Virgilius:

—— *illa quoque simulans euantes*
Orgia circunducebat Phrygia ——

C A Libero patre dicuntur, qui Euan appellatur, vt ait Seruius. Papinius:

Et tu bassaridum rotator Euan.

DVX *Ariadna.*] merito dat Ariadnæ choros bacchantes, quoniam relicta à Theseo nupsit Baccho, à quo coronam dono accepit, quæ inter sidera collocata est, vt docet Higin.

EOLIO *plectro.*] hoc propter Alceum & Sappho dictum est, qui vsi sunt Eolide dialecto, vt scribit Porphyrio: vnde ait Horat.

—— *Eoliæ fidibus puellæ.*

& Ouidius:

Eolia nomina dicta lyra ——

D & Apuleius in primo Floridorum, Eolium canticum celebrat, quod simplex fuisse demonstrat. Plectrum instrumentum est citharœdi, quo chordæ plectuntur, id est percutiuntur. vnde à plectendo id est feriendo nomen accepit, vt ait Donatus. Martia.

Exornent docilem garrula plectra lyram.

Cicero in II. de natura Deorum: *Plectri*, inquit, *similem linguam nostri solent dicere chordarum dentes.* & Ambrosius in sexto Hexameri. *Lingua velut plectrum loquentis est.* Supra laudauit poëta Cynthiam, quòd perita esset fidibus, & carmine: vnde nunc ait eam in carmine lyrico E parem esse lyræ musarum, quam vocat Aganippeam ab Aganippe fonte Bœotiæ musis dicato: cuius meminit Plinius in IIII. vnde ait Ouidius:

Dicite quæ fontes Aganippedas Hippocrenes.

Iuuenal. *Desertis Aganippes vallibus.* Scribit Solinus, Aganippem fontem à Cadmo fuisse monstratum: cuius aqua pota animas facundia irrigaret.

COMMITTIT.] id est comparat, & deducit in contentionem. Hoc enim apud priscos significat committere. In alia significatione accepit Lucan.

—— *exi: num dominos commisit asylum.*
& in II. Machabeorum scriptum est: *Rex commisit cum Iuda & superatus est,* pro eo quod est conflixit. & alibi: *Iudas commisit cum Nicanore.*

ANTIQVÆ *Corinnæ.*] Corinna Thebana vel Tanagrea scripsit epigrammata, & lyrica poëmata Pindari in certamine lyrico victrix. Musea lyrica cognominata fuit, altera Thespia: quam quidam Corinthiam dixerunt. Auctor Pausanias. De Thebana intelligit Propert. propter quam extimo Ouidium amicam suam vocitasse Corinnam.

HERYNÆ.] Heryna, vt scribit Eusebius chronographus, poëtria agnoscitur. quo tempore Dion Syracusis interemptus est, quæ poëma composuit lingua Dorica, & tercentum versibus opus absoluit, quorum dignitas cum Homero contendit. Eustathius auctor est eam fuisse concubinam poëtriæ Sapphus. ait poëta Cynthiam non putare carmina Herynæ cum suis esse comparanda vtpote excellentioribus. alij codices habent, Quiuis, vt sit sensus: Non quemlibet temere existimare carmina Cynthiæ suis esse æquiparanda propter elegantiam puellarem.

STERNVIT *omen.*] interrogatiue pronunciandum. Quærit enim an nascenti Cynthiæ feruidus amor felix augurium dederit per sternutamentum: & est imitatio Catulliana, à quo dictum est de amore, *dextra sternuit approbatione.* Scribit Aristot. in I. de animali. Sternutamentum signum esse augurale, & vnum ex spirituum omnium generibus sanctum & sacrum. Quærit Plin. in vigesimo octauo cur sternutamentis salutamus, cuius rei causam reddit Aristo. cuius inuentis nec ipsa natura dissentit: Is enim in vigesimo problematum ita scriptum reliquit, quod mehercule memoratu dignissimum est. *Tres sunt partes principes nostri corporis, Caput, Thorax, & Aluus. cumque efflatus alui respiratio sit, ructus ventriculi, sternutamentum capitis, quæ pars sacra præcipue est, spiritum hinc exeuntem tanquam sacrum veneramur & adoramus. Præterea sternutamentum bene caput valere, possèque coquere indicio est: perinde igitur quasi bonæ indicium valetudinis partis optimæ atque sacerrimæ sternutamentum adorant, benèque augurantur.* idem ait alibi: *Sternutamenta, quæ post meridiem fuerint esse auspicatiora.* Legimus apud Albertum magnum traditum esse ab auguribus sternutamentum signum esse veritatis & liberationis à periculo insidiarum.

HÆC *tibi contulerunt.*] hæc est vera lectio, qua ostendit poëta bona quæ habet Cynthia collata esse à diuis, non autem data esse à parentibus. contulerunt dixit penultima correpta more antiquorum, qui emerunt, tulerunt media breui pronunciabant, vt docet Donatus: vnde à Virg. dictum est:

Matri longa decem tulerunt fastidia menses:

non autem tulerint, vt semidoctum vulgus legere solet.

NON *non.*] negantis: confirmatio est. ita Catull.

Non non hoc tibi salse sic abibis.

ISTA *decem menses.*] partionem mulieris secundum naturam fieri tradit Gellius nono aut decimo mense. iccirco nomina Parcis facta sunt, Parca nona, decima: à pariendo nono & decimo mense. vnde ait Plaut. in Cistellaria:

Decimo mense exacto hic peperit filiam.

& Decemuiri in x. mense gigni hominem scripserunt in legibus, XII. tabularum. inuentæ tamen sunt quædam quæ XI. mense: quæ XIII. pepererunt, quod nullum esse certum tempus pariendi declarat. auctor Plin. in VII. Censorinus in lib. de die natali hæc omnia refert ad aspectus siderales.

EVROPÆ *atque Asiæ.*] Helenam signat, quæ fuit causa belli decennalis inter Græcos & Troianos. Europæ propter Græcos, Asiæ propter Troianos dictum est. in hanc sententiam dictum est illud à Hieronymo: *Propter vnius muliercula raptum Europæ atque Asiæ decennalia bella confligunt.*

TABVLAS *vetustas.*] sensus est: Siquis pictor vult superare tabulas vetustissimorum pictorum, qui Deas & mulieres formosissimas sæpe pinxerunt, is proponat sibi pro exemplo Cynthiam, & ita ostendit neque veram, neque pictam fœminam Cynthiæ esse æquiparandam. olim Zeuxis pictor facturus tabulam Agrigentinis, quam in templo Iunonis ponerent: inspexit virgines eorum nudas. & ex his quinque elegit, vt quod in qua laudatissimum esset, pictura redderet. auctor Plin. in XXXV. Hoc idem copiosius enarrat Cicero in II. Rhetoricorum: qui in hoc solo dissentit à Plinio, quòd picturam illam non Agrigentinis factam fuisse memorat, sed Crotoniatis. Pictura autem illa fuit Helenæ simulachrum.

HESPERIIS.] occidentalibus. Hesperia dicta est Italia, dicitur & Hispania, vt ait Seruius. Porphyrio existimat ab Horatio dictam esse Hesperiam vltimam pro occidua parte. scribit Macrobius ab Hespero stella Hesperiam nominatam, quòd occasui subiecta sit. Tu intellige Hesperios pro occidentalibus.

HIS *saltem vt tenear.*] vt accipe pro vtinam. ita Plautus:

Vt dij illum perdant, qui primus horas reperit.

TVRPIA *perpessus vates.*] Neleus pater Nestoris filiam habuit nomine Pero formositate conspicuam: quæ à multis in vxorem petebatur. pater nemini filiam desponsurum se dixit, nisi ei, qui boues Iphicli ex Phylaca ad se duxisset: Melampus diuinandi peritus solus id promisit, qui ab Iphiclo deprensus in vincula coniectus est: sed post annum solutus est, vt narrat Homerus in XI. Odysseæ: eo quòd quæsita diuinitus reuelasset. Pero ita volente Melampode tradita est vxor Bianti fratri: ab hoc Melampode dictum est Hellebonim Melampodion, vt refert Plin. in XXV. Alij dissentientes ab Homero memorant Biantem suadente fratre Melampode spopondisse Neleo, se Iphicli boues abacturum, & dū id facere conatur fuisse captū, & in vinculis habitū: qui deinde dimissus boues

abduxit, & Pero formosissimam duxit vxorem. Causam autem vt dimitteretur, hanc fuisse ferunt: Cum Bias in carcere custodiretur sensit trabes ipsius domicilij carie, teredinibúsque corrosas portendere ruinam, idque Iphiclo prædixit. Iphiclus ob id beneficium eum vinculis exemit. Idem docuisse fertur Iphiclum, quo pacto fœcundus fieret, & filios gigneret: ob hæc meruit Bias educere boues petitas à Neleo, qui ei filiam despondit. Propert. Homerum sequutus est.

VATES.] quia diuinandi arte præstabat: & ita vocatur ab Homero. Idem peritus medicinæ fuit, sanauítque Prætidas furentes, vt docet Vitruuius. Dictio mendosa est apud Plin. Nam pro Prætidas scriptum est Parotidas. Non ignoro Parotidas morbum esse & tumores aurium, vnde nomen deriuatur: Sed in hoc loco Pliniano legendum est Prætidas.

SVRRIPVISSE.] non surripuit, sed surripere voluit. Ita Virg.

Quos ego sum toties iam dedignata maritos.

AMITHAONIA *domo.*] hoc ideo dictum est, quia Pero nupsit nō Melampodi, sed Bianti fratri, vt supra memorauimus. Amithaoniam domum dicit, quia filij fuerunt Amithaonis: vnde Virgil. ——*Amithaoniúsque Melampus.*

M. ANT. MVRETVS.

QVI *nullum.*] initio sibi ipsi quodammodo insultat, quod qui diceret, se ab omni amore plane liberum esse, denuo sese in eosdem laqueos inducat. deinde excusat se ipsū: quod neque possit naturæ suæ pugnare, neque tam Cynthiæ forma, quam aliis raris & eximiis dotibus, inductus sit ad ipsam amandam.

ET *quantum, Aeolio.*] cum tribus veteribus poëtriis Cynthiam comparat. sunt autem hæ, Sappho, Corinna, & Erinne, quarum de prima nihil dicere necesse est. non enim potest illa cuiquam ignota esse, nisi qui literas nesciat. de duabus autem aliis, quoniam non æque notæ sunt, aliquid commemorare haud quaquam alienum fuerit. Corinnæ igitur duæ fuerunt: vna Thespia, altera aut Thebana, aut Tanagræa. vtraque poëtica laude insignis, hæc quidem ita, vt Pindarum quinquies vicisse tradatur. sed Pausanias id eo factum putat, quod Pindarus Dorica lingua caneret, quæ non satis intelligeretur ab Æolibus, illa autē Æolica. neque non illud ad conciliandam victoriam profuisse tradit, quod mulier esset omnium per id tempus formosissima. Erinnen autem Sapphonis æqualem & sociam fuisse accepimus, quæ poëma scripserit, quod Colum vocauit, partim Æolica dialecto, partim Dorica, trecentis versibus constans, tanta felicitate, vt eam cum Homero ex æquo contulerit antiquitas. obiit autem virgo, annos habens vndeuiginti. ac, vt de Homeri, ita de huius quoque patria ambigitur. sunt enim, qui Teiam, sunt qui Teliam, sunt qui Lesbiam, sunt qui Rhodiam faciant.

TVRPIA *perpessus.*] Theocritus,

Ταν ἀγέλαν χ᾽ ὠ μάντις ἀπ᾽ Ὄθρυος ἆγε Μελάμπους

A *Ες Πύλον. ἁ δ᾽ Βίαντος ἐν ἀγκοίναισιν ἐκλίνθη*

Μάτηρ ἠχαρίεσσα περίφρονος Ἀλφεσιβοίας.

tangit & hanc siue fabulam, siue historiam, sed paucis, Homerus libro vndecimo Odysseæ, quā è Græcorum commentariis vberius ac fusius explicatam proponere institui: Tyro, Salmonei filia, mortuo patre, in Deionei patrui tutela fuit, qui eam Cretheo in matrimonium dedit. Interiecto aliquo tempore, cum ipse quoque Deioneus excessisset è vita, Iphiclus, qui eius in Phylaces prouinciæ imperio successor fuit, partem quandam eorum, quę ad Tyronem pertinebant, occupauit. Neleus Tyronis filius, vt maternas B iniurias vlcisceretur, si quis Iphicli boues (erant autem illæ eximia pulchritudine) abduxisset, filiam suam, cui nomen erat Pero, præstanti virginem forma, ei se vxorem daturum pronunciauit. difficile id factu omnibus videbatur. nam & bubulci robustissimi, & ferocissimi canes Iphicli armenta seruabant. sed Bias Amythaonis filius, qui miro eius puellæ amore teneretur, fratri suo Melampodi, vati peritissimo, vt id negotium susciperet, persuasit. hic, etsi non erat nescius fore, vt caperetur, profectus est tamen, fraternæ voluntati cupiens obsequi. captus igitur, & Iphiclo traditus, deinde in carcerem coniectus, diligenter asseruabatur. qui autem ei mini- C straret, vir quidam vna cum vxore est attributus: quorum ipse viro quidem facili & comi, sed muliere molesta & aspera vtebatur. Cum ergo ibi diu delituisset, quodam die vermium supra tectum strepitum ac stridorem quendam audiit. erat autem ita purgatis auribus, vt intelligeret ac perciperet etiam ea, quæ à bestiis dicerentur. sensit itaque eos mures significare inter se, trabem sibi iam corrosam & exesam esse. quare ruinam metuens, simulat sibi male esse, ita vt consistere non posset. petit igitur vt vir quidem anteriorem, mulier vero posteriorem lectuli sui partem apprehenderet, ipsúmque ita ambo ex- D tra domunculam ferrent. quod eis facere aggressis, cum & vir, & totus prope lectus extra tectum esset, derepente collapsa trabs mulierem obruit, atque enecauit. seruatus vir, rem totam ex Melampode cognitam defert ad Phylacum Iphicli patrem. is eam Iphiclo enunciat. Iphiclus hominem ad se accersitum, quis esset, quoque consilio boues subreptum venisset, interrogat. is omnia illi, vt erant, indicat. Tum Iphiclus, Et domum, inquit, liber ac solutus redito; & tecum boues, quas petis, abducito, si rationem mihi aliquam, qua liberos procreare valeam, in- E dicaueris. Melampus cum illum bono animo esse iussisset, cæsis rite hostiis regiones captandis auguriis diuisit. aduolant aues omnis generis, præter vulturem. Vates ex omnibus, ecqua ratio esset conficiendi Iphiclo liberos, sciscitatur. illis se vllam tenere negantibus, venit postremo vultur: ac primum profert caussas, quæ Iphiclo, ne generaret, impedimento erant. Phylacum patrem, olim ipsi puero quadam de caussa iratum, persecutum esse eum stricto gladio. sed cum eum comprehendere nequisset, gladium in pyrum quandam siluestrem impegisse. ipsum autem gladium postea crescētis arboris cortice obtectum

& inuolutum, simul & arborem ipsam. & eam partem, qua lateret gladius, indicauit: affirmans timorem ea ex re conceptum, iam tum Iphiclo sterilitatem attulisse. iret igitur, & rupto cortice gladium educeret, rubiginémque illius è vino per decem dies Iphiclo potandam daret. hoc remedio vsus Iphiclus generandi potestatem recuperauit. Melampus, acceptis bobus, domum reuersus, fratri eas tradidit. qui cum eas Neleo, dotis nomine, dedisset, puellam, quam amabat, accepit.

SVRRIPVISSE.] surripere voluisse.

QVEM *non lucra.*] non enim lucri caussa eas abducere volebat.

PERO *formosa.*] Θαῦμα βροτοῖσι, ait Homerus.

IANVS DOVSA FIL.

EGIT *vt Euantes dux, Ariadna choros.*] Alludit ad simulachrum Dædali, de quo Homerus Iliad. Σ.

Ἐν δὲ χορὸν ποίκιλλε περικλυτὸς ἀμφιγυήεις,
Τῷ ἴκελον οἷόν ποτ' ἐνὶ Κνωσῷ εὐρείῃ
Δαίδαλος ἤσκησεν καλλιπλοκάμῳ Ἀριάδνῃ.

Id apud Gnossios fuisse ex albo lapide constructum auctor est Pausanias in Bœoticis.

NVNC *Pari tu sapiens & tu Menelae fuisti,*
Tu, quia poscebas, tu, quia lentus eras.] Parissimum huic illud Ouidij III. de Arte:

Aut Helene, quam non stultè Menelae reposcis,
Tu quoque non stultè Troice raptor habes.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVI *nullum tibi dicebas.*] Lege:

Qui nihilum tibi dicebas iam posse nocere.

Horatius:

Conuiuæ lecti nihilum nocuere lagenis.

VIX *vnum potes infelix.*] Post hoc distichon sequi debet illud, *Liber eram.* Recte ergo conueniunt, QVÆREBAM, & LIBER ERAM. Nam antea quis intelligebat, quorsum illa elegia, quam faciebant secundum à prima? Quid aliud sibi volebant illi, qui hæc ita digesserunt, quam χεῖρον ὂν τῆς ἀμήνου κλίσεως;

DIFFERTVR *numquam.*] Post hunc versiculum interiice quatuor disticha, quæ sunt in fine elegiæ alieno loco posita. quorum primum, AC VELVTI PRIMO TAVRVS DETRECTAT. Ait differri non tolli amorem, ac tironibus amoris, qui seruitium nouum grauantur, idem euenire, quod tauris primum iuga detrectantibus.

NEC *me tam facies.*] Dixit enim iam propter formosam Pero hoc pertulisse Melampodem. quamuis, inquit, ego meam non tam quia formosa est, amo, quam quod multis artibus prædita. Recte igitur hæc coniunximus.

ET *Maetica.*] *Vt Maetica.* Liber scriptus.

NEC *si qua Arabio.*] Mirum genus loquendi. Hoc est, nec quia tu luces Arabio bombyce. Sic infra:

Nec si qua illustres femina iactat auos.

Hoc est, nec quia tu iactas illustres auos.

CARMINAQVE *Erinnes non putas.*] Appa-
A ret esse commentum Beroaldi, quum ipse postea citet veterem scripturam, quam ego in nostro reperi:

Carmina quæ quiuis non putat esse suis.

Quam diuersa hæc ab illa vulgata? Nam profecto tam verum est Propertium ita vt ponam, scripsisse, quam me viuere. nempe:

Carmináque æquæuis non putat esse suis.

Aut, inquit, quoties contendit scripta sua cum antiquis poëtriis. nam poëtrias æquales suas non putat versus facere. non censet esse carmina, quæ æquales suæ faciunt. Quis audebit hæc falsa esse dicere, aut receptæ lectioni subscri-
B bere?

ARIDVS *argutum.*] Macrobius de differentia Græci & Latini sermonis ita citat hunc versiculum:

Candidus Augustæ sternuit omen Amor.

STERNVIT *omen amor.*] Et Catullus:

Dextram sternuit adprobationem.

Sed liber noster *sternuit.*

HÆC *tibi contulerunt.*] Duplicanda hæc sunt.

Hæc tibi contulerunt cælestia munera Diui
Hæc tibi, ne matrem forte dedisse putes.

ROMANO *accumbes prima puella Ioui.*] Noster
C liber in margine corrigit *loco*, pro *Ioui.* Sic lib. IV. eodem modo, vbi in vulgatis est *-furto polluit ille locum*, vetus lectio habet, *Iouem.* Verum igitur est hic perperam editum esse *Ioui*, pro *loco.* Nam hoc vult: inter puellas Romanas tu prima eris. inter Græcas & peregrinas secunda post Helenam. Sic infra:

Et tibi Mæonias inter heroidas omnes
Primus erit nulla non tribuente locus.

Tralatitie ergo dixit. Nam in conuiuiis digniori personæ potior locus datur. Quam diuersam igitur sententiam in animo habebant, qui Ioui reposuerant? Est enim, vt dixi, metaphora à con-
D uiuis. Vt in discubitorio potiori personæ potior locus datur, ita & tibi in sessimonio Romanarum puellarum. In triclinio, vt notio verbi indicat, tres lecti erant. Horatius:

Sæpe tribus lectis videas cœnare quaternos.

Medius lectus honoratior erat. Septem, vt prouerbium fert, conuiuium faciebant. Itaque in medio vnus tantum discumbebat, nempe honoratior, siue consularis aut prætorius inter Senatores: siue senator inter inferioris gradus homines esset. in duobus reliquis lectis singuli tres. Sin octo essent, in medio honoratior persona
E quæ erat, interior discumbebat. Hæc probantur obseruatione loci Sallustiani ex tertia historia qui ita, vt & interpungi, & legi debet, à me apponetur: *Igitur discubuere interior Sertorius in medio: super eum Tuscus Fabius Hispaniensis senator, ex proscriptis. In summo Antonius, & infra scriba Sertorij Versius, & alter scriba Mæcenas. In imo medius inter Tarquinium, & Dominum Perperna.* Hic enim in medio lecto duo tantum, Sertorius, & Fabius, seu Fadius. Octo erant scilicet in hoc stibadio.

NEC *semper nobiscum.*] Melior antiqua scriptura, & primæ editiones, quæ habent.

Nec tantum mecum Romana cubilia vises.

Persistit in metaphora à discumbendo. Digniori

enim, vt diximus, primus locus datur. Nec tantum in ſtibadiis Romanis prima diſcumbes. hoc eſt, nec tantum inter Romanas formoſas numeraberis. Tu etiam in peregrinis nomen habebis. *Mecum*, vt in Catullum notauimus eſt, me iudice. vt Catullus: *nam tecum malus homo es.* id eſt te iudice, tuo iudicio.

POST *Helenam.*] Ergo explicat quid voluerit illa allegoria:

Romano accumbes prima puella loco.

Nam quia hic dixit, tu forma ſecũda es poſt Helenam: illud erit, tu prima forma es ante omnes puellas noſtrates. Ineptiſſime igitur hæc corruperant ij. qui non ſolum hæc non intelligebant, ſed etiam vt ne alij intelligerent, effecerant. Certe nemo negauerit veram horum verſuum ſedem eſſe, niſi aut zelotypus aut imperitus.

VRET *& Eoos, vret & Heſperios.*] Poſt hunc verſiculum repone ſeptem diſticha, quæ immerito hinc diuulſa fuerunt, & eundem caſum communem cum aliis paſſa ſunt. Eorum initium eſt, QVVR HÆC IN TERRIS FACIES HVMANA MORATVR?

ELEGIA IV.

MVLTA prius dominæ delicta queraris oportet,
Sæpe roges aliquid, ſæpe repulſus eas,
Et ſæpe immeritos corrumpas dentibus vngues,
Et crepitum dubio ſuſcites ira pede.
Nequicquam perfuſa meis vnguenta capillis:
Ibat & expẽſo plãta morata gradu.
Non hîc herba valet, non hîc nocturna Cyteis;
Nõ Perimedea gramina cocta manu.
Quippe vbi nec cauſſas, nec apertos cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala, cæca via eſt.
Non eget hic medicis, non lectis mollibus æger:
Huic nullum cæli tempus, & aura nocet.
Ambulat, & ſubitò mirantur funus amici.
Sic eſt incautum, quicquid habetur Amor.
Nã cui non ego ſum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies ſomnia verſat anus?
Hoſtis ſi quis erit nobis, amet ipſe puellas:
Gaudeat in puero, ſi quis amicus erit.
Trãquillo tuta deſcendis flumine cymba.
Quid tibi tam parui littoris vnda nocet?
Alter ſæpe vno mutat præcordia verbo,
Altera vix ipſo ſanguine mollis erit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

MVLTA *prius dominæ delicta queraris oportet.*] in amore plus fellis eſſe quam mellis oſtendit, & multa æquo animo toleranda, & amoris morbum eſſe ſubitarium, faciliorémque pueri, quam puellæ amorem eſſe demonſtrat.

ET *crepitum dubio.*] multa ſunt ſigna iraſcentium, ſed illa in primis comploſæ ſæpius manus, citatus gradus, & pulſata humus pedibus, & totum concitum corpus. Vide Senecam in primo de ira. Ira ergo amantis ſuſcitat ſonitum pedibus incertis: crepitum pro ſonitu accipe, vt Cicero in Verrinis accepit. *Inter dolorem, crepitumque plagarum audiebatur:* vnde & crepitum ventris vocitamus.

NE *quicquam perfuſa vnguenta.*] fruſtra inquit capilli mei erant vnguento delibuti, cum id mihi nihil prodeſſet ad amorem, & fruſtra ibam gradu librato & inceſſu cunctabundo, quo ſæpe incedunt amatores. Vnguenta primi Perſæ excogitarunt, & Alexander magnus expugnatis Darij caſtris inuenit ſcrinium vnguentorum pretioſiſſimum. Laudatiſſimum fuit Mendeſium, & illud quod regale appellatum eſt, quo Parthorum reges vtebantur. Auctor Plin. in XIII.

NON *hic nocturna Citeis.*] ſupra dictum eſt amorem nullo medicamẽto eſſe ſanabilem. Nec ſaga fœmina, inquit, peritáque magicæ artis aliquid poteſt polletque in amore: & Ouid.

Nil magicas artes poſſe iuuare putat:
Deme veneficiis carminibúſque fidem.

Citeis dicitur ſaga. Sunt autem ſagæ fœminæ magicarum artium & carminis peritæ, tanquam ſatis agæ, & multum agentes, vt interpretatur Porphyrio. In primo Commẽtario narrauimus quemadmodum Citea vrbs fuit Colchorum, vnde Medea Citeis dicta eſt, & incantamenta carmina Citeina dicuntur: & nunc Citeis dicitur fœmina maga, atque venefica, quales Hecate, Medea, & Circe fuiſſe feruntur.

NON *per Medea.*] nil proſunt inquit gramina cocta manibus Medeæ: vnde ait Ouid.

Quid te Phaſiacæ iuuerunt gramina terræ?
Cum cuperes patria Colchi manere domo.

Quidam codices habent Perimedeæ, vt ſit vna tantum dictio, & à Perimedea venefica deriuatum nomen.

ICTVS.] ſcilicet cupidineos.

HIC *æger.*] ſcilicet amator.

CÆLI *tempus.*] ſcribit Herodotus aëris mutationibus præcipue exiſtere in hominibus morbos, & auctor eſt Celſus ex tempeſtatibus peſſimas eſſe quæ variant, quo fit vt

Autumnus plurimos opprimat. Tunc enim, vt inquit Ouid. A

Aere non certo corpora languor habet.

sensus est poëtæ: Amatorem non languere ex cœli, hoc est aëris inæqualitate, sed ex morbo amoris subitario.

FALLACI *præmia vati.*] solebant prisci somnia deferre ad coniectores, hoc est interpretes somniorum, qui accepto præmio somnia explanabant: vnde ait Cicero in secundo de Diuinatione: *Defert ad coniectorem quidam somniasse se ouum pendere ex fascia lecti sui cubicularis.* In Deuteronomio scriptum est, *Non audies verba somniatoris,* vbi somniator accipitur pro coniectore. ait poëta se somnia vati & diuinatori sua denunciare, qui accepto præmio falsa & vana subinde dicebat, vt ita amatori gratificaretur. B

SOMNIA *versat anus.*] id est, saga vetula, quæ cum superstitione somnia interpretatur diligenter pensitando. Ita Martialis:

Exorat noctes dum mihi saga tuas.

TRANQVILLO *tuta.*] metaphoricῶs: Nam per cymbam, id est, nauiculam tranquillo flumine tuto procurrentem intelligit amorem pueri securiorem esse, tranquilliorémque amore puellæ.

PRÆCORDIA.] mutat, inquit, puer mentem, & omnem exuit iracundiam. Nam, vt inquit eleganter Seneca, puerorum iræ acres magis quam graues sunt. Præcordia autem ideo dixit, quia iram è pectore moueri philosophi tradunt efferuescente circa cor sanguine. Causa autem cur hic potissimum assignetur iræ locus non alia est, quam quod in toto corpore calidissimum pectus est, vt docet Seneca in II. de ira. Præcordia vero vocamus membranas, quæ cordi prætenduntur, vt ait Plin. in XI. qui scribit in XXX. exta in homine appellari præcordia. Græci dicunt phrenas, quasi participes prudentiæ sint, vt docet Aristoteles in decimo de animalibus. C

M. ANT. MVRETVS. D

NON *per Medea.*] Citeis Medea est. ne igitur bis eandem continenter nominauerit, malim legere,

Non Perimedea gramina cocta manu:

quo modo & Beroaldus in quibusdam vetustis libris legi ait. Perimedes autem veneficæ insignis meminit Theocritus Pharmaceutria,

Φάρμακα ταῦθ' ἔρδοισα χερείονα μήτε τι Κίρκας,
Μήτε τι Μηδείας, μήτε ξανθᾶς Περιμήδης.

estque hæc eadem, quæ ab Homero vocatur Agamede, E

Ἣ τόσα φάρμακα ᾔδη, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

IANVS DOVSA PATER.

ET *crepitum dubio suscitet ira pede.*] Hoc est, quod etiam Seneca inter cætera irascentium signa commemorat lib. I. de Ira: *Et complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus, & totum concitum corpus.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

MVLTA *prius domina.*] Hæc elegia septem tantum distichorum est. Nam quatuor reiecimus in primam elegiam, vt suo loco indicauimus.

ET *crepitum dubio.*] Græci vocant ἐπιψοφεῖν.

NEQVICQVAM *perfusa meis.*] μάταιος. Iracundus, inquit, amator hoc dicit secum stomachabundus, *Nequicquam perfusa,* &c. Frustra igitur me ornaui amicæ. Nihil absurditatis erit etiam hæc ex persona ipsius poëtæ dicta videri.

IBAT *& expenso.*] Tibullus:

O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem!

ELEGIA V.

Hoc verum est, tota te ferri Cynthia Roma,
Et non ignota viuere nequitia?
Hoc merui sperare? dabis mihi perfida pœnas.
Et nobis Aquilo Cynthia ventus erit.
Inueniam tamen è multis fallacibus vnam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit,
Nec mihi tam duris insultet moribus, & te
Vellicet. heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens: nunc est discedere tempus.
Si dolor abfuerit, crede, redibit amor.
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.
Dum licet, iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte, dolebis.
Omne in amore malum, si patiare leue est.
At tu per dominæ Iunonis dulcia iura,
Parce tuis animis, vita, nocere tibi.
Non solùm taurus ferit vncu cornibus hostem,
Verùm etiam instanti læsa repugnat ouis.

Nec tibi periuro scindam de corpore vestes:
Nec mea præclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim lædere pollicibus.
Rusticus hæc aliquis tam turpia prælia quærat,
Cuius non ederæ circumiêre caput.
Scribam igitur, quod non vnquam tua deleat ætas,
Cynthia, forma potens, Cynthia verba leuis.
Crede mihi, quamuis contemnas murmura famæ,
Hic tibi pallori Cynthia versus erit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

HOC *verum est tota te ferri Cynthia Roma.*] Inuehitur in nequitiam Cynthiæ atque perfidiam, minatúrque se amorem aliò translaturum.

TE *ferri.*] pro differri & diffamari dictum accipe.

ET *nobis Aquilo Cynthia ventus erit.*] prouerbiale est. Signat enim sibi olim ventos secundos, propitiósque futuros & serenam tempestatem. In hanc sententiam ait Ouid.

Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.

Aquilo ventus est septentrionalis, qui ventorum saluberrimus est, vt scribit Plin. qui serenitatem facit, vt docet Gellius, qui ab Homero cognominatur Ethregenetes, quod vno verbo latino dici potest sudificus, quasi faciens sudum, hoc est, serenum.

INSVLTET *moribus.*] illudat, irrideat. Nam, vt ait Ser. insultare significat irridere inimicos, vel iniuriosius aliquid dicere: Hoc enim insultare est, vt docet Nonius: inde scrib. Tranquillus dixisse Cæsarem se insultaturum capitibus aduersariorum.

TE *vendicet.*] id est, vlciscatur. Quidam codices habent vellicet, & ita legendum est. Vellicare enim significat extremas corporis partes digitis vellere, & infestare pressando: vnde eruditi vellicare vsurpant pro eo quod est mordere, lacerare, criminari. A. Gellius in IIII. *Plura in Salustio inscite aut maligne vellicant.* Horat. in sermonibus:

Vellicet absentem Demetrius.

Sensus est: Inueniam ex multis puellis vnam, quæ non sit insolens ac superba, vt es tu, ô Cynthia, & quæ te tuósque mores fastosos reprehendat & culpet.

NON *ita Carpathiæ.*] animos amantium incertiores esse docet fluctibus marinis, quæ est Plautina sententia. Ita enim in Cistellaria loquitur iuuenis amator:

Maritimis moribus mecum expetitur amor.
Ita meum frangit amentem animum, mihi omnia ingenua sunt.
Quod iubet non iubet iam id continuo.

Carpathium mare dicitur à Carpatho insula, vt ait Seruius: de quo Lucilius,

Rhodos Carpathium in pelagus se inclinat apertum.

NEC *tu non aliquid.*] ad seipsum conuersus ait se quidem primo dissidio doliturum.

IVNONIS *iura.*] Iunonem in primis mulieres venerabantur, & nubentes eam variis cognominibus nuncupantes inuocabant: nam Interduca, Domiduca, Cinxia, & Vnxia vocitabatur, vt scilicet earum itinera protegeret, vt in optatas domos duceret, vt in postibus mariti vngendis, cingulo ponendo faustum omen præberet.

NON *solum taurus.*] ostendit non solum robusta animalia, qualis est taurus, sed etiam infirma, qualis est ouis, repugnare lædentibus aduersariis. Scitum est illud Agesilai dictum, qui cùm murem à puero captum vidisset momordisse manum detinentis, fugisséque. Conuersus ad amicos: *Quando*, inquit, *tam pusillus musculus sic eos excipit, à quibus iniuriam patitur, quid iuris faciundum sit, considerate.*

FREGERIT *ira fores.*] hoc ab amatoribus iratis fieri solet: vt fores amicæ excludentis perfringant. inde est illud Terentianum in Adelphis: *Fores effregit, restituentur: discidit vestem, resarcietur.*

CVIVS *non hederæ.*] id est, talia fiant à rusticis & indoctis, qui coronam poëticam non meruerunt. poëtis qui natura mites sunt minimè conueniunt, qui corona hederacea coronantur. Poëtæ enim vt scrib. Plin. coronis hederæ vtuntur, & illius potissimum hederæ, cuius semen crocatum est, folia minus nigra, quam quidam Bacchicam appellant, quæ maximos habet corymbos. Ita enim vocantur racemi hederæ fructum ferentes. Virg.

——*atque hac sine tempora circum*
Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

quod à Quin. repetitum est eleganter in X.

HIC *tibi pallori.*] versum illum intellige, quem præposuit videlicet:

Cynthia forma potens, Cynthia verba leuis:

quo in primis lapidatam esse vult Cynthiæ nequitiam.

IANVS DOVSA FIL.

INVENIAM *tamen è multis fallacibus vnam*
Quæ fieri nostro carmine nota velit.] *Tamen* hic interpretor tandem. quomodo & Nonius illud in Pacuuij Peribœa: *Tamen obfirmato animo mitescit metus* exponit.

NON *ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ,*
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quàm facilè irati verbo mutantur amantes.]

Sic infra Eleg. IX. de inconstantia muliebris animi:

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quàm citò feminea non constat fœdus in ira.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET *nobis Aquilo, Cynthia, ventus erit.*] & nobis erit ſuda tempeſtas. Prouerbium. Nam Aquilo ſudificus. vnde αἰθρηγενέτης. Horat. tamen de Leuconoto idem canit:

Albus vt obſcuro deterget nubila cœlo
Sæpe Notus——

CYNTHIA *forma potens Cynthia verba leuis.*] Beroaldus, vt & alia permulta in hoc poëta obſcuriſſima, hoc prætermittit. Et tamen luce magis indigebat, quam ea, quæ ille deſultorio ſuo B more ſcribendi iactat, quæ & pueris nota ſunt. Nam quis eſt hodie, qui hunc verſum intelligat? nemo profecto, vt libere fatear, quod ſentio. An, Cynthia eſt forma potens, hoc eſt formoſa? vt illi obiiciat, formæ eius adiunctam inconſtantiam? Ita igitur intelligemus: O Cynthia tu forma quidem potens es, tu es potens venuſtas, ſed in verbis leuiſſima. At ſi hoc intellexiſſet Propertius, magis probarem, quod adoleſcentuli excogitaueramus:

Cynthia formipotens, Cynthia verbilenis.

quod ſane diu arriſit nobis. Sed nolumus affir- C mare ita Propertium ſcripſiſſe. Putamus igitur parua admodum licentia legendum:

Cynthia forma potens Cynthia verba lues.

aut *luis*. quod propius lectionem accedit. *Cynthia forma*, & *Cynthia verba*, vt flumen Rhenum, Stertinium acumen Horatio, Parnaſus honos Statio. Pulchre igitur comminatur formæ damna periurij ex veterum religione, qui putabant χωλόν τι ποιεῖν ὅς κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ. Sic infra:

Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.

In declamatione antiqua in Ciceronem: *vxor periuriis debilitata.* Horatius:

Vlla ſi iuris tibi peierati
Pœna, Barine, nocuiſſet vnquam,
D *Dente ſi nigro fieres, vel vno*
Turpior vngui:
Crederem, ſed tu ſimul obligaſti
Perfidum votis caput, eniteſcis
Pulchrior multo, iuuenúmque prodis
Publica cura.

Vide neceſſario elegiam Ouidij,

Eſſe Deos credamne?

libro tertio. Quod autem periurium illi obiici verum ſit, planum fit iis, quæ ſuperius dixit:

Nec tibi periuro ſcindam de corpore veſtes.

Deinde, *pallori*, hoc eſt, tremori, propter religionem violati iuris, aut periurij, quamuis videatur pro pudore accipere. Ait enim E

——quamuis contemnas murmura famæ,

hoc eſt, quamuis non pudeat te famæ. Mirum igitur affectum pro affectu accepiſſe, pallorem pro rubore.

ELEGIA VI.

NON ita complebant Ephyreæ Laidos ædes,
Ad cuius iacuit Græcia tota fores:
A *Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim*
Tanta, in qua populus luſit Erichthonius:
Nec quæ deletas potuit componere Thebas
Phryne, tam multis facta beata viris.
Quin etiam falſos fingis tibi ſæpe propinquos: B
Oſcula nec deſunt qui tibi iure ferant.
Me iuuenum facies pictæ, me nomina lædunt,
Me tener in cunis, & ſine voce puer:
Me lædit, ſi multa tibi dedit oſcula mater,
Me ſoror, & cum qua dormit, amica ſimul.
C *Omnia me lædent. timidus ſum. ignoſce timori.*
Et miſer in tunica ſuſpicor eſſe virũ.
His olim, vt fama eſt, vitis ad prælia ventum eſt:
His Troiana vides funera principiis:
Aſpera Centauros eadem dementia iuſſit
Frangere in aduerſum pocula Pirithoum.
D *Cur exempla petam Graiûm? tu criminis auctor*
Nutritus duro Romule lacte Lupæ:
Tu rapere intactas docuiſti impunè Sabinas.
Per te nunc Roma quidlibet audet Amor.
Felix Admeti coniux, & lectus Vlyſſis,
Et quæcunque viri femina limen amat.
E *Templa Pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis,*
Si cuiuis nuptæ quidlibet eſſe licet?
Quæ manus obſcœnas depinxit prima tabellas,
Et poſuit caſta turpia viſa domo;
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiæque ſuæ noluit eſſe rudes.
Ah gemat in terris, iſta qui protulit arte

Iurgia sub tacita condita lætitia. A
Non istis olim variabant tecta figuris,
Cùm paries nullo crimine pictus erat,
Sed nō immeritò velauit aranea fanum,
Et mala desertos occupat herba deos.
Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil inuitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia tuta sat est.

PHILIPP. BEROALD. BON.

NON *ita complebant Ephyreæ Laidos ædes.*] impudicitiam Cynthię taxat dolenter & acerbè, cùm dicit illius domum ab amatoribus non minus fuisse frequentatam, quàm Laidos, & Thaidos, & Phyrnes meretricum domicilia à scortatoribus frequentarentur.

EPHYREÆ *Laidos ædes.*] Lais famosissima meretrix ex Sicilia in Pelopōnesum adhuc puella deducta fuit, vt scribit Plutarchus in Nicia: dicta est à scriptoribus Corinthia, quia Corinthi habitauit. hæc est illa Lais ad quam propter elegantiam, venustatémque formæ conuentus ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant, neque admittebatur, nisi qui dabat quod poposcerat: poscebat autem, vt docet Gellius, nimiam quantitatem: & cùm olim à Demosthene poposcisset decem millia drachmarum, auditum est illud egregium dicterium: *Pœnitere tanti non emo.* de hac Ouid.

——multis Lais amata viris.

Ephyream vocat poëta: quoniam Corinthus alio nomine Ephyre dicta est, auctores Plin. & Gellius.

MENANDREÆ *Thaidos.*] Menander in scribenda Comœdia absolutissimus fuit apud Græcos, & vnus omnium optimè affectus expressit, vt scribit Fabius. Hic celebrauit Thaida scortum nobilissimum: Vnde Thais Menandræa meruit appellari, & apud Martial. tale lemma est Menandri Thais:

Hæc primum iuuenum lasciuos lusit amores.

Iuuentus Attica istius domum frequentabat. Inde dictum est à Mart.

Thaida nocte volo.——

POPVLVS *Erichthonius.*] id est, Atheniensis ab Erichthonio rege Vulcani & Mineruæ filio, qui ab Homero Erichtheus vocatur. Scribit Plato in Critia Erichthonium nomen esse priscorum Atticorum. Quadrigas primus, teste Pli. iunxit Erichthonius. Idem ludos instituit in Attica, vt ait August. in XVIII. de Ciuitate Dei. Similiter à Manilio Athenienses Erichthonij dicuntur illo versu:

Qualis Erichthonios pestis populata colonos.

Menander centum & octo fabulas scripsisse fertur, vt tradit Gellius: & in certaminibus comœdiarum ambitu, gratiáque & factionibus sæpe vincebatur à Philemone æmulo, vt docet Apuleius in floridis. Hinc exiit illud Epigrammatici poëtæ:

Rara coronato plausêre theatra Menandro.

Scribit Eusebius Chronographus Menandrum superasse, dum primam fabulam cognomento Orgen tradidisset.

COMPONERE *Thebas Phyrne.*] Phyrne Thespiensis fuit, quæ ciuitas est Bœotiæ, vt ait Strabo, elegantia formæ laudatissima. In iudi- B cium olim vocata non tam oratione Hyperidis absoluta fuit, quam pulchritudine corporis, quod pulcherrimum denudauit: & ita forma persuasit iudicibus, vt absolueretur, sicut docet Quin. Hæc incensa cupiditate habendi signi, quod pulcherrimum putaret Praxiteles, visa est hac calliditate: subornauit quendam, qui Praxiteli secum colloquenti nunciaret eius domum conflagrare, quo audito Praxiteles, modo inquit Cupidinis statua superfit, leuis est iactura: & ita Phyrne hoc commento cognouit Cupidinem pulcherrimum esse, quē ipsa deinde Thespiensibus dedit, vt scribit Pausanias. Refert Strabo in IX. à Glycerio meretrice non à Phyrne C illum Praxitelis Cupidinem fuisse consecratum, propter quem Thespiæ visebantur, vt Cicero in sexta Verrina, & Plin. in XXXVI. tradiderunt. Erat autem id signum Cupidinis marmoreum. Potuit ergo Phyrne componere Thebas deletas sua scilicet formositate, cuius fruendæ causa Thebas omnes confluebant, quas deletas appellat poëta, quoniam à Philippo Thebani male mulctati fuerunt, & mox ab Alexandro Thebæ dirutæ, & captiui sub corona venditi. Auctores Iustinus & Plutarchus. Potes hoc referre ad diuitias Phyrnes, quas quæstu meretricio comparauerat, quibus Thebas potuisset in pristinam D opulentiam reuocare.

OSCVLA *nec desunt.*] scribit Cato ideo propinquos fœminis osculum dare, vt scirent an temetum olerent, hoc tum nomen vino erat, vnde & temulentia appellata. idem referunt Plin. in XIIII. & Gel. in IX.

AD *prælia ventum.*] nam, vt inquit, Horat. fuit ante Helenam cūnus teterrima belli causa.

EADEM *dementia iussit.*] id est, idem furor amoris iussit Centauros torquere pocula conuiualia in Pirithoum, quod factum est, dum amore & mero stimulantibus Hippodamen rapere E conarentur: vnde dixit Virg.

Et magno Hyleum Lapithus cratere minantem.

& de Centaurea pugna loquens Flaccus ait in I.

——crateres mensæque volant, atque deorum,
Poculáque.——

NVTRITVS *duro.*] Romulus & Remus ita nominati fuerunt ab eo quod lupa infantibus præbuerit mammam, quæ antiquo vocabulo ruma dicebatur, vt docet Plutarchus in Romulo: inde inuenies dici agnos & hædos subrumos à vetustissimis scriptoribus, quando sunt sub mamma, hoc est sub ruma.

Tv *rapere intactas docuisti.*] nemo est qui nesciat Romulum petisse à finitimis connubia: quibus denegatis ipse ludos simulauit, ad quos spectandos cum omnium circa vicinorum vtriusque sexus multitudo confluxisset, & in primis Sabinorum, Sabinarúmque magnus numerus aduentasset, dato à Romulo signo, iuuentus Romana discurrit ad mulieres rapiendas. Quidam tradunt triginta tantummodo raptas fuisse, à quibus Romanæ curiæ nomen acceperunt: Alij supra quingentas: Alij supra sexcentas raptas fuisse memoriæ prodiderunt.

Felix *Admeti coniux.*] Alceste intelligitur: quæ maritum Admetum tanto amore dilexit, vt pro eo perire non recusauerit: quod facere parentes Admeti noluerunt: quod facinus tam præclarum à diis iudicatum est, vt ei reuiuiscendi munus concesserint. auctor Plato in Symposio. Meminit & Valerius in quarto. inde à Iuuenale dictum est, *Spectant subeuntem fata mariti Alcesten.* de hac ita scribit Hieronymus: *Alcesten fabulæ ferunt pro Admeto sponte defunctam.*

Et *lectus Vlyssis.*] propter Penelopen præconio castitatis illustrem.

Templa *pudicitiæ.*] frustra inquit Romæ facimus templa deæ Pudicitiæ, si cuilibet nuptæ facere licet quicquid libet. Romæ templum erat pudicitiæ patritiæ, à cuius sacris plebeiæ arcebantur: & cum olim Virginia Auli patritij filia viro plebeio nupta id templum ingressa esset, & per altercationem excluderetur à patritiis tanquam plebeia, exarsit in indignationem muliebrem, & in vico, vbi habitabat, sacellum fecit, ibique aram posuit, & conuocatis plebeis matronis conquesta iniuriam patritiarum: *Hanc ego aram*, inquit, *Pudicitiæ plebeiæ dedico*, & pudicitia plebeia à plebeis spectatæ pudicitiæ matronis coli cœpta est. Postremo hæc religio vulgata à pollutis fœminis venit in obliuionem. auctor Liuius in x.

Si *cuius nupta.*] cuiuis legendum est, & accipitur pro cuicunque & cuilibet, siue plebeiæ siue patritiæ.

Qvæ *manus obscœnas.*] impudicitiæ originem assignat picturis obscœnis, quas spectantes corrumpuntur, hinc est illud Terent. in Eunucho: Suspectans tabulā quedā pictā vbi inerat pictura quemadmodum scilicet Iuppiter Danaem corruperat: & concludens ait: *Ego homuncio hæc non facerem: ego vero id ita feci libens.* Quod exemplum repetitum est à diuo August. in II. de Ciui. dei. & Tiberius, teste Tranquillo, cubicula adornabat tabellis lasciuissimarum picturarum: vt aspectu deficientes libidines excitaret.

Cvm *paries nullo crimine.*] olim inquit non fuerunt figuræ obscœnæ in domibus priscorum. & nullus paries habebat imagines lasciuas depictas. M. Cato Censorinus villas suas inexcultas & rudes: ne tectorio quidem exornatas fuisse dicit. Antiqui non excolebant parietes domesticos picturis: vnde ait Plin. in xxxv. *Nulla in Apellis tectoriis pictura erat: nondum libebat parietes totos pingere.* Arellius pictor scorta pingebat: crimen appellat Propert. picturam obscœnā in pariete, quæ causa solet esse impudicitię muliebris.

Velavit *aranea fanum.*] dicit merito araneas telis suis tegere templa deorum, ne scilicet visantur picturæ lasciuæ, quibus etiam templa exornabantur. in hanc sententiam ait Diuus Hiero. *Fuligine & aranearum telis omnia Romæ tēpla cooperta sunt.* Fana dicuntur templa à Diis Faunis, qui solēt diuinare, vt autumat Mar. Capella. existimat Festus à fando nominari, quia dum pontifex maximus templa dedicat, quædam verba religiosa fatur. Scribit Probus Faunum primum ædificia numinibus, lucosque sacrasse: à quo fana dicta sint.

Qvos *custodes.*] propter illud Satyricum:

—— sed quis custodiet ipsos
Custodes? cauta est, & ab illis incipit vxor.

Et illud Hiero. *Pudica seruari non debet: impudica non potest.*

Mala *herba*] qualis est herba vrceolaris vocata, quam aliter parthenium nuncupant & perdicium, nascens in tegulis, parietinisque: qualis & hedera, quæ suo complexu cuncta necat: & antiquitus (teste Plutarcho) è templis amouebatur. Scribit Sextus Aurelius quod Cōstantinus solitus erat appellare Traianum herbam parietariam ob titulos multis ædibus inscriptos. Merito, inquit poëta, imagines deorum desolatas occupari, integique ab herba parietaria, cum ex pictura deorum obscœna sint claustra pudicitiæ Romanæ perfracta: & pudor expulsus.

Limina.] limis transuersum significat, vt ait Donatus: vnde est illud Solini de Leonibus: *Nunquam limo vident*: quod accipitur pro oculis limis & transuersis. inde limen dicitur, quod transuersum est ingredientibus, & exeuntibus.

M. ANT. MVRETVS.

Non *ita complebant.*] de meretricibus, quæ hic nominantur, multa iucundissima leguntur apud Athenæum lib. XIII. quibus referendis, breuitatis caussa, supersedeo. vnum de Phryne præterire non possum, quam Beroaldus & Volscus Phyrnen inepte nominant, neque historiam, quæ hic à Propertio tangitur, vident. eam vero exponit Athenæus his verbis, ἐπλούτει δὲ σφόδρα ἡ Φρύνη, καὶ ὑπισχνεῖτο τειχιεῖν τὰς Θήβας, ἐὰν ἐπιγράψωσι Θηβαῖοι, Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη ἡ ἑταίρα.

Me *soror.*] versus hic àntea ita legebatur,

Me soror, & cum qua dormis amica simul.

neque animaduertebant, qui hanc scripturam sequebantur, mendum inesse in verbo, *dormis*, vel in puero scutica dignum. *dormit*, & in meo vetere libro legitur, & omnino legendum est. hoc autem dicit, Et soror tua lædet me, & amica, cum qua simul ipsa dormit.

IANVS DOVSA FIL.

Non *ita complebant Ephyreæ Laidos ædes,*
Ad cuius iacuit Græcia tota fores.]

Plutarchus in Amatorio: ἐς Ἀθήνας ἀκοῇ παῖδα τὴν ἀοίδιμον ἐκείνην καὶ πολυήρατον, ὡς ἐπεφλέγετο πόθῳ τὴν Ἑλλάδα, μᾶλλον δὲ ταῖς δυσὶν ἦν ἀξιομάχητος θαλάσ-

[illegible]. quo videtur respexisse Claudianus lib. 1. in Eutropium:

Haud aliter iuuenum flammis Ephyreia Lais
E gemino ditata mari

Lubet & sequentia attexere vt illustrem:

——cùm serta refudit
Canities, iam turba procax, noctísque recedit
Ambitus, & raro pulsatur ianua tactu,
Séque reformidat speculo damnante senectus,
Stat tamen atque alias succingit lena ministras.

Idem enim de Laide tradit & Synesius in Epistola quadam, vbi inter cætera ait: ἢ [illegible] τεῖχος. ὡς ἐπειδὴ τὴν ἐργασίαν ὑπὸ χαλκῷ [illegible] τοῖς ἐν ἡλικίᾳ [illegible] ἢ τοῖς ξένοις [illegible].

M E *soror, & cum qua dormit amica simul.*] ἀκολουθίαν sermonis considera, & nihil verius arbitrabere emendatione nostra:

Me soror, & cum quæ dormit amica simul.

quasi dicat: me lædit etiam amica aliqua tua, cùm tecum dormit ô Cyntia. ineptum enim esset, cùm proximo versu sermonem ad ipsam direxerit, subito velut sui oblitum loqui de ea in tertia persona.

O M N I A *me lædent.*] malim: *lædunt.*

IANVS DOVSA PATER.

T V R B A *Menandreæ fuerat nec Thaidos olim Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.*] Lusit eadem phrasi Catullus:

Et domus, in qua olim lusimus, & domina.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

H I S *olim, vt fama est vitiis.*] Hæc quatuor disticha alio traduximus, vt suo loco indicabitur.

Q V A M *peccare pudet.*] Hic claudenda elegia.

ELEGIA VII.

Gavisa est certè sublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta, flemus vterque diu,
Ne nos diuideret. quamuis diducere amantes
Nō queat inuitos Iuppiter ipse duos.
At magnus Cæsar. sed magnus Cæsar in armis.
Deuictæ gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quàm possem nuptæ perdere amore faces.
An ego transirem tua lumina clausa maritus
Respiciens vdis perdita luminibus?
Ah mea tum quales caneret tibi Cynthia somnos
Tibia, funesta tristior illa tuba?
Vnde mihi patriis natos præbere triumphus?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quòd si vera meæ comitarem castra puellæ,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi Cynthia solus.
Hic erit & patrio sanguine pluris amor.
Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica.
Semper amica mihi, semper & vxor eris.

PHILIPP. BEROALD. BON.

G A V I S A *est certe sublatam Cynthia legem.*] Cæsar Augustus leges partim retractauit, partim ex integro sanxit, vt legem Iuliam de adulteriis: vnde ait Iurisconsultus, lex Iulia ab Augusto Cæsare lata est, & legem de maritandis ordinibus, quam cum ferret, præ tumultu recusantium perferre non potuit. auctor Tranquillus. De hac nunc loquitur Propertius. qua lege edicta se & Cynthiam diu mœstos fuisse significat: quæ cum sublata fuisset, Cynthiam gauisam esse demonstrat.

S T E M V S *vterque diu.*] signat se cum Cynthia complexum diu stetisse: vbi promulgata fuit lex de maritandis ordinibus ab Augusto: quam tamen non pertulit: qui etiam sanxit legem de pudicitia: verum Cæsar, inquit, sua lege nos diuisit: quámuis tamen nec Iuppiter possit diuidere amantes mutuo amore copulatos. In quodam codice legi flemus, vt sit sensus, Propertium diu plorasse cùm Cynthia ob legis edictum.

D I D V C E R E.] id est, diuidere & separare.

I V P P I T E R *ipse.*] vel re vera Iuppiter, vel Augustus intelligitur, qui præsens Diuus habebatur, vt inquit Horat.

N V P T Æ *perdere amore faces.*] prius mori paterer, quàm perdere amorem amicæ amore vxoris. Faces appellat illud amoris incendium quo flagramus in amica, cùm in vxore nihil sit simile:

ſimile: vnde dixit Verus imperator: *Vxor nomen eſt dignitatis non voluptatis.* Altera lectio eſt: *Nuptæ perdere in ore faces.* & erit ſenſus: Malo mori quam ducere vxorem. In nuptiis enim quinque faces adhibebantur ex ſpina alba, quoniam inde fecerunt paſtores quando rapuerunt Sabinas, quæ præferebantur à pueris patrimis & matrimis, vt Feſtus, Plin. & Plutarchus tradiderunt, & nos alibi dicemus vberius. Ille ergo qui ducit vxorem perdit faces in ore, hoc eſt, ante faciem nouæ nuptæ: quoniam ſcilicet accenſæ flagrant. Quidam codices habent, more: idem tamen eſt ſenſus: Maritus ducta vxore prout lex iubebat de maritandis ordinibus lata, & apud Romanos lege cenſoria notabantur cælibes: & Plato ſcribit in legibus, Eos qui vxores ducere nolint eſſe mulctandos.

Tibia *funeſta triſtior.*] ſenſus eſt: Excluſus propter ductam vxorem à limine tuo Cynthia cantarem ante fores noctu carmen funebre, quale ſcilicet cantari ſolet defunctis tuba funeſta. Scribit Gellius Siticines appellatos eſſe tubicines, qui apud ſitos canere ſoliti eſſent, hoc eſt vita functos & ſepultos. inde dixit Perſius:

Hinc tuba candelæ.

Iubet religio, auctore Lactantio, vt maioribus mortuis tuba, minoribus tibia canatur. hanc tubam poëta funeſtam appellat, quoniam funeribus adhibebatur. Funus vero ſignificat proprie pompam exequiarum, dictum à funalibus, quoniam noctu efferebantur cadauera: auctor Donatus.

Vnde *mihi patriis natos præbere triumphis.*] ex eodem ducta eſt argumento, ex quo & ſuperior adeo, vt non diſiuncta, ſed connexa eſſe videatur. in principio vſus eſt apoſiopeſi, hoc eſt reticentia, quæ familiaris eſt indignantibus: ſuppreſſit enim per indignationem verbum decet, vel opus eſt, vel aliquod ſimile: quaſi dicat nolo ex coniugio natos præbere patriæ militares & bellicoſos, cùm ipſe caſtrenſem oderim diſciplinam ſine contubernio puellarum.

Comitarem.] priſci comito dicebant & comitor. Ouid.

Pirithoum Theſeus Stygias comitauit ad vndas.

Castoris *equus.*] Cyllarum intelligit. Caſtor enim & Pollux à Iunone muneris nomine acceperunt equos duos Xanthum, & Cyllarum: quos, teſte Probo, Neptunus donauerat Iunoni. Cyllarus clariſſimus eſt monumentis poëtarum: de quo ait Flaccus.

Paſſus amyclæa pingueſcere Cyllaron herba.

ſenſus eſt poëtæ: Cyllarum non futurum præ deſiderio ſuo ſatis magnum, neque ſatis velocem ad caſtra petenda, ſi in caſtris puellæ quoque militarent.

Hinc.] id eſt, ex amore mihi nomen partum eſt, & gloria propagata vſque ad penitiſſimas nationes, quas per Boryſtenidas intelligi voluit. Eſt autem Boryſtenes fluuius Scythiæ ſecundum Iſtrum omnium maximus, cuius aquæ ad potandum ſunt ſuauiſſimæ, vt auctor eſt Hero. in Melpomene. ſcribit Soli. in Polhiſtore, piſces egregij ſaporis gigni in Boryſtene, quibus oſſa nulla ſunt, nec aliud quam cartilagines

A tenerrimæ: inde Boryſtenidas appellat poëta populos Scyticos, & accolas ipſius Boryſtenis, qui dicuntur hyberni: propter quod ſunt ſub ſeptentrionibus, & hyberno frigore premuntur.

Hic *amor.*] facio, inquit, pluris hunc Cynthiæ amorem, quam liberos ex coniugio ſuſceptos, qui dicuntur ſanguis patrius.

IANVS DOVSA FIL.

Nam *citiùs paterer caput hoc diſcedere collo.*] Scripſerim libens: *abſcedere.*

Hic *erit & patrio ſanguine pluris amor.*] Huc
B pertinet illud eiuſdem:

Neſcit amor priſcis cedere imaginibus.

IANVS DOVSA PATER.

Nam *citius paterer caput hoc diſcedere collo,*
Quam poſſum nuptæ perdere amore faces.]

Id eſt, deſiderium tui deponere atque impendere amori coniugali, eâque ratione perdere & corrumpere voluptatem, quam hactenus ex tua iucundiſſima conſuetudine percepi. Priorem autem verſum imitatus videtur Ouidius, cùm ſcribit:

Ante receſſiſſet caput hoc ceruice cruenta
C *Quàm tu de thalamis abſtraherere meis.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Perdita *luminibus.*] Melius ſcriptus liber, *prodita.*

Ah *mea tum quales caneret.*] Hæc omnia peruerſa ſunt, & in officina Beroaldi cuſa, qui multa, quæ non intelligebat, corrupit. Scriptura enim plane habet:

Aut mea quum tales caneret tibi, Cynthia, ſomnos:

Hæc omnia igitur ita interpungenda:

Nam citius paterer caput hoc diſcedere collo,
D *Quam poſſem nuptæ perdere amore faces,*
Aut ego tranſirem tua limina clauſa maritus
Reſpiciens vdis prodita luminibus,
Aut mea quum tales caneret tibi, Cynthia, ſomnos
Tibia, funeſta triſtior illa tuba.

Citius morerer, inquit, quam amorem meum nuptiis mutarem, aut tranſirem reſpiciens tua limina maritus factus, aut canente tibi ſomnos nuptiali tibia. Tibiam intelligit nuptialem, qua nouam nuptam mariti domum deducebant, noctu. Tunc enim deducebatur nupta, quum iam concubia nox eſſet. Itaque dicit ὑπνωτικῶς. quum mea tibia induceret tibi ſomnos. Atqui contra vult. Ea tibia enim ipſi potius adimeret, quum
E audiret nouæ nuptæ amore amicum Propertium ſibi ademptum. Alluſum autem ad cantum, quem καθυπνωτικὸν, ἢ καλαμαυλίαν vocabant, quo Mercurius Argum oculatum ſomno depoſuiſſe dicitur.

Tibia *funeſta.*] Ouidius pene idem de eadem re.

At ſubito noſtras vt hymen cantatus ad aures
Venit, & accenſo lampades igne micant:
Tibiáque effudit ſocialia carmina vobis,
At mihi funeſta triſtior illa tuba.

QVOD *si vera mea comitarem castra puella.*] Vbi A aliquis egregius antiquitatis thesaurus est, ibi manus suas ab aliquo insigni flagitio non abstinuerunt temeratores isti. Tamen antiqua iam est huius loci labes. Nam ita habet & vetus scriptura. Sed non dubium quin corrupte, quum legendum sit: *Quod si Romana comitarent castra puellæ,* &, vt ingenue fatear, liber noster habebat *comitarent*, non *comitarem*. Præterquam quod iste mos antiquus Romanorum notissimus est, testatur & Propertius ipse alibi:

Romanis vtinam patuissent castra puellis:
Essem militiæ sarcina fida tuæ.

Quam dolendum erat hæc ita corrupta esse?

HIC *erit & patrio sanguine.*] Post hunc versum B pone distichon quod alterius elegiæ calce positum est, vt hanc elegiam claudat: VXOR ME NVNQVAM, NVNQVAM ME DVCET AMICA. Quis negabit recte huc tranlatum?

ELEGIA VIII.

ERIPITVR *nobis iam pridem cara puella,*
Et tu me lacrymas fũdere amice vetas?
C *Nullæ sũt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ.*
Ipsum me iugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modò dicta mea est?
Omnia vertũtur, certè vertũtur amores:
Vinceris, aut vincis. hæc in amore rota est.
D *Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni:*
Et Thebæ steterũt, altáque Troia fuit.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci!
Illa tamẽ nunquam ferrea dixit, amo.
Ergo iã multos nimiũ temerarius annos,
Improba qui tulerim téque, tuámque domum:
Ecquando ire tibi liber sum visus? an vsque
In nostrũ iacies verba superba caput?
Sic igitur prima moriere ætate Properti:
Sed morere, interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manes, sectetur & vmbras,
Insultétque rogis, calcet & ossa mea.
A *Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon*
Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies: mecum moriaris oportet;
Hoc eodẽ ferro stillet vterque cruor.
B *Quamuis ista mihi mors est inhonesta futura,*
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fuga tractos in littore Achiuos,
Feruere & Hectorea Dorica castra face:
C *Viderat informem multa Patroclon arena*
Porrectum, & sparsas cæde iacere comas.
Omnia formosam propter Briseida passus.
Tantus in erepto sæuit amore dolor.
D *At postquam sera captiua est reddita pœna,*
Fortem illum Æmoniis Hectora traxit equis.
Inferior multo cùm sim vel Marte, vel armis,
Mirum si de me iure triumphat Amor?

PHILIPP. BEROALD. BON.

E ERIPITVR *nobis iam pridem cara puella.*] plena doloris Elegia, qua amantis insanus furor exprimitur, conquerentis, lamentantisque sibi ereptam esse à riuale Cynthiam. hoc dolet insolabiliter, hoc ingemiscit ardenter, hoc deplorat impatienter, & mortem sibi & Cynthiæ minitatur.

OMNIA *vertuntur.*] iuxta illud Terentianum:
Omnium rerum vicissitudo est.

HAEC *in amore rota est.*] de amoris rota ita loquitur Plautinus amator in Cistellaria. *Iactor, crucior, agitor, stimulor, versor in amoris rota miser.*

Quemadmodum rota siue pila Fortunæ ascribitur, ita Amori quoque assignatur: quæ cum assiduò rotatu circumagatur necessum est eos, qui in summo fastigio fuerint, aliquando in imum præcipitari: & hoc probat exemplis regum, quos fortuna deduxit in præceps, & pessundedit. Talis fuit apud Lydos, Crœsus: apud Romanos, Pompeius: apud Numidas, Iugurtha, & id genus sexcenta exempla ab historicis memorantur, sicuti & nos perscripsimus in illo Elegiaco carmine de fortuna, quod sub tuo nomine editum passim legitur.

Et *Thebæ steterant.*] ita Ouid.

Oediponiæ quid sunt nisi nomina Thebæ:

antiqui laudarunt Thebas Bœotias, quas Heptapylos vocat Apuleius, ab eo quod septem portas habebant, quarum nomina refert Lactã. Hæ Thebæ claritate Athenis non cedebant, vt ait Plin. claræ duobus diis alumnis Hercule & Libero patre. inclytæ duobus ducibus Epaminonda, & Pelopida fuerunt: & Thebæ Ægyptiæ memorabiles, quas centum portis extructas celebrat Home. his versibus:

Has centum claudunt portæ, tum quæque ducentis
Porta viris seruatur, equis vectantur, & altis
Curribus.——

Hoc oppidum dixit Plin. totum fuisse pensile, solitis regibus educere exercitus armatos nullo oppidanorum sentiente: fuit & Thebæ in Troiade patria Andromaches, ex qua capta fuit Chryseis, vt docet Stra. in XIII. Præterea Thebas Lucanas interisse, auctor est Cato. Thebas accipe in hoc loco Bœotias potius quam Aegyptias vt pote celebratiores.

Nimium *temerarius.*] extrinsecus subintelligendum est verbum fui. Nam, est, erat, & fuit plerúmque absunt cum elegantia absque detrimento sententiæ, vt tradit Gel.

An *vsque in nostrum.*] cum indignatione pronunciandum.

Insultetque *rogis.*] supra diximus quod insultare significat irridere, & iniuriosius aliquid dicere. hîc insultet accipe in eo significato, quo accipitur illud Virgilianum:

Equitem docuere sub armis Insultare solo.

quod ut exponit Nonius significat insilire.

Rogis.] antiquissimum sepulturæ genus fuit corpus terræ reddere, vt ait Cic. in secundo de legibus. institutum deinde est cremare postquam longinquis bellis obrutos erui cognouerunt. in gente Cornelia primus Sylla dictator crematus fuit igni. siti dicuntur hi qui conditi sunt: humatus humo contectus: sepultus quoquo modo conditus. vt docet Plin. in VII. Rogus proprie significat congeriem lignorum, hoc est pyram, cùm cœperit ardere, vt tradit Ser. lex duodecim tabularum ait: *In vrbe ne sepelito, néve vrito, ne plus facito rogum, ne polito, verrito:* per quæ verba præcipiebatur rogum non esse sumptuosum factitandum, neque de lignis politis, quæ haud dubie pretiosiora sunt.

Quid *non Antigones tumulo.*] seipsum exemplo Antigones & Hæmonis hortatur ad Cynthiam secum iugulandam vt ambo corruant, sicut Hæmon & Antigona similiter occubuerũt. Antigone filia Oedipodę & Iocastę, soror Theoclis & Polynicis celebrata est monumẽtis Statij & Senecæ apud Latinos: & Sophoclis & Euripidis apud Græcos. Hæc dum Polynicem fratrẽ defunctum furtim noctu sepelire molitur, adiuuante Argia vxore ipsius Polynicis, fuit deprehensa à custodibus Creõtis, qui edicto vetuerat cadauera Gręcorum sepeliri, & pœnam mortem addiderat præuaricatori. vnde ait ipse apud Statium: *Aut nece facta luam.* Iussu itaque Creõtis iugulatur Antigone. Hæmon Thebanus iuuenis, qui eam impatienter amabat, sibi mortem consciuit ad tumulum Antigones, perfosso pectore gladio, nec superstes esse voluit puellæ: in cuius pectore, vt inquit Plato, viuit animus amatoris: nec sine Antigona voluit domũ repedare.

Mors *est inhonesta futura.*] cur inquit Arist. in problema, mulierem interfecisse iniquius est quam virum: Quanquam naturæ ratione mas fœmina præstantior est: an quia mulier imbecillior est, minusque ideo facere iniuriam potest: item eniti aduersus quod infirmius est nihil virile, immo stolidum atque iniquissimũ est? merito Propert. mortem mulieris iugulatæ inhonestam sibi futuram non inficiatur, sed cum moriẽtibus commori dulce sit, eam affirmat secum morituram. quod turpe sit fœminam occidere, testis est Aeneas Maronianus, qui ita loquitur apud Virg.

——nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna est: nec habet victoria laudem.

Abrepta *desertus coniuge.*] Achilles amauit formosam Briseida, quam cum Agamemnoni dare compulsus esset, indignabũdus noluit amplius contra Troianos inire certamẽ, & tãtisper abstinuit prælio propter ereptam puellã, donec Patroclus ab Hectore interficeretur: Tũc Achilles vt amicissimi obitum vlcisceretur, recõciliatus est Agamemnoni, qui Briseida intactam cum regiis muneribus remisit Achilli in pugnam festinanti aduersus hostes, nec prius quieturo quã Hectorem interemisset, à quo Patroclus fuerat occisus. hęc traduntur pluribus versibus ab Homero, apud quem cum voles legere poteris, & in primis in XIX. Iliados. Exemplo itaque Achillis ostendit Proper. quantus sit dolor & indignatio amoris erepti: dicitque Achillem non prius in certamen prodire voluisse, quam sibi sit Briseis Hippodamia reddita ab Agamemnone, cùm tamen mors Patrocli fuerit potissima causa vt pugnam contra Troianos capesseret.

Feruere *& Hectorea.*] Hector viribus excellens, & fauore numinis fretus inuasit Gręcos, quibus fugatis ad castra & naues accessit, quas facibus incendisset, nisi Iuno Agamẽnoni consilium dedisset periculi propulsandi, vt scribit Home. in VIII. Iliados, & Virg. dixit in II.

Et Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignes.

Feruere media correpta prolatum est more priscorum, qui feruo feruis dicebãt, vt docet Quint. vnde ait Lucilius, *Feruet enim & feruit.*

Et Virg. *Feruere Leucatem.*

Dorica *castra.*] id est. Græcorũ à Doro Neptuni filio, vt ait Ser. ita Vir. *Iuuat ire & Dorica castra.* scribit Strabo Dorum Hellenes filium Dorienses iuxta Parnasum constituisse, & à suo nomine

appellitasse: qui & in Cretam duce Doro venisse A dicuntur à Diod. in VI. Bibliothecæ.

HECTORA *traxit equis.*] Hectora tractum fuisse ab Achille notissimũ est versu Virgiliano,

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

scribit Hom. in XXII. Iliados Hectoris cadauer ab Achille alligatum fuisse currui vtriusque pedis neruis perforatis à calcaneo vsque ad talum, & immisso loro bubulo, caput in terram pendebat, & equis procurrentibus flaua Cæsaries per puluerem trahebatur. Equos Hæmonios intelligit Xanthum & Balium, qui currum Achillis ducebant: genitos ex Podarge equæ pernicissima, Olim Iuno Xanthum vocalem reddidit, vt ait Home. propter hos dictum est à Virgi. B

Et magni currus Achillis.

IANVS DOVSA FIL.

VIDERAT *informem multa Patroclon arena Porrectum.*] Imitatio Homerica est. sic enim ille Il. ν.

Βλεῖψε δ' οἱ εἶλα γύαλ', οὐδ' ὅπως ἐξελύσθη.

Agathias Scholasticus Anthol. I.

——ν δ' εἴρετο θῦνον ὄμπνον,

Πῶς τ' ἀμφιμίδλω ἐξεκύλισσε πόδας.

Martialis lib. I.

Et volucrem longo porrexit vulnere pardum.

IANVS DOVSA PATER.

TANTVS *in erepto sæuit amore dolor.*] Hoc est, ob ereptum sibi amorem nempe Briseida. Sic & infra:

IN *te ego & ferratas rumpam, mea vita, catenas.*] Id est, propter te tuique amoris gratia. cui explicationi asserendæ vehementer fuerit locus iste Ciceronis ex VII. Epistol. *In primisque me delectauit tantum studium bonorum in me stetisse contra incredibilem contentionem clarissimi & potentissimi viri.*

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

NEC *mea dicetur quæ modo dicta mea est.*] Ab hoc versiculo repone distichon ex libro III. Elegia PLAVSVS *ab vmbroso.* Cuius distichi initium: *Hic olim ignaros.* Deinde ordine sequitur distichon HIS OLIM VT FAMA EST VITIIS, cum tribus sequentibus, De raptu enim mulierum sermo est, vt exemplis doceat se iusto dolore affici, quod amica sibi rapta esset. Vnde pulchre concludit,

Per te nunc Roma quidlibet audet Amor.

Nec mirum, inquit, in tot exemplis licentiæ, si iniuria & mihi facta est. Vides inepte hos versus superiori elegiæ insertos fuisse, vbi tantum conquerebatur τὴν πολυφιλίαν amicæ. & quod multos in ædes intromitteret, non contra quod rapta esset.

HIC *olim ignaros.*] populauit peste scilicet, vt refertur Ιλιάδος α ob Chryseidam, quando alter amor nempe Briseis incessit maiorem Atridam: quod sequenti disticho plane explicatur, vt de vero loco huius distichi amplius dubitandum non sit.

ATRIDÆ *magno.*] Agamemnoni. Nam magnus hic pro maiore dictum. Ouidius de ambabus vrsis:

Magna minorque feræ ——

neque per luctum pestis illa solum intelligitur, sed corpora Græcorum missa neci ob iram Achillis.

PER *te nunc Roma quidlibet audet amor.*] Huic versui adglutinandum distichon ILLE ETIAM ABREPTA DESERTVS, cum quinque distichis sequentibus. Continuantur enim exempla super eadem re, hoc est super raptu.

ET *sparsas cade iacere.*] *Sparsas cæde* ἐπιλυθῆς. φόνῳ πεφυρμένας.

AT *postquam sera captiua est reddita pœna.*] Seram pœnam vocat, leges in quas tandem fœdus initum est: & quibus partes victæ obligantur. Silius libro secundo:

Iam medio seram bello poscentia pacem

Ductorisque simul conceptas fœdere pœnas.

Nam video hæc vulgo ignorari. pœnas vocat Silius, quibus victori victus aliquid facere damnas est.

MIRVM *si de me iure triumphat amor.*] Post hunc versiculum sequi debet distichon, MAGNI SÆPE DVCES. Postea, OMNIA VERTVNTVR. Deinde, ISTE QVOD EST, tum, MVNERA QVANTA DEDI. cum duobus sequentibus. Postremo, PENELOPE POTERAT. Quæ omnia sententiæ tenor suis patritis sedibus restituit, vt alienis eiecit absurditas. C

MAGNI *sæpe duces.*] Ab exemplo ostendit vt in magnis regnis atque imperiis, sic in amore omnium rerum vicissitudinem esse. Ita fore, vt qui nunc admittitur, aliquando excludatur. Idque docet exemplo sui, qui diu admissus tandem exclusus est. Quæ qui non videt recte conglutinata esse, nescio quibus ἴυγξι, vel quibus ἐπῳδαῖς persuadebit mihi vulgarem illam peruersionem aliquam bonam sententiam efficere. Sed scio esse, quibus procliuius reprehendere, quam confutare. D

ELEGIA IX.

ISTE quod est, ego sæpe fui, sed forsit in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salua per annos
Viuere, tam multis femina digna procis, E
Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo:
Visura & quamuis nunquam speraret Vlyssem,
Illum exspectando facta remansit anus.

Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
Candida vesana verberat ora manu:
Et dominũ lauit mærens captiua cruẽtũ,
Appositum fluuiis in Simoenta vadis,
Fœdauitque comas, & tanti corpus Achillis,
Maximáque in parua sustulit ossa manu,
Quando ibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec viduo Deidamia toro.
Tũc igitur veris gaudebat Græcia natis,
Tunc etiã felix inter & arma pudor.
At tu non vna potuisti nocte vacare
Impia, non vnum sola manere diem.
Quin etiam multo duxisti pocula risu.
Forsitan & de me verba fuere mala.
Hic etiã petitur, qui te prius ipse reliquit.
Di faciant isto capta fruare viro.
Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem,
Cum capite hoc Stygiæ iam peterentur aquæ,
Et lectum flentes circumstaremus amici:
Hic vbi tũ (pro dij) perfida quísve fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si stares nauis in Oceano?
Sed vobis facile est verba & componere fraudes.
Hoc vnũ didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutãtur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quàm citò feminea non constat fœdus in ira,
Siue ea caussa grauis, siue ea caussa leuis.
Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor pueri promite acuta magis:
Figite certantes atque hanc mihi soluite vitam.
Sanguis erit vobis maxima palma meus.

A *Sidera sunt testes, & matutina pruina,*
Et furtim misero ianua aperta mihi,
Te nihil in vita nobis acceptius vnquã.
Nunc quoque eris, quamuis sis inimica mihi.
Nec domina vlla meo ponet vestigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet esse tuũ.
Atque vtinam, si fortè pios eduximus annos,
B *Ille vir in medio fiat amore lapis.*
Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces.
Quàm mihi si media liceat pugnare puella:
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

C PHILIPP. BEROALD. BON.

ISTE *quod est, ego sæpe fui, sed fors & in hora.*] idem ferme argumentum, quod superioris Elegiæ. Dolet enim à Cynthia riualem sibi esse præpositum, & exemplis pudicarum grauiter insectatur impudicitiam Cynthiæ, quæ nec vna quidem nocte sine amatore potuit sola dormire. Iste ad reprensionem sumitur personæ, & cum tædio dixit & contemptu: nam in pronomibus maximum est pondus. Terent. *Id isti vituperant factum.*

EIECTO.] nec inquit contenta erit Cynthia hoc altero amatore, sed illum citò eiiciet, & D nouum quæret: ex quo impudicã impudicitiam, & leuitatem Cynthiæ vehementer incessit.

NOCTVRNO *soluens texta.*] Penelope Vlyssis coniux marito per annos xx. procul à patria errabundo procis eius coniugium quotidie efflagitantibus dixit se nupturam, cum telam quam parauerat perfecisset: cum proci, id est, petitores coniugij spe pleni præstolarentur, vt tela absolueretur, illa noctu dissoluebat quicquid interdiu texebat, & ita per triennium procos elusit. Hic dolus detectus est per ancillam: vnde Penelope quarto demum anno telam perfecit: auctor Home. in II. Odyssεæ. Hinc dicit E Papi. in siluis:

Non interfectas commenta retexere telas.

Et Sillius in II.

Fallacis toties reuoluto stamine tela Deceptus.

REMANSIT *anus.*] ita Ouid.

Protinus vt redeas facta videbor anus.

NEC *non exanimem.*] supra narrauimus quemadmodum Achilles ardenter amauit Briseida, quam illibatam, intactamque restituit Agamemnon. Achilles post obitum Hectoris fuit à Paride in templo occisus latente post simulachrum Apollinis: vnde fictum est quod Apollo

tela Paridis direxit in Achillem. quod tangit Virg. illo versu: A

Dardana qui Paridis direxti tela, manusque
Corpus in Aeacidæ:

vt docet Ouid. in XII. Briseis vero non oblita pristini amoris lachrymosè & miseranter prosequuta est defunctum Achillem: *Et qui castissimus ardor Funus amat*, vt inquit Statius. hoc Briseidis officium pientissimum laudat Propert. vt tanto acerbius vituperet Cynthiæ perfidiam.

Flvvii *vadu.*] pro fluentibus adiectiuum est.

Cvm *tibi nec Peleus.*] sermo apostrophus est, hoc est conuersus ad Achillem, cui defuncto nō affuit pater Peleus, nec mater Thetis: quam cærulam vocat, vt ostendat eam esse Deam marinam: ita Stat. B

Genuit quem cærula mater.

cærulus enim color viridis est, alio nomine dictus Glaucus, vt docet Gellius. Talis est color æquoreæ vndæ: hinc cærula dicuntur maria. Virgi.

Et cærula verrunt.——

Scyria *Deidamia.*] Scyros insula est vna ex Cycladibus alio nomine Siphnus nuncupata, in qua regnauit Lycomedes pater Deidamiæ, quā Achilles vestitu fœmineo dissimulatus compressit, & mox eam duxit vxorem, quam reliquit penes patrem Lycomedem, profecturus ad Troianam expeditionem. longa est narratio apud Papin. in Achille. Scyria nunc dicitur à poeta, quia fuit Deidamia ex insula Scyro Papi. C

Palladi littorea celebrabat Scyros honorum Forte diem.

Et ab Ouid. Deidamia dicitur puella Scyrias illo versu:

Scyrias Hæmonio victa puella viro.

Græcia *natis.*] pro filiabus dictum accipe: ita Sta.

Clarisque para connubia natis: pro natabus.

Hæc *mihi vota.*] quasi dicat se vota suscepisse pro salute Cynthiæ, vt ipse deinde amaretur, non autem riualis. Tibul. D

Omnia persolui, fruitur nunc alter amore.

Capite *hoc.*] scilicet tuo ô Cynthia. dicticos est.

Proh *dij.*] indignantis exclamatio.

Hic.] quem scilicet tu foues.

Qvi *te reliquit.*] qui te non amat, qui contemptibilis est. pronomina enim (teste Donato) habent vim maximam.

Non *sic incerto.*] mutabiles fœminarum animos anteponit mobilitati Syrtium ventis agitatarum, & leuitati foliorū, iuxta illud Virgilij. E

Varium & mutabile semper Fœmina.

Et illud Calphurnij,

Mobilior ventis ô fœmina.

Syrtes autem omnes nouerunt duos esse sinus in Africa impares magnitudine, pari natura, quarum facies cum ventis simul mutatur, & cum putre solum sit leuis aura efficax est ad locorum mutationem. Syrtes à tractu nominatæ sunt: auctor Salustius in Iugurtha.

Tela *pueri promite.*] id est, ô Cupidines sagittas acutiores educite è pharetra, vt mihi vita eripiatur.

Sidera *sunt testes.*] ita Horat.

Testis Metaurum flumen.

Et diuus Hiero. *Testis tribunal illud.*

Matvtina *pruina.*] testis est, inquit, pruina mei erga te amoris, quam sub dio matutino tempore pertuli dum te præstolor. Pruinam autem ex rore gelido gigni scribit Plin. & testatur Apuleius. Auctor est Aristoteles in Meteoris pruinam non gigni in montibus, & in locis hyemalibus magis prouenire quàm australibus. Nix & pruina idem, sed illa copiosior: hæc parcior.

Ille *vir in medio.*] inprecatio optima in riualem, qua optat illum in ipso coitu lapidescere. Minus ardenter dixit Ouid.

Blanditiæ taceant, sitque maligna Venus.

Non *ob regna magis.*] quemadmodum Etheocles & Polynices regni Thebani causa parati fuerunt semet mutuis vulneribus confodere præsente matre Iocasta: ita ego non recuso, inquit, subire mortem, dummodo riualis mecum simul moriatur, spectante Cynthia id ipsum certamen, & mecum commoriente. De Thebanis fratribus in primo commentario dictum est. Illud adde: Iocastam precibus conatam esse furorem cohibere Etheoclis filij properantis ad singulare certamen contra fratrem capessendum, quibus necatis gladio se confodit, & venas perrupit aniles, vt tradit Statius in XI. Thebaidos.

IANVS DOVSA FIL.

Hæc *mihi vota, tuam propter suscepta salutem.*] Inscriptio vetus:

DEÆ SYRIÆ
SACR.
VOTO SVSCEPTO
PRO SALVTE.

IANVS DOVSA PATER.

Maximaqve *in parua sustulit ossa manu.*] Hoc est, quod huic consimili ferè argutia libro IV. postea exprimit Cornelia ad Paulum:

En sum, quod digitis quinque leuatur, onus.

Et *lectum flentes circumstaremus amici.*] Seneca Controuer. III. *Non seruorum turba lectulum circumstabat, non amicorum, inter infantem & mulierculam deficientis spiritus in aduentum meum sustinebatur.*

Avt *mea si staret nauis in Oceano.*] Id est, restaret seu detineretur ventis aduersis aut contraria tempestate, nimirum defixa anchoris ne progredi posset.

Sidera *sunt testes, & matutina pruina.*] Sic Ouidius Metam. III. *matutinaque pruina.*

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Sed *fors in hora.*] Scribo, *Fors sit*, Prisciano doctore, integrum est, Forsitan. Fors sit an. Ita etiam Fortasse an, vt in Varronem docuimus. Nam nomen est Fortassis, & Fortasse, vt, Necessis, & Necesse.

Mvnera *quanta dedi.*] & ego dedi munera, vt iste: sed tamen infelici successu.

ECQVANDO *ire tibi.*] Reposui ex scriptura, *Ecquandone.* A

VISVRA *& quamuis.*] ἐνδελεχῶς, *Speraret visura.* Silius in fine libri noni:

—— quem vinctum colla catenis
Staturi ante tuos currus promisimus vrbi.

Scio hodie *Staturum* legi, non *Staturi.*

APPOSITVM *fluuius in Simoenta vadis.*] Sine dubio versus νόθος. Itaque ἐκβλητέος.

SCYRIA *nec viduo Deidamia viro.*] In margine libri nostri apposita diuersa lectio, *toro* pro *viro.* Quod rectum est. potius enim viduus torus, quam viduus vir dicitur.

TELA *precor pueri figite acuta magis.*] pro *figite* scriptura nostra habet, *promite.* Apparet igitur interpolatum. B

ATQVE *hanc mihi soluite vitam.*] Noster, *soluite curam.* Proximum plane illi: *Accipite hanc animam, méque his exoluite curis.*

SANGVIS *erit vobis.*] Ab hoc versiculo locum habent illa, quæ superius reliquimus, sex disticha: SIC IGITVR PRIMA MORIERE ÆTATE PROPERTI. Miror quomodo docti homines, qui ante hac Propertium legebant, potuerunt aliquid hic reperire, quo sibi satisfactum in eius lectione putarent, quum omnia propter hanc transpositionem absurdissima sint. C

SED *non effugies.*] Noster: *sed non efficies.* Sed scriptum fuisse puto in exemplari, *Effucies.* C, pro G, vt in Catullo indicauimus.

SIDERA *sunt testes.*] Mirus affectus amantis, à comminationibus ad commiserationem sui descendit. Porro Seruius v. Ecloga ita hunc locum adducit

—— testes sunt sidera nobis.

Sed est σφάλμα μνημονικόν.

ATQVE *vtinam si forte pios eduximus annos.*] Catullus:

Di date mi hoc pro pietate mea.

NON *ob regna magis diris cecidere sub armis.*] D Hic est initium elegiæ. & magno scelere se impiarunt, qui ita hæc cum superioribus alienis coniunxerunt, vt sequentia, quæ horum propria sunt, diuellerent. Quin furorem simplicem furere noluerunt. Nam vbi scriptura vetus habebat, SED TEMPVS LVSTRARE ALIIS, ipsi, vt initium elegiæ facerent, pro SED, legerunt IAM. Atqui hoc volebat Propertius: Verum est, me paratum nullum à capite meo deprecari periculum pro amica mea: sed vt addictus illi sim, quemadmodum antea fui, hoc vero quominus faciam, impedit me nouum consilium à me initum. alio me vocat E institutum meum. Hæc sunt plena affectus amatorij, nec nisi à politis ingeniis intelligenda. Itaque non miror, si infecetà capita hæc mutarunt. est enim hic quasi quædam valedictio amicæ, propter eius ingratum in poëtam animum. Sic Catullus:

Vale puella, iam Catullus obdurat.

ELEGIA X.

SED tempus lustrare aliis Helicona choreis,
Et campum Hæmonio iam dare tempus equo.
Iam libet & fortes memorare ad prælia turmas,
Et Romana mei dicere castra ducis.
Quòd si deficiant vires, audacia certè
Laus erit. in magnis & voluisse sat est.
Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto grauior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea Musa docet.
Surge anima ex humili. iam carmina sumite vires:
Pierides magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.
India quin Auguste tuo dat colla triumpho,
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sētiet illa tuas postmodo capta manus.
Hæc ego castra sequar vates. tua castra canendo,
Magnus ero. seruent hunc mihi fata diem.
Vt caput in magnis vbi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes:
Sic nos nunc inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia thura damus.
Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes,
Sed modò Permessi flumine lauit Amor.

PHILIPP. BEROALD. BON.

IAM *tempus lustrare aliis Helicona choreis.*] iam pertæsus Cynthiæ perfidiam, quæ riualem admiserat, dicit finem imponendum esse amoribus scribendis & Elegiaco carmini concinnendo, tempúsque esse scribendi carmine heroico res præclare gestas à Cæsare Augusto: metaphoricos loquitur. Lustrare Helicona dicuntur poëtæ rebus poëticis operantes, propterea quòd Helicon Musis dicatus est in Bœotia longe à Parnaso separatus, sicut docuimus in annotationibus nostris in Seruium. in hanc sententiam ait Lucretius:

Auia Pieridum peragro loca nullius ante
Trita solo.

lustrare, polysemos sermo est: multa enim significat & in primis circuire, vt in hoc loco, & apud Virgil.

Lustrat Auentini montem. ——

lustratur dixit Plaut. pro eo quod lustris studet. Sunt autem lustra popinæ ac lupanaria: vnde ab Horatio, mala lustra dicuntur. Cicer. *Vino, lustrísque confectus.*

ET *campum Hæmonio iam dare tempus equo.*] iam, inquit, tempus est agitare equum Thessalum per campum patentem. translatio est qua significat tempus esse maiora aggrediendi, qua poëtæ frequenter vtuntur. Iuuenal.

—— *libeat decurrere campo*
Per quem magnus equos Auruncæ flexit alumnus.

& Ouid.

Hac nostro signabitur area curru.

EQVO *Hæmonio.*] vel quia in Hæmonia, hoc est, Thessalia, laudatissimi equi fuerũt, teste Varrone: & Thessali primi inuenerunt ex equo pugnare: vel propter Achillis fortissimi herois equos dictum accipe, quos laudat Homer. quorum nomina sunt Balius, & Xanthus: & videtur alludere ad Philippense bellum, quod Augustus gessit in Hęmonia aduersus Brutum & Cassium.

IN *ma. & vo. sat est.*] sententia eadem in proœmio Pliniano: *Itaque etiam non assecutis, voluisse, abundè pulchrum & magnificum est.*

EXTREMA *tu.*] tanquam deceat iuuenem scribere amorem: senem vero bellicos tumultus. quid vero est tumultus nisi perturbatio tanta, vt maior timor oriatur: vnde etiam nomen ductum est tumultus. Itaque maiores nostri tumultum Italicum & Gallicum præterea nullum tumultum nominabant. Potest esse bellum sine tumultu: tumultus sine bello esse non potest, vt docet Cicero in octaua Antonianarum.

SVBDVCTO *vultu.*] id est, seuero & caperata fronte, vt antiqui dictitabant, & facie vultuosa qualis conuenit maiora & grauiora meditanti, & res heroicas scribere volenti.

NVNC *aliam citharam.*] ad canenda scilicet bella carmine heroico.

PIERIDES.] Musæ dicuntur à regione Pieria siue monte Pierio, vt Strabo & Festus tradũt: nam musæ à locis & fontib. cognominatæ sunt, vt Olympiades, Heliconiades, Libethrides, Pimpleides, Thespiades, & Pegasides.

A MAGNI *oris.*] quod scilicet grandia eloquatur, & dicendi genus sublime depromat. Horat.

—— *atque os Magna sonaturum.* ——

IAM *negat Euphrates.*] ostendit materiam scribendi heroici carminis sibi esse paratam, cùm iam Parthi dent pœnas Crassorum necatorum. historia nota est, quemadmodum Crassi pater & filius bellum Parthis illaturi Euphratem transierunt: & victi prælio sunt: in quo filius cæcidit. Deinde Crassus pater dolo euocatus in colloquium à Surena duce Parthorum interemptus fuit. auctores Plut. Liuius, Appianus, & Florus.

B Post finita bella ciuilia cùm Augustus in Scytia ad componendum Orientis statum venisset, vt scribit Iustinus in XLII. metum iniecit Phraati regi Parthorum, ne bellum Parthis vellet inferre. Itaque omnes captiuos Romanos, signáque omnia militaria, quæ Crasso, & M. Antonio ademerant, Augusto remisit, & filij, nepotésque Phraatis obsides Augusto dati. Idem scribit Tranquillus: vnde dixit Horatius in laudem Augusti:

Et formidatam Parthis te principe Romam.

Euphrates fluuius est Babylonis vrbem interfluens, cuius latitudo stadium occupat: ab Assyriis regium flumen appellatur.

C EQVITEM *post terga tueri.*] scribit Plutarchus in Crasso, & Appianus in libro qui inscribitur Parthicus, solitos esse Parthos in fuga à tergo sagittas emittere, adeo, vt fugientes non minores hostibus afferant calamitates, quam consistentes: vnde à Virgilio dictum est:

Fidentémque fuga Parthum, versísque sagittis.

& Lucanus Parthorum bellum fugax appellat. Parthi lingua Scythica exules dicuntur, vt docet Trogus: nam conditores regni Parthici exules fuere Scytharum. dolet inquit poëta Euphrates quòd Crassi ipsum vnquam timuerit, quoniam nunc luit pœnas, fatetúrque Parthis suis nihil

D prodesse fugam, nec se eos tueri amplius posse. Alij codices habent, non timuisse, sed tenuisse, quod placet. vt sit sensus: Dolet Euphrates se tenuisse Crassos, hoc est reliquias Crassorum, & cadauera insepulta. Vnde dictum est à Lucano:

Vmbráque erraret Crassus inulta. ——

& in octauo idem ait:

—— *crasso quærente sepulchrum.*

INDIA *quis Auguste.*] legendum est quin, non quis: laudat Augustum quòd etiam Indos penitissimos redegerit ad obsequium. Scribit Tranquillus & Florus in vltimo Indos misisse legatos ad Augustum ad amicitiam ipsius,

E populique Romani petendam, qui in itinere quadriennium consumpserunt: vnde ait Rufus: *Augustus Cæsar Indorum legationem primus accepit.*

TREMIT *Arabiæ.*] tangit historiam: namque Augustus Ælium Gallum cum exercitu misit in Arabiam, quo gentes eas & loca pertentaret: eo consilio scilicet, vt vel eos sibi volentes conciliaret, vel subigeret inuitos: aut enim se diuitibus amicis vsurum sperabat, aut locupletes inimicos superaturum. meminit huiusce rei Strabo in decimo sexto: Cuius hæc sunt verba, *Recens Romanorum expeditio, quæ nostro tempore*

duce Aelio Gallo in Arabiam facta est. Per multa A eius regionis peculiaria docet Ptolomeus in quinto & sexto cosmographiæ;triplicem describit Arabiam, scilicet petream, desertam, & felicem, quæ Græcè dicta est Eudemon: quæ, teste Plinio,nullis gentium est postponenda.

V T *caput in magnis.*] egregia comparatio, cuius hic est sensus,quemadmodum coronam ponimus ante pedes statuæ collosæ, cuius caput propter altitudinem tangere non possumus: ita nos exiguo thusculo sacrificamus,& humile carmen offerimus, cum simus inopes, nec valeamus conscendere ad laudes Augusti carmine B grandiloquo: quod totum metaphoricos dictum est.

N O N D V M *etiam Ascræos.*] per hoc indicat se nondum exercitatum esse stylo heroico, quo vsus est Hesiodus, qui fuit Ascræus. Est autem Ascra oppidum iuxta Heliconem, vt inquit Strabo in nono,in loco aspero ædificatum. Hesiodo datur palma in illo medio genere dicendi, vt auctor est Quintilianus. Quidam dixerunt Hesiodum contendisse carminibus cum Homero, fuisséque victorem: quod indicat tripos positus ab Hesiodo in Helicone cum hoc Epi- C grammate:

Hesiodus donum dedit hoc spectabile Musis:
Diuinum cantu cum calcide vicit Homerum.

Intelligit autem Cabalinum fontem, ex quo se labra proluisse dicebat Hesiodus.

P E R M E S S I *fluminis.*] Permessus fluuius est ex Helicone fluens musis dicatus. de quo Virgilius:

Tunc canit errantem Permeßi ad flumina Gallum.

Martialis:

Quid tibi cum Cyrrha, quid cum Permeßidos vnda?

sensus est Propertij,se ab amore lotum fuisse in Permesso: per quod significat se amatoria tan- D tum poëmata tractasse, nec dum gustasse fontes heroicos:cùm rebus Cupidineis sit tantum idoneus, non autem magnis concinnendis. Aiunt nobis poëtæ,vt inquit luculentè Plato, quòd à fontibus quibus mel scaturit haurientes, & à musarum viridariis decerpentes carmina ad nos transferunt, quemadmodum mel ex floribus apes,& instar apum volare se asserunt.

IANVS DOVSA FIL.

E S I C *nos nunc inopes laudis conscendere carmen.*] *Scandendi* verbum videtur postulare, vt scribamus *culmen.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

I A M *tempus.*] indicaui S E D T E M P V S legendum esse ex veteri scriptura. Etiam in libro nostro hæc male diuulsa sunt à superioribus.

E T *campum Hæmonio.*] Prouerbium ἵπποι θεσσαλαί.

Ἵπποι θεσσαλικοί, Λακεδαιμόνιαί τε γυναῖκες.

P O N I T V R *hic imos.*] Lege, *hu*, non *hic.*

ELEGIA XI.

S C R I B A N T *de te alij, vel sis ignota, licebit.*
Ludet, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, tecum vno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies:
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, cinis hæc docta puella fuit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

S C R I B A N T *de te alij vel sis ignota licebit.*] nolle se amplius dicit Cynthiam carminibus celebrare: ex quo ostendit post mortem nullam duraturam Cynthię memoriam,cùm poëta scribere nolit: Carmina enim donant immortalitatem.

V N O *lecto.*] scilicet funebri.

A V F E R E T *omnia munera.*] id est,post obitum tuum, nulla tui nominis fama supererit,sed omnia tecum pariter sepelientur.

S T E R I L I *humo.*] quemadmodum agricola serere recusat in solo sterili & infœcundo, & si seminauerit operam perdidit & impensam: ita nemo de te scribet ô Cynthia, quoniam si quis scripserit instar agricolæ incassum laborabit: iuxta illud:

In steriles campos nolunt iuga ferre iuuenci.

IANVS DOVSA FIL.

L V D E T, *qui sterili semina ponit humo.*] Malim: *Ludis.* quamuis commode etiam reponere possis cum magno Scaligero *Laudet.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

S C R I B A N T *de te alij.*] Hæc male diuulsa sunt à superioribus etiam in manuscripto. Hæc respondent initio Elegiæ: Non recuso pro te omne periculum subire, sed consilium non est mihi amplius de te scribere, neque frustra tempus in tuis laudibus prædicandis,quod antea feci,conterere. de te alij scribant,an taceant,id vero susque déque fero.

L V D E T *qui sterili.*] & sententia, & scriptura libri nostri postulat, *Laudet.* Idem prope cum eo,

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Mæui.

Sic hic,laudet te,qui vult operam perdere.

O M N I A *crede mihi tecum vno munera lecto.*] Hæc,& sequentia omnino similia sunt illis, quæ Sappho ei exprobrat, quam indignam carminibus suis censebat:

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι,
Οὐδέποτα μναμοσύνα σέθεν
Ἔσσετ' οὐδὲ ποκ' ὕστερον·
Οὐ γὰρ πεδέχεις ῥόδων
Τῶν ἐκ Πιερίας.
Ἀλλ' ἀφανὴς κὴν Ἀΐδα δόμοις
Φοιτάσεις· οὐδεὶς δέ σε
Βλέψει τῆδ' ἀμαυρῶν
Νεκύων ἐκπεποταμέναν.

ELEGIA XII.

QVICVNQVE ille fuit, puerum qui pinxit Amorem, B
Non ne putas miras hunc habuisse manus?
Is primùm vidit, sine sensu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda, C
Nostráque non vllis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia vtroque iacet.
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hostem, D
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago,
Sed certè pennas perdidit ille suas.
Euolat, hei, nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduúsq; meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iucundum siccis habitare medullis? E
Si pudor est, alio traiice tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno.
Non ego, sed tenuis vapulat vmbra mea:
Quam si perdideris, quis erit qui talia cantet?
Haec mea musa leuis, gloria magna tua est:
A *Quae caput, & digitos, & lumina nigra puellae,*
Et canit, vt soleant molliter ire pedes.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVICVNQVE *ille fuit puerum qui pinxit amorem.*] laudat illum pictorem, qui puerum pinxit Cupidinem, vtpote, qui omnia optime accommodauerit affectionibus, quae ex amore proueniunt.

SINE *sensu vi. aman.*] Cupido ideo puer pingitur, quia qui amat non plus sapit quam puer. Nam, vt eleganter docet Plaut. in Mercatore, *Amori accedunt, ineptia, stultitia, & temeritas, incogitantia, cupiditas, petulantia, multiloquium, & pauciloquium.* & (vt ait Terent. in Eunucho, & Horat. in sermonibus) *Amor neque consilium habet, neque modum, nec ratione regi potest.* Iuuenis vero, vt scribit Aristot. in primo ethicorum, rudis est earum rerum, quae in vita versantur, & ideo nequaquam idoneus auditor esse potest ciuilis disciplinae.

MAGNA *perire bona.*] scri. Diuus Hierony. in primo contra Iouianum, quòd Amor turbat consilia, à magnis cogitationibus ad humillimas detrahit, & homines querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, seruiliter blandos facit.

ALTERNA *vnda.*] translatio ab his, qui ab fluctuantis vndae impetu affliguntur, ab altera subleuantur: vt ille quem fluctus aduersus è naui eiecerat, alter felicior in nauem reiecit: Ita amatores iactantur alternatim inter amoris aestus, modo insanos, modo benignos.

HAMATIS *sa.*] hoc est cuspides aduncas habentibus: De quibus loquens Plin. in XVI. ait: *Calamus spicula addunt irreuocabili hamo noxia.*

PHARETRA *Gno.*] epitheton pharetrae accommodatum: nam Gnosij, quae ciuitas est Cretae, & Cretenses omnes optimi fuerunt sagittarij, vnde ait Plin. *Praecipuus hic calamorum vsus in Creta bellatores suos praecipitauit.* & Lucan. Pharetras Gnosias cognominauit illo versu:

—— Gnosias agitare pharetras
Docta: nec Eois peior Gortina sagittis.

IN *me te. ma.*] ostendit non omnia in se comprobari, quę Amori ascribuntur, quoniam in ipso pennas perdidisse videtur: cùm nunquam è suo pectore egrediatur, quemadmodum solet persaepe euolare pectoribus amatorum.

SICCIS *me.*] id est, longo amore exhaustis & desiccatis, iuxta illud: *Est mollis flamma medullas.* & ita admonet Amorem, vt ab ipso discedat, & illos tentet qui nondum sunt sagitta ipsius venenata contacti, nec veneno amatorio potionati.

VENENO.] id est amore, qui quasi per venas penetrat. Est enim amor venenum occultum, vt ait Donatus. ita Virg.

Occultum inspires ignem, falláisque veneno.

Qui venenū dicit, adiicere debet verum bonum

sit an malum. Nam & medicamenta venena sunt, Græci pharmaca vocant. Nomen medium est, & tam id quod ad sanandum, quam id quod ad occidendum paratum est, continet, vt docet iurisconsultus ad legem Corneliam, de sicariis, & de verborum significatione.

Si *puer est alio.*] versus mendosus est, & ita emendandus, *Si puer es alio traiice tela tua.* cuius hic est sensus: O Cupido si puer es prout pingeris, agito ea, quæ puerum decent. cum pueri autem mobilis & varia natura sit, tu quoque mobilitate puerili à me discedito, & in alios tela tua iaculare: & ita hæc particula, es, producetur auctoritate poëtica.

Vapulat *vmbra mea.*] quasi dicat se non amplius esse corpus, quod exhaustum sit amore, sed superesse solam vmbram. Ouid.

Longus amor tales corpus tenuauit in vsus.

Quam *si perdis.*] si hanc vmbram ô Cupido, qui sola de me superest extinxeris, non erit alter poëta, qui cantet amores, & laudet formositatem puellæ, quæ in primis nigris oculis condecoratur: iuxta illud Horatij,

Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Molliter *ire.*] incessu scilicet matronali.

M. ANT. MVRETVS.

Qvicvnqve *ille fuit.*] quomodo Amor pingatur, & caussas, cur ita pingatur, summa elegantia exponit. Sed hanc elegiam perfecte intelligere qui studet, legat Alexandrum Aphrodisiensem problemate LXXXVII.

Evolate *nostro.*] certe quidem versus hic integer non est. nam quid est Euolate de nostro pectore? fortassis igitur ita legendus sit,

Euolat, heu, nostro quoniam de pectore nusquam.

IANVS DOVSA FIL.

Ventvm est ad Amoris descriptionem in Poëta nostro Vmbro, quæ veluti Cupidinis clauo affixum me coget sibi diutius immorari non inuitum. ita suauis est & delenifica. ait primò:

Qvicvnqve *ille fuit, puerum qui pinxit amorem,* *Nónne putas miras hunc habuisse manus?*] Idem ferè Theophylactus in Amatoriis: ἐπαινῶ τοὺς ζωγράφους. ὑποπτέρους γὰρ τοὺς ἔρωτας ἀναγράφουσι, καὶ τέχνῃ διαμορφοῦσι τὰ σχήματα, ὡς τοῖς πλάσμασι τὴν ἀλήθειαν περιπεπνεῦσθαι. Quæ maximè pertinent ad illum versum:

Idem non frustra ventosas addidit alas.

Is *primùm vidit sine, sensu viuere amantes.*] E
Amantes pueris comparat, quòd & prudentia careant instar puerorum, & in puerilibus nugis ac curis occupentur. Quod & ante hunc fecit Plato in Philebo, vbi caussam, cur amantium periuriis ignoscat Iuppiter, hinc deducit, ita scribens: ὡς δὲ λόγος καὶ ἐν ταῖς ἡδοναῖς περὶ τὰ ἀφροδίσια, αἳ δὴ μέγισται δοκοῦσιν εἶναι, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν συγγνώμην εἴληφε παρὰ θεῶν, ὡς καθάπερ παίδων τῶν ἡδονῶν νοῦν οὐδὲ τὸν ὀλίγιστον κεκτημένων. Quem locum citat Athenæus libro XII. sed corruptè, itaque hinc emendetur. Facit ad hanc comparationem & illud

A Plauti in Mercatore, vbi amator senex, tanquam elementarium puerum, in ludum se ire cœpisse iocatur bella traslatione:

De. Hodie ire in ludum occœpi litterarium.
Lysimache ternas scio iam. Ly. *quid ternas?*
De. *amo.* Nam amori præter cætera accedunt, vt in Prologo dixit ibidem Plautus:

Ineptia, stultitiaque adeò & temeritas,
Incogitantia, excors immodestia,
Petulantia, cupiditas, & maleuolentia.

Quæ omnia in ætatem & affectus puerorum optimè quadrant.

Scilicet *alterna quoniam iactamur in vnda.*]
B Sic Amorem fluctibus ac tempestati assimilat Meleager Anthol. VII.

Κῦμα τὸ πικρὸν ἔρωτος, ἀκοίμητοί τε πνέοντες
Ζῆλοι, καὶ κώμων χειμέριον πέλαγος.

Neque abludit hinc illud Catulli:

—— *tanto te absorbens vortice amoris*
Aestus in abruptum detulerat barathrum.

Hinc Horatius ad amantem:

—— *Quanta laboras in Charybdi?*

In *me tela manent, manet & puerilis imago,*
Sed certè pennas perdidit ille suas,
Euolat hei nostro quoniam de pectore nusquam.]

Hæc omnia penè ad verbum expressa à Paulo Silentiario Antholog. VII.

C Μηκέτι τις πτήξειε πόθου βέλος, ἰοδόκην γὰρ
Εἰς ἐμὲ λάβρος ἔρως ἐξεκένωσεν ὅλην.
Μὴ πτερύγων τρομέοι τις ἐπήλυσιν. ἐξότε γάρ μοι
Λὰξ ἐπιβὰς στέρνοις πικρὸν ἔπηξε πόδα,
Ἀστεμφής, ἀδόνητος ἐνέζεται· οὐδὲ μετέστη,
Εἰς ἐμὲ συζυγίην κειράμενος πτερύγων.

Vnde lucem capiet Ouidius Amorum II. Eleg. IX. cùm scribit:

O in corde meo desidiose Puer.

Quod argumentum animi caussa & ipse tractaui auxique variis inuentionibus in Epigrammate quodam meo, quod apponam:

Illapsvs *tacitis pennis Puer ales in alto*
Corde tuam graphicè scalpserat effigiem;
D *Vis oculi quum, Vita, tui cor sustulit omne,*
Et cum corde tuam sustulit effigiem.
Iámque duce errabam amisso, poteramque nec vmbram
Vel reperire tui vel reperire mei,
Lampade quem duplici geminâ sub nocte premebat
Abripiens profugo me mihi scæuus Amor;
Lumina dum nobis geminum vibrantia fulgur,
Lumina sidereis æmula luminibus,
Alluxere facem, qualis post nubila fessis
Esse Helice nautis aut Cynosura solet,
Monstrantes iter igne suo, vestigia possem
Quà reperire mei, quà reperire tui.
E *At Venus (attonsis quoniam non auolat alis*
Nudus vt in rapto corde remansit Amor
Hinc dominæ flammis, hinc pectoris vstus ab æstu,
Quem auxit proprias in sua damna faces)
Iam duce cassa suo, quærit, neque repperit vsquam
Cum Domina Puerum, cum Puero Dominam.

Sed vt ad Poëtam nostrum redeamus, quod sequitur:

Qvid *tibi iucundum siccis habitare medullis?*
Non ego, sed tenuis vapulat vmbra mea.] Paria facit cum illa Ouidiana expostulatione ad Cupidinem, Elegiâ, quam citauimus modò:

Quid iuuat in nudis hamata recondere tela
Ossibus? ossa mihi nuda reliquit amor.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVICVNQVE *ille fuit.*] Hæc pene ad verbum ex lepidissimis versibus Eubuli Comici accepta sunt. Sunt autem hi:

Τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα,
Ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον;
Ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν.
Ἀλλ' ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τῶν τοῦ θεοῦ.
Ἔστι γὰρ οὔτε κοῦφος, οὔτε ῥᾴδιος
Ἀπαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον,
Βαρὺς δὲ κομιδῇ. πῶς ἂν οὖν ἔχοι πτερά;

Postremos enim ita adumbrauit Propertius:

Sed certe pennas perdidit ille suas.
Euolat è nostro quoniam de pectore nusquam

IDEM *non frustra ventosas addidit alas.*] Idem omnino Alexis: —— λέγεται γὰρ λόγος
Ὑπὸ τῶν σοφιστῶν, μὴ πέτεσθαι τὸν θεὸν
Τὸν ἔρωτα, τοὺς δ' ἐρῶντας. αἰτίαν δ' ἔχει
Ἐκεῖνος ἄλλως. ἠγνοηκότες δὲ τοὺς
Γραφεῖς ἔχοντα πτέρυγας αὐτὸν ζωγραφεῖν.

SI *pudor est.*] Ita recte docti viri ex veteri lectione: *Si puer est.* Sed sequentia variant, *alio traiice puella loco.* Inepte. Nam quia pro *pudor* legerunt *puer*, ita etiam pro *tela*, *puella*.

PROPERTII ELEGIA DE AMORE Græcè expressa ab HENRICO STEPHANO.

Ὅς ποτε νηπίαχον πρῶτος τὸν ἔρωτα χάραξεν,
Τὸν δ' οὐ χεῖρ δοκέεις δαημονίοις παλάμαις;
Οὗτος ἴδε πρῶτον κουφόφρονας ἱμέρου ἐραστάς,
Καὶ μεγάλοισι κενοῖς πήμασι πολλὰ παθεῖν.
Εἶτα δ' οὐκ ἀλίγως ἀνεμώδεα οἱ πτερὰ τεῦξεν
Ὡς βροτέῃ πέτεσθ' ἐν κραδίῃ θεόν.
Κῦμα γὰρ ἄμμε φέρει μεταμειβόμενον ἄλλοτ' ἄλλῃ.
Οὐδέ πῃ ἡμετέρῃ ἔμπεδος αὖρα μένει.
Οὐδ' ἄρα χεὶρ εἰκῇ γαμψοῖς βελέεσσι κορύσθη,
Ἐκ δ' ὤμων φαρέτρη Κνωσσία ἐκκρέμαται.
Ἡμᾶς γὰρ βάλλει πρὶν ἐν ἀσφαλέϊ ἐχθρὸν ἐσίδωμεν,
Οὐδ' ἄκεος τούτου τραύματος εὔδηλον.
Ἐν μὲν ἐμοὶ τάδε κῆλα καὶ ὁ παιδὸς μένει εἰκών,
Τὰς πτέρυγας δ' ἐν ἐμοὶ ὤλεσεν αὐτὸς ἑάς.
Οὐ γὰρ ἀποπτάμενος ποτ' ἐμῆς φρενὸς οἴχεται ἄλλῃ,
Ἀλλ' ἐν ἐμῷ μάχεται αἵματι νωλεμέως.
Τίπτε τόσον χαίρεις ξηροῖς ἐνὶ μυελοῖς οἰκεῖν;
Εἴ τις ἔτ' αἰδώς σοι, βάλλε καὶ ἐς ἑτέρους.
Φάρμακα τοῖα τρέπειν ἐπ' ἀκηρίοις λώϊον ἦν.
Οὐκ ἐγώ, ἀλλ' ἀδρανὴς δαίρεται ἡ σκιὰ ἐμή.
Κ' ἢν ταύτην ἀπολῇς, τίς ἔτ' ἔσσεται ὅς τάδ' ἀείσῃ;
Μοῦσα τ' ἐμὴ μικρά, σοὶ κλέος ἐστὶ μέγα.
Ἢ κάρη, κυανέους τ' ὦπας, καὶ δάκτυλα κούρης
Ἄδῃ, χ' ὡς φιλέῃ βαινέμεν ἁβρὰ ποσίν.

ELEGIA XIII.

NON tot Achæmenius armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
A *Hic me tam graciles vetuit contemnere musas,*
Iussit & Ascræū sic habitare nemus.
Non vt Pieriæ quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras:
Sed magis vt nostro stupefiat Cynthia versu.
Tūc ego sim Inachio notior arte Lino.
B *Non ego sum formæ tantum mirator honestæ,*
Nec si qua illustres femina iactat auos.
Me iuuet in gremio doctæ legisse puellæ,
Aurib. & puris scripta probasse mea.
Hæc vbi contigerint, populi confusa valeto
Fabula: nam domina iudice tutus ero.
C *Quæ si fortè bonas ad pacem verterit aures,*
Possum inimicitias tunc ego ferre Iouis.
Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quæ serues funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei:
D *Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,*
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lācibus. assint
Plebeij paruæ funeris exequiæ.
Sat mea, sat magna est, si tres sint, pompa libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.
E *Tu verò nudū pectus lacerata sequaris,*
Nec fueris nomen lassa vocare meū:
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, vbi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes paruula testa meos:
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,

Quæ

Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.
Et duo sint versus: Qui nunc iacet horrida puluis,
Vnius hic quondam seruus amoris erat.
Nec minùs hæc nostri notescet fama sepulcri,
Quàm fuerant Phthij busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, memento
Hoc iter, ad lapides cana veni memores.
Interea, caue, sis nos aspernata sepultos.
Non nihil ad verum conscia terra sapit.
Atque vtinam primis animam me poenere cunis
Iußisset quæuis de tribus vna soror.
Nam quò tam dubiæ seruetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Qui tam longæuæ minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus;
Non ille Antilochi vidisset corpus humati.
Diceret aut, ô mors cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso non nunquam flebis amico.
Fas est præteritos semper amare viros.
Testis, qui niueum quondam percußit Adonim
Venantem Idalio vertice durus aper,
Illis formosum lauisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu Venus isse coma.
Sed frustra mutos reuocabis Cynthia manes.
Nam mea qui poterunt ossa minuta loqui?

PHILIPP. BEROALD. BON.

NON *tot Achæmeniis armantur Hetrusca sagittis Spicula.*] dicit amorem esse in causa quo minus scribat grauiora poëmata, cuius spiculis tot se esse confixum quot non armantur ad pugnam Susiani.

A ACHÆMENIIS *sagittis.*] Persarum reges ex Achæmenidarũ cognatione generosissima sunt oriundi, vt scri. Herodo. in Clio. Scri. Porphy. Achæmenen regem fuisse Parthorum: Inde Achæmeniæ sagittæ optimo epitheto cognominãtur, quoniam Persæ & Parthi, omnésque fere Orientis gentes sagittis bella conficiunt: vt auctor est Plin. in XVI. Hetrusca spicula propter Iluam insulam Hetruriæ ferri copia nobilẽ. De qua Virg.

——Ilua trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.

& omnes sic hactenus exposuerunt. Cæterum B nemo eruditorum vtitur eloquutione tam præpostera, vt dicat spicula sagittis armari, cùm ecõtrario sagittæ spiculis, hoc est cuspidibus ferreis, armentur: quemadmodum etiam ferrum veneno armari dicitur, vt illud speciosè dictum est à Virgilio:

——ferrúmque armare veneno.

Quocirca censeo ita emendandum esse Susa pro Hetrusca. & in primo versu erit absoluta sententia, quæ talis est: Susa non armantur tot sagittis, quot spicula fixit amor intra poëtæ præcordia. Susa autem fuerunt regia vetus Persarum à Dario C Histaspis filio condita, vt auctor est Plin. in sexto. Tradit Strabo in decimoquinto, Susiam partem esse Persiæ, quæ Susa habet vrbem clarissimam, & paulo post ait: *Susa à Tithono condita dicuntur ambitu CXX. stadiorum.* Huius vrbis meminit Lucanus in secundo,

——Achæmeniis decurrant medica Susis
Agmina:——

Et talis sensus erit venustus & poëticus, cùm superior sit præposterus & inuenustus: & Susa pro Hetrusca scriptum legi in codice Ioannis Pici Mirandulani, qui vir est seculorum memoria dignus, qui multiiugis disciplinis præditus, exornat ætatis nostræ gloriam: cui accommodari po- D test illud quod de Varrone scripsit Terentianus vir doctissimus: Vndecunque Picus qui te, Mine mi, vtpote eruditum eruditissimus, nobilem nobilissimus, non solum diligit, sed vehementer amat, qui de te honorifice loquitur & optimè sentit: hic post seueriora studia in Propertij lectione tãquam amœnissimo diuersorio requiescere consueuit, & mihi hunc locum ita legenti adstipulatus, ostenditq́; in suo codice Susa scriptum esse non Hetrusca: sed iam ad interpretationem institutam reuertamur. Alias dabitur occasio scribendi copiosius de Pico, cuius ami- E citia glorior, & ab eo non improbari literulas nostras duco esse maximum.

TAM *graciles Musas.*] propter Elegos versus in gracili charactere compositos.

SIC.] scilicet stylo tenui.

NON *vt Pie. quer.*] alludit ad Orpheum, quem canentem arbores & feræ sequebantur: id quod supra memorauimus. Pierias quercus appellat, vel quia Thrax erat Orpheus, & Pieres populi Thraciæ fuerunt: vel quia Pieriis, hoc est musicis carminibus oblectabantur. vnde & ab Horat. Auritæ quercus dicuntur à desiderio audiendi.

ISMARA *Thracia.*] sunt enim Ismara mõtes in Thracia, & Ismarus oppidum vt ait Probus. Vir.

Iuuat Ismara Baccho Conserere.

INACHIO *Lino.*] Linus in poëtica & musica excellens præceptor fuit Orphei, Thamyræ & Herculis, quem cithara Hercules interemit, vt scribit Diodor. in IV. bibliothecæ. Hinc est illud Plautinum in Bacchidibus non inuenuste dictum:

Eia nunc esse ego opinor Hercules: tu autem Linus.

De hoc ait Euseb. chronographus: *Linus magister Herculis omnibus notus efficitur:* Hunc diuus Augustinus in XVIII. de ciuitate Dei numerat inter primos theologos. Fuit alter Linus Chrotopi filius adhuc infans discerptus à canibus, cuius meminit Stat. in Thebaide. De quo intelligendum est apud Ouid. illo versu:

Qui quòd Chrotopidem diripuere Linum.

Inachius dicitur à poëta, quia fuit Argiuus. Inachus autem apud Argos, teste Eusebio, primus regnauit.

POPVLI *con. vale. Fa.*] vbi inquit placuero puellæ, & mei versus à Cynthia probantur, rumusculos, fabulasq; populi turbulentas floccipendam.

AD *pa. ver. au.*] si Cynthia fuerit mihi reconciliata, pacificatione inter nos adhibita, inimicitias Iouiales non magnifaciam. Loquitur ex illa vulgatissima sententia, quæ ait in amore esse bellum, & rursum pacem.

QVANDOCVNQVE *igitur.*] præscribit quæ fieri velit à Cynthia in suo funere.

NEC *spatietur imagine pompa.*] nolo, inquit, in funebri mea pompa adhiberi imagines meorū, ritu Romanorum, apud quos imagines ceteræ singulis disponebantur armariis, quæ comitabantur funera gentilia. Sempérque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat populus, auctor Plin. in XXXV. vnde ait Horat. in Epodo:

Esto beata, funus atque imagines
Ducant triumphales tuum.

Hoc idem ostendit Crassus orator, sic scribens contra Brutum: *Brute quid sedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus quorum imagines duci vides?*

NEC *tuba sit fati.*] id est mortis. & tubam intelligit funebrem, de qua supra dictum est, qua qui canunt Siticines nominantur.

NEC *mihi tunc fulcro.*] nolo, inquit, mihi defuncto lectum eburneum præparari, qualis, teste Tranquillo, Iulio Cæsari stratus fuit auro & purpura. Fulcrum accipe pro sponda, & à fulciendo nomen ductum, quoniam his fulcimur, hoc est, sustinemur, vt interpretatur Seruius. Iuuenalis:

Clarum Troiugenis factura & nobile fulcrum.

ATTALICO *toro.*] id est, ornato funebri lecto. Auleis & peristromatis, quæ Attalica cognominantur, quoniam Attalus rex aurum vestibus intexere primus inuenit: vnde nomen Attalicis: auctor Plin. Scribit Seruius aulea dici, quia in aula Attali regis Asiæ primum inuenta fuerunt: vnde infra dicet Propertius,

Porticus auleis nobilis Attalicis.

& in oratione Cice. sexta in Verrem ita scriptū legimus: *Quid illa Attalica tota Sicilia nominata ab eodem Heio paripetasmata emere oblitus est?*

A NIXA.] hoc est fulta & subnixa. mors posita est pro cadauere.

ODORIFERIS *lancibus.*] scribit Plin. luxuriam adhibuisse defunctis vtendis vnguenta & odoramenta, quæ diis colendis natura genuerat. Idem, inquit, aceruatim congesta sunt honori cadauerum, quæ diis per singulas micas dantur. Refert Plutarchus in funere Syllæ maximam odorum copiam matronis fuisse comportatam, vt ex illis imago Syllæ iustæ magnitudinis formaretur. Papi. in siluis: Funus Priscillæ fuisse odoribus, aromatibúsque exornatum memorat, sic scribens:

B *Ver Arabum, Cilicumque fluit, floresque Sabæi.*

Hic dictum est à Iuuenale:

Quantum vix redolent duo funera.——

Lances vasa sunt rebus diuinis apta, vt docet Auson. illo versu:

Thuribula & pateræ, quæ tertia vasa deorum.

Lanx & hic accipitur in hoc significato, cùm de sacris funebribus loquatur. Lances etiam accipimus pro vasis escariis, vnde ait Iuuenal.

Aspice quam magno distendat pectore lancem.

C Plin. obiurgans luxuriam Romanorum dicit lances quinquagenarias & centenarias fuisse factitatas ex argento, hoc est pondo quinquaginta librarum, & pondo centum, vt opus foret multis conseruis, qui singulas inferrent in mensas dominorum.

PERSEPHONE.] id est, Proserpinæ, quæ modo Libera, modo Luna, modo Nocticula, modo Diana, modo Lucina, modo Triuia, modo Hecate, modo Persephone à scriptoribus nūcupatur. Dea est inferorum, cui Propert. deferre cupit libellos amatorios, tanquam pro naulo siue portorio, quod defuncti inferis persoluebant. Cuius rei meminerunt Diodor. & Apu. vn-

D de dixit Iuuen *Nec habet quem porrigat ore trientem.* Scri. Lactant. nomina mortuorum à Proserpina in inferorum poste conscribi. Stat.

- Loca muta & inane seueræ Persephones.

auctor est Euse. in præparatione euan. Persephonem significare virtutem seminum, quam olim raptam ab Orco dicunt: quia, vt ait Augu. defuit terræ fœcunditas.

SAT *mea sit ma.*] versus inuersus est & ita corrigendus,

Sat sit magna mei si tres sint pompa libelli:

E contentum se esse dicit in funere pompa trium libellorum, vel quia tres tantummodo facere destinauerat, vel quia ternarius numerus est potentissimus, vt docet Auso.

SYRIO *munere plenus onyx.*] id est, cum vnguenta pretiosa ex ampula marmorea fundentur in rogum meum. Onyx genus est ampulæ marmoreæ vt scri. Porphy. diximus in enarratione Lucani onychitem lapidē esse marmoreum, quem in Arabiæ montibus, nec vsquam alibi nasci putauere veteres Rom. de quo supra dictum est: Vasa potoria inde facta fuisse scri. Cor. Nep. Hunc aliqui lapidem alabastritem vocant, quem cauant ad vasa vnguentariā, quoniam ea incorrupta optime seruare dicitur, vt auctor est Plin. in XXXVI. est & onyx gemma candorem habens, vnguis humani similitudine. Indica

onyx igniculos habet albis cingentibus zonis. Hic accipitur pro ampula vnguentaria confecta ex onychite lapide. Ita apud Hora.

Nardi plenus onyx eliciet cadum.

In eadem significatione apud Catul.

Quam iucunda mihi munera libet onyx.

apud Luc. & Papinium pro ipso marmore accipitur onyx. Syrium munus appellat vnguentum pretiosum, quoniam in Syria est Iudæa, cui terrarum vni balsamum concessum est, quod omnib. odoribus præfertur, auctor est. Pli. in XII. est & vnguentum laudatissimum Phœniciũ à Phœnice: Nam Syria multis est distincta nominibus, inter quæ Phœnice quoque nominatur: Præterea in Syria gignitur styrax, quam Arabes vrunt in pellibus hircinis abigentes fastidium suorum odorum: eadem suffiunt tecta, eandem vrunt ad fugandas serpentes in odoriferis siluis frequentissimas, auctor Plin. in XII.

LAVRVS *superaddita busto.*] quæ scilicet indicet eum fuisse poëtam: Nam lauro & poëtæ & imperatores triumphantes coronabantur.

ET *duo sint ver.*] scilicet hic dimidiatus & secundus totus qui sequitur, sibi conficit epitaphium, vt etiam Tibull. dixit:

Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.

PHTHII *bu. vi.*] non minus clara erit, inquit, fama mei sepulchri propter carmina, quam sit Achillis propter bellica facinora, quem Phthiũ appellat à Phthia ciuitate Thessaliæ: cuius meminit Stra. in IX. Et Phthij fuerunt subditi Achilli: vnde & ab Hora. Phthius nominatur. Supra diximus bustum esse ipsam tũbam atque sepulchrum. Fuit autem tumulus Achillis iuxta Achilleon oppidum littore Rheto, conditum à Mytileneis, vt scri. Plin. in V.

VENIES *ad fata.*] ad mortem. Optat Cynthiam vbi diu vixerit defunctam secum in eadem vrna sepeliri.

NON *nihil ad verum.*] sensus est: Noli negligere ô Cynthia me sepultum: nam etiam ipse cinis aliquid sentit voluptatis pristinæ conscius, & gaudio quasi vero perfruitur. Hoc dictum est tanquam sit aliquis defunctis sensus.

DE *tribus vna soror.*] Parcas intellige, quarum pensum est inexorabile.

NAM *quo.*] ad quid, inquit, & in quem vsum longa expetitur vita, cùm tota flebilis sit & ærũnosa vt scribit Sene. in libro de consolatione ad Martiam: & hæc particula, quo, in hanc sententiam eleganter vsurpatur ab eruditis. Horat.

Quo mihi fortuna si non conceditur vti.

& Martial.

Quo tibi decocta nobile frigus aqua.

MINVISSET *fata senecta.*] sensus est: Si miles aliquis in bello Troiano minuisset longam Nestoris ætatem illum iugulando, profecto non vidisset funus filij Antilochi, nec præ dolore mortem optasset: & per hoc docere vult longam vitam plus malorum afferre quam bonorum. In quam sententiam luculentissime scripsit Iuuen. exordiens ab eo versu:

Sed quam continuis, & quantis longa senectus
Plena malis: ——

Meminisset expungendum est, & substituendum minuisset: quod significat amputasset, & diminuisset illos annos Nestoreos, qui trecentum fuisse feruntur: vnde à Neuio Trisedis Nestor dictus est. & ab Horat.

Ter æuo functus. ——

& ipse ait apud Ouidium:

Vixi annos bis centum: nunc tertia viuitur ætas.

Quæritur cur miles Gallicus dicatur à Propertio quem Troianum intelligi velit,

Cum tantum à Phrygia Gallica distet humus.

Nemo est qui nesciat Gallos multitudine abundantes, relicto natali solo Italiam, inũdasse, Græciam impleuisse, Macedoniam occupasse, in Asiam transiuisse, duce Leonorio, qui Gallogræciã mixto ex Gallis, Græcísque vocabulo cognominauerunt, & Phrygiam tenuerunt: vnde Gallicum vocat militem Troianum Propert. Simplicior expositio est & verior, vt Gallicum Phrygium militem dictum accipiamus à Gallo fluuio Phrygiæ, à quo nomẽ traxere Galli matris deûm sacerdotes, vt scribit Ouidi. in Fastis. & meminit Plin. in V.

NON *ille Antilochi.*] Nestor filium habuit nomine Antilochum Homericis versibus celebratum, quem ab Hectore interfectum fuisse nonnulli autumant, propter illud Ouidij:

Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore victum.

Sed Homer. scri. eum certasse in ludis Patrocli funebribus post Hectora iam interemptum. Quintus poëta cecinit interfectum fuisse à Mẽnone, sepultúmque iuxta Patroclum. Hoc idem Homer. in IV. Odysseæ significat. Antilochi obitum ægerrime tulisse Nestorem patrem indicat Iuuenal. his versibus:

—— *oro, parumper*
Attendas, quantum de legibus ipse queratur
Fatorum, & nimio de stamine, cum videt acris
Antilochi barbam ardentem ——

Si ergo Nestor fuisset interfectus in bello, non vidisset sepeliri corpus Antilochi filij, nec præ dolore mortem inuocasset.

PRÆTERITOS.] extinctos. Alios præteriti dicuntur, qui in petitione magistratuum repulsam habuerunt, vt sæpe inuenies apud Cic.

NIVEVM *percussit Adonem.*] Adonis Myrrhæ filius delitiũ fuit Veneris, quem aper interemit,

—— *totósque sub inguine dentes*
Abdidit: & fulua moribundum strauit arena.

vt scribit Ouid. Cuius interitu cognito Venus vehementer ingemuit, paritérq; sinum, paritérq; capillos rupit, & pueri cruorem mutauit in florem, quem Adonium nominãt, qui seritur æstate vt scribit Plin. in XXI. Adonis in cærimoniis mysticis symbolum est perfectorum fructuum, vt auctor est Euseb. in III. præparationis Euangelicæ. Adonidem pro Sole accipi probat Macro. De Adonide fit mentio in instrumento veteri, sic enim in Ezechiele scriptum legimus: *Ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.* Arabica gens Adoneum vocat Bacchum, vt tradit Ausonius. Ostendit Propertius etiam post obitũ amati amorem non penitus extingui, sicut in Venere quæ dilexit etiam defunctum Adonidem.

IDALIO.] Idalium oppidum est & mons & nemus in Cypro Veneri dicatum.

MVTVA.] in cinerem redacta roga- A
li flamma.

IANVS DOVSA FIL.

GALLICVS *Iliacis miles in aggeribus.*] Rectè *Gallicum* pro Troiano accipere possumus. Stephanus de Vrbibus: Γάλλος ποταμὸς φρυγίας, οἱ πίνοντες παραμανθάνουσι τὰ μεγάλα μόρια, οἱ ἀποτέμνοντες ὑπολυσσῶν ἐν τῇ ἀρχῇ φρυγίας κεῖται.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NON *tot Achæmeniis armantur Susa.*] Primus B
Beroaldus emendauit *Susa*, pro eo quod antea legebatur *Etrusca*. Idem etiam ait emendationem suam confirmari libro Pici Mirandulæ, in quo ita scriptum erat. Ego sane nihilominus delibero. Et mihi videtur aliquod portentum mendi sub uoce *Etrusca* latere.

SAT *sit magna.*] Nescio quomodo iubet tres libellos sibi [illegible], quos nondum scripserat, vt qui ne secundum quidem dimidium confecerit.

QVI *nunc iacet arida puluis.*] Vetus scriptura, *horrida puluis*. Et ita citatur à Charisio, vbi male C
nunciet pro, *nunc iacet*.

QVAM *fuerant Phthij busta cruenta.*] *Cruenta*, propter Polyxenam.

Alta Polyxenia madefient cæde sepulchra.

MEMENTO *Hoc iter ad lapides cana veni memores.*] Longe melior & concinnior lectio, quam excogitauimus, —— *memento*

Hoc itere ad lapides cana venire meos.

Vel *hoc iter*. Nam vtrumque dici potest. sed inuersa erant, *veni memores*, pro, *venire meos*.

SI *tam longaua.*] Corrupit hunc locum Beroaldus impudentissime, quum ita antea legeretur:

Quis tam longæuæ meminisset fata senectæ D
Gallicus Iliacis miles in aggeribus?

Quis, inquit, temerarius & stolide fortis tam potuisset viuere? Vult dicere: Nestor se ipsum tam longæ vitæ reseruauit, vt tot mala videret, & mortem filij. Nam si se obiecisset morti præsenti animi magnitudine, non illa vidisset, quæ illi doluerunt postea. *Gallicus miles* prouerbialiter dicitur temerarius. Nam κελτικὸν θράσος prouerbium est. Aristoteles Nicomacheon tertio: εἴη δ᾽ αὖ τις μαινόμενος καὶ ἀνάλγητος, εἰ μηδὲν φοβοῖτο μήτε σεισμοὺς μήτε κύματα, καθάπερ φασὶ τοὺς Κελτούς. Melius autem legeretur. *Quis tam longaua*, in E
datiuo, *Queis* pro quibus. Nam allusum ad locum Homeri, ubi Nestor meminit longæ vitæ suæ. Quibus, inquit, potuisset Nestor narrare vitam suam longam, vt facit apud Homerum, si Gallicus miles, & non prudens fuisset? Nam nota prudentia est Nestoris. Ego vero præpostera fortitudine morti me volo obiicere. Ita igitur interpretabimur.

CORDVS *humati.*] *Humari*, Liber scriptus.

ILLIS *formosum fleuisse.*] Commentaria lectio. Nam liber noster, non *fleuisse*, sed *lauisse*. Notus mos.

-- corpúsque lauant frigentis & vngunt. Supra:
Et dominum lauit mœrens captiua cruentum.

ELEGIA XIV.

Non ita Dardanio gauisus Atrida triumpho est,
Cùm caderent magna Laomedontis opes;
Nec sic errore, exacto lætatus Vlysses,
Cùm tetigit caræ littora Dulichiæ;
Nec sic Electra saluum cùm aspexit Orestem,
Cuius falsa tenens fleuerat ossa soror:
Nec sic incolumẽ Minois Thesea vidit,
Dædaleum lino cum duce rexit iter,
Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit.
At, dum demissis supplex ceruicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi iam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.
Atque vtinam non tam sero mihi nota fuisset
Conditio: cineri nunc medicina datur.
Ante pedes cæcis lucebat semita nobis.
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis. contemnite amantes.
Sic hodie veniet, si qua negauit heri.
Pulsabant alij frustra, dominámque vocabant.
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Hæc mihi deuictis potior victoria Parthis:
Hæc spolia, hæc reges, hæc mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam Cytherea columna,
Taléque sub nostra nomine carmen erit:
Has pono ante tuas tibi diua Propertius ades

Exuuias, tota nocte receptus amans.
Nunc ad te mea lux veniet mea littore nauis
Seruata: an mediis sidat onusta vadis?
Quod si fortè aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulũ iaceam mortuus ante tuũ.

PHILIPP. BEROALD. BON.

NON *ita Darda. ga. Atri. trium.*] gaudia sua cum amica noctu collecta anteponit gaudiis omnium, qui vnquam genuinum & intimum gaudium gauisi fuerunt.

ATRIDA.] Agamemnonem accipe, quem credibile est lætitia maxima, & gaudimonio affectum fuisse ex triumpho Troiano post Ilium euersum. res est vulgatissima.

CARÆ *lit. Du.*] Vlysses in illo suo errore lõgiturno fumum è patria videre posse desiderabat, vt ait Homer. in 1. Odyss. Cuius hi sunt versus:

At patriæ fumum surgentem noscere terræ
Si queat, exemplo cupidus moriatur Vlysses.
& Ouid.
Haud dubia est Itachi prudentia sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.

Patria enim vnumquemque sua maximè delectat: cuius rei tanta est vis, ac tanta natura, vt inquit Cicero, vt Ithacam illã in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam sapientissimus vir immortalitati anteponeret. Vlysses ergo nõ tam gauisus est, cum finito errore reuenit in patriam, quantum lætatus est poëta ex complexu Cynthiæ nocturno. Dulichia & Ithaca insulæ fuerunt subiectæ Vlyssi.

NEC *sic Ele. su.*] intellige filiam Agamemnonis, quæ gaudibunda fuit aspecto Oreste incolumi, quem defunctum esse crediderat, vel simulauerat, & tanquam defunctum complorauerat. Sophocles scripsit Tragœdiam nomine Electrã, cuius fabulæ argumentum ita compositum est, vt Electra gestet vrnam, in qua credat esse fratris Orestis ossa, vel credere se simulent, ac veluti fraternas reliquias ferens comploret, ac commiseretur interitum eius, qui per vim extinctus existimabatur. quam fabulam acturus Polus histrio nobilissimus lugubri habitu Electræ indutus ossa, atque vrnam è sepulchro tulit filij, & quasi Orestis amplexus non imitamentis, sed lamentis veris & spirantibus egit veram fabulam. Auctor Gel. in VII. Actius poëta apud Latinos scripsit Electram, ex qua in funere Iulij Cæsaris cantata sunt carmina ad inuidiam eius cædis accommodata.

MINOIS.] id est, Ariadna Minois filia: patronymicum est. Ita Tibull.

Sic cecinit pro te doctus Minoi Catullus.

DÆDALIVM *iter.*] flexus labyrintheos intellige, cuius Labyrinthi conditor fuit Dædalus in Creta, cuius exemplar sumpsit ex Labyrintho Ægypriaco, sed centesimam tantummodo portionem est imitatus: Tertius Labyrinthus fuit in Lemno: Quartus in Italia regis Porsenæ sepulchrum. In Labyrintho Cretico Minotaurum occidit Theseus, qui illius inexplicabiles errores euasit ope Ariadnes, à qua glomere lini accepto exitum facile inuenit: vnde ait Catull.

Errabunda regens tenui vestigia filo.

NEC *mihi iam fastus.*] non quærit amplius, inquit, Cynthia esse in me arrogans, & superba, quem experta est in amore mitissimum, & demissis ceruicibus euntem. In annotationibus nostris in Seruium docuimus quemadmodum veteres in pluratiuo solum numero ceruices dicebant: & primus fuit Hortensius, qui ceruicem dixit singulari numero: & quid sit ceruix & quomodo accipiatur, illic enarrauimus.

CINERI *nunc me. da.*] prouerbiale dictum, quo demonstratur medicinam serotinam esse inefficacem, quemadmodum moribundo, vel iam mortuo nihil prosunt medicamenta.

SEMITA.] via angusta quasi semi iter dicta, vt interpretatur Var.

HOC *sensi prodesse.*] scilicet ire demissis ceruicibus, omni fastu sequestrato.

LENTA *puella.*] quæ non mouebatur precibus eorum à quibus vocabatur.

HÆC *mihi deuictis.*] in hanc sententiam illud ab Ouid. dictum est:

Hæc est præcipuo victoria digna triumpho.

CYTHEREA.] Venus. & ad Venerem sermo conuertitur, cuius templo ritu triumphantium vult suspendere spolia ex hostibus capta. metaphorica eloquutio. Ædes Veneris Erycinæ erat Romæ ad portam Collinam, quam dedicauit L. Portius duumuir, vt scribit Liui. in quadragesimo: qui in XXII. tradit eam ædem vouisse Fabium maximum dictatorem: eiusdem meminit Strabo in VI.

EXVVIAS.] id est spolia. Tibull.

Vt domus hostiles præferat exuuias. & Virgil.
Mezenti ducis exuuias. ——

VENIET *mea littora nauis.*] dum mihi sunt venti in amor secundi, nauem meam ad littus tuum appellam. Per translationem significat se vsurum dono fortunæ fauentis. In hanc sententiam est illud Horatianum:

Tu dum tua nauis in alto est
Hoc age ne mutata retrorsum
Te ferat aura. ——

IN *mediis vadis.*] in securitate & tranquillitate: nam, vt in profundo periculum est, ita in vado securitas. vnde illud prouerbiale est: *Res est in vado.* Plaut.

Hæc propemodum iam esse in vado salutis res videtur.

Quid si à contrario exponas in mediis vadis, hoc est periculis in quibus sæpe naues periclitantur. Iuxta illud Virgil. *Illiditque vadis:* —— omnia hæc ex nauigantium fortuna dicta sunt metaphoricos.

VESTIBVLVM.] vestibula dicuntur spatia grandia ante fores ædium relicta, in quibus stabant, qui veniebant, prius quàm intromitterentur. Alij dixerunt vestibulum esse partem domus priorem. Lege Gellium, & Macrobiũ multa scribẽtes de vestibuli significato & etymologia.

M. ANT. MVRETVS.

NEC *sic Electra.*] vocem, *suum*, quam indoctus aliquis hoc loco inferserat, quæque in omnes prope libros propagata versum corrumpebat, ejeci, & expunxi.

IANVS DOVSA PATER.

DICEBAR *sicco vilior esse lacu.*] Martialis:
Siccæ quod redolet palus lacunæ.

MECVM *habuit positum lenta puella caput.*] Plautus,
Nunquam cum illa limaui caput.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DICEBAR *sicco.*] Prouerbium. Martialis:
Quod sicca redolet palus lacunæ.

CINERI *nunc medecina datur.*] Commentum Beroaldi, ni fallor. Nam vetus lectio *emeriti nunc medicina datur.* Lege, *Emeritus*. Pulchrum prouerbium. Emeritus miles qua medicina opus habet, quum omni vulneris periculo careat, vtpote functus militia? vel emeritus gladiator, quod malo, eadem sententia. At cineri medicinam dare, aut mortuo, cuius esset stoliditatis? Atqui Propertius ait se functum militia, qui nullos sentit fastus amicæ. hæc enim est amantium militia.

CONTEMNITE *amantes.*] Noster, *contendite.* obfirmate vos. Vtro vtaris tamen, illo an illo, non magni interest.

TALEQVE *sub nostro nomine.*] Noster, *nostro munere.* & verum est. Donario enim subiici nomen, clarum est.

HAS *pono ante tuas.*] Legendum censeo
Has pono ante tuam tibi, Diua, Propertius ædem
Exuuias ——

NVNC *ad te venias.*] Hæc profecto nescio an aliquis bene intelligat. Certe in nostro optima lectio concepta est:

Nunc ad te, mea lux, veniat mea litore nauis
Seruata, an mediis sidat onusta vadis,
(Quod, si forte aliqua nobis mutabere culpa)
Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

Vel defunctus curis, vt nunc, vel in curas coniectus, vt si forte mihi irascaris, vtrumuis igitur mihi accidat, ego ante fores tuas moriar. Ita scriptum inuenimus in libro nostro, sed nos eam interpunctionem adhibuimus. QVOD, quod genus, cuiusmodi. Quod genus mihi accidere potest, si tu mihi mutata irascaris.

ELEGIA XV.

O ME *felicem, nox ô mihi candida, & ô tu*
Lectule deliciis facte beate meis!
Quàm multa apposita narramus verba lucerna?
A *Quantáque, sublato lumine, rixa fuit!*
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram,
Illa meos somno lassos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit, Siccine lente iaces?
Quàm vario amplexum mutamus brachia, quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
B *Non iuuat in cæco Venerem committere motu.*
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur periisse Lacæna,
Cum Menelaæo surgeret è thalamo:
Nudus & Endymion Phœbi cepisse sororem
C *Dicitur, & nudæ concubuisse deæ.*
Quòd si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste meas experiere manus:
Quin etiam, si me vlteriùs prouexerit ira,
Ostendens matri brachia læsa tuæ.
Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ:
D *Viderit hoc, si quam iam peperisse pudet.*
Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.
Atque vtinam hærentes sic nos vincire catena
Velles, vt nunquam solueret vlla dies.
E *Exemplo iunctæ tibi sint in amore Columbæ,*
Masculus, & totum femina coniugium.
Errat qui finem vesani quærit amoris.
Verus amor nullum nouit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus & sicco gurgite piscis erit,

Quàm poßim nostros aliò transferre dolores.
Huius ero viuus, mortuus huius ero.
Quòd mihi si tecum tales concedere noctes
Illa velit, vitæ longus & annus erit.
Si dabit hæc multas, fiam immortalis in illis.
Nocte vna quiuis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et preßi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele esset, neque bellica nauis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare;
Nec toties propriis circum oppugnata triumphis
Lassa foret crines soluere Roma suos.
Hæc certè meritò poterunt laudare minores.
Læserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modò, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ:
Omnia si dederis, oscula pauca dabis.
At veluti folia arentes liquêre corollas,
Quæ paßim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum spiramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

PHILIPP. BEROALD. BON.

O ME *felicem.*] exclamatio est plena lætitiarum: idem fere argumentum quod superioris.

APPOSITA *lucerna.*] lucernam accipe cubicularem cognominatam, de qua sic scribit Martialis in Apophoretis: E

Dulcis conscia lectuli lucerna:
Quicquid vis facias licet tacebo.

Hanc lucernam dicit Apu. inuentam fuisse ab aliquo amatore, vt scilicet cupitis per noctem potiretur.

SVBLATO *lumine, rixa.*] quia scilicet Proper. volebat ad lucernam rebus Venereis operari: Cynthia vero more fœmineo occultare satagebat.

SICCINE *lente iaces.*] verba Cynthiæ castigantis lentitudinem & marcorem Propertij in amore: ita ne inquit es lentus, & tardus, & segnis in Venerem. A

IN *cæco motu.*] non iuuat me, inquit, concubitus tenebricosus, & ideo lucernam adesse cupiebat vt oculos pasceret. Nam vt inquit, Plato, *Amor verus est fruendæ pulchritudinis desiderium.* Fruimur autem pulchritudine per lumen oculorum: Ideoque eleganter & scienter à Propertio oculi duces in amore esse dicuntur: & Quinti. in declamatione, cui titulus est Cęcus in limine: *Oculi,* inquit, *sunt tota nostra luxuria: hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant, mirantur, adamant, concupiscunt.* Scrib. Solomon: *Oculos hominum esse insatiabiles.* Et alibi ait: *Non satiatur oculus videndo.* & à Cypriano dictum est luculente: *In mulieribus semper defixa intentione desideria fatent oculorum.* & Apostolus, Oculos plenos mœchationibus esse refert. B

PARIS *nuda.*] Paris cum Helena primum concubuit in insula nomine Cranea, vt scribit Plu. quæ ob hoc, teste Strabone, Helena deinde vocitata est. Refert Plin. Helenium florem esse è lachrymis Helenæ natum, & in Helena insula laudatissimum gigni: fauere creditur formæ, & cutem mulierum nutrire incorruptam. Præterea putant vsu helenij Venerem conciliari, & hilaritatem fieri. C

NVDVS *& Endymion.*] fabulantur poëtæ Endymionem Lunam adamasse, à qua consopitus putatur in Latmio monte Cariæ, vt eum dormientem deoscularetur, qui cum Luna concubuisse fertur: quod Plin. ideo fictum esse dicit, quia Endymion primus deprehenderit naturam, motúsque Lunæ errabundæ, & ob id amore eius captus fama traditur. Sepulchrum Endymionis fuit in monte Latmio, vt scribit Strabo in XIII.

PERTENDENS] obstinata persistens: vnde pertinaciam dici autumat Var. cum pertenditur in quo pertendi non debet. D

NEC *dum inclinata.*] quando in muliere mammæ sunt laxæ & iacentes, tunc signum est illam vetustescere, & tales esse solent in fœmina fœtosa, nec talibus conuenit amatorias tractare delitias. Huiuscemodi mammas Mar. pannosas appellat. & Hor. in vetulam scribens ait:

Sed incitas me pectus, & mammæ putres.

Dicit poëtas mammas in Cynthia neque pendulas esse, neque flaccidas: & ob hoc eam ostendit adhuc idoneam esse lusibus venereis, & nudatam cum amatore debere luctari.

IN *amore columbæ.*] petit à Cynthia id genus basiorum, quibus se columbæ exosculantur. Qualia autem sint oscula columbarum docet Matius poëta illo versiculo, E

Columbatímque labra conserens labris.

& Galienus imperator, auctore Iulio Capitolino, tenens manus sponsi & sponsæ ita pronunciauit:

——Non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

MASCVLVS.] scilicet columbus.

TOTVM *fœmina coniugium.*] *columbis ignota sunt adulteria, Coniugij fidem non violant, cõmunémque*

seruant domum, nisi cælebs aut vidua domum non relinquit: Et imperiosos mares. subinde etiam iniquos, ferunt. quippe suspitio est adulterij quamuis natura non sit. auctor Plin. in x. Columbina basia optat etiam Martial.

Basia me capiunt molles imitata columbas.

FALSO *partu.*] id est, frugibus non nascentibus. Ita Horat.

Spem mentita seges.——

ALIO *transferre.*] ad alteram puellam. Hora.

Heu heu translatos alio mærebis amores.

ILLA *vehit.*] scilicet nox beata propter Cynthiæ complexus & amoris gaudia.

ACTIACVM *verteret ossa mare.*] hoc dictum est propter prælium nauale gestum ab Augusto contra Antonium & Cleopatram apud Actium Epyri promontorium: de quo supra facta est mentio. in quo multi naufragio perierunt, & telis hostilibus confossi vndas habuerunt pro sepulchro.

PROPRIIS *oppugnata triumphis.*] sensus est: Si mortales vitam viuerent amatoriam, & genialem, nulli in bello necarentur, nec in vndis submergerentur, nec ipsa Roma ciuilibus bellis agitaretur. oppugnata est enim Roma propriis triumphis, quando suismet viribus corruit, quando Romani potentes conuersi sunt in sua viscera dextera victrici, vt inquit Luc. & ita proprij triumphi Romam oppugnarunt, quando ciuis ciuem superare contendebat, & de ciue triumphare parabat: quod nefas erat. Victoriæ enim bello ciuili partæ lugubres existimatæ sunt, vt scribit Valerius.

LASSA *foret crines.*] defatigata est Roma innumeris bellis ciuilibus, soluere crines, & lacerare comas: quod in luctu fieri solet. Ita Luca. in primo de Roma loquens ait:

Turrigero canos effundens vertice crines
Cæsarie lacera.——

LÆSERVNT *nullos.*] id est, nulli Deo per ebrietatem maledeximus, quæ sæpe solet ad maledicentiam & conuitia prouocare.

AT *veluti folia arentes.*] scito, inquit, vitam nostram floribus & foliis esse simillimam, quæ matutino tempore pulcherrima, vespertino languescunt: quę hodie florent, cras extinguuntur. hinc est illa apud Plinium luculenta sententia. *Rerum natura flores, odorésque de die in diem gignit, magna, vt palam est, admonitione hominum, quæ spectatissimè floreant, celerrimè marcescere:* Et in Isaia scriptum est: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri.* Et in hanc sententiam copiosissime scribit Ambrosi. in Examero. Esto ergo memor ita æuum nostrum properare, vt florum & foliorum vita festinat: quæ vt ait Virg.

Tam longa est, quam longa est vna dies.

CALATHIS.] Calathos Græci vocant, quos Latini quasillos & quallos appellant, vt ait Festus. Est autem vasculum, teste Porphyrione, in quo mulieres pensa vel tramum reuoluunt viminibus textum. vnde ait Ouid.

Rasilibus Calathis imposuisse manum.

Sunt etiam calathi vasa vinaria, vt apud Virg.

Vina nouum fundam Calathis ariusia nectar:

& apud Mart. in apophoretis. Hic accipiuntur

A pro vasculis mulieribus.

MAGNVM.] id est, res magnas.

CRASTINA *fata dies.*] fortassis, inquit, nos, qui magna speramus tanquam semper victuri, die crastino moriemur, cùm nulli exploratum sit se vsque ad vesperam esse victurum: &, vt inquit Hora.

Qui scit an adiiciant hodiernæ crastina summæ
Tempora dij superi.——

Et, vt tradit Seneca, *Nemo tam diuos habuit fauentes, Crastinum vt possit sibi polliceri.*

B

IANVS DOVSA FIL.

SI *nescis, oculi sunt in amore duces.*] Eleganter Philostratus in epistolis: οἱ ὀφθαλμοὶ ξύμβολοι τοῦ ἐρᾷν. hinc Plotinus Philosophus Ennead. III. lib. V. cap. III. ἔρως ait quasi ὅρασις.

NOX *tibi longa venit, nec reditura dies.*] Vide sis, quæ notaui ad illud Catulli:

Nox est perpetua vna dormienda:

Vbi versum Senecæ ex hoc loco emendamus. Nunc addo exemplum Silij Italici lib. VIII.

Dij longa noctis, quorum iam numina nobis
Mors instans maiora facit.

C NEC *nostra Actiacum verteret ossa mare.*] Malo cum doctissimo Scaligero *verteret* eleganti locutione. Eandem quoque vocem Cornelio Seuero restituo in Aetna. nam & apud illum in mendo cubat:

Scrutamur rimas, vertimus omne profundum.

Malè vulgo editur: *euertimus.*

OMNIA *si dederis, oscula pauca dabis.*] Languet sententia ita vt concipitur in omnibus, quas quidem vidi, editionibus. quam erigo mutata distinctione hoc modo:

Omnia, si dederis oscula pauca, dabis.

quasi dicat; Omnia à te mihi data putabo, vt Cicero loquitur, si modò pauca oscula dederit.

D

IANVS DOVSA PATER.

QVAM *multa apposita.*] Secundum hoc distichon puto locandum post *morata tuis*, & præponendum illi distticho *Non iuuat in cæco, &c.* Ita nimirum exigente sententia hoc modo:

Quàm vario amplexu mutamus brachia? quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis!
Quàm multa apposita narramus verba lucerna!
Quantáque sublato lumine rixa fuit!
Non iuuat in cæco, &c.

NON *iuuat in cæco Venerem corrumpere motu.*].

E Sic dictum, vt à Crispo: *Sed se suásque spes corrupturum.*

TERRA *prius falso partu deludet arantes.*] Fortè *falso*, vt significet, terram prius squamosum pecu, & marina monstra producturum.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

VENEREM *corrumpere.*] *Committere* liber scriptus. Ita repone.

VIDERIT *hæc si quam iam peperisse pudet.*]

Non prorsus mala est lectio libri nostri:

Viderit hoc, si quis iam peperisse putet.

ſi quis peperiſſe putet ſuam.

NEC *noſtra Actiacum uerteret.*] Lego, *verreret.*

QVÆ *paſsim calathis.*] Folia coronarum decidentia in pocula inter commeſſationes. cuius rei infinita extant apud ſcriptores exempla. Nam calathi hic non quaſilli, ſed pocula. Virgilius:

Vina nouum fundam calathis Ariuſia nectar.

Et Martialis in Apophoretis.

MAGNVM *ſperamus.*] *Spiramus.* μεγαλοφρονῦμεν.

ELEGIA XVI.

PRÆTOR ab Illyricis venit modò, Cynthia, terris,
Maxima præda tibi, maxima cura mihi,
Non potuit ſaxo vitam poſuiſſe Cerauno.
Ah Neptune, tibi qualia dona darem.
Nunc ſine me plena fiunt cõuiuia mẽſa:
Nunc ſine me tota ianua nocte patet.
Quare, ſi ſapis, oblatas ne deſere meſſes,
Et ſtolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde, vbi conſumpto reſtabit munere pauper,
Dic, alias iterum nauiget Illyrias.
Cynthia non ſequitur faſces, nec curat honores.
Semper amatorum ponderat illa ſinus.
At tu nunc noſtro Venus ô ſuccurre dolori,
Rumpat vt aſsiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quiuis mercatur amicam?
Iuppiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et iubet ex ipſa tollere dona Tyro.
Atque vtinam Romæ nemo eſſet diues, & ipſe
Straminea poſſet dux habitare caſa:
Nunquam venales eſſent ad munus amicæ,
Atque vna fieret cana puella domo.
Nõ quia ſeptenas noctes ſeiũcta cubaris,
A *Candida tã fœdo brachia fuſa viro:*
Non quia peccaris, teſtor te, ſed quia vulgo
Formoſis leuitas ſemper amica fuit.
Barbarus excuſsis agitat veſtigia lumbis,
Et ſubitò felix nunc mea regna tenet.
Aſpice quid donis Eriphyle inuenit amaris,
B *Arſerit & quantis nupta Creuſa malis.*
Nullàne ſedabit noſtros iniuria fletus?
An dolor hic vitiis neſcit abeſſe ſuis?
Tot iam abiere dies, cùm me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea Muſa iuuat.
Ah pudeat certè, pudeat: niſi fortè, quod aiunt,
Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet.
C *Cerne ducem, modò qui fremitu compleuit inani*
Acta damnatis æquora militibus.
Hunc infamis amor verſis dare terga carinis
Iuſsit, & extremo quærere in orbe fugam!
Cæſaris hæc virtus, & gloria Cæſaris hæc eſt.
Illa qua vicit, condidit arma manu.
D *Sed quaſcunque tibi veſtes, quoſcunque ſmaragdos,*
Quóſue dedit flauo lumine chryſolithos,
Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas,
Quæ tibi terra velim, quæ tibi fiat aqua.
E *Non ſemper placidus periuros ridet amantes*
Iuppiter, & ſurda negligit aure preces.
Vidiſtin' toto ſonitus percurrere cœlo?
Fulmináque æthereâ deſiluiſſe domo?
Non hæc Pleïades faciunt, neque aquoſus Orion:
Nec ſic de nihilo fulminis ira cadit.

Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniã fleuit & ipse deus.
Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Vt timeas, quoties nubilus Auster erit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

PRÆTOR *ab Illyricis venit modo, Cynthia, terris.*] stomachabundus hæc scribit in Cynthiam, quæ prætori diuiti & opulento venienti ex Illyrico adhæserat, eiecto Proper. dolétque Cynthiam solas spectare pecunias, instar earum, quibus pudicitia auro venalis est. Prætores veteres appellarunt omnem magistratum, qui pareret exercitus, vt docet Asconius Pedianus: quod confirmat Varro his verbis. *Prætor dictus qui praeiret iure & exercitu.* Hinc inuenies à luculentis scriptoribus imperatores prætores nuncupari, & in primis à Cicerone, qui ita scribit in Rhetoricis: *Epaminundas Thebanorum imperator, ei, qui sibi ex lege successerat prætor, exercitum non tradidit:* quæ verba enarrans Victorinus dixit: *Notare debemus omnes magistratus prætores appellatos.* De prætore vrbano, & peregrino, & de prætoribus aliis multa leges apud iurisconsultos libro primo Digestorum.

SAXO *Cerauno.*] scopulosis in Epyro locis, quæ Acroceraunia alio nomine dicuntur, vt supra declarauimus.

ET *stolidum pleno vellere.*] metaphoricos dicit prætorem non solum emungendum esse, sed vsque ad cutem attenuandum, spoliandúmque omnibus diuitiis, & bacchides palutinæ oues attonsas appellant duos senes auro spoliatos. Attende elegantiam poëtæ prætorem pecori comparãtis: Iuxta illud Diogenis Cynici apophthegma, quo docebat, diuitem indoctum esse ouem vellere aurato. Vellus dicitur lana à vellendo: quoniam ante tonsuram inuentam vellere lanam soliti fuerunt, vt Varro interpretatur.

ITERVM *nauiget Illyrias.*] ad nouas scilicet diuitias comparandas.

CYNTHIA *non sequitur fasces.*] ne credas, inquit, Cynthiam amare prætorem ob idipsum, quia prætor est, & honore præditus: Illa enim non dignitatem spectat, sed pecuniam. Fasces accipe pro magistratu & dignitate prætoria: quoniam lictores magistratuum fasces virgarum alligatos securibus gestabant. Cuius rei in primo Commentario reddita ratio est: & ita intellige illud quod dictum est à iurisconsulto de officio proconsulis: quod proconsules sex tantummodo fascibus vtuntur, id est, habent sex tantum lictores cum fascibus, cùm consules habeant duodecim: Nescio quas ineptias refert Accursius, vt sæpè alias.

IVPPITER *indigna.*] exclamantis indignatio.

TOLLERE *dona Tyro.*] Tyros quondam insula Syriæ Alexandri magni operibus annexa continenti: clara fuit olim genitis vrbibus, Lepti, Vtica, Gadibus, & illa Romani imperij æmula Carthagine. Nunc omnis eius nobilitas conchylio & purpura constat, vt auctor est Pli. in v. olim Sarra nuncupata, vt refert Gellius. vnde ostrum Sarranum dicitur à poëtis. Tyrium colorem in primis veteres probauerunt: de quo multa eleganter scribit Plin. in nono: vnde inuenies frequenter ostrum Tyrium, & purpuram Tyriam cognominari ab eruditis. Tibullus:

Quid Tyrio recubare toro?

Tyri ergo dona accipe pro purpura Tyria, & lanis Tyriis, quas ita celebrat Mart. vt dicat,

Deterior Ledæ purpura matris erat.

NEMO *esset diues.*] diuites & diuitias detestatur, quoniam sunt irritamenta libidinum, & diuitiis alitur luxuriosus amor.

CASA *straminea.*] tales erant priscorum domus: &, vt inquit, Ouid.

Non fuit pudor in stipula placidam cepisse quietem.

Doxius lutei ædificij inuentor fuit exemplo sumpto ab hirundinum nidis. Primi Euryalus & Hyperbius fratres constituerunt domos lateritias.

CANA *puella domo.*] vel hoc dicit quod puella senesceret intra vnicam domum, nunquam ex ea egrediens, si non essent diuitiæ: vel hoc ait quod puellæ canæ efficerentur & vetulæ vnius amatoris amore contentæ, nec quotidie nouos quærerent, vt nunc quotidie fit: Nam, vt inquit, Plau. nouus amator succum habet & suauitatem: semper habet quod debet, & dare cupit vt ita fiat apud amicam fauorabilis.

BRACHIA *fusa viro.*] figura poëtica, id est, habens brachia fusa, atque implicata prætori: quem virum fœdum & contemptum dolenter appellat.

NON *quia peccaris.*] peccaris legendum est pro peccaueris, & ad Cynthiam referendum.

EXCVSSIS *lumbis.*] hoc ad rem veneream referendum est, cum in lumbis sit vis libidinis: vnde in canonicis scripturis scriptum est, *Omnis virtus eius in lumbis, & omnis potestas in vmbilico:* vbi honesti viri & mulieris genitalia immutatis sunt appellata nominibus, vt diuus Hieronymus interpretatur. & à Virg. in Priapeis dictum est:

Crissabit tibi fluctuante lumbo.

Et à Persius,

Carmina lumbos intrant.

Excussis accipe pro eleuatis, & exporrectis in concubitu. dixit Plaut.

Expergite lumbos & extollite:

vel exclusis siue excussis expone pro exhaustis scilicet immodico coitu. Catul. in hanc sententiam eleganter dixit:

Cur non tam latera exfututa pandas.

ASPICE *quod donis.*] exemplis vult deterrere Cynthiam à donis capiendis, quæ sæpe fœminis exitium attulerunt. Eriphyla vxor Amphiarai monile prætiosum ab Argia accepit hac conditione, vt maritum cogeret proficisci ad Thebanam expeditionem, quod ille recusabat, exploratum habens se eo in bello periturum: Eriphyla pluris fecit illud monile aureum quàm coniugis vitam, qui hiatu terræ absorptus est in bello: Sed talia dona auaræ mulieri magno consti-

terunt: Nam à filio Alcmeone fuit interempta. auctores Dio. & Sta. Cuius rei etiam Virg. meminit in VI.

—— mœstámque Eriphylen
Crudelis nati monstrantem vulnera cernit.

Dona amara merito appellat, quæ Eriphylæ non solum amaritudinem, sed etiam mortem præbuerunt. Similiter Sta. in II. Thebaidos de hac re loquens ait:

Quos optat gemitus, quantas cupit impia clades.

ARSERIT *& quantis.*] Creusam intellige Creuntis filiam, quæ à Dio. Glauca nominatur: quam Iason ducturus vxorem repudiauit Medeam. Illa, vt supra docuimus, nouæ nuptæ dona misit nuptialia, quæ exitij causa fuerunt: nam Creusa cum tota regia conflagrasse fertur propter coronam illam à Medea missam veneno & naphtha illitam, in quam recentem flamma transiliuit. Hora. non coronam sed vestem veneno imbutam dixit fuisse munus Medeæ. Ita enim scribit in Epodo:

Cum palla, tabo munus imbutum, nouam
Incendio nuptam abstulit.

NVLLA *ne iniuria.*] quam scilicet Cynthia patiatur, vel qua ego afficior.

NEC *tetigit campi.*]nullis voluptatibus iuuari se dicit, nec theatralibus nec campestribus: Nam in campo Martio variis exercitationibus Romana iuuentus exercebatur, & deinde in Tyberi natabant: quia, vt ait Porphyrio, hoc quoque videtur necessarium esse militiæ. Exercitationis campestris meminit Vegetius in primo de re militari, & Augustinus in XIIII.

SVRDIS *auribus amor.*] iuxta illud Ouid.

Depudui, profugúsque pudor sua signa reliquit.

CERNE *ducem.*] exemplo M. Antonij ostẽdit magnos etiam imperatores turpi amori fuisse mancipatos. Argumentum est à maiori: Si magni duces amoris infamia laborant, non est mirandum si & ego ab infami Cynthiæ amore nequeo liberari. amor Antonij & Cleopatræ notissimus est, qui fuit causa, vt Antonius ex magno imperatore degeneraret in muliebre mancipium: nam viuebat eius animus in corpore Cleopatræ, & in Actiaco prælio vbi vidit Cleopatram fugientem, oblitus omnium, nec mentis suæ compos sequutus est illam, quæ vtrumque perdiderat, vt scribit Plutar. Merito ergo infamis amor scilicet Cleopatræ iussit Antonium relictis omnibus capescere fugam in Ægyptum.

ILLA *quæ vicit.*]laudat Augustum, qui deuictis Antonio & Cleopatra bello finem imposuit, & arma recondidit, & Iani templum clausit pace terra marique parta.

SED *quascunque tibi vestes.*] optat poëta vt vestes & gemmæ, quas prætor Cynthiæ dono dedit, dissipentur, & in terram aut in aquam conuertantur. Smaragdus gemma est iucundissimo aspectu, quo oculorum acies recreatur, quo nihil viridius reperitur. Nero gladiatorum pugnas spectabat è smaragdo: laudatissimi sunt Scythici, auctor Plin. in vltimo. Ouid.

Tu poteras virides pennis hebetare smaragdos.

CHRYSOLITHOS] chrysolithi gemmæ sunt aureo colore translucentes. Bocchus auctor est chrysolithon, XII. pondo à se visam. Ouid.

Per iuga chrysolithi, positaque ex ordine gemmæ.

QVÆ *tibi terra velim.*] talis imprecatio est apud Tibul.

Muneribus meus est captus puer, at Deus illa
In cinerem & liquidas munera vertat aquas.

Et Home. inquit, *Vos omnes in terram & aquã resoluamini, Fulmináque æthereæ.* fulmina dicuntur irrita & vana, quæ nulla veniant ratione naturæ, quibus montes & maria percutiuntur. Quędam vocantur fatidica, quæ dicuntur ex alto, certisque de causis, & ex suis venire sideribus, vt scrib. Plin. de his intellige loquutum esse Propertium: & quoniam incidit mentio de fulminibus, scito fulminum esse genera plura: nam quædam sicca, quædam humida, quædam clara nuncupantur. Diurna, Ioui attribuuntur: nocturna, Summano. Sunt fulmina dicta infera, cremantia, familiaria. Quæ læua sunt, prospera existimantur. Seneca in quæstionibus naturalibus, Fulmina dicit appellari, alia postulatoria, alia consiliaria, monitoria, auxiliaria, hospitalia, atque regalia. Vbi decidit fulmen, ibi odor sulfureus est, & ipsa fulmina odorem sulfuris habent, & lux eorum sulfurea est: vnde dixit Persius:

Sulfure discutitur sacro:

cum de flumine loqueretur.

SONITVS.] tonitrua: nam, vt ait Lucreti.

Principio tonitru quatiuntur cærula cœli.

&, vt refert Seneca in quæstionibus, *tonitrua sunt nubis iacta sonus.* Et alibi ait: *Tonitrua nihil aliud sunt, quàm icti aëris sonitus.*

PLEIADES.] Vergilias intelligit, de quibus supra memorauimus.

ORION.] sidus est nimbosum & procellosum: constat ex stellis decem & septem, vt scrib. Higi. in eo gladius deformatur. vnde ait Plin. in XVIII. *Cæsari Orionis gladius occidere incipit.* Hinc ab Ouid. & Luc. Orion ensifer accommodato epitheto vocatur. A Catullo eleganti vocabulo dicitur Aorion quasi ensifer. Aor enim Græcè, gladium Latinè significat.

DECEPTVS *quoniam fleuit.*] Iuppiter ideo punit puellas periuras, quia & ipse fraudibus mulierum sæpe deceptus est. Quam magnus autem fuerit amator mulierum Iuppiter, testes sunt poëtæ omnes: Testis est Home. apud quem Iuppiter in XIIII. Iliados Iunoni enarrat quemadmodum amauerit vxorem Ixionis, Danaem Persei matrem, Europam, Semelem, Alcmenam, Cererem, atque Latonam.

QVARE *ne tibi.*]noli, inquit, tanti facere vestes purpureas, quas donat amator, vt nubilo cœlo timeas fulmen conscia tuarum fraudum. Sontes enim & conscij flagitiorum cùm tonat timent ne fulmine Iouiali percutiantur. In quam sententiam ait Iuue.

Hi sunt qui trepidant, & ad omnia fulmina pallent:
Cum tonat exanimes primo quoque murmure cœli.

SIDONIA *vestis.*] pro purpurea accipitur, quoniam Sidon ciuitas est in Tyro, quæ conchylio & purpura censetur & celebratur, vt supra dictum est. Cidon artifex est vitri, & Thebarum Bœotiarum parens, vt auctor est Plin. in V.

A piscium vbertate Sidon nomen accepit: nam Sidon à Phœnicibus piscis vocatur, vt Iustinus tradit in decimo octauo.

M. ANT. MVRETVS.

QVÆ *tibi terra.*] sic Tibullus,

Muneribus meus est captus puer. at deus illa
In cinerem, & liquidas munera vertat aquas.

vterque autem sumpsit ab Homero,

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

IANVS DOVSA FIL.

ERGO *muneribus quiuis mercatur amicam.*] Præualet apud me lectio illorum codicum qui habent: *muneribus quiuis mercatur amorem.* & videtur altera velut interpretamentum huius esse.

IANVS DOVSA PATER.

ET *subitò felix nunc mea regna tenet.*] Sic idem lib. III.

Vt regnem mistas inter conuiua puellas.

Et Tibullus:

Parua loquor: regnum ipse tenet, quem sæpe coëgit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes,

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

PRÆTOR *ab Illyricis.*] Prætor Macedoniæ & Achaiæ idem. auctor Pausanias. At Illyrium erat in Macedonia. vel potius Macedonia Illyrium continebatur. Nam Durrachium in Macedonia censebatur.

STRAMINEA *posset.*] Noster, *Graminea* Intelligit cæspititiam casam. Horatius:

Nec fortuitum temnere cæspitem
Leges sinebant——

QVÆ *tibi terra velim quæ tibi fiat aqua.*] Proculdubio legendum: *Quæ tibi terra, precor, quæ tibi fiat aqua.* Plautus Milite. *-quæ mares, quæ feminas.* Item, *quæ sacrum, quæ publicum.*

ELEGIA XVII.

MENTIRI noctem, promißis ducere amantem,
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates quoties desertus amaras
Expleui noctes fractus vtroque toro.
Vel tu Tantalea moueare ad flumina sorte,
Vt liquor arenti fallat ab ore sitim:
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile vt toto monte volutet onus:
A *Durius, in terris nihil est, quod viuat amante,*
Nec, modò si sapias, quod minus esse velis.
Quem modò felicem, inuidia admirante, ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc iacere è duro corpus iuuat, impia,
B *saxo,*
Sumere & in nostras trita venena manus.
Nec licet in triuiis sicca requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamuis ita sit, dominam mutare cauebo.
Tum flebit, cùm mi senserit esse fidē.

PHILIPP. BEROALD. BON.

C MENTIRI *noctem.*] ostendit maximum flagitium esse in fœmina, quæ amatorem decipiat, & nocte promissa non admittat: dicitque istud delictum simillimum esse homicidio, & nihil infelicius esse amatore demonstrat: cuius ærumnas Tantali, & Sisyphi tormentis & laboribus anteponit.

DVCERE.] in longum, vt dicitur, protrahere. ita Cæsar, inquit, diem ex die ducere Hedui. alias ducere significat ad supplicium ducere, vt ait Donatus. Inde à Seneca dictum est: *Quid fuit facilius quã duos manipulares duci iubere,* & alibi in-
D quit: *Duci te iussi.* & apud Curtium ait Hermolaus ad Alexandrum: *Nos duci iube.* Ducere etiam pro eo accipitur quod est efferre ad sepulturam. Persius:

Nerio iam tertia ducitur vxor.

INFECTAS.] maculatas. par, inquit, homicidio est fallere amantem, promissis non seruatis. Infector dicitur, vt vulgo aiunt, tinctor, Plau.

Incedunt infectores crocotarij.

FRACTVS *vtroque toro.*] qui dormire non potest versat membra per vtramque partem lecti, & modo in faciem cubat, modo resupinus iacet: quod accidere solet mœrentibus & amantibus: vnde ait Ouid.

E *Lassáque versati corporis ossa dolent.*

SISYPHIOS *labores.*] Sisyphus apud inferos afficitur hoc cruciatu, vt assidue saxum voluat, quod, vt inquit Hor. optat collocare in supremo monte: verum cum ad cacumen ventum est, saxum reuoluitur ad imum: vnde ait Ouid.

Sisyphus est illic saxum voluensque petensque.

verum vt interpretatur Macro. saxum ingens voluere dicuntur, qui in efficacibus laboriosisque conatibus vitam terunt. Lucre. vero per saxum Sisyphi, vt docet Ser. eos intelligit, qui sunt ambitiosi,

ambitiosi, & repulsam passi rursus instant, nec ambire desistunt. versus Lucre. hi sunt ex lib. III.

Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
Qui petere à populo fasces, sæuisque secures
Imbibit, & semper victus tristisque recedit.

INVIDIA *admirante.*] sensus est: Ego nunc à Cynthia recipior post dies decem, qui prius in amore felix dicebar, etiam ab inuidis felicitatem meam admirantibus. pathos est à tempore.

QVOQVE *die.*] à quisque quoque dictum accipe quasi quibusque decem diebus.

SVMERE *trita venena.*] ex dolore sibimet mortem consciscere velle significat aut præcipitio, aut veneno. & tetra accipe pro mortifera. In aliis codicibus legitur, trita, & sententia aperta est: nam venena teruntur, & diluta in potione bibuntur. Talis cicuta Socrati in carcere data est, vt scri. Plaut. in Phœdone. vnde dixit. Persi.

Sorbitio tollit quem dira cicuta.

AVT *per rimosas.*] nunc mihi, inquit, non licet alloqui amicam, vel saltem per rimam hostij cum prius lecto admitterer.

IANVS DOVSA FIL.

NEC *licet in triuiis sicca requiescere Luna.*] Plinius lib. XVII. cap. XIV. *Inseri autem præcipit pira ac mala per ver, & per solstitium diebus L. post vindemiam. Oleas autem & ficus per ver tantùm, Luna sitiente, hoc est, sicca.*

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

MENTIRI *noctem.*] Hæc cum superioribus continuanda. Periurium, inquit, seuere à diis vindicatur. Tonare enim solet deus in periuros. Nam peierare, & promissis ducere amantem, hoc impium iuxta cum homicidio est.

HOC *erit.*] Nihil muto. Sed liber scriptus habet, *Hoc erat*. Priscis temporibus hoc erat tanquam aliquod parricidium.

HORVM *ego sum vates.*] Hæc ego vere testari possum, si quis alius, qui propter periuria tua quid non perpessus sum?

FRACTVS *vtroque toro.*] Hoc est vtraque sponda lecti. Ouidius:

Cur pressus prior est, interiorque torus?

VEL *tu Tantalea moueare ad flumina.*] Liber noster:

Vel tu Tantalea mouearis flumina forte.

SICCA *requiescere Luna.*] Sicca luna, est intermenstruus dies. ἔνη ϗ νέα. Tunc enim spirant Aquilones. Horatius:

Thracio bacchante magis sub inter-
Lunia vento. ——

TVNC *flebit quum mi senserit.*] Noster, *quum in me senserit.* Tunc flebit quum magna fide hæc tacere me audiet.

ELEGIA XVIII.

ASSIDVÆ multis odium peperere querelæ.
Frangitur in tacito femina sæpe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato:
Aut si quid doluit fortè, dolere nega.
Quid si iam canis ætas mea candeat annis?
Et faceret scissas lãguida ruga genas?
At nõ Tithoni spernẽs aurora senectã.
Desertum Eoa passa iacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fouit in vlnis,
Quàm prius abiunctos sedula lauit equos.
Illum ad vicinos cùm amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos currũ cõscendẽs dixit iniquos,
Inuitum & terris præstitit officium.
Cui maiora senis Tithoni gaudia viui,
Quàm grauis, amisso Memnone, luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et canæ toties oscula ferre comæ.
At tu etiam iuuenem odisti me perfida cùm sis
Ipsa anus haud longa curua futura die.
Quin ego diminuo curam, quòd sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus antè fuit.
Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.
Vt natura dedit, sic omnis recta figura.
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mẽtita suas vertit inepta comas.
De me, mi certè poteris formosa videri;
Mi formosa satis, si modò sæpe venis.
An, si cæruleo quædam sua tempora fuco

Tinxerit, iccircò cærula forma bona est.
Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius vllus,
Frater ego, & tibi sim filius vnus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego narranti, noli committere, famæ.
Et terram rumor transilit & maria.

PHILIPP. BEROALD. BON.

ASSIDVÆ *multis odium peperere querelæ.*] scribit illum amatorem apud amicam futurum fauorabiliorem, qui multa silens dissimulabit, nec assiduè conquereretur de perfidia puellari, quoniam tales querelæ multos odiosos, inuisósque reddiderunt.

FRANGITVR *in tacito.*] id est, fœmina deponit iram & placatur quando amator nec iurgiosus nec queribundus est, sed tacet: & si quid vidit, se non vidisse dissimulat.

QVID *si iam.*] cùm docuerit vtile esse amatori dissimulare & tacere, ostendit se id facere non posse prouocatum nequitia Cynthiæ & scelere, quæ eum spernat perinde ac si senio confectus esset, cùm tamen verus amor nec senem quidem fastidiat amatorem: quod probat exemplo Auroræ nequaquam fastidientis senilem Tithoni coniugis amplexum.

RVGA *genas.*] infra oculos malæ sunt, quas prisci genas vocabant, XII. tabularum interdicto radi à fœminis eas vetantes, vt scribit Plin. in XI. Interdictum legis refert Cic. in II. de legibus: *Mulieres genas ne radunto*: quo admonentur ne faciem carpant, & lacerent in luctu. Illud enim significat radunto in hac lege: quod vt verum esse credas audi Ser. ita scribentem: *Sciendum est cautum esse lege XII. tabularum ne mulieres carperent faciem his verbis: Mulier faciem ne carpito.* præterea genæ significant palpebras, hoc est tegumenta oculorum: & in hoc significato accipe apud Plin. quando scribit quod pisces & insecta non habent genas. sensus est: Quid faceres ô Cynthia si rugæ seniles genas meas dehonestarent & frontem striatam efficerent, cùm iuuenem me fastidias.

TITHONI *senis.*] ab exemplo ostendit senescentes non esse fastiendos, cùm Tithonum Aurora non spernat: qui post longissimam vitam dicitur in cicadam esse conuersus.

EOA.] orientali supradictum est Susa à Tithono condita fuisse, qui (teste Diodo.) præfectus fuit Persarum acceptus maxime regi, auctor est Plin. Memnonidas aues quinto quoque anno confligere in Æthiopia ad Memnonis sepulchrum vbi Tithonus floruit.

QVAM *grauis amisso Memnone.*] maiora, inquit, gaudia percepit Aurora ex Tithono viuente quamquam annoso & capulari sene, quàm fuerit luctus de obitu filij Memnonis, qui occubuit in bello Troiano interemptus ab Achille. vnde ait Ouid.

Vidit Achillea pereuntem cuspide mater.

CVRVA *futura.*] homines senio incurui fiunt. vnde silicernium quidam existimant dici senem quasi silicem cernentem. Scribit Arist. Homines humeris incuruos diu viuere: Idem auctor est incuruorum hominum halitus esse grauiores, fœdioresque.

QVIN *ego deminuo curam.*] hoc, inquit, lenit & minuit curas meas, quod Cupido solet interdum esse noxius illi & malus cui fuit propitius & bonus: & ita malignum sperat in Cynthia futurum: in se vero benignissimum.

INFECTOS *Britannos.*] castigatio Cynthiæ faciem adulterino colore fucantis instar Britannorum, qui (vt scribit Cæsar in V. commentario) omnes se glasto inficiunt, quod cœruleum efficiat colorem, atque horridiore sunt in pugna aspectu, capillóque sunt promisso, atque omni parte corporis rasa præter caput & labrum superius. Si quæris autem quid sit glastum, scito esse herbam simillimam plantagini, qua Britannorum etiam coniuges, nurusque totum corpus inficiunt: & in quibusdam sacris nudæ incedunt, vt auctor est Plin. in XXII. hinc Britanni infecti, hoc est, tincti & picti cognominantur. Martialis,

Barbara depictis veni bascauda Britannis.

EXTREMO *nitore.*] corrigendum est verbum, & externo legendum non extremo, & dictum accipe pro peregrino fuco, & pigmento, quo mulieres candorem colli & ruborem genarum mentiuntur. In decretis de consecratione ita scriptum est: *Fucare figmentis faciem adulterina fallacia est.* pigmenta autem & colores, quibus mulieres faciem venustant sunt hæc in primis, purpurissum, cerussa, melinum, terra Chia, & sclinusia. Melinum ideo nominaui vt intelligeres illud Plautinum in Mustellaria: *Neque cerussam, neque melinum oportet attingere.* est enim melinum pigmentum candidum ab insula Melo nominatum, vbi fiebat laudatissimum, auctor Plin. in XXXV.

BELGICVS *ore color.*] turpe est Romanæ matronæ colorare faciem glasto & gallicis fucis. Belgicum colorem dictum accipe pro glasto quod ita vocatur in Gallia, vt docet Plin. præterea Gallorum inuentum est sapo, quo capillos rutilamus. Belgas Gallos esse ex Cæsaris lectione satis notum. Audi quæso quid scribat Cyprian. in hanc sententiam: *Opus*, inquit, *Dei & factura eius & plastica adulterari nullo modo debet adhibito flauo colorem, vel nigro puluere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta natiua corrumpente medicamine. Manus Deo inferunt quando illud quod ille formauit, reformare & transfigurare contendunt.*

DE *me.*] quasi dicat ad me attinet.

SVA *tempora.*] synecdoche est pars pro toto, Tempora posuit pro tota facie. Illud attende tempus pro capitis parte inueniri in numero singulari apud scriptores opinatissimos. In the-

toricis ad Herennium ita scriptum est: *Dubitanti Graccho quid esset, neque tamen locum in quo constiterat relinquenti percutit tempus.* Hierony. in interpretatione instrumenti veteris in lib. Iudicum ita inquit: *Posuit supra tempus capitis Sisaræ clauum, percussumque malleo defixit in cerebrum.*

CÆRVLEO *fuco.*] fucus marinus lactucæ similis est. Græcè dicitur phycos thalassion, quia conchiliis substernitur. Tria fuci genera, latum, longum, & crispum, quo in Creta vestes tinguntur, & omnia sunt ad tingendum accommodata. auctor Plin. in XXVI. vnde fucum accipimus pro adulterino colore, & fucum factum mulieri dixit Teren. cum intelligere vellet insidias & astutam fraudem, vt exponit Donatus. Cæruleus epitheton est perpetuum fuci, qui virore commendatur. De cæruleo colore supra diximus copiosè.

NOLI *committere famæ.*] monet Cynthiam ne det occasionem famæ & rumori de se obloquendi, quoniam nihil est fama velocius, quæ per totum orbem errabunda discurrit: quæ, vt inquit Maro, est *Tam ficti prauique tenax quàm nuncia veri.* Et Ouid.

Crescit, & auditis aliquid nouus adiicit auctor.

IANVS DOVSA FIL.

QVID *si iam canis ætas mea candeat annis?*] Hinc Apuleius Metam. V. dixit, *candenti canitie lucidus.*

MI *formosa satis, si modò sæpe venis.*] Peculiaris quædam notio est huius verbi *venire* apud hunc nostrum, suprà:

Sic hodie veniet, si qua negauit heri. Paulo post,
Hic vnus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subitò si qua venire negat.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVID *si iam canis ætas mea candeat.*] Liber noster rectè *caneret*, non *candeat*. Canere, est πολιοῦσθαι in vtraque coniugatione, vt *Feruere Leucaten*, & similia. caneret, faceret sunt eiusdem temporis. quare ita reponendum. Ante hunc versum autem legendum illud distichon: *Quin ego deminuo curam.* Sperat vicissitudinem rerum vt supra.

AT *non Tithoni.*] certe hæc non cohæret cum superioribus, & ἀπόσπασμα est alius Elegiæ.

QVAM *prius adiunctos.*] Lege, *abiunctos.* Abiungere equos & deiungere idem. Paulo diuersius interiungere, hoc est deiungere equos donec cibo recreati sint. Abiugassere quoque est idem quod abiungere. ἀποζεῦξαι. glossarium. Mart. *Interiungere quaris ad Bouillas.* Idem:

—— & hora Interiungit equos meridiana.

QVVM *maiora.*] *Cui maiora.* Liber.

IPSA *anus haud longa.*] Continuandus versiculus cum eo disticho: *Quum tibi nec frater nec sit tibi filius vllus.* Quum, inquit, tu sis anus propediem curua futura, & nullus sit nec frater, nec filius, qui te possit γηροβοσκεῖν, præter me, qui eorum vicem tibi sum.

LVDIS *& externo.*] Insere post hunc versum distichon illud. *An si cæruleo quadam.* Neque explicatione indiget.

TVRPIS *Romano Belgicus.*] Quid esset, iam dixit. *Ludis & externo tincta nitore caput.* Intelligit enim mutari capillum sapone Belgico. Mart. *Caustica Teutonicos accendit spuma capillos.* Ouidius III. de Arte.

Femina canitiem Germanis inficit herbis,
Et melior, vero quæritur arte color.

Idem dicit quod Propertius. Sed vnde Saponem putauit esse herbas? An ex Isatide etiam fiebat ille color? Subiicit enim:

An si Cæruleo quadam sua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona est?

MI *formosa satis si modo sæpe venis.*] *Venis formosa*, hoc est, formosa es, locutio Propertiana. Nam Propertius τὸ venire ἀντὶ τοῦ τυγχάνειν vsurpat. Satis, inquit, formosa es, modo mihi vni formosa sis.

ELEGIA XIX.

Etsi, me inuito, discedis Cynthia Roma,
Lætor, quòd sine me deuia rura colis.
Nullus erit castis iuuenis corruptor in agris,
Qui te blanditiis non sinat esse probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa fenestras,
Nec tibi clamatæ somnus amarus erit.
Sola eris, & solos spectabis Cynthia montes,
Et pecus, & fines pauperis agricolæ.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
Fanáque peccatis plurima caussa tuis.
Illic assiduè tauros spectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas:
Atq; ibi rara feres inculto thura sacello,
Hædus vbi agrestes corruet ante focos.
Protinus & nuda choreas imitabere sura,
Omnia ab externo sint modò tuta viro.
Ipse ego venabor: iam nunc me sacra Dianæ
Suscipere, & Veneri ponere vota iuuat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipse monere canes.
Nō tamen, vt vastos ausim tētare leones,
Aut celer agrestes cominus ire sues.
Hæc igitur mihi sit, lepores, audacia molles
Excipere, & stricto figere auē calamo,
Quà formosa suo Clitūnus flumina luco

Integit, & niueos abluit vnda boues.
Tu, quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec solæ poterunt auertere siluæ,
Nec vaga muscosis flumina fusa iugis,
Quin ego in aßidua mutem tua carmina lingua,
Absenti nemo non nocuisse velit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

ET *si me inuito discedis Cynthia Roma.*] alloquitur Cynthiam, quæ vrbe relicta secesserat in agrum: cuius consuetudine quamuis sit cariturus, tamen lætatur cùm videat in agris nullos fore subsessores, insidiatorésque alienæ pudicitiæ. optat & ipse villicari, dummodo cum Cynthia villicetur.

DEVIA *rura.*] deuium dicitur à via remotum, vt inquit Porphyrio: inde Cic. in II. Antonianarum, Anagninos vocat deuios, cum essent extra viam militarem collocati ab Hora scortum deuium nuncupatur, quod est à via remotum. ita nunc deuia rura dicta accipe pro sequestratis & separatis à via militari & frequenti: ex quo sperat poeta castiorem futuram Cynthiam propter loci solitudinem & recessum.

ORIETVR *ri. fenestras.*] gaudet quod nullæ rixæ amatoriæ sint futuræ ante fenestras Cynthiæ agrum deuium incolentis, quales in vrbibus subinde oriri consueuerunt: vnde ait Horat.

Parcius iunctas quatiunt fenestras,
Ictibus crebris iuuenes, proterui.

NVLLI *poterunt corrumpere ludi.*] hoc ideo dictum est: quia ludi Romani erant corruptelæ puellarum, & incentiua libidinum. id quod docet Iuuen. illis versibus:

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo,
Tuttia vesicæ non imperat, Apula gannit
Sicut in amplexu.

Et Ouid. inquit,

Spectatum veniunt, veniunt spectentur vt ipsæ,
Ille locus casti damna pudoris habet.

FANAQVE *peccatis.*] templa erant diuersoria nequitiæ, & in templis adulteria exercebantur. vnde exiit illud Satyricum:

Nam quo non prostat fœmina templo:

Et Ouid. de templo Isidis quod erat Romæ loquens ait:

Multas illa facit quod fuit ipsa Ioui.

Iosephus quoque in XVIII. Antiquitatum narrat quemadmodum iuuenis quidam nomine Mundus miro commento concubuit cum Paulina Romana matrona in templo Isidis. gaudet ergo poeta, quod in agris nulla templa poterunt corrumpere Cynthiam, quæ Romæ erant maxima causa illius adulterij.

COMAS.] eleganter pro frondibus, qui sunt crines arborum. vnde à Papin. dictum est, *crinitur arbos*: pro eo quod est frondescit.

INCVLTO *sacello.*] id est, rusticano. Sacellum (vt inquit Gellius) diminutiuum est à sacro, & significat locum paruum deo dicatum cum ara. Trebatius iurisconsultus dixit sacellum compositum esse verbum quasi sacra cella.

RARA *thura.*] quia thus in templis vrbanis adoletur, non autem rusticanis. Masculum thus vocamus religioni dicatum à similitudine testium, vel quod rotunditate gutæ pependerit, auctor Plin. inde à Virg. dictum: *Et mascula thura.* Diminutiuum thuris est thusculum, quo vtitur Plaut. in Aulula.

NVDA *sura.*] suræ sunt homini tantum. Reperitur apud auctores quandam in Aegypto non habuisse suras. Reliqua animalia habent crura sine suris.

SACRA *Dianæ.*] vt pote venatricis, & deæ siluaticæ.

REDDERE *pinu cornua.*] dicit se suspensurum cornua ceruorum in arbore pinea ritu venatorum, qui capita & cornua ferarum captarum Dianæ dicabant, & in arboribus suspendebant, quod indicat Nisus Virgilianus sic loquens:

Dona tulit si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendiue tholo. ——

scrib. Dio. in v. bibliothecæ: Venatorem solitum capita ac pedes ferarum quas ceperat Dianæ dicare, & arboribus affigere. pinu dandi casus est antiquus, de quo supra facta est mentio. Quidam cornua pro furcis accipiunt quod non placet.

LEPORES *excipere.*] vsus est verbo venatoribus accommodato. nam excipere interdum significat dolo intercipere, & circunuenire: quod Ser. Noniusque demonstrant, & ita venatores feras excipiunt. Martialis de venabulo loquens ait:

Excipient apros, expectabuntque leones.

FIGERE *auem calamo.*] calamum aucupatorium intellige, quo viscato aues capiuntur: cuius meminit Mart.

Pallida dum tacita crescit arundo manu.

Auceps surgens paulatim calamos eleuabat, & eos auibus subiiciebat: quod genus aucupij expressit Silius sic scribens: *Sublimem calamo sequitur crescente volucrem.* alij intelligunt de sagitta qua aues figuntur ab arcu excusa. Calami autem sagittis apud priscos erant accommodatissimi. & Plin. Calamos nostrates, qui in Rheno nascuntur, dicit esse optimos sagittis conficiendis.

AGRESTES *sues.*] in omni genere animalium nullum est placidum quin eiusdem inueniatur & ferum, cùm homines quoque siluestres reperiantur: auctores Plin. & Aristoteles. Sues semiferos antiqui hibridas vocabant.

CLITVMNVS.] fluuius est in Falisco siue Meuaniæ Propertij patriæ: cuius aqua pota boues candidos facit. auctor Plin. vnde ait Vir.

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus
Victima. ——

hinc à Lucano campi Meuaniæ tauriferi cogno-

minantur. optat ergo Propert. venationi & aucupio operam dare in agro Meuanate, vbi Clitumnus boues niueos sua aqua reddit.

Pavcis *luciferis.*] id est, diebus. Stella Veneris cum antegreditur Solem Lucifer dicitur: cum subsequitur Hesperos: Græcè Phosphoros nominatur, vt refert Cic. in secundo de natura deorum. Pythagoras primus deprehendit huius sideris naturam. dicitur à Plauto Vesperugo, à Mart. Phosphoros, à Virg. Iubar, à Catul. Vesper: alij Iunonis, alij Isidis, alij matris deûm sidus appellant. Huius natura cuncta generantur in terris, vt tradit Plin. & vt ait Higi. Omnium siderum Lucifer maximus esse videtur: scribit Diodo. Hesperum Atlantis filium conscendisse cacumen montis Atlantis ad cursus astrorum obseruandos, & nunquam deinceps comparuisse: cui vulgus honores diuinos exhibuit, astrúmque lucidissimum eius nomine appellitauit.

Mvscosis *iugis.*] musco coopertis: est autem muscus illa viridis lanugo, quæ nascitur in fontibus potissimum: vnde à Virg. Muscosi fontes dicuntur: apud Columellam nouum verbum est: *Muscantur oleæ*: quod significat musco teguntur.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Qvi *te blanditiis non finat.*] Noster, *Sinit. -non ille finit magni dominatur olympi.* Virgil. in Ciri. *-quod nec finit Adrastia.* Vtrunque, pro finat. ἀρχαϊκῶς.

Et *vitem docta.*] Lege, *doctam.*

Qva *formosa suo Clitumnus flumina luco Integit.*] Clitumnus fluuius ex lacu Vadimonis egeritur, & specu mersus postea oculis redditur. Plinius Cæcilius lib. octauo ad Gallum, postquam de lacu Vadimonis loquutus est, subiungit: *Idem lacus in flumen egeritur. quod vbi se paulisper oculis dedit, specu mergitur, altéque conditum meat, ac si quid ante, quam subduceretur, accepit, seruat, & profert.* Nos primi nomen illi flumini reddimus apud Plinium, & primi hunc specum Clitumni apud Propertium aperimus. de quo Papinius:

——vmbroque Propertius antro.

Et quia, teste Plinio Cæcilio, lacus Vadimonis, vnde egeritur, sacer est, non mirandum, quare sacrum Clitumnum Deum vocet Iunius Philargyrus, nisi propterea ita vocauerit quando absorptus ab illo antro iterum se reddit oculis hominum. Omnes enim fluuij ex specu nascentes aut redditi pro Diis colebantur, eisque aræ statuebantur. Seneca Epistola xli. *Magnorum fluminum capita veneramur. subita ex abdito vasti amnis eruptio aras habet.*

Absenti *nemo non nocuisse velit.*] Duplex negatio vnius vice. Alibi. *Non si Pegaseo*, &c. postea subiungit:

Nil tibi Mercurij proderit alta via.

ELEGIA XX.

Qvid fles abducta grauius Briseide? quid fles
Anxia captiua tristius Andromacha?
Quidve mea de fraude deos insana fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropiis obstrepit in foliis:
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Sollicito lacrymans depluit à Sipylo.
Me licet aratis astringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaes condita membra domo:
In te ego & aratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaes transiliámque domum.
De te quodcunque, ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modò ne dubita de grauitate mea.
Ossa tibi iuro per matris, & ossa parẽtis,
(Si fallo, cinis heu sit mihi vterque grauis)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
Ambos vna fides auferet, vna dies.
Quod si nec nomen, nec me tua forma teneret,
Posset seruitium mite tenere tuum.
Septima iã plenæ deducitur orbita lunæ,
Cùm de me, & de te compita nulla tacent.
Interea nobis non nũquam ianua mollis,
Non nunquam lecti copia facta tui.
Nec mihi muneribus nox vlla est empta beatis,
Quidquid eram, hoc animi gratia magna tui,

Cùm te tam multi peterent, tu me vna petisti.
Possum ego naturæ non meminisse tuæ?
Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, & me
Inferno damnes Æace iudicio:
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur,
Túmque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
Vltima talis erit, quæ mea prima fides.
Hoc mihi perpetuò ius est, quòd solus amator
Nec citò desisto, nec temerè incipio.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVID *fles abducta grauius Briseide? quid fles.*] Cynthiam solatur dolentem insolabiliter, quod à Proper. relicta fuisset: ostenditque se in amore esse fidissimum: adeo, vt de ipsius fide minime debeat dubitare Briseida grauiter vbertimque fleuisse ex Ouidij lectione satis notum, quando Agamemnoni ab Achille tradita est, quam Eurybates & Taltibius præcones abduxerunt inuitam mœstámque: ac ire pene recusantem, vt scribit Home.

ABDVCTA.] significanter loquutus est. nam abducimur quo nolumus, ducimur quo volumus, quamuis aliter Donatus tradat.

CAPTIVA *Andromacha.*] docet nos poëma Virgilianum, quemadmodum Andromache Hectoris vxor post incendium Troianum captiua fuit Pyrrhi, à quo habita fuerit mancipij magis loco, quàm coniugis, deinde tradita Heleno Troiano. Tristis ergo & mœsta fuit Andromache ex summo fastigio lapsa in captiuitatem nacta dominum imperiosum & insolentem: vnde ita loquitur ipsa apud Virg.

Stirpis Achilleæ fastus, iuuenémque superbum
Seruitio enixæ tulimus.——

NON *tam nocturna volucris.*] vehementiores Cynthiæ querelas esse dicit querelis Atticæ volucris id est, hirundinis, quæ fata gemit filij absumpti. Nota fabula Prognes & Philomelæ & Terei carmine Nasonis, qui in VI. Metamorphoseon copiosissimè cuncta enarrat. Dissentit ab Ouidio Probus: nam cum Ouid. insinuet Prognem deformatam fuisse in hirundinem, Philomelam in lusciniam, è contrario ait Probus, quod Progne in lusciniam, & Philomela in hirundinem deformatæ sunt.

ATTICA.] Attica auis dicitur hirundo, quia
A Progne filia fuit Pandionis regis Athenarum. potest dici & luscinia, & ad lusciniam posset referri poëtæ carmen, cùm lusciniis sit garrulus sine intermissu cantus dies quindecim ac noctes, vt auctor est Plin. in x.

CECROPIIS *in foliis.*] Folia Cecropia appellat Attica à Cecrope rege Athenarum primo, qui multitudinem Atticam in ciuitates duodecim digessit, quarum vna ab ipsius nomine dicta est Cecropia: auctor Stra. hic dictus est geminus, siue quod primus marem fœminæ matrimonio copulauit, siue quod cum esset Ægy-
B ptius, linguam Græcam pariter callebat & Aegyptiacam, sed quæritur cur Daulias ales hirundo dicatur à poëtis, & potissimum ab Ouid. & Cat. hoc nos docet Thucydides, qui in secundo scri. Tereum maritum Prognes non regnasse in Thracia, vt asserũt Latini scriptores, sed in Daulia regione terræ Phocidis propinqua Athenis: in qua terra, vt ipsius historici verbis vtar, fœminæ facinus illud circa Itym patrauerunt: & à multis poëtarum in commemoranda Philomela & luscinia, auis Daulias celebratur. interpres Strabonis istam Thucydidis sentẽtiam, referẽtis,
C nescio quid secus, enarrat à Thucydide alienũ.

NEC *tantum Niobe.*] non tantam vim lachrymarum fudit Niobe in statuam commutata post obitum filiorum, quantam Cynthia conquerens de fide violata ab amatore. mira diuersitas est super numero Niobes filiorum. Home. in vltimo Iliados, Pueros puellasque eius bis senos dicit fuisse. Eurypides bis septenos, quem sequitur Oui. Sappho bis nouenos: alij bis denos: Proper. dicit fuisse bis senos, secutus Homerum, quamuis in quibusdam codicibus legatur *Bis septem ad busta*: quæ lectio cum Eurypidis & Ouidij lectione conueniet. Niobe cum se Latonæ anteponeret, eámque pro Dea coli prohiberet, Apollo & Diana maternam iniuriam vlciscentes, filios, fi-
D liásque ipsius sagittis confecerunt: Apollo, filios: Diana, filias. Amphion pater præ dolore sibi mortem consciuit: Niobe facta est lapidea apud Sipylum, & lachrymis etiam nunc marmora manant, vt docet Ouid.

DEFLVIT *à Sipylo.*] Sipylum est mons & oppidum, caput olim Mæoniæ: alio nomine Tantalis dicitur: auctor Plin. patria Niobes, quæ ibi visitur lapidea, vt ait Home. ex qua adhuc fluunt lachrymæ. inde à Papinio dicta est Sipyleia mater in quarto Siluarum.

DANAES *modo.*] nemo est qui nesciat Danaem inclusam fuisse à patre intra turrim æneã,
E vbi à Ioue in aurum pluuium transformato cõpressa est Fabula notissima, qua declaratur omnes difficultates auro peruias esse, & nihil non expugnari pecunia posse: nam, vt inquit Horat.

Aurum perrumpere amat saxa potentius ictu f.

DE *te quidcunque ad surdas.*] id est, surdas aures illis præbeo, qui de te mihi obloquuntur: & quodcunque flagitium de te audio, id minime verum esse credo.

OSSA *parentis.*] id est, patris. Appellatione parentum omnes superioris gradus continentur, vt docent Iurisconsulti, digestis de gradibus, de verborum significatione, & in ius

vocando. Parentes interdum pro affinibus & cognatis accipiuntur iuxta vernaculum sermonem,& in hac significatione reperies apud non ignobilem scriptorem Spartianum: cuius rei etiam meminit Hieronymus in libris contra Ruffinum.

ORBITA *Lunæ.*] orbita vestigium est rotæ, quam Lunæ dat,quoniam dicitur poëticè bigas in cælo agitare. Muli vehiculo Lunæ adhibentur,quòd tam sterilis sit quàm mulus:vel quia vt mulus non suo genere creatur, sic ea non suo fulgore lucescit.

COMPITA.] loca sunt ad quæ competunt atque conueniunt,plures viæ.Ouid.

Seruet vt in ternas compita secta vias.

in compitis lares colebantur, quibus dicati erãt ludi Compitalitij,& ex libertinis sacerdotes dati, qui Augustales vocantur, auctor Porphyrio. Ludos agitatos fuisse in compitis testis est Macro. & ob id compitalia appellitarunt.

SEPTIMA *orbita Lunæ.*] referri potest ad septem dies, vel etiam ad septimum mensem.

NVNQVAM.] aliquando.

TRAGICÆ *Erinnyes.*]si vnquam,inquit,oblitus fuero bonitatis tuæ, facilitatisque erga me, tunc opto vexari à furiis sæuientibus,quales tragici poëtæ describunt, & iudicio Æaci damnari ad pœnas infernas subeundas.Erinnyes furiæ dicuntur.Virgilius:

——— quo tristis Erinnys
Quo fremitus vocat. ——— Lucan.
——— ingens vrbem cingebat Erinnys
Excutiens pronam flagranti vertice pinum.

Lege Senecæ tragœdias, & videbis quales sint furiæ tragicæ.

DAMNES *Aeace iudicio.*] Æacus apud inferos iudex constitutus est,vt iudicet eos, qui venerint ab Europa: Rhadamantus vero iudicat Asiaticos:Minos autem considerans sedet solus habens aureum sceptrum. Pulchra est narratio super iudicibus, iudiciisq; inferorum apud Platonem in Gorgia, à quo illud in primis traditur Æacum iudicem esse tantummodo Europeorum, quod ideo dixi, vt intelligeres illud Satyricum in hanc sententiam esse accipiendum:*Quas torqueat vmbras Aeacus*: quasi dicere vellet, Scio fabulam illam quæ tradit vt Æacus torqueat vmbras tantum ex Europe venientium, cùm Asiaticos iudicet Rhadamantus:& ideo eleganter dixit *quas vmbras*, scilicet Europeas non Asiaticas,& ita expone,non autem vt commentatores accipiunt, *quas*,scilicet nocentes: cùm apud inferos nullæ vmbræ nisi nocentes torqueantur. scio ante nos nullum pene animaduertisse hanc Satyrici poëtæ sententiam,qui illud Platonicum voluit significare, vt olim publico auditorio Iuuenalem profitentes affirmauimus:in quam sententiam nostram frequentes auditores pedibus iuerunt. de iudicio Æaci ait Stat.in Siluis:

Immensis vrnam quatit Aeacus vlnis.

TITYI *volucres.*] poëtarum lectione & in primis Virgilij notum est quemadmodum Tityus apud inferos hac lege damnatus est, vt vultures obunco rostro eius iecur exedant, idque iugiter faciant:quod,vt Lucret.docet, ad amorem referendum est, in quo nos lancinat *& exest anxius angor*, & lacerant curæ.

SVPPLICIBVS *tabellis.*] hinc coniectare possumus Cynthiam misisse ad poëtam pugillares,quibus supplicitus rogabat,vt in amore constans & fidus permaneret:quod se facturum pollicetur.

NEC *cito desisto.*] hoc non solum in amore, sed etiam in amicitia factitandum est,quod Augustus fecisse fertur,qui amicitiás non facile admisit,& admissas constantissime retinuit:auctor Tranquillus.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DEOS *insana fatigas.*] *Vesana* Liber noster.

DE *te quodcunque.*] Hoc est, quantum ad te pertinet.Sic supra:

De me, mi certe poteris formosa videri.

HOC *mihi perpetuo ius est.*] Noster, *Hac mihi perpetuo ius est.*

ELEGIA XXI.

AH quantum de me Panthi tibi pagina finxit,
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus,
Sed tibi iam videor Dodona verior augur.
Vxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere: nihil pudet? aspice, cantat
Liber:tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es: te ille superbus
Dicit se inuito sæpe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud, quàm gloria, de te
Quæritur. has laudes ille maritus habet.
Colchide sic hospes quondam decepit Iason.
Eiecta est. tenuit namque Creusa domum.
Sic à Dulichio iuuene est elusa Calypso.
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem præbere puellæ,
Discite, desertæ, non temerè esse bonæ.

Huic quoque, qui restat, iampridem quæritur alter, A
Experta in primo stulta cauere potes.
Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum,
Siue ægra pariter, siue valente sumus.

PHILIPP. BEROALD. BON.

AH *quantum de me Panthi tibi pagina finxit.*] B Panthus apud Cynthiam maledictis & criminibus fictis, & famosis libellis taxauerat Propertium: nunc poëta par pari rependit, & inuisum Cynthiæ Panthum efficere contendit, vtpote in amore mutabilem. Pagina à pangendo dicta, quòd in ea versus panguntur id est, finguntur: auctor Festus.

AH.] pronunciatione adiuuandum est, cùm sit interiecto doloris, vt ait Priscianus.

DODONA *verior augur.*] sum, inquit, verior diuinator ipsô oracula Dodoneo, quod illustre fuit in Epyro: de quo in primo commentario multa commemorauimus in eum versum:

Non me Chaoniæ vincunt in amore columbæ.

Dodona in Epyro ciuitas est: vnde Dodoneos lebetes nominauit Virg. & Lucan. ait:

—— Syluásque Dodones.

VXOREM *ille tuus.*] qui vxorem habet curat quæ vxoris sunt, quomodo placeat vxori, vt scribit Paulus ad Corinthios. *Nec vxoratus ita amica operam dare potest, vt ille qui est calebs.*

CANTAT *liber.*] id est solutus amore, cum tu existimes ab eo te amari. cantus enim est signum animi otiantis & soluti à curis Cupidineis.

INTER *eos.*] id est, Panthum & Panthi vxorem. D

COLCHIDA *sic hospes.*] ostendit eos qui vxorem habent non esse fideles in amore: quod probat exemplo Iasonis, qui ducta vxore Creusa deseruit Colchida, hoc est Medeam, quæ de ipso fuerat optimè merita: & Calypso destituta fuit ab Vlysse ad Penelopem vxorem festinabundo. de his supra dictum est abundè.

EIECTA *est.*] hîc distinguendum est, & extrinsecus subintelligendum Medea quasi dicat Medea eiecta est domo à Iasone, cùm Creusa in domo regnaret. Mendosum versum ita emenda

Eiecta est, tenuis namque Creusa domum.

& est sensus: Quod sola Creusa tenuit domicilium eiecta Medea.

EXPERTA *in primo.*] delusa ab vno Pantho, debes in posterum esse circunspectior, ne ab altero decipiaris: se vero dicit in amore Cynthiæ futurum per omnes tempus firmum atque constantem.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

EXPERTA *in primo stulta cauere potest.*] lege, potes.

ELEGIA XXII.

SCIS here mi multas pariter placuisse puellas,
Scis mihi, Demophoon, multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
O nimis exitio nata theatra meo!
Siue aliquis molli deducit candida gestu
Brachia seu varios incinit ore modos.
Interea nostri quærunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet:
Siue vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
C *Quæ si fortè aliquid vultu mihi dura negarat,*
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris Demophoon cur sim tam mollis in omnes?
Quod quæris, quare non habet vllus amor?
Cur aliquis sacris laniat sibi brachia cultris?
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
Vnicuique dedit vitium natura creato.
Mi fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur;
Nunquam ad formosas, inuide, cæcus ero.
E *Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus,*
Falleris: haud vnquam est culta labore Venus,
Percontere licet: sæpe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Iuppiter Alcmenæ geminas requieuerat arctos,
Et cælum noctu bis sine rege fuit:

Nec tamen iccirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid? cùm è complexu Briseïdos iret Achilles,
Num fugêre minùs Thessala tela Phryges?
Quid? ferus Andromachæ lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.
Hìc ego Pelides, hìc ferus Hector ego.
Aspice vti cælo modò sol, modò luna ministret:
Sic etiam nobis vna puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foueátque lacertis:
Altera, si quando non sinat esse locum:
Aut, si fortè irata meo sit facta ministro;
Vt sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula nauem,
Tutius & geminos anxia mater alit.
Aut si es dura, nega: sin es non dura, venito.
Quid iuuat in illo pondere verba loqui?
Hic vnus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subitò si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cùm recipi, quasi non nouerit illa, vetat!
Et rursum puerum quærendo audita fatigat:
Quem, quæ scire timet, quærere plura iubet.

PHILIPP. BEROALD. BON.

SCIS *here mi multas pariter placuisse puellas.*] Demophoontem alloquitur, indicans se præter omnes alios amori esse obnoxium, & vbique se videre, quòd amare cogatur, nec se vna amica A contentum esse demonstrat, exemplo sumpto à mundo, qui duobus luminaribus indiget.

HERE *mi.*] duæ sunt dictiones, nec pro nomine proprio accipiendum, vt indocti accipiunt, qui dicunt Propert. scribere ad Demophoontem Heremium, cùm poëta appellet herum Demophoontem nomine reuerentiæ. legito itaque O Demophoon here, id est, domine, scis mi, id est, mihi, more prisco, placuisse puellas. Horat.

O here, quæ res nec modum habet nec consilium.

alias aduerbium est here, & pro heri accipitur. Martialis:

B *Cur here quod dederas hodie puer Hyle negasti.*

Iuuenalis:

Res hodie minor est here quam fuit ——

& Quintil. ait: *Here nunc è litera terminamus.*

O NIMIS *exi. na. thea. meo.*] hoc ideo dictum accipe, quia theatra in primis frequentabantur à puellis causa ludorum theatralium, quos auidissimè spectabant. vnde ait Ouid.

Sed tu præcipue curuis venare theatris,
Hæc loca sunt voto fertiliora tuo:

veteres subitariis gradibus & theatro temperario ludos edebant. Pompeius mansuram theatri sedē posuit, vt auctor est Cornelius Tacitus. Theatrum Balbi, & Marcellianum memoran- C tur: Memoratur & Scaurij theatrum in tempus structum. Referuntur & theatra lignea Curionis, in quibus exhibuit ludos in funere paterno, vt tradit facundissime Plin. in XXXVI. Hæc sunt illa munera, id est ludi, quorum meminit Cicero in illa epistola, *Nempe studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine.*

GESTV *brachia.*] In saltationibus brachia cum gestu decoro antiquitus mouebantur: vnde ait Ouid.

Si vox est canta, si mollia brachia salta.

Mollem saltationem primi Iones inuenerunt, quæ Ionica vocatur: vnde dixit Horat.

D *Motus doceri gaudet Ionicos matura virgo.*

INCINIT *ore.*] id est canit. ab hoc verbo incino deriuatur incentio, & significat cantilenam, siue cantionem: quo vocabulo vtitur Gell. sic scribens, *Docet plurimis hominum morbis medicinam fuisse incentiones tibiarum.* & in eodem capite inquit: *Si modulis lenibus tibicen incinat*, pro canat.

INDICA *gemma.*] in India gemmas varij generis prætiosas fuisse Plin. Curtiúsque notificāt. prætiosiores erant sardonyces, carbunculi, adamantes, & berylli: epitheton est à laude loci deriuatum, vt gemma Indica appelletur.

E FRIGIDA *aqua.*] frigidus sudor, qui in nimio metu & ægritudine prouenire solet: vnde ait Apuleius in primo de asino: *Sudore frigido miser perfluo.* Cornelius Celsus scribit sudorem frigidum indicem esse morbi. Hippocrates in aphorismis ita scriptum reliquit: *Frigidi sudores cum febre acuta facti mortem significant.* Nam frigidus sudor, vt docet interpres Hippocratis Galenus, egreditur è corpore, cum calor naturalis vel iam extinctus est, vel vicinus est extinctioni.

QVOD *quæris quare non habet vllus amor.*] amoris nulla est ratio, nec dici potest causa cur simus in amore tam propensi, non magis quam Galli,

& Bellonarij, qui semet secant cultris, qua ratione id faciant dicere possint, cum ex animi quadam perturbatione hæc cuncta proueniant. sacerdotes Bellonæ deam colentes suo cruore sacrificant: sectis enim lacertis districtos gladios exercentes currunt, efferuntur, & insaniunt, vt scribit Lactan. in primo Institutionum. vnde ait Lucan.

—— tum quos sectis Bellona lacertis
Sæua monet cecinere deos ——

& apud Tibull. de sacerdotissa Bellonæ:

Ipsa bipenne suos cædit violenta lacertos.

Apule. de sacerdotibus deæ Syriæ scribens dicit illos morsibus suosmet musculos inuadere, & gladiis sibimet brachia dissecare, & per hunc furorem vaticinari. Legimus in instrumẽto veteri libro tertio regum, fuisse prophetas trecentos, quos lucorum appellant canonicæ scripturę, qui incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis, donec sanguine perfunderentur. Galli vero sacerdotes Cybeleij suis virilibus litabant, & amputato sexu, neque viri, neque fœminæ efficiebantur. Hi vaticinabantur carmine fanatico, vt inquit Liuius in XLVIII. Samia testa vtebantur ad virilitatem amputandam, nec aliter castrabantur citra perniciem, vt auctor est Plin. in XXXV. Lucret. in II. causam retulit quare Galli matri deûm attribuantur, & quare furore stimulentur: *Teliq; præportent violenti signa furoris.* & August. in VII. de ciuitate Dei: Sacra Gallorum & Cybeles tropologica enarratione reserauit, quæ apud vtrumque, cum libuerit, legere poteris: nos contenti sumus indicasse loca, in quibus ista contineantur. ait Propert. Bellonæ sacerdotes, & Phrygas Gallos secare brachia cultris, & semetipsos lancinare citra omnem rationem. Phrygem vocat Gallum, hoc est sacerdotem Cybeleum, quia Cybele dea Phrygia est. vnde ait Lucret.

Idæam vocitant matrem, Phrygiásque catervas
Dant comites. ——

& in hanc Propertij sententiam dixit Tibullus:

Et secet ad Phrygios vilia membra modos.

Ouid. in Ibin ait:

Attonitósque seces, vt quos Cybeleia mater
Incitat. ——

MI *licet & Thamyræ cantoris.*] etiam, inquit, si cæcus forem sicut fuit Thamyras, tamen oculatus essem ad formosas contemplandas, Thamyras Philamonis filius scientia cantandi gloriabundus Musas in certamen prouocauit: ex quo indignatæ Musæ vt scribit Homer. in II. Iliados, abstulerunt illi omnem pulsandæ citharæ peritiam, & oculis priuatum, spoliatúmque reliquerunt. hoc factum est in Dorio Bœotiæ. vnde dixit Lucan. in VI.

—— & Dorion ira flebile Pieridum.

Thamyram fuisse cęcum indicat Ouid. illo versu dimidiato:

—— & Thamyræ Demodocique caput.

HAVD *vnquam est culta labore Venus.*] in Venere colenda se nihil laborare, nihilque languere confirmat, cùm tamen ex concubitu homo omnium maximè animantium dissoluatur, atque languescat, vt refert Aristoteles, quoniam semen pro sui corporis ratione plurimum emittit: &, vt inquit Auicenna, nulla est euacuatio similis huic euacuationi Venereæ: Quin etiam, teste Alberto magno, homo pallescit, debilitatúrque ex coitu in tantum, vt si quadragies tantum de sanguine emitteret, non magis pallesceret, atque languesceret.

ALCMENÆ *geminas requieuerat arctos.*] ex lectione poëtarum & maximè Plauti satis notum, quemadmodum Iuppiter duas noctes, vel, vt ait Diodorus, tres in vnam redegit vt liberiùs Alcmenę amplexibus frueretur. hinc ille Sosia Plautinus scortatores inuitat. *Hac nox,* inquit, *scita est exercendo scorto conducto male.* attamen Iuppiter, vt inquit Propertius, non est factus languidior & infirmior ad fulmina iaculanda, propterea quòd amor suppeditat vires, non eripit.

THESSALA *tela.*] id est, Achillea. Nec Achilles, inquit, à concubitu Briseidos debilior veniebat in certamen: nec Hector hebetior, pigriórque ab amplexu vxoris Andromachæ, classem Græcorum inuadebat, cui incendium minitabatur.

MYCENÆÆ *rates.*] naues Græcorum à Mycenis ciuitate Peloponesi, vbi regnauit Agamẽnon imperator Græcorum: de Mycenarum potentia lege Strabonem in VIII. quas Virg. claras appellat, & Silius Agamemnoniam Mycenem appellitauit.

ILLE *vel hic.*] Achilles & Hector.

MVROS.] referas ad Achillem.

CLASSES.] ad Hectora.

HIC *ego.*] in amore & re venerea non minus se robustum esse gloriatur, quàm Achilles, Hectórque fuerunt.

ASPICE *vti cælo.*] quemadmodum duo luminaria alterum diurnum, alterum nocturnum deseruiunt mundo, ita sibi duabus puellis opus esse significat, vt altera cessante, altera præsto sit ad Veneris officium perficiendum.

TVTIVS *& geminos anxia mater alit.*] Sicut mater minori sollicitudine, atque anxietate afficitur, quæ duos habet filios, quam illa cui vnicus tantum est filius: ita ego, inquit poëta, tutius duas amo, quàm vnam: securius duabus operam impendo, quam vni.

AVT *si es dura nega.*] iuxta illud,

Diligo præstantem, non odi Cinna negantem.

& illud:

Pars beneficij accepti est, si cito neges.

illa enim torquet amantem, quæ nec dat, nec negat, sed cunctatione suspendit.

QVEM *quæ scire timet.*] ex amantium consuetudine dictum accipe, qui per internuncios multa cupiunt inuestigare de amica, & in primis an riualis fuerit intromissus: quæ deinde timidi, & cum suspiriis inuestigata cognoscunt.

CVM *recipi.*] hunc versum ita emendandum esse existimamus,

Cum recipi quem non nouerit ille putat,

cuius hæc est sententia, Amans non admissus ab amica pro vt sperauerat, per noctẽ quiescere

non poteſt, & identidem ſuſpirat, putans receptum eſſe à puella riualem, quem ipſe non nouerit: Alij codices habent, Cur vetat: magis placet Cum putat: quæ lectio elegantior eſt atque venuſtior.

IANVS DOVSA FIL.

SIVE *vagi crines puris in frontibus errant.*] Idem ſub initium huius libri:

Seu vidi ad frontem ſparſos errare capillos.

HIC *ego Pelides, hic ferus Hector ego.*] Scilicet in hac Veneris palæſtra: quod & Tibullus de ſe prædicat:

Hic ego dux miléſque bonus. ——

Hinc potitus amica exclamat noſter Callimachus alibi:

Hæc mihi deuictis potior victoria Parthis:
Hæc ſpolia, hæc Reges, hæc mihi currus erunt.

NAM *melius duo defendunt retinacula nauem.*] Plerumque à naue comparationes ſumit in amatoriis rebus. ſupra Eleg. IV. loquens de ſecundo amore:

Tranquillo tuta deſcendis flumine cymba.

Eleg. XIV.

Nunc ad te, mea lux, veniet mea littore nauis
Seruata; an mediis ſidat onuſta vadis?

Quod videtur eſſe à Græco fonte. ſic enim Meleager Anth. VII.

Ἡ φίλερως χαροποῖς Ἀσκληπιὰς, οἷα γαλήνης
Ὄμμασι συμπείθει πάντας ἐρωτοπλοεῖν.

Sed & ſententiam hanc de gemina anchora habere auctorem ſapientiſſimum Socratem, cuius hæc apud Stobæum verba ſunt: *οὔτε ναῦν ἐξ ἑνὸς ἀγκυρίου, οὔτε βίον ἐκ μιᾶς ἐλπίδος ὁρμιστέον.* obſeruauit eruditiſſimus Lipſius.

IANVS DOVSA PATER.

CVR *aliquis ſacris laniat ſua brachia cultris?*
Et Phrygis inſanos cæditur ad numeros?] Martialis:

Alba minus ſæuis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

VT *ſciat eſſe aliam, quæ velit eſſe mea.*] Huc reſpexit declamator ille apud Senecam Controuerſ. V. lib. II.

Volo tibi malam gratiam cum ſponſo tuo facere;
Habet amicam.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NVLLA *meis fruſtra luſtrantur compita.*] Compitalitios ludos intelligit, qui per vicorum magiſtros prætextatos fiebant. In illis ludis vidit multas puellas, quæ ludos ſpectabant, vt ipſe innuit.

O NIMIS *exitio nata theatra.*] Propter fabulas, quæ agebantur illis ludis.

SIVE *aliquis molle.*] Ludium intelligit.

SEV *varios incinit ore modos.*] Tibicines ἢ τοὺς χοροὺς διανόου intelligit, qui erant in ſcena, & in diuerbiis canebant. *Here* autem initio Elegiæ eſt, χαῖρε. non κύριε, vt inepte Beroaldus.

INTERRA *noſtri quærunt ſibi vulnus.*] ἀγαθο-

A νας ὀφθαλμιᾷ. Prouerbialiter.

SPERANTI *ſubito ſi qua venire negat.*] Propertianum, *ſi qua negat*, hoc eſt, ſi amica negat. Supra:

Aut ſi qua Arabio lucet bombyce puella.

Indefinite, quum tamen Cynthiam intelligat.

QVVM *recipi quem non nouerit ille putat.*] Verſus interpolatus. Ne ſincera quidem ſcriptura in noſtro:

Cur recipi quæ non nouerit, illa vetat. Lege:
Quum recipi quem non nouerit illa, vetat.

Fingit enim ſe non noſſe, quem vult excludi.

B
ELEGIA XXIII.

CVI fuit indocti fugienda hæc ſemita vulgi,
Ipſa petita lacu nunc mihi dulcis aqua eſt.
Ingenuus quiſquam alterius dat munera ſeruo,
Vt commiſſa ſuæ verba ferat dominæ?
C *Et quæris toties, quænam nunc porticus illam*
Integit? & campo quo mouet illa pedes?
Deinde vbi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis, vt ſcribat, muneris ecquid habes?
Cernere vti poſſis vultū cuſtodis amari,
D *Captus & immunda ſæpe latere caſa.*
Quàm carè ſemel in toto nox vertitur anno!
Ah pereant, ſi quos ianua clauſa iuuat.
Contra reiecto quæ libera vadit amictu,
Cuſtodum & nullo ſepta tumore, placet;
Cui ſæpe immundo Sacra conteritur via ſocco,
E *Nec ſinit eſſe moram, ſi quis adire velit.*
Differet hæc nunquam, nec poſcet garrula, quæ te
Aſtrictus ploret ſæpe dediſſe pater.
Nec dicet, timeo: propera iam ſurgere, quæſo:
Infelix, hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, & quas mihi miſit Orontes,

Me capiant. nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli iam restat amanti.
Nullus liber erit, si quis amare volet.

PHILIPP. BEROALD. BON.

CVI *fuit indocti fugienda hæc semita vulgi.*] quot & quanta sint in amore matronali incommoda expertus poëta, cœpit adire lupas, & scorta vulgaria: quorum facilitatem, tutósque concubitus anteponit difficultati, atque periculis, quæ ex ingenuarum puellarum amore proueniunt.

HÆC *semita.*] ego, inquit, qui vulgarem indoctorum sectam vtpote doctus fugere debebam, nunc per illorum semitam vadens & ex lacu plebeio aquam potans afficior suauitate: quod totum allegoricos dictum est: Nam significare vult suauem sibi esse cœpisse coitum meretricum, quas vulgi semitam appellat: quoniam plebei & ignobiles lupanaria frequentant & lustra, & hac semita iter subinde faciunt.

PETITA *lacu.*] metaphoricos ostendit se illa sectari, quæ prius sordentia iudicabat. Aquæ enim lacustres meretricibus comparantur, quæ cõmunes sunt vt illæ: quæ & si ob vilitatẽ minus expetibiles esse videantur, tamen ob facilitatem non insuaues existimantur, ex *sententia dia Catonis, Huc iuuenes aquum est descendere:* vt inquit Horat.

INGENVVS *quisquam.*] cum indignatione legendum & pronunciatione vultuosa adiuuandum: debet ne, inquit, quispiam ingenuus alieno seruo blandiri, & munera largiri, vt ille sit stupri sequester & internuncius? quasi dicat hæc nec fieri debere, nec tolerari cùm meretricis coitus parabilis sit & paruo constet.

QVÆ *nam nunc per illam.*] Romæ erant porticus Liuia, Octauia, Pompeia, inter alias laudatissimæ, sub quibus matronæ spatiari solebant, vt docet Ouid. Hinc est illud Satyricum:

Porticibusne tibi monstretur fœmina voto
Digna tuo. ——

PROMISSA.] legendum est Commissa: nam commissa verba vocat, quæ amator seruo commisit ad dominam perferenda.

. CAMPO *quo.*] vtrum Martio an minore campo, cuius meminit Catull.

Te quæsiuimus in minore campo.

QVOS *di. fa. la. Herculis.*] vbi, inquit, toleraueris labores tales ob amicam, quales Herculei celebrantur, est ne æquum vt illa deinde petulãs & procax petat ecquid habeas muneris quod sibi mittas? ærumnæ Herculis XII. vulgatissimæ sunt testimonio Diod. & Epigrammate Ausonij.

CVSTODIS.] qui scilicet muneribus est ab amatore complacandus, vt intromittatur ad dominam.

IMMVNDA.] amator sæpe in parte domus cœnosa delitescit, ne deprehendatur à marito puellæ. Non dissimile est illud Horat.

—— *an turpi clausus in arca*
Contractum, genibus tangas caput? ——

QVAM *care semel in toto.*] pathetica oratio, & cùm miseratione pronuncianda, qua docet poëta amatorem vbi per totum annum laborauerit, & cruciatus impatibiles pertulerit, vnica tantum nocte frui complexu ipsius puellæ, & ita quod iuuat breuissimum, quod torquet longissimum esse significat. Hoc idem mihi accidit, qui lõgo interuallo vix amplexari possum quam depereo: Iuuat me tamen iste tam rarus, tamque furtiuus dominæ congressus: Cùm nulla sit voluptas tam magna, quæ non assiduitate sui fastidium pariat.

CONTRA *reiecto.*] placet, inquit, mihi amica plebeia, & scortum vulgatissimum, cui nulli sunt custodes, nulla vestimenta, quæ oculos nostros impediant, quo minus ociosè cuncta possimus contemplari. In hanc sententiam est illud Horatianum:

Adde huc, quòd mercem sine fucis gestat, apertè:
Quod venale habet, ostendit. & ille totus sermo amorem matronarum insectatur, vtpote habentem plus amaroris quàm suauitatis. Meretrices, vt scri. Noni. apud veteres succinctiori veste vtebantur.

TERITVR *via socco.*] plebeium scortum vulgaréque describit, quod soccos sordidos, & calciamenta vilia gestare consueuit. Socci sunt calciamenta Comœdorum: vnde apud Horat. in arte poëtica soccos pro comœdia dictos accipimus. Sunt etiam socci calcei muliebres. Inde dixit Tranquil. *Caligulam in publicum processisse nonnunquam in socco muliebri.* Idem in Vitellio inquit: *Socculum Messalinæ dextrum inter togam, tunicásque gestauit assidue.* Matronæ gestabantur in lecticis: plebeiæ ibant pedibus, & ita à Iuuenale plebeia describitur:

Nec melior, silicem pedibus quæ conterit atrum.
Sacra via erat Romæ, per quam quot mensibus sacra ferebantur in arcem, vt ait Varro.

NEC *poscet.*] id est, postulabit. ita legendum est, non autem posset, vt mendosi codices scriptum habent: sensus est, Plebeia meretrix non petet à te pro concubitu munera prætiosa, quæ pater auarus doleat esse data à filio amatore. Plautus scortum huiuscemodi eleganti vocabulo appellat diobolare, à duobus scilicet obolis, quibus conducebatur.

ASTRICTVS.] id est tenax, & auarus, & in comœdiis introducuntur parasiti edaces: patres tenaces, meretrices procaces: vt inquit Apul. in Floridis.

ET *quas Euphra.*] placeant, inquit, mihi illæ puellæ quæ veniunt ex Babylonia & Assyria.

CAPIANT.] id est, iuuent & delectent. ita Martial.

Te fortasse magis capiat de virgine porca.

M. ANT. MVRETVS.

CVI *fuit.*] ait, se, relicto amore matronarum, contulisse se ad amandas eas, quæ minore negotio faciunt copiam sui. & colligit multa

multa argumenta, quibus harum amorem tutiorem ac iucundiorem esse concludat. eadem de re quædam sunt apud Horatium libro primo sermonum.

IANVS DOVSA PATER.

ET *quæris toties, quænam nunc porticus illam Integit?*] Rectè. Porticus enim ambulantibus integumentum.

DEINDE *vbi pertuleris, quos dicet fama labores Herculis, vt scribat, muneris ecquid habes?*] Huc spectat distichon Epigrammatis Græci ex VII. Anthol.

Ἐκπίζω ἔτι; ζητεῖς δὲ τί στόμα. φέρε τί;
Χρυσίον, ἀδύμη. ἢ πόσον; οὐ δύναμαι.

NEC *dicet, timeo.*] Huc pertinet illud:
Et simulare virum pretium facit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

CVI *fuis indocti.*] Continuanda hæc sunt. quod ex sequentibus facile patet, atque adeo ex antecedenti disticho, cuius sententia suspensa. Continuat enim fastidia matronarum. Legendum vero, *indocto*, non *indocti*. Qui indoctus & ἄπειρος fugiebam vagas puellas: nunc re ipsa expertus & doctus illas sector.

IPSA *petita lacu.*] Prouerbium. volgiuagam Venerem intelligit. Nam lacus est publicus. Horatius: —— *omnes*
Gestiet à furno venientes scire lacúque.
Nunc vagæ puellæ placent, inquit.

VT *commissa sua.*] Vetus scriptura, *promissa*. Nescio an bene.

DEINDE *vbi pertuleris.*] Post hoc distichon inserenda tria illa ordine, *Et modo pauonis caudæ flabella superba.* Quæ quam importuno loco leguntur?

QVÆQVE *nitet sacra.*] Notum quas viles merces dicat, quæ prostabant in sacra via, vt poma, & cætera non magni precij. pueri autem rogabant, da mihi sacram viam. Ouidius:
Si tibi nil dederit, sacra roganda via est.

CERNERE *vti possis.*] Hæc vulgo non bene distinguntur. Ita enim legenda potius esse videntur?

Cernere vti possis vultum custodis auari,
Captus & immunda sæpe latere casa,
Quam care semel in toto nox vertitur anno?

Facete παρὰ προσδοκίαν. Nam quum deberet dicere: Quam care nox vna emitur, vt potiaris optatis, dixit, vt lateas in immunda casa, & vt pericliteris reiici à duro custode.

AH *pereant si quos ianua clausa iuuat.*] Eubulus Comicus:

Ὅστις λέχη γὰρ σκότια νυμφεύει λάθρα,
Πῶς οὐχὶ πάντων ἐστὶν ἀθλιώτατος;
Ἐξὸν θεωρήσαντι πρὸς τὸν ἥλιον
Γυμνὰς ἐφεξῆς ἐπὶ κέρως τεταγμένας
Ἐν λεπτοπήνοις ὑφέσιν ἑστώσας, οἵας
Ἠριδανὸς ἁγνοῖς ὕδασι κηπεύει κόρας
Μικροῦ πρίασθαι κέρματος τὴν ἡδονήν,
Καὶ μὴ λαθραίαν κύπριν αἰσχίστην νόσων
Πασῶν διώκειν ὕβρεως, οὐ πόθου χάριν.

CONTRA *reiecto.*] Iam diximus ex Eubulo, γυμνὰς ἐφεξῆς, & ἐν λεπτοπήνοις, &c.

HODIE *vir mihi rare venis.*] Lege finem secundi sermonis libri primi apud Horatium.

ET *quas Euphrates.*] In versibus Eubuli.
—— Ἠριδανοῖς, &c.

ELEGIA XXIV.

TV loqueris, cùm sis iam noto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro.
Cui non his verbis aspergat tempora sudor,
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quòd si iam facilis spiraret Cynthia nobis;
Non ego nequitiæ dicerer esse caput,
Nec sic per totam infamis traducerer vrbem,
Vrerer & quamuis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quærere viles.
Parcius infamant. num tibi caussa leuis?
Et modò pauonis caudæ flabella superba,
Et manibus dura frigus habere pila,
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quæque nitent Sacra vilia dona via.
Ac peream, si me ista mouent dispendia: sed me
Fallaci dominæ iam pudet esse iocum.
Hoc erat in primis, quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse leuem:
Vna, aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam grauis esse tuo.
Me modò laudabas, & carmina nostra legebas.
Ille tuus pennas tam citò vertit amor?

Contendat mecum ingenio, contendat & arte, A
In primis vna discat amare domo.
Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat.
Tetra venena libens, & naufragus ebibat vndas,
Et nunquã pro te deneget esse miser. B
Quos vtinam in nobis vita experiare labores,
Iam tibi de timidis iste proteruus erit,
Qui nunc in tumidum iactando venit honorem,
Dißidiũ vobis proximus annus erit.
At me non ætas mutabit tota Sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices: ossa Properti C
Hæc tua sunt. eheu tu mihi certus' eras,
Certus eras eheu, quamuis nec sanguine auito
Nobilis, & quãuis non ita diues eras.
Nil ego non patiar, nunquam me iniuria mutat.
Ferre ego formosam, nullum onus esse puto. D
Credo ego non paucos ista periisse figura:
Credo ego sed multos non habuisse fidem.
Paruo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes vterque malus.
Iam tibi Iasonia nota est Medea carina,
Et modò seruato sola relicta viro. E
Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem,
Et se plus vni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ii tibi nos erimus: sed tu potius, precor, vt me
Demißis plangas pectora nuda comis.

PHILIPP. BEROALD. BON.

TV *loqueris cum sis iam toto fabula libro.*] procacitatem insectatur Cynthiæ, dicitque se illius causa factum esse famosum, & per totam vrbem esse ludibrio. Primi duo versus quasi ab aliena persona dicuntur ad ipsum Propertium, quibus se ad sudorem cogi demonstrat ex ingenuo pudore prouenientem.

INFAMIS *traducerer.*] significatissimo verbo vsus est: nam traducere significat deridere & ad infamiam ostentare. Papinius in siluis inquit:

Nempe ego sum qui traducor.
Martialis:
Rideris: multosque magis traduceris Afer.
& Iuuenalis:
Altera quos nudo traducit Gallia talo.

VRERER *& quamuis.*] ita distinguendum, vt sit sensus, quamuis vrerer amore, tamen multos fallerem, nec omnibus hic meus ardor cognitus foret.

VERBA *darem.*] id est deciperem. Hoc enim significat verba dare. hinc est ille locus Epigrammatici poëtæ:

Cui nihil ipse dabas, hic tibi verba dedit.

PARCIVS *infamant.*] Minori taxamur infamia ex amore vilis atque plebeiæ puellæ, quàm matronarum Horat. in Sermoni. inquit:

Verum est cum mimis, est cum meretricibus: vnde
Fama malum grauius, quàm res, trahit.

FRIGVS *habere pila.*] intelligit pilam ex crystallo puellarem, quam matronæ æstiuo tempore manibus continent ad æstum refrigerandum.

TALOS *eburnos.*] tali sunt illi, quos Græci astragalos appellant: vnde astragalizontes dicuntur à Plinio talis ludentes, diuersi à tesseris: cùm tesseræ sint ex sex lateribus quadratæ. Græcè cubi dicuntur, quibus in alea nunc passim omnes vtuntur: Tali vero in desuetudinem abierunt. Vt autem intelligas quare apud Martialem dicatur tessera,

Non sum talorum numero par tessera:

scito in ludo talario adhiberi quatuor talos, cum in tesserario tesseræ tantum tres adhibeantur, quod breuiter traditum à Cicerone obseruauimus ita scribente in primo de diuinatione: *Quatuor tali iacti casu venereum efficiunt*. Idem alibi ait: *Venereum iaci posse casu quatuor talis iactis & quadringentis centum venereos non posse casu consistere.* Huius rei ignarus Martialis interpres in enarratione talorum & tesserarum cuncta perturbat, & perperam interpretatur.

IVLIA *dona.*] id est Cæsarea, & ob hoc pretiosa. Hæc lectio accommodatior est sententiæ ipsius poëtæ, quàm si legas, *vilia dona*. In via sacra erat emporium rerum venalium; vnde dixit poëta in Priapeiis:

De sacra nulli dixeris esse via.
& Ouidius:
Rure suburbano poteris tibi dicere missa:
Illa tibi in sacra sint licet empta via.

DISPENDIA.] id est, damna & detrimenta.

ab eo dictum dispendium, quòd in dispendendo solet minus fieri, vt interpretatur M. Varro. Hinc ait Columella: *Dispendiosa cunctatio est.*

I L L E *tuus pennas.*] quia Amor alatus pingitur.

C O N T E N D A T *me. in.*] prouocat riualem in certamen literatorium, quem rudem ostendere vult, & ob hoc contemptibilem.

V N A *discat amare domo.*] id est, sit contentus vnica amica, sicut nos sumus: ex quo ostendit riualem plures amicas habere, se vero vnius Cynthiæ amore esse contentum.

L E R N Æ A S *pugnet ad hydras.*] nullum periculum se subterfugere demonstrat, quod iusserit amica. Idem minime factumm esse riualem.

L E R N Æ A S *hydras.*] plurali numero dixisse videtur, quia multis capitibus erat formidolosa, & vno abscisso bina ternáve renascebantur: vnde ait Ouid.

Nec profuit hydræ Crescere per damnum.

Hanc interemit Hercules. Historia & fabula notissima. Lernæas appellat, quoniam dicitur fuisse in Lerna Argiuorum palude. vnde ait Vir.

—— *& bellua Lernæ.*

Dicta est alio nomine excetra, vt docet Seruius, ab eo quòd vno capite cæso tria succrescebant, & ita appellatur à Plauto in Persa.

H E S P E R I O *mala dracone.*] notissimum est Hesperidas puellas in Libya habuisse nemus auriferum, quod custodiebatur à vigili dracone, quem Hercules interfecit, & poma aurea detulit ad Euristheum. Plinius & Solinus tradunt hortos Hesperidum cinctos fuisse flexuoso maris meatu, qui visentibus procul draconis præbebat effigiem, vnde draconem custodis instar fuisse interpretantur, qui instruunt iter ad mendacium fabulandi: Nihil præter oleastros aliud extat ex narrato illo aurifero nemore. M. Varro, Aurea mala Hesperidum capras & oues interpretatur. Cuius hæc sunt verba ex libro rei rusticæ secundo: *Vt in Libya ad Hesperidas vnde aurea mala, id est, secundum antiquam consuetudinem capras & oues, quas Hercules ex Africa in Græciam exportauit. Ea enim sua voce Græci appellarunt mala.* Hoc idem tradit Diodor. in v.

T E T R A *venena.*] nigra atque mortifera, vt Lucullus, qui amatorio periit, vt Lucretius, qui amatorio poculo in furorem versus propria se manu interfecit, annum agens quadragesimum tertium, auctores Plinius, & Eusebius.

D I S S I D I V M *vobis.*] præsagit non diuturnum fore amorem inter Cynthiam & riualem, qui factus erit insolens & gloriabundus. Dissidium accipitur pro diuisione & sequestratione amatoria, vt diuortium inter coniuges nominatur: Tibullus:

Asper eram, & bene dissidium me ferre loquebar.

N O N *ætas mutabit tota Sibyllæ.*] se in amore constantissimum esse profitetur, adeo vt nulla ætate, nullis laboribus, nec ipsa quidem morte mutari possit à Cynthiæ amore. De ætate Sibyllæ longæve dictum est supra satis.

N O N *labor Alcidæ.*] id est, labores Herculei.

A Alcides dicitur Hercules ab Alcæo patre Amphytrionis, vt autumat Seruius, vel ab Alcæo monte, vt inquit Probus, siue ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est fortitudine. Hercules ab hera, qua Iunonem intelligimus, nuncupatus.

N O N *niger ille dies.*] eleganter dies mortis niger nominatur, quæ & ipsa nigra nuncupatur. Tibullus:

Abstineas auidas mors modo nigra manus.

& Hora. Nigros ignes rogales appellat.

C E R T V S *eras.*] id est, firmus & stabilis in amore.

B N E C *sanguine auito nobilis.*] id est, non eras generosus & stemmate maiorum longo conspicuus. Sanguinem auitum accipe pro nobilitate auorum. Auitus ab auo deducitur. Liui. *Interuenit his cogitationibus auitum malum, regni cupido.*

Q V A M V I S *naui. di. eras.*] Propertium ex familia Nauitarum fuisse fidem facere videtur iste versiculus, & fortassis si ita legendum esset, non absurde hæc gens referri posset ad illum Nautem Virgilianum, qui in v. Æneidos doctrina Palladis commendatur, à quo familia Nautiorum Romæ fuisse fertur, quæ Mineruæ sacra seruauit, & ferme omnes, istius versiculi testimonio freti, Propertium Nautam fuisse crediderunt. Sed mendum quod inoleuit duarum literarum inuersione sic est emendandum, vt pro nauita corrigas non ita. Duæ enim dictiones per librariorum incuriam atque inscientiam coagmentatæ fuerunt in vnam dictionem, & ita error propagatus per omnes passim codices: iam tollendus est, & poëtæ vera, hoc est sua, reddenda sententia, quæ talis est: Cynthia post obitũ meũ, inquit poëta, dicet hæc verba: Tu mihi ô Properti eras certus & verus amator, quãuis nec stemmate maiorum esses clarus, nec ita diues & opulentus, vt riualis est tuus: ex quo ostendit fidem & constantiam in amatore pluris faciendam esse, quàm opes, auorúmque nobilitatem.

P H I L L I D A *Demo.*] amor Phyllidis & Demophoontis Ouidij epistola notissimus. Illud adde scitu dignum, quòd arbor illa, ex qua Phyllis se suspendit, nunquam virescit, vt scribit Plin. in X V I.

M I N O I D A.] id est Ariadnam. expone vt supra.

H O S P E S *vterque.*] Theseus & Demophoon pater & filius.

I A S O N I A.] Argo signat, de qua iam dictum est.

E R E L I C T A.] quando Iason Creusam duxit vxorem.

N O L I *no.*] dehortatur Cynthiam ab amore diuitum atque nobilium, quoniam tales multa recusant in amore, quæ pauperes incunctanter & strenuè facessunt. Vnde dixit Tibullus:

Pauper erit præsto, nam præsto pauper abibit.

nec diuites vellent colligere ossa & cineres puellæ defunctæ, quod officium faciet pauper amator, & ad mortem vsque fidus in amore perseuerabit: vnde subiungit,

H I *tibi nos erimus.*] ego, inquit, ero ille, qui colligam ossa tua, & cineres in vrnam componã.

Mox seipsum corrigens dicit se prius velle mori, vt sibi potius à Cynthia tale officium præstetur quàm vt ipse Cynthiæ præstare cogatur.

IANVS DOVSA FIL.

NIL *ego non patiar. nunquam me iniuria mutat.*] Sic Petronius in Satyrico: *Nec me contumeliæ lassant: Quod verberatus sum, nescio; quod eiectus sum, lusum puto, modò redire in gratiam liceat.* quò pertinet & illud Elegia proxima:

Vltro contemtus rogat, & peccasse fatetur
Læsus, & inuitis ipse redis pedibus.

IANVS DOVSA PATER.

VRERER *& quamuis, nomine verba darem.*] Id est, suppostitio amicæ nomine populo imponerem, quod fecit Propertius ea enim non Cynthia, sed Hostia vero nomine appellata fuit. Auctor Apuleius Apologia I.

DEMISSIS *plangas pectora nuda comis.*] Idem quod *nuda pectore*, siue, vti Poëtæ loquuntur, *nuda pectus*, *nuda genu*. *nuda* enim hoc loco nominandi casu positum est.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

TV *loqueris quum sis.*] Et in nostro scripto, & in editionibus hæc perperam diuulsa sunt à superioribus: Quare coniunge, atque ita lege:

Libertas quoniam nulli iam restat amanti,
Nullus liber erit, si quis amare volet:
Tu loqueris, &c. Est obiectio. Et dicitur μιμητικῶς.

CVI *non his verbis aspergat tempora sudor.*] Scribe, *surdo*. quem non hæc verba pudore suffundant, etiam si surdis auribus esset? Alioqui hiulca est oratio.

QVARE *ne tibi sit.*] Hæc concludunt principium elegiæ, aut paulo post:

Quæris, Demophoon, cur sim tam mollis in omnes?

Vides ergo importune hæc lacerata fuisse.

QVÆRERE *viles.*] Sane hæc ostendunt superiora importune diuulsa fuisse.

HOC *erat in primis.*] Hic alia elegia incipit.

QVI *nunc se intumidum.*] Post hoc distichon illud reponendum: DVRA EST QVÆ MVLTIS SIMVLATVM. Tu, inquit, simulato amore in falsam spem inducis me. Ast ego non ita. nam me nulla ætas mutabit. Vtitur tertia persona more suo, vt supra non semel. Dixit enim:

Et se plus vni si qua parare potest.

Si qua enim dixit de ipsa Cynthia loquens, quasi diceret, dura es, quæ te plus vni paras. vt supra:

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.

Si qua. est indefinite pronunciatum. Atqui definita persona loquitur.

QVAMVIS *non ita diues eras.*] Recte Beroaldus pro *nauita*, quod in veteribus libris erat, reposuit, *non ita.*

A

ELEGIA XXV.

VNICA nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea sæpe, veni.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calue tua venia, pace Catulle tua.
B *Miles depositis annosus secubat armis:*
Grandæuique negant ducere aratra boues:
Putris & in vacua requiescit nauis arena:
Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore tuo deducet nulla senectus,
C *Siue ego Tithonus, siue ego Nestor ero.*
Nonne fuit satius duro seruire tyranno?
Et gemere in tauro sæue Perille tuo?
Gorgonis & satius fuit obdurescere vultu?
Caucasias etiam si pateremur aues?
D *Sed tamen obsistam. teritur rubigine mucro*
Ferreus, & paruo sæpe liquore silex.
At nullo dominæ teritur sub limine, amor, qui
Restat, & immerita sustinet aure minas.
Vltro contemptus rogat, & peccasse fatetur
E *Læsus, & inuitis ipse redit pedibus.*
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore,
Credule, nulla diu femina pondus habet.
An quisquam in mediis persoluit vota procellis?
Cum sæpe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit præmia cursu,

Septima quàm metam triuerit ante rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi.
Si qua uenit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamuis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Namque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamuis te persæpe vocet, semel ire memento.
Inuidiam quod habet, non solet esse diu.
At, si sæcla forent antiquis grata puellis,
Essem ego quod nunc tu. tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt secula mores.
Vnusquisque sua nouerit ire via.
At vos, qui officia in multos reuocatis amores.
Quantum sic cruciat lumina vestra dolor?
Vidistis pleno teneram candore puellam.
Vidistis fusco. ducit vterque color.
Vidistis quandam Argiua prodire figura,
Vidistis nostras. vtraque forma rapit.
Illáque plebeio, vel sit sandicis amictu,
Hæc, atque illa mali vulneris vna via est.
Cùm satis vna tuis insomnia portet ocellis,
Vna sit & cuiuis femina multa mala.

PHILIPP. BEROALD. BON.

VNICA *nata meo pulcherrima cura dolori.*] Cynthiam inuitat vt ad se veniat, cùm ab illius foribus sæpe excludatur, dicitque se in amore Cynthiæ moriturum, & more amantis poëtæ per varios sensus discurrit: est & altera interpretatio, vt intelligamus versus Elegos à poëta inuitari ad leniendum dolorem, quem patitur frequenter exclusus à Cynthia. Sunt enim poëmata medelæ sollicitudinum & doloris lenimenta. vnde ab Horatio carmina dicuntur frigida curarum fomenta.

CALVE *tua venia.*] quasi ostendere velit se celebratiorem facturum esse Cynthiam suis carminibus, quàm Caluus & Catullus amicas suas celebrauerint, & cùm id videri posset insolenter dictum adhibuit temperamentum, dicens cum bona venia vtriusque se istud polliceri. Talis locutio est apud Gellium ita scribentem: *Cum pace, cúmque venia istorum, si qui sunt qui Verrii Flacci auctoritate capiuntur, hoc dictum sit.* de Caluo & Catullo infra dicetur.

MILES *depositis annosus.*] ostendit exemplis omnes alios fere in senectute quiescere & habere cessationem à laboribus præter se, qui nullo senio ab amore deducitur. Milites veterani habent militiæ vacationem, & emeritis stipendiis honestam ab imperatore missionem cōsequuntur: quod etiam refert iurisconsultus, digestis de his qui notantur infamia. Talis ergo miles secubat, id est seorsum cubat, & sequestratus ab armis, quæ iam deposuit & laribus consecrauit. Ouidius:

Secubat in vacuo sola puella toro.

PVTRIS *nauis.*] naues vetustate putrescentes, & diuturna exercitatione quassatæ in naualia duci solent ibique quiescunt: quod tangit Ouid. illo versu:

In caua ducuntur quassæ naualia puppes.
& Lucan.
Emeritus repetit naualibus alnos.

BELLICA *parma.*] milites emeriti arma laribus dicabant: Vnde ait Ouid.

Miles vt emeritus non est satis vtilis armis:
Ponit ad antiquos quæ tulit arma lares.

Gladiatores donati rude post gladiatorias palmas arma Herculi consecrabant: inde ab Horat. dictum est:

—— Veianus, armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.

PARMA.] scutum breue est, vt inquit Noni. Vnde illud à Martiale dictum,

Parma tibi scutum pumilionis erit.

Parmæ diminutiuum est parmula, quo vsus est Horatius,

Sensi relicta non bene parmula:

Inde deriuatur parmularius, & accipitur pro gladiatore. Suetonius: *Impiè locutus parmularius.* & apud Quintilian. *Ego*, inquit, *parmularius sum.* Parma ergo bellica vetustescens in templo consecratur ritu maiorum, & illic vacat, id est otiosa est. Lucanus:

Diripiunt sacris affixa penatibus arma.

TITHONVS.] hic diu viuendo dicitur in cicadam conuersus, vt ait Acron.

ET *gemere in tauro sæpe Perille tuo.*] de tauro Perilli luculente scribit Phalaris in epistola ad Athenienses, cuius initium hoc est, *Venit ad nos faber vester Perillus*: hic taurum ex ære fecit quo homines inclusi igne subdito bouesmugientes imitabantur, quem cum dono dedisset Phalaridi tyrāno Agrigentino, laudauit tyrānus

artificium, sed artificem puniendum esse duxit: & ita Perillus primus eum expertus est cruciatum lege iustissima.

——Nec enim lex iustior vlla est:
Quam necis artifices arte perire sua.

vt inquit Ouid. in primo de arte, qui in tertio Tristium hanc historiam eleganter enarrat. & Plin. in XXXIV. ita scribit: *Perillum nemo laudat sæuiorem Phalaride tyranno, cui taurum fecit mugitus hominis pollicitus igne subdito, & primus eum expertus est cruciatum.* Iustiore sæuitia docet poëta amorem Cynthiæ sæuiorem esse crudelitate tyrannica, tormentisque Phalaridis: & ita Toxilus Plautinus in Persa ait se malle cum leone, cum excetra, cum Antæo deluctari, quàm cum Amore.

GORGONIS *obdurescere vultu.*] nota est fabula Gorgonis Medusæ: cuius vultus spectatus homines in saxa transformabat. Ouid. & Lucan. id copiosissime describunt. Hanc interfecit Perseus, & eius abscissum caput Mineruæ donauit, quod illa gestat in ægide. Vnde ait Virgilius:

Aegidáque horrificam turbatæ Palladis arma.

Scribit Diodor. in IV. Gorgonas fœminas fuisse in Africa bellicosas, aduersus quas Perseus bellum gesserit, & earum reginam Medusam debellauerit: Postremo ab Hercule gens Gorgonum deleta fuit.

CAVCASEAS *aues.*] propter Prometheum: cuius iecur opimum in caucaso aquilæ depascuntur: de hoc supradiximus. Sensus est poëtæ, satius esse seruire tyranno, sicut Hercules seruiuit Eurystheo: & tereri in tauro Phalaridis, & verti in saxum vila Gorgone, & lancinari ab aquila instar Promethei, quàm seruire Amori, & mancipari puellæ, quæ dura & inexorabilis est cum suus amor nunquam teratur & mitigetur, sicut rubigine ferrum conteri solet, & silex à gutta perforari.

TERITVR *sublimine.*] sublimen est nouè dictum pro elimatione, & à lima fabrile ferramento deductum videtur, quæ fabri elimant & poliunt aspera & scabra. In aliis codicibus legitur, sub limine, vt sint duæ dictiones, & sit sensus: Ferrum rubigine conteri, silicem aqua cauari, suum vero amorem minui posse nullo alio amore, nec se sub limine & hostio alterius dominæ Cynthiam posse obliuisci: & erit sensus ductus ab illa catholica sententia: *Successore nouo tollitur omnis amor.* Potes accipere sublimen pro superbia, tanquam à sublimando deductum, vt sit sensus, Amorem suum nulla superbia, nullóque fastu Cynthiæ posse comminui.

LÆSVS *& contemptus.*] scilicet, amor meus neglectus à Cynthia.

INVITIS *ipse redit pedibus.*] iuxta illud:

Cum bene iuraui pes tamen ipse redit.

& Horat. ait:

——ferebar incerto pede
Ad non amicos heu mihi postes.——

Plin. quoque ad Calphurniam vxorem scribens inquit: *Ad diætam tuam ipsi me, vt verissime dicitur, pedes ducunt.*

A AN *quisquam in mediis.*] metaphoricos ostendit non esse in amore fœminæ nimium gaudendum cum possis repente destitui. Translatio est sumpta à nauigantibus, qui non ante vota persoluunt quàm sospites euaserint, cùm etiam in ipso portu sit naufragium metuendum.

AVT *prius infecto cursu.*] non solet auriga in curruli certamine prius poscere præmiũ, quàm legitimum cursum consumauerit: Ita amator non glorietur tanquam victor, nisi vsque ad finem habuerit amorem secũdum atque fauẽtem.

SEPTIMA *ro.*] agitatores in ludis circensibus

B septem spacia decurrebant antequam brauium victori tribueretur. Hoc indicat Sueto. sic scribens in Domitiano: *Singulos missus à septenis spatiis ad quinã corripuit.* Hoc significat & Sene. in quadam ad Lucilium epistola sic loquens: *Agitatorum lætitia est cum septimo spacio palmæ appropinquant.* Ad hoc allusisse videtur Lactan. in VII. Institutionum quando sic inquit: *Decursis propositi operis septem spatiis ad metam prouecti sumus.* Et Hieronymus in Hilarionis vita sic scribit: *Quadrigæ septeno currunt circuitu.* & à Cassiodoro traditum est: quòd equi circum septem metas incitabantur. Metæ erant in Circo, circum quas equi currebant, vt ait Varro. Antiquitus fuerunt ligneæ:

C Claudius auratas metas instituit, auctor Tranquil.

IN *ta. co. gau.*] hoc idem præcipit Tibull. illo versu:

Qui sapit in tacito gaudeat ille sinu.

& vt inquit Ouid.

Cytherea iubet sua sacra taceri.

INVIDIAM *quod habet.*] catholica sententia, qua ostendit illud diu durare non posse, quod est obnoxiũ inuidiæ, quæ sæpe magna subuertit.

ET *si sæcla so.*] seculo suo & ætati imputat mores puellarum corruptos. Huic conuenit illa elegans apud Cornelium Tacitum sentẽtia, scri-

D bentem de Germanis. ait enim *Illic nemo vitia sua ridet, nec corrumpere & corrumpi seculum vocatur.*

AT *vos qui officia in mul.*] sermo conuertitur in illos qui plures habent amicas, quos docet maiori dolore cruciari, quàm si vnica contenti forent, sicut ipsum esse se dicit, cùm vna fœmina satis superque sit ad amantem perdendum, & vitam ærumnosam faciendum.

SIC.] scilicet plures puellas amando.

DVLCIS *vterque co.*] candidus scilicet & fuscus. Dixit enim Ouid.

Est etiam in fusco grata colore Venus.

ARGIVA *figura.*] scilicet quales fuerunt he-

E roides Argiuæ: de quibus supra memorauimus: vel de habitu, vestituq; Græcanico dictũ accipe.

SANDICIS *ami.*] Sandix apud Virgil. significat herbam illo versu,

Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Sandix apud Plin. est color flammeus ex rubrica & sandaraca fictitius. Hic accipitur pro colore siue flammeo: siue herbaceo quoniam, vt ait Seruius, à sandice herba deducitur color sandicinus. Sensus est poëtæ, Fœminam vulnerare præcordia amatoris, siue sit Græca, siue Romana, siue plebeia, siue patritia, siue induta vestimentis vilioribus, siue prætiosioribus

exornata. Sandix vero herba eſt, quæ in olere ſilueſtri à Græcis ponitur, vt tradit Eraſiſtratus.

PORTET *inſomnia.*] quoniam, vt inquit Maro, fingunt ſibi ſomnia amantes, & quæ vigilantes cogitamus, ea nobis dormientibus obſeruantur. iuxta illud Claudiani:

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno:
Tempore nocturno redit amica quies.

De generibus inſomniorum lege Macrobium in primo in ſomnium Scipionis.

VNA *fit.*] cùm ſatis curarum, ſatiſque dolorum ex vnius puellæ amore prouenıat, tanto magis torquebimur ſi plures amabimus.

IANVS DOVSA FIL.

INVIDIAM *quod habet, non ſolet eſſe diu.*] Gnome oſtendens ea diu durare non poſſe quæ inuidiæ obnoxia ſunt, quamuis in ſpeciem minus vera, tamen auctores ſuos habet. Seneca in Suaſoriis: *Scias licet ad finem perueniſſe, quæ ad inuidiam perducta ſunt.* Strabo de templo Delphico loquens: ἐπίφθονος δ' ὢν ὁ πλοῦτος δυσφύλακτός ἐστι καὶ ἱερὸς ᾖ.

AT *ſi ſæcla forent antiquis grata puellis.*] Forte

——antiquæ hic grata puellis.

IANVS DOVSA PATER.

MILES *depoſitis annoſus ſecubat armis:*
Grandæuique negant ducere aratra boues.
Putris & in vacua requieſcit nauis arena.]

Eadem ferè omnia ab Ouidio recenſita habes II. Amorum:

Feſſus in acceptos miles deducitur agros
Tutáque depoſito poſcitur enſe rudis,
Longáque ſubductam celant naualia pinum,
Mittitur in ſaltus carcere liber equus.

In Eleg. eandem ſcita, poetica, veréque adeò Propertiana loquutio illa:

GORGONIS *& ſatius fuit obdureſcere vultu?*
Caucaſeas etiam ſi pateremur aues.]

Quippe *ſi* nouo more, nullique quod ſciam, Poëtarum vſitato, priori narrationi ſubiunctum eſt. qua tamen ipſe Propertius poſtea vtitur libro inſequente:

Iſſent Phlegræo melius tua funera campo,
Vel tua ſi ſocero colla daturus eras.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

VNICA *nata meo.*] Et hæc importune à ſuperioribus diuulſa. Perſequitur enim, quod inceperat. Ait ſe fore illi vni addictiſſimum, neque aliam amaturum. Legendum vero:

Vnica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludi quoniam ſors mea, ſæpe venis.

Quoniam ita mihi ſorte euenit, vt alij nocte promiſſa, ego excludar, tu eris nihilominus etiam abſens vnica cura animo meo. nam verbum veniendi apud Propertium, vt iam indicaui, eſt τὸ τυγχάνειν. Alioqui quam ineptum erat dicere: Quia ego excludor à te, tu ſæpe veni ad me. Quis riſum contineret? Hæc ſane obſcura hactenus fuerant.

EXCLVDIT *quoniam.*] Malo, *Excludi.* Sors mea eſt excludi. Vt ille Phædria in Eunucho cedit, alteri nocte conceſſa. Quare ſuperius:

Dura eſt, quæ multis ſimulatum ducit amorem.
Et ſe plus vni ſi qua parare poteſt.

Excluſit enim Propertium, quia alij condixerat.

MILES *depoſitus.*] Noſter, *ſepoſitus.* Melius legeretur, meo iudicio:

Miles ſepoſitis annoſus decubat annis.

AVT *me ab amore tuo.*] Poſt hoc diſtichon repone illud, *Et ſi ſæcla forent,* cum ſequenti. Nam ſuperior ſententia cum illis congruit. Si, inquit, paterentur ſæcula vt eſſem quod nunc tu es, nempe puella antiquis grata. hoc eſt iam prouectior ætate: iam æqualis prouectis: quod tamen ætas mea non permittit: quod tamen per ætatem meam non licet. Nam tu es prouectior me: Supra: *——quum ſis*

Ipſa anus, haud longa curua futura die. Item:
Appia cur toties te via ducit anum?

NONNE *fuit ſatius.*] Nonne ſatius erat hæc pati, quam mutare amorem meum?

AT *nullo dominæ.*] Aliter & melius legendum ex antiqua ſcriptura:

At nullo de me teritur ſublimine amor, qui
Reſtat ——

Sublimen eſt idem quod limen inferius, vt in Varronem annotamus: vt contra Superlimen, hoc eſt ὑπέρθυρον in veteri Gloſſario. Amor, qui reſtat de me, durat, quum de ferro nihil tandem reſtet, quod duret. Liminis autem facta mentio propter vigilatas noctes amantibus ad limina amicarum.

TV *quoque qui pleno faſtus.*] Referendum ad eum, de quo ſuperius conquerebatur, quum ait: *Tetra venena libens,* &c. Vt appareat recte nos hæc cum illis coniunxiſſe.

INVIDIAM *quod habet.*] παροιμιῶδες.

QVANTVM *ſic cruciat.*] Plane eſt Herodoti, ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν. Supra:

Interea noſtri quærunt ſibi vulnus ocelli.

DVLCIS *vterque color.*] Scribe, vt in noſtro, *ducis.*

VNA *ſit.*] Poteſt etiam legi *vna ſat-*

ELEGIA XXVI.

VIDI ego te in ſomnis fracta, mea vita, carina
Ionio laſſas ducere rore manus:
Et quæcunque in me fueras mentita, fateri,
Nec iam humore graues tollere poſſe comas:
Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
Aurea quàm molli tergore vexit ouis.
Quàm timui, ne fortè tuum mare nomen haberet,

Atque tua labens nauita fleret aqua.
Quæ tum ego Neptuno, quæ tum cum Castore fratri,
Quæque tibi excepi tum dea Leucothoë?
At tu, vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen iam peritura vocas.
Quòd si fortè tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionij facta puella maris;
Et, tibi ob inuidiam Nereïdes increpitarent,
Candida Nisæe, cærula Cymothoë.
Sed tibi subsidio Delphinũ currere vidi,
Qui puto, Arioniam vexerat antè lyram.
Iámque ego conabar summo me mittere saxo,
Cùm mihi discußit talia visa metus.
Nunc admirentur, quòd tam mihi pulcra puella
Seruiat, & tota dicar in vrbe potens.
Non, si Cambysæ redeant, & flumina Crœsi,
Dicat, de nostro surge poëta toro.
Nam mea cùm recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sanctè nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest.
Qui dare multa potest, multa & amare potest:
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, & fidos vna aget aura duos.
Vnum littus erit sopitis, vnáque tecto
Arbor, & ex vna sæpe bibemus aqua.
Et tabula vna duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.

A *Omnia perpetiar, sæuus licet vrgeat Eurus,*
Veláque in incertum frigidus auster agat.
Quicunque & venti miserum vexastis Vlyssem:
Et Danaum Euboico littore mille rates,
B *Et qui mouistis duo littora, cùm rudis Argus*
Dux erat ignoto missa colũba mari.
Illa meis tantum non vnquam desit ocellis,
Incendat nauem Iuppiter ille licet.
Certè iisdem nudi pariter iactabimur oris.
Me licet vnda ferat, te modò terra tegat.
C *Sed nõ Neptunus tanto crudelis amori,*
Neptunus fratri par in amore Ioui.
Testis Amymone, latices cùm ferret in aruis,
Compressa, & Lernæ pulsa tridente palus.
Iam Deus amplexu votum persoluit, at illi
Aurea diuinas vrna refudit aquas.
D *Crudelem & Boream rapta Orithyia negauit.*
Hic Deus & terras, & maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec vnquam.
Alternante vorans vasta Charybdis aqua.
Ipsáque sidera erunt nullis obscura tenebris.
E *Purus & Orion, purus & Hædus erit.*
Quòd mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

VIDI *te in somnis fracta, mea vita, carina.*] somnium describit: quo per quietem viderat Cynthiam naufragio periclitari.

IONIO *rore.*] pro Ionio mari dictum accipe, quod Adriaco connexum est: & ab Ionio Dyrrachi filio nomen accepit, quem interfectum Hercules in mare præcipitauit. auctor Appianus. Vel ab Ione puella dictum est, vt autumat Solinus.

NEC *tollere comas.*] repetendum est verbum vidi. Comæ autem aqua madefactæ, & humore prægnantes degrauant naufragantem.

AVREA *quam molli.*] Phrixus & Helle fugientes odia nouercalia arietem habentem auream pellem conscenderunt, & quam longissimè discedentes peruenerunt ad Hellespontum, vbi lapsa Helle concidit in vndas, & mari nomen imposuit, vt supra narrauimus. Phrixus peruenit in Colchicam regionem, & arietis pellem auream fixit in templo. Ipse vero aries à Ioue inter sidera constitutus est. Lege Higinium & Diodorum multa, variáque scriptitantes super Ariete Phrixi.

PVRPVREIS *fluctibus.*] mare modo cæruleum est, modo atrum, modo purpureum: Vnde dixit Maro: *In mare purpureum violentior influit amnis.* De coloribus maris scribit Cicero in Lucullo.

TVVM *mare nomen.*] ne scilicet ita mare Cynthiacum à Cynthia submersa diceretur, vt Hellespontus nuncupatur ab Helle.

LABENS *nauita.*] id est, currens & nauigans.

CVM *Castore fratri.*] id est, Castoribus vota feci, quæ sunt stellæ benignæ nauigantibus. Repete quæ dicta sunt in primo commentariō de Castoribus.

IAM *dea Leucothoe.*] cùm olim mortalis fuerit Leucothoe, deinde facta sit dea maris: ideo ait, *Iam dea.* alij codices habent *Tum dea*: vt dicat illo tempusculo & momento tunc vota facere videbar diis marinis pro salute Cynthiæ. Leucothoa autem dea est marina à Latinis Matuta nuncupata, vt ait Ouid.

Leucothoe Graiis, Matuta vocabere nostris.

Hoc idem scribit Cicero in Tuscul. quæstionibus. Hæc, vt poëtæ fabulantur, filia fuit Cadmi nomine Ino vxor Athamantis, quæ cum marito furoribus furialibus agitata est immissis à Iunone, quæ filium Melicertam ferens scopulum conscendit, ex quo se vna cum filio præcipitem misit: Ipsa facta est dea Leucothoa, & Matuta nominata: filius in Portunum deum commutatus est, qui alio nomine dicitur Palæmon. fabulam scribit Ouid. in IIII. Metamor. Matutinus à Matuta deducitur, & tunc Auroram significat, vt docet Priscia.

GLAVCVS *ocellos.*] Glaucus deus est marinus ex piscatore conuersus in deum gramine gustato. fabula nota apud Ouid. in XIII. Fuit alter Glaucus discerptus ab equabus, cuius meminit Virg. in Geor. Fuit & tertius Glaucus melle strangulatus. Glaucus color dicitur viridis, vt docet Gel. & Mineruam Homerus nominitat Glaucopin ab oculis glaucis: alio nomine cæsij dicuntur. si Glaucus, inquit, te vidisset, te adamasset, & deam maris effecisset. Alludit ad amorem Glauci, qui amauit Scyllam ardentissime.

A NEREIDES *increpitarent.*] id est, nymphæ maris conuiciis & dictis contumeliosis te incesserent inuidentes tuæ felicitati. Nereidum falsa opinio non est, quæ humanam effigiem habent, si credimus Plinio, qui scribit in IX. legatum Galliæ Diuo Augusto scripsisse complures Nereidas apparere exanimes in littore Galliarum.

NYSEE *& Cymothoe.*] nomina sunt Nereidum, quarum meminit Home. in XVIII. Iliados. Virg. in primo Aeneidos nominat Cymothoen: in Georgicis Niseen.

ARIONIAM *vexerat ante lyram.*] res nota est monumentis Herodoti, Plinij, Solini, & Ouid.

B de fidicine Arione peruecto à Delphino: sed in primis Gel. caput fecit luculentissime scriptum super hac historia, quod est in calce quintidecimi libri. Fuit Arion arte citharœdica inclytus, & propter eam grandi pecunia copiosus, cùm ex Italia Corynthum nauigaret, à nautis pecuniæ illius inhiantibus iussus est in mare præceps desilire, qui impetrato vt sibi liceret canere carmen consolabile voce sublatissima cantauit, mox iecit sese procul in profundum, tum ab vno delphinum exceptus, quos audiendæ cantilenæ auiditas congregauerat: in Tenarum sospes & incolumis deductus est. Strabo à superioribus dissentiens dicit hoc esse fabulosum, asse-

C ritque Arionem fuisse interemptum. Propertius sequitur famam vulgatiorem.

TALIA *visa.*] id est, metus excussit talia somnia.

NON *si Cambysæ redeant.*] adeo, inquit, amat me Cynthia, vt nec opibus Persicis, nec auro Lydio corrumpi possit, vt me expellat, & excludat. Cambyses fuit rex Persarum opulentissimus, qui imperio patris Cyri Aegyptum adiecit, qui grassatus est in deos, qui fratricidio se commaculauit, qui vesania agitatus semet in femore vulnerauit, ex quo vulnere mors est secuta. De Cambyse multa scribunt Iustinus, & He-

D rodotus. A Seneca appellatur vinolentus, violentus, & cruentus Cambyses.

FLVMINA *Crœsi.*] supradictum est in Lydia fuisse fluuios ramenta aurea, & arenam auream deferentes, quales erant Pactolus, & Herinus: in Lydia regnauit Crœsus, cuius diuitiæ adeo insignes fuerunt, vt dicatur à poëtis vertisse in aurum quicquid corpore contigerat. scribit Strabo in XIIII. opes Crœsi prouenisse à metallis auri, quæ fuerunt in Lydia.

SE *odisse beatos.*] Cynthia dum legit mea carmina, diuitias, diuitésque floccipendit, quos beatos appellat: quoniam, vt scribit Iurisconsultus, bona ex eo dicuntur, quod beant: hoc est, quod

E beatos faciunt.

MVLTA *& amare.*] pro multas puellas dictum est.

SEV *mare.*] nullum se incommodum, nullúmque periculum recusaturum esse testatur Cynthiæ causa.

SÆVVS *licet vrgeat.*] Eurus ventus est flans ab oriente æquinoctiali: Græcè dicitur Apeliotes, vt ait Gel. hoc ideo dixi vt intelligas versiculum illum Catullianum,

Nec sæui Borea aut Apeliotæ.

à Romanis nauticis Subsolanus cognominatur. Plin. in II. aliter tradit.

QVICVNQVE *& venti miserum.*] hoc ex Homero translatum, qui scribit in XII. Odysseæ quemadmodum Vlysses periclitatus est procella ventorum sæuientium, quam Iuppiter excitauerat, & fracto nauigio vix incolumis enatauit. Idem scribit in V. à Neptuno concitatam fuisse atrocissimam in Vlyssem tempestatem ventis omnibus cum furibundo impetu ruentibus, & vndabundum mare agitantibus: Qua procella excussus Vlysses nauigio fracto euasit infortunium Leucothoe præbente velum: cuius auxilio seruatus est. Idem etiam vexatus est, quando vtrem illum ventosissimum socij dissoluerunt, ex quo erumpentes inclusi venti hominem agitarunt, vexaruntque inclementer.

ET *Danaum Euboico.*] mille naues Græcorum isse ad Troiam dicuntur. Ouid.

Inter mille rates tua sit millesima puppis.

Non tamen fuit hic numerus adamussim, vt ostendit Varro in re rusti. Græci post deletam Troiam redeuntes in patriam spurcissima tempestate vexati sunt circa Caphareum Euboiæ promontorium, & quamplurimi naufragio perierunt: hæc atrox tempestas immissa fuisse fertur à Minerua propter Cassandram ab Aiace stupratam & dolo Nauplij, qui in Caphareo facem eleuauit tanquam signum, quod Græci sequi deberent: qui credentes illum esse portum tutissimum inter asperrimos scopulos naufragauerunt. Hoc significat Virg. in XI. sic scribens:

——scit triste Mineruæ
Sidus, & Euboicæ cautes, vltorque Caphareus.

Ait Propertius. Si simul cum Cynthia sit in eadem naui, se omnes illos ventos forti animo perpessurum, qui vexarunt Vlyssem, & pessundederunt classem Græcorum iuxta littus Euboicum, & qui Symplegades scopulos concusserunt ad Argonautas affligendos. de quibus cum supra copiose dixerimus, illud addemus, quod ad enarrationem istius loci est accommodatum. Symplegades insulæ duæ sunt, siue scopuli in ponto alio nomine appellatæ Cyaneæ traditæque fabulis inter se concurrisse, quoniam paruo discretæ interuallo coeuntium speciem procul visentibus præbent, vt tradit Plin. Argonautæ per Cyaneas transeuntes ancipiti discrimine vexati sunt, & nisi Iuno & Pallas illos scopulos continuissent, passi essent infortunium, vt luculentis carminibus cecinit Valerius Flaccus in IIII. Argonauticorum cuius rei meminit Lucan. in II.

—— Cyaneas tellus emisit in æquora cautes:
Rapta puppe minor subducta est montibus Argo.

Argonautis data fuit columba dux itineris Phyneo præcipiente: cuius apud Latinos meminit Ouid. illo versu:

Qualis & ipse fuit quoque præcipiente columba
Est data Palladiæ prænia duxque rati.

Scri. Apollonius Euphemum columbam nutriuisse, quam emisit vbi Argonautæ ad Cyaneas peruenerunt, qui eam secuti sine periculo trãsiuerunt. Hoc autem faciendum prædixerat Phineus, & hoc nunc significat Propert. apud Flaccum vaticinium est itineris Argonautarum, nulla tamen fit nominatim mentio columbæ.

RVDIS *Argus.*] ita legendum est genitiuus casus secundum quartam declinationem apud Græcos contractorum nominum. ita apud Oui.

An nisi legisses auctoris nomina Sapphus.

NEPTVNVS *fratri par in amore Ioui.*] non sineret, inquit, Neptunus nos amantes naufragio periclitari, cùm ipse faueat amantibus, cùm ipse in amore imitetur vestigia Iouis germani, qui fuit maximus amator mulierum: id quod supra memorauimus, & ponit exemplum puellæ amatæ à Neptuno, cuius hæc est fabula: Amymone Danai filia dum in silua studiose iaculo exercetur imprudens Satyrum percussit, qui cùm eam violare vellet, illa Neptuni implorauit auxilium. Neptunus fugato Satyro Amymonem compressit aquam in vrnam gestantem, ex quo coitu natus est Nauplius, vt scrib. Lactan. interpres Papinij: & Neptunus in monumentum puellaris amplexus effecit vt fons ex aqua effusa oriretur, qui nomen puellæ sortitus est, nam dicitur Amymone: cuius meminit Pli. in IIII. Ex Amymone natus est Nauplius Palamedis pater. Stra. tamen in VIII. falsum hoc esse confirmat.

LATICES.] aquam. latex omnis humor dicitur: vnde laticem Lyæum dixit Virgil. Absinthij laticem Lucret. Palladios latices Oui. cum oleum dicere vellet.

LERNÆ *pulsa tridente.*] Neptunus fuscina, quæ alio nomine dicitur tridens, percussit paludem Lernęam in agro Argiuorum, & illic erupit fons Amymone.

IAM *deus.*] Neptunus: de eadem Amymone loquitur.

VRNA *refudit aquas.*] id est, pro aqua effusa, quam Amymone gestabat in vrna, Neptunus illi rependit diuinas aquas, fontem progenerando. de hac fabula ita ait Ouid.

Qualis Amymone siccis errauit in agris:
Cum premeret summi verticis vrna caput.

CRVDELEM *& Boream.*] nec Boreas ventus, inquit, sæuus est in amatores nauigantes, cùm & ipse ardenter amauerit Orythiam puellam Atticam, ex qua genuit Zeten, & Calain, vt in primo commentario enarrauimus. Scribit Plato in Phædro raptam fingi Orythiam à Borea propterea quod ludens puella cum Pharmacia fuerit deiecta è petris à vento Borea atque ita mortua.

HIC *deus.*] scilicet Cupido.

MITESCET *Scylla.*] Scylla, inquit, quæ solet perniciosa esse nauigantibus, erit nobis mitis & benigna, similiter & Charybdis. Poëticis figmentis Scylla & Charybdis celebrantur tanquam monstra in mari Siculo collocata, quæ nauigia vorent & absumant. Homerus, Virgilius, & Ouidius multa de his scripserunt. secundum historicos Scylla saxum est, Charybdis mare vorticosum. Ambo in Sicilia clara sæuitia.

ALTERNANTE *aqua.*] ita Virgilius,

Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
Erigit alternos.——

PVRVS *& Orion.*] sidera, quæ suapte natura

sunt procellosa & nimbosa, nobis nauigantibus erunt pura & lucidissima. de Orione supra dictum est, qui nimbosus est & noxius. Hædus vero sidus est, de quo sic scribit Higinius: Heniochus in cœlo signum est, in cuius manu sinistra videntur hædi duo formati: de quibus nonnulli ita dicunt, quod Iuppiter nutritus à capra Amalthea, vt nutrici beneficium referret: eam inter sidera collocauit, & eius hædos geminos in cœlo posuit, qui in ortu concitant tempestates: de quibus Virg. *Hædorúmque dies seruandi.* Horat. singulari numero dixit: vt hic Propert. illo versiculo: *Impetus aut orientis hædi.*

Exitvs.] mors, inquit, quam pro Cynthia patiar erit mihi honestissima.

IANVS DOVSA FIL.

Qvicvnqve *& venti miserum vexastis Vlyssem.*] Huc pertinent, quæ de verbi *vexare* notione scribuntur à Gellio lib. II. cap. VI.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Qvalem *purpureis agitauit.*] Melius liber, *agitatam.*

Avrea *diuinas vrna refudit.*] Scribe, *profudit.* Sic liber.

ELEGIA XXVII.

At vos incertam mortales funeris horam
Quæritis, & qua sit mors aditura via.
Quæritis & cœlo Phœnicum inuenta sereno:
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala,
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos,
Et maris, & terræ cæca pericla viæ.
Rursus & obiectum fletis capiti esse tumultum,
Cùm Mauors dubias miscet vtrinque manus.
Præterea domibus flammam, domibúsque ruinam,
Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans nouit, quando periturus, & à qua
Morte; neque hic Boreæ flabra, neque arma timet,
A *Iam licet & Stygia sedeat sub arundine remex,*
Cernat & infernæ tristia vela ratis,
Si modò clamantis reuocauerit aura puellæ,
Concessum nulla lege redibit iter.

PHILIPP. BEROALD. BON.

At *vos incertam mortales funeris horam.*] ostendit vota mortalium esse vana, quærentium
B à genethliacis, astrologisque quando & quo mortis genere sint morituri. Mortem omnibus ait esse incertam, solos esse amatores, qui nouerint quo fato sint perituri.

At.] particula inceptiua ad ornatum pertinens, vt inquit Seruius, à qua exorsus est Apuleius asinum suum aureum.

Phoenicvm *inuenta.*] id est, astrologiam: nam gens Phœnicum, vt inquit, Plin. in gloria magna est litterarum inuentionis & siderum. & vt auctor est Stra. in XVI. à Phœnicibus Astronomia & Arithmetica ad Græcos emanauit. scri. Eusebius in IX. præparationis Euangelicæ:
C Phœnices didicisse astrologiam ab Abramo. hi qui & Assyrij dicuntur propter planiciem, magnitudinémque regionum quas incolebant, motus stellarum primi obseruauerunt, quibus notatis, quid quique significaretur memoriæ prodiderunt: Qua in natione Chaldæi diuturna obseruatione siderum, vt inquit Cicero, scientiam putantur effecisse, vt prædici posset quidcuique euenturum, & ex quo quisque fato natus esset.

Qvæ *sit stella homini commoda.*] Iouis stella benefica est, Saturni perniciosa, vt inquit Apu. cur autem stellarum aliæ maleficæ, aliæ salutares
D esse dicantur cùm sit diuinorum vna natura, Ptolomeus in libris de Harmonia, & Macrobius in somnium Scipionis copiosissimè scripserunt: sufficiat indicasse scriptores ne sim prolixior alienas paginas recitando.

Sev *classe Britannos.*] siue, inquit terrestre, siue nauale bellum geramus occulta sunt & ignota vtrinque pericula. Britannia insula clara est Græcis Latinisque monumentis: Albion antiquitus nominabatur. Cæsar dictator primus classe traiecit in Britanniam antea Romanis ignotam.

Cvm *Mauors.*] antiqui Martem deum belli Mauortem nominitarunt: ab eo magna vertere,
E vt Cice. interpretatur: Alio nomine Mamertem appellant: vnde Mamertini Siciliæ populi nuncupati.

Pocvla *nigra.*] [illegible] est, timemus venenatas potiones.

Boreæ *flabra.*] id est, flantes ventos. Virg.
Nec flabra nec imbres Conuellunt.
& (vt, inquit, Seruius) flabra plurali tantum numero dicuntur.

Iam *licet & stygia.*] sensus est: Amator si iam fuerit defunctus, & ad Charonta peruenerit,

tamen si inclamatus fuerit à puella, redibit ad A superos, nec fata poterunt obstare.

Remex.] dicitur nauticus, qui remum agit, & remigandi ministerio mancipatus est. Curtius: *Remex militis officia turbabat*, &c, vt auctor est Vegetius, in remigibus virtus elegitur. vmbræ defunctorum cupientes transire Acheronta sedent in cymba Charontis, & remigis funguntur officio: Vnde dixit Virg. *-illæ remis vada liuida verrunt*. Ita, inquit, Propertius: Si amator iam sedeat remex in cymba stygia, & remo verrat vndas Acherontis, tamen redibit. Arundinem stygiam intellige cymbam Charontis ferrugineam, quoniam ex arundine antiquitus nauigia conficiebantur: quod docet Plin. his verbis: *Arundines tantæ proceritatis sunt in India, vt singula internodia alueo nauigabili ternos interdum homines ferant*. Vnde dixit Iuuenal. *Canna Micipsarum*, cum de naue loqueretur. alij arundinem dici à Propertio existimant contum siue perticam Charontis, qua nauem subigit, velisque ministrat.

Concessum *nulla lege*.] iter inferorum & mortis est irremeabile, & nulla lege peruium esse conceditur ad redeundum: vnde dixit Cat.

——It per iter tenebricosum
Illuc, vnde negant redire quemquam.

Bacchus tamen, auctore Diodoro, matrem Semelem ab inferis eduxit, immortalitatéque donatam Thyonem nominauit.

IANVS DOVSA FIL.

Iam *licet & Stygia sedeat sub arundine remex*.] Triplicem interpretationem ad hunc locum attulit Pater. Quod si quis secundam malit de calamis & arundinibus crescentibus fortè ad ripam Stygis, non deerit illi Virgilij auctoritas, quæ hoc astruere videatur Georg. IV.

Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardáque palus innabilis vndâ
Alligat.——

neque abludit hinc illud Mimnermi apud Athenæum lib. XIII.

Αἰδόθεν ἐπιβὰν ἢ κενὸν καὶ ἀτερπέα χῶρον,
Ἔνθα χάρων ἀκαλὴν ἕλκεται εἰς ἄκατον
Ψυχαὶ οἰχομένων, λίμνη δ' ἐπὶ μακρὸν ἀϋτεῖ
Ῥεῦμα δι' ἐκ μεγάλων ῥυομένη δονάκων.

Ad quem fragorem pertinet & illud Ouidij:

Quique per infernas horrendo murmure valles
Imperiurata labitur amnis aqua.

Nec reiicienda Beroaldi sententia, qui cymbam Charontis intelligi putat, quandoquidem antiquitus ex arundine nauigia conficiebantur. Pli. lib. VII. cap. II. in India ait esse *arundines tantæ proceritatis, vt singula internodia alueo nauigabili ternos interdum homines ferant*, & cap. LVI. eiusdem libri, naues fieri *in Nilo ex papyro, & scirpo, & arundine*. cui accedunt etiam Diodorus, Solinus, Mela. Neque mirum, cum arundo apud Iurisconsultos etiam arborum nomine contineatur, & eius nomine furti agi possit, vt dicitur in l. vitem ff. arborum furt. Cæs. hinc Iuuenalis Satyra V.

——illud enim vestris datur alueolis, quod
Canna Micipsarum prora subuexit acuta.

Ad quem locum glossæ veteres nondum editæ, quas beneficio viri docti, & humanitate præstabilis Philippi Ratalleri GeorgI Filij habeo: *Canna genus nauis, vnde & cannicarij dicuntur* quos *cannicarios* haud facilè alibi reperias. Sed vt nauis hęc ex arundine fuerit, videtur abnuere alius eius Poëta interpres à Pythœo editus, explicat enim: *Genus nauis quæ Gandeia dicitur, vt sit Gandeia Micipsarum, id est, Afrorum. Gandeiam enim soli Afri, id est, Zamai, vel, vt alij, Byzaceni, vt alij, Barca inuenerunt.*

B IANVS DOVSA PATER.

Sev *pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos*.] Respicere videtur ad expeditiones ab Augusto susceptas, quarum & Horatius meminit, Britannos istos cum Parthis coniungens:

——præsens diuus habebitur
Augustus adiectis Britannis
Imperio, grauibúsque Persis.

Quæ euenerunt anno V. C. DCCXXXIII.

Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem, quid tandem significare voluerit Propertius noster cùm scripsit,

C Iam *licet & Stygia sedeat sub arundine remex*.] Modò enim de pertica Portisculi, id est, hortatoris remigum, qua excursum (vt ait Nonius) & exhortamenta moderatur, modò de calamis & arundinibus fortè ad ripam Stygis prouenire solitis intelligendum; postremò etiam *arundinem* istam *Stygiam* pro receptaculo nauali siue tugurio ac gurgustio arundinum tegulo cooperto ex nostratium consuetudine, quò lenunculi aut cymbæ quieturæ subducuntur, & tanquam in D portu collocantur, ne videlicet nudo ætheri expositæ rimis fatiscant, tabulæque ac latera earum nimio cœli æstu contracta hiatum ac lucem per commissuras admittant, accipi posse opinabar. nunc ad priorem sententiam meam postliminio relabor, & *arundinem Stygiam* portisculum, id est, perticam, vt dixi, arundineam Charontis interpretor, quam idem ex nauali disciplina in manu tenens, vmbraticis vectoribus suis signum modúmque dat remigandi.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

At *vos incertam*.] Coniuge cum superioribus.

E

ELEGIA XXVIII.

Ivppiter affectæ tandem miserere puellæ,
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus quo torridus æstuat aër,

Incipit

Incipit & sicco feruere terra cane.
Sed nec tam ardoris culpa est, neque crimina cœli,
Quàm toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas:
Quicquid iurarunt, ventus, & vnda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus? illa peræquè
Præ se formosis inuidiosa dea est.
An contempta tibi Iunonis templa Pelasgæ?
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Sēper formosæ non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi, vexata per multa pericula vita,
Extremo venit mollior hora die.
Io versa caput primos mugiuerat annos:
Nunc dea, quæ Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terris ætate vagata est:
Hanc miser implorat nauita Leucothoën.
Andromede monstris fuerat deuota marinis:
Hæc eadem Persei nobilis vxor erat.
Calisto Arcadios errauerat vrsa per agros:
Hæc nocturna suo sidere vela regit.
Quòd si fortè tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturæ fata beata tuæ:
Narrabis Semelæ, quo sis formosa periclo:
Credet & illa suo docta puella malo.
Et tibi Mæonias inter Heroidas omnes
Primus erit nulla nō tribuente, locus.
Nunc, vtcunque potes fato gere saucia morem.
Et deus, & durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit coniux ignoscere Iuno.
A *Frāgitur & Iuno, si qua puella perit.*
Deficiūt magico torti sub carmine rhōbi,
Et iacet extincto laurus adusta foco.
Et iam luna negat toties descendere cœlo,
Nigráque funestum condidit omen auis.
Vna ratis fati nostros portabit amores
Cærula ad infernos velificata lacus.
B *Si non vnius, quæso miserere duorum.*
Viuam, si viuet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno:
Scribam ego, per magnum est salua puella Iouem,
Ante tuósque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabitque sedēs lōga pericla sua.
C *Hæc tua Persephone maneat clementia: nec tu*
Persephonæ coniux sæuior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulchra sit in superis scilicet vna locis.
Vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphaë.
D *Et quot Troia tulit, vetus & quot Achäia formas,*
Et Phœbi, & Priami diruta regna senis.
Et quæcunque erat in numero Romana puella,
Occidit: has omnes ignis auarus habet,
Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis.
E *Longius, aut propius mors sua quenque manet.*
Tu quōniam es mea lux magno demissa periclo,
Munera Dianæ debita redde choros.
Redde etiam excubias diuæ nunc ante iuuencæ,
Votiuas noctes & mihi solue decem.

PHILIPP. BEROALD. BON. A

IVPPITER *affectæ tandem miserere puellæ.*] Iouem precatur vt Cynthiæ ægrotanti opituletur, causámque ęgrotationis esse dicit puellarem superbiam & irreligiositatem.

AFFECTÆ.] id est, languenti: absoluta eloquutio. Ita Liui. in v. *vires corporis affectæ, sensus aurium & oculorum hebetes.* & alibi: *Affectis plerique principum.* Creber est Cor. Celsus in huiuscemodi loquutione, qui dicit: *Vbi iecur affectum est, & renes vbi affecti sunt, & pulmo totus afficitur.*

FERVERE *terra canc.*] feruere media correpta legendum vt supra: Terra æstuat, quando canicula coquit messes vt ait Persius, & findit statuas: vt inquit Horat. de qua sic scri. Plin. in II. *Caniculæ exortu accendi Solis vapores quis ignorat, cuius sideris effectus amplissimi in terra sentiuntur. Feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna.* Dicitur à Græcis Procyon, quia ante maiorem canem exoritur, vt docet Higi. vnde dixit Hor. *Iam Procyon furit.* quod sidus teste Plin. apud Romanos nō habet nomen, nisi Caniculā hanc volumus intelligi, hoc est, minorem canem.

HÆC] irreligiositas scilicet, deorúmque contemptus causa est ægrotationum in puellis, non autem æstus torrentissimus, & cœli intemperies.

NVM *sibi collatam doluit Venus.*] per interrogationem quærit causam ægrotationis Cynthiæ. An, inquit, ausa est se comparare Veneri de formositate: quod dolens Venus nunc eam tali morbo afficit, & punit. solet enim Venus puellis formosissimis obesse, vt apud Apuleium infesta est contra Psychen.

PRÆ *se.*] respectu & comparatione suæ formositatis.

AN *contempta.*] id est, an ô Cynthia spreuisti numen Iunonis, & illius templa venerari neglexisti, quam Pelasgam vocat: quoniam apud Pelasgos erat Iuno in maxima veneratione. Nam & Argis, & Mycenis, & in insula Samo eximio honore colebatur. Similiter à Virg. dictum est, *Iunoni Argiuæ*: hoc est, quæ apud Græcos præcipue colebatur, vt exponit Donatus Romæ Iuno regina, Iuno Lucina, Iuno sospita habebat templa, & adorabatur. Pelasgi dicuntur Græci quasi pelargi, id est, ciconiæ: quoniam errabundi ritu ciconiarum per multas nationes iuerunt. Gens sane vetustissima à qua Peloponesus Pelasgia cognominatur, & Thessalia Argos Pelasgicum. De his multa Strabo in v. commemorat.

PALLADIS *oculos bonos.*] fortasse, inquit, ô Cynthia, ausa es culpare oculos Palladis, tanquam minus formosos tuis. Non autē sine causa oculos potius Palladis quàm alia membra nominauit: Nam Pallas laudatur quod oculos habeat glaucos: vnde ab Homero frequēter Glaucopis appellitatur: & poëta in Priapeis, inquit: *Mineruæ flauo lumine Venus peto.* Diod. scribit aërē nominatū esse Pallada. & ideo dicit Glaucopin, quoniam aër glauci, hoc est viridis sit aspectus.

IO *versa caput.*] exemplis probat in extremis diebus feliciores fuisse mulieres quàm in primo vitæ tempore, & post lugubres ærumnas gaudia prouenire solere. Io enim in iuuenta facta est vacca, & vitam egit ærumnosissimam, sicut Oui. Flaccusque notificant: tandem reformata est in pristinam formam, & facta Dea Niliaca: hoc est Aegyptiorum, quæ Isis appellatur. de qua & poëtæ & historici multa memoriæ prodiderunt: idem accidit Inoni matri Melicertæ vxori Athamantis, quæ prima ætate furiis agitata, mox facta est Dea maris, dicta à Græcis Leucothoe, à Latinis Matuta, vt supra docuimus. Andromede quoque religata monstro, paulopost liberata à Perseo, illius facta est vxor, & deinde inter sidera collocata: de qua in primo commentario abunde dictum est: quin etiam idem passa est Calisto, quæ post Iouialem concubitum à Iunone in vrsam conuersa est, longo deinde tempore post in cœlum translata à Ioue, & in Septentrionibus collocata, quæ Græcè dicitur Arctos, Latinè vrsa: quod sidus in primis nauigantes obseruare dicuntur, quoniam non mergitur vndis, vt ait Lucan. Duas autem esse arctos nullus ignorat, alteram cynosuram, alteram Helicem nuncupatam: quarum Cynosura obseruatur à Phœnicibus, Helice à Græcis in nauigatione: quod Germanicus in Arateo, & Ouid. in Fa. ostendūt. Arctos maior dicitur esse Calisto, quę plaustro similis est in septētrione, vt tradit Higi. qui de huiuscemodi sideribus multiplices fabulas recēset.

FATA *beata.*] eleganter & poëticè mortem vocat beatam, quæ tam formosum corpus, tam luculentam fœminam possidebit.

QVIETEM.] id est, mortem, quæ à Virg. dura quies nuncupatur.

NARRABIS *Se.*] si forte morieris, ô Cynthia, narrabis Semele matre Bacchi, quemadmodum formosæ sunt obnoxiæ periculo, nec propter formositatem seruantur incolumes: quod & ipsa credet experta suam formam sibi excidium peperisse, quando fulmine Iouis extincta est. fabula apud Ouid. in III. Metamor. Scribit Diod. Semelem fuisse vltimam fœminam cum qua Iuppiter concubuerit.

MÆONIDAS.] id est, Lydias & Asiaticas puellas, qualis fuit Omphale ab Hercule adamata, quæ fuit Mæonia: & Mæonis & Lydia dicitur ab Ouid. Mæones enim & Lydi sunt iidem populi. antiquitus Maones dicebantur. ait poëta Cynthiam ob excellentem pulchritudinem futuram primam apud inferos inter Heroidas omnes cunctis locum tribuētibus. quid si Mæonidas pro illis heroinis exponas, quas Mæonides hoc est Hom. suis carminibus illustrauit, & apud inferos esse scripsit.

VEL *poterit coniux ignoscere Iuno.*] hoc dicitur ad ipsum Iouem, & est sensus: O Iuppiter si seruaueris Cynthiam, Iuno non indignabitur, quæ alioquin odio habet omnes pellices: quandoque enim Iunonē frangi & moueri ad misericordiā dicit, quando puellæ in ætate puellari moriūtur.

DEFICIVNT *magico torti.*] tanquam deplorata sit Cynthiæ valetudo, & de eius vita conclamatum, ait nullam prodesse medicinam, & ipsa inquit, ars magica deficit, nec potest pollétque Cynthiam ab imminēti morte liberare. Rhombus instrumentum est magicum, quod tortis filis confectum pollet ad artem magicam exercen-

dam. est & figura geometrica, vt inquit, Martianus in geometria: tetrapleuros, id est, quatuor laterum, non tamen recti anguli. de hoc rhombo magico fit frequens mentio apud poëtas. Martialis:

Cum secta colcha Luna vapulat rhombo.

Ouid.

Quid torto concita rhombo Licia.

à Lucano describitur illo versu:

Traxerunt torti magica vertigine fili.

Theocritus in Pharmaceutria rhombum perscribit, quem videtur Horat. in Epodo sub nomine turbinis significasse illo versu: *Et citum retro solue, solue turbinem.* ait poëta nihil prodesse tales rhombos ad morbum Cynthiæ depellendum, quibus magi Lunam deducebant è cœlo. de rhombo sensisse Virgilium existimamus paraphrasticos scribentem in Bucolicis: *Terna tibi hæc primum triplici diuersa colore Licia circundo.*

Lavrvs *adusta.*] laurum incendi solitam in magico sacro, testis est Virg. scribens:

Fragiles incende bitumine lauros.

Apuleius quoque in Apologia scripsit ad magicam laurum fragilem adhiberi. de lauro hæc memoratu digna & huic loco accommodata scribit Eusebius: Laurum Soli dicarunt, quoniã hæc arbos ignea est: vnde odio à Dæmonibus maxime habetur: & quoniam si vritur plurimũ sonat, quod prædicendi virtutem designat. dicit itaque poëta laurum iacere extinctam sine crepitu, quod infaustum est signum: vnde pro felici signo dictum est à Tibullo:

Et crepet accensis laurus adusta focis.

Et *iam Luna negat.*] dictum est supra quemadmodum magicis incantamentis, & artibus Luna è cœlo deducebatur, & in herbas despumabat: iam ait poëta Lunam non amplius obsequi magicis carminibus eam deuocãtibus, per quod ostẽdit nihil salutare de Cynthia esse sperãdum.

Nigra *auis.*] dictum accipe pro inauspicata. sunt enim quædam aues mali ominis, quas Plin. inauspicatas appellat, quales sunt Bubo, cornix, coruus, & incendiaria.

Vna *ratis fati.*] id est, cymba Charontis.

Me *carmine damno.*] id est, obligo me votis ad carmen scribendum in honorem Iouis si Cynthiam seruauerit. eodem verbo vtitur Virgi. *Damnabis tu quoque votis.* prius enim quam vota soluantur, homines obnoxij & quasi voti rei efficiuntur: vbi promissa vota soluerunt, damnati dicuntur, vt docet Macro. tamen à Liuio dicitur ciuitas damnata voti, quæ votum nuncupauerat, nec adhuc exoluerat.

Hæc *tua Persephone.*] sermo apostrophus ad Proserpinam, quæ Græce dicitur Persephone, & ad eius maritum Plutonem, vt Cynthiæ parcere velint, quod erit illorũ clementiæ monumẽtum.

Vobiscvm *est Iope.*] nomen proprium puellę, quam Iuppiter amauit: alij intelligunt de Andromede dictum ab Iope oppido Iudææ. vnde apportata Romam fuerunt ossa illius bellue, cui exposita fuisse dicebatur Andromeda: auctor Pli.

Candida *Tyro.*] Salmonei filia, quam Neptunus amauit, de qua supra memorauimus. de qua dixit Ouid. *Criminis est Tyro fabula vana tui.*

A Evropę.] hæc & Pasiphaë notissimæ sunt & in scholis triuialibus celebratæ.

Et *Phœbi & Priami regna.*] Troianam ciuitatem intelligit, cuius mœnia Phœbus & Neptunus construxerunt: vnde & ab Oui. Phœbi mœnia nuncupantur.

In *numero.*] id est, alicuius æstimationis.

Ignis *auarus.*] scilicet funereus. Hora. nigros ignes funebres appellat.

Dianæ.] nunquid Lucinam intelligit, quæ periclitantibus parturientibus opitulari solet, tanquam Cynthia in enixu laborauerit, & suffragãte dea à periculo mortis euaserit? an potius
B tanquam fœmina deas fœminas periclitabunda inuocauerit, vt Dianam & nymphas Dianæ comites vna cum Iside? lex conscripta ab amatore Plautino ait: *Deam sibi inuocet quam libebit propitiam, deum nullum.*

Redde *etiam excubias diuæ.*] ô Cynthia, cùm periculum mortis euaseris, vota persolue, & excubias redde deæ Isidi, quæ ante fuit iuuenca: nam in sacris Isidis excubiæ nocturnæ à puellis peragebantur, qualia erant Cereris peruigilia: de quibus fit mẽtio apud Plautum in Cistellaria.

Votivas *noctes.*] vult poëta vt sibi à Cynthia complexus decem noctium persoluantur, quas votiuas vocat, tanquam tale votum ipse
C nuncupauerit, quod Cynthia soluere cogebatur. Hor. *Pascitur in vestrum reditum votiua iuuenca.*

M. ANT. MVRETVS.

Extremo *venit.*] puto legendum, *Veniet.*

IANVS DOVSA FIL.

Qvicqvid *iurarunt, ventus & vnda rapit.*] Tibullus:

——venti temeraria vota

Aëriæ & nubes diripienda ferant.

D Vide porro quæ ad hanc rem attuli in Catullum cap. x. quibus adde hoc Philodemi Anthol. vii.

Νῦν δ' ὁ μὲν ὅρκια φησὶν ἐν ὕδατι κεῖται φέρεσθαι.

IANVS DOVSA PATER.

Qvod *si fortè tibi properarint fata quietem.*] Idem Tibullus:

Seu matura dies fato properat mihi mortem.

Svnt *apud infernos tot millia formosarum.*

Pulchra sit in superis scilicet vna locis.]

Hanc & numerorum & loquendi generis rationem expressit Secundus noster lib. ii. Elegiar. vbi scribit:

Cuncta patent tibi Somne cubilia formosarum:

Nocte breui vigilet scilicet vna mihi.

E Talis *visa mihi somno demissa recenti.* Puto inducendum punctum post recenti, nec sententiam absoluendam ante alterius distichi exordium, puta, *putas?* vt Pentameter prior ille:

(Heu quantum per se candida forma valet)

hoc modo parenthesi includatur. & *visa* participialiter non verbaliter accipiatur, quum alij *est* subaudiendum putauerint inepta sententiæ connexione.

A

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Et *tibi Mæonidas intérque heroidas.*] Liber. *Et tibi Mæonidas inter Nereidas.* Neutra lectio bona. Legendum: *Et tibi Mæonias inter heroidas.* Aspiratio pro positione est. Ausonius:

Mercator hodie cras citharœdus ero.

Ante *tuósque pedes illa ipsa adoperta sedebit.*] Duo adorationis signa, velari,& sedere. De velatione notissimum vel ex illo.

Et capui ante aras Phrygio velauit amictu.

Iuuenalis:

——stetit ante aram, nec turpe putauit
Pro cithara velare caput: dictatáque verba
Protulit.——

B

De sedendi ritu Tertullianus de oratione: *Porro quum perinde faciant nationes adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.* Pythagoricum autem illud est, & ex ea schola in ritum Romanorum migrauit. Notum enim symbolum. προσκυνήσαντα καθῆσθαι.

Et *quot Troia tulit.*] Vereor, vt satis vera sit hæc lectio. Nam diuersa est scriptura: *Et quot hioa tulit,* & eadem manu in margine, *Hiona.* Ego puto eum dixisse *Iona*, pro ἰωνία. Nam & Arabus dixit, pro ἀράβιος, & Virgilius in Culice, Cilicus pro κιλίκιος. Sane legendum, *Et quot Iona tulit.*

C

Et *Phœbi & Priami.*] Noli dubitare, quin legendum sit,

Et Thebe, & Priami diruta regna senis.

Si ergo hic Troiæ meminit, quare superius idem dixisset? aut potius, quare hic repeteret, si iam iam meminerat? Non dubium est, quin legendum, vt indicauimus, *Iona*, metaplasmo, quo dixi. Deinde non verisimile est, quum regiones καλλιγυναίκας recenseret, tacuisse formosissimarum mulierum nutricem Ioniam. Hoc sæpe bonos auctores corrupit, Latinitatis priscæ mysteria ignorare.

D

Longivs *aut propius.*] Horatius:

Serius ocius Sors exitura.

Mvnera *Dianæ debita redde choro.*] Repone veterem lectionem, *Choros.* Infra:

Quum videt accensis deuotam currere tædis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre Deæ.

Redde *etiam excubias.*] Infra:

Tristia iam redeunt iterum solennia nobis.
Cynthia iam noctes est operata decem.

Votivas *noctes & mihi solue decem.*] Redde non *solue* habet noster codex. Et profecto melius. Votiuas noctes decem peruigilabant Isidi. quod iam attigimus, & cognoscimus ex eadem infra:

E

Cynthia iam noctes est operata decem.

Et ex Tibullo:

Vt mea votiuas persoluens Delia noctes
Ante fores lino tecta sacras sedeat.

Apuleius de casto Isidis etiam decem dies ieiunare: *Decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coercerem.*

Vult Propertius illi eas imputari, & sibi reddi.

ELEGIA XXIX.

Hesterna mea lux cùm potus nocte vagarer,
Nec me seruorũ duceret vlla manus,
Obuia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat (hos vetuit me numerare timor)
Quorũ alij faculas, alij retinere sagittas:
Pars etiã vita est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerãt; quorum lasciuior vnus,
Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum.
Hic erat, hũc mulier nobis irata locauit.
Dixit, & in collo iã mihi nodus erat.
Hic alter iubet in medium propellere, & alter:
Intereat, qui nos non putat esse deos.
Hæc te non meritum totas exspectat in horas,
At tu nescio quas quæris inepte fores.
Quæ cùm Sidoniæ nocturna ligamina mitræ
Soluerit, atque oculos mouerit illa graues,
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite iam fratres, iam certos spondet amores,
Et iam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita me iniecto duxerunt rursus amictu.
I nunc & noctes disce manere domi.
Manè erat, & volui, si sola quiesceret illa,
Visere. at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior vnquã
Visa, neque ostrina cùm fuit in tunica.
Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Neu sibi, néve mihi quæ nocitura forent.
Talis visa mihi somno demissa recenti.
Heu quantũ per se cãdida forma valet!

Quid tu matutinus, ait, speculator amicæ,
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis. sat erit mihi cognitus vnus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non vlla toro vestigia presso,
Signa voluptatis, nec iacuisse duos.
Aspice vt in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, & opposita propellens suauia dextra,
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tã sancti custode recludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

HESTERNA *mea lux cum potus nocte vagarer.*] narrat quemadmodũ vinolentus & ebrius, dum solus nocturno tempore vagatur, fuit vinculis colligatus à Cupidinibus & ductus domũ.

POTVS.] id est, ebrius.

TVRBA *minuta.*] Cupidinum agmen intellige, qui omnes pueri pinguntur.

QVORVM *alij faculas.*] Cupidines numerosos poëta esse demonstrat, & nos supra docuimus, & à Statio dictum est: *Pharetrati pressere silentia fratres.* alios dicit facibus pusillis fuisse armatos, alios sagittis, quosdam vincula in manibus habuisse. Faces & sagittæ sunt tela Cupidinis: vnde ait Ouid.

Altera tela arcus, altera tela faces.

FACVLAS.] paruas faces: vnde à Cicerone facularij dicuntur in oratione prima contra Catilinam, quamuis in aliquibus codicibus Falcarios legerim, non facularios.

HIC *erat hunc, inquit*] verba Cupidinis ad fratres amores hunc esse illum Propertium demonstrantis, qui sit vinciendus, qui sibi a Cynthia sit irascente traditus.

HÆC *te non meritum.*] hæc dicuntur à Cupidine ad Propertium.

NON *meritum.*] id est, qui non mereris amari à tam formosa puella.

NESCIO *quas.*] scilicet alterius puellæ.

QVÆ *cum Sidoniæ.*] ait Cupido Cynthiam spiraturam odores manibus Cupidinum concinnatos vbi soluerit ligamina mitræ purpureæ, quam noctu gestabat. Mitræ sunt tegumenta capitis muliebria, vt ait Seruius. & Virg. huiuscemodi mitras quasi fœmineas & probrosas in viris criminatur: & Arabes cum sint effœminati mitrati degunt, vt tradit Plin. & à Statio dictum est, *Deformes vertice mitras Induimus.* Sidoniam dicit purpuream à Sidone oppido Tyri, de quo supra diximus.

A ARABVM *de gramine.*] myrrham intelligit.

PARCITE *iam fratres.*] loquitur Cupido ad Cupidines germanos.

OSTRINA *tunica.*] id est, purpurea. de ostro dictum est supra, ne iam dicta repetamus: nam, vt ait Vlysses Homericus, turpe est iam dicta iterum enarrare. Sensus est: Cynthia mihi visa est formosissima, quamuis esset incompta, nec purpurea tunica prænitens. Ex quo significatur eximia puellæ pulchritudo, quæ citra ornatum erat speciosissima: Iuxta illam Plautinam sententiã, *Fœmina pulchra nuda est, quam purpurata pulchrior.*

NARRATVM *somnia veste.*] somnia priscos diligenter obseruasse testes sunt Cice. & Vale. &
B in templis deorum incubabant: vt responsa acciperent, vt apud Virg. *Pellibus incubuit stratis.* & apud Plau. in Curgulione: *Capadox leno incubat Aesculapio.* Ait poëta Cynthiam vt pote castam somnia sua detulisse ad Vestam deam castissimã, cuius antistites virgines erant, & Vestales dicebantur. Qua de re lege Plutar. & Diony. de Vesta & Vestalibus copiose scribentes. Quidam codices habent *In casta veste*, tanquam in candido vestimento somnia deferret ad coniectorem more Romano.

QVÆ *tu matutinus.*] verba Cynthiæ.

TORO *vestigia presso.*] ita Liuius: *Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo.*

C CORPORE *surgat spiritus.*] crebra anhelatio in muliere indicium est coitus perpetrati, qui calorem excitat & colorem: vnde dixit poeta Satyricus: *Et vultum aureinque rubentem.*

SVAVIA.] tria sunt osculandi genera: Osculum scilicet, basium, & suauium. oscula officiorum sunt: basia pudicorum affectuum: suauia libidinum, vel amorum vt docet Donatus: hinc est illud Platonicum: *dum semihulco suauio meum puellum suauior.*

IN *laxa solea.*] in calceo soluto, & nondum habenis iuncto. Soleas antiqui dixerunt omne
D genus calceorum, quibus plantarum calces in fine teguntur & cætera prope nuda: & teretibus habenis vincta sunt, ut auctor est Gellius. Mart.

Soleas surripit ipse suas.] Hor. *Et soleas poscit.* Inde soleati dicuntur soleis induti. Et Castritius Rhetor olim discipulis suis senatoribus soleis calciatis dixit: *Soleatos vos ingredi nequaquam decorum est.* à solea solearios vocamus sutores eius calciamenti. Plautus in Aulularia: *Soleary astant, astant molochinarij.*

EX *illo.*] scilicet tempore exclusus à Cynthia, nullam habui noctem in amore felicem.

E IANVS DOVSA FIL.

APPARENT *non vlla toro vestigia presso, Signa voluptatis nõ iacuisse duos.*] Huc pertinet illud Aristæneti Epistola vltima: ἐξαίνη δ' ἄνω ἦς καὶ τὴν ϛρωμνὴν ὁσφραίνει. πανταχῶς συγχέουσα τὸ ἴχνος τοῦ δευτέρου σώματος, ἵνα κατηγορῇ μονομερῆ συζυγίας.

IANVS DOVSA PATER.

AT *tu nescio quas quaeris inepte fores.*] Non placet *fores* sed *foris* vel certè *foras*, ineptum enim videtur, foris quærere, quod habeas domi,

præsertim cui Cynthia in mundo sit, & quæ desiderio tui oblanguens in multam noctém te insomnis in cubili suo exspectet, cum tu interim, quod illa præbere parata est, aliunde à scortis, & nescio quibus nugis hominum superbus & superfluens vagè eas quæsitum.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Atqve *oculos mouerit illa graues.*] Quum experrecta adhuc somno graues oculos in te coniecerit. Sed nihil mutandum, Nam hoc.

ELEGIA XXX.

Qvo fugis ah demens? nulla est fuga: tu licet vsque
Ad Tanaim fugias, vsque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aëra dorso:
Nec, tibi si Persei mouerit ala pedes?
Vel, si te sectæ rapiant talaribus auræ;
Nil tibi Mercurij proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput, instat amanti,
Et grauis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, & tollere nunquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modò præsentes viderit esse preces.
Ista senes licet accusent conuiuia duri:
Nos modò propositum vita teramus iter.
Illorum antiquis onerētur legibus aures.
Hic locus est, in quo tibia docta sones:
Quæ non iure vado Mæandri iacta natasti,
Turpia cùm faceret Palladis ora tumor.
Nunc iam dura paras, Phrygias nunc ire per vndas,
Et petere Hyrcani littora nota maris,
Spargeréque alterna communes cæde penates,
Et ferre ad patrios præmia dira lares.
Vna contentū pudeat me viuere amica?
Hoc si crimen erit, crimē amoris erit.
Mi nemo obiiciat. libeat tibi Cynthia mecum
Roscida muscosis antra tenere iugis.
Illic aspicies scopulis hærere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iouis,
Vt Semele est combustus, vt est deperditus Io,
Denique vt ad Troiæ tecta volarit auis.
Quòd si nemo exstat, qui vicerit alitis arma;
Communis culpæ cur reus vnus agor?
Nec tu virginibus reuerētia moueris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.
Si tamen Oeagri quadam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit:
Hìc vbi me prima statuent in parte choreæ,
Et medius docta cuspide Bacchus erit.
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos.
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

PHILIPP. BEROALD. BON.

Qvo *fugis ah demens nulla est fuga, tu licet vsque.*] Cynthiam peregrinari cupientem reuocat, ostendens nullo locorum interuallo amorem fugari posse.

Ad *Tanaim.*] fluuium Scythicum Europam ab Asia disterminantem, quem Scythæ Silin vocant.

Non *si Pegaseo dorso.*] si euolares, inquit, vecta equo alato & pēnigero Pegaso, non tamen effugeres amorem, qui vsquequaque nos insequitur & semper instat capitibus amantium. Pegasum equum fuisse alatum nemo est qui nesciat, natumque ex sanguine Meduseo, Caballinum fontem in Helicone ictu vngulæ produxisse, quo vsus est Bellerophontes in expeditione contra Chimeram, & ab eodem in terram præcipitatus: vnde illud ab Horat. dictum est:

Pegasus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.

scrib. Plin. in VIII. & Albertus magnus in XXII. Pegasos nasci in Æthiopia pennatos equos & cornibus armatos, & in altum se extollentes alis, quæ maiores sunt alis aquilarum. animal est infestum maxime hominibus. In hanc sententiam ait Catul. *Non si pegaseo ferar volatu.*

Persei *ala.*] Perseus dimicaturus cōtra Medu-

ſam accepit à Mercurio talaria, & enſẽ falcatũ, & petaſum:& ita his adminiculis ſubnixus Meduſæ caput amputauit. lege Higinium & Ouid. iſta ſcribentes, & in primis Lucanum:qui in IX. Pharſaliæ luculentiſſime hanc fabulam refert: vbi pennæ Parrhaſiæ vocantur talaria, & alæ Mercurij, quæ traditæ ſunt Perſeo: & harpen Cyllenida vocat falcatum enſem, quem pariter Mercurius Perſeo commodauit,quo caput Gorgonis abſtulit. Higi.tamen dicit à Vulcano Perſeum accepiſſe falcem ex adamante factam,qua Meduſam interfecit. à Catullo Perſeus pennipes nominatur, quoniam pennas Mercurij pedibus appoſuit.

RAPIANT *talaribus auræ.*] Mercurius alas in pedibus geſtat, & in capite, propterea quòd Deus dicitur eſſe ſermonis, vel ipſe potius ſermo, qui volucris per aëra fertur, vt interpretatur diuus Auguſtinus in VII. de ciuit. Dei:Alij aliter tradunt. De talaribus, quæ ſunt alata calciamenta Mercurij, ſic ait Maro:

——Pedibus talaria nectit
Aurea:quæ ſublimen alis,ſiue æquora ſupra.

Quem totum locum mutuatus eſt ab Homero, qui in XXIV. Iliados ſic ſcribit: Mercurius pulchra immortalia aurea talaria pedibus nectit, quæ eum ſupra mare & ſupra terram immenſam vento ſimilem deferunt. Statius, Alas plantares vocat talaria illo verſu:

Summa pedum propere plantaribus illigat alis.

Falluntur qui exiſtimant petaſum eſſe talaria, cum galerum ſignificet: vnde à Tranquillo Auguſtus Petaſatus, & à Cicerone Petaſati tabellarij dicuntur:ſed de petaſo alias plura.

ILLE *acer.*] ſcilicet, amor qui excubitor eſt vigilantiſſimus, qui nos blandos & mites eſſe vult,qui placabilis eſt.

PROPOSITVM *vitæ teramus iter.*] metaphoricos monet vitam voluptuariam eſſe colendam: & genio, vt cœperant, indulgendum.

ILLORVM *antiquis.*] conuenit ſenibus audire leges, noſſe iura,honeſtum ab inhoneſto ſeiungere:Iuuenes vero vita amœna, & amatoria non dedecet.In hanc ſentẽtiam eſt illud Ouidij:

Iura ſenes norint, & quid liceátque, nefáſque:
Fáſque ſit inquirant, legúmque examina ſeruent.

HIC *locus eſt.*] in conuiuio,locóque conuiuij adhiberi ſolent & debent condimenta voluptatum omni auſteritate ſequeſtrata,qualia ſunt tibicinum, fidicinúmque modulamina, Itaque ait poëta tibiam eſſe inflandam, quam immerito dicit à Pallade fuiſſe in vndas proiectam cùm vidiſſet ora turgentia,& legendum eſt Sones, vt ſit ſermo apoſtrophus ad ipſam tibiam.

PALLADIS *ora timor.*] verba mendoſa ita emendauimus: *Palladis ora tumor*, vt ſit ſenſus, Abiectam fuiſſe tibiam,cùm tumor,hoc eſt,buccæ turgentes diuæ Palladis ora deformarent:& hæc eſt vera lectio, quæ ex vicinitate dictionum fuit inuerſa. narrant poëtæ & hiſtorici Pallada terebrata buxo tibiam effeciſſe: quam cùm inflaret, vidit genas intumuiſſe, oríſque deformitate perculſa tibiam abiecit in Mæandrum fluuium, quam Satyrus Marſias collegiſſe fertur. Ariſtot. in VIII. Politicorum verba ſunt memoratu digna,quæ ſubiecimus: *Aiunt Mineruam tibias abiecisse ob deformitatem oris, at qui non male habet dicere feciſſe hoc deam deformitate oris inſenſam, ſed tamen multo magis ob id, quia nihil confert tibiarum vſus ad intelligentiam & mentem, cùm ſcientia Mineruæ ſit attributa.* apud Athenienſes diſciplina tibiis canendi exploſa eſt,& repudiata,auctore Alcibiade: qui cum tibias inflaſſet, vidit oris ſui deformitatem, qua pudefactus tibias abiecit infregítque:auctores Gel.& Plut.

VADO *Mæandri.*] Mæander fluuius eſt Mæoniæ ita ſinuoſus flexibus vt ſæpe credatur ad fontem reuerti. per Phrygiam currit, Cariam, Lydiámque diſterminat. auctores Plin. & Strabo.Ab hoc Mæandro omnes obliquitates, flexionéſque Mæandri nuncupantur. Cicer. in Piſone:*Scio quos tu Mæandros quæſiuiſti.*

NVNC *iam.*] ad Cynthiam reuertitur parantem iter in Hyrcaniam,& longinquas nationes. in codice vetuſto legi,*At tu dure paras:* tanquam non Cynthiam alloquatur, ſed ſeipſum: ſitque caſtigatio ad ſemetipſum, qui peregrinando, & regiones longinquas luſtrando exiſtimaret ſe poſſe ab amore diſſolui,cum tamen nullum ſit effugium: & ita ſecundum hanc lectionem totius Elegiæ ſenſus ad ipſum poëtam erit referendus,de ſe ita dicente tanquam de altero:*Quo fugis? ah demens.*

COMMVNES.] ſcilicet, poëtæ & Cynthiæ.

AETERNA *cade.*] mea & puellæ.

HYRCANI *maris.*] Hyrcanum mare ab Hyrcania regione nominatum, alio nomine Caſpium appellatur, vt ait Stra. Hyrcania vero regio Aſiatica ſiluoſa eſt & adeo opulenta,vt vitis vna vini metretam afferat, & ficus ſexaginta modios ficorum.

ROSCIDA.] id eſt,rore perfuſa.Ouid.

Roſcida per tenebras Faunus ad antra venit.

HÆRERE *ſorores.*]Muſas intelligit,quæ nouem numero ſunt filiæ Iouis, & Mnemoſynes, hoc eſt memoriæ. auctor Diod.Cicer.in III.de natura deorum primas & ſecundas & tertias muſas deſcribit:& tertias ex Ioue Pierio natas aſſerit,quas Pieridas & Pierias ſolent poëtæ appellare.ſupra aliter retulimus ex ſententia Strabonis & Feſti.

VT *Semele.*]canent,inquit,nobis muſæ quemadmodum Iuppiter combuſtus eſt, id eſt, flagrauit amore Semeles,& amauit Ionem,& in aquilam verſus Ganymedem Troianum rapuit in cælum,& eum fecit pocillatorem.

COMBVSTVS.] alluſit ad fulmen, quo ad Semelem deſcendit.

QVO *vicerit alitis arma.*] ſenſus eſt: Si nemo vincere poteſt Cupidinem,qui alatus eſt,qui & ipſum domat Iouem, cur ego ſolus efficior reus culpæ & criminis venerij,quod commune mihi eſt cum omnibus?

REVS *agor.*] reus agitur,qui accuſatur. reus peragitur qui damnatur.vnde ait Plin.in epiſtolis: *Dum ille agitur reus ſedimus.* & iuriſconſultus ad legem Iuliam de adulteriis decenter inquit: *peregiſſe reum non alias quis videtur:niſi & condemnauerit.* ſcribit Aſconius, Reum fieri nihil aliud eſſe, niſi apud prætorem legibus interrogari.

A

Hic *quoque non nescit.*] etiam, inquit, Musæ sciunt quid sit amor: quod probat exemplo Calliopes, quæ cum Oeagro concubuit, & ex eo compressu genuit Orpheum. quędam ergo compressa intelligitur Calliope mater Orphei, quæ ait apud Papin.

Sic ripis ego murmurantis Ebri
Non mutum caput Orpheos sequebar.

& Sillius in XI. de Orpheo loquens ait:

Nunc etiam mater tota comitante sororum
Aonidum turba mater mirata canentem.

pater Orphei fuit Oeagrus, vt scribit Diod. vnde Oeagrius cognominatur à poëtis.

B

Bistoniis *rupibus.*] id est, Threicis: nam Thrax fuit Orpheus. in Thracia stagnum est Bistonum & gens. auctor Plin. inde à Sillio dicitur Bistonius vates.

Et *medius Bacchus.*] dicit Bacchum futurum mediúm in choro musarum ipso ducente choream, quoniam deus est poëtarum, & musæ ei comites adhæserunt in bella proficiscenti, vt ait Diodor. Doctam cuspidem intellige thyrsum, quo vtitur Bacchus.

Sacros *corymbos.*] id est; coronam hederaceam, qua poëtæ coronantur. de chorymbis supra diximus, quemadmodum sunt fructus hederarum, vt docet Plin. in XVI. eodem auctore didicimus etiam chorymbos vocari racemos ferularum, & caulem chorymbiam.

C

IANVS DOVSA FIL.

Tvrpia *cum faceret Palladis ora tumor.*] Philostratus: ἡ δὲ ἀτιμᾷ καὶ τοὺς αὐλοὺς ἔρριψεν, ὡς τὸ πρόσωπον αὐτῆς αἰσχύνοντας.

ELEGIA XXXI.

Qværis cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tota erat in speciem Pœnis digesta columnis:
Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quattuor artificis viuida signa boues.
Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valuæ Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse, intérque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

PHILIPP. BEROALD. BON.

Qværis *cur veniam tibi tardior? aurea Phœbi.*] Porticum à Cæsare Augusto publicatam laudat & extollit: cuius inspectione dicit tardius se ad Cynthiam accessisse. scribit Tranquillus Augustum Cæsarem templum Apollinis in parte palatinæ domus excitasse: cui addidit porticus cum bibliotheca Græca, Latináque. debes itaque intelligere in hoc loco de porticu adiuncta Apollini palatino. alias quoque porticus sub alieno nomine extruxit Augustus, vt porticum Lucij & Caij nepotum. item & porticum Liuiæ & porticum Octauiæ.

Digesta. [id est distincta, & secundum simmetriam ædificata. quanta autem debeat esse crassitudo, longitudóque columnarum, & quanta interualla intercolumniorum in ædificiis, docet eruditissimè Victruuius in III.

D

Poenis *columnis.*] id est, marmoreis: ex marmore Pœno, hoc est Numidico factis, quod fuit antiquitus laudatissimum: ex quo limina in domo primus Romanorum posuit M. Lepidus, vt scribit Plin. in XXXVI. Et hoc primùm inuecti Numidici marmoris vestigium inuenisse se refert. de hoc intellexit Mart. scribens:

Marmore picta nomas.

Hoc Papin. in siluis Libycum silicem appellat. prisci pauimenta Pœnica appellitabant, quæ erant marmore Numidico strata.

E

Inter *quas Danai fœmina turba senis.*] in hac porticu Apollinis palatini erant imagines Bellidum quinquaginta, quæ maritos prima nocte nuptiali ad vnum omnes interemerunt, excepta Hypermestra, quæ Lynco pepercit. de quibus supra diximus. hoc etiam docet Ouid. sic scribens in III. Tristium:

Ducor ad intonsi candida templa dei:
Signa peregrinis vbi sunt alterna columnis:
Bellides & stricto stat ferus ense pater.

Vide quemadmodum Propert. & Oui. de eadem porticu scribentes dicant eadem. peregrinas ille vocat columnas, quas hic Pœnas. Bellides ille nominat, quæ ab isto dicuntur Danai turba. alibi quoque Oui. meminit huiusce rei in amoribus, & in primo de arte.

Carmen *hiare.*] laus Apollinis marmorei, qui tãto artificio fuerat fabrefactus, vt viuere, & spirare, & ad lyrã canere videretur. ita Apuleius laudans statuam Batylli pueri, inquit: *Canticũ videtur ore tereti semihiantibus in conatu labellis eliquare.*

Steterant *armenta Myronis.*] dicit circa A aram Apollineam fuisse quatuor boues æneas à Myrone factas visenda pulchritudine. Myron artifex nobilitatus fecit ex ære buculam celebratis versibus laudatam, quos Ausonius Latina lingua donauit. Accidit Myroni quod plerisque aliis, qui alieno magis ingenio, quàm suo commendátur: fecit & alia signa ænea: hic numerosior in arte fuit quàm Polycletus, & in symmetris diligentior. auctor Plini. in XXXIIII. Papin. in siluis:

Hic tibi quæ docto multum vigilata Myroni Æra.

Quintil. in XII. *Signa molliora adhuc supradictis Myron fecit.* B

Vivida *signa.*] quasi tu dicas spirantia atque viuentia. laus est artificis. ita Virg.

Viuos ducit de marmore vultus.

& Papin. in Thebaide:

Viuis creantia vultibus æra.

alias viuidum significat robustum, vt docet Ser.

Carius *Ortygia.*] Apollo magis diligebat hoc templum palatinum, quàm insulam Delon natale solum. Delos autem in medio est Cycladum insula clarissima templo Apollinis alumni, & mercatu celebrata: auctor Plin. dicta Pyrpile, igne ibi primum reperto: alij Cynthiam, alij Asteriam, alij aliis nominibus appellant: sed in primis Ortygia vocitatur: quoniam in ea primum C inuentæ sunt cothurnices aues, quas Græci ortygas vocant. Virg.

Linquimus Ortygiæ portus. ——

In *quo.*] scilicet, templo erat dicatus currus Solis. Quidam codices habent, auro: quod non displicet, vt laus sit maior templi magnificentissimi, supra cuius fastigium Solis currus ex auro splendesceret.

Et *valuæ Libyci.*] fores templi dicit fuisse eburneas, & hoc significat opus Libyci dentis: nã in Lybia sunt elephantes, quos & Æthiopia, & Troglodytica generat, sed maximos India. dentibus elephantum ingens pretium est: quoniam D hoc solum est verum ebur: Cæterum propter penuriam, vt ait Plin. ossa cœpta sunt in laminas secari. magnitudo dentium videtur in templis præcipua, & in Africa præbent vicem postium in domiciliis, & in stabulis pecorum palos fieri ex dentibus elephantorum tradit Polybius. laudat Cicero. in Verrinis valuas templi ex ebore pulcherrime factas, quibus nullas magnificentiores vllo vnquam tempore fuisse confirmat.

Altera *deiectos Parnaßi.*] laudat argumenta, quæ erant in valuis eburneis diligentissime perfecta. in altera, inquit, forte erat fabrefacta E historia Gallorum, qui de Parnassi vertice Apollinis numine præcipitati interierunt. Delphi in monte Parnassi clarissimi ob oraculum Apollinis præcipitiis locorum naturalibus tuti sunt ab incursionibus hostilibus, & maiestate numinis munitissimi. templũ donis regum, populorúmque opulentissimum: cuius spoliandi cupidine incensus Bremius rex Gallorum Delphis bellum intulit, qui cum quatuor tantum millia militum haberent, contra LXV. millia Gallorum alacriter resistebant, & Gallos scandentes è Parnassi vertice præcipitabãt: mox Apolline & Minerua, Dianáque opitulantibus, Galli dissipati, prostratíque sunt, & portione montis per terræmotũ abrupta elisi, oppreßique. insecuta deinde tempestas cum fulminibus & grandine vulneratos absumpsit. Bremius pugione semetipsum confodit. auctor Iustinus in XXIV.

Funera *Tantalidos.*] in altera, inquit, parte valuarum erat historia Niobes, & filiorum, qui omnes perierant confossi sagittis Apollinis, & Dianæ, vt supra docuimus.

Moerebat.] ad laudem dictum est ipsius artificis. adeo enim fabre & adamussim erant cuncta perfecta in valuis, vt mœrere & lugere viderentur recitatas calamitates.

Tantalidos.] id est, Niobes Tantali filiæ in lapideam statuam conuersæ. Itidem ab Ouid. Tantalis appellatur:

Diro conuicia facto Tantalis adiecit.

Inter *matrem & sororem.*] scilicet, Latonam & Dianam.

Pythius.] id est Apollo, qui inter cætera cognomenta Pythius nuncupatur: quod nomen ex nece draconis Pythonis inditum deo Græci fabulantur. alij, vt inquit Macrobius, Pythium cognominatum esse autumant à dictione Græca, quæ vim caloris significat: alij à Pythesche, quod est interrogare & consultare: inde vaticinantes Phœbades Pythiæ cognominantur vt scribit Strabo in IX.

M. ANT. MVRETVS.

Quæris *cur veniam.*] mutilam esse hanc elegiam, finémque illius desiderari, cum diu suspicatus essem, postea veterum librorum indicio deprehendi. sunt, qui eam, quæ proxime sequitur, cum hac continuent, vnámque ex duabus faciant: quos valde errare arbitror.

IANVS DOVSA FIL.

Hic *equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso Marmoreus tacita carmen hiare lyra.*] Distichon hoc loco mihi alienum videtur, neque enim præcessit quidquam quo referri poßit illud, *Hic.* itaque sub finem collocandum puto post vltimum distichon, hoc modo:

Deinde inter matrem Deus ipse, intérque sororem
Pythius in longa carmine veste canit.
Hic equidem Phœbo visus, &c.

Nam cùm primo de porticu templo adiuncta, de Belidum imaginibus, de templi structura, de armento Myronis circum aram, hinc de aureo Solis curru, de eburneis foribus, in quibus Brenni & Niobes historiæ sculptæ, dixisset; commodè subiungit de ipsa togati Apollinis statua tanto artificio fabrefacta, vt ipsam naturam prouocans, viuere, spirare, & canere videretur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Tantam *erat in speciem.*] Liber *tota*, non *tantam.* Ego lego:

Tota erat in species Pœnis digesta columnis.

In species, εἰς ἰδέας, picturas species vocat, quia

oculis obiiciuntur, aspiciendo. Sic supra easdem Visa vocat. *Et posuit casta turpia visa domo. Species* igitur pluraliter legendum. Vnde subiicit, *Inter quas Danai. Inter quas*, species scilicet.

FEMINA *turba senis.*] Noster NVRVS, non SENIS. Ouidius de hac porticu loquens eiusdem picturæ meminit:

Ducor ad intonsi candida templa Dei:
Signa peregrinis vbi sunt alterna columnis
Belides, & stricto stat ferus ense pater.

HIC *equidem Phœbo.*] Apollo ipse Palatinus, opus Scopæ.

TVM *medium claro.*] Lege *Clario.* Non vult dicere templum Apollinis Palatini Clario marmore structum, sed ædem eam esse Phœbo cariorem templo, quod in Claro est, & illo, quod est in Delo.

AVRO *solis erat.*] In nostro, *Aurea solis erant.* Vtranque lectionem agnoscit Beroaldus.

PYTHIVS *in longa.*] Post hunc versum interpone duo Disticha ILLIC ADSPICIAS SCOPVLIS HÆRERE SORORES. Et sequens, VT SEMELE EST COMBVSTVS.

ILLIC *adspicies.*] Melius, *aspicias.* Illic ait etiam Musas pictas fuisse. Et sane omnino conuenit, vbi Apollo esset, ibi & Musas esse. Scopulis hærere ait, quia ita pingerentur pendulæ in rupibus Heliconis.

DENIQVE *vt ad Troia.*] Post hunc versum insere Distichon, QVI VIDET IS PECCAT. à quo disticho inepte alius Elegiæ initium fecerant in vulgatis.

ELEGIA XXXII.

QVI videt, is peccat, qui non te viderit, ergo
Non cupiet. facti crimina lumen habet.
Nam quid Prænestis dubias ô Cynthia sortes?
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?
Cúrve te in Herculeum deportant esseda Tybur?
Appia cur toties te via ducis anum?
Hoc vtinam spatiere loco quocunque vagaris
Cynthia, sed tibi me credere turba vetat,
Cùm videt accensis deuotam currere tedis
In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ.
Scilicet vmbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis,
Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæque Marone cadunt,
Et leuiter nymphis tota crepitantibus vrbe,
Cùm subito Triton ore recondit aquam.
Falleris, ista tui furtum via monstrat amoris.
Non vrbem demens, lumina nostra fugis.
Nil agis, insidias in me componis inanes.
Tendis iners docto retia magna mihi.
Sed de me minus est. famæ iactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me lædit ad aures
Rumor, & in tota non bonus vrbe fuit.
Sed tu non debes inimicæ credere linguę.
Semper formosis fabula pœna fuit.
Non tua deprenso damnata est fama veneno.
Testis eris puras Phœbe videre manus.
Sin autẽ longo nox vna, aut altera lusu
Consumpta est, non me crimina parua mouent.
Tyndaris externo patriam mutauit amore,
Et sine decreto viua reducta domum est.
Ipsa Venus quamuis corrupta libidine Martis,
Nec minus in cælo semper honesta fuit.
Quamuis Ida Parin pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes accubuisse deã:
Hoc & Hamadryadum spectauit turba sororum,
Silenique senes, & pater ipse chori.
Cum quib. Idæo legisti poma sub antro,

Supposita excipiēs Naica dona manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quærit.
Cur hæc tam diues? qui dedit? vnde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores vna puella facit.
Hæc eadem ante illam impunè & Lesbia fecit.
Quæ sequitur, certè est inuidiosa minus.
Qui quærit Tatios veteres, duròsque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in vrbe pedem.
Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altáque mortali deligere astra manu,
Quàm facere, vt nostræ nolint peccare puellæ.
Is mos Saturno regna tenente fuit,
Et cùm Deucalionis aquæ fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi quis potuit lectum seruare pudicum?
Quæ dea cum solo viuere sola deo?
Vxorem quondam magni Minois, vt aiunt,
Corrupit torui candida forma bouis.
Nec minus ærato Danaë circumdata muro,
Nō potuit magno casta negare Ioui.
Quod seu tu Graias, seu sis imitata Sabinas;
Semper viue meo libera iudicio.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVI *videt is peccat, qui non te viderit, ergo.*] quidam coniungunt hæc superioribus, sed, vt mihi videtur, male: nam sententia est seiuncta à superiore sententia, qua admonet Cynthiam vt Romæ manere velit, nec ab vrbe peregrinari: quoniam, inquit, oculi duces sunt in amore, & formosa puella nisi præsens spectetur, non desiderabitur. oculis enim precamur, oculis concupiscimus, oculi pleni sunt mœchationum, oculi A in hominibus sunt insatiabiles, vt decenter scribit Cyprianus, & Apostolica sententia comprobatur.

PRÆNESTIS *sortes.*] quid petis, inquit, secessum Prænestinum & Tusculanum? Præneste ciuitas est in prima regione Italiæ haud longe ab vrbe Roma, quondam Stephane, & Polystephanos à copia coronarum appellata, vt docet Strabo, templum habet Fortunæ illustre: vnde certa edebantur oracula. ideò Papin. Fortunas Prænestinas sorores appellat, & Sillius inquit:

Sacrisque dicatum Fortunæ Præneste iugis.

de hoc Fortunæ oraculo intellexit Mart. illo B versu:

Seu tua veridicæ discunt responsa sorores.

Nunc Propert. dubias sortes Fortunæ Prænestinæ appellat, vt eleuando auctoritatem oraculi facilius Cynthiæ persuadeat in vrbe esse manendum: vel quia omnia oracula sunt perplexa, & flexiloqua, adeo, vt sors ipsa sæpe referenda sit ad sortes, vt facundissime scribit Cicero: qui & Prænestinarum sortium meminit, & inuentionem sortium tribuit Numerio Prænestino.

ÆÆI *mœnia Thelegoni.*] Tusculum designat oppidum Latij conditum à Thelegono filio V- C lyssis & Circes, qui per ignorantiam patrem Vlyssem occidisse fertur, vt Acron & Porphyrio tradiderunt. Ouid.

Et iam Thelegoni iam mœnia Tyburis vdi.

Horat. *& Thelegoni iuga parricidæ.* Cato censorius Tusculanus fuit, quo alumno Tusculum nobilitatur. Ææum vocat Thelegonum à matre Circe, quæ Ææa cognominatur ab insula Ææa, siue oppido, Circes domicilio: quod tradit Homer. in XII Odyss. dicit Ser. Ææam nominatam esse insulam ab horrore transeuntium, quo homines mutabantur in feras. insulæ Ææ meminit Apuleius in magia: tamen artes Ææ ma- D gicæ cognominantur, quibus Circe vsa est. Ouidius:

Artibus Ææis, Capathilque senis.

CVRVATEM *Her.*] mendosus versus nulla poëtica venustate, & ita emendandus: *Curua ten Herculeum.* cuius sensus est per interrogationem pronunciandus, O Cynthia esseda curua te ne Tybur deportant: *ten* enim & *men* dicimus pro te ne, & me ne. Persius:

Men moueat quippe.

esseda de quibus supra memorauimus, bono epitheto curua dicuntur ob formam: & hic locus à E nobis, quod sine arrogantia dictum sit, primis ita castigatus est, vt multa alia in hoc poëmate nostro Marte primi vel emendauimus, vel ex obscuris aperta fecimus, sicut ipsa interpretatio fidem faciet. Tybur cognominatur Herculeum, quoniam Herculi dicatum est: vnde ait poëta in priapeis:

Gades Herculis humidúmque Tibur.

& Strab. in v. *Tybur*, inquit, *Herculeum est.*

Tybur in Herculeum migrauit nigra Lycoris.

Tybure fuit bibliotheca in templo Herculis satis commode libris instructa: cuius meminit Gellius in XVIII. de quo templo credas loquutum esse Iuuenalem illo versu:

Vincens Fortunæ atque Herculis ædem,

qui perperam à commentatoribus enarratur, credentibus id referendum esse ad templa Herculis, & Fortunę Romanica, cum sit referendum ad templum Fortunæ Prænestinæ, & Herculis Tyburtini, vt comparatio accommodetur locis in quibus Centronius ædificabat: sed multa id genus à nobis pertractantur in quibusdam nostris annotationibus, quæ promulgabuntur in tempore.

APPIA.] Appiam viam muniuit Appius Claudius cæcus in censura, & aquam in vrbem duxit. auctores Liuius & iurisconsultus. inter Romanas vias Appia laudatissima est. vnde dixit Strabo, *Appia longarum teritur regina viarum.* ait poëta Cynthiam consenuisse dum spatiatur iugiter per Appiam viam. de qua ait Horatius: *Appiam mannis terit.*

CVM *videt accensis.*] Diana religiosissimè colebatur in nemore Aricino, quod Artemisium vocat Strabo: quoniam Græcè Artemis Diana nuncupatur. sacerdos istius templi Rex nemorensis dicitur à Tranquillo, & poëtæ omnes appellitant reges hos sacerdotes, qui erant fugitiui serui. mulieres vota nuncupabant huic deæ, & voti compotes ibant in nemus Aricinum gestantes faces accensas: qua superstitione deam se venerari existimabant. Quod eleganter docet Ouid. in Fastis scribens de Diana Aricina:

Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab vrbe faces.

hoc ait Propert. à Cynthia factitari, non causa religionis, sed vt sub hoc prętextu exerceat adulteria, quæ sæpe sub nomine, velamentóque castimoniæ delitescunt: & hoc, inquit, vulgi rumor affirmat dictitantis sub hac religionis simulatione Cynthiam extra vrbem adulterari. ita Liuius ostendit sacrarium bacchanalium fuisse stuprorum, & omnis corruptelæ officinam, in quibus matronę Baccharum habitu cum facibus ardentibus ad Tyberim decurrebant.

IN *nemus.*] scilicet Arcinium, quod dicebatur Artemisium.

POMPEIA *porticus.*] Romæ erat porticus Pompeia Soli arcendo accommodata, sub qua æstiuo potissimum tempore matronæ spatiabantur. Ouidius:

Tu modo Pompeia lentus spatiare sub vmbra.

SCILICET.] cum ironia pronunciandum. apud Terent.

Id populus curat scilicet.

& apud Virgilium:

Scilicet is superis labor est.

vult enim ostendere poëta porticum Pompeiam & reliqua loca vrbis Romæ amœna non sordere Cynthiæ, vt ob hanc causam peregrinetur: sed hoc ideo fieri intelligi vult, vt adulteretur securius, & Veneri operetur occultius.

PLATANIS.] platanus arbor est peregrina vmbræ tantum gratia expetita: quæ arbores in tantum venerant honorem, & in tantis fuere delitiis, vt mero infuso nutrirentur. auctor Plin. scribit Macro. Hortensium platanos suas vino irrigare consueuisse. merito ab Ouid. platanus genialis cognominatur, quoniam ad solam voluptatē erat accommodata: cuius arboris commendatio non alia maior est quàm Solem æstate arcere, hyeme admittere.

SOPITO *quaque Marone.*] repetendum est illud verbum, sordent, figura zeugma: & est sensus ironicos proferendus: Sordent, inquit, & fastidiosa sunt Cynthiæ flumina, fontésque Romani, quarum aquarum cadentium murmure Maro sopitur: vel quòd iuxta Maronianas ædes flueret riuus, qui

Sæpe leni somnum suadebat inire susurro:

& somnum laudat ipse Virgil.

——mollésque sub arbore somni.

vel ad laudem aquarum referendum est, quę tam leni murmure cadebant, vt etiam Maronem sopire possent poëtam somni parcissimum, & in lucubrationibus poëticis vigilantissimum. & hoc magis placet, quàm quòd alludat ad Bucolicum Maronis carmen.

NYMPHIS *tota crepitantibus vrbe.*] scribit Frontinus ductus aquarum fuisse nouem in vrbe Roma, quarū ipse refert nomina, inter quas clarissima erat omnium Martia, inter reliqua deum munera tributa vrbi, vt inquit Plin. Virgo quoque & Appia laudabātur. Agrippa, qui aquā Virgineam adduxit, lacus Romæ septingentos fecit, fontésque & aquarum castella complura: merito ait poëta per totam vrbem nymphas aquarum crepitasse & resonasse.

CREPITANTIBVS.] pro eo quod est murmurantibus & resonantibus. Virgil.

—— duro crepitant sub vulnere malæ.

CVM *Triton.*] Triton Neptuni tubicen est carminibus poëtarum celebratissimus, & cærula concha exterrens freta. Plin. lib. IX. de Tritone ita scripsit: *Tiberio principi nunciauit Olysiponensium legatio ob id missa, visum auditúmque quodam in specu concha canentem Tritonem, qua noscitur, forma.* Quæ autem sit forma Tritonis notum est vel illo versu Virgiliano,

Frons hominem præfert, in pistrim desinit aluus.

Quæ res fortasse cur à Proper. dicatur Triton recondere ore aquam Romanorum fontium, scito poëtam tangere historiā: namque Agrippa, qui tot lacus & fontes & castella aquarum fecit in vrbe, cultu, operéque magnificentissima, signa ænea aut marmorea illis omnibus imposuit, & columnas ex marmore quadringentas. auctor Plin. in XXXVI. igitur inter illa signa erat signum Tritonis vtpote dei aquarum, qui in hoc laudatur à poëta, quòd aquas ore recondebat, quæ salientes artificio mechanico intra Tritonis statuam recondebantur & resorbebantur.

ISTA *via.*] quam frequenter vsurpas itando in nemus Aricinum.

LVMINA.] id est, deprehendi oculis nostris times in adulterio, & ideo secedis.

ME *lædit ad aures rumor.*] talis rumor de Cynthia lædebat aures poëtæ, qualis de amica lædebat Tibullum ita scribentem:

Rumor ait crebro nostram peccare puellam:
Tunc ego me surdis auribus esse velim.

RETIA *nota.*] fraudes cognitas: metaphoricos.

FAMÆ *iactura.*] nulla est maior iactura quàm famæ, & præsertim in fœmina post pudicitiam deflo-

defloratam,qua amiſſa omnis virtus in fœmina ruit,vt inquit Hieronymus & teſte Salomone: *Melius eſt nomen bonum quàm diuitiæ multæ.*

FORMOSIS *fabula pœna fuit.*] catholica ſententia, qua docet rumores moleſtos eſſe formoſis puellis,quoniam non credimus formoſam in caſtimonia viuere poſſe, & ideo rumuſculi iactantur,quibus formoſæ infamantur:iuxta illud Satyricum :

Rara eſt adeo concordia formæ,
Atque pudicitiæ. ——

& iuxta illud Biantis : *Si pulchram duces habebis communem.*

NON *tua deprenſo damnata.*] id eſt,non vituperatis quòd ſis venefica, ſed quòd impudica. Solitas autem fuiſſe matronas Romanas exercere veneficia teſtes ſunt Valer. in II. & Liuius in VIII. qui ſcribunt damnatas fuiſſe veneficij ad CLXX. & tunc primum quæſtio de veneficiis Romæ inſtituta fuit, quæ lex Cornelia atrocibus pœnis ſanxit eſſe mulctanda, & ſiue vir, ſiue fœmina malum venenum hominis necandi cauſa fecerat,vel vendiderat,vel habuerat,plectebatur.Quæritur etiam an quæ amatorium dederit venenum dediſſe dicatur.

TESTIS *eris puras.*] ô Sol, inquit, eris teſtis quòd manus Cynthiæ ſunt puræ & inſontes à veneficiis : & merito dicit Solem exhibiturum huiuſce rei teſtimonium, quoniam primus Sol omnia videt & intuetur, vt Homer. & Ouid. & Plin. commemorant.

TYNDARIS *externo.*] formoſis datur hæc venia vt ſemel biſque impune peccare poſſint. Hanc veniam dat Proper. Cynthiæ vtpote formoſæ,& exemplo Helenæ oſtendit amorem peregrini amatoris non eſſe in puella reprehenſibilem : Nam Helena quamuis mariti amorem & patriæ amore externo permutauerit, & ſequuta ſit Alexandrum relicto patrio ſolo,tamen à Menelao viua reducta eſt domum,& citra omnem iniuriam adamata.

TYNDARIS.] id eſt Helena.

IPSA *Venus.*] quis neſcit Venerem amatam fuiſſe à Marte,& olim cum adultero retibus tenuiſſimis à Vulcano coniuge deprehenſam , & omnibus cælitibus oſtentatam , quæ fabula diu fuit in toto cælo notiſſima:poſt hoc tamen Vulcano fuit iucundiſſima.

QVAMVIS *Ida Parim.*] & Oenone, inquit, vna ex nymphis & naiadibus cum Paride concubuit : quorum amores quamuis ab Ida ſilua Troiana Idæiſque narrarentur,tamen & Hamadryades, & Sileni, & Bacchus ſpectauerunt illos concumbentes,nec ob hoc Oenone fuit inuiſa inter alias nymphas. Oenonem autem à Paride ante Helenam fuiſſe adamatam, teſtis eſt epiſtola Naſonis : & vt ait Stra. *In agro Ilienſi tumulus fuit Paridis & Oenones illius vxoris.*

SILENIQVE *ſenes.*] rectus eſt caſus pluratiui numeri , non enim vnus ſolum Silenus qui nutricius,cuſtóſque Bacchi fuit, ſed plures Sileni fuiſſe feruntur:vnde ait Catull.

Cum thyaſo Satyrorum,& nyſigenis Silenis:

qui Sileneis legunt apud Catullum male legunt. Scribit Stra. in x. Silenos miniſtros eſſe Bacchi. De Silenis hæc traduntur à Diodoro libro IV. Bibliothecæ. *Dicunt ſubſidium Dionyſio tuliſſe Nyſiorum nobiliores , quos à primo eorum rege Sileno Silenos vocant. Is cum circa lumbos caudam haberet, poſteri quoque eius naturæ participes id inſigne geſtarunt.*

ET *pater ipſe chori.*] Bacchus intelligitur : & eſt ſermo apoſtrophus ad ipſum Bacchum,& extrinſecus ſubintelligendum verbum, ſpectauiſti. Bacchus autem non ſolum deus eſt.& dux Tityrorum,Silenorum:& Satyrorum,ſed etiàm Naidum,atque nympharum,vt docet Stra

LEGISTI *poma.*] hoc magis ad Bacchum referre placet,quàm ad Parim aut Oenonem,vt ſit ſenſus,Bacchum cum Silenis, & Hamadryadib. ſolitum colligere poma, & excipe dona naica, hoc eſt,poma & flores naidis Oenones:per quæ oſtendit Oenonem poſt Paridis adulterium non fuiſſe repudiatam à Baccho & nymphis, ſed luſiſſe cum illis.

STVPRORVM *examine.*] id eſt , multitudine numeroſa,quale eſſe ſolet examen apum.

SI *contra mores.*] felix, inquit, nimium foret Roma , ſi ſola Cynthia contra leges moréſque peccaret. Mores tam bonos quàm malos dici clarum eſt. & Plautus docet in trinummo ſic ſcribens: *Morbus bonos innaſit mores : qui dum ægrotant inter mortui mores mali quaſi herba irrigua ſuccreuerunt.*

LESBIA *fecit.*] amica Catulli , quam impudiciſſimam fuiſſe docet carmen illud Catullia.

Cum ſuis viuat, valeatque mœchis,
Quos complexa ſimul tenet trecentos.

QVI *quæris Tatios veteres.*] ſenſus eſt:Qui exigit illam ſanctitatem & caſtimoniam in Romanis puellis,quæ fuit olim in gente Sabinorum,is videtur mores Romanæ vrbis ignorare, & primum Romam introiſſe,in quas omnes fere matronæ impudicitia laborant , & adulteriis operantur. Veteres autem Sabinos fuiſſe frugaliſſimos , continentiſſimóſque docet Liuius his verbis : *Inſtructus diſciplina tetrica ac triſti veterum Sabinorum , quo genere nullum quondam incorruptius fuit.* vnde dixit Mart.

Caſta nec antiquis cedens Læuina Sabinis.

& à Iuuenale dictum eſt : —— *intactior omni*
Crinibus effuſis bellum dirimente Sabina.

Tatius vero fuit rex Sabinorum , cum quo Romulus Romanum imperium conſociauit. Hiſtoria nota apud Liuium , Dionyſium , & Plutarchum.

IS *mos Saturno.*] huic ſimile eſt illud : *Credo pudicitiam Saturno rege moratam In terris. Sed iam,* vt ait Ouid.

Saturnus periit, perierunt & ſua iura.

DEVCALIONIS *aqua.*] cataclyſmos ſiue diluuium,quod fuit temporibus Deucalionis,non fuit per totum orbem , vt poëtæ fabulantur , ſed ſolam Theſſaliam inundauit : cuius regno Deucalion potiebatur,vt ſcribit Iuſtinus & Oroſius: &ob hoc dictum eſt diluuium Deucalionis,quia maximè factum eſt in regno Deucalionis,vt auctor eſt Auguſtinus in XVIII.

VXOREM *Minois.*] Paſiphaën intelligit,quæ taurum adamaſſe fertur vſque ad coitum , vt

fabulosa tradit antiquitas: quod tamen haud incredibile videri debet, cùm Iuba auctor sit equũ fuisse à Semiramide vsque ad concubitum. Quidam tradunt Minoem habuisse magistrum militiæ quendam nomine Taurum, quem Pasiphaë amauit, & cum eo concubuit in domo Dædalea: vnde datus est locus fabulæ. A

A**ERATO** *muro.*] hoc idem Horat.

Inclusam Danaen turris ahenea.

Non potuit, inquit, Danaë inclusa intra æream turrim seruare pudicitiam, cùm stuprum Iouiale passa sit. ex quo ostendit nullam esse tam sanctam, tamque munitam, quæ non polluatur: Nam & Græcæ & Latinæ matronæ corruptæ fuerunt. B

IANVS DOVSA FIL.

ET *creber pariter platanis surgentibus ordo.*] malim:

Et creber platanis pariter surgentibus ordo.

IANVS DOVSA PATER.

QVOCVNQVE *vagaris Cynthia.*] *Vagare* pro *vagari* poni notat Nonius: quod huic loco explicando rectè adducit Lipsius in Tacitum, & *vagabis* legit. explicationem probo, lectionem retineo. itaque *vagari* hîc non παθητικῶς accipio, sed potius subiunctiui modi. *vagaris* scilicet pro *vagaueris*, vt *amaris* pro *amaueris*. neque mutandum puto in *vagabis*. C

C**VM** *videt accensis deuotam currere tædis*
In nemus, & triuiæ lumina ferre deæ.]

De hoc Statius III. Siluar.

Iamque dies aderat, profugis quum Regibus aptum
Fumat Aricinum Triuiæ nemus, & face multa
Conscius Hippolyti splendet Lacus.

E**T** *sine decreto est vina reducta domum.*] Eadem significantia huius vocis, ni fallor, apud Senecam VI. Controuer. *Audes seruum dicere Olynthium etiam post bellum & ante decretum?* D

Q**VI** *quæris Tatios veteres, durósque Sabinos.*] Lego: *durásque Sabinas.* Sic Ouid.

Forsitan antiquæ Tatio regnante Sabinæ
Noluerint habiles pluribus esse viris.

I**S** *mos Saturno regna tenente fuit.*] Puto punctum hîc collocandum, & post sequentis Pentametri finem, *Deucalionis aquas.* loco puncti comma arbitror poni debere, vt cum sequentibus construatur, quæ hinc maiore cum elegantia, quam prioris distichi sententia, dependere videntur hoc modo, E

Is mos Saturno regna tenente fuit.
Et cùm Deucalionis aquæ fluxêre per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas,
Dic mihi quis potuit lectum seruare pudicum?

S**EMPER** *viue meo libera iudicio.*] Eadem sententia Ouidio amanti fuit, quum scribit:

Et si non caussa, iudice vince tuo.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVI *videt is peccat. Qui non te.*] Lege, *Qui non & videris.* Quicunque, inquit, aspiciet eam picturam, peccabit exemplo, vt ille adolescens in Eunucho ex tabula Danaæ audacior factus ad vitium virgini inferendum. Sic supra:

Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaq; suæ noluit esse rudes.

Protinus autem legere debes illud distichon: QVOD SI NEMO EXTAT QVI VICERIT.

Q**VOD** *si nemo extat.*] Si ex illa pictura ne Deos quidem immunes ab amore cognoscimus, quid mirum si & ego amo? Ita ille Terentianus, *Ego homuncio hoc non facerem?* Vides, quam male lacerata fuit hæc elegia. Statim subiiciendum distichon: VNA CONTENTVM, cum sequenti: MI NEMO OBIICIAT.

V**NA** *contentum.*] Rectè & ordine persequitur narrationem.

V**NA** *contentum.*] Si Iupiter & Semelen & Io deperiit, cur aliquis mihi obiiciat me plures amare, neque vna contentum esse?

L**IBEAT** *tibi Cynthia.*] Libeat tibi huic venire mecum in eam porticum, aut potius templum Apollinis Palatini. Subiiciendum autem statim distichon: *Nec tu virginibus.*

N**EC** *tu virginibus reuerentia.*] Nec vllo pudore Musarum, quæ ibi pictæ sunt, moueare. Tu tuo facto illas pudore non suffundes. αἰδοῖα πρόσωπα intelligit per *reuerentia ora.* παρθένος αἰδοίη. Poëtæ.

S**I** *tamen Oeagri.*] τὸ *tamen* παρέλκει. Supra.

Quippe vbi nec caussas, nec apertos cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala, cæca via est.

hoc est, vnde veniant. Item:

Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen à nobis ante domandus eris.

τὸ *tamen* ibi quoque παρέλκει. Horatius:

Nequicquam deus abscidit
Prudens oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.

Non igitur Musas pudebit tui facti, si *quidem aliqua* de illarum numero idem fecit. Nam Calliope ab Apolline compressa Orpheum peperit.

E**T** *medius docta cuspide.*] Malo, *Tecta cuspide.* θύρσους intelligit. Catullus. *Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.*

N**AM** *sine te nostrum non valet.*] Post hunc versum lege distichon, *Hoc vtinam spatiere loco.* cum sequenti, *Quum videt accensis.*

H**OC** *vtinam spatiere loco.*] Continuat, quod dixerat supra inuitans Cynthiam: *libeat tibi, Cynthia, mecum,* &c.

Q**VOCVNQVE** *vagaris.*] Repone ex nostro libro — *quodcunque vacabis.*

I**N** *nemus, & Triuiæ.*] Post hæc, lege distichon, *Nam quid Prænestis.* cum sequenti, *Curne te in Herculeum.*

A**PPIA** *cur toties.*] Sequitur, *Scilicet vmbrosis,* &c.

F**LVMINA** *sopito.*] Maron flumen in Peloponneso non longe à fluuio Alpheo, & fortasse commiscetur cum ipso Alpheo. Nam Μάρωνος καὶ Ἀλφειοῦ ἱερὸν in Laconia erat teste Pausania.

Ergo innuit simulacrum Maronis dormiens proiicere ore, auribus, & aliis partibus flumina. Nam sane & fluminum quædam simulacra dormientia hodie extant,& Tiberis ita describitur à Sidonio:

—— pars proxima Tibrim
Exprimit. hic scabri fusus sub pumice tosi
Proflabat madidum per guttura glauca soporem.
Pectus palla tegit, quam neuerat Ilia coniux,
Liquentis quæ iuncta toro vult murmura lymphis
Tollere,& vndosi somnum seruare mariti.

QVVM *subito Triton ore recondit.*] Recondit, contrarium τοῦ condit.

NON *vrbem demens.*] Hic inserendum distichon *Quo fugis, ah demens.* cum quinque sequentibus. Non dubito doctos viros statim propriam sedem horum versuum agnituros sententia ipsa ita bene arridente. Quare eorum iudicio confisus, rationibus supersedebo.

QVO *fugis ah demens.*] Pulcherrima huius poëtæ elegia mirum in quot membra distracta sit, vt miter quid in mentem venerit istis βιβλιογράφοις, qui non prius mentem poëtæ diligenter perpenderent, quam hæc ita de suis sedibus iniuste deturbarent. Elegia autem incipit ab eo disticho: QVÆRIS CVR VENIAM TIBI TARDIOR?

NIL *tibi mercurij.*] Duæ negationes pro vna. Nam prius dixerat, *Non si Pegaseo. Non nil*, est Nil tantum.

SI *modo præsentes.*] Deinceps lege, *Num iam dura paras* cum sequenti: *Spargeréque alterna.*

NVNC *iam dura paras.*] Malo, *Num iam* quanquam parum interest vtro modo legas. Quo fugis? inquit. num militatum proficisceris, vt ex cædibus ditata cruentam prædam domum reportes?

ET *ferre ad patrios.*] Nunc redi ad illud: *Nil agis. insidias in me*: Quis non tantam confusionem mirabitur?

SED *de me minus est.*] Magis placet scriptura: *Minor est.*

SED *tu non debes.*] Lege, *Sed te non debes.* Non debes te famæ credere. hoc est, non debes committere, vt de te loquatur vulgus. Idem pene supra:

Credam ego narranti, noli committere, fama.

NON *me crimina parua mouent.*] Paruum crimen puto perpotare, Hoc me non mouet. Postea lege, *Ista senes licet accusent* cum duobus sequentibus distichis.

ILLORVM *antiquis onerentur.*] Catullus:

Rumorésque senum seueriorum
Omnes vnius æstimemus assis.

HIC *locus est.*] Hic, in conuiuio.

QVÆ *non iure vado Mæandri.*] Telestes Selinusius:

Ἣν σοφὸν σοφὰν λαβοῦσαν
(Οὐκ ἐπιλάζομαι τὸν)
Δρυμοῖς ὀρείοις
Ὄργανον δίαν Ἀθάναν
Δυσόφθαλμον αἶσχος ἐκφοβηθεῖσαν
Αὖθις ἐκ χεροῖν βαλεῖν.

TVRPIA *quum faceret.*] Deinceps reuertere ad illud, *Tyndaris externo.* Vt ostendat se non mo-

A ueri, quod Cynthia conuiuiis tempestiuis intersit, item quod se plus quam vni parat.

ET *sine decreto est.*] *sine decreto* οὐχ ὑπόσπονδος.

NEC *minus in cælo semper honesta fuit.*] Hoc eleganter persequitur Euripides Hippolyto:

Ὅσοι μὲν οὖν γραφάς τε τῶν παλαιτέρων
Ἔχουσιν, αὐτοί τ' εἰσὶν ἐν μούσαις ἀεί,
Ἴσασι μὲν, Ζεὺς ὥς ποτ' ἠράσθη γάμων
Σεμέλης, ἴσασι δ' ὡς ἀνήρπασέν ποτε
Ἡ καλλιφεγγὴς Κέφαλον εἰς θεοὺς Ἕως
Ἔρωτος οὕνεκ'. ἀλλ' ὅμως ἐν οὐρανῷ
Ναίουσι, κ' οὐ φεύγουσιν ἐκποδὼν θεούς.

B SVPPOSITA *excipiens Naica dona manu.*] Corruptissimus locus. Nam quo refertur τὸ *legisse*? neminem enim nominauit. Sed legendum:

Supposita excipiens, Nai, caduca manu.

Error, quia scriptum fuerat, *cadoca*, more illorum librariorum solenni omnia deprauare scribendi. Caduca poma, alij vocant cadiua. Naida non dubium est hic Oenonen vocari.

HÆC *eadem ante illam.*] Lege: *Hac eadem hac ante.* vt sit, ἀναδίπλωσις.

CORRVPIT *torui.*] Noster, *Corripuit.*

ELEGIA XXXIII.

C *TRISTIA iam redeunt iterum solennia nobis,*
Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque vtinam Nilo pereat quæ sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausoniis.
Quæ dea tam cupidos toties diuisit amantes:
D *Quacunque illa fuit, semper amara fuit.*
Tu certè Iouis occultis in amoribus Io
Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cùm te iussit habere puellam cornua Iuno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora,
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
E *An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram*
Iuppiter, iccirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via est?
Quídve tibi prodest, viduas dormire puellas?

Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt. A
Aut nos è nostra te saua fugabimus vrbe:
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quæ nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis? & verba sinis mea ludere, cùm iam B
Flectant Icarij sidera tarda boues?
Lenta bibis. mediæ nequeunt te frangere noctes.
At nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat quicunque meracas repperit vuas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas. C
Icare Cecropiis meritò iugulare colonis,
Pampineus nosti quàm sit amatus odor.
Tu quoque ô Eurytion vino Centaure peristi,
Nec non Ismario tu Polypheme mero.
Vino forma perit, vino corrūpitur ætas, D
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum, vt multo nihil es mutata Lyæo:
Iam bibe, formosa es: nil tibi vina nocent.
Cùm tua præpendent demissæ in pocula serta,
Et mea deducta carmina voce legis.
Largius effuso madeat tibi mensa Falerno, E
Spumet & aurato mollius in calice.
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter:
Est quiddam, quod vos quærere cogat amor.
Semper in absentes felicior æstus amātes:
Eleuat aßiduos copia longa viros.

PHILIPP. BEROALD. BON.

TRISTIA *iam redeunt iterum solemnia nobis.*] in sacris Isidis & Cereris matronæ Romanæ secubabant, & castimonia plurium dierum vtebantur: quod Liuius in Bacchanalibus celebrādis per decem dies solitum fieri declarat. Hæc sacra erant solemnia, hoc est quotannis semel celebrabantur, quibus cum Cynthia operaretur non poterat poëta frui solitis amplexibus: hinc sacra Isidis, & ipsam deam detestatur. similis est Elegia, similique argumento apud Ouidium, cuius principium est:

Annua venerunt Cerealis tempora sacri.

OPERATA.] operari significat operam dare, & est verbum sacris accommodatū, & significat sacra perficere, vt docet Seruius. inde à Virgilio dictum est, *operata iuuentus:* Quod tamen ad alia quoque transfertur. Columella in XIII. *Si rebus venereis fuerit operatus vel vir vel fœmina.*

INACHIS.] id est Isis, quæ filia fuit Inachi, dicta Io, mox facta Ægyptiorum dea, Isis est nominata, vt ait Augusti. Scribunt Diodor. & Eusebius Isin esse Lunam, & Osyrin Solem. ex Ægypto sacra Isidis Romam translata fuerunt: vnde ait Lucanus:

Nos in templa tuam Romana recipimus Isin.

Templum habebat in campo Martio iuxta ouile: quod indicat Iuuenalis in eadem:

Isidis antiquo quæ proxima surgit ouili.

Sacerdotes Isiaci lineis vestibus induebantur: Ouidius:

Nunc dea linigera colitur celeberrima turba.

Martialis: *Linigeri fugiunt calui.*

Corn. Tacitus, inquit, Domitianum lineo amictu turbæ sacricolarum immixtum delituisse: Et Apuleius in Apologia tradit linum purissimum esse velamentum, quod non modo indutui, & amictui sanctissimis Ægyptiorum sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris vsurpatur. Pereat, inquit Proper. Isis, quæ à Nilotica regione misit hæc sacra Romanis matronis.

NILO *tepente.*] tepens dicitur Nilus, quoniā ortum habet in regione calidissima in monte Mauritaniæ, vt Iuba rex exquisiuit. existimat Pl. incertum esse Nili fontem, qui per deserta & ardentia decurrens fœcundat Ægyptum annuis incrementis.

AGRESTEM *detraxit ab ore figuram.*] Iuppiter, vt canunt Ouid. & Flaccus, Ionem ex vacca in pristinam effigiem reformauit, quæ facta est dea Ægyptiorum, quam vniuersi Ægyptij venerantur, cùm quædam apud illos sint numina, quæ quælibet ciuitas seorsum. & priuatim colit.

FVSCIS *Aegyptus alumnis.*] debent, inquit, sufficere tibi, ô Isi, cultores Ægyptiaci, nec Romanæ puellæ sunt ad tua sacra sollicitandæ. fuscos appellat Ægyptios, propterea quòd Solis vapore aduruntur: nam, vt ait Theodectes, *quibus propinquam Phœbus admouit rotam: Atra fauilla corpora infecit virum.* existimat Herodotus nigrorem illam in Æthiopicis & oriētalib. populis prouenire ex nigro spermate, tanquam illorū genitura

sit nigra: sed Aristo. Herodotum refellit, asserens omnium animalium album esse semen genitale lib. III. de animalibus, & lib. II. de generatione animalium.

VIDVAS *dormire.*] id est, à viro secubantes atque diuisas in hoc loco dictum accipe, non autem marito priuatas. vidua enim dicitur mulier quasi à viro diuisa, vel quasi valde idua, id est diuisa, vt Macro. interpretatur. viduam non solum eam, quæ aliquando nupta fuisset, sed eam quoque mulierem, quæ virum non habuisset appellari ait Labeo iurisconsultus: quia vidua sit dicta quasi sine duitate.

CORNVA *rursus erunt.*] iterum vacca efficieris. Allusit ad fabulam.

CVM *Tyberi Nilo gratia.*] tangit historiam: nam Romani cum Ægyptiis duce Augusto bella gesserunt, & Cleopatra Ægyptia assentiente Antonio seruitutem Romanis minitabatur: &, vt inquit Horat. Capitolio dementes ruinas, funus & imperio parabat: Per Tyberim, Romanos: per Nilum, Ægyptos intelligito. Tropus metonymia.

TER *faciamus iter.*] verecundè petit tres à Cynthia concubitus.

ICARII *boues.*] iam dies, inquit, appropinquat, & tu verba mea floccipendis: quod elegantia poëtica dictum est: nam plaustrum in Septētrione circumagitur & flectitur circa diluculum. Iuuenalis: —— *aut illo tempore: quo se*

Frigida circumcingunt pigri sacra Bootæ.

Icarij boues dicuntur septentriones ab Icaro, de quo hęc memorantur: Bacchus Icaro Attico pastori vinum dedit venale deportandum, iubens vt præciperet ignorantibus adhuc vsum huius, vt parcè biberent. Pastores sapore vini delectati, quorum corpora & sermones ebrietate soluebantur, arbitrati sufit se venenum accepisse, Icarumque interfecerunt, & in puteum deiecerunt. Iuppiter Icari casum miseratus, eum in Septentrione collocauit inter sidera, qui dicitur factus esse Bootes, & alio nomine Arctophylax. auctores Higinius & Probus. Alij tamen de Boote aliter tradiderunt. Nunc fabulam recitatam sequitur Proper. dicens, quòd boues Icarij, id est plaustrum Septentrionale, cuius custos est Icarus, flectunt sidera sua, quæ tarda & pigra dicuntur à poëtis ratione sphærica & motu. Septentriones autem à numero septem stellarum dicti & trionibus, qui rustico certo vocabulo boues appellantur, quasi quidam terriones, hoc est, arandæ terræ idonei. Hoc sidus à figura, posituráque ipsa Latini plaustrum, Græci amaxan appellitauerunt, auctor Gellius.

AH *pereat.*] execratio est in primum vini repertorem, tanquam vinum causa sit Cynthię lasciuientis, & ebrietate mutatæ. Liber qui & Osyris dicitur, vt omnes nouerunt, primus inuenit vinum & vitem: sed, vt eleganter ait Tertullianus in Apologetico cap. XI. quod inuenitur fuit: quod fuit non eius deputabitur qui inuenit, sed eius qui instituit, erat enim antequàm inueniretur: quod si propterea Liber deus est, quòd vitem demonstrauit, male cum Lucullo actum est, qui primus cerasa ex Ponto Italiæ promulgauit, &

A non est propterea consecratus, vt nouæ frugis auctor, quia fuit ostensor.

MERACAS *vuas.*] à mero dictas: vnde vinum meracum dicimus, quod merum est nulla aqua admixta. Cor. Cel. præcipit hyeme meraciùs esse bibendum, æstate dilutiùs: Quod significat hybernas potiones debere esse meracas & sine aqua: æstiuas aqua commixtas. Et tale vinum dicitur dilutum & dilutius & dilutissimum, prout minus plusve aquæ admixtum fuerit: quod viri alioquin eruditi inscitè lymphatum vocitant nullo idoneo auctore subnixi, cùm lymphatum in Latina lingua semper inuenerim accipi pro

B furibundo, & lymphare significat furore vexari, vt apud Flaccum, *Lymphauerat vrbem.* Hieronymus Vinum dilutius vocat aquatius his verbis: *Vinum si aquatius bibitur, calix frangitur, mensa subuertitur.* Merum solum significat, vnde merula nominatur, quia sola volat, quasi mera volans. vinum ergo cum solum est, hoc est, sine aqua, dicitur merum: vnde meracum, meracius, & meracissimum deducuntur. Meracis potionibus per dies XXI. ante canis ortum, totidémque postea suadet Hesiodus vti.

C ICARE.] merito à pastoribus Atticis interemptum fuisse Icarum dicit, qui vinum à Baccho acceptum illis dedit, vt paulo ante docuimus, & ita expertus est quàm sit amarus, & pestifer odor ipsius vini.

TV *quoque ô Eurytion.*] Centauri mero æstuātes, & libidine flagrantes in nuptiis Pirithoi ad rapinam mulierū insurrexerunt, inter quos erat vnus nomine Eurytion, qui & Eurytus dicitur, qui manus iniecit Hippodamię. Theseus cratera ingentem torsit in Eurytum: *aduersaq; misit in ora,* vt inquit Ouid. & ita resupinus corruit Eurytus, & animam cum sanguine simul euomuit: de quo

D ita scribit Homerus in XXI. Odysseæ: *Vinum Eurytionem centaurum læsit in domo Pirithoi, cui ebrio heroes insultantes nasum, aurésq; amputauerunt.*

ISMARIO *Polypheme mero.*] Vlysses Polyphemo Cyclopi propinauit vinum Maroneum generosissimum, cuius ille suauitate adeo demulctus est, vt temulento sopore profligatus totis sterteret præcordiis, & ructuosos spiritus congeminaret, & saniem mero commixtam eructaret: tunc Vlysses stipite acuto, obustóque oculum Polyphemo terebrauit

Ingens, quod torua solum sub fronte latebat:

E vt ait Vir. Fabulæ auctor est Homer. in IX. Odysseæ. Ismarium vinum illud quo sepultus iacuit Polyphemus vocat Propert. ab Ismaro oppido Thracię, quod expugnauit Vlysses, & illic vinum accepit à Marone Apollinis sacerdote, quod Maroneum vocant. Tibullus:

Victa Maroneo sedatus lumina Baccho.

Plin. in XIV. ait: *Vino antiquissima claritas est Maroneo in Thracia genito.* Homer. prodidit Maroneum vicies tantum addito aquæ miscendum. nam, vt scribit Probus, tanta est huic vino vis, vigórque indomitus, vt vnum metron vini, viginti metra sustineat aquæ.

NIL *tibi vina.*] hortatur Cynthiam ad continuandas potationes, cùm neque deformior fiat à vino, neque lædatur à potu. cùm tamen vini

intemperantia nihil sit, teste Plinio, perniciosius: &, vt inquit Aristoteles, vinum iracundos facit, audaces, insanos, instar atræ bilis.

DEMISSA *in pocula serta.*] ex gestu bibentis dictum est: vel alludit ad morem priscorum, apud quos coronæ bibebantur, vnde est illud de Cleopatra, quòd in conuiuali hilaritate inuitauit Antonium vt coronas biberet, quarum flores extremos infecerat veneno.

SPVMET.] significanter loquutus est: Namque, auctore Aristotele, vinum spumabundum est, & largius spumat nigrum, quàm album: Inde à Persio dictum est: *Despumare Falernum.*

DEDVCTA *voce.*] id est tenui, & subtili. Sic Cornificius: *Deducta mihi voce garrienti.* & Pomponius ait: *Vocem deducas oportet vt mulieris verba videantur.*

SEMPER *in absentes felicior æstus.*] catholica sententia est, qua docetur acrius amari absentem amatorem, quàm præsentem, cum natura comparatum sit, vt ardentius, auidiúsque desideremus ex oculis sublata, quàm præsentia, quæ assiduitate sui fastidium subinde parere consueuerunt.

ELEVAT *assiduos.*] pleraque sunt verba in Latina lingua, quæ quotidie vsurpantur à multis, & à paucissimis intelliguntur, quale est hoc verbum, eleuo, quod vnicuique obuium est, sed non vnicuique satis perspectum: Significat autem eleuare, derogare, & minuere auctoritatem alterius, & verbis ea minora facere, quæ sunt extollenda: & in hac significatione apud eos, qui significanter & pure locuti sunt hoc verbum sæpe reperies. Liuius in XXVIII. *Qui Fabius meas res gestas in Hispania eleuauit*: pro eo quod est, depressit. Idem alibi: *Eleuare res meas gestas.* Quin. in V. *Gentium simul vniuersarum eleuata testimonia ab oratoribus scimus.* Eleuare & extollere se opponuntur. Ita intelligitur in hoc loco Eleuat, pro eo quod est deprimit, & minus fauorabiles, minúsque desiderabiles facit.

COPIA.] tale est illud: *Copia me perdit.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

AN *quoniam agrestem.*] Noue dixit agrestem pro ferina: ἄγριον εἶδος ἀντὶ τοῦ θηριώδους.

QVIDVE *tibi prodest.*] Noster, *Quid tibi quid prodest?*

CVM *Tiberi Nilo gratia nulla fuit.*] Lege *fuat.* οὐ φύοντ' αἶ.

AT *tu quæ nostro nimium placata dolore es.*] Lege *dolori. Nostro dolori* Propertianum, hoc est, nobis dolentibus. Sic scelus Polymnestoris pro Polymnestore scelesto: error Herculis pro errante Hercule. Comicum est, scelus viri, scelestus.

NOCTIBVS *his vacui ter faciamus iter.*] Quid sit *ter faciamus iter*, ne illi quidem, qui mutarunt, intelligant. Sed nos emendamus *refaciamus iter.* Ita refacere pro reficere dicebant. quod sæpe in veteribus notare potes. quod iter se reficere velit non est ignotũ, quum dicat se vacuos esse his noctibus, quibus in casto Isidis esse oportebat.

A Re præpositio veteribus producebatur. Retulit, Repulit, Reperit, longa sunt.

QVVM *tua præpendent.*] Restituimus lectionem Charisij:

Quum tua præpendent demissæ in pocula serta.

LARGIVS *effuso.*] vno spiritu cum sequenti disticho continuanda. Quamuis affatim & vinum & epulæ sint, tamen aliud volunt fœminæ.

ELEVAT *adsiduos.*] Iuuenalis:

—— *voluptates commendat rarior vsus.*

B

ELEGIA XXXIII.

CVR quisquam faciem dominæ iam credat amico?
Sic erepta mihi pene puella mea est.
Expertus dico: nemo est in amore fidelis.
Formosam rarò non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, soluit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma
C *vocat.*
Hospes in hospitium Menelao venit adulter.
Colchis & ignotum nónne secuta virum est?
Lynceu tu ne meam potuisti tangere curam?
Perfide nónne tuæ tunc cecidere manus?
D *Quid si non constans illa, & tam certa fuisset?*
Posses in tanto viuere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno,
A domina tantùm te modò tolle mea.
Te socium vitæ, te corporis esse licebit.
Te dominum admitto rebus amice
E *meis,*
Lecto te solum, lecto te deprecor vno.
Riualem possum non ego ferre Iouẽ:
Ipse meas solus, quod nil est, æmulor vmbras:
Stultus, quòd stulto sæpe timore tremo.
Vna tamen caussa est, qua crimina tanta remitto,

Errabãt multo quod tua verba mero.
Sed nunquã vitæ me fallet ruga seueræ.
Omnes iam norunt, quàm sit amare bonum.
Lynceus ipse meus seros insanit amores.
Solum te nostros lætor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit? aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Cretæi tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuuat in magno vester amore senex.
Tu satius memorem musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Nam rursus licet Ætoli referas Acheloi
Fluxerit vt magno factus amore liquor,
Atque etiam, vt Phrygio fallax Mæandria campo
Errat, & ipsa suas decipit vnda vias.
Qualis & Adrasti fuerit vocalis Ariõ,
Tristis ad Archemori funera victor equus:
Amphiraææ nil prosunt fata quadrigæ,
Aut Capanei magno grata ruina Ioui.
Desine & Æschyleo componere verba cothurno,
Desine & ad molles membra resolue choros.
Incipe iam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignes dure poëta veni,
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero:
Despicit & magnos recta puella deos.
Sed non antè: grauis taurus succumbit aratro,
Cornua quàm validis hæserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores.
Trux tamen à nobis ante domandus eris.

A *Harum nulla solet rationem quærere mundi.*
Nec cur fraternis Luna laboret equis:
Nec si post Stygias aliquid restabit ad vndas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Aspice me, cui parua domi fortuna relicta est,
B *Nullus & antiquo Marte triumphus aui,*
Vt regnem mistas inter conuiua puellas,
Hoc ego, quo tibi nunc eleuor, ingenio.
Me iuuet hesternis positum languere corollis,
Quẽ tetigit iactu certus ad ossa deus:
Actia Virgilium custodis littora Phœbi,
C *Cæsaris & fortes dicere posse rates.*
Qui nunc Æneæ Troiani suscitat arma,
Iactáque Lauinis mœnia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graij.
Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis vmbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus:
Vtque decem possint corrumpere mala puellam,
D *Mistus & impressis hœdus ab vberibus.*
Felix, qui viles pomis mercaris amores:
Huic licet ingratæ Tityrus ipse cadat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolæ domini carpere delicias.
Quãuis ille sua lassus requiescat auena,
E *Laudatur faciles inter Hamadryadas.*
Tu canis Ascræi veteris præcepta poëtæ,
Quo seges in campo, quo viret vua iugo.
Tale facis carmẽ docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.

Non tamen hæc vllia venient ingrata legenti,
Siue in amore rudis, siue peritus eris.
Nec minor his animis, aut si minor, ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Hæc quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiæ maxima flamma suæ.
Hæc quoque lasciui cantarunt scripta Catulli,
Lesbia queis ipsa notior est Helena.
Hæc etiam docti confessa est pagina Calui,
Cùm caneret miseræ funera Quinctiliæ.
Et modò formosa quàm multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lauit aqua:
Cynthia quin etiam versu laudata Properti:
Hos inter si me ponere fama volet.

PHILIPP. BEROALD. BON.

CVR *quisquam faciem dominæ iam credit amico.*] principium est alterius Elegiæ, quæ superiori connexa passim legitur, qua perfidiã amici Lyncei incusat, monétq; nulli etiam amicissimo amores suos esse committendos, iuxta illud Ouid.

Cognatum, fratrémque caue, fidumque sodalem.

CREDIT *amico.*] in mendosis codicibus legitur amori, nos correximus amico, vt sit sensus: Non esse apud amicum formosam amicam relinquendam, quoniam qui amico committit amicam, is ouem lupo credit: vt olim Nero Pōpeiam demandauit Othoni, qui deinde exclusus fuit pro foribus astans, & frustra depositum reposcens: & Candaulus olim Gygi sodali suo vxorem formosissimam nudam demonstrauit: Quo facto Gyges amore mulieris inflammatus Candaulum trucidauit, eiusque vxore & regno pariter potitus est.

FACIEM.] facies non solum os & genas & oculos significat, sed etiam pro factura, totiusque corporis figura accipitur apud probatissimos scriptores. Plaut. *Nutrix quæ sit facie mihi expedi.* Lege Gellium in XII.

COLCHIS.] Medea, quæ impulsore Cupidine reliquit patrem & patriam sequuta Iasonem peregrinum.

HOSPES.] id est, Paris, qui polluto iure hospitij rapuit Helenam.

A *dominæ te tolle.*] vt inquit, luculente Tertullianus, *Omnia indiscreta sint apud nos præter vxores: in illo loco consortium soluimus.* Quod à Tertulliano dictum est de vxoribus, id ab amatoribus de amica deposcitur, quæ domina amantis est & appellatur.

MEAM *curam.*] scilicet Cynthiam. Cura amor dicitur quod cor vrat: Præterea curatio medicorum est, cura reliquorum, vt ait Donatus.

LECTO *te deprecor vno.*] id est, remoueo, abigo, & amolior: Hoc enim interdum significat deprecor, vt docet Gel. & pleni sunt libri veterum similis in hoc verbo significationis. ab Ouidio dictum est, *deprecor mortem:* à Tranquillo, *dictaturam deprecatus Augustus:* à Cice. *audes supplicium deprecari.* Laurentius Vallensis dum cupit à Gellio super hoc verbo dissentire, non satis seipsum explicat. B

ÆMVLORVM.] æmulatio dupliciter dicitur, vt & in laude & in vitio nomẽ hoc sit, vt docet Cicero in Tusculanis: nam imitatio virtutis æmulatio dicitur: & æmulatio est ægritudo similis inuidentiæ. In eadem significatione æmulari, & æmulus accipiuntur: Hîc æmulor pro eo quod est inuideo dictum est.

ME *fallet ruga.*] dictum se post hac nemini crediturum, & nulli fidem habiturum, ex eo, quod in vultu præse ferat seueritatem & sanctitatem. C Difficile est enim iudicare de altero propter multiplices hominum variásque naturas, &, vt inquit, luculentissime Cice. *Multis simulationum inuolucris tegitur vniuscuiusque natura: Frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur: Oratio vero sæpissime,* idem alibi inquit: *Nos supercilia & totus denique vultus Pisonis decepit, fefellit, induxit.* Et, vt dicit Hieronymus, *Sæpe sub habitu ouis lupus delitescit.*

INSANIT *amores.*] figurata eloquutio pro efflictim deperit, & impatienter amat Cynthiam.

NOSTROS *de.*] amores signat: quibus erat ipse poëta mancipatus, vel deos intellige poëticos: D Quia qui amat amatoriam poësim colat necesse est, vt dictum est in primo commentario. nam in amore nil prosunt libri Philosophici, quos Socraticos vocat, non quos Socrates scripserit, sed in quibus dogmata Socratica scribuntur. quales sunt fere omnes dialogi Platonis, in quibus Socrates exprimitur. ita Horatius:

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:

pro eo quod est præcepta philosophiæ, cuius fons est Socrates dictus, & potissimum moralis, quàm de cœlo in terram deuocauit, & in vrbes introduxit: cùm neque de naturali philosophia, neque de altioribus, sublimioribúsque rebus disputaret, vt Eusebius, Xenophónque testantur. E Scribit Cicero Socratem nullam litteram reliquisse. Quidam hæc separant à superioribus,

QVID *tua Socraticis*, tanquam principium sit Elegiæ scriptæ ad virum philosophum res amatorias auspicantem, sed cum antedictis optime quadrat, vt Lynceus intelligatur is qui amare cœperat & philosophabatur.

AVT *quid Critei.*] qui de Homero intelligunt dure nimis & absonè, ne dicam indoctè sensum carmini accommodant, atque adglutinant, neque de poëta Critei nomine quicquam legisse

me memini: Quapropter videtur breui litterarum immutatione legendum esse Tyrtei. Fuit autem Tyrteus poëta Atheniensis, qui Spartanis ducem belli petentibus ab Atheniensibus pro imperatore datus est, qui fusis tribus prælijs ab hostibus Messeniis ad desperationem Spartanos adduxit, quibus exercitum reducere domũ volentibus, Tyrteus tunc carmina luculenta exercitui pro concione recitauit. in quibus hortamenta virtutis, damnorum solatia, belli consilia conscripserat: quibus adeo animatus est omnis exercitus vt salute neglecta prælium poscerent: Itaque tantis animis concursum est, vt raro vnquam cruentius prælium fuerit: Tandem victoria fuit penes Lacedæmonios auctor Iustinus, qui dicit Tyrteum fuisse claudum: addit Porphyrio & luscum. Tyrtei meminit Strabo in sexto, cuius etiam versus elegantissimos refert: de eodem sic scribit Pla. in primo de legibus: *O diuine poeta Tyrtee sapiens ac bonus videris.* de Tyrteo dixit Horat. in arte poëtica:

Tyrteusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit.

Quo versu signat Historiam quam retulimus, quamuis in quibusdam codicibus Horatianis non Tyrteus legatur, sed Dyrceus: sed qui bene sentit, nobiscum sentit: hunc dixit Quin. ab Hor. frustra Home. subiungi. Lacedæmonij, teste Plutarcho, Tyrteum poëtam ciuitate donarunt: ex quo Pausanias cuidam interroganti causam huiusce rei respondit, Ideo *Tyrteum fecimus Spartanum ciuem, vt nunquam nobis peregrinus præfuisse videatur.* Ait Propert. nil prodesse amatori carmina Tyrtei, quoniam non res amatorias continent, sed serias & bellicas. Quod si hæc interpretatio eruditis auribus non satisfacit, audiant alteram veriorem: vt scilicet critei legamus, sicut passim legitur, & intelligamus de Epimenide poëta pariter & philosopho, qui Cretensis fuit vt scrib. Laërtius, qui poëta generosus nuncupatur à Hieronymo: cuius istum versiculum vsurpat apostolus in epistola ad Titum: *Cretes semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Hic inter cætera scripsit Argonautica. Somnum Epimenidis memorat Plin. in vii. & Plato Epimenidem diuinum virum fuisse commemorat. Exponas igitur Critei pro Cretei, hoc est Cretensis. Nam per litteram I. Græcè dixit, quæ apud Latinos aut in E longum conuertitur, aut in A.

V E S T E R *senex.*] Epicurum ne intelligit? qui dicitur à Papinio senior, Gargetius à pago Attico, an Socratem qui à Iuuenale dicitur senex nutritus Hymeto, an potius Homerum? Cuius versus nil valent in amore: vt dixit in primo, qui Mæonius senex nuncupatur. Ouid.

Præferor Ascræo Mæonioque seni.

Quid si referas ad eundem Epimenidem, qui centum & quinquaginta septem vixit annos, vt sit sensus connexus cum superiore versu.

I M I T E R E *Philetam.*] qui amat debet imitari poëtas Elegiacos, quorum poësis amatoria est, quales sunt apud Græcos in primis duo, Philetas & Callimachus: de quibus ita scribit Quint. in x. *Elegiæ princeps habetur Callimachus: Secundas confessione plurimorum Philetas occupauit.* Hic Cous fuit, vt tradit Strabo, & indicat Propertius in principio tertij, Conterraneus Hippocratis medici. De Phileta intellexit Ouid. sic scribens:

Sit Coi nota poeta Musa.

N O N *inflati.*] non grandiloqui, sed stylo tenui scribentis accommodato rebus amatorus, quæ versu Elegiaco scribuntur.

A E T O L I *referas Acheloi.*] Achelous fluuius, qui Acarnaniam ab Aetolia dirimit, vt poëtæ fabulantur, amauit Deianiram, quæ à multis procis in coniugium petebatur, sed à duobus potissimum, Hercule scilicet & Acheloo, qui cedentibus aliis inter se palæstrico certamine decertarunt. Achelous impar viribus Herculeis versus est in draconem, & mox in taurum, sed nullæ artes illi profuerunt habenti aduersarium valentissimum, qui in lucta cornu Acheloo fregisse fertur, & ex ipsa fronte reuellisse. Fabulam scribit Ouid. quam historiæ accommodat Strabo in decimo. ait poeta Lynceo amanti nihil profuturum si scripserit amores Acheloi, bellúmque Thebanum, & ludos funebres Archemori, & Ariona equum Adrasti, & id genus poemata grandilóque, cùm amores sint referendi. Licet ergo referas quemadmodum liquor Acheloi fluminis Aetoli fractus fuerit amore Deianiræ ab Hercule oppressus: vel indicat amorem immodicum vtpote cuius ardore fregerit, calefeceritque frigidum liquorem: vel alludit ad historiam, quam referunt Strabo & Diodorus scribentes ab Hercule aggeribus, & aquarum ductibus Acheloum fuisse coercitum atque exsiccatum, vt ita Oeneo Deianiræ patri gratificaretur.

F A L L A X *Mæandria.*] de Mæandro flexuoso & tortuoso fluuio supradictum est, qui errat per Phrygiam: &, vt inquit, Ouid.

Ludit & ambiguo lapsu refluitque fluitque.

A D R A S T I *vocalis Arion.*] Neptunus dono dedit Adrasto equum nomine Ariona, vt scribit Probus; de cuius pernicitate multa canit Papinius in sexto Thebaidos. Hic in ludis Archemori funebribus victor fuit excusso rectore Polynice. Habuit pedem dextrum humano vestigio insignem, vt ait Lactantius. vocalis dicitur quasi celebratus: vel allusio est ad Arionem citharœdum, quæ fuit vocalissimus: vel quia cum hinnitu è terra fertur prosiliisse: vel quod placet, quia loquutus est voce humana, quemadmodum Xanthus Achillis equus vocalis à Iunone redditus est, quem collocutum cum domino scribit Homerus, nunciantem obitum, diémque instare letalem. Quemadmodum in Archemori pueri funere facti sint ludi multiplices docet Papinius in sexto. In equorum certamine victor fuit Arion. Hinc coniectamus Lynceum scripsisse Thebaida, & hæc omnia, quæ strictim enumerat poeta, ostendens id genus poematis seuerioris nihil in amore prodesse.

F A T A *quadrigæ Amphiaræa.*] Amphiaraus vates in bello Thebano dum præliatur, in terræ hiatum cum curru delatus, absorptúsque est, vt scribit Diodorus: vnde ait Statius describens Amphiarai fatum:

Illum ingens haurit specus, & transire pauentes
Mergit equos.——

Scribit Strabo in agro Bœotio locum esse Arma nuncupatum à curru scilicet Amphiarai, qui inanis illuc detractus esse fertur excusso Amphiarao: cuius sacellum in eo loco fuit consecratum, & oraculum Amphiarai monumentis historicorum, & in primis Herodoti celebratũ est. Quadriga dicitur agmen equorum quatuor iunctorum, sicut duos equos iunctos, vt inquit Augustinus, bigas vocamus. hinc ait Iurisconsultus de ædilitio edicto: *Si triga venerit redhibenda erit tota, & si quadriga redhibeat*: vbi trigã pro tribus equis iunctis, & quadriga pro quaternis accipitur. grammatici asserunt quadrigas pluratiuo semper numero dicendas, quorum regulam eruditorum refellit auctoritas, & in primis Plinij, qui scribit quadrigam fabricatam à Mecercide, quam musca integeret alis. & alibi: *In summo*, inquit, *quadriga marmorea est, quam fecit Phythus*. de hac re caput est apud Gellium in XVIII. noctium Atticarum.

A V T *Capanei.*] Capaneus vnus ex septem ducibus, qui ad Thebanum bellum profecti sunt, ingentibus corporis viribus præditus: conscendit muros Thebanos, ex quibus corruit fulmine Iouiali præcipitatus. lege Statium in X. Thebaidos mortem Capanei luculentissimis versibus enarrantem: ex quibus hic vnus est:

Talia dicentem toto Ioue fulmen adactum Corripuit.

memoratu dignum est quod tradit Vegetius in IIII. sic scribens: *A Capaneo scalarum oppugnatio perhibetur inuenta, qui tanta vi extinctus est à Thebanis, vt extinctus fulmine diceretur.*

A E S C H I L O *cothurno.*] id est, noli scribere tragœdiam stylo sublimi, & grandiloquo, quo vsus est Aeschylus scriptor tragœdiarum apud Græcos, qui personæ repertor fuit, vt testis est Horat. de quo ita scribit Quint. *Tragœdia primus in lucem Aeschylus protulit sublimis & grauis & grandiloquus, sæpe vsque ad vitium*: hunc testudo interemit iacta ab aquila è cœlo sublimi. auctor Plin. in X. Cothurnum intellige stylum grandiloquum à cothurno calciamento Tragœdorum: vnde cothurnatos vocamus poetas sublimes. Martialis,

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis.

A N G V S T O *torno.*] metaphoricos præcipit scribendum esse versus Elegos, qui minores sunt versibus heroicis. simili translatione vsus est Statius in Siluis: *Ingens opus in minores contrahe gyros*: & Horatius versus male tornatos appellat, qui sunt inconcinni, & impoliti. Tornum primus inuenit Theodorus Samius.

T V *non Antimacho.*] Antimachus poeta heroicus est, cui secundas detulit consensus grammaticorum, vt inquit Quintilianus, in quo vis & grauitas inest: hunc tumidum vocat Catullus illo versu,

At populus tumido gaudeat Antimacho.

hic ab Horatio dictus est cyclicus scriptor, vt interpretes autumant. magnum composuit volumen, quod cum olim legeret conuocatis auditoribus, omnes eum reliquerunt præter vnicum Platonem: tunc Antimachus: *Legam*, inquit, *nihilominus, Plato enim vnus mihi instar est omnium.*

A M A G N O S *deos.*] poetas appellat deos vt supra.

H A R V M *nulla solet.*] non quærunt, inquit, Romanæ puellæ studia philosophiæ naturalis ab amatore, sed amatoria, & ludicra.

L V N A *laboret.*] Luna currit in cœlo obnoxia radiis fratris, hoc est Solis, & prout à Sole recesserit, Solique admota fuerit, accipit luminis incrementa, & decremento, modo immensa orbe pleno, modo senescens alias pernox, alias sera: quæ laborare creditur cùm latet in defectu siue eclypsi, quoniam tunc terra interposita suo aufert Lunæ radios Solis, quibus Luna efficitur luminosa. Præterea Plinius labores siderum appellat, qui stati sunt. B

F R A T E R N I S *equis.*] id est Solis, cuius currus ducitur à quatuor equis, quorum hæc sunt nomina, Pyrous, Eous, Aethon, & Phlegon.

N E C *si post Stygias.*] id est, an post mortem durent animæ vt pote immortales, an vero à morte nihil sensus relinquatur, id quod Epicurus, & Epicurei existimabant. quod & Lucretius opinatur: & credit Plinius dicens: *Omnibus à suprema die eademque ante primum, nec magis à morte sensus vllus aut corpori aut animæ quam ante natalem.*

C N E C *si consulto fulmina.*] supra dictum est de fulminibus, cum quibus simul tonitrua fiunt. ante videmus fulgorem quam sonum audiamus, quia oculorum velocior est sensus quam aurium, auctores Plinius & Seneca. nihil aliud sunt tonitrua quam plagæ ignium impactorum, & sonus ictæ nubis. Hæc non consulto fiunt, sed sunt fortuita, & nulla veniunt ratione naturæ, & fulmina talia bruta & vana nuncupantur: Sunt & alia fatidica, quæ statis de causis veniunt, suisque ex sideribus. sensus autem est: Puellas non delectari huiusmodi disputationibus an fulmina temere proueniant, an ex Dei prouidentia fiant: & hoc dictum est ex opinione philosophorum, quorum alij diuina prouidentia

D gubernari cuncta dixerunt, vt Stoici: alij deum nihil curare, nihil agere, vt Epicurei: Quidam Fortunæ omnia expensa, omnia ferunt accepta: pars alia astro suo euentus assignat: alij fato omnia fieri autumant.

A S P I C E *me.*] exemplo sui probat Elegiarum scriptores florere apud puellas, quibus ingenium amatorium placet non philosophicum.

E L E V O R *ingenio.*] exponamus vt supra deprimor, vt sit sensus. Ingenium minuitur & deprimitur apud puellas, quod sit tale, quale est nunc tibi ò Lynceu. i. accommodatum rebus

E magnis & sublimibus, cùm puellæ ingenium amatorium exigant & facetum in amantibus.

C E R T V S *ad ossa deus.*] scilicet Cupido, cuius sagitta vsque ad medullas penetrauit.

A C T I A *Virgilio.*] iuuet, inquit, Virgilium scribere bellum Actiacum gestum ab Augusto aduersus Antonium & Cleopatram, quoniam habet ingenium diuinissimum, & carmini heroico accommodatissimum: ego vero amores scribam Elegiaco stylo, cum Virgilio cedendum sit cothurnato charactere. Alludit ad octauum librum Aeneidos, in quo Virgilius pugnam

naualem Actiacam luculentissime describit in laudem Cæsaris Augusti. diximus supra Apollinem habuisse templum in Actio promontorio, quod Augustus ampliauit, & ludos instituit dicatos Apollini, qui Actia nuncupantur.

ARMA.] alludit ad Aeneidos principium.

IACTAQVE *Lauinis.*] alludit ad illud Virgilianum: *Lauináque venit littora*: in quibus Aeneas oppidum condidit, & ab nomine vxoris, vt inquit Liuius, Lauinium appellauit.

TV *canis vmbrosi.*] laus est Virgiliani poëmatis, & in primis Bucolici ludicri, in quo celebrat pastores Daphnin & Thyrsim. de Daphnide ait,

Daphnis ego in siluis hinc vsque ad sidera notus.

cuius scribit Epicedium in Aegloga: *Cur non Mopse boni.* de Thyrside scribit in Aegloga: *Forte sub arguta.* vbi carmina cantata à Thyrside commemorant: *Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrsis.*

ATTRITIS *arundinibus.*] idest, fistula pastorali, quam ex calamis primus Pan concinnauit.

SVBTER *pineta Galesi.*] Virgilius delectabatur Tarentino secessu vbi poëmata pangebat: prope Tarentum fluuius est nomine Galesus, qui (teste Liuio) quinque millia ab vrbe abest. ait Propertius Maronem subter pinus Galesi cecinisse carmen pastorale. Galesi meminit & ipse Virgilius in Georgicis illo versu:

Qua niger humectat flauentia culta Galesus.

VTQVE *decem possint.*] propter illud:

Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

TITYRVS *ipse.*] sub persona Tityri apud Virgilium intelligitur ipse poëta: & Tityrus lingua Libyca hircus appellatur, vt docet Probus: & Tityri inter ministros Bacchi à Strabone referuntur.

CORYDON *qui tentat Alexim.*] allusio ad Aeglogam: *Formosum pastor.*

REQVIESCAT *auena.*] pro fistula pastorali ponitur auena: quoniam rustici cantare in stipula consueuerunt, vt ait Seruius. Hinc illud, *Tenuem musam meditaris auena.*

TV *canis Ascræi.*] scribis Georgicum carmen æmulatus Hesiodum, qui fuit Ascræus: vt supra memorauimus: vnde dictum est ab ipso Virgilio:

Ascræúmque cano Romana per oppida carmen.

DOCTA *testudine.*] id est, cithara: ita Horat.

Tuque testudo resonare septem
Callida neruis.

Et Virgilius:

Ipse caua solans ægrum testudine amorem.

causam nominis refert Seruius, quod olim Mercurius percussit pede testudinem putrefactam, cuius nerui extenti sonitum dederunt, ex cuius imitatione cithara est composita.

CYNTHIVS.] Apollo.

NON *tamen hæc vlli.*] nostra, inquit, scripta & si leuiora sunt, & minora quàm heroica & Maroniana, non tamen legentibus displicebunt: & ita Elegiacos poëtas extollit.

ANSERIS *indocto.*] sensus est: Elegi versus non sunt digni minori laude grandiloquis carminibus, quamuis sint in caractere gracili & attenuato quemadmodum canor Cycni, quamuis paruus non cedit anserum clamori obstreporo & magno. huic simile est illud Lucretij:

Paruus vt est cycni melior canor ille, gruum quam
Clamor in Aethereis dispersus nubibus austri.

videtur etiam clanculum alludere ad Anserem malum poëtam, gratum M. Antonio: ad quem existimat Seruius allusisse Virgilium illo versu: *Argutos interstrepet anser olores.* & propter hunc est illud à Cicerone venuste dictum, *Et falsæ de Salerno anseres depellentur.*

HÆC *quoque.*] scilicet Elegiaca commendatio amatorij carminis à scriptoribus: nam Varro Attacinus perfectis Argonauticis ludebat amatoria. Fuit autem hic Varro, de quo loquitur, Attacinus nuncupatus ab Attace patria, qui est vicus in Gallia Narbonensi, vt docet Eusebius chronographus, post xxx. quintum annum didicit literas Græcas summo cum studio. de hoc ait Horatius in sermonibus:

—— *Experto frustra Varrone Atacino.*

Hic scripsit Argonautica: vnde ait Ouidius:

Varronem, primámque ratem, quæ nesciet ætas.

à Quintiliano dicitur interpres alieni operis. Alter fuit ille Tarrentinus Varro omnium Romanorum doctissimus: cuius laus absoluitur illo Terentiani endecasyllabo:

Vir doctissimus undecunque Varro.

PERFECTO *Iasone.*] hoc est, absoluto poëmate Argonautarum. Varro Attacinus celebrabat versibus Elegis amicam nomine Leucadiam: aliis Leucadia regio dicitur Epyrotica. posset hoc nomen Leucadiæ puellæ referri ad Apollinem Leucadium tanquam Apollineæ. posset & referri ad vicum Romanum, siue curiam nomine Leucadiam, tanquam fuerit eius curiæ. cuius loci meminit Plautus in Curgulione.

LESBIA.] Catullus amicam Clodiam sub nomine Lesbiæ celebrauit, vt testis est Apuleius. vnde dixit Ouid.

Fœmina cui falsum Lesbia nomen erat.

Hæc carminibus Catullianis est notissima.

HÆC *eadem.*] scilicet amatoria, & elegiaca.

PAGINA *Calui.*] Caluus poëta carminis lasciui scriptor familiarissimus Catulli fuit: adeo, vt cum Catullo nominetur ab Horatio: *Nil præter Caluum, & doctus cantare Catullum.* Et ab Ouidio: *Et tu cum Caluo docte Catulle tuo.* Meminit Gellius istius poëtæ à quo dicit factas fuisse fluentes carminum delitias: hoc idem testatur Ouidius sic scribens: *Par fuit exigui, similisque licentia Calui.* fuit alter Caluus orator, cuius Seneca & Quintilianus meminerunt: quem quidam omnibus oratoribus anteponere non dubitarunt. de poëta Caluo intelligit Propertius, à quo dicit Quintiliæ amicæ mortem celebratam esse carminibus Elegis.

LYCORIDE *Gallus.*] Cornelius Gallus Foroiuliensis, de quo scribit Virgilius in Bucolicis, amicam Lycorida suis versibus illustrauit: vnde ait Ouidius:

Et sua cum Gallo nota Lycoris erit.

hic primus (teste Eusebio) tenuit Aegyptum prouinciam Romanam factam ab Augusto, & semet propria manu interfecit: compulsus ad necem, cùm ob ingratum & maliuolum animũ illi domo interdixisset Augustus, vt testatur

Tranquillus. Scribit Ouid. ob linguam maledicam, & effrenem sibimet mortis caulam comparasse: versus Ouidij hi sunt: A

Non fuit opprobrio celebrasse Lycorida Gallo:
Sed linguam nimio non tenuisse mero.

& quia sibi mortem sua manu consciuerat, ideo dixit alibi:

Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ.

dixi in primo commentario hunc non esse illum Gallum, cuius membra sparsa fuere per campos Hetruscos.

VVLNERA *lauit.*] sensus est: Gallum apud inferos abluisse cruórem ex vulneribus quæ sibimet ipse intulerat ministerio amicæ Lycoridis, quæ Gallum apud inferos præstolabatur. B

M. ANT. MVRETVS.

NON *Amphiareæ.*] deprauatum esse versum hunc constat. nam ab Amphiarao neque Amphiaraæ, neque Amphiareæ deduci potest. numeri præterea non constant. in meo vetere libro legitur,

Amphiraea nil prosunt tibi fata quadrigæ.

vnde si quis vocem, *tibi*, sustulerit, quæ versum ὑπερκατάληκτον facit, veram, vt opinor, scripturam restituerit.

AVT *Capanei magno.*] eodem libro auctore hic reposui vocem; *magno*, quæ ab imperitis detracta numeros corruperat. C

NEC *minor his animus.*] in his versibus mendi aliquid latere suspicor.

IANVS DOVSA FIL.

QVEM *tetigit iactu certus ad ossa Deus.*] Alibi:
——descendit vulnus ad ossa meum.
Archilochus:

Δύστηνος ἔγκειμαι πόθῳ ἄψυχος
Χαλεπῇσι θεῶν ὀδύνῃσιν ἕκητι
Πεπαρμένος δι' ὀστέων. Theocritus Idyll. III.
Ὅς με κατασμύχων καὶ ἐς ὀστίον ἄχρις ἰάπτει.

IANVS DOVSA PATER.

NAM *rursus licet Aetoli referas Acheloi*
Fluxerit vt magno factus amore liquor.] *Rursus* hoc loco retrorsum significat, & cum *Fluxerit*, non cum *referas* construendum. Sic & idem dixerat supra:

Atque ita me iniecto duxerunt rursus amictu.

Id est, reduxerunt illo vnde me abduxerãt prius.

SED *non ante grauis taurus succumbit aratro.*] Malim *graui.* epithetum aratro, quàm tauro accommodatius.

SIVE *in amore rudis siue peritus erit.*] Sic alibi:
Me dolor & lacrymæ meritò fecere peritum.
Atque vtinam posito dicar amore rudis.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

CVR *quisquam faciem dominæ iam credat amico.*] *Amico* est commentum Beroaldi, vt ipsemet fatetur, quum antea legeretur, *Amori.* Quod repone. Sic Tibullus -*infelix dum requiescit amor.* id est, ego amans.

POSSET *vt in tanto.*] Aliter noster: *Posses in tanto viuere flagitio?* vtrunque bene. Verum melius, nescio.

AVT *quid Cretei.*] In nostro sine diphthongo *Cretei.* Volunt Epimenidem, qui Cretensis fuit, intelligi. Atqui non ita loquutus fuisset; non magis quam, si Atheniensem simpliciter pro aliquo scriptore Atheniensi intelligi vellet. Ego puto corruptum locum esse. & mutilum: atque ita primo in illo exemplari scriptum fuisse: *Aut quid...cretei.* Vt prima syllaba deperierit. quum deberet legi, *Lucretei,* hoc est Lucreti. Nam & in hoc libro archaismos scripturæ reperi, vt supra: B *Auribus & pureis scripta probare mea.* pro quo fecerant, *pueris.*

TV *satius memorem Musis.*] Obsecro quid est *Memorem Musis?* an, quod putauimus aliquando, τοῖς μνήμοσι, μαμμωνὸς, minime. Atqui suboluit mihi semper de mendo huius loci, presertim quum antiqua scriptura legat; *Tu satius Musis memorem imitere Philetam.* lege, *musis meliorem.* neque dubium est hoc verum esse. Meliorem vocat, ἀμυνότερον, χαριέστερον, καὶ γλαφυρώτερον. Mollis carminis palmam Philetæ defert, & meliorem Callimacho dicit.

ET *non inflati somnia Callimachi.*] Hæc aliter accipit vulgus, ac voluit Propertius. Ipsi putant à Propertio hic Callimachum laudari, quod eum non inflatum vocauerit. Ego contra inflatum eum vocari aio, ac propterea non laudari. Ait enim: mollem ac delicatum versum Philetæ potius imitare, quam somnia inflati Callimachi. Somnia Callimachi vocat τὰ αἴτια, opus morosum, ac obscurum, vt & Martialis innuit, quum dixit, -*legas Aetia Callimachi.* quum suadet non alium librum quærere quam Aetia Callimachi, siquidem obscuris delectatur. Somnia autem vocat, quia Callimachus historias antiquissimas, atque ab omni cognitione remotissimas scripturus finxit somniasse aliquando se interuenisse Musarum cœtui, quas quum de rebus obscurissimis interrogasset, accepisse ab iis ea, quæ postea literis mandauit. Ostendit autem Epigramma ἀδέσποτον in eum. D

Ω μέγα Βαττιάδαο σοφοῦ ἀείμνηστον ἔστεψε,
Ἦρ ἐπεὶ κεραῶν, οὐδ' ἐπίφαυστος ἔφυ.
Τοῖα γὰρ ἄμμιν ἔφλεξας, ἅτ' οὐ πάρος ἀνέρες ἔσχον
Ἀμφί τε ἀθανάτους, ἀμφί τε ἡμιθέους.
Εὖτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα
Ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι φέρων.
Αἱ δ' οἱ εἰρομένῳ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων
Αἴτια καὶ μακάρων εἶπον ἀμειβόμεναι.

E Ait igitur: Tu melius feceris, si Philetæ amores, quam si obscurissimum poema Callimachi Aetia imiteris. Id enim aggrediebatur iste, ad quem scribit. quod ex sequentibus apparet, At, dices, quomodo Callimachum inflatum vocat, quem profitetur se imitari? age mitto imitari, cuius nomine ipse se appellat? *Vmbria Romani patria Callimachi.* Propertius tantum deterret eum ab Aetiis Callimachi, cui poemati simile aggrediebatur ille Propertij amicus: non autem ab amoribus, aut Elegiis Callimachi, quas ipse imitari se, vt dixi, profitetur.

NAM

NAM *rursus.*] Profectò legendum: *Non rursus.* A Inepte enim loqueretur, si dixisset, Nam licet referas rursus fabulam Acheloi, quid prodest Amphiarai mors? Hæc sane & pueri riderent. sed hoc vult: Non tibi licet rursus ea tractare quæ Callimachus tractauit. Callimachus enim ea omnia ἐν αἰτίοις tractauerat, & fabulam Acheloi, & Mæandrum fluuium, & Nemea ad Archemori exequias. Nam hæc in Aetiis tractata fuisse ostenderit vel vnum verbum *Rursus*, quo vtitur. Si enim ab eo rursus tractantur, à Callimacho ergo antea tractata fuerant. Hæc ne minimum quidem suspicabatur vulgus Grammaticorum.

AMPHIARAÆ.] versus interpolatus. Vetus B lectio:

Non Amphiariæ prosunt tibi fata quadrigæ
Aut Capanei grata ruina Ioui. Lege.
Non non Amphiaraea tibi fata quadrigæ
Prosunt, aut Capanei grata ruina Ioui.

Amphiaraeus, ἀμφιαράειος.

AVT *Capanei magno.*] Iam ostendimus & hunc quoque versum interpolatum esse. quem etiam emendauimus ex veteri scriptura.

DESINE *& Aeschyleo.*] Quia Aeschylus scripsit Tragœdias, propterea hunc locum ita legendum esse censuerunt, quum tamen vetus lectio habeat, *Desine Achilleo.* Nam intelligit Tragœdiam Achillem. C

ET *ad molles membra resolue toros.*] Lege, *Choros*, vt vetus liber.

VERSVS *includere torno.*] At noster, *versus componere.* Et profectò versus torno includi rectè dici non potest. Quicquid vero in hoc poëta mutatum est, id prope omne ex officina Beroaldi prodiit: qui parum hunc poëtam illis suis immanibus Commentariis iuuit: & raro mentem poetæ tangit, aut assequitur.

ME *iuuet aeternis.*] Noster, *Hesternis.* quis non illam vulgatæ præferat?

ATTIA *Virgilium.*] ἀπὸ κοινοῦ *Iuuet.* Scriptus D liber *Virgilio.*

QVI *nunc Aeneæ Troiani suscitat arma.*] Apparet Virgilium & tunc principium Aeneidos fecisse illum versum, *Arma virumque cano.* Et Ouidius quoque idem vult:

Contulit in Tyrios arma virumque toros.

TV *canis vmbrosi.*] Hæc ariolatur Propertius. Non enim hæc scripsit Virgilius. Sed alium Bucolicorum scriptorē habebat in animo, vt infra.

VTQVE *decem possint corrumpere mala puellam.*] Et hæc ariolatur de Virgilio. Nam non apud Virgil. illa, sed apud Theocritum. Sic enim ille: E

Ἠνὶ δέ τοι δέκα μᾶλα φέρω. τηνῶθε καθεῖλον,
Ὧ μ' ἐκέλευ καθελεῖν τυ.

Puero autem non puellæ mittuntur. vt apud Virgilium:

Quod potui, puero siluestri ex arbore lecta
Aurea mala decem misi. cras altera mittam.

MISSVS *& impressis:*] Impressa vbera, ἀμολκτα. non mulcta. ij enim pinguiores, quorum matres non mulgentur.

HVIC *licet ingrata.*] Et hæc non Virgil. sed Theocritus:

Χειμάδιον πολὺ καὶ ἀμφιμολγοὶ. ταὶ δέ μοι αἶγες
Βόσκονται κατ' ὄρος, ἢ ὁ ποιμὴν αὐτὰς ἐλαύνει.

QVAMVIS *ille sua lassus.*] Emendo:

Quamuis ille suam lassus requiescat auenam. Alibi:
Iuppiter Alcmenæ geminas requieuerat Arctos.

Caluus in Io. *Sol quoque præteritos meminit requiescere cursus* Euripides Iphigenia in Tauris,

Οἴκοισιν δ' ὑπὸ θαλάμοις
Πτέρυγας ἐν νώτοις ἁμοῖς
Ἀνάπαυσα θάλπουσα.

Sedens in propriis thalamis requiescam alas in dorso meo. Sed magis insolens illud in Phœnissis: χρονίαν πόδα ἀμφιτείνας δέμειον ἰαύων. dormiens pedem, id est requiescens pedem.

NEC *minor his animis nec si minor.*] Ita vetus scriptura. Folium Sibyllæ hic versus: & quem ridicule interpretatur Beroaldus. legendum vero: *Nec minor his animis, nec se minor.* Nec Virgilius propterea aliquid indignum maiestate illa sui carminis, aut se ipso fecit, quum lacessitus ab æmulo Ansere, non respondit. Virgilius æmulos tres ineptos poëtas habuit, Anserem, Bauium, Mæuium. A quibus prouocatus, dissimulauit. Emiserant enim in illum famosa carmina præsertim parodias ex ipsius libris:

Tityre, si toga calda tibi est, quo tegmine fagi?

Negant enim Latinum esse, tegmen fagi, pro vmbra & opacitate fagi. Item:

Dic mihi Damœta, cuium pecus anne Latinum?
Non: verum Aegonis, nostri sic rure loquuntur.

Non putant *cuium pecus* posse dici nisi à rusticis & capratiis, non autem ab vrbanis. In quo eos decipi conuincit veterum auctorum obseruatio. Item riserunt eum, quod hordea pluraliter dixerit:

Hordea qui dixit, superest, vt tritica dicat.

HAC *etiam docti confessa est pagina Calui.*] Quare doctum vocet, Cicero docet scribens Trebonio: *Multa*, inquit, *erant, & recondita litera. vis non erat.*

ET *modo formosa.*] Nisi fallor τὸ MODO significat nuperam cædem Galli, quam ipse sibi consciuit anno A. V. C. DCCXXVII. quo Messala de Gallis triumphauit, sex annis ante decessum Virgilij: vt ridiculum sit Epigramma, quod sub nomine Cor. Galli vulgo circunfertur de morte Virgilij, eiusque Æneide. Est autem Scholastici Poetæ.

QVAM *Multa*] Lege *qui multa.* Antea sententia erat obscurissima. Et Gallus quoque inquit; idem cecinit, qui mortem sibi consciuit, quum non dudum formosa esset Lycoris. Mira locutio, in qua creber Horatius.

-neque pessima munerum, Ferres, diuite me-

id est, si essem diues. *Quorum secunda, vate me, datur fuga*, id est, me vaticinante. *Diceris Vario fortis & hostium Victor Maonij Carminis alite*, id est, quum Varius sit Poeta epicus: qui locus Horatij male vulgo Magistrorum conceptus. Sic, vt dixi, hic formosa Lycoride eadem figura dictum, id est, quum habuerit Lycoridem formosam, quum ei esset Lycoris materia carminis. Græce,

Ὅς ἐστι τῷ καλῷ νικηφόρῳ ἀπεῖδεν.

FINIS.

SEXTI PROPERTII
ELEGIARVM
LIBER III.

ELEGIA I.

Callimachi manes, & Coi sacra Philetæ,
In vestrum, quæso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quóue pede ingreßi, quámve bibistis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicunque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus eat,
Quò me fama leuat terra sublimis, & à me
Nata coronatis musa triumphat equis,
Et mecum in curru parui vectantur Amores,
Scriptorúmque meas turba secuta rotas.
Quid frustra mißis in me certatis habenis?
Nō datur ad Musas currere lata via.
Multi Roma tuas laudes annalibus addent,
Qui finem Imperij Bactra futura canent:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
A Detulit intacta pagina nostra via.
Mollia Pegasides vestro date serta poëtæ:
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod viuo detraxerit inuida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia post obitū fingit maiora vetustas.
B Maius ab exequiis nomē in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fulmináque Æmonio comminus isse viro?
Idæum Simoenta, Iouis cunabula parui?
Hectora per campos ter maculasse rotas
Deiphobúmque, Helenúmque, & Polydamantas in armis?
C Qualemcumque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc Ilion, & tu
Troia, bis Oetæi numine capta Dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suū crescere sensit opus.
Méque inter seros laudabit Roma nepotes.
D Illum post cineres auguror esse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
Prouisum est Lycio vota probāte deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat vt solito tacta puella sono.

PHILIPP. BEROALD. BON.

CALLIMACHI *manes & Coi sacra Philetæ.*] Scripturus amores, & Elegos versus manes Callimachi, & Philetæ rogat, vt ipsum velint esse symistem, hoc est consacerdotē, participémque eorum sacrorum, quorum illi erant antistites. Allegoricos optat recipi inter elegiacos poëtas, quales apud Græcos sunt Callimachus, atque Philetas, qui dicitur poëta Cous à patria, vt supra docuimus.

ITALA *per Graios Orgia.*] poetæ sunt sacerdotes Musarum & Phœbi & mysteriis poëticis initiati: vnde & vates sacri nominantur. Propertius tanquam primus inter Latinos poëtas Elegiographus dicit se ferre mystica Latini carminis Elegi sacramenta per choros Græcorum poëtarum, tanquam à solis Græcis Elegia tunc celebrata fuisset: nec dum à Latinis illustrata. In hāc sententiam dixit Hor. se Lyricum carmen apud Latinos primum à Græcis ad Italos modos deduxisse, & parios Iambos Latio ostendisse. Orgia dicuntur sacra omnium deorum apud Græcos, sicut cerimoniæ apud Latinos. Abusiue Bacchi sacra Orgia nominantur, vt docet Ser. Scribit Strabo: Orgia vocitari omne cerimoniale negocium: vnde autem Orgia dicantur docet Euseb. in II. præparationis euan. scribens, ab orge, id est, ira siue furore deriuari: quem aduersus Ionem Ceres suscepisse fertur. Potest & hoc referri ad furorem illum, quo Bacchantes agitantur sacris Liberi patris operantes: Nunc acyros & impropriè orgia vocat sacra, mysteriáque poëtica & potissimum Elegiaca.

QVO *antro.*] nemorum secessus & antra poëtæ adamare dicuntur vt otiosius poëticæ incumbant: namque silentium illud secretum scribentibus maxime conuenit: & studiorum hortator esse videtur ille secessus, & cogitationem meditantis intendere: inde legimus Demosthenem solitum esse se recondere in locum, ex quo nullam exaudiret vocem, ex quo nihil prospici posset, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Antra autem in Parnasso poetica multa fuerunt, ex quibus, teste Strabone, clarissimū & formosissimum extat antrum Corycium, à quo Ouid. musas Corycidas nymphas nuncupauit illo versu,

Corycidas nymphas, & numina montis adorant.

fuit & in Helicone antrum musarum nomine Libetrum. in hanc sententiam est illud à Satyrico poeta prolatum:

——nec enim cantare sub antro
Pierio: thyrsúmque potest contingere sana
Paupertas.——

TENVISTIS.] boni codices habent tenuastis: & significat attenuatum & gracile carmen concinnastis. allusio est ad stylum tenuem & exilem characterem, quo vsi sunt Callimachus, & Philetas in Elegia pangenda.

QVAM-VE *bibistis aquam.*] alludere videtur ad fontes qui plurimi sunt Musis dicati, ex quibus bibunt, qui poetæ fiunt. Iuuenalis,

Aptúsque bibendis Fontibus Aonidum. Et Papi.
Da fontes mihi Phœbe nouos. idem Lucret.
Iuuat integros accedere fontes.

AH *valeat.*] hoc est abeat ac recedat: & ita hoc verbum Lactan. in li. de ira interpretatur, enarrans verba Cice. Donatus quoque illud Terentianum Valeant exponit pro abeant & recedant. verbum est imprecationis. aliter Ser.

TENVI *pumice.*] allusio ad genus dicendi gracile, & characterem attenuatum. nimis hoc poëtice dictum, tanquam versus ipsi pumicè expoliantur, cùm libros expolire consueuerimus: vnde dixit Plin. *Pumices in vsu esse corporum leuigandorum atque librorum.* Potores in certamine bibendi præ sumunt farinam pumicis, vt vniuerso potu impleantur, alioquin periclitarentur propter immensam vim in pumice refrigerandi, quæ tanta est vt musta feruere desinant pumice addito, & vrcei bulliētes restinguantur, vt scrib. Theophra. in IX. de plantis. & repetit Plin. in XXXVI. hinc illud ab eodem Plin. egregie dictum est in XIIII. *Bibendi causa venena conficiuntur, aliis cicutam præsumentibus, aliis pumicis farinam, vt bibere mors cogat.*

TERRA *sublimis.*] tale est illud Virgilianum:

Quo me quoque possim tollere humo.

Quod vsurpat Plin. in epi. tale est & illud Va. Flacci: *Eripe me populis & habenti nubila terræ.*

A ME *nata musa.*] tanquam ipse sit primus apud Latinos scriptor Elegiaci poëmati: musam amatoriam à se natam dicit triumphare curru triumphali, in quo Cupidines secum pariter vectentur, & poëtæ subsequantur. translatio sumpta à triumphantibus, quorum ritum, & pompam supra memorauimus.

NON *datur lata via.*] sententia Hesiodi, qui ait: *Sudorem posuere Dei virtutis ad artem.* cui conuenit illud ecclesiasticum: *Arcta & angusta est via, quæ ducit ad uitam.*

MVLTI *Roma.*] alios futuros scriptores dicit, qui res cum laude gestas Romanorum memoriæ commendabunt, & annalibus tradent, qui sunt libri, in quibus res gestæ, obseruato cuiusque anni ordine componuntur. Quid differant annales ab historia docet Gellius in V. & vt auctor est Cice. Res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus: híque annales maximi nominabantur.

BACTRA.] imperium Bactrianorum fuisse mille vrbium in Asia, testis est Iustinus. Bactrum oppidum est à Bactro fluuio appellatum, vt scribit Plinius. Bactriani canes habent, quos patria lingua sepulchrales vocant: quibus viuos homines apponunt comedendos, qui sint senio, morbóque confecti. de Bactris ait Maro: *Nec Bactra, nec Indi Laudibus Italiæ certent.* de Bactris hæc tradit Curtius: *Ipsa Bactra regionis Bactrianæ caput sita sunt sub monte Paropaniso. Bactrus amnis præterit mœnia: is vrbi & regioni nomen dedit. Bactrianæ terræ multiplex & varia natura est: alibi arboribus, vitibus, armentis fœcunda: alibi squallida, siccitate sterilis, non hominem, non frugem alit.*

OPVS *hoc.*] Elegiacum poëma.

INTACTA *via.*] vt ait Lucretius:

Nullius ante trita solo.

PEGASIDES.] Musæ dictæ à fonte, qui Græcè dicitur Pige, quem Pegasus ictu vngulæ fingitur aperuisse, auctor Festus. Præterea Musæ fontes habent complures sacros. Ouid.

At mihi Pegasides blandissima carmina dictant.

MOLLIA.] propter versus Elegos, qui sunt molles.

DVRA *corona.*] alludit ad carmen heroicum quod duris bellis accommodatur: præterea laurus qua coronantur epici poëtæ duriores habet frondes hederaceis frondibus, quibus optat coronari: vt alibi: *Mi folia ex hedera porrige Bacche, tua.*

POST *obitũ.*] iuxta illud Oui. *Pascitur in viuis liuor.*

MAIVS *ab exequiis.*] catholica sententia, qua B docet nomina clarorum virorum post fata notescere & illustrari, cum viuentibus ex liuore detrahamus: vnde dixit Martialis,

Esse quid hoc dicam quod viuis fama negatur.

EQVO *abiegno.*] equus ille, qui à Lucretio eleganter dicitur durateus, hoc est ligneus, quo capta est Troia, notissimus est carminibus Maronis, qui euersionem Troiæ cum Sinone & equo ligneo pene ad verbum à Pisandro poëta transcripsit. Scribit Plinius equum fuisse machinam muralem, qui nunc aries appellatur: eiusque inuẽtorem fuisse Epeum. Abiegnus vocatur, quia erat ex abiete contextus: iuxta illud, *Sectáque intexunt abiete costas.* ab abiete deducitur abietarius, C & accipitur pro fabro lignario. In Exodo scriptũ legimus: *Faciant opera abietarij.* id genus hominũ elegantissimo vocabulo materiarios Plautus appellat. à materie videlicet, cuius nomine ligna quæ ad ædificandum fulciendúmque necessaria sunt intelligenda esse docet iurisconsultus libro III. de legatis.

PVLSAS *arces.*] id est, pergama diruta: & videtur alludere ad machinam muralem, qua muri dissipantur, qualis fuit equus ille Troianus, si Plinio credimus. Potes etiam legere artes, vt intelligamus dolos emissos ex equo.

FLVMINAQVE *Hæmonio.*] incuriosi literatores incuriosè pensitarunt hunc locum tanquam nulla subesset recondita, laténsque sentẽtia, quæ profecto subest: quam ab Homero Propertius mutuatus est. scribit enim ille in XXI. Iliados Xanthum, qui alio nomine Scamander dictus est, olim indignabundum insurrexisse in Achillem in ipso fluuio Troianos trucidantem, eúmque impulisse vt pedibus consistere nõ posset. conabatur Xanthus vorticosis fluctibus irruere in Achillem, vt eo impedito Troianos abditos tutaretur, implorauitque opem alterius fluminis Simoentis, vt facilius Achillem opprimeret, nec prius violenti fluminis furibundus impetus remissus est quam Vulcanus vrenti flãma flumen exussit, & flagrantibus caloribus Xãthum reliquit semiustulatum, domitáque eius violentia ignes amouit: hinc est illud dictum ab Ouidio in secundo Metamorphoseon: *Arsurúsque iterum Xanthus*: Quod triuiales magistri tam nesciunt, quam scire non curant. Quis enim ex illo grammatistarum grege quærit cur dixerit Xanthum post illud Phaetontis incendium iterum arsurum: nimirum respexit Ouidius ad hãc conflagrationem, qua Vulcanus Xanthum cremauit: Merito igitur dicit poëta flumina Troiana isse cominus Hæmonio viro, hoc est Achilli, cùm Xanthus illum fluctibus vndabundis opprimere conaretur.

A

IDÆVM *Simoenta.*] Ops, quæ pluribus apud priscos est vocitata nominibus: Mater enim deum, & Idæa, & Phrygia, & Pessimuntia, & Cybele, & Rhea nominatur, cùm Iouem peperisset, eum furtim mandauit Curetibus alendum. educatio Iouis infantis atque cunabula in Phrygia fuisse feruntur. Sunt qui dicant in Creta fuisse nutritum. copulatæ sunt & connexæ Cretensium, Phrygúmque cerimoniæ, adeo vt in Creta & in Phrygia eadem factitata fuisse traduntur. lege Strabonem in X. Idæum vocat Simoenta fluuium Troianum ab Ida Phrygia cum altera sit in Creta. Cunabula sunt lectuli & cunę in quibus infantes iacent, vt ait Seruius.

TER *maculasse rotas.*] res nota est carmine Virgiliano quemadmodum Achilles *Ter circum Iliacos raptauerit Hectora muros.* &, vt inquit, Homerus, iunctis ad currum equis Hectorem, post alligatum ter circum defuncti Patrocli sepulchrum traxit, deinde in puluere pronum dimisit. Potest hoc referri ad ipsius Hectoris virtutem, qui rotas currus sui cruore cæsorum Achiuorum sæpe maculauit, illos palabũdos trucidando insectãs.

DEIPHOBVM.] Deiphobus & Helenus & & Paris fratres Hectoris, carminibus Homericis & Virgilianis sunt cognitissimi. Polydamas vero vir fuit Troianus Panthi filius sapientia præditus singulari, qui & præsentia norat & futura, vt refert Homerus. Hic eadem nocte natus est, qua Hector. alter verbis, alter hasta præstantissimus. hinc à Plinio dicuntur tam diuersæ sortis viri.

QVALEMCVNQVE *Parin.*] siue bellicosus fuerit, siue imbellis, qui apud Homerum ab Hectore fratre hac obiurgatione taxatur, Dísparis non Paris forma insignis, sed amore in mulieres perdito, verbis audax, rebus ignauus.

D TVI *casus.*] belli, excidiíque Troiani.

TROIA *bis Oetæi numine.*] Oetæus Deus dicitur Hercules ab Oeta monte Thessaliæ, vbi pyra structa se combussit: hinc Senecæ tragœdia est, cui titulus est Hercules Oetæus. Troia bis capta fuit numine Herculeo: semel ab ipso Hercule, qui classe decem & octo nauium, siue, vt ait Homerus, sex comparata, profectus est contra Troianos propter denegatos equos à Laomedonte promissos: & ipsum Ilium cepit, multis Troianis interemptis, & in primis occiso ipso E Laomedonte, vt scribit Diodorus in quinto bibliothecæ. Iterum capta est Troia sagittis Herculeis, quas Philoctetes possidebat, quæ, vt ait Iustinus, fatum Troiæ fuerunt, quæ post Troiæ excidium in templo Herculis Thurini à Philocteta sunt collocatæ.

NEPOTES.] præter notam significationem appellatione nepotum omnes inferioris gradus continentur, vt scribunt Iurisconsulti, & pro posteris accipiuntur: nepotes vocamus prodigos, & luxuriosos, vt Festus & Porphyrio tradunt. de quibus ait Hor.

Vincit enim stultus ratio insanire nepotes.

& à Plinio Apicius nominatur omnium nepotum altissimus gurges: inde nepotatus dicitur ipse luxus & prodigalitas apud Tranquil. & Apul. & nepotari significat prodige & luxuriose viuere. Quo verbo vsus est Tertullianus in Apologetico, vbi ait: *Aristippus in purpura nepotatur.*

LYCIO *deo probante.*] hoc est Apolline deo poëtarum suffragante prouidi, ne sepulchrum meum sit inhonoratum, & incognitum: cùm exegerim monumentum ære perennius, vt inquit Hora. & ita ostendit se curasse, vt magis ingenio notus sit posteris, quam sepulchri titulo & inscriptione. Lycius deus dicitur Apollo, quia colitur in Lycia regione Asiatica: vnde à Virgilio Lyciæ sortes Apollinea vocantur oracula, & alibi dixit: *Qualis vbi hybernam Lyciam.* Illic enim ciuitas erat nomine Patara, vbi Apollo dabat responsa: vnde Patareus appellatur ab Horat. & dixit Ouid. *Patareáque regia seruit.* Macro. in primo Saturnalium plures Lycij Apollinis causas enumerat, quas illic legere poteris cum desiderabuntur, ex quibus hæc maxime placuit, quam ascribit Cleanthi, qui Apollinem Lycium appellatum esse dicebat, quod veluti lupi pecora rapiunt, ita ipse quoque humorem eripit radiis. Lycos Græce, lupus Latinè dicitur.

IN *orbem.*] ad institutum propositum metaphorica locutio.

M. ANT. MVRETVS.

CALLIMACHI *manes.*] Callimachi & Philetæ manes inuocat, vt sibi assint in scribendis elegis. tum commendat se ipsum, qui princeps apud Latinos hoc poëmatis genus excoluerit: immortalémque famam suam fore auguratur. hos autem poëtas etiam alibi coniunxit,

Tu satius memorem musis imitere Philetan,
Et non inflati somnia Callimachi.

PHILETÆ.] huic secundas partes in elegia tribui solitas, ait Fabius. cum ita exili corpore fuisse prodit Athenæus, vti necesse habuerit pilas plumbeas ad pedes gestitare, ne subuerteretur à vento. mortuum autem è labore, quem capiebat in studiis, & è molestia, quam contraxit, cum fallacis & captiosæ Stoicorum conclusiunculæ, quam Græci ψευδόμενον, Cicero mentientem vocat, dissolutionem reperire non posset.

PRIMVS *ego.*] simile illi Lucretiano,
Auia Pieridum. & illi Horatiano,
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. & mox,
——*parios ego primus iambos*
Ostendi Latio.

SACERDOS.] Sic Horatius:
——*carmina non prius*
Audita musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

ITALA *per Graios.*] Romano ore ea, quæ Græcis tantum tractata fuerant celebrare.

ORGIA.] poëtæ enim sacri sunt Baccho.

CHOROS.] nam in Bacchi sacris choros agebant. supra,
Egit vt euantes dux Ariadna choros.

A TENVASTIS.] secuti sunt enim χαρακτῆρα ἰσχνόν. vnde alibi, non inflatum Callimachum dixit, & angustum ei pectus tribuit.

EXACTVS.] ἐξεσμένος. Ouidius,
Non exacta satis, rudibúsque simillima signis.

QVID *frustra.*] quasi curru inuehens, & alios pone sequentes respectans, hæc dicit.

NON *datur.*] via currere, id est, via qua curri possit.

CARMINIS *interea.*] in antiquis libris hæc à superioribus distincta ac separata sunt.

ORPHEV.] negat, mirum esse, si carmina, quę ipse Baccho & Apolline propitiis scribit, à puellis colantur: cum carminibus Orpheus feras & B flumina, Amphion lapides, Polyphemus etiam rudis & agrestis musicus Galatheam mouerit; nedum puellas, quarum tenerum est, & flexibile ingenium.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

NAM *quis equo pulsas.*] Quasi equus ille machina fuerit πολιορκητική. quod Plin. videtur velle. quemadmodum Phrixum Colchos deuectum non ariete, sed naue, in cuius prora fuerit κριοῦ ἐπίσημα.

IOVIS *cunabula magni.*] Quod Idam Phrygiæ C cum Ida Cretæ confundunt veteres, & quæ ab aliis de Iouis cunabulis in Ida Cretę referuntur, ab aliis ad Idam Phrygiæ transferri, habes apud eruditum scriptorem Strabonem.

ET *Polydamantas in armis.*] Scribe, *etiam Polydamantas.* Melius autem, *Polydamanta sine armis.* Id est in nullis armis celeber esset. Nam lingua tantum non armis potentem inducit Homerus.

TROIA *bis Oetæi.*] Seneca Troadibus:
——*meliorque fœtu*
Fortis armenti lapidosa Trachin,
Quæ sub vmbrosis latebrosa siluis
D *Misit infestos Troiæ ruinis*
Non semel arcus. Idem
Bis pulsata
Dardana Graio mœnia ferro
Bisque pharetras passa Herculeas.
Tamen Theocritus vocat τρίπορθον, ἐν θερμίσκῳ.

ELEGIA II.

ORPHEA *detenuisse feras & concita dicunt*
Flumina Threicia sustinuisse lyra.
Saxa Cithæronis Thebas agitata per artem
E *Sponte sua in muri mēbra coisse ferūt.*
Quin etiam Polypheme fera Galatæa sub Aetna
Ad tua rorātes carmina flexit equos.
Miremur, nobis & Baccho, & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit?

Quòd non Tænariis domus est mihi fulta columnis:
Nec camera auratas inter eburna trabes;
Nec mea Phæacias æquant pomaria siluas.
Non operosa rigat Martius antra liquor:
At Musæ comites, & carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortunata, meo si quales celebrata libello:
Carmina erunt formæ tot monimenta tuæ.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Iouis Elei cælum imitata domus:
Nec Mausolei diues fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæsitum nomen ab æuo
Excidet. ingenio stat sine morte decus.

PHILIPP. BEROALD. BON.

ORPHEA *detinuisse feras.*] De Orpheo & Amphione supra memorauimus, & omnia de illis inuulgata sunt.

SAXA *Cytheronis.*] Cytheron mons est Bœotiæ, siue saltus, fabulis carminibúsque celeberrimus, vt Plin. & Mella tradiderunt, neque est vnus ex collibus Parnassi, vt grammatici perperam existimauerunt, cùm hic in Bœotia: ille in Thessalia collocetur à Geographis.

PARTEM.] scilicet musicæ Amphioniæ.

QVIN *etiam Polypheme.*] apud Ouid. versus sunt luculenti & amatorij, quos refert Polyphemus ad Galatheam, quam deperibat exorandam. hanc dicit poëta flexisse equos rotantes, propterea quod erat nympha aquarum, vnde à Virgilio Nerine Galathea nominatur à Nereo patre Nereidum.

ET *Baccho & Apolline dextro.*] id est, diis poëtarum mihi propitiis atque fauentibus. Virg. Dexter audi à Persio dictum est, Hercule dextro: & à Statio, dextro Ioue, & dextera Iunone.

A QVOD *non Tænariis:*] non habeo, inquit, diuitias luxoriosas, sed loco diuitiarum habeo musas, & ingenium poeticum. In hanc sententiam dixit Hora.

Non ebur, atque aureum
Mea renidet in domo lacunar:
At fides & ingeni
Benigna vena est. ——

Tænarias columnas intelligit marmoreas, & ex marmore Laconico confectas: quod erat prætiosum viridi colore: cunctísque hilarius. vt ait Plin. XXXVI. vnde dixit Papinius in siluis: *Hic dura Laconum Saxa virent.* Tænaros autem pro-
B montorium est in Laconia, vbi sunt latomiæ; hoc est, lapidicinæ lapidum prætiosiorum, qui Tænarei cognominãtur, vt docet Strabo in VIII. Columnas Tænarias celebrat etiam Tibul. illo versu: *Tænare siue tuis, siue Caryste tuis.*

CAMERA *eburna.*] fornix cubiculi, & ipsa pars superior vbi sunt laquearia: propriè camera vocitatur à camuro, id est, à curuo dicta, vt ait Serui. & dixit Horat. *Percussi cameram.* & Plin. inquit: *Ex humo pauimento pulsa in cameras transire.* Inde concamerare deducitur. Plin. genus cucurbitarum camerarium appellat, quoniam cameras operiunt.

AVRATAS *trabes.*] luxuria commenta est
C inaurare trabes in laquearibus: vnde ait Lucan. in X. *Crassúmque trabes absconderat aurum.* & à Papi. dictum est in siluis: *Robora Dalmatico lucent satiata metallo.* Plin. obiurgans Romanorum luxum sic inquit, in XXXIII. *Laquearia nunc & in priuatis domibus auro teguntur.*

NEC *mea Phæacias.*] Corcyra insula est alio nomine Phæacia nuncupata à Phæaco, cuius filius fuit Alcinous, vt tradit Diodo. in V. & vt auctor est Plin. Antiquitas nihil prius est mirata quàm hortos Alcinoi versibus Homericis celeberrimos. In quibus proceræ arbores visebantur, sempérque fructiferæ pomis aliis cadenti-
D bus, aliis maturescentibus, aliis subnascentibus: & vt refert Home. in XII. Odysseæ: pyrum in pyro, malum in malo, & ficus in ficu succrescebat. Vnde dixit Papinius: ——*vosque*
Quo nunquam vacui prodistis ad æthera rami.
Et Iuuenalis:
Qualia perpetuus Phæacum Autumnus habebat.

Pomaria vocamus loca consita pomis, & repositoria pomorum etiam pomaria nuncupant: vnde docet Plin. Pomaria contabulari in loco sicco & frigido, in quibus sint fenestræ septentrionales, quæ serenis diebus patescant. Ecclesiastici literatores in historia Susannæ Pomerium legunt, cum legere debeant pomarium, quod ac-
E cipitur pro viridario.

MARTIVS *liquor.*] aqua Martia clarissima est omnium aquarum in toto orbe, si Plinio credimus, illius salubritatem, frigiditatémque miro præconio extollenti. Olim vocabatur Aufeia. Fons ipse Piconia. primus eam in vrbem inducere auspicatus est Ancus Martius vnus ex regibus: postea Quint. Martius rex in prætura: rursúsque restituit M. Agrippa. De hac ait Papinius:
Marsásque niues & frigora ducens Martia.

NON *operosa.*] non habeo inquit, speluncas

manu factas, & prætioso opere confectas, quæ irrigentur fontibus aquarum scaturientium. Id genus speluncas Iuuenalis dissimiles veris esse luculente dixit.

CARMINA.] monumenta. Monumentum, vt docet iurisconsultus de sumptibus funerum, generaliter res est memoriæ seruandæ causa in posterum prodita. vnde ait Festus: Et scripta, & carmina dici monumenta, & quicquid ob memoriam alicuius factum est. Monumentum à monendo deductum, vt scribit Varro.

NAM *neque pyramidum.*] pyramides, teste Solino, turres sunt in Ægypto fastigiatæ vltra celsitudinem omnem, quæ fieri manu possit. Hæc erant sepulchra regum Ægyptiorum. Ex pyramidibus quæ inter septem spectacula numerantur. De his scripserunt Herodotus, Diodorus, Strabo, & Plin. multa digna memoratu: quæ cum nosse voles, ad illos accedito. Miratur Ægyptus cacumina extrema pyramidum, quæ eminere creduntur: vnde hyperbolicos dicitur à poëta *sumptus ad sidera ducti.* Quanti autem sumptus & impensæ fierent in pyramidibus fabricandis docet Plinius in XXXVI. qui scribit vnam pyramidem à CCCLX. millibus operariorum viginti annis fuisse constructam. Et aliqui prodiderunt in raphanos, alia, & cœpas mille & octingenta talenta erogata.

NEC *Iouis Elei.*] templum Iouis olympij intelligitur, quod olim oraculo, mox ludis fuit inclytissimum: quod erat in agro Pisano Cleorum Achaiæ populorum. Magnum huic templo ornamentum exhibebant munera prætiosa ab vniuersis Græcis oblata. Inter quæ præcipuum fuit solidum ex auro ipsius Iouis simulachrum: & statua Iouis eburnea incredibilis magnitudinis à Phidia fabrefacta. ædes ipsa erat amplissima, vt auctor est Strabo.

NEC *Mausolei.*] Mausoleum sepulchrum est ab Artemisia factum Mausolo Cariæ regulo memoratissimum: & inter septem miracula enumeratum, vt Pli. & Gellius meminerunt. Attollitur in altitudinem vigintiquinque cubitis: cingitur columnis trigintasex. Ab hoc sepulchro omnia prætiosa sepulchra ex nomine eius Mausolea nuncupantur, vt docet Hieronymus. Hinc leges apud Tranquillum, Sepulchrum Cæsarum Mausoleum vocitari, quod extruxit Augustus.

ANNORVM *aut ictu.*] omnia destruit vetustas annosa: &, vt inquit Ausonius,

——monumenta fatiscunt:
Mors etiam saxis, nominibúsque venit.

INGENIO *stat sine morte decus.*] catholica sententia, qua admonemur bona animi prætiosiora esse bonis fortunæ, & opera animi, qui immortalis est, esse immortalia atque incaduca. In hanc sententiam ait Ouidius in quarto de Ponto:

Tabida consumit lapidem, ferrúmque vetustas:
Scripta ferunt annos.——

Idem alibi ait:

Scindentur vestes, gemmæ frangentur, & aurum:
Carmina quam tribuent fama perennis erit.

Cùm igitur pyramides & templa deorum & Mausolea sint interitura, aut flammis, aut imbribus, aut vetustate, carmina sunt sempiterna, & extra mortalitatem collocata.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ORPHEV *te tenuisse.*] Nihilo deterius noster: *Orphea detenuisse.* vt repetitio illa in verbo *detenuisse* venustior sit.

QVOD *non Tanariis.*] Nihil mutandum. Sed clarius dixisset, *Non quod Tanariis.*

NEC *mea Phaeacias.*] Scribe, *Phaacas.* Metaplasmus, vt Arabus pro Arabe, Ionus pro Ione, aut Ionio. Virgilius Cilicus pro Cilice.

ELEGIA III.

VISVS eram molli recubans Heliconis in vmbra,
Bellerophontei quà fluit humor equi,
Reges Alba tuos, & regum facta tuorum
Tantum operis neruis hiscere posse meis:
Paruáque tam magnis admoram fontibus ora,
Vnde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres, & Horatia pila,
Regiáque Æmilia vecta trophæa rate,
Victricésque moras Fabij, pugnámque sinistram
Cannensem, & versos ad pia vota deos,
Annibalémque lares Romana sede fugantes,
Anseris & tutum voce fuisse Iouem:
Cùm me Castalia speculans ex arbore Phœbus
Sic ait aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali demens est flumine? quis te
Carminis heroi tangere iußit opus?
Non hic vlla tibi speranda est fama Properti.
Mollia sunt paruis prata terenda rotis,
Vt tuus in scamno iactetur sæpe libellus,
Quem legat exspectans sola puella virum.

Cur tua præscriptos euecta est pagina gyros?
Nō est ingenij cymba grauanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris. medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
Quâ noua muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebántque cauis tympana pumicibus.
Ergo Musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami Pan Tegaee tui,
Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu.
Diuersáque nouem sortitæ iura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc ederas legit in thyrsos, hæc carmina neruis
Aptat, & illa manu texit vtraque rosam.
E quarum numero me contigit vna dearum,
Vt reor à facie, Calliopea fuit.
Cōtentus niueis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco prætoria claßica cornu
Flere, nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano prælia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes:
Barbarus aut sæuo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mærenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnaq; canes ebria signa fugæ.
Vt per te clausas sciat excātare puellas,
Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope; lymphísque à fonte petitis;
Ora Philetea nostra rigauit aqua.

PHILIPP. BEROALD. BON.

VISVS *eram molli recubans Heliconis in vmbra.*] enarrat somnium, quo sibi per quietem visus est recubare in Helicone, & carmine heroico scribere argumēta grandiloqua, cum à Phœbo admonitus est omisso grauiori stylo ad amatorias, elegiacásque materias se conuertere.

BELLEROPHONTEI *equi.*] in Helicone fons est Caballinus carminibus poëtarum notissimus, factus ab equo Pegaso, quem Bellerophonteum nominant: quoniam à Bellerophonte, vt inquit Strabo, deprehensus est: & eo vsus in expeditione aduersus Chimeram, præceps decidit vt supra narrauimus.

REGES *Albæ tuos.*] reges Albani à quibus oriundi sunt Romani referuntur à Liuio in primo, & ab Ouidio in XIV. Metamorphoscon. Dionysius in primo tradit quot annos singuli regnum Albæ tenuerint.

HISCERE.] loqui. Virgilius:

Turbatus vocibus hisco.

significat enim aperire, & patere: quod verbum inchoatiuum dixit esse Diomedes ab hio deriuatum: A quo deducitur etiam hiato, siue hieto: vtrunque enim veteres dixerunt. vnde ait Laberius: *Hietantur fores* pro eo quod est hietant. id est, patent.

MEIS *neruis.*] somniabam, inquit, me idoneum esse ad historiam Albanorum regum versu sublimi concinendam, & ad tantum opus mihi vires abunde suppetere, vt neruis pro viribus accipias: Iuxta illud Terentianum:

Vbi tu neruos intendas tuos.

Potes etiam neruos exponere pro fidibus: nam in cithara chordæ ex neruis fiunt & neruiæ eleganter nuncupantur.

ENNIVS *ante bibit.*] Qu. Ennius poëta Tarentinus fuit, vt scribit Eusebius chronographus. Strabo vero & Pomponius Mela patriam Ennij dicunt esse Rudias in Appulia: quibus astipulatur Sillius sic scribens de Ennio in duodecimo: *Miserunt Calabri, Rudiæ genuere vetusta, Nunc Rudiæ solo memorabile nomen Alumna.* Hic scripsit versu heroico annales & bella Romani populi, quorum duodecimum composuit sextum & sexagesimum annum, vt referunt Gellius & Varro. auctor est Quintilianus, Ennium sicut sacros vetustate lucos adorandum. ab Ouidio dicitur ingenio maximus, arte rudis. De hoc Lucretius:

Ennius vt noster cecinit qui primus amœno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

De Ennio vaticinium est Apollinis apud Sillium,

Hic canet illustri primus bella Itala versu,
Attolletque duces cælo. ——

Periit morbo articulari, quem contraxit ex immodico vino, vt docet Serenus his versibus:

Ennius ipse pater dum pocula siccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruisse dolores.

Videbat, inquit poëta, secundum quietem admouere os illi fonti, ex quo biberat Ennius. Metaphoricos intelligit se voluisse describere bella carmine heroico, & stylo grandiloquo, quo vsus est Ennius.

Cvrios *fratres.*] intelligit prælium tergeminorum Curiatiorum aduersus tergeminos Horatios. Illi erant Albani: Isti Romani: cæciderunt primo concursu duo Romani Horatij: tertius superstes trucidatis tribus Curiatis, fuit caussa vt Albani Romanis obsequerentur. Historia nota apud Liuium & Dionysium.

Pila.] pilum telum est Romanum à perimendo dictum, quasi perilum: auctor Varro. Scribit Vegetius in secundo, ferum pili fuisse figura trigonali nouem vnciarum: hastile vero erat pedum quinque & semis. & poëta dicendo *Horatia pila*, alludere videtur ad locum qui pila Horatia dicebatur, in quo spolia Curiatiorum fixa fuerunt.

Regiaqve *Aemilia.*] triumphum Macædonicum significat, quo Perses captus à Paulo Æmilio & ductus est in triumpho, vt scribit Plutar. veste fusca amictus, & crepidas more patrio gestans, qui cum deinde Albæ decessisset, publico funere & honorato elatus fuit, vt auctor est Valerius.

Æmilia *rate.*] hoc ideo dictum est, quia Æmilius post splendidissimam victoriam reuersus Romam per Tyberim nauigauit in naui prætoria sexdecim ordinum remorum ornata armis ac spoliis hostilibus. Trophæa autem sunt monumenta hostium deuictorum: &, vt inquit Varro, spolia fixa in stipitibus trophæa vocitauerũt. Hinc ait Plutarchus, Romulum fixisse opima spolia in quercu ad trophæi formam concinata. Pompeius trophæa statuit in Pyræneo, & trophæa Marij à Sylla disiecta, & per Cæsarem restituta fuisse legimus. Scribit Seruius trophæa in locis solum eminentioribus collocari, & ideo Romæ in arcubus figebantur exædificatis. Formam trophæi describit Virg. in exuuiis Mezentij ab Ænea Marti consecratis. Crebra est mentio trophæorum apud Thucydidem, quæ à Græcis victoribus statuebantur, ab hostium fuga & conuersione, quæ Græcè dicitur trope, trophæi nomen deductum est.

Victricesqve *moras Fabij.*] de Fabio maximo intelligendum est, quem Manilius morantem appellat: qui cunctando fregit Hannibalem. vnde ait Sillius:

Solers cunctandi Fabius. ——

historia cognitissima est: quam scribens Ennius in laudem Fabij cecinit carmen illud vulgatissimum:

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Sinistram.] noxiam, atque pestiferam Romano populo: vnde Sillius Cannas tumulum vocat Hesperiæ. & Plinius, Cannas Romana clade nobiles esse dixit.

Versos.] quia post cladem Cannensem iam fortuna verterat ad Romanos, & dij votis precibúsque exorabiles facti, fauere Romanis cœperunt, cùm iam Hannibalis vires elanguescerent eneruatæ Campana luxuria: vnde non minus vere, quàm eleganter ait apud Liuium Macellus: *Capuam Hannibali Cannas fuisse.*

Hannibalemqve *lares.*] Scipione Carthaginenses Libyámque vastante, & cladibus magnis afficiente, Hannibal ad patriam tutandam reuocatus est, missis ab Carthagine legatis, quorum verba fremens, frendens, geménsque, ac vix lachrimis temperans fertur audiuisse: & cum mœstus discederet, sæpe respexit ad Italiæ littora, deos, hominésq; accusans, & in seipsum execratus, quòd non cruentum ab Cannensi victoria militem Romam duxisset. Scribens hæc Ennius deos Romanos fugasse Hannibalem ex Italia, auctorésque illius fugæ fuisse cecinerat. Possumus hoc etiam referre ad Hannibalis ab vrbe discessum: quando castris inter Esquilinam, Collinámque portam positis in aciem copias eduxit aduersus Fuluium, consulésque decertaturus. & tunc imber ingens grandine mixtus ita vtrumq; turbauit exercitum, vt in castra sese recipere cogerentur: & postero die eodem loco instructas acies eadem tempestas diremit: vbi se recepissent in castra mira serenitas oriebatur: &, vt ait Sillius,

Læta serenati facies aperitur olympi.

Tunc Hannibalis audita vox est dicentis, potiundæ vrbis Romæ modo sibi mentem non dari, modo fortunam, atque ita diis refragantibus abscessit.

Anseris *tutum.*] historia nota quemadmodum Galli capta Roma obsidentes Capitolium nocturno silentio in summum arcis euasere nullo custodum sentiente: & cùm etiam canes fefellissent, anseres non fefellere: quorum clangore, & alarum crepitu excitus Manlius Gallos deturbauit: & ita auxilio anserum arx seruata est. vnde à Lucretio dictum est:

Romulidarum arcis seruator candidus anser.

Ob hoc institutum est, vt cibaria anserum censores in primis locent, & Romæ canes viui in furcas sambucea arbore fixi annua supplicia pendebant, vt docet Plin. in vigesimonono. Hæc autem omnia ab Ennio scripta fuisse significat.

Castalia *arbore.*] Castalius fons est in Parnasso à virgine Castalia dictus, quæ, teste Lactantio, fugiens Apollinem vim inferre volentem, in eum fontem se præcipitauit. Inde Castaliam arborem appellat laurum Apollini dicatam, quæ in Parnasso est spectatissima.

Cvm *tali flumine.*] ex quo scilicet bibit Ennius scriptor heroici carminis.

Mollia *sunt paruis.*] allegoricos ait res molles & amatorias sibi esse tractandas.

Cvr *tua præ sen.*] verba Apollinis ad poëtam interrogantis cum obiurgatione, Cur ausa sit egredi spacium præscriptum pagina Elegiaca tentando materiam, stylúmque grandiorem. Seuecta dicitur egressa & seorsum vecta, quàm ire debebat.

Gyro.] eadem translatione Papinius vtens ait:

Ingens opus in minores contrahe gyros.

Hic *erat affixis.*] describit sedem, quam dicit in somnis sibi ab Apolline fuisse monstratam.

Tympana *pumicibus.*] Tympanum musicum instrumentum est satis notum, quod peculiariter datur matri deum, vt per id orbem terræ esse significet, vt docet Augustinus: & Lucretius ostendit Gallos Cybeleios esse tympanistas illo versu:

Tympana tenta tonant palmis est cymbala circum.

A tympano verbum tympanizare deducitur: vnde Tranquillus Gallum vocat tympanizantem, & tympanistas vocamus, qui tympano sonant: sicut cymbalistas qui cymbalo. Vtroque vsus est Apuleius in dæmonio Socratis. Alias tympana dicuntur tecta vehiculorum, vt ait Seruius, enarrans illud Virgilianum, *Tympana plaustris.* Vitruuius vero in decimo scribit tympanũ machinam esse tractoriam, quæ tota vocatur. & alibi ait, *Scaphium quod tympanum dicitur versatile.* Apud Plin. inuenies tympana accipi pro vasis escariis in trigesimotertio. Hic accipe dictum pro musico instrumento. de pumicibus lapidibus supra dictum est.

Sileni.] imago Sileni educatoris Bacchi illic visebatur, qui nomine venerationis pater nuncupatur. Ita apud Ouidi.

Eia age surge pater.

Figulinam artem inuenit primus Chorebus: Rotam vero figularem Anacharsis, vt auctor est Plin. Seneca negat Anacharsim rotæ fuisse inuentorem: cuius mentio facta inuenitur apud Homerum.

Et *calami Pan.*] Pan Tegæus siue Tegeaticus nominatur à Tegea oppido Arcadiæ: cuius regionis deus dicitur, vt Ouidius & Maro tradiderunt. Calami Panos sunt ipsa fistula, quam ex pluribus calamis primus coagmentauit. Vnde Lucretius de Pane deo loquens sic ait:

Vnco sæpe labro calamos percurrit hiantes:
Fistula siluestrem ne cesset fundere musam.

Tingvnt *Gorgonio.*] dicit columbas Veneri dicatas bibisse fonte caballino, quem vocat lacum Gorgonium, quoniam fons ille factus est ictu ferientis Pegasi equi, qui natus est ex sanguine Gorgonis Medusæ, vt supra docuimus.

Pvnica.] dicuntur rostra columbarum à colore. Punicus enim color siue puniceus, qui Græcè phœnicos dicitur, est rubeus: & exuperantiam splendorémque significat ruboris, vt docet Gellius.

Diversæqve *nouem.*] musas designat.

Hæc *hederas legit in Thyrsos.*] ita distinguendum est vt sit sensus, Alia ex musis colligit hederas ad thyrsos ornandos. Sunt autem thyrsi hastæ aculeatæ hederis obtectæ: quas in Orgiis Bacchicis quatiebant. vnde ait Tacitus: *Messalina crine fluxo thyrsum quatiens.* Scribit Diodorus Dionysium in exercitu habuisse mulieres thyrsis armatas. Scribit Ouidius Penthea thyrsis fuisse interfectum. auctor est Macrobius Liberum patrem tenere thyrsum, quod est latens telum: cuius mucro hedera lambente protegitur. Apud Lucretium thyrsus accipitur pro furore:

A *Percussit thyrso laudis spes meum cor.*

Sutiles appellat thyrsos poëta in priapeiis propter hederam intextam.

Nervis.] id est fidibus.

Texit *rosam.*] id est, coronam è rosis sutilem facit. Fuerunt enim apud priscos coronæ pactiles, & sutiles cognominatæ, vt docet Plinius in vigesimoprimo.

Contentvs.] verba sunt musæ Calliopes ad poëtam, quibus pronunciat eum semper futurum poëtam Elegiacum, & res venereas tantummodo scripturũ. Hoc enim significat *Vectabere cycnis.* id est, eris semper in curru Veneris, quem cycni ducunt, & ob hoc semper amori mancipatus. A contrario dixit Ouidius ostendens finem rebus amatoriis esse imponendum,

B

—— cycnis descendere tempus.

Præconia *classica.*] non scribes inquit bella Mauortia stylo cothurnato, nec laudes militares, quæ vocat præconia classica, à classibus militiæ ordinibus. Existimat Seruius proprie classes equitum dici, enarrans illud Virgilianum, *Ortinæ classes.* vnde & equitum tubas, inquit, classica dicimus. Classicus quoque in adiectiuo dicitur naualis à classe, vt supra dictum est. Classici præterea dicebantur Romæ ditiores, honoratioresque, vtpote qui in prima classe censebantur. Præconium vero vox est communis patriæ, vt inquit Demosthenes in oratione pro Cthesifonte. Qui facit præconium, non potest esse in decurionibus, vt ait Cicero. præcones sunt angeli, hoc est nuncij deorum & hominum, vt scribit Homerus. legimus in codice reuerendæ vetustatis, Prætoria classica, quæ lectio mihi in primis placet, vt hic sit sensus musæ poëtam alloquentis. Ne cures, inquit, scribere stylo cothurnato imperatorias edictiones: & flebiles disciplinæ militaris animaduersiones, quæ omnia poëtæ Epici, atque grandiloqui in suis poëmatis scribere consueuerunt: & ita classica erit nomen substantiuum, & prætoria adiectiuum optimo epitheto, quasi dicas classica imperatoria: nam supra abunde docuimus prætorem antiquitus dictum esse magistratum omnem, cui pareret exercitus: vnde prætorium tabernaculum eius, & cohors prætoria, & in castris porta prætoria nuncupata: & à Lucano prætoria puppis dicta est nauis imperatoria. Classica autem, sicut iam meminimus, dicũtur tubæ, sonitúsque bellici tubarum. quòd vero flere ait cornu significanter loquitur, & graphice morem rei militaris ostendit. Namque classicum propriè dicitur, quod buccinatores per cornu dant, quod insigne videtur imperij, quia classicum canit imperatore præsente, vel cum in militem capitaliter animaduertitur. hoc enim ex imperialibus legibus fieri necesse est, vt Vegetius, Modestúsque in libris de re militari tradiderunt: quorum sententiæ astipulatur Liuius sic scribens in octauo: *Consul extemplo concionem classico aduocari iubet.*

C

D

E

Cornv *rauco.*] id est, tuba inflexa. de qua Ouidius: *Non æris cornua flexi.*

inde cornicines nominati. Lucanus:

Non pia concinnit cum rauco classica cornu. A

AONIVM *nemus.*] domicilia musarum ille poëta dicitur cingere Marte, qui musicum studium bellis scribendis, & rei Mauortiæ accommodat.

MARIANE *signo.*] scribit Plinius in decimo, Marium aquilam Romanis legionibus proprie dicasse aliis signis addicatis. notat autem gesta Marij contra Cymbros atque Theutonos, quæ stylo vbere extollenda sunt: de quibus memorauimus in secundo commentario.

BARBARVS *Rhenus.*] tropos metonymia. per fluuium enim intelligit gentem bellúmque Germanicum, vel quod gessit Cæsar dictator, B qui primus Romanorum ponte supra Rhenum fabricato Germanos aggressus maximis affecit cladibus, vel quod auspiciis Augusti gestum est: quo bello, vt auctor est Tranquillus Germanos vltra Albin fluuium summouit, & Sueuos in Galliam traductos in proximis Rheno agris collocauit, & de hoc sensisse poëtam existimo vtpote præconem Augusti laudum, qui ad Sueuos domitos alludens dixit, Sueuo sanguine barbaricum Rhenum fuisse perfusum: quamuis in multis codicibus scriptum sit, *Sæuo sanguine.*

MOERENTI.] lugenti & dolenter ferenti: tanquam Rhenus acerbe ferat corpora suorum C Germanorum in vndas suas à victoribus Romanis præcipitata deferri.

CANES *ebria signa.*] Cantabis, inquit, loco signorum bellicorum signa Cupidinis, quæ amantes ebrij, potíque sequuntur. Signa Romanorum fuerunt antiquitus aquilæ cum aliis quatuor, scilicet equis, apris, lupis, & minotauris, quæ singulos ordines anteibant. Marius omnia hæc abdicauit: & solam aquilam in aciem portari placuit, vt pauloante meminimus.

EXCANTARE *puellas.*] id est, cantibus exorare, vel, quod verius est, incantamentis & cantionibus magicis attrahere, hoc enim significat D excantare. Hinc ita scriptum est in legibus duodecim tabularum, Qui fruges excantasset: pro eo quod est incantamentis & carminibus alio traduxisset.

TALIA *Calliope.*] finis est verborum, quibus Calliope musa in somnis loquuta fuerat cum Propertio, cuius os rigauit aqua Philetea, hoc est illi aquam propinauit ex eo fonte, ex quo biberat Philetas Elegiographus: & ita poëtice ostendit se à musa factum esse poëtam elegiaci carminis imitatorémque Philetæ.

M. ANT. MVRETVS. E

ERGO *Musarum.*] vox, *ergo*, quo pertineat, non sane video, déque illius integritate subdubito. nulla tamen discrepantia in veteribus libris.

IANVS DOVSA FIL.

QVI *volet austeros arte ferire viros.*] Sic lib. IV.
Cùm ferit astutos Comica mœcha Getas.

IANVS DOVSA PATER.

NIL *tibi sit rauco prætoria classica cornu Flere.*] Ego *Flare* legendum autumo, id est inflare. Elegia quarta in magnifica illa Cæsariani Triumphi descriptione, facetissimè ad faustas vulgi fauentis acclamationes & plausus, equos Cæsaris inter prætereundum resistere facit, idque ipsum conueniente etiam numerorum sono suauissimè expressit his verbis.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ANNIBALEMQVE *lares.*] Vide Festum Rediculi, & primum coniectaneum nostrum.

CVR *tua præscripto seuecta.*] Puto melius:
Cur tua præscriptos euecta est pagina gyros?

ALTER *remus aquas.*] Prouerbium: ὁ παρὰ τὴν γῆν πλοῦς ἀσφαλής.

SORTITÆ *rura puellæ.*] Lege, *iura.*

CLASSICA *cornu Flere.*] Nobilissimus Ianus Dousa legebat *Flare.* Quod verissimum est.

BARBARVS *aut sæuo.*] Emendo, Sueuo. Dio libro vno & quinquagesimo: γάιος καρρίνας τούς τε μωρίνους καὶ ἄλλους τινὰς συνεπαναστάντας αὐτοῖς ἐχειρώσατο, καὶ τοὺς σουήβους τόν τε ῥῆνον ἐπὶ πολέμῳ διαβάντας ἀνεῖρξε. De hoc igitur bello sentit Propertius.

SCIAT *excantare.*] Recte nos docet, quomodo verbum duodecim Tabularum interpretari debeamus. Nam excantare hic est, cantu foras elicere, ibi fruges excantare, cantatas alio traducere.

ELEGIA IV.

ARMA deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces. parat vltima terra triumphos:
Tigris, & Eufrates sub tua iura fluent.
Sera sed Ausoniis veniet prouincia virgis:
Assuescent Latio Partha trophæa Ioui.
Ite agite expertæ bello date lintea proræ,
Et solitū armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano, Crassos, cladésque piate,
Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit precor illa dies.

Qua videam spoliis onerato Cæsaris axe. A
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.
Inque sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, & brachati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serua Venus. hoc sit in æuum, B
Cernis ab Ænea quod superesse caput.
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores.
Mi sat erit media plaudere posse via.
Pacis amor Deus est: pacem veneramur amantes:
Stant mihi cum domina prælia dura mea.
Nec tamen inuiso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit è gemma diuite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser æra paro clade, Corinthe, tuâ.
O prima infelix fingenti terra Prometheo:
Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora disponens, mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum ventis iactamur, & hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma noua.
Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas:
Nudus ad infernas stulte vehere rates.
Victor cum victis pariter miscebitur vmbris:
Consule cum Mario capte Iugurta sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parca quæ venit apta die.
Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,
Musarúmque choris implicuisse manus.
Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque vbi iam Venerem grauis interceperit ætas,
Sparserit & nigras alba senecta comas;
Tũ mihi naturæ libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum:
C *Qua venit exoriens, qua deficit, vnde coactis*
Cornibus, in plenum menstrua luna redit:
Vnde salo superant venti, quid flamine captet
Eurus, & in nubes vnde perennis aqua:
Sit ventura dies, mundi quæ subruat arces: D
Purpureus pluuias cur bibat arcus aquas:
Aut cur Perrhæbi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis:
Cur serus versare boues, & plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus:
E *Curve suos fines altum nõ exeat æquor,*
Plenus & in partes quattuor annus eat:
Sub terris sint iura deûm, & tormenta gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput:
Aut Alcmæoniæ furiæ, aut ieiunia Phinei;
Num rota, num scopuli, num sitis inter aquas:
Num tribus infernum custodit faucibus antrum

Cerberus,

Cerberus, & Tityo ingera pauca nouem:
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud vltra, quàm rogus, esse potest.
Exitus hic vitæ superest mihi. vos, quibus arma
Grata magis, Craßi signa referte domum.

PHILIPP. BEROALD. BON.

ARMA *Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.*] Augustum expeditionem aduersus orientis populos apparantem prosequitur hac Elegia, eique felicitatem, victoriámque precatur. Diximus supra Indos missis Romam legatis pacem ab Augusto petiisse, & petitam impetrasse: sed antequam pax peteretur Augustus finito bello Hispano in Syriam ad componendum orientis statum profectus est, vt scribit Iustinus.

DEVS.] quoniam scilicet Augusto adhuc viuenti honores deorum decreti fuerunt, iuxta illud Horatianum.

Præsenti tibi maturos Largimur honores.

GEMMIFERI.] margaritis & gemmis mare Indicum & regionem fuisse ditissimam supra declaratum est.

VLTIMA *terra.*] India.

TIGRIS *& Euphrates.*] per hæc flumina intelligit regna Parthorum, atque Persarum, quæ ex montibus Armeniæ fontibus non diuersis orientia nomen dederunt. Mesopotamiæ. Euphrates instar Nili crescens fœcundat arua. Tigris à velocitate nomen accepit: nam Medi sagittam Tigrim vocant, vt Plinius & Curtius meminerunt. Tigrim & Euphratem luculentis versibus celebrat Luca. in iij. Pharsaliæ. de quibus ita scribit Boëtius in quinto de Consolatione.

Tigris & Euphrates iuncto se fonte resoluunt.
Et mox abiunctis dissociantur aquis.

Vult autem Poëta intelligi Augustum imperio suo Parthos, Persasque adiuncturum: quod futurum testatur Hora. sic scribens:

—— præsens diuus habebitur
Augustus, adiectis Britannis
Imperio, Grauibúsque Persis.

& Ouidius: *Parthe dabis pœnas,*

Supra declarauimus quemadmodum Parthi Augusto Armeniam vindicanti facile cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso & Antonio ademerant reposcenti reddiderunt, obsidésque insuper obtulerunt.

SERA *prouincia*] Parthi inquit sero vincentur, & nimis tarde fient Romana prouincia, cũ ante cladem Crasi fuerint debellandi, vel statim post illam stragem puniendi. Acquisitæ bello longe ab Italia regiones prouinciæ dictę sunt, à porro, vel procul vincendo. auctor Donatus, inde à Plinio dictum est in Epistolis: *Italicus es an prouincialis*, & Pli. in tertio natura. histo. de Gallia Narbonensi scribens: *Italia*, inquit, *est verius quàm prouincia*, & apud Columellam titulus est de cultura prouincialium vinearum, vbi vineas omnis intelligimus præter Italicas.

VIRGIS *Ausoniis*] idest, magistratibus Romanis quibus præsto sunt lictores, qui fasces virgarum gestant securibus alligatos.

PARTHA *trophea*] duplex scriptura, & duplex sensus. Si participium est parta significat acquisita: si à Parthis populis deductum est, significat trophea Parthorum, quasi dicas Parthica, & erit antitheton: nam Latio Partha opponitur.

ITE] Apostrophe ad classem Romanam aduersus hostes profecturam & equos bellatores.

CRASSOS] propter patrem & filium in bello Parthico interfectos: de quibus supra.

VESTÆ *limina.*] de Vesta, & Vestæ templo, & igni inextinguibili dicere supersedeo, cùm res sit memoratissima monumentis Dionysij, Plutarchi, & Oui. Amata dicebatur virgo Vestalis, quando à pontifice capiebatur idonea ad cerimonias mysticas exercendas. Vestales. x. annos sacra discebãt x. faciebãt, x. docebãt: peractis xxx. annis solutæ sunt sacerdotio & nubere possunt.

CÆSARIS *axes*] currus triumphales. Axis enim lignum est teres circa quod rotæ voluuntur. Persius:

Cùm rota posterior curras & in axe secundo.

ET *titulis oppida capta legam.*] diximus in secundo commentario simulachra oppidorum captorum in bello, solita ostentare in triumpho. In his tituli indicabant quo nomine nuncuparentur. De his non loquitur Poëta optans se videre Augustum triũphantem, & in triumpho simulachra ciuitatum victarum ducentem.

AD *vulgi plausus*] scribit Seneca in secundo quæstionum, *Manus inter se clausas plausum edere, auersas verò inter se collisas non plaudere, sed palma cum palma collata plausum facit.* Vulgus autem Romanum bonos principes plausu excipiebat, malos exibilabat, vt inquit Porphyrio.

FVGACIS *equi.*] alludit ad Parthos in prœlio fugientes, & à tergo sagittas emittentes.

BRACCATI.] braccæ vestes sunt fluxæ quibus orientales populi vestiebantur, vnde ait poëta in Priapeis,

Medos laxior Indicis vt braccis.

A braccis Gallia dicta est braccata, quoniam Galli, vt scribit Diodorus in sexto Bibliothecæ, vestes ferunt intonsas, variique coloris, quas vocant braccas. & Tacitus inquit, *Cecina versicolori sagulo braccas barbarum tegmen indutus togatos alloquebatur.* Scribit Ouid. Ponticos populos vsos esse braccis ad frigus arcendum,

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Pompon. Mella: *Sarmatæ*, inquit, *braccati totum corpus, & nisi qua vident etiam ora vestiti.* Apud ecclesiasticos scriptores reperio braccas vsurpari

Pro subligaculo & velamento pudorum, sicut vernaculo sermone vulgus appellat. Hieronymus in epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali braccas nominat, quæ alio nomine fœmina & fœmoralia dicuntur. Idem Ambrosius nomen vsurpat. In Genesi tegumenta verendarum partium perizomata appellantur, quæ Augustinus vocat succinctoria, & alio nomine campestria: ex eo dicta quòd iuuenes nudi dum exercebantur in campo illis pudenda velabant. Hoc ideo diximus vt intelligeres illud Horatianum:

Penula solstitio campestre niualibus auris:

vbi campestre significat subligaculum hoc, quo vtebantur ludentes in campo. Interpretes Horatij meras nugas loquuntur. hac dictione vsus est Vulcatius Gallicanus in vita Cassij his verbis: *Processit nudus campestri solo tectus.* Apud Asconium mendosus locus est, quem nos ita emẽdauimus: *Cato campestri sub toga cinctus*, cùm passim scriptum sit capistro. hic à poëta braccatus miles dicitur à vestimento barbarico, quo Orientales vtuntur.

TVAM *prolem.*] Augustum à Venere oriundum: à qua est gens Iulia demissa.

HOC *sit in aeuum.*] id est, diu viuat Augustus qui ab Ænea oriundus superstes est solus, aliis extinctis.

MEDIA *via.*] scilicet triumphali. Quidam codices habent sacra: cuius viæ supra mentio facta est, qua triumphantes ibant in Capitolium.

PACIS *amor Deus est, pacem veneramur amantes.*] auaritiam insectatur, & auaros detestatur, qui sunt in omnes mali, in se pessimi, qui ex congestis opibus nihil secum post mortem ad inferos asportabunt. ostenditque in iuuenta esse amandum, in senecta philosophandum. id quod se senescentem facturum pollicetur, & ita bona animi fortunæ bonis docet esse anteponenda. Principium Elegiæ ductum est à sententia Platonica, quæ ait, amorem esse deum: qui pacem hominibus largiatur, mari tranquillitatem: ventis requiem.

E gemma diuite.] non bibo, inquit, poculis gemmatis, quibus reges vtuntur. Iuuenalis:

——*Gemmas ad pocula transfert.*

& alibi:

Pocula sumes Gemmata.——

& Martialis loquens de gemmatis calicibus ait:

Aspice quot digitos exuit iste calix:

hinc est illa Censoria castigatio apud Plinium, *Turba gemmarum potamus, & smaragdis calices teximus.* vel è gemma diuite expone pro vase vinario ex vna gemma confecto. tale est illud Ciceronianum, *Erat vas vinarium ex vna gemma prægrandis rulla excauata manubrio aureo.* in hanc sententiam dictum esse vult Seruius illud Virgilianum, *Vt gemma bibat*: hoc est, vt ipse exponit, gemmeo poculo, non gemmato. Pocula autem gemmea laudatissima erant ex Murrha, quæ murrhina appellitantur. de quibus Plinius & iurisconsultus prodiderunt, quorum sæpe fit mentio apud poëtas.

CAMPANIA *pinguis.*] vniuersas terras vbertate frugum campus campanus antecedit, vt scribit Plinius in XVIII. qui in tertio felicem Campaniam cognominat, vbi summum dicitur fuisse Liberi patris cum Cerere certamen: vulgo dictum est, *Plus apud Campanos vnguenti, quàm apud cæteros olei fieri.* Cicero agrum Campanum appellat subsidium belli, horreum regionum, solatium annonæ, firmamentum vectigalium: ex quo nunquam malum nuncium auditum fuisse refert.

CORINTHE *tua.*] Corinthum ante alias ciuitates nominat, propter æra Corinthia, quæ prætiosissima fuerunt, & memoratissima sunt scriptorum monumentis, quæ erant ex auro, argento, æréque commista, quæ Virgilius vocat æra Ephyreia: quibus cum vehementer delectaretur Augustus meruit dici Corinthiarius. Præterea Corinthus fuit ciuitas opulentissima vtpote duorum domina portuum, vt ait Strabo, & emporium frequentissimum negociatoribus illuc ex Asia, Italiáque confluentibus: vnde Cicero Corinthum totius Græciæ lumen appellat.

O prima infelix.] deplorat miseriam hominis, qui cum à Prometheo fingeretur, nulla habita est ratio mentis atque prudentiæ, quę maiori curæ ipsi figulo esse debebat, quàm corpus: cùm animi quàm corporis sit natura diuinior. Prometheum ideo homines è luto formasse commemorant, quia, vt inquit Eusebius, feritatem hominum, nimiámque imperitiam ad humanitatem & scientiam transfigurauit: vel, vt ait Lactantius, quia simulachrum hominis primus de molli luto formauit, & à Prometheo orta est ars statuas & simulachra fingendi.

OPVS *pectoris.*] prudentiam & mentem in homine formando parum solerter à Prometheo fuisse perspectam significat. Nam in pectore est cor, vbi mens habitat, & præcordia quæ Græci phrenas appellant, quasi participes prudentiæ, vt scribit Aristoteles.

HAVD *vllas.*] in auarum acerbe dictum hoc est, qui nullas opes, quibus viuus inhiat & incubat, post mortem secum deferet ad Acheronta & manes infernos.

RATES *infernas.*] Charontis cymbam accipe. quidam codices habent, Ab inferna rate: idem est sensus & elegantior.

VICTOR *cum victis.*] defunctorum erit vna conditio, iuxta illud Senecæ: *Impares nascimur: pares morimur.* &, *cum Mario victore erit Iugurtha victus.* cuius historiam scribit Salustius. Quadrat huic loco Plautina illa sententia memoratu digna, quæ legitur in trinummo: *Aeque mendicus, atque ille opulentissimus censetur ad Acherontem mortuus.*

LYDVS *Dulichio.*] apud inferos cuncti erunt æquales, nulla inter diuites, pauperésque distantia: nullum erit discrimen inter Crœsum opulentissimum, & Hyrum mendicissimum. de Crœso: Crœsique diuitiis supra memorauimus. Hyrus autem fuit homo egestosus, & mendicus in Ithaca, qui alio nomine Arneus vocitabatur. Scribit Homerus in XVIII. Odyssez. hunc Vlysses pugno percussit adeo vehementi, vt ossa frangerentur, & ad terram præceps caderet Hy-

rus cruorem ex ore proiectans. hic pro exemplo mendici est calamitosi apud poëtas. vnde ait Martialis:

Cum sis tam pauper quàm nec miserabilis Hyrus.

Ouidius Binominem vocat:quia, vt diximus, & Arneus nominabatur, quod illi mater nomen indiderat. Dulichium appellat poëta ab insula quæ erat sub Vlysis imperio.

OPTIMA *mors.*] felicitas est (vt ait Seneca) in felicitate mori, quoniam supremus dies, teste Plinio, indicat de omnibus:

—— *dicique beatus*

Ante obitum nemo, supremáque funera debet.

MENTEM *vincere Lyæo.*] hoc est indulgere genio, & nõnunquam ad ebrietatem vsque peruenire. mens vincitur mero, quo tanquam vinculo impedita nequit satis officium suum facere. vnde prouerbium est apud Plinium: *Vino sapientiam obumbrari.* impedit enim curam, vigorémque animi ad procinctum tendentibus. ebrietas tumultuosa res est, qua qui delectatur is non erit sapiens, vt scribit Salomon.

VENEREM *interceperit ætas.*] semen genitale non est in senibus, quia non satis eorum natura potest concoquere, vt docet Aristoteles in primo de generatione animalium: vnde est illud Satyricum de senectutis incommodis: *-coitus iam longa obliuio: vel si Coneris iacet exiguus cum ramice neruus.* Scribit Plato in primo de republica, quòd senectute libidines restinguuntur, & in ea ætate pax est à rebus venereis: quem totum locum æmulatus est Cicero in eo lib. cui titulus est Cato, siue de Senectute.

ALBA *senecta.*] epitheton senectæ bonum est, vt alba à canis capillis nominetur. canicies autem in senibus prouenit ex inopia, exilitatéque caloris, cùm corpus senescẽs in frigiditatem dilabatur: senectus enim frigida est & sicca, vt auctor est Aristoteles in quarto de generatione. tempora autem primo canescunt, vt idem refert. quod & Virgil. eleganter indicauit illo versu:

Temporibus geminis canebat sparsa senectus.

Canicies autem, si Plinio credimus, homini tantum est & equis.

TVM *mihi.*] idest, in senectute philosophari volo, & rerum causas, quas physice docet inquirere. in hanc sententiam est illud egregie dictum à Seneca: *Senex mundum circuire constitui, & causas, secretáque eius eruere, atque aliis noscenda producere.*

QVIS *deus hanc.*] philosophia naturalis ista scrutatur, de qua cum loqueretur Seneca in quæstionibus, ita scripsit: *Naturæ rerum gratias ago, cum secretiora eius intraui, cùm disco quæ vniuersi materia sit, quis auctor sit, aut custos, quid sit deus, an totus in se intendat, an & ad nos aliquando respiciat, faciat quotidie aliquid, an semel fecerit, pars mundi sit, an mundus.* Hactenus Seneca. Hæc studia se discere velle in senecta poëta pollicetur, & quærere an diuina prouidentia mundus regatur. Plinius existimat Solem esse mundi rectorem, & principale naturæ regimen ac numen. Plato in Timeo: Deum vltra mundanum opificem rerum inuenire ait esse difficile: intellexisse uero impossibile. hæc autem ætati maturæ studia seuera conueniunt: iuuenes amatoria non dedecent.

QVA *venit.*] Luna per totam signiferi latitudinem vagatur, nunc in Aquiloné elata, nunc in Austros deiecta, &, vt inquit Higinius, Lunam à Sole per alios ortus, occalúsque necesse est moueri non stare.

VNDE *coactis cornibus.*] discam, inquit, causas, quibus Luna modo sinuatur in cornua, modo accipit incrementa à Sole discedens, modo decrementa Soli accedens, modo orbe pleno est luminosa: quæ omnia primus deprehendit Endymion, vt supra diximus. Menstrua dicitur Luna, quoniam mensis spatio cœli ambitum lustrat, & mensis Lunæ annus est: & à Luna dicitur, quia Græco nomine Luna Mene vocatur, vt docet Macrobius. Existimat Cicero dictos esse menses à Lunæ cursibus, qui mensa spatia conficiunt: à lucendo autem dicta est Luna. Virgilius:

—— *Quid menstrua Luna moneret.*

Præcipit Plinius, Luna inter menstrua, dimidiáque esse stercorandum. Interlunium dicimus & Lunam silentem, quando est in coitu. vnde ait Cato: *Luna silenti stercus euehito.*

VNDE *salo superant venti.*] scribit Aristoteles in primo Meteororum: ventum esse aëra fluentem: & hoc idem Seneca in tertio quæstionum, qui existimat causam venti esse aquarum, terrarúmque vaporationes: & quidam dixerunt vnũ ventum omnes esse ventos, quoniam aër motus vnus est, & idem omnium ex anhelitu terræ ventos quoque gigni non negat Plinius, qui etiam ex aquis aëra spirantibus nasci dicuntur. vnde & Aristoteles in Problematibus quærit, cur venti de mari spirare soleant? ergo dicit Poëta se vestigaturum in senecta originem ventorum, & vnde in mari diu durent, & quæ sit Euri natura, quo ab oriente flante aër obscurior redditur, & caliginosior: ex quo Euro spirante omnia maiora videri credit Aristoteles.

IN *nubes vnde perennis aqua.*] nubes ex âere coacto in liquorem gigni tradunt physici scriptores: vnde est illud Virgilianum;

—— *atque in nubes cogitur aër.*

alij è liquore egresso in sublime nubes fieri censueuerunt, quarũ densitates cùm intra se vrgentur, imber exprimitur, vt ait Apuleius in Cosmographia. Aristoteles quoque in meteoris inquit, euaporationem quæ fit ex aëre in aquam esse nubem, quæ propter virtutem caloris eleuata in sublime, mox propter refrigerationem defertur in terram, & hæc pluuia vocatur: & cùm semper fiant huiúsce modi euaporationes. necessum est aquam quoque in nubibus esse perennem, & semper nubes fœtu aquarum grauidari.

SIT *ventura dies mundi.*] scribit Aristoteles in libris de cœlo & mundo, Mundum neq; genitũ esse, neq; vnquã interiturum, cui astipulatur Pli.

in principio naturalis historiæ. Plato vero mundum natum esse tradit, sed fore semper affirmat. Ecclesiastici autem & factum à Deo mundum asserunt, & incendio conflagraturum, qui deinde in melius innouabitur, & fiet cælum nouum & terra noua, vt ait Ioannes in Apocalypsi: & Augustinus in xx. de ciuitate Dei. Christianum dogma confirmat Seneca, qui in libro de consolatione ad Marciam sic scribit: *Tempus aduenict, quo se mundus renouaturus extinguat, & omni flagrante materia vno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit:* & Lucanus patruum sequutus ait:

Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Misturus. ——

Carmen quoque illud Sibyllæ Erythreæ accommodatum est huic sententiæ, quod tale est:

Exuret terras ignis, pontúmque, polúmque.

& à Lucretio dictum est:

Ruet moles & machina mundi.

Pvrpvrevs *pluuias.*] arquus cælestis, qui dicitur Iris, fit ex radio Solis immisso concauæ nubi, colorúmque varietas efficitur ex mistura nubium, aëris & ignium: non fiunt arquus nisi Sole aduerso, nec nisi nubilo. auctores Plinius, Seneca, & Aristoteles. causa arquus cælestis est Sol & nubes. fit frequenter in bruma, hoc est breuissimis anni diebus.

Avt *cur Perrhebi.*] causam motus terræ, alij in aqua esse, alij in ignibus, alij in spiritu putauerūt: nec adhuc inter physicas philosophias satis constat: lōga est apud Senecā in quæstionibus de terræmotibus, & erudita narratio. Plinius causam tremoris terræ retur esse ventos, qui in cauernas terræ, ac venas conditi deferuntur, & exitum quærentes cuncta concutiunt. lege Lucretium, qui in sexto multa facundissimè scribit de motu terrarum. Sed quæritur cur poëta specialiter tremorem Pindi nominauerit. scito non temere hoc dictum, sed ingeniosè à poëta conscio historiarum, in quibus traditur quòd olim Thessalia terræmotibus concussa est, & montes abscissi, qui prius erant inter se cohærentes: inter quos est Pindus vergens ad meridiem. Thessali memorant hoc à Neptuno esse factitatum haud absurde sentientes: multi enim arbitrantur Neptunum quatere terram, vnde à Græcis cognominatur Ennosigeus & Sisichthon, quasi telluriquassonem dicas & tellurimotorem. historiam tremoris Thessalici refert Herodotus in Polymnia: cuius meminit & Strabo in ix. Pindum vocat Perrhebum à Perrhebis Thessaliæ populis, qui Lapitharum potentia fracti profugerunt in loca montana vicina monti Pindo.

Solis *& atratis.*] defectus Solis siue eclypsis efficitur Lunæ interuentu, quæ suo interpositu radios Solis aufert terræ: tunc equi ipsius Solis atrati, hoc est obscuri fieri poëticè dicuntur: & signare videtur Phaëtontis incēdium carminibus poëtarum fabulosum, testimonio Platonis quodammodo verum existimādum: namque, vt ille scribit diuinitus in Timæo, fit longo temporum interuallo cælestis circuitus permutatio quædam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur. de qua luculenta est narratio apud Macrobium: & hoc etiam sentit Lucretius libro quinto de rerum natura. Atratum vocamus indutum vestes nigri coloris. Scribit Cicero, Neminem vnquām atratum, hoc est cum toga pulla in conuiuio accubuisse: ex quo vehementi obiurgatione incessit Vatinium, qui epulo Q. Arij atratus cœnauerat.

Cvr *serus.*] dictum est supra de Boote, siue arctophylace, qui est in circulo septentrionali, & piger ac tardus dicitur ratione motus, & sphæræ, vt supra docuimus: velox dicitur à Lucano Bootes ratione orizontis Carmanorum populorum.

Chorvs *Pleiadum.*] septem sunt Pleiades, siue Vergiliæ in Tauro collocatæ, quarum sex fulgent, septima obscurata est: causam refert Higinius, quia scilicet illa nupsit mortali, cùm cæteræ sorores concubuerint cum diis immortalibus: & propterea coeunt, hoc est coadunantur in cælo, & inter stellas, qui sunt externi ignes collucent.

Cvrve *suos.*] supra memorauimus cur maria non crescant accessu tot fluuiorum, quia scilicet quicquid influxit, non in suum vertunt, sed protinus reddunt: occulto enim itinere subit terras: Præterea, vt scribit Lucret. in sexto,

——*Sol magnam partem detrahit æstu,*
Tum porto venti magnam quoque tollere partem
Humoris possunt, nubes quoque tollere possunt
Humorem magno conceptum ex æquore ponti.

potest hoc est etiam à poëta dici propter maris æstus accedentes & reciproquantes, qui cùm lunaribus cursibus intumescentes intra vicenas & quaternas horas bis affluunt, bisque remeant. Præterea aquæ impetum sumunt atque tumescunt, cùm illas agit flatus: quo subtracto considunt, atque languescunt: inde à Virgilio dictum est, *Qua vi maria alta tumescant.*

Plenvs *& in partes.*] cursus Solis causa est anni varietatis, qui vices temporum, annúmque renascentem ex vsu naturæ temperat, vt scribit Plinius. Cursus annalis, auctore Varrone, diuisus est in quatuor partes totus: idem subtilius in octo sexquimenses diuiditur. iurisconsulti annum in æstatem & hyemem solummodo diuiserunt. Ægyptij tria anni tempora esse dixerunt: hyemem, ver, & æstatem. inde Mercurius lyram trium chordarum reperisse fertur.

Svb *terris sint iura.*] inquiram, inquit, an vlli sint inferi, quos esse negat Plinius, quos esse confitetur Augusti. sed quo in loco sint neminem scire arbitratur. inquiram an apud inferos sint Pluto & Proserpina: sint iudices Minos, Æacus, & Rhadamantus, qui iura defunctis dicere dicuntur: discam etiam, an gigantes illic torqueantur, an vera sint, quę de furia Tisiphone dicuntur: & cætera figmenta poetica se vestigaturum duce philosophia pollicetur. Fuerunt enim philosophi qui pœnas omnis inferorum in corporibus nostris esse asseuerarent, & quæ illic esse credidit fabulosa persuasio in nobis metipsis

assignare conarentur: ex quibus vnus est Lucretius, cuius est ille de inferis versus:

Qui neque sunt vsquam, neque possunt esse profectò.

ALCMEONIÆ *furiæ*.] Alcmeon furiis agitatus ob interfectam matrem Eriphylen purgatus est ab Acheloo: vnde ait Ouid.

—— *Amphiaraides naupactèo Acheloo*
Solue nefas dixit, soluit & ille nefas.

Furias vocat poëta Alcmeonias, quæ vexarunt Alcmeonem matricidam, quæ facibus ardentibus (vt tragici poëtæ scribunt) impios nefariósque agitant, atque perterrent. Cice. in oratione pro Roscio Amerino: *Tedas ardentes furiarum quibus scelerati agitari dicuntur à poëtis, nihil aliud significare demonstrat, quàm malas cogitationes & fraudes & scelera: hae enim sunt, inquit, impiis assiduæ, domesticaeque furiæ, quæ dies noctésque parentum pœnas, à consceleratissimis filiis repetant.*

IEIVNIA *Phinei*.] nota est fabula Harpyiarum, carminibus Virg. & Valerij Flacci. hæ cibos epulanti Phineo eripiebant cuncta ventris proluuie fœdantes: tandem fugatæ fuerunt ad strophalas insulas ab Argonautis. ideo ieiunia Phinei dicit, quia ieiunare cogebatur ablatis per Harpyias cibariis. Inquirã, inquit, an etiam apud inferos Alcmeon furiis maternis agitetur, an Phineus illic quoque ieiunet secundum illorum opinionem, qui dixerunt apud inferos easdem exerceri res, quas viui exercuerunt.

NVM *rota*.] propter Ixionem, qui apud inferos in rota versatur.

NVM *scopuli*.] propter Sisiphum, qui assiduo, inefficacique conatu saxum voluit.

NVM *sitis*.] propter Tantalum in mediis vndis sitientem.

TRIBVS *faucibus*.] dicitur apud inferos esse Cerberus triceps, & trifauci personare latratu.

TITYO *iugera*.] Tityus per nouem iugera porrectus apud inferos torquetur vulturibus iecur exedentibus, vt supradictum est. iugeri mensura ducentos & quadraginta pedes habet in longitudine, dimidium in latitudine. vt scribit Quintil. & docet Plin.

AN *ficta fabula*.] perdiscam, inquit, vera ne an fabulosa sint, quæ de in infernis traduntur: in quam sententiam ita scribit Seneca in libro de cõsolatione ad Martiam: *Cogita nullum defunctum malis affici: illa quæ nobis infernos terribiles faciunt fabula est: nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrãtia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, nec reos vllos in illa libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos. luserunt ista poetæ, & vanis nos agitauere terroribus: mors omnium dolorum & solutio est & finis.* Cicero quoque in oratione pro Cluentio falsa esse affirmat quæ de suppliciis inferorum poëtæ finxerunt.

EXITVS *hic vita*.] volo inquit senescere, & mori in inuestigatione rerum naturalium: quæ non sunt promiscuæ, nec omnibus patent: sed clausæ sunt, & reconditæ in interiore sacrario.

QVIBVS *arma*.] s. sunt cordi & res militaris placet: illi inquit bella capessant aduersus Parthos, & illis profligatis Romam referant signa Crassorum, quæ olim Romanis Parthus ademerat, quæ deinde Augusto restituit.

M. ANT. MVRETVS.

ONERATVS *Cæsaris axes*.] libentius legerim, onerato Cæsaris axe.

PACIS *amor Deus est*.] duas caussas reddit, cur in bellum ire nolit: quod Amorem colat, qui deus est pacis: etsi sibi quidem cum domina pacem non esse ait: & quod alioqui magnarum opum, quæ in bello parari solent, cupidus non sit.

IANVS DOVSA FIL.

M*I sat erit media plaudere posse*.] Vetus Modij & nonnullæ editiones *Sacra* habent, non *media*. notum triumphantes per viam Sacram in Capitolium ire solitos. noster supra:

Actiáque in Sacra currere rostra via.

NEC *miser ara paro clade, Corinthe, tua*.] Hæc item lectio est à codice clarissimi Modij, cùm altera valde intricata sit & obscura.

ME *iuuat & multo mentem vincire Lyæo*.] Ab Hesiodo est sumta hæc translatio sanè pulchra. Ita ille de vino.

Σοὶ δὲ πόδας χεῖράς τε δέει γλῶσσάν τε νόον τε
δεσμοῖς ἀφράστοισι.

Hinc fulcitur veritas lectionis Plautinæ in Pseudolo: *sed scio, tu olim nihil haud magnipendis, vino te Deuincis.*

SOLIS *& atratis luxerit orbis equis*.] Videsis notata à me in Tibullum cap. v. vbi quod monui de defectu Solis, qui aliundè quàm à Lunæ interuentu fit, non parum stabiliri potest eo, quod & Lunam interdum deficere dicant scriptores, cùm tamen nullam à terræ vmbra obscurationem patitur, sed vel nigra vel sanguineo colore suffusa hominibus apparet. hoc docemur à Xiphilino in Vitellio, vbi scribit: προεχέσι δὲ καὶ τοῦ τῆς πόλεως ἐν τῷ τοῦ Βιτελλίου στρατοπέδῳ οἴοις, ἐπέσχηκε αὐτὸν ἡ σελήνη τῆς νυκτὸς ἐκλιποῦσα, οὐχ ὅτι καὶ ἐσκιάσθη (καίτοι τοῖς δορυφορουμένοις καὶ τὰ τοιαῦτα φόβον φέρει) ἀλλ᾽ ὅτι καὶ αἱματώδης καὶ μέλαινα, ἄλλα τέ τινα χρώματα φοβερὰ ἀφιεῖσα ὤφθη. Porrò lugere Solem in deliquio videntur sensisse veteres, quod cùm ex hoc loco colligi potest, tum ex Augustino de ciuitate Dei lib. III. cap. XV. vbi agit de Romuli morte: *Quasi verò si luctus ille Solis fuisset, non magis ideò credi deberet occisus, ipsúmque scelus auersione etiam diurni luminis indicatum.*

PLEIADVM *spisso cur coit igne chorus*.] Spissum ignem tribuit his stellis, quòd sint in se conglobatæ, & βότρυος δίκην περισυγκεκλεῖσθαι, vt Theo loquitur in Aratum: vnde & nomen illis ἐν πλησίον ἀλλήλων κεῖσθαι, vt inter alia ibidem addit. Hinc Manilius lib. IV.

Pleiadum paruo referens glomerabile sidus.

Cur autem *Pleiadum chorum* dicat, vt & Horatius lib. IV. Carminum:

Indomitas prope qualis vndas
Exercet Auster, Pleiadum choro
Scindente nubes.

neutrubi explicant Commentatores. puto autem hanc subesse caussam, *quòd Pleiades existimentur choream ducere stellis*, vt tradit Hygenus, quam Electra post Troiam captam dolore permota deseruit, & à cæteris sese remouit, ne lasciuire videretur in luctu.

IANVS DOVSA PATER.

QVA *videam spoliis oneratos Cæsaris axes*
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.] nec sine riuali tamen. Nam & Ouidius lib. IV. Tristium Eleg. II. idem apertè æmulatus:

Ipse sono, plausúque simul fremitúque calentes
Quadriiugos cernes sæpe resistere equos.

ME *iuuat & multo mentem vincire Lyæo.*] Sic & Statius in Syluis:

Et mentem vincire thoris.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ARMA *Deus Cæsar.*] Deus. Infra:

—— *& lacrimas vidimus ire Deo.*

Horatius:

Præsenti tibi maturos largimur honores.
Iurandásque tuum per nomen ponimus aras.

C Nota est consecratio Aræ genij Augusti Narbone reperta. Item in compitis Genius Augusti eo viuo adorabatur, cui ex libertinis sacerdotes dati Augustales appellabantur. Illius vero χαριστήρια Ouidius scripserat, vt ipse testatur de Ponto libro quarto:

Quale tamen potui de cælite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.

Item alibi:

Prouenient illuc & carmina forsitan illa,
Quæ de te emisi cælite facta nouo.

DITES *meditatur ad Indos.*] De hac Indica expeditione Virg. Georgico secundo:

—— *Et te, maxime Cæsar,*
Qui nunc extremis Asiæ iam victor in oris
Imbellem auertis Romanis arcibus Indum.

ONERATOS *Cæsaris axes.*] Lego: *onerato Cæsaris axe.*

INCIPIAM.] Incipiam spectare, spectabo.

O PRIMA *infelix fingenti terra Promethæo.*] Iuuenalis:

Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Callimachus:

—— ἤ σε Προμηθεὺς
Ἔπλασε, καὶ πηλοῦ μὴ 'ξ ἑτέρου γέγονας.

Idem in Mimiambis:

Ἦν κεῖνος οὑνιαυτὸς, ᾧ τό τε πτηνὸν
Καὶ τοὺν θαλάσσῃ, καὶ τὸ τετράπουν οὕτως
Ἐφθέγγεθ' ὡς ὁ πηλὸς ὁ Προμήθειος.

CORPORA *disponens mentem non vidit in arte.*] Propterea conquerens optat Alcæus:

Εἴθ' ἐξῆν ὁποῖός τις ἦν ἕκαστος τὸ στῆθος διελόντα,
Ἔπειτα τὸν νοῦν ἰδόντα, κλείσαντα πάλιν,
Ἄνδρα φίλον νομίζειν ἀδόλῳ φρενί.

NVDVS *ad infernas.*] Melior libri nostri lectio:

Nudus ab inferna, stulte, vehere rate.

OPTIMA *mors parca.*] Parca dies, ἡ πεπρωμένη ἡμέρα. Nam veteres Glossæ Parcam, τὴν πε-

A πεπρωμένην interpretantur.

SOLIS *& atratis luxerit.*] Luxerit à lugendo, non à lucendo. Cur autem fatalem illam veterum ἐκλείψιν hic innui dicat Beroaldus, non video. Deliquium enim Solis intelligitur. quod diu ignoratum hominum mentes magna superstitione percusserat. Plinius libro secundo: *Viri ingentes, supráque mortalium naturam, tantorum numinum lege deprehensa, & misera hominum mente absoluta in defectibus. stellarum scelera, aut mortem aliquam siderum pauentis. quo in metu fuisse Stesichori & Pindari vatum sublimia ora, palam est, deliquio Solis.* Idem de Pindaro Philo Iudæus: θείας φύσεως ἡλίου

B καὶ σελήνης ἐπακολουθοῦσιν ἐκλείψεις. αἱ δὲ μηνύματά εἰσιν ἢ βασιλέων τελευτῆς, ἢ πόλεων φθορᾶς· ὃ καὶ Πίνδαρος ᾐνίξατο γενομένης ἐκλείψεως, διὰ τῶν προειρημένων. Quod igitur & Grecus & Latinus scriptor aiunt formidasse Pindarum, palam est hoc cantico:

Ἀκτὶς ἀελίου, τί πολύσκοπε
Μή σε θαῦμ' ἄστρ' ἀμμέν;
Ἄστρον ὑπέρτατον ἐν ἁμέρᾳ
Κλεπτόμενον, ἔθηκας ἀμάχανον
Ἰσχὺν ποτανοῖσιν ἀνδράσι,
Καὶ σοφίας ὁδόν.
Ἐπισκότιον ἀτραπὸν ἐσσυμένα
C Ἐλαύνεις τι νεώτερον, ἢ πάρος.
Ἀλλά σε, πρὸς Διός,
Ἵππους θοὰς, ἱκετεύω,
Ἀπήμον' ἐς ὄλβιόν τινα
Τράποιο Θήβαις,
Ὦ πότνια, πάγκοινον τέρας.
Πολέμου δ' ἢ σᾶμα φέρεις τινὸς,
Ἢ καρποῦ φθίσιν,
Ἢ νιφετοῦ σθένος ὑπέρφατον,
Ἢ στάσιν οὐλομέναν, ἢ πόντου
Κενέωσιν ἀνὰ πέδον,
Ἢ παγετὸν χθονὸς, ἢ νότιον θέρος
Ὕδατι ζακότῳ διερὸν,
D Ἢ γαῖαν κατακλύσαισα θήσεις
Ἀνδρῶν νέον ἐξ ἀρχῆς
Γένος ὀλοφυδνόν.

Aperte & Plinius, & Philo hoc canticum Pindari innuerunt. Sed nuspiam tam correctum, quam hic, leges.

ELEGIA V.

DIC mihi de nostra, quæ sentis, vera puella:
E *Sic tibi sint dominæ Lygdame lenta iuga.*
Dum me lætitia tumefactum fallis inani,
Hæc referens, quæ me credere velle putas.
Omnis enim debet sine vano nuntius esse,
Maiorémque timens seruus habere fidem.
Nunc mihi, si qua tenes, ab origine dicere prima

Incipe. suspensis auribus ista bibam. A
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti Lygdame lecto?
Ornabat niueas nullàne gemma manus?
Ac mœstam teneris vestem pendere lacertis?
Scriniáque ad lecti clausa iacere pedes?
Tristis erat domus, & tristes sua pensa ministræ
Carpebant, medio nebat & ipsa loco?
Humidáque impressa siccabat lumina lana?
Rettulit & querulo iurgia nostra sono?
Hæc te teste mihi promissa est Lygdame merces?
Est pœnæ seruo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?
Aequalem nulla dicere habere domo?
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto?
Si placet insultet Lygdame morte mea,
Non me moribus illa, sed herbis improba vicis:
Staminea rhombi ducitur ille rota.
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta exectis anguibus ossa trahunt,
Et strigis inuentæ per busta iacentia plumæ,
Cinctáque funesto lanea vitta viro.
Si non vana canunt mea somnia, Lygdame, testor:
Pœna erit ante meos sera, sed ampla pedes.
Putris & in vacuo texetur aranea lecto:
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quæ tibi si veris animis est questa puella,
Hæc eadem rursus Lygdame curre via,
Et mea cum multis lacrymis mandata reporta,
Iram, non fraudes esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni,
Iurabo & bis sex integer esse dies.
Quòd mihi si tanto felix cõcordia bello
B *Extiterit, per me Lygdame liber eris.*

PHILIPP. BEROALD. BON.

DIC *mihi de domina quæ sentis vera puella.*] Lygdamum alloquitur seruum, eúmque hortatur, vt sibi cuncta renunciet, quæ de Cynthia audiuerat & viderat: sed quia serui, cæterique id genus assentatores esse consueuerunt, & placendi causa fingere mendacia: petit vt citra omnem narrat vanitatem. Principium Elegiæ satis apertum & vix egens interpretationis.

SINE *vano.*] sine mendacio & vanitate. sen- C tentia catholica est, qua docet nuncios debere esse veridicos, non autem vanidicos, prout multi & potissimum serui esse consueuerunt.

SICVT *eam incomptis.*] petit à Lygdamo, vt sibi veraciter narret quo habitu viderit Cynthiam, & nunquid illa præ mœrore capillos incomptos habuerit, nunquid vbertim lachrymauerit, an ad speculum se exornauerit, an gemmis digitos condecorauerit. Mulier enim quæ ex animo mœsta est, id genus ornamenta non curat.

SPECVLVM.] scribit Seneca inuentum fuisse D speculum, vt homo ipse se nosceret, vt deformis in speculo sciret redimendum esse virtutibus quicquid corpori deesset. Apuleius in apologia egregie refert nullam imaginem tanta fide similitudinem repræsentare, quanta speculum, in quo visitur imago vt similis ita mobilis facere dixit Plautus in mustellaria: *Nil opus esse speculo formosæ mulieri, cùm ipsa speculo speculum sit maximum.* specula optima apud priscos fiebant Brundusina stagno & ære mixtis: vt auctor est Plinius in xxxiii. qui scribit prælata fuisse argentea: primúmque fecisse Praxitelem magni Pompei ætate. hinc de speculo argenteo iocus exiit ille Plautinus, *Vt speculum tenuisti, metuo ne oleant argentum manus.*

E TRISTIS *erat.*] ait Lygdamus non solum Cynthiam mœstam, sed totam domum tristitiæ fuisse implicitam ex irati poetæ desiderio.

NEBAT *& ipsa.*] lanificium conuenit pudicæ matronæ: vnde Liuius pro signo probitatis accipi vult Lucretiam fuisse inuentam à marito, iuuenibúsque Tarquiniis intentam lanæ inter lucubrantes ancillas: & Diuus Hieronymus instituens virginem Demetriadem: *Habeto*, inquit, *lanam semper in manibus, vel staminis police fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alueolis fusa*

uertantur. aliarúmque neta, aut in globum collige, aut texenda compone.

HÆC *te.*] verba Cynthiæ habita cum Lygdamo, ex cuius persona nunc à seruo referuntur.

ILLA *potest.*] legendum est ille, non illa: & miseram, non miserum: & solam, non solum. scito enim hæc esse verba, quæ dicit Lygdamus se audisse de Cynthia, quæ ita conquerebatur de Propertio.

ILLE.] scilicet Propertius potest me vlla mea culpa deserere, & solam gaudet me tabescere & macerari, cùm sit veneficiis pellectus ad amorem alterius puellæ. hic est sensus verus, qui cùm non perciperetur à literatoribus, fuit causa vt verba inuerterentur.

SI *places insultet.*] verba Cynthiæ ad ipsum Lygdamum incusantis poëtę perfidiam. Insultet expone vt supra illudat, & aliquid dicat iniuriosius: vel, quod magis placet, insiliat & lætetur, quoniam ex gaudio insilire, & solo insultare solemus.

NON *me moribus illa.*] ait Cynthia se non moribus aut forma superari à pellice, sed veneficiis, & incantamentis, quibus illa Propert. attraxerat ad amorem. illa ergo exponatur non Cynthia, sed pellex Cynthiæ.

STAMINEA *Rhombi.*] id est, instrumento magico, quod est ex stamine liciisque confectum, ducitur & trahitur

ILLE.] scilicet Propert. quocúnque libuit veneficæ. de Rhombo supra satis & super dictum est.

ILLVM *rubetæ, ranæ.*] quæ rubetæ dicuntur & rupetæ, sunt refertæ venenis. de quibus mira certatim tradunt auctores, & hoc in primis: Ossiculum esse in sinistro rubetæ latere, quo addito in potionem amor concitetur, & ad collum alligato Venus stimuletur. ait ergo Cynthia poetam trahi veneficiis rubetæ ranæ, quæ turgens & vt pote plena veneficiorum: & quoniam scribit Plin. has ranas grandissimas esse cunctarum. Iuuenalis: *Miscet sitiente rubetam.*

OSSA *anguibus.*] anguis Aesculapio dicatus est, quia ei inesse remedia multa dicuntur, vt ait Plin. qui refert dentem, spondylumve draconis illigatum pelle caprearum ceruinis neruis præstare dominos mites, & potestates exorabiles.

ET *strigis inuentæ.*] striges aues sunt, quæ vbera infantium labris immulgent, vt ait Plin. & testatur Serenus. Quarum formam describit Ouid. in Fastis. Strigem in maledictis iam antiquis esse conuenit. strigem idoneam fuisse ad magicas artes testis est Hora. in Epodo scribens plumam nocturnæ strigis cum aliis veneficiis adhibitam fuisse ad amatoria exercenda: cuius sententiam nunc imitatus est poeta dicens, Plumis strigis inter sepulchra repertæ vsam esse veneficam ad amorem concitandum.

CINCTAQVE *funesto.*] posset hoc non indocte referri ad laqueum, vinculúmque hominis strangulati, quod pollere fertur ad magiam: & scribit Palladius, Si aliquid de huiuscemodi fune suspendas per fenestras columbariorum, locum non deseri à columbis: & ait Plinius, Ex

A caluaria suspendio interempti fieri medicamenta. potes intelligere simpliciter dictum, vt vitta sacerdotalis incincta viro funesto, & cæde contaminato, sit idonea ad amoris veneficium, & ob hoc adhibita. Cinctum, & cincturam pollere in magicis docet Plinius, qui in vigesimo octauo scriptum reliquit: Partus vicinos accelerari, si vir cinctū suo soluto fœminam cinxerit, deinde soluerit adiecta precatione se vinxisse eundem & soluturum, & abierit.

SI *non vana.*] hæc adhuc sunt verba Cynthiæ cum seruo Lygdamo colloquentis, dicentisque poetam daturum è vestigio pœnas perfidiæ, si B modo, inquit, non sunt fallacia somnia, visionésque nocturnæ.

SERA *pœna.*] quoniam, vt inquit Valerius, lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira. vnde & prouerbiale dictum est: Deos iratos pedes lanatos habere, quia nonnunquam tarde plectunt nocentes.

PVTRIS *aranea.*] ait Cynthia futurum, vt lectus in quo cum pellice iacebit Propertius, sit futurus putridus, & situ obsitus, & telis aranearum coopertus, quæ texere solent in domibus desolatis: an per putrem aranearum symbolicos intelligit virilia futura flaccida & languentia, simillimáque telis araneæ, sicut à Catullo dicta est C mentula beta languidior.

DORMIET *ipsa Venus.*] id est, libido destituet poetam, & pellicem: & Venus erit iners illis, & maligna, vt concumbere nequeant: sicut olim Amasis rex cum vxore concumbere non poterat.

QVÆ *tibi si.*] nunc loquitur Propertius post finitas à Lygdamo Cynthiæ querelas: iubétque Lygdamum ad dominam suam reportare mandata: se scilicet ob iram sequestratum fuisse à Cynthia: non autem ob fraudes, atque perfidiam: optátque internuncio Lygdamo Cynthię reconciliari: quod si feceris, inquit, libertate D donaberis per manumissionem.

INTEGER *esse.*] id est, castus à re venerea.

M. ANT. MVRETVS.

MAIOREMQVE *timens.*] in meo vetere libro est, *Maiorémque metuens.* deinde alia manu emendatum, *timens.* ego autem, si quod in illa deprauata scriptura veritatis vestigium est, libentius, detractis tribus literis, legerim,

Maiorémque metu seruus habere fidem.

vt sententia hæc sit: timere seruos interdum, ne malis nunciis apportandis dominos ad iram incitent. ἐγκλείομαι γὰρ πῶς τὰ κακὰ ἀγγέλλων, ait Ari- E stoteles, ideoque sæpe mentiri, & ea dicere, quæ dominis placitura norint. id igitur ipse reprehendit, aitque plus in seruo homine inesse fidei debere, quam metus.

IANVS DOVSA FIL.

AC *mæstam teneris vestem pendere lacertis.*] Malim: *An mæstam.* In Modij codice erat: *At mæstam.*

Poena *erit ante meos sera, sed ampla, pedes.*] Alludit ad illud vulgatum : ὁ τιμωρὸς [illegible] πόδας βαίνει.

IANVS DOVSA PATER.

MEMIO *nebat & ipsa loco.*] Lege foco.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

MAIOREMQVE *timens seruus.*] *Timens seruus*, εὐλαβής.

Est *pœna seruo rumpere teste fidem.*] *Teste*, pro Testi plane frequens apud Propertium. Testem seruum caue intelligas in iure. nam seruum hominem caussam dicere leges non sinunt, neque testimonij dictio est, inquit ille in Phormione. Et Comicus apud Philonem : ὁ γὰρ μετέχων τῶν νόμων δίκαιος ἔφυ. Sed accipe testem simpliciter, qui interrogatus de aliqua re respondet.

ÆQVALEM *nulla*]Emendo, *Aequalem*. Ille potest dicere se habere domi suæ amicam, qualem in nulla domo alius habere possit.

Si *Placet, insultet Lygdame morte mea.*] Lege, *morte mea.* vt supra *seruo teste* Lucillius:

Esuriente leoni ex ore exculpere prædam.

IMPROBA *non vicit.*] Totidem verbis versum reconcinnarunt, qui alio ordine verborum scriptus est.

Non me moribus illa, sed herbis improba vicit.

CINCTAQVE *funesto lanea vitta viro.*]Lanearum tæniarum in sepulchris, quas κρόκας Græci vocabant, meminit Varro. vide primum Coniectaneum nostrum.

PVTRIS *& in vacuo texetur aranea lecto.*]Notum & Penelopen in Odyssea hoc dicere de maritali lecto suo.

ELEGIA VI.

Ergone solicitæ tu caussa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano térque quatérque mari:
Nam dum te sequitur, primo miser excidit æuo,
Et noua longinquis piscibus esca natat.
Et mater non iusta piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

A *Sed tua nunc volucres astant super ossa marinæ,*
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiæ,
Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina?
Portabat sanctas alueus ille viros.
B *Pæte quid ætatem numeras? quid cara natanti*
Mater in ore tibi est? non habet vnda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia littora curas,
Quæ notat Argenni pœna natantis aquæ.
C *Hoc iuuene amisso, classem non soluit Atrides,*
Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo, positáque in gurgite vita,
Pætum sponte tua vilis arena tegas.
Et quoties Pæti transibit nauta sepulcrum,
Dicat, & audaci tu timor esse potes.
D *Ite rates curuæ, & leti contexite caussas.*
Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat fatis : adiecimus vndas.
Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates:
E *Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?*
Ventorum est, quodcunque paras. haud vlla carina
Consenuit. fallit portus & ipse fidem.
Natura insidians pontum substrauit auaris.
Vt tibi succedat, vix semel esse potest.

Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
Naufraga cum vasto Græcia tracta salo est.
Paullatim sociûm iacturam fleuit Vlysses,
In mare cui soli non valuere doli.
Quòd si contentus patrio boue verteret agros,
Verbáque duxisset pondus habere mea,
Viueret ante suos dulcis conuiua penates,
Pauper, at in terra nil vbi flere potest.
Non tulit hic Pætus stridorem audire procellæ,
Et duro teneras lædere fune manus.

* * *

Sed thyæ thalamo, aut Oricia terebintho
Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus viuo radicitus abstulit vngues,
Et miser inuisam traxit hiatus aquã.
Hunc paruo ferri vidit mox improba ligno.
Pætus vt occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Cùm moribunda niger clauderet ora liquor.
Di, maris Aegæi quos sunt penes æquora venti,
Et quæcunque meum degrauat vnda caput,
Quò rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vestra manus.
Ah miser Alcyonum scopulis adfligar acutis:
In me cæruleo fuscina sumpta deo est.
At saltẽ Italiæ regionibus euehat æstus.
Hoc de me sat erit, si modò matris erit.

A *Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus,*
Vltima quæ Pæto nóxque, diésque fuit.
O centũ æquoreæ Nereo genitore puellę,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso supponere brachia mento:
Non poterat vestras ille grauare manus.
B *At tu sæue Aquilo nunquam, mea vela videbis.*
Ante fores dominæ condar oportet iners.

PHILIPP. BEROALD. BON.

ERGO *sollicita tu caussa pecunia vitæ es.*] in auaritiam mortalium, ipsámque pecuniam scribit, cuius causa Pœtus naufragio occubuerat.

ERGO.] particula inceptiua indignanti accommodata. Ouid. C

Ergo ego sufficiam reus in noua crimina semper.

Et Augustus: *Ergone supremis.*

PABVLA *prabes.*] Possidonius ait diuitias esse causam malorum, non quia ipsæ faciunt aliquid, sed quia facturos irritant: &, vt inquit, ecclesiasticum dogma, qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & muscipulas & desideria multa, quæ mergunt hominem in interitum. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes naufragauerunt: & inseruerunt se doloribus multis.

CRVDELIA.] quia, vt inquit Donatus, auaritiæ crudelitas comes est: cuius rei exempla D pluribus in locis Maronianum carmen exhibuit: & à Salustio luculente dictum est, Auaritia crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere, docuit.

TV *Pœtum.*] dicit Pœtum causa pecunię comparandæ nauigantem in Aegyptum fuisse fluctibus obrutum. Pharos in Aegypto est, de cuius significatione satis multa diximus in secundo.

ET *mater non iusta.*] pathetica ratio, qua miseranter obitum Pœti refert miserabilem: cui defuncto mater non potuit exequias exhibere, nec cineres in sepulchro familiari sepelire. E Iusta dicimus funebres exequias & sacrificia feralia. Salustius in Iugurtha: *More regio iusta magnifice fecerant.* Quint. Curtius: *Corpori nominique quamprimum iusta soluamus.* Ouid.

Hanc qui iusta ferunt dixere feralia lucem.

NEC *pote.*] pro potis est, & potest. de qua dictione supra diximus.

COGNATOS *rogos.*] potest hoc referri ad sepulchra, quæ familiaria dicuntur: quæ quis sibi, familiæque suæ constituit, vt scribit iurisconsultus de religiosis.

PRO *tumulo Carpathium.*] loco sepulchri, inquit, habes mare Carpathium, quod ab insula Carpatho nomen accepit. Virg.

Est in Carpathio Neptuni gurgite vates.

In hanc sententiam est illud Apuleij, *Corpus mari celandum commisimus, & nunc iacet noster Lamathus elemento toto sepultus.*

INFELIX *Aquilo.*] conuersus sermo ad ventum Aquilonem: quem incusat tanquam naufragij machinatorem, quem vocat timorem Orithyæ: quia cum illa raperetur vim Aquilonis vehementer extimuit. Fabulam retulimus in primo commentario.

ALVEVS *ille.*] id est nauis. Ita Virg. *Simul accipit alueo Ingentem Aenea.* & Ouid. & Liui. alueum vocant illud vas ligneum, quo Romulus & Remus expositi fuerunt: Ab alueo diminutiuum deducitur alueolus, & significat vasculum pusillum: de quo intelligere debes dixisse Iuuen. illo versu: *Alueolos & lanam pignerat Atreus.* qui legunt Albiolos dure nimis interpretantur: nam Iuuen. in supellectile pauperrima vult esse alueolos, hoc est vascula viliora, quæ tamen pauper poëta ob inopiam cogitur oppignerare. Idem alibi hoc innuit scribens: *Illud enim vestris datur alueolis*, quod in eadem significatione accipiendum est. Columella in IX. *In alueolum ligneum oua conferant.* In alia significatione accipitur pro tabula lusoria.

MATER *in ore.*] pietas Pœti pereuntis exprimitur, qui in ipso naufragio matrem sæpissime appellabat: vt illud, *Mater te appello.* Simile est huic illud Ouidij:

Plurima nantis in ore Halcyone coniux.

QVA *notat Argini.*] exemplo Argini ostendit deos marinos esse inexorabiles, qui nec puero pepercerunt, qui erat in delitiis Agamemnonis pastoris populorum: à cuius submersi nomine existimatur nomen inditum fuisse Arginusis, qui locus nobilis est clade Callicratidæ præfecti classis Laconicæ. Possumus etiam legere, vt scriptum est in omnibus fere codicibus, *Qui natat Argiuis*, vt sit sensus: Mare vndabundum, & Neptunum indignabundum immisisse curas, sollicitudinésque Agamemnoni pro Argiuis, quorum classes in Aulide piscosa retinebantur, nec ad Troiam poterant nauigare: donec sanguine virgineo placarunt ventos, atque Dianæ iracundiam. Res nota est de Iphigenia filia Agamemnonis, quā Lucretius Iphianassam appellat, quæ immolata fuit ad Dianam placandam, & tempestates mitigandas. Poetæ fabulantur pro Iphigenia ceruam fuisse suppositam. Ipsa vero translata est in Tauricam: illicque facta Dianæ sacerdos. Propert. sequutus Virgilium & Lucretium dixit ipsam Iphigeniam fuisse mactatam, nec vllam factam esse victimæ mutationem.

HOC *iuuene amisso.*] scilicet Argino. tanquam dicat poeta Agamemnonem non soluisse classem amisso iuuene Argino. quod si Argiuis legimus & non Arginis, cuius obscura fabula est, ita intelligimus: Agamemnon si amisisset talem iuuenem, qualis est Pœtus, non solueret classem, quam soluit mactata Iphigenia: quasi dicat hunc iuuenem pluris fecisset quam expeditionem ad Troiam: magisque amasset, quam filiam Iphigeniam, quam immolari permisit, cùm non esset permissurus hunc mactari pro classe Græcorum.

A

ITE *rates curuæ.*] execratio in naues, quæ fuerunt causa, vt vnus gradus mortis prioribus fatis adderetur: id quod indicat Lucan. illo versu:

Fatisque per illam Accessit mors vna ratem.

LETI.] mortis. in funeribus inditiuis antiquitus dicebatur, *Ollus leto datus est*: quod Græcus dicit lithi id est, obliuioni.

ANCHORA.] Anchoram Tyrrheni inuenerunt.

B

FORTVNÆ *vias.*] qui primi nauigare cœperunt: hi fortunæ vires auxerunt, & nouas illi vias inuenerunt ad mortales agitandos: Namque fortuna toto mundo & locis omnibus omnium vocibus sola inuocatur, sola nominatur, sola laudatur, sola arguitur. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta. De cuius multiplici nomine & potestate olim concludimus Elegiacum carmen.

PORTVS.] quoniam multi in ipso portu (vt dici solet) fecere naufragium.

NATVRA.] naturam diffinire difficile est: vt scribit Cice. in rhetoricis. Etenim apud sapientes contentio est quid sit prius, Deus an natura: si natura prior est, ergo deus natus est, quod absurdum est: Rursus si deus prior est, nata est natura: quod si nasci potuit natura, incipit non esse natura. Plato sic diffiniuit: Natura est dei voluntas: quæ à doctis est probata diffinitio. Quidam dicunt naturam esse rerum omnium matrem. Irreligiosa sententia est, si dicamus deum causam esse malorum: cum, teste Platone, bonorum solummodo Deus causa sit dicendus: qui in II. de repu. scribit, precasse Homerum in Iliade memorantem duo esse dolia in limine Iouis: Alterum bonis plenum: malis alterum. & ex his simul hominibus Iouem modo bona, modo mala impartire: sed poeta poetas sequitur. Præterea sicut scribit Euseb. in XIII. præparationis euangelicæ: *Si alicubi scriptum est mala diuinitus dari: Deus non ad detrimentum eorum qui puniuntur: sed ad commodum mortalium mittit: sicut medicus ad salutem laborantium cura nonnunquam vtitur amara, dolorisque plena.* A Deo tanquam bono sola bona fieri scribit August. in XI. de ci. dei: qui in XII. ait: *Nemo ex me quærat causam efficientem malæ volūtatis.* Latissimus hic est disputādi locus, & magis ad presbyterū, quam ad poëtę interpretem accommodatus: quocirca receptui canentes ad propositum reuertamur.

C

D

E

SAXA *triumphales.*] supra narrauimus quemadmodum classis Græcorum victrix post Troianū excidium naufragio periclitata est, fractáque in Caphareo Euboiæ promontorio. vnde dixit Maro: *Euboicæ cautes, vltorque Caphareus.*

Hoc exemplo ostendit poëta quantis periculis sint obnoxij nauigantes, quæ pericula non potuit effugere Vlysses ille mortalium vaferrimus & callidissimus: cum doli in vndis nihil prodesse possint.

SOCIVM *iacturam.*] per sociorum amissionem, quos naufragio extinctos fleuit Vlysses.

QVIE *si contentus.*] si Pœtus, inquit, verbis

meis obtemperasset: contentus paternis bobus viueret in terra, cùm mortuus sit in vndis.

VIVERET *pauper.*] quidem, sed citra periculum, & fletum.

SED *thia thalamo.*] dum vult Pœtus in thalamo citreo, pretiosóque quiescere, & in delitiis viuere: periit in fluctibus procellosis. Thia arbor est odorata: quæ, teste Plinio, nota fuit Homero: qui eam facit vri inter odoramenta in delitiis Calypsonis. Menda est in codicibus Plinianis, in quibus impressum est in delitiis Circes, cùm mihi iuxta Homericam lectionem legendum esse videatur, In delitiis Calypsis, siue Calypsonis. Confer quintum Homeri volumen ex Odyssea cum tertiodecimo Plinij libro, & errorem cognosces esse manifestarium. Thiā alio nomine Trogetem vocamus, latinè Citrū, quæ arbor fuit inter pauca nitidioris vitæ instrumenta, ex qua mensæ pretiosissimæ conficiebantur. Ex qua (vt ait Theophrastus) fiebant templorum contignationes: quoniam Thiæ materia incorrupta est in tectis contra vitia omnia. Similiter & Terebinthus habet materiam fidelem ad vetustatem. Arbor est eximij nigrique splendoris. In Macedonia breuis nascitur & fruticosa. In Damasco Syriæ magna: auctor Plinius. Horitia cognominatur ab Horico oppido, vbi nascitur copiosa. Ita Virgilius in decimo:

Buxo aut horitia terebintho.

EFFVLTVM *pluma.*] delicatorum hominum ceruices requiescere solent in ceruicalibus fartis aut anserina, aut cycnea pluma, aut perdicum subalaribus plumis, quæ sunt molliores. Hinc ait Lampridius: Heliogabalum solitum fuisse in accubitis habere pilum leporinum, aut plumas perdicum subalares. Et Plinius in decimo castigat luxuriam, delitiásque Romanorum, qui sine instrumento anserinæ plumæ viuere non poterant.

NOX *improba.*] id est nigerrimus turbo, & procellosa tempestas, quæ diem subito ex oculis eripuit: vel quod vsque in noctem procella, turbóque durauerit, adeo vt paruæ tabellæ more naufragi Pœtus inhæreret fracto iam nauigio.

DII *maris.*] verba periclitantis Pœti deos marinos inuocantis, qui sunt innumeri: inter quos celeberrimi feruntur Neptunus, Thetis, Nereus, Amphytrite, Triton, Phorcus, Nereides atque Salatia: quæ (vt inquit August. in IIII. de ciu. dei.) inferiorem maris partem tenet. Aegæus quoque pater Thesei mari nomen imposuit.

PRIMÆ *lanuginis.*] post annos ter septenos genas flore vestit iuuenta. auctor Macro. & à Censorino traditum est in tertia annorum hebdomade barbam nasci.

HALCYONVM *scopulis.*] Halcyones, de quibus supra dictum est, in scopulis nidulantur atque fœtificant. Scribit Albertus magnus nidos Halcyonum construi in arenis.

FVSCINA.] insigne Neptuni telum est, quod tridens & fuscina nuncupatur. Poeta in priapeis ait: *Neptuni fuscina telum.* Fuscina vtebantur & gladiatores digladiantes: inde exiit illud Satyricum:

Vincit & hoc monstrum tunicati fuscina Gracchi.

Fuscinæ diminutiuum est fuscinula, quæ inter ignium receptacula numeratur in instrumento veteri, vbi scriptum est, *Fuscinulas, tridentes, vncini, & batbilla.* & in lib. primo regum ita scriptum legimus. *Habebat fuscinulam tridentem in manu, & mittebat eam in lebetem, & quod leuabat fuscinula sibi tollebat.*

O CENTVM *æquoreæ.*] Nereides alloquitur.

MATERNO *dolore Thetis.*] propter Achillis filij obitum, quem materno dolore prosecuta est genitrix Thetis, quæ & ipsa vna est Nereidum.

LASSO *mento.*] scilicet Pœti. Mentum nulli est præter homini, vt ait Plin. Attamen in instrumento veteri legimus quod Dauid apprehendebat mentum leonis & vrsi, & eos suffocabat. Mentum attingere in supplicando mos fuit Græcis vetustissimis.

AT *tu.*] apostrophe ad ventum Aquilonem, qua docet se nunquam nauigaturum: optátque sepeliri ante ianuam Cynthiæ. Terentius illum dicit esse fortunatum, qui nunquam ingressus sit mare.

M. ANT. MVRETVS.

SVNT *Agamemnonias.*] hisce quatuor versibus fabula quæpiam obscurior continetur. nam de hoc siue Argenno, siue Argynno (quamuis enim apud Pollucem ἄργεννος legitur, ἄργυννος tamen legendum crediderim) de eo igitur nihil aliud reperio, nisi eum fuisse Agamemnoni in deliciis, quod & hic indicatur, & in Cephiso submersum. alij inepta quædam, & à se temere conficta afferunt: quod ego facere non institui. illis religio erat vsquam hærere, & fateri quicquam à se non intelligi: mihi contra religio est, quicquam, quod me non intelligere intelligam, interpretari. sed quæcunque illa tandem fabula est? quam ego mihi quidem ignotam esse fateor, suspicor equidem hos quatuor versus alieno loco positos esse, atque hinc delendos, & reponendes statim post illud distichon,

Natura insidians pontum substrauit auaris.
Vt tibi succedat, vix semel esse potest.

ibi enim incipit commemorare multos, qui in aquis perierunt: quo exemplum hoc quoque pertinere existimarim.

TERRA *parum fuerat.*] Horatius,

Nequicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.

IN *mare cui sol.*] lego, *solum*: vt significet, dolos vbique ei profuisse, præterquam in mari.

IANVS DOVSA FIL.

VIVERET *ante suos dulcis conuiua Penates.*
Pauper, at in terra, nil vbi flere potest.]

Alciphron in Epistola Glauci ad Galatiam eadem dicit, sed paulo latius: τὸ ἐν τῇ γεωργίᾳ ἀσφαλές, καὶ ἐφ᾽ ᾧ τι καταφρονήσαντες τοὺς ἐν θαλάττῃ χειμῶνας, ἢ ταῦτα ἐπὶ πολλοῖς ζῶντας. οἷς οἱ καὶ μάλιστα μέγα περιέχει

γα περιέχει δὲ ἀχειμάντους ἐχθρὸν, πάλι ἔξωθεν ἢ χαράδραν, τὸ τοὺς τελευτῶντας ἢ τοὺς ἐκ βυθοῦ κινδυνεύοντας ἀγνοοῦσι. γεωργίας δὲ συμβαλοῦσαι, ἢ τὸ ἀσφαλῆ ἢ ἀδεᾶ βίον ἀσπάσασθαι. Contrariam sententiam habet in Epistola Eustoli ad Elationem: κρεῖττον γὰρ ἐπανήκειν ἐκ βοσκῆς ἢ σαγηνίδος νικῶντα, ἢ καθόρμεν ἐπὶ ταῖς τῆς ἀλιεῦς ἰσχναῖς λιμώδεις ἢ αἰχμηρὸν ἐργάσεσθαι.

Non *tulit huic pectus* (ita enim diuinitus emendauit Ios. Scaliger) *stridorem audire procellæ,*

Et duro teneras lædere fune manus.
Sed thyiæ thalamo aut Oriciæ terebinthi
Effultum pluma versicolore caput.]

Alciphron de adolescente quodam vrbanis deliciis innutrito: ὁ γὰρ ἁπαλὸς ἐπὶ ξύλων τῆς ἁλιάδος, ὅς τι ποτε τῶν ξυνὸν ἢ ἐπιτείδων κλυδωνίοις, ὁ γὰρ ὅτε τι ἔφασκεν ἐν παιδὶ ὡς οἱ λοιποὶ ἐπὶ τῶν καταγομένων, & quæ sequuntur.

IANVS DOVSA PATER.

Reddite *corpus humo, positáque in gurgite vita Pætum sponte tua vilis arena tegas.*]

Ad huius loci perspicuitatem mirificè facit ille Petronij locus: *Et si nihil aliud, certè diutius inectos mare nos feret, vel si voluerit misericors ad idem littus expellere, aut præteriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit, aut, quod vltimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet.*

Pauper, *at in terra, nil vbi flere potest.*] Antiphanes Comicus:

ἐν γῇ πένεσθαι κρεῖττον, ἢ πλουτεῖν πλέων.

Attvlimvs *longas in freta vestra manus.*] Innuit reciproca fluctuum ac scopulorum collisione manus digitósque sibi breuiores factos, admutilatúmque se vnguibus & extremis corporis partibus derasis auulsísque radicitus, quos integros attulerat in mare. Id quod solere fieri, atque adeò sæpe euenisse hominibus naufragio in nostrum littus expulsis, non ab acutis scopulis Halcyonum (vt Pæto) qui apud nos nulli sunt, sed arenarum & fluctuum mutuo collisorum attritu gelúque (quod *acutum* meritò vocat Horatius) intentissimi acrimonia, oculati testes esse possumus. Hinc dixit paulò ante:

Hvic *fluctus viuos radicitus abstulit vngues.*

Vltima quæ Pæto. nóxque diésque fuit.]

In hoc versu mirum neminem etiam vsque adhuc quod offenderet offendisse. at ego quouis etiam pignore præstare paratus sum, non illo sed hoc modo Propertium nostrum scripsisse:

Vltima quæ Pæto vóxque diésque fuit.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Et *noua longinquis piscibus esca natat.*] Deinceps lege distichon *Flens tamen extremis*, cum quinque sequentibus.

Attvlimvs *longas.*] Non periurio debilitatas. Religio veterum, quam supra tetigimus, ex Horatio: *Vlla si iuris tibi peierati*, &c. Putabant, vt apparet, periuros membro aliquo debiles, mancos, mutilos fieri. Quare idem significat, quum ait: *Portabat sanctos alueus ille viros*. Hoc est non periuros.

In *me cæruleo fuscina sumpta deo est.*] Imitatur Homerum in Vlyssis naufragio:

Ὡς εἰπὼν σύναγε νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον
Χερσὶ τρίαιναν ἑλών—

Svbtrahit *hæc fantem.*] Hæc quoque ad verbum ex eodem naufragio:

Ὡς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης
Δεινὸν ἐπεσσύμενον—

Vltima *quæ Pæto.*] Postea insere distichon: *Pæte, quid ætatem numeras*, cum sequenti. *Quid ætatem numeras*, ergo dicit: quia paulo ante deplorabat vltimam pubertatem: *Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos. primæ lanuginis*, πρωθήβην se vocat. *Ora puer prima signant intonsa iuuenta.*

Noxqve *diésque fuit.*] Veram putamus nobiliss. Iani Douzæ castigationem. *vóxque diésque fuit.*

Omnia *detrito vincula.*] Secundum hunc versum repone quatuor disticha ordine: *Et mater non iusta.*

Portabat *sanctos.*] Lege nunc duo disticha ita, vti ordine sunt, *O centum æquoreæ.*

Non *poteras vestras.*] Subiunge quinque disticha: *Reddite corpus humo.*

Et *leti texiste caussas.*] Lege, *caussam.* Caussa leti, est letum ipsum, vt Iurisconsulto, caussa bonorum, bona ipsa.

Terris *adiecimus vndas.*] Repone *satis adiecimus vndas.* Ita liber.

Qvid *meritum dicas.*] Pone nunc distichon: *Naturæ insidians.* deinde illud: *Ventorum est quodcunque paras.* Postremo: *Sunt Agamemnonias.*

Svnt *Agamemnonias.*] Recte huc hæc traduximus. Modo enim dixit:

——*fallis portus & ipse fidem.*

Qva *natat Argenni.*] Scribe auctore libro nostro:

Quæ notat Argyni pœna natantis aqua.

Argynus delitiæ Agamemnonis dum natat in Cephiso amne Bœotiæ à flumine absorptus periit. Auctores Stephanus, Athenæus libro XIII. & alij. Legendum vero *aqua* non *aquæ*. Quæ litora notat aqua pœna natantis Argyni. Ergo Cephisus exoneratur in Aulidem.

Hoc *iuuene amisso classem non soluit Atrides.*] Non obscure dicit, quia Agamemnon persequens Argynum coegerit eum se præcipitem in Cephisum mittere, vnde gurgite absorptus perierit, propterea numinum ira retentam classem Agamemnonis. Contra Seneca dicit non propter Argyni, sed cuiusdam regi, qui inter Argonautas fuerit, mortem Aulidis portum ab eo tempore iniquum fuisse nauibus soluentibus. Ita enim In Medea canit Chorus:

Aulis amissi memor inde Regis
Portubus lentis retinet carinas
Stare querentes.

Iam nullus ex Argonautis Rex eorum tractuum fuit præter Erginum regem Orchomeniorum, quem non obscure ait periisse in Aulide, quum alij aliter eum periisse dicant. Quomodocunque igitur aut vbicunque perierit, Neptunus exegit pœnas cædis eius in posterum, vt locus

vbi perierit, sit iniquus nauibus. Cuius enim est classes morari, nisi Neptuni? Atqui Neptuni filius erat Erginus. Val. Flaccus: A

Haud minus Erginus proles Neptunia fertur.

Itaque Argynum cum Ergino confudit vel Propertius, vel Seneca. Quod cogitare debebat ille, qui in Tragœdias Senecæ commentarios edidit. Non enim ego, sed ipsi Poetæ confundunt: quod tam verum est, quam ridiculum de Tiphy intelligendum apud Senecam, vt ipse vult: quasi Tiphys fuerit Rex. Deinde male interpretatur apud Senecam τὸ *inde*: quasi referendum ad Tiphyn, quum de expeditione Argonautica accipiendum sit, propter quam ait multos ex Argonautis periisse, & eorum mortem posteritati magno constitisse. Totus enim chorus declamat in eos, qui primi mare nauigationibus aperuerunt. Deinde magis ridiculus est Commentator, quum tempora Argonautica Troianis antiquiora causatur, vt inde nos hallucinatos probet. Atqui hallucinatus est ipsius Seneca, qui culpam sæculi Argonautici confert in classem expeditionis Troicæ. Sed pædagogica pædagogis relinquamus.

PRO *qua mactata est.*] Nunc subiunge *Saxa triumphales*, cum sequenti disticho mox, *Hunc paruo ferri*. Enarrat vltionem Deorum in reduces Græcos.

C

HVNC *paruo ferri.*] Comparatio Vlyssis naufragij cum isto Pæti. Hunc, inquit, Vlyssem nox improba vidit ferri paruo fragmento, quo tandem incolumis in Phæaciam appulit. At contra infelix Pætus tot malis obrutus non potuit enatare. Paruum lignum vocat, quam Homerus σχεδίην. At hic est μνημονικὸν ἁμάρτημα, vel potius oratorie ad inuidiam hæc fingit. Nam hoc non noctu, sed interdiu accidit. nox improba est, quam κατουλάδα νύκτα vulgo dici solitam temporibus suis scribit Apollonius. Ab hoc disticho illud postea interiiciendum: *Non tulit*.

D NON *tulit hic Pætus.*] Vide quid mali fecit transpositio quia de Pæto hic fit mentio, & quia propter transpositionem, obscurum erat, in quem sensum hæc accipienda essent, propterea corrupta fuit lectio etiam in libro scripto, in quo omnes transpositiones, & in vulgatis extant. Sed legendum: *Non tulit huic pectus*. Altera comparatio Vlyssis cum Pæto. Non sustinuit, inquit, Vlysses audire stridorem procellæ nisi fultus caput puluillo. At contra Pætus prorsus submersus est. Totum autem ita legendum:

Non tulit huic pectus stridorem audire procellæ,
Et duro teneras lædere fune manus,
Sed thyiæ thalamo, aut Oricia terebinthi
Effulto pluma versicolore caput.

E SED *thyiæ thalamo aut Oricia terebintho.*] Palam est legendum esse, *Oricia terebinthi*. Virgilius:

Inclusum buxo, aut Oricia terebintho.

Serenus:

Nec non resinas ex Oricia terebintho.

Inuidiose autem hæc finxit. Nam apud Homerum nihil tale. Est autem ῥητορικὰ potius quam μυθικὰ δ᾽ ἀνοίας.

HVIC *fluctus viuo radicitus abstulit vngues.*] Hoc verum est naufragis & vngues à cute recedere, & extremitates tabescere. Quod quum videret superstitiosa antiquitas, tanquam naufragium deprecari vellet. quo scilicet sciebat vngues radicitus auelli, solebat sibi vngues præsecare, quoties turbaret mare. Petronius: *Audio enim non licere cuiquam mortalium in naue neque vngues neque capillos præcidere, nisi quum pelago ventus irascitur.* Ergo irato mari capillorum resectione naufragium deprecabantur, vt euaderent, vnguium præsectione ne enecarentur in mari.

B ET *miser inuitam traxit hiatus aquam.*] Prouerbium est, πρὸς κῦμα χάσκειν. Et vetus poeta in Catalectis nostris capite de naufragio: *Illic immanes mors obsit soluit hiatus.* Ab hoc autem versiculo sequitur, *Quod si contentus* Deinde *Vinceret ante suos.* Postremo, *At tu sæue Aquilo.* Itaque antehac penitus ignorabatur hæc elegia.

ELEGIA VII.

DVLCIS ad extremas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis & insana tot maledicta tuæ,
Cùm furibunda mero mensam propellis, & in me
Proiicis insana cymbia plena manu.
Tu verò nostros audax inuade capillos.
Et mea formosis vnguibus ora nota:
Tu minuare oculos subiecta exurere flamma,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris.
Nam sine amore graui femina nulla dolet.
Quæ mulier grauida iactat conuicia lingua,
Et Veneris magnæ voluitur ante pedes,
Custodum gregibus quæ circa stipat euntem,
Seu sequitur medias, Mænas vt acta, vias.
Seu timidam crebrò dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella mouet.

His ego tormentis animi sum verus aruspex:
Has didici certo sæpe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria versat.
Hostibus eueniat lenta puella meis.
In morso æquales videant mea vulnera collo.
Me doceat liuor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem,
Siue meas lacrymas, siue videre tuas:
Tecta supercilijs si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego quos nunquam pungunt suspiria somnos,
Semper in iratam pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cùm grata per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre sua.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector.
Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum riualibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quòd nulla est æquè formosa, doleres,
Si qua foret. nunc sis iure superba licet.
At tibi, qui nostro nexisti retia lecto,
Sit socer æternum, nec sine matre domus:
Cui nunc si qua data est furandæ copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

A

PHILIPP. BEROALD. BON.

DVLCIS *ad externas fuerat mihi rixa lucernas.*] Cynthiam alloquitur rixam referens habitam in cœna, cùm puella mensam propelleret, & pocula in ipsum proiiceret: quæ signa esse veri amoris ostendit, & Cynthiam ad hæc amoris instrumenta adhortatur. Hesternas id est, superioris diei.

LVCERNAS.] lata conuiuia & cœnæ saliares B fiebant ad lucernas, quas prisci polimyxos vocitabant. de quibus mentio fit apud Suidam, Pollucem, & Martialem. Hinc est illud Plinianum: *Lollia Paulina smaragdis & margaritis operta spectabatur ad lucernas.* & illud:

Non norat parcos vncta lucerna patres.

Qui noctibus loco dierum vtuntur, & ad lucernas viuunt, hi elegantissimo vocabulo lychnobij appellantur: qua dictione vsus est Seneca in vltimo epistolarum.

CVR.] legendum est potius cum, quàm cur. connexum enim est superiori sententiæ.

CYMBIA.] vasa sunt vinaria, vt Nonius & C Varro tradunt. Virg.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte.

In modum cymbæ facta sunt, vt ait Seruius: vnde & diminutiue à cymba cymbia dicta, vt docet Macro.

ET *Veneris magnæ.*] interrogatiue legendum. vult enim ostendere paucissimas, vel potius nullas esse, quæ ardenter ament: & ob amoris incendium supplices procumbant ante pedes deæ Veneris: cuius opem implorent, & suppetias petant. Hoc nimirum foret certissimum ardoris indicium.

SEV *sequitur.*] quæ est, inquit, illa mulier, quæ impatiens amoris per medias vias sequatur D amatorem, similis furibundæ Bacchæ, quæ mænas appellatur. nam inter cætera nomina Baccharum hoc vnum est, vt mænades appellitentur. Iuuenalis,

Crinémque rotant vlulante Priapo Mænades.

Catul. *Ego mænas, ego mei pars.* Potes etiam absque interrogatione pronunciare, vt sit sensus absolutus: Illam scilicet mulierem in amore dolere, & efflictim æstuare, quæ conuiciatur, quæ Veneri supplicat, quæ amantem sequitur, quæ somniis suspensa terretur.

SOMNIA *terrent.*] æmulatio Virgiliana:

Anna soror quæ me suspensam insomnia terrent.

E & apud Ouid. ait amans & amens Biblis:

Quid mihi significant ergo mea visa? quid aut
Somnia pondus habent, an habent & somnia pondus.

SEV *miseram in tabula:*] puella quæ ex animo amat, & insane deperit amatorem, angeretur, torqueretur, exanimaretur si effigiem fœminæ formosæ videret in tabella apud ipsum amatorem. Crederet enim illud esse simulachrum iconium pellicis, & alterius amicæ.

VERVS *aruspex.*] id est, verus vates, & diuinator. Aruspices nuncupantur quasi horarum

inspectatores, dies enim & horas in agendis operibus custodiunt, & quid per singula tempora obseruare debeat non intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicunt. vt auctor est Augustinus: & scriptum est in decretis XXVI. IIII. quæstione. Donatus vero, inquit, *Haruspicem ab haruga nominari: nam haruga dicitur hostia ab hara, in qua concluditur & seruatur.* Hara autem est in qua pecora includuntur.

ME *doceat liuor.*] volo, inquit, vt in collo, aut in facie mea appareat vestigium morsiuncularum, quas mihi impressit amica amorabunda, & plena indignationis, dolorisque amatorij, quæ signa vult à sodalibus videri.

VERBA *supercilijs.*] amantes inuicem nutibus loquuntur: vnde ait Ouid.

Verba supercilijs sine voce loquentia dicam.

& lex amoris Plautina præcipit ne puella nutet, nictet, abnuat. Supercilia sunt in tutela Iunonis Lucinæ, quod his, vt ait Festus, proteguntur oculi, per quos luce fruimur, quam tribuere putabant Iunonem Lucinam. Fastus & superbia aliubi conceptaculum habet, sedem vero in superciliis, vt auctor est Plin. in XI. inde supercilium pro grauitate ac austeritate vsurpamus: & apud Valerium legimus supercilium censorium.

DVLCIOR *ignis.*] amor, qui nimium pinguis, nimiúmque lentus est fastidium mouet instar cibi dulcioris: Ille vero iuuat qui plus aloës, quàm mellis habet, in quo sunt suspitiones, iniuriæ, & id genus affectiones. Ita Paridi dulcior erat amor Helenæ, quando cogebatur ob illius rapinam arma capescere aduersus Græcos belligerantes: & tangit id quod scribit Homerus in quarto Iliados scilicet Paridem singulari certamine cum Menelao manus conseruisse, in qua pugna seruatus est Paris ope Veneris, quem hominem nebula circunseptum ab oculis hominum eripuit, & in odorato thalamo collocauit, Helenámque accersiuit, & ita ambo in lecto geniali cubantes colluctabantur pugnis Veneriis.

TYNDARIDI.] id est, Helenæ.

AT *tibi qui nostro.*] apostrophe ad riualem plena diræ imprecationis. imprecatur enim vt semper habeat socerum, qui sæpe generis inuisi, & odiosi esse consueuerunt: & matrem, cuius iussa & castigationes filij interdum detestantur. Potes etiam sic legere, & melius, *At tu sis sacer æternum*, vt dicat: O riualis qui nectis retia lecto meo ad Cynthiam capiendam, esto execrabilis, & tua domus nunquam sit sine Marte, hoc est bello, rixisque domesticis. Sacrum enim quandoque accipi pro execrabili quis ignorat? Huic simile erit illud Horatianum: *Intestabilis & sacer esto.* homo sacer is antiquitus appellabatur, quem populus ob maleficium iudicasset: neque fas erat eum immolari: sed si quis ipsum occidisset parricidij non damnabatur, ex quo quis homo malus atque improbus sacer appellari solet.

OFFENSA *illa mihi.*] corrige infensa, vt sit sensus poëtica venustate splendescens: Si ô riualis habuisti occasionem furti cum Cynthia nocturni, scito id tibi illam dedisse, non ob hoc quod tibi sit amica & te diligat, sed quod mihi infensa est, & in me indignationis amatoriæ fundit aculeos. Infensa & amica opponuntur & est antitheton. si legis offensam, sensus est inuenustus, miniméque poëticus.

M. ANT. MVRETVS.

OFFENSA.] ita reposui è veteribus libris: cum Beroaldus temere pro, *offensa*, scribi iussisset, *infensa.* est autem *offensa*, irata.

IANVS DOVSA PATER.

TECTA *supercilijs si quando verba remittis, Aut tua cum digitis scripta silenda notas.*] Ouid.

Non oculi tacuere tui, conscriptáque vino
Mensa, nec in digitis littera nulla fuit.

Malè legitur ibidem:

DVLCIOR *ignis erat Paridi, quum grata per arma.*] *Graia* itaque proculdubio reponendum, eò magis quòd eadem planè deprauatio fit alibi apud eundem:

Et Methymnæi grata saliua meri.

vbi legendum *Graia*, præsertim quum Scaliger in veteri suo codice *Graca* pro *grata* extare moneat. Idem error in Ouidio commissus libro Amorum I.

Gratáque in Iliacis mœnibus vxor erat.

cùm & ibi emendandum sit *Graiáque.* Dealbetur & tertius de vna eadémque fidelia paries nobis, Papinius dico Syluar. III.

Quid laudem ritus libertatémque Menandri,
Quam Romanus honos & Graia licentia miscent.

argutissimè, vt Græcorum leuitas Romanæ quasi grauitatis mixtura aptissimè ac decentissimè temperetur. Male in impressis omnibus *grata* legitur.

Obseruandum quoque eadem Elegia *arma* eleganter pro bellis posita illo versu:

Aut tecum, aut pro te mihi cum riualibus arma
Semper erunt,

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

QVÆ *mulier grauida.*] Lege, *rabida.* Nam scriptum fuerat, *rauida.*

AT *tibi qui nostro tendisti.*] Repone *nexisti* ex Charisio.

ELEGIA VII.

MOECENAS eques Etrusco de sanguine regum,
Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?

Non sint apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo.
Gloria Lysippo est, animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi iactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:
Parrhasius parua vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno:
Praxitelē propria vindicat arte lapis.
Est quibus Eleæ concurrit palma quadrigæ:
Est quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus vtilis armis.
Naturæ sequitur semina quisque suæ.
At tua, Mæcenas, vitæ præcepta recepi,
Cogor & exemplis te superare tuis.
Cùm tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum.
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore tam faciles insinuētur opes:
Parcis, & in tenues humilem te colligis vmbras.
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi: magnos æquabunt ista Camillos

A *Iudicia, & venies tu quoque in ora virum:*
Cæsaris & famæ vestigia iuncta tenebis.
Mæcenatis erunt vera trophæa, fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tota sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
B *Cadmi, nec semper prælia clade pari:*
Nec referam Scæas, & Pergama Apollinis arces,
Et Danaûm decimo vere redisse rates.
Mœnia cum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis pure poëta tuis.
C *Hæc curent pueri, hæc curent scripta puellæ;*
Méque deum clament & mihi sacra ferant.
Te duce vel Iouis arma canam, cælóque minantem
Cæum, & Phlegræis Oromedonta iugis:
D *Celsáque Romanis decerpta palatia tauris*
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo,
Eductósque pares siluestri ex vbere reges:
Crescet & ingenium sub tua iussa meum:
Prosequar & currus vtroque ab littore ouantes
Parthorum, astutæ tela remissa fugæ:
Castráq; Pelusi Romano subruta ferro,
E *Antoníque graues in sua fata manus.*
Mollis tu cœptæ fautor cape lora iuuētæ,
Dexteráque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi Mæcenas laudis concedis, & à te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

PHILIPP. BEROALD. BON.

MECOENAS *eques Hetrusco de sanguine regum.*] alloquitur Mecœnatem vnicum præsidium poetarum, qui doctus doctos fouebat, qui Propertium hortabatur ad scribendum carmen heroicum & grandes materias subeundas: ostẽdit se imparem esse tanto ponderi, & docet non omnia omnibus conuenire, seque ostendit illius imitari modestiam non appetentis immodica.

HETRVSCO *de sanguine regum.*] quia fuit oriundus à Porsena rege Hetruscorum. Idem Hora. *Mecœnas atauis edite regibus.*

INTRA *fortunam.*] tangit historiam: nam Mecœnas suapte voluntate in equestri dignitate permansit cum senator fieri posset: &, vt inquit Porphyrio, ei lati claui facultas pateret.

NON *sunt apta.*] metaphoricῶs ostendit ingenio suo & viribus grandes materias non conuenire, sicut paruæ cymbæ grandia vela non congruunt.

TVRPE *est.*] sententia Horatiana:

Sumite materiam vestris qui scribitis æquam Viribus.

CAPITI *committere.*] qui subit onus impar viribus suis sæpe succumbit. Vnde de Origene dixit Hieronymus: *Origenes maiora cogitans, propriumque ingenium ferre non sufficiens oneribus maioribus carricabat se: & cùm incedere non posset, ruina magna deuolutus est.*

OMNIA *non pariter.*] Homerica sententia, *Non omnia vni dij dederunt.* quæ & à Liuio repetita est. Hoc idem copiosè tradunt Apostolicæ epistolæ, quibus scriptum est: *Dona dei multifariam esse dispartita.*

FLAMMA *iugo.*] in aliis codicibus legitur: *Fama iugo*: vt sit sensus: Nullus famam esse æqualem: nec pari iugo, curruque vehi: sed gloriam mortalibus comparari ex studiorũ dissimilitudine, cùm non sint plures corporum formæ, quam ingeniorum: quod probat exemplis diuersorum artificum.

GLORIA *Lysippo.*] Lysippus statuarius celebratus ad sexcenta decem opera fecisse traditur, quæ singula arti claritatem dare potuissent. Hic solebat ex immani pretio cuiusque signi seponere denarios aureos singulos. Hic colossum Tarenti fecit. xl. cubitorum. Papinius. *Quem traderis ausus Pelleo Lysippe duci.* Et alibi: *Deus ille deus seseque videndum Indulsit Lysippe tibi.* Hic, teste Quintiliano, ad veritatem optime accessit. vnde ait poëta eum effinxisse signi animosa hoc est simulachra spirantia. vel animosa intellige propter colossum, & bellicosas imagines à Lysippo fabrefactas: à quo potissimum solo fingi volebat Alexander, qui edicto vetuit, ne quis se præter Apellem pingeret, aut alius à Lysippo *duceret æra fortis Alexandri vultum simulantia.* vt inquit Horat. & auctores sunt Cice. & Plin. aliter tradit Apuleius in Floridis.

EXACTIS *Calamis.*] Calamidis statuarii quadrigæ, bigæque laudantur, qui, vt ait Plin. in xxxiiii. equos semper sine æmulo expressit. Merito poëta Calamidem se iactare ait & ostentare

A simulachris equorum, quos exactos, hoc est absolutos, perfectosque adamussim effigiabat.

IN *Veneris tabula.*] de Appelle diximus supra, qui inter cætera nobilissima pinxit Venerem exeuntem è mari, quam diuus Augustus dicauit in delubro patris Cæsaris cuius inferiorem partem corruptam, qui reficeret non potuit inueniri: consueuit hæc tabula carie, vt inquit Plin. Inchoauit Apelles aliam Venerem Cois superaturus etiam illam suam priorem, sed inuidit mors peracta parte: nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inuentus est. Ouid.

Si nunquam Venerem Cous pinxisset Apelles.

B PARRHASIVS *paruas.*] Parrhasius pictor inclytus olim cum Zeuside contendit: & cum ille vuas pictas tanto successu detulisset, vt aues aduolarent in scænam, ipse detulisse linteum pictum traditur ita veritate representata, vt Zeusis alitum iudicio tumens flagitaret remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore: quoniam ipse aues fefellisset: Parrhasius vero se artificem. Floruit hic circa Peloponessia tempora. vt ait Quint. Ephesius fuit: primus symmetriam picturæ dedit: Pinxit Dæmonem Atheniensem, quem pariter volebat ostendere iracundum, iustum, inconstantem, exorabilem, clementem,

C misericordem, humilem, ferocem, fugacémque: & omnia simul, vt scribit Plin. Sed non videntur conuenire Plin. & poeta: Cùm alter Parrhasium laudet inter memoratissimos pictores, alter inter minutos, & à parua arte dicat esse probandum. Quocirca congruenter legere possumus, & nos ita emendauimus, Pyreicus, parua. Fuit enim Pyreicus pictor minoris picturæ, vt docet Plin. in xxxv. qui humilia sequutus est. Humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. Hæc Pliniana faciunt: vt existimem pro Parrhasius legendum esse Pyreicus. In quam

D sententiam pedibus fuit doctrinarum decus & polyhistor Ioannes Picus Mirandulanus, mihiq; ob id inuentum in primis applausit: *Placet*, inquam, *hæc interpretatio, vt cum iam de Apelle maximo pictore maioris picturæ memineris, subiungat in minori pictura alium excellentem.*

MENTORIS.] relege quæ diximus de Mentore in primo commentario.

AT *Myos.*] Mys claruit argento cælando cuius opera extare dicit Plin. in insula Rhodiorum, Silenum, Cupidinem, & scyphos. De hoc Martialis:

Quis labor in phiala docti Myos an ne Myronis?

Laudat poëta artificium Myos, qui flexionibus opera variaret.

E ACANTHVS.] herba est topiaria lato, longoque folio margines crepidinum vestiens, vt docet Plin. in xxii. Inde acanthus pro flexuoso ornatu accipitur, vt ait Seruius. Hinc illud Virgilianum:

Et circumtexto croceum velamen acantho.

Plin. in v. epistolarum: *Acanthus hinc inde lubricus & flexuosus: deinde plures figuræ, pluráque nomina.*

PHIDIACVS.] Phidias diis quàm hominibus effingendis melior artifex fuit. In ebore ve-

ro longe citra æmulum, vt auctor est Quin. inter cætera signa fecit Iouem Olympium ex ebore, cuius maiestas operis deum æquauit, quem nemo æmulatur. de hoc Strabo in VII. & Plin. in VII. & in XXXIV. & in XXXVI. multa commemorant. Phidiæ quoque Seneca, & Plutarchus meminerunt, qui carminibus poëtarum est momoratissimus. Hic primus artem toreuticen aperuisse iudicatur Phidias: ergo censetur in primis pulchritudine Iouis olympij, qui est eburneus: in quo eligendo habuit archetypon carmen Homericum.

A

S E *ornat.*] summa laus Iouis olympij ex ebore à Phidia fabrefacti expressius demonstrari nõ potuit, quàm vt diceret Ioue illo simulachro decenter ornari, cùm Iuppiter non egeat alieno ornamento.

B

P R A X I T E L E M *propria.*] Praxiteles statuarius marmoris gloria superauit etiam semet. Ante omnia Praxitelis laudantur duæ Veneres, altera nuda, quam emerunt Gnydij: altera velata, quam Coi. Multi vt viderent Praxitelicam Venerem Gnydum nauigauerunt, cuius amore captus quidam simulachro cohæsit, eiúsque cupiditatis extat index macula, vt scribit Plin. eiusdem est Cupido nudus, quem quidam Rhodius adamauit, & simile amoris vestigium reliquit. Lapis ergo marmoreus in quo formando fuit excellentissimus vindicat sibi Praxitelem, à quo vno optime expolitur. Quidam codices habent: *Praxitelẽ Parius*: vt lapis Parius dicatur pro marmore pretioso. Sicut à Virgilio dicitur:

C

—— *Pariúsve lapis circundatur auro.*

S V N T *quibus Elea.*] alij, inquit, victoriam adipiscuntur in ludis Olympicis equorum celeritate: Alij pedibus ad cursum sunt pernicissimi, & ob hoc celebrati. celebrantur ab historicis equæ Cymonis, quæ tres victorias Olympiacas reportarunt, quæ defunctæ Athenis sepultæ fuerunt. Similes equas habuit Euagoras Lacon, quę & ipsę ter victrices in Olympiacis ludis fuerunt, qui etiam Elæi nominantur, vt abunde supra docuimus. Cursores autem optimi multi fuerunt, ante omnes Ladas celebratur, qui in currẽdo nulla in puluere vestigia relinquebat: Laudatur & Achilles ab Homero pedum pernicitate: vnde à Martiale dictum est:

D

Laudat Achilleos, sed sine fine, pedes.

Papinius tenuissimam virtutem vocat ipsam cursuram. Plin. celebrat in secundo & in septimo Philonidem Alexandri magni cursorem. Græci id genus homines Hemerodromos vocant: cuius rei Liuius & Probus Æmilius meminerunt.

E

H I C *satus.*] id est natus.

E X E M P L I S *te superare tuis.*] sequor, inquit, ô Mecœnas tuos mores, qui mihi sunt exemplo magna esse dimittenda, & minora tractanda. Tu enim cum posses esse consul & militaris Imperator, & Prætor ius dicere pro tribunali, tamen esse recusasti contemtus moderata fortuna.

D O M I N A S *secures.*] propter consulatum hoc dictum est, cuius dignitatis ministri secures gestabant, quibus sontes plectebantur. Hoc supra declaratum est. Iuuenalis:

—— *& legum prima securis.*

M E D O R V M.] Medos pro Parthis posuit, sicut Horat. *Sub rege Medo.*

E T *tibi ad esse.*] id est, cùm vires tibi & omnia dentur à Cæsare ad votum, & prout affectas, atque desideras. Honesta loquutio est. Res tibi dantur ad effectum: quod significat ad desiderium, & quemadmodum concupiscis. Ita Iuuenalis:

Si res ampla domi, similisque affectibus esset.

Si legis effectum, sensus erit: Vires dari ab Augusto Mecœnati, vt possit efficere, quod molitur & parat.

I N S I N V E N T V R *opes.*] pro eo quod furtim & clanculum tribuantur à Cæsare diuitiæ non sentienti Mecœnati: tanquam si aperte daret sit recusaturus.

P A R C I S.] abstines paruo contentus & tuo.

M A G N O S *Camillos.*] Camillus dictus est ob liberatam à manibus Gallorum Romam alter Romulus, & alter conditor vrbis. de quo lege Liuium in V. & Plutarchum in Camillo. Camillum veteres vocarunt puerum ingenuum: & Camilli sacrorum ministri dicuntur: & Camillon dicimus vas nuptiale, in quo sunt nubentis vtensilia.

M E C O E N A T I S *fides.*] quamuis Mecœnas Augusto fidelissimus fuerit, tamen desiderauit Cæsar nonnunquam illius taciturnitatem, cum secretum de comperta Murenæ coniuratione vxori Terentiæ prodidisset.

N O N *ego velifera.*] dicit se non nauigare per altum æquor, sed in flumine exiguo. Metaphoricῶs ostendens se vitare sublimia & grandiloqua: tractare vero minora & amatoria.

N O N *flebo.*] non, inquit, aggrediar grandes materias, sicut est bellum Thebanum, in quo pari clade & mutuis vulneribus Etheocles & Polynices germani inter se concurrentes corruerunt: Arcem Cadmi appellat Thebanam, quam condidit Cadmus, & Cadmea nominatur, vt inquit Strabo. Thebæ captæ & dirutæ fuerunt non ab illis septem ducibus memoratissimis, sed ab eorum filiis, qui altero bello vlciscentes parentum obitum duce Alcmeone Thebas diruerunt, & hi appellati sunt Epigoni ab historicis: de quibus Tragœdias conscriptas Cicero vocat Epigonos in libris officiorum: & Homeri testimonium in Epigonis citat Herodotus.

P R Æ E I A *clade pari.*] referri potest ad Etheoclem & Polynicem: qui, vt iam dictum est, se mutuis ictibus confoderunt. Potes etiam intelligere terrigenis, qui ex dentibus serpentis à Cadmo satis procreati, semet pari nece trucidarũt, quinque superstitibus, quorum fuit vnus Echion, à quo Thebæ Echioniæ à poëtis cognominantur. Fabula nota apud Ouid. in III. Metamorphoseon.

S C Æ A S.] id est, non scribam bellum Troianum. Scæa porta fuit Troiana. de qua Virg.

—— *hîc Iuno Scæas sæuissima portas*
Prima tenet. ——

Scribit Plautus in Bacchidibus ex tribus Troiæ fatis exitialibus hoc vnũ fuisse, cùm portæ Scææ limen superum scinderetur. Scæi sunt Thraces;

Scæus amnis, Scæus murus, Scææ Troianæ portæ, vt auctor est Strabo.

PERGAMA *Apollinis.*] notum satis est Apollinem & Neptunum Troiæ mœnia construxisse: vnde ab Ouidio, Phœbi mœnia nuncupantur. Quod ideo fictum est, quia Laomedō supradictis diis certam vouerat pecuniam ad sacra facienda, quā inuadentibus hostibus transtulit ad fabricam murorum: vnde Neptunus & Apollo fecisse muros dicuntur.

MOENIA *Neptunia.*] hoc est Troiana, quæ Neptunus & Apollo extruxerunt, vt docet Oui.

Pacti pro mœnibus aurum.

GRAIO *ara.*] quia iam seges est vbi Troia fuit.

LIGNEVS *equus.*] equū Troianum, quem montis instar diuina Palladis arte Græci ædificarunt.

DVRE *poëta.*] ego existimo legendum esse Coe poëta, & de Phileta, qui fuit Cous, intelligendum. Callimachum enim & Philetam frequenter coniungit poëta, quos habet in scribendo duces.

TE *duce.*] quanti faciat Mecœnatem hinc cognoscas, quo auspice & impulsore dicit se sumpturum spiritus ferociores, & cantaturum heroico carmine gigantomachiam.

CÆLOQVE *mi. Cæ.*] bellum intelligit giganteum, quod à gigantibus contra Iouem, & superos gestum est. Cæus & Oromedon nomina sunt gigantum, vt Porphirio, Briareus, Enceladus. De Phlægrea regione, vbi hoc bellum gestum est, diximus supra.

DECERPTA *palatia.*] cantabo, inquit, auspiciis tuis ô Mecœnas primordia vrbis Romæ, vbi ante Phrygem Æneam, sicut docet in quarto, *Collis & herba fuit*: & tauri atque oues in Palatino monte pabula decerpebant.

CÆSO *mœnia firma Remo.*] historia de morte Remi, adeo nota est, vt dici merito possit illud Horatianum:

Omnibus & lippis notum & tonsoribus esse.

SILVESTRI *ex vbere reges.*] Romulum, & Remum signat nutritos à lupa: à cuius mamma, quæ antiquo vocabulo dicitur rumis nomen exceperunt: quidam à fico ruminali, alij à virium magnitudine appellatos esse tradunt.

VTROQVE *ab littore ouantes.*] ab occidente propter Hispanos victos ab Augusto: ab oriente propter Gangaridas & Indos, quorum meminit Virgil. in Georgi. qui in hanc sententiam scribens ait:

Et duo rapta manu diuerso ex hoste trophæa:
Bisque triumphatas vtroque ab littore gentes.

& ita auspice Mecœnate se scripturum Augusti triumphos pollicetur.

ASTVTÆ *fugæ.*] bellum Parthicum notat, qui de industria simulant fugam, vt sæuiùs noceant à tergo sagittas excutientes.

CASTRAQVE *Pelusii.*] bellum signat Alexandrinum, quo Augustus obsedit Alexādriam, quo Cleopatra, Antoniúsque confugerant, breuique oppido potitus est, & triumphum egit Alexandrinum. est autem Pelusiacum vltimum ostium ex septem ostiis Nili. Pelusiotæ non edunt cœpe, quia, vt inquit Gellius, reuirescit Luna deficiente, & inarescit adolescente. vnde ait Hieronymus: *In Pelesi valles Pelusiontem vt edat cœpe.*

ANTONIQVE *manus.*] Marcus Antonius sibi mortem consciuit, cum extinctam esse Cleopatram vanus rumor annunciasset.

CAPE *lora iuuenta.*] moderare, inquit, ô Mecœnas, & rege meam iuuenilem ætatem, & mihi præscribe argumenta scribendi, cum sine te nil altum mens inchoet. Translatio sumpta ab auriga, qui capiens lora moderatur, & retinet equos sine ratione currentes: quæ comparatio à philosophis rationi & sensibus accommodatur, vt sensus nostros dicant esse equos temere currentes, quos ratio instar aurigæ refrenet ac regat.

IN *partes tuas.*] erit mihi hoc laudi, inquit, apud posteros, quòd dicar fuisse tuarum partium tibique acceptissimus. In hanc sententiam de Mecœnate loquens ait Horatius:

——magnum hoc ego duco,
Quòd placuit tibi, qui turpi secernis honestum.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

FLAMMA *nec ex æquo.*] Malim *Fama*, vt nonnullæ editiones. iugum trutinæ intelligit, non currum, vt putabat Beroaldus.

EXACTIS *Calamis se mihi iactat equis.*] Tangit historiam. Olympiæ dicatus erat ab Hierone tyranno Siciliæ currus æneus cum bigis. Currus factus ab Onata, equi à Calamide: tanquam qui currum fecisset, non excelleret in equis faciendis, vt Calamis. Habes hoc apud Pausaniam Eliacorum secundo. Sed quod in quadrigis pingendis excelluerit Plinius docet.

PYREICVS *parua.*] Hunc locum ita deprauauit Beroaldus, quum antea legeretur, *Parrhasius parua*, vt & habet liber noster. Atque adeo in eo serio triumphat, atque exultat. Subscriptorem etiam iactantię Picum illum eruditissimum laudat. Ego multum video recedi a vestigiis lectionis, si pro *Parrhasius*, *Pyreicus* legamus. Præterea quare in artificum illa enumeratione omnium principem Parrhasium prætermisisset vt vilissimarum rerum pictorem, qui ab eo dictus ῥυπαρογράφος nominaret? Quamobrem melius est tantum artificem hic securum in suis sedibus relinquere, quam illi tantam iniuriam facere. pro *parua* autem lego, *parta*. Partam artem Parrhasij vocat eam, cuius ipse repertor fuit, nempe symmetriam picturæ, argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, quæ est picturæ summa subtilitas. Is ea primus excogitauit, vt ait Plinius. *Parta* igitur propria, Sic infra:

Praxitelen propriis vindicat arte lapis.

Quare ad hunc locum intelligendum lege amplius Plinium libro quinto & tricesimo. Atque Beroaldum cum sua emendatione μακρὰν χαίρειν καὶ κεφαλὴν iube. Potest & legi, *priua*. hoc est ἰδιάζουσαν. Et fortasse melius.

ARGVMENTA *magis.*] Argumenta sunt formæ ipsæ & sigilla. vt & Seruius velle videtur in Aspidopœia Virgilij, in illud, *Argumentum ingens.* Ego in vetustissima historia martyrum inueni: *quadrigas solis cum argumentis.*

A AT *Myos exiguum.*] Noster liber corrupte, *At mirum exiguus.*

SVNT *quibus Elea.*] Noster liber, *Est quibus Elea.* item, *Est quibus in celeres.* Hellenismus ἔστιν οἷς hoc est, quibusdam.

TOTA *sub exiguo.*] Mallem, *Tuta.* Supra in eandem sententiam:

Tranquillo tuta descendis flumine cymba.

NON *flebo in cineres.*] Cineres paternos mire dixit pro cineribus, quibus caussa pater fuit Oedipus. Notum propter imprecationes Oedipi filios mutuis se vulneribus confecisse.

PRÆLIA *clade pari.*] Allusum ad prouerbium, καδμεία νίκη. B

MOENIA *quum Graio Neptunia pressit aratro.*] Peregrinam litem Romano iure decidit. Nam illud plane Romani iuris est. Horatius:

——*imprimerétque muris*

Hostile aratrum exercitus insolens.

ET *cecinisse modis Coe poeta tuis.*] Castigatio Beroaldi, *Coe.* Antea, vt & in scripto nostro, *dure.* Minimo negotio potuit, *pure.* Ita ergo repone. Purum poëtam Philetam intelligit, cui in mollitie carminis primas dat, vt supra:

Tu satius musis meliorem imitere Philetan.

Hoc etiam videtur fecisse Hermesianax, quum ait: C

Οἶσθα δὲ καὶ τὸν ἀοιδόν, ὃν Εὐρυπύλου πολιῆται
Κῷοι χάλκειον θῆκαν ὑπὸ πλατάνῳ
Βιττίδα μολπάζοντα θοήν, περὶ πάντα Φιλητᾶν
ῥήματα, καὶ πᾶσαν ῥυόμενον λαλιήν.

ET *mihi sacra ferant.*] Noster, *dona ferant.*

ELEGIA IX.

MIRABAR quidnam misissent manè Camœnæ
Ante meum stantes, sole rubente, torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti,
Ponat & in sicco molliter vnda minas.
Aspiciam nullos hodierna luce dolentes, E
Et Niobes lacrymas supprimat ipse lapis.
Halcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumptum nec sua mater Ityn.
Túque ô cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge, & poscentes iusta precare Deos. A
Ac primùm pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas.
Dein qua primum oculos cœpisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput: B
Et pete, qua polles, vt sit tibi forma perennis,
Inque meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas vbi thure piaueris aras,
Luxerit & tota flamma secunda domo,
Sit mensæ ratio, nóxque inter pocula currat, C
Et crocino nares murrheus vngat Onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiæ libera verba tuæ:
Dulciáque ingratos adimant conuiuia somnos,
Publica vicinæ perstrepat aura viæ.
Sit sors & nobis talorum interprete iactu, D
Quem grauibus pennis verberet ille puer.
Cùm fuerit multis exacta triëtibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus,
Annua soluamus thalamo sollennia nostro,
Natalísque tui sic peragamus iter.

PHILIPP. BEROALD. BON.

MIRABAR *quidnam misissent mane camœnæ.*] celebraturus natalem Cynthiæ optat serenitatem cæli, tranquillitatem maris, omnia lætabunda: Cynthiáque hortatur ad sacrum natalitium celebrandum.

CAMOENÆ.] musas indicat natalem Cynthiæ celebrare voluisse, quæ Propert. quiescenti ante torum astiterunt in diluculo matutino. Camœnas musas quasi canenas à canendo dixerũt,

vt inquit Macro. siue à carminibus, vt ait Festus. Scribit Varro Casmenas antiquitus vocitatas & carmenas: nam vbi antiqui in multis verbis dicebant S. pòsteri dixerunt R.

NATALIS.] Persæ in primis natalem diem religiosè coluerunt, vt inquit Herod.

TER *crepuere*.] hoc est musæ ter plausum dederunt: ternarius enim numerus omnium numerorum primus est impar, & mas numerus vocatur, vt docent Plutarchus & Macro. & est perfectus, quia perfectus gignit senarium, nouenariúque. Ternarij auspicio preces ac libamina repetuntur, vt ait Martianus Capella, &, teste Plinio, mos est vti terna deprecatione. Crepare significat sonare. Plautus: *Crepuit foris*.

ET *Nio. la.*] statua, inquit Niobes, quæ lachrymabunda est & iugiter fletu manat, hoc die supprimat lachrymas, vt nihil sit lachrymosum, nihil triste in natali Cynthiæ. De Sipylo & Niobe, quæ dicitur Sipyleia mater à Papinio supra memorauimus.

HALCYONVM.] Halcyones, de quibus superius satis ac super dictum est, quædam canunt in arundinetis, quarum querelæ referuntur ad Halcyona lamentantem obitum coniugis Ceycis: qui ambo in has aues conuersi fuerunt.

MATER *Itym*.] Progne, hoc est hirundo, siue luscinia, vt supra docuimus.

FELICIBVS *edita pennis*.] id est, nata felici augurio, & bonis auibus, vt dici solet.

SOMNVM *dis. lym.*] simile est illud Persianum: *Et noctem flumine purgant*.
Antiqui enim aquæ aspersione castimoniam corporis custodiebant, ablutis cordibus, vt docet Cic. in primo de legibus.

DEIN.] pro deinde. nam, vt scribit Cicero in oratore, dein & exin, pro deinde & exinde dicimus.

FLORE.] corona florea. Antiquitus aliæ coronæ sutiles, aliæ pactiles dicebantur. Nominatę sunt & seruiæ à serendo cum è floribus fierent serta. Alio nomine strophia, & strophiola appellantur. auctor Plin. in XXI.

ET *pete*.] roga, inquit deos, vt tibi sit ista formositas diuturna, & mihi semper imperites.

MOXQVE.] corrigendum est vox. Vult enim conuiuium esse loquax, vt inter pocula voces discurrant. Nam, vt inquit Varro, silentium in cubiculo seruari debet, non in conuiuio: vel emenda nox, vt sit sensus: Noctem peragendam esse inter pocula & luxum conuiualem.

THVRE *pia*.] Deos adorari thure notissimum est super aras ingesto, quo etiam templa vaporantur: cuius diminutiuum vsurpat Plautus in Aulularia sic scribens:

Hunc thusculum enim & hasce coronas floreas.

MVRRHEVS *onyx*.] ampulla vnguentaria. de onyce supra facta est mentio. Murrheum appellat à myrrha: quæ inter pratiosa vnguenta numeratur. Hora. myrrheũ crinem vocat myrrha delibutum. an potius intelligẽdum est onyx murrheus ex myrrha gemma confectus: nam vasa myrrhina in magna fuisse existimatione nemo mediocriter doctus ignorat. De quibus multa scribit Plin. in vltimo.

A CROCINO.] id est vnguento, quod Plin. celebrat in XIII. quod diu maximè laudatum est in Cilicia. Mox in insula Rhodo, crocino additur cinabaris, anchusa, & vinum.

TIBIA *succumbat*.] in sacris, in funeribus, in ludis, in conuiuiis tibicines concinnebant apud antiquos. Optat poëta saltationes exerceri per totam noctem sine intermissione: adeo, vt ipsa tibia ipsíque tibicines ex iugi fatigatione raucescant, & vincantur à tripudiantibus. Plaut. in sticho. *Dum seruile conuiuium narrat*, *Age tibicen*, inquit, *sufla celeriter buccas*, & *mox salta*, *saltabo ego simul*.

B LIBERA *verba*.] verbis, inquit, vtere nequitiæ & luxui accommodatis, cum tali tempore & loco, nec abstinendum sit ab obscœnis, quibus libido titillatur & Venus accenditur.

TALORVM *iactu*.] doceat nos, inquit, iactus talorum, & quasi interpres declaret quis nostri grauius verberetur à Cupidine, & ardẽtius amet.

EXACTA *tri. bo.*] hoc est cum finita fuerit cœna multis exhaustis poculis, quæ à mensura trientes dicuntur. Martial.

Crebros ergo bibas licet trientes.

est autem triens tertia pars assis, similiter quin-
C cunces calices vocamus. Idem, *Te conuiua leget misto quincunce*. & sextantes, & deunces, & reliqua à numero vnciarum.

ANNVA *soluamus*.] verecunde rem veneream significat.

IANVS DOVSA FIL.

ET *Niobes lachrymas supprimat ipse lapis*.] Expressit pene ad verbum illa Callimachi Hymno in Apollinem:

> Καὶ μὲν ὁ δακρυόεις ἀναβάλλεται ἄλγεα πέτρος,
> Ὅστις ἐνὶ φρυγίῃ διερὸς λίθος ἐστήρικται
> D Μάρμαρον ἀντὶ γυναικὸς ὀϊζυρόν τι χανούσης.

TVQVE *ò cara mihi felicibus edita pennis*.] Guilielmus Canterus in Nouis Lectionibus: *pennis*, id est, auibus interpretatur. Ego simpliciter *pennas* pro augurio accipio, & agnosco transmarinam Venerem, quam è Callimacho, non inspectam aut obseruatam aliis, eruo primus. sic enim ille Hymno in Lauacra Palladis:

> Γνωσεῖται δ' ὄρνιθας, ὃς αἴσιος, οἵ τε πέτονται
> Ἤλιθα, καὶ ποίων οὐκ ἀγαθαὶ πτέρυγες.

vbi πτέρυγες augurium interpretor, quomodo videtur etiam Politianus intellexisse quum vertit:

> E *Cognoscet volucrum quæ prospera, quæque volatu*
> *Irrita, cuius item triste sit augurium.*

Itaq; ἀγαθαὶ πτέρυγες respondent Propertij *felicibus pennis*.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET *manibus faustos ter crepuere sonos*.] Plaudentes enim dicebant, io Natalis. vt Io Saturnalia, supra ex Arriano.

ET *poscentes iusta*.] *Iusta*, τὰ νόμιμα, τὰ ἐντάφια, vt iusta funebria.

AC *primum pura somnum*.] Persius: - *Et noctem flumine purgas*. Eunapius in Ædesio: ὄψιν οὖν τοιάνδε καλεῖ, τὴν ὄψιν δὲ τὰ περιόντα ἀπονίψασθαι τῷ ὕδατι ἀκηλιφίως. Somniauerat autem ille.

A PVBLICA *vicina perstrepat ara via.*] In nostro, *aura*. & fortasse melius. Est autem hypallage Propertio familiarissima, pro, Aura perstrepat publicæ viæ. Si retinemus *ara*, intelligetur eos κωμάζειν ad aram, quæ proximo compito erat. Sic Dio de Iulia Augusti filia: τὴν μὲν γὰρ Ἰουλίαν τὴν θυγατέρα ἀσελγαίνουσαν οὕτως, ὥστε καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ καὶ ἐπ' αὐτοῦ γε τοῦ βήματος καὶ κωμάζειν νύκτωρ καὶ συμπίνειν, &c.

QVEM *granibus pennis.*] At Horatius non sorte, sed mercede bibendi:

—— Dicat Opuntiæ
Frater Megillæ, quo beatus
Vulnere qua pereat sagitta.

ELEGIA X.

QVID mirare, meam si versat femina vitam?
Et trahit addictum sub sua iura virum?
Crimináque ignaui capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?
Venturam melius præsagit nauita noctem:
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego præterita iactaui verba iuuenta,
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros
Egit, & armigera prœlia seuit humo.
Custodísque feros clausit serpentis hiatus,
Iter vt Æsonias aurea lana domas.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Mæotis Danaûm Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudauit caßida frontem,
Vicit victorem cădida forma virum.
Omphale in tantum formæ proceßit honorem,
Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Vt, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu.
Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt solidŭ cocto tolleret aggere opus:
Et duo in aduersum immißi per mœnia currus,
Ne possent tacto stringere ab axe latus.
Duxit & Eufraten medium, qua condidit arces,
Iußit & imperio surgere Bactra caput.
B *Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina diuos?*
Iuppiter infamat séque, suámque domum.
Quid, modò quæ nostris opprobria vexerit armis,
Et famulos inter femina trita suos?
Coniugis obscœni pretium Romana poposcit
C *Mœnia, & addictos in sua regna patres.*
Noxia Alexădria, dolis aptißima tellus,
Et toties nostro Mĕphi cruenta malo,
Tres vbi Pompeio detraxit arena triumphos:
Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.
D *Issent Phlegræo melius tibi funera cãpo,*
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi,
Vna Philippeo sanguine adusta nota:
Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubin,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas:
Romanámque tubam crepitanti pellere sistro,
E *Baridos & contis rostra Liburna sequi;*
Fœdaq; Tarpeio Conopea tendere saxo
Iura dare statuas inter & arma Mari.
Quid nunc Tarquinij fractas iuuat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat?
Si mulier patienda fuit? cape Roma triumphum,

Et longam Augusto salua precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tuæ Romula vincla manus.
Brachia spectaui sacris admorsa colubris,
Et trahere occultū mēbra soporis iter.
Non hæc, Roma, fuit tanto tibi ciue verenda,
Dixit & assiduo lingua sepulta mero.
Septem vrbs alta iugis, toti quæ præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.
Annibalis spolia, & uicti monumenta Syphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monimenta lacunis:
At Decius misso prælia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Et cui cognomen coruus habere dedit.
Hæc Dî condiderunt, hæc Dî quoque mœnia seruant.
Vix timeat, saluo Cæsare, Roma Iouem.
Nunc vbi Scipiadæ classes? vbi signa Camilli?
Aut modò Pompeia Bosphora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit vna dies.
At tu, siue petes portus, seu nauita linques,
Cæsaris in toto sis memor Ionio.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVID *mirare meam si versat fœmina vitam?*] quanta sit mulierum potentia & imperium in viros ostendit: idque exemplis clarissimarum fœminarum quę viris imperitarunt, & deis: & in laudem Augusti turpes Antonij amores insectatur, qui mancipatus fuit Cleopatræ fœminæ imperiosissimæ.

TRAHIT *addictum.*] id est, obnoxium & obligatum. Horatius:

Nullius addictus iurare in verba magistri.

A Nam addicti apud veteres proprie dicuntur, quod ob æs alienum creditoribus à prætore addicebātur: & creditores poterant, si vellent, secare atque partiri corpus hominis addicti, vt ostendit lex XII. tabularum, & docet Gellius. Apud Liuium in sexto fit mentio de addictis, quoniam multi creditoribus addicebantur, & nectebantur. vnde de nexis apud eundem Liuium longa est enarratio: Apud quem conqueruntur tribuni gregatim quotidie de foro plebeios addictos duci & repleri vinctis nobiles domos: & vbicunque habitet patritius, ibi carcerem esse Romanum.

VINCLA.] quibus scilicet vinctus, & quasi B cathenatus teneor sub dominæ imperio. Capti enim dicuntur amatores, vnde à Terentio dictū est, *Captus est*: ex translatione ferarum, atque venatus, pro eo quod est tenetur & irretitur.

PRÆSAGIT *nauita mortem.*] sagire sentire acute est, ex quo sagaces dicti canes. Is igitur qui ante sagit, hoc est sentit, quàm oblata res est, dicitur præsagire, id est, futura ante sentire. Inde dicta præsagitio. auctor Cicero in primo de diuinatione. Præsentit ergo nauita venturam mortem, & quo fato sit moriturus ante cognoscit. In aliis codicibus legitur noctem, & est sensus: Tempestatem atram & simillimam nocti præuideri ab C optimo nauta per pronostica, quæ Plinius & Virg. prodiderunt.

ISTA *verba.*] quæ tu scilicet nunc iactas, quibus me obiurgas, quibus ostendis posse amantes, si velint à seruitute & famulatu Cupidinis liberari.

COLCHIS *flagrantis.*] ab exemplis pollentiam mulierum indicat, & audaciam. Medea quæ dicitur Colchis, carminibus & medicamentis effecit vt Iason tauros flammiuomos domaret; & domitos mitteret sub iuga, quæ vocat adamantina, quasi dura, & minime frangibilia: quæ, teste D Flacco, erant ænea. Adamantis enim vis indomita est: & vt eleganter refert Plinius, duarum violentissimæ naturę rerum, ferri, ignísque contemptrix: vnde Gręca interpretatione nomē accepit.

PRÆLIA *seuit.*] Iason opitulante Medea seminauit dentes vipereos, ex quibus armati consurgunt, qui semet trucidarunt: & vt inquit Ouid.

Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres.

SERPENTIS.] serpentem signat custodem velleris aurei inclytum fabulis poëtarum.

ÆSONIAS *domos.*] ab Æsone Iasonis patre.

AVREA *lana.*] præter ea quæ vulgatissima sunt de vellere aureo, hæc quoque traduntur, quòd in regione Colchica torrentes aurum deferre di-E cuntur, quod barbari lanosis pellibus excipiunt: vnde aurati velleris conficta fabula est. Veteres poëtæ pecudes propter caritatē aureas habuisse pelles prodiderunt, vt Argis Atreus, quam sibi Thyestem subduxisse queritur: & in Colchida Æeta ad cuius arietis pellem profecti è regio genere dicuntur Argonautæ.

PENTHESILEA *rates.*] hæc nota est carmine Virgiliano, quæ regina fuit Amazonum; & tanquam virago ausa est viris concurrere, & in bello Troiano contra Græcos viriliter dimicauit. Scribit Diodorus in tertio, Penthesileam fuisse Martis filiam, quæ post obitum Hectoris multis

multis præclaris belli facinoribus editis ab Achille fuit interfecta: eiusdem meminit Iustinus in secundo.

AVREA *caßida.*] declinatio antiqua est pro cassis: ita Virgilius, *Aurea vati caßida.* & ita chlamyda dicitur ab Apuleio in casu recto. vel posuit accusatiuum pro nominatiuo, vt existimat Seruius posuisse Virgilium, quando Penthesilea deposuerat capitis tegumentum sua formositate victores Græcos capiebat, quæ tamen fuit interfecta, & eius exercitus absumptus.

VICTOREM *virum.*] victoresne significat Græcos? vt singulari vsus sit pro pluratiuo: An Achillem intelligit? à quo victa est. à quo ob formositatem mortua defendebatur, vt sepulturæ demandaretur: sed in Scamandrum fuit proiecta, ita suadente Diomede.

OMPHALE *in tantum.*] Hercules venundatus seruiuit Omphale reginæ Lydorum, qui alio nomine Mæonij nominantur: & cum multa memoratu digna ob Omphales amorem peregisset, libertati pristinæ restitutus est, & ex ipsa filium suscepit nomine Lamum: de quo ait Ouid.

Sumque ego de Lydo facta nouerca Lamo.

Interpres Diodori transtulit pro Lamum Lamonem: quemadmodum ad officia fœminea, & muliebres cultus translatus fuit Hercules sub Omphale, nouerunt omnes, qui vel solas Epistolas, aut Fastos Ouidij perlegerunt: in quibus modo Mæonis, modo Lydia puella Omphale nuncupatur. Quod etiam tangit Papinius illo versu:

——— si Lydia dura
Pensa manu, mollesque tulit Tyrinthius artes.

Hoc idem nunc à poëta memoratur, vt ostendat etiam robur Herculeum fœmineæ pulchritudini succubuisse.

GYGEO *lacu.*] in Lydia regione Asiatica, cuius regina fuit Omphale lacus est nomine Gygeus, qui postea mutato nomine dictus est Colous: vbi Simiæ diebus solennibus saltare dicuntur. auctor Strabo in XIII. Huius lacus Gygei meminit Homerus, & Gygeum portum nominat in xx. Iliados.

IN *orbe columnas.*] Herculeæ columnæ varie traduntur à scriptoribus. Geographi, & in primis Plinius, & Mella columnas Herculis appellant Calpem & Abilem. Calpe est mons in extrema Hispania: Abila in Africa laborum Herculis metæ: Quam ob causam indigenæ columnas Herculeas vocant: credúntque perfossas exclusa antea admisisse maria, & rerum naturam mutasse faciem. Quidam, sicut refert Strabo, dicunt columnas Herculis esse illas, quæ intra ædem ipsi dicata Gadibus visuntur, quæ sunt ex ære longitudine octo cubitorum.

DVRA *mollia.*] fecit antitheton opponendo mollia pensa duræ manui.

PERSARVM *statuit.*] nemo ignorat Babylona à Semiramide fuisse ædificatam, quod testimonio Diodori, Iustini, & Herodoti clarissimum est. Muri instructi fuerunt laterculo coctili, vt ait Curtius: in quibus bitumen, teste Plinio, prębuit vsum calcis: crassitudo erat quinquaginta cubitorum regiorum, altitudo ducentorum.

A Est autem cubitus regius maior tribus digitis quàm mediocris. Totius operis ambitus tot stadiorum est, quot diebus conficitur annus. Singulis diebus constat singulorum stadiorum structuram fuisse perfectam. Via supra muros tam lata est, vt quadrigæ inter se occurrentes sine periculo inter se commeare dicantur. Euphrates medius interfluit, cuius latitudo stadium occupat. Meruit Babylon inter septem spectacula enumerari, vt auctor est Strabo. Memoratur nunc in potentia Semiramidis, quæ talem ac tantam condidit ciuitatem, quæ tantæ libidinis fuisse fertur, vt filij concubitum appetierit, & equum

B vsque ad coitum adamauerit. Semiramis lingua Syria dicitur auis, quoniam ab auibus eam nutritam fuisse constat, cùm infans fuisset exposita.

SVRGERE *Bactra.*] de imperio Bactrianorũ, quod mille vrbium fuisse fertur, supra dictum est. caput Chaldaicarum gentium fuit Babylon, à qua reliqua pars Mesopotamiæ, & Assyriæ Babylonia est appellata. Bactra autem regum Zoroastræ capta fuisse à Nino Semiramidis astu, testis est Diodorus in tertio.

IVPPITER *infamat.*] non solum, inquit, homines, sed dij, sed Iuppiter ipse amori mulierum

C mancipati fuerunt. Quis nescit Iouem in primis fuisse mulierosum, adeo vt se & cælum infamauerit, in quo pellices regnum tenere conqueritur Iuno apud Senecam.

QVID *modo*] hæc in Cleopatram, Antoniúmque scribuntur.

ET *famulos.*] eunuchos intelligit, quos Satellites & cubicularios habuit Cleopatra: quos Horatius turpes viros appellat, quia fere hi effœminati sunt, quorum concubitu delectari mulieres Mart. Iuuenalísque testantur. vnde ait Terentius:

D *Quoniam his reginæ delectantur.*

CONIVGIS *obscœni.*] procacitatem Cleopatrę criminatur poscentis à coniuge obscœno, scilicet Antonio, imperium Romanum pro prętio stupri. nam, vt inquit Lucius Florus in IV. hæc mulier Ægyptia ab ebrio imperatore prætium libidinum Romanum imperium petiit, & promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. inde ab Horatio dictum est:

———quodlibet impotens Cleopatra
Sperare, fortunáque dulci Ebria.———

In quam ita inuehitur Lucanus:

E *Dedecus Aegypti Latij feralis Erinnys*
Romano non casta malo.———

ADDICTOS *patres.*] id est, senatum obnoxium & mancipatum eo more, quo debitores creditoribus addicebantur. de quo verbo supra copiosè tractauimus.

DOLIS *aptißima.*] ex epistola Hadriani qualis fuerit Ægyptiorum vita abunde detegitur, qui ita scribit consuli Seruiano: *Aegyptum totam didici esse leuem pendulam ad omnia famæ momenta volitantem*, & mox genus hominum appellat seditiosissimum, vanissimum, iniuriosissum.

MEMPHI *cruenta malo.*] sermo est apostrophus ad ipsam Ægyptum, vbi Antonius amore Cleopatræ factus est insanus: & ex strenuo imperatorē ignauus, hebes, & vxorius:

cuius anima viuebat in alieno corpore. Memphi ciuitas est Ægypti magna & populosa, & secunda post Alexandriam, vbi fuerunt Pyramides regũ sepulturę: à conditoris filia nomen accepit. Auctores Strabo & Diodorus. Hãc malo Romano cruentam vocat poëta propter Pompeium, qui fugiẽns in Ægyptum, à satellitibus Ptolomei fuit interfectus: cuius obitum deflet Lucanus miseranter & facunde multa execratus in Ægyptum. Præterea Iulius Cæsar periculosissimum bellum gessit aduersus Alexandrinos.

Tres *vbi Pompeio.*] notum est Pompeium tres egisse triumphos ex tribus orbis partibus. adeo vt visus sit quasi ex orbe terrarum triumphare: vnde ait Manilius,

Pompeiúsque orbis domitor per trísque triumphos
Ante deum princeps. ——

Hic omnium mortalium clarissimus extitisset, si ante cladem pharsalicam occubuisset: cuius mors miseranda visa est abolere præteritas victorias, & illos tres memoratissimos triumphos dehonestare, quæ nota & infamia Romanæ maiestatis nullo tempore abolebitur. Pompeij autem exemplum merito inserit, vt doceat dolos Alexandrinos Romanis pestiferos, exitialésque fuisse, quibus Pompeium interemerunt.

Arena.] quia in littore fuit occisus, & inter arenas à Codro sepultus, vt deflet Lucanus.

Issent *Phlegræo.*] ô Pompei, inquit, fortunatius & generosius perisses in acie Pharsalica sub manibus soceri Cæsaris, quàm sub manibus famosorum Ægyptiorum. Campum Phlegræum vocat Pharsalicos campos, vbi bellorum ciuilium procellæ detonuerunt. de Phlegra diximus supra.

Scilicet *incesti.*] cum indignatione & dolore hæc pronuncianda sunt. Indignatur enim poëta, quòd meretrix Canopitica Cleopatra, quæ est nota & sugillatio Romanorum, ausa sit arma capessere contra Romanum imperium: & portenta deorum Ægyptiacorum opponere Ioui Capitolino. incestũ Canopum appellat, quia lasciui & molles fuerunt Canopitæ. Canopus distat ab Alexandria, CXX. stadiis: à Canopo classis Menelai gubernatore nominata. Hic fossa est die ac nocte nauiculis plena virorum & fœminarum impudenter canentium, ac saltantium cum omni dissolutione: quod Canopiticæ luxuriæ signum est. auctor Strabo in vltimo. Hinc dixit Varro: *Nobis saperdæ, hoc est sapientes, videmur, cum simus Canopitici.* Iuuen. Canopum famosum vocat hoc est infamem. A Papinio dicitur:

Cúrve terranei lasciuiat ora Canopi.

Incestus dicitur pollutus: & incesta quæcunque pollutio appellatur, vt ait Seruius. incestus proprie significat stuprum cum cognatis & consanguineis: & incestus grauior est adulterio. vnde dixit iurisconsultus: *Si adulterium cum incestu committatur.* In decretis XXXV. quæstio. tertia. longa est de incestuosis disputatio. Scribit Lactantius commentator incestum dici quasi sine cesto, hoc est vinculo Veneris: quo vtitur ad honestas nuptias. Incestare significat polluere. Vir.

—— *incestat funere classem.*

Philippeo *sanguine.*] hoc est Romano. nam in Philippis bis ciuili prælio dimicatum est. Primo inter Cæsarem & Pompeium, quæ dicitur Pharsalica clades: Iterum inter Brutum, Cassiúmque, & Augustum, Antoniúmque. vnde dixit Maro:

Romanas acies iterum videre Philippi.

de his supra diximus in secundo commentario.

Adusta.] signanter loquutus est. nam proprie notæ inuruntur nocentibus, & tales famosi semper apparent, & stigmatici nuncupantur.

Latrantem *Anubin.*] inter deos Ægyptiorum est Anubis, qui capite canino figuratur: vnde latrantem appellat: & à Virgilio & Ouidio dictus est latrator Anubis: & Apuleius ait,

Attollit canis ceruices arduas Anubis.

existimant hunc esse Mercurium, vt autumat Seruius. scribit Diodorus Anubin filium fuisse Osyridis, qui canem gestabat, tanquam armorum insignia: ex quo Ægyptij canem venerantur: & Anubin deum canino capite effingunt.

Et *Tyberim Nili.*] quia Tyberis est Romanus, Nilus vero Ægyptiacus. ideo dixit Cleopatram voluisse vt Tyberis cogeretur ferre minas Niloticas, hoc est vt Romani subirent iugum Ægyptiorum imperiosorum. tropos est metonymia.

Romanamque *tubam.*] poëticè ista dicuntur: quemadmodum Anubin Ioui, Nilum Tyberi opposuit. Ita nunc sistrum opponit tubæ Romanæ, & Barida Liburnis nauibus per antitheta. Est autem sistrum musicum instrumentum peculiare Ægyptiorum, quo vtuntur in sacris Isidis: vnde ait Flaccus de Iside loquens:

—— *& ouanti persona sistro.*

hoc erat argutum, & sonorum instar crepitaculorum: vnde ait Ouidius,

—— *crepuítque sonabile sistrum.*

& Apuleius: *Æreis & argenteis & aureis sistris argutum tinnitum constrepentes.* ex quibus verbis coniicimus non fuisse tubam, quæ inflaretur, sed instrumentum, quod concuteretur: quod tamen apud Ægyptios vicem tubę exhibebat. Virgilius: *Patrio vocat agmina sistro.* inde à Martiale dicitur sistrata tuba.

Baridos *& contis.*] Baris cymba est, siue nauis, quæ vectat cadauera Ægyptiorum ad sepulchra, cuius portitor est Charon. Qualia de inferis poëtæ finxerunt, talia sunt in Ægypto. auctor Diodorus. Baris Gręcè dicitur nauigium, & porticus, & domus. Herodotus in II. ait: *Barim trahis.* hoc enim his nauigiis est nomen. Contus hasta est, qua nautæ vtuntur ad loca nauibus opportuna. vnde verbum percontor deduci posse Donatus ostendit. Virgilius:

Ipse ratem conto subigit. ——

A conto contatos milites appellat Vegetius.

Rostra *Liburna.*] Liburnæ quæ alio nomine Liburnicæ dicuntur, naues sunt celeritate atque agilitate commodissimæ, quibus vsi sunt Romani, & potissimum Augustus in bello nauali: dictæ à Liburnis populis Illyrici, qui id genus nauigij demonstrarunt. auctores Appianus & Vegetius. de his ait Lucan.

Ordine contentæ gemino creuisse Liburnæ.

& Horatius:

Ibis Liburnis. ——

Ideo autem Liburna potius quàm alia nauigia nominauit, quia Augustus Liburnorum nauibus potissimum Antonium, Cleopatrámque deuicit in Actiaco prælio.

CONOPEA.] Conopeum, teste Porphyrione, gestus est retis, siue tentorij ad culices prohibendos, quo maximè vtuntur Alexandrini, qui Conopeis lectos operiunt: & ita somnos capiũt tuti à culicibus. auctor Herodotus in Euterpe. Audebat, inquit, Cleopatra sperare, quòd Conopea instar tentoriorum tenderet in arce Tarpeia, sub quibus iura daret tanquam domina, nõ minus Romanis, quàm Ægyptiis inter monumenta Mariana. Saxum Tarpeium intelligit illud quod à Virgilio dictum est,

—— Capitoli immobile saxum.

nam vt, auctor est Lactantius, lapidem informẽ atque rudẽ Romani colunt, cui nomen est Terminus, qui Ioui cedere noluit, cæteris diis cedentibus, in ædificatione Capitolij. Scribit tamen Augustinus vna cum Termino Martem quoque & Iuuentatem regi deorum cedere noluisse. Potes etiam accipere hoc dictum esse de illo saxo Tarpeio, ex quo sontes præcipitabantur: de quo ait Horatius,

Deiicere è saxo ciues est tradere Cadmo.

De hoc intelligit Plinius his verbis: *Metellus Capitolio ad Tarpeium raptus vt præcipitaretur M. Manlius damnatus capitis è saxo Tarpeio, vt historici tradunt, præceps datus est.*

TARQVINI *secures.*] quid prodest sustulisse sanguinarium Tarquinij regnum & Tarquinios eiecisse, si fœminæ imperiũ pati cogimur: quod longe turpius ac fœdius est. Scribit Cicero in Antonianis, omnem seruitutem miseram esse: Tum vero intolerabile seruire impuro, ebrio, effeminato. Nos vero addamus seruire obscœnæ, & impudicę fœminæ esse supra omnem turpitudinem. De securibus, fascibúsque consularibus, illud adiiciendum, quòd reges Romani XII. lictores cum securibus habuerunt, quæ ornamenta ab Hetruscis acceperunt, vt Liuius, Strabóque notificant. Ait Sillius ex Vetulonia peculiariter esse translata.

VITA *superba.*] Tarquinius nouissimus est regum Romanorum, cui superbo cognomen facta indiderunt, vt docet Liuius.

CAPE *Roma triumphum.*] signat Augusti triumphum Alexandrinum, quo Gazas antiquorum Ptolomeorum: & tantam auri, argentique copiam in vrbem importauit, vt nec ante, nec postea tantum diuitiarum Romæ fuisse noscatur: & vt propter multitudinem pecuniarum prætia possessionum, reliquarúmque rerum venalium duplicia statuerentur. auctores Hieronymus & Orosius.

FVGISTI *tamen.*] scribit Plutarchus Cleopatram cum LX. nauibus primam arripuisse fugam ex Actiaco prælio, victoria in neutram partem adhuc inclinante: quam fugientem secutus est Antonius tanquam in Cleopatra viueret & moreretur, quæ in Ægyptum enauigauit. Cuius rei ita meminit Florus. *Prima dux fuga regina cum aurea puppe, veloque purpureo se in altum dedit: mox sequutus Antonius.*

ROMVLA.] id est Romana. à Virgilio Romula tellus dicitur.

BRACHIA *&c.*] supra diximus Cleopatram veneno periisse, cùm aspida admouisset brachio: cuius vis somnifica extinguit somno. vnde Hypnale à somno dicta, vt ait Solin. Augustus, auctore Plutarcho, tulit in triumpho imaginem Cleopatræ cum aspide mordicus affixa: hanc nunc ait poëta se vidisse.

NON *hæc Roma.*] ambiguum est hæc ne verba ex Antonij persona dicantur, an ex Cleopatræ: vtrique enim accommodari possunt: & est sermo ad ipsam Romam conuersus: cuius hic est sensus: Non erat ô Roma tibi metuenda hæc, scilicet Cleopatra, viuente tanto ciue, scilicet Augusto.

LINGVA *sepulta.*] ad Antonium & Cleopatram pariter referri potest: Nam bibacem, temulentúmque fuisse Antonium Ciceronis Antonianæ satis ostendunt: & testis est Plinius, qui ait Antonium scripsisse volumen de sua ebrietate. Præterea auctor est Plutarchus, Antonium cum semet gladio percussisset, & ad Cleopatram funibus è fenestra pertractus fuisset, vinum poposcisse, siue quòd sitiret, siue quòd vino epoto spectabat se celerius moriturum. si de Cleopatra intelligimus conueniet cum Horatio, qui mentem lymphatam Cleopatræ dixit esse vino Mareotico.

SEPTEM *vrbs.*] ostendit Romanam potentiam non debuisse timere minas muliebres, cùm bellicosissimos hostium duces domuerit ac profligauerit. Septem autem montes contineri ambitu vrbis Romæ notissimum est ex illo Virgil.

Septem quæ vna sub muro circumdedit arces.

Nomina montium Liuius & Varro commemorant. inde dies erat apud Romanos festus dictus Septimontium, siue Septimontialis: propterea quòd septimus collis vrbi attributus est, & Roma facta septicollis. auctor Plutarchus in problematis. Septimontialis meminit Tranquillus in Domitiano.

HANNIBALIS *spolia.*] Romani, qui Hannibalem, Syphacem, & Pyrrhum superarunt, semper inuicti, timuerunt minas Cleopatræ.

SYPHACIS.] nota est historia Syphacis qui in bello Pœnico fauit Carthaginensibus, & victus à Scipione ductus est in triumpho, vt Polybius tradit. Liuius negat dicens morte fuisse subtractum spectaculo Romanorum: mortuus est Tybure, & publico funere elatus.

CVRTIVS *expletis.*] lacus Curtius erat in foro Romano dictus à Curtio viro forti & patriæ amantissimo: nam cùm forum collapsum esset specu vasto in immensam altitudinem, neque ea vorago expleri posset, aruspices responderunt id eo loco dicandum esse quod esset Romæ fortissimum: tum Curtius iuuenis egregius bello armatus ascendit in equum, & se immisit in specum: eo facto lacum coiisse ferunt, & lacum Curtium appellatum, vt tradunt Liuius in septimo, & Varro in primo. Alij dixerunt à Curtio Sabino lacum accepisse nomen, quod refert Liuius in primo, & Plutarchus in Romulo. Triplex causa huius

nominis à Varrone perscribitur: nunc primam, quæ celebratior est sequitur poëta.

LACVNIS *expletis.*] quia voragines clausæ sunt post immissum Curtium, & fruges super eum à multitudine congestæ.

AT *Decius.*] historia duorum Deciorum notissima est, qui se deuouerunt pro salute Romanarum legionum. addit Cicero tertium Decium primi nepotem idem factitasse.

COCLITIS *abscissos.*] lege Liuium & Dionysium & Plutarchum, qui Horatij Coclitis gesta copiosissime scribunt: quem Coclitem cognominarunt, quòd alterum oculum in prælio amisisset. nam Cocles, vt ait Varro, is dictus est, qui vnum habet oculum. ab oculo quasi ocles, hinc est iocus ille Plautinus in Curgulione: *Ex Coclitum prosapia te esse arbitror, nam sunt vnoculi.* Horatius Cocles positus in statione pontis Sublicij sustinuit procellam, impetúmque Hetruscorum, donec pons à tergo solueretur: qui quoniam tunc ægre reuulsus est, institutum fuit deinceps, vt sine clauo ferreo pons Sublicius constitueretur, vt trabes sine fulturis eximerentur, ac reponerentur. auctor Plinius in XXXVI. de Coclite Virgilius:

—— pontem auderet quòd vellere Cocles.

ET *cui Coruus.*] Valerium Coruinum dicit qui cognominatus est Coruinus à Coruo auxiliabundo, congressus singulari certamine contra Gallum prouocatorem, quem vicit, interfecitque: tum sua virtute nixus, tum opera Corui propugnantis: auctores Liuius, & Gellius. inde ait Ouidius:

Hic Corui titulos auxiliaris habet.

& Manilius:

Et cum militia volucris Coruinus adeptus
Et spolia, & nomen. ——

NVNC *vbi Scipiadæ classes.*] de Africano loquitur, qui comparata classe maximum exercitum ex Sicilia in Africam transportauit. Quanta autem celeritate naues ædificatæ fuerint docet Plin. his verbis: *Secundo Punico bello Scipionis classis XL die à securi nauigauit.* Scipiades dicitur à poëtis, Scipio ab historicis. Lucretius:

Scipiades belli fulmen Carthaginis horror.

& Manilius:

Scipiadeæque duces fatum Carthaginis vnum.

BOSPHORA *capta.*] Bosphori duo sunt, Thracius & Cimmerius, quibus nomen est à transitu boum meabili, vt refert Plinius: sunt enim freta angusta per quę boues (teste Solino) meatus peruios habent. existimat Flaccus dictum esse Bosphorum ab Ione boue, quæ stimulata œstro Iunonio transiuit fluctus: vnde hæc data nomina ponto. Pompeius in bello Mithridatico, cùm multas nationes domuisset, vicit gentes Bosphoranas, Meoticásque: ad quas Mithridates victus se contulerat. auctor Plutarchus in Pompeio. Bosphora appellat neutro genere, sicut Menala & Ismara dicuntur; vel lege Bosphore capte, vt sit casus vocatiuus. Magis placet prima sententia.

LEVCADIVS *Apollo.*] dictum est sæpe quemadmodum pugna nauali apud Actium Antonius & Cleopatra fusi, fugatique sunt à Cæsare Au- A gusto: in quo prælio dicitur Apollo Leucadius, qui & Actius dicitur, iuuisse partes Augusti. vnde ait Virgilius:

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.

Leucadium littus est in Epyro & Leucadia peninsula & promontorium Leucates. dicitur Apollo Leucadius, quia illic habet templum. Ouidius:

An quia Leucadio semper amata deo:

hoc est Apollini: scribit Suetonius Augustum ampliasse templum vetus Apollinis Actij.

AT *in fine.*] clusurus Elegiam admonet nautas, vt per Ionium mare citra omne periculum B nauigantes velint esse memores Augusti victoriæ, cuius beneficio tuti nauigant, qui in eo mari Antonium Cleopatrámque profligauerat. de Ionio diximus supra.

M. ANT. MVRETVS.

ET *cui cognomen Coruus habere dedit.*] hunc M. Valerium, qui à coruo adiutore cognomen inuenit, cum in omnibus antiquis libris Coruinus vocetur, eruditi quidam nostræ tempestatis homines, & in Romanæ historiæ cognitione cũ C primis exercitati Coruum, non Coruinum, vocari iubent: quod in vetustis lapidibus ita nomẽ hoc scriptum reperiatur. ego autem nunquam de istis rebus magnopere contendam: tantum, quod eos aliquando in familiari sermone admonui, id hoc quoque loco proponam: eum videlicet ab antiquis poëtis aperte Coruinum vocari. Claudianus in Eutropium: *Agmina Brutorum, Coruinorúmque cateruæ.* vbi profecto vt ad Brutum illum, qui reges eiecit, respicit, ita ad illum quoque Coruinum, qui primus hoc cognomine affectus est. quod si quis Claudiani auctoritatem leuem ac despiciendam putat, valde ille quidem D à me dissentit: sed tamen aliũ proferemus, quem qui contempserit, is se haud dubie magnum antiquitatis contemptorem ostenderit. M. igitur Manilius, qui vnus profecto pro centum lapidibus est, homo eruditissimus, qui Augusti temporibus vixit, aperte eum Coruinum vocat his versibus:

Et cum militia volucris Coruinus adeptus
Et spolia, & nomen, qui gestat in alite Phœbum.

eodem etiam pacto mutarunt regis cuiusdam Albani nomen, cúmque pro Tiberino Tiberium nominarunt, freti auctoritate Eustathij Tessalo- E nicensis. Ego autem, qui Græcos homines sæpe in Romanis nominibus falli videam, haud scio an plus in hac re tribuendum sit vni Eustathio, quam omnibus antiquis libris, & Ouidio denique ipsi, cuius hæc sunt,

Cúmque patris regnum post hunc Tiberinus haberet,
Dicitur in Tuscæ gurgite mersus aquæ.

Sed tamen his de rebus nunquam cuiquam valde contendendum putarim. Atque hæc in præsentia sint satis. nam vt neque vltimum librum attingerem, & in ceteris essem restrictior, id mihi caussæ fuit, quod & in hunc poëtam, & in Tibullum, si quando aliquis mihi deus ocium fecerit, iustos commentarios paro.

IANVS DOVSA FIL.

COLCHIS *flagrantes adamantina sub iuga tauros Egit, & armigera prœlia seuit humo.*] Imitatus videtur hunc locum Statius Papinius Thebaidos I.

——trepidum si Martis operti
Agricolam infandis condentem prœlia sulcis
Expediam.

prœlia autem pro prœliatoribus ponit, vt *coniugium* pro coniuge, *hospitium* pro hospite. sic Cicero in III. de Legib. *vincula* pro vinctis; Manilius lib. IV. *triumphum* pro triumphatrice dixit. ποίημα Aristophanes ἀντὶ τοῦ ποιητοῦ. *ministeria* pro seruis & ministratoribus Iurisconsulti sæpe. *noxam* pro reo qui nocuit, iidem §.1. Institut. de noxal. actionib.

QVID *nunc Tarquinij fractas iuuat esse secures.*] Similis indignatio Claudiani in Eutropium.

Eutropio fasces adseruabantur ademti
Tarquinio?

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

TAM *dura traheret.*] Sic alibi:

Testis erit Dirce tam vero crimine sæua.

VNA *Philippeo sanguine adusta nota.*] Malo, *inusta*. Et omnino ita legendum.

FOEDAQVE *Tarpeio conopea tendere saxo.*] Et Horatius super eadem historia:

Intérque signa, turpe, militaria,
Sol aspicit conopeum.

Conopeum proprium Ægyptiorum, qui culicibus acriter infestantur. Nam propter paludes Nili, & maritima Ægypti eorum ibi magna copia. Plinius libro nono, capite septimo, & quadragesimo: *Adeóque, nihil non gignitur in mari, vt coponarum etiam æstiua animalia, pernicis molesta saltu, aut quæ capillus maximè celat, exsistant.* Lege: *vt conopeorum etiam.* Conopeorum animalia sunt οἱ κώνωπες, culices. Ait Plinius etiam pisces infestari culicibus, & pedibus. Nam animalia, quæ capillus celat, sunt φθεῖρες. κώνωπας vero allucitas vocauit Petronius, si Placiadæ credimus: *Nam centum vernales me allucitæ molestabant.*

AT *Decius misso.*] Vide num inuersum ac præpostere positum sit, pro: *Admisso Decius.* Quid sit admittere equum, nemo paulo doctior ignorat.

AVT *vbi Pompeia.*] Noster, *Aut modo Pompei.*

ELEGIA XI.

POSTHVME plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tanti ne vlla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Galla multa rogãte tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis auari,
Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen iniecta tectus vesane lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amata tibi?
Néve tua Medæ lætentur cæde sagittæ,
Ferreus aurato neu cataphractus equo,
Néve aliquid de te flendum referatur in vrna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix ô Posthume Galla,
Moribus his alia coniuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cùm sit luxuriæ Roma magistra tuæ?
Sed securus eas: Gallam non munera vincent,
Duritiæque tuæ non erit illa memor.
Nam quocunque die saluum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Vlysses:
Non illi longæ tot nocuere moræ.
Castra decem annorum, & Cyconum mons, Ismara, Calpe,
Exustáque tuæ mox Polypheme genæ,
Et Circæ fraudes, lotósque, herbǽque tenaces,
Scylláque, & alterna scissa Charybdis aqua:
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuuencos,
(Pauerat hos Phœbo filia Lampetie)
Et thalamum Ææ flentis fugisse puellæ,
Tótque hiemis noctes, tótque natasse dies,
Nigrantésque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus:

Et veteres arcus leto renouasse procorũ,
Errorísque sui sic statuisse modum.
Nec frustra: quia casta domi persederat vxor.
Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

PHILIPP. BEROALD. BON.

POSTHVME *plorantem potuisti linquere Gallam.*] incusat Posthumum, qui propter auaritiam diuitiarum congerendarum causa iuerat in militiam, secutus Augustum relicta vxore Galla plorabunda, & pluris faciebat pecuniam, quàm coniugem, quæ altera Penelope castitate censebatur.

SPOLIATI *Parthi.*] Parthus lingua Scytica dicitur exul: olim regna Parthorum fuerunt duodeuiginti: & regna Persarum erant, quæ nũc (vt ait Plinius) Parthorum intelligimus.

LACERNA.] hoc est vestimento militari, vt apud Ouidium:

Quamprimum nostra facta lacerna manu.

videtur accipere pro ea, quam Græci vocant Ephestridam. Erant apud veteres lacernæ albæ, quibus vtebantur in spectaculis: quæ, vt ait epigrammaticus poëta, commendabantur ad vsus amphitheatrales, erant coccineæ, erant militares: à lacerna deducitur lacernatus.

POTABIS *gal.*] mos militaris est, vt in castrensi expeditione potent aquam haustam galea: vnde ait Lucanus de Catone: *Excussit galeam, sufficitque omnibus vnda.* & apud Plutarchum legimus: Alexandro sitienti oblatam fuisse militari more aquam in Galea, quam intactam, plenámque, sicut oblata fuerat, reddidit: dicens, Si solus bibero, cæteri dolebunt. Si legis portabis, sententia est manifestaria, cùm milites galea portent aquam egentes vasorum. eruditior est prior lectio.

MEDÆ *sagitta.*] Medi populi sunt in Asia: dicti à Medo Medeæ filio, vt scribit Iustinus in XLII. Media, teste Plinio, includit regna Parthorum, cuius regionis metropolis sunt Ecbatana & Media regni caput, qua regia Parthi vtũtur, ibíque æstatem agunt: auctores Strabo & Xenophon. Supra diximus orientis populos sagittis bella conficere & in primis omnia regna Parthorum, in quibus Media numeratur: vnde Medæ sagittæ dicuntur à poëta.

CATAPHRACTVS *equo.*] Cataphracti dicuntur equites muniti ferro, equos similiter munitos habentes. auctor Ser. est etiam Cataphracta lorica, siue thorax militaris. vt docet Vegetius, qui scribit exercitum Romanum pedestrem Cataphractis, & galeis fuisse munitum. & Liuius libro XXXVII. pedites loricatos appellat Cataphractos. Sæpe fieri mentionem Cataphractorum equitum inuenies apud historicos. Lampridius in Alexandro imperatore Romano ita ait: *Cataphractarios, quos illi Clibanarios vocant, decem millia in bello interemimus.*

FLENDVM *in vrna.*] cineres defuncti intelligit, qui in vrna referri solent in patriam. ita Demetrij cineres in aurea vrna deportatos fuisse in ciuitatem Demetriada legimus, & Seueri imperatoris reliquias in vrnula aurea conditas ex Britannia Romam vsque delatas.

MORIBVS *hu.*] non mœrebaris, inquit, tam pudicam, tamque amabilem vxorem præditus hac duritie morum, qui ab vxore tam diu abes, nec eius tangeris desiderio.

CASTA *decem annorum.*] Penelope, vt supra dictum est, expectando Vlyssem facta est anus, nec vlla mora maritali potuit impelli vt alteri nuberet: non ergo Vlyssi longæ moræ nocuerũt, non cunctatio belli decennalis, non errores terra marique longi. anni quos hic strictim designat poëta, quos copiosè enarrat Homerus in Odyssea.

CICONVM *mons Ismara.*] Cicones populi sunt Thraciæ, ad quos accessit Vlysses. & inde in Ismara vbi cuncta populabũdus inuasit, vt scribit Home. in IX. Odysseæ, apud quem ita loquitur Vlysses: *Ad Ciconas Troia referens me ventus adegit.* Ismara montes esse Thraciæ nemo est qui nesciat: in bello Ciconum multi ex sociis Vlyssis ceciderunt.

CALPE.] mons est Hispaniæ vna ex columnis Herculis, in cuius radicibus vrbs est nomine Calpe, vt ait Strabo. Vlyssem autem in illo longo ac fabuloso errore tradunt iuisse in Hispaniã: cuius rei indicium est ciuitas Vlyssea nũcupata, quæ à Latinis geographis Olyssipo nominatur.

EXVSTÆ *genæ.*] signate loquutus est. nam genas vocamus palpebras, hoc est tegumenta oculorum: de quibus supra facta est mentio. vnde ait Plin. *Quadrupedi in superioribus sunt genæ, volucri in inferioribus, & insecta non habent genas.* de oculo Polyphemi eruto cum stipite ignito atque præusto ab Vlysse dictum iam est.

CIRCE.] de hac abunde diximus supra.

LOTOSQVE.] in Africa sunt populi Lotophagi, à loto arbore sortiti nomẽ: cuius fructus sunt magnitudine fabæ, colore croci, quorum cibus tam dulcis est, vt aduenis incutiat patriæ obliuionem. auctor Plin. in XIII. Ad Lotophagos accessit Vlysses, cuius socij gustata loto reditum in patriam obliuiscebantũr, quos inuitos & flentes coëgit Vlysses conscendere nauem: & è vestigio illinc abscessit. lege Homerum in IX. Odysseæ. inde ait Virgil. in culice:

——impia lotos
Impia quæ socios Ithaci mœrentis abegit.

Scribit Strabo duplices esse Lotophagos. addit Herodotus vinum ex fructu loti confici à Lotophagis, quod, teste Plinio, simile est mulso. est eodem nomine lotos herba: & in Ægypto caulis palustris dicitur lotos similis fabæ.

HERBÆQVE *tenaces.*] alludit ad loton, quæ arbor est & herba & caulis, quæ tenax fuit in retinendis Vlyssis sociis, quæ terram illam fecit nimis hospitalem aduenarum patriæ obliuione.

SCYLLAQVE.] notum est quemadmodum Vlysses Scyllam præternauigauit, nec abreptus est: Charybdi conseptus est, nec retentus: Circes poculum bibit, nec mutatus est. alternas aquas Charybdis vocat, quoniam, teste Homero

aquam trahit & euomit, & hoc ter quotidie facit: de qua re disputatio est luculenta apud Strabonem.

LAMPETIES *verubus.*] in Sicilia Solis boues stabulabantur, quas filia Lãpetie cum sorore Phaëtusa custodiebant: quæ ab Homero Eupoclamæ, hoc est pulchricomæ, siue bene comatæ cognominantur. Circe Vlyssem admonuit, vt ab hisce gregibus abstineret, si incolumis in patriam reuerti desideraret: Vlysses socios iurare coegit se boues Solis, ouésque nequaquam violaturos, qui annona deficiente iurisiurandi obliti, clam Vlysse, boues Solis interfecerunt, & verubus viscera trementia figentes assarunt: & his epulis exempta est fames. tunc Lampetie apud Vlyssem questa est de hac iniuria, & Iuppiter, orante Sole, fœdam, procellosámque immisit tempestatem, quæ Vlyssem & Vlyssis socios afflixit: & tunc Vlysses nouem dies fluctibus iactatus est, vt scribit Homerus in XII. Odysseæ. Huius rei nunc meminit poëta. Scribunt Seneca & Plinius circa Messanam Siliciæ mare expuere purgamenta fimo similia: vnde fabula orta est illic Solis boues stabulari.

ITHACIS *mugisse.*] tangit id quod scribit Homerus, carnes bubulas ex armento Solis mugisse in ipsis verubus Ithacensium.

AEÆÆ *puellæ.*] idest Circes: de qua supra diximus: quam & Homerus Aeæam cognominat ab insula Aeæa, cuius iam meminimus: refert Pomponius Mella circa Siciliam Siculo freto esse insulam Aeæam, quam Calypso habitasse dicitur: vnde possemus hoc ad Calypsonem referre, cùm iam de Circe meminerit.

NIGRANTESQVE *domos.*] Vlyssem iuisse ad inferos, fecisse necromantiam, collocutum esse cum Tiresia nemo non nescit, qui vel vndecimum solum librum ex Odyssea Homeri lectitauerit, vt ait Apuleius. Ad inferos Vlysses demeauit, & ascendit.

SIRENVM.] Vlysses Sirenes audiuit, nec accessit, quas Mart. appellat hilarem pœnam nauigantium, & crudele gaudium. Vlysses cera obturauit aures sociorum ne Sirenum dulcissimis cantibus pellecti retinerentur ipse manibus pedibúsque ad malum nauticum religatis audiuit citra periculum illas, quæ eum inuitarunt hoc carmine:

O decus Argolicum quin puppim flectis Vlysse,
Auribus vt nostros possis agnoscere cantus.

Scribit Cicero in quinto de finibus bonorum: Non cantandi suauitate Sirenas reuocare solitas eos, qui præteruehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, vt homines ad earum saxa discendi cupiditate adhærescerent. Huius rei ita meminit Seneca in quarto Epistolarum: *Ad summam sapiens eris si clauseris aures, quibus ceram parum est obdere, firmiore spissamento opus est, quam in sociis vsum Vlyssem ferunt.* Et Iuuen. ait:

Effugit cantus Sirenum remige surdo.

Sirenas habitasse in tractu Pelorio autumant, quibus astipulatur Papinius: à quo Sicula virgo dicitur Syren illo versu: *Tergeminum Sicula de virgine carmen.* alij ad Siremissas insulas, quæ tres numero sunt, non longe à Capreis paruæ, & pe- A trosæ. lege Strabonem in primo & in quinto su per hac re copiose scribentem.

ET *veteres arcus.*] Scribit Homerus in XXI. Odysseæ. Penelope dedisse arcum Vlysseum procis tendendum, dicens se illi nupturam, qui arcum tetendisset, & sagittam emisisset. Verum cum nemo procorum arcum trahere posset, Vlysses, qui sub habitu mendici delitescebat, arcum tetendit, quem prius explorauerat, an esset cariosus & corrosus, procósque sagittis excussis leto dedit. lege Homerum in Odysseæ XXI. & XXII. hinc est illud Ouidij,

Penelope vires iuuenum tentabat in arcu.

& ad hoc alludens poeta in Priapeis dixit:

B *Nemo meo melius neruum tendebat Vlysse.*

LETO.] morte.

SIC *statuisse.*] scilicet per mortem procorum: qua re confecta finis fuit errorum Vlyssis, & carminis Homerici.

IANVS DOVSA PATER.

QVOD de *aurato equo* legitur Elegia ad Posthumum:

NEVE *tua Medæ lætentur cæde sagittæ,*
Ferreus aurato neu cataphractus equo.]

C quamuis commodè explicare possis ex istis Virgilianis:

Spumantémque agitabat equum, quem pellis aënis
In plumam squammis auro conserta tegebat:

tamen vix est, vt non corruptum censeam, quum præcesserit *Ferreus.* & *cataphractos* definiat Seruius, *qui & ipsi muniti ferro sunt, & equos similiter munitos habent.* itaque legendum suspicor:

Ferreus æratø neu cataphractus equo.

Confirmat suspicionem nostram Claud. de VI. Consul. Honorij:

Vt chalybe indutos equites, & in ære latentes
Vidit cornipedes.

D Curtius lib. IV. *Equitibus equisque tegumenta erant ex ferreis laminis serie inter se connexis.* & similiter Sallustius Historiarum IX. *Qui prætergrediebantur equites cataphracti, ferrea omni specie: Equis paria operimenta erant, quæ lintea ferreis laminis in modum plumæ adnexuerat.* Ita enim connectenda duo Fragmenta monuit Pater. Quò pertinet etiam, quod *ferreum cataphractum* dicat hic noster alludens fortasse ad etymon *Clibanariorum*, quod est in Onomastico Petri Danielis, vt citatur à Turnebo in Aduersariis: *Clibanarij, quasi tunica ferrei.* nam & loquitur de Medis siue Parthis Propertius, & *Clibanarios* Persicam vocem esse tradunt E Lampridius & Ammianus, quibus adde, quod in Notitia Imperij *Equites primi Clibanarij Parthi* inter Vexillationes Comitatenses VII. sub dispositione viri illustris Magistri militum Præsentalis recenseantur.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

QVVM *sit luxuriæ Roma magistra tuæ.*] Hæc non sunt nauci: sed omnia spuria, & à correctoribus iandudum supposita. Nam eandem falsam scripturam retinet liber noster. Atqui aliter

scripserat Propertius, nisi nos fallit coniectura A nostra. Censemus enim ita scripsisse:

Quid faciet nullo munita puella timore,
Quum sis luxuriæ norma magistra tuæ?

Quid, inquit, faciet puella libera mariti imperio, quum illi maritus præeat viam luxuriæ? Non erit mirum, à puella virum relinqui, à quo prius ipsa relicta sit. Habet exemplum domi, quod sequatur.

ELEGIA XII.

QVÆRITIS, vnde auidis nox sit pretiosa puellis, B
Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certa quidem tantis caussa & manifesta ruinis.
Luxuriæ nimium libera facta via est.
Inda cauis aurum mittit formica metallis,
Et venit e rubro cõcha Erycina salo,
Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores, C
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.
Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæque terunt fastus Icarioti tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrij nostra per ora trahit. D
Nulla est poscendi, nulla est reuerentia dandi:
Aut, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris vna maritis,
Quos aurora suis rubra colorat equis.
Namque, vbi mortifero iacta est fax vltima lecto, E
Vxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti, quæ viua sequatur
Coniugium. pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponúntque suis ora perusta viris.
Hîc genus infidum nuptarum, hîc nulla puella
Nec fida Euadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuuentus,
Diuitiæ quorum messis, & arbor erant.
Illis munus erat, decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia, virgineos lucida per calathos,
Et portare suis vestitas frondibus vuas,
Aut variam plumæ versicoloris auẽ.
His tum blanditiis furtiua per antra puellæ
Oscula siluicolis empta dedere viris.
Hinnulei pellis totos operibat amantes,
Altáque natiuo creuerat herba toro,
Pinus & incumbens lentas circumdabat vmbras,
Nec fuerat nudas pœna videre deas.
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oues.
Dique deæque omnes, quibus est tutela per agros,
Præbebant vestris verba benigna focis.
Et leporem quicunque venis venaberis hospes,
Et si forte meo tramite quæris auem:
Et me Pana tibi comitẽ de rupe vocato,
Siue petes calamo præmia, siue cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum.
Dum petit intonsi Pythia regna Dei.
At mons laurigero concussus vertice diras

Gallica Parnassus sparsit in arma niues.
Te scelus accepto Thracis Polymnestoru auro
Nutrit in hospitio non Polydore pio.
Tu quoque vt auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque vtinam patriæ sim verus aruspex.
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides. neque enim ilia quondam
Verax Pergameis Mænas habenda malis.
Sola Parin Phrygiæ fatum componere, sola
Fallacem patriæ serpere dixit equũ.
Ille furor patriæ fuit vtilis, ille parenti.
Experta est veros irrita lingua deos.

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVÆRITIS *vnde auidis nox sit pretiosa puellis.*] luxuriam scribit causam esse cur puellæ noctes vendant amatoribus, cùm enim ornatum pretiosum, & nimium luxum concupiscant, venditant magno concubitus complexúsque nocturnos.

ET *Venerem exhaustæ.*] Venus damnosa est & causa cur opes exhauriantur amatoris. vnde ait Plautus: *Amor ab re consulit, harpago est, mendax despoliator.* idem, Amatores ait habere bona sua pro stercore, & gagogas bonorum appellat, hoc est euectores, qui bona euehunt domo, & ad amicam deuehunt. Opes itaque exhaustæ atque absumptæ conqueruntur Venerem esse damna, hoc est causam damnorum atque damnificam.

INDA *cauis.*] in India formicæ sunt canibus minores, vulpibus maiores, quæ aurum egerunt ex terræ cauernis: erutum Indi furantur ternos singuli camelos iungentes: & cùm æstus fuerit torrentissimus formicæ propter vaporem sub terra conduntur: illi culeos implent arena auracea: formicæ odore sollicitatæ è cuniculis prouolant, crebroque raptores lacerant, quamtuis illi auxilio camelorum effugiant. auctores Plin. & Herodotus.

METALLIS.] Græci metalla videntur dixisse, propterea quod vbicunque vna inuenta vena est, non procul inuenitur alia: & hoc quidem in omni fere materia, vt docet Plin. in xxxiii. à quo auri, argenti, æris, plumbique metalla describuntur. Metallo Græcè significat scrutor & inquiro. Metallici dicuntur effosores metallorum.

CONCHA *erycina.*] de margaritis intelligendum est, quæ in conchis nascuntur, quæ sunt concharum partus. Has Indicum mare & Rubrum maxime mittit, vt supra dictum est. Erycina cognominatur à Venere, quæ concha dicitur esse deuecta in Cythera, cùm primum è mari spumabundo orta fuisset: vnde ait ipsa Venus apud Papinium.

Et nostra potuis considere concha:

Et idem ait in tertio siluarum,

-transferet, Inque sua ducet super æquora concha.

& Mar. Conchas à Venere Cytheriacas appellat. scribit Plin. conchas coli apud Venerem Gnidiorum. Venerem autem dici Erycinam nemo est qui nesciat ab Eryce monte Siciliæ, vbi Veneris templum fuit præditum singulari veneratione: & Romæ quoque templum erat Veneris, quæ Erycina nominabatur, vt docet Strabo, cuius Liuius & Ouidius meminerunt. quid si legas concha Erythrea, vt sit epitheton à mari Rubro translatum: de quo loquitur, quod & Erythreum cognominatur, sicut alibi docuimus. & ita in concha erit epitheton Græcum, in mari Latinum, quod tamen vtrumque in eodem accipitur significatu.

TYROS *Cadmea.*] de Tyro & Tyria purpura diximus supra. vocatur Cadmea à Cadmo fratre Europæ filio Agenoris, qui fuit Tyrius. Mar.

Te Cadmea Tyros.

OSTRINOS.] purpureos ab ostro: de quo supra facta est mentio.

CINNAMON.] cinnamomum, idémque cinnamon nascitur in Aethiopia, vt ait Plin. id Arabes colligunt: qua autem ratione legatur, docet Herodotus in Thalia. Arabia plena est odorum, & aromata gignit prætiosissima: vnde Strabo aromatiferam appellat: & Diodorus ait in Arabia nasci casiam, myrrham, thus, costum, & cinnamomum.

FASTVS *Icarioti.*] Icarius siue Icariotus pater fuit Penelopes: vnde Icariotis forma patronymica vocitatur, & ab Ouid. dictum est in tertio de Ponto:

Marte nihil opus est, nihil Icariotide tela:

pro Penelopea. Icarioti casus est vocatiuus. sensus est poëtæ: Fastus & superbiam, quales erant in Penelope aduersus procos conteri & frangi muneribus prætiosis, quæ eleganter appellat arma. Nam quemadmodum armis arces & oppida munitissima expugnantur, ita gemmis, auro, & purpura, & id genus ornamentis fœminarum pudicitia profligatur, & castitas resecatur.

CENSVS *induta nepotum.*] prodigi qui nepotes dicuntur, se pauperant, & amicam ditant: quę incedit incessu matronali culta diuitiis quas amatores dono dederunt.

FELIX *Eois.*] Indi, vt omnes pene barbari, vxores plurimas habent, apud eos lex est, vt vxor carissima cum defuncto marito crémetur: hæ contendunt inter se de amore mariti. itaque victrix habitu, ornatúque pristino iuxta cadauer accubat amplexans illud deosculabunda: & cum

marito tanquam felicissima concrematur. auctores Diuus Hiero. Eusebius, & Valerius. caussam refert Strabo in xv. laudatur hæc lex à poëta, vt grauius taxet & acerbius carpat petulantiam, libidinémque matronarum Romanarum.

Certamen *leti.*] quoniam, vt ait Cicero in Tusculanis, in certamen iudiciúmque veniunt, quam ex vxoribus plurimum dilexerit.

Leti.] pro mortis dictum.

Pvdor *est.*] quæ victrix est ea læta prosequentibus suis vna cum viro in rogum imponitur. illa quæ victa est, mœsta discedit.

Hic.] scilicet in vrbe Roma, quæ luxuriæ & libidinis magistra est.

Nec *fida Euadne.*] nulla nunc est, inquit, pudica, talisque qualis Euadne, Penelopéque fuerunt. de quibus iam dictum est satis ac super. In hanc sententiam est illud Valerij ad Ruffinum, *Amice nulla est Lucretia, nulla Penelope, nulla Sabina.*

Felix *agrestum.*] laudat priscorum genuinam simplicitatem, qui rusticanis munusculis & floribus sibi amicas conciliabant nulla luxuria corruptas. scribit Cato in re rustica, & à Plinio repetitum est in xviii. Agricolas minime esse male cogitantes: & maiores nostri virum bonum cum laudabant, ita laudabant: *Bonum agricolam, bonumque colonum.*

Cydonia.] mala cotonea vocamus quæ Græci cydonia ex Creta insula aduecta: inde cydonitem appellat Palladius cibum scitissimi saporis ex cydoniis decoctis melle confectum. vulgus vernacula lingua cotonatum nominat. Conciliabatur Venus antiquitus cydoniis, & rubis, & id genus munusculis rusticanis: vnde ait Lucre. *Vel pretiũ glandes atque arbuta, vel pyra lecta.*

Pvniceis *rubis.*] rubi sentes sunt, in quibus agrestia mora nascuntur: & à rusticis, teste Porphyrione, ita appellantur in Italia. Romæ in rubis mora nascuntur, vt docet Plin. in xv. De his nunc intelligit poëta, & puniceos rubos appellat à colore rubicundo. est & rubus caninus, qui à Græcis dicitur cinos baros, quo hortos sepiendos & circumuallandos esse, Columella, & Palladius præceperunt.

Versicoloris.] versicolor dicitur pluma diuersi variique coloris, qualem Cicero esse dicit pauonum caudam. Plinius maculas marmorum versicolores appellat, quod essent diuersi coloris. à Virgilio dictum est, Versicoloribus armis, pro depictis, vt exponit Seruius. auctor est Liuius interdictum fuisse matronis Romanis lege Oppia, ne qua vestimento versicolori vteretur. iurisconsulti versicoloria vocant, quæ natiuum colorem mutauerunt.

Silvicolis *viris.*] priscis temporibus rudes illi, & agrestes siluas colebant, & antra habebant pro domiciliis: quod indicat Lucretius illo versu:

Sed nemora atque cauos montes, siluasque colebant:
Et Venus in siluis iungebat corpora amantum.

Atqve *binuli pellis.*] hinulum vocamus pullum ceruinum, ex cuius coagulo remedium fit præcipuum contra morsus, vt tradit Plinius. Hinnuli etiam dicuntur muli ex equo, & asina geniti: cùm legitimus mulus ex equa & asino nascatur. Prisci illi vetustissimi ex pellibus ferarum conficiebant corporum tegumenta. vnde ait Lucre.

Pellibus & spoliis corpus vestire ferarum.

& vt inquit poëta Satyricus: Tori siluestres pellibus sternebantur. hinnulus hic accipitur pro pullo ceruino. Horat.

Vitas hinnuleo me, similis Chloe

natiuo toro. antiqui tori erant cespititij & herbacei. vnde ait Maro:

Proximus vt viridante toro consederat herbæ.

talem torum vocat poëta natiuum, quia naturalis est non artificiosus.

Poena *videre deas.*] alludit ad fabulam Actæonis, cui pœna fuit vidisse nudam Dianam.

Diiqve *deæque.*] Aug. in iiii. & M. Varro, & Virg. quæ sint numina ruris abunde demonstrant.

Et *leporem quicunque.*] hæc sunt verba, quibus dij agrestes benigne compellabant homines rusticanos.

Et *me Pana.*] Pan deus se comitem in aucupio & in venatione vocari gestiebat, nec dij dedignabantur commertia mortalium.

Calamo *præmia.*] aucupium intelligit in quo vtimur calamis viscatis, qui aucupatorij vocantur.

Cane.] canem venaticum intellige, atque sagacem, quibus vtimur in venatu.

Sacraria.] locus sacer, sacrorúmque repositorium dicitur sacrarium: vnde à Cicerone sacrarium Bonæ deæ nominatur.

Lvcis.] vt pote religiosi. nam lucum ponunt poëtæ pro loco consecrato: vnde ait Qu. *Ennium sicut sacros vetustate lucos adoremus.*

Avro *venalia iura.*] huic sententiæ quadrat illud Apuleij, *Tot nunc iudices sententias suas prætio nundinantur*: & illud ex Deuteronomio: *Munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum.*

Torrida *sacrilegum.*] Brennus Regulus Gallorum cupiditate opulentissimæ prædæ inflammatus templum Apollinis Delphici ditissimum inuasit cum maximis copiis Gallorum: at montis Parnasi portio terræmotu abrupta strauit exercitum: Brennus semet pugione confodit: auctor Iustinus, & à nobis supra hæc historia fuit recitata.

Pythia *regna.*] vocat Delphicum templum oraculo Apollinis illustre, qui dicitur Pythius, vt supra docuimus: & intonsus figuratur iuxta illud Tibulli:

Nam decet intonsus crinis vtrumque Deum.

& Chrysocomos à Græcis cognominatur à fulgore radiorum, quæ comæ sunt Solis aureæ, & idem acersecomes appellatur, quod nunquam radij possunt à fronte lucis auelli: inde à Iuuenale capillatus puer & formosus pocillator scitissime dictus est acersecomes, quamuis interpretes nescio quid aliud autument.

Mons.] Parnassus.

Lavrigero.] scribit Plin. laurum spectatissimam nasci in monte Parnasso.

Concvssvs.] scilicet terræmotu, vt diximus.

E t *scelus accepto.*] dirum scelus auarissimi Po- A
lymnestoris notum est carmine Virgiliano, qui spe prædæ sollicitatus.

——Polydorum obtruncat & auro
Vi potitur.——

Quod facinus vt Hecuba vlcisceretur oculos effodit Polymnestori. Lege Ouid. in XII.

E r i p h y l a *lacertos.*] supra memorauimus quemadmodum Eriphylâ prodidit maritum Amphiaraum, & in bellum Thebanum impulit ire recusantem accepto monili prætioso, quod illi dedit Argia coniux Polynicis. Amphiaraus itaque ad bellum profectus hiatu terræ dehiscentis absorptus est cum quadrigis: & nusquam deinceps visus. lege Statium & Diodo. B

S e d *nulla fides.*] vera, inquit, dico, sed mihi dicenti vera non creditur: quemadmodum Cassandræ vaticinanti à Teucris nulla fides adhibebatur: vnde dictum est à Virgilio:

Ora, dei iussu, non vnquam credita Teucris.

M æ n a s *Ilia.*] vocatur à poëta pro eo quod est furens Troiana & per furorem vaticinans, quam Virg. & Ouid. furentem appellant.

S o l a *Parim.*] Cassandra vaticinata est Parim futurum Troiæ excidium, & equum illum Troianum dixit esse patriæ suæ insidiosum: vnde ait Cice. *Quid causa sit cur Cassandra furens futura prospiciat.*

I l l e *furor.*] scilicet vaticinanti Cassandræ. C
inest enim animis præsagatio inclusa diuinitus: ea si exarsit acrius furor appellatur: auctor Cice.

I r r i t a *lingua.*] Cassandræ scilicet cui creditum non est.

V e r o s.] quoniam euenerunt ea quæ Dij per vaticinium Cassandræ futura denunciabant.

IANVS DOVSA FIL.

Q v æ *viua sequatur Coniugium.*] *Coniugium* pro coniuge, vt *matrimonium* pro matrona apud Liuium lib. X. plura in hanc rem minus vulgata D
congessimus superiore capite.

P r o l o q v a r, *atque vtinam patriæ sim verus aruspex.*] In nonnullis editionibus legas: *vanus aruspex.* quod verissimum puto. neque enim optat aut imprecatur mala patriæ suæ, sed prædicit tantum. sic lib. IV. ex persona vatis cuiusdam:

Vera sed inuito contigit ista fides.

IANVS DOVSA PATER.

A t q v e *hinnuli pellis totos operibat amantes.*] *Hinnulus* est hinnulus, vt Græcis tam ὕννος quam ὕνις dicitur, & vomerem vtrumque significat. E
Sed & mox eorundem Græcorum exemplo *pastoris aulam* pro caula posuisse videri potest Callimachus noster, cùm stabulum vel caulam αὐλὴ indigitent Græci, atque eodem nomine domos etiam regias siue palatia iidem ipsi designent. cui sententiæ ἢ καὶ ἐπαύλεις adiungas licebit.

P i n v s *& incumbens lætas circundabat vmbras,*

Nec fuerat nudas pœna videre Deas.]

Vbi *lætas* hilares interpretor ex Martiali:

Exercet hilares facilis hortus vmbellas.

allusum autem ad fabulam Actæonis in sequenti versu, cui Dianam nudam vidisse pœnæ ac noxæ fuerat. sed nescio an argutius Lipsius, doctè certè & perquam scitè:

Et fuerat nudas penè videre Deas.

vtitúrque eodem loquendi genere atque iisdem pene verbis in Satyris suis Horatius, scribens:

——Cum tibi penè videre est
Vt nudam.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

Q v æ *viua sequatur Coniugium.*] Hoc est, coniugem. Supra:

——& totum femina coniugium.

Iuuenalis,

——sed nec
Electra iugulo se polluit, aut Spartani
Sanguine coniugij——

A t q v e *hinnuli pellis.*] Laborat à syllabis versus, etiam in nostro. Sed τὸ a t q v e additum à pædagogulis. Legendum vero:

Hinulei pellis totos operibat amantes.

Horatius:

Vitas hinuleo me similis Chloe.

N e c *fuerat nudas.*] Alibi:

Magnam Tiresias adspexit Pallada vates,
Fortia dum posita Gorgone membra lauat.

Vide Καλλιμάχου λουτρά. Nota est & fabula Actæonis. Inde Ouidius:

Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ.

C o r n i g e r *Idæi.*] Theocritus:

Γωνάκω καὶ ὅτις πῶν τ' αὐλῶν αὔτως ἀείδοι
Χλωρὸς ἐν βοτάναις——

P r æ b e b a n t *vestris verba benigna focis.*] In nostro est. *verba secunda,* quæ recta est lectio. hoc est loquebantur ipsis sermone secundo. ὄαρ est in ea significatione apud Græcos vsurpatum. Legendum autem v e r s i s, non v e s t r i s. Vertere focum. Nam mensis sublatis, verso foco, tempore hiemis ait eos verba inter se serere consuesse.

N e q v e *enim Ilia quondam.*] *Ilia*, pro Iliensis. Libro IIII -*Ilia tellus vincet.*- Sic vetus interpres Virgilij annotat à Plauto dictum, Hector Ilius, pro Iliensis.

ELEGIA XIII.

M v l t a tuæ, Sparte, miramur iura palæstræ,
Sed mage Virginei tot bona gymnasij,
Quòd non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros,
Cùm pila veloces fallit per brachia iactus,

Increpat & versi clauis adunca trochi.
Puluerulentáque ad extremas stat femina metas,
Et pariter duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Mißile nunc disci pondus in orbe rotat;
Gyrum pulsat equis, niueum latus ense reuincit,
Virgineúmque cauo protegit ore caput.
Et modò Taygeti crines aspersa pruina,
Sectatur patrios per iuga longa canes.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodo onteis turba lauatur aquis,
Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis ille futurus equis:
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triuiis ad latus esse suæ:
Nec timor, aut vlla est clausæ tutela puellæ,
Nec grauis austeri pœna cauenda viri.
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis, longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratæ cura molesta domi.
At nostra ingenti vadit circũdata turba,
Nec digitũ angusta est inseruisse via:
Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi,
Inuenias. cæcum versat amator iter.
Quòd si iura fores, pugnásque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi, Roma, bono.

A

PHILIPP. BEROALD. BON.

MVLTA *tuæ Spartæ.*] difficultatem Romanarum puellarum, quæ stipatæ incedunt multis custodibus criminaturus celebrat Laconicam palæstram: qua puellæ nudæ cum viris nudis paßim colluctabantur, & cum amatoribus consistebant citra omnem infamiam: & hoc ex instituto Lycurgi factitatum: qui virginum corpora cursibus & luctationibus, reliquisque id genus virilibus exercitamentis exercuit, B & puellas nudas saltare & currere coram iuuenibus assuefecit: & nudatio illa nihil habebat turpe: verecundia enim aderat, petulantia aberat. auctor Plutarchus in Lycurgo. & vt idem scribit in apophtegmatis, cum quidam reprehenderet huiuscemodi muliebrem nuditatem, Lycurgus inquit, se hoc ideo instituisse, vt fœminæ eisdem studiis, quibus viri exercitatæ, nulla in re illis essent inferiores: & Pla. ille presbyterorum deus nuncupatus voluit vt fœminæ non solum puellæ, sed etiam anus nudæ cum viris luctarentur. quæcunque exercitationes viris tribuuntur, easdem mulieribus dicit esse tribuendas, quippe cum vtrisque natura sit vna, C eandem debere esse virtutem. in libris de legibus, de repub. multa id genus à Platone traduntur, quæ tamen ecclesiastici scriptores improbarunt.

SPARTE.] vocatiuus casus est. Spartanam enim ciuitatem alloquitur, quæ dicta est à Sparto filio Phoronei, vt inquit Euseb.

PALÆSTRÆ.] primi Lacedæmonij, teste Thucydide, corpora in gymnasio nudauerunt & oleo perunxerunt.

MAGE.] pro magis dictum.

GYMNASII.] gymnasia delectationis & exercitationis causa primi Græci instituerunt, D vt docet Cice. in II. de Oratore: postea philosophi illa tenere cœperunt, & in illis disputare. docet Victruuius in v. quo modo palæstræ sint exædificandæ, & quæ in palæstris loca sint constituenda.

CLAVIS *adunca trochi.*] trochos Græce rota dicitur: vnde trochæus metricus: quod rotatim & volubiliter dicebatur, est nuncupatus. trochus ludentibus pueris scutica agitabatur & rotabatur, vt ait Acron. Erat autem ferreum instrumentum instar rotæ, per quod pilas ligneas trãsmittere dicebantur, vt nonnulli autumant. Clauis adunca dicitur, qua fixus trochus continebatur. De trocho Martialis,

Iste trochus pueris, at mihi cantus erit.

E PANCRATIO.] Pancratium genus est ludicri certaminis, cuius meminit iurisconsul. ad legem Aquiliam his verbis, *Si quis in colluctatione, vel in Pancratio, vel pugile, dum inter se exercentur, alius alium occiderit.* quo in loco pro interpretatione meras ineptias blactit Accursius. Quod autem exercitamenti genus Pancratius foret, Quintilianus insinuat in secundo, cuius verba hæc sunt: *Peritus nõ si docendum Pancratiasten susceperit pugno ferire vel calce tantum, aut nexus modo,*

atque in his ictus aliquos docebit. sed omnia quæ sunt eius certaminis Pancratiasten nominauit certatorem ipsum Pancratij; sicut Gellius in tertio ait: *Diagoras filios tres habuit vnum pugilem, alterum Pancratiasten, tertium luctatorem:* idē alibi significātius expressit Pancratiarum ritū his verbis: *Oportet animosè intento vt sunt athletarum, qui Pancratiæ vocantur, qui ad certandum vocati proiectis alte brachiis consistunt, caputque & os suum manibus oppositis quasi vallo præmuniunt.* Apud Senecam declamatio est de duobus fratribus Pancratiastis: &, vt auctor est idem Seneca lib. v. de beneficiis, *Lacedæmonij vetant suos Pancratios cestu decernere.* & Plin. in xxxv. *Miron*, inquit, *fecit Delphicos pentathlos pancratiastas.* Pentathli autem dicuntur, vt verbum intelligas Plinianum, illi qui quinque in ludo artes gymnasticas exercent, videlicet discum, cursum, palæstram, saltum, & iaculationem. ipsa exercitatio Pentathlon vocatur, alio nomine dicitur quinquertium, & ipsi pentathli quinquertiones.

NVNC *ligat ad cestum.*] cestus significat arma pugilum, quæ ex loris plumbo insuto ac ferro conficiebantur, vt docet Maro, qui in v. Aenei. luculentissime describit pugnam cestuum Daretis & Entelli. & Vale. Flaccus in IIII. Argonauticorum eleganter cecinit, quemadmodum crudo cestu Pollux, Amycusque decertauerint.

MISSILE *disci.*] discus genus erat ludicri, ex ferro siue plumbo orbis latus & ponderosus, quo in sublime misso exercebantur. scribit Oui. Apollinem cum Hyacintho iniisse certamina disci. Mar. de disco ait:

Splendida cum volitent Spartani pondera disci,
Este procul pueri, sit semel ille nocens.

Discum pro vase escario accipiunt ecclesiastici scriptores: inde eleganter à Diuo Hierony. dictus est discophorus ille, qui prandium portabat.

GYRVM.] equestrem signat exercitationem, cuius laus est, vt equus in gyrum flectatur. inde ait Maro:

Frena Pelethronii lapithæ gyrósque dedere.

& ab Ouid. dictum est per quam venuste.

Exiguo flexos miror in orbe pedes.

CAVO *ære.*] galea. periphrasticos.

THERMODOONTEIS *aquis.*] Thermodon fluuius est in Cappadocia ortus ad castellum Phanoriam, vt scribit Plin. iuxta Thermodonta consederunt Amazones, vt auctor est Iustinus: vnde à Silio Thermodon Amazonius appellatur. scribit Diod. in III. bibliothecæ de Amazonibus multa, quæ penes Thermodonta incoluerunt: scribit in IIII. alteras fuisse Amazones in Libya, quæ contra Gorgonidas dimicarunt. Papin. turmas Amazonum Thermodontiacas vocat.

TAYGETI.] Taygeta sunt montes Laconiæ, quibus Sparta subiecta est, vt tradit Strabo olim Taygeti montis magna pars corruit terræmotu, vt meminit Plin. in iugis Taygeti exercebantur venatione virgines Laconicæ. vnde dixit Maro:

—— *& virginibus bacchata Lacænis Taygeta.*—

CANES *patrios.*] Laconici canes & Epirotici à regionibus generosissimi indicabantur, vt scribit Varro in re rustica. vnde ait Horatius:

Qualis aut Molossus aut fuluus Lacon.

& à Virgilio dictum est:

Veloces Spartæ catulos, acrémque Molossos.

QVALIS *& Eurota.*] Eurotas fluuius, teste Cicerone, præter Lacedæmonem fluit apud Lacænas virgines: palæstra, Eurotas, Sol, puluis labor, militia magis in studio est, quam fertilitas barbara: & illic cum Castore ac Polluce soror Helena gymnicos ludos exercebat, & nuda luctabatur. Quod etiam indicat Ouid. sic scribens:

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis: & ex nudis fœmina mixta viris.

Pollux ab Homero vocatur pyxagathos, quoniam erat optimus pugil. & Castor hippodamos, quasi domitor equorum.

LEX *igitur.*] laudat legem Spartanam, quæ non prohibebat iuuenes amantes interesse luctationibus amicarum, & illarum lateri palam adhærere, vt paulo ante diximus, & qui à virginibus laudatus fuisset, ille gaudibundus discedebat: & ad hoc genus spectaculi etiam seniores accedebant.

TV *te.*] tu ipsemet.

VADIT *circundata turba.*] idem tradit Horat. in primo sermonum eo in loco,

Si interdicta petis vallo circundata.

NEC *digitum.*] id est, non datur vel solo digito posse contingere amicam, vt pote hinc & inde stipatam.

CÆCVM *iter.*] quoniam non potest videre quod amat.

QVOD *si intra fores.*] sermonem vertit ad vrbem Romam dicens illam sibi fore cariorem, si pugnas, palæstrásque Lacænas imitetur, vt virgines nudæ cum amatoribus nudis misceantur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

INTER *luctantes nuda puella viros.*] Idem Plutarchus Lycurgo. Item Ouidius:

More tuæ gentis nitida dum nuda palæstra
Ludis, & es nudis mista puella viris.

At Euripides non γυμνὰς, sed γυμνοῖσι μηροῖς. id quod δωριάζειν dicebant. Eius verba hæc ex Andromacha:

αἳ ξὺν νέοισιν ἐξερημοῦσαι δόμους
γυμνοῖσι μηροῖς, καὶ πέπλοις ἀνειμένοις,
δρόμους, παλαίστρας τ' οὐκ ἀνασχετοὺς ἐμοὶ
κοινὰς ἔχουσι.--

QVVM *pila veloces fallit.*] Legendum:

Quum pila veloci fallit per brachia iactu.

Sic supra:

Hoc magis accepta fallit vterque fide. λανθάνει.

ET *modo Taygeti.*] Præpostere hæc posita sunt. Nam præcedens distichon, *Qualis Amazonidum*, sequi debet.

EST *neque odorata.*] Repone, *adorata*, vt referunt vestigia priscæ scripturæ. Neque ita se continet domi, vt ibi adoranda sit, tanquam παρθένος ἱερά.

ELEGIA XIV.

Sic ego non vllos iam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilãda mihi.
Vt mihi prętexta pudor est velatus amicus,
Et data libertas noscere amoris iter.
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cùm ducitur annus.
Vix memini nobis verba coisse deeẽ.
Cuncta tuus sepeliuit amor, nec femina post te
Vlla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine sæua
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros vssit regina capillos,
Molliáq; immites fixit in ora manus!
Ah quoties famulam pensis onerauit iniquis,
Et caput in dura ponere iussit humo!
Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris:
Vilem ieiunæ sæpe negauit aquam.
Iuppiter Antiopæ nusquam succurris habenti
Tot mala? corrumpit dura catena manus.
Si deus es, tibi turpe, tuam seruire puellã,
Inuocet Antiope quem nisi vincta Iouem?
Sola tamen, quæcunque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit vtraque manu,
Inde Cithæronis timido pede curris in arces.
Nox erat, & sparso triste cubile gelu.
Sæpe vago Asopi sonitu permota fluētis,
Credebat dominæ ponè venire pedes.
Et durum Zethum, & lacrymis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
A *Ac veluti magnos cùm ponunt æquora motus.*
Eurus in aduersos desinit ire notos,
Littore si tacito sonitus rarescit arenæ:
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.
Sera tamẽ pietas, natis est cognitus error.
Digne Iouis natos qui tueare senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
B *Vinxerunt Dircen sub trucis ora bouis.*
Antiope cognosce Iouem, tibi gloria Dirce
Ducitur, in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, victórque canebat
Pæana Amphiõ rupe Aracynthe tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
C *Nescit vestra ruens ira referre pedẽ.*
Fabula nulla tuas de nobis cõcitet aures.
Te solã & lignis funeris vstus amẽ.

PHILIPP. BEROALD. BON.

SIC *ego.*] agit causam Lycinnæ apud Cynthiã sæuire volentem propter pellicatus suspitionem: ostendens se postquam Cynthiam amare occeperit, nec Lycinnæ, nec alterius puellæ vsum esse consuetudine. Lycinnam se amasse in D pueritia testatur, cuius amorem Cynthiæ amor penitus aboleuerit, vnde illius amor inter veros amores non est numerandus, cùm adhuc rudis esset & iter a moris ignoraret.

SIC.] particula precatiua est.

PRÆTEXTÆ.] amictu. Postquam vestem prætextam indui, quæ vna cum bulla in vsum puerorum nobilium vsurpabatur: vnde prætextati vocitabantur: ideo autem ingenuis pueris attributam existimant togam prætextam, vt ex purpuræ rubore ingenuitatis rubore regerētur. lege Macrobium in primo Saturnalium. Erat etiam prætexta gestamen magistratuum, erat & regum, &, vt ait Plin. Tullus Hostilius ex regi- E bus Romanis primus vsus est toga prætexta.

ILLA *rudes animos per noctes.*] cum Lycinna primos concubitus patraui adhuc rudis tirunculus in amore. Scribit Plinius, hominem primi coitus pœnitere.

VINCLA.] complexus.

TESTIS *erit Dirce.*] sensus est, Si sæuieris in Lycinnam testimonium exhibebis sæuitiæ.

DIRCES *in Antiopen.*] quoniam tua sæuitia faciet, vt credamus vera esse, quæ de atrocitate Dirces in Antiopem feruntur. & ita Dirce erit

datiuus casus. potes etiam legere, *Testis erit Dirce*: vt in omnibus codicibus legitur. & erit sensus, Dirce sæuiens ob verum crimen erit testis Antiopen cum Lyco marito concubuisse,& erit testis veri criminis,cùm tu veræ culpæ, ô Cynthia, testis esse non possis. quidam codices habent, *Accubuisse Ioui*, quod placet.

NYCTEOS.] pro Nyctei, & est genitiuus Græcus de Antiopa Nyctei filia dictum est in primo commentario: & nunc poëta narrat sæuitiam, qua vsa est Dirce in Antiopen tanquam pellicem.

REGINA.] Dirce vxor Lyci Thebani regis.

IN *ora*.] in faciem & oculos Antiopæ. arma mulierum sunt vngues,vt inquit, Donatus.

FAMVLAM.] Antiopem.

IVPPITER *Antiopæ*.] apostrophe ad Iouem vtpote amatorem Antiopes, ex qua Zethum & Amphionem filios suscepit.

DVRA *cathena*.] Antiopa manicis ferreis vincta tenebatur in carcere,sed ruptis vinculis effugit in Cithæronem Bœotiæ montem. fabula nota nunc commemoratur à Propertio.

MANICAS.] Manicæ dicuntur vincula manuum,& in hac significatione hic accipitur, & apud Virg.

——manicas atque arcta leuari
Vincla iubet Priamus.——

Manicas per translationem vincula nauium appellat Lucanus:

Ast alias manicæque ligant, teretésque cathenæ.

Manicæ sunt manuum tegumenta: Vnde legimus Plinium habuisse ad latus notarium, cuius manus hyeme manicis muniebantur, vt ne cœli quidem asperitas vllum studij tempus eriperet. Tunicæ manicatæ opprobrio dantur à Virgilio illo versu, *Et tunicæ manicas*.

ASOPI *sonitu*.] Asopus fluuius est currens prope Cithæronem non longe à Thebis. auctor Strabo, Scribit Diodorus Asopum filium Oceani & Tethydis fluuio nomen indidisse.

PONE.] post,& à tergo. Virg. *Pone legit*.

ET *durum Zethum*.] dissimiles moribus fuerunt Zethus & Amphion. alter seuerus & durus: alter mollis & citharœdus:vnde apud Euripidem fit mentio Zethi admonentis fratrem, vt deposito citharæ studio ad grauiora contendat: vnde dixit Horat. *——suspecta seuero*
Conticuit lyra, fraternis cessisse putatur
Moribus.——

AMPHION.] Zethum & Amphionem expositos suscepit & aluit pastor, qui diu ignorarunt Antiopam esse ipsorum genitricē: vnde persæpe in illam durus erat Zethus eámque abigebat: Amphion vero lachrymis matris, & si eam matrem esse nesciebat, flectebatur: sera tandem pietate matrem recognouerunt, Dircémque tantorum malorum ream tauro indomito alligatam traxerunt per Thebanum agrum: quæ in fontem sui nominis fertur esse conuersa: cuius fontis geographi meminerunt.

SERA *pietas*.] quia sero filij matrem agnouerunt.

IOVIS *natos*.] Zethum & Amphionem.

QVI *tueare senex*.] hic intelligitur ille pastor, qui filios Iouis Zethum & Amphionem inuentos sustulit, & sublatos educauit, quo docente recognita est mater.

TIBI *gloria*.] sensus est, Rapitur ad mortem Dirce quæ tua est gloria ô Antiope.

DVCITVR.] signate locutus est. nam ducimur, teste Dona. quo nolumus: & is ducitur qui ad supplicium trahitur. vnde ait Sen. lib. III. de ira, *Quid facilius fuit Antigono quam duos manipulares duci iubere*. idem in lib. de Tranquil. inquit: *Duci te iussi*.

HABITVRA *locis*.] quia discerpta fuit frustulatim dum trahitur à tauro per diuersa loca.

ZETHI.] à Zetho.

PÆANA *Amphion*.] Pæanes dicuntur laudes deorum omnium, proprie Apollinis, vt inquit, Ser. seri. Lact. Pæanas etiam versus Apollini dictos propter extinctum Pythonem. omnis laus Græcè dicitur Pæan, & Pæanizein apud Græcos significat voce lætari: quod Latini dicunt vitulari. cecinit ergo Amphion Pæana, hoc est carmen plenum gaudimonij in Aracyntho, qui mons est clarus in Acarnania vt Plin. & Martianus tradunt: sed cum in Bœotia hoc fuerit factitatum, videtur esse intelligendum de altero Aracyntho monte Thebano, quem Virg. appellat Actrum ab Actone, vt interpretatur Probus: vel quasi littoralem, nam acte Græcè, dicitur littus Latinè.

VESTRA *ira*.] fœminea. ira enim muliebre maximè vitium est, vt inquit Sene. & fœminarum iræ magis acres sunt quam graues, &, vt ait Ouid.

Fœmina inserũ flãmásque ruit, positoque decore Fertur.

FABVLA *nulla*.] nullo, inquit, vano rumore moucaris ad credendum, quod à me Lycinna adametur, cum etiam post mortem sim te solam amaturus.

LIGNIS *funeris*.] id est, rogalibus flammis crematus ritu antiquorum.

IANVS DOVSA FIL.

SÆPE *vago Asopi sonitu permota fluentis*.] Aptius ad sententiam fuerit: *vaga*.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

VT *mihi prætextæ pudor est velatus amictu*.] Hæc non conueniunt, prætexta; & libertas noscendi amorem. imo deposita prætexta tunc libera toga sumebatur. Sed quid in re tritissima moror? Hic sane legendum:

Vt mihi prætextæ pudor exuelatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter,
Illa rudes animos.——

Exuelatus, & euelatus, idem. exiocari, eiocari. Idem Persius: *——totáque impune Saburra*
Permisit sparsisse oculos mihi candidus vmbo.

REGALES *manicas rupit vtraque manu*.] Apollodorus contra: ἧς δεσμοὶ αὐτόματοι λύονται.

LITORE *sic tacito*.] Lege, *Litore si tacito*.

DIGNE, *Iouis pueros qui tueare, senex*.] Bubulce, qui Zethum & Calaim expositos sustulisti; & matrem tandem tecto recepisti.

ELEGIA XV.

Nox media, & dominæ mihi venit epiſtola noſtræ,
Tibure me miſſa iuſsit adeſſe mora,
Candida qua geminas oſtendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committa me ne tenebris,
Vt timeam audaces in mea membra manus.
At, ſi hæc diſtulero noſtro mandata timore,
Nocturno fletus ſæuior hoſte mihi.
Peccarim ſemel, & totum ſum pulſus in annum.
In me manſuetas non habet illa manus.
Nec tamen eſt quiſquam, ſacros qui lædat amantes:
Scironis media ſic licet ira via.
Quiſquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeò, vt noceat, barbarus eſſe volet.
Luna miniſtrat iter, demonſtrat aſtra ſalebras:
Ipſe amor accenſas percutit ante faces.
Sæua canum rabies morſus auertit hiantes.
Huic generi quouis tempore tuta via eſt.
Sanguine tam paruo quis enim ſpargatur amantis
Improbus excluſis ſit comes ipſa Venus.
Quòd ſi certa meos ſequerentur funera caſus,
Talis mors pretio vel ſit emenda mihi.
Afferet huc vnguenta mihi, ſeriiſque ſepulchrum
A *Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.*
Di faciant, mea ne terra locet oſſa frequenti,
Qua facit aſsiduo tramite vulgus iter.
Poſt mortem tumuli ſic infamantur amantum.
Me tegat arborea deuia terra coma.
B *Aut humer ignotæ cumulis vallatus arenæ.*
Non iuuat in media nomen habere via.

PHILIPP. BEROALD. BON.

NOX *media, & dominæ mihi venit epiſtola noſtra.*] euocatus in Tiburtinam villam per epiſtolam à Cynthia de media nocte, nutabundus eſt an ſit eundum: tandem dicit pulchrum eſſe mori in amore, & pro amica nihil recuſandum: aitque amatores vbique eſſe tutos, & C inuiolabiles.

CANDIDA *culmina.*] videtur ſignare periſterotrophia, id eſt columbaria, quæ in receſſu Tiburtino habebat Cynthia iuxta fluuium Anienem, & illuc Propertium vocabat, nam periſterotrophion eſſe ſolet in turribus & culminibus villæ, à quo exiſtimat Varro columbas appellatas: & ipſa columbaria poliri debent & ſolent albo tectorio: quoniam, vt ait Columella, eo colore præcipue columba delectatur: & Palladius ſic ſcriptum reliquit, *Columbarium poteſt accipere ſublimis vna turricula in prætorio conſtituta, leuigatis ac dealbatis parietibus.*

D OBDVCTIS *tenebris.*] cuncta claudentibus. Obducere enim eſt tegere: inde cicatrices vulnerum obductas vocamus.

AT *ſi hæc diſtulero.*] ſecum conſultat quid agere debeat. eam, inquit, an non eam. Hinc nocturnus metus deterret: inde mandata imperioſæ Cynthiæ exhortantur, quæ ſi procraſtinauero, erit mihi mox excluſo dolente lachrymandum.

SCYRONIS *media.*] amantes vbique ſacri ſunt & inuiolabiles etiam ſi iter facerent per ſaxa Scyronia, quę ſunt in Attica regione ſiue Megarica, vt ſcribit Plinius: quibus nomen inditum E eſt à Scyrone latrone, vt docet Diodorus. Hic viatores ſupra ſcopulum abruptum deducebat, & deinde calcibus in mare deturbabat, quem Theſeus interemit. Meminerunt hiſtoriæ, Plut. in Theſeo, Diodo. in v. Strabo in nono. & Ouidius in ſeptimo: cuius eſt ille verſiculus, *Scopulis nomen Scyronis inhæret.* Megarenſes ciuem ſuum tutantur ab infamia, negántque fuiſſe latronum euerſorem & bonorum fautorem.

SCYTHICIS *oris.*] quacunque ibit amator tutus erit, & ſacer etiam ſi per Scythicas ſolitudines & loca barbarica ambulauerit. Scytharum ſolitudines Græcorum prouerbiis eludun-

tur. In hanc ſententiam eſt illud à Tibullo prolatum: *Quiſquis amore tenetur catiutúſque ſacérque Quilibet.*

SALEBRAS.] loca aſpera vocamus ſalebras: vnde & ſalebroſus deducitur. Virgilius: *Non tam ſalebroſus vt ante.* Exiſtimat Nonius ſalebras à ſaltu deduci. Cice. *Nunquam in tantas ſalebras cecidiſſet.* Idem alibi ait: *Hæret in ſalebra.*

PERCVTIT *ante.*] Cupido, inquit, tanquam miniſter facularius concutit faces amatori iter nocturnum facienti. fax, vt olim dixit Portius Latro declamator, immota torpeſcit, ignes vero exagitata reſtituit.

MERSVS *biantes.*] patentes rictibus diductis. Ita Virgilius: *-At viuidus Vmber Hæret bians.-*

HVIC *generi.*] ſcilicet amatorum.

CVSTOS.] Cynthia.

LOCET.] collocet & condat.

TERRA *frequenti.*] loco celebri & vulgi itionibus pertrito.

SIC *infamantur.*] videlicet in via militari collocati.

DEVIA *terra.*] vult poëta ſepeliri extra viam publicam inter frondes arboreas in loco deuio & ſequeſtrato à tumultuoſa frequentia. Multi defunctos ſeſe fictilibus doliis condi voluerunt, ſicut M. Varro Pythagorico modo deſiderauit ſepeliri in myrti & oleæ atque populi foliis.

HVMER.] ſepeliat, & humo contegat. Hoc enim proprie ſignificat humare. inde humati dicuntur humo contecti. Sepultus vero intelligitur quoquo modo conditus. auctores Cice. & Plin. Antiquiſſimum ſepulturæ genus fuit corpus humo reddere, & hoc diu obſeruatum, vt ſinus & gremium quaſi matris terræ mortuo tribueretur: & lex.XII. tabularum in vrbe ſepeliri vetabat. Cuius verba hæc ſunt: *In vrbe ne ſepelito, ne-ve vrito.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

CANDIDA *quæ geminas oſtendunt culmina turres.*] Miſeret me Beroaldi, qui turres interpretatur columbaria. Atqui fallitur, quum hic tantum intelligatur de Tibure. Ait Tibur oſtentari prope Cataracten Anienis Strabo: ἐν ὄψει δ' εἰσὶ ταῖς ἐκ Ῥώμης Τίβουρά τε καὶ Πραίνεστε, καὶ Τοῦσκλον. Τίβουρα μὲν, ἐν ᾧ τὸ Ἡράκλειον, καὶ ὁ καταράκτης, ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὢν ὁ Ἀνίων ἀφ' ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν καὶ καταλσῆ πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει. ἐντεῦθεν δ' ἐξέισι διὰ πεδίου εὐκαρποτάτου παρὰ τὰ μέταλλα τοῦ λίθου τοῦ Τιβουρτίνου. Quæ diſertim auctorem noſtrum interpretantur, vt Beroaldo nugas deſinere per me quidem liceat.

ET *cadit in patulos.*] Cataractas Anienis intelligit, de quibus iam diximus. quo nomine præceps Anio dicitur Horatio:

Et præceps Anio & Tiburni lucus——

ELEGIA XVI.

NVNC ô Bacche tuis humiles aduoluimur aris.
Da mihi pacato vela ſecunda pater.
Tu potes inſanæ Veneris compeſcere faſtus,
Curarúmque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te ſoluuntur amantes.
Tu vitium ex animo dilue Bacche meo.
Te quoque enim non eſſe rudem, teſtatur in aſtris
Lyncibus ad cœlum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi quod veteres cuſtodit in oſſibus ignes,
Funera ſanabunt, vel tua vina malum.
Semper enim vacuos nox ſobria torquet amantes;
Spéſque timórque animos verſat vtroque modo.
Quòd ſi Bacche tuis per feruida tempora donis
Accerſitus erit ſomnus in oſſa mea:
Ipſe ſeram vites, pangámque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ, me vigilante, feræ:
Dummodo purpureo ſpument mihi dolia muſto,
Et noua preſſantes inquinet vua pedes.
Quod ſupereſt vitæ, per te, & tua cornua, viuam,
Virtutiſque tuæ Bacche poëta ferar.
Dicam ego maternos Ætneo fulmine partus,
Indica Myſæis arma fugata choris,
Veſanúmque noua nequicquam in vite Lycurgum,
Pentheos in triplices funera grata greges:
Curuáque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea deſiluiſſe rate:
Et tibi per mediam beneolentia flumina Naxon,

Vnde tuum potant Naxia turba merum, A
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget bassaricas Lydia mitra comas.
Leuis odorato ceruix manabit oliuo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent. B
Vertice turrigero iuxta Dea magna Cybelle
Tundet ad Idaeos cymbala rauca choros.
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat. C
Tu modò seruitio vacuum me siste superbo:
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

PHILIPP. BEROALD. BON.

NVNC ô *Bacche tuis humiles aduoluimur aris.*] auxilium petit, atque suppetias implorat à Baccho ad curas amoris propulsandas, & sollicitudines leniendas: quoniam, vt inquit Horat. D

——*dissipat Euchyus Curas edaces.* ——

VELA *secunda pater.*] metaphoricos fauorem Liberi patris exposcit.

PER *te soluuntur amantes.*]

Vina parent animos Veneri, nisi plurima sumas:
Et stupeant multo corda sepulta mero.

&, vt scribit facundissime Seneca in libro de Tranquillitate vitae, Bacchus Liber dictus est non ob licentia linguae, sed quia liberat seruitio curarum animum, & tristitiae medetur. Caeterum non idem pollet in omnibus: nam, vt docet Aristo. in problematis, Vinum varios reddit hominibus mores, vt alios iracundos, alios misericordes, E alios taciturnos, alios somnolentos efficiat, sitque eiusdem naturae, quam bilis atra sortitur, quam Aristotelicam sententiam expressit Horat. illo carmine:

Seu tu querelas, siue geris iocos,
Seu rixam, & insanos amores,
Seu facilem pia testa somnum.

LVNCIBVS *ad caelum.*] qui amat amatoribus fauet. amauit Bacchus Ariadnam, debet ergo Bacchus praesto esse amatori auxilium imploranti, cùm ipse non sit rudis in amore. Ariadna à Theseo relicta in insula Dia adamata fuit à Baccho, & in caelum vecta curru à lyncibus ducto, vt Ouid. dixit, à tigribus. corona Ariadnes in caelo collocata est. Ipsa Liberae nomen accepit à Libero patre, vt docet Ouid. in Fastis: & est fabula notissima. Scribit Augustinus, quod memoratu dignum est, Liberum appellatum esse, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur. Hoc idem dicunt in foeminis agere Liberam: & ob hoc Libero virilem corporis partem in templo poni, foemineam Liberae. Lynces autem sunt animalia peregrina, quae clarissime omnium quadrupedum cernunt, vt auctor est Plin. in XXVIII. vario sunt collo & ferme omnis coloris, vt scribit Albertus magnus. Hinc à Virg. dictum est: *Quid lynces Bacchi variae.* Falluntur qui existimant oculos lynceos appellari acutissimos ab his lyncibus, quoniam clarissime cernant, vt diximus: nam lynceos oculos vocamus à Lynceo potius quam à lynce. Fuit autem Lynceus vnus ex Argonautis acutissima oculorum acie praeditus, qui, vt est in fabulis, & tradit Hiero. dicebatur videre trans parietem: qui, vt historici ferunt, conspexit nouissimam Lunam, primámque eodem die in signo Ariete, quod paucis mortalium contigit vidisse: & inde fabula orta est cernendi Lynceo, vt docet Plin. De hoc ait Flaccus: *Solus transibit nubila Lynceus.* Huius meminit Horati. in Epistolis: & in sermonibus dixit:

——*ne corporis optima lynceis*
Contemplere oculis.——

Lyncei mentio fit apud eruditos frequens, & in primis apud Ciceronem & Apuleium & Senecam. Lynces Baccho dicatae sunt: vnde ait Ouid.

Victa racemifero lyncas dedit India Baccho.

Quidam existimant lyncas esse lupos ceruarios. Solinus, Pliniúsque seiungunt.

VACVOS.] sine amica. In hanc sententiam est illud Tibulli,

Cum fletu nox vigilanda venit.

& illud Maronianum: *Sola domo moeret vacua.*

IN *ossibus ignes.*] amoris incendia, quae medullas in ossibus amantum depopulantur. Virg.

Atque ossibus implicet ignem.

Amor enim ignis est. Inde est ille notissimus Portij Licinij de amatore versiculus: *Quaeritis ignem? Ite huc. quaeritis? Ignis homo est.*

IPSE *feram.*] se cultorem vinearum profitetur.

PANGAMQVE *ex ordine colles.*] in disponendis arboribus, arbustisque ac vineis quincuncialis ordinum ratio laudatissima, & maximè necessaria est, quae non solum vtilis est, sed etiam aspectu gratissima, quocunque modo intueare in ordinem se porrigente versu: hanc rationem pangendi, plantandique arbores probant Plinius & Columella. Quincuncialis metationis meminit & Cicero in Catone maiore. De hac nunc loqui videtur & poëta, cùm dicit se velle pangere, hoc est figere vites, & conserere collinos agros ex ordine.

NVLLAE *ferae.*] quales sunt hirci. Ouidius:

Rode caper vitem. ——

SPVMENT *dolia.*] ita Virgilius:

Spumat plenis vindemia labris.
dolia sunt vasa grandia, quibus vinum reconditur. Antiqui doliis fictilibus condebant, infodiebántque terræ tota, aut ad portionem situs, vt docet Plinius in decimoquarto. *Doliis danda sunt interualla, ne inter sese vitia serpant.* Contagione vitij semper ocyssima, ventrosa, ac patula, minus vtilia. Coopercula doliorum sunt medicanda addita mastice aut pice. Alpini populi ligneis vasis ad vina condenda vti cœperunt, quæ circulis cinguntur.

INQVINET.] pressura vuæ calcatæ pedes calcantis sordidos efficit. & ob id ipse autumnus sordidus à poëtis cognominatur.

ET *tua cornua.*] Bacchum cum cornibus fingi vulgatum est: ex quo illud celebratur,

Accedant capiti cornua Bacchus eris.

Causam refert Diodorus, quòd primus dicitur Bacchus boues cornutos ad iugum iunxisse. Alij cornua Libero patri assignant, quoniam scilicet, vinolentia proteruitatem & contumaciam addere solet, quæ per cornua significatur, & cornua ebrij sumere dicuntur: vnde dixit Ouidius:

——*tunc pauper cornua sumit.*

Et Horatius de vino loquens ait:

Addis cornua pauperi.——

vbi per cornua vinolentiam cerebri intelligimus.

DICAM *maternos partus.*] se celebraturum carminibus dicit vitam & gesta Bacchi. Dicere laudare signat. vulgata fabula est, quemadmodum Semele fulmine Iouiali percussa est, & funere materno genitus est Bacchus.

INDICA *Nyseis.*] Bacchus qui Osyris, qui Dionysius, qui Liber pater, qui sexcentis nominibus appellatur, orbem ferme terrarum peragrauit, multas nationes domuit, Indos debellauit, & primus omnium triumphauit, vectus indico elephanto, vt scribit Diodorus: &, vt refert Plinius, emere ac vendere primus instituit, & diadema regum insigne ac triumphum inuenit. De quo triumpho ita loquitur Sillius in nouissimo sui operis:

Qualis odoratis descendens Liber ab Indis
Egit pampineos frenata tigride currus.

Choros Nyseos vocat exercitum Liberi patris, in quo erat multitudo musicorum, & nouem musarum pariter chori comitabantur, qui Nysei dicuntur à Nysa Baccho sacra. Nysam autem esse in Helicone, in Arabia, in India traditum est ab idoneis scriptoribus: & ipsum Dionysium esse nuncupatum à Nysa ciuitate Arabiæ, vbi infans educatus est à Nymphis: & ita à nomine patris: & loci, vocitatus est Dionysius.

VESANVM *Lycurgum.*] Lycurgus, vt fabulæ ferunt, contemptor Bacchi vites amputabat, & inter amputandum sibi crus bipenne concidisse fertur: quod ideo fictum esse existimat Seruius, quia fuit abstemius. abstemios autem vocamus qui temetum, hoc est vinum non bibunt. hunc vna cum Pentheo mactatum fuisse à Baccho cecinit Ouidius:

*Penthea tu venerande, bipennifer*ú*mque Lycurgum*
Sacrilegos mactas.——

PENTHEOS.] genitiuus Græcus. Fabula

A Penthei notissima est. Lege Ouidium in tertio Metamorphoseon.

IN *triplices greges.*] propter Agauem matrem dictum est, quæ cum geminis sororibus, Inone scilicet & Autonoe filium Penthea discerpsit, & in frusta lacerauit: tres sorores totidem ducebant greges bacchatum: & ideo dicit poëta funus Penthei fuisse gratum in triplices greges. Ouidius:

Mater & ô geminæ clamauit adeste sorores.

CVRVAQVE *Tyrrhenos.*] quis nescit Tyrrhenos nautas fuisse à Baccho demutatos in delphines, qui omnes præter vnum Acestem in vndas exiuerunt è nauigio, quam ratem pampineam vocat: vel propter pampinos, quibus erat exornata: vel propter Bacchum, qui in ea vehebatur: qui (vt ait Ouidius)

B

Pampineis agitat velatam frondibus hastam.

PER *mediam Naxon.*] Naxos insula est vna ex Cycladibus. alio nomine dicitur Dia, & priusquam Naxos dicta Dionysias: vel quòd Libero patri hospita fuit, vel quòd vinearum fertilitate vincat cæteras. auctores Plin. & Solinus. Merito itaque dicit poëta se cantaturum Naxon, tanquam per eam currant flumina vini odoratissimi, quod Naxia turba, hoc est ipsi Naxi insulani potare dicuntur. Talis est hymnus Bacchi apud Horatium.

C

BASSARICAS *comas.*] Bacchus appellatur Bassareus à genere vestis: Vnde & ipsæ Bacchæ Bassarides vocitantur, vt Acron & Porphyrio tradunt. Horatius:

——*non ego te candide Bassareu Inuitum quatiam.*

Papinius:

Et tu Bassaridum rotator Euan.

Hinc poëta comas Bacchi bassaricas appellat, quas cingi ait à mitra Lydia: quoniam mitra caput alligabat: vnde Mitrophoros, teste Diodoro, cognominatus est. Lydia autem bono epitheto dicitur mitra, quoniam Lydi ea in primis vtebantur: vnde & à Virgilio dictum est: *Mæonia mentum mitra.* Mæonia vero & Lydia eadem est regio, vt Herodotus memorat.

D

LEVIS.] polita & sine pilis, est enim Bacchus intonsus & inuestis.

VESTE *fluente.*] qualis est Bassarea. Syrma proprie appellatur vestis qua Bacchus amicitur.

DIRCEÆ *Thebæ.*] Bacchus patriam habet Thebas Bœotias. vt scribit Plin. quas Dirceas vocat à fonte Dirce: de quo iam dictum est: vnde & à Statio Dirceus ager Thebanus nominatur. Ideo autem addidit epitheton Dirceæ, quia sunt Thebæ Aegyptiæ, Thebæ Ciliciæ, Thebæ Corsicæ: fuerunt & Thebæ Lucanæ, quas interisse auctor est Cato. epitheton ergo distinguit Bœotias Thebas à reliquis, quæ est patria duorum numinum: Liberi, & Herculis.

E

CAPRIPEDES *Panes.*] pingitur Pan caprina facie & cruribus hircinis, vt docet Herodotus. & dixit Seruius Pana habere caprinos pedes: vnde à poëtis Panes capripedes vocitantur. Et Horatius Satyros capripedes appellauit. Panes autem & Satyri & Tityri inter Bacchi ministros numerantur: qui omnes, auctore

Martiano, post prolixum tempus moriuntur: A vnde olim audita est à nauigantibus vox dicentis magnum Pana mortuum esse.

CALAMO *hiante.*] fistula sonante, quam ex calamis primus compegit Pan.

VERTICE *turrigero.*] sacra Bacchi & Cybeles copulata sunt, vt docet Strabo in decimo: Ideo nunc poëta ait Cybelem celebraturam vna cum Baccho mysticas cerimonias. Verticem turrigerum Cybele damus, quoniam, vt ait Augustinus, Esidea tellus in qua sunt oppida. vnde dixit Lucretius:

Muralisque caput summum subnixa corona.
Eximiis munita locis quòd sustinet vrbes. B

& Ouidius in Fastis inquit:

At cur turrifera caput est onerata corona:
An prius turres vrbibus illa dedit?

Turres primi Cyclopes inuenerunt, vt inquit Aristo.

AD *Idaeos choros.*] quia est altera Phrygia, altera Cretica. Iuuenalis: *Hospes numinis Idaei.*

ANTE *fores crater.*] scribit Augustinus in æde Liberi œnophorum poni, per quod vinum significatur.

NON *humili cothurno.*] hoc est stylo grandiloquo, & cothurnato, referam laudes Bacchi.

PINDARICO *ore.*] in Pindaro Lyricorum C poëtarum principe spiritus magnificentiam in primis laudat Quintil. qui velut quoddam eloquentiæ flumen decurrit: quem Horat. credit nemini imitabilem: à quo in epistolis quoque dictum est,

Pindaricos qui non expalluit haustus.

Alexander Magnus Pindari familiæ & penatibus parci iussit cum Thebas diriperet. auctores Plinius, & Plutarchus.

IANVS DOVSA FIL.

SEMPER *enim vacuos nox sobria torquet amantes.*] D vacuos, id est, amica carentes. Sic lib. I. Ele. XIII.

Tu quod sæpe soles, nostro lætabere casu
Galle, quòd abrepto solus amore vacem.

Sed & *vacare* pro viro carere, apud eundem est lib. II. Eleg. IX.

At tu non vna potuisti nocte vacare,
Impia, non vnum sola manere diem.

Hinc explicandus, id quod alij non notarunt, Martianus Iurisconsultus cùm *vacantem mulierem* pro vidua sumit in l. 5. §. 2. ad leg. Iul. de vi publ. Tacitus quoque eodem sensu Annal. XIII. *Sed vbi mulier vacua fuit, nectere moras.*

IANVS DOVSA PATER. E

DA *mihi pacato vela secunda pater.*] Fortè *pacatus.*

QVAS *carpant nulla, me vigilante, feræ.*] Alludit ad Fabulam illam multò notissimam de Capro qui vitem atroserat, de quo Ouidius in Fastis.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ET *tibi per mediam beneolentia flumina Naxon.*] Lege *beneolenti flumine.* Naxos beneolenti flumine, vt *domus sanie dapibúsque cruentis.* Ita autem interpungendum:

Et tibi per mediam beneolenti flumine Naxon,
Vnde tuum potant Naxia turba merum,
Candida laxatis onerato colla corymbis, &c.

FVNDET *ad Idaeos.*] Lege, *Tundet.*

ELEGIA XVII.

CLAVSVS ab vmbroso quà alludit Pontus Auerno
Humida Baiarum stagna repentis aquæ,
Quà iacet & Troiæ tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic vbi mortales dextra cùm quæreret vrbes,
Cymbala Thebano cõcrepuere Deo:
At nunc inuisæ magno cum crimine Baiæ,
Quis Deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demisit in vndas,
Errat & in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus aut optima profuit illi
Mater, & amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modò tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus:
Tot bona tam paruo clausit in orbe dies.
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos.
Stantiáque in plausum tota theatra iuuent:
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis, ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus, & vltimus ordo
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.

Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torui publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & are,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut, Pactoli quas parit humor, opes.
Hic olim ignaros luctus populauit Achiuos,
Atridæ magno cùm stetit alter amor.
At tibi nauta, pias hominum qui traiicis vmbras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ,
Quà Siculæ victor telluris Claudius, & quà
Cæsar ab humana cessit in astra via.

PHILIPP. BEROALD. BON.

CLAVSVS *ab vm.*] existimo hac Elegia mortem Marcelli significari, qui fuit filius Octauiæ sororis Augusti, cui Iuliam filiam Augustus desponsauit, qui periit in Baiano secessu adhuc sponsus, annum agẽs ætatis vigesimum, cùm esset ædilis: cuius obitum Romani vehementer doluerunt. Mater Octauia nullum finem per omne vitæ suæ tempus flendi, gemendique fecit. Talis per omnem vitam fuit, qualis in funere. Bibliothecam construxit ad filij memoriam propagãdam. Augustus theatrum nomine Marcelli ædificauit, quod dictum est Marcellianum. Hæc legimus apud Tranquillum, Plutarchum, Senecam, & Seruium. De hoc dixit Maro: *Tu Marcellus eris.* Huius obitum nunc deflet Propertius. Hic est poëtæ sensus, hoc elegiæ argumentum, quod nullus ante hac satis animaduertit, quod nullus satis curiosè pensitauit: Marcello omnia quadrant, Marcello cuncta conueniunt, quæ à poëta memorantur: Iam Elegia erit aperta, quæ prius erat subobscura. in cuius principio describit poëtica circũlocutione locum, in quo Marcellus occubuit: Vbi, inquit, est Auernus, & tepentes fontibus Baiæ, vbi Misenum promontorium, vbi semita Herculea: in his locis extinctus est Marcellus cum magno crimine aquarum Baiarum, quæ cum salubertimæ dicantur, illi fuerunt exitiales, atque letiferæ. Plerique omnes cum ignorarent Marcellum Baiis occubuisse, commenti sunt nouas & perinde futiles interpretationes.

A TVBICEN *Misenus.*] Misenum promontorium est prope Baias, vt scribunt Strabo & Plinius: cui nomen imposuit Misenus tubicen Æneæ, vt ait Solinus, Sepultus

Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternúmque tenet per sæcula nomen,

& res nota est carminibus Maronianis.

HERCVLEO *structa labore via.*] in primo commentario dictum est quemadmodum Hercules aggerem construxit in Campania causa boum traducendorum, quæ dicta est via Herculea, quam posterioribus temporibus exornauit Agrippa. De hac nunc loquitur poëta.

B CYMBALA *Thebana.*] Herculem intelligit qui fuit deus Thebanus, cuius patria sunt Thebæ Bœotiæ, qui in Campania colebatur cymbalis crepitantibus, vtpote optimè meritus de tota illa regione, in qua gigantes interfecit: vbi sunt campi Phlegræi, ciuitates condidit, Pompeios & Herculaneum: & ita legendum censeo: Cum conderet vrbes, pro eo quod est ædificaret Herculaneum atque Pompeios. Si legimus cùm quæreret vrbes: extrinsecus subintelligendum est ædificandas, aut habitandas, aut aliquid simile.

C AT *nunc inuisæ Baiæ.*] quæ prius ob amœnitatem secessibus præponebantur, & cũctis erant iucundissimæ, nunc propter obitum Marcelli sunt factæ inuisæ, & odibiles: quod crimen nunquam eluetur.

DEVS *hostis.*] quod numen, inquit, infestum Romanis subsedit in aquis Baianis ad Marcellum perimendum, qui ad aquas Baianas extinctus est.

HIS *pressus.*] sensus est, Marcellus pressus his scilicet Baianis aquis petiit Stygias aquas: quasi dicat, in his aquis reperit mortem, in quibus salutem reperire debebat, cùm medicatæ, &
D salutiferæ esse soleant: & ita *his* erit casus ablatiuus. Si vero legimus *is* sine aspiratione erit rectus, & intelligetur Marcellus. Prior lectio magis quadrat. Quidam codices habent Bis, vt dicat Marcellum bis lotum in aquis Baianis occubuisse.

QVID *genus.*] hæc omnia optime de Marcello dicuntur: nam genus Claudiorum illustre est. virtus vel potius indoles virtutis maxima: mater Octauia Augusti soror: ipse gener Augusti.

FLVITANTIA *vela theatro.*] carbasina vela
E primus in Theatro duxit Lentulus Spinter. Cæsar velis forum Romanũ texit: Marcellus Octauiæ filius hic, de quo loquimur, forum velis inumbrauit, quo salubrius litigantes consisterent. auctor Plin. in XIX. Nunc poëta intelligit de theatro quod sub nomine Marcelli fecit Augustus.

VIGESIMVS *annus.*] pathos ab ætate, quòd scilicet perierit in virenti ætatis flosculo: ita Virgilius: *Heu miserande puer.*

TOT *bona.*] corporis bona ob ætatem: Animi ob virtutem: Fortunæ ob genus & diuitias intelligenda sunt.

ORBE.] vel sepulchro, vel, quod verius est, circulo ætatis nimium angusto.

IN NVNC.] ex quotidiana loquendi consuetudine ductus est sermo, quo vtimur quoties aliquis in medio cursu felicitatis abripitur obitu immaturo: & ita demonstratur nulli fortunæ, nullis opibus, nullis bonis esse fidendum, cùm nemo sibi crastinum polliceri possit.

MAGNIS *lu.*] alludit ad ædilitatem Marcelli: ædilium enim officium fuit ludos exhibere. ludi magni in circo maximo primum facti sunt à Tarquinio Prisco, accitis ad ludicrum equis, pugilibúsque ex Hetruria. alio nomine Romani appellantur, vt docet Liuius in primo. Magnos dici existimat Asconius, quòd magnis impensis dati sunt, siue quòd diis magnis, id est Laribus vrbis Romæ dicati sint: ad quos videtur Virgilius allusisse: *Magnis circensibus actis.* Romanos vocat Cicero his verbis: *Memini mihi dici ludorum Romanorum diebus.*

IGNIBVS *vsta.*] ignis funereus & flammæ rogales cuncta mortalibus auferunt.

SED *tamen huc omnes.*] sententia catholica, & à poëtis celebrata videlicet: quod *tendimus huc omnes, hæc domus vltima:* & quod

Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,
Regúmque turres.

CANIS.] Cerberi tricipitis.

SENIS.] Charontis.

CONDAT *& ære.*] hoc est armis æneis muniti mortem non effugiunt.

NIREA *non facies.*] neque formositas, neque vires, neque diuitiæ possunt mortales à conditione mortis eximere: & ita Nireus non fuit exors mortis, nec exemptus à fato propter pulcritudinem. Nam Nireus, vt scribit Homerus in secundo Iliados, filius fuit Charopei omnium Græcorum, qui ad Troiam nauigauerunt, speciosissimus: infra tamen Achillem. de hoc ait Ouidius:

Sit licet antiquo Nireus adamatus Homero.

Huius meminit Horatius:

Qualis aut Nireus fuit, aut aquosa
Raptus ab Ida. & alibi ait:
Formáque vincas Nirea.

CROESVM *aut Pactlo.*] id est, aurum quod defert Pactolus fluuius Lydiæ non exemit à morte Crœsum illum ob diuitias memoratissimum. de hoc supra dictum est.

LVCTVS *populauit Achiuos.*] mors, inquit, debacchata est per Græcorum castra, & legiones in bello Troiano. videtúrque signare illam pestilentiam, quam scribit Homerus in primo Iliados immissam ab Apolline impulso precationibus sacerdotis Chrysæ. Populauit eo modo dixit, quo Virgil.

Populátque ingentem farris aceruum.

Nos dicimus populos in eodem significato. alias populare significat amorem conciliare, vt tradit Nonius.

MAGNO *stetit.*] id est, constitit magno pretio. Martialis:

Quod non stat magno stare Luperce tibi.

eloquutio venustior & frequentior apud eruditos. magno absolute dicamus, & subintelligamus pretio. Vir.

—— magno mercentur Atridæ.

A Iuuenalis:

Magno seruorum ventres: & frugi cœnuli magno.

M. Varro in III. de re rusti. inquit: *Piscinæ implentur magno, aluntur magno.*

ALTER *amor.*] estne de Helena intelligendum? vt Atridæ exponas pro Menelao: an vero, quod sentio, loquitur de amore Briseidos? qui fuit alter hoc est secundus amor Atridæ. hoc est Agamemnoni, qui post Chryseidam restitutam patri adamauit Briseida, eámque abduxit Achilli: ex quo indignabundus Achilles noluit amplius dimicare aduersus Troianos ferocius inua-

B dentes ipsos Achiuos, & acrius trucidantes: vnde hic alter amor scilicet Briseidos constitit maximo pretio ipsi Agamĕnoni, cùm ob hoc quotidie Græci interficerentur frustra implorantes Achillis auxilium.

CORPVS *inane.*] cadauer intelligit Marcelli, quod inane appellat quia sine sensu, & sine anima defuncti sunt.

QVA *Siculæ.*] optat Marcellum ea via ire ad superos, qua proauus eius Claudius Marcellus & Iulius Cæsar ierunt. Claudius intelligitur M. Marcellus, qui dicitur Claudius, quoniam

C fuit de gente Claudiorum. fuerunt enim duæ familiæ Claudiæ: altera patritia, altera plebeia. patritia Pulchrorum dicebatur: plebeia Marcellorum, vt docet Asco. Pedianus. & de hac intelligendum est apud Tranquillum ita scribentem in principio Tiberij: *Patritia gens Claudia. fuit enim & alia plebeia nec potentia minor, nec dignitate.* plebeiā enim gentem Claudiam accipe pro ea, quæ dicta est Marcellorum, quam illustrauit ille M. Marcellus: qui docuit Hannibalē posse superari, qui dictus est gladius Romanorum, qui Syracusas cepit nec euertit, qui quinque consulatus est adeptus, qui monumentis Liuij, Plutar-

D chi, & Sillij factus est immortalis, cuius meminit Virgilius in VI. de quo nunc loquitur poëta, quem victorem vocat Siculæ telluris propter bella, quæ gessit in Sicilia contra Pœnos & Siculos Pœnis adhærentes: & in primis contra Syracusanos, cuius ciuitatis euersionem lachrymis prosequutus est, qui deinde fuit patronus Siculorum. fuit & alter Appius Claudius in Sicilia victor, qui, teste Tranquillo, primus freto classe transiecto Pœnos Sicilia expulit: quo consule bellum Punicum primum cœptum est, vt tradit Gel. de quo multa scri. Polybius in primo. Hic

E Romanis primus persuasit nauem conscendere, & ob hoc ipsum, quod scitu dignum est, cognominatus fuit Caudex. nam plurimum tabularum contextus caudex apud antiquos vocatur: vnde tabulæ codices dicuntur: & naues, quibus commeatus subeuntur, codicariæ vocantur. cuius rei testis est locupletissimus Senec. in libro de breuitate vitæ, quem cum Domitius non legisset in errorem lapsus est manifestarium, scribēs Caudacum cognominatum fuisse Appium, quoniam scilicet legerat apud Varronem caudacum ab antiquis dici suauem & mansuetum. sed Caudex cognominatus est Appius non Caudacus: & caudex à caudaco tam distat, quàm Thais ab Hermione. commentum Domitij infirmum est cùm nullius scriptoris auctoritate

roboretur: nos vero ad priscorum auctoritatem tanquam ad anchoram recurrimus: sed iam ad propositum reuertamur.

Et *qua Cæsar.*] qua via cesserit Cæsar dictator ab hominibus ad deos notissimum est, qui in numerum deorũ relatus est non modo ore decernentium, sed etiam persuasione vulgi, cùm apparuisset ille cometes, qui solus faustus fuit Augusto imperium auspicanti. de quo lege Plinium in secundo.

IANVS DOVSA PATER.

Hic *vbi mortales dextra cùm quæreret vrbes.*] Vide commentariolum in Horatium ad illud:

Omne sacrum rapiente dextrâ.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Clavsvs *ab vmbroso.*] Melius liber noster, *Plausus*: quoniam per Lucrinum lacum mare influit in Auernum. Virgilius:

Tyrrhenúsque fretis immittitur æstus Auernis.

Quæ Propertium illustrant. fvmida autem potius, quam hvmida legerim.

Dextra *quum quæreret vrbes.*] Hic censebat legendum *conderet vrbes* Beroaldus. Sed eius hæc censura non obtinuit, & merito. Nam *quæreret vrbes*, est, quum domaret, reciperet. Ad verbum Galli, *conquestoit les villes*...

His *pressus Stygias.*] Mirum est Propertium contra receptam opinionem, atque adeo contra verum scribere Marcellum in aquis Baianis submersum interiisse, quum constet ab Antonio Musa medico aquarum frigidarum lotionibus enectum fuisse. Dio libro tertio & quinquagesimo loquens de Augusto ægroto: ὡς αὐτὸν μηδὲ, τὸ μηδὲ τὰ πάνυ ἀναγκαῖα ποιεῖν δυνάμενον Ἀντώνιός τις Μούσας ψυχρολουσίαις ἀνέσωσε. Infra post: ὁ δὲ δὴ Μάρκελλος νοσήσας οὐ πολλῷ ὕστερον, καὶ τὸν αὐτὸν ἐκεῖνον ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Μούσα τρόπον θεραπευθεὶς, ἀπέθανε. Nam Musæ & eius fratris Euphorbi inuentum fuit, à balineis frigida multa corpora adstringi, inquit Plinius libro quinto & vicesimo, capite septimo. Quare Horatius scribit:

—— nam mihi Baias
Musa supervacuas Antonius. & tamen illis
Me facit inuisum, gelida quum perluor vnda
Per medium frigus. sane murteta relinqui,
Dictáque cessantem neruis elidere morbum
Sulfura contemni, vicus gemit, inuidus ægris,
Qui caput, & stomachum supponere fontibus audent
Clusinis, Gabiósque petunt, & frigida rura.

In quibus vides Antonij Musæ ψυχρολουσίας, quas ipse instituit. Quare credibile iisdem frigidis Marcellum quum curare vellet, occidisse. Sane Seruius disertim scribit eum in Stabiano periisse. Quod quum ipse dicat, suspicor, quum ex præscripto Antonij frigida lauaret, enectum fuisse in eo fonte, qui Dimidia vocabatur, frigidissimo. Plinius libro vno & tricesimo: *Et quæ vocatur Acidula ab Theano Sidicino quatuor M. pass. hæc frigida. item in Stabiano, quæ Dimidia vocatur.* Quid ergo? tam illustris capitis interitus ignoratus fuisset & Propertio, viro & proceribus ipsis atque adeo Augusto ipsi notissimo? Minime. quid ergo? voluit gratificari ei, quæ de eius morte suspecta fuit, Liuiæ Augustæ. quæ quum videret Marcellum ita omnibus carum esse, vt describitur à Virgilio in sexto magni operis, muliebriter atque impotenter ζηλοτυπήσασα curauit eum clandestino mortis genere de medio tollendum. Dio: αἰτίαν μὲν οὖν ἡ Λιβία τοῦ θανάτου τοῦ Μαρκέλλου ἔσχεν, ὅτι δὴ ὑίεων αὐτῆς προετετίμητο. Scribit Dio id, quod ego non dubito. Quin Cæsar ipse in oratione in tralatione funeris Marcelli, illum in Minturæ monte deuotum fuisse dicit. Auctor vetus Virgilij interpres, quem habet P. Daniel meus. En igitur ἀβλαβέα, aut κακόηθες Propertij, sed potius ἀβλαβῆ, qui mortem Marcelli deflens, maluit mendax Liuiæ adulari, quam verum dicendo sibi periculum creare. Beroaldus autem, qui iactat se primum omnium huius Elegiæ sensum aperuisse, quam recte eam gloriam sibi vindicet sine iis, quæ nunc nos primi protulimus, omnibus palam est.

Avt *optima profuit illi Mater.*] Non otiosum est quod iniicit de matre: quia omnium magnorum virorum informatio attribuebatur matri, ita quantus quãtus erat Marcellus, hoc debebat matri. Sic Gracchi eloquentiam in gremio Corneliæ matris didicisse dicuntur. Sic Calpurnius:

Maternis caussam qui lusit in vlnis.

id est, qui iam in vlnis & gremio matris suæ proludebat declamationibus. Manilius

—— matrísque sub armos
Miles Agrippa suæ ——

Quod Calpurnius dixit *in vlnis*, eadem notione Manilius *sub armis*. Nam armos & vlnas idem esse, id est, quod poëtæ Græci ἀγκάλας dicunt, nemo nescit. Significat igitur Manilius Agrippam tantum militem in vlnis ipsius matris institutum fuisse. Ita igitur eum locum interpretabimur apud Manilium, quem minus assequuti sumus, quia *arma*, non *armos* à Manilio dictum interpretabamur. Et quidem locus est egregius.

Mater *& amplexum.*] Noster, *amplexos*. Lego, *amplexo*. Quid profuit illi amplexo. Intelligit adoptatum à Cæsare. Nam ante larem domesticum & adoptiones fiebant, & libera toga sumebatur, & alij eiusmodi ritus obibantur.

Hic *olim ignaros.*] Istud distichon satis nobis constat alieno loco positum. Putamus reponendum libro II. Elegiæ, eripitvr *nobis*, vide locum.

ELEGIA XVIII.

Obiicitvr toties à te mihi nostra libido.
Crede mihi, vobis imperat ista magis.
Vos vbi contempti rupistis fræna pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modũ.

Flamma per incensas citius sedetur aristas, A
Fluminaque ad fontis sint reditura caput,
Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis
Præbeat auspitio sæua Malea suo;
Quàm possit vestros quisquam reprendere cursus,
Et rapidæ stimulos frangere nequitię. B
Testis, Cretæi fastus quæ passa iuuenci,
Induit abiegnæ cornua falsa bouis:
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quæ voluit liquido tota subire deo:
Crimen & illa fuit, patria succensa senecta,
Arboris in frondes condita Myrrha nouæ. C
Nam quid Medeæ, referam, quo tempore matris
Iram natorum cæde piauit amor?
Quidve Clytæmnestræ, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Túque ô Minoa venundata Scylla figura,
Tondens purpurea regna paterna coma. D
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise tuas portas fraude reclusit amor.
At vos innuptæ felicius vrite tedas;
Pendet Cretæa tracta puella rate.
Non tamen immeritò Minos sedet arbiter Orci: E
Victor erat quamuis, æquus in hoste fuit.

PHILIPP. BEROALD. BON.

OBIICITVR *toties à te mihi nostra libido.*] ostendit libidinem muliebri sexui magis imperitare quàm virili:& in fœminis quàm maribus esse acriorem. hoc idem dicit Ouidius de libidine fœminea:

Acrior est nostra, plúsque furoris habet.

VOS *vbi.*] fœminæ vbi semel pudicitiæ claustra refregerunt, nullum seruare modum didicerunt, similes equis, qui nullis frenis coërciti feruntur præcipitanter. &, vt inquit Maro,

Fertur equis auriga: neque audit currus habenas.

SÆVA *Malea.*] Malea promontorium est Laconiæ, vbi periculosa est nauigatio propter aduersos ventorum flatus, vt auctor est Strabo. hinc est illud prouerbium: *Cum ad Maleam deflexeris, domesticos obliuiscere.* hinc dixit Maro: *Maleaque sequacibus vndis.* ait poëta Maleam citius futuram nautis hospitalem, quæ suapte natura inhospita est, & flumina ad fontem reuersura: & Syrtes portuosas, & hospitales futuras, quàm quisquam possit impetum fœmineum reprehendere, hoc est retinere, atque compescere & remorari. hoc enim significat in hoc loco reprehendere. in eadem significatione dicitur à Liuio: *Quosdam consul Cato manu ipse reprehenderit verteritque in hostem.*

TESTIS *Cretæi.*] ab exemplis probat libidinem fœminarum esse immodicam, & immodestam, & furibundam. de Pasiphaë dictum iam est: quam nunc signat: quæ cum tauro concubuit, cuius amore flagrabat, inclusa intra vaccam ligneam opertam corio formosæ iuuencæ, quam poëta vocat abiegnam: tanquam ex abiete fabrefactam.

SALMONIS.] patronymicum est: & Tyro intelligitur filia Salmonei, quæ ardenter amauit Enipeum, cûm qua concubuit Neptunus in Enipeum transformatus: quem deum liquidum vocat, quia fluuius est. de quo diximus copiosè in primo commentario.

PATRIA *succensa senecta.*] Myrrha amore infando correpta cum Cinyra patre furtim concubuit: quæ mox conuersa est in arborem, ex qua stillat myrrha odorissima. vnde ait Ouidius:

Est honor & lachrymis, stillatáque cortice myrrha,
Nomen herile tenet, nullóque tacebitur æuo.

NAM *quid Medeæ.*] notissima sunt & iam à nobis commemorata, quæ de Medea feruntur. quæ nec fratri nec filiis pepercit amore Iasonis furibunda. lege Senecam in Medea.

INFAMIS *stupro.*] impudicitia Clytæmnestræ vulgatissima est, quæ Agamemnoni marito concinnauit excidiũ: propter quam domus Pelopidarum infamis est adulterio, quæ tamen antea stupro, incestúque fuit ignominiosa: nam ex Pelope, qui Peloponeso nomen indidit natus Thyestes concubuit cum Merope vxore fratris Atrei, & cum filia Pelopea incestum perpetrauit, cuius filius Ægisthus stuprauit Clytæmnestram: & ambo Agamemnonem interemerunt.

PVRPVREA *co.*] fabulam signat Scyllæ, quæ amore Minois flagrans patrem Nysum capillo purpureo spoliauit: cui, vt ait Ouidius:

Crinis inhærebat magni fiducia regni.

pro quo facinore in auem nomine Citin mutata est: pater in Haliæetum. lege Virgilium & Ouidium. merito ait poëta innuptas debere tedas, hoc est faces nuptiales, accendere feliciori flamma,

flamma, & honestius amare. Nisus Megaricam tenuit regionem: &, vt ait Ouid. regnauit in vrbe Alcathoe.

Hosti.] Minoi. quæ fecerit Scylla quæ antepofuit amorem Minois Cretęi patri, regnóq. paterno: quæ amplexa nauigium Minois recedentis pendula trahebatur.

Hanc *dotem.*] regnum scilicet Nisi patris: qui, vt auctor est Strabo in IX. Niseam condidit, eíque Megara sorte obuenerunt, cùm regio Attica in quatuor partes diuisa esset inter quatuor filios Pandionis regis Athenarum.

Victor *erat quamuis.*] laudatur Minos, qui quamuis foret victoriam consequutus Scylla suffragante, tamen fuit iustus in hoste repudiando, scilicet fœminam facinorosissimam, & illa verba dicendo: quæ scribit Ouidius,

Dij te submoueant ô nostri infamia secli.

Merito itaque factus est iudex inferorum, qui iustitia, æquitatéque pollebat, quem Homerus discipulum Iouis appellat, quem Plat. extollit in lib. de lege, quem historici tanquam legum-latorem optimum celebrant: quem Virgilius & Claudianus quæsitorem explorare crimina defunctorum prodiderunt, qui dictus est Iouis sceptrum habuisse: quod nihil aliud significat, quàm doctrinam Iouis, qua omnem Cretam moderabatur.

Orci.] Orcus deus est inferorum ab vrgendo dictus, quem Latini modo Ditem patrem: modo Summanum vocant, quem poëtæ Iouem stygium appellitant, qui Græcè Pluton dicitur quasi diuitiarum dator. & Adis & Aides à Græcis nominatur: cuius rei etiam meminit Plato in Cratylo.

IANVS DOVSA FIL.

Qvam *possit vestros quisquam reprehendere cursus.*] Reprehendere hic sistere, compescere, ac remorari significat; vt & apud Lucretium libro VI.

Quod nisi respirent venti, non vlla refrenet
Res, neque ab exitio possit reprehendere euntem.

IANVS DOVSA PATER.

E*T rapidæ stimulos frangere nequitiæ.*] Lego *rabidæ*. Nam & Horatius de effrenata feminarum libidine:

Indomitam properat rabiem sedare.

ELEGIA XIX.

Credis *eum iam posse tuæ meminisse figuræ,*
Vidisti à lecto quem dare vela tuo?
Durus qui lucro potuit mutare puellam.
Tantisne in lacrymis Africa tota fuit?

A *At tu stulta Deos, tu fingis inania verba.*
Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt castæ Palladis artes,
Splendidáque à docto fama refulget auo.
Fortunata domus, modò sit tibi fidus amicus.
B *Fidus ero, in nostros curre puella toros.*
Nox mihi prima venit, primæ data tempora noctis.
Longius in primo Luna morare toro.
Tu quoque, qui æstiuos spatiosius exigis ignes,
Phœbe moraturæ contrahe lucis iter.
Fœdera sunt ponenda prius, signandáque iura,
C *Et scribenda mihi lex in amore nouo.*
Hæc amor ipse suo constringit pignora signo.
Testis sidereæ torta corona deæ,
Quàm multæ ante meis cedant sermonibus horæ,
Dulcia quàm nobis concitet arma Venus.
D *Namque, vbi non certo vincitur fœdere lectus,*
Non habet vltores nox vigilanda deos:
Et quibus imposuit, soluit mox vincla libido.
Contineant nobis omina prima fidem.
Ergo, qui tactas in fœdera ruperit aras,
E *Pollueritque nouo sacra marita toro,*
Illi sint, quicunque solent in amore dolores;
Et caput argutæ præbeat historiæ;
Nec flenti, dominæ patefiant nocte fenestra.
Semper amet, fructu semper amoris egens.

A

PHILIPP. BEROALD. BON.

CREBIS *cum iam posse tua meminisse figura.*] Calloquitur nouam amicam, dicens se fuisse futurum fidum, legitimúmque amatorem, cùm alter amator fuisset infidus, puellæque desertor: ostenditque eum non esse verum amatorem, qui lucri causa relinquit puellam, & ob mercaturæ quæstum nauigat vsque in Africam.

SVNT *casta Palladis artes.*] tibi, inquit, omnia supersunt, ingenuæ artes, nobilitas auorum, diuitiæ domesticæ, solus deest fidus amicus, quem se futurum pollicetur. Artes Palladis vocamus B disciplinas & artificium texendi: quod illa, teste Platone, prima inuenit. Denique sexcentæ sunt artes Palladis. nam, vt ait Ouidius:

Mille dea est operum: certe dea carminis illa est.

& Martianus inquit:

Virgo armata decens rerum sapientia Pallas.

TV *quoque qui æstiuos.*] apostrophe ad Solem, quem rogat vt diem faciat breuiorem: noctem vero longiorem, vt diutius possit frui primis nouæ amicæ complexibus.

LVNA.] sidus nocturnum est Luna vt Sol diurnum.

CONSTRINGET *pignora signo.*] quemadmodum legibus scribendis signatores adhiberentur C & testes: Ita nunc dicit poëta Cupidinem futurum signatorem legis amatoriæ & testem Coronam Ariadnes, quæ in cælo noctu fulget: & rebus fauet amatoriis propter fabulam supra recitatam.

QVAM *multa.*] hæc sunt verba legis: quam scribit in nouo amore. Dicit enim se prius sermocinatione atque colloquio multas horas consumere velle cum amica, quàm in Venerem stimuletur.

ARMA.] verecunde signat genitalia.

NAMQVE *vbi non certo.*] sensus est: Concubitus sine fœdere & pactis non retinet vinctos D & obligatos amatores, & cito talis amor soluitur: & nulli dij vltores existunt dissolutionis repentinæ.

CONTINEANT.] ostendit se eandem fidem in nouo amore exhibiturum, quam præstitit in primo Cynthiæ amore.

NOVO *toro.*] doleat, inquit, ex nobis ille, qui nouo amori indulgebit, & omnes ærumnas amatorias patiatur: siue ego ad nouā accessero puellam, siue tu ad nouum accesseris amatorem.

SEMPER *amet.*] dirum profecto supplicium imprecatur, quo nihil est erumnosius amatori, vt scilicet semper amet: nec vnquam fructu a- E moris potiatur. huic conuenit illa Plautina sententia: *Ipsus se excruciat homo, qui quod amat, videt nec potitur.*

IANVS DOVSA PATER.

SEMPER *amet fructu semper amoris egens.*] Secundus contraria sententia lusit:

Semper amet dulci semper amore fruens.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

SPLENDIDAQVE *à docto.*] Is est, ni fallor, Hostius, qui bellum Istricum carmine scripsit, à quo multa accepit Virgilius, vt testimonio Macrobij cognoscimus. Cynthia autem ista, vt nos docent Apuleius, & Sidonius, Hostia vocabatur.

TV *quoque qui æstiuos.*] Præpostere hoc legitur. Nam disticho, *Nox mihi prima venit*, subiiciendum est.

HÆC *amor.*] Et hoc quoque præpostero ordine legitur. Nam subiungendum itidem disticho, *Quam multa ante meus.*

ELEGIA XX.

MAGNVM iter, ad doctas proficisci cogor Athenas;
Vt me longa graui soluat amore via.
Crescit enim assiduè spectando cura puellæ.
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacunque fugari
Poßit, at ex omni me premit ipse Deus.
Vix tamen aut semel admittit, cùm sæpe negauit,
Seu venit extremo dormit amica toro.
Vnum erit auxilium mutatis, Cynthia, terris.
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.
Nunc agite ô socij propellite in æquora nauem,
Remorúmque pares ducite sorte vices.
Iungitéque extremo felicia lintea malo.
Nam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanæ turres, & vos valeatis amici,
Qualiscunque mihi túque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes,
Cogar & vndisonos nunc prece adire Deos?

Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechæo
Sedarit placida vela phaselus aqua:
Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,
Isthmos quà terris arcet vtrinque mare.
Inde vbi Piræi capient me littora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis docte Epicure tuis;
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorúmque tuos docte Menandre sales:
Aut certè tabulæ capient mea lumina pictæ,
Siue ebore exactæ, seu magis ære manus:
Aut spatia annorum, aut longa interualla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar fato, non turpi fractus amore,
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

PHILIPP. BEROALD. BON.

MAGNVM *iter ad doctas proficisci cogor Athenas.*] fluctibus amatoriis diu agitatus: docet se cogi mutare domicilium, & Athenas proficisci, vt mutatione loci ardoris æstus minuatur, qui tanto magis crescere consueuit: quãto magis amica spectatur. nam, vt in Decretis distinctione LXXXI. scriptum est, plerunque dum mutatur locus, mutatur & mentis affectus: sed, vt inquit Horatius,

Cælum non animum mutant, qui trans mare currunt.

inde illud à Seneca sanctissime præcipitur: Animum debes mutare, non cælum: & cuidam conquerenti nihil sibi peregrinationes profuisse Socrates respondisse fertur: *Noli admirari, te ipsum circumfers, tecum fugis.* &, vt ait Horatius,

Scandit æratas vitiosa naues Cura.

Onus igitur animi deponendum est, vt prodesse possit loci mutatio. hæc hactenus.

A DOCTAS.] optimo epitheto vsus: constat enim Athenas bonarum artium fuisse inuentrices, illicque natam & educatam eloquentiam: vnde ait Cicero in oratione pro Flacco: *Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio fruges, iura, leges ortæ: atque in omnes terras distributa esse putantur.*

SPECTANDO.] huic simile est illud Virgilianum, *Vtrique videndo Femina.*

QVACVNQVE.] omni ex parte se quæsiuisse ait amoris remedia, qualia tradit Ouidius: sed ex omni parte se premi à deo Cupidine.

EXTREMO *toro.*] hoc est in extrema lecti B sponda cubat.

QVANTVM *oculis.*] catholica sententia est & in ore vulgi frequentissima, qui longe est ab oculis eum procul esse à corde. auctor est Aristoteles in VII. ethicorum: Obliuionem amicitiæ induci ex diuturniore absentia. scribit Ouidius præsentissimum esse remedium amoris tollendi migrationem.

EXTREMO *malo.*] malum nauticum: & antemnam primus inuenit Dædalus: Vela vero Icarus. auctor Plin.

FESSA *lyceo.*] mendosa dictio est, quæ ita emendanda est: Lechæo. nam Corinthus duorum C domina portuum est, quorum alterum Cenchreum, alterum Lecheum scriptores appellant. Asiatici Cenchreo vtuntur: ex Italia proficiscentes Lechæo. est autem Lechæum sub ipso oppido non multis domiciliis copiosum, vt scribit Strabo in VIII. Lechæi portus meminit Plin. his verbis: *Lechææ hinc, Cenchreæ illinc angustiarum termini.* De hoc Lechæo intelligendum est apud Papinium in II. Siluarum ita scribentem:

Calmen ab Inoo fert semita tecta Lechæo.

Sensus est poëtæ: Se pedibus iter reliquum facturum, cum nauis peruenerit in Lechæum por- D tum Corinthiacum.

PHASELVS.] nomen est nauis frequens apud poëtas.

ISTHMOS *qua terris.*] Isthmon Corinthiacum intellige, quæ sunt angustiæ vnde procedit Peloponesus quinque millium passuum latitudine. Hinc Ægæum mare: inde arcetur Ionium. Isthmon perfodere tentauerunt Demetrius rex, dictator Cæsar, Caius princeps, Domitius Nero, infausto (vt omnium patet exitu) incepto. auctor Plin. in IV. de hoc Lucanus:

Geminum gracilis mare separat Isthmos.

Ouid. Bimarem appellat:

E *Bimari clauduntur ab Isthmo.* ——

PIRÆI *portus.*] Athenis sunt duo portus Piræus & Phalerius; duorum millium passuum muro recedentibus Athenis iuncti. vt scribit Plin. Refert Strabo Munichiam esse tumulum, cui tres subiacent portus: quæ olim muro vallata complectebatur Piræum, & alios naualibus plenos, in quibus est armamentarium illud mille nauium memoratissimum, quod Philon architectus fabricauit. Vnde dixit Ouidius:

Munichiásque volans agros. ——

THESEÆ *brachia longa viæ.*] muros longos

significat, qui stadiorum XL. longitudine instar brachiorum: vel (vt ait Strabo) crurum Athenas Pyræo coniungebant: sed multa bella longos muros diruerunt, & Munichiæ munimentum. De his ita scribit Thucydides in secundo: Longi muri ad Pyræa vsque ad XL. stadia habebant: quorum exteriora custodiebantur, & Pyræo vicina: & olim, teste eodem Thucydide in primo, Athenienses Themistoclis consilio extruxerunt murum circum Pyræa, qui erat eius latitudinis, vt per eum duo plaustra præterirent. Via Thesea vocatur propter Theseum Athenarum regem, qui cum Attica oppidatim habitaretur, & in vrbes XII. diuisa foret: vnum tantum Athenis instituit concilium: & illa omnia conciliabula in hanc vnam ciuitatem congregauit, sublatis cæterorum oppidorum magistratibus, auctores Plutarchus, Strabo, & Thucydides.

ANIMVM *emendare.*] vitia animi in primis emendat philosophia: de qua ita loquitur Cicero in Tusculanis: *Philosophia morbis animi medetur, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores.* Idem alibi: Philosophiam esse expultricem vitiorum dicit.

HORTIS *docte Epicure tuis.*] dicit se philosophaturum, sectaturúmque aut Platonica dogmata, aut Epicuri sectam. Platone conditore sectæ Academicæ omnia iam vulgata. Epicurus primus Athenis hortos instituit, cùm vsque ad eum moris non fuisset in oppidis haberi rura, vt docet Plin. in XIX. à quo Epicurus hortorum magister appellatur. Refert Laërtius Epicurum scholam habuisse in horto vbi docebat: vnde testamentum condens ita scripsit: *Amynomacho & Timocrati eam quæ in horto est scholam depositi iure commendo, ipsorum posteris, qui hortum illum tradant philosophantibus ex nostro nomine.* hinc ait Iuuen.

——non Epicurum
Suscipit exigui lætum plantaribus horti.

& Papinius:

Mallet deserto senior Gargetius horto.

vocatur enim Gargetius Epicurus, à pago in quo natus est. Fit mentio quoque à Cicerone de horto Epicuri: cuius hæc verba sunt ex libro primo de natura deorum: *Cur tantum Epicuri hortus habuerit licentiæ.*

DEMOSTHENIS *arma.*] dabo, inquit operam eloquentiæ, cuius instrumentis tanquam armis munitur orator: vnde ait Cicero de oratore loquens: *Quid tam necessarium, quàm tenere semper arma, quibus vel tectus esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus?* Scribit Tacitus in dialogo de oratoribus, Eloquentiam in locum teli repertam fuisse, &, auctore Seneca, scholam quasi ludum esse existimarunt, forum arenam, & ideo ille in foro primum dicturus Tiro dictus est. arma Demosthenis appellat præcepta eloquentiæ, cuius princeps apud Græcos est Demosthenes, sicut apud Latinos M. Cice. vnde ait Iuuenalis:

Eloquium ac famam Demosthenis aut Ciceronis
Incipit optare. ——

Demosthenes notior est quàm vt indigeat nostræ commemorationis.

MENANDRE *sales.*] de Menandro poëta comico supra memorauimus, qui teste Quint. est omnibus rebus personis affectibus accommodatus. Sales vocamus lepores & hilaritatem atque facetias: de quo ita scribit Plin. in XXXI. *Vita humanior sine sale nequit degere, adeóque necessarium elementum est, vt transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur, omnísque vitæ lepos & summa hilaritas, laborúmque requies non alio magis vocabulo constat.* hactenus Plin. hinc est illud Catullianum:

Nulla in tam longo corpore mica salis:

quod, vt interpretatur Quint. significat nihil in corpore eius esse ridiculum.

TABVLA *capiet.*] tabularum pictarum inspectione oblectatos esse Romanos testis est vel ille Horatij versus,

Suspendit picta vultum, mentémque tabella.

Athenas autem fuisse refertissimas tabularum pictarum & signorum Plin. Strabóque notificant. Antigraphicem antiqui picturam appellauerunt, quam docebantur in tota Græcia pueri ingenui, receptáque est ea ars in primum gradum liberalium.

SIVE *ebore.*] eburnea, inquit, & ænea signa quæ Athenis visuntur oculos meos amœnabunt. Phidias Atheniensis, qui in ebore citra æmulum fuit, Mineruam fecit ex ebore Athenis dicatam amplitudine XXVII. cubitorum. Idem alteram Mineruam fecit ex ære eximiæ pulchritudinis. multorum præterea clarissimorum artificum signa Athenis conspiciebantur: adeo, vt prodiderit Mutianus Rhodi. LXXIII. millia signorum fuisse, nec Athenis nec Olympiæ pauciora.

AVT *spatia annorum.*] nullus est dolor, vt inquit Seruius Sulpitius, quem longinquitas temporis non minuat & conterat: &, vt auctor est Seneca in libro ad Gallionem de vita beata, dolorem dies consumit, licet contumacissimum & quotidie insurgentem. Ait poëta locorum & temporum interualla longissima sensim ardores suos mitigatura & ictus Cupidineos sanatura.

NON *turpi fractus.*] sensus est: Si peregrinabundus moriar, id genus mortis erit mihi honestissimum, & dicar perisse fato, non autem turpi amori succubuisse.

IANVS DOVSA FIL.

PERSEQVAR *aut studium linguæ, Demosthenis arma.*] Huc pertinet, quod Orpheus in Hymnis appellat Mercurium γλώσσης δεινὸν ὅπλον. hinc Cicero lib. I. de Inuentione: *Qui verò ita sese armat eloquentia, vt non oppugnare commoda patriæ, sed pro his pugnare possit, is mihi vir & suis & publicis rationibus vtilissimus atque amicissimus ciuis fore videtur.* & alibi de eloquentia loquens. *Quid tam necessarium, quàm tenere semper arma, quibus vel tectus esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus?* Sed & *telis disciplinarum armari* dixit Vitruuius lib. I. *artibus armari* Tacitus siue Quintil. in Dialogo de Oratorib. *legibus armari* Iustinianus in Prooemio Institutionũ. Id quod quã ineptè reprehẽdatur à Florido quodam, hinc patet.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

EXTREMO *dormis amica.*] Lege, *amicta.*
DEMOSTHENIS *arma.*] Petronius. *& ingentis quatiat Demosthenis arma.*

ELEGIA XXI.

FRIGIDA tam multos placuit tibi Cyzicus annos,
Tulle, Propontiaca quà fluit Isthmos aqua,
Dindymus, & sacræ fabricata inuenta Cybellæ,
Raptorisque tulit quà via Ditis equos.
Si te fortè iuuant Helles Athamantidos vrbes,
Et desiderio Tulle mouere meo;
Tu licet aspicias cælum omne Atlanta gerentem,
Sectaq; Persea Phorcidos ora manu,
Geryonæ stabula, & luctantum in puluere signa
Herculis Antæique, Hesperidúmque choros;
Túque tuo Colchon propellas remige Phasin,
Peliacæque trabis totum iter ipse legas,
Quà rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem proræ pinus adacta nouæ;
Et quà Gygæi visenda est ora Caystri;
Et quà septenas temperat vnda vias;
Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hîc posuit, quicquid vbique fuit.
Armis apta magis tellus, quàm commoda noxæ.
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.
A *Hic Anio Tiburte fluis, Clitumnus ab Vmbro*
Tramite & æternum Martius humor opus:
Albanus lacus & socij Nemorensis ab vnda,
Potáque Pollucis nympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastæ,
B *Itala portentis nec furit vnda nouis.*
Non hîc Andromedæ resonant pro matre catenæ,
Nec tremis Ausonias Phœbe fugate dapes.
Nec cuiquam absentes arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre parante suo.
C *Penthea non sæuæ venantur in arbore Bacchæ,*
Nec soluit Danaas subdita cerua rates,
Cornua nec valuit curuare in pellice Iuno,
Aut faciem turpi dedecorare boue:
Arboreásque cruces Sinis, & non hospita Graiis
D *Saxa, & curuatas in sua fata trabes.*
Hæc tibi Tulle parens, hæc est pulcherrima sedes.
Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium ciues hîc ampla nepotum
Spes, & venturæ coniugis aptus amor.

E PHILIPP. BEROALD. BON.

FRIGIDA *tam multos.*] Tullum diutissime peregrinantem reuocat ad vrbem Romam habitandam, qua nihil in toto terrarum orbe dicit esse splendidius.

CYZICVS.] Cyzicum siue Cyzicus ciuitas est Asiatica trans amnem Granicium in Propontide, cui nomen indidit rex Cyzicus, quem Iason per imprudentiam interemit, vt narrat Valerius Flaccus in tertio, & meminit Pomponius Mella. Cyzicon appellat Plin. oppidum Milesiorum, de quo ait Ouid. in Tristi.

Cyzicon Hæmoniæ nobile gentis opus.

Cyzicus, teste Strabone, ciuitas est & insula duobus pontibus iuncta continenti. Mitridates Cyzicon Asiæ ianuam sibi fore putabat, vt ait Cice. in oratione pro Murena. Cyzicenos olim à Mitridatica obsidione Lucullus exemit. Historia scribitur à Plutarcho, & à L. Floro. cuius hæc sunt verba ex lib. tertio: *Cyzicon nobilis ciuitas arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis, Asiatica plagæ littora illustrat.* A Plinio mentio fit marmoris Cyziceni.

PROPONTIACA *Isthmos aqua.*] Propontis æquor est patens, atque diffusum, quod angustiis Bosphori Thracij cum Euxino ponto coniungitur. In Propontiaca Cheroneso, vt ait Plin. alius est Isthmos, qualem supra diximus esse Corinthiacum, & angustiæ similes, parique latitudine. duæ vrbes vtrinque littora haud dissimili modo retinuerunt Pactiæ à Propontide, Cardia Melano sinu.

DINDYMVS.] Cybele quæ mater deorum vocitatur dicta est Dindymene à loco vt ait Strabo. sunt autem Dindyma siue Dindymus, vtroque enim modo dicitur montes in Phrygia dicati matri deûm. de quibus Vir. *Ite per alta Dindyma.* sed poëta in hoc loco non sentit de his Dindymis, sed de illis potius quæ imminent Cyzico, quæ delubrum habent Dindymeni matris deûm ab Argonautis ædificatum, vt est auctor Strabo in XII. de Cybele, præter ea quæ sunt inuulgata hoc vnum discas velim, quod traditur à Martiano Capella: *Cubum omnem arithmeticum matri deûm esse tributum, & à cubo Cybelem nominari.*

RAPTORISQVE *tulit*] in ora Pontica oppidum est Heraclea vbi prouentus est aconiti venenorum ocyssimi: fabulæ narrauerunt è spumis Cerberi canis ortum aconitum extrahente ab inferis Hercule: cuius aditus ad inferos monstratur apud Heracleam, vt scribit Plin. in XXVII. refert Solinus illic Atheniensium esse specum, quem foraminis hiatu profundo adusque inferna aiunt patere. Hoc idem memorat Mella. de hac Heraclea nunc loquitur poëta, qui ait, hac via Plutonem in curru asportasse ad inferos raptam Proserpinam: alludens ad specum illum Acherusium, qui ad manes peruius est: ex quo Cerberum ab Hercule extractum fuerunt. Dissentit à poëta scribens Cicero in sexta in Verrem: *Ditem patrem non longe à Syracusis penetrasse sub terra asportantem in curru Proserpinam abreptam:* quod etiam tradit Ouid. Ditem vocamus Plutonem à diuitiis, quia recidunt omnia in terras, & oriuntur ex terris, vt Cicero interpretatur.

HELLES *Athamantidos vrbes.*] signat ciuitates Hellespontiacas, quæ sitæ sunt in ora Hellesponti, vt est Abydos, Lampsacum, Parium, & Priapos. supra docuimus ab Helle puella submersa inditum esse nomen Hellesponto, quam vocat Athamantida à patre Athamante.

TV *licet aspicias.*] quamuis inquit, ô Tulle, lustres totum terrarum orbem, & aspicias quicquid vsquam est memorabile, omnia tamen minora sunt Romana à maiestate atque pulchritudine.

PHORCIDOS *ora.*] id est Medusæ, quæ Phor-

A cis nominatur à genitore Phorco. Lucanus:

Hoc monstrum timuit genitor, munéque secundum Phorcus aquis. ——

Ouid. tamen & Lucan. dixerunt, *Phorcynidos ora Medusæ.* quod patronymicum Priscia. formari scribit ab hoc nomine Phorcinus. de Geryone, de Antæi palæstra, de Hesperidibus, de Argonautis omnia iam vulgata monumentis poëtarum & historicorum.

PELIACÆ *trabis.*] nauis Argus quæ ex arboribus natis in Pelio monte fabrefacta fuisse fertur. Catullus:

B *Peliaco quondam prognatæ vertice pinus.*

& illud apud oratores poëticum: *Vtinam ne in nemore Pelio securibus cæsa cecidissent abiegnæ ad terram trabes.* Alexander Cornelius arborem Eoniem appellauit ex qua facta esset Argo, quæ nec aqua nec igni posset corrumpi.

INTER *saxa.*] Symplegades siue Cyaneas de quibus supra.

ARGOA *columba.*] dictum est superius de columba quæ data fuit itineris dux Argonautis, quam nunc appellat Argoam ab Argo naue.

NOVÆ *prora.*] quia prima fertur fuisse nauium omnium nauis Argo. Plin. dicit naue longa primum Iasonem nauigasse. ante enim fuit
C vsus nauium, sed pusillarum, vt inquit Diodorus.

GYGEI *ora Caystri.*] Cayster fluuius est Lydiæ Sardibus proximus, à quo dicitur Caystrianus campus. Gygeum cognominat poëta à Gygeo lacu eiusdem regionis, qui alio nomine dictus est Colous, vt scribit Strabo in XIII. de Caystro ait Homerus, *Asia prata super circumque fluenta Caistri.* in vetusto codice legimus Olorigeri: quod non displicet: nam bono epitheto olorigerum Caystrum possumus appellare, ab oloribus siue cycnis, quibus ait Virgilius in georgicis, *rimantur prata Caystri.* & ab eodem dictum est:

D —— *& longa canoros*
Dant per colla modos: sonat amnis, & Asia longe
Pulsa palus. ——

SEPTENAS *vias.*] de Nilotica regione Intelligendum est, in qua Nilus septem ostiis celeberrimis inclytus fœcundat Ægyptum, quorum nomina supra recensuimus: vnde & septemgeminus à poëtis cognominatur. Rhœsus quoque fluuius Troianus septem habet vada, vt indicat Homerus illo versu: *Et septem Rhœsi vada tum Rhodium atque Caresum:* qui versus à Strabone identidem repetitus est. Ganges quoque à Virgilio dictus est septem amnibus surgere.

E NATVRA *hic posuit.*] sententia Pliniana huic est accommodata sententiæ, quæ inquit: *Ad vrbis nostræ miracula transire conuenit, cuius non alia magnitudo exurgit, quasi mundus alius quidem in vno loco narretur.* statimque subiungit: *Aedificia quæ Romæ plurima admiratione digna visebantur.* Idem Romam terrarum caput appellat.

NOXA.] peccato & culpa. In annotationibus in Seruium de noxa, noxæque significatione diximus satis ac super.

HIC *Anio Tiburne.*] apostrophe ad Anienem, qui in monte Trebanorum ortus (vt ait Plinius) lacus tres nobiles defert in Tiberim. & de-

currens per agrum Tiburtinum facit cataractam, & scribit Strabo. Vnde ab Horatio dicitur, præceps Anio. Tiburnum vocat poëta quasi Tiburtinum. quidam codices habent Tiburte: Idem iam est sensus.

CLITVMNVS *ab vmbro.*] Clitumnus fluuius est Vmbriæ, cuius aqua pota boues candidos facit: de quo dictum est.

MARTIVS *humor.*] aquam Martiam intelligit de qua supra memorauimus.

ALBANVS *lacus.*] in nemore Albano est lacus Albanus dictus qui olim creuit in insolitam altitudinem, cuius ex oraculi responso facta fuit solennis deriuatio. auctores Liuius in quinto, & Plutarchus in Camillo. Prope hunc est alter lacus, qui à poëta dicitur Nemorensis, vt supra docuimus, propter nemus Aricinum Dianæ consecratum: quod, teste Strabone, vocant Artemisium. Et inde à Tranquillo sacerdos Dianæ Aricinæ dictus est rex Nemorensis, vt supra docuimus. Artemisio adiacet lacus instar marini æstus fluctuans. Sunt & in hoc loco fontes scaturiginésque aquarum. In nemore Aricino fons est ille Aegeriæ memoratissimus: cuius historici & poëtæ meminerunt: cùm ergo Albanus & Nemorensis siue Artemisius lacus proximi sint, merito eos ab aqua socia fluere dicit poëta: & legendum & socia potius quam socij, vt cum aqua copuletur: & ita versus erit exactior venustiórque.

POTAQVE *Pollucis.*] Iuturna fontem significat, qui Romæ erat, apud quem visi sunt Castor & Pollux in bello Latino suum, equorumque sudorem abluentes: cùm ædes Castoris, quæ iuncta fonti erat sua sponte patuisset. auctores Valerius & Lactantius. Historiam narrat Dionysius Halicarnaseus, & indicat Iuturnæ fontem cum templo Castoris fuisse in foro Romano: quamuis Iuturnam non nominet.

EQVO.] scilicet Cyllaro. de quo Virgil.

Domitus Pollucis habenis Cyllarus.

& est carminibus poëtarum satis notus. Lympham Iuturnam salubrem dicit fuisse equo potanti: alludens ad etymon quod tradit Varro, cuius hæc sunt verba ex libro primo latinæ linguæ: *Ab aqua lapsu lubrico lympha nympha Iuturna quæ iuuaret. Itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.*

AT *non squammoso.*] vbi laudauit tellurem Romanam à commodis quæ adsunt, nunc laudat ab incommodis quæ absunt: imitatus Homerum, qui non minus vitiis detrahendis, quam virtutibus appellandis laudare ampliter solet. Et Virg. non magis cumulatione bonorum, quam detractione malorum laudauit Italiam in II. Georgicorum. Ne repunt, inquit, in Romano solo cerastæ serpentes, quibus sunt cornicula quadrigemina, quorum motu reliquo corpore occultato sollicitant ad se aues, & hoc dolo necem volucrum aucupantur. auctores Plin. & Soli. Cerastarum meminit & Lucan. in IX. *Spinaque vagi torquente cerastæ.* apud Ouid. in X. alij cerastæ intelligendi sunt, quos Venus in iuuencos transformauit.

NON *hic Andromeda.*] non sunt in Italia bel-

A luæ tam portentificæ vt fuit illa, cui exposita fuit Andromeda pro culpa materna. Fabulam supra satis copiose explicauimus.

NEC *tremis Ausonias.*] non hic sunt dapes illæ funestæ, mensæque nefandæ Thyesteæ, quas Sol ne videret, equos auertit. Fabula nota apud Senecam in Thyeste. hinc est illud epigrammatici poëtæ:

Fugerit an Phœbus mensas, cœnamque Thyestæ
Ignoro fugimus nos Ligurine tuam.

NEC *cuique absentes.*] signat fabulam Meleagri, cuius vita extincta est cum titione, quem cum natus esset Meleager Parcæ flammis imposuerunt, dicentes tandiu illum victurum, quan-

B diu stipes ille durasset, quem Althæa Meleagri mater seruauit diligentissime: & donec seruatus fuit iuuenis seruauerat annos. Verum ab Althæa mortem filij in vltionem fratrum cæsorum affectante in ignem coniectus est torris ille funereus, quo ardente absens Meleager vrebatur, & simul est extinctus vterque, vt auctor est Ouid. in octauo, & Diodorus in v.

PENTHEA.] fabulam tangit Penthei superius enarratam, quem Bacchæ, hoc est mater, materteræque bacchantes discerpserunt, aprum, seu vitulum, seu auem esse existimantes.

SVBDITA *cerua.*] alludit ad fabulam Iphige-

C niæ, pro qua cerua supposita fuit: vnde ait Oui.

Supposita fertur mutasse Mycenida cerua:

quo peracto mare fuit nauigabile Græcis ad bellum Troianum properantibus.

CORNVA *nec valuit.*] signat fabulam Ionis (vt declinatu latino vtar) conuersæ à Iunone in vaccam, & cornibus curuatis deformatæ: non sunt, inquit, in Italia huiuscemodi flagitia, qua in Aetholia mater fecit in filium Meleagrum, quæ Thebis in Penthea factitata sunt, quæ in Aulide mactata Iphigenia: nec in vaccas Romanæ fœminæ deformantur pro vt Io fuit in Græcia demutata.

D ARBOREASQVE *cruces Scinis.*] legendum est Scinis vt nos correximus, non senis. fuit autem Scinis in Isthmo facinoribus famosus: qui duas pinus flectebat, & flexis hominum brachia vtrique alligabat, quæ in sublime renitentes & in naturam suam resurgentes corpus lacerum discerpebant. auctor Diodorus in v. bibliothecæ. & meminit Ouid. his versibus:

Occidit ille Sinis magis male viribus vsus:
Qui poterat curuare trabes & agebat ab alto
Ad terram late sparsuras corpora pinus.

Plutarchus hunc vocat Pytiocampam, quæ vox significat pinus inflectentem. has appellat poëta cruces Scinis, quas Romæ esse inficiatur.

E NON *hospita Grais Saxa.*] intelligit saxa cognominata Scironia, à Scirone latrone Megarensi, qui viatores è scopulo ictu calcis in mare præcipitabat, vt dictum est supra. Theseus Scinum, Scyronem, Cercyonem, Procustem eodem genere mortis interemit, quo illi hospites viatorésque interficiebant.

——neque enim lex iustior vlla est:
Quam necis artifices morte perire sua.

HÆC *tibi parens.*] Roma, inquit, ô Tulle tibi patria est: Romæ genus, Romæ omnia sunt,

Romæ itaque tibi viuendum est. Ita Catullus:

Roma venimus, illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur ætas.

IANVS DOVSA PATER.

RAPTORISQVE *tulit qua via Ditis equos.*] Eodem epitheto vsus & in principio operis sui Claudianus:

Inferni raptoris equos.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

DINDYMVS *& sacra fabricata inuenta Cybeles.*] Intelligit fabricas, quæ pulcherrimæ erant in eo oppido. δεικτικῶς enim Fabricata inuenta sunt Fabricæ ipsæ. Strabo de Cyzico: τρεῖς δ' ἀρχιτέκτονας τοὺς ἐπιμελουμένους οἰκοδομημάτων τε δημοσίων, καὶ ὀργάνων, τρεῖς δὲ καὶ θησαυροὺς κέκτηται, &c. Cybelæ autem fabricas vocat: quia oppidum illud Cybelem colebat, vnde Cyzicon Nicander vocat ἐργατίνην ἄστυ, quod corporati fabrorum Cyzicenorum videntur sacri Cybelæ, & Atti fuisse. ἐργατικὸν enim, est ἐργατικὸν, vt ἐργάνη ἀθηνᾶ est ἐργάνη. At interpres vetus Nicandri ignorauit, quid esset ἐργατίνην. Qui locus hunc Propertianum interpretatur.

RAPTORISQVE *tulit qua via Ditis equos.*] Proserpinæ tutela Cyzicum. quod ex Plutarcho in Lucullo cognoscimus. item ex Epigrammate:

Ennææ Cererem nurus frequentant:
Raptam Cyzicos ostreosa diuam.

ET *qua Cygæi.*] Nescio quis auctor fuit tam ineptæ lectionis. vt neque illius, quam Beroaldus ait se inuenisse in suo libro. *Si qua olorigeri.* Hæc omnia stolidorum & oscitantium hominum commenta sunt. Noster liber. *Et si qua origæ.* minima licentia lego:

Et si quadrigæ visenda est ora Caystri.

Quadrigam Caystri vocat quatuor nobilissimas vrbes, Ephesum, Smyrnam, Colophonem, Miletum. Hæ enim quatuor illo tempore nobilissimæ vrbes Asiæ erant. Et quia Ephesus earum clarissima est, sita ad Caystrum, propterea Caystri quadrigam dixit ab earum principe Epheso. Non est nouum quadrigam, bigam, trigam à Latinis numeros quaternarium, binarium, ternarium more Græcorum vocari, qui eodem modo τριοειδῆ, τετραειδῆ dicunt. Sic Marcellus Empyricus quadrigam vocat τὸ τετραφάρμακον medicorum. Sic vetus poëta:

Triga mihi paucos inter dilecta sodales
Triga sodalitij pars bene magna mei.

Apuleius:

Et Critias mea delitia, & Sol alme, Charine,
Par in amore meo biga tibi remanens.

Scriptum fuerat *viga* solenni errore librariorum, pro quo *vita* supposuerant Correctores. Biga remanens par in amore, id est æqualiter iugum trahens, cui contrarium ἑτεροζυγεῖν: quando alter equorum aut boum altero plus trahit. Quod & noster alibi intelligit:

Tu bene conueniens non sinis esse iugum.

id est. Tu es caussa τῆς ἑτεροζυγίας. Non enim biga

A par remanet, te in diuersa iugum trahente. Varro. *Igitur initiorum quadriga, locus, & corpus, tempus, & actio. Initiorum quadriga,* hoc est quatuor initia. & in vita Probi Imperatoris: *quadriga tyrannorum.* Vide quam elegantem locum corruperant.

HIC *Anio Tiburte.*] Repone ex antiqua scriptura, *Tiburne.* Est adiectiuum, Tiburnus Anio: vt Tuscus Tiberis, Carnutus Liger Tibullo.

CLITVMNVS *ab Vmbro Tramite.*] Seruius: *Tramites sunt conualles, quæ de lateribus vtrinque perniæ limitant montes: quæ solent etiam Saltus nuncupari.* Recte Seruius. Nam quos Græci αὐλῶνας,

B Latini eos Saltus vocant, & tramites. Sed hic Trames est silua, vt aliquando apud scriptores. Supra:

Et si forte meo tramite quæris auem.

A silua ait oriri Clitumnum: quod egestus à Vadimonis lacu absorbetur intra specum siluis obsitum: & aliquanto post oculis redditur. atque illud putatur esse caput Clitumni. Vnde alibi dixit vmbrosæ flumina siluæ. Vide quid supra de eo diximus.

ALBANVS *lacus & socij.*] Vetus scriptura:

Albanusque lacus socij Nemorensis ab vnda.

C Et recte. nam vterque lacus, Albanus, & Nemorensis ab iisdem fontibus. Nemorensis autem lacus vulgo vocabatur Speculum Dianæ, auctore Seruio.

POTAQVE *Pollucis.*] Iuturnam recte his adiungit, cuius scaturigines cum aliis fontibus communes sunt lacubus Albano, & Nemorensi. Strabo: τὰς μὲν ἐν πηγαῖς ὁρᾶν ἔστιν ἐξ ὧν ἡ λίμνη πληροῦται. τούτων δ' ἐστιν ἱέρια καλουμένη δαίμονός τινος ἐπώνυμος. Lege: ἱέρια καλλιρόη. Sic vocat Iuturnam. Salubrem vocat, quod ex ea valetudinis caussa biberent, vnde à iuuando dictam putat Varro. *Nympha Iuturna*, inquit, *quæ iuuaret. itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere solent.*

D AT *non squamoso.*] omnino hic locus germanus est illius ex secundo Georgico: *Nec rapit immensos orbes per humum.* Lege totum locum.

ITALA *portentis nec fuit.*] Lego, *furit.* Ita & liber noster. Hoc argumentum persequitur maximus Maro in Georgicis:

Illic & tigres absunt, & sæua leonum Semina.

HÆC *tibi Tulle parens.*] Hic Tullus, vt apparet, proconsul Bithyniæ fuit. vnde supra:

Tu patrui meritas conare anteire secures.

CONIVGIS *aptus amor.*] Noster, *altus amor* Catullus:

Sed tuus altus amor baratro fuit altior illo.

E

ELEGIA XXII.

ERGO tam doctæ nobis periere tabellæ?
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriuerat vsus,
Qui non signatas iußit habere fidem,

Illæ iam sine me norant placare puellas,
Et quædam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescunque, mihi semper mansere fideles,
Semper & effectus promeruere bonos.
Forsitan hæc illis fuerant mandata tabellis:
Irascor, quoniam es lente moratus heri.
An tibi nescio quæ visa est formosior? an tu
Non bona de nobis crimina ficta iacis?
Aut dixit, venias hodie, cessabimus vna,
Hospitium tota nocte parauit amor,
Et quæcunque dolens reperit non stulta puella,
Garrula cùm blandis ducitur hora dolis.
Me miserum, his aliquis rationem scribit auari,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi rettulerit, donabitur auro.
Quis pro diuitiis ligna retenta velit?
I puer, & citus hæc aliqua propone columna,
Et dominum Esquiliis scribe habitare tuum.

PHILIPP. BEROALD. BON.

ERGO *tam docta.*] querimonia est de amissis pugillaribus amatoriis, & repertori præmia proponit si ad se tabellas reportauerit. antiqui ante vsum chartarum scribebant in palmarum foliis, & arborum libris: postea publica monumenta plumbeis voluminibus confici cœperũt: priuata verò in linteis, & tabellis ceratis. auctor Plin. Pugillares siue pugillaria erant tabellæ ceratæ in quibus scribebatur: quarum vsus fuit ante tempora Troiana: nam Homerus Bellerophonti codicillos datos fuisse non epistolas scribit. inde tabellarios vocauerunt portitores epistolarum, quoniam in dedolatis è ligno codi- A cillis scriptitabant, & à libris arborum, hoc est corticibus, librarios scriptores nuncuparunt, vt docet diuus Hieronymus in epistola ad Niciam. Pugillares erant apud veteres pluribus distincti nominibus, alij quincuplices, alij duplices, quidam triplices nominabantur. Erant & pugillares citrei, eborei, membranei dicti: qui ex citro, ebore, membranis erant confecti. Isti quos perdiderat poëta erant buxei: ex qua materia interdum literæ fiebant ad prima elementa pueris tradenda: vnde dixit Hieronymus: *Fiant literæ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis nominibus appellentur: ludat in eis, vt ludus eius eruditio sit.* indicat Marti. B triplices peculiariter fuisse rebus amatoriis dicatos. Ouidius duplices appellat tabellas, in quibus negauerat amica concubitum. Plautus in pseudolo inducit amatorem tabellas ceratas ab amica scriptas perlegentem, quibus illa argentum deposcebat. Hactenus hæc. Elegia satis aperta est, & vno duobusve ad summum locis egens interpretationis.

QVI *non signatas.*] vsus, inquit, mearum manuum attriuerat tabellas, vt etiam non obsignatæ cognoscibiles forent. signum enim fidem facit à quo litteræ perscriptæ sint, vt ait Cicero in Catilinam: *Cognouit manum & signum.*

QVALESCVNQVE.] id est, quamuis viles C forent vt pote ex buxo cera illita confectæ, tamen mihi fideles semper extiterunt, & effectrices fuerunt voluptatum, puella per illas exorata.

IRASCOR *quoniam.*] hæc sunt verba quæ existimat fuisse perscripta in tabellis buxeis à Cynthia.

CESSABIMVS.] otiosi indulgebimus amori.

INTER *ephimeridas.*] timet poëta ne tabellas inuenerit aliquis auarus fœnerator, & in his perscribat rationes argentarias, in quibus antea tantummodo res amatoriæ scribebantur. Ephimerida vocant Græci librum D in quo per dies singulos res gestę scribuntur: Latini diarium appellant, vt docet Gellius: mos fuit veterum Romanorum, vt singuli rerum suarum tabulas diligentissime conficerent, vt ostẽdit Cicero in Verrinis. Cæsar dictator confecit Ephimerida, cuius Seruius citat testimonium: & Flauius Vopiscus in Aureliano, inquit: *Si bene noui Ephimeridas illius viri scriptas habemus.* hic Ephimeridas poeta vocat librum fœneratoris, in quo summas pecuniæ mutuaticæ, fœneratæque perscribit. & ratiunculam per singulos dies expensi, acceptique subducit, & lucra, damnáque computat: in eadem significatione accipitur E apud Ouidium ita scribentem,

Inter Ephimeridas melius, tabulásque iacerent.

Seneca id genus librorum calendarium eleganter appellat cùm ait in primo de beneficiis: *Nemo beneficia in calendario scribet.* item alibi: *Calendarium versat, fit ex domino procurator.*

SIGNA *retenta.*] legendum est ligna, & intelligit tabellas.

DOMINVM *exquiliis.*] ita docet nos Propertius se habitasse Romæ in Exquiliis, quæ ab excubiis regis ita dictæ sunt, vel quod excultæ fuerint à Tullo rege, vt interpretatur M. Varro.

de quibus Ouidius ita scribit in Fastis:

Adde quod excubias vbi rex Romanus agebat:
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

IANVS DOVSA FIL.

ME *miserum, his aliquis rationem scribit auari.*] In Modiano codice erat, *auarus*, quod placet: & confirmant illa Ouidiana:

Inter ephemeridas melius tabulásque iacerent,
In quibus absumtas fleret auarus opes.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

ET *ponit duras inter ephemeridas.*] Ouidius imitatus est:

Inter ephemeridas melius, tabulísque iacerent,
In quibus absumtas fleret auarus opes.

μηνιακαὶ δέλτοι. Calendarium etiam vocari nemo ignorat exemplo Calendarij fœneratorum. Sic etiam Calendarium, & Ephemerides etiam hodiéque vulgo, pro tabulis fastorum, aut Lunaribus astrologorum. Vnde ea Manaca aliquando dicta ostendimus, articulo Arabico, & voce Græca, quam tamen Latini inflexione suam fecerant. μανιάκος, Maniacus, seu Manacus. Βαρδιάκος, Bardiacus, σπαρτιάκος, Spartacus. Nam Spartiacum etiam in quibusdam historicis in manuscriptis libris semper legitur.. At illa vox *Almanac*, quamuis Arabes suam vsu fecerunt, tamen non hodie atque heri eam agnouerunt, sed diu est, postquam hoc factum est. Porphyrius in Epistola ad Anebo Aegyptium, citante Eusebio: καί τι εἰς δεκανοὺς τομὰς ἢ τοὺς ὡροσκόπους, καὶ τοὺς λεγομένους κραταιοὺς ἡγεμόνας. ὧν καὶ τὰ ὀνόματα ἐν τοῖς ἀλμενιχιακοῖς φέρεται. Hæc igitur Ephemeridas etiam vocabant, vt & hodie. Iuuenalis:

In cuius manibus seu pinguia succina tritas
Cernis ephemeridas——

Itaque risu excipiendus Cardanus, qui miratur Haly Rodoan potuisse construere Thema cuiusdam Cometæ, quum, inquit, eo tempore nullæ essent Ephemerides. Sed hunc iocularem errorem diluimus in Prolegomenis Carminis Maniliani. Alioqui vt diximus, Ephemerides sunt quotidiana familiæ. Iuuenalis:

——longi relegit transacta diurni.

ET *dominum Esquiliis.*] Apuleius: *Siquis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitiuam regis filiam. Veneris ancillam nomine Psychen, conueniat retro metas Murcias Mercurium prædicatorem.*

ELEGIA XXIII.

FALSA est ista tuæ mulier, fiducia formæ,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi Cynthia laudes.
A *Versibus insignem te pudet esse meis.*
Mistam te varia laudaui sæpe figura,
Vt quod non esses, esse putaret amor.
Et color est toties roseo collatus Eoo,
Cùm tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrij poterant auertere amici,
B *Eluere aut vasto Thessala saga mari,*
Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsa
Naufragus Ægæa verba fatebor aqua;
Correptus sæuo Veneris torrebar aheno,
Vinctus eram versas in mea terga manus.
C *Ecce coronatæ portum tetigere carinæ:*
Traiectæ Syrtes, anchora iacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu.
Vulneráque ad sanum nunc coiere mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono,
Exciderunt surdo tot mea vota Ioui.

D PHILIPP. BEROALD. BON.

FALSA *est ista tuæ.*] Cynthiam formositatis nomine superbientem reprimit: ostendens se fuisse causam vt formosissima existimaretur, celebrata præconio suorum versiculorum. Gaudet se tandem ab eius pedicis, laqueísque amatoriis esse liberatum.

ROSEO *collatus Eoo.*] comparaui, inquit, sæpe colorem tuum colori roseo orientis Auroræ. Eous dicitur orientalis: & vnus, teste Ouidio, ex equis Solis dictus est Eous.

QVÆSITVS.] scilicet fuco & medicamentis, quibus fœminæ cutem candicant.

E ELVERE *aut vasto.*] non poterat, inquit, mulier saga & artis magicæ perita, quales erant Thessalicæ mulieres, eluere maculas, quibus erat infectus, & expiare illud amoris incẽdium, quo torrebatur, etiam si adhibuisset omnes aquas Oceani: ex quo indicat labem fuisse indelebilem, & inextinguibilem ardorem, quæ nec toto mari emaculari, refrigerarique potuissent. Aquæ habent vim refrigeratoriam & purgatoriam: vnde dixit Catullus:

Suscipit ò Gelli quantum non vltima Tethys:
Aut genitor nympharum abluit Oceanus.

& Virgilius in sexto:

—— aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni,

Hoc idem docet Augustinus in XXI. de ciuitate dei. vsurpátque versus Maronianos.

VENERIS *aheno.*] clauo Cupidineo se fuisse fixum dicit, de quo ita scribit Plautus in Asinaria: *fixus hic apud nos est animus tuus clauo Cupidinis*: vel ahenum intellige vas ad coquendum accommodatum, vt metaphoricos dicat ita se percoqui æstu torrentissimo, vt esculenta in ahenis coqui videmus.

TRAIECTÆ *Syrtes.*] per translationem ostendit se euasisse procellosas amoris Cynthiæ tempestates, quas Syrtibus inhospitalibus comparat.

MENS *bona si qua dea est.*] nos hunc versum ita emendandum esse existimamus: *Si qua dea es*: vt sit sensus poeticæ venustati accommodatus, qui est talis: Cum Iuppiter aures surdas votis meis iam diu præbuerit confugio in sacraria tua ô Mens bona: si es in numero dearum, tibique me dono, vt scilicet per te resipiscam & mentem bonam recipiam, quæ (vt ait Seneca) nec commodatur nec emitur. & puto si venalis esset non haberet emptorem. Mentem autem fuisse deam & à Romanis cultam testis est Liuius, qui scribit in XXII. Attilium prætorem vouisse Menti ædem, quam deinde Attilius Crassus duumuir dedicauit. Cicero in secundo de natura deorum ita scriptum reliquit: *Res ipsa in qua inest vis maior aliqua sic appellatur, vt ea ipsa vis nominetur Deus, vt Fides, vt Mens, quas in capitolio dedicatas videmus.* Antiqui enim, vt docet Augustinus in quarto de ciuitate dei, singulis rebus singulos deos attribuerunt. idem deæ Mentis facit mentionem. de dea Mente ita scribit Ouid. in fastis:

Mens quoque numen habet: Menti delubra videmus
Vota metu belli perfide Pœne tui.

Eiusdem meminit Lactantius in primo.

IANVS DOVSA FIL.

MISTAM *te varia laudari sæpe figura*
Vt, quod non esses, esse putaret amor.]
Faceret et veteris Codicis auctoritas, legerem:

Cùm, quod non esses, esse putaret amor.

nam tale quiddam videtur sententia postulare. alludit porrò ad versus suos de Cynthia;

Vt Mæotica nix minio si certet Ibero,
Vtque rosæ puro lacte natant folia.

ET *color est toties roseo collatus Eoo.*] Hinc Paulus Silentiarius ad amicam:

Εἰ δὲ τις ἀστράπτων [illegible].

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

ECCE *coronatæ.*] Vt:

Puppibus & læti nautæ imposuere coronas.

MENS *bona, si qua Dea es.*] Quasi ignoraret ædem Menti consecratam in Capitolio VIII. Eid. Iunij: vt est in veteri Calendario. At Ouid.

A VII. Eid. dicatam ædem vult temporibus Punicis. Sed & Augustus Iustitiam & mentem in eadem æde consecrauit. Ouid. III. de Ponto:

Principe nec nostro Deus est moderatior vllus.
Iustitia vires temperat ille suas,
Nuper eam Cæsar facto de marmore templo
Iampridem posuit Mentis in æde suæ.

In II. de Ponto; Elegia prima:

Iustitiámque sui caste placasse Parentis,
Illo quæ templum pectore semper habet.

quæ quidem, inquit, iustitia habet sedem in pectore, hoc est in mente Cæsaris: quasi mens illa consecrata ab Augusto ipsius Augusti sit mens,
B in cuius æde Iustitia ἱδρυμένη colleretur. Neque ille locus Ouidij bene capitur Grammaticis, neque emendate legitur in vulgatis editionibus. Quare obscurissimus erat.

ELEGIA XXIV.

RISVS eram positus inter conuiuia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
C *Quinque tibi potui seruire fideliter annos.*
Vngue meam morso sæpe querere fidem.
Nil moueor lacrymis: ista sum captus ab arte:
Semper ab insidiis Cynthia flere soles.
Flebo ego discedens: sed fletum iniuria vincit.
Tu bene conueniens non sinis esse iugum.
D *Limina iam nostris valeant lacrymantia verbis,*
Nec tamen irata ianua fracta manu:
At te celatis ætas grauis vrgeat annis,
Et veniat formæ ruga sinistra tuæ:
Vellere tum cupies albos à stirpe capillos,
E *Ah speculo rugas increpitante tibi.*
Exclusa inque vicem fastus patiare superbos,
Et, quæ fecisti, facta queraris anus:
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
Euentum formæ disce timere tuæ.

PHILIPP. BEROALD. BON.

RISVS verum.] renunciaturus amoribus Cynthiæ commeatum petit à limine, rogátque vt illa senio conficiatur, & turpitudine rugosa dedecoretur. Si legimus, *Risus eram*: significat se fuisse risui, atque ludibrio conuiuarum: in quibus epulones de ipso, ipsiusque amore confabulabantur. Si vero legerimus, *Visus eram*. sensus erit: Cum primum videbat in conuiuio cuilibet conuiuarum statim, poteram præbere argumentum loquendi: & ita eram omnibus rumor & fabula propter Cynthiam.

AB arte.] scilicet lachrymarum: quarum quædam quasi ars in mulieribus esse solet: iuxta illud Satyricum:

Vberibus semper lachrymis, sempérque paratis
In statione sua.——

&, vt ait Martialis, *Iussæ prosiliunt lachrymæ.*

VELLERE *albos capillos.*] mulieres in senecta canescentes, vt vitium ætatis occultent, canos capillos secreto vellunt. hinc iocus ille Augusti celebratur, qui cùm Iuliam filiam deprehendisset canos legentem, dissimulanter interrogauit: *Cana esse mallet an calua.* & cum responderet: *Ego pater cana esse malo.* sic illi mendacium obiecit: *Quid ergo te caluam facis.* Scribit Aristoteles caniciem contrahi inopia & exilitate caloris: inde senescentes canescere. Plautus fœminas vitia deformitatis arte occultantes eleganti vocabulo interpolles appellat ab interpollando: quod verbum significat vetera quæque in nouam speciem mutare, & formam veterem euertere, & in nouam reformare.

A DIRAS *fataleis.*] diræ dicuntur execrationes, vt docet Porphyrio. vnde ait Horat. *Diris vos agam*, dira detestatio, & libellus sub nomine Maronis editus inscribitur, Diræ, hoc est carmen execratorium. Diræ imprecationes erant horrendæ, deos quosdam inauditos compellantes, quibus quisquis obnoxius erat ac deuotus, necessum erat illud grauissimas subire pœnas & maximo affici infortunio, vt scribunt Plutarchus in Crasso, & Appianus in libro Parthico. olim tribunus plebis pronomine Ateius detestatus est & execratus Crassum huiuscemodi diris, cuius exitus fuit erumnosissimus: vnde ait Lucanus in tertio:

B ——*Crassúmque in bella secutum*
Sæua tribuniciæ vouerunt prælia diræ.

INQVE *vicem.*] Idem Horatius:
Inuicem mœchos Anus arrogantes.

IANVS DOVSA FIL.

AH *speculo rugas increpitante tibi.*] Claudianus in Eutropium lib. I.
Séque reformidat speculo damnante senectus.

C IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

RISVS *eram.*] Noster, *visus.* Male vero quædam editiones, & liber noster hæc diuellunt à superioribus.

EXCLVSA *inque vicem.*] Horatius,
Inuicem mœchos anus arrogantes
Flebis in solo leuis angiportu.

SEXTI

FINIS.

SEXTI PROPERTII ELEGIARVM LIBER II.

ELEGIA I.

Hoc, quodcunque vides hospes, quàm maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis & herba fuit.
Atque vbi nauali stant sacra palatia Phœbo,
Euandri profugæ procubuere boues.
Fictilibus creuere deis hæc aurea templa,
Nec fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpeiúsque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris aduena bubus erat.
Quò gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Vnus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Cẽtum illi in prato sæpe senatus erat.
Nec sinuosa cauo pendebant vela theatro.
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere diuos,
Cùm tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuáq; accẽso celebrare Palilia fœno,
A *Qualia nunc curto lustra nouantur equo.*
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
Ducebant macræ vilia sacra boues.
Parua saginati lustrabant cõpita porci,
Pastor & ad calamos exta litabat ouis.
Verbera pellitus setosa mouebat arator.
Vnde licens Fabius sacra lupercus habet.
B *Nec rudus infestis miles radiabat in armis:*
Miscebant vsta prælia nuda sude.
Prima galeritus posuit prætoria Lucmo.
Magnáque pars Tatio rerum erat inter oues.
Hinc Titiens, Ramnesque viri, Lucerésque coloni.
C *Quattuor hinc albos Romulus egit equos.*
Quippe suburbanæ parua minus vrbe Bouillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabij:
Et stetit Alba potens, albæ suis omine nata,
Hac, vbi Fidenas longè erat ire, via.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus.
N *Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.*
Huc melius profugos misisti Troia penates.
O quali vecta est Dardana puppis (aue!

Iam bene spondebant tunc omina, quòd nihil illam
Læserat abiegni venter apertus equi,
Cùm pater in nati tremulus ceruice pependit,
Et verita est humeros vrere flamma pios.
Tunc animi venere Decij, Brutique secures.
Vexit & ipsa sui Cæsaris arma Venus.
Arma resurgẽtis portãs victricia Troiæ,
Felix terra tuos cepit Iule deos:
Si modò Auernalis tremulæ cortina Sibyllæ
Dixit Auentino rura pianda Remo,
Aut si Pergameæ serò rata carmina vatis
Longæuum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum Danai, malè vincitis. Ilia tellus
Viuet, & huic cineri Iuppiter arma dabit.
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creuerunt mœnia lacte tuo!
Mœnia namque pio conor disponere versu.
Hei mihi quod nostro est paruus in ore sonus!
Sed tamen exiguo quodcunque è pectore riui
Fluxerit, hoc patriæ seruiet omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex edera porrige Bacche tua:
Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi.
Scãdentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma faue. tibi surgit opus. date candida ciues
Omina, & in tectis dextera cantet auis.
Sacra, diésque canam, & cognomina prisca locorum.
Has meus ad metas sudet oportet equus.
Quò ruis imprudens vage dicere facta Properti?
Non sunt à dextra condita fila colo.
Accersis lacrymis cãtus. auersus Apollo.
Poscis ab inuita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus. haud ego vates
Nescius ærata signa mouere pila:
Me creat Archytæ soboles Babylonius Horos,
Horos, & à proauo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes, non degenerasse propinquis,
Inque meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos, & fallitur auro
Iuppiter. obliquæ signa iterata rotæ,
Felicésque Iouis stellas, Martísque rapacis,
Et graue Saturni sidus in omne caput,
Quid moueant Pisces animosáque signa Leonis,
Lotus & Hesperia quid Capricornus aqua,
Dicam. Troia cades, & Troica Roma resurges:
Et maris, & terræ longa sepulcra canam.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante deo)
Non posse ad patrios sua pila referre penates:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cauit equo:
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ,

Fatales pueri, duo funera matris auaræ: A
Vera sed inuito contigit ista fides.
Idem ego, cùm Cynaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent vteri pondera lenta moram,
Iunoni votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit. libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyci Iouis explicat antrum, B
Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Vmbra neque hæc magicis mortua prodit aquis.
Aspicienda via est cæli, versúsque per astra
Trames, & ab Zonis quinque petenda fides.
Exemplum graue erit Calchas. namque Aulide soluit C
Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum ceruice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
Supprime, & Euboicos respice Troia sinus. D
Nauplius vltores sub noctem porrigit ignes,
Et natat exuuiis Græcia pressa tuis.
Victor Oilide rape nunc, & dilige vatem,
Quam vetat auelli veste Minerua sua.
Hactenus historia. nunc ad tua deuehor astra: E
Incipe tu lacrymis æquus adesse nouis.
Vmbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior, an patriæ tangitur ora tuæ,
Qua nebulosa cauo rorat Meuania campo,
Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis.
Scandentisque axis consurgit vertice murus,

Murus ab ingenio notior ille tuo. A
Ossáque legisti, non illa ætate legenda,
Patris, & in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua cùm multi versarent rura iuuenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, vbi bulla rudi dimissa est aurea collo,
Matris & ante deos libera sumpta toga, B
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus. hæc tua castra:
Scribat vt exemplo cetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patière sub armis,
Et Veneris pueris vtilis hostis eris. C
Nam tibi victrices, quascunque labore parasti,
Eludet palmas vna puella tuas;
Et bene cùm fixum mento discusseris vncum,
Nil erit hoc. rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem, lucémque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet. D
Nec mille excubiæ, nec te signata iuuabunt
Limina. persuasæ fallere rima sat est.
Nunc tua vel mediis puppis luctetur in vndis,
Vel licet armatis hostis inermis eas.
Vel tremefacta cano tellus diducat hiatu, E
Octipedis Cancri terga sinistra time.

PHILIPP. BEROALD. BON.

Hoc *quodcunque, vides hospes.*] Sequestratis paulum rebus amatoriis stylum vertit ad res serias & graues, & altius exordiens repetit vrbis Romæ primordia, & vitam illam priscorum rudem, victumque rusticanum ingeniosè describit. Alloquitur hospitem, cui recens ingresso vrbē sigillatim cūcta demōstrat.

NAVALI *palatia Phœbo.*] Ædem Apollinis palatini significat, quæ fuit in palatio nobilissima, quam Cæsar, quem diuum Augustum dicimus, extruxit post Actiacam victoriam, pugnámque naualem. in qua suffragante Apolline, Antoniū, Cleopatrámque debellauit: cuius supra mentionem fecimus. Fuit & altera ædes Apollinis extra portam Carmentalem: inter forum Olitorium, & circum Flamineum, vt scribit Asconius. cuius meminit Cicero in oratione in toga candida, & quando in epistolis ad Atticum scribens ait: *Senatus ad Apollinis fuit*, ne erres, scito eum loqui de hoc templo Apollinis, non autem de illo palatino, quod multis annis post factū fuit ab Augusto.

EVANDRI *boues.*] quis ignorat palatium ante Romam conditam possessum fuisse, habitatumque ab Arcade Euandro? vnde locum dictū putant quidam quod Palantes cum Euandro ibi consederunt. Sunt qui velint à balatibus ouium mutata litera nuncupatum: vnde & Neuius balantium appellat. alij à Pale pastorali dea nomen inditum confirmant: de quo paulo post scribit luculentum carmen. alij autumant appellatum Palatinum montem à Palanteo oppido Arcadico: cuius meminit Virgil. *Et nobile Palantheum.* historici ferme omnes & poëtæ de Euandro loquuntur.

FICTILIBVS *creuere deis.*] scribit Plinius fictiles deorum effigies fuisse antiquitus laudatissimas, & Herculem & Iouem fictiles factos fuisse à Turiano Fregelano, quos Romani coluerunt. aurum enim & argentum ne diis quidem considebant: vnde ait Iuuenalis:

Fictilis & nullo violatus Iuppiter auro:

&, teste eodem Plinio, durant æternum plerisque in locis fictilia simulachra, nec pœnitet nos illorum qui tales deos coluere, & ab Ouid. dictum est: *Inque Iouis dextra fictile fulmen erat.* Figulinas primus inuenit Chorebus Atheniēsis.

NVDA *de rupe tonabat.*] Romani Iouem sub multis cognominibus coluerunt: nam & statorem, & feretrium, & elicium, & fulminantem, & tonantem venerabantur: & Augustus Ioui tonanti ædem consecrauit. Priscis temporibus rupes Tarpeia erat inculta, &, vt inquit Ouid.

Frondibus ornabant quæ nunc Capitolia gemmis.

merito ait poëta Iouem tarpeium de Tarpeio monte nudo & inornato fulmina, tonitruáque emisisse.

TYBERIS *aduena.*] sensus est: Tyberis, qui nunc est vrbanus, & per Romanum territorium fluit, ab origine vrbis erat peregrinus nondum imperio Romano propagato: nam pusilla fuit ab initio Roma, vt pote quæ ad scalas Caci terminaretur.

VNDE *erat fratrum.*] in Tugurio Faustuli pastoris Romulus & Remus mansitarunt, vt ait Soli. & vt scribit Ouid.

Dum casa Martigenam capiebat parua Quirinum.

cuius casæ meminit Liui. in v. &, vt ait Dionysius in I. Casa Romuli durauit ad ipsius ætatem in angulo Palatino, cuius si quid vel tempestate vel vetustate corruerit id custodes loci reficiunt, nihil illi magnificentius addentes, sed omnia prioribus similia restituentes.

CVRIA *alta.*] notum est duo fuisse Romæ genera curiarum. namque erant curiæ vbi sacerdotes curabāt res diuinas, à quibus curiones dicti: & hinc maximus Curio appellat senatores à pelliceis togis, quas gestabant: sicut ab Horatio oues pellitæ vocantur: non, vt semidocti grāmatistæ hallucinātur, propter pellem genuinam & lanam, sed propter tegumenta, quibus Tarentinum pecus quod mollissimum omnium est, & Græcum dicitur, tegebatur. hinc apud Columel. in VIII. inscriptio est de ouibus tectis: & Plin. ita scribit in VIII. *Ouium duo genera tectum, & colonicū, & mox operimenta inquit ess ex arabicis præcipua.* sed optime omnium M. Varro hoc declarat: adeo vt Horat. hoc nomen ab eo mutuatus esse videatur ita enim tradit in II. de re rustica: *Pleraque similiter faciendum in ouibus pellitis, quæ propter bonitatem lanæ, vt sunt Tarentinæ & Atticæ, pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte possit, vel lauari, ac parari.*

BVCCINA.] per diminutionem dicta est buccina tuba, quæ apud Hæbreos bucca vocitatur, vt auctor est diuus Hieron. in epistola ad Dardanum, & est buccina proprie rusticorum: vnde ait Var. Subulcus debet assuefacere omnia, vt faciant ad buccinam. Buccina, vt scribit Vege. in semet-ipsa circulo reflectitur: inde buccinatores dicti qui buccinam inflant: vnde ait Caper: *Buccina tuba est, qua dat signum buccinator, buccinus vero dicitur ipse sonitus:* in quo significatu accipitur apud Plin. sic scribentem in XI. de apibus: *Noctu quies in matutinum donec vna excitet omnes gemino aut triplici bombo, vt buccino aliquo.* sensus est poëtæ: Buccino, hoc est sonitu buccinæ: per buccinatorem Romanos priscos fuisse vocatos ad concionem atque comitia celebranda, sicuti olim per preconem, aut accensum vocabantur in licium Quirites: à quo accensum qui acciebat dici existimat Varro Terent. hos autem Propertij versus allegat Lactant. in II.

CENTVM *senatus erat.*] Romulus, teste Liuio, centum creauit senatores, siue quia is numerus satis erat, siue quia soli centum erant qui creari patres possent. Patres certe ab honore, patritiíque eorum progenies appellati. Tarquinius Priscus numerum senatorum duplicauit, qui deinde minorum gentium sunt appellati. Postea Brutus ad trecentorum summam senatorium numerum expleuit, primoribus equestris gradus electis, hique patres conscripti sunt vocitati. Temporibus Cæsaris super mille senatores fuerunt, & his quidam indignissimi per gratiam aut præmium allecti, quos abortiuos vulgus nomi-

nabat: quos ad pristinum modum, splendorémque redegit Augustus.

NEC *sinuosa vela.*] priscorum theatrales gradus erant cespititij: &, vt ait Ouidius,

Tunc neque marmoreo pendebant vela theatro:

sed crescentibus opibus creuit & luxuria: cuius instinctu, vt tradit Valerius Catullus, spectantium consessum primus velorum vmbraculis texit. de quo ita scribit Plinius in XIX. *Vela in theatris tantum vmbram fecere, quod primus omnium inuenit Quin. Catulus cum Capitolium dedicaret. Carbasina deinde vela primus in theatro duxisse fertur Lentulus Spinter Apollinaribus ludis.*

NON *oluere crocos.*] crocum vino mire congruit, præcipue dulci tritum, quo prisci vtebantur ad theatra replenda, vt docet Plin. in XXI. & hoc erat indicium vrbi felicitate immodica luxuriantis: & scænam croco perfundi solitam indicat Lucretius illo versu:

Et cum scæna croco cilici perfusa recens est. Ouid.

Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Martialis appellat nimbum rubrum huiuscemodi perfusionem sic scribens:

Hoc rogo num melius quam rubro pulpite nimbo

Spargere & effuso permaduisse croco.

& alibi nominat nimbos cilices. ait poëta priscis temporibus non fuisse hunc luxum perfundendi pulpita theatrica croco odoratissimo.

EXTERNOS *diuos.*] scribit Liuius lib. XXXIX. Patrum, auorumque ætate negocium magistratibus sæpe datum fuisse, vt sacra externa fieri vetarēt: sacrificulos, vatésque foro, circo, vrbe prohiberent, omnem disciplinam sacrificandi præterquam more Romano abolerent: & Cicero de diis colendis legem ita condidit: *Separatum nemo sit habens deos nouos, neque aduenas, nisi publice ascitos priuatim colunto.* ait poëta nulli priscorum studium fuisse quærendi deos peregrinos, & colendi externas religiones, quæ secutis temporibus passim receptæ fuerunt: adeo, vt maior cælitum numerus esset quam hominum: & religio externa ex vltimis terris appetita, susceptáque in Romana vrbe consideret.

PENDVLA.] ex religione suspensa.

TREMERET.] quoniam metus peperit religionem: &, vt inquit Statius, *Primus in orbe deos fecit timor.*

PALILIA *fœno.*] scribit Varro Palilia dicta à Pale dea, cui eo die feriæ fiebant. Erant autem Palilia vigesimus dies Aprilis, quo Romulus condidit Romam. Solinus appellat Parilia, cuius nominis significationem de partu Iliæ tractam existimat. obseruatum est ne qua victima Palilibus cæderetur, & vt ille dies purus esset à sanguine. Probus grammaticus ita scribit: *Pales dea pastorum est, cuius dicit sacrum appellari Pariba transposita litera, quæ si suo loco esset, palilia potius dicerentur, qui dies natalis est vrbis Romæ. Ritus festiuitatis est, vt in ignem transiliant accensis stramentis more agresti.* & Ouidius in fastis celebrans Palilia inquit:

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis aceruos

Transilias celeri strenua membra pede.

CVRTO *lustra nouantur equo.*] Seruius Tullus sextus Romanorum rex primus lustrum A condidit, cùm exercitum omnem in campo Martio lustrasset, facto sacrificio de sue, oue, tauro: quod solitaurilia vocitarunt. Fuit postea hoc opus censorum, qui completo quinquennio lustrabant. auctores Liuius & Asconius: sed in hoc loco non illa quinquennalia lustra intelligenda sunt, sed lustrationes, expiationésque Paliliorum, quibus equinus sanguis erat pro suffimine. Quæ luculentis carminibus prosecutus est Ouid. in quarto fastorum. Curtum equum appellat incultum, & ob hoc quasi mutilatum, sicut dixit Horatius:

——*nunc mihi curto*

Ire licet mulo, vel si libet vsque Tarentum.

B A Martiale dictus est curtus calix. & à Persio curta supellex. Quidam codices habent Curuo, tanquam alludat ad equi immolationem, qui curuatus mactabatur.

VESTA *coronatis.*] in sacris deæ Vestæ aselli Panibus coronabantur, vt docet Ouid. in sexto Fastorum scribens:

Ecce coronatis panis dependet asellis.

hoc factitatum esse dicit poëta rudi seculo, quando Vesta erat pauper. Consualibus quoque asini vna cum equis coronabantur, & erant feriati: causam refert Plutarchus in Problematis.

LVSTRABANT *compita porci.*] decimo die C à partu porci habentur puri, & tum ad sacrificia dicuntur idonei, vt docet Varro in re rustica: vnde ab antiquis sacres appellantur, hinc ait Plautus in Menechmis: *Quantis hic porci sunt sacres?* & vt dicit Ouid.

——*Prima putatur*

Hostia sus meruisse mori, quia semina pando

Eruerat rostro.——

Plinius in octauo scribit, *Suis fœtus sacrificio die quinto purus est. Coruncanus ruminales hostias donec bidentes fierent, puras negauit.*

SAGINATI.] saginarium antiqui dixerunt locum in quo opimabantur altilia. Varro in ter- D tio de re rustica, *Pullos*, inquit, *anserum includunt in saginario: saginantur in primis porci fico carica, quod est inuentum Apitij.* Compita dicata sunt Laribus: vnde Compitalia dicta dies, qua in Compitis sacrificabatur, & ludos à viis Compitorum, in quibus agebantur, Compitalia appellitauerunt: auctores Varro & Macrobius. hic intellige porcos lustrasse Compita non tam in honorem deorum Larium, quam Cereris: in cuius initiis, quæ Græci Thesmophoria nuncupant, immolabantur. Præterea à suillo pecore immolandi initium sumptum videtur, vt autumat M. Varro: cuius rei vestigia sunt, quod, vti iam diximus, in cerealibus porci immolantur: & E quod fœdus cum feritur porcus occiditur: & quod antiquitus in nuptiali coniunctione noua nupta, & nouus maritus porcum immolabant.

MACRÆ *boues.*] victimæ optimæ sunt boues & lautissima eorum placatio: &, vt scribit Plinius, victimarum probatio in vitulo est, vt articulum suffraginis cauda contingat, breuiore non litant. bobus quoque vtebantur ad sacra ferenda: vnde & Virg. dixit:

Quæsitas ad sacra boues Iunonis:

Priscorum boues erant macræ. Postera ætas luxu dominante tauros albos & hispula pinguiores adhibebat ad sacrificia.

AD *calamos.*] ad fistulæ sonitum. ad fistulam, inquit, pastoralem extis ouium litabatur, cùm corruptior ætas ad tibiam faceret hecatomben: sed dij placabiliores erant illo simplici sæculo ex vnius ouis sacrificio, quàm posteris temporibus ex cētum taurorum immolatione. Gratia enim, vt ait Plinius, magna pecori fuit in placamentis deorum, cuius fœtus purus erat sacrificio die septima. Exta dicuntur viscera principalia, ab eo quod maxime extant, eminéntque, vt interpretatur Festus. Exta serpentibus & lacertis longa sunt, vt ait Plinius in xi. cuius hæc sunt verba: *Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur, quod Græci appellauerunt phrenas.* idem ait in xxx. *Præcordia vocamus vno nomine exta in homine, quorum in dolore cuiuscunque partis si catulus lactēns admoueatur, transire in eum morbus creditur.* ab extis extispicium vocatur aruspicina. caput extorum erat in iecore. tristissima exta sine capite existimabantur. lege Ciceronem & Plinium multa de extis disserentes. Litare significat sacrificio facto placasse numen, vt docet Macrobius. Nec omnis qui sacrificat litat: vnde est illud:

Non quacunque manu victima cæsa litat.

& multi cum prima hostia litare non potuissent, proxima pulcherrime litabant. & cùm immolatur pluribus diis euenit, vt aliis licetur, aliis non litetur, vt auctor est Cicc. in secundo de Diuinatione.

FABIVS *Lupercus.*] Lupercalia erant in mense Februario feriæ dicatæ Iunoni februatæ: dicta quod in Lupercali Luperci sacra faciunt, qui Fabiani & Quintiliani appellabantur, à Fabio & Quintilio præpositis suis. Quidam à lupa altrice Romuli & Remi tradunt appellata. Græci Lycea vocant Lupercalia, & in honorem Panos siue Fauni Lycei concelebrant. In Lupercalibus Luperci nudi cursitant ferientes obuios scuticis ex caprina pelle confectis: ad quæ verbera matronæ se vltro offerunt, existimantes id ad fœcunditatem esse conducibile: à Lupercis canis immolatur. hoc solemne ludicrum existimatur ab Euandro Arcade in Italiam translatum. de Lupercalibus scribunt Plutarchus, Dionysius, Liuius, Trogus, & Ouidius in fastis. Seruius quoque enarrans illud Virgilianum: *Gelida sub rupe lupercal*, satis probè loquutus est de etymologia vocabuli. inueniuntur, auctore Quintiliano qui Lupercalia contendant esse tres partes orationis, quasi luere per caprum.

VERBERA *setosa.*] appellat scuticas illas Lupercorum, quæ ex caprina pelle, quæ villosa est, conficiebantur. nam verbera non solum significant ipsam verberationem, sed etiam ipsum verberandi instrumentum. Quintilianus: *Verbera quæ casus obtulerat.* Fabius Lupercus nominatur licens videlicet à licentiosa petulantia, qua nudi discurrentes licenter feriebant obuios: & Cicero probro maximo dat Antonio, quod in lupercalibus nudus, vnctus, ebrius concionatus sit. alij legunt Lyceus, referentes ad Lyceum Pana, quem Luperci venerabantur. prior lectio magis placet.

NEC *radiabat.*] ostendit prisco seculo arma militum non fuisse pretiosa, nec argento cælata, nec ære radiantia, sed rudia & infabrēfacta, cùm posterioribus temporibus gliscente luxu arma militaria non solum argento, sed etiam auro cælarentur. vnde scribit Lampridius, Alexandrum Seuerum fecisse sibi chrysoaspidas, ita enim appellati sunt illius milites ab clypeis auro cælatis: & Iulius Cæsar, teste Tranquillo, milites habebat tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret. Plinius quoque obiurgans luxum Romanorum, *Et quid attinet*, inquit, *hæc colligere, cum capuli militum ebore etiam fastidio, calentur argento, vaginæ catilis, balthei laminis crepitent*: &, vt ait Iuuenalis:

Argentum quod erat solios fulgebat in armis.

VSTA *sude.*] ita Virg. *Sudibus ve præustis.*

POSVIT *prætoria Lygmon.*] prætorium vocamus tabernaculum ducis, quod alio nomine, vt docet Quintilianus, dicitur Augustale. veteres enim omnem magistratum, cui pareret exercitus, prætorem appellauerunt vt scribit Asconius. vnde porta Prætoria in castris nominatur, & nauis prætoria, & præfectus prætorio. prætoria quoque dicuntur ædificia magnifica in rusticis prædiis & vrbanæ villæ, vt docet Palladius, scribens qualis esse debeat situs prætorij in ædificiis villaticis. Iurisconsultus de seruitutibus prædiorum ait licere altius tollere, & officere prætorio vicini, vel cloacam habere licere per vicini domum, vel prętorium. Papinius in siluis: *Alternas seruant prætoria ripas.* & in hac significatione accipitur apud Martialem:

Ad lapidem Torquatus habet prætoria quartum.

& apud Tranquillum in Caligula: *In extructionibus prætoriorum atque villarum.* pro augustali, hoc est tabernaculo imperatoris, videtur nunc accipi à poëta. Quis autem fuerit hic Lygmon nondum inueni, nec vlla eius rei fit mentio apud scriptores, quod equidem sciam. Ego existimo intelligendum esse de eo Lucumone, à quo Luceres nominati sunt, quæ fuit tertia pars populi Romani: quamuis Lucerum nominis & originis causam incertam esse Liuius arbitretur. Galeritus Lygmon vocatur à galero, quod est genus pilei, vt ait Seruius, quo ex pellibus lupinis confecto rusticos vsos pro tegumento capitis testis est Virg. qui sic ait: *Fuluósque lupi de pelle galeros Tegmen habent capiti.* auctor est Vegetius lib. I. de re militari, milites Romanos vsos esse pileis ex pellibus, quos pannonicos vocant.

TATIO.] Tatius rex fuit Sabinorum cum quo Romulus consociauit imperium: historia nota. Veteres in pecoribus habebant, quod habebant, vt inquit Augustinus, & repetitum est in decretis: &, teste Columella, adhuc apud quasdam gentes hoc vnum vsurpatur diuitiarum gratia, propter quod nomina pecuniæ & peculij tracta videntur à pecore. Existimat Plin. pecuniam à nota pecudis appellatam, qua Seruius rex nummum signauit.

HINC *Tatiens.*] principio populus Romanus in tres partes diuisus fuit, quæ tribus dicuntur: vna Tatiensis à Tatio rege Sabino: Ramnes altera à Romulo: Luceres tertia à Lucumone, siue Lucetio, siue à luco: quem lucum Asylum Romulus vocauerat. Tribus autem dictæ vel à tributo dando, vel quòd tres fuerunt: vnde etiam dicti sunt tribuni. deinde ciuitas Romana in sex partes fuit distributa in primos, secundósque, Tatienses, Ramnes, Luceres. Quælibet ex tribus tribubus decem curias continebat, quæ de nominibus Sabinarum appellatæ sunt. auctores Varro, Festus, Plutarchus, & Asconius. Dissentit paulum Liuius scribens à Romulo centurias equitum tres fuisse conscriptas, Ramnenses, Tatienses, & Luceres: nec videtur existimare totum populum in hos fuisse distributum, sed solos equites.

QVATTVOR *hinc albos.*] Romulus Ceniensibus debellatis triumphum Romam reportauit curru quadriiugo (vt auctor est Dionysius) inuectus: & in hanc sententiam est illud à Floro dictum, *De Veiis & Bouillis pudet, sed triumphauimus: Idem tunc erant Fesulæ, quod Capreæ nuper: Idem nemus Aricinum, quod Hercynius saltus: Fregellæ, quod Gesforiacum.* Dionysium refellit Plutarchus dicens Romuli triumphum fuisse pedestrem. Primus fuit Tarquinius Priscus, qui in curru triumphauerit: vel, vt alij tradunt, Publicola. Dionysium sequitur Propertius.

SVBVRBANÆ *Bouillæ.*] oppidulũ fuit in Latio haud procul ab vrbe Roma, vt ait Plinius, vnde suburbanæ dicuntur. eodem epitheto vsus est Ouidius in Fastis,

Orta suburbanis quondam fuit Anna Bouillis.

Gabij & Bouillæ, quæ loca nunc vix nomen retinent, temporibus Romæ nascentibus habebantur in pretio, & erant instar ciuitatum. à Galacto & Bio fratribus Gabios esse nominatos existimat Solinus. ad Bouillas Clodius occisus fuit, vt docet Asconius.

ALBÆ *suis omine nata.*] Albam sub Albano monte condidit Ascanius, quæ ab situ porrectæ in dorso vrbis longa Alba est appellata, vt autumat Liuius. Vulgatior fama est ab omine Albæ porcæ, quæ triginta porcellos Æneæ peperit Albã nominatam: cui sententiæ nunc poëta astipulatur. à Græcis dicitur leuca macra, hoc est Alba longa, vt inquit Dionysius.

FIDENAS.] Fidenates Hetrusci fuerunt, vt scribit Liuius in primo, quos vicit, fuditque Romulus & vrbem cepit deduxitque coloniam, vt auctor est Dionysius: olim Fidenates facibus armati furiali more contra Romanos dimicarunt, & profligati fuerunt, vt refert Florus: meminit & Virgilius huius vrbis in sexto: *Vrbémque Fidenam.*

NIL *patrium.*] adeo, inquit, omnia Romæ ad summum fortunæ luxuriantis euecta sunt, vt ex illa rudi & incomi ciuitate nihil supersit præter Romanum nomen: adeo vt pudeat Romanos originis suæ, nec æquo animo audiant lupam fuisse educatricem Romuli & Remi vrbis Romæ conditorum. de lupa Romuli nutrice omnia sunt diuulgata secũdũ & mythicos & historicos.

HEV *quali vecta est.*] optimis profecto auspiciis classis Æneæ Troiani peruenit in Italiam, à quo orionda est Roma orbis caput, & profuit ipsi Troiæ euersio, quæ fuit causa Romæ condendæ: nisi enim illa periisset hæc non fuisset, nec Æneas Romani imperij conditor in Italiam nauigasset.

QVALI *aue.*] quam felici augurio. per contrarium dixit Horatius: *Mala ducis aui domum.* Ex Romanorum cõsuetudine tractum est, apud quos nihil domi, nihil foris gerebatur nisi auspicato. Aquilæ honor datus est, vt magnarum rerum faciat auspicia, datur & coruo, aliísque paucissimis: Sed quicquid exta, quicquid aues portendunt interuentu fulminis aboletur: quicquid fulmine denunciatum est, id nec extis, nec aue refellitur. auctor Seneca in secundo quæstionum naturalium.

OMINA auguria quod antiqui Osmen dicebãt, id nos omen dicimus extritos, vt scribit Varro.

ABIEGNI *equi.*] equum Troianum intelligit, in cuius fabrica abietem adhibitam fuisse testis est Maro, qui sic ait, *Sectáque intexunt abiete costas.* Quod non sine causa dictum arbitrantur eruditi: nam cum abies fulminata interitum dominæ significet, & Troia per fœminam perierit, merito abiegnus, hoc est ex abiete contextus, fuit ille equus Troiæ fatalis.

CVM *pater in nati.*] Anchises filij Æneæ ceruice succolatus.

TVNC.] ex Ænea seruato.

VENERE *Decij.*] Deciorum & Bruti historia notior est, quàm vt nostræ egeat interpretationis: & supra facta est mentio.

SVI *Cæsaris.*] Cæsar dictator in oratione qua laudauit amicam Iuliam defunctam sic retulit, *A Venere sunt Iulij, cuius gentis familia est nostra,* merito ergo dicit Venerem Cæsari tanquam suo pronepoti fauisse, & eius arma vexisse victricia. Tale est illud Virgilianum,

Hunc tu olim cælo spoliis orientis onustum
Accipies secura. ——

TVOS *deos.*] penates intelligit, quos Æneas ex Phrygia detulit in Italiam: quos Lauini collocatos, Iulius Ascanius Albam, quam ipse condiderat, transtulit. Illi ex Alba pristinum sacrarium miraculi causa suapte sponte bis repetiētur. auctores Vale. & Dionysius.

AVERNALIS *cortina Sibyllæ.*] notum est Sibyllam Cumanam Æneæ vaticinium dedisse Romani imperij: Cuius libris fata Romana cõtinebantur, & illos decem viri adire solebant, cum desiderabatur quid esset faciendum. dixit ergo vaticinans Sibylla Remum periturum: cuius manes Romulus expiauit: cuius cadauer sepultum fuit in Remoria, qui locus est in Auentino. auctores Dionysius & Plutar. & Remo defuncto dicatus est dies qui dicitur Remuria, vt scribit Ouid. Cortina autem locus est vnde datur oraculum: à corde dicta, vt interpretatur Varro, quòd inde primum sortes extimatæ. Alia interpretamenta à Seruio referuntur enarrante illud Virgilius:

Mugire adytis cortina reclusis.

Præterea cortina dicitur spacium quod est inter

terram & cælum. Cortina significat vas quo oleum vel liquidum aliud influit. Cato: *Cortinam plumbeiam in lacum ponito, quo oleum fluat.* A Plinio cortina appellatur vas infectoris: ab ecclesiasticis scriptoribus cortinæ accipiuntur pro auleis, & velis, prout vernaculo sermone appellitare solemus. vnde scriptum est in exodo: *Decem cortinas facito de bysso retorta, & hyacinto & purpura, crocóque bis tincto variatas.*

PERGAMEÆ *vatis.*] Cassandram significat, cuius vaticinia fuerunt quidem vera, sed, vt inquit Virgilius, *non vnquam credita Teucris.*

VERTITE *equum.*] hoc est vaticinium Cassandræ, quo Græcos admonet, vt equum Troianum retro agant, quoniam illa victoria est ipsis futura detrimentosa, Troianis vero saluberrima, vtpote in Italia maius imperium exuscitaturis.

HVIC *cineri.*] reliquis Troianorum.

ENNIVS *hirsuta.*] cum Ennio danda sit corona laurea, vtpote poëtæ grandiloquo, & epico, petit ipse coronari corona hederacea: quæ cum infra laurum sit, danda est poëtis minutis & elegiographis.

VMBRIA *Romani.*] appellat se Romanum Callimachum, quoniam qualis est apud Græcos Callimachus scriptor elegiarum, talis est apud Romanos Propert. qui in primis Callimachum æmulatus est: & illum in scribendo habet archetypon: ita Virg. dictus est Mantuanus Homerus, cuius æmulatus est non modo magnitudinem, sed simplicitatem orationis, tacitámque maiestatem.

DEXTRA *cantet auis.*] cantaturus res Romanas optat felix auspicium & oscines à dextra cãtantes, vt commodissime auspicetur. Aues dextræ felicitatem denunciant: sinistræ infortunitatem. datum est tamen aliis auibus dextra, aliis leua vt ratum auspicium facere possint, vt docet Cicero: & apud priscos Coruus à dextra, Cornix à sinistra ratum faciebant.

SACRA *diésque canam.*] hoc dicit tanquam scripturus fastos Romanorum, in quibus sacra & causæ sacrorum cum diebus festis & profestis continebantur: vnde ait Ouidius,

Sacra recognosces annalibus eruta priscis:
Et quo sit merito quaque notata dies.

QVO *ruis imprudens.*] inducitur mathematicus siue genethliacus quidam nomine Horus, qui per totam Elegiam loquitur cum Propertio: & eum dicit minime esse idoneum scribendis rebus grauioribus, cui & futura denunciat. Nonnulli seiungunt hæc à superioribus, sed melius est vt iuncti legantur: Videtur enim respondere poëtæ cupienti scribere fastos, & sacra præclara Romanorum, & eum reuocare à tam grandi, onerosáque prouincia.

A *dextra colo.*] alludit ad Parcas, & per hoc insinuat non esse ingenium Propertij accommodatum ad canenda grandiloqua, & res Romanas describendas: cui aduersum esse dicit Apollinem & lyram poëticam in vitam suppeditare versus cothurnatos.

ACCERSIS *lachrymas.*] id est, laboriosè & pæne cum lachrymis pangis grande poëma, cùm tibi sit nullus Apollinis fauor. Quid si legas aduersis musis cantas, vt dicat Propertium carmina scribere Apolline & musis refragantibus. Tale est illud Martialis:

Carmina quod scribis Musis & Apolline nullo.

CERTA *feram certis.*] dicit astrologus se vera denunciaturum, nec se sphæræ astrologiæque disciplinam ignorare: quam appellat pilam æratam, cuius inuentor Atlas memoratur.

VATES.] diuinator. Vates poëtas antiqui dixerunt à versibus viendis, vt interpretatur M. Varro: &, vt inquit Cornelius Tacitus in dialogo de oratoribus, honorificentius existimabatur nomen vatis quàm poëtæ. Præterea vates significat sacerdotem atque prophetam sicuti scriptũ est in decretis distinctione vigesima prima. Hic accipitur pro Chaldęo & Genethliaco fatidico: qui ex ratiocinationibus sphæræ & stellarum motum futura prædicit.

BABYLONIVS *Orops.*] Horus astrologus à progenitoribus astrologis se non degenerasse significat, quorum nomina celebrat, ex quibus duo noti sunt, vnus ignotus. Architam enim & Cononem monumentis scriptorum celebratos nullus ignorat. fuit autem Architas Tarentinus Pythagoricus nobilissimus, & in omni virtutis genere mirandus, ad quem extant Platonis epistolę: hic primus mœchanica exposuit, & in geometria cubum primus inuenit, qui ab Horatio dicitur

Mensor maris & terræ & arenarum:

qui fabricauit olim columbam ex ligno volantẽ vt scribit Gellius. Conon vero Samius fuit mathematicus, qui de astrologia libros scripsit, vt testatur Probus grammaticus, qui cupiens inire gratiam Ptolomei regis dixit crinem reginæ Berenices esse in cælo collocatum, vt ait Higinius. Huius meminit Maro in Bucolicis. De hoc inquit Callimachus,

Idem me ille Conon cælesti munere vidit:
E Bereniceo vertice cæsariem.

quod carmen lingua Romana traduxit Catull. Alter fuit Conon Atheniensis imperator notissimus historicorum voluminibus: Hic dictum accipe de astrologo Conone. Orops minus est à scriptoribus celebratus, & ideo minus cognitus.

BABYLONIVS.] accipiendum est quasi astrologus probatissimus. Babylonij enim (vt ait Porphyrio) astrologiam inuenisse dicuntur: per quã genesis colligitur: &, vt auctor est M. Tullius, Babylonij omnem curam in siderum contemplatione posuerunt, & Babyloniorum philosophi nobilissimi Chaldæi celebrantur, qui astrologiam & genethlialogiam optime callebant: de quibus multa Diodorus, Strabo, & Cicero tradiderunt.

MEIS *libris.*] scilicet astrologicis.

FIDE.] veritate. Ita Plin. Fides auctores appellet, & Valerius, fidem, inquit, auctores vendicent.

NVNC *pretium fecere Deos.*] aurum, inquit, & nummi instar sunt deorum, & tanquam numina coluntur: & ideo auaritia dicitur idolorum seruitus: quia honorem impendimus nummo, qui

impendi debet Deo: Et, vt ait Augustinus, *antiqui coluerunt deam Pecuniam, & Aesculanum, & Argentinum deos propter nummos aureos & argenteos.* taxat autem illos qui pluris faciunt aurum, quàm disciplinam mathematicorum, vel potius pseudoastrologos criminatur, qui pretio corrupti sideralem scientiam ementiuntur, & accepto auro sidera natalitia hominibus genituram suam edẽtibus, salutaria esse denunciãt, qualis est stella Iouialis: & hoc est quod ait Iouem auro falli, quia propter aurum stellam Iouis beneficam alicui assignant in horoscopo, qui fortassis habet stellam Saturni perniciosam.

A

OBLIQVAE *signa.*] zodiacum significat, cuius obliquitatem Anaximander Milesius primus traditur intellexisse, vt docet Plin.

B

FELICESQVE *Iouis stellas.*] dicit mathematicus se siderum naturam, rerúmque cælestium causas habere cognitissimas, & in libris suis perscriptas, & cur Iouis stella sit benefica, Martis malefica, Saturni perniciosa: quid portendant in signifiro Pisces, quid Leo, quid Capricornus, quid Hesperiæ: vnde ab Horatio tyrannus nuncupatur. Cur autem siderum alia salutaria dicantur, alia noxia, cum diuinorum vna sit natura, causam scripserunt Macrobius & Ptolomeus.

QVID *moneant pisces.*] argumentantur astrologi de signis cælestibus causas rerum, & substantiam vitæ mortalibus impartiri. Verbi causa laboriosos & patientes seruitij futuros dicũt, quos nascentes Taurus aspexerit: Percussorem cuius natiuitatem Scorpius in sua parte complexus sit. Liberalem qui signo Arietis ortus esse dicatur. Quæ omnia tanquam vana & nugatoria irridet & infirmat Ambrosius lib. IV. Exameri. Pisces autem duo sunt in zodiaco, alter Notius, alter Boreus à situ & positura locorum appellati: sub Piscibus locati sunt pedes hominum: vnde ait Manilius:

C

——*piscésque pedum sibi iura reposcunt.*

Idem scribit homines sub piscium signo ortos omnis disciplinæ nauticæ futuros studiosos, piscatorésque probatissimos. Natura enim rerum cunctarum parens,

D

Fata quoque & vitas hominum suspendit ab astris.

SIGNA *Leonis.*] Leo Nemeus siue Cleoneus, qui à Ioue collocatus inter signa zodiaci, notissimus est carminibus poëtarum. Ait Manilius nascentes sub signo Leonis esse bellatores, & rapinis victitare: latera hominum & scapulæ sunt sub Leone.

CAPRICORNVS.] scribit Higinius Iouem inter sidera fixisse Capricornũ, propterea quòd cum eo enutritus fuerat, Græcè dicitur Egoceros. Lucanus: *Humidus Egoceros.* Sub Capricorno sunt genua. Capricornum & Cancrũ portas Solis antiqui vocauerũt: in quibus fiunt vtraq; solsticia, & quia Sol in Capricorno incipit ab imis in alta remeare, & capræ consuetudo est vt altum in pastu petat, ideo hoc Capricorno nomen inditum esse scribit Cornificius. Qui sub Capricorno nascuntur scrutatores sunt metallorum, & optimi fabricatores rerum illarum, quæ ignis vsu conficiuntur. Lotum ideo dicit in vnda Hesperia, quia vult intelligi occasum signi huius magis sæuire & dominari quàm ortum, vt Hesperiam vndam occiduam partem & ex ea occasum Capricorni intelligamus. Præterea Capricornus, auctore Manilio, regit partes occidentales, & quicquid sub Sole cadente est.

E

TROICA *Roma.*] quæ scilicet ex reliquis Troianis in Italia resurrexit.

DIXI *ego.*] probat mathematicus ab exemplo se optimum esse genethliacum, & matheseos peritissimum: cum iam euenerint illa quæ ante euentura prædixerat de duobus geminis in bello perituris, & de puella paritura.

LVPERCVS.] Gallus & Lupercus nomina sunt filiorum Arriæ: qui, vt prædixerat mathematicus, occubuerũt: alter lapsu equi extinctus, alter ante aquilam Romanam interemptus.

CREDITA *signa.*] Gallum signiferum fuisse significat. Signa Romanorum præter aquilas, fuerunt equi, apri, minotauri, lupi, quæ singulos ordines anteibant. Signiferi à recentioribus dicuntur draconarij.

CYNARAE.] ait mathematicus se prædixisse Cynaram puellam parturientem citra mortis periculum parituram, si Iunoni Lucinæ votum fecisset: & ita peperit, veridicumque esse mathematicum cuncti agnouerunt, librósque astrologicos in primis approbauerunt.

IVNONI.] scilicet Lucinæ, quæ à parturientibus inuocari solet: quam, teste Martiano, à iuuando Iunonem nominauerunt. & Lucinam atque Lucetiam, quòd lucem nascentibus tribuat. Ouidius & Plinius à luco dictam esse scripserunt.

VTERI *pondera.*] vesicæ muliebri iunctus est vtriculus, vnde vterus dictus, quod alio nomine locos appellant. hoc in reliquis animalibus vuluam, auctor Plinius in XI. inde frequenter inuenies locos muliebres à luculẽtissimis scriptoribus vocitari pro vulua & vtero: & Cato ait: *Si mulier lotio locos fouebit, nunquam hi vitiosi fient.* per quod significat vuluam muliebrem non desideraturam coitum virilem, si vrina eius, qui brassicam esitauerit genitalia madefecerit.

IOVIS *antrum.*] oraculum Iouis Hammonis intelligit: de quo supra dictum est affatim.

FIBRA *locuta.*] in iecore extremum fibram vocamus, vt docet Varro. Antiqui enim fibrum dicebant extremum: vnde fimbriæ dicuntur & fimbri. Cornelius Celsus ita scribit in quarto: *Iecur in quatuor fibras diuiditur.* Idem docet fibras dici quoque de aliis visceribus: nam de pulmone ait: *In duas fibras vngulæ bubulæ modo diuiditur.* & Lucanus: *Pulmonis anheli Fibra latet.* fibra dicitur loqui Deos sibi creditos, quando per aruspicinam fibrarum ab aruspice exploratarum futura cognoscimus, & voluntatem deorum prospicimus. Considerant enim diligentissime aruspices quid periculi, quid commodi fissum habeat in extis, quid denunciet caput iecoris, quid exta omnia, vt tradit Marcus Tulli. &, teste Lactantio, *Deus est quoddam signum in extis:* quod dimidiatum significat numen iratum: nunc ait mathematicus, neque Iouis oraculum, neque fi-

brarũ diuinationem talia prædicere, qualia ipse prædixit: nec inquit volatus cornicis, quæ à læua facit auspicium ratum, nec vmbra defuncti arte magica ab inferis euocata, tam vera denunciant, quàm vera in libris mathematicorum, astrologorúmq; continẽtur: & ita diuinationem, quæ fit ex speculatione siderum & cæli, reliquis diuinandi generibus anteponit.

CORNICIS *ales.*] cornix clangore præsagit aquam. Inauspicatissima est fœtus tempore.

VERSVSQVE *per astra Trames.*] zodiacus intelligitur.

ZONIS.] Virgilius: *Quinque tenent cælum zonæ.* Martianus fascias appellat. In quinque zonas mundum esse diuisum tradunt: quarum duæ extremæ frigidæ sunt, media adusta, intermediæ temperatæ. Nomina earum hæc sunt, Arctica, quæ Latinè septentrionalis: Thetinea, quæ à nobis æstiualis: Isimerine, quæ aliter æquinoctialis: Chimerine, quæ hyemalis: nouissima dicitur Notios à Græcis, quam Latini australem nuncupauerunt.

EXEMPLVM *graue erit Calchas.*] exemplo Calchantis ostendit aruspicinam esse mẽdacem, & aruspices ariolósque vanidicos: Calchas enim qui ariolandi scientia erat præstantissimus, cecinit Græcos in patriam euersa Troia victores, sospitésque redituros, quod secus accidit atque prædixerat: cùm omnes pene apud Caphareum Euboicum naufragio extincti fuerint: quod supra memorauimus. melius ergo classis Græcorum hæsisset in Aulide, cuius soluendi causa fuit vaticinus Calchas, qui suasit sanguine Iphianasseo Dianam esse placandam. Excidium Græcorum fuit solatium Troianorum: vnde admonet Troiam vt supprimat fletus cum Euboici sinus fuerint eius cladis vltores.

NAVPLIVS *vltores.*] nota res est quemadmodum Nauplius Palamedis pater, vt vlcisceretur filij necem, eleuata facula signum dedit ex Caphareo promontorio Græcis naufragio laborantibus, qui credentes illos ignes indicare portum tutissimum inter asperrimos scopulos naufragium pertulerunt: & ita Græci disiecti natabant, qui à spoliis exuuiísque Troianis in naufragio opprimebantur.

VICTOR *Oilide.*] Insultat Aiaci Oilei, qui furiis amoris agitatus vatem Cassandram in templo Mineruæ deuirginauit: quæ dicitur fuisse potissima causa naufragij Græcorum, vt ait Maro in XI.

VATEM.] Cassandram. quidam codices habent raptam, & eadem significatur.

NVNC *ad tua deuehor astra.*] reuerto, inquit, mathematicus ad tuam ô Properti constellationem, atque horoscopon: cuius patriam dicit esse Meuaniam in Vmbria, & obitum parentum subhastationémque bonorum factam ex constellatione collecta denunciat.

SCANDENTIS *axis.*] cliuum assurgentem vocat axem ab altitudine: vel axis intelligitur nomen ipsius cliui.

TVO.] scilicet Propertij.

NON *illa ætate.*] quia iuuenis periit.

ET *lacus Vmber.*] Velinos lacus, an Cutiliæ lacum intelligit, qui tamen sunt magis in Sabinis quàm in Vmbria: sed eos Nar fluuius defert secum, qui labitur per Narniam Vmbriæ oppidum, quod antea Nequinum est vocitatum. Iuxta Meuaniam fluit Teneas, cuius meminit Strabo in quinto.

MAGICIS *aquis.*] Necromantici sanguine vtuntur aqua commisto ad necromantiam exercendam: quoniam Dæmones sanguinem amare dicuntur, sicut scriptum est in Decretis vigesimasexta, quæstione quinta. Hydromantici vero ab aqua dicti sunt. Est enim Hydromantia in aquarum inspectione vmbras euocare, & ludificationes Dæmonum videre, à quibus futura cognoscimus. Hydromantiæ peritum fuisse Numã Pompilium, auctor est Augustinus in septimo de ciuitate Dei. Hoc genus diuinationis, vt refert M. Varro à Persis allatum fuit.

PERTICA *tristis.*] subhastatio significatur bonorum Propertij, quæ fit posita hasta: quam nunc perticam tristem appellat. Cice. *Dum homines perditi hastam illam cruentam & meminerint, & sperabunt.* & mox ait: *A sceleratiore hasta non recessit.* Idem in Philippicis: *Hasta Cæsaris,* inquit, *multis improbis & spem affert & audaciam. Itaque hastam semper cupiunt videre hi qui nostris bonis imminẽt, quibus omnia pollicetur Antonius.* Tertullianus hastarium appellat id genus venditionis, quæ sub hasta fit: quidam intelligunt de hasta centumuirali. probabilior est prima sententia.

BVLLA *aurea.*] ait mathematicus Propertium factum esse poëtam, cùm depositis puerilibus insignibus sumpsit togam virilem. Bulla ornamẽtum est pueris ingenuis attributum: quam figura cordis formatam ante pectus annectebãt, vt illam inspicientes, ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent. Quidam putant, teste Macrobio, hoc à Prisco Tarquinio fuisse institutum, vt pueri patritij bulla aurea cum prætexta toga vterentur: de qua ita ait Asconius: *Bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea.* Idem Plin. in XXXIII. *Mos bullæ durauit, vt eorum, qui equos meruissent, filij id insigne gestarent: cæteri lorum.* hinc est illud à poëta Satyrico dictum: *Aut signum de paupere loro.*

ANTE *Deos.*] scilicet lares. apud quos pueri generosi (vt inquit Porphyrio) egressi pueritiæ annos bullam auream suspendere consueuerant. Persius:

Bulláque succinctis laribus donata pependit.

LIBERA *sumpta toga.*] in liberalibus dabatur pueris toga, quæ libera nominatur. Cur hoc fieret causas refert Ouid. in Fastis, quas illic legere poteris cùm voles, vbi hoc in primis refertur: Ideo dari togam liberam, vt liberiorem vitam ingrediantur. hanc esse existimo illam quæ dicitur pura: qua, vt ait Plinius, tirones induuntur. quam Cicero filio suo se dedisse Arpini scribit in epistolis ad Atticum. Quo autem die toga pura sumebatur, is dies tirocinij dicebatur. cuius mẽtio fit apud Tranquillum in Augusto, & in Caligula. & ille qui in foro primum eloquentiam auspicabatur, tiro dictus est, vt docet Seneca libro tertio declamationum.

INSANO *foro.*] litigioso. epitheton est accõ-

modatum. Ita Virgilius:

—— *insanúmque forum.*

HAEC *tua castra.*] eris, inquit, miles Cupidinis, & in castris amatoriis, non Mauortiis militabis, & scribes Elegiaca poëmata.

VENERIS *pueris.*] scilicet Cupidinibus.

HOSTIS.] emenda hospes. significat enim Propertium futurum esse amicum vtilem Cupidinibus.

DISCVSSERIS *vncum.*] metaphoricos ait, Quo magis te amoris iugo subducere conaberis, hoc arctius alligaberis. Ita Plautus in asinaria: *Quam magis te in altum capessis, tam æstus te in portum refert.* per vncum accipe Cupidinis clauũ, quo (vt inquit Plautina lena) fixus est animus amantis: & vnco trahebantur capite damnati, & in Gemonias abiiciebantur, sicut sæpissime leges apud historicos. Ab vnco vncinus per diminutionem figuratur: qua dictione vsus est Hieronymus interpres instrumenti veteris. vnci inter vtensilia rusticana numerantur. Cato: *Vilicus habeat vncos ferreos tres.*

NEC *nulla excubiæ.*] legendum est mille: mendosa enim dictio est nullæ. & limina pro lumina.

PRIMA *sat est.*] vnius literæ detractione dictio emendanda est, vt pro prima legas rima. est enim sensus: Fœmina quę destinauit fallere amatorē, nullis custodiis, nullis foribus, nullis claustris custodiri potest: Cum vel vnica, ostij rima sufficiat illi ad fallendum: per quam adulterum alloquatur: & ita Tisbe, vt cecinit Ouidius per rimam cum Pyramo amatore constituit locum, templúque palæstræ venereæ.

NVNC *tua.*] sensus est: O Properti tibi metuendum nec est naufragium, nec in bello nec terræmotu morieris: solus timendus est Cancer cælestc sidus, qui tibi minitatur. tanquam Propert. in horoscopo habuerit Cancrum: quem octipedem appellat à numero pedum. sicut Ouidius:

Octipedis frustra quærantur brachia Cancri.

Cancrorum plura sunt genera, paguri, heracleotici, hypeæ, carabi, leones, & alia ignobiliora. cancris vita longa, pedes octoni, omnes in obliquum flexi: præterea bina brachia denticulatis forcipibus: auctores Plinius in nono, & Aristoteles in quarto de animalibus. Cancer (vt poëtæ fabulantur, & refert Higinius) Iunonis beneficio inter astra collocatus est. propterea quòd pedem Herculis mordicus arripuisset. In Cancro sunt stellæ numero duodeuiginti. Cancer his quos nascentes aspexerit, vt inquit Manilius attribuit varios quæstus, artésque lucrorum.

IANVS DOVSA FIL.

QVOD in secundo statim versu occurrit huius libri:

ANTE *Phrygem Aeneam collis & herba fuit.*] dictum eádem figura, qua à Virgilio XI. Æneidos:

—— *volat igneus æquore Tarchon*

Arma virúmque ferens. Et in II. Georg.

—— *pateris libamus & auro.*

Sic capio & illud Sallustij Histor. lib. I. vbi de

A Cinna loquens ex persona Philippi inquit: *cuius in vrbem reditu decus atque ordines omnes interierunt.*

ATQVE *vbi nauali stant sacra palatia Phœbo.*] De æde Apollinis Palatini loquitur, quam libro II. sic describit:

Tum medium claro surgebat marmore templum
Et patriâ Phœbo carius Ortygiâ.
Atque aram circum steterant armenta Myronis,
Quatuor artificis viuida signa boues.
Auro Solis erat supra fastigia currus,
Et valuæ Libyci nobile dentis opus.

B Ita enim eos versus digerendos censeo. De donis in hoc templum collatis puto intelligendum Manil. lib. V.

Hinc Augusta nitent sacratis munera templis
Aurea, Phœbeis certantia lumina flammis
Gemmarúmque illi radiantes lucibus ignes.

Nam & *aurea munera* referri videntur ad aureum illum Solis currum. & *lumina* ad Apollinem. quin & *Phœbeis certantia flammis* pulchrè conspirat cum eo:

—— PHOEBO *visus mihi pulchrior ipso.*
Qualia nunc curto lustra nouantur equo.]

C Emendandus Festus vbi ait: *October equus appellatur, qui in campo Martio mense Octobri immolatur quotannis Marti.* illud enim *quotannis* videtur assutum ab homine aliquo malè feriato & ignaro moris prisci. itaque commodè deleri potest. Quinto quoque anno id sacrificium fieri solitum constat ex ipso Festo, & hoc Propertij loco.

HAC, *vbi Fidenas longè erat ire, via.*] Ita præclarè emendauit vir omni præconio maior Ios. Scaliger, cum antea *vias* legeretur nullo sensu. *longè via*, id est, longinqua via. dictum autem *longinqua via erat ire Fidenas*, eodem modo, quo alibi ab eodem:

D *Non datur ad Musas currere lata via.*

Tollenda verò distinctio post *ire* hoc modo:

Hac, vbi Fidenas longè erat ire via.

via enim non auferendi, sed nominandi casu positum.

SANGVINIS *altricem nunc pudet esse lupam.*] In veteri Modiano est *non pudet.* Sed longè aliter concepta lectio in editionibus antiquis:

Sanguinis altricem non putat esse lupam.

Fuerit fortasse:

Sanguinis altricem nec putat esse lupam.

E vt hoc dicat: adeò degenerasse Romam à prisca illa & horrida simplicitate maiorum in omne luxuriæ genus prolapsam, vt originis suæ pene oblita sit, neque meminerit amplius altricis illius lupæ, cuius lacte Romana mœnia in tantum creuerunt.

ASPICIENDA *via est cæli versúsque per astra Trames, & ab zonis quinque petenda fides.*]

Iosephus Scaliger in doctissimo Commentario suo ad Manilij librum V. posteriorem versum ita citat:

Limes, & à stellis quinque petenda fides.

siue ea ab ingenio siue à veteri codice lectio est: nam neque hoc addit, neque vllam caussam; quæ fortasse hæc est, quòd in stellarum apotelesmatis quinque zonæ locum non habeant. Cæterum per *quinque stellas*, si hanc admittimus, intelliget

Planetas quinque. Quum enim Planetæ septem dicantur. Solem tamen & Lunam in numerum venire errantium veteres noluerunt. sed κατ' ἐξοχὴν, φῶτα, reliquos errantes ἀστέρας appellarunt. caussam habes apud Theonem Ptolemæi Commẽtatorem. Hinc Cicero lib. I. de Natura Deor. *Deos enim octo esse dicit: quinque eos, qui in stellis vagis nominantur: vnum, qui ex omnibus sideribus, quæ infixa cælo sunt, ex dispersis quasi membris simplex sit putandus Deus, septimum Solem adiungit, octauámque Lunam.* & alibi eodem libro: *Quid? Solis numquidnam, aut Lunæ, aut quinque errantium siderum simile vidisti?* Manil. lib. III. *Solem Lunámque vagásque Euincant stellas.* Iulius Firmicus lib. I. cap. IV. *In quo Sol & Luna, quinque etiam stellæ erraticæ, quæ Planetæ à Græcis vocantur, certa ac definita semper agitatione discurrunt.* Macrobius in Somnium Scipionis lib. I. cap. XVII. *His illud adiiciendum est, quod præter duo lumina & stellas quinque, quæ appellantur vagæ.* Ex quibus omnibus liquidò commonstrasse me puto, veteres, Sole & Luna exclusis, quinque duntaxat stellas in errantium censum venire voluisse. Quod nobis substernetur tanquam in fundamentis, ad superstruenda quædam non vulgaria, neque aliorum commentariis trita: quæ ad intelligentiam huius loci primi obseruauimus. Dux mihi ad veri cubilia lectio illa altera, quam modò protuli, quæ si in aliquo scripto codice fuerit, puto velut glossema fuisse huius vulgatæ, & quidem doctum glossema: neque enim quiuis intelligat *zonas* hîc capi pro ipsis stellis, siue potius stellarum orbibus, atqui id ita esse colligo ex istis: Orpheus Hymno in Stellas ait inter cætera:

Ἑπταφαεῖς ζώνας ἐφεζόμενοι ἠερόπλαγκτοι.

Proclus lib. IV. Commentariorum in Timæum: *ὁ δὲ δημιουργὸς ἑπτὰ ὄντας κύκλους αὐτὸν τὸν δημιουργὸν ἐξ ἀνακρεμάσας ζώνας, ἐνέδησεν ἡλίου μαρμαίροντα πῦρ.* Neque aliter explico illud Claudiani lib. III. de Laudibus Stiliconis, vbi de Roma loquitur:

—— quæ luce metalli
Aemula vicinis fastigia conserit astris;
Quæ septem scopulis zonas imitatur Olympi.

Nihil itaque in Propertio mutãdum, sed in sententia quam antea videbatur præ se ferre, & in qua miserè allucinatus est Commentator alioqui doctus. Quid enim attinebat hîc agere de quinque Mundi plagis ambientibus distinguentibúsque terram pro ratione caloris vel frigoris, quæ in prædictionibus istiusmodi vsum nullum habent. Facit porro ad explicationem nostram illud veteris Poëtæ in Epigrammatis Græcis:

Ἀστέρες οἳ ἑκάτερθε, καὶ αἰθέριαι ζῶναι
Ἀνδρομένης ζώνης πᾶσαν ἄγουσι τύχην.

IANVS DOVSA PATER.

BVCCINA *cogebat priscos ad verba Quirites.*] Dionysius Halicarnassæus: *ὅτι τοὺς μὲν πατρικίους ὅποτε δόξειε τοῖς βασιλεῦσι συγκαλεῖν, ἐξ ὀνόματός τε καὶ πατρόθεν ἀνηγόρευε, τοὺς δὲ δημοτικοὺς ὑπηρέται τινὲς καὶ ἀθρόους κέρασι βοείοις ἐμβυκανῶντες ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον.* Videndus etiam Isidorus Orig. XVII. cap. IV. in voce *Buccina.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

HOC *quodcunque vides, hospes.*] Per hospitem intellige Genethliacum, quem alloquitur Propertius.

PVLPITA *solennes non oluere crocos.*] Omnes norunt hunc morem: sed tamen, vt quis aut qualis fuerit, nesciant. Fiebat autem id per expressiones machinarum, vt hodie in Italia exprimitur aqua epitoniis versis etiam in aridissimis locis, quum aquam intus antea immissam latentibus fistulis alte exprimunt. Seneca Epistola vna & nonagesima: *Quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimas.* Idem Quæstionum libro secundo: *Numquid dubitas, quin sparsio illa, quæ ex fundamentis media arenæ crescens in summam altitudinem amphitheatri peruenit, quin intentione aquæ fiat?* Sparsionem vocat, vt Glossarium *Sparsio κροκίσματος.* item *Sparsio κρόκου ὁ ῥαντισμός.* Apuleius libro nono: *Tunc de summo montis cacumine per quandam latentem fistulam in excelsum prorumpit vnda croco diluta, sparsimque defluens pascentes circa capellas odorato perpluit imbre, donec in meliorem maculatæ speciem canitiem propriam luteo colore mutarent.* Exprimebatur & sparsio illa ex sigillis quibusdam, quę totis membris illam emittebant. Lucanus:

Vtque solet pariter totis se effundere signis
Corycij pressura croci. sic omnia membra
Emisere simul rutilum pro sanguine virus.

Imbres & nimbos vocant Poëtæ. Quod quare reprehendat in Mæcenate M. Seneca, nescio, proœmio X. Declam. *Quis enim ferret hominem de siphonibus dicentem,* CÆLO REPLVERVNT: *de sparsionibus,* ODORATOS IMBRES. Quod autem Sparsio illa *κρόκου ῥανίς* diceretur, nescio an ita accipiamus in Papinio:

Diues sparsio quos agit tumultus. ——

Videtur enim potius de missilibus accipiendum quæ Imperatores in vulgus spargebant. Sed & priuati quoque homines testamento sparsiones nucum quotannis diebus natalib. relinquebant. In veteri Saxo: INCREMENTA. PVERIS. CVRIÆ. ET. SPARSIONEM. NVCVM. DENT. Nam & ex aliis inscriptionibus apparet Incrementa pro gratuitis illis sparsionibus dicta fuisse. In Actis condemnationis Marcellini Episcopi Romani non semel INCREMENTVM accipitur pro oblatione: quod profecto ex hac consuetudine deriuatum. Spartianus in Adriano: *Pueris & puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incremẽtum liberalitatis adiecit.* Porro sparsionem nummorum in populum Lampridius COLLATVM vocat in Alagabalo. In vita Probi Imp. *vt eius dignitas incrementis adiuuetur,* id est, liberalitate.

QVALIA *nunc curuo.*] Melius editiones nonnullæ, *curto.* Confudit Octobris equi sacrificium cum Palili sacro. Nam vtroque equus immolabatur, sed Palili quotannis, illo, quinto quoque anno, cuius cauda Cauiar vocabatur. vide Festum *Cauiares hostiæ,* & nostra in illum locum. Curtus equus est aliqua parte sui mutilus,

tilus, sed præsertim cauda, vt hic in Cauiari sacrificio.

PRIMA *galeritus.*] Lege *Lucmo.* Is est Lucumo.

PARVA *minus vrbe.*] Ita loquitur Varro Atacinus:

Indica non magna minor arbore creßit arundo.

HAC *vbi Fidenas longe erat ire vias.*] Lege *via.* Hac vbi longe via erat ire Fidenas. *Longe via*, longinqua via. Supra exposuimus.

HVC *melius profugos.*] Tibullus:

Tunc se Troia quidem mirabitur, & sibi dicet
Vos bene tam longa consuluisse via.

Bassus Lollius Poëta:

Ἀλλά σοι αἰνεία σὺ λίπε ἱερὸς ἰταλὸν ἤδη
Ὅρμος ἔχει πάτρης φρίμιον ἀγχιάλης.
Ἐς καλὸν ὤλετο πύργος ὁ τρώιος. ἦ γὰρ ἂν ἄλλως
Ἠγέρθη κόσμου παντὸς ἄνασσα πόλις.

HAS *meus ad metas sudet.*] Huc inserendum distichon, quod infra legebatur: *Dicam, Troia cades & Troica Roma resurges.* Canam, inquit, fortunam & caducæ, & recidiuæ Troiæ. Canam Ἰλίου ἅλωσιν, & aduentum Æneæ in Italiam, quæ fuit, Τρωὰς παλιγγενεσία.

ET *maris & terra.*] Quæ omnia exequitur Virgilius tertio.

ACERSIS *lacrimis cantus.*] Beroaldus mutauit: *Aduersis musis cantas.* Si omnibus hoc modo omnia peruertere in bonis scriptoribus licet, nihil est quod in illorum scriptis difficultatem nobis pariat. Noster, *Arceßis lacrimis Charites.* Quod ego mutare non ausim. Prouerbium esse videtur, vt contra mœstis dicebant, σὺν ταῖς χάρισιν. auctor Laërtius, & Eunapius. Sunt autem hæc dicta ex persona Genethliaci, ad calcem vsque Elegiæ.

BABYLONIVS *Horos.*] Non à patria, sed à professione. Babylonij & Chaldæi sunt Genethliaci.

FELICESQVE *Iouis.*] Duo disticha quæ hic legebantur, quo pertineant, infra suo loco dicemus.

GALLVS *at in castris.*] Inepte hæc refert ad Cor. Gallum poëtam Grammatista ille, qui Virgilij vitam ex multis auctoribus tanquam centonem consarcinauit.

IDEM *ego quum Cinara.*] Ea est, quam amauit Horatius.

TRAMES *& à zonis.*] Sequi debent duo illa disticha supra alieno loco posita: FELICESQVE IOVIS STELLÆ. Legendum vero arbitror, *& à stellis* non, *& à zonis.* Non enim zonæ faciunt ad Genethliacen, sed stellæ. Quod si quinque zonas quinque circulos parallelos accipis, nihilo melius sententiæ consuletur. Nam non magis illi ad Genethliacen faciunt. quam Tropica, aut æquinoctia. Sic Sidonius: *Quid sidera zodiaci obliqua, quid Planetarum vaga, quid exotica sparsa præualeant.* Vbi etiam notabis à Sidonio noue dictum exotica sparsa, pro illis sideribus, quæ sunt extra Zodiacum.

FELICESQVE *Iouis stellas.*] Lego *stella.* dixit enim *Aspicienda via est cæli.* stellæ ergo aspiciendæ.

A LOTVS *& Hesperia.*] Capricorno partes Occidentis assignantur. auctor Manilius. Horatius:

—— quid tyrannus
Hesperiæ Capricornus oræ.

Idem intelligit Horatius, quod Propertius, & Manilius. Et tamen argutantur homines venusti, qui subtiliter hæc scrutantur, atque aiunt ab Horatio in honorem aut adulationem potius Augusti dictum: quia Augustus natus sub eo signo. vnde etiam nummum Capricorni signo cusum emiserit. Quæ sunt meræ nugæ, nequid asperius dicam.

MENTIOR *an patria.*] Quasi in finibus tantum

B Vmbriæ esset. Horatius,

—— Venusinus an Appulus, anceps.

Catullus:

O funde noster seu Sabine, seu Tiburs.

SCANDENTISQVE *axis.*] Axem pro climate aut tractu posuit. Iuuenalis: *Dignus Aricinos qui mendicaret ad axes.* Nam & hic axes, vt ibi pro collibus aut cliuis editis. At docti viri hic nescio quem Asim legunt, & Asisium intelligunt. Quid mouit eos? primum hæc est vitiosa scriptura. Nam, *auserat*, *Isionides*, *fissa*, *Polysena*, pro *auxerat*, *Ixionides*, *fixa*, *Polyxena* scribe-

C bant imperiti librarij. Itaque hic quoque *Asis* pro *Axis.* Non ergo hac parte obtinebunt. Deinde quomodo Asis pro Asisio? Hæc profecto nimis violenta esset apocope. neque enim Latinis, qui musas colunt seuiores licet, κρῖ aut δῶ dicere. quanquam Ennius voluit eorum imitatione sibi licere, *endo suam do.* Quid ergo? Proculdubio hactenus ignorata fuit patria Propertij. Nam quod Mæuaniam, quæ hodie *Beuania* dicitur, putant, falluntur. Non enim hic Mæuania pro oppido ipso, sed pro extensa planitie accipitur, quæ ab oppido nomen accepit. Silius lib. VI.

D *—— colles Vmbros, atque arua petebat*
Annibal, excelso summum qua vertice montis
Deuexum lateri pendet Tuder, atque vbi latus
Porrecta in campis nebulas exhalat inertes,
Et sedet ingentem pascens Mæuania campum
Dona Ioui. ——

Hic Silius non pro oppido, quod in planitie situm est, sed pro planitie ipsa, in quo oppidum Mæuania est, accipit. Et libro octauo:

Hos vrbes Arna, & latis Mæuania pratis.

Statius,

—— nec si vacuet Mæuania valles,
Aut præstent niueos Clitumna noualia tauros.

E Vbi ἀκυρολόγως noualia pro pascuis, quæ buceta dici alibi notauimus. ad verbum βουβότια Arato. Lucanus:

—— calidi buceta Matini.

vt habent melioris notæ scripti codices, non, vt vulgo, buxeta. Vide quæ alibi de Bucetis primi omnium ex Gellio & Sidonio annotauimus. Sic igitur hic Mæuania est porrecta campi planities, in qua est lacus Vadimonis, quem ipse vocat lacum Vmbrum. Porro quum poëta manifeste dicat patriã suam in colle sitam, quomodo Mæuania, quod oppidum in planitie situ est, erit eius patria? Non igitur est Mæuaniensis, ab oppido Mæuania. sed Mæuanas à planitie

Mæuaniæ. Nam alij sunt Mæuanienses, alij Mæuanates. Quum igitur ipse aperte dicat se Mæuanatem, quia dicit patriam suam ad campos Mæuaniæ esse: Mæuaniensis autem esse non possit, quia Mæuania, vt dixi, in plano est, patria autem Propertij in cliuo fuit: quæramus, quænam ea esse possit. Scribit Strabo de hoc tractu: *κατὰ δὲ Σαρσῖνα μὲν Ἀμερία καὶ πόλις Βιλαβίς. πόλις, ἢ ὕπερ πλησίον πάνυ δὲ τῆς ἐμβολῆς τοῦ ὄρους.* Noli dubitare, quin Ameria sit patria Propertij. primum, quòd sita in colle: deinde quod antiquam vocat. Nam Cato scripsit conditam ante Persæ Macedonis bellum annis nongentis sexaginta quatuor. auctor Plinius. Præterea & illud mire conuenit, quod ait patriam suam despectare lacum Vmbrum; qui lacus non alius est, quam ille Vadimonis lacus veteribus celebratus. Hoc plane cognoscitur epistola Plinij Cæcilij ad Gallum libro octauo: *Exegerat*, inquit, *prosocer meus, vt Amerina prædia sua inspicerem, hæc perambulanti mihi ostenditur subiacens lacus nomine Vadimonis*, &c. Iunius Philargyrius: *Clitumnus & Deus & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt.* Lacum vadimonis Clitumnum vocat, quod ab eo lacu Clitumnus emittitur. Vides Ameriæ lacum esse Vadimonem. Sed quare inuidit posteritati nomen patriæ suæ? Fecisset, si potuisset. sed syllaba contumax repugnat. Non potuit includere in Heroicum versum *Ameria*. non enim proceleusmaticum admitteret genus illud carminis. sed nec Vadimon potuit hic locum habere, non magis quam Tuticanus, de quo conqueritur Ouidius. Nam *Vadimon* Creticus est. Sic fine monobibli tantum dixit:

Proxima subiecto contingens Vmbria campo
Me genuit, terris fertilis vberibus.

Non enim satisfacit, quod se Vmbrum dicit: quum in Vmbria plura sint oppida; sed coniiciendum dat illis, qui gnari eorum tractuum sunt, quum dicat esse vicinum agro Perusino. Sic Horatio dicente:

Venimus oppidulum, quod versu dicere non est.

gnarus locorum eius tractus non dubitabit esse Equotitium. Item Lucilius quum ait,

—— *Seruorum festu' dies hic,*
Quem versu hexametro non plane dicere possis.

non potuit dicere Sigillaria. Quare & cuias esset Propertius, & quis sit lacus Vmber, & quæ hic accipienda sit Mæuania, primi indicauimus: ne forte quispiam aut vitam Propertij, quæ ab inepto homine scripta est, secutus, Asisinatem dicat: quamuis ne ita quidem efficeretur Asisinatem esse, quum aliud sit Asis, aliud Asisium. neque putet Mæuaniensem esse, quod hic Mæuaniæ fit mentio. in montanis enim patriam suam ipsemet constituit. Denique meo periculo Amerinum Propertium omnes fuisse mihi concedant, necesse est. In Strabonis exemplo superius à nobis producto, verba ipsius scriptoris emendauimus. Nam pro *Βιλαβίς* verbo nulli precij, quod hodie vulgo exeuditur, *Βιλαβίς* legimus, ita postulante sententia, & subscribente Silio, libro decimo:

—— *pauperque penatum,*
Sed domus haud obscura Tuder notusque per Vmbros
Bellator populos. ——

SCANDENTISQVE *axis.*] Ergo axem editum collem, vt supra ex Iuuenale: aut tractum. Statius:

—— *ire polo nitidósque errare per axes*
Visus. —— Silius:
—— *aut axe relicto*
Hesperio patrias exul lustraret arenas.

Supra etiam patriam suam in colle ponit,

Scandentes siquis cernet de collibus arces
Ingenio muros æstimet ille meo.

Oportet fuisse insigne opus illud mæniorum Ameriæ. Nam idem prope repetit:

Scandentísque axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Quamuis nobilissimi muri per se, tamē nobiliores facti ingenio tuo. Sane hodie quædam supersunt eorum murorum reliquiæ, immanibus saxis quadratis, qualia sunt quæ in mole Adriani Romæ, præstantiam eorum testantibus. Ameria, vt sciunt non penitus *ἀχωρογράφητοι*, hodie *Amelia*, dicitur.

ET *in tenues cogeris ipse lares.*] Cogi in tenues lares eo modo dicitur, quo cogi in ordinem.

EXTVLIT *excultas pertica tristis opes.*] Quid doctos viros mouit, vt perticam pro hasta acciperent, & inde Propertij bono hastæ subiecta à sectoribus dicerent? Nam eodem modo loquens sua assignata veteranis fuisse innuit Val. Cato:

Pertica quæ nostros metata est impia agellos.

Non ergo Beroaldus, neque illum sequuti, intellexerunt, quid interesset inter perticationem, & subhastationem. tantum profecto, quantum inter prædia proscripta, & assignata. Metatos ergo agros suos intelligit. Sic apud Horatium accipiendum

—— *metato in agello.*

MATRIS *& ante lares.*] Ante lares sumebatur toga virilis, vt supra tetigimus. Matris lares dicit, quia patre mortuo mater vidua relicta erat.

ET *bene quum fixum.*] Vnco in gulam impacto in forum, deinde in scalas Tiberis abiiciebantur nocentes. Dio de Seneca: *ἐπειδὴ γὰρ τοὺς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ θανατωθέντας ἀγκίστροις καὶ μεγάλοις οἱ δήμιοι ἐς τὴν ἀγορὰν, κἀνταῦθα ἐς τὸν ποταμὸν ἔσυρον, ἔδει τὸν Κλαύδιον ἀγκίστρῳ ἐς τὸν ποταμὸν ἀνελκυσθῆναι.*

OCTIPEDIS *Cancri.*] Terga cancri, id est Cancer ipse. Sinistrum autem cancrum intelligit, quadrata radiatione in Medio Cælo. Nam ille locus decernit totum actum vitæ. Quod si Cācer in eo fuerit, quum sit signum femininum. & *ὕψωμα* Lunæ, ac præterea Medium Cælum sit tutela Veneris, his omnibus concurrentibus, vt puto significat eum *γυναικοπρεπευόμενον* fore, vt in antecedentibus declarauit. Neque aliter intelligendum.

ELEGIA II.

QVID mirare meas tot in vno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Tuscus ego Tuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia Volscinos deseruisse focos.
Hæc me turba iuuat, nec templo lætor eburno:
Romanum satis est posse videre forũ.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab amne Deus;
Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrũ.
Prima mihi variat liuentibus vua racemis,
Et coma lacteñti spicea fruge tumet.
Hîc dulces cerasos, hîc autumnalia pruna
Cernis, & æstiuo mora rubere die.
Insitor hîc soluit pomosa vota corona,
Cùm pyrus inuito stipite mala tulit.
Mendax fama noces. alius mihi nominis index:
De se narranti tu modò crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
In quamcunque voles, verte: decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puella.
Méque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam; &, memini, laudabar in illis:
A *Corbis at imposito pondere messor eram:*
Sobrius ad lites: at cùm est imposita corona,
Clamabis capiti vina subesse meo.
Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi.
Furabor Phœbi, si modò plectra dabis.
B *Caßibus impositis venor, sed arundine sumpta*
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertumnus, & eius,
Traiicit alterno qui leue pondus equo.
Suppetat hoc, pisces calamo prædabor: & ibo
C *Mundus demißis institor in tunicis.*
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Sirpiculis medio puluere ferre rosam.
Nam quid ego adiiciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
D *Cæruleus cucumis, tumidóque cucurbita ventre*
Me notat, & iunco braßica vincta leui.
Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat antè mea.
At mihi, quòd formas vnus vertebar in omnes,
Nomen ab euẽtu patria lingua dedit.
E *At tu Roma meis tribuisti præmia Tuscis,*
Vnde hodie vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies, & tela caduca.

Atque hostes turpi terga dedisse fugæ. A
Sed facias diuûm sator, vt Romana per æuum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant uersus. te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: hæc spatiis vltima creta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus, B
Ante Numam grata pauper in vrbe Deus.
At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus;
Qui me tam dociles potuisti fundere in vsus.
Vnum opus est. operi non datur vnus honos. C

PHILIPP. BEROALD. BON.

QVIS *mirare meas.*] Vertumnus Deus est vertendarum rerum, hoc est emendarum ac vendendarum, qui in vico thurario Romæ sacellum habuit, vt tradit Porphyrio: de quo ita scribit Asconius: *Signum Vertumni in vltimo vico thurario est sub basilicæ angulo flentibus se ad dexterã.* Vertumnus autem Deus est vertẽdarum rerum, hoc est mercaturæ. Vertumnalia dies festus à Vertumno dictus, cuius feriæ fiebant Octobri mense, vt memorat Varro. Hic amauit Pomonam, cuius fabula narratur ab Ouidio in quartodecimo: inducitur hoc loco Vertumnus referẽs suam multiformem potestatem, & causas cur Vertumnus nuncupetur & locum indicans vbi Romæ colatur. D

THVSCVS *ego.*] Vertumnus (vt scribit Varro) Romæ in vico Thusco colebatur, quòd is deus Hetruriæ princeps erat, & ideo poëta deũ esse dicit Volscinienſem, qui sunt populi in Hetruria, quod oppidum Thuscorum quondam opulentissimum concrematum est fulmine, vt tradit Plin. qui, teste Floro, aliquando implorarũt opem à Romanis aduersus seruos, qui libertate in dominos abutebantur, & translata in se repu. dominabantur: qui suæ temeritatis pœnas dederunt à Fabio gurgite male mulctati. scribit Tertul. in apologetico Volscinienſium deum peculiarem fuisse Nortiam: quæ, auctore Liuio, dea est Hetrusca: sub cuius nomine sortem, fortunámque significari docet Martianus Capella in libro de nuptiis Philologiæ: quod ideo diximus, quia interpretes Iuuen. nusquam se legisse dicunt, Nortiam accipi pro fortuna. ait Vertumnus se nulla affici pœnitudine, quòd focos patrios & genitale solum deseruerit, Hetruscósque vrbe Roma mutauerit. E

NEC *turba.*] scilicet Romana.

ILLE.] Tiberis.

ALVMNVS.] Romanos intelligit. Alumnus non solum is significatur qui alitur & educatur, sed etiam interdum accipitur pro eo qui alit: quod vno quidem exẽplo, sed inuincibili, comprobari potest. Scribit enim Augustinus in VII. de ci. Dei: Priscos Romanos Ioui multa indidisse cognomenta propter multas potestates: inter quæ alumnum cognominauerunt: quòd omnia scilicet aleret. tam iuste ergo reprehendi potest Laurentius Vallensis quàm ipse iniuste Nonium Marcellũ insectatur super alumni significatione.

VERTVMNVS *verso.*] ritu etymologici affert sui nominis interpretamentum tanquam Vertumnus dicatur à verso, mutatóque cursu fluminis Tyberini: quod sentit Ouidius illo versu in quarto Fastorum:

Nomen ab auerso ceperat amne Deus.

quod autem Tiberis cursum mutauerit, poëtæ, historicíque testantur. &, vt ait Porphyrio, ab Agrippa deriuatus est quæ nunc vadit cùm antea flueret per velabrum.

ANNI *vertentis.*] secunda causa nominis ab anno vertente, quod epitheton anno optimè quadrat. Quódne temere dictum putes, scito veteres annum appellitasse vertentem, cùm Sol ad signum vnde cœperat rediit. auctores Victruuius & Censorinus. & prisci frequenter hoc sermone vsi sunt vt Tranquil. & Plau. vnde à Iuue. dictum est: *Et cum se verterit annus.* Cice. & Macro. annum qui mundanus, qui maximus vocatur, vere vertentem autumant, qui à conuersione plenæ vniuersitatis efficitur.

PRIMA *mihi.*] Vertumno primum dicebantur fructuum primitiæ: vnde ait Ouid.

—— quid quæ tibi poma coluntur
Primus habet, istáque tenet tua munera dextra.

LACTENTI *fruge.*] prisci lactescentibus frugibus præfecerunt deam Lacturciam. fruges à fruendo dicuntur vt interpretatur Varro. existimat Dona. fruges à frumine nũcupari. est autem frumen pars colli per quod cibaria delabuntur. Scribit Vulpianus frugem pro reditu accipi non solum quod ex frumentis & leguminibus capiatur: uerumetiam quod ex vino & silua cædua. Iulianus ait fruges omnes esse quibus homo vescatur, quod falsum est: nõ enim carnes & aues fruges dicuntur: poma quoque non dici fruges autumat iurisconsultus, cuius opinionem refellunt Plin. & Tacitus, qui arbores frugiferas appellant, quæ sunt pomiferæ.

CVM *prim.*] corrigendum est, Cum pyrus: & loquitur de ea insitione de qua locutus est Vir. *Mutatámque insita mala, Ferre pyrum.* insitionum autem plura sunt genera. Namq; inserimus aut sub cortice, aut in trunco, aut emplastratione, siue inoculatione. Docet Columella insitionem aliam ab ipso repertam.

HIC *dulces cerasos.*] Lucullus primus cerasia ex Põto promulgauit Italiæ, vt scribit Tertullianus in apologetico: auctor est Hieronymus in epistola ad Marcellam cerasa nomen accepisse de Cerasunto patria: vnde à Lucullo delata fuerunt

post victoriam Mithridaticam. Cerasis duratiuis datur principatus, quæ Campania Pliniana appellat. Iuliana sunt grati saporis: Aproniana maximè rubent. Nigerrima sunt Actia: Ceciliana rotunda: chamecerasos vocat Plin. humiles cerasos, paruæque arboris.

AVTVMNALIA *pruna.*] serotina significat. laudatiora pruna sunt cerina atque purpurea.

MORA *rubere.*] arbor mori fit ferax & alta, vt inquit Palladius, si perforato hinc inde trunco singulos cuneos inseramus: terebinti hinc, inde lentisci. moris trini sunt colores, teste Plinio, candidus, rubens, niger: inter prima maturescunt. Existimat Catius Horatianus illum salubres æstates peracturum,

—— qui nigris prandia moris
Finiet, ante grauem quæ legerit arbore Solem.

INVITO *stipite.*] recusanti ferre alienos fructus & non sua poma, vt ait Maro. scribit Aristo. in lib. de plantis meliorem esse insitionem, quæ fit in arboribus sui generis, veluti fici in fico, nucis in nuce, & pyri in pyro.

CVNCTIS *figuris.*] ita Tibullus loquens de Vertumno ait,

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

ALIVS *mihi nominis index.*] tertia causa nominis Vertumni refertur, quòd scilicet vertatur in quamcunque figuram: & super hoc multa facundissime ingeniosissimus poëta scribit Ouidius in XIV.

INDVE *me Cois.*] de Coa veste muliebri supra diximus affatim. indutus inquit Vertumnus vestibus Cois videbor fœmina, nec quispiam virum esse me credet.

DA *falcem.*] idem Ouidius: *Falce data frondator erit.*

CORBIS.] si sumpsero, inquit, corbem existimabor esse messor: corbe enim messores vtũtur: vnde à Cicerone corbis messoria cognominatur, qui sic ait in oratione pro Sestio: *Messoria se corbe contexit.* corbes ab eo dici autumat Varro, quòd eo spicas aliúdve quid corruebant. Hinc minores dictæ corbulę. Idem Varro ita scribit in primo de re rustica: *Ad corbem messi facta spicilegium venire oportet.* Cato villicum dicit habere oportere corbulas amerinas quatuor. Amerinæ autem, vt intelligas verbum Catonianum: dicuntur corbulæ ex viminibus & salice amerina contextæ, quæ candida est, & corbibus, plurimæque agricolarũ supellectili accommodatissima.

SPECIEM *furabor Iacchi.*] superius demonstrauimus Bacchum, qui inter cætera cognomẽta Iacchus nominatur, mitram in capite gestasse: vnde & mitrophoros est appellatus, vt scribit Diodorus. ait Vertumnus se futurum Baccho simillimum si mitram induerit, & Apollinis imaginem furaturum si cum lyra plectrum acceperit: in quam sententiam est illud, *sume fidem & pharetram fies manifestus Apollo.*

TRAIICIT *alterno equo.*] plus habet hic versus in recessu, quàm ostentet in fronte, qui ab incuriosis, vt sexcenta alia præteriri solet: significat autem desultorẽ, qui equos eligit, alit, ac docet, appellatos desultorios: cuius ars est binos trahe-
A re equos, & alternatim ex vno in alterum mira pernicitate transultare: quod eleganter docet Liuius, cuius verba subieci ex lib. XXIII. quæ hæc sunt: *Numidis desultorum in modum binos trahentibus equos inter acerrimam sæpe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat: Tãta velocitas ipsis támque docile equorum genus est.* de his equis & hoc genere agitatorum dictum accipe à Tranquillo sic scribente: *Quadrigas bigásque, & equos desultorios agitauerunt nobilissimi iuuenes:* in quo enarrando nõ pauci hallucinari consueuerunt perperam intelligentes. Desultoris meminit & M. Varro secundo de re rustica his verbis: *Equos eligit atque docet*
B *aliter quadrigarius, ac desultor.* à Cice. quoq; eleganter dictũ est, *quasi desultorius in quadrigariũ curriculũ incurreret.* Martianus quoque in libro de nuptiis Philologiæ inquit: *Leuitate pernix desultoria gestiebat.* inde illud venuste figuratum est ab Apuleio in primo de Asino aureo: *Iam hæc quidem ipsa vocis immutatio desultoriæ scientiæ stylo, quem accessimus respondet.* sensus est poëtę: Vertumnum sumere speciem aurigæ, & imaginem desultoris, qui strenuitate præditus traiicit corpus ex equo in equum vicibus alternis.

INSTITOR.] vt scribit Vulpianus de institoria actione, institor appellatus est ex eo, quòd negocio gerendo instat: nec multum facit tabernæ sit
C præpositus, aut cuilibet alij negociationi: cui cũque igitur negocio præpositus, institor rectè appellabitur. poëtæ fere semper accipiunt institorem pro eo qui venditor est mercium delicatarum: cuique vestiarij vel lintearij dant vestem circunferendam & distrahendam, quos vulgo circitores appellamus. Ouidius:

Institor ad dominam veniet discinctus emacem.

Horat. *Seu vocat institor.* & Sene. dixit egregie institores delicatarum mercium iuuentus corrupta locupletat. apud iurisconsultos mendosa dictio est in titulo de institoria actione in his verbis: *Si libitinarius seruus pollicitatorem habuerit, isque*
D *mortuum spoliauerit:* nam illud pollicitatorem expungendum est, & in eius locum substituendum pollinctorem. vt autem intelligas verba iurisc̃osulti, scito pollinctorem dici eum, qui mortuos curat, & cadauera vngit: cuius mentio fit apud Plautum & Martialem & Varronem. Dicti autẽ sunt pollinctores, quasi pollutorum vnctores, id est cadauerũ curatores, vt interpretatur Placiades. in alia significatione pollinctor accipitur apud Catonem, & à polline farina deriuatur. Libitinarij verò dicebantur qui necessaria funerib. venditabant, & qui rationib. præerant Libitinæ
E deæ: in cuius templo quæ ad sepulturã pertinent vendebantur, vt docet Plu. in problematis: & ob hoc dixit Tranquillus XXX. *funerum in rationẽ Libitinæ venerunt.* & Liuianũ illud ex lib. XL. in hunc sensum dictum accipe: *In vrbe tanta fuit pestilẽtia, vt vix tunc libitina sufficeret ad suppeditãda,* videlicet necessaria funerib. de libitinariis ait Sene. in VI. de beneficiis: *Vota libitinariorũ esse vt mortes plurimorũ optent, quod illis quæstuosissimũ est.* libitinarios signat Valerius his verbis: *Qui tũc libitinã exercebãt, tũ rerũ suarũ vsum, tũ ministeriũ suum gratuitũ polliciti sunt.* sed iam à diuerticulo repetatur fabula, & domũ repedemus. ait Vertũnus se institorẽ nitidũ,

elegantémque immutari tunicis demissis, & alienas induere effigies prout destinauerit.

SIRPICVLIS.] sirpiculum vocamus canistrum, vel quòd de sirpis confectum est, vel quòd verius videtur à sirpando. sirpare enim vocabulo antiquo significat alligare: vnde falces sirpiculæ appellatæ à sirpando id est ab alligando, vt interpretatur Varro, & sirpica dolia dicuntur cum alligata sunt, & hinc sirpea dicta quæ virgis sirpatur id est colligando implicatur, in qua stercus aliúdve quid vehitur: cuius meminit Ouidius illo versu:

In plaustro sirpea lata fuit.

Sirpiculum canistrum è vimine texi solere docet illud Columellæ carmen:

—— cano iam vimine textum

Sirpiculum ferrugineis onerate hyacinthis.

CÆRVLEVS *cucumis.*] cucumeres à curuore dicũtur vt curuimeres dicti. cucumerum tria genera Græci fecere, Laconicum, Scitalicum, Bœoticũ. est & cucumis satiuus: est & siluestris, qui anguinus vocatur apud nos, ab aliis erraticus, vt scribit Plin. Cucumerem in cibis mira voluptate expetiuit Tiberius Cęsar, cui noua ratione, quam Plin. & Columella, prodiderunt toto fere anno cucumis præbebatur. cucumis tener & iucundissimus fit si antequam feras semen eius lacte macerauer is. cæruleus appellatur à colore.

CVCVRBITA.] hoc in cucurbitis insigne est, quòd longas pariunt & exiles semina quæ in earum ceruice nascuntur, quæ in ventre fuerant cucurbitas faciunt crassiores, quæ in fundo latas si inuersis cacuminibus obruantur. auctor est Palladius in quarto, & refert Columella in XII.

IVNCO *brassica.*] brassicam vt præsicam dici existimat Varro, quòd ex eius scapo minutatim præsecatur. hoc idem sentit Festus dicens brassicam dictam esse à præsecando. tria genera brassicæ fecerunt antiquissimi. Cato crispam maximè probat. brassica omnibus oleribus antestat. à poeta signatur fasciculus, manipulúsque brassicæ qui iunceo vinculo colligari solet.

FLOS *hiat.*] primitiæ, inquit, omnium florum pratensium mihi dicantur: nullus est flos, ex quo mihi non fiant corolæ. flos hiare dicitur quando aperitur. ita Martialis: *Nec boletus hiare.* id est patescere.

VICVS *Thuscus.*] non omnes scriptores cum Propertio concordant super vico Thusco: nam Liuius in secundo, & Dionysius in quinto tradunt, Post ictum cum Porsena fœdus Hetruscos in bello Aricino fusos, fugatósque Roma inermes fuisse delatos, quibus hospitaliter exceptis locus ad habitandum datus fuit, quem deinde Thuscum vicum appellauere. existimat Varro dictum esse vicum Thuscum à Thuscis militib. Cælij Vibeni Thusci ducis, qui cum sua manu dicitur Romulo venisse auxilio contra Latinum regem. eadem videtur esse opinio Varronis, quæ Propertij, nisi quòd nomina non conueniunt. Varro Cęlium vrbenum appellat, qui à Propertio vocatur Lycomedius: ille contra Latinum regem dicit esse pugnatum: hic contra Tatium regem Sabinorum, sicut etiam historici meminerunt. in vico Thusco consistebant vnguentarij, vt ait Porphyrio.

VIDI *ego.*] dicit Vertũnus se vidisse Romanos & Sabinos hinc & inde in prælio cadentes, & tandem Sabinos in fugam fuisse conuersos.

QVI *ad vadimonia curris.*] vadimonia sunt spõsiones ad certum diem sistẽdi se in iudicio. apud Ciceronem in oratione pro Quintio longa est altercatio de vadimoniis dilatis, promissis, desertis. Romæ primus cæso Cincinnati filius decem vades publicos dedit. tot enim vadibus accusator vadatus est reum, vt docet Liuius. Vadimonium deserere maximum nefas iudicabatur. hinc est illud Plinianum: *Inscriptiones propter quas vadimonium deseri possit.*

STIPES *acernus.*] hi sunt illi sex versus in calce Elegiæ quos dixit superesse Vertumnus, qui ita de se loquitur, vt Priapus Horatianus, *Olim truncus eram ficulneus:* prisci simulachra deorum ex ligno formabant: & prius Erisicthon Apollini simulachrum ligneum consecrauit in Delo. ligneum etiam Palladi ab indigenis constitutum, quod, vt Plutarchus & Eusebius in III. præparationis euangelicæ tradunt, etiam nunc apud Athenienses inuenitur. Iunonis etiam simulachrum ex pyri trunco apud Samios erat, vt Callimachus asserit, sicuti Iouis vitigineum in vrbe Populonia conspectum fuisse memorat Plinius. simulachrum quoque Dianę Ephesiæ ex ebeno fuisse tradunt, quamuis Mutianus prodiderit fuisse ex vite: nec vnquam mutatum septies restituto templo. Plato libro de legib. XII. *Ex ligno*, inquit, *vno integra deorum imagines in templis communibus statuantur:* etiam Apuleius Platonicus philosophus simulachrum dei ex quacũque materia vbi exculpi voluit, dummodo lignea ab artifice laudatissimo. nũc Vertumnus ait se olim dolatum fuisse ex stipite aceris: est autem acer arbor notissima, cuius plura sunt genera: campestre, candidum est: montanum crispius ad lautiora opera accommodatum. mensæ acernæ apud antiquos in secunda erant post citreas æstimatione.

AT *tibi Mamuri.*] Mamurius faber ærarius notissimus est Plutarchi, Dionisij, & Ouidij monumentis laudatissimus fabrefactis Saliorum ancilibus: cuius nomen in saliari carmine cantabatur. ab hoc artifice ait Vertumnus simulachrum suum ex ære fuisse formatum: ideóque precatur vt eius cineribus sit terra leuissima.

TELLVS *Osca.*] videtur signare Mamurium fuisse Oscum, vel apud Oscos sepultum. Osci autem populi fuerunt in Italia, qui partem Cãpaniæ tenuerunt, vt scribunt Plinius & Strabo. quorum lingua, quamuis ipsi defecerint, Romæ durauit, & Osca vocitatur. hinc est quòd Ennius tria corda se habere dicebat, quia Græcè, Latinè, & Osce sciret. ab Oscis obscœnos dictos putant, vt inquit Porphyrio: quoniam vsus frequentissimus fuit Oscis libidinum spurcarum: & inde verba impudẽtia obscœna dici Festus existimat. Quidã in hoc loco accipiunt Osca pro barbara, quod non placet, quãuis non ignorẽ opicos dici Oscos, & opicum pro barbaro & inculto accipi apud Gellium, Ausonium, & Iuuenalem.

COMMENTARIVS FRATRIS IOANNIS Annij, ſuper Vertumnianam Propertij.

PRÆFATIO.

VONIAM *ſæpe meminit Beroſus cognominum ac proprij nominis Noæ, & à Latinis non negliguntur, & ſæpè falluntur quidam exiſtimantes non eſſe eundem Noam, Ianum, Vertumnum, Vadimona, quia eos faſcinauit Græca leuitas, viſum eſt mihi non eſſe ſuperfluum, immo neceſſarium hac ſuper Vertumnianam Propertij commentari, vt videant ingenia latina omnia epitheta propria Iani Vertumni ſimul collecta ſimul ſumpta niſi ſoli Noæ conuenire nemini alij, ac propterea eundem eſſe Noam qui aliis cognominibus appellatur.*

APERIENDA ſunt cognomina & cauſæ cognominum Iani, qui & Noæ. Nam etiam teſte Beroſo non ſolùm Ianus, ſed etiam Cœlum ſol cognomina habuit, quia docuit (vt ait) aſtronomiam. Quæ etiam cuncta ſubripit Diodorus, qui in primo libro dicit Oſiri patrem fuiſſe Saturnum Aegyptium Pana. Saturni verò patrem fuiſſe Solem. In quarto verò lib. dicit Saturno qui regnauit in Aegypto, Libæa, Sicilia & Italia, fuiſſe patrem Cœlum, qui primos homines à feritate ad ciuilitatem reduxit, & eos erudiuit. Quantum ad rationes verò cognominum Diodorus ſimul & Beroſus conſentiunt ad vnguem, quòd Cœlum cognomen habuerit, quia docuit aſtronomiam, & populis multa prædicebat, & ob id illum exiſtimauerunt habere diuinam naturam, & mouere atque vertere cœlos & elementa, & cuncta vertibilia, & ideo Vertumnum illum dixerũt, vt in quinto dicit, Quod & Ouid. in 1. de Faſt. referens, inducit Ianum ita loquentem.

Quicquid vbique vides, cœlum, mare, nubila, terras,
Omnia ſunt noſtra clauſa, paténtque manu.
Me penes eſt vnum vaſti cuſtodia mundi,
Et ius vertendi cardinis omne meum eſt.

Quòd ſi verè is penes quem vnum eſt omne ius vertendi cardinis dicitur vnicus Deus vertendarum rerum, neceſſariò conſequens eſt, vt Ianus ſit idem vnicus Deus vertendarum rerum, quia penes eum vnum eſt vaſti cuſtodia mundi, & omne ius, vertendi cardines. Neceſſariò igitur eſt idem Ianus & Vertumnus, quia idem Deus vertendarum rerum. Sed Ianus oratur in principio omnis rei inchoandæ, vt feliciter aſpiret. Et idem inuocatur vt inchoatam bene vertat, ad finémque feliciter perducat, vt Donatus ait pro vltima epiſtola in primo epiſtolarum Horatij dicentis.

Vertumnum, Ianúmque liber ſpectare videris:
Scilicet vt proſtes Soſiorum pumice mundus.

Id eſt, tu liber epiſtolarum videris ſpectare Ianum à principio & eundem Vertumnum, qui

A bene atque adeo ad finem feliciter vertit, vt iam poſſis præſtare mundum & ornari, & dari Soſianis qui in foro vænali libros ornabant & ligabant inter Ianum ad radices Capitolij, qui principiò inuocabatur, & eundem Vertumnum in foro tranſitorio, qui vt ad finem bene feliciterque verteret, orabatur. Et hanc identitatem ſignificauit Fabius Pictor in fine de origine vrbis Romæ, vbi ſcribens, *Tyberis*, inquit, *fuit limes imperij Volturreni, inter veteres Ianum & Saturnum, qui à principe illius vrbe Volturrena, per ſyncopam dictus eſt Volturnus, & ob id Tuſcus non Latinus. Nam quòd Volturnum ſine ſyncopa primitiuum eſt nomen, notat fluuium in Samnio, & oppidum Romanum in littore, à*
B *quo Volturnus deus Tybcrinus in Latio, ſicut & Volturnus, vt caput imperij in Etruria. Quamobrem deum Tyberinum ſuum dicit eſſe Roma atque Etruria. Eundem & Ianum & Vertumnum, & ab his dictum Vadimona.* Hæc Fabius. Idem igitur Ianus & Vertumnus Vadimon, quia Vado Aramei dicunt id quod Latini verto, & Aegyptij Proto. Et idcirco idem multiformis Proteus, Vadimon, id eſt, Vertumnus, qui cœlos & cardines, & vertibilia vertit. Igitur Vertumnus & Ianus idem & cœlum. Vnde Ianum quaſi Eanum, quòd cœlum eat & vertatur ac giret, ab etymologia nominis exponit Cicero, ſicut Macrobius in primo Sa-
C turnalium exponit dicens. *Phyſici ſiue naturales philoſophi Ianum magnis conſecrant argumentis diuinitatis. Nam ſunt qui eum mundum, id eſt, cœlum eſſe voluerunt, Ianúmque ab eundo dictum, quòd mundus ſemper eat dum in orbem voluitur, & ex ſe initium faciens in ſe refertur, vt Cornificius libro Etymorum tertio. Cicero, inquit, non Ianum, ſed Eanum nominat ab eundo.* Hæc Macrobius. Ex quo patet quòd multæ cœleſtes proprietates & nomina Iano tribuuntur, quia cœli animam motricem fuiſſe Ianum poſt mortem exiſtimauerunt, de quibus hæc dicenda ſunt. Cœlum eſt pater omnium, & terra mater. Ita phyſici aiunt, Ianus eſt antiquiſ-
D ſimus pater omnium, & eius vxor Veſta mater. Et ideo cœlum & terra dicuntur. Cœlum item vertit tempus in quatuor tempora, ver, hyemen, æſtatem, autumnum, & ideo dicitur dominus vertentis anni Ianus, quia hæc docuit, & prædicebat ex his multa, Cœlum iure deúſque vertentis anni dicitur. Vnde Macrobius in primo Saturnalium. *Ianus* (inquit) *apud nos in quatuor partes ſpectat, vt demonſtrat eius ſimulachrum è Phaleris aduectum. Et Phœnices illum figurant inſtar draconis caudam in os reflectentis, quia idem eſt finis & principium anni.* Et ſuper ſeptimo Aeneidos de domino anni ibi: *Sunt geminæ portæ belli*, Seruius ſic habet. *Ianum*, inquit, *faciunt quadrifrontem, quia illum faciunt deum totius anni, qui in quatuor tempora*
E *diuiditur.* Et ſubdit. *Anni autem eſſe dominum illa res probat, quia ab eo initium anni nominatur, & in ipſum finit.* Vnde & ipſi in quatuor partibus anni vertentis primitiæ offerebantur, & ob id Vadimona Etruſcè, Vertumnum autem latinè cognomen accepit vt Propertius inſinuat inducens eum in quarto libro elegiarum ita dicentem.

Et quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumnum rurſum credidit eſſe ſacrum.

Prima mihi variat liuentibus vua racemis:
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos hic autumnalia pruna
Cernis, & aestiua mora rubere die.

Similiter Physici consecrant Ianum & Vestam siue terram Pomonam, in quarta fronte ac parte anni secum colloqui de coniugio faciundo, & à Pomona terra sperni Ianum, quia tunc vertit se in formam vetulæ, quia hyems senio simulatur, vt astronomi & ipsa natura perhibent. Sed quia vltima facie Iano senilis finita, mox vertitur ad ver, quæ est facies pulchra & iuuenilis, ideò statim terra Pomona capta grauidatur, & fructificat & florescit. Quòd Mythici, id est, fabulis vtentes poëtæ memorant, qualem fingunt de Vertumno & Pomona Ouidius XIIII. Metamor. Hæc de argumentis physicorum pro diuinitate Iani conuersi in animam cœlestium dominam & motricem, ob quod cœlum, & dominus vertentis anni, & quatuor temporum eius, & rerum vertibilium Vertumnus cognomenta promeruit à sua posteritate. Nunc cur solis cognomentum habuerit, referendum est ab historicis & physicis. Id ob multa referunt. Berosus dicit, *quia docuit cursum solis toto cælo euntis*, idipsum Macrobius in primo Saturnalium sic exponit. *Ianum quidam volunt solem demonstrari, & ideo bifrontem, quasi vtriusque ianuæ cœlestis ortus & occasus potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.* Seruius quoque super septimum Aeneidos, *qui*, inquit, *Ianum bifrontem faciunt, ij eum dominum diei qua habet ortum & occasum, id est, vigintiquatuor horas, volunt.* Vnde & Diespiter, id est, matutinus & diei pater dicitur, vti est illud Horatij libr. Sermonum de vita rustica, vbi ait,

Matutine pater, seu Iane libentius audis.

De dominio quoque duarum portarum scilicet ortus & occasus, & præsidentia sui ad alios Ioues, ita Ouidius refert in primo de Fastis, inducens ipsum Ianum ita dicentem.

Præsideo foribus cæli cum mitibus horis
Et redit officio Iuppiter ipse meo.

Quòd si officio atque imperio Iani redeunt & obediunt alij Ioues & dij, necessariò consequens est vt cæteri sint veioues, id est, paruiioues, & Ianus solus à physicis consecrantibus eum magnis argumentis diuinitatis dicatur Iuppiter optimus maximus. Iuppiter quidem, id est, iuuans pater, nomen commune ipsi & aliis Iouibus. Maximus verò, quia sator omnium deorum, & maiorum & minorum, vt tam Berosus quàm Propertius in Elegia sequente exprimũt. Optimus, autem, quia ipse præsidet cum mitibus, id est, felicibus horis & influentiis. Ab vniformi enim motu nonæ sphæræ quam Ianum mouere existimabant, non procedit nisi vna & optima vniformisque influentia, vt probant Physici & Astronomi. Nam variatio & nequitia difformitatis & infelicis afflatus syderum, est solum vt probant, à deformitate Veiouium siue syderum & sphærarum inferiorum, quas Horatius lib. secundo Sermonum, & Satyr. septimo vocat versiones iniquas, & Vertumnos iniquos: dicens.

Iam mœchus Romæ, iam velles doctus Athenis
Viuere, Vertumnis (quotquot sunt) natus iniquis.

Verùm quoniam de cognominum Noæ, Iani & Vertumni rationibus sæpe iteratur à Beroso & aliis Latinis authoribus, quas omnes simul collegit Propertius in quarto lib. Elegiarum, in elegia ad Vertumnum, idcirco ne oporteat nos ea repetere sæpius, ad laudem ipsius Noæ iusti & aurei Vertumni Iani principis Italiæ referemus totam elegiam Propertij, in qua Propertius facit Prosopopœiam. Inducit enim Vertumnum primò sibi loquentem. Secundò cur moretur simulachrum eius Romæ. Tertiò cur dicatur Vertũnus. Quartò quando & à quo fuit illò aduectus, Quintò à quo & qualiter, & primò formatus in vico Tusc. Itaque quoniam Ianus quadrifrons & bifrons formabatur, habens in veste formas omnium rerum, idcirco fingit Propertius sibi tot formas admiranti, Deum Ianum ita sibi dicentem:

QVID mirare meas tot in vno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna dei.]

Quasi dicat, ne mireris Properti tot formas in hoc simulachro impressas, quia hæc sunt signa paterna, id est, patriæ Tusciæ, & vrbis Tuscæ, à qua huc translatus sum. Signa enim ad significandum fiunt. Et idcirco ad significandum causas diuinitatis meæ vrbs Etruria impressit mihi hæc signa & formas. Est enim Vertumnus princeps deus Etruriæ, vt ait Varro in primo de lingua Latina. Et dea Etruriæ est Horchia, vt asserit Liuius in septimo ab vrbe condita. Est autem Aramee Horchia per interpretationem, id quod Pomona Latinè, vt Samuel Talmudista exposuit. Hinc & illud Myrsili de origine Italiæ, *Turreni*, inquit, *soli à cæteris etiam sibi vicinis Tuscis differunt sermone ac deis, quia cum cæteri Tusci colant Iouem & Iunonem, solis Turrenis dij principes sunt Vertumnus, Horchia & Razena.* Et item: *Turreni se solos indigenas in Italia existimant, atque à vetustissimi dei sui quem Ianum Vadimona dicunt, filio Razena nuncupant.* Etruriam quoque tetrapolim suam, cuius partes, Voltursenam, Vetuloniã, Tussam, & Harbanum cognomine Calumbum, à Luco nuncupant, à deo suo conditam referunt. Nota quòd Cato in originibus, & nos in commentariis super Fabium Pictorem atque Myrsilum, & fragmenta Catonis exposuimus, Ianus condidit regiam duodecim populis, quam tetrapolim fecit, & communi nomine vocauit Etursiam & Tursenam, quę eadem sunt, & significant vrbem metropolim turritis ædibus extructam, quam posteri Latini vocauerunt Turrenam & Eturriam, & transposito vno R, Etruriam, à qua tota prouincia desumpsit nomen. Huius vna pars adhuc dicitur Para Tussa, id est, coronata Tusca, vt supradictis locis, ac etiam super Xenophontem & in XL. quæstionibus Anniis dicitur. Ab hac Tusca regia coronata (à qua Tuscanenses ciues) fuit Romam traductus Vertumnus in vexillo Galeriti Lucumonis pro Romulo contra Sabinos, & habita victoria pro communi Tatiensibus, Ramnensibus & Luceribus deo habitus, & hoc est quod ipse Ianus Vertumnus secundò exponit, vnde & quando fuerit translatus Romam dicens:

TVSCVS ego, *Tuscis orior, nec pœnitet inter*
Prælia Volsinos deseruisse focos.
Hæc me turba iuuat, nec templo oblector eburno:
Romanum satis est posse videre solum.]

Quando per aspirationem scribitur Thuscia, vt in quæstionibus Anniis probauimus, significat totam prouinciam à Tyberi ad Macram. Quando autem sine aspiratione scribitur Tuscia, vel in Tuscis vel Tusca, significat vrbem regiam Etruriæ, circa Volsinienses, de qua Ouidius in tertio Metamorphoseos pro Delphino Tuscaniensi dicit.

—— *furit* (inquit) *audacissimus omni*
De numero Lycabas, qui Tusca pulsus ab vrbe
Exilium dira pœnam pro cæde luebat.

Et quia Vertumnus erat princeps Etruriæ regius deus, cuius templum siue sacellum eburneum erat à tota vrbe dicatum, idcirco sine aspiratione scribendum est, & dicendum est: Ego qui nunc Romæ color, sum Tuscus, id est, Tuscaniensis vrbis princeps deus. Et à Tuscis siue Tuscaniensibus vexillo ductus, orior etiam Romæ deus. Nec pœnitet me reliquisse Volsinos focos, id est, regionem Tuscæ vrbs in qua est Volsinum, inter prælia, quando scilicet Galeritus Lucumo me in vexillo præsente, iuuit partes Romuli contra Sabinos, vt circa finem exprimitur. Quare quidam falsò suspicatur dicendum esse Clusinos focos inter prælia Porsenæ, quia cõtrarium in fine dicet Propertius. Et quia Fanum Volturnæ erat regium, quippe quia ad ipsum indicebatur concilium XII. populis Etruriæ, vt pluribus in locis ab vrbe condita scribit Liuius, hinc est, quòd Tusca & Volturna sunt in eodem loco, quia tetrapolis partes sunt in eadem vrbe. Vnde vtique Tuscæ regio eadem & Volsinæ assignatur, vt hîc notat Propertius, & similiter Volturnæ regiæ à qua Volturreni, de qua Plinius in III. nat. histor. cap. sexto. *Volturreni* (inquit) *cognomine sunt Etrusci, & in eadem parte Volsinienses.* Quare quoniam Vetulonia & Harbanum erant regiæ partes, consequens necessariò est, vt eiusdem tetrapolis vrbes essent Tusca, Volturna, Harbanum, & Vetulonia vt copiosè ostendimus Annia quæstione duodecima & in aliis commentariis. Dicit autem non se lætari amplius eburno sacello Etruriæ, sed noua gente Lucerum & Romanorum, quia Ianus iure ibi colendus erat vbi caput imperij orbis: quippe quia ipse erat sator omnium diuum, & penes solum illum erat vasti custodia orbis: Et omne ius vertendi cardines vt diximus. Sed quoniam gentem Thuscam condidit ab initio religionibus deditam, idcirco dicit se voluisse habitare in vico Thusco vbi Luceres erant, non vbi Tatienses & Romnenses. Et hoc est quod ait.

HAC *quondam Tyberinus iter faciebat. & aiunt*
Remorum auditos per vada pulsa sonos.]

Super Fabium Pictorem copiosè ostendimus omnem planiciem extensam à colle Auentino vsque ad Ianum quadrifrontem in radicibus Capitolij, non fuisse ante Galeritum & Romulum habitabilem, quia Tyberis egressus Alueum multis in locis stagna effecerat, etiam vsque palatium. Hac enim labebatur Tyberis, antequam Vertumno factis sacrificiis auerteretur in suum alueum, vt asserit Seruius super octauo Aeneidos ibi. *Rumore secundo.* Et totam hanc planiciem Luceres siccauerunt & incoluerunt, & ab eis dictus est vicus Tuscus, vt author est Fabius Pictor de origine vrbis Romæ. Et quia Vertumnus erat in vico Tusco, vt ait Varro in primo de lingua Latina, idcirco dicit quod Tyberis primò labebatur per vicum Tuscum, & lyntribus ac cymbis nauigabatur. Deinde dicit cur vocetur Vertumnus. Vbi notandum est quòd Ianum mox post mortem. Tusci cognominauerunt Vadimona, id est Vertumnum, vt Berosus dicit in quinto libro. in Tyberina verò regione semper mansit nomen Ianiculum & Ianus vsque ad Galeritum, qui amnem auertit. Vnde Ouidius in vj. de Fastis, vbi dixit,

Hic vbi nunc fora sunt vdæ tenuere paludes,

mox adiunxit quòd Vertumnus multiformis non cœperat dici ante auersum amnem, sic enim ait.

Nondum conueniens diuersis iste figuris
Nomen ab auerso ceperat amne deus.

Et hoc est quod sequitur Vertumnus in Propertio dicens:

AT *postquam ille suis tandem concessit alumnis,*
Vertumnus verso dicor ab amne deus.]

Hoc loco Propertius incipit dicere rationes quare dictus sit Vertumnus, qui ante Ianus dicebatur. Et primò dicit quando Romæ, & quare sic dictus sit. Cœpit enim Ianus cognominari Vertumnus in Latio, quando Tyberis concessit & dedit locum habitabilem suis alumnis, id est, accolis Luceribus Tuscis. Ratio autem fuit, quia tunc inuocato Iano primùm auersus est amnis. Et ideò ab hoc effectu auersionis, dicor primùm Romæ Vertumnus deus. Dij enim denominantur felices vel infelices, & cognominantur à rebus quas præstant, vt in Bucolicis Seruius dicit super æglogam quintam, ibi, *Sis bonus ô felixque tuis.* Et quia ante Luceres Ianus non præstiterat Romæ auersionem, idcirco non antè, sed in auersione dictus est deus Vertumnus. Verùm quia Tusci (vt diximus) mox vt obiit, æstimauerunt dominum anni vertentis, idcirco illum ab initio Vertumnum vocauerũt, & illi primitias quatuor temporum offerebant, vt in verè cerasos & lactentes spicas, in æstate mora, & primùm maturescentes vuas, & in autumno pruna & eiuscemodi, quæ Ianum in conuersione partium anni existimabant efficere. Et ideo dicit,

SEV *quia vertentis fructum percepimus anni,*
Vertumnum rursum credidit esse sacrum.
Prima mihi varias liuentibus vua racemis
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstiua mora rubere die.]

Deinde Berosus dicit Ianum cognominatum deum pacis, concordiæ, ac fœderis. Et Seruius super duodecimum Aeneidos ibi: *Latonaque duplex genus, Ianum* (inquit) *ritè inuocat, quia ipse faciundis fœderibus præest.* Namque postquam Romulus & Tatius in fœdera conuenerunt, Iano

duplicis frontis simulachrum factum fuit, quasi duorum populorum. Fuit autem factum ex stipite ligneo, vt in fine huius Elegiæ Propertius dicit. Moyses dicit Genesis capitulo nono, deum iniisse fœdus cum Noa, ne amplius immitteret diluuium iratus, & ob id inter duas naturas discordes Ianus est Vertumnus, quia vertit eas ad pacem & concordiam, non solùm homines, sed & arbores, vt patet in insitione arborum diuersarum naturarum. Eas quia concordes efficit Ianus, atque in fœdera vertit, idcirco & Ianus Vertumnus & ipsi prima insitionis poma dicantur. Et hæc est alia ratio nominis Vertumni, de qua Propertius subinfert dicens:

INSITOR *hic soluit pomosa vota corona*
Cùm prius inuito stipite mala tulit.]

Et subdit quia hæ tres rationes nominis Vertumni, videlicet, quòd Romæ primùm Ianus cœpit dici Vertumnus, quia præstitit auersionem Tyberis, apud Thuscos verò ab initio, quia semper existimatus est deus rerum vertẽdarum, vertentisque anni, atque præfectus paci & fœderibus faciundis, vertendisque discordibus in vnum: ipsæ, inquam, sunt veræ rationes huius nominis Vertumni, & nullæ aliæ, ita dicens:

MENDAX *fama, nocens alius mihi nominis index.*
De se narranti tu modo crede deo.]

Quasi dicat: crede mihi de me narranti has tres rationes. Addam tibi vltimam, quia dicor Vertumnus, quia verto me in omnem formam, de quo sic dicit:

OPPORTVNA *mea est cunctis natura figuris.*
In quamcunque voles verte, decorus ero.]

Hoc loco natura Iani dicitur eius ingenium, & prudentia qua enituit, & de qua Macrobius in primo Saturnalium dicit, *Ianus gemina facie præfertur, quod profectò ad ipsius prudentiam refertur, qui & præterita nouerit, & futura prospexerit.* Teste autem Aristotele in Ethicis, prudentia omnes virtutes metitur, quia ipsa est recta ratio agibilium. Agibilia autem à nobis sunt multiformia, quia vel ad ciuilitatem, vel religionem, vel vitæ sustentationem agibilia ordinantur. Et ideo forma & institutio viuendi dicitur Iani figura pulchra, quia natura iustissimi Iani fuit prudentia, quæ se conuertit in omnem formam & figuram rectè viuendi. Ergo quia (vt suprà diximus) ab his quæ præstant dij nomina accipiunt, rectè Ianus vocatur Vertumnus figuratum, quia præstitit humano generi prudentiam & omnem formam viuendi. Quod profectò significauit Acron super illud Horatij: *Vertumnis (quotquot sunt) natus iniquis,* sic dicens. *Deus qui humanis mentibus præest dicitur Vertumnus: quia vertit & mutat humanas mentes ad regimen vitæ, quo pacto qui se nescit regere dicitur natus Vertumnis iniquis.* Ergo Ianus rectè Vertumnus dictus est, quia vertit illos priscos rudes homines ad omnes rationes honestè ac religiosè viuendi, dicente Macrobio in primo Saturnalium. *Mythici referunt sub Iano fuisse omnium domos religione ac sanctitate munitas.* Xenophon item tradit Italicum Ianum in Italia diis templa fecisse, & ritus sacrorum instituisse. Et ob id in omni sacrificio præfationem perpetuam meruisse. Eadem scribunt Fabius Pictor

A de origine vrbis Romæ, & Cato in fragmentis. Rationes verò agriculturæ, regiminisque totius vitæ docuisse Ianum, qui & Cœlum, non solum Diodorus in IIII. lib. vbi loquitur cur Scythæ Libyj & Aphri imposuerunt prisco regi cognomen cœlum, sempiternum omnium regem immortalem, exponit: sed complures alij vt Acron, Porphyrio & Donatus, qui regem antiquissimum Etruriæ Vertumnum asserunt docuisse omnes rationes bene viuendi, serendi, & plantãdarum arborum, & agriculturę, à qua fortis Etruria creuit in imperium totius Italiæ, vt asserit Seruius exponens in II. Georgicorum illud Vergilij, *sic fortis Etruria creuit.* Sic ergo carmen Propertij exponatur. Mea natura & prudentia ciuilis est, opportuna & idonea cunctis figuris viuendi. Verte me Vertumnum in quamcunque voles figuram & institutionem vitæ, decorus ero, quia semper illam institutionem inuenies ad honestatem pertinere. Et dat multa exempla, quorum formæ impressæ erant in tota veste Iani. Et primò quidem in veste erat impressa camisia longa, quam à loco vbi reperta fuit vocat Coam vel Ceam, & similiter erat ibi forma togæ impressa, idcirco decorus ibi est, quia non modo docuit vestes ad honestatem, ne nudi essent, sed etiam ad discernendum sexum, ne promiscui essent. Et hoc est quod dicit:

INDVE *me cois, fiam non dura puella:*
Atque toga sumpta quis neget esse virum.]

Ergo Ianus dicitur versus in formam viri & puellæ, quia tegumenta illis congruentia præstitit. Et quia præstitit rationem fœnariam & falcem fœnariam sicut Saturnus putatiuam, idcirco fingitur versus in formam fœnarij, & in veste forma viri fœnarij impressa erat, de quo sic sequitur.

DA *falcem & torto frontem mihi comprime fœno,*
Iurabis nostra gramina secta manu.]

Et Ouidius in XIIII. Metamorphoseos, de eodem dicit,

Tempora sæpe gerens fœno religata recenti,
Desectum poterat gramen versare videri.

Item in veste Iani impressæ erant formæ armati militis, & segetum messoris, & ideo dicebatur Ianus versus in militem armatum, & aliquando in messorem: quia docuit rationes metendi, & corbes, & ventilabrum. Item docuit militiam, & duodecim secures ad continendum bonos in aurea vita, & terrendum noxios, non ad occupandum aliena regna libidine dominandi, vt asserunt Fabius Pictor de origine vrbis Romæ, & Cato in fragmentis. Vnde & Cranæ dedit sceptrum & album, id est, fasces, vt probauimus super IIII. fragmentum Catonis. De qua virga alba, id est, imperiali, data à Iano Nymphæ Cranæ, tam Ouidius in sexto de Fastis, quàm Berosus in V. huius meminerint. Ita hæc militiæ ratio laudabilis erat & decora. Et de his sequitur,

ARMA *tuli quondam, memini, laudabar in illis:*
Corbis in imposito pondere messor eram.]

Et Ouidius de eodem Vertumno in XIIII. Metamorphoseos de forma messoris dicit,

O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, verique fuit messoris imago.

Et similiter ibidem de armata forma Vertumni scribit. Rursus in veste Iani erant impressæ formæ sobrij iudicis, & vinosi atque ebrij vinitoris, quia docuit rationes summarias iudicandi, vt Ouidius in primo de Fastis, de regno Iani loquens sic dicit:

Próque metu populum, siue vi pudor ipse regebat:
Nullus erat iustis reddere iura labor.

Docuit & conficere vinum & vinalia, vt Fabius Pictor, & Cato asserunt, & nos in commentariis nostris probauimus: Et ob id dicunt ipsum dictum Priscum Oenotrium, id est viniferum. Porrò Moyses de Noa Gene. nono cap. & Berosus in quinto dicunt eum inuenisse vinum: & inebriatum fuisse. Et ob id, vt ait Berosus, dictus est Scythus Ianus, id est, vinosus. Inuenitur nomen Ianus ab initio Italiæ, ante omnem linguã Latinam & Græcam, vt probauimus in libro de origine literarum & philosophiæ. Quare Ianus non spectat ad originem Latinam vel Græcam, sed vt ait Ber. Scythicam, qui vt Hebræi vinum dicunt Iain, & ab eo Ianum. Ergo quem Latini à vino viniferum, & Græci ab œno œnotrium, eundem Scythæ atque Hebræi à Iain, id est, vino vocant Ianum, id est, vinosum, & de his duabus rationibus vitæ subditur his verbis.

SOBRIVS *ad lites, sed quum est imposta corona*
Clamabis capiti vina subisse meo.]

Amplius in veste Iani formabatur sacerdos mitra Lucumonia redimitus, & alba veste pontificia, itémque formabatur & philosophus vti Apollo cum cythara, & ita versus dicitur in formam Lucumonis & Apollinis, quia teste Catone & Fabio Pictore, docuit Lucumones duodecim fasces & vestes pontificias, quia Lucumones velati infulis & mitris erant, vt docet Dionysius Halicarnasseus in quarto libro. Docuit item primus hos religionem & theologiam, & rituales atque aras & ritus vt Macrobius, Xenophon, & Berosus dicunt: Docuit & secreta naturæ atque physicam vt Berosus dicit, inter quæ astronomiam & contentus syderum ostendit, ob quæ illum physici miris argumentis diuinitatis extollunt, vt author est Macrobius. Et quoniam omnia fere carmine ac lyra decantant theologi poëtæ atque pontifices, quæ Ianus docuit, idcirco dicitur conuerti in formam pontificis & Apollinis, vt in sequenti carmine sic dicit:

CINGE *caput mitra, speciem furabor Achiui.*
Furabor Phœbi si modo plectra dabis.]

Dicitur Achiuus ad similitudinem licentia poëtica, non quia Ianus ab Achiuis acceperit regiam & sacerdotalem mitram, sed quia Achiui reges, & sacerdotes Achiui, ab eius Lucumonibus regibus & sacerdotibus acceperunt. Vnde & Bacchi pontifices Turrena siue Lydia mitra vtebantur, vt dixit Propertius in elegia ad Bacchum his verbis,

Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.

Item quia docuit ad exercitium ludum Disci, & ad exercitium & victum simul docuit venationem & aucupium, & piscationem, & nauigia, & A institoriam, idcirco in veste eius impressa erant Auriga Funúsque & retia cum arundine, & hamus in calamo, & mercator ornatus, & togatus. Et ob id in deum Faunum & Vertumnum & mercatorum numerum versus fingitur, & forum Boarium, piscarium, transitorium, & vænalium illi dicatum, & breuiter totus vicus Tuscus à summo Argileto vbi est Ianus summus in foro transitorio & circo maximo, vsque ad imum Argiletum, vbi Ianus quadrifrõs ad radices Capitoli erat illi dicatus, qui vicus erat omnibus Romanæ vrbis vicis nobilior & opulentior, plenissimus prędiuitibus mercatoribus, vt significat Hora lib. epistolarum primo, & epistola
B prima dicens:

O ciues ciues, quærenda pecunia primùm est.
Virtus post nummos hoc Ianus summus ab imo.
Perdocet.——

Vnde in eodem vico Tusco iuxta ecclesiam sancti Georgij, sunt vestigia arcus triumphalis Boarij fori institorum, vbi sic excisum est. Imperatori Cæsari L. Septimio Seuero Pertinaci Aug. Arabic. Adiabenic. Parth. M. Fortissimo, Felicissimo Pont. Ma. Trib. pont. XII. Imperatori XI. Cos. III. Patri patriæ, & imperatori. Cæsar M. Aurelio Antonino, pio, felici, Aug. Trib. Potesta. VII. Cons. III. Patri patriæ Procos. Fortissimo Feli-
C cissimóque principi. Et Iul. Augustæ matri N. & Castrorum. Et senatus. Et patriæ Imp. Cæs. M. Aurelij Antonini Pij, Felicis. Augu. Parthici Maximi, Britannici maximi, Argentarij & negotiantes boarij huius loci, deuoti eorum numini, supple Iano Vertumno. Et hoc significatur cum in sequentibus versibus sic dicit Vertumnus:

EST *etiam aurigæ species Vertumnus, & eius*
Traiicit alterno qui leue pondus equo,
Cassibus impositis venor, sed arundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Suppetat hic pisces calamo prædabor, & ibo
D *Mundus dimissis institor in tunicis.*]

Ergo eadem ratione dicitur conuersus in pomorum patrem, & Syluanum aruorum pecorisque deum, & deum Pana Thusciæ atque Italiæ, & eiuscemodi, quia instituit rationes pastoralis artis, & bubulci, & agriculturæ, & hortorum, & pomariorum, & pratorum, propter quæ in eius veste formata erant, pastor, stimulus, serpiculus, ligo, cucumer, caulis, trifolium, & eiusmodi, de quibus sic ait:

PASTOR *& ad baculũ possum curare, vel idẽ est*
Serpiculis medio puluere ferre rosam.
Nam quid ego adiiciam de quo mihi maxima fama
Hortorum in manibus dona probata meis?
E *Cæruleus cucumis, tumidóque cucurbita ventre*
Me notat, & iunco brassica vincta leui.
Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante mea.]

Ouidius quoque in VIII. Metamorphoseos, mythicè inducens fabulam cœli & terræ siue Iani & Vestæ, siue Horchiæ ac Vertumni, siue Latinæ Pomonæ ac Pomoni, & scribens sub quo rege ars hortulana & pomaria primum in Latium ab Etruria deducta fuit, sic laudat Pomonam,

Rege sub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter hamadriadas coluit solertius hortos.
Nec fuit arborei studiosior altera fœtus:
Vnde tenet nomen, non syluas illa nec amnes,
Rus amat & ramos felicia poma ferentes.

Et interpositis de aliis Pomónæ amatoribus, mox de pomorum patre Vertumno hortulano eius amatore simul & pastore atque bubulco sic subdit.

——sed enim superabat amando
Hos quoque Vertumnus.——
Falce data frondator erat: vitisque putator
Induerat scalas: lecturum poma putares:
Sæpe manu rigida stimulos portabat, & illum
Iurasses fessos, modo disiunxisse iuuencos.

Ergo quia in omnes rationes viuendi transformauit homines, iure Vertumnum Ianum cognominauerunt. Et hoc est quod tandem concludit dicens:

SIC *mihi quod formas æquè vertebar in omnes*
Nomen ab euentu patria lingua dedit.]

Nomen, inquit, patria lingua Thusca dedit, nomen Vadimona, id est, Latinè Vertumnum, ab hoc euentu & effectu, quia æquè ac facilè vertebar, id est, vertebam homines in omnes formas & rationes viuendi. Deinde dicit quo tempore, & quo duce Tusco, & quo singulari bello venit Romam, & quo præmio donati sunt sui Tusci. Sanè sciendum est, vt Fabius Pictor de origine vrbis Romæ dicit, cui in pluribus concordat Dionysius in 11. lib. & nos copiosissimè probauimus super eundem Fabium: quum Romulus imperasset Sabinis implorauit auxilium à Lucumonibus. Commissum fuit negotium Galerito Lucumoni Arbani. Qui ex vrbe colonia magna manu veniens, superauit Sabinos, & ad fœdus percutiendum cum Romulo coëgit, diuisit vrbem in tres tribus, prætoria & lictores Romulo statuit, & suis Luceribus vicum Tuscum tribuit, & Ianum statuit ligneum. Primò ergo Vertumnus gratias agit, & pollicetur pacem Romanis pro vico dato suis Tuscis. Secundò pro forma ærea sibi structa. De primo sic dicit:

AT *tu Roma meis tribuisti præmia Tuscis*
Vnde hodie vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo sociis venit Lucumonius armis
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies & tela caduca
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sat faciam diuûm sator vt Romana per æuum
Transeat ante meos turba togata pedes.]

Verùm quia vt diximus, hæc in commentariis super Fabium Pictorem copiosè explanata fuerunt, vbi & mendacium Dionysij de morte Galeriti deteximus, & similiter eum qui vult vicum Tuscum datum fuisse sub Clusino Porsena, idcirco vnum hoc loco notandum occurrit, quia solius Iani epithetum est, esse satorem deorum. Alij enim dei possunt dici patres, vt Mars pater, & pater Apollo, sed non sator, quia solus Ianus genuit deos tam maiores quàm minores, vt dicit Berosus. Et Ideo quia Ianus & Vertumnus idem, iure Vertumnus se appellauit satorem diuûm. His sic expositis, fingit Propert. se festinare à foro transitorio ad forum Romanum ad

A recipiendum vadimonia, & idcirco nolle se amplius audire, Vertumnum verò iubere, vt audiret alios sex versus sequentes, nec se amplius illum detenturum, sic dicens:

SEX *superant versus; te qui ad vadimonia curris*
Non moror, hæc spatiis vltima meta meis.]

Multa nomina Etrusca Romani in linguam suam transtulerunt, vti & aliarum gentium, sicuti in commentariis aliis ostendimus. Inter ea est Vadimonium, id est, Vertumnium, eo quòd vertit hominum mentem de altero ancipitem & suspectam ad firmitatem & securitatem. Nã Vadimona Etrusci, sed Vertumnum dicunt Ro-
B mani. Vnde Ianum Vertumnum quasi sponsorem securitatis, Romani postea posuerunt in foro transitorio, quo transibatur in forum Romanum. Vnde Ianum quem vitæ principium & matutinum patrem inuocauit Horatius libro secundo Sermonum, eundem vitæ vertendæ Vertumnum subiunxit, qui se sponsorem & vadem Romæ caperet, qui vt Ianus principio, & Vadimon siue Vertumnus bene vertendæ finiendæque vitæ, vadem eum caperet atque sponsorem. Sic enim ait:

Matutine pater seu Iane libentius audis.
Vnde homines operum primos vitæque labores
Præstituunt (sic diis placitum) tu carminis esto
C *Principium. Romæ sponsorem me rapis.*

scilicet ad sponsiones & vadimonia quibus præes. Ergo dicit Propertius, fige gradum, qui ad vadimonia curris in forum Romanum, quia ego sum Vadimon, id est, Vertumnus rei spondendæ, & lege sex versus sequentes in hunc modum:

STIPES *acernus eram properanti falce dolatus*
Ante Numam, grata pauper in vrbe deus.
At tibi Mamuri forma cælator ahenæ
Tellus artifici ne terat osca manus.
Qui me tam dociles potuisti fundere in vsus,
Vnum opus est, operi non datur vnus honos.]

D In his sex versiculis tanguntur quatuor causæ simulachri, & tempus, & ordo. Primum est tempus quo factum est, videlicet ante Numam Pôpilium, id est, sub Romulo contra eos qui sub exactis regibus & Porsena in Principio elegiæ exposuerunt. Teste enim Seruio super duodecimo Aeneid. quum Sabini fœdus cum Romulo iniuissent deuicti, tunc Ianum bifrontem ibi posuerunt, quasi duo populi in vnum coiuissent. Et vt ait in septimum Aeneidos, *fecerunt Ianum in imo* Argileto, vbi postea æneum fecit Numa, vt hic ait Propertius. Ergo ante Numam primò factum est. Materia verò ex qua primùm fa-
E ctum est simulachrum sub Romulo lignea, more antiquo ad significandum quòd dij amant paupertatem, in qua inuenitur honestas, & fides, dicente ad deos Tibullo.

Ne pudeat prisco vos esse à stipite factos
Sic veteres sedes incoluistis aui.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.

Et hoc est quod ait:

Stipes acernus eram properanti falce dolatus
Ante Numam.——

Sanè legendum est Stipes acernus eram: non stipitis

stipitis acernus, vt metrum indicat & sententia. Nam acer nomen est arboris, fœm. gen. faciens huius aceris in genitiuo, habétque primam breuem quam acer adiectiuum producit. Et inde fit adiectiuum possessiuum acernus a, um, ad acerem pertinens. Dicit ergo, stipes acernus eram, sicut apud Horatium in sermonibus Priapus. *Olim truncus eram ficulnus*, &c. Addit *grata pauper in vrbe deus*. Gratam vrbem appellat, quia ob partam victoriam auxilio Lucerum ad lacum Vadimonis initiatorum, ibi venerabatur, vt Fabius Pictor asserit, & nos in eius commentariis clarè ostendimus. Deinde tangit materiam sub Numa, & artificem Mamurium Oscum, id est, Capuanum, quia vt ait, Numa æreum fecit Mamurio opifice, quod Romulus ligneum dolauerat. Mamurius, vt aiunt authores, fuit peritissimus in arte fusoria, quem euocauit Numa ad fundendum duodecim ancilia, & etiam (vt dicitur) fudit æreum Ianum in eodem loco & imo Argileto indicem pacis & belli, vt author est Liuius in primo ab vrbe condita. Ab hoc infimo Argileto ad superiorem bifrons translatus est, & in infimo substitutus quadrifrons, de quo Seruius super septimo Aeneidos. *Simulachrum*, inquit, *hoc Numa instituit circa imum Argiletum iuxta theatrum Marcelli in breuissimis duobus templis. Duobus autem propter Ianum bifrontem.* Et subdit. *Posteà verò captis Phalifcis vrbe Tusciæ, inuentum est simulachrum Iani cum quatuor frontibus.* Vnde quò Numa instituerat translatum est ad forum transitorium, & templum quatuor portarum ibi substitutum est. Ex hoc etiam patet, quòd Pictor, Cato, & alij dicunt Ianum & Vertumnum eosdem esse, quia Numa idem simulachrum æreum fecit quod Romulus ligneum. Porrò Romulus Vertumnum in forum transitorium translatum fecit, Numa Ianum formauit ad radices capitolij, vbi infimus Argiletus & templum quatuor portarum. Vnde idem Ianus & Vertumnus causa formalis huius Vertumni lignei prius, inde ærei fuit Ianus bifrons, manibus gestans sceptrum, claues & numerum CCCLXV. in veste verò formas omnes fusas à Mamurio, in quas sese vertebat. Finis verò vsus eius plurimus & honor, quia tot formis cælatus erat in vsus dociles, vt docerent quas vitæ rationes & beneficia pater Noa siue Ianus impendisset humano generi, & ob ea in cunctis honores diuinos exciperet. Et hoc est quod ait. Mamuri, hoc opus & simulachrum est vnum, à te facile fusum in vsus dociles, id est, in significata docentia beneficia Iani. sed honos operi non datur vnus, sed tot quot imagines vtiles & dociles continet. Et nota quòd sicut rationes vitæ quas Ianus tradidit, fuerunt ex omni parte honestæ, & suprà dixit, in quancunque formam me vertes decorus ero, ita Mamurius & Tusci quibus Deus princeps erat, omnes formas in simulachri veste tam ordinatè ac decorè disposuerunt, vt admirabilis decentia & decor simulachri redderetur, dicente Tibullo.

Talis in extremo felix Vertumnus Olympo
Mille habeat formas mille decenter habet.

Est autem Olympus non solum cœlum, &

A mons quisque altissimus, sed & pomœrium, id est, locus augurio primùm in vrbe sacratus, vt docent ex Græcis Xenophon in libro de æquiuocis, & Plutarchus in vita Romuli, dicens. *Etrusci sacrant literis & misteriis quibusdam & fossa, quam Olympum diximus.* Vertumnus igitur Deus princeps Etruscorum, vt ait Varro de lingua latina, habet mille decentes formas in Olympo sacro luco ingenti fanóque Volturnæ æterno. Aeternum dicit alludens vocabulo Vol, quod, vt in quæstionibus primis Anniis ostendimus significat priscum, antiquissimum & æternum.

B Vnde si Vol addis ad Turrenam, & dicas per syncopam Volturnam aut sine syncopa Volturrenam à qua Volturreni dicuntur, significat æternam vel priscam antiquissimam Turrenam. Quare quia fani Volturnæ epithetum proprium est Vol siue æternum, iure id epithetum pro Volturna & Olympum pro luco & fano eius accipit dicens: Felix Vertumnus & Ianus qui & Noa princeps deus Etruriæ, habet quidem mille formas, sed decentes in Olympo æterno, id est, fano Volturnæ, ad quod concilia indicebantur XII. populis Etruriæ, vt in pluribus locis ab vrbe condita Liuius asserit. Non enim

C nisi inaugurato loco consilia habere poterant, vt Seruius author est super Aeneida. Et hic lucus ingens erat religione Lucumonum sacer latè, quia communis regibus ciuibus & accolis Etruriæ, vt in octauo Aeneidos Vergilius scribit, & Seruius exponit, & nos in quæstionibus Anniis ostendimus. Hoc fanum vrbémque illius tetrapolim regiam Ianus eius Deus princeps Vadimon primam omnium fundauit, vt Cato in secundo fragmento de originibus dicit, & Fabius pictor attestatur, & Myrsilus astipulatur, & nos in commentariis eorum ostendimus. His ita super Propertium expositis, facilè intel-

D liguntur quæcunque poetæ, historici, physicique ac Berosus tradunt, excepto quòd Berosus falsum scribere videtur, dicens, quòd solùm hæc duo regna Italicum & Scythicum venerantur Noam cognomine Ianum. Nam Phœnices illum etiam vt cœlum sempiternum regem & patrem venerantur, cui teste Macrobio in primo Saturnalium ponunt simulacrum draconis in orbem ad modum cœli reuoluti. Eundem quia in Aphrica docuit Astronomiam, & beneficia rationésque vitæ ruralis atque ciuilis eis præstitit, etiam vt cœlum regem sempiternum omnium venerantur, vt Diodorus in quarto perhibet. In Aegypto quoque statuas & templa ha-

E buit. Vnde vt author est Plinius in XXXVI. naturalis historiæ, cap. quinto Ianus pater dicatus ab Augusto in suo templo, ex Aegypto aduectus fuit. Xenophon quoque in libro de Aequiuocis distinguit de Proteis, id est, Vertumnis mutantibus se in diuersas formas. Nam vt diximus in pluribus locis editionum nostrarum, quòd Aegyptij Protho dicebant, hoc Aramei & Etrusci vado. & latini verto: Hinc eadē sunt Protheus, Vadimon, Vertumnus. Dicit ergo postremum Protheum siue Vertumnum fuisse Aegyptium, qui erat sacerdos magni Vertumni phœnicis, cui consensu totius orbis, templa, statuæ, & aræ

dicatæ fuerunt in Europa, Asia & Aegypto. Hæc in commentariis super Xenophontem latè exposuimus. Non ergo rectè Berosus scribit Ianum patrem venerari solùm in Scythia & Italia, qui principatum deitatis habuit in toto orbe, id eodem Iano affirmante apud Ouid. in primo de Fastis & dicente:

Me penes est vnum vasti custodia mundi
Et ius vertendi cardinis omne, meum est,

Hoc dubium soluat quisque eruditus, vt placet, Tenet autem in manibus numerum cursus solis quem docuit, vt etiam Macrob. consentit. Duodecim verò aras tenet sub pedibus ob plures causas. Primum quia XII. pomeria prima, siue XII. Olympos primis XII. populis Etruriæ statuit, qui suberant Iano Larthi & vrbi eius Etruriæ, vt Fabius Pictor & Cato in vndecimo fragmento referunt. Secunda causa est, quam Macrobius in primo Saturnalium refert, & Varro in quinto libro diuinarum rerum scribit, Iano XII. aras dicatas pro totidem mensibus. Sceptrũ tenet, quia primus fasces imperij iustissimi instituit, vt Fabius & Cato exponunt. Similiter vt aiunt tenet claues, quia ad pudicitiam & castimoniam ad religionem tutandam, ostiis patentibus apposuit valuas & seras ac claues. Et ob id à Iano inuentore Ianua, non à Ianua Ianus dictus est, vt quidam falsò suspicantur, quia Ianus nomen fuit ante latinam linguam, & idcirco Ianua nomen est Etruscum, ab inuentore originem habens.

IANVS DOVSA PATER.

NEC *flos vllus hiat pratis, quin ille decenter Impositus fronti langueat ante mea.*] Eadem ferè argutia lib. II.

Me iuuet hesternis positum languere corollis.

Vtriusque verò loci acumen subtilissimè vno versu expressum habes in Secundo nostro, vbi scribit:

Imposita fronti mecum languere corolla.

IOS. SCALIGER. IVL. CÆS. FIL.

SEV *quia vertentis.*] Etiam florum. Columella.

Mercibus & vernis diues Vertumnus abundet.

Nam & flores primi, & fructus primi illi delibabantur.

CLAMABIS *capiti vina subisse meo.*] Ita melius, quam *subesse*, quod scriptum extat in nostro. Nam subire est aptum illi rei, quod Græci ἀνιέναι. In monobiblo:

Acrius illa subit, Pontice, si qua tua est.

Item alibi:

Neu subeant labris pocula nigra tuis.

Ouidius libro primo [illegible].

Nyctileum patrem nocturnáque sacra precare,
Ne iubeant capiti vina nocere tuo.

Lege:

Ne subeant capiti vina nocitura tuo.

Nam vulgata lectio inepta.

EST *etiam auriga species Vertumnus.*] Desultorem aurigam ait Vertumnum appellari. quod nusquam leges.

A HÆC *spatiis vltima meta meis.*] Noster, *vltima creta.* Ac nescio an in monobiblo ita legendum sit:

Illa fuit lacrymis vltima creta meis.

Et sane aliter Propertium scripsisse non puto. Seneca: *Hanc quam nunc in Circo cretam vocamus, antiqui calcem vocabant*, Putat Seneca, vt apparet, cretam postea dictam esse, quæ antea calx erat, quia & creta & calx apta sunt designandis albo spatiis. At mihi non ita videtur. Nam Calx vltima in homine, à quo vltimum quodque calx. Sic Græcis [illegible]. In Glossis Græcorum: [illegible], τὸ πέρας τοῦ βίου. Marcellinus non semel

B prouerbialiter dixit, vltra calcem currere. Et libro vicesimo octauo, vltra plantam euagari, pro eodem dixit, eadem metaphora, quasi cognata sint Planta, & Calx. Sed cretam Circensem λευκὴν vocant Græci. Chrysostom. de Circo: [illegible]. Glossæ, [illegible] ἱπποδρομίας, *Creta.* Lege: λευκὴ ἡ ἱπποδρομίας. Item *Spartum*, [illegible] & [illegible], quam alij λευκὴν, & σπάρτον pro amphitheatro accipit. In veteri inscriptione de Diocle agitatore legitur SPARTOR, quod nescio, an ad Spartum pertineat. Si diuinare licet, ego acceperim Spartum pro fune cretato, quo coercebantur in sedibus suis Spectatores, ne spectaculo sibi inter

C se officerent, de quo fortasse Ouidius:

——cogit nos linea iungi.

Huc pertinet ex Aristophane [illegible].

ELEGIA III.

HÆC Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,
Cùm toties absis, si potes esse meus.
D *Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,*
Hæc erit è lacrymis facta litura meis:
At si qua incerto fallet te littera tractu,
Signa meæ dextræ tam morientis erunt.
Te modò viderunt iteratos Bactra per ortus,
E *Te modò munitò Sericus hostis equo,*
Hibernique Getæ, pictóque Britannia curru,
Vstus & Eoa discolor Indus aqua.
Hæc ne marita fides, & pacta sunt mihi noctes,

Cum rudis vrgenti brachia victa dedi? A
Quæ mihi deducta fax omen prætulit, illa
Traxit ab euerso lumina nigra rogo:
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est. nupsi non comitante Deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota: B
Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit ab arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas:
Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternúsque tuam pascat aselle famem. C
Dic mihi, num teneros vris lorica lacertos?
Num grauis imbelles atterit hasta manus?
Hæc noceant potius, quàm dentibus vlla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas
Diceris & macie vultum tenuasse: sed opto D
E desiderio sit color iste meo.
At mihi cùm noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aues.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in gladios vellera secta suos;
Et disco, qua parte fluat vincendus Araxes,
Quot sine aqua Parthus millia curratequus.
Cogor & è tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positura dei:
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Aßidet vna soror, curis & pallida nutrix
Peierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis vtinam patuissent castra puellis:
Essem militiæ sarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ iuga, cùm pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior.
Hanc Venus, vt viuat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi, quo Pœnis tibi purpura fulgeat ostris,
Crystallusque tuas ornet aquosa manus,
Omnia surda tacent; rarísque assueta calendis,
Vix aperit clausos vna puella lares.
Graucidos & catulæ vox est mihi grata querentis.
Illa tui partem vindicat vna tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo.
Et crepat ad veteres herba Sabina focos. E
Siue in finitimo gemuit stans noctua tigno,
Seu voluit tangi parca lucerna mero:
Illa dies hornis cædem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad noua lucra popæ.

Ne precor ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptáve odorato carbasa lina duci,
Plumbea cùm tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed tua sic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos:
Incorrupta mei conserua fœdera lecti.
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armáque cùm tulero portæ votiua Capenæ,
Subscribam, Saluo grata puella viro.

PHILIPP. BEROALD. BON.

HÆC *Arethusa suo.*] sub nomine Arethusæ puellæ scribitur epistola ad Lycotam maritum conquerentis de illius absentia, qui malebat exercere militiam, quam rei vxoriæ indulgere.

OBLITA.] lituris inspersa. & pronunciandum est media correpta: vt apud Ouidium:

Oblitus à dominæ cæde libellus erit.

BACTRA.] Bactrianos intelligit. de quibus supra dictum est.

HENRICVS *hostis.*] locum mendosum ita emendauimus iisdem pene literis manentibus: *Munito sericus hostis equo*: & intelligit Seras populos orientis lanicio siluarum nobiles, à quibus vestes sericæ, olosericæ, & subsericæ nominantur.

MVNITO *equo.*] id est, cataphracto.

PICTO *curru.*] essedam significat: vnde essedarij nominati: quod supra docuimus, vel couinum Britanni enim couinos vocant currus. ex quibus dimicant Gallice armati, vt scribit Mella: vnde dictum est à Lucano:

Et docilis rector monstrati Belga couini.

RVDIS.] id est, tiruncula & adhuc virgo.

DEDVCTÆ.] scilicet ad nouum maritum.

FAX *omen.*]vt ostendat nuptias suas fuisse inauspicatas ait facem rogalem & funestam sibi nubenti præluxisse, & infaustum omen præstitisse. supra docuimus cur quinque faces in nuptiis accenderent. talis est fere illa apud Ouidium sententia:

Fax quoque quam tenuit lachrymoso stridula fumo
Vsque fuit.——

STYGIO *sparsa lacu.*] ignem & aquam noua nupta iubebatur attingere, & in nuptiis in limine adhibebantur, & sacramento ignis & aquæ nuptialia fœdera sanciebantur: quia causa nascendi duplex est ignis & aqua: & fœtus animantium calore & humore corporantur & animan-

A tur ad vitam. lege Plutarchum, Lactantium, Varronem, Ouidium, & Festum multa super hac re scribentes. ait Arethusa se in nuptiis respersam fuisse aqua Stygia & infernali: per quod significat se nupsisse diris ominibus & infelicibus auspiciis.

VITTA.] qua scilicet vinciuntur, nodanturque capilli nouæ nuptæ, quæ etiam flammeo velabatur, quod erat lutei coloris: vnde dixit Plin. in XXI. *Lutei video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum fœminis concessum.* inde nuptię & nuptæ nuncupantur, vt existimat Varro, videlicet à nuptu, hoc est ab opertione. ideo autem velantur dum maritantur, vt nouerint se
B maritis suis subditas esse. est & illa vitta coniugalis, qua nubentes, quasi vinculo vno copulantur: quod icirco fit ne compages vnitatis coniugalis disrumpatur, sicuti scriptum legimus in decretis XXX. q. I.

NON *comitante.*] aduersantibus Thalasio & Hymenæo Diis nuptiarum.

QVARTA *lucerna.*]iam se lacernas tres militares misisse marito militanti significat, & nunc quartam texere, quæ & ipsa paulo post confecta mittatur: ex quo docet diu in castris fuisse maritum Lycotam. lacernarum plura fuerunt apud priscos genera: nam aliæ coccineæ, aliæ beticæ nominabantur. erant & albæ lacernæ, quas in
C spectaculis induebant. hic signare videtur eam vestem militarem, quam Græci vocant ephestrida. similiter apud Ouidium in II. Fastorum ait Lucretia:

Mittenda est domino nunc nunc properate puellæ
Quam primum nostra facta lacerna manu.

à lacerna lacernatus deriuatur.

OCCIDAT *immerita.*] detestatur illum qui primus inuenit castra vallis munire, & vallos militares carpsit ab arbore: etiam qui primus tubas bellicas struxit ex ossibus. vallum, teste Seruio, dicitur ipsa munitio valli. fustes sunt quibus vallum munitur. Virg. *Vallos sub tecta*
D *referto.* & Liuius scribit Cincinnatum imperasse vt armati cum duodenis quique vallis ante Solis occasum in campo Martio adessent. interdum munitio vallus masculino genere appellatur, vt apud Cæsarem: *Duplicem eo loco fecerat vallum.* & alibi: *Inter duos vallos*: quia perfectum opus non erat Pyrrhus castrametari primus docuisse memoratur. tubam primus inuenit Piseus Tyrrhenus, vt Sillius & Plinius tradunt. inde Tyrrhenus clangor & Tyrrhenum murmur tubæ sonus à poëtis vocitatur. Tubæ quæ nunc fiunt ex ære antiquitus fiebant ex bubulo
E cornu, vt docet Varro.

DIGNIOR *obliquo.*] sensus est vulgatus vt imprecari dicatur: ego vero existimo subesse sensum occultiorem, quem curiosiores vix animaduerterint, nedum indiligentiores pensitauerint. locus est sumptus ex historia. Socrates enim pictor fuit, cuius picturæ placuerunt, & illa in primis, piger qui appellatur ocnos spartum torquens, quod asellus arrodit. ex his Plinij paucissimis verbis versus istos ita interpretor, vt dicat inuentorem valli & tubæ digniorem esse, qui torqueat funiculum sparteum illo

ocno, qui interpretatur piger. qui pictus erat in tabula Socratica, & qui assidue pascat asellum: qui in pictura pasci videbatur arrodens ipsum spartum ocnus torquebat: & ita leges ocno, non autem orno, vt passim legitur.

VRIT *lorica.*] interrogat Lycotam nunquid ex gestatione loricæ vexetur, quæ insolitis onerosa est, & vehementer delicatos infestat. lorica dicta ab eo quod è loris de corio crudo pectoralia faciebant. Postea Galli succuderunt è ferro sub id vocabulum ex annulis ferream tunicam.

COLER *iste.*] optat Arethusa vt maritus sit emaciatus & lurida facie ex amoris sui desiderio, non autem alienæ puellæ.

B NON *sidere.*] depressa iacere. sidere enim est deorsum descendere & pressum ire. Virgilius: *Gemina sub arbore sidunt.* inde subsido. idem *Subsidere valles.* in hanc sententiam est illud Ouidij: *Nec in lecto pallia nostra sedent.*

LVCIS *auctores.*] gallos gallinaceos significat, qui diem venientem nunciant cantu: quos excitandis in opera mortalibus, rumpendóque somno natura genuit, vt luculenter tradit Plinius in x. de galli cantu ita scribit Ambrosius. in v. exameri: *Galli cantus suauis in noctibus & vtilis, qui quasi bonus cohabitator, & dormientem excitat, & sollicitum admonet, & viantem solatur, processum noctis canora significatione protestans. hoc ipse Lucifer excitatus exoritur, cœlúmque illuminat.*

C IN *gladios suos.*] quoniam indutus paludamento purpureo congrediebatur contra Tyrios, à quibus vellera Tyrij coloris pretiosissima dicuntur, vt supra demonstratum est: & ita contra gladios Tyrios parabatur vestis militaris tyrio colore infecta. In hanc sententiam dicitur illud: *Suo sibi gladio hominem iugulat.* vel allusit ad texturam tyrij vestimenti, quod intextis quasi gladiolis diuidebatur, sicut dictę sunt antiquitus vestes papaueratæ & scutulatæ ab ipsa textura.

D QVA *parte fluat.*] iam, inquit, vaco chorographiæ propter te absentem, & disco qua regione fluat Araxes flumen Armeniæ.

SIBE *aqua currit.*] est herba hippice dicta, quam equi habentes in ore, famem, sitimque non sentiunt: auctor Plin.

COGOR *& è tabula.*] exprimitur affectio vxoris erga maritum militantem: quæ, vt sciret naturam, situmque locorum, in quibus coniux belligerabat, volebat in tabula depictas cognoscere regiones. Anaximander, vt inquit, Strabo, tabulam edidit situm orbis continentem.

E FELIX *Hippolyte.*] felices dicit esse Amazonas, quibus licebat arma tractare: quod & ipsa Arethusa vehementer exoptat si fas foret: sed apud Romanos ingenti opprobrio dabatur, si mulier castra sequebatur: vnde est illud Maronianum:

Sequiturque nefas Aegyptia coniux.

&, vt inquit Hieronymus, *nemo miles vxorem ducit in bella.* & apud Lucanum Cornelia vxor Pompeij mandatur in insulam Lesbon. leges Platonis atque Lycurgi permittunt bella à mulieribus exerceri, vt supra declaratum est. Hippolyten autem reginam Amazonum fuisse nemo est qui nesciat: quam Theseus in bello captam assumpsit in matrimonium, & ex ea genuit Hippolytum. alij non Hippolytes, sed Antiopæ filium esse Hippolytum prodiderunt.

NVDA *papilla.*] ita Virgilius: *Exerta cingula mamma.* Amazones dextram mamillam vrebant: sinistra in prœliis exerta vtebantur.

SARCINA *militiæ.*] Martia ad Catonem pristinum coniugem reuertens ait apud Lucanum: *Da mihi castra sequi.*

POENIS *Ostris.*] Africanis. nam purpureus color in Laconica, in Tyro, & in Enynge Africæ, Getulóque Oceani littore præcipuus habebatur. auctor Plinius in ix. in hanc sententiam ait Sappho: *Cui color infelix.*

CRYSTALLVS.] crystallum glaciem esse certum est: vnde & Gręci nomen dederunt. Crystallinum vas amphorale aliquando visum fuit. Nero duos calices crystallinos in suprema ira fregit illisos. auctor Plinius in vltimo. Caloris impatiens est crystallus, & ideo in frigido tantum potu adhibentur vasa crystallina. Lucanus: *Fundit Niliacas crystallus aquas.*

CLAVSOS *lares.*] lararium, vt arbitror, designat. est enim lararium sacrarium domesticum: in quo lares & dij peculiares adorantur. Scribit Lampridius, Alexandrum Seuerum in larario rem diuinam matutinis horis factitasse ad effigies deorum, in quibus habebat Abrahamum, & Christum: in secundo larario simulachrum habuit Virgilij & Ciceronis. Ait Arethusa se vix singulis mensibus semel salutare lares, quod ex mœrore vult intelligi.

GRAVCIDOS *& catulæ.*] oblectamentis catellæ solabatur Arethusa desiderium absentiæ mariti: quam sub Graucidos nomine celebrat: vt apud Martialem celebratur Issa Publij catella, & apud historicos Perses catellus filiæ Aemilij Pauli. potest nomen esse ficticium, formatumque ab hac dictione γραῦς, quæ Græce significat vetulam.

VERBENIS *compita velo.*] verbena quam aliqui peristereon, nostri verbenacam vocant, herba est qua nulla plus habet Romanæ nobilitatis. hac Iouis mensa verritur, domus purgantur, lustrantúrque. magi circa hanc insaniunt, hac perunctos impetrare quæ velint, febres abigere, amicitias conciliare, nullique non morbo mederi. aiuntque si aqua spargatur triclinium, qua verbena maduerit, lætiores conuictus fieri. &, vt scribit Plinius, non aliunde sagmina in remediis publicis fuerunt, & in sacris legationibus quam verbenæ. vtroque nomine idem significante: hoc est gramen ex arce cum sua terra euulsum. & Liuius idem esse sagmina & verbenas ostendit lib. xxx. & id genus herbæ ex arce sumptum dari solitum fecialibus: propter quod vnus verbenarius vocabatur. à sagminibus sanctum dici Martianus iurisconsultus existimat. præterea verbenas vocamus omnes herbas & frondes sacratas, quæ ad aras coronandas adhibentur, vt docent Donatus & Seruius. Verbenæ autem dictæ quasi herbenæ.

HERBA *Sabina.*] duorum generum herba sabina est, altera amaraci folio similis, altera cupresso: vtilis in suffitis pro thure assumitur. Partus emortuos apposita extrahit: illinitur

igni sacro & carbunculis. auctor Plin. in xxiii. hanc adhiberi solitam in sacrificiis apud veteres testis est Ouidius, qui ait:

Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis.

idem alibi inquit:

Vre mares oleas, tedámque herbásque Sabinas.

CREPAT] resonat. ita Ouidius:

Et crepet in mediis laurus adusta focis:

inde crepitus ventris dicuntur.

NOCTVA *tigno.*] sacra facio, inquit, quoties noctua, quæ auis est inauspicata, sedens in domicilio dat dirum omen cantu suo gemulo & querulo. noctuas nouem voces habere tradit Nigidius. Tigni appellatione non solum trabes, sed etiam omne genus materiæ significatur: ex qua ædificia constant, vt docent iurisconsulti, &, vt ait Festus, *Tignum non solum est quo vtuntur in ædificiis, sed etiam quo in vineis.*

TIGNI *lucerna.*] ex flamma lucernarum præsagia obseruauerunt maiores nostri: quorum & Virg. & Plinius meminerunt: & apud Apuleium Sibylla lucernæ appellatur, quæ cœli negocia & Solem ipsum de specula candelabri contuetur.

HORNIS *agnis.*] visis, inquit, noctuæ, lucernæque præsagiis statim sacrifico agnos, & exta pinguissima. hornos vocat agnos anniculos: nã res horna dicitur annua vel noua, vt inquit Acron. & Horatius hornam frugem appellat. & horno aduerbium temporale est, vt inquit Priscianus, à quo deriuatur hornotinus: vnde ait Cato: *Hornotine nuces virides.* Quærit iurisconsultus legatis agnis qui nam contineantur. Quidam aiebant agnos duntaxat sex mensium esse, sed verius est eos legatos esse qui minores anniculis essent.

POPÆ.] popam significare pinguedinem indicat versus ille Persianus:

Ast illi tremat omento popa venter.

Hinc popinæ & popinones deduci videntur. popæ succinctæ accipiuntur à poeta pro victimis minutis, paratisque ad sacrificium, quarum adeps offertur super altari, vt inquit Hieronymus: vel potius pro pinguioribus extis qualia antiqui lustralia nuncupauerunt.

ASCENSIS *Bactris.*] noli, inquit, tanti facere gloriam, nec tanta laudis cupiditate rapiaris, vt primus velis ascendere muros hostiles Bactrianorum, & spolia opima detrahere duci hostium, quia posset hæc audacia tibi magno constare: & ita monet maritum, vt cautius cum hostibus congrediatur, nec se immittat in pericula spe aut gloriæ, aut prædæ.

CARBASA *lina.*] carbasa lina sunt miræ tenuitatis in Hispania primum reperta, vt inquit Plin. in xix. Carbasinis vestibus Indi & Arabes corpora velant, quæ sunt auro, purpuráque distinctæ, vt tradit Curtius.

ODORATO *duci.*] refertur hoc ad regionem Arabiæ odoratissimam & scatentem aromatibus, quibus ipsi duces suffiti sunt.

PLVMBEA *pondera.*] glandes plumbeæ.

SVBDOLVS *arcus.*] optimum epitheton Parthici arcus, qui magis nocet à tergo quam à fronte & in fuga dolosus est.

SED *tua sit.*] lege Sic; noster autem sit: est enim

A particula precatiua, ita. inquit, domitis Parthis donatus hasta pura sequaris currum imperatoris tui triumphantis, conseruato fœdus connubij incorruptum. Hasta pura dicitur sine ferro, vt inquit, Donatus apud Virgilium: & hoc præmio apud maiores donabatur victor in prælio. Hinc legimus apud Plinium, Sicinium dentatum hastis puris duodeuiginti fuisse donatum. Et Virg. dixit in sexto:

Ille vides pura iuuenis qui nititur hasta:

HAC *lege.*] vt scilicet serues fœdus coniugale.

ARMA *votiua.*] dicit se suspensuram ex voto B arma mariti domum reuersi in templo Martis iuxta portam Capenam cum illa subscriptione: *Saluo grata puella viro.*

IANVS DOVSA FIL.

TE *modò munito Sericus hostis equo.*] Ita Beroaldus correxit, cùm antea *Henricus hostis* legeretur. At in Scaligeri Codice *Betecus* erat, in Modiano *Duricus.* ex quibus mihi in mentem venit scribendum.

Te modò munito Persicus hostis equo.

C Vel, si id minus alicui arridet, *Parthicus hostis,* & quidem aut vera est restitutio nostra, aut proximè veram. De cataphractis & clibanariis Parthis dixi supra, quæ etiam ad hunc locum faciũt.

SEV *voluit tangi parca lucerna mero.*] Huc referri posse videtur illud Meleagri Antholog. vii.

—— καὶ φιλάγρυπνον
Λύχνον ἐμῶν κώμων πολλὰ πιόντα μύρων.

IANVS DOVSA PATER.

HÆC *Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,*
Cùm toties absis, si potes esse meus.
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita dêerit,
Hæc erit è lacrymis facta litura meis.]

D Ex huius epistolæ principio facilè colligi potest primos duos versus deesse Ouidianæ illi, quam Canace fratri Macareo scribit. sic enim incipit:

SI qua tamen cæcis errabunt scripta lituris,
Oblitus à dominæ cæde libellus erit.
At mihi cùm noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.]

Sic Hero apud Ouidium Leandri vestes pro ipso Leandro osculari se scribit:

Quid referam quoties do vestibus oscula, quas tu
Hellespontiaca ponis iturus aqua?

TVM *queror in toto non sidere pallia lecto.*] E Hoc illud est, quod sibi quoque vsu aliquando venisse commemorat idem Ouidius illis versibus lib. i. Amorum:

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
Strata, neque in lecto pallia nostra sedent?

SEV *voluit tangi parca lucerna mero.*] Interpretatio huius moris ab Ouidianis exemplis petendã, vt:

——sic ad tua verba reuixi,
Vt solet infuso crescere flamma mero.

Item altero:

Ecce merum nutrix faustos instillat in ignes.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

TE *modo munito Sericus.*] Hæc eſt Beroaldi emendatio, quum editiones haberent, *Henricus hoſtis*, at noſter, *Beticus*. Quod quare mutemus? Omnes enim prouincias orbis Romani luſtraſſe militia ſua dicit.

ET *Tyria in gladios.*] Vocat gladios καπίχματα, & tracta lanea, à ſimilitudine.

QVOT *ſine aqua Parthus millia currat equus.*] Aut *eques* legendum eſt, vt intelligatur de tolerantia Parthorum in expeditionibus aut ſi *aqua* legimus, aliter interpretandum: Sane optima videtur lectio, ſi *eques* legamus. Intelligit enim ſicciſſimum eſſe Parthorum cælum, & tempore anni ſicco ipſorum equites multa milia percurrere. Dio de Parthis libro quadrageſimo: καὶ ὁ οὐρανὸς ὁ ὑπὲρ αὐτῶν ξηρότατός τε ὤν, καὶ ἰκμάδα οὐδὲ ἐλαχίστην ἔχων ἀνεκτοτέρας σφισὶ τὰς τοξείας, πλὴν τοῦ πάνυ χειμῶνος, παρέχεται. καὶ διὰ τοῦτο τὴν ὥραν ἐκείνην οὐδαμοῦ στρατεύονται. τὸ δὲ δὴ λοιπὸν ἔτος δυσμαχώτατοί ἔν τε τῇ σφετέρᾳ, καὶ ἐν τῇ ὁμοιοτρόπῳ εἰσί. τοῦτο γὰρ ἥλιον φλογωδέστατον ὄντα ἀνέχονται τῇ συνηθείᾳ, καὶ πρὸς ὀλιγότητα τῆς τε δυσχερείας ποτοῦ πολλὰ ἀλεξιφάρμακα ἀνευρήκασιν, ὥστε καὶ διὰ τοῦτο μὴ χαλεπῶς τοὺς εἰς τὴν χώραν αὐτῶν ἐσβάλλοντας ἀμύνεσθαι. Hæc mirifice mentem poëtæ aperiunt, ſi EQVES legamus. quod puto verum eſſe. Nam ſi EQVVS legamus, audiamus equiſones noſtros, qui dicunt nihil eſſe periculi equo exercito à ſiti, vt à fame. Aliter puto, ſi *equus* retinemus, interpretandum. hoc eſt: Quot millia equus Parthorum currat ſine ſtrigatione. hoc eſt, vt interquieſcat. Nam ſtrigāt, ſeu interquieſcunt equi in longis itineribus vrinæ emittendæ. veteres vero aquam honeſte pro vrina poſuerūt. Petronius: *Nec feſellit hoc Gnithona. Extra cellam proceſſit, tanquam aquam peteret.* Hoc eſt: tanquam veſicam exoneraret. Sic agaſones Germani, & Itali honeſte equos non vrinare, ſed ſtallare dicunt. Equorum fatigatio ex itinere egeſtione vrinæ leuatur: Contra equas inter currendum prohibemus ſtrigare meiendi cauſſa. Langueſcunt enim aquæ emiſſione. Sic vulgo honeſte Aquam vrinam dicimus. Et mirum, veteres dicebant ſumere ſe aquam, quando ibant ad ſeceſſum: Ouidius libro tertio Artis:

Scilicet obſtabit cuſtos, ne ſcribere poſſis,
Sumenda detur quum tibi tempus aquæ?

Id eſt, quum tibi detur tempus ad exonerandam veſicam. Et alibi:

Et tamen vlla viro mulier non expedit, inquit:
Quid niſi quam ſumis, dic mihi, perdis aquam?

Aperte vrinam intelligit, quanquam ibi vrina in eum ſenſum accipienda, in quem illud:

Auribus, atque oculis concepta vrina mouetur.

In Gloſſario vetuſto Latinoarabico: *Luxus: Aqua virile.* אלפבי vox Arabica Hebraico Charactere deſignata à nobis, ſignificat τὸν γόνον, τὴν γονὴν, τὸ σπέρμα. Itaque Aqua virilis αὐτὶ τοῦ ἀνδρείου γόνου. Vnde illud:

Dedecus hoc ſumpta diſsimulauit aqua.

quod non ignoro aliter ab aliis exponi. Hinc, quia proprie ſumere aquam, eſt in os aquam accipere, honeſte lotium dicitur: quia aqua in os colluendum ſumitur. Martialis:

Nonis loturas Daſius numerare. popoſcit
Mammoſam Spatalen. pro tribus illa dedit.

Hic ſimpliciter loturæ ſunt οὐρήσεις. ſed tralatitie pro eo, quod iam dixi: & quod non nominabo. Locus ille Martialis aliter, & vitioſe editus eſt.

GRAVCIDOS *& Catula.*] Lege, *Glaucidos.* ita vocat ab oculis. Glaucos oculos intelligit, quos Galli vulgo vocant Veronos. quales ſunt in plerisque catellis. Quin & multos catellos vidimus, qui altero rauo, altero glauco erant. Glautopides, qui vtroque glauco ſunt Græci vocant. Tales aues nocturnæ. Omnes enim vna appellatione γλαυκωπίδων comprehenduntur. Martialis:

Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus.

In qua lectione etiam in manuſcriptis exemplaribus menda inoleuit, vt pro *glaucopide, Lagopode* legatur. Atqui tria abſurda conſequantur, neceſſe eſt. Primum, lagopodem non eſſe auritam. Eſt enim lagopus, quam perdicem albam Inalpini vocant. Deinde prima ſyllaba corripitur. Poſtremo auis illa pulcherrima eſt. ideóque non videtur inter monſtra & deformia portenta naturæ annumeranda: quum tamen hoc agat Martialis, vt oſtendat monſtra placuiſſe illis viris, quos ordine recenſet. At contra glaucopis, ſeu bubo & aurita eſt, & ſane non inter venuſta illa animalia numeranda. Porro quam caræ fuerint illæ Catellæ veteribus feminis, oſtendit prouerbium, Μελιταῖον κυνίδιον, & inſcriptio vetus, in qua eſt, CVRATRICI CATELLÆ. vt videas etiam in miniſterio, aut famulitio id munus fuiſſe.

SEV *metuit tangi.*] A crepitu flammæ mero obrutæ omina captabant. quod omnino voluit Epigramma Græcum:

Ηδη φίλτατε λύχνε τρὶς ἔπταρες. ἦ τάχα τερπνὴν
Ες θαλάμους ἥξειν Αντιγόνην προλέγεις.
Εἰ γὰρ, ἄναξ, ὅτι τοῦτ' ἐνέπεις, θεὸς Απόλλων,
Θεῖος μάντις ἔσῃ καὶ σὺ παρ' ἐμοὶ τελέθει.

quæ plane hunc locum illuſtrant.

ILLA *dies hornis.*] Ait, niſi hæc occurrerint non eſſe locum ſacrificio. ſic boues alloquuntur imperatorem Antoninum. Te iubemus ſaluere imperator. ſed ſi vincis, omnino actum de nobis:

Οἱ βόες οἱ λευκοὶ μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν.
Ην [illegible] σὺ νικήσῃς, ἄμμες ἀπωλλύμεθα.

Quod epigrammation omnino explicant illa verba apud Senecam III. de Beneficiis: *Rufus vir ordinis ſenatorij inter cœnam optauerat, ne Cæſar ſaluus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat: & adiecerat idem omnes & tauros, & vitulos optare.* Hornus autem in epigrammate, vt alibi indicamus, eſt ἔνος. Annotinus, περυσινός. ab aduerbiis horno, & anno. Lucillius. *vtrum anno an horno te abſtineris à viro.* Varro Eumenidibus: *Quum in eo eſſem occupatus, atque in ſchola curarem inſcribi:* T. SCANTIVS HORNO PER DIONYSIA: *quod ea die mea erat præbitio, in ianua,* CAVE CANEM, *inſcribi iubeo.* Locum autem Varronis apud Nonium diuulſum

coniunximus. Prouerbium enim illud etiam apud Petronium legitur. *Non longe, inquit, ab ostiarij cella canis ingens catena vinctus in pariete erat pictus supérque quadrata litera scriptum:* CAVE CAVE CANEM.

ELEGIA IIII.

Tarpeium nemus, & Tarpeiæ turpe sepulcrum
Fabor, & antiqui limina capta Iouis.
Lucus erat felix, ederoso conditus antro;
Multa vbi natiuis obstrepit arbor aquis;
Siluani ramosa domus, quo dulcis ab æstu
Fistula poturas ire iubebat oues.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fidáque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis
Cùm quateret lento murmure saxa Iouis?
Atque vbi nunc terris dicuntur iura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes. vbi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deæ fontem libauit. at illi
Vrgebat medium fictilis vrna caput.
Et satis vna malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flammas fallere Vesta tuas?
Vidit arenosis Tatium proludere cãpis,
Pictáque per flauas arma leuare iubas.
Obstupuit regis facie, & regalibus armis;
Intérque oblitas excidit vrna manus.
Sæpe illa immeritæ caussata est omina Lunæ,
Et sibi tingẽdas dixit in amne comas:
A *Sæpe tulit blandis argentea lilia nymphis,*
Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dúmque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis;
Et sua Tarpeia residens ita fleuit ab arce
B *Vulnera, vicino non patienda Ioui:*
Ignes castrorum, & Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O vtinam ad vestros sedeam captiua penates,
Dum captiua mei cõspicer esse Tati.
Romani montes, & montibus addita Roma,
C *Et valeat probro Vesta pudenda meo.*
Ille equus ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextras collocat ipse iubas.
Quid mirum in patrios Scyllam sæuisse capillos?
Candidáque in sæuos inguina versa canes?
D *Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,*
Cùm patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausoniis crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco?
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes; E
Ignoscat: lacrymis spargitur ara meis.
Cras, vt rumor ait, tota pugnabitur vrbe.
Tu cape spinosi roscida terga iugi.
Lubrica tota via est, & perfida; quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.

O vtinam magicæ nossem cantamina musæ;
Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Si sim hospes patiare tua regina sub aula:
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minus, at raptæ ne sint impunè Sabinæ,
Me rape, & alterna lege repende vices,
Commissas acies ego possum soluere, nuptæ
Vos medium palla fœdus inite mea.
Adde Hymenæe modos, tubicen fera murmura conde.
Credite, vestra meus molliet arma torus.
Et iam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsáque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quæram.
Fac venias oculis vmbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno,
Nescia se furiis accubuisse nouis.
Nam Vesta Iliacæ felix tutela fauillæ
Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodoonta
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Vrbi festus erat dixere Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum conuiuia lusus in vrbe,
Cùm pagana madent fercula deliciis.

A *Cúmque super raros fœni flammantis aceruos*
Traiicit immundas ebria turba dapes.
Romulus excubias decreuit in ocia solui,
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata, conuenit hostem,
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.
B *Mons erat ascensu dubius, festóque remissus.*
Nec mora, vocales occupat ense canes.
Omnia præbebant somnos, sed Iuppiter vnus
Decreuit pœnis inuigilare tuis.
Prodiderat portæque fidem, patriámque iacentem:
C *Nubendíque petit, quem velit ipsa, diem.*
At Tatius (neque enim sceleri dedit hostis honorem)
Nube, ait, & regni scande cubile mei.
Dixit, & ingestis comitum superobruit armis.
Hæc virgo officiis dos erat apta tuis.
D *A duce Tarpeio mons est cognomen adeptus.*
O vigil, iniustæ præmia sortis habes.

PHILIPP. BEROALD. BON.

TARPEIVM *nemus.*] Sabini duce Tatio, ob raptas mulieres bellum Romanis intulerunt, quibus prodita est arx per virginem vestalem Tarpeiam Spurij Tarpeij filiam, qui Romæ præerat arci: nam Tatius virginem auro corrupit, vt armatos in arcem accipiat: accepti obruptam armis necauerunt. Memoriæ proditum est cum Sabini aureas armillas in brachio læuo, & gemmatos annulos gestarent pepigisse eã quod in sinistris manibus haberent. dubium clypeos petierit an armillas: illi vt fidem soluerent, vel vt fraudem vlciscerentur clypeis Tarpeiam obruerunt, & sua ipsam mercede peremerunt. A Tarpeia dictus est mons Tarpeius; quem antea montem Saturnium appellatum prodiderunt, & postea Capitolium nominauerunt. auctores Liuius, Dionysius, Florus, & Varro. In hac historia non scriptores omnes adamussim cõcordant.

ea nūc poëticè à poëta memoratur. Scribit Plutarchus in Romulo Similum poëtam delyrare, qui opinabatur Tarpeiam non Sabinis arcem prodidisse, sed Celtis, cum illorum regis amore flagraret. Propertius sentit Tarpeiam patefecisse arcem T. Tatio Sabino ob amorem, quem multis versibus luculente commemorat in principio Elegiæ. more poëtico proponit se cantaturum Tarpeiæ mortem, & quemadmodum arx Capitolina capta fuerit à Sabinis. Tarpeiæ effigies erat in æde Iouis, quæ ædes Sabinis semper patebat ex pacto, quod inter Tatium & Romulum fuit constitutum.

ANTIQVI *Iouis.*] scilicet capitolini. nam antea montem Saturnium appellauerunt, qui mox Tarpeius dictus est: postremo Capitolium dixerunt, quòd hic cum foderentur fundamenta ædis Iouis caput humanum dicitur fuisse inuentum.

TVRPE *sepulcrum.*] propter arcis proditionem.

CVRETIS.] à Curibus oppido Sabinorum: vnde Quirites dicti existimantur.

SAXA *Iouis.*] Capitolium: & alludit ad saxum Tarpeium, è quo sontes præcipitantur: quod à Virgil. dictum est,

—— Capitoli immobile saxum.

quamuis de termino illic intelligendum esse videatur.

TARPEIA *dea fontem libauit.*] diximus Tarpeiam virginem fuisse vestalem, quæ tunc forte aquam petitum iuerat ad sacra deæ Vestæ. idem Ouidius de Siluia vestali memorat,

Sacra lauaturas mane petebat aquas.

fontem intelligere possumus Iuturnæ, de quo supra iam dictum est.

FLAMMAS *tuas.*] Vesta nihil aliud est quàm ignis: vnde ait Ouidius:

Nec tu aliud Vestam quàm puram intellige flammam.

Et quidam autumant nihil aliud à vestalibus virginibus in æde Vestæ quàm inextinguibilem ignem asseruari: qui si forte fuerit extinctus nequaquam reparari fas erat ex hoc igne humanis manibus elaborato, sed accensa per fomites ex Sole flamma, purus & cælestis ignis eliciebatur. de quo lege Plutarchum in Numa, & Dionysium in secundo.

SÆPE *illa immerita.*] sensus est: Tarpeia sæpe ibat ad fontem desiderio visendi Tatij, cuius rei prætextu afferebat prodigia Lunæ, quæ aqua fontana dicebat esse expianda, cùm tamen re vera nullum dirum omen esset in Luna.

CAVSATA *est.*] pro eo dixit quod est causam attulit, & Lunam in causa fuisse prætendit tam frequentis aquationis. Causari enim significat causam rei gestæ afferre, & aliquando excusare: cùm id quod in causa fuit afferimus in excusationem. Cuius rei exempla multa referuntur à Laurentio Vallensi, qui scitè & perquam diligenter quid causari significaret expressit. In hāc sententiam est illud à Tibullo prolatum:

Aut ego sum causatus aues dant omina dira.

TINGENDAS *comas.*] qui expiari volebat, aqua pura caput in primis lustrabat. Iuuenalis:

A *Verticibus timidi caput abluit. ——*

& Persius:

—— Tiberino in flumine mergis
Mane caput bis térque. ——

& Ouidius: *ter caput irrorat.*

Possumus etiam ita intelligere, vt dicat poëta Tarpeiam finxisse se à Luna vexari: & iccirco se sæpius petere fontem, vt aqua scilicet fontana sanaretur. de hoc morbo intellexit Horatius illo versu:

Aut fanaticus error & iracunda Diana.

TATI.] regis Sabinorum adamati à Tarpeia, quę pro illius salute offerebat lilia nymphis fontanis, vt eum scilicet incolumen, intactúmque B seruarent à telis Romuleis.

SVA *vulnera.*] scilicet quæ sibi inter rubos & sentes confecerat: vel potius vulnera intellige amatoria, quæ impatibilia sunt.

IGNES *castrorum.*] verba Tarpeiæ amore hostis tabescentis, optantisque fieri captiuam, vt ita conspectu Tatij, quem deperibat, perfruatur.

PRÆTORIA *turma.*] hoc in loco prætoria significant tabernacula imperatoria: de qua dictione satis supra memoratum est. Turma autem est ordo militaris, & ter denos continet e- C quites. præfecti turmarum Decuriones nominantur auctor est Marcus Varro. scribunt Vegetius, & Modestus in turma equites esse XXXII.

ET *valeat.*] renunciat patriæ Romæ & diis patriis ob amorem Tatij, cuius mauult esse captiua, quàm Romæ libera.

PROBRO *meo.*] flagitio & dedecori. hoc enim in hoc loco significat probrum. aliquando accipitur pro ignominia & conuitio contumelioso. Liuius: *Occursat portis, ingerunt probra.* Vulpianus scribit probrum & opprobrium idem esse: cuius sententiam refellit Laurentius Vallensis.

IPSE *iubas.*] laus est Tatij: qui ritu militari D iubas equi suis ipse manibus disponeret. Laudatur à Plutarcho Atheas rex Scytarum, quòd equum pecteret & ornaret, qui olim interrogauit legatos Philippi nunquid hoc idem faceret Philippus. Dextras iubas apppellat poëta: quia, teste Virgilio, equorum generosorum

Densa iuba, & dextro iactata recumbit in armo.

& (vt inquit Varro) *iuba in equo sit crebra, subcrispa, sub tenuibus setis implicata in dexteriorem partem ceruicis.*

INGVINA *versa canes.*] more poëtico fabulas miscet, & quod de Scylla Phorci vulgatum est, ascribit Scyllæ Nisi, quæ in auem transmuta- E ta est, cùm altera Scylla conuersa fuerit in monstrum latrantibus canibus horrendum: & imitatus videtur Virgilium fabulas permiscentem illis versibus,

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama sequuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates. ——

FRATERNI *cornua monstri.*] ex affectione amoris ait Tarpeia non esse mirandum si Ariadna prodidit fratrem Minotaurum, cùm amore languens Theseo fila dedit: quibus rexit iter labyrintheum, & euasit ambages inexplicabiles: &

ita ab exemplo amoris infandi suam confirmat audaciam.

PALLADOS *ignes.*] pro Vestæ dictum est. nam res vna est, dij plures, vt inquit Augustinus: & aliquando Deus vnus, res plures. Pallas est summus æther, & (vt scribit Martianus Capella) flos est ignis, & flammātis circulus Æthræ. Vesta flamma est, & dea flammæ: idem est Pallas, ambæ virgines, ambæ incorruptæ. lege Augustinum pluribus verbis ostendentem vnum esse Deum & nomina plura. potest hoc etiam referri ad Troianum illud Palladium: quod, teste Plutarcho, residebat in templo Vestæ, & à Vestalibus virginibus custodiebatur vna cum æterno igne.

CANTAMINA *musæ.*] vtinam, inquit, essem perita carminum magicorum profecto vocibus meis & incantamentis auxilium ferrem formoso Tatio contra Romanos prælianti. tota est pathetica oratio.

TE *toga picta decet.*] vide amantis fœminæ furibundum ardorem, quæ hostem laudat cum sui regis vituperatione, quæ Tatium Romulo præponit: quæ à nutricatione ferini lactis mores in Romulo asperos & belluinos criminatur: Cum in moribus inolescendis magnam fere partem nutricis ingenium & natura lactis obtineat, & Macro. & Gellius luculente scripserunt. toga picta & palmata tunica habitus est vt in pace consulis, ita in victoria triumphantis, vt refert Ausonius in Panegyrico: & Liuius inter ornamenta triumphalia enumerat togam pictam, & tunicam palmatam libro x. & libro xxx. Pictas vestes iam apud Homericum fuisse animaduertit Plinius: vnde triumphales inquit natæ sunt.

REPENDE *vices.*] id est, par pari refer: & sicut Romani tuas, ô Tati, Sabinas rapuerunt, ita tu rape me Romanam. ex quo demonstratur vehementissimus in fœmina amoris affectus, quæ optat ab hoste rapi, dummodo sit apud amatorem.

COMMISSAS *acies.*] alludit ad Sabinas, quæ interuentu suo acies patrum & maritorum diremerunt.

PALLA.] veste fœminea. de qua Horatius:

—— *& circumdata palla.*

& Plautus:

Pallam ad Phrygionem fert confecto prandio.

HYMENÆE.] Hymenæum quidam Liberi & Veneris filium esse dicunt. Alij ex Vrania musa progenitū perhibent, qui primus certas nuptias instituerit, & ob huiusmodi meritum nuptialem vocem hanc factam apud Græcos, sicuti apud Romanos nuptiarum Deus Thalassio vocitabatur. Scribit Donatus Hymena esse membranam quandam, qua sit munita virginitas, quæ primo distumpitur coitu, & inde Hymenæum dictum putant. Alij autumant Hymenæum esse proprie hymnum virginalium nuptiarum.

QVARTA *buccina.*] nox in quatuor vigilias diuiditur, quæ singulæ trium horarum spatio supputantur, vt docet Hieronymus in expositione psalmorum: & vigiles secundi primis, & secundis tertij: tertiisque nouissimi in statione succedebant dato signo à tubicine, vt tradit Vegetius. vnde Lucanus volens tempus demonstrare nocturnum, & iam primæ vigiliæ excubitoribus secundos vigiles successuros dixit:

Tertia iam vigiles commouerat hora secundos.

Ait nunc Tarpeia quartam Buccinam dedisse signa quartæ vigiliæ, quæ est noctis pars nouissima. inde leges frequenter apud historicos de quarta vigilia, & reliquis vigiliis crebram fieri mentionem: & Plinius de Gallis gallinaceis loquens ait: *Quartam castrensi vigilia ad curas labor cinque reuocant.* Primus Palamedes in Troiano bello inuenit signi dationem tesseras, castrensésque vigilias.

SOMNIA *quæram.*] fit sæpe vt aliquid in somno tale videamus, quale vigilantes cogitamus. Iuxta illud Claudiani:

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno:
Tempore nocturno reddit amica quies.

Ait Tarpeia se quæsituram somnia, quæ Tatium amatorem sibi repræsententur.

NEFARIIS.] absolute dictum pro flagitiis. Nefarium enim est quod sacra polluit, farre pio solita celebrari. ergo nefarij sacrilegi dicuntur, vt auctor est Asconius: nomen à farre deductum, quo scelerati vti non debeant: & inde qui indigni sunt qui viuant, nefarij vocantur, vt docet Varro.

ILIACÆ *familiæ.*] ignem & sacra Vestæ Æneam ex Ilio in Italiam deportasse notissimum est vel illo carmine Maroniano:

Aeternúmque aditis effert penetralibus ignem.

& testis est Dionysius in secūdo: Albæ templum fuit Vestæ. Ab Alba Romam translatæ sunt vestales cerimoniæ per Romulum, vt quidam autumant, siue per Numam, vt vulgatior fama est, vt luculenti scriptores affirmant. hinc sacerdotium Vestæ dixit Liuius Alba esse oriundum. Poëtæ propter Æneam Troianum à quo Vestæ sacra translata fuerunt, ignem illum vestalem Iliacum & Troicum appellant. Papinius: *Vigilet face Troicus ignis.* à Sillio Laomedonteæ flammæ nominantur.

ILLA *ruit.*] impetu & amore furibunda rapiebatur virgo Tarpeia, qualis baccha ferri solet scissa veste Bacchico furore perculsa ad Strymona fluuiū Thraciæ, & iuxta Thermodoonta. hoc magis placet quàm de Amazone fœmina esse intelligendum. Dictum est supra de Thermodoonte fluuio & Amazonibus.

STRYMONIS.] baccha. patronymicum est à Strymone fluuio formatum.

HIC *primus.*] Palilibus, de quibus supra meminimus. Romā condidit Romulus, quod poëtę, historicique commemorant. Erat, inquit, dies Paliliorum quo lusus & conuiuia generalia Romæ celebrabantur, & custodiæ minus diligenter agebantur. hanc occasionem nacta Tarpeia prodidit arcem Sabinis.

PAGANA *ferens.*] rustici qui Pagani dicūtur, propterea quòd pagatim habitant, celebrantes Palilia transiliebant per aceruos fœni, stipulæq; flagrantes, & lacte ac dapibus Palem deam venerabantur, vt scribit Ouidius in Fastis.

DIVITIIS.] quidam codices habent delitiis.

ROMVLVS *excubias.*] Tarpeia diem festum ad agendam audendámque arcis proditionem existimauit idoneum; quoniam Romulus excubias, vigiliásque bellicas propter festiuitatem paulum remiserat. Nec tubæ signi datio ad vigilias distinguendas dabatur. excubiæ dicuntur diurnæ, & nocturnæ vigiliæ.

FESTOQVE *remissus.*] propter diem festum atque Palilia solutus à custodia erat mons Capitolinus.

IVPPITER.] scilicet Capitolinus inuigilauit ad pœnas de Tarpeia proditrice sumendas.

SCELERI.] proditioni. Proditores enim tantisper probantur donec proditionem perfecerint: deinde exploduntur & eiiciuntur. inuisi, infestique sunt, sicut docet Demosthenes in oratione pro Ctesiphonte. Hinc Lasthenes qui Philippo prodidit Olinthum; & Timolaus, qui Thebas, amici Philippi vocabantur quoad voti compos factus est. Postea ab eodem expulsi & summis incommodis affecti fuerunt. Augustus quoque dicere solebat se amare proditionem, sed non laudare proditorem: & olim Sylla de saxo deiecit seruum Sulpitij domini proditorē, cùm tamen ille dominum prodidisset, vt Syllæ gratificaretur. Cuius rei Liuius & Plutarchus meminerunt. Ita nunc Tatius, vt ostenderet nihil vsquam fidum esse proditori, Tarpeiam congestis armis obrutam interemit: tali me hercule supplicio dignissimam: & ita nullum honorem dedit tanto sceleri quantum proditio est.

HÆC *dos.*] insultat Propertius Tarpeiæ dicens eius officio talem dotem fuisse aptissimam, vt scilicet armis ingestis obrueretur: talia enim præmia sunt proditoribus rependenda.

IANVS DOVSA PATER.

PALLADOS *exstinctos si quis mirabitur ignes,*
Ignoscat: lacrymis spargitur ara meis.]

Multos incertos certare hāc rem vidimus, quid sibi Propertius velit hoc loco. Quid enim Palladi cum Vesta? inquiunt. qui sciant velim id ipsum ex vltimæ antiquitatis penu depromtum esse. quod vt aliquando perspicuè planum ac clarum fiat, locum quendam Ouidianum adferemus, vbi de Palladis simulachro siue Palladio agitur, quod Romæ in templo Vestæ asseruari, inque eius tutela esse scribit. Vnde quid de Propertianæ lectionis veritate in posterum statuendum sit, vel cæco, Vestale igne clarius, patiturum confidimus. Sic itaque Poëta iste Pelignus lib. Fastor. v.

Creditur armiferæ signum cæleste Mineruæ
Vrbis in Iliaca desiluisse iugo,

Fortè *iugum* vel *iuga.*

(Cura videre fuit: vidi templúmque locúmque:
Hoc superest illic; Pallada Roma tenet)
Consulitur Smintheus; lucóque obscurus opaco
Hos non mentito reddidit ore sonos:
Aethere am seruare Deam, seruabitis vrbem.
Imperium secum transferet illa loci.
Seruat, & inclusam summa tenet Ilus in arce:
Curáque ad heredem Laomedonta venit,
Sub Priamo seruata parum: sic ipsa volebat,
Ex quo iudicio forma reuicta tua est.
Seu genus Adrasti, seu furtis aptus Vlysses,
Seu pius Aeneas eripuisse ferunt.
Auctor in incerto est, res est Romana: tuetur
Vesta, quod assiduo lumine cuncta videt.

Vides hîc signum Palladis ab æterno omnituente & peruigili Vestæ lumine, in vrbe Æterna, tāquam ab æditua sedulo custodiri asseruarique, metuente scilicet ne quis secundus Vlixes forte obrepat, qui doctis dolis fatalis se thesauro interuortat denuo. Idem libro III. Tristium confirmatur aliquanto clarius:

Hic locus est Vestæ, qui Pallada seruat & ignem.

Sed & *Palladios focos* vocitat Prudentius lib. II. in Symmachum. est enim ignis ille Vestæ æternus, vel teste Seruio lib. IV. Æneid. *in templo Iouis qui æther est, & Mineruæ quæ supra ætherem est. vnde de patris capite procreata dicitur.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

DVM *captiua mei conspicer.*] ἐνάλλαγμός. hoc est, dum me conspicer esse captiuam. Supra:

Visura & quamuis nunquam speraret Achillem.

Catullus:

Ait fuisse nauium celerrimus.

O vtinam magicæ nossem cantamina Musæ.] Imp. Constantius Cod. Theod. de malif. mathem. *magicis cantaminibus adsuetus.*

SIC *hospes patiare.*] Varie cruciarunt hunc locum βιβλιομάστιγες isti. Sed germana lectio est in nostro:

Sic hospes pariámne tua regina sub aula.

Vtrum apud te futura sim, hospes an regina, hoc est, concubina an materfamilias.

NESCIA *nefariis.*] Lege, *ne furiis.* duæ negationes vnius vicem. Hoc superius exemplis confirmauimus. Terentius:

Faciunt, ne intelligendo vt nihil intelligant.

STRYMONIS.] Quomodo Strymonis prope Thermodoontem? An ibi Thermodoon vbi & Strymon? Itáne Amazon dicetur Strymonis? Abscissum sinum, mammam intelligit. Vnde Titianus vnimammas vocauit, referente Seruio.

OMNIA *præbebant somnos.*] Versus sunt Varronis Atacini ex Argonauticis, quæ ad verbum vertebat ex Apollonio:

Desierant latrare canes, vrbésque silebant.
Omnia noctis erant placida composta quiete.

quæ poëta Græcus antea dixerat libro III.

Οὐδὲ κυνῶν ὑλακὴ ἔτ᾽ ἀνὰ πτόλιν,
Οὐ θρόος ἦεν
Ἠχήεις. σιγὴ δὲ μελαινομένην ἔχεν ὄρφνην.

Ouidius dicebat meliorem fieri sententiam, si posterioris versus prius membrum abscinderetur ita: *omnia noctis erant.* Cui sane valde simile hoc Propertianum:

Omnia præbebant somnos.

Sed si melior fieret sententia, non tamen ad mentem Apollonij.

ELEGIA V.

Terra tuum spinis obducat Lena sepulcrum;
Et tua, quod non vis sentiat vmbra sitim;
Nec sedeant cineri manes; & Cerberus vltor
Turpia ieiuno terreat ossa sono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro pessima semper auis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
Nubere lasciuo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis esse nouerca suis.
Quippe & collinas ad fossam mouerit herbas,
Stantia currenti diluerentur aqua:
Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et sua nocturno fallere terga lupo.
Possit & intentos astu cæcare maritos.
Cornicum immeritas eruit vngue genas,
Consuluitque stryges nostro de sanguine, & in me
Hippomanes fœtæ semina legit equæ.
Exornabat opus verbis, seu blanda perurat,
Saxosamq; terat sedula culpa viam.
Si te Eoa Dorixamum iuuat aurea ripa,
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua,
Eurypylique placet Coæ textura Mineruæ,
Sectáque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
Murrheáque in Parthis pocula cocta focis:
A *Sperne fidem, prouolue deos mendacia vincant.*
Frange & damnosæ iura pudicitiæ.
Et simulare virum, pretium facit. vtere caussis:
Maior dilata nocte recurret amor.
Si tibi fortè comas vexauerit vtilis ira,
Post modò mercata pace premendus erit.
B *Denique vbi amplexu Venerem promiseris empto:*
Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle
Natalem Maiis idibus esse tuum.
Supplex ille sedet posita tu scribe cathedra.
C *Quidlibet, has artes si pauet ille, tenes.*
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Non te Medeæ delectent probra sequacis,
Nempe tulit fastus ausa rogare prior;
D *Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,*
Cùm ferit astutos comica mœcha Getas.
In mores te verte viri. si cantica iactat,
I comes, & voces ebria iunge tuas.
Ianitor ad dantes vigiles: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet vsque seram.
E *Nec tibi displiceat miles, non factus amori;*
Nauta nec, attrita si ferat æra manu;
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,
Cælati medio cum saliere foro.
Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis, quid nisi verba feres?

Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Ipsius tibi sit surda sine ære lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Vtere, ne quis eat liber amore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino cocta iacere noto.
His animos nostræ dum versat Acanthis amica,
* * *
Sed cape torquatæ Venus ô regina columbæ
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tußim concrescere collo,
Sputáque per dentes ire cruenta cauos,
Atque animam in tegetes putrem expirare paternas.
Horruit algenti pergula curta foco.
Exequiæ fuerint rari furtiua capilli
Vincula, & immundo pallida mitra situ,
Et canis nostros nimis experrecta dolores,
Cùm fallenda meo pollice clathra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
Vrgeat hunc supra vis caprifice tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistaq; cum saxis adiice verba mala.

PHILIPP. BEROALD. BON.

TERRA *tuum spinis.*] execratio est in lenam, cuius lenocinium ad puellas corrumpendas exequitur: hæc autem Acanthis nominabatur.

OBDVCAT.] tegat. Virgilius:

Palus obducat pascua iunco.——

VMBRA *siti.*] dira imprecatio qua optat, vt vmbra defunctæ lenæ etiam apud inferos sitiat, quod tormentum graue est bibulis hominibus. apud Plautum lena est quæ appellatur Merobiba & Multibiba, quæ sitim inter tormenta enumerat.

NEC *sedeant.*] id est, diu errabundi sint manes lenæ.

A PESSIMA *auis.*] pessimum auspicium: in aliis codicibus legitur Anus, quæ lectio magis placet: ferme enim omnes vetulæ sunt, vt apud Ouidium & Plautum cognoscere licet.

COGERET *Antinoo.*] Antinous vnus ex procis fuit Penelopes Homericis carminibus satis notus, quem primum Vlysses domum reuersus poculum in manu tenentem sagitta confixit in gutture: ex quo moribundus calcibus mensam deiecit, & sanguine cuncta fœdauit.

MAGNES *non ducere ferrum.*] ostendit lenæ potentiam, quam dicit suis veneficiis posse superare ipsam rerum naturam, & efficere ne magnes B ferrum trahere possit: cùm naturaliter ferrum à magnete lapide trahatur, quē ideo Græci vocant magneta: *Magnetem quia sit patriis in finibus ortus:* inquit Lucretius. Existimat Plinius ab inuentore appellatum esse magnetem. Inuenisse autem fertur clauis crepidarum adhærentibus cum armenta pasceret. Quinque sunt genera magnetis. Compertum est tanto meliores esse quanto sunt magis cærulei. Æthiopicis laus summe datur, qui magnetem quoque alium ad se trahunt. adamas dissidet cum magnete in tātum, vt iuxta positum ferrum abstrahi non patiatur. Narrat August. rem memoratu dignam in XXI de ci. dei, Vidisse se à magnete rapi annulum ferreum atq; C suspendi, qui admotus alteri annulo eum suspēdit, atq; ille prior lapidi, sic alter annulus priori annulo cohærebat: accessit ille eodē modo annulus tertius, accessit & quartus: & ita quasi cathena pependit annulorum. Plato quoq; in libello de furore poetico, *Magnes*, inquit, *non solum ferreos annulos trahit, sed vim etiam annulis ipsis infundit, quæ hoc idem efficere possint, ac perinde vt lapis annulos alios trahere.* Lucretius:

Hunc homines lapidem mirantur, quippe cathenam
Sæpe ex annellis reddit pendentibus ex se.

Dinocrates Architectus templum concamerare inchoauerat de magnete lapide, vt in eo simula- D chrum è ferro pendere in aëre videretur: intercessit mors quæ opus interrupit.

NIDIS *nouer.*] efficiet, inquit, lena suis veneficiis, vt aues instar nouercarum sint suis pullis adhuc implumibus, & eos odio nouercali persequātur.

COLLINAS *herbas.*] non dicuntur herbæ collinæ in hoc loco à porta Collina, sed à collibus. & est sensus: Tantam esse pollentiam & vim lenæ, vt possit fontes & flumina inducere herbis mōtanis. Collinæ, vt auctor est Columella, afferunt vina iucundiora.

E STANTIA *diluerentur.*] natura rerum mutaretur, & solida terra in aquam conuerteretur, & dura liquescerent.

LEGES *imp. Lunæ.*] Susurramine magico Lunā deduci, Lunam despumari, Lunæ leges imponi, testes sunt poëtæ omnes, & à Plinio, Apuleióque memoratū. Cātatam appellat cātamētis subactā.

FAELERE *terga lupo.*] significat lenam fuisse versipellem. Vulgo enim infixa opinio est, homines in lupos verti, rursúsq; restitui sibi. & Demenetus olim in lupum se conuertit, qui decimo anno pristinæ formæ restitutus in pugillatu se exercuit: & victor ex victoria olympiaca reuersus est. Hinc homines se commutantes voca-

mus versipelles. vnde est illud Plautinum:

Versipellem se facit quando lubet.

Et in maledictis versipelles habebantur. Lege Plinium in octauo, & Augustinum in XVIII.

CORNICVM *genas.*] non existimo hoc simpliciter esse dictum à poëta, sed ad vetus prouerbium alludere, quod est cornicum oculos configere: quo Cicero, Hieronymus, & Macrobius vsi sunt: quo significamus astutissimum, doctissimum, prudentissimum fuisse à callido, solertiq; veteratore illusum, circunscriptum, superatum. De genis quæ sunt oculorum tegumenta supra dictum est. Non placet sic ordinare, vt dicat lenam vngue cornicum genas, hoc est palpebras oculorum, effodere. Eruditior est prima sententia & verior.

B

CONSVLVITQVE *striges.*] superius diximus de strigibus, quę vbera infantium labris immulgere dicuntur: quarum formam describit Ouidius in Fastis: quibus ad veneficia vtebantur sagæ, quas consuluere dicuntur quando ex illis explorant quid fato opus sit. nunc ait poëta lenam adhibuisse striges in consultationem amatoriæ disciplinæ, & quasi consilium petiisse de suo sanguine, & contra ipsum collegisse hippomanes caballinũ. Est autem hippomanes caruncula in fronte pulli equini caricæ magnitudine, colore nigro: quod statim edito partu deuorat fœta: aut partum ad vbera non admittit si quis præripiat: auctores Plin. & Solin. hoc vtebantur ad amoris veneficium: vnde ait Virgi.

C

Quæritur & nascentis equi de fronte reuulsus:
Et matri præreptus amor. ——

hoc Apuleius eleganti vocabulo appellat hinnientum dulcedines. de hoc intellexit Iuuenalis:

Cui totam tremuli frontem æsonia pulli
Infudit. ——

D

Est & hippomanes humor defluens ex genitalibus equarum: cuius Virgilius & Tibullus meminerunt, de quo loquitur Aristot. in VI. de animalibus: Est etiam hippomanes herba, quam comedentes equi furiis agitantur: cuius mentio fit apud Hesiodum.

SAXOSAMQVE *ferat.*] corrigendum est terat, vt sit sensus, blandiloquis verbis lenæ mentes puellarum exorari, vt via saxosa sedulitate conteritur.

SI *te Eoa iuuat.*] verba sunt lenæ ad Cynthiam vel alteram puellam didascalica, & artem leno niam continentia. sensus est: Si auro & vnionibus, si vestibus Cois & Attalicis, si poculis pretiosis delectaris, esto perfida, periura, & mendax.

E

DERORANTEM.] hoc est capiti auri roramenta respargentem: quo magis coma illuminata flauescat: quod non solum mulieres curiosæ decoris factitabant, sed etiam viri. Inde legimus apud Iulium Capitolinum à Vero Antonio habitam esse hanc curam flauentium capillorum. Quidam codices habent Dorozantum: vt dicat lena, Si iuuat te ô puella ripa aurea Dorozantum: hoc est si auro delectaris, quod defert fluuius Dorozantum populorum, spernenda est fides & dij floccipendendi: quasi dicat, Auri & gemmarum, diuitiarúmque habendarum causa omne fas abrumpendum. sunt au-

A

tem Dorozantes Indiæ populi, vbi aurum flumina vehunt, vt auctor est Curtius.

CONCHA *superbit.*] margaritas intelligit, quæ nascuntur in conchis, vt supra docuimus. vel intelligit de muricibus & purpuris quæ conchæ sunt, ex quarum sanguine lanæ inficiuntur: & tyrio colori palma dabatur. de quo supra satis ac super.

EVRYPILIQVE.] dictum est in primo commentario affatim de Coa veste, quam nunc Eurypili appellat: quoniam Eurypilus imperium habuit in Coa insula & Calydnis, vt scribit Strabo in decimo. vnde ait Homerus:

Eurypilique vrbem condit, æquoreásque Calydnas.

Scribit idem Strabo in decimotertio: Eurypilum Telephi filium, quem in bello Troiano interfectum fuisse à Neoptolemo testis est versus Homericus, imperasse in locis Caico proximis.

COÆ *Mineruæ.*] Minerua dea est artium multarum, & in primis textoriæ, vt antea diximus: & similiter de Attalicis superius memoratum est.

SIGNA *putria.*] intellige intextas auro effigies in Attalicis, quæ ob vetustatem putrescere videntur, vt sit commendatio ab ætate.

VENALIA *Thebæ.*] Ægyptiæ Thebæ, quæ hortos pensiles habent, quæ centum portis inclytæ sunt, quæ carminibus Homericis, historicorúmque monumentis celebrantur, palmis optimis sunt copiosæ: vnde & palmiferæ nunc cognominantur: quarum fructus Thebaides & Thebaicæ dicuntur à Plinio in XII. & in XXIII. de quibus intelligendum est apud Papinium illo versu:

Chartæ Thebaicæve, Caricæve: ——

quem locum interpres siluarum perperam interpretatur. scribit Solinus Ægyptiam palmam hac peculiari dote esse decoratam, vt sitim sedet. vnde & adypsos Græcè est nominata. venalia autem ex Ægypto multa Romam deferebantur. Ego existimo in hoc loco à poëta significari vnguenta, quibus cõficiendis Ægyptus omnium accommodatissima est, vt scribit Plinius: & Mendesium, Meropiúmque vnguenta in Ægypto laudatissima fuerunt. Potes etiam intelligere venalia vasa crystallina, quæ ex Ægypto deferebantur. vnde dixit Martialis:

Cum tua Niliacus portet crystalla catastlus.

MVRRHEA *pocula.*] Murrhina vasa significat, ex murrha confecta. Est autem murrha gemma quam oriens mittit, quæ inuenitur in pluribus locis Parthici regni. Primus Pompeius sex pocula murrhina ex triumpho Mithridatico Ioui capitolino dicauit. Petronius moriturus trullam murrhinam CCC. sestertiis emptam fregit. auctor Plinius. De murrhinis poculis intellexit Lucanus illo versu:

—— *non auro murrháque bibunt.*

De eisdem ait Iuuenalis:

Maxima rursus murrhina.

Est quædam murrhinis in odore commendatio, ad quod allusit Martialis sic scribens in distico, cuius lemma est murrhina:

Si calidum potas ardenti murrha falerno:
Conuenit, & melior fit sapor inde mero.

DAMNOSÆ *pudicitiæ.*] epitheton ex causa. Erit enim, inquit, lena tibi cum damno & egestate pudicitia, cum commodo autem & opibus adulteria.

PRETIVM *facit.*] sensus est: Fingere quòd alterum amatorem habeas domi, hoc tibi erit quæstuosissimum. vel hoc ait: Tibi erit lucrosum fingere apud amantem, quòd domi est maritus tuus, & ideo ipsum admitti non posse. hoc enim amatorem magis incendit, & tunc largius dabit. Horatius:

Illam post paulo sed pluris si exierit vir.

DILATA *nocte.*] in hanc sententiam loquitur lena apud Ouidium,

Sæpe nega noctem, capitis modo finge dolorem.

PVROS *sideris esse dies.*] menda est in versu, qui, vt opinor, sic est emendandus, vt loco sideris legas Isidis: & est sensus venustissimus. Præcipiens enim lena amantem esse omnibus modis torquendum atque emungendum, monet puellam vt simulet instare sacra Isidis solemnia, quibus diebus puellæ à viris secubabant: id quod supra docuimus: vnde dies accommodato epitheto puros appellat, quasi castos & pudicos, & quibus nefas sit propter Isidis religionem exercere veneria, & hunc esse existimo verum poëtæ versum & sensum, cui astipulatur illud Ouidij:

Et modo quæ causas præbeat Isis erit.

INGERAT *Apriles Iole tibi.*] docet lena artes, quibus puella ab amatoribus munera solerter extorqueat. facito, inquit, vt Iole & Amicle, quæ sunt nomina ancillarum sæpius ingerant tibi & recolant calendas Apriles, & idus Maias esse natalem tuum, quibus munera mitti solebant. vnde ait Maro:

Munera mitte mihi, meus est natalis Iola.

& huius rei meminerunt sæpe Martialis & Ouidius. & miror à poëta præteritas esse in hoc loco Martias calendas, quæ Saturnalia mulierum appellat Martialis. quoniam munera illo die puellis missitabantur: cuius rei frequens est mentio apud priscos scriptores, & à Iuuenale calendæ fœmineæ appellantur illo versu:

Munera fœmineis tractas secreta calendis.

POSITA *cathedra.*] fœmineam cathedram intelligit: de quibus Martialis:

Inter fœmineas tota qui luce cathedras.

& Horatius:

Discipularum inter iubeo plorare cathedras.

& Calphurnius in Bucolico ludicro:

Inter fœmineas spectabat turba cathedras.

inde Seneca philosophos effœminatos cathedrarios eleganter appellat.

TENES.] id est, habes amatorem mancipatum & tibi obnoxium.

MORSVS.] liuores intelligit quos mordicus impresserit alter amator. Simillima est Nasonis illa sententia:

Ille viri videat toto vestigia lecto:
Factáque lasciuis liuida colla notis.

MEDEÆ *probra.*] noli, inquit, conuitia & maledicta probrosa dicere in amatorem, quibus vsa est in Iasone Medea, vt apud Senecam tragicum scriptum est, sed potius adhibe blandiloqua verba, quibus Thais à Menandro descripta vtebatur ad seruos amatorum mitigandos. vel hoc potius dicit: Noli tu prior rogare amatorem, sicut fecit Medea, quæ prima Iasonis amore succensa, vt nota est fabula: vnde metuit deinde à Iasone per quendam quasi fastum repudiari, quando ille Medea repulsa duxit vxorem Creusam filiam Creontis regis Corinthiorum.

SEQVACIS.] quæ secuta est Iasonem. alias persecutricis, vt exposuit Seruius illud Virgilianum:

—— Maleaque sequacibus vndis.

THAIS *pretiosa.*] de Thaide supra dictum est, quam pretiosam appellat, quia grande pretium exigebat ab amatoribus. Quidam codices habent prædosa. quasi plena prædæ amatoriæ: quod non displicet.

COMICA *mœcha.*] meretrix dicitur comica, quæ à comicis poëtis effingitur, qui personas rebus competentes accommodant, qui faciunt meretrices procaces & illudentes, lenones periuros, seruos callidos, amatores feruidos, parasitos edaces, patres tenaces, sodales opitulatores, milites gloriabundos.

ASTVTOS *Getas.*] Geta & Dauus nomina sunt seruilia: nam seruos prisci à populorum nominibus vocitabant, à quibus vectabantur, vt Lydum & Syrum, & cum Athenas mancipia venalia deportarentur ex Getis, Dacisque, qui olim Daui vocati sunt, seruos appellabant Getas & Dauos vt docet Strabo in VII. & hinc poëtæ comici seruos frequenter his vocitant nominibus.

OBDVCTAM.] clausam.

MILES *non factus amori.*] nullum reiicias, inquit, qui pretium attulerit, etiam si nauta erit, si miles alienus à rebus amatoriis. Aristoteles tamen scribit in secundo politicorum militares homines ferme omnes esse obnoxios mulieribus: vnde non irrationabiliter fabulati sunt Venerem Marti esse coniunctam, quoniam id genus hominum pronum est ad veneria.

ATTRITA.] scilicet exercitatione seruili, quales sunt manus operariorum callosæ & ferramentis attritæ: & ita docet lucrum etiam ex sordidissimis hominibus esse expetendum, iuxta illud Iuuenalis:

Lucri bonus est odor ex re qualibet.

AVT *quorum titulus.*] nec displiceant, inquit tibi gladiatores barbarici, qui in collo titulum gestant, & in foro tecti galea digladiantur, vt exponas cælati pro eo quod est sub galea occultati: vel, quod verius est, significantur serui stigmatici & fronte notati, qui virgis ob maleficia in medio foro cæsi saliebant: quod supplicij genus dicimus scopare: quo verbo vsus est Hieronymus in interpretatione Isaiæ dicens: *Scopabo Babylonem in scopa terrens dicit dominus exercituum.* scribit Liuius quòd quidam paterfamiliæ seruum sub furca cæsum medio egit circo ante cõmissum spectaculum. & ita cælati dicuntur inscripti fronte & cauterio notati. In hanc sententiam est illud Nasonis:

Nec tu si quis erit capitis mercede redemptus:

Despice gypsati nomen inane pedis.

VERSIBVS *auditis.*] hoc propter Propertium dicit lena, qui versus pro pretio more poëtarum dabat amicæ.

DVM *rugis integer.*] sanguis dicitur integer in iuuene, qui in sene diminuitur, vt inquit Aristote. vnde ait Plautus in mercatore:

Adulescens cum sis, tunc cum est sanguis integer.

& dixit Maro:

Vos ò quibus integer æui Sanguis ait.

Tunc integri sumus & immunes à rugis, quæ corpore senescente proueniunt. vnde senes rugosos appellat Lucilius illo versu:

Rugosi passique senes eadem omnia quærunt.

ROSARIA *Pæsti.*] Pæstum oppidum est Lucaniæ à Græcis Possidonia appellatum, rosetis inclytum. vnde rosæ Pæstanæ laudantur. Virgil.

—— biferique rosaria Pæsti.

Martialis:

Pæstanis rubeant æmula labra rosis.

Plinius celeberrimam dicit esse rosam Prænestinam atque Campanam.

COCTA *iacere.*] putria, flaccidáque marcescere, iuxta illud Virgilij:

Et dum nascuntur consenuisse rosas.

inquit lena:

Exercere formam, & fugientibus vtere donis.

Et minor esto æuum sic properare tuum.

ACANTIS.] nomen est lenæ in hoc loco, alibi nomen auiculæ: quæ, testibus Probo & Seruio, dicta est Latinè carduelis à carduo. de qua Calphur.

—— vt vincat acanthida cornix.

& Maro:

—— resonant & acanthida dumi.

acantha Græcè spinam significat: vnde non inscite nomen hoc lenæ accommodatum est, vt apud Ouid. à siti lena Dipsas nominatur.

SED *cape tor.*] poëta cum videret lenam tussi confectam animam expiare in vilissimis tegetibus, Veneri ob hoc beneficium sacrificat columbam quam torquatam appellat à torque quo columborum colla distinguuntur, &, vt scribit Albertus magnus, columba auri splendorem in pennis colli sui intuens oblectatur. Martialis:

Inguina torquati tardant, hebetántque palumbi.

TEGETES *paternas.*] quidam codices habent patentes, vt ostendat egentissimam fuisse lenam, quæ in tegetibus vndique apertis & rimosis animam expirasset.

ALGENTI *foco.*] antitheton est decentissimum. foco enim qui calidus esse solet opposuit algenti, vt scilicet expressius lenæ mendicitatem demonstraret, cuius focus algebat, nec vllo igniculo calescebat: vnde verbo accommodatissimo vsus est Horruit: cùm horror sit frigus, quo totum corpus intremiscit. Quid si legas Horrui, &, vt sint duæ dictiones, & hoc ad poëtam referatur, qui dicit se horruisse visis poculis in algenti lenæ foco.

PERGVLA *curta.*] id est, mutilata & fracta. ita Martialis:

Nec curtus Chiones, Antiopésve calix.

quid si legas Pertica curta. vt sit sensus: Pro ligno repositam fuisse super lenę foculo perticam, nec eam quidem integram, quæ nō calorem faceret, sed horrorem. vtraque lectione significatur lena mendicissima & egentissima.

EXEQVIÆ.] pompam funebrem lenæ describit. in qua nihil fuit preter vittam & mitram situ vetustescentem, & caniculam ipsi poëtæ infestissimam. supra dictum est quemadmodum imagines cereæ comitabantur funera gentilia: nunc lena imaginum habet præscriptam pompam.

CVLTRA *forent.*] nullus est sensus, & nulla latinitas, si cultra legamus. nos emendauimus clatra. Sunt autem clatra, siue clatri (vtrumque enim dicitur) ligna, quibus transuersis aliquid munimus, sepimúsve vt fenestras, quàm ob id clatratæ nominantur. Et clatrare verbum est quod significat clatris claudere, quo Columella & Plautus vtuntur. sensus poëtæ est: In exequiis mendicissimæ lenæ erat canicula quæ ad amicam euntem me semper allatrabat, cùm clatra essent clanculum meis manibus insertis discludenda. possumus legere Claustra: & erit sensus apertior. prima lectio venustior est & verbis inuersis accommodatior.

SIT *tumulus amphora.*] imprecatur poëta vt cineres lenæ sepeliantur in amphora, quæ sit curto, hoc est mutilato collo. & cum amphora sit vas vinarium, & cùm supra lenam bibosam esse significauerit, decenter optat vt amphora illi sit pro sepulchro.

VIS *caprifice tua.*] caprificos solitas enasci in saxis & sepulchra discutere testes sunt Iuuenal.

—ad quæ Discutienda valent sterilis mala robora ficus.

& Martialis:

Marmora Messalæ findit caprificus. ——

Ficetis caprificus miscetur: quoniam ex ea culices generantur. qui, teste Plinio, aperientes ora ficorum immittunt auras cereales, & inducunt succum mitiorem. caprificationem vero vocamus remedium arborum, cùm corticem astrictū plus iusto crebris incisuris diducimus ac laxamus: & cicatrices ita dilatatæ salutares sunt. & apud Plinium titulus est de caprificatione. nescio tamen an ita sit legendum. nam si audendum esset corrigerem de scarificatione. & vbi ait: Caprificatio quædam in remediis, legerem scarificatio. incisuris enim diuidere corticem, & laxare cutem arborum scarificatio magis est quàm caprificatio: & scarificare quiddam simile significat. Optat poëta vt caprificus supra tumulum lenæ nascatur, & illum suaui, suáque pollentia premat.

QVISQVIS *amas.*] hortatur amatores ad percutiendum lenæ bustum, hoc est sepulturam, & diras imprecationes faciendas.

IANVS DOVSA FIL.

CONCORDIQVE *toro pessima semper auis.*] Sic Lycophron Helenam κρίκα, id est, nuptiis infaustam auem & δυσοιώνιστον appellat his versibus:

Οἷς μή ποτ᾽ ὦ Ζεῦ σῶτερ ἐς πάτρας ἐμὰς

Σπίλαδας ἀρουγὶς τῆ δυδρμῆζου κρεκί.

Videtur autem, quum ait *pessima auis*, alludere ad solitariæ cornicis occursum, qui sinistri ominis erat in nuptiis, eóque auspicato concordiæ societatísque præsagio accinere identidem consueuisse veteres ipso nuptiarum die, ἐκκόρει κορώνην testatur Orus Apollo in Hieroglyphicis. vnde & nos in Epithalamio quodam:

At procul hinc absit viduo cum turture cornix
Concordi mala scæua toro.

Vt igitur Helena κρίνῳ, sic cornici inauspicatæ item aui, cùm sola apparet, assimilatur hæc anus.

IANVS DOVSA PATER.

MVRRHEAQVE *in Parthis pocula cocta focis.*] Murrhina pocula hîc significantur, quæ Propertius fictilia fuisse videtur existimasse, quum in Parthorum caminis coqui ea scribat, dissentiente Plinio, qui humorem putat sub terra concrescere, densarique calore, eúmque lapidem erui & in vasa cælari.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVIPPE *& Collinas.*] Collinas Beroaldus nō vult à Collina porta dictas, sed à collibus. in quo nimio argutior est. Nam extra portam procul hominum frequentia id faciebant, vt apud Horatium Canidia ad Exquilinam portam. De fossa magica habes apud Horatium in Epodo quinta. item in Satyra octaua libri primi.

ET *sua nocturno.*] Tale illud:

—— his ego siluis
Sæpe lupum fieri memini.

EXORNABAT *opus.*] Insinuatione vtebatur. tanquam de re difficillima dicere aggressura esset. Prouerbium est, terere saxosam viam: hoc est ire per saxosam viam. Horatius: *Et Appiam mannis terit.* Et Propertius ipse:

Cui sæpe immundo Sacra conteritur via socco.

Quare Beroaldus fallitur, qui terere hic interpretatur, læuigare. quum sit prouerbium, vt diximus, terere saxosam viam, pro eo quod est, in difficultatibus versari. Plautus allusit in alia re:

Non meus scrupolam victus commetat viam.

SI *te eos Dorizantum.*] Hæc est scriptura libri nostri. legendum vero, *Dorixanium.* δωριξάνιον. Finxit nomen puellæ, Comice. vt Philocomasium, & similia.

SEV *quæ palmifera.*] Vitreos calices Ægyptios intelligit. Martialis:

Aspicis ingenium Nili, quibus addere plura
Dum cupit, ô quoties perdidit auctor opus.

Dicebantur hi calices ἀλλάσσοντες, quia vt Palumborum colla ad omnem motum diuersos colores efficiebant. Imperator Adrianus in Epistola ad Seruianum: *Calices tibi allassontes versicolores misi.*

MVRREAQVE.] Nullus veterum melius expressit, quid essent murrea pocula, quam noster vmber, qui dicit esse pocula cocta, non autem gemmea, vt Virgilius, Seneca, Plinius. Virgilius: *vt gemma bibat, & Sarrano dormiat ostro.* Seneca de Benef. lib. VII. Cap. IX. *Video murrina pocula. Parum scilicet luxuria magno fuerat, nisi quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent.* Quomodo crystallus & vitrum vocatur gemma à Martiali & aliis, ita murrina gemmea dicuntur. Sed de veris gemmis Plinius scribens inter eas murrina annumerat, scilicet quod ignoraret esse pocula ex Signino cocto apud Sinas facta, quæ nos Porcellana vocamus. Quare ridiculi sunt, qui ex Plinio gammea hariolantur. Mirum vero Plinium ignorasse, quod tam perspicue Propertius dixit. Videtur autem murra vox Latina pro gemma antiquitus vsurpari solita. Nam μούῤῥινα Arriano ἐν περίπλῳ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης est Latinum. Sane Cassius Iurisconsultus negat vasa marina in gemmis esse l. 9. §. 6. de auro & arg. leg.

IN *Parthis.*] Plinius: *Oriens murrina mittit. Inueniuntur enim ibi in pluribus locis nec insignibus maxime Parthici regni.* Sane his indicat murrina inueniri, & gemmas non coqui.

CEDANT *damnosæ.*] Noster: *Frange & damnosæ.*

AVT *quorum Titulus.*] Non intellexit morem hunc priscum Romanorum Beroaldus. Caput erat Ædilitij Edicti: TITVLVS. SERVORVM. SINGVLORVM. VTEI. SCRIPTVS. SIET. COIRATO. ITA. VTEI. INTELLEGI. RECTE. POSSIET. QVID. MORBEI. VITIEIQVE. QVOIQVE. SIET. QVIS. FVGITIVVS. ERROVE. SIET. NOXAVE. SOLVTVS. NON. SIET. Vide etiam Titulum ad Ædilitium Edictum in Pandectis iuris. Seneca de seruis loquens: *Cui dominus titulum impegit.* Hic Propertius scribit titulos illos vnicuique ex collo aptos fuisse. ego reperio etiam in venalitio pingi solitos. Petronius: *Ego autem collecto spiritu non destiti totum parietem persequi. Erat autem venalitium titulis pictum.* venalitium vocat ἀνδραποδοκαπηλεῖον.

CÆLATI *medio.*] Cælati proculdubio sunt signati, σεσημασμένοι. Nam mācipiorum pedes creta signabantur, si quidem priuati hominis essent, heri sigillo: sin publica, reipublicæ. Xenophon περὶ πόρων. αἱ ἀνδράποδα δὲ σεσημασμένα τῷ δημοσίῳ σημάντρῳ, καὶ προσκειμένης ζημίας τῷ τε πωλοῦντι καὶ τῷ ἐξάγοντι πῶς ἄν τις ταῦτα κλέψειεν; Cælati ergo creta signati. In Glossis: *Creta,* γηρεύς. Lege γῆ σφραγίς.

QVVM *saliere foro.*] In foro venalia prostabant mancipia. & saltare ac currere circum coronam solebant. Menander ἐμπρησμῷ.

Ἐγὼ μὲν οὐδὲ μοι δοκῶ νὴ τοὺς θεοὺς
Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐνδεδυκέναι
Ὁρῶν κύκλῳ περιτρέχοντα καὶ πωλούμενον.

Vides, dum præco venales prædicabat, interea solere saltare in circuitum per coronam, vt cognosceretur, qui essent, quos prædicabat præconium. hic κύκλους intelligo coronas circunstantium in auctione. quanquam Harpocration vetus Grammaticus pro loco ipso, in quo vendebantur, accipi scribat. quod parum refert vtromodo accipias. Næuius Agitatoria:

Age, ne te mihi aduersari dicas, hunc vnum diem,
Demea, securos sinam illos esse. tax pax. postea
Currentes ego illos omnes vendam, nisi in victoria.

D. Ehe an vicimus? A. vicistis. D. volup. quomodo? A
A. Dicam tibi.——

Hic currentes seruos ait vendi solere, vt supra Menander τρέχοντας. Quare salientes & currentes idem vides esse: & hoc solere facere mancipia, quum ad vocem præconis iubebantur saltare, & eis plaudebat præco ipse. qui eos, vt portisculus remiges, incentiuo citabat. Canebant enim, vt saltabant. Persius:

Cappadocas rigidos pingui plausisse catasta.

Ibi reliquiæ veteris interpretis Cornuti: *Legitur*, inquiunt, ET PLAVSISSE: *quoniam venales ante quam in catasta imponantur, cantant vniuersi pariter more gentis suæ.* Hactenus Cornutus. Habes igitur vetustum morem venalium, atque adeo B enarrationem istius distichi, cuius sententiam assequi non poterat Beroaldus. Porro & his & superioribus similia inuenies apud Ouidiū, vt:

Nec tu, si quis erit capitis mercede redemtus,
Despice damnati nomen inane pedis.

SVRDA *sine arte lyra.*] Alij, *sine are lyra.*

PER *tenues ossa.*] Quidam hunc versum ἐκβάλλουσι. & mihi certe οὐ γνήσιος videtur.

HORRVIT *argenti pergula curta foco.*] Sic Martialis:

Alget & extincto clausa culina foco.

Inepte vero Beroaldus hic mutauerat *pertica curua*, pro *pergula curta*. Sed ne bene quidem Tur- C nebus, vir doctissimus, qui pergulas publicas interpretatur, & talem hanc ait. quum tamen pergula sic hic tuguriolum, vt apud Ausonium:

Vilis arundineis cohibet quem pergula tectis.

neque vero vllæ vnquam fuerunt pergulæ publicæ, vt ipse videtur velle: quum pergula fuerit tantum appendix ædificij, vt in Ausonianis lectionibus ostendimus. vnde Pergula ἐκθετήριον vertitur à Glossariis, quod quæ in ea exposita essent, in conspicuo essent. Pergulæ ædificiorum publicum spectabant. ob id artifices & magistri, qui minus noti erant, in illis primum solebant opera sua proponere, aut docere, vt populo in- D notescerent. Iuuenalis:

Sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula.——

Vbi pergula est, quod Græcis τέγος, ἔργων οἴκημα [illegible] γυνῶν, quale est, in quo mulieres, quæ sub lenonum imperio prostabant, publicarum libidinum, vt Tertullianus loquitur, victimæ. Plautus Pseudolo: *cras faciam deportere in pergulam.* Vnde Græce dicuntur ἑστᾶσαι ἐπὶ τέγους. Ita vocatur Helena scortum Simonis Magi apud Iustinum Martyrem. ἀπὸ τέγους. dixit Epiphanius in Manichæis, ἀνελόμενος ταύτην (γυναῖκα) ἀπὸ τοῦ τέγους. ἐπόρνευε γὰρ ἡ τοιαύτη ἐν τῷ πορνείῳ ἀσελγεστάτη. Polybius E apud Suidam: ταύτην δὲ τὴν ἀσέλγειαν καὶ τὰς ἐμφάσεις οὐχ οἷον ἄν τις ὑπέλαβε παιδεραστὴς ἀνήρ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀπὸ τοῦ τέγους ἄχρι τοῦ σώματος εἰργασμένων οὐδείς. Intelligit qui omnia meritoria habent & corpus & pergulam qui vt ex cænaculis, ita ex corpore quæstum facerent. Sibylla:

Ἄρσην δ' ἄρσενι πλησιάσει, στήσουσι παῖδας
Αἰσχροῖς ἐν τεγέεσσι—— item:
Καὶ τέγεσιν πόρνας ἱστάντες καὶ πᾶσαν ἀγνάς.

QVVM *fallenda meo pollice clatra forent.*] In nostro mendose, CVLTA FORENT. Forsan, *clustra*, pro claustra.

QVISQVIS *amas scabris hoc bustum cædito saxis.*] Recte. Nam prætereuntes busta eorum, qui in publica detestatione erant, lapidibus petebant. Ausonius:

——*crimen ob istud*
Timon Cecropiis olim lapidatus Athenis.

id est, publice diris incessitur, & eius sepulcrum lapidibus petitur. Argentarius poëta:

Ἀλλὰ λίθους ἐπὶ τύμβον, ὁδοιπόρε, μήτε σὺ βάλλε,
Μήτ' ἄλλον πείσῃς· σῆμα λέλογχε νέκυς.
Φθιμένῳ δ' οὐχ ὅτι κέρδος ἐπίστατο, ἀλλ' ὅτι καπὰς
Θρέψας, μοιχεύειν ἐδίδαξε νέους.

Euripides Electra:

B ——*ἐνθρῴσκει τάφῳ,*
Πέτροις τε λεύει μνῆμα λάινον πατρός.

qui locus diserte hanc Propertij interpretatur. Contra igitur ac Propertius. Deprecatur enim, ne tumulo lenonis fiat, quod solebat fieri, id est, saxis cædi.

ELEGIA VI.

SACRA facit vates. sint ora fauentia sacris,
Et cadat ante meos icta iuuenca focos. C
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas vrna ministret aquas.
Costum molle date, & blandi mihi thuris honores:
Térque focum circa laneus orbis erat.
Spargite me lymphis, carménque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna cadis.
D *Ite procul fraudes. alio sint aëre noxæ.*
Pura nouum vati laurea mollit iter.
Musa Palatini referamus Apollinis ædem:
Res est Calliope digna fauore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina. Cæsar
Dum canitur, quæso Iuppiter ipse vaces.
E *Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,*
Quà sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Iuleæ pelagus monimenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coiere manus stetit æquore moles.

Pinea, nec remis aequa fauebat auis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Pilàque feminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Iouis omine velis,
Signáque iam patriae vincere docta suae.
Tandem acies geminos Nereus lunârat in arcus,
Armorum & radiis picta tremebat aqua;
Cùm Phoebus linquens stantem se vindice Delon
(Nam tulit iratos mobilis vnda notos)
Astitit Augusti puppem super & noua flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem,
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineae carmen inerme lyrae,
Sed quali aspexit Pelopeium Agamemnona vultu,
Egessitque auidis Dorica castra rogis:
Aut qualis flexos soluit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyrae.
Mox ait, ô longa mundi seruator ab Alba
Auguste Hectoreis cognite maior auis,
Vince mari: iam terra tua est. tibi militat arcus,
Et fauet ex humeris hoc onus omne meis.
Solue metu patriam; quae nunc te vindice freta,
Imposuit prorae publica vota tua:
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aues.
Et nimium remis audent, proh turpe, Latinis
Principe te fluctus regia vela pati.
A *Nec te, quòd classis centenis remiget alis,*
Terreat: inuito labitur illa mari:
Quódque vehunt prorae Centaurica saxa minantes
Tigna caua, & pictos experiere metus.
Frangit, & attollit vires in milite caussa:
Quae nisi iusta subest, excutit arma pudor.
B *Tempus adest, committe rates: ego temporis auctor*
Ducam laurigera Iulia rostra manu.
Dixerat, & pharetrae pondus consumit in arcus,
Proxima post arcus Caesaris hasta fuit.
Vincit Roma fide Phoebi, dat femina poenas,
C *Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.*
At pater Idalio miratus Caesar ab astro.
Sum deus & nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnésque marinae
Plauserunt circa libera signa deae.
Illa petit Nilum cymba malè nixa fugaci,
D *Hoc vnum, iusso non moritura die.*
Di melius: quantus mulier forte vna triumphus,
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias?
Actius hinc traxit Phoebus monimenta, quòd eius
Vna decem vicit missa sagitta rates.
E *Bella satis cecini, citharam iam poscit Apollo*
Victor, & ad placidos exuit arma choros.
Candida nunc molli subeant conuiuia luco,
Blanditaeque fluant per mea colla rosae:
Vináque fundâtur praelis elisa Falernis,

Térque lauet, nostras spica Cilissa comas.
Ingenium potis irritet Musa poëtis,
Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret seruire Sicambros,
Cepheam hic Meroën, fuscáque regna canat:
Hic referat, serò confessum fœdere Parthum:
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Siue aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista trophæa suos.
Gaude Crasse, nigras si quid sapis inter arenas,
Ire per Euphraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Iniiciat radios in mea vina dies.

PHILIPP. BEROALD. BON.

SACRA *facit vates.*] facturus sacrificium poëticum optat silentium, & fraudibus fugatis pura laurea coronari.

ORA *fauentia.*] verba sunt sacrorum per quæ taciturnitas denunciatur: quod optime omnium docet Seneca in libro ad Gallionem de vita beata, cuius verba hæc sunt: *Fauete linguis.* hoc verbum non, vt plerique existimant, à fauore trahitur, sed imperatur silentium, vt rite peragi possit sacrificium, nulla voce mala obstrepente. Quoties ergo legeris apud poëtas (leges autem sæpissime) Ore fauete, & fauete linguis, scito silentium significari. Vetus etiam verbum est pascito linguam, quod in sacrificiis dicebatur, quod significat coercito, contineto, taceto. In ludis vero, vt inquit Seruius, ore fauere significat dicere bona verba, quia in illis necessarius est fauor.

CERA *Philippeis.*] libet mihi gloriari, citra tamen insolentem gloriationem, me hunc locum, qui hactenus in omnibus codicibus mendosus fuit, & mendose lectus est, emendasse, & in veram scriptionem redegisse duarum literarum inuersione, vt pro Philippeis dicamus Philetheis. & est sensus. Versus mei Elegiaci, hoc enim significat cera Romana, certent cum corona hederacea, qua coronatus est Philetas apud Græcos Elegiographus poëta. & his meis sacris aquæ Cyreneæ ministrentur: hoc est tales quales bibit Callimachus: & ita delata insinuatione & poëtica figuratione ostendit se æmulum esse

A Philetæ & Callimachi, quorum supra meminimus.

CYRENEAS.] propter Callimachum dictum est, qui fuit Cyreneus Cyrenem in Africa ciuitatem inclytam condiderunt Therei: qui Theram insulam coluerunt, quæ olim Calisto dicebatur, vt Callimachus ait:

Nomine Calisto primum, sed postmodo Thera
Dicta fuit tellus vrbis origo meæ:

dicunt Cyrenam à Batto conditam, Strabo, Herodotus, & Iustinus, quem Callimachus ait progenitorem suum fuisse: vnde Battiades ab Ouid. & Catullo nuncupatur. Ex Cyrene præter Cal-
B limachum illustres fuerunt multi & in primis Atistippus conditor sectæ Cyrenaicæ.

COSTVM.] frutex est costum, cuius duo genera sunt nigrum, &, quod melius, candicans odore eximio, vt scribit Plin. in XII. Horatius, *Achameniumque costum.* Sacris, inquit, poëticis adhibeatur costum vna cum thure, quo suffire solemus templa. & aras vaporare.

LANEVS *orbis.*] lanea corona significatur, & antiquissimum fuit genus coronarum lanearū, vt ait Festus, quæ lemniscatæ dicuntur ab historicis: quoniam lemnisci, quæ sunt fasciæ coloratæ, illis adiicebantur: & aliquando erant discolores: &, vt scribit Plin. in XXI. Hetruscis
C coronis lemnisci nisi aurei iungi non debebant: puri hi diu fuerunt. cælare eos primus instituit Clodius pulcher, quibus verbis lemnisci à Plinio accipi videntur pro foliis & bratheis.

SPARGITE *me lymphis.*] ritus purgationum hic obseruatur apud antiquos, vt diis superis sacrificaturus corporis ablutione purgaretur, cùm vero inferis litandum est, sola vtuntur aspersione. auctor Macro. in III. Saturnalium: vnde ait Virg. de sacris inferorum loquens:

Dic corpus properet fluuiali spargere lympha.

De sacris vero superorum inquit:

——donec me flumine viuo Abluero.

D spargite videtur dictum pro abluite cum superis sacrificet.

MYGDONIIS *cadis.*] cadi vasa sunt, quibus vina conduntur, quod Nonij, veterúmque auctoritate notissimum est. vinum autem diis libari solitum nemo non nouit: & olim Numa lege nefas statuit vina libari ex vite imputata. Papyrius dimicaturus votum fecit, si vicisset hostes, Ioui pocillum vini. Romulum lacte non vino libasse tradit Plin. Mygdonios appellat à regione Mygdonia, quæ ante Bebrycia dicta est: mox à Bithyno rege Bithynia, vt scribit Solinus. Quid si legas modis pro cadis, vt sit sensus: Volo, inquit, vt tibia libet, hoc est sacrificet, suis
E modulis Mygdoniis. & ita vult adhiberi suis sacris musicam Phrygiam, quæ religiosa est, vt inquit Apul. in floridis: & Dithyrambus manifeste videtur esse Phrygius, vt docet Aristo. in VIII. Politicorum. Mygdoniam autem dici Phrygiam testis est Porphy. dicens à Mygdone rege Mygdoniam nominari, & indicat Horat. illo versu:

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.

quod autem tibicines ad sacrificia adhibeantur nemo est qui nesciat: & olim cùm tubicines vno

agmine Tybur abiissent: Romani Tybur miserunt ad tibicines repetendos, quoniam nemo erat, qui sacrificiis præcineret: historiam tradunt Liuius, Plutar. Valerius: & carmine cecinit Ouid. & ego existimo hanc esse veram Propertij lectionem: vt modis potius legas quam cadis.

PLVRA *laurea.*] tanquam scripturus stylo grandiloquo res grandes optat coronam lauream, qua epici poëtæ coronantur.

MVSA *Palatini.*] Augustus, vt supra memorauimus, templum Apollinis Palatini extruxit post victoriam Actiacam, Antonio, Cleopatráque profligatis, cuius victoriæ auctor fuisse fertur Apollo: id nunc à poëta celebratur. historia copiosè fuit superius explicata.

EST *Phœbus.*] topographiam facit: describit enim locum vbi pugnatum est inter Augustum & Antonium. Athamanes populi sunt Aetholię haud multum distantes ab Epyro & templo Actij Apollinis, quod est in ostio sinus Ambratij, vt Plin. & Strabo meminerunt: quem locum verberant fluctus Ionij maris, & Acroceraunо Epyri promontorio finitur secundus Europæ sinus.

IVLEÆ *carinæ.*] Actia Augusti colonia est cum templo Apollinis & cum ciuitate Nicopolitana, cui à victoria nomen Augustus imposuit: & Actia ludi quinquennales illic celebrantur dicati Apollini Actio: quæ sunt monumenta victoriæ naualis Augusti, quæ poëta monumenta vocat carinæ Iuleæ, hoc est Cæsaris Augusti. Ad hunc portum nautæ sine operosa & difficili nauigatione perueniunt.

HVC *coire.*] ad hunc locum Actij Apollinis conuenerunt bellatores ex omni pene orbis parte. hinc Antonium, inde Augustum sequentes.

AEQVA *anu.*] id est, non paribus auspiciis nauale certamen consertum est.

TENERO *damno Quirino.*] tenerum Quirinum appellat, mollē M. Antonium, & effœminatos Romanos qui erant fœminæ mancipati: vel potius hoc dicit quod classis Antonij erat damnata à Quirino, id est, Romulo, qui aduersabatur Antonio cum Iuppiter causam foueret Augusti: non conuenit huic loco vt Quirinum intelligamus Augustum.

PILAQVE *fœminea.*] dolenter pronunciandum: quod scilicet pila tela Romanica & virilia manu fœminæ Cleopatræ, quæ erat peregrina & fluxa, vibrarentur, quod profectò erat maiestati Romanæ dedecorosum.

HINC *Augusta.*] similis est illa descriptio Maroniana huiusce pugnæ naualis.

Hinc Augustus agens Italos in prælia Cæsar.
Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis.

NEREVS *lunarat.*] morem expressit Romanorum in re militari, qui acie lunata & in duo cornua diuisa certamen inibant. Lucanus in III. loquens de pugna nauali Massiliensium ait: *Lunata fronte recedunt.* Poetice ait ipsum Nereum marinum deum acies ordinasse, qui in vndis naualis pugna parabatur.

STANTEM *Delon.*] Delos insula est clarissima Cycladum Apollinis templo & Græcorum A mercatu celebrata. hanc Aristo. ita appellatam prodidit, quoniam repente apparuerit enata. Plinius ait dictam esse alio nomine Pyrpilem, quoniam ignis ibi primum repertus sit. Stantem optimo epitheto appellat poëta propter fabulam: & enim, vt Pindarus auctor est, Delon diu fluctuatam cum iam Latona parturiret, & quatuor columnæ adamantinæ immobilem continuerunt, vbi enixa est Apollinem & Dianam. præterea alludit poëta ad illud quod cecinit Maro, cùm de hac insula loqueretur:

B *Quam pius Arcitenens, oras, & littora circum*
Errantem, Mycone celsa, Gyaroque reuinxit,
Immotámque coli dedit, & contemnere ventos.

Illud adde quod, vt historici memoriæ prodiderunt, sola Delos motum terræ non sensit vsque ad M. Varronis ætatem, quamuis Mucianus prodiderit eam bis fuisse concussam. In hac primum inuentæ cothurnices aues, quas Græci ortygias vocant: vnde Delos est Ortygia nuncupata. De Delo ita scribit Seneca in IIII. quæstionum. Hanc philosophi credula natio dixerunt non moueri auctore Pindaro. Thucydides ait ante quidem immotam fuisse, sed circa Pelo- C ponesiacum bellum tremuisse.

FLAMMA *sinuata.*] significat poëta felix augurium illuxisse Augusto nauale certamen auspicanti. simile est illud apud Virgilium:

Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

emicant enim faces, quæ lampades dicuntur, vt ait Plin. Præterea ignis felicia sunt ostenta, sicut olim notatum est dormienti Seruio Tullo in pueritia ex capite flammam emicuisse. idem accidit Lucio Martio in Hispania post interemptos Scipiones concionanti, & milites ad vltionem exhortanti.

TER *dixit.*] quia ternarius numerus est potentissimus, & Pythagorici eo cuncta autumant D terminari: &, vt auctor est Martianus Capella, trias princeps est imparium numerus, cuius auspicis preces tertio ac libamina repetuntur.

NON *ille attulerat.*] Apollo auxiliabundus Augusto non attulit instrumenta delitiarum, sed arcum & sagittas & vultum talem, quali aspexit Agamemnona, hoc est trucem & horrendum: & significat illud tempus quo Agamemnon Chrysem Apollinis sacerdotem cum ingentibus donis filiæ redimendæ, gratia adeuntem repudiauit, iussitque euestigio discedere è castris. ille Apollinem comprecatus est: vt tela immitteret in exercitum Græcorum pro hac in- E iuria vlciscenda, quem Apollo exaudiuit, properéque delapsus est ab alto cœlo cum arcu & sagittis, per nouem dies, totidémque noctes emittens sagittas: primo iumenta, canésque percussit, deinde homines: adeo, vt cateruatim defuncti cremarentur: auctor Homerus in primo Iliados. Pelopeium vocat Agamemnonem à progenitore Pelope, à quo Pelopidæ vocitantur.

EGESSIT.] euacuauit multitudine quippe defunctorum pene castra Dorica, hoc est Græcorum, exhausta fuerunt.

SOLVIT *Pythona.*] nota fabula est, quemad-

modum Pythona serpentem magnitudine corporis Parnasum occupantem sagittis Apollo confecit. Existimat Strabo Pythonem fuisse hominem violentum Draconem cognominatum Parnasi incolam, quem Apollo sagittis debellauerit. fabula refertur ab Ouidio, & Claudiano. à Pythone ludi Apollini dicati Pythia nuncupantur, quibus victores lauro coronabantur.

Mox *ait ô longa.*] verba Apollinis ad Augustum, cui auxilium pollicetur arcus sui & sagittarum.

Ab *Alba.*] quoniam ab Albanorum stirpe regum oriundi sunt Romani, & Iulius Ascanius quem gens Iulia auctorem sui nominis nuncupat, Albam ædificauit.

Maior *aui.*] laus Augusti, qui maior vocatur Troianis atauis & progenitoribus, à quibus oriundos esse Romanos quis ignorat?

Hoc *onus.*] dicticos & sagittas cum pharetra intelligit.

Mvrorvm *Romulus augur.*] nisi Auguste, inquit, patriam Romanam defenderis, non bono augurio à Romulo condita esse iudicabitur: cui, vt notissimum est, in Palatino monte augurium captanti duodecim vultures, quas palatinas aues appellat, se ostenderunt, cùm Remus in Auentino sex tantummodo vidisset. hoc augurium Romulus existimauit fortunatissimum condendæ vrbi, vt pote peritus augurij, qui augur optimus à Cicerone fuisse fertur: ex hoc institutum fuit, teste Plutarcho, vt in auguriis vulture potissimum vterentur.

Regia *vela.*] Cleopatræ reginæ, quæ velo purpureo ad Actium cum M. Antonio venit, eodemque effugit: & hoc fuit, auctore Plinio, imperatoriæ nauis insigne.

Centavrica *saxa.*] hoc dictum accipe propter picturam Antonij nauigiorum, in quibus erat depicta pugna centaurea, & quemadmodum Centauri ingentia saxa, & loco saxorum pocula & arbores in Lapithas iaculabantur, sicut supra declaratum est.

Tigna *caua.*] ostendit classem Antonij & Cleopatræ non esse formidandam, quamuis in ea sint naues ingentis magnitudinis, cùm non habeat egregios bellatores. scribit Plutarchus Antonium habuisse naues non pauciores quingentis, in quibus fiant octiremes, deciremésque permultæ, peditum millia centum, equitum millia xxii. reges qui parebant Antonio fuerunt complures. &, vt auctor est Florus, turribus & tabulatis naues Antonij alleuatæ castellorum & vrbium specie non sine gemitu maris ferebantur, quæ quidem ipsa moles exitio fuit.

Tigna *caua.*] periphrasticos vocat nauigia. appellatione tigni omnis ad ædificãdum idonea materia continetur, vt scribunt iurisconsulti.

Pictos *metus.*] propter naues depictas: vnde à tutela picta cognominantur, vt apud Virgilium, Pistris, Centaurus, Chimera, & Scylla sunt nomina nauigiorum.

Frangit *& attollit.*] catholica sententia, qua ostendit animos in militibus excitari, debilitarive prout iusta iniustáve fuerit causa, pro qua pugnauerint. ex quo vult audentiores esse

A Cæsarianos, vtpote iustissimam causam fouentes: è contrario Antonianos meticulosos, qui pro iniqua causa præliantur.

Committe *rates.*] iam tempus est, inquit Apollo, prælij committendi: & significanter locutus est: Committere enim significat in certamen immittere. Tranquillus in Caligula: *Nec cessauit ex eo criminari alterum alteri, atque inter se omnes committere.* Et Luc.

Exiguum dominos commisit asylum.

Ego *temporis auctor.*] ait Apollo se tempus idoneum, & opportunitatem capturum ad naues Augusti in pugnam inducendas, & merito.
B ipse enim est Sol & deus temporum, ex cuius cursu tempora efficiuntur: &, vt inquit Seneca in II. quæstionum naturalium, *Solem sequitur annus: ad illius flexum hyemes: æstatésque vertuntur.*

Ivlia *rostra.*] naues rostratas Augusti.

Proxima *post arcus.*] primus prælio erat Apollo sagittas excutiens: secundum Apollinem erat Augustus hastam concutiens. Virg.

Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo.

Fideli itaque Phœbi auxilio Roma fuit victrix: & victor Augustus, Cleopatra in fugam versa est cum nauibus sexaginta, quam turpiter secutus est Antonius, tanquam in Cleopatra viueret, simulque moreretur. vnde ait Florus: *Prima dux*
C *fuga regina cum aurea puppe, Velóque purpureo se in altum dedit.*

Ab *astro Idalio.*] alludit ad historiam. nam cum post obitum Cæsaris dictatoris ipsis ludorum funebrium diebus sidus crinitum, siue cometes per septem dies apparuisset, credidit vulgus eam esse Cæsaris animam inter deos receptі, vt scribunt Tranquillus & Plin. Hinc est illud Maronis: *Ecce Dionei processit Cæsaris astrum.* & nunc poëta id sidus Idalium appellat, vt Virg. Dionem appellauit, epitheto longe repetito à Venere Aeneæ genitrice: vnde oriunda est gens
D Cæsarum: & Romæ fuit templum Veneris genitricis appellatum: quod, teste Appiano, Cæsar erexit, qui Augusti pater fuit per adoptionem, cùm iure naturæ illius esset maior auunculus. Idaliam autem dici Venerem ab Idalio oppido & nemore Cypri, etiam magistri triuiales nouerunt.

Prosequitvr *Triton.*] Neptuni tibicem. Triton vna cum Nereidibus prosequitur, inquit poëta, cantu buccinæ atque clangore Augusti Cæsaris victoriam.

Illa.] scilicet Cleopatra fugit in Aegyptum. Virg.

Ipsa videbatur ventis regina vocatis Vela dare.

Ivsso *non moritura die.*] mortua est Cleopa-
E tra antequam iuberetur, admotis aspidibus, ne scilicet triumpharetur: cùm Augustus vehementer cuperet illam viuere: quoniam gloriosum existimabat sibi fore, vt inquit Plutarchus, si Cleopatra in triumpho duceretur. Hoc vnum ergo defuit ad victoriam cumulatam, quod Cleopatra die non iusso extincta est; nec potuit Augusti exornare triumphum: cui tamen ait, poëta futurum minimum additamentum, etiam si fœmina triumphata fuisset: & ita eleuat Cleopatram.

QVANTVS.] quam pusillus.

IVGVRTHA.] notissimum est Iugurtham opertum cathenis in triumpho ductum à Mario Arpinate, & Romæ in carcere colluctantem cum fame intra sextum diem expirasse, vt auctor est Plutarchus.

ACTIVS *hinc.*] vt victoriæ Actiacæ celebratior memoria & in posterum esset, vrbem Nicopolin apud Actium condidit Augustus, ludosque illic quinquennaleis constituit, & templum Apollinis vetus ampliauit. Romæ quoque templum Apollinis palatini extruxit cum bibliotheca Latina, Græcáque. Quo in loco sæpe iam senior senatum habuit. Hinc ergo ait poeta: Actium Phœbum traxisse monumenta, qui vna sagitta decem naues Antonij debellabat: nam, vt inquit Vir. Terrore Apollinis omnes terga vertebant.

EXVIT *arma.*] quia non amplius bella canenda sunt, sed ludicra.

PRÆLIS *elisa falernis.*] optat sibi in pocula vinum diffundi, quod sit elisum, hoc est expressum ex torculari falerno: per quod falerna vina significat. præla sunt, vt ait Seruius, trabes quibus vua iam calcata præmitur, quibus vtimur in torculario. docet Cato in re rustica prælum longum pedes viginti quinque esse faciendum.

SPICA *cilisca.*] nardino vnguento capillos sibi inungi deposcit. Vnguentarij spicas nardi celebrant in vnguentis: &, vt inquit Plin. in XII. pretium spicæ in libras est xc. denariorum. laudatur Syriacum & Cilicium. Cilicij non meminit Plinius, nisi id sub nomine Syriaci contineri asseramus, quæ sunt regiones propinquæ. Poëta vnguentum ex spica nardi confectum appellat spicam ciliscam: sicut Ouid. appellauit in I. Fastorum: *Et sonet accensis spica cilisca focis.*
Nardinum vnguentum alio nomine vocamus foliatum, vt docet Plin. cuius est crebra mentio apud poetas. Quidam existimant spicam ciliscam accipi pro vnguento crocino: quod in Cilicia fuit laudatissimum, sed cum in croco folia, capillamentaque esse legerimus, non autem spicas: de nardino intelligendum esse censemus. & Dioscorides nardum in Cilicia nasci scribit radice nigra & odorata.

POTIS *irritet.*] ita Martialis:

Bibenti succurrunt mibi quindecim poetæ,

& vt, inquit, Ouid.

—— carmina vino Ingenium faciente canunt.

BACCHE *soles.*] cum Bacchus & Phœbus sint dij poetarum, & vino sæpe ingenium vegetetur ad carmina facienda, eleganter dictum est Bacchum fertilem esse Phœbo solere. &, quemadmodum scribunt historici, Apollo fuit in comitatu Bacchi fratris vna cum musis: & sacra vtrique mixta fiebant in Parnaso: & Liberum, Apollinémque eundem esse deum multi dixerunt. merito ergo dixit tuo Phœbo.

ILLE *paludosos.*] vicissim, inquit, Bacchus & Apollo memorent victorias Augusti, & alternis vicibus canant deuictos ab Augusto.

SICAMBROS.] Aegyptios & Parthos. Sicambri sunt populi Germaniæ, quos Drusus auspiciis Augusti domuit, quos Augustus traduxit in Galliam: atque in proximis Rheni agris collocauit. paludosos vocat, quasi in paludibus habitantes, sunt enim Rheno proximi.

CEPHEAM *Meroen.*] Nilus facit insulas in Aethiopia complures. Clarissima vero omnium Meroen, quam Strabo vocat caput Aethiopici regni à Meroe Cambysis matre nomen sortitam, vt scribit Diodorus. Cepheam cognominat poëta à Cepheo patre Andromedes rege Aethiopum. Fuit in Ægypto rex nomine Cepheus: cuius historici meminerunt. Augustus vicit Aegyptios, & domuit meridionales nationes, & Indos pellexit ad amicitiam suam, populique Romani vltro per legatos petendam: quæ loca omnia nunc appellat fusca regna à colore Aethiopum, Indorumque adusto. Cuius rei causam superius explicauimus.

REDDAT *signa Remi.*] propter historiam dictum hoc est: nam Parthi signa Remi, hoc est Romanica, quæ ademerant Crasso & Antonio, reddiderunt Augusto, & insuper obsides obtulerunt: ait poëta in laudem Augusti Parthos suamet signa etiam daturos ipsi imperatori.

IN *pueros suos.*] si Augustus, inquit, aliquid remittet orientalibus, faciet ob hoc vt trophæa Parthica differantur in Drusum & Tiberium, qui illos domitabunt.

IRE *per Euphraten.*] tanquam omnia pacata reddiderit Augustus in tantum vt liceat ire per media regna Parthorum ad sepulchrum Crassi: quod tamen ab historicis non memoratur: & à Lucano dictum est: *Crasso quærente sepulchrum.* cuius caput vna cum dextra misit Surrenas Orodi regi Parthorum: in cuius conuiuio Iason tragœdus caput Crassi ritu bacchantis extulit, & canticum saltauit Crassi cladibus accommodatum. auctor Appianus in libro, cui titulus est Parthicus. Euphratem autem fluuium esse Babylonium diximus supra, cuius latitudo stadium occupat.

INIICIAT *radios.*] pollicetur se totam noctem vino & carminibus operaturum vsque ad matutinum tempus, & orientem Solem. Ita Horat. *Vigiles lucernas Profer in lucem.*

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

CERA *Philetæis.*] Omnino legendum. *Serta*, non *cera*. Corona, inquit, Romana certet coronæ Phileteæ. Nam cera hic locum non habet, neque scriptio. Sed sacra facturi στέφανον & χαίτας adhibebant. illum à Phileta, hanc à Callimacho petit. Sic alibi serta pro corona:

Quum mea propendent, demissa in pocula serta.

Si quis vulgatam lectionem retinere mauult, cera erit imago poëtæ. Itaque dicit suam imaginem cum illa Philetæ certare: ederas suas cum corymbis Philetæ. Nam imagines poetarum edera coronatæ Ouidius:

Si quis habes nostri similes in imagine vultus,
Deme meis ederas Bacchica serta comis. Persius:
—— quorum imagines lambunt
Edere sequaces——

TERQVE *focum circa.*] Quid sit, quæratur. Nam hunc ritum plane ignoro. Beroaldus hic mihi

A mihi risum sustulit. Hoc vnum asserere possumus, quod hic de laneo orbe dicitur, id Græcis esse κανοῦν κύκλῳ βωμοῦ εἱλίσσειν. Euripides Hercule furente:

—— ἐν κύκλῳ δ' ἤδη κανοῦν
Εἵλικτο βωμοῦ. φθέγμα δ' ὅσιον εἴχομεν.

κανοῦν id est canistrum, in quo mola salsa, & quædam alia erant ad sacrificium pertinentia, circum aram in orbem circunferebant. Semper Romæ puer ingenuus, qui Camillus dicebatur, & ipse quoque cumerum gestabat, quod nihil aliud est, quam τὸ κανοῦν Græcorum. Sed non legimus illud circa aram circumferri. Deinde quis est laneus orbis, nisi glomus? Itaque hic ritus latet penitus mihi incognitus.

B SPARGITE *me lymphis.*] Nam sua περιρραντήρια habebant. εἰς χέρνιβα coniecta & extincta face, aqua illa spargebant se.

TIBIA *Mygdoniis libet eburna cadis.*] Et hic quoque Beroaldo per me tacere licuisset. Nos in Aetnam, de Pithaulis hunc locum interpretati sumus. qua meliorem interpretationem nemo attulerit. Sed tamen non ita amamus nostra, vt si meliorum in mentem veniat, non ea in vulgus proferamus. ego interpretor Cados hic non κάδους, sed τοὺς Κάδους populum & vrbem Mygdoniæ. *tibia Mygdoniis Cadis* dictum, quomodo Plauto Hospes Zacyntho, Varroni vinum Lesbo. Intelligit ergo hic Phrygiã tibiam. Phrygia tibia cantet, hoc est tibia τὸ φρύγιον νόμον cantet.

C De Cadis Mygdoniæ vrbe vide Strabonem. Scribendum igitur hic maiuscula C. Nisi quis de Pithaulis intelligat, vt olim exposuimus. De quibus Turnebus interpretatur locum Horatij:

——*qui Pythia cantat.*

At tunc πυθαῦλαι essent, non πυθιαῦλαι.

NAM *tulit iratos.*] Callimachus hymno in Apollinem, & Pindarus. Item vetus Poëta:

Ἀλλ' ἔτι λατὼ
Ὠδῖς ἱερὰ λάζετο δῖαν
Διδύμων παίδων ὠδῖσι σπάσας,
Ἴσχετο μὲν γαῖ', ἴσχετο δ' ἀὴρ
Πᾶς ὀρεόθεν.
Πάγχυτο πόντος, πάγχυτο κῦμα,
Ἀνὰ δ' ἐξέθορες μαῖαν λυκωρεῦ
Τοξίκα φοῖβε,
Κατὰ χρυσολάναν βασιλεῦ πετάδων.

D IMPOSVIT *prora.*] Vota insculpebantur, aut inscribebantur in cera in genubus statuarum. Iuuenalis, *Propter quæ fas est genua incerare Deorum.* Apuleius: *Votum in alicuius statuæ femore assignasti igitur magus es. aut cur obsignasti.* In prora erat tutela nauis. Quid sit tutela nauis non pauci sciũt.

E ET *nimium remis audent prope turpe.*] Scribe: *Prob turpe.*

CENTENIS *remigat alis.*] Hic alas ταρσοὺς exponit. sunt remorum ordines. Ait centenos vtrinque remos fuisse. Non tamen ideo ἑκατήρη putes dici, vt dicitur, τετρήρης, πεντήρης, ἑξήρης, δικρότως. Nam tum à numero remigum ad singulos scalmos dicitur.

AT *pater Idalio.*] Bæbius Macer: *Circa horam octauam stella amplissima quasi lemniscata corona orta est. quam quidam ad inlustrandam gloriam Cæsaris iuuenis pertinere existimabant. Ipse animam patris sui esse voluit: eique in Capitolio statuam super caput auream stellam habentem posuit. inscriptum in basi fuit:* ΚΑΙΣΑΡΙ ΗΜΙΘΕΩ. *Sed Vulcanius aruspex in concione dixit Cometen esse, qui significaret exitum noni sæculi, & ingressum decimi. sed quod inuitis Diis secreta rerum pronunciaret, statim se esse moriturum. Et nondum finita oratione in ipsa concione concidit. Hoc etiam Augustus in libro secundo memoriæ vitæ suæ complexus est.* Hactenus Bæbius Macer.

BELLA *satis cecini citharam iam poscit Apollo.*] Nam eidem & sagittas & citharam attribuunt. Callimachus:

Φοῖβος εὐβώτην ἔλαχ' ἄμφω, φοῖβος ἀοιδήν,

Lege:

Φοῖβος εὐβώτην ἔλαχεν βίαν, φοῖβον ἀοιδήν.

BLANDITIÆQVE *fluant.*] Omnino legendum, *Blanditaque.* Plinius libro quinto & vicesimo: *Radicem siluestris rosæ, quam Cynorrhodon vocant, blanditam sibi aspectu in frutecto.* Sic Tibullus:

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa querelis.

Sic dictum à Propertio *blandos turis honores.* θυμίαμα, θυμιάδας.

TERQVE *lauet nostras spica Cilissa.*] Ouidius:

Et sonet accensis spica Cilissa focis.

Iam comitia Criticorum conuenerunt, vtrum de croco an de nardo hic intelligendum esset. Et tandem de nardo & prærogatiuæ & iure vocatæ suffragium tulerunt. Sed ego eorum magistratus vitio creatos obseruaui. Itaque eorum nullam rationem habendam censeo. Nam si apud Ouidium spica Cilissa est crocus, erit & hic apud Amerinum nostrum. Quod enim de nardo intelligi non possit, fidem fecerit, quod nardus Cilicia spicam non habet. Quod autem in ara crocum incenderetur, id vero testatur Tertullianus libro de cultu mulierum: *Crocum capiti mulier Christiana ingerit, vt in aram. quodcunque enim immundo spiritui excremari solet, id nisi probis, & necessariis vsibus adhibeatur.* En locupletem auctorem, qui omnem euictionem præstet. Quin in croco spico vocatur, in quod in allio: quanquam non id cremari solere certus sim, sed σκοροδόχρως ita totum crocum vocatur. Iam nardi Ciliciæ nulla spica, sed Indicæ: & sero, vt puto, in Indico spica vocatum est id, quod radix est verius, quam spica. Idque Latinum potius est, quam Græcum, bulbos radicum spicam vocare. quare puto in eo Græcos sequutos esse Latinorum idioma. Nam sane talis nulla est spica aut bulbus nardi Cilissæ: quæ eiusmodi erat, vt propter breuitatem in fasciculos colligi aut constringi non posset, sed in sacculos congerebatur. quo nomine dicta θυλακῖτις. Nicander Alexipharmacis.

Ἀλλὰ σὺ πολλάκι μὲν σπάδικα βάρβαρα νάρδου
Ῥιζάδα θυλακόεσσαν ὀπάζεο, τῇ τε κίκινον
Γρυνέος αἰθαλέοντα φέρει πολυμυεῖδα καρπόν.

θυλακόεσσαν intelligit, hoc est κικινώδη, &, vt Dioscorides vocat, ὀρθίω. Quare diligenter hoc considerandum, atque obseruandum: spicam Cilissam hic esse bulbum croci, quanquam pro croco ipso accipitur, vt spicam nardi esse bulbum nardi Indicæ. Græci quidem νάρδου στάχυν dicunt, sed non κρόκου στάχυν. neque σκορόδου στάχυν. Quare apparet, vt dixi, imitatione Latinorum

Bbbb

ſeplaſiarios Capuæ, & eos ſequutos omnes Græcos id ſpicam dixiſſe. Contra στάχυς Græcis eſt, quicquid nucamenti modo compactum mucronato faſtigio ſemen incluſum gerit, quod præcipuum in frugibus Cerealibus. à quarum ſimilitudine Græci ῥιζοτόμοι in thymo. ſtœchade & ſimilibus στάχυν ponunt. Dioſcoridis ſunt verba de Epithymo nondum à quoquam intellecta: Ea ego in gratiam τῆς ὕλης ἰατρικῆς ſtudioſorum ponam. ἐπίθυμον, inquit, θύμου ἐστὶν ἄνθος τοῦ σκληροτέρου καὶ θύμβρᾳ ἐοικότος. ἔχει δὲ κεφάλια λεπτά, κοῦφα, κερχνὺς ἔχοντα ὡς τρίχας. Hic diligentiſſ. vir, atque Latinitatis obſeruantiſſimus Ioannes Ruellius & ſe & alios in magnos difficultatum anfractus induit, quum vertit: *Capitula habet tenuia, & leuia, & in eis caudiculas, quaſi capillamenta.* κερχνὺς vertit *caudiculas*, Dupliciter lapſus eſt, & quum putat deminutiuum κέρκος eſſe κερχνὺς, & quum putat caudiculas deminutiuum caudæ Latine poſſe deduci. Neque hoc ſatis. Nam quot lites inter Rhizotomos ſeuit hæc interpretatio, aliis Græce neſcientibus, aliis lanam caprinam ſomniantibus? Miſeret me eorum, qui Dioſcoridem tractant, & Græce neſciunt. At Dioſcorides non figuram Epithymi hic nobis proponit, ſed thymi illius, qui Satureiæ ſimilis eſt: qui in Cappadocia & Pamphylia frequentiſſimus ſponte naſcitur. Non, inquam, Dioſcorides epithymum deſcribit nobis, neque capillamentum illud, quo thymum quoque inuolui certum eſt: & quod ne Plinius quidem ignoraſſe videtur. ſed thymum ipſum Cappadocem & Pamphylium. In quo multum decepti ſunt iſti immanium Commentariorum conſarcinatores, qui maluerunt pertinaciter verum oppugnare, quam quid vellet Dioſcorides, diligenter penſitare. Sed quid penſitaſſent homines & Latine, & Græce ignari? Quibus id facile ignoſco, quia, & nemo hactenus errorem inſignem in Dioſcoridis verbis deprehendit. Nam pro κερχνὺς ἔχοντα ὡς τρίχας, legendum aio, κεραχνὶς ἔχοντα ὡς στυχάς. *Epithymum*, inquit, *eſt flos è thymo duriore ſatureiæ ſimili capitulis tenuibus, leuibus, mucronata cuſpide, quali ſtœchadis.* Ita enim vertendum erat. Nam Dioſcoridis Epithymum neque eſt capillamentum. de quo ſupra dixi, neque hic illum niſi de ſpica thymi agere certum eſt, ſed illius thymi, qui tantum ſatureiæ ſimilis eſt. Nam & thymus στάχυν habet, vt & fæx Pharmacopœorum ſcit, & teſtatur Nicander περὶ χαλκοῦ ἱππομαχίδος, quum ait: ἢ νέον ἀρτίφυτον θύμου στάχυν. Et ſtœchas ad eius inſtar στάχυν habet. Dioſcorides de ſtœchade, ὁμοίαν ἔχουσα κόμην θύμου. & αὐτοψία id docet. Ergo Epithymum Dioſcoridis tantum capitulum & ſpica thymi durioris eſt ac thymbram referentis intelligo thymbram, quam veteres κεφαλωτὴν vocabant, quia κεφάλια vt hic thymus habet. Serenus:

At Thymbræ ſpeciem, quam commemorant Cephalotē.

κεραχνὶς igitur vocat ſpicas à ſimilitudine cuſpidum in ſibynis, & haſtis, quæ Homero & κεράχοι & στυρακίνοι dicuntur. Eleganter igitur ait capitula illa thymbræ eſſe mucronato faſtigio inſtar cuſpidum. imo ipſa faſtigia cuſpides vo-

A cat. Nos igitur. Dei virtute, primi maximam cauſſam errorum & periculoſæ ignorantiæ ex bono ſcriptore ſuſtulimus, quæ doctorum hominum ingenia hactenus exercuit, idque propter ignorationem huius partis humanitatis, quam Criticen vocant. Tanti momenti eſt errores veteres, qui iamdudum in bonis auctoribus inoluerunt, odorari poſſe. Quare non eſt quod poſthac quiſquam in Dioſcoride cum Ruellio, aut vllas caudiculas, voces Latino cœlo ignotas, neque neſcio quos pilos hariolet ur. Omnia plana ſunt, omnia illuſtria, ac per-

B ſpicua. κεραχνὶ igitur hic ſunt ſpicarum mucrones. At ſpicæ nardi & ſpicæ alij alia ratio, quam reddere non poſſum. at illam recte poſſum. Nam quicquid in acumen deſinit: veteres ſpicum vocabant. vnde deminutiuum ſpiculum, & verbum inſpico: vt, *ferroque ſates inſpicat acuto.* Et ſane κεραχνὶς nihil aliud quam ſpicum.

SPICA *Ciliſſa.*] De croco igitur intelligendum: quod in aris cremari ſolitum oſtendimus. Ouidius: quum de aromatis, quæ ſacris adolerentur, loquitur:

Nec fuerant rubri cognita fila croci.

C INGENIVM *poſitus irritet.*] Lege, *potis irritat.* eſt γνώμη.

ELEGIA VII.

SVNT aliquid manes. letum non omnia finit;
Luridáque euictos effugit vmbra rogos.
Cynthia namque meo viſa eſt incumbere fulcro,
D *Marmor ad extremæ nuper humata viæ:*
Cùm mihi ab exequiis ſomnus penderet amaris,
Et quererer lecti frigida regna mei:
Eoſdem habuit ſecum, quibus eſt clara capillos,
Eoſdem oculos: lateri veſtis aduſta fuit.
E *Et ſolitum digito beryllō adederat ignis,*
Summáque Lethæus triuerat ora liquor:
Spirantéſque animos, & vocem miſit. at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus.
Perfide, nec cuiquam melior ſperande puellæ,

In te iam vires somnus habere potest?
Iámne tibi exciderunt vigilacis furta Suburræ,
Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu.
Sæpe Venus triuio commista est pectore misto:
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Fœderis heu taciti, cuius fallacia verba
Non audituri diripuere noti.
At mihi non oculos quisquam inclamauit euntis.
Vnum impetrassem te reuocante diē.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos.
Læsit & obiectum tegula curta caput,
Denique quis nostro curuum te funere vidit?
Atram quis lacrymis incaluisse togam?
Si piguit portas vltra procedere, at illud
Iussisses lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?
Hoc etiam graue erat, nulla mercede hyacinthos
Iniicere, & fracto busta piare cado.
Lygdamus vratur, candescat lamina vernæ.
Sensi ego, cum insidiis pallida vina bibi,
Aut Nomas arcanas tollat versuta saliuas.
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quæ modò per viles inspecta est publica noctes,
Hæc nunc aurata cyclade signat humum:
Et grauiora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est.
Nostráque quod Petale tulit ad monimenta corollas,
Codicis immundi vincula sentit anus.
Cæditur & Lalage tortis suspensa capillis
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meæ conflauit imaginis aurum,
Ardenti è nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamuis mereare, Properti,
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego fatorum nulli reuocabile carmen,
Tergeminúsque canis sic mihi molle sonet,
Me seruasse fidem. si fallo vipera nostris
Sibilet in tumulis. & super ossa cubet.
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem:
Turbáque diuersa remigat omnis aqua
Vna Clytæmnestræ stuprum vehit, altera Cressæ
Portas mentitæ lignea monstra bouis.
Ecce coronato pars altera vecta phaselo,
Mulcet vbi Elysias aura beata rosas:
Qua numerosa fides, quáque æra rotunda Cybelles,
Mitratísque sonant Lydia plectra choris:
Andromedéque & Hypermestre sine fraude marita,
Narrant historiæ pectora nota suæ.
Hæc sua maternis queritur liuere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus,
Narrat Hypermestre magnum ausas esse sorores:

In scelus hoc animum non valuisse suum.
Sic mortu lacrymis vita sanamus amores.
Cælo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus: si fortè moueris,
Si te non totum Chloridos herba tenet.
Nutrix in tremulis nequid desideret annis
Parthenie: patuit, nec tibi auara fuit.
Deliciaque meæ Latris, cui nomen ab vsu est,
Ne speculum dominæ porrigat illa nouæ.
Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
Vre mihi. laudes desine habere meas.
Pelle ederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo
Mollia contortis alligat ossa comis.
Ramosis Anio quà pomifer incubat aruis,
Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed bene quod currens vector ab vrbe legat.
Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra:
Accessit ripæ laus Aniene tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Cùm Pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur. nox clausas liberat vmbas,
Errat & abiecta Cerberus ipse fera.
Luce iubent leges Lethea ad stagna reuerti:
Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideat aliæ: mox sola tenebo:
Mecum eris, & mistis ossibus ossa teram.
A *Hæc postquam querula mecum sub voce peregit,*
Inter complexus excidit vmbra meos.

PHILIPP. BEROALD. BON.

SVNT *aliquid manes, letum non omnia finit.*] refert somnium, quo vidit vmbram Cynthiæ, & verba, quæ ab illa audire visus est, commemorat. Prima sententia sumpta est ex illo Homerico: Est apud inferos anima, & simulachrum non
B nihil est, & ita animos immortales esse credit contra Epicureorum opinionem.

LVRIDA *vmbra.*] epitheton bonum & vmbris defunctorum accommodatum. Luridus enim dicitur supra modum pallidus: vnde lurida rana, luridus orcus, & lurida venena dicuntur ab idoneis scriptoribus. Apuleius pallorem ipsum appellat lurorem.

FVLCRO.] fulcrum dicimus tam lecti discubitorij, quam cubicularis, quo fulcimur, id est, sustinemur, vt inquit Seruius: vnde deriuari videtur. Tranquillus in Claudio inquit: *More veteri ad fulcra letorum sedentes vescerentur.*

MVRMVR.] hoc ideo dicit: quia sepulta
C erat, vt infra dicet, in ripa Anienis: & natura fluuiorum est, vt vndis fluant murmurantibus. Papinius:

Sic ripis ego murmurantis Hebri.

ET *quereret.*] corrigendum est quereter, hoc est lamentaret regnum lecti mei obitu Cynthiæ frigescere, vt pote viduatum & desolatum.

SOLITVM *beryllon.*] indicat sibi Cynthiam apparuisse facie & cultu corporis eodem, quo elata est, & habebat, inquit, eandem in digito gemmam, quæ rogali flamma erat. Beryllus gemma est in India originem habens. Polliuntur omnes sexangula figura artificum ingeniis,
D aliter politi non habent eundem fulgorem. probatissimi sunt qui viriditatem puri maris imitantur. sunt & chrysoberini, quorum fulgor exit in aureum colorem. Indi ex beryllis faciunt cylindros: quibus commendatio est ex longitudine. auctor Plinius in vltimo. vnde dixit Iuuenalis: *Donauit arcana cylindros.* vbi intelligendum est de huiuscemodi gemmis fastigiata longitudine. Cylindrorum meminit etiam iurisconsultus de auro & argento legato his verbis: *Cum quadam ornamenta mamillarum ex Cylindris, triginta & margaritis detraxisset.*

LETHÆVS *liquor.*] iuxta illud Sillij:

Lethaeos potat latices obliuia mentis.

E PERFIDE.] verba Cynthiæ per quietem alloquentis Propertium, & eius perfidiam criminantis, qui tam cito ab obitu amicæ somnos capere potest.

EXCIDERANT.] è memoria exierant. Martialis: *Excidit mihi nomen.* Indicat Cynthia se habitasse in suburra, à qua vna ex vrbanis tribubus nominata est suburrana, quamuis in codicibus Plinianis & Varronianis mendose scriptum sit suburbana. Hic vicus frequens erat antiquitus scortis: vnde à Virgilio, & Martiale suburranæ

meretrices cognominātur. Hinc est illud Persij:

——totaque impune suburra

Permisit sparsisse oculos iam candidus vmbo.

PER *quam demisso.*] ex hoc docent Cynthiaci manes quanto sit amore Cynthia complexa Propertium, quæ non recusabat vt poëtæ obsequeretur per funem à fenestra descendere manus alternando more funabuli.

SÆPE *Venus triuio.*] citra verecundiam se cum Propertio ait Cynthia concubuisse propalam amoris causa: id quod Crates & Diogenes cynici fecisse memorantur.

TEPIDAS.] dicit sua pallia siue pectora (vtraque enim lectio probata est) tepecisse ipsas vias in quibus concumbebant.

FOEDERIS *heu taciti.*] dolenter pronunciandum est. dolet enim Cynthia fœdus illud fuisse irritum, quod inter se taciti de amore percusserant: Cuius fœderis verba ait à ventis fuisse direpta.

INCLAMAVIT.] mos erat priscorum morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere. auctor Plinius. Conqueritur Cynthia id officij genus sibi morienti fuisse denegatum à Propertio, & quia cum clamore oculos claudebant moribundos, ideo dixit, *Inclamauit.* alij codices habent inclinauit. cuius verbi significatio est manifestaria.

NEC *crepuit.*] ego existimo hoc versu significari custodem cadaueris, quem ait Cynthia suo funeri adhibitum non fuisse à poëta. custos, inquit, feralis non insonuit fissa arundine, hoc est fistula arundinea iuxta meum cadauer, vt ita ad vigiliam esset excitatior, atque vegetior. Huius custodiæ feralis meminit Apuleius in secundo de asino aureo.

TEGVLA *curta.*] conqueritur Cynthia sibi defunctæ tegulam fractam, mutilatámque sub capite fuisse suppositam, cùm debuerit verus amator puluinos molles, delicatósque subiicere.

CVRRVM.] legendum curuum. & est sensus: Quis vidit te in meo funere curuatum, & capite in terram inclinato: quod signum est ex animo lugentis. dolet etiam quod nullis lachrymis calefecerit togam atram, hoc est nigram, quam lugentes gestare consuerunt. vestes enim pulles induunt qui lugent: vnde pullati dicti: & ille color Anthracinus nuncupatur. Anthraces enim Græcè carbones Latinè appellantur. vnde ait Varro: *Amiculo nigello sequuntur luctum.* auctor est Festus nulli licuisse vti prætexta pulla, nisi ei qui funus faciebat. Scribit Plutarchus in quæstionibus: Mulieres in luctu albis vestibus indui, & corpus defuncti albo vestimento velari, qui color est mortuis aptissimus. Defunctus enim est quiddam simplex & purum, sicut color albus syncerus & minime inquinatus est.

CVR *nardo.*] cur, inquit, quando cadauer meum comburebatur, non optasti, vt venti flarent, ignémque restinguerent: cur vnguēto nardino flammas rogales non respersisti? antiquitus enim cadauera vnguentis vngebantur, iuxta illud Ennianum: *Tarquinij corpus bona fœmina lauit & vnxit.* & in rogum aceruatim congesta

A vnguenta in honorem cadauerum vtebantur. vnde Plinius de vnguentis scribens inquit: *Honos hic ad defunctos pertinere cœpit.* & Apuleius pollinctum appellat corpus, quod erat aromatis perspersum & vnguine odoro delibutum. & Papinius scribit meliorem in Glauciæ defuncti rogum congessisse liquores pretiosos.

NVLLA *mercede hyacinthos.*] in rogum defuncti qui carus fuerat munera pretiosa mittebantur, & dilecti equi, canes, famuli, vna comburebantur. Nunc dolet Cynthia, quod in funere suo Proper. nec quidem iniecerit viles hyacinthos, nec vino rogum ex more resperserit. Hyacin-

B thus flos est, quem, vt inquit Plin. in vigesimo primo, comitatur fabula duplex: luctum referens eius quem Apollo dilexerat, aut ex Aiacis cruore editi ita discurrentibus venis, vt Græcarum literarum figura ea legatur inscripta. de quo Ouid.

Has Hyacinthe tenes: illas Amarante moraris.

Hyacinthus gemma est, in qua fulgor violaceus dilutus est, vt auctor est Pli. in vltimo. Ab Hyacintho Hyacinthinus color appellatur aërius. vnde in exodo scriptum legimus, Pelles Hyacinthinas appellari à colore: & velum ex Hyacinthino croco, bysso, purpuráque contextum adhibebatur ad mystica Iudęorum sacra accom-

C modatum: in quo Hyacinthus aëri deputabatur, sicut crochus ætheri, byssus terræ, purpura mari: & ita ad quatuor elementa colores in velo quatuor referebantur, vt docent Iosephus in vi. de captiuitate Iudæorum, & Hieronymus in epistola ad Fabiolam de veste sacerdotali. Hyacinthina autem vestis à viola nomen cepit: cuius Martialis, Persius & Plin. meminerunt. Hîc Hyacinthos accipe pro floribus potius quam pro gemmis: cum in funeribus flores passim cum vnguentis adhiberentur: quod Papinius in epicedio Glauciæ, & epicedio Priscillæ demonstrat.

D FRACTO *cado.*] vino rogos respergi solitos testis est Homerus, qui scribit Achillem in funere Patrocli flammas rogales restrinxisse mero nigro infuso. & Virg. dixit in vi.

Relliquias vino & bibulam lauere fauillam.

At tu, inquit, Cynthia, noluisti vel rupto cado vase vinario bustum meum mero respergere.

LYGDAMVS *vratur.*] ex his verbis ego coniecto Cynthiam veneno periisse: & est cum ironia per interrogationem pronunciandum, vt sit sensus. Quando ego bibi vina venenata sensi ne te dicentem ex dolore Lygdamus vratur? quasi dicat me moriente non dixisti vt Lygdamus ser-

E uus vreretur, hoc est ignito ferro in fronte notaretur & stigmaticus efficeretur, neque vt seruus lamina candente torqueretur, tanquam ille venenum in poculo propinasset.

CANDESCAT *lamina verna.*] supplicij genus notat, quo antiquitus vtebantur. vnde ait Valerius in Theodoro: *Hieronymus tyrannus laminas extinxit.* Quintilianus in gladiatore: *Ille accendebat ignibus laminas.* & huius tormenti crebra est mentio apud ecclesiasticos scriptores. Vernam autem seruum dici notum est: & eum potissimum qui domi nostræ nascitur. vnde ver-

naculum deriuatur. & Columella gallinas vernaculas vocat nostrates, quas maxime probat.

NOMAS] nomen est fœminæ sagæ & expiatricis, quæ saliuis vtebatur ad expiationes, quas eleganter Persius lustrales appellat, quasi purgatorias: *Lustralibus ante saliuis expiat*: & scribit Plinius in vigesimooctauo: Fascinationes saliua ieiuna repelli, & in omni medicina mos erat terna despuere precatione, & lippitudines matutina saliua sanantur. Ait Cynthia, non dixisti, vt Nomas tolleret saliuas lustrales, nec vlla exhibisti dolentis indicia.

DIC *& damnatas.*] duæ sunt dictiones, dic, &: diuisimque legendum est, vt sit sensus: Dic Properti vt testa ignita vrat manus noxij & sōtis, qui mihi concinauit exitium: quasi dicat, tu nihil tale dixisti. Potest & aliter istorum quatuor versiculorum sensus ordinari, vt Cynthia petat à Propertio, vt supplicium sumere velit de Lygdamo seruo, & ancilla nomine Nomade: à quibus vina pallida, hoc est venenata sibi data esse testatur. idque se inter bibendum sensisse significat. Vratur, inquit, Lygdamus cauterio tanquam veneficus. Facito vt Nomas manifestet venena illa, quæ habuit in arcanis, quæ mihi propinarunt. Testæ autem ignitæ supplicium dicet, hoc est dicere coget: & indicare manus illas sceleratas, quæ mihi venena porrexerint.

TOLLAT.] emenda id verbum, & lege prodat, quod significat reuelet & aperiat.

SALIVAS.] expone secundum hanc sententiam pro venenis, siue vinis venenatis: nam & vinum saliuam habet, &, auctore Plinio, sua cuique vino saliua est innocentissima.

QVÆ *modo per viles.*] dolet Cynthia quod post obitum suum statim poëta alteram adamauerit, & eam quæ esset prostituta, & omnibus communis, & quæ pretio locaret noctes. Hæc, inquit, cycladata incedit, & apud te regnat. Cyclada appellamus vestem fœmineam in rotunditate formatam, cuius ita meminit Seruius, *Togas etiam fœminas habuisse cycladum, & recinij vsus ostendit.* De hac ait Iuuenalis:

Hæc sunt quæ tenui sudant in cyclade.

Et Alexander Romanus Imperator, auctore Lampridio, dicere solebat matronas regias contentas esse debere cyclade, quæ sex vnciis auri plus non haberet. Inde dicitur cycladatus, cyclade indutus. Tranquillus: *In publicum processit Caligula aliquando sericatus, & cycladatus.*

ET *grauiora rependit.*] si aliqua ancillarum, inquit, ausa est coram noua domina meam laudare formositatem, illa luit pœnas, & maiora pensa nere compellitur, & neta calathis reponere, quos quasillos vocat, quorum iam facta est mentio.

NOSTRA *Petale.*] nomen est vetulæ, quam dicit fuisse vinculis codicariis coercitam, propterea quod coronas tulerit ad suum monumentum.

CODICIS *immundi.*] codices dicuntur tabulæ à quo codicarias naues antiqui nuncuparunt, quæ commeatum subuehunt. & caudex plurium tabularum contextus appellatur: vnde Claudius cognominatus est Caudex, is qui Romanis primus persuasit nauem conscendere, vt docet Seneca in libro de breuitate vitæ. cuius verbis manifestarius efficitur Domitij error scribentis Claudium Caudicem esse cognominatum à caudaco: quod nullus veterum scriptorum prodidit, neque Varro, apud quem Caudaci nomen quidem ponitur, sed citra mentionem Claudij caudicis. caudacus autem significat suauem & mansuetum. Sed non inde cognomen Claudius caudex accepit, vt Domitius hallucinatur, sed à caudice, qui plurium tabularum contextum significat, vt autumat Seneca: cum quo errare malim, quam cum recentioribus scriptoribus vera sentire.

CÆDITVR *& Lalage.*] nomen fictitium Lalage enim Græce vox dicitur, & Lalagen amicam appellat Horatius. Quoniam, inquit, Lalage iurat per nomen meum, tanquam venerandum, ideo cæditur à noua domina, & per capillos trahitur.

CONFLAVIT.] in massam redegit. Dolet Cynthia quod adeo pristini amoris sit oblitus, vt patiatur imaginem suam auream à noua amica conflari, quod fieri non sineret si viueret scintilla vlla prioris incendij.

FATORVM *nulli reuocabile carmen.*] quoniam pluribus in locis meminit poëta fatorum, & nos nihil pene de fato enarrauimus, video esse facturus operæpretium, si hoc in loco quid senserint idonei scriptores de fatis explicauero. Philosophi connexionem, seriémque causarum omniū, qua fit omne quod fit, fati nomine appellitant. Fatum (vt inquit luculente Seneca) si deum dixeris non mentieris, cum enim nihil aliud sit quam series implexa causarū: ille est prima omnium causa, ex qua cæteræ pendent. vnde ait Augustinus: non esse de verbi controuersia elaborandum, quandoquidem ipse ordo causarum dei summi tribuitur voluntati, quam ethnici philosophi fatum vocant. Fato, hoc est illa indeclinabili serie rerum, cuius ineffugibilis est necessitas, fieri omnia Zeno & Chrysippus arbitrantur. Plato vero, Platonicique dixerunt fatū legem esse diuinam: vnde si quid prouidentia agitur, id agi etiam fato: & quod fato terminatur, id prouidentia esse susceptum. Apud Iudæos Pharisęi Himarmene, hoc est fato, deputant vniuersa. Saducei vero Himarmenem omnifariam negāt, asserentes bonum vel malum in hominū electione, atque volūtate esse propositum. Trismegistus de Himarmene, hoc est fato & necessitate, ita scripsit: *Himarmene & necessitas ambæ sibi inuicem indiuiduo connexæ sunt glutino: quarum prior Himarmene rerum omnium parit initia: necessitas vero cogit ad effectum.* Tria esse fata dixit Apuleius propter tria tempora, sub quo nomine tres Parcas intelligit. Nam quod in fuso perfectum est id præteritum tempus significare: quod torquetur in digitis, præsens: quod nondum è colo tractum est, id futurum seculum videtur ostendere. Apuleio astipulatur Ausonius sic scribens: *In Aegypto ternario Tres charites, Tria fata, Triplex vox, Trina elementa.* Scribit Martianus Parcas Iouis esse librarias, archiuique cœlestis custodes. poëtę fato cūcta regi autumāt. Ideoque dixit Manilius:

Fata regunt orbem, certa stant omnia lege.
Interdum fatum pro morte vsurpant, quæ ineluctabilis est. Nunc iurat Cynthia per carmen fatorum quod irreuocabile est, se fidelissimam fuisse in amore Propertij.

TERGEMINVSQVE *canis.*] Cerberus triceps, qui latratu trifauci terret manes defunctorum.

NAM *gemina est sedes.*] apud inferos, inquit, per amnem Acherontem bifariam nauigatur, & duplex est domicilium, alterum malorum, alterum bonorum. Huic simile est illud Virgilianum:

Hic locus est partes vbi se via findit in ambas.
à dextra Elysium, à sinistra Tartarum esse dicit.

CRESSÆ] Pasiphaës, quæ intra bouem ligneam inclusa concubuit cum tauro, quam Maronis musa in lugentibus campis esse memorauit.

ELYSIAS *rosas.*] campi Elysij sunt secundum poëtas in medio inferorum suis felicitatibus pleni, vbi habitant animæ piorum. Secundum theologos Elysij sunt in sphæra plane puris animis deputati, quod refert Macrob. Al.j circa Lunarem circulum, quod sentire videtur Lucanus illuc scribens animam peruenisse Pompei:

Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit. ——

Historici Elysium esse dixerunt insulas fortunatas, quas nouisse se Strabo testatur: quas Plutarchus in Sertorio duas esse scribit: Plinius & Solinus sex numero prodiderunt. quarum delitias & felicitatem luculente describit Horatius: & Homerus illic Elysios campos esse finxit. vel, vt alij dicunt, in Hispania his versibus:

Elysium in campum, terrarúmque vltima tandem
Dij te transmittent: stat flauus vbi Rhadamantus.
Existitque viris vbi vita facillima durans.

Nunc poëtice loquitur poëta, & ait in Elysio esse rosas sicut cecinit Tibullus:

Floret odoratis terga benigna rosis.

TVRBA *Cybeles.*] in campis Elysiis ait Cynthia esse turbam Cybeleiam propter cymbalistas & tympanistas illic resonantes.

LYDIA *plectra.*] plectra, teste Donato, ab hoc verbo plector dicta sunt, quod significat ferior, quoniam eo cordæ feriuntur à citharœdo. dicit Cynthia in Elysio sonare plectra Lydia propter musicam Lydiam, quæ, teste Apuleio, erat querula: de qua ita scribit Aristoteles in octauo politicorum: *Ad melodiam quæ appellatur Lydia mista flebiliter disponuntur.* & à Plato in tertio de republica: *Quæ sunt*, inquit, *querulæ harmoniæ dic mihi Lydiæ mixtæ, Lydiaque acuta, cætera huiusmodi.*

MITRATIS *choris.*] alludit ad sacerdotes Cybeleios, ministrósque Bacchi, qui mitriforus cognominatur. & mitra à fœminis & effœminatis gestabatur. In Elysio erant, inquit, chori, choreæque tripudiantes. Ita Tibullus:

Hic cantus, choreæque vigent.

ANDROMEDÆ.] in Elysio erant animæ mulierum pudicarum, & quæ probitate censentur.

A HÆC *summa.*] Andromede, inquit, conqueritur quòd immerito fuerit cathenis religata ad saxum, quando fuit obiecta monstro propter peccatum maternum: de quo dictum est in primo commentario.

HYPERMESTRE.] rectus est casus, cuius notissima est fides erga maritum Lynceum.

CHLORIDOS *herba tenet.*] ait vmbra Cynthiæ, Si non te totum occupauit Chloris noua amica, pellexitque herbis & veneficiis, hoc te rogo, vt nutrici Partheniæ victum suppedites, nec illam sinas egere in senecta: quæ tibi semper præsto fuit. potes legere Colchidos propter Medeam à qua herbæ medeides dicuntur.

B LATRIS *cui nomen ab vsu.*] latria Græcè significat seruitutem, latris seruum: & apud ecclesiasticos scriptores fere semper latria dicitur illa seruitus quæ pertinet ad colendum Deum, vt docet August. in x. de ciuit. Dei. Inde appellatur latris ancilla à seruitute & obsequio, quod dominæ impendebat.

PELLE *hederam tumulo.*] hedera inimica est omnibus satis: sepulchráque ac muros rumpit, vt refert Plin. in XVI. &, vt inquit Laberius in mimmo, *Hedera serpens vires arboreas necat.* Ideo nunc petit Cynthia à Propertio, vt hederas remoueat à sepulchro, quæ ossa ipsius alligabant,

C infestabántque.

RAMOSIS *Anio.*] sensus est: Scribe mihi breue epitaphium in columna, quæ posita est prope Anienem tyburtinum: & ita indicat se fuisse sepultam in Tyburtina terra. De Aniene supra dictum est.

PALLET *ebur.*] cælum Tyburtinum dicebatur rebus præstare candorem potentissimum ebori. vnde ait Sillius:

Tyburis aura pascit ebur. ——
& Martialis:
Tybur in Herculeum migrauit nigra Lycoris:

D *Omnia dum fieri candida credit ibi.*

Hoc fieri poëta ait numine Herculeo. Tybur enim Herculi dicatum est, & Herculeum cognominatur. cuius rei supra memorauimus.

HIC *Tyburtina.*] hoc est epitaphium, quod scribi in columna deposcit Cynthia.

AVREA.] hoc est formosa.

ANIENE.] vocatiuus est casus, tanquam Anienus secundo ordine declinetur, qui frequentius est tertij ordinis. & eo declinatu dicitur Anio anienis, quo Nerio nerienis: vt docet Gell. Anienis ripæ laudem ait accessisse propter sepultam illic Cynthiam.

E SOMNIA *portis.*] poetæ somniorum portas duas esse dixerunt, corneam & eburneam, quarum cornea veris: eburnea falsis somniis est deputata: Si quis forte causam quærere velit, is instruetur auctore Macro. qui scribit in commentariis in somnium Scipionis: Cornu istam esse naturam vt tenuatum visui peruium sit: ebur vero ita esse densatum ait ad quamuis extremitatem tenuitatis crassum nullo visu ad vlteriora tendente penetretur. alij vero autumant per portam corneam oculos significari: per eburneam vero ipsum os à dentibus, quæ oculis videmus vera proculdubio esse, quæ ore loqua-

mur falsa esse posse.

ABIECTA *&c.*] quoniam noctu liberæ vmbræ vagantur, nec claustris coërcentur, interdiu vero ait ex legibus Plutonis omnes vmbras reuerti ad Acherontem, & eas à Charonte recenseri prouidente ne aliqua legitimo numero desit.

MECUM *eris.*] quando scilicet eris defunctus.

INTER *complexus.*] dicit poëta cludens Elegiam è suo effugisse complexu vmbram Cynthiæ, quæ incorporea est: &c, vt inquit Maro,

Par leuibus ventis, volucrique simillima somno.

IANVS DOVSA PATER.

SED *breue quod currens vector ab vrbe legat.*] *Currens*, id est, cursim ac properanter prænauigans. sic Horatius: *licebit Iniecto ter puluere curras*, id est, nauiges porro.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

AT ILLI *Pollicibus fragiles increpuere manus.*] Non cuiuis obuium, quid velit Amerinus noster. Sed proculdubio erat gestus componentium se ad dicendum. Petronius: *Intrat cinadus homo omnium insulsissimus, & plane illa domo dignus, qui vt infractis manibus congemuit, einsmodi carmina effudit.* Idem: *Retexit superbum pallio caput, & manibus inter eius in articulorum strepitum constrictis. Quænam est, inquit, hæc audacia?* Hodieque multos id facere, antequam loquantur, videmus. At qui conuocatis viris, aut alioqui verba facere volebant, alia signa habebant, quibus sibi audientiam faciebant: vt in actis Apostolorum Paulus τῇ χειρὶ κατασείσας populum καθαγάζει. Antiquitus prætento pollice, medico, & auriculari depressis, ac mediis duobus indice, & infami erectis, significabant se verba facere velle ad populum. Apuleius Milesia II. *Ac sic aggeratis in cumulum stragulis, & effultus in cubitum, subrectúsque in torum porrigit dexteram: & instar oratorum conformat articulum, duobúsque infimis conclusis digitis, ceteros eminentes porrigit, & infesto pollice clementer subrigens, infit.* In numismate consecrationis Constantini anima Constantini nuda, linteo amicta, quadrigis vehens in cælum porrecto brachio recipitur alia manu ex cœlo existente ad hunc gestum conformata, pollice scilicet infesto duobus sequentibus iunctis, duobus vero reliquis depressis, qui est gestus Episcoporum benedicentium. Infra sunt literæ CONS. id est Consecratio. Omnes enim Consecrationes, illo seculo ita exprimebantur, vt imperatoris anima dextra Iouis porrecta exciperetur. In Panegyrico Constantino Magno dicto: *Vere enim profecto illi superum templa patuerunt: receptúsque est consessu cæli, sum Ioue ipso dextram porrigente.* Fulgentius Placiades libro de Continentia Virgiliana non pollice prætento, sed compresso. *Itaque compositus in dicendi modum, erectis in totam duobus digitis, tertium pollicem comprimens ita verba exorsus est.* Itaque Episcopi eo gestu olim in loco, qui Salutatorium dicebatur Latinis, ἀσπαστικὸν Græcis, alloquebantur populum, & benedicebant eum.

VIGILANTIS *tecta Suburra.*] Scribe auctore vetere libro, *Vigilacis.* quo verbo Iurisconsultus vtitur.

FECERVNT *tepidas.*] Huic pentametro subiungendum distichon: NEC CREPVIT FIXA ME PROPTER ARVNDINE CVSTOS.

NEC *crepuit fissa.*] Lege FIXA. neque, inquit, propter amores nostros euenit id, quod alias solet, vt aut ianitor, ex insidiis vulneratus sit à te, neque tegula à nostris tectis in caput tuum missa sit.

FOEDERIS *heu taciti.*] σχηματισμὸς cum genitiuo Græco more. οἴμοι τῆς ἀνοίας. Plautus:

Di immortales mercimonij lepidissimi.

AT *mihi non oculos quisquam inclinauit.*] Noster, INCLAMAVIT. Tangit morem claudendi oculos morientis cum inclamatione nominis illius.

CVR *ventos non ipse rogis.*] Mos Romanus. Herodianus libro quarto. Sed id prius ex Græca superstitione. Homerus:

Ἔνθ' αὖτ' ἄλλ' ἐνόησε ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς,
Στὰς ἀπάνευθε πυρῆς δοιοῖς ἠρᾶτ' ἀνέμοισι
Βορέῃ καὶ Ζεφύρῳ, καὶ ὑπέσχετο ἱερὰ καλά.
Πολλὰ δὲ καὶ σπένδων χρυσέῳ δέπαϊ λιτάνευεν
Ἐλθέμεν, ὄφρα τάχιστα πυρὶ φλεγεθοίατο νεκροί,
Ὕλη τε σεύαιτο καήμεναι ———

INIICERE *& fracto.*] Duo disticha quæ sequebantur, alio pertinent.

CYCLADE *verris humum.*] Virgil. *croceo velamen Achanto.* Seruius: *cyclade.*

ET *grauiora rependit iniquis.*] *Iniquis quasillis.* quia æqua pensa rependebantur heræ, nisi quum ob culpam aliquam iniquiora exigebantur. Ouidius:

Aequaque formosæ pensa rependis heræ.

Glossæ: σταθμὰ τὰ διδόμενα ταῖς γυναιξὶ, *Pensa.*

CODICIS *immundi.*] Et illa eodem modo damnata est apud Iuuenalem:

Horrida quale facis residens in codice pellex.

PER *nomen quoniam est ausa.*] Ab hoc pentametro sequuntur duo disticha ordine: LYGDAMVS VRATVR.

LYGDAMVS *vratur.*] μίμησις ex persona ipsius nouæ amicæ. Vratur Lygdamus, quia consuluit sagam Nomada super noua amica, quæ fortasse ad eius interitum spectabant: aut tale quid. Nam constat hoc velle Propertium. sed cuiusmodi fuerit id, pro quo lustrales saliuas Nomas saga mouerit, id vero neque scio, neque admodum refert vtrum sciam an nesciam.

SENSI *ego quum insidiis pallida vina bibi.*] Verba non μιμητικά, sed ipsius Cynthiæ. est autem parenthesis, & legendum *bibi*, non *bibit.* Has voces imperiosæ pellicis audiui egomet, inquit, quum tacite bibi χοάς. nam inferium vinum, quod Græci vocant χοάς, *pallida vina* dicit. *pallida* ob mortuos, ad quos pertinet id vinum. Vini autem illius odore putabant elici animas ad bibendum, vt illa bibula anus Plautina facit, cuius nares flos meracli Libyci percutit. Propterea χοάς Euripides νεκρῶν ἀγωγὰς vocat in Ecuba:

Δίξαι χοαί μοι τὰς δὲ κατανείους
Νεκρῶν ἀγωγούς.

AVT *Nomas arcanas.*] Aut crucietur Lygdamus, aut tollat saliuas lustrales & incantamenta saga illa, quam Lygdamus consulit. Nam quare consulit, si hoc non est insidiari capiti, & vitæ meæ?

DICET *damnatas.*] Ita liber noster. Sed legendum, *Ducet.* ducere hic est filatim liquefacere: vt fit in pingui, quod igne remittitur. Hispanice *Pringar*, genus tormenti ex lardo igne liquefacto, & in terga mancipiorum stillante: dignum non miseris mancipiis, sed ipsis semimauris carnificibus supplicium. Sane, inquit, testa ignea imposita liquatim igne tabefactæ manus stillabunt, nisi arcanum prodiderit. Hæc est, ni fallor, vera horum versuum, & sedes, & explicatio: qui antea & alieno loco positi, & obscuri erant.

ARDENT *è nostro.*] Lege: *Ardeat.*

VNA *Clytæmnestræ stuprum venit.*] *Clytæmnestra stuprum* [illegible], Clytæmnestra impudica. sic scelus Polymnestoris, error Herculis, & talia multa Propertiana.

VECTA *Phaselo.*] Noster *parta* phaselo, quod non intelligo.

QVAQVE *errat turba Cybelles.*] Corruptum ex scriptura, *Quáque æra rutunda Cybelles.* Rutundum pro rotundo veteres.

NARRANT *historiæ pectora.*] Noster *corpora.* Ita repone.

HÆC *summa æternis.*] Mallem: *Hæc sua materna.*

NARRAT *Hypermnestre.*] Vitiosa interpunctio sententiæ bonæ iniuriam facit. Nam ita potius:

Narrat Hypermnestra magnum ausas esse sorores.
In scelus hoc animum non valuisse suum.

PARTHENIE *patuit.*] Ita interpunge:

Nutrix in tremulis nequid desideret annis
Parthenie. patuit, nec tibi auara fuit.

DELITIÆQVE *mea latris.*] Et in veteribus inscriptionibus serui, & ancillulæ dicuntur DELICIVM. Eas, ni fallor, abras vocabant Attici. Iuuenalis Abram intelligit.

— & flauam, quæ fert mandata, puellam.

Fortasse *Faueam.* In Glossis, *Fauea. παιδίσκη Faueus, παῖς.* Plautus Milite: *Quasique hunc anulum Fauia sua dederit, ea porro mihi.* ex vestigiis scriptæ lectionis ita emendamus: quod sine dubio rectum est.

ELEGIA VIII.

DISCE quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cùm vicina nouis turba cucurrit agris.
Lanuuium annosi vetus est tutela draconis,
Hic vbi Tartareæ non perit hora moræ,
A *Quà sacer abripitur cæco descensus hiatu,*
Quà penetrat virgo, tale iter omne caue:
Ieiuni serpentis honos cùm pabula poscit
Annua, & ex ima sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cùm temerè anguineo creditur ore manus.
B *Ille sibi admotas à virgine corrigit escas.*
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum;
Clamántque agricolæ fertilis annus erit.
C *Huc mea detonsis auecta est Cynthia mannis.*
Caussa fuit Iuno, sed mage caussa Venus.
Appia dic quæso, quantum te teste triumphum
Egerit, effusis per tua saxa rotis!
Turpis in arcana sonuit cùm rixa taberna,
D *Si sine me, famæ non sine labe meæ.*
Spectaculum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impuros fræna mouere locos.
Serica nam taceo volsi carpenta nepotis,
Atque armillatos, colla Molossa, canes;
E *Qui dabit immundæ venalia farta saginæ,*
Vincet vbi erasas barba pudenda genas.

PHILIPP. BEROALD. BON.

DISCE *quid Es. hac no. fu. aquo.*] nouam refert superstitionem Draconis lanuuini, qui cibariis à virgine porrectis pascebatur: & ita puellarum pudicitia explorabatur. eo se contulisse Cynthiam curru vectam cum luxurioso comitatu conqueritur. diximus supra Propertium in Exquiliis habitasse. ideo nunc ait exquilinos no-

ctu certatim cucurrisse ad visendam Draconis A
Lanuuini vetustam religionem. Lanuuium oppidum est in Latio, ex quo municipio fuit Milo, vt inquit Asconius,& ita apud Ciceronem in oratione pro Milone legendum est, Lanuuium fuisse iter Miloni ad flaminem prodẽdum, quòd Lanuuij dictator erat: cum in multis codicibus legatur Lauinium, & Lauinij propter nominis similitudinem. Lanuuium condidit Diomedes exilio aduectus, vt scribit Appianus in secundo bellorum ciuilium. In codice Catuliano reuerendæ vetustatis legi: *Lanuuinus acer atque dentatus*: à Lanuuio scilicet deriuatus passim nunc legitur Lauinus. B

TVTELA *Draconis.*] scribit Cicer. in I. & II. de diuinatione: In Solinio campo agri Lanuuini, vbi educatus est Roscius, fuisse maximam anguium vim, adeo vt ad focum nundinari solerent. vnde non absurde videtur ficta esse fabula Draconis Lanuuini, quem ait poëta per longam vetustatem fuisse sub tutela Lanuuij in specu dehiscente.

TAM *raræ.*] emenda tartareæ, vt sit sensus: Draconem recubare in eo antro per quod descensus est ad inferos, vbi nulla cessat hora, qua non illac descendant in tartarum vmbræ defunctorum: & ita furtim insinuat per illud antrum iter esse manibus ad tartarea domicilia. Dracones iuba cristatas esse tradidit, qui tanta magnitudine reperiuntur, vt elephantos in pugna enecent: & eorum sanguinem totum hauriant. C

EX *vna.*] lege Ex ima. & est sensus: Draconem sibilare ex ima, hoc est profunda spelunca.

DEMISSÆ *pallent.*] demittebantur ex ritu superstitioso virgines in illud antrum ad alendum draconem, quæ pallebant, pauebántque vehementer porrigentes manu cibos ad os draconis. D

REDEVNT *in colla parentum.*] si castæ puellæ porrexerint escam ieiuno draconi: is ex earum manu sumit cibum, & illæ pudicæ iudicantur, incoluméstque ad parentes reuertuntur. sin autem fuerint impudicæ: illas auersatur, & infestat.

FERTILIS *annus.*] hæc est agricolarum vociferatio, quando sospes & illæsa virgo à dracone remeauit.

HVC *mea detonsis.*] ait poëta Cynthiam per Appiam viam, per quam iter est Lanuuium, curru vectam accessisse ad draconem Lanuuinum. cuius rei non tam fuit causa Iuno: cui dicata erat illa religio, quàm Venus, & impudicitia. Iunonem in hoc loco intelige sospitam, quòd oculis cæcutientibus fere omnes prætererunt. inuenio apud historicos Iunonem cognomento sospitam templum habuisse Lauinij: cuius rei fit luculenta mentio apud Liuium ita scribentem libro octauo ab vrbe condita: *Lanuuinis ciuitas data, sacráque sua reddita cum eo, vt ædes, lucúsque sospitæ Iunonis communis Lanuuinis municipibus cum populo Romano esset, propter hanc ædem, quam Lanuuij Iuno sospita habebat.* ipsa apud Ouidium in sexto Fastorum Lanuuium suum vocat illo versu: E

Et populus Laurens, Lanuuiúmque meum.

DETONSIS *ab annis.*] id est ætate puellari: qua primitias comæ detonsæ diis consecrabant. sed cum istud ephebi magis pueri, sicut Plutarchus docet, quàm puellæ factitarent, existimo hunc versum ita esse legendum: *Huc mea detonsis auecta est Cynthia mannis*: vt poëtæ sensus hic sit: Cynthiam deuectam esse, ad cerimonias Lanuuinorum in carpento, quod manni, hoc est equi detonsi, hoc est pexi & ornati ducebant. & ita non Iunoniæ religionis causa, sed libidinis luxurioso & delicato ornatu præditam Cynthiam vult intelligi deportatam esse Lanuuium. mannes autem equos esse pusillos & delicatos notum est: qui, teste Porphyrione, alio nomine burichi nuncupantur: de quibus ait Horatius:

Terruit mannos ego quid timebo.

quod autem his iunctis vterentur ad currum docet Ouidius illo versiculo:

Paruáque quàm primum rapientibus esseda mannis.

manni diminutiuum est mannulus. qua dictione vtitur Plinius in epistolis sic scribens: *Habebat mannulos multos, & iunctos, & solutos.*

TEMONE *pependit.*] instar aurigantis: & ita taxat Cynthiam, quæ citra puellarem verecundiam fungeretur aurigæ ministerio.

SYRIGANAM *tracto.*] versus obscurissimus, nec ipsi Propertio, si ita legatur, facilis interpretatu. ego vero, vt in aliquem poëticum sensum redigeretur, ita emendaui: *Serica nam taceo volsi carpenta nepotis*: & est sensus, Cynthia sequestrato pudore, ibat in curru, nec aurigæ munia obire verebatur. taceo autem illa carpenta fuisse nepotis, hoc est luxuriosi, volsi id est mollis & euirati, quibus serico velamento decoratis Cynthia vehebatur. & ita erit color rhetoricus, qui dicitur occupatio. Volsus autem apud priscos dicitur glaber, & depilis à vellendo nuncupatus. Plautus in Aulularia: *Tu istum gallum, si sapis, glaurorum reddes in quam volsus ludius est.* & Scipio in oratione probro dat Gallo homini delicato, quòd barba vulsa, fœminibúsque subuulsis ambulet. nepotem autem prodigum & victus delicatioris dici nemo est qui nesciat?

ARMILLATOS *canes.*] taceo canes molossicos habuisse Cynthiam in comitatu armillis decoratos. Canibus collaria imponuntur, quæ vocantur melium, id est cingulum, vt ait Varro in secundo de re rustica, circum collum ex corio firmo cum clauis capitatis, intra quæ capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri. à Festo appellatur millus. hic poëta vocat canes armillatos, hoc est millum in collo gestantes, tanquam armillam & ornamentum: alludítque ad millum collare. colla autem molossa dici propter epyroticos canes manifestarium est, qui erant laudatissimi, quique celebrantur testimonio Varronis, Virgilij, Horatij, & Lucani: & à Plauto facetissime parasiti canes molossi nuncupantur in captiuis.

QVI *dabit.*] hic mihi videtur esse sensus: Nepos ille mollis & volsus, qui regnat in amore Cynthiæ, in cuius curru ille gestatur, cùm

cœperit esse barbatus & vesticeps: efficietur fartor, & vendet farta, hoc est farcimina, ganeonibus & helluonibus, qui saginæ & abdomini vescuntur. & ita leges farta & non facta. est & alter sensus & verior, vt scilicet dicat poëta hunc nepotem mollem & delicatum, qui nunc ætatis flosculo est in delitiis? vbi inceperit esse hispidus & barbam rasitauerit, futurum gladiatorem. Illi enim, qui ludo gladiatorio præparabantur à munerariis in saginario alebantur, vt saginati, roboratíque valentioribus alimentis vehementius digladiarentur. quod luculentissime docet diuus Cyprianus: cuius verba hæc sunt ex libro epistolarum II. *Paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum sanguis oblectet, impletur in succum cibis fortioribus corpus. & aruinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam carius pereat.* Quintili. quoque in gladiatore hoc idem significat sic scribens: *Alebat deuotum corpus grauior omni fame sagina.* Talis itaque gladiator dicitur dare venalia fata, hoc est mortem venalem saginæ immundæ id est gladiatoriæ, quia venditur à lanista, & saginatur à numerario, vt deinde in gladiatorio spectaculo depugnet ad spectatorum voluptatem. Talem futurum ait Propertius illum nepotem, qui tunc erat Cynthiæ delitium.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

QVVM *vicina meis.*] Noster, *Quum vicina nouus arua cucurrit agris.* quod puto verum, modo *aura* pro *arua* legas. hic supra:

Publica vicinæ perstrepat aura viæ.

Quum, inquit, aura strepitus verberauit aures viciniæ. nóuos agros vocat exquilias, quæ eo tempore colebantur sublato communi sepulchro plebeiorum. Horatius:

Nunc licet exquiliis habitare salubribus.

Mæcenas etiam ibi concessis ab Augusto aliquot iugeribus cepit hortos colere, qui ab eo Mæcenatiani dicti fuerunt.

LANVVIVM *annosi.*] Verba Plutarchi, quæ nos olim in hunc locum annotaueramus, adducerem, nisi hoc iam à Turnebo factum viderem. Sed & Ælianus disertissime hoc prosequitur libro de animalibus x. cap. XVI. Post alia: οἰκουμένῳ ἐν τῷ Λαουινίῳ ἄλσος τιμᾶται μέγα καὶ δασύ, καὶ ἔχει πλησίον νεὼν Ἥρας Ἀργολίδος. ἐν δὲ τῷ ἄλσει φωλεός ἐστι μέγας καὶ βαθύς, καὶ ἔστι κοίτη δράκοντος. Vide reliqua. Vbi vides Lauinium manifesto vocari, quod hic Lanuuium. Neque enim, quod etiam quidam docti Itali pertendunt, diuersa sunt Lauinium & Lanuuium, neque caussæ est quod locum quendam Strabonis ad hoc aducent, quum is locus nihil eos iuuet. Et ioculare est eorum commentum.

VETVS *est tutela draconis.*] Iunoni Lanuuinæ sacer Draco ille, de quo hic & apud Ælianum agitur. In nummis L. PROCILI Iuno Sospita, quæ erat tutela Lanuuij, cusa est Draconem hunc calcans.

CÆCO *descensus hiatu.*] φωλεὸν vocat Ælianus, item κοίτην.

A QVA *penetras virgo.*] Ita & noster sed inepte. lego:

Qua penetral. (virgo tale iter omne caue.)

IEIVNI *serpentis honor.*] παρθένοι τε ἱεραὶ κατειλημμέναι ὑφάσμασι πελάζουσιν εἰς τὸ ἄλσος ἐν ταῖν χεροῖν φέρουσαι μάζαν καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ταινίᾳ καταδεδεμέναι. ἄγει δὲ αὐτὰς εὐθύπορον ἐπὶ τὴν κοίτην τοῦ δράκοντος πνεῦμα θεῖον, καὶ ἀπταίστως πρόεισι βάδην καὶ ἡσυχῇ ὥσπερ οὐκ ἀκαλύπτοις ὁρῶσαι τοῖς ὀφθαλμοῖς.

QVVM *temere anguineo.*] Repone ex fide scripti libri: *Quum tenera. Tenera*, hoc est puellaris. In monobiblo:

Ne tenera adsidua colla grauentur aqua.

B *Tenera colla*, puellaria. κορίδια poëtice.

VIRGINIS *in palmis.*] Virginis κατωφέρου.

SI *fuerint castæ.*] Persequitur Ælianus: καὶ ἐὰν μὲν παρθένοι ὦσι, προσίεται τὰς τροφὰς ἁγνὰς ὁ δράκων καὶ πρέπουσας ζῴῳ θεοφιλεῖ. εἰ δὲ μή, ἄπαστος μένει, ὡς προειδὼς αὐτὴν τὴν φθορὰν, καὶ μεμαρτυρημένου. μύρμηκες δὲ τὴν μάζαν τὴν τῆς διακορευθείσης εἰς μικρὰ καταθρύψαντες, ὡς ἂν εὔφορα αὐτοῖς εἴη, εἶτα ἐκφέρουσιν ἔξω τοῦ ἄλσους, καθαίροντες τὸν τόπον. γνωρίζεταί τε ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων τὸ πραχθέν, καὶ αἱ παρελθοῦσαι ἐλέγχονται, καὶ ὑπὸ τὴν παρθενίαν αἰσχύνασα ταῖς ἐκ τοῦ νόμου κολάζεται

C τιμωρίαις.

HVC *mea detonsis deuecta est Cynthia mannis.*] Ita recte Beroaldus ex veteri lectione, *ab annis*. sed mirum detonsos dicere, quos Ouidius iubatos facit.

Paruáque comprimeum rapientibus esseda mannis
Ipsa per admissas concute lora iubas.

Alibi de mannis:

Frenáque in effusa laxa iacere iuba.

Glossæ, *Mannus* βουρίχοις. Ita etiam Acro in Horatij Epodum. In Panegyrico in Constantinum: *Cui digredienti ad annulos sederas.* Lege: *mannulos dederas.*

D SED *mage caussa Venus.*] Nam tam Veneris quam Iunonis ibi celeberrimum templum. Strabo: Λαουίνιον ἔχει κοινὸν τῶν Λατίνων ἱερὸν Ἀφροδίτης.

APPIA.] Lanuuium ad partes viæ Appiæ, vt hic vides. Et Lauinium quoque ad Appiam erat, auctore Strabone. Ergo Lauinium & Lanuuium idem.

SERICA *nam taceo.*] Has nugas excogitauit Beroaldus. atque illi commentum placet. Vetus lectio: *Siriga nam rapto.* vel *capto.* Lego: *Striga. nam capto.* μίμησις ex persona Cynthiæ. Cynthia, inquit, primo temone sedens dixit auri-

E gæ, Striga. nam ea re huc veni vt volsi nepotis carpenta rapiam, & armillatos canes. Strigare quid esset, satis alibi in Parodiam Virgilij diximus. Strigare equi dicuntur, quum interquiescunt: à Striga loco, vbi hoc solent facere in exercitu. auctor Charisius. Glossæ falso legunt *Triga. Triga*, τόπος, ὅπου ἵπποι γυμνάζονται. Contrarium est Restrigare. Seneca Epistola quarta. *Surge, & restriga, at cliuum istum vno, si potes, spiritu exupera.* Hodie male in Senecæ libris, *Surge, & inspira.*

VOLSI *carpenta nepotis.*] Vollsum, δεδρωπακισμένον intelligo: nepotem, ἄσωτον. M. Seneca declamationum libro primo. *in istis volsis atque expolitis, & nusquam nisi in libidine viris.* volsis παρατετιλμένοις. idem apud Iuuenalem, *resinata iuuentus.*

Ælianus: φασὶ δὲ πρὸς ταῦτα μεγαρεῖς τε καὶ πορθμεῖς Βοιωτοὶ κακὸν δεδιέναι, ὅπερ αἰσχυνόμενοί τε καὶ πιεζόμενοι, τὴν πτῆσιν ὡς ἐξ ἀνδρῶν εἰς γυναῖκας ὑπομένειν. A
Ita legi debet locus ille apud Ælianum.

QVI *dabit immundæ.*] Qui se autorabit ludo gladiatorio. Firmicus: *Qui se ob aliena grasiæ voluntatem nundinati sanguinis iactura ad mortis spectaculum vendant.* Tatianus: ἑαυτοὺς εἰς τὸ φονεύεσθαι παρέχουσιν.

ELEGIA IX.

CVM fieret nostro toties iniuria lecto, B
Mutato volui castra mouere toro.
Phyllis Auentinæ quædam est vicina Dianæ,
Sobria grata parum; cùm bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos,
Candida, sed potæ non satis vnus erit. C
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta nouare mea.
Vnus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quæris concubitus? inter vtramque fui.
Lygdamus ad cyathos. vitrique æstiua suppellex. D
Et Methymnæi Graia saliua meri.
Nile tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus & ipse suos breuiter concretus in artus
Iactabat truncas ad caua buxa manus. E
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Decidit inque suos mensa supina pedes.
Me quoque per talos Venerem quærente secundos
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora cæco:
Lanuuij ad portas hei mei solus eram:
Cùm subitò rauci sonuerunt cardine postes,
Et leuia ad primos murmura facta lares.
Nec mora cùm totas resupinat Cynthia valuas
Non operosa comis, sed furibunda decens.
Pocula mi digitos inter cecidere remissos;
Palluerunt ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, &, quantum femina sæuit:
Spectaculum capta nec minus vrbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum coniicit vngues:
Territa vicinas Teia clamat aquas,
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis & insana semita nocte sonat.
Illas direptísque comis tunicísque solutis
Excipit obscuræ prima taberna viæ.
Cynthia in exuuiis gaudet, victrixque recurrit,
Et mea peruersa sauciat ora manu,
Imponítque notam collo, morsúsque cruentat,
Præcipuéque oculos, qui meruere, ferit.
Atque vbi iam nostris lassauit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra iacens
Exuitur, geniúmque meum prostratus adorat.
Lygdame nil potui, tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
Cùm vix tangendos præbuit illa pedes.

Atque

Atque ait: admissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in vmbra,
Nec cùm lasciuum sternet arena forum;
Colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ sudet aperta moræ.
Lygdamus in primis, omnis mihi caussa querelæ,
Veneat, & pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi ego, legibus vtar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein, quemcunque locum externæ tetigere puellæ,
Suffiit, & pura limina tergit aqua:
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto
Respondi; & toto soluimus arma toro.

PHILIPP. BEROALD. BON.

MVTATO *voluit.*] Ego existimo legendum esse volui. vt sit sensus, Cum toties iniuriã mihi sua petulantia faceret Cynthia volui mutare castra amatoria. & ad aliam me transferre puellam: & ita quæ sequuntur cõiungi posse videntur cũ superioribus. quoniã narrat quemadmodum inter duas amicas concubuerit, vt ita leniret contumeliosas iniurias in se à Cynthia perpetratas. legamus tamen separatim: quoniam in omnibus codicibus separata leguntur.

PHYLLIS *Auentinæ quædam est vicina Dianæ.*] narrat quemadmodum Phyllida & Theiam meretrices vocauerit ad cœnam, & inter illas discumbens fuerit à Cynthia furibunda deprehensus.

AVENTINÆ *Dianæ.*] Romæ templum erat Dianæ in Auentino monte inclytum, quod Latini populi cum Romano populo fecerunt, auctore Seruio Tullo rege, vt scribit Liuius in primo, & Dionysius in quarto. in vestibulo huius templi cornua boum affigebantur, cum in cæteris Dianæ templis cornua ceruorum affi- A gerentur. causam discas ex problematis Plutarchi. Dianæ Auentinæ meminit Ouidius illo versu:

—— Auentino Luna colenda iugo.

VNVS *erit.*] hoc est vnus amator ebriæ Theiæ non sufficiet.

FVRTA.] adulteria.

LYGDAMVS *ad cyathos.*] qui stat ad cyathum dicitur cyathissare, quo verbo vtitur Plautus. & ab Apuleio eleganti vocabulo vocatur pocillator. Olim Iulius Cæsar, auctore Tranquillo, stetit ad cyathum & vinum regi Nicomedi.

SALIVA *meri.*] locutus est proprie & signi- B ficanter. nam saliuam in vino dicimus: &, vt ait Plin. in XXIII. sua cuique vino saliua innocentissima est, sua cuique ætas gratissima, hoc est media. Methymneũ vinum generosum est à Methymna Lesbi ciuitate nuncupatum, de quo dictum est in primo commentario. Methymneus fuit Arion citharœdus: item Hellanicus & Callias, qui Alceum, Sapphóque exposuit.

NILE *tuus tibicen.*] dicit cœnæ affuisse tibicinen Ægyptium, propterea quod *Nequitias tellus scit dare nulla magis.*

CHORALISTRIA *Phyllis.*] choralistriam C vocamus fœminam in choro tripudiantem à choro & listro, quod Græcè significat ventilabrum. potest simplex esse vocabulum, vt quemadmodum cymbalistas, & tympanistas viros nominamus à cymbalo & tympano: ita à choro fœmina choralistria per productionem appelletur.

MAGNVS *& ipse.*] ego hunc locum mendosum, vt multa alia, ita primus emendaui: Nanus & ipse. sensus autem hic est: Aderat pomilio, qui Græcè dicitur nanus, qui ad sonitum tibiæ gesticulabatur. hic est verus sensus: hæc est vera ac poëtica lectio. vnum verbum inuer- D sum totam obscurabat, dehonestabátque sententiam. vnum verbum emendatum totam lucidat, venustátque poëticam elegantiam, facetúmque sensiculum. Nanos autem Græci vocauerunt breui atque humili corpore homines paulùm supra terram extantes, qui hodie quoque vernacula lingua nani passim appellantur: Latini pomiliones, pumilósque nominitauerũt. ostendit Gellius nanum esse verbum Latinum. ídque probat auctoritate Cinnæ non ignobilis poëtæ, cuius hi sunt versiculi:

At nunc me genij nana per salicta
E *Bigis rheda rapit citata nanis.*

& nanum dicitur vas aquarium humile & concauum, quod alio nomine vocant situlum barbatum.

CONCRETVS *in artus.*] circumlocutio est ipsius nani, siue pomilionis, qui in membra conglobatus est. idem Papinius in siluis:

Hic audax subit ordo pumilorum:
Quos natura breuis statim peracta
Nodosum semel in globum ligauit.

TRVNCAS.] breues & quasi mutilatas, quales nani habere consueuerunt.

AD *caua buxa.*] ad tibiam multiforalem è buxo confectam.

SED *neque suppletis.*] ait sibi facta esse ostenta

quæ portenderent aliquid aduersi. Quod enim flamma in lucernis extinguebatur quamuis oleo repletis, quod mensa decidit, quod in alea semper damnosum iactum iaciebat.

PEDES.] ingens est copia rerum sine nomine, quas non propriis appellationibus notamus, sed alienis & commodatis, vt inquit Seneca in secundo de beneficiis. inde pedem dicimus, & nostrum & lecti & veli & carminis, ita nunc à poëta pedes mensæ dicuntur.

ME *quoque per talos.*] iactu talorum, inquit, Venerem quærebam, qui est felicissimus iactus: sed semper canis siue canicula, qui est iactus damnosus, proueniebat. de hac Venere ait Horatius:

Quem Venus arbitrum dicet bibendi?

vbi exposuit Porphyrio venerium iactum in talis summum numerum habere. de hoc intellige apud Plautum ita scribentem in asinaria:

Iace talos pater: hoc venerium est.

de hoc meminit & Cice. in primo & secundo de diuinatione, cuius verba supra recitauimus. de hoc intellexisse videtur & Plutarchus: qui ita scribit in Catone Vticensi: *Non bene se habet inuita Venere.* Suetonius in Augusto: *Denarios,* inquit, *vniuersos tollebat, qui Venerem iecerat.* Non placet exponas in hoc loco Venerem pro concubitu.

SVBSILIERE.] ita legendum est à subsilio verbo, non subsiluere.

DAMNOSI *canes.*] iactus in talis detrimentosus vocitabatur canis: vnde damnosi dicuntur à poëtis. Ouidius:

Damnosi facito stent tibi sæpe canes.

& alibi:

Damnosos effugiásque canes.

à Persio dicitur damnosa canicula. sed quemadmodum Veneres & canes in talis expresserit Aristoteles animaduertit. cuius hæc sunt verba ex libro secundo de animalibus: *Omnia quibus datus est. talus cruribus cum posterioribus continetur ita, vt erectus inde suffragine parte sui prona foras, supina introrsum spectet, quæ veneres vocantur. intus aduersæ sibi positæ sint, quæ canes foris, quæ antenna supra habeantur: situs talorum omnium talis est.*

LANVVII *ad portas.*] hic versus indicat hanc Elegiam non esse à superiore disiunctam, qua docuit Cynthiam ad sacra Lanuuij draconis spectanda processisse. ait poëta se quamuis esset inter duas meretrices, tamen solum fuisse desiderio absentis Cynthiæ: instar amantum, qui soli esse videntur sine amica. & cum esset Cynthia Lanuuij, illic erat animus poetæ, iuxta illud Plautinum:

Si domi sum foris est animus.

RAVCI *sonuerunt.*] introitum Cynthiæ furibundum signat. raucos postes vocat à sonitu rauco, quem faciunt fores dum aperiuntur. Vnde dicit anus Plautina in curgulione: *Placide egredere, & sonitum prohibe forium, & crepitum cardinum.*

RESVPINAT *valuas.*] furentis fœminæ & cum impetu ingredientis formam significanter expressit. Resupinat pro euertit dictum est. ita Iuuenalis: *Aulam resupinat amici.*

A Valuæ sunt, vt dicit Varro, quæ reuoluuntur & se velant. Remissos ex amatorio tremore resolutos intelligit.

FVLMINAT *illa oculis.*] oculos Cynthiæ iracundæ fulminibus dicit fuisse simillimos. Et profecto nulla ex parte maiora indicia animi sunt, quàm ex oculis, qui ardent, incenduntur, qui truces sunt, torui, flagrantes, graues, transuersi: idem summissi, blandi.

NEC *mentitus est ille.*] qui in oculis animum inhabitare existimauit. Ego, vt affectiones meas haud dissimulanter attingam, quotiescunque aut Panthiam meam video, aut Martiam, mecum

B ipse cum suspirio tacitus repeto istum poëtæ versiculum:

Fulminat illa oculis, & quantum fœmina sæuit.

Etenim non tam Cynthiæ quàm Panthiæ, & Martiæ conuenit, quæ ambæ luminibus homines afflant: ad quarum contuitum nullus durare potest aspectus. Fulmina verius quàm fulgores exiliunt ex illarum oculis & emicant, in quibus Cupidines & Veneres omnes inhabitare videntur. Me primum Panthia oculis suis fulminantibus afflauit, reddiditque semivstulatum. Mox Martia totum penitus incendit, combussit, absumpsit, & iuuat me tali incendio deflagrasse. Panthiæ addictus, morior Martiæ mancipatus.

C Quæ autem Panthia sit, & quæ Martia in meis libellis nemo vnquam me docente percipiet: nemo scire cupiat Veneris arcana mysteria. Sint contenti quæso lectores nominibus fictitiis, nec illa discutiant quæ delitescunt penitissimis infixa præcordiis. olim ardores nostros promulgauimus Elegis explicatos, quos eo calore conscribimus, quo amamus: sed iam ad reliqua, quæ supersunt enarranda pergamus.

SPECTACVLVM *capta.*] qualia spectari solent crudelitatis exempla in vrbe ab hostibus, talia in pellices à furibunda Cynthia esse patrata significat.

D GENIVMQVE *meum.*] Genius est Deus, in cuius tutela, vt quisque natus est viuit: hic siue quòd generamur curat, siue quòd gignatur nobiscum, siue quòd nos genitos suscipiat ac tueatur, certe à gignendo Genius appellatur. Nonnulli binos Genios omnibus nobis appositos esse dixerunt. singuli suo Genio die natali sacricantes manum à cæde ac sanguine abstinebant: ne die qua ipsi lucem accepissent, alij demerent, merumque fundendum esse Genio existimabant sine hostiæ immolatione: vnde dixit Persius: *Funde merum Genio.* Genius generalis est omnium præsul, & specialis singulis mortali-

E bus admouetur, quem etiam præstitem, quòd præsit gerundis omnibus, vocauere. Et quoniam cogitationum arcana superæ nunciat potestati, etiam angelus poterit nuncupari. auctores Martianus & Censorinus. Existimat Apuleius in Dæmonio Socratis Genium appellari animum nostrum, qui quamuis sit immortalis: tamen quodãmodo cũ homine gignitur. Tertullia. in apologetico inquit: *Nescitis Genios Dæmonas dici:* & inde diminutiua voce Dæmonia. Genius, auctore Festo, est parẽs hominũ. & propterea Geni' me' nominatur, quia me genuit. Geniũ etiã putarunt

vniuscuiusque loci Deum. vnde ait Maro:

Incertus Geniumne loci, famulumne parentis
Esse putet. ——

à Genio genialis deriuatur, vnde genialis dies & lætus dicitur, & geniales homines appellarunt, qui promptiores essent ad cibaria largius apparanda: & is dicitur curare genialia, qui viuit lautius. Peierare per Genium principis non licet.

PHYLLIDOS *iratos.*] exprimitur ardor Cynthiæ in pellices sæuientis, & vnguibus vultum Phyllidis lancinantis, vnguibus enim armatur fœmineus sexus, vt inquit Donatus: &, vt ait Lucretius,

Arma antiqua manus vngues, dentésque fuerunt.

CLAMAT *aquas.*] tanquam ad extinguendum incendium.

LVMINA *sopitos.*] ad strepitum, fœmineúmque tumultum furibundæ Cynthiæ elata sunt lumina, quibus à somno excussi sunt dormientes Romani.

SEMITA *sonat.*] scilicet strepitu in cæco tumultu à Cynthia concitato.

ILLAS *dire.*] Phyllis & Teia laceratis comis, & tunicis diloricatis aufugerunt in proximam tabernam, & illic delituerunt Cynthiam pauentes.

IN *exuuiis.*] id est, spoliis pellicum.

LASSAVIT *brachia.*] defatigata sunt Cynthiæ brachia in Propertio percutiendo. mox Lygdamus vestibus exutus est, & à Cynthia bene cæsus implorans genium poëtæ domini.

AD *plutei fusca.*] corrige fulcra, vt sit sensus: Lygdamus ad fulcrum lecti sinistrum delitescebat. Pluteum appellat mensam, vt Tranquillus, qui ait in Caligula, *Cœnanti sibi ad pluteum, modo ad pedes stare succinctus linteo passus est.* nam pluteos non solum militares machinas appellamus, sed etiam tabulas: quibus aliquid præsepitur. ita Persius:

—— *nec pluteum cedit.*

& Martialis:

Pluteo vindice tutus erat.

LYGDAMVS.] excusat se poëta apud Lygdamum, cui auxilium imploranti non succurrerat, cùm & ipse mancipium foret amicæ.

TV *neque Pompeia.*] hæc est formula legis à Cynthia præscriptæ, qua interdicit poëtæ porticu Pompeia & ludo glandiatorio, qui in foro exhibebatur arena constrato: vnde arenam poëtæ appellant locum certaminis gladiatorij. & ita non vult poëtam spatiare in illis locis, in quibus frequentes puellæ diuersabantur, vt docet Ouidius.

INFLECTAS *ad summum.*] caueto, inquit, ne ad superiorem theatri partem flectas aciem oculorum: vbi scilicet matronæ spectant.

LECTICA *sudet.*] tropos metonymia pro lecticarij. Nolo, inquit, dum in lectica gestaris diu cuncteris in itinere spectando per lecticam adapertam. vel hoc dicit: Nolo, vt tam diu in itinere lecticam remoreris, in qua matrona gestetur, vt hac tua mora lecticarij desudent: dum tu cum illa sermocinaris. Seruis lecticariis legatis

A si idem lecticarius sit & coquus accedit legato, vt scribit iurisconsultus de legatis.

VENEAT.] volo vt Lygdamus vendatur tanquam internuncius, & perductor meretricium, habeatúrque in compedibus.

SVFFICIT *& pura.*] ego existimo mendum esse in verbo & emendandum suffiit. vt sit sensus: Cynthia factis suffitionibus purgauit locum, quem tetigerant Phyllis & Theia: tanquam suo contactu cuncta polluissent. Virg. *At suffire thymo*: quod exponit Ser. suffumigare. crebra est mentio apud Plinium suffitionis, & suffitus. & Ouidius in Fastis ait:

B *Sanguis equi suffimen erit, vitulíque fauilla.*

MVTARE *lucernas.*] voluit, inquit Cynthia, vt vestimenta tota exuerem tanquam polluta contubernio meretricularum, & vt sumerem mutatoria.

SVLFVRIS *igne.*] Sulfur habet religionibus locum ad expiandas suffitu domos, auctor Plin. in XXXV. vnde ait Ouidius:

Térque senem flamma, ter aqua: ter sulfure lustrat.

& Iuuenalis: *Sulfura tedis.* & ad Ouidio alibi dictum est, scribente de purgatione Palilium:

Cærulei fiant puro de sulfure fumi.

C & fulmina & fulgura sulfuris odorem habent: & lux ipsa eorum sulfurea est. inde à Persio fulmen sulfur sacrum nominatur illo versu: *Sulfure discutitur sacro.* ait poëta suum caput lustratum fuisse à Cynthia terno tactu ignis sulfurei.

SOLVIMVS *arma toro.*] verecunda quadam verborum translatione cum Cynthia se concubuisse significat.

IANVS DOVSA PATER.

LANVVII *ad portas hei mihi solus eram.*] Id est, nihil aliud quàm Lanuuij portas, id est, Cynthiam meam Lanuuium profectam cogitabam,

D itaque mihi euenit quod Tibullus sibi etiam vsu venisse prædicat:

Sæpe aliam tenui, sed cùm iam gaudia adirem
Admonuit Dominæ, deseruitque Venus.

IMPONITQVE *notam collo.*] Sic Lucillius: *Cui sæpe imposui mille plagarum in die.* Simile illud Ciceronis ad Atticum lib. I. *Sed tamen, vt te de Republica consoler, non ita vt sperarunt mali, tanto imposito Reipublicæ vulnere alacris exsultat improbitas in victoria.*

E IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

MVTATO *volui.*] Scriptura *Mulctato.* & recte, dixit enim iniuriam lecto factam.

VNVS *erat tribus in secreta lectulus herba.*] Nulla herba erat, sed prouerbialiter dictum. Supra:

Si te non totum Chloridos herba tenet.

VTRIQVE *æstiua supellex.*] Lege: *vitrique.* Carmen in menses anni, quod legitur secundo Catalectorum nostrorum:

Fontanos latices, & lucida pocula vitro
Cerne vt demerso torridus ore bibat.

Loquitur de Augusto mense. De eodem in alio carmine:

Augustum penitus torret Phaëthontius ardor,

Quem recreat fessum gello, facilla, melo. A
Gello est vas vitreum. βαυκάλιον Græci vocant. Isidorus in Glossis: *Gellonem, bancalem.* & alibi. *Baucalem, gellonem.*

Et *Methymnæi grata saliua.*] In nostro, *Græca.* rectè. intelligitur enim οἶνος θαλασσίτης, quod Celso dicitur vinum salsum Græcum, libro tertio, capite sexto. item capite septimo & decimo. Puto Beroaldum hoc primum mutasse, vt ille fuit vir quidem nulli iudicij, sed lectionis multæ.

Nile *tuus tibicen erat.*] Ait se medium inter Teiam, & Phyllida collocasse. Cur igitur hic facit crotalistriam Phyllida? Sed, ne in nugis lectoris animum occupem, legendum: B

Niletes tibicen erat, crotalistria Phillis.

Hoc est, Ægyptius erat & Niligena tibicen, sed crotalistria Memphitica, aut Syenetica. Nam Philæ insula ad Syenem. Seneca Quæstionum libro quarto: *Philæ insula est aspera, & vndique prærupta. Duobus in vnum coituris amnibus cingitur, qui Nilo mutantur, & nomen ferunt. Vrbs eam totam complectitur. Hanc Nilus magnus magis, quam violentus egressus Aethiopiam, arenasque, per quas iter ad commercia Indici maris est, prælabitur.* Et quæ sequuntur. sed vide Strabonem, qui hæc fusius tractat. Iam Ægyptij Choraulæ, & Crotalistriæ in precio erant. Petronius: C

Memphitides puellæ
Sacris Deum paratæ,
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.
Anus recocta vino
Trementibus labellis.

Nam & puer manu loquaci, est χειρονομῶν χοραύλης, & anus recocta vino est Crotalistria. Sed idem prope est. In epigrammate:

Ἐξαρχιζομένη τῷ πήχει χειρονομοῦσα. Item,
Ἡ κροτάλοις ὀρχηστρὶς ἀεισίν. &c.

Et quid crumata essent, & quid scabilli, alibi docemus. D

Nile *tuus.*] Ineptissime. Scripsimus, *Niletes.* νειλήτης. nisi malis *Nilotes.* νειλώτης.

Coralistria.] Vix ephebos egressi legebamus, *crotalistria.* Tamen Turnebus videtur sibi de Annibale victo triumphare, quum rem tritissimam, & puero facillimam venditat.

Phyllis.] *Philis* scripsimus, φίλις. *Crotalistria Philis*, vt Hospes Zacyntho.

Nanvs *& ipse.*] Nanus choraules scilicet, Romæ in hortis Mediceis extat signum nani cum hac epigraphe:

Θ. Κ.
ΜΥΡΙΠΠΝΩΙ. ΝΑΝΩΙ
ΧΟΡΑΥΛΗΙ. E

Vbi μεσίμους νάνους χοραύλης, vt hic Propertianus quoque nanus est Choraules. Est autem choraules, qui digitis chironomus & pedibus gestiens voce tibiarum & fistularum sonum imitatur, vt in Mauritania adhuc pueri & Thymeticæ mulieres. Sidonius:

Date rauulos choraulas,
Quibus antra per palati
Crepulis restanda buccis
Gemat aura tibialis.

Breviter *concretus.*] Noster, CVRVATVS, non CONCRETVS. In hoc verbo *curuatus* latebat priscus mos pessimi mangonij, quum pueros cogerent non crescere. Dionysius Longinus περὶ ὕψους. ὥσπερ οὖν ἀκούω τὰ γλωττοκομεῖα, ἐν οἷς οἱ πυγμαῖοι καλούμενοι νᾶνοι τρέφονται, οὐ μόνον κωλύει τὰς εἰς ... ἐγκλειομένων, ἀλλὰ καὶ συνάγει διὰ τοῦ περικειμένου τοῖς σώμασι δεσμοῦ.

Iactabat *truncas ad caua buxa manus.*] Caua buxa, sunt scabelli vel tibia. Statius libro septimo Thebaidos

—— *& ad inspirata rotari*
Buxa. ——

Ibi vetus interpres: *Buxa tibia, vel scabillum, quod in sacris tibicines pede sonare consueuerunt.* Si igitur pro scabillo accipiamus, referendum ad crotalistriā, quæ scabillis crumata ciet. scabilli autem, aut testarum, aut lapidum crepitus. Pindarus μεγάλοι ῥῖψαι κυμβάλων, ἐν δὲ καχλάδων κρόταλα.

Sed *neque suppletis.*] Eadem narratio de eadem re apud Petronium: *Lucernæ quoque humore defectæ tenue, & extremum lumen spargebant.*

Lanvvii *ad portas.*] Non est quod doctissimo Turnebo assentiamur, qui obscœnitatem hic vaticinatur. Nam Lanuuium sine vlla figura est oppidum Laurentum. vt supra disputatum, aliter Lauinium. Lauinum τελευμάζους dixit Silius libro VIII.

Quos celso deuexa iugo Iunonia sedes
Lauinum ——

Et Iuuenalis:

Atque nouercali sedes prælata Lauino.

populus in veteribus marmoribus dicuntur Laurentes Lauinates. Ouidius itaque Lanuuium cum Laurentibus coniungit.

Et populus Laurens Lanuuiumque meum:

In *vultum coniicit vngues.*] Fortasse *ignes*, propter id, quod sequitur. Supra:

Tu minitare oculos subiecta exurere flamma.

Svffiit *& pura.*] Noster, *suffocat.* primus Beroaldus *suffiit* emendauit. ego veterem scripturam retineo. Suffocare secunda longa veteres Grammatici deducunt à faucibus: eadem correpta, à foco. Hoc enim notant in suis Differentiis. Suffocare ergo, est πνίγειν. Theocritus de eadem re loquens —— πυρώσατε δῶμα θεείω.
Suffocate domum sulfure.

Respondi.] Verbo iuris vtitur. Stipulata enim erat ab eo. Hoc est enim, *indixit leges.*

ELEGIA X.

Amphitryoniades qua tempestate iuuencos,
Egerat à stabulis ô Erythræa tuis.
Venit ad inuictos pecorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus & ipse boues,
Quà Velabra suo stagnabant flumine, quáque

Nauta per vrbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille Iouem.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora sonos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Auersos cauda traxit in antra boues.
Nec sine teste Deo furem sonuere iuuenci.
Furis & implacidas diruit ira fores.
Manalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus, & Alcides sic ait, ite boues,
Herculis ite boues, nostræ labor vltime clauæ,
Bis mihi quæsitæ, bis mea præda boues,
Aruáque mugitu sancite boaria longo.
Nobile erit Romæ pascua nostra forum.
Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
Terráque non vllas fœta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab vmbroso fecerat orbe nemus.
Feminea loca clausa Deæ, fontésque piandos,
Impunè & nullis sacra retecta viris.
Deuia Puniceæ velabant limina vittæ:
Putris odorato luxerat igne casa:
Populus & longis ornabat frondibus ædem,
Multáque cantantes vmbra tegebat aues.
Huc ruit in siccam congesto puluere barbam,
Et iacit ante fores verba minora Deo.
Vos precor ô luci sacro quæ luditis antro,

A *Pandite defessis hospita fana viris.*
Fontis egens erro, circáque sonantia lymphis,
Et caua suscepto flumine palma sat est.
Audistisne aliquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
B *Quis facta Herculeæ non audit fortia clauæ?*
Et nunquam ad natas irrita tela feras?
Atque vni Stygias hominum luxisse tenebras:
* * *
Quòd si Iunoni sacrum faceretis amaræ,
C *Non clausisset aquas ipsa nouerca suas.*
Sin aliquam vultúsque meus, setæque leonis
Terrent, & Libyco sole perusta coma;
Idem ego Sidonia feci seruilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colo:
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
D *Et manibus duris apta puella fui.*
Talibus Alcides. at talibus alma sacerdos
Puniceo canas stamine vincta comas.
Parce oculis hospes, lucóque abscede verendo:
Cede agendum, & tuta limina linque fuga
E *Interdicta uiris metuenda lege piatur,*
Quæ se summota vindicat ara casa.
Magnã Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum, posita Gorgone, membra lauat.
De tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
Auia secreti liminis vna fuit.

Sic anus. ille humeris postes concussit opacos: A
Nec tulit iratam ianua clausa sitim.
At postquam exhausto iam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia iura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit, hæc fesso vix mihi terra patet. B
Maxima quæ gregibus deuota est ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus,
Hæc nullis vnquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximij ne sit inulta sitis.
Sancte pater salue, cui iam fauet aspera Iuno,
Sancte velis libro dexter inesse meo. C
Hunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatiæ composuere Cures.

PHILIPP. BEROALD. BON.

AMPHITRYONIADES *qua tempestate iuuencos.*] mulieres, auctore Gellio, non peierant per Herculem: & Herculaneo abstinent sacrificio. Huius rei causam nunc poëta commemorat decoriter & luculēter. Res Herculis vulgatissimæ sunt, & quotidie à minutis doctoribus in scholis triuialibus referuntur. Istud relatu dignum est, quod scrutatores reconditarum literarum tradunt, videlicet Herculem deum fuisse vetustum apud Ægyptios. & vnum ex diis duodecim, cuius nomen Græci ab Ægyptiis mutati illud indiderunt filio Amphitryonis & Alcmenæ, & ita gesta prioris Herculis, qui Ægyptius fuit ascripta sunt posteriori, qui Thebanus fuit, quique plus annis mille post primum Herculem effloruit. idem accidit Dionysio, qui dicitur Bacchus. nam quæ priora gesta sunt: ea omnia in posteriorem translata fuerunt. Scribit Macro. Herculem esse Solem: idque ex nominis etymo clarum esse demonstrat. Hercules enim quid aliud est nisi Ἥρας id est aëris: κλέος, hoc est gloria? quæ porro alia aëris gloria est nisi solis illuminatio? mythici, historicique Herculi nomen inditum esse dixerunt ab eo quòd Iunonis opera gloriam esset adeptus, cùm antea, vt inquit Diodor. vocaretur Alceus. Plures Hercules esse tradit antiquitas, sextū Herculem illum fuisse existimat Cice. lib. III. de natura deorum, quem Iuppiter genuerit ex Alcmena, qui dictus est Amphitryoniades: non quòd filius fuerit Amphitryonis, sed quòd existimatus: sicut à Tyndaride dicti sunt Castor & Pollux.

O ERYTHREA.] insula est in Hispaniæ termino in longum ducentorum millium passuum, quadringenta millia lata: in qua oppidum Gadium fuit. vocatur à Thimeo Aphrodisias, ab indigenis insula Iunonis; ab Ephoro Erythrea: dicta est autem hoc nomine, quoniam, teste Plinio, conditores ab Erythreo mari venerunt. in hac Geryones habitasse à quibusdam existimatur, quorum armenta Hercules abduxerit. Pherecydes Erythream dicit esse Gades in qua ea, quæ de Geryone vulgantur, fabulis insinuant. in hac insula herbæ, pabulúmque lætissimum exuberat, quo adeo armenta pinguescunt, vt intra triginta dies suffocentur, nisi sanguinis missione iuuentur. auctor Strabo in III. ex quo fabulas de Geryones armentis confinxerunt. Geryonem vero ipsum non triplicis naturæ, vt fabulis proditur, fuisse ferunt: sed tres fratres tantæ concordiæ extitisse, vt vno animo omnes regi viderentur, qui cum armenta sua rapi ab Hercule vidissent, amissa bello repetierunt. vt scribit Iustinus in vltimo. Geryones Chrysauri filios dicit fuisse Diodorus, cui à diuitiis nomen indiderunt. Hercules armenta transportauit in Italiam, & iuxta Tyberim consedit. si legis ô Erythree: apostrophe est ad ipsum Geryonem, qui dicitur Erythreus ab insula quam inhabitauit.

PECOROSA.] armentosa, & videtur alludere ad id quod dixit Varro, putare quosdam nominatum esse palatium à pecore. Ideóque Neuius balantium appellat, videlicet ab ouium balatu.

QVA *velabra.*] velabrum vicus est Romæ à vehendo dictum, vt interpretatur Varro. Quia olim eo vehebantur ratibus: quando Tyberis per velabrum fluebat. Tibullus: D

At qua velabri regio patet ire solebat:
Exiguus pulsa per vada linter aqua.

Duplex est velabrum: maius & minus.

INCOLA *Cacus erat.*] de Caco Vulcani filio lege quæ scripsit Virgilius in octauo. & Ouidius in primo Fastorum: Caci meminit Liuius in primo, quem Columella vicinis detestabilem fuisse memorat his verbis: *Nisi Antolycus ille cuiquam potuit tolerabilis esse conterminus.* Aut Auentini montis incola palatinis vllum gaudium finitimis suis Cacus attulit. De Caco affatim Seruius, Dionysius, Solinúsque scripserunt. satis sit indicasse scriptores, quos adire possis, si quid copiosius nosse desideraueris. E

AVERSOS *cauda.*] idem pene versus apud Ouidium ita scribentem:

Traxerat auersos Cacus in antra boues.

& Liuius: *Auersos,* inquit, *boues eximium quemque pulchritudine cauda in speluncam traxit: ne vestigia quærentem dominum eo deducere possent.*

FVREM *sonuere.*] id est, mugitu Cacum prodiderūt abactorem armenti Herculanei, Virgilius:

Reddidit vna boum vocem, vastóque sub antro
Mugiit: & Caci spem custodita fefellit.

M ÆNALIO *ramo.*] claua Herculea percussus Cacus occubuit. Ouid.

——abductáque claua trinodis.

Ter quater aduersi sedit in ora viri.

Et Liuius inquit: *Cacus ictus claua nequicquam fidem pastorum inuocans morte occubuit.* Maro cecinit Cacum viribus Herculeis fuisse elisum ac suffocatum. Clauam Herculi dono dedit Vulcanus, quam ramum Mænalium vocat à Mænalo Arcadiæ monte.

T RIA *tempora.*] quoniam ferunt Cacum fuisse tricipitem: cui monstro Vulcanus erat pater.

B IS *mea præda.*] quia primo boues abduxit à Geryone: & ita nunc eripit è manibus Caci.

A RVA *boaria.*] allusit ad forum boarium: quod erat Romæ: perinde ac à bobus Herculis nominatum: quod neque canes, neque muscæ ingrediebantur, vt ait Solinus. In eodem foro Hercules fictilis ab Euandro fuit consecratus: qui triumphalis vocabatur, atque per triumphos vestiebatur habitu triumphali, vt auctor est Plinius in trigesimo quarto. Scribit Cor. Tacitus simulachrum tauri æneum, fuisse in foro Boario, à quo Romulus cœpit ducere sulcum oppidi designandi. Varro autem & Festus forum boarium dictum esse prodiderunt, quod ibi boues venderentur.

F ORTA.] id est, fœcunda & ferax: cuius contrarium est effœta.

F ORMINEÆ *loca clausa Deæ.*] indicat lucum illum fuisse sacratum Bonæ deæ, à cuius sacris viri arcebantur: nec in eius templum introire virum licebat: vt auctor est Macrobius: vnde ait Tibullus:

Sacra Bonæ maribus non adeunda deæ.

Et Seneca in decimo sexto epistolarum ad Lucilium scribit: *Sic viros omnes summoueri à conspectu religionis Bonæ deæ: vt pictura quoque masculorum animalium contegantur.* Hinc exiit illud satyricum:

Illuc testiculi sibi conscius: vnde fugit mus

Intuleris: vbi velari pictura iubetur:

Quæcunque alterius sexus imitata figuram est.

Cerimonias Bonæ deæ olim polluit Clodius adulterata Cæsaris vxore, vt historici tradiderunt.

Q VOD *facinus.*] cum Cicero acriter atque inflammanter conquereretur, dixit in oratione pro aruspicum responsis: *Quod sacrificium tam occultum est: quam id quod non solum curiosos oculos excludit, sed etiam errantes, quo non modo improbitas: sed ne imprudentia quidem possit intrare. Quod quidem sacrificium nemo nisi Publius Clodius omni memoria violauit: nemo vnquam adiit: nemo neglexit: nemo vir aspicere non horruit: quod fit per virgines vestales, fit pro populo Romano: fit in ea domo, quæ est in imperio: fit incredibili cerimonia: fit ei deæ cuius ne nomen quidem viros scire fas est.* Hactenus Cicero: cui astipulatur nunc Propertius, qui ait: Nulli viro impune sacra huius deæ fuisse patefacta, quoniam luunt mox pœnas: & hanc historiam, quam nunc commemorat poëta retulit Macrobius, cuius verba subieci, quoniam sunt enarrationi poëticæ accommodata: *Mulieres*, inquit,

A *sacro Herculis non licet interesse: quia Herculi, cum boues Geryonis per Italiæ agros duceret sitienti, respondit mulier aquam se non posse præstare, quod fœminarum celebraretur dies, nec ex eo apparatu viris gustare fas esset: propter quod Hercules facturus sacrum detestatus est præsentiam fœminarum: & Potitio ac Pinario sacrorum custodibus iussit ne mulierem interesse permitterent.* Hactenus Macrobius.

P VNICEÆ *vitta.*] purpurei coloris. à vitta vittatus deriuatur. & sacerdotes poëtæ vittatos appellant: & olim apud Romanos vnus ex Metellis cognominatus est vittatus: quoniam cum vlcus haberet in fronte vittam gestabat ad de-
B formitatem ocultandam. Cuius rei meminit Plutarchus in Coriolano: Erant, inquit, limina Bonæ deæ velata purpureis vittis, quæ deuia appellat, quoniam erant à via militari sequestrata, & in recessu auio posita. Quid sit deuia supra declarauimus.

P OPVLVS.] populi tria sunt genera: alba & nigra & quæ lybica appellatur. Folia populi circumaguntur post solsticium, id quod vlmo quoque & tyliæ & oleæ & salici euenit: auctor Plinius in XVI. populus Herculi dicata est, vt Ioui esculus: Apollini laurus: Mineruæ olea: Veneri myrtus.

V ERBA *minora deo.*] hoc est humilibus ver-
C bis, neque deo conuenientibus vsus est Hercules, vt impetrabilior fieret apud puellas.

V OS *precor.*] verba Herculis suppliciter deprecantis, vt sibi sitibundo pandant hospitium puellæ ludibundæ.

C AVA *palma.*] sibi suffecturum dicit tantum aquæ, quantum concaua manu possit haurire. Olim Diogenes cynicus cum vidisset puerum manu concaua bibentem: elisisse fertur vasculum ligneum quo ad potandum vtebatur, dicens: Nesciebam quod natura haberet poculum. de hoc naturali poculo versus est ille graphice nimis concinnatus à Calphurnio:

D *Concauat ille manus, palmásque in pocula vertit.*

A LCIDEN.] Alciden cum pronunciamus, nomen ipsum pro magnitudine virtutis eius debemus extollere, vt apud Virgil. curiose Donatus obseruauit. Nunc Hercules se Alciden dum ait in orbe terrarum vocitari: clanculum intelligi vult sub eo nomine fortissimum se, atque inuictissimum dici. Hercules dictus est Alcides: siue ab Alces monte: siue ab Alceo patre Amphitryonis: siue ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est, fortitudine. Herculem autem appellauerunt quasi Ἥρας κλέος, hoc est Iunonis gloriam: quod eius imperiis famam virtutis sit consequutus, vt scribit Probus grammaticus. Macrobius vero Herculis
E nomen ad Solem dicit esse referendum, cuius illuminatio gloria est Iunonis, hoc est aëris, vt dudum diximus.

R ECEPTA.] id est, virtute mea liberata. Vir. *Medioque ex hoste recepi.*

Q VIS *facta Herculea.*] res suas gestas adeo claras: adeo memorabiles dicit: vt nulli ignotæ esse debeant: quemadmodum sunt. quis legendo vel fando non nouit ærumnas Herculeas? quas vno epigrammate complexus est Ausonius: quas Ouid. Seneca, Diodorus copiosè.

Hercules dicitur ab Apuleio lustrator orbis, purgator ferarum, etiam domitor gentium.

LVXISSE *tenebras.*] quoniam scilicet descendit ad inferos & eduxit Cerberum.

IPSA *nouerca,*] pronomina, vt inquit Donatus, habent maximum pondus: vt apud Virg. *Me ne incepto desistere victam.* &: *Ast ego quæ diuum.*

IPSA.] quæ semper mihi fuit infesta: ipsa quæ priuignum vsquequaque persequitur: ipsa quæ meis gaudet incommodis, & angitur felicitatibus.

SETÆQVE *leonis.*] Hercules gestabat pellem leonis nemei pro tegumento, & clauam pro telo: vnde ait luculenter Apuleius in apologia: *Hercules neque vna pelle vestitior fuit, neque vno baculo comitatior, & præter hæc duo nihil aliud gerebat, nudusque peregrinabatur:* quod ideo dictum est quia aurum & argentum & vestem nihili faciebat, vt auctor est Dion Prusensis in libro de regno. Si, inquit, aspectus meus trux, & pellis setis horrenda, & capilli impexi, adustique vos terrent, scitote me olim gestasse vestimenta fœminea, & mulieribus fuisse mancipatum.

SIDONIA *palla.*] purpurea veste muliebri: de qua dictum est supra: Herculem induisse habitus fœmineos, quando Omphalæ seruiebat, notissimum est, & supra memoratum.

LYDA *colo.*] propter Omphalem Lydiam, cui seruiens Hercules nebat, & officia muliebria mulieris instar obibat: quod illi probro maximo dat vxor Deianira apud Ouidium:

Crassáque robusto deducis pollice fila:
Aequaque formosæ pensa rependis heræ.

FASCIA *pectus.*] strophium intelligit, quæ est fascia pectoralis: de quo Catullus:

Non tereti strophio lactentes vincla papillas.

strophium, vt inquit Nonius, cohibet virginalem errorem papillarum: apud Martialem: Lemmata sunt fasciæ pectoralis amictorij & mammillaris: quæ omnia sunt pectoribus fœmineis accommodata. In alia significatione strophia dicuntur coronæ tenuiores: vnde nata strophiola. auctor Plinius in vigesimoprimo. Artifices strophiorum strophiarios vocamus. Plautus in Aulularia: *Strophiarij adstant, adstant semizonarij.*

ALMA *sacerdos: scilicet Bona dea.*] cuius sacrificium, vt supra ex Ciceronis auctoritate recitauimus, fiebat per virgines vestales.

PARCE *oculis.*] quoniam, vt iam docuimus, sacrificium Bonæ deæ oculos virorum excludit non solum curiosos, sed etiam imprudentes: & opinio illius religionis est illum virum oculos perditurum, qui sciens sacra illa perspexerit.

INTERDICTA *viris.*] ara Bonæ deæ & eius sacra erant interdicta viris, neque fas erat virum ingredi illud sacrarium, vt supra diximus. Admonet itaque sacerdos Herculem ne velit polluere cerimonias deæ ingressu virili, quæ summoto & sequestrato loco se remouerat à commertio virorum.

MAGNAM *Tiresias.*] ab exemplo ostendit conspectũ deæ esse viris exitialem. Tiresias enim cum Pallada nudato corpore se leuantem in vndis aspexisset, dedit pœnas illius speculationis. Namque ipsius deæ indignatione luminibus orbatus est: & penitus obcæcatus: quæ res apud Græcos à Callimacho commemoratur. Apud nos ab vno Propertio, qui vsquequaque Callimachum æmulatus fabulam ab illo transtulit. Ouid. & reliqui Latini scriptores Tiresiam ab irata Iunone cæcatum fuisse prodiderũt: qui defunctus apud fontem Tilphosam fuit honorificentissime sepultus, vt Diodo. & Strabo meminerunt. Hunc Plautus coniectorem appellat. hunc apud inferos Homerus ait solum sapere: cæteros vmbrarum modò vagari: vnde nunc vates dicitur à poëta.

B POSITA *gorgone.*] id est, exuta Aegide: in qua Pallas gestat caput Meduseum.

AVIA.] inaccessa & semota. Lucre. *Auia Pieridum peragro loca.*

VICERAT *æstum.*] sedauerat sitis ardorem epoto flumine.

MAXIMA *ara.*] Hercules interfecto Caco aram sibi statuit: *quæ maxima semper*
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper,
vt inquit Maro. de qua ita Ouid.

Constituitque sibi quæ maxima dicitur aram.

hæc, teste Dionysio, proxima erat foro boario, & veneratione inter incolas præcipua: ad quam Hercules boum decumas obtulit, dixitque illos vitam beatissimam victuros, qui sibi bonorum decumam dicauissent. Hinc legimus apud historicos Syllam, Luculum, & M. Crassum illum opulentum decumas bonorum Herculi sacrificasse, & decima Herculanea pars nuncupatur. vnde est locus ille Plautinus in truculento: *Detraxi partem Herculaneam:* & in bacchidibus: *Herculem fecit ex patre; decumam partem ei dedit.* Hercules ab hac ara mulieres sequestrari voluit: quæ, vt inquit Plutarchus, nihil neque attingũt: neque degustant, quod supra aram immolatum sit.

C

D SANCTE *pater.*] sanctus dicitur Hercules Sabina lingua: quem diuḿ fidium prisci vocitarunt. auctor Varro. apostrophe est ad ipsum Herculem: quem rogat poeta, vt velit dexter, hoc est propitius, esse huic suo libello: qui non temere tanquam opitulator poetæ imploratur: nam, vt scribit Plutarchus, Herculi ac musis communem ædem statuerunt, quæ dicitur à Tranquillo ędes Herculis musarum, quia Euandrum literas docuit, & Græci Herculem appellant Musageten: hoc est ducem sociumque musarum. Quies musarum, sicuti eleganter scribit Eumenius, iuuari debet & ornari defensione Herculis: & virtus Herculis voce musarum. Hinc est quod apud Papinium in siluis Hercules appellatur socius musæ Calliopes illo versu:

E

Dic age Calliope socius tibi grande sonabit Alcides.

SENSERAT *orbem.*] legendum potius sanxerat quam senserat, tanquam à sanciendo & sanctione sanctus deducatur, à quo sanctæ leges nominantur, quamuis iurisconsultus à sagminibus deduci existimauerit.

TATIÆ *Cures.*] locus subsobcurus est nec omnibus obuius. Tangit enim historiam, quæ ab Ouid. refertur in VI. Fastorum: nam Sabini,

quorum ciuitas est Cures, quorum rex fuit Tatius, ædem Romæ in monte Quirinali constituerunt deo Trinomio, quem Sanctum, Fidium, & Semipatrem appellant, qui Hercules esse intelligitur, vt docuit Varro: qui etiam refert Tatium Sabinum dedicasse Romæ multa numina, quæ olent Sabinam linguam: exponas ergo Sanctum à Sabinis fuisse dicatum Romæ, & ita Sabina lingua fuisse vocitatum: qui Græca dictus est Hercules: de quo Sillius in VIII. *Pars Sanctum voce canebant Auctorem gentis.*

IANVS DOVSA FIL.

MAGNAM *Tiresias aspexit Pallada vates Fortia dum posita Gorgone membra lauat.*] Non possum non vehementer probare maximi Lipsij, quam nobis per litteras indicauit, coniecturam, siue magis oraculum:

Magno Tiresias aspexit Pallada vates.

Magno, id est, cum magno suo pretio & malo, nempe luminibus ab ea orbatus. Breuis illa, ἐμφατική, & è puro Latio dignissima Poëta nostro phrasis.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

O ERYTHRÆA.] Lege *O Erythea* ἐρύθεια. Vestigia extant in nostro libro, *Erithee*. Est insula Geryonis, vt omnes sciunt. Inde Βούθηρον vocat Dionysius ὠκεανῖτις.

FVRTO *polluit ille locum.*] Correctorum flagitium, qui LOCVM pro IOVEM posuerunt Ita enim scriptura nostra. Iouem Ξένιον intellige. cui incensis odoribus in prunæ batillo sacra fiebant nouorum hospitum aduentu.

PANDITE *defessis hospita vestra viris.*] Varie torserunt hunc locum correctores, neque tamen propterea effecerunt, quod volebant. At vetus lectio: *hospita vana.* puto, *hospita fana.* Fanum est, vbi ara, vt hic.

CIRCAQVE *sonantia lymphis.*] Lege: *Circoque*, aut *circansque.* quod magis placet. Circare est περιοδεύειν. inde Circanea auis Miluius, quod circando agros oberret. Glossæ: *Circat*, & *Circitat* κυκλεύει. *Circito*, περιοδεύω. *Circitor*, *Lustrator*, περιοδευτής. Eo vtitur idiotismus Hispanicus in eadem notione: Italicus & Gallicus paulo detorsiore. Nam *Cercar* illis est inuestigare.

ACCIPITE *hæc fesso.*] Versus suppositicius, qui infra legitur. Nam hic lacuna relinquenda.

ALMA *sacerdos.*] Quæ vocatur Damiatrix. Vide Festum.

SIC *sanctum Tatia composuere Cures.*] Lego *Tatij*. *Cures* in masculino, vt Veij.

ELEGIA XI.

NVNC Iouis incipiam caussas aperire Feretri,
Armáque de ducibus trina recepta tribus.
A *Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.*
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.
Imbuis exemplum primæ tu, Romule, palmæ
Huius, & exuuiis plenus ab hoste redis,
B *Tempore quo portas Ceninum Acrona petentem*
Victor in euersum cuspide fundis equum.
Acron Herculeus Cenina ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirinis,
C *Ipse dedit: sed non sanguine sicca suo.*
Hunc videt ante cauas vibrantem spicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Iuppiter hæc hodie tibi victima corruet Acron.
Vouerat, & spolium corruit ille Ioui.
D *Vrbis virtutisque parens sic vincere sueuit,*
Qui tulit aprico frigida castra lare.
Idem eques & frenis, idem fuit aptus aratris,
Et galea hirsuta compta lupina iuba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.
Præbebant cæsi baltea lenta boues.
E *Cossus at insequitur Veientis cæde Tolumni,*
Vincere cùm Veios posse laboris erat:
Nec dum vltra Tiberim belli sonus, vltima præda
Nomentum, & captæ iugera terna Coræ,
Et Veij veteres & Volscũ regna fuistis

Et vestro posita est aurea sella foro. A
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arua metunt.
Fortè super portæ dux Veïus astitit arcem,
Colloquiúmque sua fretus ab vrbe dedit.
Dúmque aries murum cornu pulsabat aheno, B
Vineáque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit vterque gradu.
Di Latias iuuere manus: desecta Tolumni
Ceruix, Romanos sanguine lauit equos. C
Claudius à Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti palma relata ducis
Virdomari, genus hic Rheno iactabat ab ipso,
Nobilis erectis fundere gesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab agmine braccis D
Torquis ab incisa decidit vnca gula.
Nunc spolia in templo tria condita. caussa Feretri,
Omine quod certo dux ferit ense ducem.
Seu quia victa suis humeris hæc arma ferebant,
Hinc Feretri dicta est ara superba Iouis. E

PHILIPP. BEROALD. BON.

NVNC *Iouis incipiam cauſ. aper. Feretri.*] Romulus, Acrone duce Ceninensium in prælio obtruncato spolia suspensa in ferculo gerens ascendit in capitolium: ibique templum Ioui dedicauit: quem Feretrium cognominauit: & in eo spolia regia collocauit. hæc templi est origo, quod primum omnium Romæ sacratum est. auctor Liuius in primo: fuitque sedes opimis spoliis, quæ ita nuncupata sunt ab opibus, vt ait Varro. Siue, vt scribit Plutarchus, ab operi rei gestæ: sunt autem opima spolia, quæ regibus, ducibúsque hostium in prælio sua manu cæsis detrahunt duces: & in templo Iouis Feretrij suspendunt. Trina vsque ad tempora Plutarchi parta sunt opima spolia: adeo rata eius fortuna decoris fuit. Prima Romulus Acrone interempto. Secunda Cornelius Cossus Tolumnio Hetrusco. Tertia Marcellus Virdomaro gallorum rege suspenderunt: post Marcellum nullus. vnde autem Iuppiter Feretrius sit cognominatus incertum est. Alij à feriendo dictum autumant: alij à ferendo: utrunque significat Propert. in calce carminis, à quo hæc omnis historia eleganter explicatur.

MAGNVM *iter ascendo.*] metaphoricos significat se grandem materiam meditari, quæ heroico carmini magis quam elego conueniret.

CENINVM *Acrona.*] Ceninenses, duce Acrone, impetum in agrum Romanorum fecerunt ob captas virgines, quibus fit obuius Romulus cum exercitu, & hostes fudit, fugátque: Regem ipsum Acronem in prælio obtruncat, obtruncatum armis spoliat, & ita duce hostium occiso vrbem primo impetu capit: mox ornatu triumphali conspicabilis opima spolia Acronis obtruncati Ioui Feretrio consecrauit. Historia nota monumentis Liuij, Dionysij, atque Plutarchi. Herculeum vocat Acrona, vel quia Herculem Cenini venerabantur, vel quia fortis, vel quia ab Hercule erat oriundus.

IPSE *dedit.*] sensus est: Acron, qui sua virtute sperabat se posse Romulum obtruncare, & obtruncatum spoliare, fuit ipse à Romulo victore spoliatus, & ita illi dedit sua spolia suomet ipsius sanguine madentia: ex quo ostendit Acronta vulneribus confossum: sanguinolentáque arma illius extitisse.

VOTIS *ratis.*] vota Romuli rata appellat: quoniam firma fuerunt: & impetrabilia, quæ Ioui fecit.

IVPPITER *hæc.*] verba Romuli votum facientis.

QVI *tulit aprico.*] laudat Romulum à præstantia virtutis, qui frigorum castrensium esset patiens: nec minus idoneus agricolationi, quam militiæ.

GALEA *lupina.*] alludit ad lupam Romuli nutricem: cuius fuluo tegmine (vt inquit Maro) vtebatur. & multi antiquitus in militia gestabāt galeros ex pellibus lupinis consutos: vnde dixit Virgilius:

Fuluósque lupi de more galeros: Tegmen habent capiti, Talem galerum nunc poëta vocat lupinam galeam, qui à Sillio dicitur codō ferinus, illo versu: *Caput his codone ferinæ Stat cautum.* & (vt inquit Vegetius) pileis antiquitus milites vtebantur ex pellibus, quos pannonicos vocant,

HIRSVTA *iuba.*] iubam appellat cristas, quibus ornantur galeæ, quas antiqui de caudis animalium factitabant. Vnde est illud Maronianum: *Cristaque hirsutus equina,* à quo iubæ etiam

dicuntur, vt illic: *Graiarum errore iubarum*: qui galeam comantem ob id ornamenti genus appellat. Pennæ strutio cameli maxime adornant conos bellicos & galeas, vt scribit Plinius in x. cristas primi Cares inuenerunt.

PARMA *pyropo.*] non erat, inquit, Romuli clypeus gemmis fulgentibus distinctus, neque pyropis flammantibus radiosus. Est autem pyropus gemma, quæ (vt inquit Ouidius) flammas imitatur.

CÆSI *baltea lenta boues.*] balteum cingulum è corio habebant bullatum: vnde insinuat Varro balteum deriuari. Ait poëta è corio cæsi bouis fuisse confectum Romuli balteum militare nullo ornatu pretioso. Plautus in asinaria Mortuos boues vocat verbera ex pellibus bubulis concinnata, vbi mortui boues viuos incursant homines.

COSSVS *at insequitur.*] Fidenates interfectis Romanis legatis ad Lartem Tolumnium Veientum regem defecere. Romani vt hanc iniuriam vlciscerentur bellum cum Fidenatibus, Veientibusque Hetruscorum populis sumpserunt. Initum est atrox vtrinque certamen, in quo Cor. Cossus tribunus militum eximia pulchritudine corporis, animo ac viribus par, cum cognouisset Tolumnium regio habitu insignem tota acie volitantem infesta cuspide in illum concitauit equum, quem victum ex equo deiectum interfecit, & interfecto spolia detraxit, caputque abscissum victor spiculo gerens hostes fudit. Spolia opima in templo Iouis Feretrij prope Romuli spolia cum solemni dedicatione dono fixit. auctor Liuius in quarto, apud quem disputatio est, consulne Cossus, an tribunus militum spolia consecrauerit, cùm illa opima dicantur, quæ dux duci detraxerit. Scribunt Plutarchus in Marcello, & Seruius, Numam Pompilium constituisse, vt secunda opima spolia Marti, tertia Quirino consecrarentur: cùm prima Ioui Feretrio Romulus dedicauisset.

VINCERE *cum Veios.*] vrbs Veiorum opulentissima fuit vrbium Hetruscarum, quæ magnitudinem suam vltima clade indicauit: nam decem annos continuos à Romanis circumgessa plus cladium intulit quam accepit. Postremo operibus non vi expugnata est à Furio Camillo.

NOMENTVM *& Cora.*] Nomentum & Cora oppida sunt in Latio, vt scribit Plinius. & vt ait Virgilius:

Hæc tum nomina erant: nunc sunt sine nomine terræ.

Corani à Dardano orti sunt. In agro Nomentano balnea fuerunt, quæ Strabo Labana appellat.

AVREA *sella.*] olim, inquit, tanta fuit æstimatio Veientani nominis, vt in aurea sella sedens magistratus ius in foro diceret. Emenda illud: *Tum præda.* & lege: *Tum regna fuistis.* Alioquin non quadrat sententia.

IN *vestris ossibus.*] tale est illud Nasonis: *Iam seges est vbi Troia fuit.* ita nunc ait poëta, Veios esse desolatos adeo, vt agricolatio exerceatur vbi sepulta erant cadauera Veientum. Virgil.

Grandiáque effossis mirabitur ossa sepulchris

DVX *Veius.*] Tolumnius.

DVMQVE *aries murum.*] in machinis muralibus aries est, qui inuentus esse memoratur in oppugnatione Gaditana, nam cum ferramenta deessent ad demolitionem, sumpserunt tignum, cuius capite murum continenter pulsantes gradatim totam munitionem dissipauerunt: Postea faber Tyrius nomine Pephamenus hac inuentione ductus malo statuto ex eo alterum transuersum suspendit, & in reducendo & impellendo deiecit murum Gaditanorum. auctor Vitruuius architectus in x. Scribit Plin. in VII. equum illum Troianum, quo capta est Troia, fuisse machinam muralem, qui nunc aries appellatur. Ideo aries aut vocatus est à duritie frontis arietinæ, vel quia naturam arietis imitatur, qui (vt vehementius feriat) retrocedit, vt refert Vegetius. Ad quod alludens poëta caput arietis ferratum appellat ahenum cornu.

VINEA.] machina bellica est: sub qua milites consistentes præliabantur: & tunc sub vitem præliari dicebantur. De qua Lucanus:

Adoperta leni succedit vinea terra.

Vineæ militaris mentione scatent historici.

SISTIT *vterque.*] Cossus scilicet & Tolumnius. dicit poëta, paulum ab historiæ fide discedens, Cossum prouocasse Tolumnium regem Veientum ad singulare certamen.

DESECTA.] cæsa est (inquit) Tolumnij ceruix à Crasso. Claudius à rheno: Claudius Marcellus, qui dictus est gladius Romanorum, qui docuit Hannibalem vinci posse in bello Gallico apud Clastidium congressus est contra Virdomarum Gallorum regem, quem Plutar. Britomarchum appellat, qui eximia corporatura, armis auro argentóque distinctis, inter cæteros eminebat. Hûc hasta perfossum Marcellus resupinat: & bis, terque vulnere repetitum exanimat, spoliátque. Mox fusis, profligatisque hostibus Mediolanum capit: victórque curru triumphali vrbem inuectus: tertia opima spolia Ioui Feretrio consecrauit: Quamuis Virg. innuat Quirino fuisse suspensa iuxta legem Numæ Pompilij, cuius supra meminimus. Nunc Propertius famam sequitur vulgatiorem.

BELGICA *parma.*] Marcellus, inquit, fudit hostes cum trucidasset ducem Gallorum, & illius arma retulisset. Parmam Belgicam vocat scutum Gallicum. Belgas enim incoluere tertiam Galliæ partem notissimum est vel vnius Cæsaris testimonio. de parma iam dictum est.

FVNDERE *gessa.*] sicut pila sunt tela peculiaria Romanorum: sarissæ Macædonum, frameæ Germanorum, ita gessa sunt Gallorum, de quibus ait Maro. *Duo quisque alpina coruscat Gessa manu.* Scribit Plutar. gessatas à Gallis vocitari milites mercenarios. Festus ait gessam esse graue iactu: & viros fortes (teste Seruio) gessos Galli vocant.

ERECTIS *rotis.*] quoniam ex curru præliabantur.

VIRGATIS *bracchis.*] Galli vestes gestant intonsas, variíque coloris, quas bracchas vocant. sagula gerunt virgata, hyeme crassiora, æstate subtiliora. auctor Diodo. in VI. & dixit Maro: *Virgatis lucent sagulis.* Quem locum exponens Ser. dixit Virgilium alludere ad Galli-

cam linguam, per quam virga purpura dicitur. Virgatis ergo ac si diceret purpuratis. Tu expone virgata sagula & virgatas bracchas, quia quibusdam quasi virgis contexta erant & versicoloria.

Torqvis *vnca*.] Galli bracchia armillis aureis exornant: circa collum grandes torques gestant ex auro sordido: thoraces auro condecorant, vt refert Diodorus. Gallos cum auro pugnare solitos Torquatus indicio est. Romani auxiliares externos torquibus aureis donauerũt. Ciues vero argenteis, vt scribit Plin. in xxxiij. A torque torquatos milites appellari, testis est Vegetius. Manlius Torquati cognomen meruit à torque, quem Gallo prouocatori detraxit. declinatur masculino & feminino genere, vt in hoc loco, & apud Gellium in octauo: Torquem detraxit, eámque sanguinolentam sibi in collum imponit. Sensus ordinatur sic: Ab incisa gula Virdomari ab inguinibus iaculantis inductique braccas virgatas decidit torquis, quæ vnca, hoc est flexibilis, & obtorta bono epitheto cognominatur.

Nvnc *spolia*.] i. hoc meo tempore visuntur trina opima spolia in æde Iouis Feretrij: quam, auctore Liuio, Augustus Cæsar templorum omnium conditor aut restitutor vetustate dilapsam refecit.

Cavsa *Feretri*.] Iouem Feretrium scriptores quidam autumant appellatum esse ab eo quod fulmine feriat: Alij quod feretro, hoc est ferculo ad id apte fabricato suspensa opima spolia ferantur. Alij à feriendo dici asserunt, quia dux ducem in certamine ferit. Propertius sentire videtur cognominatum esse Feretrium à ferẽdo, quia humeris ferebant spolia ad templum ipsius Dei. Id enim intelligimus potissimum ab eo probatum quod in vltimo posuit. Cui sentẽtiæ astipulari videtur Liuius his verbis: *Iuppiter Feretri, inquit, hæc tibi victor Romulus rex regia arma fero. Græci scylophoron vocant: scylon enim spolium nominatur.*

Omine *certo*.] i. auspicio. namque, vt ait Liuius, ducem non nouimus, nisi cuius auspicio bellum geritur.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

Ceninvm *Acrona*.] In nostro est declinatio archaica. ACRONTA.

Roma *tuis quondam finibus horror erat*.] In nostro, HECTOR ERAT. Quod valde placet. tanquam alter Hector metuebatur tibi, vt ille Priamides Græcis.

Avsvs *sperare Quirinis*.] *Quirinis*, noster. *humeris Quirinus*.

Qvi *tulit aprico*.] Prouerbium. Sic Horatius:
——in pace aptarit idonea bello.

Ivgera *parua Coræ*.] Ita noster. sed quædam antiquæ editiones habent, *iugera terra*, aliæ *trita*. Suspicor legendum, *iugera terna*. Intelligit enim exiguum agri modum, qui militi pro virtute assignabatur. Iuuenalis:

Mox etiam fractis ætate, ac Punica passis
Prælia, vel Pyrrhum immanẽ gladiósque Molossos
Tandem pro multis vix iugera bina dabantur
Vulneribus.-- Et bene hîc conuenit *iugera terna*, quia dixit: *— vltima præda Nomentum—*

Desecta *Tolumni ceruix*.] Mirum Ouidiũ putasse Tolumnio cognomen Lartis fuisse. quum Lar sit dignitatis nomen. Ait enim Epigrammatis: *Larte ferox cæso Cossus opima tulit.*
Atqui, vt dixi, Lar est princeps lingua Hetruscá. Ausonius: *Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.* Lars, προβεστώτης, προστάτης. Vnde Lares apud Romanos sunt Dij προστάται familiæ: qui ab eo propterea Præstites vocabantur. hoc est προστάται, προστατήριοι. Adde quod nisi Tolũnius fuisset Lar, hoc est, princeps aut dux, spolia de eo non fuissent opima. Nam ea sunt, quæ dux à duce aufert. Fortasse non cognomen putauit esse Lartem Ouidius, sed quia apud Hetruscos solos Lar significabat principem, & omnes Hetruscorum principes dicebantur Lartes, satis putauit eo nomine designari quem Cossus interfecit.

Belgica *quum vasti*.] Noster aliam lectionem præfert: *Belligera vasti* lege *Belligerans*. vt supra *circans*, pro *circa*. Erroris caussa, quod archaicos scriptum erat, *belligeras, circas*. vt prægnas, animas, antistas, sine N. Interpungendum autẽ sic:

Claudius à Reno traiectos arcuit hostes
Belligerans, vasti parmæ relata ducis
Virdomari- Ita sine dubio scripsit Propert.

Parma *relicta*.] Ita noster. Sed magis placent editiones antiquæ, in quibus est RELATA.

Virdomari.] Virdomarus ad verbum Ξένιππος. Nam *mar* apud nostros erat Equus, auctor Pausanias, Gallorum veterum idioma sine dubio Teutonicum fuit. Aelianus ποικίλης lib. IX. cap. XVI. scribit inter illos priscos Ausones quẽdam fuisse ait nomine Μάρην ᾧ τὰ μὲν ἔμπροσθεν λέγουσιν ἀνθρώπῳ ὅμοια, τὰ κατόπιν δ' ἵππου, καὶ αὐτὸ δὲ τοὔνομα εἰς τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἱππομιγὴς δύναται. Sane si μάρης ἱππομιγὴς significat, eodem nomine equum illi Casca Aurunci, & Galli vocabant. Huic rei videtur fauere quod adhuc Hollandi Equam *Merie* vocant. Et Marischalcus, quod fabrum ferrarium significat, qui pedibus equorum soleas suppingit. Sed refragatur Pausanias in Phocicis, qui Gallis equum μάρκαν dictũ scribit. & turmam τριμαρκισίαν. Quod magis confirmatur vetere lingua Alamanorum, qui equum bellatorum MARACH vocabant: vt est in eorum legibus. Titulis LXX. LXXI. Noster liber non VIRDOMARI, sed VIRTOMANI. & id quoque Teutonicum. Virtomanus. Ξένανδρος. *Vuirtman*.

Illi *virgatis iaculantis ab inguine braccis*] Iaculari ab inguine barbarum est. at contra Græcum à capite Euripides Hippolyto: καὶ παρὰ χαίταν ξανθὰν ῥῖψαι Θεσσαλὸν ὅρπακ' ἐπίλογχον ἔχουσ' ἐν χειρὶ βέλος. Sed in nostro non *ab inguine*, sed *ab agmine* legitur. quod profecto longe melius est.

Illi.] ἀρχαϊκῶς, pro *illius*.

Virgatis.] De virgatis sagulis Gallorum vide Iuuenilia coniectanea nostra. Virgatam tigrem vocat Seneca in Hippolyto. item Silius libro quinto:

Stat sonipes, vexátque ferox humentia frena,
Caucaseam instratus virgato corpore tigrim.

Virgatam

Virgatam tigrim vocat, quam Euripides ϛικτὴ ἢ βαλιάν. Hic autem Virdomarus virgatis braccis dicitur vt, *-domus sanie dapibúsque cruentus.* A

Bʀᴀᴄᴄɪs.] Propriæ Gallorum braccæ, quas Græci ἀναξυρίδας vocant in Phrygibus, Lydis, & Persis. Euripides θυλάκους. Iam Romanis ἀναξυρίδας in vsu fuisse tempore Licinij imp. habes apud Suidam Λιξίτους. Sed & Lampridius scribit Alagabalum braccas albas habuisse, non coccineas, vt solebant reliqui imperatores. Quare antiquior vsus bracarum Romanis fuit, quam vulgo persuasum.

Oᴍɪɴᴇ *quod certo dux ferit ante ducem.*] Hæc lectio non erat in nostro, sed, *dux ferit ense latus.* B Quod autem ii anxie quærant Feretrij etymon, caussæ non est: quum certum sit dictum à Feretro pompæ triumphalis. Valer. Flaccus:

Has, precor, exuuias, & opima cadauera nostro
Linquite, ait feretro.

ELEGIA XII.

Dᴇsɪɴᴇ Paulle meum lacrymis vrgere sepulcrum,
Pãditur ad nullas ianua nigra preces. C
Cùm semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fuscæ deus audiat aulæ,
Nempe tuas lacrymas littora surda bibent,
Vota mouent superos. vbi portitor æra recepit,
Obserat vmbrosos lurida porta rogos. D
Sic mœstæ cecinere tubæ, cùm subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Paulli? quid currus auorum
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ.
Num minus immites habui Cornelia parcas?
En sum quod digitis quinque leuatur onus. E
Damnatæ noctes & vos vada lenta paludes,
Et quæcunque meos implicat vnda pedes.
Immutata licet: tamen huc non noxia veni.
Det pater hîc vmbræ mollia iura meæ.
Aut siquis posita iudex sedet Aeacus vrna,
In mea sortita iudicet ossa pila.
Aßideãt fratres iuxta Minoia sella, &
Eumenidũ intento turba seuera foro.
Sisyphe mole vaces, taceãt Ixionis orbes,
Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus & nullas hodie petat improbus vmbras,
Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me. si fallo, pœna sororum
Infelix humeros vrgeat vrna meos.
Si cui fama fuit per auita trophęa decori,
Vera Numantinos regna loquuntur auos.
Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus est titulis vtraque fulta suis.
Mox vbi iam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas.
Iungor Paulle tuo sic discessura cubili.
In lapide hoc vni nupta fuisse legat.
Testor maiorum cineres tibi Roma colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa iaces,
Et Persen proaui simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proauus fregit Achille domos.
Me neque censura legẽ mollisse, nec vlla
Labe mea nostros erubuisse focos.
Nõ fuit exuuiis tantis Cornelia dãnum.
Quin & erat magna pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas, sine crimine tota est.
Viximus insignes inter vtrámque facem.
Mî natura dedit leges à sãguine ductas,
Ne poßim melior iudicis esse metu.
Quælibet austeras de me ferat vrna tabellas,
Turpior assessu non erit vlla meo.

Vel tu, quæ tardam mouisti fune Cybellam, A
Claudia turritæ rara ministra deæ;
Vel cui, commissos cùm Vesta reposceret ignes,
Exhibuit viuos carbasus alba focos.
Nec te dulce caput mater Scribonia læsi.
In me mutatum quid nisi fata velis?
Maternis laudor lacrymis, vt bisque querelis,
Defleta & gemitu Cæsaris ossa mea. B
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores.
Nec mea de sterili facta rapina domo,
Te Lepide, & te Paulle meum post fata leuamen.
Condita sunt vestro lumina nostra sinu.
Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem, C
Consule quo facto tempore rapta soror,
Filia tu specimen censuræ nata paternæ,
Fac teneas vnum nos imitata virum.
Et serie fulcite genus. mihi cymba volenti
Soluitur, aucturis tot mea fata malis.
Hæc est feminei merces extrema triumphi, D
Laudat vbi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos.
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus pater, illa meorum E
Omnis erit collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus adiice matris.
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis,
Cùm venient, siccis oscula falle genis,
A *Sat tibi sint noctes, quas de me Paule fatiges,*
Somniáque in faciem credita sæpe meam,
Atque vbi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Vt responsuræ singula verba iace.
Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,
Sederit & nostro cauta nouerca toro:
Coniugium pueri laudate, & ferte paternum.
B *Capta dabit vestris moribus illa manus.*
Nec matrē laudate nimis. collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit vmbra.
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
C *Cælibis ad curas nec vacet vlla via.*
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paulum sic iuuat esse senem.
Et bene habet, numquam mater lugubria sumpsi.
Venit in exsequias tota caterua meas.
D *Causa perorata est. flentes me surgite testes,*
Dum pretium vitæ grata rependit humus.
Moribus & cælum patuit. sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur equis.

PHILIPP. BEROALD. BON.

E DESINE *Paule meum.*] sub nomine Corneliæ defunctæ scripta est epistola ad Paulum maritum, quem admonet vt doloribus & lamentationibus supersedeat, vtpote inefficacibus & nihil profuturis, eique comes filios commendat, quos superstites reliquit defuncta primis iuuentæ annis: & dum coniugem Aemilium Paulum consolatur recenset suos natales & stemmata maiorum. Præterea, quibus nupserit, & quot filios reliquerit enarrat, & illorum refert nomina. fuit autem hæc Cornelia filia Scriboniæ, quę nu-

psit Augusto, vt infra copiosè explicabimus.

IANVA *nigra.*] id est, Plutonia, de qua ait Maro, *Patet atri ianua ditis.*

NON *exorato adamante.* [leges Orci sunt inexorabiles, & vbi semel homo extinctus occubuit, & sedes infernas adiuit, fata amplius de Tartaro ad superos remeare non sinunt, viæque irremeabiles coercent manes defunctorum claustris adamantinis, hoc est inuictis & inexuperabilibus. Poëtæ finxerunt portam Tartari atque columnas esse ex solido adamante constructas, vt ex hoc demonstraret insuperabiles esse leges mortis, & defunctis nullum vnquam ad superos exitum inde patescere. Est enim adamantis duritia inenarrabilis, & duarum violentissimæ naturæ rerũ ignis, ferrique contemptrix. vnde & nomen ab indomita vi, Græca interpretatione accepit. de Tartarea vrbe ait Virg. in VI.

Porta aduersa ingens, solidoque adamante columnæ.

FVSCÆ *deus aulæ.*] id est, Pluto deus inferorum, apud quos omnia sunt fusca & nigrantia. vnde ait Claudianus: *ô maxime noctis Arbiter, vmbrarúmque potens.* Plutonem antiqui Ditem, Vedium, Veiouemque dixere, qui etiam Summanus dicitur: quasi summus manium, vt interpretatur Martianus. & Romani, teste Plin. nocturna fulmina Summano attribuerunt. locum mendosum emenda apud Cicero. in primo de diuinat. namque in omnibus codicibus impressum est Summananus, quem fictilem ait olim è cœlo tactum fuisse. Inter ædem Summani & Iuuentutis canes viui in furca sambucea arbore fixi supplicia annua apud Romanos pendebant, quoniam eos fefellissent Galli ascendentes noctu in capitolium. de Summani nomine iocus est apud Plautum in Curgulione. Summani meminit Ouid. in VI. Fast.

VOTA *mouent superos.*] catholica sententia: qua ostendit deos superos esse exorabiles, cum inferi sint inexorabiles, quam ab Homero mutuatus est, ita scribente:

Sunt faciles superi: precibus flectuntur & idem,
Sacrorum nidore pio placantur, & ipsis
Nimirum votis hominum, qua fu[illegible] in illos
Errarit, veniam rogitans concepit in aras.

Meminit & Plato huius Homericæ sententiæ lib. II. de repu.

VBI *portitor æra recepit.*] ex superstitione Aegyptiaca hoc translatũ est, apud quos obolus datur portitori, cui Charonti nomen est, qui vectat cadauera defunctorum in cymba per paludem Acherusiam ad sepulchra. hinc Orpheus ad inferos hunc ritum soluendi portorij transtulisse fertur, vt multa alia sumpta ab Aegyptiis traduxit. & Apuleius in VI. de asino aureo, inquit, *apud inferos Charon est expetens portorium, sic ad ripam vlteriorem sutili cymba deducit commeantes, & inter mortuos auaritia viuit Charonti.* ita naulum siue amnica stipes dabatur, vt ipse sua manu de ore sumeret accedentis: vnde dictum est à Iuuenale,

-Nec habet quem porrigat ore trientem.

sensus est: Cum Charon accepit naulum ex ore defuncti clauditur inferna porta quam luridam vocat, quoniam apud inferos omnia sunt nigra & pallentia.

A VMBROSOS.] ab vmbris mortuorum.

MOESTÆ *tubæ.*] quæ scilicet funeribus adhibentur, vt supra memorauimus.

FAX.] qua cadauera comburebantur.

LECTO.] funebri.

QVID *mihi coniugium.*] ostendit nihil sibi prodesse quod nupserit Paulo clarissimo viro, vtpote ex familia Aemiliorum, haud dubie nobilissima, cognitissimáque testimoniis historicorum: dicti sunt Aemilij à sermonis lepiditate, quam Græci Aemiliam vocant.

QVID *currus auorum.*] nihil, inquit, mihi profuerunt triumphi auorum meorum, qui Scipiones intelliguntur, cum ipsa sit ex gente Cornelia.

B duorum autem Scipionum, qui ambo cognominati sunt Africani, duo clarissimi extitere triumphi. lege Polybium, & Liuium. currus triumphales intelligit.

NVM *minus.*] scilicet quàm si fuissem humili genere nata, & sordido nupsissem.

ET *sum quod digitis.*] significat se redactam esse in cinere, & puluisculum pusilli ponderis, qui cineres in vrna conditi vna manu facillime leuabantur.

DAMNATÆ *noctes.*] apostrophe est ad tenebras infernas & Stygiam paludem, dicens se innoxiam, insontémque periisse, quamuis immatura & adhuc puella perierit, petitque à Plutone

C iura mitiora vmbræ suæ præberi.

NON *noxia.*] id est, insons & innoxia.

PATER.] Pluto.

SORTITA *pila.*] allusit ad Romanorum iudicium consuetudinem, apud quos causæ per sortem ordinabantur, & sortitio iudicium fiebat. qui præerat iudicio quæsitor dicebatur. ita Virg. apud inferos quæsitorem facit Minoen. dat ibi sortitionem vbi vrnam nominat, dat cognitionem facinorum, cùm dicit,

--vitasque & crimina discit. Pilam appellat tabellam iudicialem, qua damnabant, aut absoluebant. vel potius pilulam illam, siue ta-

D bellam intelligit, qua in vrnam sortitio mittebatur pro iudicibus eligendis, quorum nomina in pilis scribebantur. De qua re eleganter & docte scribit Pedianus Asconius.

ASSIDEANT *fratres.*] Minos & Rhadamantus fratres Aeaci filij Iouis.

SISIPHE *mole vaces.*] petit Cornelia, vt dum iudicium de se peragitur omnia quiescant apud inferos, & à cruciatibus paulum interiungant, vt nec Sisyphus voluat saxum, nec Ixion rota circumagatur, & Tantalus sitim liquore restinguat.

E EVMENIDVM.] scribit Virg.

Tisiphonem vnam Eumenidum,

hoc est furiarum, accinctam flagello sontes. vult Cornelia, vt agmen furiarum assideat foro iudiciali. hinc enim forum accipitur pro loco, quo iudicia fiunt, & forum agere dicitur prouinciæ præses cum de controuersiis prouincialium cognoscit.

IPSA *loquor pro me.*] mos erat, vt pro reo dicerent maximi oratores, celeberrimique patroni, & vnam causam non vnus sed plures agebant. nunc Cornelia innocentiæ suæ fidens dicit se-

metipsam sine aduocato causam suam acturam citra omne mendacium.

POENA *sororum.*] Bellidum scilicet, quarum vrna nunquam expleri potest.

SI *cui fama.*] laudationes ex his locis sumuntur, qui loci personis sunt attributi. naturam autem in primis attributam esse personis docent rhetoricæ disciplinæ professores, cuius partes sunt multæ, & in primis cognatio est, quæ consideratur in maioribus claris, atque cōsanguineis. Præterea inter extraneas res genus & affinitas numerantur: nunc Cornelia seipsam commendat à cognatione & à nobilitate generis tam materni quam paterni: Si cui, inquit, gloria est & nomen ex auorum titulis & ornamentis, ego clarissima sum, vt pote quæ in stemmate paterno auos habeo Numantinos, in maternos Scribonios, Libones. & cæt. Numantini cognomē in familia Scipionum est illustrissimum, quo Africanus minor nomine victæ à se Numantiæ est nobilitatus, quæ ciuitas olim Hispaniæ decus, quamuis sine muris, sine turribus esset, Romanorum bella per annos multos sola sustinuit. nouissime Numantini ab Aemiliano Scipione victi mox fame coacti, se, & patriam ferro, veneno, & subiecto vndique igne peremerunt. Scipio de solo nomine deletæ Numantiæ triumphauit, cum nec vnus quidem vir Numantinus fuerit, qui in triumphum cathenatus duceretur. historia vulgatissima.

MATERNOS *Libones.*] Cornelia matrem habuit Scriboniam ex Libonum familia honorata splendida, ex qua fuit is Libo, qui tribunal, sedémque prætoris prope arcū Fabianum collocauit, quod ab eius nomine dictum est puteal Libonis, cuius & poetæ & historici meminerunt.

DOMVS *vtraque.*] hoc est, paternum genus & meum & maternum nobile est, & suis titulis, inscriptionibúsque ac monumentis subnixum. Titulos præter notam significationem, inscriptiones; laudésque magnorum virorum nuncupamus, vt tituli Pompeij dicuntur à Plinio: & ipse ait apud Lucanum:

Te quoque si superi titulis accedere nostris Iusserunt.

Ouid.

Magnificus titulis stet pater ante suis.—

tituli milites appellantur quasi tutuli, quod patriam tueantur. sacerdotes dicti titulati, quod in sacris capitibus habere solent vt metā: id titulus appellatur, & matres familias, vt inquit Varro, crines conuolutos ad verticem dicunt titulos.

CESSIT *prætexta.*] id est, locum dedit. nouæ nuptæ recta tunica simul cum toga pura induebantur: & ita prætexta vestis, quæ in puerili ætatula gestabatur cedebat facibus maritis, hoc est nuptiali celebritati, in qua quinque faces accendebantur, de quibus ante dictum est. prætextæ apud Hetruscos originem habuere. auctores Plin. & Macro. vnde prætextati pueri, & prætextatæ puellæ dicuntur.

ALTERA *vitta.*] id est, vbi deposita virginali vitta sumpsi vittam nuptialem tibi soli nupsi, & ita ostendit se fuisse monogamam. De vitta qua nubētes vtebantur iam abundātet enarrauimus.

IN *lapide.*] scilicet sepulchri: illic enim scribebatur quot maritos fœmina habuisset, vnde Martia apud Lucanum:

Liceat tumulo scripsisse Catonis Martia.

& apud Iuuen. *Titulo res digna sepulchri.* & apud Martialem scriptum est:

Inscripsit tumulo septem celebrata virorum.

Se fecisse Cloe.—

AFRICA *tonsa.*] id est comminuta, fracta, lacerata. hoc dictum accipe propter duos Africanos, quorum alter Carthaginem Africámque deuincit, & stipendiariam fecit Romanorum: & alter Carthaginem funditus deleuit, vt supra memorauimus.

ET *Persen pro.*] Paulus Aemilius, vt notissimum est & iam memoratum, vicit Persen regē Macedonum, de quo triumphauit. Is proauum habuit Achillem, à quo maternum genus Alexandri regis Macedonum deducunt historici. à Paulo Aemilio Cornelia trahit genus propter Numantinum, qui filius fuit legitimus Æmilij, & per adoptionem insertus familiæ Scipionum. Præterea nupserat Paulo, qui erat gentis Aemiliæ. quid si legas Perseu, vt sit vocatiuus casus, tali sensu: Testor te ô Perseu stimulantem, hoc est imbellia tua & torpedine vexantem Achillis pectus, qui scilicet dolet & afficitur, si vllus est inferis sensus, propter tam ignauum successorem: vel potius legas simulantem, vt dicat Persen simulasse Achillis animositatem, vt illius verus successor & pronepos videretur.

QVIQVE.] scilicet Paulus Aemilius.

PROAVVS.] legendum est proauo. Testor, inquit, Cornelia me leges censorias à proauis meis conditas non iudicasse esse molliendas tanquam nimis rigidas, austerásque: sed tales cōprobasse, custodisseque quales latę fuerunt; nec vlla se macula dedecorasse familiā. & hoc in primis dictū est propter Paulum Aemilium, qui fuit censor, & in censura senatu tres senatores mouit. Potest & hoc referri ad censuram mariti Pauli, quam infra significat. Censura autem ad morum emēdationem maxime pertinet, & penes eam disciplinæ Romanæ ac morum regimen erat, quam Cic. pudoris & modestię magistram appellat. De censuræ origine & censoribus & censoria nota scripserūt Liuius in IIII. Plut. in Catone seniore, in Pōpeio, & Aemilio, & Valerius Maximus.

EXVVIIS.] spoliis proauorum.

PARS *imitan.*] ait Cornelia se talem præstitisse, vt esset imitanda ipsa à suis gentilibus, vel in hoc loco accipitur Cornelia soror huius Corneliæ, quam dicit & ipsam fuisse probatissimam fœminam, nec vllum dedecus probrumque attulisse stemmati sui generis, de cuius obitu loquitur paulopost.

INTER *vtramque facem.*] hoc est à die maritalis connubij vsque ad mortem: nam fax adhibetur & matrimonio & rogo, quam Quin. supremam facem vocat.

MELIOR *iudicis metu.*] boni non peccant amore virtutis. mali à peccatis temperant formidine pœnæ, vt inquit Hor. Dicit se non magis metu iudicij, quam natura coluisse bonitatem.

QVÆLIBET *austeras.*] feratur inquit de me quodcunque iudicium, austeráque sortitio, tamē

nulla fœmina probata commercium meum, accessumque improbabit, & nulli consuetudo mea erit dedecorosa & pœnitenda, etiam si fuerint virgines vestales.

VEL *tu quæ tardam.*] historiam Claudiæ omnes celebrant, & in primis Ouid. in IIII. Fasto. & Sillius in XVII. Claudia virgo vestalis cum in suspitionem venisset stupri, & simulachrum matris Idææ in vado Tyberis cum nauigio obhæreret, ad comprobandam pudicitiam suam fertur cingulo duxisse nauem, quam multa millia hominũ, vt inquit Hieronymus, trahere nequiuerant.

TVRRITÆ *dea.*] Cybeles quæ turrita formatur, de qua dictum est superius.

VEL *cui commissos.*] significat Aemiliam virginẽ vestalem, de qua hãc scribit historiam Dionysius in II. Olim ignis in ara Vestæ extinctus est, qui perpetuus custodiri debebat & solebat, tunc Aemilia virgo casta & mente & corpore precata est deam Vestam, vt sibi opem ferret, & scissa ueste carbasea fasciam foculo imposuit super aram frigenti, nullámque seruanti scintillam, repente flamma ingens per carbasum emicuit, quod admirabile visum est. meminit huius historiæ etiam Valerius in primo.

COMMISSOS *ignes.*] id est, illius custodiæ traditos. nam vestalium virginum hoc erat officium peculiare, vt ignem in extinctum conseruarent, qui si fuisset extinctus recuperari nõ poterat nisi ex igne cœlesti.

MATER *Scribonia.*] mater Corneliæ fuit illa Scribonia, quam in matrimonium accepit Augustus, & ex ea Iuliam filiam suscepit, quæ Scribonia, auctore Tranquillo, ante fuerat nupta duobus consularibus, & ex altero erat mater. ex his verbis Tranquilli obseruauimus hanc Corneliam fuisse illam Scriboniæ filiam ex viro consulari, ex quo fuit mater. vnde nunc sororem suam appellat Cornelia ipsam Iuliam filiam Augusti, quoniam ambæ ex matre Scribonia erant procreatæ, quod cæcutientibus oculis incuriosi præterierunt. ait Cornelia se in nullo matrem offendisse, quæ cum filia fatum cuperet permutasse, & eius loco occubuisse.

VRBISQVE *querelis Defleta.*] obitum meum, inquit Cornelia, defleuit totus populus Romanus, & lamentationibus me defunctam est prosequutus: se quoque ab Augusto defletam fuisse gloriatur.

ILLE *sua nata.*] sensus est: Augustus gemens dicebat me vixisse sororẽ dignam filia sua Iulia, quam tulerat ex Scribonia mea genitrice.

DEO.] Augustum vidimus lachrymantem, cui viuenti diuinos honores Romani concesserunt.

VESTIS *honores.*] signate videtur vestem matronalem, quæ scilicet conceditur mulieribus, matronísque fœcundis, quæ matres trium liberorum factæ sunt. ait enim se duos filios Lepidum & Paulum reliquisse, & vnam filiam.

SELLAM *geminasse curulem.*] bis gessisse curules magistratus. curulis enim sella dicebatur à curru, quo soliti sunt senatores honoris gratia in curiam vehi, qui curulem magistratum gessissent, in quo curru sella esset, supra quam considerent: auctor Gellius in III. Erat hæc sella eburnea, & à poëtis dicitur ebur curule. De consulari sella intellexit Ouid. illo versu:

Et noua conspicuum pondera sentis ebur.

Curules ab Hetruscis, vt multa alia insignia magistratuum, translatæ fuerunt, vt Dionysius & Macro. tradiderunt. Scribit Sillius à Vetulonia ciuitate Hetruriæ hæc ornamenta mutuatos esse Romanos:

Hæc altas eboris decorauit honore curules.

NOS *imitata.*] optat filiæ monogamiam, vt ita vni soli nubat, sicut ipsa factitauerat.

CYMBA *volenti Soluitur.*] ait Cornelia se libenter mori, & cymbam Charontis non inuitam conscendere, quoniam diu viuendo mors sua efficeretur calamitosior cum cogeretur videre funera filiorum.

EMERITVM *rogum.*] mulier quæ laudatur post mortem vere vixit in laude, & hic est quasi triumphus fœmineus laudari post obitum, cum fama liberior est, & linguæ liberrimæ.

SPECTAT *inusta.*] cura, inquit, filiorum etiam viget apud me defunctam, ex quo significat amorem quo matres filios prosequuntur. nec ipsa quidem morte aboleri posse, qua cuncta abolentur.

ADIICE *mater.*] legendum est matris. & est sensus: Cum ô marite oscula paterna dederis filiis addicito matris oscula, hoc est imple vtriusque parentis officium.

SINE *testibus illis.*] hoc est, cum dolori indulgere volueris, fac ne testes sint filij lachrymarum, & coram illis dolorem ipse compescito, sicut Ariam factitauisse legimus.

SICCIS *genis.*] accipe pro tegumentis oculorum, quæ alio nomine palpebræ dicuntur. De genis supra dictum est. Siccas appellat non lachrymosas.

SAT *tibi sunt noctes.*] habes, inquit, noctes quibus poteris de obitu meo lamentari satis ac super, filiis non videntibus, dies vero totos esto lætus siue læto simillimus, & age obliuiosum.

SOMNIA *in faciem meam.*] multos habet filios Somnus, vt poetæ fabulantur, inter quos est Morpheus artifex & simulator humanæ figuræ scientissimus, qui olim induta facie Ceycis naufragi apparuit Halcyone dormienti. dicit Cornelia satis esse marito somnia quibus ipsam videre se credet per Morphea, scilicet, ipsius faciem induentem, & illi in somnis se ingerẽtem.

NOSTRA *ad simulachra.*] ostendit imaginem suam fuisse in cubiculo maritali: & antiqui, vt iam diximus, habebant imagines in larario eorum, quos venerabantur.

TACE.] melior lectio est iace, vt dicat iace: & dic verba tanquam ad illa ego ipsa sim responsura.

SEV *tamen aduersum.*] apostrophe est ad filios, quos docet qua modestia vti debeant si pater superinduxerit nouercam: lectum aduersum appellat nouercalem.

COLLATA *priori.*] nolite, inquit, nouercã mihi comparare, neque me immodicis laudationibus extollere, quoniam illa existimabit meam laudationẽ esse suam offensam, & criminationẽ.

PRIMRI.] scilicet mihi, quæ prior nupsi Paulo.

MEMOR *ille.*] scilicet pater vester.

TANTI *dux.*] id est, tanti fecerit me defunctam vt velit viuere in cœlibatu.

COELIBIS *ad curas.*] nulla, inquit via, nulla ratio, nullum officium à vobis prætereatur erga patrem cœlibem curandum ac fouendum. & ita monet filios vt patris senectam foueant & indulgentissime curent. Cœlebs dicitur qui non habet vxorem, & opponitur marito. vnde dixit Quin. *Maritus an cælebs.*

LVBRICIA *sumptum.*] hunc locum ita corrigendum censeo: *Lugubria sumpsi.* & ita existimo scripsisse Propertium, vt sit sensus: Ego ex quo mater fui nunquam indui lugubria, hoc est vestes lugubres: & ita significat se nunquam vidisse funus aliquod suorum, sed omnes superstites reliquisse. Lugubria autem absolute dici vestimenta luctui accommodata testis est Ouid. qui sic ait vndecimo:

Surge, age, da lachrymas, lugubriaque indue.

& Quintilian. dictum est. *Tristiora lugubria.*

TOTA *caterua.*]omnes, inquit, mei superstites funus meum & exequias celebrarunt: talis fuit fortuna Qu. Metelli Macedonici, qui cum sex liberos relinqueret, vndecim nepotes reliquit: nurus vero, generósque, & omnes, qui se patris appellatione salutarent XXVII. qui illatus est rogo à quatuor filiis, vno prætore, tribus consularibus, duobus triumphalibus, vno censorio.

CAVSA *perorata est.*] tanquam in iudicio causam egerit instar oratoris se perorasse significanter & proprie dicit. Est enim peroratio vna ex partibus orationis in nouissimo loco collocata: quam, vt scribit Quintil. in sexto quidam cumulum, conclusionem alij vocant, in qua interdum quam breuissima rerum repetitio fit, quæ per capita decurrit, quæ Græcè dicitur anacephaleosis: si Latine interpretari velis non absurde dicetur recapitulatio: & hac vsus est Apuleius perquam scienter in peroratione suæ apologiæ: Quando causa vna à pluribus defendebatur, perorationem Ciceroni omnes relinquebant, tanquam in perorando dominantem, sicut & ipse in oratore gloriatur.

FLENTES *me surgite testes.*] ex iudiciali Romanorum consuetudine translatum est, apud quos, vbi omnia quã dicẽda fuerãt in causa, dicta erant, testes dabantur, qui testimonium dicturi surgebant ex subsellis, in quibus sedebant in iudicio, qui tunc suspecti habebantur, quando sedebant inter subsellia accusatorum: vnde est illud Ciceronis in oratione pro Flacco, *Hoc vero quid est? testes vna sedent, ex accusatorum subsellis surgunt.* & in oratione pro Roscio Amerino ait: *Nemo vtitur eo teste qui surgit ex accusatoris subsellio.* Scribit Asconius ipsum accusatorem suos etiam testes interrogare consueuisse. Cicero acturus in Verrem hoc commentus est: vt orationem perpetuam, vsitatámque accusationem prætermitteret, sed tantummodo citaret testes ad vnum quodque crimen expositum, & eos Hortensio interrogandos daret, quo Ciceronis artificio ita

A est fatigatus Hortensius, vt nihil contra quod diceret, inueniret: ipse etiam Verres desperato patrocinio sua sponte discederet in exilium. Ait nunc Cornelia: Postquam perorani causam, vos testes surgite scilicet ex subsellis ad dicendum testimonium, sed ita vt me ipsam defleatis.

DVM *pretium vitæ.*] hoc est dum grati homines rependunt mihi pretium vitæ, quam sancte & pudice egi laudando scilicet me post obitum, tanquam laudatio mortalium sit defunctis pro præmio quod bene vixerint. vel dicit terram sepulchralem sibi sepultæ esse leuem. Tunc enim humus dicitur pretium rependere, quando ni-

B mio pondere non infestat cineres sepultorum. In hanc sententiam est illud Martialis: *Sit tibi terra leuis.*

MORIBVS *& cælum patuit.*] ob mores, inquit, sanctissimos meruerunt fœminæ probatissimæ in cœlo domicilium, quod ad eas referri potest quæ inter sidera collocatæ fuerunt ob probitatem, vt virgo, vt astrea, vel ad eas heroidas, quarum animæ habent in cœlo certum constitutum locum, quæ morum sanctitate commendatæ & fama ad cœlum vsque peruectæ sunt, vt Penelope, vt Lucretia, & id genus quam plurimæ.

SIM *digna merendo.*] vtinam, inquit, beneficio morum & vitæ bene actæ merito digna existi-

C mer fœmineo post obitum triumpho. Elocutio est metaphorica. nam, vt victoribus dabatur triumphus ob rem bene gestam, & curru quadriiugo pompa triumphali in vrbem inuehebantur: ita optat Cornelia sibi defunctæ ob merita decerni oanamenta fœminei triumphi, & ossa sua vehi equis honoratis, hoc est triumphalibus, tanquam primaria sit & fœminea virtute præcellens in grege mulierum: sicut excellentissimus est imperator, cui ob virtutem triumphalia insignia decernuntur.

Habes magnifice senator, literarumque patrone, lucubratiunculas nostras in Propertium:

D quas, quantulæcunque sunt, boni consulas rogamus. Vos autem lectores omnis quæso ne prius nos vellicare velitis, quam vellicatione dignos reperietis, nec prius nostra obelisco confodere, quam vos asterisco illuminanda deprompseritis. Videor mihi meo more facturus si commentarios Endecasyllabis clusero.

Quisquis carptor es, & calumniator,
Quisquis liuidus, osor, obloquutor,
Es lolliginis oblitus cruore:
Quisquis rictibus improbus caninis
Adlatras decus eruditiorum,
Sis quæso procul à meis libellis.
E *Non scribo criticisque, zolisque,*
Non scripsi tibi: iure non vocatus
Conuiua eiicitur. quid impudenter
Te in cœna aspicio mea accubantem?
Quæ non est tibi cocta delicate.
Illis fercula nostra condiuntur,
Qui luxum altilium probas, nec idem
Fastidis: tenuem tamen paratum,
Cui vel reliquiæ placere possunt.
Tu vero stomachose nauseator,
Tangis singula dente qui superbo,

Aut mensas mihi pone lentiores,
Nostra aut vescere cœnula libenter.
Nos hæc quantulacunque sunt benigno
Lectori ingenuóque, candidoque
Passim scribimus, & damus legenda.
Vni sed tibi, Mine, dedicantur,
Quem non sors mihi iudicem parauit,
Sed quem pagina nostra nominatum
Delegit sine prouocatione.
At tu iudice gaudibunda tali
Esto pagina, qui tibi aduocatus
Iam iam ex iudice fiet & patronus
Multa praditus eruditione,
Pollens consilio, disertus ore.
Vnus qui merito potest vocari
Orator bonus, & bonus senator.
Iam liuor vacet, improbíque mussent:
Imperterritus exeas libelle;
Mino vindice nil tibi est timendum.

IANVS DOVSA FIL.

ET *quacunque meos implicat vnda pedes.*] alibi:
Et quacunque meum degrauat vnda caput.

Et *si quid doliturus eris, sine testibus illis,*
Cùm venient, siccis oscula falle genis.] Nam, vt Martialis ait:
Ille dolet verè, qui sine teste dolet.

IANVS DOVSA PATER.

SIC *mœsta cecinere tuba, cùm subdita nostrum*
Detraheret lecto fax inimica caput.] Lego: *Sat mœsta cecinere tuba.* Ita nimirum postulante sententia, qua nil aptius elegantiúsve.

Qvid *mihi coniugium Pauli? quid currus auorum*
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habuit Cornelia Parcas?]
Similis structuræ sententiæ illius apud Ouidium in Epistola Leandri:
Quid mihi, quod lato non separor æquore, prodest?
Num minus hac nobis tam breuis obstat aqua?

Ipsa *loquor pro me, si fallo pœna sororum,*
Infelix humeros vrgeat vrna meos.]
Sic Ouidius IX. Metamorphos.
Viximus innocuæ, si mentior, arida perdam
Quas habeo frondes, & casa securibus vrar.

IOS. SCALIGER IVL. CÆS. FIL.

NVM *minus immites habuit.*] Malo *habui.* Ita ergo legendum:
Num minus immites habui Cornelia parcas,
Et sum, quod digitis quinque leuatur onus?
Quem locum expressit Ouid. epistola Canaces:
Quid iuuat admotum per auorum nomina calo
Inter cognatos posse referre Iouem?
Num minus infestum funebria munera ferrum
Feminea teneo non mea tela manu?
Quis neget Ouidium hunc locum in animo habuisse?

Assideant *fratres.*] Caussam vult dicere coram iudice quæstionis.

Assideant *fratres iuxta Minoida sellam.*] Melius noster:

A *Assideant fratres iuxta Minoa sella, &*
Eumenidum———

Fallat *Tantaleo.*] ταντάλὶς, αἰδωνὶς, διομη-λιδὶς, ἰσμηνὶς & similia Tarentini. à quibus Romani Tantaleus, Adoneus, &c. Ausonius: *Concedat Cei Musa Simonidei.* Simonideus, σιμωνιδεῖς.

Ipsa *loquor pro me.*] ἀνθυπογραφικῶς enim λόγος qui sequitur.

Si *fallo.*] Mos reorum caussam dicentium, qui iurabant se nihil mentituros.

Si *cui fama fuit.*] Exordium. Omnes partes orationis hic sunt.

Vera *Numantinos.*] Conficta lectio ex anti-
B qua, *Atra.* At nos, *Afra.* Numantinos excidit Carthaginem. hoc & lippis & tonsoribus notū.

Africa *tonsa iaces.*] Esset simile illi:
Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξας.
Consiliis nostris laus est attonsa Laconum.
Sed noster *tanta iaces.* quod dictum θαυμαστικῶς.

Et *Persen proaui.*] Silius de Philippo, quem vicerunt Romani, patre istius Persæ:
Hic gente egregius, veterisque ab origine regni
Aeacidum sceptris, proauoque tumebat Achille.
Persen autem Æolice pro Perseo. Περσεὶς, Πέρσευς· Ὀδυσσεὶς, Ὀδύσσευς· Ἀχιλλεὶς, Ἀχιλλεύς. Contra Σιμωνίδης, Σιμωνιδεῖς.

C Me *neque censura legem mollisse.*] Nihil fecisse indignum censura mariti Pauli. Infra:
Filia tu specimen censuræ nacta paternæ.

Labe *mea nostros.*] Lege, *vestros.* Ita & scriptus liber.

Non *fuit.*] Melius liber, *Non erat.*

Tvrpior *assensu.*] Quasi non damnaretur, nisi confessa.

Defleta *& gemitu.*] In nostro, *Defensa.* videtur nescio cuius culpæ suspitione perstricta fuisse Cornelia, quod ex sequentibus cognoscitur. Quod, inquit, maleuoli de me rumoribus differunt, hoc falsum esse conuicerit vnus Cęsar,
D qui mortem meam defleuit. cuius lacrymæ mihi defensionis, ac patroni vicem sunt. Similis locus in Epicedio Drusi:
Denique laudari sacrato Cæsaris ore
Emerui———

Ille *sua nata.*] Aliter vulgus hæc accipit, ac sentiebat poëta. Hoc vult enim: Cæsarem solere prędicare me fuisse dignam, quę illius filia essem, non sororem Iuliam tot impudicis factis suis infamem. Ille, inquit, ait sororem, hoc est me, dignam sua nata vixisse, hoc est verius dici posse natam suam, quam illam, quæ sese tanto crimine infamauit. Me filiæ potius, quam priuignæ
E nomine dignam fuisse. Hæc videntur igitur post relegationem Iuliæ contigisse. Notum enim, vt illam Pandataria insula relegarit pater. Addit Dio: ἄλλ δὲ δὴ χρωσάμενοι αὐτῇ, ὁ μὲν Ἰουλλος Ἀντώνιος ὡς καὶ ἐπὶ τῇ μοναρχίᾳ τοῦτο πράξας ἀπέθανε μετ' ἄλλων τινῶν. οἱ δὲ λοιποὶ ἐς νήσους ὑπερωρίσθησαν. Non dubium, quin inter hos relegatos Ouidius fuerit. quem profecto ob illam rem tantum damnauit Augustus, non ob libros. quod & tangit Sidonius:
Et te Carmina per libidinosa
Quondam Cæsarea nimis puella
Ficta nomine subdito Corinnæ
Notum Naso tener, Tomósque missum.

Te quoque, inquit, Ouidi nimis familiarem factum per carmina tua Iuliæ Augusti filiæ, quam Carinnam finxisti subdititio nomine. In quibus versibus quartum, à secundo loco traduximus, & tertium deprauatissimum emendauimus. Si quis queritur à nobis factum, interpretetur nobis vulgatam lectionem, & virum putabimus. Nam nihil boni ex vulgata hauriri potest.

Et *lacrimas vidimus ire Deo.*] Epicedio Drusi - *lacrimas elicuique Deo.* Plin. lib. XXI. cap. III. *Apud nos exemplum licentiæ huius non est aliud, quam filia Diui Augusti, cuius luxuria noctibus coronatum Marsyam litera illius Dei gemunt.* quam lectionem perperam quidam suis in Suetonium annotationibus mutandam censuit. De Deo Augusto etiam viuo & appellato & culto supra diximus.

Et *tamen emerui.*] Hinc colligitur ornamentis consularibus efferri matronas, quarum filij magistratus curules gessissent. quod dignum est notatu.

Condita *sunt vestro numina nostra.*] Repone LVMINA. quod & mos priscus vulgatissimus, & libri nostri scriptura postulat. Ita autem distinguendi versus hi:

Te, Lepide, & te, Paule, meum post fata leuamen:
(Condita sunt vestro lumina nostra sinu)
Vidimus, & fratrem sellam geminasse curulem.

Consvle *quo facto.*] Hinc lege distichon, ET BENE HABET. item illud, NVNC TIBI COMMENDO. Illud autem FILIA TV SPECIMEN cum duobus sequentibus alio pertinet.

Fvngere *maternis.*] Euripides Alcestide: σὺ νῦν γενοῦ τοῖσδ' ἀντ' ἐμοῦ μήτηρ τέκνοις.

Sev *tamen aduersum.*] Vide quæ in Festum notauimus voce *Parilia.* quæ conueniebant in manum viri, lectum sibi sternebāt in atrio, quem A aduersum vocabant, quia è regione ianuæ esset. Hoc confirmamus testimonijs Asconij, & Laberij. Ianua dicitur mutare lectum, quæ videt aliū aduersum lectum in locum prioris, noua scilicet vxore domum ducta. Græci huiusmodi lectum vocabant παράβυστον. Pollux & alij veteres Magistri: κλίνη τις ὠνομάζετο γαμική, ἣ ἵστατο παράβυστος, ἣ καὶ αὐτὴ στρώννυται ἐν τῷ δωματίῳ ἐπὶ τῷ νέῳ παῖδα μὴ ἀθυμῶσι. Clarius & conuenientius mori Romano Hesychius dicit στρώννυσθαι παρὰ τῷ μεγάρῳ. Atque hæc est vera huius loci interpretatio.

Prole *mea Paulum.*] Post hunc versum iunge tria disticha, quæ superius à nobis relicta sunt;
B FILIA TV SPECIMEN CENSVRÆ, &c.

Filia *tu speciem.*] Lege, *specimen.*

Hæc *est feminei.*] Epilogus.

Cvivs *honoratus ossa vehantur aquis.*] Legēdum EQVIS, vt habet noster codex. Hæc confirmant quæ superius dixi, nempe matronas honorariis vestibus, curru & sella curuli efferri, quæ filios consulares aut aliis curulibus magistratibus functos relinquerent. Simile quod scribit Lampridius in Alagabalo: Imperatores matronis affinibus consularis coniugij ornamenta dare solitos. Equi honorati, sunt curules, vel currus prætorius, in quo sella curulis. Quare & Prætorium
C ius dicitur honoratum, & honorarium, & ludi Prætorij, honorarij ludi, & Prætor ipse honorarius magistratus. Ouidius:

Verbáque honoratus libera Prætor habet.

ita autem hæc vltima distinguenda:

Caussa perorata est. flentes me surgite testes,
Dum precium vitæ grata rependit humus,
Moribus & cœlum patuit, sim digna merendo
Cuius honoratis ossa vehantur equis.

FINIS.

PERVIGILIVM VENERIS, QVOD QVIDAM CATVLLO TRIBVVNT.

RAS amet qui nunquã amauit; quique amauit, cras amet. A
Ver nouum, ver iam canorum, ver natus orbis est.
Vere concordant amores, vere nubent alites.
Et nemus comam resoluit de maritis imbribus. B
Cras amorem copulatrix inter vmbras arborum
Implicat gazas virentes de flagello myrteo. (no:
Cras Dione iura dicit, fulta sublimi tro-
Cras amet qui nunquam amauit; quique amauit, cras amet.
Tuno quiuore desuper hoc spumeopont de glouo C
Cærulas inter cateruas, inter & bipedes equos (bus.
Fecit vndantem Dione de maritis imbri-
Cras amet qui nunquam amauit; quique amauit, cras amet.
Ipsa gemmas purpurantem pingit annum floribus
Ipsa surgentis papillas de Faboni paritu
Vrguet in totos pentes, ipsa roris lucidi
Noctis aura quem relinquit spargit vmentis aquas.
Et me canat lacrime trementes detadum pondere. D
Gutta præceps orbe paruo sustinet casus suos. (puræ:
In pudorem florulentæ prodiderunt pur-

Vmor ille quem serenis astra rorant noctibus
Manè virgineas papilla soluit vmenti peplo,
Is iußit mane tuæ virgine nubant rosæ
Fusta prius de cruore, déq; amoris oculis,
Déque gemmis, déque flammis, déque solis purpuris.
Cras ruborem qui latebat veste tectus ignea
Vnica marito nodo non pudent soluere.
Cras amet qui nunquam amauit; quique amauit, cras amet.
Ipsa nimfas diua loco iußit ire myrteo
Et puer comis puellis. nec tamen credi potest
Esse amorem feriatũ, si sagittas vexerit.
Ite nimfæ, posuit arma, feriatus est Amor;
Iussus est inermis ire, durus ire iussus est,
Neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne læderet.
Sed tamen nimfæ cauete, quòd Cupido pulcer est,
Totus est inermis idem quando nudus est Amor.
Cras amet qui nunquam amauit; quique amauit, cras amet.
Compari Venus pudore mittit ad te virgines:
Vna res est quam rogamus, cede virgo Delia,
Vt nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
Ipsa vellet vt venires, si deceret virginem:

Iam tribus choros videres feriatos noctibus, A
Congreges inter cateruas ire per saltus tuos,
Floreas inter coronas, myrteas inter casas.
Nec Ceres nec Bacchus absunt, nec poëtarum Deus,
Detinent & tota nox est peruigila cantibus.
Regnet in siluis Dione. tu recede Delia. B
Cras amet, qui nunquam amauit; quíque amauit, cras amet.
Iussit Hyblæis tribunal stare Diua floribus,
Præsens ipsa iura dicit, adsederunt Gratiæ.
Hybla totos funde flores, quicquid annus attulit,
Hybla florum rumperest equantethne camp- C
Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,
Quæque siluas, quæque lucos, quæque montes incolunt.
Iussit omnis adsidere pueri mater alitis,
Iussit & nudo puellas nil Amori credere.
Cras amet, qui nunquam amauit; quíque amauit, cras amet. D
Et rigentibus vegentes ducat vmbras floribus.
Cras erit qui primus æther copulauit nuptias,
Vt pant totis crearet vernis annum nubibus,
In sinum maritus imber fluctus alma & coniugis.
Vt fletus immixtus omnis aleret magno corpore. E
Ipsa venas atque mentẽ permeãte spiritu
Intus occultis gubernat procreatrix viribus,
Pérque cælum, pérque terras, pérque pontum subditum.
Peruium sui tenorem seminali tramite
Imbuit, iussitque mundum nosse nascendi vias.
Cras amet, qui nunquam amauit; quíque amauit, cras amet.
Ipsa Troianos nepotes in Latinos transtulit:
Ipsa Laurentem puellam coniugem nato dedit;
Móxque Marti de sacello dat pudicam virginem.
Romulæas ipsa fecit cũ Sabinis nuptias:
Vnde Ramnes & Quirities, próque prole posterûm
Romuli matrem crearet & nepotem Cæsarem.
Cras amet, qui nunquam amauit; quíque amauit, cras amet.
Rura fecundat voluptas: rura Venerem sentiunt:
Ipse Amor puer Dionæ rure natus dicitur.
Hunc ager cùm parturiret, ipsa suscepit sinu,
Ipsa florum delicatis educauit osculis.
Cras amet, qui nunquam amauit; quíque amauit, cras amet.
Ecce iam super genestas explicant agni latus
Quisque tuus quo tenetur coniugali fœdere.
Subter vmbras cum maritis ecce balantum gregem:
Et canoras non tacere Diua iussit alites.
Iam loquaces ore rauco stagna cigni perstrepunt:
Adsonant Terei puellæ subter vmbram populi
Vt putes motus amori ore dici musico:
Et neges queri sororẽ de marito barbaro.
Illa cantat, nos tacemus. quando ver venit meum?
Quãdo faciã vt celidõ vt taceret desinã.
Perdidi Musam tacendo, nec me Phœbus respicit.
Sic Amyclas cùm tacerẽt perdidit silẽtiũ.
Cras amet, qui nunquam amauit; quíque amauit, cras amet.

FINIS.

IANVS DOVSA FIL.

SEQVITVR Peruigilium Veneris, quod colophonem & fastigium imponet his Notis. in quo tantum pauca & leuia monebo post accuratissimam castigationem clarissimi Lipsij. quod antequam faciam, non abs re videor facturus, si Fragmentum nondum editum, ex altero quodã Peruigilio Veneris elegantissimo, sed nimis Latino hic apponam, quod à nobili ac docto adolescẽte Hieronymo Groslotio Lislæo integrum alibi in Gallia extare comperi. cæterum is hos quatuor tantùm versus in memoria habebat, B quos nobis recitauit. eorum intercalare erat primum Trochaicum:

Nemo tentis mentulis det, nemo neruis otium
Ecce passeres salaces, ecce ranci turtures
Hac super virente myrto nos amoris admonent
Cum puellis dulce inire vesticontubernium.
Nemo tentis, &c.

Vocem *vesticontubernium* etiam Petronius vtitur: *Et quid agebas, inquit, frater sanctissime? quid vesticontubernium facis?* Hoc quid sit explicat Epigrammatarius Græcus:

Ἡδὺ δὲ χ' ὁπόταν κρύψῃ μία τοὺς φιλέοντας
Χλαῖνα.

C Sed ad rem veniamus:

CRAS *Dione iura dicet fulta sublimi throno.*] Hinc ποικιλόθρονον vocat Ἀφροδίτην Sappho. quamuis id vel de variegata & florida Veneris veste accipi possit argumento illius Homerici Iliad. X. ἐν δὲ θρόνα ποικίλ' ἔπασσε. vel de variis pharmacis quæ mortalibus propinat Venus, *curis hominum gaudia miscens*, vt Catullus loquitur. Nam cùm ποικιλόθρονος dicatur multa habens θρόνα seu pharmaca, eiusdem vocabuli vim ad ποικιλόθρονον etiam extendi posse ratio suadet.

IPSA *surgentes papillas.*] Rectum puto *surgentes*, quod interpretor tumescentes ac sororiantes. & veluti strophio obnitentes, atque, vt cum D Catullo dicam, luctantes eas *horridulas* vocat Plautus in Pseudolo: *Papillarum horridularum oppreßiuncula.*

VNICO *marito nodo.*] Quid si: *mariti nodo*, vt sit υἱοῖς;

DETINENT *& tota nox est peruigila cantibus.*] Alij *peruigilata*. sic Tacitus *vigilatam conuiuio noctem* dixit XIII. Annalium.

IVSTVS LIPSIVS
ELECTOR I. CAP. V.

ELEGANS meherclè & quantiuis pretij carmen; molle, tenerum. sed Romanis, vt sic dicam, non Alexandrinis deliciis. In eo aliquot menda: quæ priusquam tollam, quæram de Titulo & de Scriptore. Titulus fuit, *Peruigilium Veneris.* Colligo facilè ex subscriptione, *Explicit peruigilium Veneris.* Ex titulo non ignotum argumentum. Laudatio enim Veneris fuit, composita quasi per occasionem Peruigilij, quòd tres ipsas noctes in honorem deæ agebant. Faciunt illuc versus in hoc Carmine,

A *Ipsa vellet vt venires si deceret virginem:*
Iam tribus choros videres feriatos noctibus.

Et illa Plauti Curculione:

Quid? tu Veneri peruigilare te vouisti Phædrome?
Nam hoc quidem haud multo post luce lucebit.

Sed & Peruigilandi honos vulgatus in ceteros deos. Fortunæ peruigilium est apud Suetonium in Galba, cap. IV. *Fortunæ simulacrum in parte ædium consecratum menstruis deinceps supplicationibus & peruigilio anniuersario coluit.* Ceteri, apud Tacitum: *Lectisternia & peruigilia celebrauere feminæ quibus mariti erant.* incertum cui deo, deæ, apud Liuium lib. XXIII. per tres item noctes. *Triduum sacrificatum ad Hamas Nocturnum erat sacrum, ita vt ante mediam noctem compleretur. Gracchus castra Campana, vt in peruigilio, neglecta simul omnibus portis inuadit.* Peruigilij meminit iterum Suetonius in Caligula, cap. LIV. & Vitellio, cap. X. Titulum ergo inuẽni: scriptorem quæram, & non inueniam. Ducti elegantiâ carminis quidam Catullum Veronensem esse censuerunt: alij, in queîs Scaliger, Catullum Vrbicarium poëtam, nominatum Iuuenali.

—— clamosum ageret cum phasma Catulli.

Neuter potest. nisi me fallit ratio temporum, quam subduxi non vanis coniecturis. Natum enim comperior hoc Carmen in imperio Augusti. Argumento horum versuum,

Vnde Rhamnes & Quirites, próque prole posterûm
Romoli, patrem crearet & nepotem Cæsarem.

Ita legendum, nõ *matrem*, doceo infrà. Pater Cæsar, Diuus Iulius est, nepos, Augustus. Sæpe ita discriminandi caussa historici. Sueton. *Cæsario, quem ex Cæsare patre cõcepisse Cleopatra prædicabat.* & alij sæpius. At hæ tam quæsitæ blanditiæ aduersus Augustum, quomodo conuenient nisi in hoc æuum? Non ergo Catulli Veronensis. Dico amplius: post Virgilium vixit hic scriptor. Certè locus ille totus,

Vt Pani totis crearet vernis annum nubibus
In sinum maritus imber fluxit almæ coniugis
Vt fetus immixtus omnes aleret magno corpore.

non abest, quin è Virgiliano isto expressus sit,

Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther
Coniugis in lætæ gremium descendit, & omnes
Magnus alit magno commistus corpore fetus.

postremo quidem versu etiam ad verbũ, vt ego restitui. Nisi tamen Virgilius hæc ab illo: quod non censeo. Sanè quisquis scriptor, non ambigo quin extrema sub tempora Augusti. Ita Catulli illius germani non erit; quia ætate relinquitur. non illius minuti Vrbicarij; quia anteit. Cetera videbit Phœbus. ego transeo ad versus ipsos, quos sanabo, cum Homero, Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς. Principio carminis non dubium quin multa desint. Ille versu,

VER *nouum, ver iam canorum, ver natus orbis est.*

elegantèr Pythoëus, *vere natus orbis est.* nec malè ego, *ver renatus orbis est.* sententia gemina huic Plinianæ, *Arborum flos est pleni veris indicium, & anni renascentis.* Versu IX.

TVNC *quinore desuper huc spumeo pont' de glouo.*] Amicus ille noster; *Iunc rore de supernis.* Mihi correctio apud Ianum Dousam fabulanti feliciter sub manu nata,

Tunc cruore de superno ac spumeo ponti è globo

Nihil clarius. Tangit Fabulam qua fingitur Venus è spuma maris nata, & è sanguine prolium (vt honestè dicam) Cæli Tibullus:

——is sanguine natam,
Is Venerem è rabido sentiet esse mari.

Arnobius, *Nunquid à nobis dicitur ex pelagi spuma & ex Cæli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluisse candorem?* Paulo pòst etiam scribe,

Fecit vndantem Dionem de maritis imbribus.

Maritos imbres appellat spumam & cruorem, sanè quàm eleganter. Desunt autem hîc minimum seni aut septeni versus, quod apparet ex versu intercalari præpoperè posito. Versu XIV.

IPSA *surgentes papillas de Fauoni paritu*
*Vrguet in totos * pentes.*]

Truncatam vocem arbitror, & scribo, *Vrguet in thoros tepentes.* Priori etiam versu malim, *Turgentes papillas.* Fauonij spiritum verè inuenit & ingeniosè Pythoëus. Versu XVII.

ET *me canat lacrimæ trementes de radum pondere.*]

Videor pro parte emendare posse, *Et micant lacrimæ tremẽtes.* Intelligit autem guttulas illas è rore subsilientes & lasciuientes. Cetera non possum. Lernutius noster, *decaduo pondere.* Versu XXII.

IPIVSSIT *manè tuæ virgines nubant rosæ.*]

Pythoëus, *Ipsa iussit.* rectè. Reliqua sic Ianus Douza: Douza, inquam, meus, non iterum in transcursu dicẽdus. Tot mihi in illum iusti amoris causæ, tot admirationis sunt. Omitto poësim, & cum poësi supra hoc seculum doctrinam: probitas, & ingenui mores, &, quæ nihil gratiæ caussa facit, gratia, di boni, in quo homine paria sunt, aut erunt! Vt verè de illo hoc elogium & ad præstationem, quod dicitur, scripturus sim, Vera proles Musarum, & alumnus Gratiarum. Nec abripit amor me. iudicio hoc scribo, siquid vnquam: & peto quæsóque (vita tantum mihi aut fama apud posteros sit) ita hac legant non quasi laudem ab amico; sed sententiam à iurato teste: Redeo in viam. Douza, inquam, legebat.

—— mane vt vda virgines nubant rosa.

rectissimè. Venus iussit, ait poëta, vt mane virgines tegant se ornéntque vdis ab humore noctis & quasi ebriis rosis. Nec fallet lectorem nubendi hic verbum, prisca significatione, velandi. Versu XXIII.

FVSTA *prius de cruore, déque amoris oculis.*]

Non diu, sed intentè mihi quæsita correctio. quã repperi, & lego, *Fusæ aprino de cruore.* Ab historia

A hæc lectio, vel à fabula potius. Nam rosas à sanguine Adonis, quem aper occiderat, traxisse ruborem vulgò volunt poëtæ. *Fusæ* ergo, tinctę siue perfusæ nisi quis eligit, *Fuscæ.* Bion de hac re, *αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν* Ouidius & alij. Versu XLV.

DETINENT, *& tota nox est peruigila canticis.*]

A fine lego, *peruigil à canticis.* syllaba præter vulgi morem scilicet producta, vt iambum vitemus. Ad principium emendandum conor, *Detument.* id esset, tumorem & fastum dij illi ponunt, effusi in iocos, & solitam peruigilio hilaritatem. Scio Statium Papinium non absimiliter ea voce v-

B sum: tamen adhuc delibero. Versu XLIX.

Præsens ipsa iura dicit, adsederunt Gratiæ.

Bene Douza, *Præses id est iura dicet, adsidebunt Gratiæ:* Et lepida hercle fictio est, vt Venus in illo tribunali quasi Præses Quæsitórque sit: Gratiæ, adsestrices. Versu LX.

IN *sinum maritus imber fluctus.*]

Lego *fluxus.* Ita apud Lucanum:

—— æther defluxus in Austrum.

Versu LXI.

VT *fletus immixtus omnis aleret magno corpore.*]

Dixi, & non muto, legendum *fœtus:* ex sententia, & Virgilio quem expressit. Turbat me tamen

C quòd insolens eo loco poëta nostro spondæus est. itaque per me sanè legatur, *Vtque fœtus mixtus omnes.* Versu LXXII.

VNDE *Ramnes & Quirites próque prole posterûm*
Romuli matrem crearet, & nepotem Cæsarem.]

Falsa lectio. Quid? an ex nuptiis Sabinarum cum Romanis creata mater Romuli? Atqui Romulo iam regnãte iunctæ illæ innuptæ nuptiæ: nedum vt ex illis Romulo mater. Perseuero ergo legere.

—— próque prole posterûm
Romuli, patrem cr. & n. Cæsarem.

sententia non dubiè in gratiam Augusti. Venus, inquit, conciliatrix fuit Romanorum Sabinarúmque nuptiis, vt ex iis Rhamnes & Quirites

D crearet, & in postera sæcla vtrumque Cæsarem, patrem cum nepote. Versu LXXX.

ECCE *iam super genestas explicat agni latus.*]

Aut ego me amo, aut Phœbus me amauit, cùm correxi, *explicant agni latus:* Nec sanè significantius exprimi potuit decubitus ille ouium in latus, quasi apricantium. Id enim solent super genistas, myricas, & humiliores frutices. Nec plura de hoc Peruigilio; ne ipse peruigilem.

FINIS.

IANI DOVSÆ NORDOVICIS PRÆCIDANEA Pro Q. Valerio Catullo.

Ianus Dousa Nordouix Iano Lernutio Brugensi S. D.

ESTNE, VT DIXI? & A te (quod, tua vtique ex parte, neque futurum vnquam, neque adeò fieri posse, verbis cōceptissimis, hoc est, PER OCELLOS TVOS, adiuraueras mihi) epistolarum frequentia vinco? Est: si quidem rationes vtrinque conuenire inter nos postulas, accepti atque expensi dico. Hîc tu etiam criminatorem tuum insimulas, quasi communi in noxia manifestò hæren- B tem; ac te taciturnitatis nostræ exemplo purgare cogitas mihi. nequicquam: tantùm ad calculos sedeamus.

Scin' cuiusmodi? specta igitur, vt scias. Biennium transisse iam vides; atque hæc tertia à nobis Epistola aures etiamnum consopitas verberat tibi: vtique post domuitionem è Batauis vestram. Ipse intereà quid? literarum inquio. Equidem vnas nobis expensas feres, scio. quas recens etiam tum à prælis madenti libello Carminum tuorum adiunxeras, veluti transmarini itineris comites. salutem prætereà frequentem; non quidem per literas, sed verò per amicos interpretes, C istinc porrò ad nos commeare solitos, Dousæ identidem renunciatam verbis tuis. Atque hæc anno. Restat horni ratio. Cuius mehercule conficiundæ Tabulis nobis Quæstoriis opus non erit. ita minus, quàm anteà, etiam acceptum mihi; neque lucelli quidpiam relatum in Aduersariis patet. nisi tu fortè, exemplo Catulli tui, inanissimum illum Pr(a)etorem suum

Magno cum pretio, & malo secuti,

datum lucello referre nos postules; aut Phaselū etiam tuum imputandum censeas nobis, quem non minus musteum, quàm superiora illa, quæ dixi, primitus Lipsius noster Lugduni tradidit mihi, de manu (quod aiunt) in manum. & quidē (portenti simile) sine schedula, sine epistolio aliquo. Sed citò conieci, operæ haud fuisse tibi; teq; (publici, an domesticis?) occupationibus prohibitum, quò minus de munusculo isto tuo sermonem (vt soles) familiarem mecum serere per literas interpretes posses. Vt vt est, gratias tibi, mi Lernuti, pro munerum tuorum facetiis habeo, habebóque porrò, dum viuā, semper. Nam quî aliter quæso facere possim, quamdiu comitas hæc nobis tua in oculos, atque in animi mentem incurret? Quod eò etiam fit frequentius, quòd ea sit scriptorum tuorum festiuitas, is lepos, vt me *Ad se volentem ducant, nolentem trahant.* Itaque vix est, vt hæc vnquam possim de manibus deponere. Ac ne in opera te gratuita esse pigeat diutius, nosq; ex eorum hominum ingeniis æstimare pergas porrò, qui (ne nō apud te quoq; solenne illud meū, vt Plautissem, obtineam solens) *Lingua tantūmodò largiūtur, opera verò ac factis fallūt*; en tibi pro geminis germanis illis, lepidissimis libellis inquam tuis, *Præcidanea* hæc nostra;

Plena rursus, & inficetiarum. Quæ (malum) *Præcidanea*? quæ sunt? inquies: nomen audiui nunquam. Quid ergo vis faciam? Licuit, credo, nobis

Quà facit assiduè tramite vulgus iter, nec sine principium ductorum exēplo, via proletaria incedere. atq; aliquātò fortasse tutius. Cæterùm in gloria nimis visa securitas ista; neque ex ambitione, haud dico mea, sed verò nugiuendorum aliquot nostratiū. qui cōtra Horatiani Homeri præscriptum fumū ex fulgore potius, quàm fulgorem ex fumo oculis nostris concinnare didicerunt:

Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.

vt illos idē Plautus meus depinxit probè. Itaque nouum Commentatiū nouo etiā Titulo placuit insignire. quò vendibilius scilicet atq; cōmendatius industriæ nostræ specimē in ora, atq; in manus hominum perueniret. qui sola sæpe Inscriptionis festiuitate illecti, operæ ineptiam porrò, ac continuandæ lectionis fastidiū deuorare contenti sunt. simul, ne (vt nunc sunt maledicentes homines) peruulgatū illud de *Cramba* cōuicium

audiremus. quod ne eueniret, cautionem istam adhibere visum est potius, vt Tituli nouitate curiosum induceremus Lectorem, ac PRÆCIDANEA (vti dictum est) inscriberemus. Sollennis hæc, ac vetustioris notæ appellatio, iam inde ab *Indigitamentis*, opinor, Numæ, in Sacris Romanis legitimè vsurpari, *Feriisque* non minus, quàm *Hostiis* attribui solita. quibus respondent SVCCIDANEÆ: ab eodem fonte, id est, à *Succedendo*, literæ vnius mutatione, detortæ. qui Titulus secundis vigiliis nostris reseruabitur, si vsus venerit fortè, vt hisce quasi PRIMIS HOSTIIS litare, veniámque & *Pacem* à Catulli Genio impetrare nequeam mihi: ac PIACVLO nobis ad tanti Poëtæ Manes propitiandos opus fuerit. quod etsi futurum minus persuasum est mihi, tamen in facinore audacissimo, ac paupertinæ supellectilis conscientia timorem mehercule iustissimum longius dissimulare non possum: apud te præsertim,

Cui res audacter paruas, magnásque, iocúmque.

Nosti reliqua. tum hoc sæculum quib. moribus sit, vides; neq. de nihilo esse solicitudinem hanc nostram. quam non deponā profectò, nisi auctore te, & literis tuis. quas à vobis vti exterebret aliquandò, id verò Doûsæ in votis est primum. & ferendæ in hoc tibi ineptiolæ nostræ. Ferendæ? imò etiam adminiculandæ. qua quidem in re (vti spero, quæsoq.) operam porrò tuam amplius accusari nō sines. Quò? nisi vt nos curæ esse etiamnū tibi; neque dum planè ex animo tuo effluxisse, fidē nobis ipsi facere possimus? Iocari me putas? Moriar, mi ocelle, si quicquam maiori mellitiæ mihi, quàm Epistolæ tuæ. Tu, si id iurato non credis, periculum facito. Noli autē (te obsecro) exspectare, dū bracteatis *picta lingua tectoriis* (sicuti est apud Persium, atq; vt hodie mos viget) aut nimbatis sententiolis, charteum & literariū hoc munusculum exornare, id est, & fucum & ludos tibi ac lectoribus meis facere insistam: aut dum causas nuncupationis istius particulatim, atque adeò cum cura edissertē tibi. quod profectò facturus nō sum, ne vel iudicio tuo (quod de Doûsa quidem vsq; adhuc liberalissimum semper fecisti) aliqua ex parte diffidere; vel etiam simplicissimum animi tui candorem, nobis iam inde ab ephebis percogniti, in dubiū vocare velle videar. Iampridem enim ventosissimum hoc lenocinij genus ex nostra necessitudine, modò non summum beneuolentiæ gradum supetuecta, in perpetuum porrò sublatum esse condecet, *nō radicitus quidem hercule*, (& hoc à Plauto esse patiere) *verùm etiam eradicitus.* ne stolonibus (vt solet) renatis denuò fruticetur scilicet. & confidentia est, impetrasse me iam olim, hoc ipsum apud te iuris sumere vt liceat mihi. Illud tamē indictum nobis abire non debet, cur Catullum hunc potius, quàm alium quempiam ex electissimo illo Principum Poëtarum Triumuiratu, sub nominis tui integumento apparere voluerim. Causæ huiusce delectus multę, illa verò potissima, quòd præter cæteras in illustri positas virtutes tuas Musicas, priscæ illius ac Catullianæ festiuitatis imaginem maximè in scriptis tuis recognoscere videor mihi, præsertim quoties OCELLOS istos contemplor: non quidem adumbratam ac fuco-

A sam illam, sed verò, capse numerorum mollitie, verborum elegantia, pondere sentētiarum denique, ac dictorum argutiā planissimè oppidò, & quidem examussim, expressam. Itaque iam neq; Quintiliam Calui nobis, nec Smyrnam Cinnæ, aut Lydiam etiam Catonis, veterum Catulli æqualiū amores, magnopere desideramus. in quarum amissarum vicem Hyella Lernutiana (*Gratior vna tribus*) succidanea facta est nobis. ac contenti sumus hac Helena. Ad hos Lepores cùm Phaselus tuus accesserit insuper, miraris hoc iudicio nostro nos vsos, vt Triumuiratus huius Principem potius tibi, quàm vel Tibullum, vel
B etiam Propertium inscriberemus? Sed quoniam Phaseli incidit mentio, haud alienum à more & instituto meo videor facturus, si, explendæ Parodiarum tuarum Decuriæ, Iambos etiam nostros, huic libello per causam subtexuero. in quibus si à Catulli tibi, ac *Ocellorum* tuorum archetypo, lōgius fortasse quàm velles, visus fuero recessisse; cogitare debes in tete omnem culpæ istius inuidiam residere potissimùm: qui totum Poëtæ nostri μυροθήκιον, & quantum adeò Valerianis arculis inerat pigmentorum, ita auariter excussum in narthecia, vsúsque absumseris tuos; vt ne tenuis-
C simam quidem Lesbiani istius, vnguenti dico,

Illi quod Veneri Catullianæ
Donarant Veneres, Cupidinésque.

gutticellam modò Catulliētibus Phaseli tui vectoribus, nobis puta, æmulis ac riualibus tuis reliquam porrò vllam fecisse videaris.

Caussa perorata est. tu verò hoc quicquid opellæ,
Gratè, & eam in partem, qua datur, accipies.
Atque audin'? facias nobiscum vt mutua, amabo:
Hócque velim de me polliceare tibi.
Ipsum me potius odio, Lernuti habiturum,
Quàm tibi promerito tam bene desit amor.
Nam si quem in tanto sociorum examine credis
D *Esse, tibi cupiat qui bene, & ex animo;*
Me quoque me Lustro poteris censere sub illo,
Vnus & istorum iure sacratus ero.
Tantum est. iamq; vale antistes mihi, non modò nostris
Iane, sed & Gallis vatibus, & Latiis.

Conclusi (vt vides) Epistolam versu, Dî boni, quàm præter exemplum, *Et non ad Genium tui Catulli.* Sed verò tute (vt dixi) in culpa: ego extra noxiam. Iterum vale. Filiolo auctum me scito, salua puerpera. & viden', Carmen te Genethliacum debere? Vale etiam tertium, mi oculissime Lernuti. Vltraiecto.

E

CAPVT I.

Pius Poëta, pro erudito; Impius, contrà. Pluralem generandi Casum esse, quem alij omnes vsque adhuc quidem, pro Causatiuo singulari sunt interpretati. Vnctior loquendi ratio vna & altera declarata. Nulla Nullus, pro Aduerbiis negatiuis posita. Verborum concursus eodem sono cadentium in Ciceronis versu Catulli auctoritate defensus, contra horum hominum sententias. In Plautinis verbis traiectio facta, Euphoniæ gratia.

MEMINI me ante septennium, hoc est, turbulentissimas istas, veteéque decumanas ci-

uilis discordiæ tempestates, cum Victore meo Giselino de noua Catulli editione, (quam id temporis, doctis omnibus cupientissimis adornare se, mihique adeò, sollenni insuper nuncupatione appensa, propriam dicare dixerat) verbis pluribus accuratissimè agere; Notulásque in eum Poëtam aliquot meas in re præsenti coràm recitando præire. quarum Lectori, meum profectò non est, vt specimen inuideam diutius. ne & integerrimi, & subtilissimi viri iudicio; quo eæ ipsæ tum temporis seriò hercule dilaudatæ, vnicéque comprobatæ fuerunt; quicquam videar diffidere. in quibus & hæc (vti spero) nomen suum profiteri non verebuntur: *Pium*, scilicet, *Poetam*, pro arguto & docto à doctissimo Poëta positum esse eo versu:

Nam castum esse decet pium Poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Id adeò quàm maximè animum aduorterim, facit eiusdem ad Caluum Epigramma. in quo ex presse ac disertim legitur:

Qui tantum tibi misit impiorum.

hoc est, vti ego interpretor, malorum Poëtarum atque inficetorum. Nam de Suffenis, Cæsiis, Aquinis, cæterísque sæculi sui venenis, atque incommodis loquitur. id quod clarè ex sequentibus patet:

Ad librariorum
Curram scrinia, Casios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena.

Quem postremum versum haud peruersè interpunctum modò, verùm & scriptione ipsa deprauatum: ideóque sinistrè à Catulli Scholiastis interpretatum hac forma reconcinnes, ac restituas licebit:

Suffenûm omnia colligam venena.

Suffenûm, pro *Suffenorum*, more Plauto prisciśque omnibus celebratissimo. dixerat enim Catullus anteà; *Casios*, *Aquinos*; plurali (vt vides) numero. qui ita temerè ipsi migrandus non fuit.

Appingam hoc loco phrasim perelegantem exproximo Epigrammate:

Cœnabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi Dî fauent, diebus.

Paucis diebus, id est, propediem, & (quod Plautus autumat) *Cis paucos dies. Si tibi, Dî, fauent*, hoc est, (vt dicere didicimus à priscis & Romanis illis) *Cum Dîs fauentibus, volentibúsque.*

In Epigrammate ad seipsum, cui initium est:

Miser Catulle, desinas, &c.

ita in omnibus exemplaribus conceptus legitur versus ille:

At tu dolebis, cùm rogaberis nulli.

Statij Editionem excipito, in qua manifestò, *Nulla* formis impressum exstat. quæ lectio non displicet, tanto præsertim Achille, & Plauti insuper auctoritate suffulta. apud quem idem loquendi genus inuenias non semel. vt Asinaria:

Libanum in tonstrinam vt iusseram venire, nullus venit.

& alibi: *Nullus dixeris.* miror tamen, quidnam Lusitanum illum mouerit, receptam interpunctionem solicitandi; &, *Nulla* istud, cum insequentis versus principio, *Scelesta*, cōstruendi.

Tertium Carmen vnius versiculi interpositione auctius legitur in libris ante L. annos excusis, & quidem hoc modo:

Passer mortuus est meæ puellæ,
Passer, deliciæ meæ puellæ
Quem plus illa oculis, &c.

Quæ iteratio mihi & Poëtica magis esse, & nescio quid genuinæ Catullietatis habere videtur.

Notandum quoque veteres à continuata earundem syllabarum repetitione, numerorúmque idem in diuerso significatu sonantium concursu non modò non abstinentes fuisse; verùm etiam hæc ipsa, ornatus & elegantiæ gratia, penè dixeram ambitiosè conquisisse. contrà, quàm nos facere consuemus, qui continuò *κακόφωνον* admissum vociferamur, quotiescunque (vt fit) posteriorum syllabarum literæ antecedentibus, veluti Echo quædam, respondeant, atque huius vitij ipsum Ciceronem insimulare, palámque adeò redarguere audemus; qui dixerit: *O fortunatam natam me Consule Romam.*

Næ illi falsi sunt (nam quo eos nomine appellem nescio) qui omnia ad sui ingenij captum, nouarúmque aurium iudicium reuocare, atque exigere conantur. neque cogitant nos in ciuitate Latina inquilinos, hoc est, Barbaros esse; vel si Romani, Romani certè eorum comitate, qui istiusmodi nobis monumenta reliquere. Sed quid cunctamur M. Tullium, optimum illum omnium patronum scilicet, optimi omnium Poëtæ (neque enim Catullo ipsi, secus de se prædicanti, hac in parte fides habenda) gratissimi inquam clientis sui patrocinio tueri porrò, atque defendere. Scribit igitur ille:

Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.

Sed & Virgilius ipse:

Anchisem agnouit amicum: Item alibi:
Sale saxa sonabant. denique:

Casus Cassandra canebat. ad quem locum notat Seruius, compositionem eam ætate etiam sua pro vitiosa habitam, quæ maioribus placuisset. Hactenus quidem ille. & rectè antiqui, consentientibus (vt vides) duorum in vnum pariter principum Poëtarum iudiciis.

At inquiet in Phaleuco Catulli aliquis, Pronomine interposito repercussi soni insuauitatem leniri. Fateor. sed quis ita obesæ naris obsecro, vt hoc ipsum à Poëta carminis necessitate compulso,

Factum non videátque sentiátque?

nisi si quis Plauti nobis exemplum obiectet contrà; eadem vocum iteratione in Asinaria vsi, cùm scribit:

Hic pone, hic istam colloca crumenam in collo planè.

Hoc verò aliquid esse fateor: nec tamen tanti, vt hac re suram mihi præbendam autumem. & si quid mihi hisce est in rebus iudicij; vereor, vt scripserit potius Comicus noster:

Hic pone, hic istam crumenam colloca in collo planè.

Hoc enim quantò altera illa *collocatione* numerosius, illis tantum ignorabile obiectum iri arbitror, qui, *quid distent æra lupinis*, ignorant.

CAPVT II.

Lucretij Interpres quàm in Catullo fruſtrà, imò nihili fuerit, detectum.

MVLTA ſunt apud antiquos, quæ cum Menechmo Plautino pro inſanis habita ſtatim in medicinam rapiuntur, opera inquam & conatate eorum, qui (vt eiuſdem porrò Comici verbis in re ſimillima vti pergam) *dum alios perperam inſanire prædicant, ipſi inſaniunt.* veluti lepidiſſimis illis Catulli ad Ipſythillam Phaleuciis euenit quod clarius vt liqueat, integrum Poëtæ ipſius locum proponam:

Amabo, mea dulcis Ipſythilla,
Meæ deliciæ, mei lepores,
Iube ad te veniam meridiatum:
Quod ſi iuſſeris, illud adiuuato,
Ne quis liminis obſeret tabellam.

Quem quidem locum amicus noſter mendoſum falsò dictis concinnat ſuis, mendis ipſe ac mendaciis coopertus. Sed ipſius amabo verba, ipſámque emendationis rationem audiamus:

Adiubere, inquit, *ad Ipſythillam dixit Catullus, vt Lucretius, Adcredere. Sed locus hodie eſt mendoſus.*

Mendoſus ſanè vſque adhuc iudicio illius, quem dixiſſe me ſentio: at nunc eiuſdem ſolius beneficio primùm mendo liberatus, reſtitutúſque (ſi Dîs placet) aliquando in priſtinum. Nam abſque illo eſſet, *Adiubere* iſtuc, natum non foret. monſtrum verbi: quod mehercule ego nuſquam neque fictum, neque pictum, neque ſcriptum vidiſſe in poëmatis memini; quę quidem ab hoc verborum nouatore architectata non ſint:

Quem penes arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi.

Quî enim aliter quęſo exiſtimare poſſim, quamdiu mecum ruminor, reputóque ſtrennuam eius hominis in Lucretiano Indice contexendo diligentiam, qua idem (*de ſe ſi creditur ipſi*) in vocabulis illis priſcis, ac dictionibus elegantioribus commemorandis explicandíſque eſt vſus. quibus ſi nos mendacij coarguere volet, at pol illum non poterit familiare meum, Plautum inquio. cuius ego auctoritate confiſus, locum Catulli ſine noxa eſſe, haberéque rectè licere meo periculo ſpondeo. paratus vltrò etiam cum aduerſario pignus dare; haud quidem in mulſi (ne quis erret) ſed verò in ellebori vrnam, vel quadrantal potius: quo videlicet & Sicambrum pectus, & caput tribus Antyciris inſanabile, detergere, piare, ac penitus perpurgare poſſit. quo expatrato probè, eumpſe mox ad Plauti locum huic Catulliano pariſſimum viſere iubebo, qui in Pœnulo exſtat huiuſmodi:

Valete, atque adiuuate, vt vos ſeruet Salus.

Adiuuate, id eſt, addite operam, adnitimini pariter, atque in eam curam cogitationémque incumbite. quo loco, ſi Fidentini noſtri, *Adiubete*, legatur; immane, quantum de venuſtate ſententiæ, & gratia deceſſurum eſt Plauto. Quis enim

A *Iubere*, vel *Adiubere* poſſit, vt ſe ſeruet Salus? niſi fortè nouellum iſtum Antiquarium dicas, qui eiuſmodi phraſim, pariter atque alias res ſolet, princeps nobis fabricare eſt auſus.

Idem de altera quoque hominis eiuſdem interpolatione dictum velim. nam quo loco ſcripſit doctiſſimus Poëta:

Sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida ſcribere oportet aqua:

is vir, haud paulò ſanè doctior, ad lectionem hoc modo conſtituendam doctiores excitare ſe gloriatur:

In vino, & rapida ſcribere oportet aqua.

B Quod quidem ego non *vino* (neque enim eſt tanti) ſed *vento, & aquis* vnà cum auctore ſuo inſeribendum pronuncio: monitóſque cupio mecum *Muſis amicos omnes*, vt eiuſcemodi emendationes, quantum eſt vſpiam, cum *Triſtitia, & metu* (id quod Horatius iubet)

Tradant proteruis in mare Creticum
Portare ventis, &c.

CAPVT III.

Britanniæ, ἀνδυλικῶς in Catullo repoſitæ. Vnctum, quid? Scaurus Romulus Seruiano Commentario reſti-
C *tutus: indidémque Salluſtij locus & correctus & enarratus planiſſimè. Aduerbium, vt, paulò enucleatius expenſum.*

ARGVTA mecaſtor, ac ſcita emendatio illa. Scias à Faërno eſſe:

Mamurram habere quod Comata Gallia
Habebat vncti, & vltima Britannia.

haud ſatisfacit tamen poſtremum iſtud, etſi non ignorem vocalem natura breuem inſequente muta cum liquida à Poëtis identidem produci. placet itaque magis:

Et vltimæ Britanniæ.

D quo modo idem in Carmine de Acme, & Septimio:

Mauult, quàm Syrias, Britanniáſque.

& paulò infrà:

Hunc Gallia timent, timent Britanniæ?

Quem Iambum, *prauo fultum male talo*, ita correxit vnus & vnicus ille omnis eruditionis pater Turnebus:

Timéntque Galliæ hunc, timent Britanniæ?

Cui vtique ego hac in parte aſſentior lubens. ſimul, vt *Cæſuræ* ratio habeatur, nuſquam à Catullo temerè aliàs neglectæ, nedum in Iambis, puris præſertim ac meris. quo in genere modò
E non regnat ac triumphat Valerius noſter. cuius ſingulas etiam ſyllabas, hoc eſt, artificioſam pedum rationem, atque inimitabilem numerorum mollitiem, neque patienter hercule, neque ſtultè omnis Antiquitas mirata. teſtimonio fuerit Martialis illud:

Verona Docti ſyllabas amat Vatis.

& tamen vt leniter & leuiter quoq; à certiſſimo cõiectore in partem diſſentiam; malim reſcribi:

Timéque Gallia hunc, timent Britanniæ?

vt Comata ſolùm Prouincia intelligatur. ſingulari enim numero Galliam extulerat anteà. doctiorum arbitratus eſto, vtrum impendiò ma-

gis probauerint, reponendi. Cæterùm, *Vncti* istud, ex vnctiore illa, & Catulliana loquendi consuetudine depromptum esse; ideóque vnctis manibus non tractandum, commonefaciendus est Lector. Vsus enim metaphora ea Poëta noster non semel: vt in Epigrammate illo nimium lepido:

Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput vnctius referret.

denique hoc ipso Carmine:

Nisi vncta deuorare patrimonia?

Eodem Poëmate inter cætera cognomenta, quibus Cæsarem insignem magis, quàm honestum facit Catullus noster, eidem quoque Romuli titulum adsignat; eúmque bis repetitum, hoc versu, quasi intercalari:

Cinæde Romule, hæc videbis, & feres?

quo nomine (& Mureto commentum placet) vti solebant in eos, quos significare volebant dissimillimos esse Romuli, multúmque ab illius præstanti virtute abesse. falsò (sicuti ego existimo) & parùm Romanè. Scin', quid suspicer? vulgatum hoc in eos nimirum conuicium fuisse, qui profunda imperij cupidine accensi dominationem in ciues suos adfectabant, potentiam suam supra leges Regium in morem extendentes, ex Salustiani illius præscripto maximè:

Impune quiduis facere, hoc est Regem esse.

Primus autem Romanorum Rex Romulus. neque aliter accipiendum alterum Crispi exemplum, ex Oratione quam idem Mamerco Æmilio Lepido attribuit. vbi hæc in Sullam, adhuc Sullaturientem, quamuis deposita iam Dictatura, inter cætera non bona dicta, stomachosè ad Quirites pronunciata leguntur:

Nam quid à Pyrrho, Hannibale, Philippóque & Antiocho defensum est aliud, quàm libertas, & suæ cuique sedes; neu cui nisi legibus pareremus? quæ cuncta (scilicet & libertatem, & patriam, promtámque solis legibus parendi voluntatem) *sæuus iste Romulus, quasi ab externis rapta tenet, &c.*

Quam interpretationem meam Honorato etiam tibicine, (Seruio inquam) fulcire posse videor, ad Maronianum illud Eclogæ III. *Quæ tu peruerse Menalca, &c.* hunc in modum commentante:

Aut, conuerse ad turpitudinem; aut intelligamus fuisse quendam Menalcam nobilem, vt istum peruersum Menalcam dixeris illius comparatione.

Subiicit deinde ipsissimum hoc Sallustij exemplum, verbis tribus. quò? nisi vti liquidò planum ac palam faciat, eodem respexisse Historicum nostrum, cùm Sullam, per irrisum, & contemtum quasi digito designans, *Romulum* nominitauit; quò Virgilium, cùm *Peruersi* Epithetum tribuit Menalcæ. Sed videtur ex glossematis Seruiani sententia, non *Sæuus* (vti nunc vtrobique est) sed verò, *Scæuus*, in Sallustio rescribendum: hoc est, sinistrè peruerséque prauus, siue etiam præposterus; & quod non minus significanter à nostratibus vernacula voce exprimi consueuit: *Verkeert*. Sed & Latinis *Si*-

A *nisteritas*, id est σκαιότης (vnde & τὸ *Scæuus* natum testatur Pompeius) quidnam aliud, quàm Peruersitatem, siue Improbitatem designat? Etiam à *Scæuo* radices egisse verisimile est, id quod nos eodem patrio sermone, *Scheef*, dicimus, pro obliquo flexuoso, atque distorto.

Aduertendum quoque Aduerbium, vt, tàm apud Catullum, quàm Horatium: vt verbi caussa:

Iuppiter, vt χαλύβων omne genus pereat.

Et: *O pater, ô Rex*
Iuppiter, vt pereat positum rubigine telum.

non tam significare, *Vtinam*, (quomodo apud Charisium explicat Aruntius Celsus) quàm
B quod Comici aliàs cum excandescentia, ac deuotione quadam per, *Quî*, efferunt: vt illud Terentij:

Quî illum Dî omnes perduint.

Sic enim idem alibi:

Vt te omnes equidem Dî Deæque perduint.

& Plautus plusquàm sexcenties:

Vt te magnus perdat Iuppiter.

quod ipsum & nos vernaculo sermone, plus mali cuipiam, quàm boni imprecantes, totidem penè verbis efferimus, dicendo:

Dat v Gods schende.

Ad Catulli votum redeo. cuius formulam à
C me quoque fideliter aliquando in Elegiis nostris expressam videor commeminisse: iam tum, cum Spanicæ dominationis pertæsus, meritissima hercule execratione in hæc vota erumpens proclamarem:

Iuppiter, vt pessum Maura tyrannis eat.

Nec phrasis illa silentio prætereunda:

Quare aut Hendecasyllabos trecentos
Exspecta, aut mihi linteum remitte.

Vtitur eadem bis in Carmine ad Thallum, vt:

Remitte pallium mihi meum, quod inuolasti.

Et paulò ibidem posteà:

Quæ nunc tuis de manibus reglutina, ac remitte.

D

CAPVT IV.

Homines recti Communis ac vetus in Catullo lectio defensa, aduersus nuperum eius solicitatorem. Nona duûm locorum explanatio. Latebra improbitatis quæsita in verbis honestioribus, Facere, Præbere, ac Dare: idque ipsum exemplorum aliquot productione liquidò demonstratum.

IN Carmine de Vari amoribus inscripto, quamobrem pro Lecticariis, *Homines rectos*, vsurpauerit Catullus, rationem nobis explanat Ouidius. ne aliam aliunde arcessere sit opus, quo
E loco monet:

Sustineas vt onus, nitendum est vertice recto.

Eodem etiam à Iuuenali allusum: *Tot res*
Impositas capiti, quas recto vertice portas
Seruulus infelix.

In Epigrammatio autem ad Vibennios mirificam geminarum lectionum varietatem satis nequeo mirari. nam vbi in aliis omnibus Editionibus legebatur:

Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore.

Carrion noster in Commentariis suis Antiq. Lect. transpositis comparatiuis hoc modo rescribendum absque controuersia omni asseuerare non dubitat:

Nam dextra pater est voraciore,
Culo filius inquinatiore.

Argutè quidem ille, cæterùm ego tantum ipse à me impetrare nondum potui, vt credam à Catullo vnquam ita scriptitatum fuisse. atque eò minus, quòd hoc ipsum loquendi genus in re prorsus consimili à Martiali videam vsurpatum lib. II. Epigr. LI.

Infelix venter spectat conuiuia culi,
Et semper miser hic esurit, ille vorat.

qua etiam sententia memini quõdam fuisse Fruterium nostrum. Sed nos obscæna ista cum Vibenniis suis missa faciamus.

Epigrammate ad Sirmionem peninsulam quod scribit, locus est huiusmodi:

O quid solutis est beatius curis?
Cùm mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus Larem ad nostrum.

qui hunc in modum nobis construendus videtur. O quid beatius est, (quàm) cùm mens onus reponit solutis curis! cúmque peregrino id est peregrinandi labore, itinerúmque molestiis perfuncti, reduces domum, & quidem salui, postliminio aliquando conuortimur? Hoc propterea indicandum censui, quòd videam pulcerrimam sententiam perperam omnibus in libris, etiam iis, quos vt emendatissimos exhibuit postremò nobis limatissima Scaligeri castigatio; interpunctum esse, vitio maximè interrogationis, quæ vbique voci, *Curis*, appensa legitur, eo exemplo, quod proposui prius: nullo sensu. Quis enim Latinè dicat, *Curas solutas beatas esse*; ac non potius, *Animum curis solutum*? Quò magis demiror, quidnam politissimo Germanorum Poëtarum Lotichio in mentem venerit, huius ipsius loci, proinde vt vulgò legitur, imitationem à Catullo nostro mutuari. Sic enim est apud illum:

Ecquid æstimandum est
Curis esse beatius solutis?

Sed idem nimirum ipsi, quod summis plærúque ingeniis, euenit, quibus peruersa trium quatuórve verborum distinctio glaucomã ob oculos obiectare consueuit, quo minus verum dispicere queant, quod ipsum & Mureto in loci huius declaratione vsu venisse res ipsa inuitum prædicare me cogit.

Adponam & alteram explicationem nostram super Epigrammate in Aufilenam. in quo mehercule intellectu singulari, quantum ego quidem his in rebus perspicere queo, iteratum legitur verbum, *Facere*, primùm:

Aufilena, bonæ semper laudantur amicæ
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt:

deinde altero disticho interiecto:

Aut facere ingenuæ est, aut non promisse pudicæ.

quod idem significare mihi, ac tantum non geminum esse Ouidij τῷ *Præbere*; & Martialis, *Dare*, videtur. Sed neque aliò haud dubiè arbitror respexisse Pelignum illum, cùm scribit:

Quæ, quia non licuit, non facit, illa facit.

id est, proinde vti ego interpretor, *Dat*, siue *Præbet*, facitque sui cupientibus copiam: *Nec finis esse moram, si quis adire velis.* motus cum primis auctoritate Senecæ, prorsus vnici ad hunc versum Interpretis. qui ab eodem hac specie adducitur:

Quæ, quia non licuit, non dedit, illa dedit.

vt verisimile sit glossam apud eundem in ipsum contextum irrepsisse. Quid? quod canit Lucretius lib. IV.

Nam facit ex animo sæpe, & communia quærens
Gaudia sollicitat spatium decurrere amoris.

Hæc, Lector optime, volebam, nescius ne esses.

Caput V.

A sententia Mureti discessio. Catullus emendatus. In eodem loci obscurioris enarratio. Iudicium factum de Poësi Belgica Iani Hauteni. Prouerbiorum auctus numerus.

Exstat inter alia Catulli opuscula elegantissimum quoque Pelei & Thetidis Epithalamium, Poëma verè Heroicum; & quod hercule ego (non dicam dolo) de tot Latinis veterum monumentis, reliquum nobis vnum atque vnicum superesse existimo, quo fastus ille Vergilianus retundi possit. In eo haud placet nobis Mureti expositio super vocem, *Eximie*, in versu illo:

Téque adeò eximie, tedis felicibus aucte,
Aemathiæ columen Peleu.

Eximie, id est cùm alios Heroas compellabo, tum te, ô Peleu eximie, ac præter cæteros. Mihi enim Aduerbialiter positum accipi id ipsum, melius æquiusque videtur, &, *Tedis felicibus*, coniungi. quod si admittant Critici, inducendum erit comma ante, τῷ *Tedis*, rescribendúmque hoc modo:

Téque adeò, eximiè tedis felicibus aucte, &c.

Legitur deinde adiecta hæc clausula:

Clarissime nato.

illepidè sanè, ac insipienter, vti ego hariolor. proinde non dubito, quin, *Clarissime natu*, hoc est, genere ac natalibus, scriptum fuerit à Catullo nostro. Quanta enim literæ, O, cum, V ista, quámque antiqua semper intercesserit cognatio; norunt, puto, omnes, quotquot manuscriptos Codices manibus aliquando præsentibus, imò oculis hercle haud somniculosè vsurparunt. vnde errorem hunc etiam primitus obrepsisse, lubet credere. adde, quòd *Natus* iste, Peleo necdum natus erat, quo tempore hæc ipsa à Parcis (si Poëtæ fides habenda) ad puluinar eius Geniale canebantur. cui rei fidem facit consequens illa de Achille, etiamtum in oras adhuc luminis prodituro, disertissima vaticinatio:

Nascetur vobis expers terroris Achilles.

Additurus difficillimi loci ex eodem Poëmate explanationem, videor hercule meo iure facturus, si carmen quoddam nostrum, quo & exemplum, quod dico, & latebra obscuritatis quæ subest, in apricum eruatur: eádemque res omnis, discussa Ænigmatis nebula, me Oedipo

lucem accipiat denique; in medium aliquando propoſuero quod eò etiam ſum facturus lubentius, partim vt hac occaſione rem molliculam, & parum ſeueram ſoluta ſeriáque oratione explicandi aliquam laboris partem demam ac deminutam mihi: tum verò, vt vnà pariter opera amici ſtudiis gratum faciam; qui, vt argumenti tam iocoſi per ludum & ioculum carmine non laborioſo interpretandi munus ſuſciperem, auctor mihi, potiórque (vt ita dicam) fundus fuit. Is Hautenus meus eſt, cui omne etiam iſtud, quantulicunque tandem modi videatur, in hiſce Tabulis expenſum referri cupio. Carmen autem ſic habet.

IANVS DOVSA IANO HAVTENO SVO.

Nempe etiam Doctis quid ſignificare Catulli
Muſa velit, doctos omnes certare videmus,
Non te Iane modò: Nymphæ felicibus auctum
Cum tedis Thetidique iugatum Pelea ſcribens,
Mortaléſque Deam non deſpexiſſe Hymenæos,
Induxit Parcas diuina ita voce canentes:
„ *Non illam nutrix oriente luce reuiſens*
„ *Heſterno collum poterit circundare collo.*
Et nos has etiam de re contendimus olim.
Nunc Sphynx omnis abeſt, animîque euanuit error.
Noſtra prius ſuper his quæ ſit ſententia quæris?
Dixi equidem, & dico, neque nunc iterare pigebit;
Credere me, ad morſus referendum, & vulnera prima,
Vulnera nocturnæ veſtigia dulcia rixæ,
Impreſſo quæ dente facit furioſa libido.
Vnde nota memores labris, collóque reſidant,
Blanda admixta ſolet quas refrenare voluptas.
(Quando aliter cupidæ non conſtant ſacra Diones.)
Quæis niſi cauta manus medicinam in tempore faxit,
Manè, nouum ſurgat affectis partibus augmen,
Menſura heſterni fili porrectius augmen;
Hinc tumor (ignari quem demirentur amici)
Liuida ſigna gerens, ſuccis herbíſque fuganda
Ignotis vulgo: quales te, Delia, quondam
In fraudem ipſe ſuam queritur docuiſſe Tibullus.
Hæccine te, Veneris perhibet quem fama nepotem,
Aut incognita adhuc vſque aut contemta habuiſſe?
Téne, duodecimo Paphius qui miles ab anno,
Arma rudi tractare auſus luſoria dextra,
Haud ſine Dis, Haſtæ retuliſti præmia Puræ?
Quid? niſi Romani legiſſes vota Philetæ?
„ *In morſo æquales videant mea vulnera collo.*
„ *Me doceat liuor mecum habuiſſe meam.*
Hæc eadem culti teſtata Elegia Tibulli:
Hæc eadem Flaccus. Sed tu non tangeris iſtis.
Dum tantùm ſuctus, edentuláque oſcula laudans,
Abſque dolore iocos ſequere, & ſine vulnere rixas.
Vix equidem credo, iurato at credere verum eſt.
Tu quoque iurato credas mihi; nec mihi ſoli,
Iane, tamen (nec tam ipſe mei Suffenus ego ſum)
Sed Plautinæ aliquam Scenæ, Venerîſque magiſtro
Naſoni mecum. quêis ſi ſubſcribere nolis,
Ad partes venias Cari furor, auxilióque
Sit mihi: dum cauſas, teſtis grauis atque locuples
Exponit, rabies vnde illa hæc germina ſurgant.
Quòd ſi nec Cari, nec te mea Suada mouebit
Indocilem, veniam ſuccenturiatus, & in te
A *Concibo, vatum quantum eſt veterum, atque nouorum,*
Bembum, Flaminium, Cottam, noſtrúmque Secundum;
Magnum adiutorem, poſſit qui ferre ſecundas.
Copiolíſque ſimul iunctis mox te, quaſi Verga,
In ſuillam cogemus haram concedere verrem.

Sed quoniam nos in dicterij huius noſtratis mentionem non quęſitam, ſed caſu oblatam nobis, per cauſam incidimus; dabimus hoc vel honori patrij ſermonis, vel amicitiæ, ac iudicio popularis noſtri Hauteni (eius linguę callentiſſimi: & quem penes vnũ lyræ Belgicę, omniſque adeò Poëſeos noſtræ vernaculæ, citra controuerſiã, eſt principatus) vt, quod apud nos, Germanôſne, an
B Belgas? (quando Batauos etiam in Germanis habuerunt veteres) Prouerbij vicem tantùm non pueris decantatum obtinet, illud ipſum Latinis quoque auribus (quãtum quidem in nobis erit) familiare, vel certè notum ex inſolente atque ignorabili faciamus. Eam rem nos locus admonuit. Nos itaque, quotieſcunque ſignificare volumus, de nihilo eſſe, quod quis aduerſus receptam coniuratæ multitudinis opinionem, aut inueteratam communis patriæ conſuetudinem niti poſtulet ſeſe (etenim ſe ſuáſque ſpes corrupturum, nec voti compotem euaſurum magis, quàm ſi *Contra torrentem brachia dirigeret*) dictitare vulgò conſuemus: *Als alle de weerelt*
C *ſeyt dat ghy een verchen zijt, en moet ghy niet int ſchot:* hoc eſt, *Quòd ſi omnes mortales vno ore porcum te perhiberent, num quæ cauſa fiet, quin ad ſuilis illicò ſeu potius haræ coloniam des nomen?* ſeptuosè Parœmia eiuſcemodi denotãtes, nihil tam vel abſurdum, vel paradoxum fingi poſſe, quod non probabile, aut certè veriſimile faciat publicæ perſuaſionis conſenſus. præſertim, ſi ſollennis aliqua, quaſi præiudicio facto, & neſcio quæ prærogatiua ſeuerioris notæ hominum accedat auctoritas.

CAPVT VI.

Duûm locorum, quæ in turbido fuerant hactenus, liqui-
D *dò excolata veritas. Magnum mare: & in eo deprenſus, quid? Horatius explicatus. Supercilium tollere. Petroniani loci cum Pliniano conlatio. Alia quædam.*

QVAM multa quotidie in veterum ſcriptorum tractatione nos fugitant; haud exſpectantia, dum repetantur! nec tamen abſtruſa illa, aut caliginis manifeſtæ, (ad quæ inueſtiganda doctis indoctíſque ardet omnibus animus) ſed proletaria dico hæc noſtra, atque in medio poſita: quæ perſpicuitatis ſpecie incogitantes nos fallunt. in quo luſtro (niſi ipſe me fallo) cenſeri poterit & clauſula illa Catulliani Epigrammatis in Thallum:

E *Et inſolenter æſtues, velut minuta magno*
Deprenſa nauis in mari, veſaniente vento.

Quibus verbis ipſe aliquandiu otioſè, & ſine vlla ambiguitatis ſuſpicione perlectis, vix tandem ſenſi ſtolidus, verè nimis & quaſi ex tripode illud à Comicorum principe prolatum eſſe:

Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangit nucem.

Itaque ne vſu porrò idem veniret mihi, quod Naſidieni apud Horatium conuiuæ ad *Inguſtata*

Paſſeris, ac rhombi ilia, aues, conchylia, piſces,
Longè diſſimilem noto celantia ſuccum,

misertimè hallucinanti; Petronianum tandem illud:

Hic nescio quid boni debet esse: mecum & cum animo,meo institi cogitare. donec, putamen ipsum persecutus, inueni non pinguissimam quidem ficedulam, sub ouo pauonium in modum ex farina pingui figurato latentem; sed verò sub inuolucro Epitheti (vt apparet) simplicissimi lautiorem sententiam abstrusam: Epitheti inquam *Magno*, quod *Mari* attributum videmus, non sine elegantiæ specie, oppositum quasi alteri illi τῷ *Minuta* scilicet, quo *Nauim ut tempestate deprensam* iam anteà affecerat Catullus. Atqui hoc minutum; illud pensius paulò, ac subtilius, *Magno mari*, hoc loco non pro immenso (ita vt vulgò sumitur) sed pro turbulento, validéque fluctuanti, vehementiúsque ventis commoto, positum videri: interpretatione à Crispi elegantiis petita, ita in Iugurtha de duarum in extrema Africa Syrtium natura prædicantis:

Impares magnitudine, pari natura quorum proxima terræ prealta sunt; cætera, vti fors tulit, alta alia (emendo, *aliâs*) *in tempestate vadosa. nam vbi mare magnum esse & sæuire ventis cœpit, &c.*

Vnde intelligere posthac erit principium libri secundi in Lucretio; *Planius, & multò certa ratione magis,* quàm vel ex Lambini Commentariis, vel etiam Gifanij Indice. qui hac de re ne *Mu* quidem Lucillianum; aliâs argutissimi. Scires vtrumque in Sallustiana lectione quamuis negligenter fuisse. Locus, quem dico, sic habet:

Suâue mari magno, turbantibus æquora ventis.

Quò etiam referunda dicti eius raritas, ac venustas, quo *Nauis, in magno hoc æstu deprensa,* describitur à Catullo: doctè atque ex re traducta metaphora in mari periclitantibus conuenientissima, iis maximé, quorum nauigationi vesanientis venti desubitò obiecta, supernè incubuit tempestas. Probo ex eodem Lucretio lib. VI. canente:

Quam freta circùm
Feruiscunt grauiter spirantibus incita flabris:
Et, quæcunque in eo tum sunt deprensa tumultu
Nauigia, in summum veniunt vexata periclum.

Sed neque expers elegantiæ istius vnicus ille (vel Tacito teste) *elegantiæ* ARBITER, in Poëmate illo verè Heroico:

Prætereà gemino deprensam gurgite prædam
Fœnoris ingluuies, vsúsque exederat æris.

vbi *Vsus*, pro *Vsura* vsurpatum suspicari lubet.

Horatius quoque simplici pro composito ausus est vti lib. Carm. II. Oda XVI.

Otium diuos rogat in patenti
Prensus Aegæo, simul atra nubes
Condidit Lunam, &c.

Prensus, enim pro *Deprensus*, positum: hoc est, subitò, & velut ex insidiis circumuentus à tempestate derepente coorta; quasi dicas interceptum. quæ si propius penitiúsque explorata Interpretes nostri habuissent, censesne hos vnquam eò se incogitantiæ fuisse demissuros, vt *Prensus*, *Captus* interpretarentur? Quid? an non satius fuerat, Veteris Commentatoris sententiam sequi, huiuscemodi verbis conceptam?

Prensus; bene prensus, quasi nauiganti mare sit insidiatum cœlo sereno.

A In qua Interpretatione bene omnia, præter, τὸ *Bene*, habere videntur. quod ad maritimam prehensionem istam quid faciat, nescio. Mihi certè haud mediocriter de mendo suspectum: neque adeò dubito, quin *Penè prensus*, non *Bene*, scripserit explicator. idque admodum suo hîc fuerit loco, vtique ad opinionis nostræ stabilimentum.

Addamus & alteram metaphoram non minus Romanam, ex Elegia illa Satyrica, hoc est, examussim Catulliana:

Præterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.

B Facetè. sollennis enim minantium hic, atque excandescentium habitus, etiam à Plauto expressus in Milite:

Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicis?

neque aliud sonat Parœmia illa Poëtica: *Deme supercilio nubem*: id est, asperitatem ac tristitiam. Eadem fastus & superbiæ sedes. Petronius de Ascylti transfuga, nimium delicato puero Gitone: *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit; nec amoris arbitrium ad alium iudicem tulit.*

Cuius rei explanationem à Plinio petas licebit, lib. XI. cap. XXXVII.

C *Frons & aliis; sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. In ascensu eius supercilia homini, & pariter, & alternè mobilia: et in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maximè indicant fastum. Superbia alibi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet.*

De *fronte* addidi, Iuuenalis causa maximè, quò videlicet peruolgatum illud ex Pliniana consideratione planum facerem: *Fronti nulla fides.* sed & Martialis;

Nolito fronti credere: nupsit heri.

CAPVT VII.

D *Visum ducere ad aliquem. Obdurare se. Myrmicè incedere. Ex tua libidine.* Vrbs oblitissima, *perinde dicta* VII, *Oblitum lupanar: eiusdémque Epitheti suppositione Iambi vnius correcta prauitas. It, abit dies. Cælestes heri, pro Dis superis. Eosdem pacificare. Pura & Spurca opposita inter sese. Catullianæ sententiæ illustratio à Plauto, alterius explicatio præter opinionem Mureti.*

VARVS me meus ad suos amores
Visum duxerat è foro otiosum.

Antique. Veteres enim, *Visere ad aliquem*, dictitabant. id quod ex prisca Comœdia clarum.

E *Ad suos amores*, igitur non à Præterito verbo *Duxerat*, verùm à Supino potius, τῷ *Visum*, in constructione (vt Grammatici perhibent) regetur.

At tu Catulle destinatus obdura.

Sic doctissimus Scaliger, sic Muretus. & nescio, an melius Turnebicum illud:

At tu, Catulle, obstinatus obdura.

Vt vt est, ego verò, *Obstinatus*, retinendum autumo, eò obstinatiùs, quòd eiusdem vocabuli iteratio præcesserit anteà versu abhinc nono:

Sed obstinata mente perfer, obdura.

Et fortasse Poëtam nostrum scripsisse:

At tu, Catulle, te obstinatus obdura.

eapse loquendi forma, qua idem vsurus postea:

Quin te animo assirmas, téque astringisque, reducisque.

Sic *Durare cor*, Plautus: *Animum*, Ouidius: *Mentem*, Tacitus.

Quæ sit. quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, mimicè ac molestè.

Nihili est id quidem, atque adeò planè Mimicum. Nam *Myrmice*, rectum est & sanum. vtque Plautus *Formicinum gradum* vocat, sic hoc loco, *Myrmicè incedere*. nil est aliud, quàm (quod dicitur) vix pedem pedi præferre, & molestè ambulare, idque rectè à doctissimo Mureto animaduersum. Huc appone ex Martiali, *Crusculum formicæ*, vetulæ item multò putidissimæ attributum. Legitur eodem Carmine: *Pudica & proba redde codicillos.* [illegible]. quod & in Epodis imitatus Horatius:

Tu pudica, tu proba
Perambulabis astra sydus aureum.
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat.

id est, ex animi tui sententia. loquendi modus Sallustio (vti apparet) in delitiis habitus.

Eóne nomine vrbis opulentissima,
Socer generque, perdidistis omnia?

Exclamare lubet cum Catullo nostro:

Quis hoc potest videre? quis potest pati,

vt sic prauo talo fultum Hemistichium inter tot rectos, ac meris Iambis subnixos numeros locum habeat? Pudet certè, pigétque patiētiæ tam proiectæ. Quid enim hac ipsa quæso lectione perditius? Ego itaque (pace Commentatorum quod fiat) non dubito, quin *Vrbis oblitissima*, à Catullo scriptum fuerit. vt *Vrbem flagitiis*, ac libidinibus, omnibus probris denique oblitam coopertámque significet. id quod Pompeij potissimùm ac Cæsaris comitate euenisse videri cupit Poëta. qui principes discordiis intestinis causas præbuerant, ad Mamurram, cæterósque id genus nepotes, qui nisi malo publico salui esse non poterant, non solùm prouinciarum spoliis, verùm etiam præda ciuili acerbissima, & proscriptorum bonis explendos. quò? nisi (cum Plauto dicam)

Luxuriæ sumptus suppeditare vt possient:

Homines & suæ, & alienæ pecuniæ iratissimi. Occasionem nouæ correctioni huic nostræ primitus Andverpiensis editio præbuit. ad cuius oram hoc loco pro, *Opulentissimæ, Opplitissimè*, legebatur. Fauet etiam coniecturæ meæ eiusdem Epitheti vsurpatio in lepidissimis illis Hendecasyllabis comparens, quibus mœcham nescio quam, turpem certè ac putidam, Poëtico quasi pipulo dilatam, pugillaria sua reflagitat posteà. Sic enim ibi:

Non assis facis, oblitum lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.

nisi cui hîc potius magni illius Scaligeri sententiam sequi consilium est, emendantis ex Plinio: *O blitum, lupanar.* qua de re Coniectanea eiusdem, qui volet, consulito. In Epithalamio Iuliæ & Manlij scribitur.

Sed abit dies
Prodeas noua nupta.

Confine hoc Plautino illi, quod habes in Pseudolo:

A *It dies. ego mî cesso. i præ puere.*
Accepta frustrà: nondum cum sanguine sacro
Hostia cælestes pacificasset heros.

Hemistichium istud postremum nouè, ac præter morem suum à Catullo mutuatus Ouidius, quum scribit:

Mica salis puri pacificabat heros.
Sed nunc id doleo, quòd puræ impura puellæ
Sauia coniunxit spurca saliua tua.

Doctè, & purè. *Pura* enim & *Spurca* quodammodò inter se opponi gaudēt. Plautus Asinaria, & ipse proprietatis in verbis retinentissimus:

Si fortè purè velle habere dixerit,
Tot reddat spurcas quot puras habueris.
B *Firmano saltu non falsò Mentula diues*
Fertur, qui tot res in se habet egregias:
Aucupia, omne genus, pisces, prata, arua, ferásque.
Nequicquam: fructus sumtibus exsuperat

Huius clausulæ sententia Plautino à nobis testimonio illustrabitur. Sic enim idem Pœnulo:

Nam pro herili nostro quæstu satis bene exornatæ sumus.
Non enim potest quæstus consistere, si eum sumtus superat.
In te si in quenquam dici pote, putide Vecti,
Id quod verbosis dicitur & fatuis.
Ista cum lingua, si vsus veniat tibi, possis
Culos & trepidas lingere cercolipas.

C Ad quem locum Muretus: *Quæcunque* (inquit) *in verbosos fatuósque dicuntur, ea in te omnia dici queunt.*

Atqui non hoc dicit Catullus. quidnam igitur? Si in alium quempiam, vnicè in Vectium certè conuenire scilicet, dicterium porrò illud, quod in sequente mox disticho continuatur, nimirū: *Ista cum lingua, &c.* non verò omnia, quæ in verbosos fatuósq; dici possunt (vti Mureto placet) nihil mehercule minus. Hoc enim conuicium propriè in eiusmodi bucconum genera, qui quidem insulsi, impendióque loquaces essent, iaci vulgò, ac torqueri solitum, manifestò ex hoc Ca-
D tulliano Epigrammate docemur. Atque ita medij, id est, secundi distichi sententia à primorum versuum deductione pendebit; puncto, quod, τὸ *Fatuis*, latus claudit, expuncto: atque eiusce vicem colo quasi succidaneo subdito.

CAPVT IIX.

Publica in Cicerone lectio defensa pariter, ac declarata: tum Velleij Paterculi locus pessimè hercule affectus vsque adhuc, idémque nunc Catulli ope persanatus primulùm.

TEMPERARE mihi ipse haud possum, quin locum quendam Tullianum, *Catulliana arca*
E occasione maximè, sagacius paulò excutiam atque inuestigem. Eam rem nobilissimus nos Interpres commonuit, qui ad Phaleucum illum Poëtæ nostri:

Furi, quoi neque seruus est, neque arca:

fidei opinor causa, testimoniū nobis Ciceronianum in ante positum Commētariis inseruit suis, ex quadam ad Pætum Epistola decimo eius voluminis libro petitum, & hoc quidem exemplo: *Nos iam ex arcis tantum habemus, vt Verrium tuum & Camillum, qua munditia homines, qua elegantia vocare sæpius audeamus.*

falsò, atque alieno loco. sicuti ego existimo: qui vulgatæ scripturæ, immeritissimo oppressæ, liberali causa vindex atque assertor venire cogito. Ea autem sic habet:

Nos iam ex arcu tantum habemus, &c.

Examussim optimè. Quid enim? *Arcu*, hoc loco, haud quidem pro *Tritura*, *quæ fit in areis*, cum Ascensio; sed verò pro, *Puluinus*, interpretor: quæ eminentior in hortis terra est, in qua semina depanguntur. ea enim, vel Columella teste, *Areola*, siue *Area* vocitatur. vnde & *Informare areas*, lectum apud eundem. vt per ioculum & ludum solens significet Cicero, ex areis, hoc est, puluinis hortorum suorum ita vberem ac lętam fungorum, heluellarum, omnigenerum herbarum, ac fructuum denique, se quasi messem atque annonam quandam recipere instituisse, vt iam obsonandi magistros etiam, hoc est, lautissimos, & ad Genium quamuis sapientissimos conuiuatores, ad cœnam porrò vocitare identidem haud verecundetur scilicet. neque verò mirum cuiquam videri debet, cur ganeatorum ferculorum (quibus macelli annonam excandefaciunt magnæ mandonum gulæ) ac quæsitissimis illis cuppediarium scitamentis quasi pro derelicto habitis, ne dicam, eiuratis penissimè; nil præter parabiles, imò inemtas dapes, hoc est, apparatum verè Pythagoricum (quod genus, *δεῖπνον ἄιμα ἐν ἔχον*, indigitant Græci) quasi de horto, haud de foro obsonans, in tam gloriosa cœnularum suarum prædicatione meminerit Cicero. quippe cui etiamnum recens illa necdum antiquatæ Iuliæ legis continentia penitò in animo hæserat; Sumtuariæ dico, qua præter *misellì illius ac Luciliani Centussis* impensam macellariam, imò ducenos æris tricenósque, etiam hortensia insuper vniuersa, olera, ac legumina puta, cuiusuis generis, vsui atque esui publico concessa videbantur: nihilque, modò sanguinis expers quod foret, vlla Legis cautione exceptū; hoc est, in ius vocari vetitum, Catianum dico, haud Papyrianum. quam quidem Legem Tullius noster migrare cur vellet, causa visa est nulla; adultam præsertim, nec minus prærogatiua tot quasi pręcidanearum Legum (in quibus præcipuæ Fannia, Didia, Licinia, Cornelia, Æmilia numerantur) auctoritate, imò præiudicio, quàm publico vsu atque obseruantia, iactis altissimè radicibus, munitam, corroboratámque. ne Epulis quidem, aut Collegiorum Cœnis exceptis: quas cæteroqui innumerabiles seculi sui annonam immensum flagellare, ac tantùm non incendere solitas meritò hercule cōqueritur Varro. Argumento, quod dico, haud inani fuerit, puto, alter Ciceronis locus, ex libro eiusdem operis septimo ad Gallum familiarem suum:

Lex sumtuaria, quæ videtur λιτότητα attulisse, ea mihi fraudi fuit. nam dum volunt isti lauti terrâ nata, quæ lege excepta sunt, in honorem adducere, fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, vt nihil possit esse suauius. In eas cùm incidissem in cœna Auguralì apud Lentulum, &c.

Quod quidem exemplum mirificè ad huiusdem loci illustrationem conducit. quam rem si curiosius aliquantò indagassent Tulliani Enarra-A tores, nihil profectò opus fuisset, seque ac membranaceos Codices tot pugnantium sententiarum struicibus, támque indefessa contentionum peruicacia fatigare: partim, *Ex arcu*, (vti diximus) aliis, *Ex artis*, seu potius, *Ex artis*, nonnullis etiam, *Ex te artu*, ne Ciceronis quidem causa reueritis conscribillare: quiduis potius denique, quam, *Arcu*, censentibus retinendum.

Atque hactenus quidem *disertissimo Remuli nepotum*, Patrono Catulli inquam, in gratiam Poëtæ clientis sui, auxilium latum. nunc vitio nobis vorti haud debet, si pari studio ad Velleium itidem adiuuandum nostra quidem ex parte pro B virili adnitamur, operámque addamus: idque alterius Catulliani exempli opportunitate adiuti maximè, quo in Cominium scribit:

Effosos oculos voret atro gutture coruus.

Nam quis, obsecro, hic non videt, rectè à nobis emendatum iam olim insignitum quendam huius historici locum? in quo funestissimum illum Romano nomini pugnæ Pharsalicæ diem, fugæque & necis Pompeianæ causas deplorat; meritissimo hoc insuper Elogio Magnum illum, quamuis capite iam diminutum, honoratum dimittens:

Et collisa inter se duo Reip. capita, effosúmque alterum Romani Imperij lumen.

C Quis inquam ita lolio victitans, vt rectè atque ordine, *Effossúmque*, à nobis emendatum non perspiciat illicò. Persistit enim in metaphora ritè instituta Paterculus. & quid graue, si post tam furiosam duorum valentissimorum capitum collisionem, alterius oculi (hoc enim *Lumen* est) cruenta effosio, atque (vt sic dicam) exoculatio quædam partem imbecilliorem sequatur? At in Germanicis hodie, tum Italicis Editionibus, *Effusúmque*, legitur. vnde Manutius quum se satis ex sententia expedire non valeret, *Extinctum*, nobis exterebrauit tandem. atque istuc timidè, & pudenter tamen; nec de mendo saltem (sicuti D ipse fatetur) pro comperto ausus adseuerare. quippe qui Velleium non optimum esse Latinitatis auctorem Romanæ Historiæ cādidatis persuadere se præoptauerit potius, quàm de loci superioris integritate in ambiguam litem descendere. quasi verò difficile admodum fuerit ex, *Effusum*, *Effossum*, exculpere? ei præsertim antiquario, cui post tam assiduam ac diligentem librorū Veterum tractationem, ignara esse non potuit, Vocalium istarum, V, & O, scilicet promiscua vsurpatio, operas inter se quasi mutuas tradentiū, ac subinde pro re nata, vel potius arbitrio ex scriptorum stationem cōmutantium vicissatim.

E

Capvt IX.

Catullus saltuatim percursus.

Reliqviarvm hoc Capite reliquias colligere decretum est mihi, non quidem distinctè, aut cum cura, sed verò confusè, ac tumultuaria opera potius, in qua ordo sit nullum seruare ordinem.

Irascor tibi sic meos amores
Paulum quidlubet allocutionis,
Mæstius lacrymis Simonideis?

Ita hæc distinguenda arbitror, interrogationis nota non post, *Amores*, illicò, verùm sub ipsum

vsque Epigrammatis finem, puta, *Lacrymis Simonideis*, transcripta. neque eò tamen sequius viris eruditis subscribere stat sententia; quibus genus istud orationis concisum esse, & ἐμφατικὸν placet: ad indicandam vim & magnitudinem doloris scilicet. hactenus quidem. nam quòd iidem isti prioris Phaleucij clausulam interpretantur hoc modo:

Siccine meos amores à te parui fieri, vt meliorem mihi consolationem nullam adferas? &c.

Pace tua liceat nobis, Murete, profari;
Nescio qui sensus non placet iste mihi.

nihilò magis vtique, quàm altera illa vnici Interpretis transpositio, *Meos amores*, ad Poëtæ catamitum accommodare visi, quem mæstum allocutione sua Cornificius solari neglexisset. Quid enim? non Catullum, puerúmve eius, sed verò Cornificium ipsum notari existimo, in hanc sententiam:

Sic meos amores, subaudi, Te, quem mehercule ego in amoribus meis habeo; seu, qui in amoribus ac deliciis es mihi, *Paulum quidlubet adlocutionis*, scilicet ausum denegare mihi; cuius ego cupiens eram maximè? neque mirum, in tanta animi corporísque ægritudine positus scilicet.

An, continenter quòd sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, &c.

Continenter, idest, ordine perpeti, & quasi in lineã continuato frequentes; vel potius, spissiore velut orbe facto in vnum pariter conglobati, quasi in Velabro olearij de compacto gesẽtes omnia.

Nec se subleuat ex sua parte, sed velut alnus
In fossa Liguri iacet suppernata securi,
Tantundem omnia sentiens, quàm si nulla sit vsquã.

Haud absimilis huic & argutia illa hyperbolica, in re prorsus gemina, apud Martialem meum:

At Chione non sentit opus, nec vocibus vllis
Adiuuat. absentem, marmoreámve putes.

Ad vlteriora verò gradum aliquando capessamus:

Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.

Bene hoc ipsum Muretus ad Tibullianum illud accommodans:

Ima videbatur talis illudere palla:

pro, *Identidem percutere*, interpretatus est nobis. bene inquam, propriéque, nec verò antiquè minus. Quid enim aliud Plautus Mostellaria, vbi herum suum Theuropidem mero etiam meridie caligantem percontatur Tranio?

Viden' pictum, vbi ludificatur cornix vna volturios duos?

Nam quamuis eo loco seruus multò nequissimus Comicos senes duos, quos risus mouendi causa *volturiorum* nomine quasi digito designat, ludos fieri, hoc est, illudi probè, frustráque à se vaferrima cornicula haberi, sic tanquam ἐν αἰνιγμῷ significet; in aliam tamen partem percontationem suam accipi à Theuropide postulat Tranio; & bardum illum, τὸ *Ludificatur*, pro, *ferit, appetit, vellicátque identidem rostro*, quasi seriò à se, haud ioco quæsitum interpretari. vnde Catulli, *Abludere* istud, item Tibullianum *Illudere*, non nimium sanè ablusisse videri possunt. Neque huius elegantiæ raritas vnum & vnicum illum de Poëtis popularibus, Secundum cognominem

A meum dico, subterfugit. qui eápse illam, per caussam descriptionis Elysiorũ, Basiis suis insertam venustissimè visus est vsurpare. Sic enim inibi:

Quà violísque, rosísque & flauicomis Narcissis,
Vmbraculis trementibus,
Illudit Lauri nemus; & crepitante susurro
Tepidi suaue sibilant
Aeternùm Zephyri: nec vomere saucia tellus
Fœcunda soluit vbera.

Et hactenus quidem Secundus meus. nunc, in Catullo quod reliquum est, persequamur.

Illa Lesbia, quam Catullus vnam
Plus, quàm se atque suos amauit omnes.

B Idem hoc promemodum cum illo:

Quàm te cum tota gente, Catulle, tua.

In clausula porrò Elegiæ ad Ortalum:

Atque illud prono præceps agitur decursu.

Atque, pro *statim* positum accipio. id quod ex Enniano illo perspicuè planum:

Atque atque accedit muros Romana iuuentus.

quomodo etiam Maronis illud intelligendum:

Si brachia fortè remisit.
Atque illum in præceps prono rapit alueus amni.

docuit nos iampridem Gellius lib. x. cap. xxix.

In illa autem Poëtica, ac Catulliana detestatione, admirabilem Scaligeræ industriæ indo-C lem, vellem equidem pro rei dignitate satis laudare vt possem; primitùs in locum χαλύβων antiquam vocem, *Sicelicum*, ciui suo restituentis examussim doctissimè; ac pro cultris tonsoriis interpretantis, tralatione aptissima. Nam sicuti, *Prata sicelitri*, à Varrone dicuntur, tunc cum *Sicilice*, id est, secula, seu falce à fenisecis prætetita consectantur messores; eò vsque, donec campum omnem quasi herba tuberosum relictum attotonderint vsquequaque, ac purum reddiderint tandem: sic & *Capitis exuuias*, si quando bidente forcipe, hoc est, cultro tonsorio (nouaculam quam perhibent) siue strictim, siue adeò per pectinem demetuntur, vel attondentur, *Sicelire*, dici quid vetat? crines dico, pra-D torum instar subinde luxuriari, ne dicam regerminare solitos in tempore.

Neque minus eruditè Interpres, quem dico, & verè Scaligerum in morem, Elegia ad Manlium, aptissimam ex ineptissima nobis sententiam concinnauit correctione istiusmodi:

Sed tuus altus amor baratro fuit altior illo,
Quod Diuum domitum ferre iugum docuit.

Diuum, pro ipso Hercule simplicissimè ausus interpretari. cuius Scaligeræ lectionis integritatem alienis testimoniis corroborare quid atti-E net, cùm Catullus ipse haud dissimiliter hac voce vsus, in Nuptiis Pelei & Thetidis liquidissimè conuincatur? verbi causà:

Quum Delphi tota certatim ex vrbe ruentes
Acciperent læti Diuum fumantibus aris,

Diuum, absolutè, pro Libero patre, in Diuorum numerum legitimè adscito, adscriptóque.

Furi, villula nostra, non ad Austri
Flatus opposita est, nec ad Fauoni.

Placet scripta potius lectio, de qua benignè mihi gratiam fecit solens, vnico magis vnicus Lipsius meus; ex Romano, opinor, Codice depromta primitus, & quidem ad hanc faciem:

Furi, villula vostra, &c.

Quis enim ambigat porrò, quin idem hic sit Furius ille, cui perpetuæ passim ignominiosæ paupertatis maculæ à Valerio nostro inustæ?

Nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam, &c.

In eopse illo (si rectè commemini) Codice, Entheatam legebatur, non *Incohatam*. & probè fortassis: nam & Martialis:

Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

Item alibi:

Nec turba cessat entheata Bellonæ.

Ex eodem porrò exemplari:

Nam te lacteolæ tenent papillæ?

pro, *Puellæ*, Lipsiana fide transcriptum accepimus. cuius rei explicatio à superiore illa vrbanissimæ puellæ monstratione petenda:

Quædam (inquit) nitidum sinum reducens,
En hic in roseis latet papillis.

Etiam ab illius loci scriptura:

Deprendi modò populum puellæ
Trusantem:

seorsum longè Fuluianus Codex sentiebat, *Crissantem*, altero versiculo nobis visus repræsentare, non *Trusantem*. Lucillius:

Crissabitque, vti si frumentum clunibu' vannat.

Item Martialis cum Iuuenale suo passim haud semel. quorum exemplis citandis supersedeo,

Ne sit, Hypercriticis lumina cur doleant.
Per quos prisco etiam nunc scribere more vetamur,
Nec fas Romana simplicitate loqui.

A Quod superest, quid verò, amabo, lectione illa proletaria inuenustius, inficetiusue?

Quis me vno viuit felicior, aut magis hac est
Optandus vita, dicere quis poterit?

quam & Lipsij & veterum Librorum comitate potissimùm, me porrò interprete facetiis suis ac pristinæ venustati hoc modo restituas licebit:

Quis me vno viuit felicior? aut magis ista hac
Optandam vitam dicere quis poterit?
Et ille nunc superbus, & superfluens
Perambulabit omnium cubilia.

Superbus, & superfluens, hoc loco, non tam ad im-
B moderatum animi fastum, atque insolentiam; quàm ad ea quæ sequuntur porrò referunda autumo. ad elationem fascini scilicet, in bellissimam quamque femellarum impetu facto *Vim illam Lucillianam euomentis promiscuè*; atque in omnia omnium cubilia, nulla aut matronalis stolæ, aut dignitatis suæ habita ratione, temerè ac passim ingerentis & penetrantis sese, atque eò in hanc sententiam sum procliuior, quòd cum *Superbia ista Penita Superfluentiam* coniunxerit Poëta. quæ tametsi prima fronte pro vitio, quod dixi; vel etiam pro infami, fœdeque prodiga pessimè partarum opum effusione, posita videri
C possunt, tamen rem ipsam penitius inspicienti, facilè, opinor, fuerit considerare, Valerium hunc nostrum non aliò, quàm ad plena & quasi prægnantia Mamurræ vasa, ac locorum eius multo semine turgentium proluuiem in primis respicere voluisse.

F I N I S.

IANI DOVSÆ NORDOVICIS PRÆCIDANEA

Pro Albio Tibullo.

Ianus Dousa Iusto Lipsio suo, S. D.

TAMEN ab officio non discedis. Ecce Tibullum etiam tuum cōdonas nobis. Tibullum dico? imò thesaurum boni: Notulas scilicet tuas, Lectionúmque in Poëta illo pugnantium varietates; & quidem manu tua, hoc est, cum cura & fide ex blattariis Codicibus repræsentatas. Illud videris innuere, nobis protelo insuper à te opus esse ad Albianam segetem solicitandam, glebásque literatas ex hoc papyrino aruo exsuscitandas. B Ain' tu? verúmne hoc credam, tantum abs Tacito, & Musis illis seuerioribus tuis operæ porrò, aut otij esse reliquum tibi, vt Dousæ etiam in studiis hisce leuioribus operam succenturiam commodare non graueris? Macte virtute: mihi quidem volupe. &, si scias, quid Syntagmata hæc nostra minentur tibi? Quid mali? inquies. Nimium verò. Proinde iam prius adeò edico, vt caueas, ac galeam iubeas adferri tibi. ita montes molestiarum maximi capiti impendent tuo. Tibullus inquam noster viam ad te obstinato animo adfectat, hoc est, nominis tui C tegumentum quæritat sibi. quò armatus atque animatus probè eruptionem facere possit denique, non quidem in Iberos (ne quid erres) sed verò in penetrale Lipsianum, & manus tuas scilicet, atque inde porrò in publicum recta via, cum certissima spe fore, vt

Viuat opus, quodcunque per istas iuerit aures.

hac tamen cautione: NISI TV VETES. Vetes autem? vah! qui vltrò etiam de Supplemento autem vellere sustinueris nobis? Quam tamen in partem accepturus sis, quæro: denique, an impune Dousæ hoc facinus abiturum. Scio equidem capitale esse iam inde à Numa,

HOMINEM LIBERVM DOLO SCIEN- A TEM MORTI DVERE. quantò magis amicum, atque eum, qui amicus est, vti nomen possidet, scriptorum suorum veneno per fidem interimere? idque Dousam Lipsio facere scilicet, volentem, imò lubentem hercule, rogo, quis ferat? fratri, familiari, intimo suo, & cui vitam propemodum omnem, id est, famam debeat. Fateor, mi ocelle, & præbeo suram. Sed quid? tecum tute agas oportet, qui ipse gladium mihi, qui te iugulem, subministras. neque te ipsius tui miseritum est quicquam. Nam quod in parricidij crimen accessere nos posteà, aut inuidiam porrò te facere postules, nugas egeris. Quid enim? qui ipsius vltrò it perditum sese, cum ego conseruare vtique haud possum: neque, si possim, ius est. In quo quidem Venusini illius patrocinium præsto mox aderit nobis, causam aduorsum te dicturi huiusmodi:

Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.

Quod si fors vilior & leuior apud te Poëtæ fuerit auctoritas, Capitones tuos ad partes aduocabo mihi, qui pro me ex Iure suo satisfaciant tibi, pernegéntque strenuè, *Iniuriam neque factam, neque fieri adeò potuisse, volenti dico.* Cæterum de hoc ipse videris. Ego verò Tibullum tuum ablegare pergo rectà ad te. neque hoc mihi eripi potest; & miseret tamen. etenim tam cari capitis periculis συμπάσχω. &c, ne prædictum tibi negites anteà, cum cuiusmodi porrò excetra negotium sis habiturus, scias velim, Hydram, quam dico, interim hîc dum sumus, duodecim Capitum incremento auxisse tibi. Huc priora si accedant, octona illa dico, quæ vobiscum istic in re præsenti communicauimus iam anno; quid? annon summa summarum solidum vicies efficietur? Hui, tam multa? inquies. Mane verò, necdum omnia audiuisti. Etiam μακρολογία horum concoquenda est tibi. cui generi tu quidem ἄσπονδον πόλεμον denuntiasse videris. nequicquam, quamdiu vtique

manum admouere non horrebis affaniis nostris. Atque in prioribus quidem numero XIV. Poëtæ ipsius œconomiam fecuti fumus. ficuti & in duobus proximè fequentibus, quinto & fexto Decimis puta: in queîs fcripturarum mutantium controuerfias, de tuo (vti diximus) comiter fubminiftratas nobis, continenter & quafi protelo per Circi Albiani Spatia, ad album porrò Calcem ab ipfis vfque Carceribus deduximus. quò minus laboris Lectorem capturum exiftimo, in exemplorum Tibulli, quæ aut explanata à nobis, aut etiam reftituta in melius, conlatione. in cæteris non item (de poftremis illis omnium longiffimis loquor) in quibus per Tibullum totum faltuatim, confufaque ac penitus interrupta ordinis ratione graffati, animo potius noftro, quàm ftudioforum commoditatibus fuimus obfecuti: prorfus, ὕστερον (quod dicitur) πρότερον. Ædepol res odiofas, inquies. Atqui aliter, mi Lipfi, abiturum iftuc tibi, animum caue inducas tuum. verum effe vel periculo cum tuo vt difcas tandem verbum illud proletarium, ac vetus:

Tute quod intrifti, exedundum eft tibi.

At faltem ne tam apertè Tibullo tuo auctarium poftulaffes; ego me tibi non offerebam. Tuus eft enim profectò, quoniam quidem eft infcriptus tibi: &, puto, propter hoc legetur. Etenim fcio, cuiufmodi tibicine fuffultus ambulem; atque, hoc me fcire, omnes fciunt. Itaque patrocinium aliud in nouæ Infcriptionis infolentia non ftatui inftituere porrò: fatisfactionem (vt cum Salluftio hoc dicam) ex nulla confcientia de culpa proponere decreui: apud te præfertim, Antiquariorum omnium coryphæum.

Nam quod ifti dicunt maleuoli, tafcum hoc nimis,
Nimifque Plautinum effe fcribendi genus,
Quod ifti maledictum vehemens exiftimant,
Eam laudem duco maximam, cùm illum æmulor,
Qui doctis vniuerfis, & Latio placet.
Lipfiadique meo (maius nec dicere poffum)
Quid? non &, nomen cùm pofui, fatis eft?
Qui mihi in hoc genere ante omnes regnare videtur,
Cúmque ipfo tam nunc ferre Stylone pedem.
Libera dum vacuo ponit veftigia princeps,
Per loca, quæ nulli trita folo fuerant.
Vnus homo doctis ELECTA *includere dictis,*
Aufus & intactas edere EPISTOLICAS.

Tantum propius acceffiffe ad archetypum vellem. vnde, metuo hercle verò, ne me lapfum fagacitas tua deprehendat plus millies. Sed heus tu: non Maronianum illud venit in mentem tibi?

Non omnia poffumus omnes. poffemus, fi aut Lipfij, aut etiam Scaligeri effemus. Sed, per Genium obfecro vtriufque, cuinam iftud mortalium conceffum? Noli autem ita me putidulum putare, vt gloriofiffima hercule laudum veftrarum præconia deterere tenuitatis meæ culpa me poftulem. Quid tamen de tot, támque præclaris ingenij tui facinoribus, publicitus iampridem editis, exiftimem, rogas? quid? nifi Vmbri Callimachi illud:

Cedite Romani Scriptores, cedite Graij.

Nemini proinde de Plautinæ (vt dixi) imitationis exemplo fupplicare decretum eft mihi, dum quidem Lipfiani præfidij auctoritas in mundo futura eft nobis. quam qui contemnat præ fua, num quæ caufa eft obfecro, quin ego eum hominem (nifi in tempore piari fe iubeat, & quidem de fuo) plorare porrò, imò vapulare in perpetuum iubeam, te, eruditiffime Lipfi, gaudere, hoc eft, rem gerere ex vtriufque noftrum fententia? Vltraiecto.

CAPVT I.

Ianitorum feßio ad oftia. Eos cellares fuiffe, ac cum catello ferreo, item altero oblatratore, quafi vicario, feruilem in modum parúmque adeò delicatè accubuiffe. imò excubuiffe, oftenfum. Eodem Plautinum illud de, Ianua mordace, *aut certè ad Infcriptionem illam oftiorum notißimam;* CAVE CANEM, *allufum videri. De virga, fiue Harundinis geftanda iure, fubmotionis caufa, oftiariis tributo antiquitus, nonnulla. Eorum impedimenta, compedes, & quidem tintinnantes: fimul in hanc rem emaculatus Afranij locus apud Marcellum: item alter Næuij, nequicquam ab aliis tentatus antea. Molarum crepitus. Communis Tibulli lectio expofita fimul, ac defenfa.*

HAVD cuiuis homini liquere arbitror, quamobrem Ianitorem fe, non amatorem pro dominæ fuæ foribus præfidere, & veluti excubias agitare, prædicet Tibullus; noctem vtique perpetem, & (quod non minus hercule Plautiffat)

Quafi flagitator aftans vfque ad oftium:

amentes potius, quàm amantes vt confueuere. Ait enim difertim:

Me retinent vinctum formofæ vincla puellæ;
Et fedeo duras ianitor ante fores.

Sed vt liqueat porrò, antiqui moris obferuatio in medium protrahenda, ad Ianitorum eius fæculi conditionem pertinens. quos fciendum eft, & catenatos & compeditos fuiffe, in ipfo aditu ac veftibulo quafi in præfidio conlocatos. vbi feruili cella, ac fubcuftode cane contenti noctu atque interdiu vitam fedentariam exigerent. haud, ante pedes quod erat, profpicientes modò; fed pòft etiam refpicientes. credo, ne quis aduentor grauior, quàm aduenisset, difcederet. Facit huc illuftris Ouidij locus ex I. Faftor. vbi Ianum bifrontem fumta hinc fimilitudine aptiffimè vtentem inducit:

Omnis habet geminas hinc atque hinc ianua frontes:
E quibus hæc populum fpectat, at illa Larem.
Vtque fedens primi vefter prope limina tecti
Ianitor, egreffus, introitúfque videt;
Sic ego profpicio cæleftis Ianitor aulæ
Eoas partes, Hefperiáfque fimul.

Ad *Canem* autem, cum quo hoc genus affiduò, imò accubuò, exigere ætatem folitos occœperam commemorare, Plautum fortaffe Trucu-

lento alludere voluisse, vbi scitatur ex Dinarcho A amatore suo Phronesium:

Num tibi nam, amabo, ianua est mordax mea,
Quo introire metuas, mea voluptas?

aut certè ad Ianuarum Inscriptiones referundum id temporis frequentes, quæ quadrata litera Romana hanc, atque huius similem ferè cautionem præferebant : CAVE, CAVE CANEM. Vterque mos de *Cella*, & *Cane* è Varronis & Arbitri Satyris, Seneca, Suetonio clarus. Sicuti & alius de *Pertica*, quam ceu insigne quoddam suum manu tenere, assiduéque gestare huic generi sollenne. quò? nisi (vti suspicor) ad submouendos intrantes, si qui fortè (id quod solet fieri) minus ex sententia dominis suis visi, alieno B tempore obreptarent. Eam, *Hostiarij virgam*, appellat Seneca: *Custodis harundinem*, Propertius; item Arbiter, qui eampse quoque *Ianuæ appensam, suffixámque* facit. Illuc, vnde abij, redeo; hoc est, ad eiusdem hominum ordinis tinnimenta; quæ non hîc solùm, sed & sexta porrò abhinc Elegia intellexit Poëta noster, vbi à puellæ suæ marito ferritribacem hanc prouinciam in se quasi vicarium postulat transferri; hacce tamen conditione, atque in leges (vt vides) suas:

At mihi seruandam credas: non sæua recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum.

Sed neque aliud tinnit tota Elegia illa Ouidij, C cui initium:

Ianitor indignè dura religate catena:

præsertim qua in parte, eadem ista, hoc est, Albiana vota proponit sibi:

Dummodò sic, in me duræ transite catenæ.

quàm quod & hîc, & superiore loco Tibullus: & in Vopisco sua princeps ille Togatarum apud Marcellum Afranius innuit,

Tintinare ianitoris impedimenta audio.

Ita enim cum literatissimo omnium Scaligero legere, ac relegere me malo, vel cum Noniano Nigidio, *Tintinnare*, potius, quàm cum vulgo literatorum, *Titinnire*. Neque enim, *Titinnabula*, D hercule, sed, *Tintinnabula*, dictitare consueuimus: quomodo & *Tintinnaculos viros*, Plautus. quæ vtraque haud aliúndè sanè, quàm ab vno eodémque hoc frutice pullulasse videri possunt, Et si Trochaici ratio habenda (vt habenda est certè) nónne hæc lectio longè altera illa numerosiores tinnitus ciet? Sed & alterum, huc vnicè quod faciat, Næuianum testimonium producit ex Festo idem Imperator ille noster, quem dico, Scaliger:

Tantum vbi molle crepitum faciebant, tintinnabant
compedes.

idque dictum interpretatur ab eo, qui seruis in- E terminabatur vincula, & compedes, si vel minimum strepitum edidissent. vt in, *Molle crepitum*, ἀρχαϊκῶς mutatum sit genus. ἀρχαϊκῶς vtique, sed nescio, an hanc Poëtæ ἀρχαιοτάτῳ cui *os columnatum* fuisse perhibet Plautus, mentem fuisse, vel mihi, vel etiam aliis audeam persuadere. de qua, homines omnes cùm simus, nemóque, quamuis Lynceus, in tantis tenebris caligare, vel hallucinari posse interdum, alienum à se putare debeat, haud indignabitur, spero, vir nobilissimus si assensum, hac quidam in parte, minus commodauero sibi. ferétque me æquo animo in imo subsellio positum, liberè tamen, & quasi ex tabella sententiam dicentem, non quidem vt Patricium, aut Consularem, sed Adlectum ex Equestri ordine modò, meliorum inopia, Senatorculum nouellum. hisce inquam legibus, vti & ipse porrò ex trauerso, vbicunque in Præcidaneis his nostris per imprudentiam adeò, siue etiam inscitiam, à veritatis limitibus aberrare forte, paululúmque à rectæ rationis cursu deflectere visus fuero, aurem mihi vicissim velli patiar haud inuitus, méque ob meritam noxiam castigatum Censoria rursus virgula in viam reduci, reprehendique quasi ab erroris & ignorantiæ diuerticulo. haud dico ab Scaligero modò (in cuius iampridem leges vltrò quoque (si iubeat) iurare sum paratissimus) verùm etiam ab iis vniuersis, quoscunque aut doctrinæ purioris sensum, aut aliquem saltem Romanæ antiquitatis gustum habere cognouero. Ego quidem, simul atque probabilius quod sit audiuero, haud difficulter sanè ad verum conuorti me sinam. Sed nos tandem aliquando in rem præsentem, ad Næuiana, inquam, *Tinnimenta* ista, quæ ego [iterum dico, pace solertissimi castigatoris quod fiat] ad hunc potius modum Poëta Campano in Scenam Romanam producta, equidem nullus dubitem asseuerare:

Tantum vbi mole crepitum
faciebant, tintinnabant compedes.

Intelligit autem vrbanissimus Poëtarum.

Fustitudinas, ferricrepinas insulas,
Vbi viuos homines mortui incursant boues;

[vti lepidè iocatur Plautus] tristissima *molaris coloniæ*, ac *Pistrinensis ciuitatis* vocabula. ad quas plagigera hominum genera, Boiarúmque ac compedum tritores, hoc est, serui improbi, nequam, ac peculî sui prodigi, ob meritum Præfecti, ac Tribuni dati pro verberonibus vapulares cluerent.

Vnum etiam eiusdem Elegiæ exemplum exponere obfirmatum est mihi, priusquam huic Capiti facio pausam:

Hic [in re voluptatum] *ego dux, milésque bonus:*
vos signa, tubæque
Ite procul: cupidis vulnera ferte viris.

Non ideò hoc dicit, quòd, qui militiam sequuntur, vulnerum, aut plagarum sint cupientes: sed quòd hac potissimùm via, id est, per vulnera & cædes ad funestæ Pecuniæ Arcem hoc hominum genus grassentur, nitantúrque: dum alienis opibus inhiantes se præda quisque locupletem fore, victorem domum rediturum (id quod de Marianis Capitecensis prædicat Sallustius noster) alia huiuscemodi animis trahunt. *Cupidus*, ergo aliud nihil erit, quàm auaris, siue auidis prædæ, ac diuitiarum, iure belli ex rapto viuentibus, manipulares vt consueuere. Id ita (vti autumo) exponendum, testimonio sunt tam multæ, támque graues in hoc ipso Poëta querimoniæ, ac vota, quibus militum (quos *Prædatores* nuncupat) profundam atque insatiabilem diuitiarum passim cupidinem detestatur: vitámque paruo, modicóque contentam (dummodò cum Delia sua) à Dîs contingere ex-

Ffff ij

optat sibi. id quod ex toto huius ipsius Elegiæ argumento perspicuè clarum; item sequentis, quo loco de nescio quo auaro sermonem iniicit; qui, cùm in partem Tibulli amorum venire, Deliæque compos fieri posset, formosissimæ puellæ complexibus quæstuosam militiam prætulerat; *Demens, qui lucro potuit mutare puellam.* Verba sic sonant:

Ferreus ille fuit, qui, te cùm posset habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi.

Quam rem idcircò pluribus sum executus, quòd videam locum Tibulli mala, imò pessima manu tentatum à quibusdam fuisse. quibus, cùm melius fortasse cum ingeniis stupidis, quàm cum solertissimo omnium Poëtarum Tibullo conueniret,

Stupidis vulnera ferte viris, pro *Cupidis*, placuit rescribi. qui ipsi nobis, cùm hæc commentatentur, stupore laborasse videntur meo.

CAPVT II.

Ridicula priscorum superstitio, quibus parum fuit templorum pauimenta nudis ac tremebundis genubus perreptare supplices, nisi limina quoque ipsa, in faciem ac pectus proni, insuper conuerrerent osculis. idque Arnobiano calculo planè ac dilucidè adprobatum. Ritus alter de sollenni postis in caput illisione leniter ac leuiter libatus. Ios. Scaligeri correctio adserta. Duûm inter se Tibulli locorum contentio. Emendatiuncula quædam haud magnæ sanè rei. Vetus lectio tibicine Flacco haud flaccidè statuminata. Antiquo Lari menstruo ture, non victimis res diuina à Tibullo cautè & cogitatè facta. Eius auita ex Equestri prosapia nobilitas. Rapax mors. Sedes scelerata.

MAGNA, & propè adeò ridicularia veterum in Dis suis propitiandis superstitio fuit. cuius rei apud Lucretium, & alios illustria passim documenta compârent, sed nullum mehercule luculentius, quàm quod Tibullus nobis ob oculos ponit lib. I. Eleg. II.

Num ferror incastus sedes adiisse Deorum,
Sertáque de sanctis deripuisse focis?
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput:
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

Liminibus, scripsi: & rectè quidem; contra opinionem hominum eorum, quibus potius, *Luminibus*, rescribi volentibus fuit: & *Cereos* intelligi, quos sacris adhiberi mos erat. Sed hæc Arnobiano quoque testimonio firmanda, ne auctoritate defici videamur. Eius igitur hæc verba lib. I. aduersus Gentes leguntur:

Cùm per omnia supplices irent templa: cùm, Deorum ante ora prostrati, limina ipsa conuerrerent osculis.

à quo non minus, quàm à Tibullo proprietatem in voce *Oscula* religiosè obseruatam videmus. Hæc enim Religioni peculiariter dicata, commonuit nos Seruius, vt *Suauia* voluptati.

De Poste verò, quod præcesserat, cui caput se illidere velle profitetur supplicem: nihil apud veteres legere commemini. sed si recentibus exemplis est locus, possum dare hominem, qui se eiusmodi quidpiam in Polonicæ gentis ceremoniis, vsu comperisse, atque adeò in re præsenti obseruasse liquidò asseueret. apud quos prisci huius ritus sollennia etiamnum vestigia exstare, oculato testi mea quidem ex parte adcredere mauolo, quàm ipsius talia inuestigatum proficisci.

Habes, Elegiæ huius initio, amatoriam cum occlusissima dominæ Ianua Poëtæ nostri Expostulationem, hisce adeò verbis institutam:

Ianua difficilis domini, te verberet imber.

Ita enim cum doctissimo Scaligero legere malo, quàm cum cæteris omnibus; *Dominæ*, sic tamen, vt Epithetum istud *Difficilis*, non cum *Ianua*, sed cum voce, *Domini*, construendum autumem; quippe patrio, non recto Casu positum; ne frustrà sies.

Ibitis, Aegeas sine me, Messalla, per vndas.

Hoc tertiæ Elegiæ exordium si quis cum Elegiæ v. quæ III. libro legitur, principio conferre, atque contendere voluerit, næ ille facilè est perspecturus Tibullum alius magis neminis, quàm ipsius sui exemplum sibi imitandum proposuisse. & verum nimis esse oraculum illud, quod vir planè diuinus, Scaliger Pater, in Poëtices suæ libris edidit, de Poëta hoc nostro: quem non, vt Horatium, biformem; sed totum modò non vniformem, hoc est, sui similem apparere vbiuis, vnóque ac eodem gyro omnia quæ scribit, concludere, vixque vnquam à semetipso discedere ostendit.

Delia non vsquam, quæ, me cùm mitteret vrbe,
Dicitur ante omnes consuluisse Deos.

Ita in omnibus (haud dicam dolo) exemplaribus nostris legitur; sententia non inconcinna, & aperta satis. malim tamen (absque fraude quod liceat mea) pro *Quum*, *Quàm*, rescribere. vt ad, *Ante*, quod sequitur, iure suo referatur. quod vocabulum qui haud paulò significantius esse non videt, næ ille cum Sceledro Plautino, oculis vti perhiberi non magis potest, quàm si lolio victitaret.

Aut ego sum causatus, Aues dant omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.

Proba, & germana Tibulli lectio. Quid enim? obiectam sibi religionem causatur, haud addicentibus auibus, verùm contrà profectioni obscæuantibus suæ. quippe Inebris, non Præpetibus, aut Admissiuis alitibus vsus: nec quæ garritu, aut volatu saltem suo, Poëtæ consilium adprobarent; vel facerent ratum. aliàs, sacro Saturni die prohibitum sese, quò minus institutum porrò iter exsequi properaret. Eò dico, ne quem verbi, *Tenuisse*, ambiguitas turbet, haud nomen, sed pronomen, quod proximè antecesserat, regentis. neque enim hoc dicit Poëta, *Tenuisse se* (quod equidem nullus intelligo) sed *retentum à Sacra Saturni die*, hoc est, inhibitum, ac reprehensum quasi è fuga; vetitúmque se extra portam *quæ* (vt lepidè iocatur Varro) *itineri longissima esse dicitur*, pedem quopiam peregrè vlterius efferre porrò.

At mihi contingat Patrios celebrare Penates,
Redderéque antiquo menstrua tura Lari.

Laudo Epithetum, *Menstrua*, præ quod ab aliis temerè ingestum, *Mascula*, putóque ad νεμηνία, id est, singulorum mensium Kalendas, atque ad Interiunia respexisse Poëtam: qui dies rusticis sacer antiquitus. Doceo ex Horatio, ita lib. 3. Oda 24. Phidilem commonente:

Cœlo supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidile;
Si ture placaris, & horna
Fruge Lares, auidáque porca, &c.

Vide, quæ ad illum locum in Commentariolo nuper edito prolixè adnotauimus. Sed neque illud de nihilo esse crediderim; quòd ture, non victimis Larem suum propitiare cogitat Tibullus; pro opibus scilicet sua condíturus mœnia; quippe rebus iam accisis, & quasi in fundo adhibiturus parsimoniam, cuius rei inuidiam tamé tempestiua vetustatis excusatione emollit, Epithetum Lari, τὸ *Antiquo*, accommodans. Scias, dissimulanter & quasi aliud agentem innuere velle, *Antiquo Lari* antiquam, id est, incultam & simplicem casci illius ac Saturnij æui frugalitatem conuenire. cuius rei idem etiam posteà hoc Semonum genus, ne Patellariorum dicam, abs se commonitos inducit Eleg. x.

Non pudeat prisco vos esse è stipite factos.
Sic veteris sedes incoluistis aui.

Veteris aui, dicit ad auitam generis sui nobilitatem (vt arbitror) denotandam, iam inde ab antiquo, annulorum iure, ac Equestri dignitate insignis. neque aliò mehercule, *Antiquo*, istud pertinere putarem, nisi impensius me succidanea Poëtæ eiusdem auctoritas moueret; eapse appellatione Deos hosce domesticos prima libri sequentis Elegia peculiariter honestantis:

Rure, puer verno primum de flore coronam
Fecit & antiquis imposuit Laribus.

Pergamus:

Illic est, cuicunque rapax mors venit amanti,

Rapax mors, *Immatura*, *Acerba*, *Immitis*; eadem apud Poëtam hunc nostrum.

At Scelerata iacet sedes in nocte profunda
Abdita, quam circum flumina nigra sonant.

Interior huiusce loci inuestigatio ab Ouidio petenda IV. Metamorp.

Quam simul agnorunt inter caliginis vmbras,
Surrexere Deæ. sedes Scelerata vocatur.

Scribitur à Tibullo porrò:

Assiduas atro viscere pascit aues.

Quod non obscurè Martialis imitatus videtur:

Assiduam nudo pectore pascit auem.

Capvt III.

Receptæ scripturæ integritas Ouidiano quoque patrocinio defensa. Crimen habere. Opes labuntur. Statianæ emendationi subscriptum. Loci vnius, item alterius conlatio, non sine interpretamentis. Metus. Epitheto suo, vel Seruus, quod eidem assignatum à Tibullo fuerat, restitutus; pro quod, Sanus, hodie omnes omnium Editiones insedit.

Progrediamvr ad Elegiam VI. cuius mehercule scripturam probissimam operæpretium est defendere; quo loco de Delia, vagos A & furtiuos amores suos callidè semper obtegente, ac inficiante, ita ab exemplo ipsius suo arguatur atque argumentatur Poëta:

Illa quidem tam multa negat, sed credere durum est.
Sic etiam de me pernegas vsque viro.

Venustè, & facetè, atque adeò ex sententia omnium librorum, quos viderim, Statiana Editione excepta, in qua:

Nam sic & de me pernegat vsque viro:

ad marginem adsutum legitur: inscitè, neque numerosè satis, vti ego iudico. Adde quod receptam lectionem ipse etiam insuper Naso confirmare videtur libro Tristium II. vbi ipsissimum B hunc quasi digito locum designat:

Credere iuranti durum putat esse Tibullus,
Sic etiam de se quod neget illa viro.

(Sic enim inibi legendum esse, non, *Hoc*, ex hoc Tibulli loco præstare nullus dubitem) & cætera, quæ ordine deinceps apud Ouidium lectitantur. quæ omnia non aliò, quàm ad hanc ipsam Elegiam pertinere, facilè odoraturos arbitror eos, queîscunque pituita molesta non est.

Quisquis & occurret, ne possit crimen habere,
Stet procul, &c.

C videlicet, ne quid causæ sit mihi; cur in crimen riualitatis vocari possit. cuius etiam suspiciones omnes segregare à se iubet obuiam fortè occursurum sibi, quicunque is fuat tandem, modò elegantiore cultu ornatum.

Legitur ibidem:

Non amens verbera torta timet.

Sic & idem alibi: *Et intorto verbere terga seca.*

Illud rectè eadem Elegia Statius:

Attigeris, labentur opes, vt vulnere nostro
Sanguis, vt hic ventis diripitúrque cinis.

pro, quod in omnibus Codicibus perperàm anteà, ac nullo sensu, *Attigerit*, legebatur. Memini quoque in eadem aliquando sententia fuisse magnum illud Galliarum lumen, præceptorem D nostrum Auratum dico: atque, *Attigeris*, Statianum in morem legere, id est. Si quis puellam illam vel digito attigerit modò, ilicet dilabentur opes, &c. quo tempore Lusitani illius Editio necdum nata fuerat. *Labentur opes* verò sic dictum, quomodò à Lucretio, lib. 4.

Labitur interea res, & vadimonia fiunt.

Item Plauto in Trinummo: *Illicò res foras*
Labitur, liquitur. cui locutionis generi annona quamuis vilis, apud Sallustium vtique.

Habes aliquanto infrà:

Et tibi nescio quas dixit, mea Delia, pœnas.
Si tamen admittas, sit precor illa leuis.

E hoc sensu: Etiam tibi (ô mea Delia magna) illa Bellonæ Sacerdos, ob quotidiana furta, ac periuria tua, nescio quas pœnas imminere, vaticinata est mihi: daturámque supplicium aliquando nobis, ac communibus Dis, (*Per quos sæpe mihi credita perfidia est*) certum, haud arbitrarium dico; si quidem iniuriosa porrò in me amatorem tuum esse perseueres. verum hoc magna Aeneadum genitrix, & boni Amores auerruncassint. vtinámque diuina illa, vanidica potius ac médax mihi (hoc enim, *Leuis*, est) hac quidé in parte fuisse conuincatur, quàm vaticinatio eius apud credulos ex tua calamitate inueniat

fidem. Atque hæc ipſa ex ſequentis diſtichi intellectu clara:

Non ego te propter parco tibi, ſed tua mater
Me mouet, atque iras aurea vincit anus.

Si tamen admittas, igitur aliud nihil erit, quàm ſi eueniat, vt culpam in te, flagitiúmve admittas, pygiacum, haud capitale dico, hoc eſt, alienis viris, ſic *quaſi in choro pila ludens, datatim des te, & communem facias.* vt ait Næuius.

Legitur eadem porrò Elegia:

Et mihi ſint duræ leges, laudare nec vllam
Poſſim, quin oculos appetat illa meos.

Id eſt, inuadat, ſiue inuolet in oculos. Huic haud nimium abſimile ob eandem occaſionem à Corinna ſua eueniſſe ſibi conqueritur apud ipſam Ouidius lib. Amorum 2.

Si quam laudaui, miſeros petis vngue capillos.

Imò *Oculos* hercule miſeros potius, quàm *Capillos*: vnde Ouidio periculum non erat, ne aut cocles, aut luſcitioſus redderetur: id quod Tibullo noſtro euenire neceſſe erat, niſi abs ſuis ipſe legibus recedere ſe vellet poſteà.

Sequitur aliquantò poſt:

Nec ſæuo ſis caſta metu, ſed mente fideli.
Mutuus abſenti te mihi ſeruet amor.

Reſtituo: *Nec ſeruo ſis caſta metu*, &c. conuenientiſſimo huic rei Epitheto. Nam quid (per Deos Immortales) metu abiectius, aut ſeruile magis? Sed cõmonendus inſuper Lector, punctum poſt, τῷ *Fideli*, poſitum inducendum eſſe. id quod ipſa nos ſententia edocere poterat, ſequenti Pentametro continuanda. Neque verò æquum feciſſe arbitror eos, qui, *Amorem* iſtum *mutuum*, à *Mente Fideli*, contra mentem Poëtæ alieniſſima ſua interpunctione diſpulerunt.

Capvt IV.

Tibullus emendatus. Sicyoniorum forma. Anſæ in calceamento quid fuerint. Nihil te vtor. Perſequi pœnis. Auro carior. Tangit pro Tingunt. Luteus amantium color. Faſtidium pro Faſtus. Tibullum imitatus Ouidius. Coma ventorum afflatu horrida. Fas peccare, pro Peccandi copia. Vendere velle, pro, venditurum, poſitum. Verum de Io. Secundo Poëta populari Elogium. Lumina ferre. Plena manu. Viros emeruiſſe. Correctionum cumulus.

Elegia vii. haud placet, ita vt vulgò legitur:

Et Tyria veſtes, & dulcis tibia cantu.

ſed, *Dulci*. quod tamen doctiſſimo auctori ſuo, Fruterio meo, lubens, & gratus merito hercule me acceptum fateor referre. Sic & infrà:

Nam turba iocoſa
Obſtrepit, & Phrygio tibia curua ſono.

Elegia octaua, quo loco ſcribitur à Tibullo:

Anſáque compreſſos colligat arcta pedes:

Sicyonia idest. ſoleas muliebres, & eorum, qui elegantiæ ſtudebant, calceamentum intellige. quod genus obſtragula non habebat: ſed tantum corrigiis aliqdot, ſiue adeò ligulis (quas, *Anſas*, nominitabant) ſuperiori pedis parti obſtringebatur. idque quàm poterat arctiſsimè; quo videlicet aptior compreſsiórque eniteret pedis forma, ex Ouidianæ diſciplinæ regula:

Pes erat exiguus: pedis eſt aptiſſima forma.

Vnde deſcriptio illa Arbitri non inſcita, dominæ ſuæ pulcritudinem ab hac quoque parte commendantis:

Iam mentum, iam ceruix, iam manus, iam pedum candor, intra auri gracile vinculum poſitus, Parium marmor exſtinxerant.

Habes exinde: *Forma nihil magicis vtitur auxiliis.* adfine, ni fallor, Plautino illi è Trinummo:

Apage te amor, non places: nihil te vtor.

Sequitur modico ſanè interuallo:

Perſequitur pœnis triſtia facta Venus.

Propriè, ac Latinè oppido, pro, *Vlciſcitur, vindicátque* meritiſsimo hercule ſupplicio. Itaque Salluſtius in Catilina ex perſona Catonis:

Nam cætera maleficia tum perſequare, vbi facta ſunt, &c. denique compluries alibi.

Habes mox diſticho interpoſito:

Carior eſt auro iuuenis, cui leuia fulgent
Ora. hoc eſt, (vt Plautiſſem ſolens) *non carus, ſed vilis eſt auro contra*; vel (ſi mauis) orichalco. Ouid. in Arte:

Aurata eſt, ipſo tibi ſit pretioſior auro.

Legimus Elegia eadem: *Sed nimius luto corpora tingit amor.* Antiquius, ac Varronianum fuerit magis, *Tangit*: idque (ſi optio detur mihi) malim vtique haud paulò impenſius. Etiam, *Luteo*, in prioribus Editionibus impreſſum reperio. neque diſplicet. Vt vt eſt tamen, colorem cuiuſmodi denotet, ſcimus. & declarat abundè Horatius, cùm *Pallori*, *Lutei* Epithetum adſignat.

Seria porrò & ſeuera illa Poëtæ admonitio:

Oderunt, Pholoë, (moneo) faſtidia Diui.

vbi *Faſtidia*, pro Faſtu. ac ſuperbia illa, omnibus, formoſæ quæ cluunt, innata, accipiendum. Tale eſt illud Maronis: *Atque ſuperba pati faſtidia*, Sed hæc tritiora, quàm vt noſtræ admonitionis indigeant.

Veniamus ad deprecationem porrò illam Elegiæ ix.

Parcite Caleſtes; æquum eſt impune licere
Numina formoſis lædere veſtra ſemel.

Vnde & Ouidius clauſulæ illius argutiam mutuatus videtur, in argumento prorſum huius confini:

Di faciles, peccaſſe ſemel concedite tutò,
Et ſatis eſt: pœnam culpa ſecunda ferat.

Legitur aliquantò pòſt in Tibullò:

Iam mihi perſoluet pœnas, puluiſque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.

Hinc explicatur illud libri ſequentis:

Sæpe horrere ſacros doluit Latona capillos.

Habes mox: *Nec tibi celanti fas ſit peccare.* id eſt copia, facultas, ſeu licentia peccandi occultè, atque alienis amplexibus indormiendi.

Nec multò pòſt Elegia eapſe:

Tum mihi iurabas, nullo te diuitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem,

Periphraſticè, hoc eſt, Poëticè; pro, *Venditurum*, ſeu, Venalem habiturum fidem, ac fœdera nobis data. Sic Secvndvs noſter. nuperus quidem Poëta, & nouitius, cæterum nulli antiquorum (præfiſcinè hoc dixero) meo iudicio ſecundus:

Iurauitque Deos omnes, Venerémque parentem,
Nil tibi post vnquam velle mouere mali.

id est moturum mali quidpiam, seu damni daturum amplius ob meritam noxiam; sed formæ tuæ in perpetuum porrò comparsurum.

O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli.

Placet, *Verbis*, præ nouo aliorum commento, *Vobis*. Hoc enim dicit Poëta; Sæpe se puero suo, cũ amica communi clandestinum iter ingresso, cereum intempesta nocte adluxisse. neque puduisse quicquam, amorum suorum exercitori, hoc est, & æmulo, & riuali suo, daduchi, imò pronubi, ne dicam productoris officium præstare. Atqui inquiet hîc aliquis; Quid ergo ad furtiuas & tumultuarias nuptias opus daducho? Nimium verò. & causam subiungit ipsus: ne videlicet furtim quispiam, & quasi ex insidiis aucupans cum auritis plagis iocosos duorum amantium sermones, secretásque blanditias, tenebrarum præsidio fretus, sublegeret: corycæi vt consueuere. cuius captiosissimi aucupij periculum non erat, quamdiu quidem Tibullus noster, ne quis fortè obreptaret curiosior, quasi Argus quidam oculeus totus, restricis præsidens, non grauaretur frequentem obseruationi operam suam locare. Iam ad illam phrasim quod attinet: *Lumina tuli*; eam verò habuimus & suprà, in basilica illa Editione:

Non prope fulgenti lumina ferre face.

Veniamus ad loci illius conlationem:

Et pretium plena grande referre manu.

Item alterius, qui præteritus nobis suprà.

Nec verbis victa patescit
Ianua, sed plena est percutienda manu.

Enarremus & illud:

Nec lasciua soror dicatur plura bibisse
Pocula, quàm plures hac meruisse viros.

Merere viros, eleganter, imò propriè. Hinc enim, *Meretrices*, dictę; ac *Scorta meritoria*. Vide Nonium. nisi cui Aurati potius, ac Scaligeri sententiam sequi consilium est, *Emeruisse*, legentium. hoc est, emeritos, vasisque ac lateribus exhaustis, quasi stipendiis expunctos, imò expeculiatos penitus reddidisse.

Elegia eadem ita in libris nostris perscriptum exstat:

Blanditiásne meas aliis tu vendere es ausus?
Túne aliis demens oscula ferre mea?

pro quo ipsus, *Alij*, bis itidem repetitum dandi casu lubenter legerim. constat enim de vno silicernio tantum, cum quo frater suus caput limasset, loqui Poëtam. Sic enim versu præcedente:

Huic tamen accubuit noster puer, &c.

Repono deinceps Elegia decima:

Quater ille beatus,
Quôi tenera irato flere puella potest.

pro, quod in vulgatis Codicibus legitur:

Quo tenera irato.

Quôi igitur pro, *Cui*, more Catulli, ac veterum. Eidem etiam Casui hoc verbum lib. II. Eleg. V. connexuit Tibullus. quo loco canit:

Nam ferus ille sua plorabit sobrius idem.

& Propertius:

Felix, qui potuit præsenti flere puella.

Elegia eadem, malè est in Tibullo, proinde vt hodie legitur:

Atque aliquis voti compos liba ipsa ferebat.

Legendum enim haud dubiè, *Ipse*. quomodo & paulò post: *Rusticus è lucóque vehit malè sobrius ipse*, non, *Ipsa*; aut, *E luco reuehit*. id quod Criticis nostris animos tantopere adauxit.

Malim ibidem: *Illic pertusísque genis*, quàm *Percussísque*, legi; aut etiam, *Percisis*. Sic eadem Elegia posteà: *Flet teneras subtusa genas.*

CAPVT V.

Obsessores foci Vernæ, coloni facillimè agitantis indicium: idque & Horatij & Martialis exemplis confirmatum. Interpunctio non suo loco facta. Id emendatum. De Ambaruαlis Sacrificij ritu accuratissima dissertatio. In eam rem à Vergilij Georgicis exquisita auctoritas. Turba iocosa.

VENTVM ad secundum est Librum, hoc est, Ambaruαlis sacrificij descriptionem. è qua hæc cursim delibabimus:

Turbáque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, & è virgis exstruet ante casas.

Huc non absurdè fecerit Horatianum illud ex Epod.

Positósque vernas: ditis examen domus,
Circùm renidentes Lares.

Cui succinit & Martialis meus:

Cingunt serenum lactei focum vernæ,
Et larga festos lucet ad Lares sylua.

Item lib. II.

Sit mihi verna satur, &c.

Pergit Tibullus apostropha ad socios Agricolas facta:

Vos celebrem cantate Deum (scilicet Amorem) *pecorique vocate:*
Voce palam pecori, clam sibi quisque vocet.

(Ita enim distinguo)

Aut etiam sibi quisque palam. nam turba iocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curua sono.

Hoc præterea subiicit, vt, vota nuncupandi Amori palam, æqualibus suis fiduciam addat. neque enim periculum esse, *ne sciantur, Aut nequis malus inuidere possit*, quamuis voce clara (hoc enim *Palam*, est) liberéque ac sine vlla circuitione concepta, atque enunciata. Cur ita? quòd videlicet *Phrygiæ tibiæ sonitus*, & *Turba iocosa*, id est cantantis, ac saltantis Chori strepitus, & rusticorum (Cerealibus, an Amatoriis operantium Sacris?) dissonus atq; incompositus clamor Coryphæorum aures exsurdet planissimè: neque in curiosorum hominum sensus precum ac votorum suorum arcana penetrare aliquo modo patiatur. nedum vt nouam risus, aut liberioris ioci materiam inimicis (vt solet) vel etiam riualibus præbeant, in vulgus ridiculi causa traducta porrò, atque eliminata. Cæterùm quæcunque ad pleniorem Elegiæ huius inuestigationem faciunt, à Vergilio petenda, Georg. lib. I. vbi omnes Anniuersarij istius (quod *Magnum* prisci Agricolæ indigitabant) & Ambaruαlis Sacrificij ritus, ac ce-

remoniæ rusticæ, religiosissimè, id est, cum cura & fide singillatim explicantur. Sed verba ipsa appingam optimum est; ne quid, quod ad solidam huiusce loci intelligentiam pertineat, nostra incuria prætermissum videatur. Sic igitur Poëta vnicus:

In primis venerare Deos, atque annua Magnæ
Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis
Extremæ sub casum hyemis iam vere sereno.
Tunc agni pingues, & tunc mollissima vina:
Tunc somni dulces, densæque in montibus vmbræ.
Cuncta tibi Cererem pubes agrestis adoret:
Cui tu lacte fauos & mite dilue Baccho:
Terque nouas circum felix eat hostia fruges:
Omnis quam chorus & socij comitantur ouantes:
Et Cererem clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quàm Cereri torta redimitus tempora quercu
Det motus incompositos, & carmina dicat.

Vides, vt Chorus iste *Agrestem pubem* comprehendens & *Sociorum ouantium comitatum*, *Iocosam*, atque obstreperam nobis Tibulli *Turbam* saltent, ac repræsentent: eò fidelius, quòd *Motus* etiã *Incompositos*, id est rusticos dantem, ac incondita Carmina dicentem, & quod propriè signatéque *Iubilantem* prisca Latinas dictitabat, induxerit denique. quæ omnia à Tibullo his versibus expressa inuenias.

Agricola assiduo primùm satiatus aratro
Cantauit certo rustica verba pede.
Et satur arenti primùm est modulatus auena,
Carmen vt ornatos duceret ante Deos.
Agricola & minio suffusus Bacche rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

Cui consentaneum & illud libri superioris:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.

Vide & Seruium, condignum illum Vergilio Enarratorem.

CAPVT VI.

In peruolgatam duorum exemplorum scripturam Vindiciæ datæ Tibullo. Mollia serta, interpretata ex Martiali. Gemini loci correctio, alterius etiam enodatio. Præda malis adoperta. Pericula geminata nauigantibus. De Capedunculis Numæ, per causam Samniorum, commodùm iniectus sermo: eâdémque Tullianum Fragmentum & auctum & integratum. atque indidem de Læliana Orationis (quam idem Aureolam *perbibet) & argumento & Inscriptione curiosè habita quæstio: eòque coniecturâ, Ciceronianis potissimùm auxiliis, euasum denique.*

A VERBIS bene ominatis Capiti huic initium fiet, & verò lubido est, Tibullianæ Edictionis auspicium sequi. Iubet igitur ipsus:

Dicamus bona verba: venit Natalis ad aras.

vnde patet rectè legi libro superiore:

At mihi si credas, illam sequar vnus ad aras.

contra decreta illorum, qui pluralem singulari numero commutantes vnam atque vnicam *Aram* modò sacerrimis Bonæ Deæ mysteriis sunt moliti. Nam etiam vt concedam ita in prisca Romanorum Sacrorum consuetudine fuisse: nõ hoc sat causæ tamen videri debet ad inueteratæ scripturæ focillandam fidem. Etenim quid vetat, *Aras*, pro *Ara*, positas interpretari? apud Poëtam præsertim. quod genus harum rerum libertimum semper fuisse didicimus oppidò: quippe eò etiam licentiæ prouectum, vt pro simplice animæ singularis folliculo modò, homuli vnius corpusculo inquam, *Corpora* [illegible] vsurpare, aliáque ad hoc exemplum plura talia Poëticè, hoc est, ex libidine sua abuti veriti non sint. quibus mehercule recensendis Nomenclatore sit opus. Quod reliquum est, *Aras* potius, quàm *Aram* Tibullum hoc loco architectatum est verisimile, ad euitandam constructionis ambiguitatem maximè; quam existere necesse sit, si quidem ita porrò rescribatur:

Illam sequar vnus ad aram.

Periculum enim fore viderat, ne quis male sedulus, nec meditatus satis, τὸ *Illam*, non ad Puellam suam, sed verò ad Aram istam Deæ Fatuæ fatuiter pertinere pro iudicij sui captu arbitraretur. Sequitur aliquantillò pòst:

Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.

Ita enim Editiones plæræque; quum aliæ, *Florea*, nobis *Serta* ostentent. quæ vt florifera non nego, etiam Cerinthi Genio, si qua alia, conuenientissima; ita causam esse non puto, cur *Mollities*, hac quidem in parte, *Florida* ista Strophiorum viriditas præponatur: præsertim, quum eodem in genere facetias etiam alibi fecerit Tibullus noster, quo loco canit:

Et capite, & collo mollia serta gerat.

Ea verò cuiusmodi fuerint, hoc Martialis (vti spero) exemplum docebit:

I felix rosa, mollibúsque sertis
Nostri necte comas Apollinaris.

Legimus porrò Elegia sequente:

Quisquis inornatúmque caput, crinésque solutos
Aspiceret, Phœbi quæreret ille comam.

Cæterùm an idoneus aliquis ex lectione ista sensus elici possit, nescio. hoc scio, aquam etiamnũ penitus hærere hîc mihi: nec quicquam adeò succurrere, quod, haud dico ad Bacchum, sed ad Phœbum faciat, è Deo seruum, aratorem factum de amatore. At dicet aliquis: Quid autem, si Interrogationis nota Pentametri clausulæ adpingatur, nónne continuò ipso meridiano Phœbo clarior existet sententia? Fateor; & cum Flacci Trebatio dico:

Equidem nihil hinc diffindere possum:

sic tamen, vt, *Crederet*, aptius huic loco, quàm *Quæreret*, conuenire credam, hoc intellectu: Quid verò? si quis in Apollinem istum, horridum vsqueadeo, squalidúmque; & Strabaci alicui Plautino, quàm formosissimo illi Deorum omnium, aureáque & intonsa coma superbienti, Iouis inquam, ac Latonæ filio similiorem; interim dum Regium pascit armentum: casu sibi obuium incideret: censésne hominem eum vnquam induci posse, vt ad solutos incomtósque Dei illius bubulcitantis respiciens crines, Phœbæam se cæsariem arbitrari crederet? oculis integris, haud strabis dico?

Narrauerat idem paulo anteà:

Et miscere nouo docuisse coagula lacte,
Lacteus & mistus obriguisse liquor.

Amplector Phœbæi instar oraculi hoc loco certissimam Aurati, præceptoris mei coniecturam:

Lacteus è mistis obriguitque liquor.

Rectè eadem Elegia scribitur:

Præda tamen multis est adoperta malis.

Sic, *Sceleribus, Flagitiis, miseriis coopertus,* Plautus, Cicero, Sallustius dixere. Ac ne alienos solùm ad testimonium citem, quid? non ipse Tibullus alibi?

Tenebris mors adoperta caput.

Sequitur disticho interiecto:

Præda vago iussit geminare pericula ponto.

Cur Geminare? quandoquidem vtrinque & procellis & piratis infestum mare. vnde firmatur eius correctionis integritas:

Illum inter geminæ nantem confinia mortis.

Legitur ibidem:

At tibi læta trahant Samiæ conuiuia testæ,
Fictaque Cumana lubrica terra rota.

Vasa testea, ac patellas fictiles designat, quibus affines Calices Cumani, quo lemmate distichon exstat Martialis lib. XIV.

Hanc tibi Cumano rubicundam puluere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

Et quoniam Samiorum incidit mentio, haud alienum instituto meo facturus videor, si Fragmentum quoddam ex lib. III. de Repub. huc spectans, quod inter Reliquias Tullianas (à magno illo Antiquitatum Romanarum conquisitore Sigonio dico, curiosa iampridem felicitate in vnum congestas, ac non sine luculenta Scholiorum accessione exhibitas nobis) haud corruptum modò, verùm capite insuper diminutum legitur, pristino (vt spero) nitori restitutum, hoc est, & auctum, & integratum Lælianæ Sapientiæ (ad eum enim hoc potissimùm beneficium attinet) fuero gratificatus. haud quidem de meo (ne quis erret) verùm de alieno potius. idque ex sæculi huius disciplina maximè, atque vti hodie mos viget. quem ipsius tamen ex parte mea imitaturus non sum: neque auctoris mei nomen perfidioso silentio obrutum, plagiarium in morem, prauè ac malignè dissimulaturus:

Neque enim decet
Sine meo periculo ire aliena ereptum bona.
Neque (vt magis etiam Plautissem) *illi qui faciunt mihi placent: planè loquor.*

Itaque in rem præsentem, vel verba potius, quæ huiuscemodi exemplo, apud eum quem dixi, deformata leguntur:

Læli quam omnes habemus in manibus, quam si imperia Pontificum Diis Immortalibus grata sine Samio, quæ vt his scribit capedines.

Vides, vt vbique nec pes, nec caput in tam admutilata appareat oratione. quod equidem demirari satis non possum, præsertim quum alterum illud (caput dico) in Exemplaribus antiquitus, imò ante annos XL. excusis modò, sartum tectum exstiterit iampridem. in quibus gemina hæc verba ante, *Læli*, nomen posita commemini me aliâs oculo præsente arbitrari:

Oratio exstat Lælij, quam omnes, &c.

Quid verò hoc exordio illustrius? cuius hercule

A diminutio pedibus etiam, reliquóque orationis corpori haud noxę vel fraudi modò, verùm morbo, ne veneno dicam, fuerat propemodum. Sed medicina in promtu: & magna Numę gratia, cuius *Capedunculæ* Iunio hanc nostro cogitationem potissimùm immisisse videntur; vt pro vitreis illis fractis: *Si imperia; Sympina*: pro, *Sine Samio, quæ; Sint, Samiaque*; rescribere auderet: mutatione verecundissima, ad hanc faciem scilicet:

Oratio exstat Lælij quam omnes habemus in manibus, quàm sympina (lego S... *la*, vel certè, *Simpunia*) *Pontificum Dis Immo... ...us grata sint, Samiaque* (*vt is scribit*) *Capedines.*

B Orationem quam dicit, ea (nî fallor) est, quam *Aureolam* appellat idem Cicero lib. III. de Natura Deorum: quo loco etiam Lælianæ nos pietatis in memoriam inducit. Adscribam exēplum:

Quando enim me in hunc locum deduxit oratio, docebo meliora me didicisse de colendis Dis Immortalibus, Iure Pontificio, & maiorum more Capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit; de quibus in illa aureola Oratiuncula dicit Lælius, quàm rationibus Stoicorum.

Vnde etiam, argumentum Orationis quod fuerit, manifestis indiciis docemur. Restat Inscri-
C ptio solùm, quam ex altero eiusdem Ciceronis loco, qui est in Bruto, videor exterebrasse. & credo, *De collegis*, (nisi tamen, *Collegiis* in Cicerone sit emendandum) conceptam fuisse. Quò enim aliò Tulliana illa Lælij, ac Scipionis contentio spectet potius, sanè non video:

De ipsius Lælij & Scipionis ingenio, quanquam ea est iam opinio, vt plurimùm tribuatur ambobus, dicendi tamen laus est in Lælio illustrior. At Oratio Lælij de Collegis, *non melior, quàm de multis quam voles Scipionis. non quò illa Lælij quicquam sit dulcius, aut quod de Religione dici possit augustius: sed multò tamen vetustior, & horridior ille, quàm Scipio: &*
D *cùm sint in dicendo variæ voluntates. delectari mihi magis antiquitate videtur, & lubenter verbis etiam vti paulò magis priscis Lælius.*

Hactenus Cicero. & nos de iisdem plura ac compertiora (vt spero) propediem in Fragmentis Lælianis.

CAPVT VII.

Passim amare. Adspirare, Adflare leniter alicui, de Amoris fauentia dictum. In verbum, Merere, curiosè inquisitum. Luxuria fluere. Madere, Poëtica, ac pereleganti metaphora à Tibullo vsurpatum. Ouis, pro
E *lana. Duobus locis, ratione interpunctorum commutata, alteri etiam singularis literæ adiectione, medicina facta. Itio Larum sub titulum.*

ALIQVANDO ad Tibullum conuortamur, ita superiore etiam Elegia iocosè argutantem:

Glans aluit veteres, & passim semper amarunt.

Passim, id est promiscuè, ac sine inuidia; nullum facientes discrimen, neque *signantes linea alba*, vt ait Lucillius. Hoc enim volt Poëta, volgiuagam Venerem sectatos antiquissimos illos, ac Saturniæ ætati suppares mortales, gaudia inter se cōmunia sine riualitate vlla, aut furiosa æmulatio-

ne exercuisse: & quod nos vernaculo sermone signatè exprimimus, dicendo: *Int bondert:* Scis puto, quod sequitur. Habes exinde: A

Tum quibus adspirabat Amor.

atque idem loquendi genus expressum supra:

Felix, cùi placidus leniter adflat Amor.

Notandum quoque verbum, *Merui*, raro significatu positum esse à Tibullo lib. II. Eleg. IV.

Et seu quid merui, seu quid peccauimus, vror.

quemadmodum & lib. I. Eleg. II.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis.

Significat enim: Si deliqui, vel (vt vetustiores loquebantur) Commerui culpam, siue noxam. Et sanè geminatio illa: *Seu quid merui, seu quid peccauimus*, de prisca deprecandi formula adumbrata videtur. cuius exemplum etiamnum aliquod in Testamento ludicro Grunij Porcelli comparet: Verbi gratia: *Si qua feci, si qua peccaui, si qua vascula pedibus meis confregi, rogo domine coce, &c.* B

Neque aliter verbum istud Tibullianum à Propertio acceptum, lib. IV.

Præcipuéque oculos, qui meruere, ferit.

Sed & exsul ille Tomitanus in Ponticis suis:

Alter ob huic similem priuatus lumine culpam,
Clamabat media, se meruisse, via.

id est peccasse, absolutè; seu, Admisisse in se facinus castigabile. vt ait Plautus noster. C

Elegans verò Metaphora illa Elegiæ superioris:

Vt mea luxuria Nemesis fluat.

Sic, *Fluere facetiis*, Plautus: Cicero, *Mollitia*, *& Luxu fluere*, dixerunt: Terentius, *Diffluere luxuria & lasciuia.* Omnium verò clarissimè Latinorum Poëtarum vetertimus, Liuius Andronicus. cuius exemplum huc faciens ab antiquis Grammaticis citatur. Sed quid prohibet & hoc loco id ipsum adscribere?

Aut nunc alia te quæpiam
Asiatico ornatu affluens,
Aut Sardiano, ac Lydio
Fulgens decore, & gloria
Pellicuit.

Locus est Elegiæ quartæ:

Omnia nam tristi tempora felle madent.

hoc est, plena, effertáq; sunt. tralatione ab ebriis, ac saburratis probè, onustisq; ex sententia, deducta. iis inquam, qui se panticésque suos, non quidem *tristi*, id est amaro *Felle*; verùm flore illo Liberi multò iucundissimo compleuerunt, madefecerúntque. Hi enim propriè, ac Plautinum in morem, *Madidè madere*, seu *Madidi esse* dici possunt. diuersi à *Siccis*, id est sobriis, atque abstemiis. cuius generis cariorem aliquando annonam in hisce locis ac regionibus exsistere vellem. Cæterùm hæc optare facilius possumus, quàm sperare. & Varronianum illud scitum est sequi: E

Cras credo, hodie nihil.
O morem insipientem, & infacetum.

Pergit porrò auspiciis nostris Tibullus eadem Elegia:

O pereat quicunque legit viridésque smaragdos,
Et niueam Tyrio murice tingit ouem, id est lanam.
Hic dat auaritiæ causas, & Cea puellis
Vestis, & è rubro lucida concha mari.

Auratus hoc loco inter Pentametrū illum priorem, & secundum Heroicum deesse aliquid suspicabatur. Ego contrà sine omni defectu esse, & vtrunque inter se rectè atque ordine cohærere, induci posse videor, si tamen alterius Hexametri initio pro Pronomine *Hic*, Aduerbium *Hinc* substituatur. inducto post, τῷ *Causas*, commate, hoc modo:

Hinc dat auaritiæ causas & Cea puellis Vestis, &c.

Sequitur enim euestigiò porrò.

Hæc fecere malas; hinc clauem ianua sensit.

Rescribo Elegia eâdem quamuis audacter:

Seu veniet tibi mors; neque sit, qui lugeat vllus:

Itaque erit imprecantis deuotio, vt videlicet ei desit mortuæ, qui funus lachrymis & Lesso prosequatur; quiq; Manibus eius ritè Inferias mittat, inferátque annua piacula. Temporis enim Optatiui hoc verbum esse debere, haud difficulter ex præcedentibus (votisne, an Diris dicam, nescio) facere est coniecturam. Verbi causa:

Eripiant opes: Spectent incendia: Addat aquam.

Hæc enim præmissa fuerant anteà.

Distinguo ibidem: *At bona quæ, nec auara fuit.* non vt habent nostri: *At bona, quæ nec auara fuit.* & *Bonitatem* istam ex Catulliani illius Epigrammatis sententia interpretor, cui initium est:

Aufilena, bonæ semper laudantur; amicæ
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.

Finem huic faciam Capiti, vnius distichi adiectione prius à Lectore impetrata. Id est huiusmodi:

Quin etiam sedes iubeat si vendere auitas,
Ite sub imperium; sub Titulúmque Lares.

Ex more etiamnum nobis quasi per manus tradito. Quô & Ouidius respexit, de dominæ auaritia apud se, & Musas suas, familiari amantibus querela, inuidiosè expostulans:

D *Illud, & illud habet, nec ea contenta rapina est;*
Sub Titulum nostros misit auara Lares.

id est, ædes nostras (cum Plauto dicam) *venales inscripsit literis.*

CAPVT VIII.

Duûm inter se locorum conlatio. Epithetum ÆTERNÆ, *proprium ac peculiare Vrbis Romæ, iam inde ab antiquo. Prodigiorum interpretatio ex Nonio. Iuppiter Prodigialis. Retinentia proprietatis in voce*, Torus, *declarata. Vetus Satisfactionis Formula, ac ritus haud somniculosè discussus. In eam rem locus Senecæ singularis. Gerere lauros, item Lauro deuinctum esse, non eadem, sed diuersa apud Tibullum: Idque ex prisca Triumphorum consuetudine argumentis planum factum.*

ELEGIA V. Apollini porrò futurorum præsagitionem assignat huiuscemodi Elogio:

—— Tibi deditus augur
Scit bene, quid fati prouida cantet auis.
Túque regis Sortes; per te præsentit haruspex
Lubrica signauit cùm Deus exta notis.

Etiam tria ista coniunxerat suprà, Sortilegium dico, Augurationem, atque Extispicium. Rem

vide, & quidem præsentem:

Nec mihi sunt Sortes, nec conscia fibra Deorum;
Præcinit euentus nec mihi cantus auis.

Pergit Tibullus:

Romulus æterna nondum fundauerat Vrbis
Mœnia. &c.

Haud temerarium est, quòd Epithetum, Æternæ, Romulæ Vrbi assignet. Sic Romam enim indigitatam antiquitus, testes etiamnum præter tot Augustas Principum constitutiones, Inscriptionum superstitum monumenta, testes Nummi Veteres, testis denique in vberrimo illo summæ Rei Antiquariæ Thesauro suo noster Goltzius. His adde Ouidij illud ex 3. Fastor.

Iam modò quæ fuerant syluæ, pecorúmque recessus,
Vrbs erat, Aeternæ quum pater Vrbis ait.

Item exempla illa Ausoniana gemina:

Ignota æterna ne sint tibi tempora Romæ.

&: *Vrbis ab æternæ deductam Rege Quirino.*

quibus omnibus succidanea insuper accedat auctoritas Symmachi, quem consulas velim. sed eum tamen videto vt consulas, quem recẽs modò exhibuit nobis ingenij, iudicij, ac doctrinæ præclarus in primis Franciscus Iuretus. cuius Notas ne compilem, cauto Hercule est opus. Proinde τὸ *Aeternæ* maiuscula litera initiali vbique rescribendum:

Scribitur haud procul ab eiusdem Elegiæ exordio:

Hæc fuerant olim: sed tu iam mitis Apollo
Prodigia indomitis merge sub æquoribus.

Prodigia dicta, quasi porrò abigenda. Nonius. Seruius verò; quòd in longum tempus dirigant significationem, interpretatur. quorum *Auerruncum*, id est depulsorem, & quem vel ἀλεξίκακον Græci, vel ἀποτρόπαιον appellitant, Apollinem facit. Talis ille apud Plautum, *Prodigialis Iuppiter*, in Amphitruone, item Mostellaria Hercules; quippe Mostellorum præsens domitor, atque exactor. Pergit nobiscum Tibullus:

At sibi quisque dapes, & festas exstruet altè
Cespitibus mensas, cespitibúsque torum.

Propriè, atque ex definitione Varronis; qui *Torum*, ab herba torta deriuat: si quid Marcello credimus, Fragmentum istiusmodi ex libro eiusdem I. de Vita Pop. Ro. producenti:

Quod frontem lectica struebant, ex ea herba torta Torum appellatum, hoc quod iniicitur, etiamnum Toral dicitur: Lecticam qua inuoluebant Segestria appellabant.

Sed restituendum me auctore principium istud Varronianum, ac pro, *Frontem lectica*, rescribendum, *Fronde lecticas*, sententia clariore,

Quàm solis radij esse, olim cùm sudum est, solent.

Mensas autem *Festas* cognominat, credo ob impositas *Dapes*, quæ præcesserant modò, hoc est, Epulas publicas, ac sollennes, quas ex statis pecorum frugúmque prouentibus dapaticè, & basilicum in morem festorum dierum, aut sacrificiorum causa à rusticis concelebrari mos erat. Sic idem suprà Eleg. I.

Sanctæ veni Dapibus festis.

Quid? quod obseruatum à Seruio, *Dapes*, propriè Deorum esse, vt Epulas hominum. Sed & *Dapem*,

A id est, rem diuinam verna, vel hyberna semente fieri solitam, docuit nos Festus. vnde & Ioui Dapali repertum cognomentum apud Catonem libro de Re Rust. vbi eam pte quoque, piro iã florente, Ioui, & Vestæ quomodo fieri, quibúsque adeò verbis polluceri oporteat, ritè atque ordine ruris amatoribus præmonstrat. non vrna, seu culigna vini modò: se verò & assaria pecuina. neque id adeò mirandum, quippe pro bubus, & pecorum fœtu, quam rem & Tibullus noster disertim attigerat suprà, quum scriberet:

Illa Deo sciet agricolæ pro vitibus vuam,
Pro segete spicam, pro grege ferre dapem.

B *Pro grege*, id est pro bubus. vti iam modò ex eodem Catone fuimus interpretati.

Progrediamur cum Tibullo aliquantò etiam vlterius:

Ingeret hic potus iuuenis maledicta puellæ,
Postmodò quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem,
Et se iurabit mente fuisse mala.

Ritè, id est, ex Satisfactionis formula. Erat enim in more positum antiquitus, vt si quis vel dicto, vel facto contumeliam alteri, flagitiúmve fecisse

C argueretur; is, testificatione pœnitentiæ præsentis, gratiam delicti fieri postularet sibi: etiam sacramento interposito se purgans, videlicet, factum nolle, imò discupere se, infectum indictúq; fieri posse, quicquid perperam fecisset, dixissétve in amicum insontem, ac tali iniuria indignissimum. illud insuper verbis conceptissimis adiurans, malam se mentem habuisse, ac superstites, quantum est, Deos comprecans, vt omne illud, quod ita vecorditer effutisset, in se suúmque recideret caput. vel eò vsq; opinor, quoad alter ille quasi resecratus, religione omni solutum se esse, planè in animum iam induxisset suũ, idque om-

D ninò firmiter demũ persuasum haberet sibi. Argumento, quod dixi, testis Plautus, Terẽtius, *omnes, omnes.* denique Tibullus iterum suprà lib. I. Eleg. II. Ianuam dominę offensam, ideoq; occlusissimam sibi huiusmodi precibus propitiaturus:

Ianua, iam pateas vni mihi victa querelis,
Nec furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.

Vides, vt vtrobiq; & hîc, & suprà dementiæ suæ, hoc est; *Malæ mentis* excusatione vtatur. ex ea quam retuli, consuetudine; cuius rei fideiussor

E ac fundus mihi locupletissimus Seneca (ei enim probationem istam acceptam ferimus potissimùm) historicum hoc nobis rei sub Diuo Augusto gestæ exemplum commemorans lib. de Beneficiis III. cap. XXVII.

Ruffus vir ordinis Senatorij inter cœnam optauerat, ne Cæsar saluus rediret ex ea peregrinatione, quam parabat: & adiecerat, idem omnes & tauros & vitulos optare. Fuerunt, qui illa diligenter audirent. Vt primùm diluxit, seruus, qui cœnanti ad pedes steterat, narrat quæ inter cœnam ebrius dixisset. Hortatur eum, vt Cæsarem occupet, atque ipse se deferat. Vsus consilio descendenti Cæsari occurrit. Et cùm malam mentem habuisse se pridie iurasset, id vt in se & filios suos recideret, optauit: & Cæsarem vt ignosceret sibi, redirétque in gratiam secum, rogauit, &c.

Neq; aliouorsum respexisse arbitror Catullum Phaleuciis illis Iambitantibus:

Quænam te mala mens, misselle Rauide,
Agit præcipitem in meos Iambos.

Ad exodium tandem adducamus hoc Caput. Pergit igitur vitulari Tibullus, in gratiam Messallæ Triumphantis, currúmque Victoris prosequi his verbis, bene ominatis oppidò.

Ipse gerens lauros, lauro deuinctus agresti
Miles, Io, magna voce, Triumphe, canet.

Vbi arbitrari possit aliquis, rem vnam eandémque bis iteratam à Poëta gratulabundo; & *Lauros gerentem*, & *Deninctum lauro* Romanum militem in Messallini Triumphum inducente. quæ duo tantum non gemina esse videntur. Sed sciẽdum, *Lauros gerens*, hoc loco non ad capitis, sed ad manuum gestamen pertinere; quibus victoriæ insigne laureos ramos sibi præferebant milites; non minus dextras inermes, quàm galeatam cæsariem (ad quam *vinctura* sequens referunda) victrici fronde decorantes, ex disciplina. Quod superest, monendus Lector Pentametrum istud à Tibullo suo mutuatum Ouidium in Amoribus, quum canit:

Vulgus, Io magna voce Triumphe, canet.

CAPVT IX.

Locus Tibulli & correctus & enarratus planissimè. In manuscriptæ lectionis sententiam facta discessio. De optimo versificandi genere, antiquáque ac examussim Poëtica numerorum ratione, curiosa ac multiplex disceptatio.

EIVSDEM libri Elegia VI. & vltima ita scribitur:

Quod si militibus parces, erit hic quoque miles
Ipse, leuem galea qui sibi potet aquam.

Quam lectionem tanto iam tempore exemplaria nostra insedisse, nequeo hercule satis mirari: neque quenquam repertum intereà, qui vel tenuissima suspicione adductus rem in quæstionem vocitare saltem ausus fuerit vel semel. Sed his omissis emendationem tandem nostram in medium proferamus:

Quod si militibus parces, ero & hic quoque miles
Ipse, &c.

vt significet Poëta: Quod si (ô Amor) Macro huic, castrorum tuorum desertori, cæterísque similibus, à Venerea militia ad alteram, & Martialem illam desciscentibus, conniuentia tua, ne dicam lentitudine, imò socordia impune abire trãsfugium istud; téque ab hoc genere, quasi abs Sacris, manum abstinere cognouero, sagittásque ac faces istas tuas in solis militibus frustrari: eccum etiam ipsum me, (qui semper vsque adhuc incruenta stipendia feci, meruíque adeò in castris tuis) paratum exemplo Macri ad bellum porrò teterrimum proficisci, militiæque auctoratum dare nomen, & quidem iam ex hoc loco, ne morari censeas. Atque hanc esse istiusce loci sententiam, scripturámque examussim optimã, ac certissimam, indicio fuerint ea, quæ deinceps euestigiò sequuntur: vbi & Veneri & Amori supremam in perpetuum dicere videtur Poëta, dissidiúmque iisdem comminari porrò his verbis:

Castra peto: valeátque Venus, valeántque puellæ:
Et mihi sunt vires, & mihi grata tuba est.

Vlterius aliquantò progrediamur:

Iam mala finissem letho: sed credula vitam
Spes alit, & melius cras fore, semper ait.

qui posterior versiculus ad Statianæ Editionis margines verbis nonnihil trãspositis hac forma conceptus legitur: *Spes alit: &, semper cras fore, ait melius.* Et placet αὐτάνως. nec me numerorum infracto de proposito deterret; quam & Tibullo haud displisse plærique ipsius Elegi fidem nobis facere possunt. At diuersum censent, qui homines? quos mehercule ego ad Tibulli Genium sapere tantundem existimo,

Quantum ad amaracini florem spurcata luto sus.

Ecce autem & hoc erunt, qui criminabũtur, me versum lõgum monosyllabo terminasse. præposteri homines, qui fluidæ (vt ipsi vocitant) ac Ouidianæ venæ assueti, reliquorum quantum est Poëtarum lectione Iuuentuti nostræ interdicũt: haud quidem virtutes eius, quas non percipiunt; sed vitia solùm imitanda proponentes. graui vtique capitalium ingeniorum dispendio, quæ praua institutione à teneris corrupta ad frugẽ porrò peruenire prohibentur. dum (vt verè existimat Petronius) *necesse habent cum insanientibus furere; &, quod quisque perperam discit, in senectute confiteri non vult.* Hinc tot nouarum Musarum carcinomata, ac Poëseos febres, vomitum pænè nobis foriis suis excutientium: quibus ne ipsus quidem Hercules ille, Augiæ stabuli purgator, vnquam expiandis sufficiat. qui Pentametrum (id quod conqueri occœperam modò) trisyllabo, vel tetrasyllabo absolui piaculum cẽsent: haud Horatianum illud reputantes, numerorum formam rebus potissimùm accommodandam: bonóque Poëtæ, ei dico, qui Poëta est vti nomen possidet, nihil prius esse debere, nihil antiquius, quàm vt naturam vocum, ac pedũ examussim prouisam ac percognitam habeat sibi; vt, vbi vsus venerit, nunc, pro ratione argumenti, assurgat; nunc submittat; tolutim modò, modò gradatim incedat; curriculo sæpe, interdum sufflamine vtatur, nũc dulce Lectori, modò amarum promat; gustu dico, non ad satietatem. ne tãquam saburrato nauseа ac fastidiũ obrepat: cuius parens mehercule vniformis illa, ac nusquam à se recedens æquabilitas, seu continuata vnius quasi fili tractu veternosa ac murcida lentitudo. quam in condendis Poëmatib. non alia ratione commodius, quàm rerum tempestiua, ac verborum varietate, & cõmutato subinde numerorum sono, faciles pro re nata vorsuras præbentium, euites atque effugias. Sanè, ad me quod attinet, ita ad hoc ætatis in Poëtico studio fui, vt nihil minus, quàm ab Ouidio (cætera admirabili) numerorum rationem expetendam cẽsuerim mihi. Nam quid obsecro insuauius, quàm in staticulis iisdem pedem ponere assiduè, vnúmque & eundem saltatoriũ orbem versare semper, nec vel latum (quod aiunt) vnguem discedere à præscripto? in re præsertim voluptatum, amatoriísque affectibus; qui vt vehementes, ita mobiles (id quod de Regiis volũtatib. Crispus) sæpe ipsi sibi aduersari cõsueuere.

quo-

quorum inconstantiam, Euripo ipso æstuosiorem, graphicè, & quasi ex pictura repræsentare, proram & puppim (quod dicitur) Elegiæ scribundæ esse conuenit: non verborum modò, aut sententiarum mutabilitate, verùm etiam multiformi insuper modorum variantium concentu, gratáque pedum mollissimè fluentium dissimilitudine. cui rei adipiscendæ equidem nullum genus accommodatius videtur, quàm (vt meus est animus) frequẽtes in quinta Hexametrorum sede Spondæi: quorum natura grauis ac lenta, apta lamentantibus: quibus hiatus identidem repetiti, ac periodica sententiarum continuatio sæpe vltra binos versus, interdum etiam plures B extensa; mediúsque cæsuram transiliens Pentameter, trium plerumque, vel plurium subinde syllabarum finitus tractu; incredibile est, quantum Poëmati venustatis addant, ac Veneris. vt fiat illud: *Odi profanum vulgus, & arceo:* Catulli potissimum exemplo, vt æquum est Elegos: quibus decoris causa, infracta oppidò vocum ac numerorum mollities, in amantium maximè languoribus exprimendis ipso etiam sonitu proiecta ac miserabilis. Ite nunc Magistelli nostri, atque ilicet rem factã habere vos arbitramini; quoniam Murmellianis, aut Sabinianis præceptiunculis sufflati, dissyllabo terminare Pentametrum con- C didicistis, vna eádemque pertica (quod aiunt) dimetientes omnia; nihilque adeò minus, quàm ad animorum motum orationis harmoniam accommodantes. Vnum hoc curæ, sententiolas è triuio subidissimas, dictáque ad summam caueam spectantia Ouidianis pedibus includere: cætera, nihil pensi habere porrò, modò Carmina facere cluatis: quæ quo nomine appellem nescio: scin' cuiusmodi? quæ mehercule (si quidem vsus veniat) ipsas Neronianas Thermas gelu suo valeant refrigerare. Quorum adeò inscitiæ nisi, coniunctis pariter opibúsque & animis, omnes D dico, qui aliquid ad Musarum & Leporis Genium sapere censemur, obuiam aliquando eamus; quid reliquum est, quàm vt cum Afro Domitio illo, ac Belga Lipsio meo, Oratoribus nobilissimis, iterata publicitus iustissima indignatione proclamemus? *Centumuiri, hoc artificium periit.* vtque supremam Fontinalibus denique, hoc est, aquæ potionibus porrò, ac bicornis iugi præcipitiis in perpetuum dicamus? Nec ego in crimen istud eruditissimum Tibulli Interpretem arcesso, Pentametros Poëtę nostri trisyllaborum vicem dissyllabis alicubi interpolanti. neque verò ius est. Compertum enim habeo hoc eum neutiquam eo animo aut consilio fecisse, vt hæc E ipsa pro Tibullianis in contextum vnquam reciperemus; sed verò *dicis causa* tantum, & quòd discrepantiam lectionum à manuscriptis præsertim Codicibus natam, notam porrò studiosis esse voluerit. Eam iudicij acrimoniam, atque eã integritatis indolem in Semone illo omnium mortalium literatissimo, videor animaduertisse. Verùm ego liberius altiúsque processi, dum me (cum Varrone dicam) & Musarum, & horum Lucumonum agnoscere pudet pigétque. Nunc ad institutum redeo, ad Caput inquam proximum; in quo mihi (vt spero atque opto) haud cũ A bliteo eiusmodi Bucconum genere amplius, sed cum Tibullo, Elegiographorum principe, nouum negotium nascetur, literarium, non argentariũ dico, & cuius causa vadimonij deserẽdi necessitas nemini, opinor, mortalium est euentura.

Capvt x.

Litera pacta. Mutatus in vmbram, Versus in ossa, eadem apud Tibullum. Componi, item Collocari, propriè de mortuis. Mœrere, Dolere, Ridere, Gaudere eleganter sexto Casui aptari, adiungíque: etiam Olere. De Vino Resperso Tibulli ossibus, Pompeij comitate, gratia facta.

Aliqvanto leuius per sequentis libri crepidines eamus,

Vt leuis tippula lympharum frigidos transit lacus,

vt ait Varro. Legitur proinde prima eius operis Elegia:

Summáque prætexat tenuis fastigia chartæ,
Indicet vt nomen litera pacta tuum.

Rectè *Pacta.* Pangere, enim Figere significat. vnde & *Versus pangi*, id est, figi in cera dicuntur. Auctor Festus. Sequitur:

Atque inter geminas pingantur cornua frontes;
Sic etenim comtum mittere oportet opus.

Idem Martialis lib. III. libellum suũ alloquens:

Et frontis gemino decens honore
Pictis luxurieris vmbilicis.

Cætera, istuc Interpretamenta quæ faciant, quærito in lectissimo Aduersariorum opere doctissimi Turnebi, lib. XXII. cap. X.

Locus est Elegiæ secundæ:

Ergo ego cùm tenuem fuero mutatus in vmbram.

Mutatus in vmbram, consimili ratione dictum, qua idem, *Versus in ossa*, subiuncturus est postea: exempli gratia:

Sic ego componi versus in ossa velim.

Compositi, enim propriè dicebantur defuncti; & *Componi* seu Collocari, quum in Libitina, aut eorum strato brachia cruráque certum in modum statuebantur. id quod à Scaligero Patre, Heroë incomparabili, nisi illi (quamuis Cæsari) compar etiam (ne quid maius dicam) Iosephus Filius, diuinitus, vt omnia, in compositissimis illis Poëtices suæ libris obseruatum, ad Maronianum istud scilicet:

Iámque diem clauso componet vesper olympo.

Vide prætereà electissimum Lipsij nostri Commentarium, quem *Electorum* inscripsit; vbi sollennes omnes cadaueris collocãdi ritus, positiones ad ianuam, cautionésque ac ceremonias adiunctas planissimè simul & plenissimè pertractatas reperias. Neq. ego istuc additurus fuerã, nisi Tibulli locum fraudem, & quidem insignitam, dedisse animaduerterem industriosissimę doctrinæ viro, qui pedum ratione minus cautè & cogitatè perpẽsa, in Dictionario suo bilingui, nouum adeò hinc loquendi genus imprudenter exsculptum obiectare nobis veritus non est, ludósque porrò Lectoribus suis facere ad hoc exemplum: *Versus in ossa componere. Tibull. Mettre l'epitaphe d'vn trespassé.* Videlicet persuasus, τὸ *Versus*, haud participium nominandi, sed verò nomen plurali

accusandi casu positum esse à Tibullo. cuius latum errorem Andverpiana insuper Editio succidaneo suffragio cumulauit, ad cuius marginé, ex Statiano (ni fallor) exemplari non *Versus*, sed *Carmen*, prętextum est animaduertere. perperam, sicuti antea commonstratum. Cæterum hoc incogitantiæ potius, quàm imperitiæ erratum reliquis eius viri in rem literariam promeritis haud grauatim condonandum.

Pergit porrò Tibullus, Neæram cum matre atratam, funúsque amatoris sui luctu non minus, quàm crine effuso prosecuturam miserabiliter atque insolabiliter inducens, supremæ hacce voluntatis suæ edictione:

Sed veniat cara matris comitata dolore:
Mœreat hæc genero, mœreat illa viro.

Hinc obseruabis, mi Lector, verbum *Mœrere* auferendi non minus eleganter, quàm accusandi casui coniungi posse; quemadmodum & *Dolere*. Cui exemplo fuerit etiam Sulpitianum illud apud Ciceronem; *Dolore alicuius mærere*, id est, ob alicuius dolorem. denique alibi apud eundem nó semel. Sed & Tibullus ipse non alia ratione, *Ridere lacrymis*, non *lacrymas*, dixerat suprà libri I. Elegia VIII.

Sæpe etiam lacrymis fertur risisse dolentis.

id est, ob dolentis lacrymas. Itaque, *hac re*, pro, *ob hanc rem*, etiamnum Latinè oppidò dictitamus. Huc poterit adiectari & Propertianum illud:

Sic te seruato possint gaudere parentes.

Hoc est, propter te seruatum, & alia huiusmodi trecenta, quæ passim apud Poëtas in re præsenti versantibus obuia est arbitrari: *Mœreat* ergo *genero*, in Tibullo nihil aliud esse inuenietur, quàm, propter generum, hoc est, generi sui mortem, seu caussa eius mortis mœrere, nihil proinde variandum. vt nec in Propertio, vbi ex persona defunctæ Cynthiæ scribit:

Cur nardo flammæ non oluere meæ?

Quid enim? an non apud Nasonem quoque, *Loca olentia sulfure*, ritè atque ordine posita alibi occurrunt tibi.

Pergamus Elegiam istam ad exodium porrò aliquando adducere, illud prius enucleantes:

Et prius annoso spargant collecta Lyæo, (scil. ossa.)
Mox etiam niueo fundere lacte parent.

Ex Romano Nouendialium Sacrorum ritu scilicet, in quibus *vetustate vino edentulo*, & quidem Falerno de meliore nota ad Manes propitiandos sepulcra defunctorum conspergi, ac tantum non inundari mos erat. Vnde & *Respersum vinum* appellatum legimus in Festo apud Paulum abbreuiatorem. quem vide.

CAPVT XI.

In Tibullo vera & antiqua lectio reposita. Principum virorum ædes per Deorum templa adiri solitas. Is ritus ex Seneca exsculptus. Neunt, pro Nent. Diues Orcus, ad Orci Nauiani, ac Mortis Enniana Thesauros referendum videri. Acheruntis, & Orci discrimen. Locus Tibulli restitutus, alter enarratus.

A LIBRO Tibulli tertio Elegiæ III. principium ita in plærisque, & quidem postremę Editionis exemplaribus, legitur:

Quid prodest cælum votis implesse Neæra,
Blandáque cum multa tura dedisse prece?
Non vt marmorei prodirem è limine tecti,
Insignis clara, conspicuúsque domo.

Vidi tamen librum calamo exaratum, alióśque ante annos LX. prælo excusos, in quibus non *Tecti*, (vti nunc) sed, *Templi*, disertè scriptum, atque impressum exstabat. quam ego & sinceram & veterem, adeóque Poëtæ ipsius scripturam esse, quouis pignore contendere ausim. haud quidem Varronis (id quod in Lucretio aliâs me fecisse commemini) præsidio atque auctoritate B confisus, (qui *Templa*, pro tectis etiam quibusuis, siue adeò ædificiis tam Inferorum, quàm Superûm, aut hominum vsioni constructis, Poëtarum exemplis in hoc productis ostendit) sed verò facundi illius vnico hercule Senecæ testimonio patrocinióque suffultus. de quo illud etiam præter cætera condidisse iure gloriari possum, Atria olim, domósque scilicet virorum Principum, venerationis credo & celebritatis caussa, eo situ positas ac collocatas fuisse, vti aditus ad eas per Deorum templa existeret. Sed ipsius Senecæ verba, Fortunæ violentiam proponen- C tis, audiamus, ex libro Consolationis ad Polybium depromta:

Ibit violentior per omnia, sicut semper est solita, eas quoque domos ausa iniuria causa intrare, in quas per templa aditur, & atram laureatis foribus inducere vestem.

Confirmat opinionem hanc nostram locus Suetonij in Caligula; quem, scribit, *accitis vndique in Vrbem Numinum simulacris, quibus capite demto suũ imponeretur, partem Palatij ad Forum vsque promouisse, atque Æde Castoris & Pollucis in vestibulum Aulæ suæ transfigurata medium se adorandum adeuntibus præbuisse.*

D Atque hinc iam cuiuis porrò liquere arbitror, cur Martialis in Præfatione octaui Epigrammatum libri, ad Domitianum Cæsarem scripserit, de eodem opere suo disserens:

Meminerit non nisi religiosa purificatione lustratum accedere ad templa debere.

Ad templa, id est aulam, seu palatium Imperatoris: ad quæ ingressuris non nisi per ipsa Deorum Immortalium templa pateret aditus. id quod ex Seneca collegimus. ita vt nihil iam deinceps caussæ esse vlterius possit, quin *Templi*, lectio vetus in Tibulli templa, hoc est, in domum suam E ab exilio tandem aliquando iure postliminij reuocetur.

Elegans verò periphrasis illa Elegiæ eiusdem:

Tristésque sorores,
Stamina quæ ducunt, quæque futura neunt.

Nos, *Nent*, diceremus. Et tamen, *Neunt*, ab *Neo*, quomodò, *Eunt*, ab *Eo*, formatum videri potest. *Ent*, enim, sicut *Nent*, Latinis in vsu non est. Concludit deinde:

Me vocet in vastos amnes, nigrámque paludem
Diues in ignaua luridus Orcus aqua.

Alii, *Dites*, ex chirographis libris substituunt hoc loco. Mihi peruolgata scriptura est potior: quam

ad Orchiuum Thesaurum Næuij; item Ennianum illud ex Iphigenia accommodandam autumo: *Acheruntem obibo, vbi mortis thesauri obiacent.* De *Vocatione Orci* quam ibidem præmiserat Tibullus, ea verò non nimium absimilis sententiæ Fragmenti illius Laberiani: *Tollet bona fide vos Orcus nudas in Charonium*: vbi *Charonium*, pro Acheröte; *Orcum*, pro Fato, seu morte, vel etiam Dite, id est, Plutone posita interpretor. quo modo etiam locutus Plautus Mostellaria:

Nam med' Acheruntem recipere Orcus noluit:

Item Pœnulo:

Quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit.

Postremo Ennius.

Acherusia templa Orci saluete infera.

Ex quibus vniuersis perspicuè dilucet, *Acheruntem*, pro ipsis regionibus Acheruntîcis. puta, pro communi mortuorum receptaculo: *Orcum* verò, pro loci eius regnatore, non autem (id quod vult Victorius) pro nigerrimi illius & ignauissimi freti portitore, quem Charontem perhibent, accipiundum. *Nigrorem* verò & *ignauiam* Infernis paludibus, puta Acherunti, Stygi, Cocyto, rectè oppidò ac Poëticè attribui, etiam Horatij comprobatur exemplo: ne quæram longius:

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans.

Addam corollarij vicem geminas etiã obseruationes meas in Elegiam proximam. Numerum adieci, ex Ouidiani illius præscripto maximè.

Pauperis est numerare pecus.

Tibullus igitur lib. III. Eleg. IV. hæc inter cætera Phœbum in somnis sibi vaticinantem inducit:

Diuersásque suis agitat mens anxia curas;
Nec gaudet casta nupta Neæra domo.

Quem locum primus ita (nî fallor) restituit nobis elegantissimus Muretus; quum perperam anteà, imò sine bono sensu vllo, aut gratia, *Suas*, passim lectitaremus. Cæterùm quid, *Suis*, istud velit sibi, in Scholiis suis nullus expressit. quod si fecisset, iam verò nos secundum hunc interpretandi laborem suscipere necessum minimè haberemus. *Suis*, igitur subaudiendum, *Propinquis ac gentilibus*, quibus puella curæ erat: vel potius, *Parenti vtrique* etiam tum, quum ista fierent, superstiti. ex quorum voluntate euenerat iam anteà, vt cum Neæra nuptias faceret Tibullus. quæ omnia perspicuè ex huiusdẽ Elegiæ fine vel cæco dilucere autumo. *Diuersas* ergo *suis* idem erit, quod, *contrarias suis*, scilicet parentibus, nimirum & patri & matri. Neque enim eorum ex sententia vnquam fuisse crediderim filię suę turpitudinem.

Sequitur haud multis sanè versibus interiectis, de Neæræ ferocia muliebris inconstantiæ fastidiíque plenissima malacissanda, hisce eiusdem Dei verbis instituta consolatoria ad Poetam cohortatio:

Sed flecti poterit, mens est mutabilis illis:
Tu modò cum multa brachia tende fide.

Cum multa fide, hoc est, multum obtestando, & implorando ipsius fidem. vnde denudatur scripturæ eius vanitas, quæ ad oras paginarum in Codicibus nonnullis adiecta legitur, hoc exemplo:

Tu modò cum multa brachia tende prece.

quæ lectionis diuersitas nõ aliunde mihi, quàm ex alterius loci similitudine nata videtur, eius inquam quem habes suprà:

Blandáque cum multa tura dedisse prece.

CAPVT XII.

Pallentes vndæ. Temporis prisci factorum iucunda senibus commemoratio, ruminantibus antiquitates. Pictore, vel Manu vndam pellere, pro Natare. Promittere, pro Vouere positum. Comitem negare. Mureti opinio confutata, ac retracta lectio fugitiua. Duûm locorum integratio in Poemate ad Messallam.

AD illa porrò Elegiæ V progressum aliquando quasi saltuatim faciamus:

Parcite pallentes vndas quicunque tenetis.

Vt suprà Nigrorem, ita hîc *Pallorem* Erebi fluminibus assignatum videmus, quomodò & Elegia I. huiusdem libelli:

Pallida Ditis aqua.

Habes ibidem:

Et referam pueris tempora prisca senex.

Sic idem prius:

Temporis & prisci facta referre senem.

Huc adiice & illud intergarrulæ senectutis incommoda referentem Horatium:

Laudator temporis acti
Se puero; censor, castigatórque minorum.

Legitur paulò post:

Et facilis lenta pellitur vnda manu.

Idem loquendi genus vsurpatum ab eo lib. I.

Hic placidam niueo pectore pellit aquam.

quod pro composito suo, *Impellit*, acceptum lubido est suspicari. Nouissimi verò distichi Hexametrum hoc modo exorditur:

Intereà nigras pecudes promittite Diti.

Promittite, pro Vouete. sicuti & Petronius:

Ipse Senatus, recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet; & ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Iouem quoque peculio exorat.

Scribitur Elegia vltima:

Nêve neget quisquam me duce se comitem.

Sic & Ouidius, cæterum omisso pronomine:

Si qua recusabat nimium, comitémque negabat.

Item Horatius:

Te Spes, & albo rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat.

Noster porrò Elegia eadem de vehementia Bacchicæ iracundæ in ioco & vino sermonem exsequens:

Quales his pœnas Deus hic, quantásque minetur,
Cadmææ matris pœna cruenta docet.
Sed procul à nobis hic sit timor; illáque si qua est,
Quid valeat læsi sentiat ira Dei.

Vnde quum Muretus, tanquam è Labyrintho, se commodè satis expedire non posset, alteram lectionem ingeniosè architectatus est nobis; & pro verbis illis,

Illáque, si qua est: ex vestigiis veteris (vt ipsus attestatur) scripturæ has voces, *Illáque sicca*, Scholiis suis appingere nõ dubitauit. cuius sententiæ siccitatẽ Tibulliano ardori restinguẽdo, metuo,

ſatis vt ſit: qui vulgatam lectionem retinendam quamuis audacter pronunciare non vereor. vt pol referatur ad *Matrem Cadmæam*, antea memoratam: quam, *Si qua eſt*, id eſt, ſi qua vſpiam in rerum natura eſt, ſiue hîc, ſiue ſub terris neſcio quo loco degens, vbicunque illa fuerit tandem, quãuis morte iampridem obita, irato Deo pœnas pendere ob meritiſſimam hercule noxiam exoptat Tibullus noſter: more votorum Poëtis non inſolito, quò videlicet religioſiores cæteris, hoc eſt, ſuperû cultus obſeruantiores, pientioréſque erga Deos, ac cæleſtium animorum numina videri poſſint.

A

Leue eſt, quod hoc loco à nobis adnotabitur, & tamen tanti, vt me id ipſum prætermittere pigeat potius, quàm pudeat adſcribere. Scribit itaque Tibullus ſub eiuſdem Elegiæ finem de ſubdola pellacia, ac blandidicis puellæ ſuæ periuriis, amantium more, per iuſtiſſimam indignationem expoſtulans:

B

Et ſi pérque ſuos fallax iurauit ocellos,
Iunonémque ſuam, pérque ſuam Venerem,
Nulla fides inerit.

meo quidem iudicio non ineptè: ſic tamen, vt, ſi optio mihi detur alterutrius deligendi, *Iurarit*, Modo me ſubiunctiuo legere haud cunctanter videar præoptaturus.

In Poëmate ad Meſſallam, haud placet ſanè, proinde vti nunc legitur, pars illa de Vlyſſis peregrinationibus apud Inferos narrationem continens huiuſmodi:

C

Vidit, vt inferno Plutoni ſubdita regna
Magna Deûm proles leuibus diſcurreret vmbris.

niſi fortè *Diſcurreret*, pro, In omnes partes diſcurſitaret, ac vmbraticum in morem volitando peruagaretur regna Plutoni ſubdita, acceperit Poëta. quomodò alibi etiam Q. Curtium elocutum videor obſeruaſſe: quo loco narrat:

Fama, vt ſolet, ſtrenuè totas vrbes diſcurrit.

Malim hoc modo tamen priorem verſum reſcribi:

D

Vidit, vt inferno Plutonis ſubdita regno, &c.

niſi cui, *Inferni*, adlubeſcat potius. vt, *Subdita*, non ad, *Regna*, quemadmodum prius, verùm ad, *Magna Deûm proles*, referatur. nihil tamen immutandum temerè.

Videamus, an & alteri Poëmatis eiuſdem verſui medicinam reperire queamus, vbi legitur:

Cùm memor accitos ſemper dolor admonet annos.

Ego certè non *Accitos* (quod nequam & nihili verbum eſt) ſed *Acciſos*. ſemper vſque adhuc legendum iudicaui, atque etiamnum iudico. qua Metaphora Horatius pariter ac Liuius vſi, *Res acciſas*, pro attritis ac comminutis dixere, & Latinorum Poëtarum Phœnix:

E

Acciſis coget dapibus conſumere menſas.

CAPVT XIII.

Elegans vocum congeminatio, in qua etiam Ouidium riualem ſibi repperit Tibullus. Pedibus in Aurati ac Scaligeri ſententias itum. Maroniani loci in Elegia ad Meſſallam caſtigatio: eãdémque Diuorum in ſedem priſtinam, vnde à fœminis ſuis iniuriâ depulſi fuerant, reductio. Meretrices Toga pulla à Matronis adulterij conuictis quæ Albatæ erant, diſcretæ. Quaſillariæ, ſeu Codicariæ inter ſpurciſſima familiæ probra, ac propudia habita antiquitus. Bina Tibulli Epigrammata explicita pariter, ac repurgata. Calor pro Febri.

NIHIL venuſtius, aut argutius, nihil denique Latinum magis Epigrammatiis illis, quæ & Sulpitiæ, & Cerinthi nomine à Tibullo edita circumferuntur. Atque vtinam pura ea, ac mera, & proinde vt à Poëta amatore vtrique & puero & puellæ illi, delitiolis ſuis, expenſa lata fuerunt, ad hãc ætatem perueniſſent. quod quoniam optare procliuius nobis, quàm ſperare eſt integrum, querimoniis nil profuturis pauſam faciam: eôdémque, quò initiò profectus intenderam, reuoluar. Scribit itaque inter cætera in laudem Sulpitiæ ſuæ ex Vertumni comparatione Tibullus:

Mille habet ornatus, mille decenter habet.

cuius verſiculi decentiam facetè imitatus Ouidius Pentametro conſimili:

Mœſta erat in vultu, mœſta decenter erat.

Habes ibidem:

Cui mollia caris
Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.

Dibapham deſignat, de qua & Martialis, ſcribens itidem:

Quod bis murice vellus inquinatum.

Conſule Plinium.

In Elegia porrò Iunoni Genitali inſcripta ita legitur:

Præcipit & natæ mater ſtudioſa, quod optat;
Illa aliud tacita iam ſua mente rogat.

Sua, repoſui pro *Sibi*, ex præſcripto Chirographi exemplaris, hoc eſt, αὐτόνομος, ac iuris iam ſui facta per ætatem, qua ex magiſterio matris exceſſit modò. neque ſecus eruditiſſimus Ioſ. Scaliger. Principium verò Hexametri ex decreto Aurati mei reſtituendum hoc modo:

Præcipiet nata, &c.

Ex Epigrammate porrò Sulpitiano ad Meſſallam ingenioſè, nec præter morem ſuum coniecturam duxit idem Scaliger, Tibullianam iſtã, magni illius Oratoris, Seruij Sulpitij filiam, à M. Valerio Meſſalla Coruino deamatam, atq; eiuſdem Poëtico, hoc eſt, Erotico præconio concelebratam potiſſimùm, Vergilij nobis auctoritate perſuaſit; ad eumpſe Heroëm illum directa in Proluſionibus Elegia, è qua hunc ab eo coniectore locum, ad Coruini amores comprobandos, argumento hercule non inani, in rem præſentem productum habemus:

Certatim ornabant omnes Heroida Diuæ,
Certatim Diua munere quæque ſuo.
Felicem ante alias tanto ſcriptore puellam.

Ingenioſè vtique, ac probabiliter. cæterùm, vt & ipſe ex hoc tanquam muſtaceo (quod aiunt) laureolam quæram mihi; prius adeò edico omnibus, probari neutiquam mihi cõgeminationem illam verbi, *Diuæ*. Quis enim bis idem Vergilium dicturum fuiſſe perſuadeat nobis? Quocircà pronunciare nullus dubitem, ſub prioris Hexametri finem, haud *Diuæ*, ſed *Diui*, patrem Poëtarum ſcriptitaſſe. atq; ita non *Diuas* omnes mo-

dò, verùm etiam *Diuos*, quantum est vspiam, munera ac dotes suas ambitiosè in Sulpitiam Messallæ amasiam, & quidem certatim congessisse intelligendum. idque ipsum haud dubitanter postulat, imò efflagitat sententiæ fides.

Scribit deinceps inter alia Sulpitianus iste Tibullus, vel Tibulliana potius Sulpitia ad Cerinthũ suum, cuius amores aliò porrò à se translatos questa fuerat anteà, & quidem (quod indignissimum videbatur) in leuitatis Togatæ, ac Codicariæ conditionis mancipium non nauci (Quo loco notandum, *Togam*, quæ vestis meretricibus, cæterisque adulterij damnatis propria erat, tacitè ab Sulpitia stolæ suæ matronali) Scri- B bit itaque, vt dixi, filia ista Seruij:

Solliciti sunt pro nobis, quibus illa dolori est,

hoc est, amici omnes, & beneuoli mihi, *quibus illa dolori est*, id est quibus mehercule ex animo dolet, *scortillum illud quasillo pressum* tibi in amoribus & delitiis esse, mirificè de nobis anxij sunt, ac soliciti; *Ne cedam ignoto maxima cura thoro*, (ita enim legendum Statiana quoque Editione confirmatur) hoc est, ne, quæ tanquam legitima coniunx, &(quod rei caput est) Seruij illius Sulpitij filia, maximæ curæ ac cordi meritò vtique esse debebam tibi, posthabear nunc ancillulæ vili, pellici- C que ignobili (hoc enim est, *Ignoto thoro*) herilibúsque pensis, ac iniquis quasillis ad robustum codicem adfixæ. quasi cum Petronio, *Quasillariam*, dicas. Apertam verò ironiam esse facile ex præcedentibus colligere licet.

Quod autem memorare occœperam, Matronas adulterij conuictas damnatásque, cõmunem cum ordine meretricio cultum habuisse; verum est: sed in hoc alterum etiam discrimen facere debui, quòd Matronæ à maritis ob stupri crimen repudiatæ, iure Stolæ deposito, Togam quidem ignominię causa accipiebant, sed eam tamen colore candido; vt hac quasi nota facilius internosci, D & excerni à scortis publicis, ac prosedis quadrantariis, siue halicarnis possent: quibus idem ius non erat. quippe quæ non Albatæ, proinde vt illæ, verùm Pullatæ esse, ac non nisi in Togis pullis prostare cogebantur. Auctor, vetus Horatij Commentator.

Epigramma porrò, quod sequitur, nescio, an credam ita scriptum fuisse. principium enim nõ placet. videtur tamen ex persona Sulpitiæ in morbo cubantis id ipsum Cerintho inscriptum esse. sanè perquàm bono sensu, atque etiam subarguto; si primum (vt dixi modò) Epigrammatis E versum excipias. siquidem reliqua satis bellè se habent, & inter se vtcunque aptè copulata videntur; si tamen hunc in morem rescribantur:

Ah, ego non aliter tristes euincere morbos
Optarim, quàm te si quoque velle putem.
Nam mihi quid prosit morbos euincere, si tu
Nostra potes læto pectore ferre mala?

hoc est: Quid mihi prosit pristinæ sanitati restitui, leuarique hac ægritudine, si tibi istũc lubẽtiæ est, & voluptati, me scilicet malè habere, incommodéq; affici? Vides hîc nihil à nobis variatum, præter dictiunculam, *Quid*, in penultimi versus exodio: cuius in locum, *Si*, reposuimus. itaq; sine vlla dubitatione legendum. Quid? quod confirmat hariolationem hanc nostram manuscripti exemplaris lectio. cuius mihi copiam fecit haud adeò nuper, vir non literis modò, sed & moribus antiquis ornatissimus, Iustus Lipsius.

Pænè præterieram immemor, quod Epigrammatis huiusdem initio monitum oportuit, *Calorem*, in Pentametro illo:

Qui mea nunc vexat corpora fessa calor:

haud proletario intellectu positum esse. Etenim, *Febris*, ex re nomini suo respondens, hoc est, æstuosa ac feruens notatur: quam significantissima *Caloris* appellatione insignibant veteres, Varronis sæculo non ignota. item Iuuenalis scribentis:

Sentire calorem
Si cœpit locuples Gallita & Paccius orbi.

Sed hoc Nouiano testimonio firmãdum, exemplo nos impartientis huiusmodi:

Febris, proprietatem habet à feritate morbi, vel mali, vt à calendo Calorem, vel Caldorem. Var. Andabatis: Aperiendam putat: idque alterum appellamus à calendo Calorem, alterum à Feruore Febrim.

Atque hic Epigrammatio huic finis esto. nam versus, qui ordine deinceps sequitur, & cuius initium est: *Ne tibi sim, mea lux, &c.* alterius esse Epigrammatis exordium videtur, eiusdem amatricis nomine ad Cerinthũ perscripti. Eum proinde (*quod felix, faustum, ac ratum siet*) à superioribus secludendum ac segregandum de ipsius Sulpitiæ sententia statuimus, atque decernimus in perpetuum porrò.

CAPVT XIV.

Priapæi Tibulliani declaratio. In eo quædam in melius (vt arbitror) restituta: sicuti & in Phallicis Vergilianis. Canis scæua. Celu annuum. Canus pelle tectus. Fossa item Specus, in obscœnus accepta. Amica bidens. Epigramma nostrum in Bassam. Situs araneosus. Aranearum cassibus pares mammæ. Concitare libidinem.

EXSTAT iocosum cum primis & facetum inter cætera, lepidissima illa quidem; sed mollicula plus satis, venáque (vt apparet) pruriente dictata, expuris & meris Iambis contextum Epigramma: quod nisi Tibullo à doctis passim adsignatum viderem, suspicionem cõmouere poterat mihi, à Veronense illo anteambulone eius potius, quàm à Poëta Romano hoc nostro lusum fuisse. Ita & lepores in eo & sales, numeriq; omnes Catulliani, haud adumbrati hercule, verùm ad viuum expresi penitus graphicéque elucent. Quid multis? pura puta Latina omnia, & quasi in melle sita. de verbis loquor. Etenim re ipsa nihil turpius, nihil flagitiosius. Quò magis in his ipsis explicandis temperare decretum est nobis, ne Catonibus theatro nostro interdicere, & Florales denuò instaurare velle videamur. Vna proinde, aut altera emendatiuncula contenti erimus: primum vbi legitur:

Placet Priape, qui sub arboris coma
Soles sacrum reuinctus pampino caput.
Ruber sedere cum rubente fascino:

credo esse querimoniam Poetæ cum Priapo, nõ

Priapo, de insolito ficulæ suæ languore, vel potius (cum Petronio dicam) neruorum paralysi iocosè expostulantis. quasi diceret: Quantum mutatus ab illo Hectore, qui corona pampinea caput redimitus, rubérque & valens cum indomito ac rubente fascino sub arborum vmbris sedere continenter es solitus! hoccine, ô Priape, placet, vel æquum videtur tibi, vt, quo propitio adeò vsque adhuc, atque ex libidine ipsius mea vsus sum semper, nunc, quum vel maximè vsus erat, partem mei, hoc est, rem communem indignissimè, alienissimóque tempore mollis, debilis, fractus repente desereres, ac destitueres, quasi caballus in cliuo? Hoc de te merui inquam, vt in primis ætatis fretis iuuenâti, senectæ, & quidem extremæ lassitudinê imponeres mihi? *At ô Priape, &c.* Obseruandum verò interrogationis notam post, τὸ *Fascino*, collocari debere. quin etiam, *Reuincte pampino caput*, non *Reuinctus* (vti nunc legitur) rescribi oportere arbitror. vt vocandi casus pro recto positus dicatur, id quod Poëtis insolens non est. simul, vt numerorum necessitatis ratio habeatur. cui sententiæ meæ Scaligerum quoque assertorem repertum gaudeo. nisi quis fortè, *Reuinctu' pampino*, extrita S. scribendum esse contendat, ídque antiquiorum Poëtarum exemplo maximè. Quod autem Tibullus dixit, *Priapum sub arboris coma, pampino caput reuinctum, solitum considere:* hoc eò spectat, quod idem eidem hortorum custodi, ac Præsidi, imò Præstiti (Latinè loqui me scito) in Elegis suis exoptauerat antea:

Sic vmbrosa tibi contingant tecta, Priape,
Ne capiti soles, ne noceánt ve niues.

Et in Carmine libero nescio quis bonus Poëta, vir fortasse non item:

Parum est, misellus fixerim quòd hic sedem,
Agente terra per caniculam rimas,
Siticulosam sustinens die æstatem?

(*Die*, addidit. id enim temporis maximè & solis & cæli feruores molesti sub dio agentibus)

Parum, quod imos perluunt sinus imbres,
Et in capillos grandines cadunt nostros,
Rigétque dura barba vincta crystallo.

Scio hæc ipsa longè aliter in impressis Codicibus legi. ego tamen scripturam, proinde à me vt emendata est, malui repræsentare.

Sequitur haud multò post in Phallicis Tibulli, ex magni illius Scaligeri castigatione, aduersus Deum istum ficulneum comminantis deuotio:

Iacebis inter arua squallidus situ,
Canísque sæua, súsque ligneo tibi
Lutosus adfricabit oblitum latus.

Placet correctio, hac tamen lege, vt in locum, τὸ *Sæua*, *Scæua* inducatur; interpretatione à Paulo petita, ita apud Festum verbum istud definiente: *Scæua res dicitur, mala quasi sinistra. σκαιὸς enim Græcè sinistrum dicitur.*

Huc adde, quæ de *Canina Scæua* tam apud Plautũ, quàm Varronem lectitantur. Bene autem Epithetum, *Ligneo*, Priapo accommodat, quippe qui de ficu ferè, vlmo, aut populo, agresti falce dolatus spectaretur. vel certè μεταφορικῶς accipiundum, quomodò Catulli illud:

A *Et cum coniuge lignea parentis.*

de ea quæ corpus exsuccum penitus, imò laternæ cornu siccius, aut si quid magis aridum est, haberet.

De nouissimo porrò Senario, veniam peto pudentem, cum leui commutatione in hunc modum rescribere vt liceat mihi:

Luto suo adfricabit oblitum latus.

Legitur deinde haud multò pòst:

Bidens amica Romuli senis meror
Paratur, inter atra cuius inguina,
Vacuáque pelle tectus inguinum gelu
Araneosus obsidet fores situs.

B Rectè, & sincerè omnia, tertio versu excepto, cuius pes prior, in fraudem legis Iambicæ, vna syllaba redundante vacillat. cui vitio tametsi mederi haud facile est, manuscriptis præsertim exẽplaribus destituto, at certè leuare id ipsum pro virili. conabor tamen. Rescribo igitur:

Cauáque pelle tecta, & annuo gelu, &c.

(*Annuo*, enim est in Editione Colinæi, non, *Inguinum*) vel sic:

Canúmque pelle tectum, & annuo gelu.

vt, *Canum*, μεταφορικῶς partem eam in fœminis appellet, quæ honestè nominari non potest, non magis vtique, quàm nobilissimus ille fidicen, C qui Socratem fidibus docuit, quem *Connum* vocitatum perhibet Cicero. qua ratione mox etiam, *Specus*, & *Fossa*, in hoc ipso Carmine vsurpata leguntur.

Ludit verò nos Tibullus, quum, *Bidentem amicam*, vocitat, non quæ duos (id quod de ouibus dici solet) annos haberet modò, sed quæ binos non amplius dentes in mortariolis, hoc est, in exarmatis ploxemi veteris gingiuis superstites retinuisset sibi. cui non nimium absimilis iocus ille noster in quandam vetustate edentulam à puero olim funditatus huiusmodi tetrasticho:

Tres tibi quum toto dentes modò, Bassa, supersint
Ore, quibus miseram tundis adhuc Cererem:
D *Iurè perurbano placuit sibi scommate, qui te,*
Bassa, Tridentiferum dixit habere caput.

Festiue quoque eius barathri *fores araneosum situm obsidere* cauillatur. quo loquendi genere vsus & Catullus, vbi inquit:

Vel pene languido senis, sitúque araneoso.

Eòdem referri etiam poterit non incommode Martialis illud:

Et aranearum cassibus pares mammas.

Restituo deinceps eodem in Poëmatio:

Sed ille quum redibit aureus puer,
Simul sonante senseris iter pede,
Repente neruus excitet libidinem.

E pro quod vniuersis Editionibus nostris vulgò legitur:

Repente neruos excitet libidine.

contra legem, & rationes omnes Iambicorum versuum, qui quidem sint ad istam faciem, hoc est, & sinceri & puri. Vsurpauit eundem dicendi modum Petronius. verbi causa:

Quædam enim fœminæ sordibus calent, nec libidinem concitant, nisi aut seruos viderint, aut statores altius cinctos.

CAPVT XV.

Variarum, ac discrepantium Lectionum Strnices, ex ordine Elegiarum Tibulli, acervatim & quasi per Satyram congestæ, ac reconcinnatæ ex fide librorum veterum.

ITA *est. natum hercule* neminem pluris, quàm Lipsium facio; nec quicum plura sunt mihi, quæ ego velim. etsi iure id quidem. enim mutuum facere me scio. Quid multis? non sodalem, sed thesaurum boni reperisse videor mihi, nactus Semonem cum eiusmodi virtutibus; & penes quem doctrinarum ac Lepórum omnium quasi Rudem esse, ne Scaligerum quidem ipsum inficias iturum autumo. neque adeò ius est. Dî Immortales, quid huic iudicij acrimoniæ aut Persius ille Lucillianus habuit, aut ipse M. Terentius simile? Quid contra hunc Censoria Aristarchi virgula, quid ipsius Momi curiositas posset. Absit à dictorum nostrorum simplicitate insidiosus aucupator Fascinus: sed verò, dic sodes obsecro, bona fide, mi Lector:

Vidistíne vnquam magis æquiparabile quicquam
Calvus, & Crispus, & veterum Genio?
Quid? nónne in scriptis etiam mens Lipsia spirat,
Enitet & culti pectoris eloquium?
Aut si viua tibi vox vsurpata docentis,
Audistine aliquid suauius, aut melius?
Haud puto; nec fieri posse, vt simile auribus vnquam
Vsurpes, nedum suauius, aut melius.
Non, si Calliopæ ipsius; non si tibi cælo
Copia demissi Mercurij eueniat.
Vt graphicè, vt viuo dicta omnia sparsa Lepore:
Attica vt è Belgis mella fluunt labiis?
Mella, quibus, Latia lingua si quando loquatur,
Suada, quibúsque vti Iuppiter ipsius amet.
De quibus argutum meritò illud dicere possis:
Aut docuit voces has Venus, aut didicit.

Et hæ quidem virtutes in illustri positæ, imò in ore omnium Europæ gentium.

Testis ego, testis consensus publicus, & vos
Mnemosynes quotquot ad Genium sapitis;
Doctrina, aut Veneris sensus quicúnque vetusta,
Romanique salis gustus inest aliquis.

Quò magis in his ipsis prædicandis temperare decretum est nobis, ne rem facere ridiculam, ac lumen Phœbo commodare velle videamur.

Illa mihi grato potius celebrentur honore,
Priuata inque vsu cognita mi assiduo:
Auribus, atque oculis, & sensibus vsurpare,
Copia, quæ (vt lubitum) quotidiana mihi est:

suauissima sermonis videlicet, imò interiorum literarum communicatio, comitas, integritas, fides: & (quod familiam ducit) animus apertus, ac liber, neque inuidiæ, neque ambitioni obnoxius. prorsus; Ennianam ad formulam,

Et cuius omnes oppidò ad venustatem,
(Vt Plautissare perpetrem solens porrò)
Gensúmque prisci sæculi, valent mores.

Nouo scribendi genere vti capior, vel antiquo potius; id quod norunt ij, quibus aut cum Varronis, aut Petronij Satyris vnquam antehac negotium fuit. vt iam vel ex hoc homines porrò

A intelligant, me orationi admoderari non posse, quoties de Lipsio meo aut scribo, aut loquor.

Sic etiam iniussæ subeunt in carmina Musæ,
Míque adeò inuito se insinuant numeri;
Innumerus mixti numeri Quo Musica nobis
Labra? frui Lipsi mî satis est Genio.

Nunc ad institutum recurro. Is igitur, quem prædico, & in cuius mentione nostra omnis exsultat oratio; quum me totum in Tibullo; & quasi deditum animaduerteret: Næ tu (inquit) mi Doûsa, nimis stultè amicis vteris tandem. Quid iam? inquio. Quia enim vetus verbum B oblitus videris mihi. Quodnam istuc? inquam ego. Peruolgatum illud, & quod etiamnum pueri sciunt, κοινὰ φίλων, inquit, atque eo nomine irasci me scito tibi, & quidem non mediocri iracundia, sed eapse illa, qua mactare condidici eos, quibus vtor omnium familiarissimè. Quid mali verò ex re tua sum commeritus? inquam ego. at ille, capite leniter succusso, quasi commotior: Inscite, etiam loqueris? & nescis, quàm magnum flagitium admisisti? Vah, quum Tibullus in manibus sit tibi, nónne hoc ipsum tempori denunciare oportuit mihi, ita te quidem qui sis familiaris? Atqui iure adeò vti te C tuo, imò etiam imperare decebat mihi, vt si quid fortè in eum Poëtam meditatum haberem, aut prouisum iam olim, eius verò copiam scilicet vt facerem tibi, vtique in partem, proinde vt inter amicos est æquum. Facile (inquam) est imperium in bonos: &; Nunquid moror? vbi vltrò præsertim itur ad me. Itaque & verecundiæ nostræ ignoscas volo, & si quid ex parte mea hac in parte titubatum est prius, rogo quæsóque, vt culpam me porrò emendare permittas. At ille quàm benigne! Ego verò, ac lubens, inquit, sed hisce legibus tamen, vt Tibullum hunc nostrum in fidem recipias tuam; quò videas scilicet, an vsui porrò tibi esse possint hæ D Notulæ, quibus Lectionum in Poëta illo varietates, iam tum quum in media Quirini Vrbe, ac deploratis prisci illius Latij parietinis versarer, ex antiqua membranaceorum Codicum fide, curiosè mea manu exceptas, excerptásque, singulis paginularum oris prætexui. Placuit conditio, præsertim ferentaria. Itaque abs Lipsio meo pulcrè atque opiparè prædatus, atque ex sententia vtriusque nostrûm id temporis onustus discessi. ac mox domum reuorsus discrimina scripturarum omnia, singulásque pugnantium sententiarum dissimilitudines in meum ipsius Codicem transcripsi; atque inde bellissimum E quodque decerptum in hoc porrò, atque in proximum Caput. Sunt verò hæc ipsa, iure quasi Adoptionis Præcidaneis nostris inserenda, ordine Tibulliano seruato, & quidem ad hoc exemplum.

Eleg. II. libri I.

Non, vt totus abesset amor, sed mutuus esset
Orabam. In manuscriptis erat:
Non ego, totus abesset amor.

quam lectionem ab ipsissimo Tibullo esse liquidò persuasum est mihi, vt Aduerbium subaudiatur. antiquum in morem.

Eleg. III.

Abstineas auidas mors precor atra manus.
Abstineas mors atra precor.

Elegans earundem vocum iteratarum collisio. neque audiendi Codices membranacei, in quibus, *Mors violenta*, priore versiculo à librariolis suppositum circumfertur: quasi glossema Epitheti illius Poëtici, *Atra* dico.

Eleg. eadem.

Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.

Placet manuscripti exemplaris lectio, quam his notis conceptam fuisse, à Lipsio etiam satis acceptum est mihi:

Fac lapis his scriptus stet super ossa notis.

Eleg. VI.

Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.

Ex opinione veterum, qui elucificari, cæcarique credebant eos, quicunque mystica Deorum sacra, & quasi religionum arcana oculis profanis temerè vsurpassent.

Eleg. IIX.

Ansisque compressos colligat arta pedes.

Manss. *Ansaque comprensos colligit arte pedes.*
quæ lectio nihilo hercule altera illa communi deterior; quod quidem ad collectionem istam pedum attinet. hoc enim & astrictum & compressius quiddam præ se ferre videtur: quanquam in recessu tamen, quomodo & à Silio Italico hoc verbum acceptum in Notis nostris Horatianis docuimus nuper, versu illo: *Et castigatæ collecta modestia frontis.* item à Propertio: *Parcis, & in tenues humilem te colligis vmbras.* In cæteris nouitatis amans non sum, & cum impressis libris potius, quàm calamo exaratis sentire stat sententia.

Eleg. eadem.

Cantus vicinis messes (ita v.c,) *traducit ab agris,*
Cantus & iratæ detinet anguis iter.

Non possum non vehementer hoc loco Lipsij mei coniecturam amplecti, rescribentis:

Cantus & irati detinet amnis iter.

Irati, id est, iritati, concitatique, plenóque ac effuso ruentis agmine. Eandem efficaciam arti magicæ inesse iam anteà etiam persuaserat sibi, quo loco scripsit:

Fluminis hæc rapidi vertere possit iter.

Eleg. IX.

Non tibi, sed iuueni cuidam vult bella videri,
Deuoueat pro quo rémque, domúmque tuam.

Lipsius emendat: *Téque, domúmque tuam:* ex Propertio, scribente.

Improba, qui tulerim téque tuámque domum.

Et verò faueo coniecturæ isti, méque oraculi eius quasi Interpretem repertum gaudeo, gratulórque meritò mihi. vt *Domus* pro gente scilicet, & familia accipiatur, quomodò etiam scriptum à Catullo fuerat prius:

Quàm te cum tota gente, Catulle, tua.

aut certè mariti ædes intelligendæ, in quas sponsa primùm ex more deducta fuerat iam olim. vnde locutio illa Plauto, Terentio, aliis de meliore nota scriptoribus vsitatissima, *Vxorem domum ducere*, pro, *Nuptias facere*, & quod nos, *Ducere*, simpliciter dictitamus. Quanquam &, *Rem*, retinere non insulsè possit, atque ad senile retritum mariti (quo de loquitur) rutabulum A ambiguè accommodari; & quod Petronius ait, *Lorum in aqua.* Quis enim nescit partes eas, quêis viri eluimus, per *Res, Vasa, ac Peculiũ* honesta circuitione effatas atque enunciatas antiquitus: sed &, naturam seculi (vt cum Lucretio loquar) sequioris, id est, muliebris. Martial. ad vxorem solœcissantem:

Parce tuis igitur dare mascula nomina rebus, &c.

Eleg. X.

Tunc mihi vita foret: vulgi nec tristia nossem
Arma, nec audissem corde tremente tubam.

Tremente, à glossa est, atque inde porrò in contextum, virtute ac comitate imperitiæ, traductum potissimum. pro, quod in optimæ notæ B exemplaribus probè ac planè perscriptum exstat: *Micante.* Neque aliter Virgilius, quasi ipsius sese explicans,

Micat auribus, & tremit artus.

Item Ouid. haud semel; verbi causa: *Córque timore micat.* hoc est, artem ludicram, & quasi histrioniam facere occœptat, atque in ipsum pectus emicare, vt loquitur Plautus.

Eleg. eadem.

At nobis arata, Lares, depellite tela.

*

Hostiáque è plena rustica porcus hara.

Nullum lacunæ vestigium in libris chirographis apparere hoc loco, commoniti iampridem C à Tibulli enarratoribus sumus. quod quidem nunc hercule primulùm verisimile fit mihi; postquam Lipsij mei munificentia tandem huius, quam subiungam, à veteri Codice Lectionis certior sum factus:

Hostia erit plena mystica porcus hara.
Hunc pura cum veste sequar, &c.

qua cohærentia iam inde ab Hexametro illo superiore, perperam istinc diuulso, dispulsóque; nihil vtique pro re nata aptius, aut concinnius. Dubito tamen, ne Tibullus scripserit potius:

Hostia erit plenæ mystica porcus haræ.

Sed erro: *Plena* enim *hara*, est, si hara plena fue- D rit mihi, vberique suilli pecoris fœtu Lares Grundules cultorem suum ex sententia compotiuerint propitij.

In eodem exemplari: *Et Stygiæ nauita pullus aquæ;* non, *Puppis aquæ*, lectitabatur. Sed &:

Duxit aratores sub iuga panda boues,

non, *Araturos*, vti est in nostris. quæ scriptura, meo quidem animo, præ Lipsiana illa, quam proposui modò, *pithecium est, & spinturnicium*, vti inquit Plautus. Quid? quod ab vtroque nostrum etiam Ouidius facit, I. Fastorum narrans:

Cedebat taurus arator equo.

E Eleg. eadem.

Rusticus è lucóque vehit male sobrius ipso
Vxorem plaustro, progeniémque domum.

Vet. C. non, *Ipso*, sed, *Vno*, referebat. quod si cui probetur, vnitatem istam *Plaustro*, non *Luco*, accommodandam meminerit sibi. Sed quoniam hoc iam Caput longius etiam iusto excreuit, priórque Tibulli liber ad exodium adductus est tandem reliqua quæ restant, cum Dîs volentibus, in proximum porrò Capitellum reiiciemus.

Capvt xvi.

Variarum in Tibullo Lectionum pars altera, ad posteriores eius Elegiarum tres libros pertinens, ex manuscripta eorundem Codicum auctoritate.

Eleg. i.

Euentura precor. viden' vt felicibus extis, &c.

Vet. Cod. *Cœlestibus extis.* Idem porrò

Exiguam viridi fronde operire casam.

pro *Domum*, quod in impressis vulgò lectitatur. Etiam, *Insita*, non *Consita*, legitur in eodem exemplari, illo versu:

Tunc victus abiere feri, tunc consita pomus.

Eadem Elegia sub finem:

Et procul ardentes hinc precor abde faces.

pro quo in manuscriptis erat: *Hunc procul abde faces.* neque aliena nimium huic loco eiusmodi iteratio, etiam Scaligeri ipsius calculo comprobata.

Eleg. ii.

En age quid cessas? annuit ille; roga.

Annuet, habent membranæ veteres.

Eleg. iii.

Rura tenens Cornute meam, villaque puellam.

Transposita hæc in manuscripto, ad hoc exemplum:

Rura meam Cornute tenent.

Eadem Elegia, de Phœbo per amorem bubulcitante:

Ipse Deus solitus stabulis expellere vaccas,
Et potum pastas ducere fluminibus.

Mirè hîc turbant antiqua exemplaria. in aliis enim *Fessas*, pro *Pastas*: in aliis contrà totus iste Pentameter interpolatus legitur ad hanc faciem:

Creditur ad mulctram constituisse pecus.

Eadem:

At tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo.

In veteri exemplo est: *Imperat, vt nostra, &c.* quo quidem loco ego, *Vt*, pro *Vtinam* positum accipio, loquendi ritu priscis illis non insolito. qua de re, Charisium, qui volet, consulito. Eadem:

Eheu, diuitibus video gaudere puellas.

In eodem libro disertim, *Hei mihi, diuitibus*, legebatur. Elegia eadem etiam:

Ah pereant artes, & mollia iura colendi,

*

O vtinam veteri peragrantes more puellæ
Horrida villosa corpora veste tegant.

Mira hoc loco veterum librorum titubantia. ego autem, omissis controuersarum Lectionum sententiis, eam, quam in Lipsiano Codice offendi, proponam potissimum. in quo hemistichium Pentametri, quod antecesserat, sequentis versus principium constituebat, priore Hexametro inducto, ac disticho singulari in tetrametri imperfecti locum succidaneo subdito, in hanc speciem:

Si fas est, mos precor ille redi.
Mos precor ille redi, patientes rursus, vt olim
Horrida villosa corpora veste tegant.

Vbi, *Patientes*, singulari notione accipiundum

A videtur, atque eapse illa, qua ab Horatio in Satyris scriptum:

Quid te iuuat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem viuere dorso?

Vide nuperum in eum Poëtam Commentariolum nostrum.

Eiusdem Elegiæ distichon porrò nouissimum aliquanto aliter in Veteribus Membranis distinctum legitur, videlicet cum istiusmodi interpunctione:

Ducite ad imperium domina: sulcabimus agros.

Eleg. iv.

Heu quicunque dedit formam cælestis auaræ,

B *Quicunque cœlestis*, id est, quicunque Deus tandem; seu, quisquis fuit ille Deorum, qui largitus est formam, &c. Sic & prius: *Parcite cœlestes* id est, cælites.

Quale bonum multis attulit ille malis?

Vet. liber: *Abdidit*, vnde suspicio est restituendum forsitan, *Addidit*, pro *Attulit*.

Eadem:

Nec qui det maestas munus in exequias.

In eodem manusc. *Manibus exequias.*

Eleg. vi.

Hic magna nam locus Vrbis erit.

Melius, *Iam*: atque ita erat in manuscripto.

Item:

C *Quásque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes*
Portarit. pro, quod publicatum est:
Quásque Albana sacras Tiberis, &c.

Eleg. iii. Libri iii.

Audiat auersa non meus aure Deus.

Aduersa, erat in vetustis membranis. Porrò, *Non meus Deus*, sic dictum, quomodo Horatianum illud:

Ventis iturus non suis.

Eleg. iv.

At natum in curas hominum genus.

V. C. refert: *At vanum in curas.*

Eleg. eadem:

Edidit hæc tristi dulcia verba modo.

D Idem manusc. *Edidit hæc dulci.* Cæterùm mihi edita plus placet lectio, vt ad tristitiam Carminis, quod genus ex ipso nomine Elegi præ cæteris cluunt, referatur.

In eodem legebatur:

Tu modò cum multa brachia tende prece.

Pro quo in nostris est: *Fide.* atque aliquanto fortasse rectius, vt quidem nos commonstrauimus anteà.

In eodem Codice hæc lectio repræsentabatur:

Felix ergo album desine velle virum,

non, *Felix hoc.* Ego verò aliam scripturam velle

E desino, quàm quæ vsque adhuc in libris obtinuit nostris, omnium Editionum consensu corroboratam. in quo Scaligero nostro assentior, *Felix hoc*, ad veterem illam bene ominandi Formulam, ac sollennem acclamationis in contrahendis Sponsalibus ritum felicissimè accommodanti.

Eleg. v.

Nec nos insana meditantes iurgia lingua,

In iisdem Membranis, *Mentis*, habebatur, planè & probè exaratum. vnde Lipsio nostro visum est emendare:

Nec nos insana meditantes iurgia mente.

Ibidem:

Viuite felices, memores & viuite nostri.

Vet. lib. *Memores sed viuite nostri.*

In eodem proximæ Elegiæ principium, transposito Aduerbio, hoc modo interpunctum visitabatur:

Candide Liber ades. sic sit tibi mystica vitis
Semper: sic hedera cornua vincta geras.

Et mox: *Ille facit mites animos Deus*, non *Dites.* quod tamen ego multò potius mauelim, si quidem optio ex animi mei sententia eueniat mihi. adiuuátque in partem opinionem meam Horatius haud semel.

Legitur sub eiusdem Elegiæ exodium in manusc. Cod.

Iampridem Syrio madefactus tempora nardo.

quod placet, præ vulgato illo, *Tyrio.* Odores enim laudatissimi, *& omnis copia narium* (vti Horatius loquitur) è Syria. qui etiam, *Assyria nardi.* item *Syræ mercis*, commeminit alibi, quum vnguenta intelligi vellet, puta, *Malobathrum*, aut, oliuum etiam, (de quo festiua apud Catullum mentio) è Syria quotannis mari illo Longo & Magno Romam aduehi solitum.

Poëmate ad Messallam:

Quisque tibi maiora gerit castrisue, foróue.

Emenda ex fide scripti codicis:

Nec quisquam maiora gerit.

In eodem libro hi versus hoc exemplo distincti visebantur:

Cunctáque veraci capite annuit: additus aris
Lætior eluxit structos super ignis aceruos.

Eodem in Carmine:

Languida non noster peragit labor otia.

Abest à chirographis membranis particula Negatiua, cuius vicem explet Coniunctio causalis, hoc modo:

Languida nam noster, &c. idque verum puto. & faciunt à me ea quæ à Poëta ex ordine subiunguntur deinceps.

Elegia ad Martem:

Illum quicquid agit, quoquò vestigia mouit.

Vet. Cod. *Flectit*, habet. Idem Elegia ad Phœbū:

Effice neu macies, pro, *Ne.*

Eleg. ad Cerinthum:

Alme Geni, cape vota libens, in eodem chirographo lectitatur, pro, quod nostræ Editiones obtinent: *Mane Geni.*

Ibidem:

Sis iuueni grata, adueniet cùm proximus annus,
Hic idem votis iam vetus adsit amor.

Non optima hæc cohærentia: & concinnius liber scriptus, in quo liquidò exaratum comparet:

Sit iuueni grata; ac, veniet cùm proximus annus,

Etiam in Epigrammate ex persona Sulpitiæ, antiquam libri membranacei scripturam amplector oculitus, hac forma conceptam:

Tandem venit amor, qualem texisse pudore,
Quam nudasse alicui sit mihi fama prior.

Epigrammate ad Messallam:

Arbitrio quamuis non finis esse meo.

Vet. Cod. pro *Quamuis, Quoniam*, ostentat. Et mox Epigrammatio proximo sequenti:

A *Natali Romæ non finis esse tuo.*

pro quo in libris nostris visitur: *non finit esse suo.*

Atque hæc è Lipsiano (vt dixi) Tibullo transcripta nobis. cuius priuati beneficij etiam in commune participem esse volui Lectorem meum: ne quod mihi ab amico euenisset boni, aliis inuidere omnibus, ac mihi soli intus porrò (quod aiunt) canere viderer scilicet.

CAPVT XVII.

Multo aliquem sermone celebrare. Loci Tibulliani de Ouidij sententia restitutio. Octo Lucillianæ Satyræ B *Fragmenta haud explicata solùm, aut correcta, verùm etiam apta verum verborúmque compage in vnum quasi Centonem coacta, ac conciliata sibi. Inducere in amorem. Amare, pro obsecrare, seu valdè orare. Delicare labra. Delenire amore. Insultura in caput. Natrix capitata. Comedere aliquem, totúmque commanducari Lucretiano interpretamento illustratum. Comitas, Benignitas in vitio, & pro prolunio, id est, Largitate infami, seu prodigentia posita. Eam in rem testimonium Planto denunciatum.*

ANTIQVARIVM Tibullum esse, nisi iampridem hercule Poëtę eius amatoribus persuasum scirem, pluribus mihi differendum pu- C tarem. nunc opellam hanc qualemcunque perdere nolo, satiúsque duco, promulside prætermissa, ab ipso cœnæ capite, asso puta vitulino committere hos ludos, fame etiamdum integra: quàm prima statim gustatione, hoc est, cumulatis ouorum struicibus ad satietatem dare simpulones meos. Compendium proinde antecœnæ facturus, ferculum quoddam Tibullianum in mensam apponere occupabo, quod publici saporis non esse, neque adeò ad vulgi gustum, ne ipsi quidem Antiquarij, opinor, inficias ibunt. Id subministratum nobis ex Elegia VI. li- D bri I. versu illo:

Neu iuuenes celebret multo sermone, caueto.

Postea quàm enim incauto, atque indiligenti nescio cui, certè curruccæ verius, quàm viro, peramicè aurem vellisset, atque adeò ex parte sua commonuisset sedulò, operam obseruationi curiosius dare porrò vti insisteret tandem; ne maritæ communi, elusa custodum vigilantia, foras amplius quasi catillatum proficisci, furtúmque viro suo facere de more potestas esset scilicet, subiicit deinceps:

Me quoque seruato, peccet vt illa nihil.

quasi diceret: Quod si amationis nostræ societas suspecta fors fuat tibi, causam haud dico, quin me apud te quoque domi asseruari iubeas tuæ, E paratum vltrò ipsum me vel mancupio dare tibi, dummodò cum tua. Ridiculè, imò hercule nequiter nimis. quid enim aliud quæso fuerit istud, quàm *Lupo* (quod aiunt) *ouem committere*? vel (quod non minus Plautissat) *Agninis lactibus canem alligare fugitiuam*? Atque hæc & homini amatori, & Poëtæ tamen condonanda: Clausulam verò illam velle quid dicam sibi? *Peccet vt illa nihil.* an Tibullum præstare scilicet, Deliam à se pudicam fore, nihilque adeò humanum, aut muliebre passuram? Minimè verò; & pugnat

ſententia iſta cum argumento totius Elegiæ. Sed corrigenda haud dubiè ex Ouidio, inter alia huiuſdem loci exempla, etiam hunc verſiculum in rem ſuam producente; ac pro, *Nihil*, *Minus* repræſentante, hoc modo:

Me quoque ſeruato, peccet vt illa minus.

cuius Ouidianæ ſcripturæ hæc erit ſententia: En paratum me, Deliam tuam (quamdiu quidem ſeorſum cum illa, vnúmque ac eundem in locum concluſus fuere) ſartam tectam, id eſt, caſtam & integellam præſtare tibi; non quidem à memet ipſo (ne fruſtrà ſies) ſed verò à reliquis iſtis riualibus meis, cuculis tuis; quos ego omnes vno hoc quaſi ictu expoſitos, miſeréque eliminatos in poſterum, arcebo ab ingreſſu facillimè: quippe oculos meos in Deliæ tuæ oculis habiturus aſſiduò, neque vel vnguem (quod dicitur) latum ab hortuli eius cuſtodia receſſurus. Id ita futurum (vt dico) quamuis audacter meo periculo ſpondeo; faxóque, vt poſt hunc diem, præterquam memet (quem vnũ excipio, vt puto pudenter) amorum communium exercitorem, ſubſeſſorémque matrimonij tui, quaſi partiarium, alium porrò habiturus ſis neminem. Illa autem eam in rem multò firmior ac circumſpectior cautio, qua eidem commarito conſuadet ſuo:

Neu iuuenes celebret multo ſermone.

hoc eſt, ne cum tauris (vt apud Flaccum eſt) iunioribus neque ioco, neque ſerio ſermonem longiorem ſerat, aut copulet, quàm neceſſe eſt probæ, *Celebrare*, igitur hoc loco aliud non erit, quàm Colere, ſeu frequentare, id eſt, vſurpare crebrò, ac velut glutino quodàm attractos ad ſe retinere amatores,

Bene (puta) *ſalutando, compellando blanditer,*
Oſculando oratione vinula venuſtula:

ſicuti docet Comicus: atque ita quodammodò alimenta præbere prauis catulientium cupiditatibus, formoſæ vt conſueuere. quomodò & apud Nonium in verſu Lucillij vocabulum illud accipiendum haud incallidè videor deprehendiſſe. Sic enim inibi:

Multis inductis ſermonibus concelebrarunt.

cui hoc gloſſema præmiſſum legitur:

Concelebrare, diu amare, dictum à celebritate.

Quæ explicatio ſi quidem ab antiquis eſt, (vti ipſus ſanè eſſe non dubito) incredibile eſt, quàm luculentam hariolationibus noſtris alluxerit facem; neque ad Tibullianum hoc dicendi genus illuminandum modò, verùm etiam ad ſcalmos aliquot Lucilliani naufragij (qui apud Grammaticum eundem miſerrimus modis diſpulſi, diuulſique, octo amplius locis viſuntur) columbaribus ſuis redditos, nouo quaſi ferrumine coagmentandos: quod an proſperè ſub manus ſit ſucceſſurum, equidem vehementer dubito. ego tamen, tanquam ex ſententia euenturum, capiam experimentum. Id autem commodius quò fiat, numero plurali in ſingularem commutato opus eſt nobis: vt ad hoc porro exemplum Cento iſte Satyricus ſic quaſi per Satyram conſuatur:

Phryne nobilis illa, vbi amatorem improbius quem
Multis inductum ſermonibus concelebrauit,
A *Quid dare, quid ſumti facere, ac præbere potiſſit,*
Præſeruit, labra delicat, hinc delenit amore.
Aſſequitur nec opinantem, in caput inſilit, ipſum
Commanducatur totum complexa, comeſtque.
Si verò das, quod rogat, & ſi ſuggeris ſuppum,
Magna penus paruo ſpatio conſumta peribit.
Omnia viſcatis manibus leget, omnia ſumet:
Crede mihi, preſsè auferet omnia.

Fateor nonnulla in his aliter, atque apud Nonium lectitantur in exemplum producta. ſed tamen clementer omnia; nec præter morem Correctorum. Et ratio in promtu. Quid enim graB ue, ſi pro, *Inductis*, *Inductum*, repoſuimus, pugnantium inter ſe Lectionum ſententiis adducti maximè? quarum aliæ, *Inde locis*, aliæ *Inclutis*, nobis ob oculos adducebant; vtrumque nihil ad indolem facetiarum Phrynes. Quod autem nos reſtitutum ſubdidimus, etiam principium nobis Elegiæ huius in memoriam reducit, vbi cum Amore pellaces eius Dei inſidias expoſtulat Tibullus, inſtituta hunc in morem querimonia ſua:

Semper vt inducar, blandos offers mihi vultus.

Inducere enim antiquis, *Illicere in fraudem*, *& præmium*, delinimentiſque ac illecebris quibuſdam C pertrahere ad ſe, & quaſi excantare,

Blandimentis, ornamentis cæteris meretriciis:

id quod notum ex Plauto. Vnde & Catull.

Inducens in amorem, &c.

De verbo verò *Concelebrare*, vt in totum Marcello aſſentiar, necdum à me ipſus potui impetrare. niſi tamen, *Diu amare*, apud illum, pro Amanter rogare, vel potius precibúſque ac ſuppliciis exambire, & quaſi *Exobſecrare*, poſitum autumemus. antiquè, atque adeò Plautinum in morem, quo ille in Menechmis vſus, & quidem planiſſimè:

Menechme, amare ait te multùm Erotium,
Vt hoc nunc vna opera ad aurificem deferas.

D Vt *Concelebrauit*, pro diu, ac multis delenificis dictis factiſque amatorem obnoxium reddidit ſibi, aſſiduiſque exorabulis animum ipſius ſenſim labefactatum vſque eò eſt aurigata, quoad in quæſtione electauerit, quaſi exterebrans peſſima;

Quid dare, quid ſumti facere, ac præbere potiſſit.

nota meretricum arte; apud quas pluris eſt manubiarius, ſeu Ferentarius amicus vnus, quàm conſiliarij decem. Atque hæc votorum ſumma. nam cætera ἰδὺ σοις τ' ἄλογα. Quæ quidem eiuſmodi datorem probum ſemel nactæ quum fuerint, quid aliud reſtat porrò, niſi vt, quanE tum poteſt, miſellum illum, & cuius animus, vbi amat, affixus eſt clauo Cupidinis pluſquàm trabali; viſco mero, hoc eſt, blanditiis amatoriis, præſeruiendo ſcilicet, atque omnibus modis, qui quidem morigeri ſint (aſſiduò, an accubuo?) obſequelam faciundo, deleniendo te voluptatum, labiiſque inter diſſuauiandum valgiter & quaſi columbatim conſerendis, hiulcandiſque, hoc enim, *Delicare*, eſt, vel ipſo Marcello interprete) prorſus; omnia, imò nihil reliquum faciundo, in plagas multò validiſſimas præcipitem coniectum, pedicíſque ac manicis; adde laqueis, & quidem lentiſſimis irretitum; haud

viuum à ſe porrò Pacchæ illæ dimittant prius, A quàm & vaſis,& marſupio omni exenteratis peniſſimè,euertem, expeculiatum, emedullatum denique ne dicam articulatim conciſum ad incitas demum,ac mendicitatis terminos Penthea ſuum redegerint peſſimæ: eique homini nænia de bonis dicta fuerit. *Delicare*, ergò vnicè hic ſuo fuerit loco,vt ad τὰ γλαφισμα teratur, gypſatiſſimum Dionæi aucupij genus; neque mediusfidius vel Iunianæ,vel etiam Turnebicæ ſententiæ poſtponendum;quorum alter:*Præſternit labra delitiis*,alter,*Labra delingit*, maluit reſcribillare.

Etiam, *Delenit amore*, pro *Delinit*, in Lucilij verſu emendandum auguror. quod à *Delenire*, B deductum placet,verbum Plauto,& antiquioribus illis multò celebratiſſimum. vnde &,*Delenifica facta*, apud eundem; item, *Delenificum ingenium mulierum*, apud Turpilium. cuius Simplex eſt, *Lenio*. neque aliunde hercule & *Leno*, & *Lenocinium* deriuata videri poſſunt. *Delinit*, enim locum hoc loco habere non poteſt, ac fruſtrà in eo Nonium, & literatores noſtros fuiſſe, ſi non aliud,at certè ſecunda verbi ſyllaba eoſdem poterat commonefacere, quam natura breuem Longorum verſuum rationi contumaciſſimè aduerſari videmus.

Ad *Delicias* porrò (quæ meo quidem animo à C verbo, *Delicare*, compoſitæ videntur) & *Delenimenta* iſta Veneria etiam ſequentia accommodare auſim:

Aſſequitur nec opinantem, in caput inſilit,&c.

Caput, enim non quidem pro ſumma, ſed verò media corporis parte, coleata inquam cuſpide illa,qua viri ſumus,dictum accipio,quomodò & ipſe Lucillius alibi:

Natricem impreßit natibus craſſam,& capitatem.

Atque in hanc ipſam, quaſi in equuleum, non exſpectato dum ab amatoribus ſolicitetur,inſulturam facere meretricem improbiſſimam ſimul, ac viroſiſſimam ſignificat, ſatis Satyricè, imò herclè nequiter. quam metaphoram ſpirant etiam proximè ab his dependentia: D

Ipſum

Commanducatur totum complexa, comêſtque.

Quis enim non videt, de voracitate & ingluuie baratri mulıebris agere Lucillium, auariter in ſe non quidem merum, ſed ſerum virile ingurgitantis,ac Penitam iuuenci ſui caudam emulgentis peniſſimè? Vnde Tralationes illæ frequentes apud Poëtas:*Deglupta mænas*,*Deglubere*, verbúmque eiuſdem Simplex: *Vorare tenta*,*Ligurire*,*Catillire*,*Exſorbere*; & cæteræ,ad *Vim*,ac *Vomitum illum Lucillianum* transferundæ; neque minus adeò ad E Lucretiana illa libri IV.

Quum iam præſagit gaudia corpus,
Atque in eo eſt Venus, vt muliebria conſerat arua,
Adfigunt auidè corpus,iungúntque ſaliuas
Oris,& inſpirant preſſantes dentibus ora.
Nequicquam,quoniam nihil hinc abradere poſſunt:
Nec penetrare,& abire in corpus corpore toto.
Nam facere interdum id velle,& certare videntur.
Vſque adeò cupidè Veneris compagibus hærent,
Membra voluptatis dum vi labefacta liqueſcunt.

& alia huius modi, quæ tota eius libri parte fuiſſimè perſequitur Carus: in quibus eſt & illud:

Et commiſcendo cùm ſemen fortè virile
Fœmina commulxit ſubita vi,corripuitque.

Ex quorum omnium vnanimi pariter, imò ſingulorum teſtimoniorum conſenſu, quàm ab Lucillio noſtro decenter ordo conſeruatus ſit, vides. qui primùm à ſuauiſſima ſermonis communicatione auſpicio capto, mox præmiſſa collabellationis licentia,ad extremam porrò amoris lineam deuolutus, quaſi per numeros & gradus quoſdam Eroticæ cõſuetudinis, ſeriem narrationis ſuæ pedetentim deduxerit. Sequentium verò verſuum partim à Feſto, partim à Nonio petitorum, vnde quæſo commodius, quàm ab ipſo Comicorum principe Interpretamenta arceſſamus? qui in Trinummo ex perſona adoleſcentuli præmaturè patruos ſapientis pronunciauerit:

Nam qui ab eo, quod amat,
Quàm extemplò ſauiis ſagittatis percuſſus eſt, illico rei foras
Labitur, liquitur: Da mihi hoc (mel meum) ſi me amas, ſodes,
Ibi ille cuculus; Ocelle mi,fiat. & iſtuc,& ſi amplius vis dari,
Dabitur. Ibi illa pendentem ferit, iam amplius orat: non ſat
Id eſt mali, ni amplius etiam quod ebibit, quod comeſt,
Quod facit ſumti. nox datur: ducitur familia tota,
Veſtipica, vnctor, auri cuſtos, flabellifera, ſandaligerulæ,
Cantrices, ciſtellatrices, nuncij, renuncij, raptores panis, & peni:
Fit ipſe, dum illis comis eſt, inops amator.

Eadem ferè inuenias Truculenti Scena I. Actus prioris, item ſecundi, denique per vniuerſam Comœdiam illam,qua Plautus noſter, vel Catone Tulliano teſte, maximè poſt Pſeudolum ſuam præ cæteris non immeritò gauiſus. in cuius exemplo ſuperiore pro derelicto habendum non fuit, vocem *Comu*, in vitio poſitam à nobis obſeruatam eſſe. vti & Scena proxima, vbi amici atque æqualis ſui prodigentiam apud patrem verbis extenuat, eleuátque ex parte ſua quantum poteſt idem ille,qui priora illa pronunciauerat, Lyſiteles:

Per comitatem ædepol pater (ſcil. rem confregit)
Præterea aliquantum animi cauſa in deliciis diſperdidit.

Eodem planè ſenſu, *Benignus*, vſurpatum reperites in Truculento, quod in Sermonibus imitatus Horatius, pro eo qui profusè prodigus eluit, *Comitas* enim,& *Benignitas*, prorſus eadem, ſiue in vitium,ſiue in virtutem alterutrum voles deflectere. & coniunxit vocabulum vtrumque Plautus in Milite, quaſi ipſus interpretans ſeſe:

Mihi ad enarrandum hoc argumentum eſt comitas,
Si ad auſcultandum veſtra erit benignitas.

Quæ idcircò producta à nobis longius, vt non ſolùm in *Suppi ſuggerundi*, item, *Magna peni illius ſic paruo ſpatio conſumta*, explicatione inueſtiganda, laborem demeremus, ac diminueremus Lectori, ſed verò vt & ſuperiora, ex Lucretio anteà interpretata, planiora etiam aliquantò faceremus ſimul, vt exemplo Plautino, quod tam in Lambini, quàm Camerarij Codicibus, ab interpunctis laborare videbatur, per cauſam auxilium ferremus. Vnum etiam reſtare nodum video,

video, verum is in ſirpo, & cui enolando malus (ſicuti ſpero) cuneus quærendus non erit: quòd videlicet duos de vna quaſi fidelia parietes dealbantes, verſus iſtos poſteriores quatuor rapinis meretriciis re deſpoliabulis aſtruere ſimus auſi, quos Capite tamen proximo, in altero quodam eiuſdem Lucillij Centone, matronarum in magnis dotibus inſolentiæ atque inſatietatibus, ſumtibúſque pluſquam decumatis applicituri ſumus poſteà. Fateor; nec tamen culpam hac in re admiſſam vllo modo agnoſcere lubet. Etenim hac obſonij varietate faſtidium Lectori detergere volui, eidémque hanc optionem facere potiſſimum, vtri Centonum hos ipſos adſutos mallet potius, ſuo arbitratu deligendi, non meo. in quo me certè pertinacem obſtrigillatorem habiturus non eſt. Nam quod, *Omnia*, pro, *Omnis*, ſuppoſui, etiam ratione me feciſſe autumo. Itaque cauſam haud dico. nam quid ea eſt opus?

CAPVT XVIII.

Tibullus quæſtioni acceptus, cur Carminum ſuorum Elogio expertem habuerit Auguſtum Cæſarem. Id in Coruini Meſſallæ, patroni ſui, gratiam factum veriſimile videri. Eius Catoniana libertas ac de Caſſio, Imperatore quondam ſuo, ſecura Auguſto ipſo vel conniuente, vel patientiſſimè diſſimulante, gloriatio. Benefacta maiorum ſuorum exaugere. Veneranda, pro Venerabunda poſitum videri in Tibullo. Cento Lucillianus ex decem plus minus Fragmentis reconcinnatus; in quo præter correctiones, ac Cenſuras, varia paſſim Scriptorum veterum teſtimonia ad partes conuocata, præcipuè Plauti, aut accipiunt lucem. aut inter ſe præbent mutuò.

MIRATVS ſum ſæpius, & miror magis in dies magíſque, vtique quoties in Tibullum incido, Poëtam eum inter tot tantáſque Coruini Meſſallæ laudationes, etiam Poëmate Heroico peculiariter eidem inſcripto, effuſiſſimè atque ex profeſſo decantatas (ne commemorem interim ambitioſam illam Triumphi ipſius de Aquitanis, non ſine auguſta fauentia, hoc eſt, fauſtis acclamationibus, deductionem) Octauiani ipſius, cuius imperio atque auſpiciis res tantæ, támque glorioſæ patratæ fuerant potiſſimum, nullam vſpiam Auguſti inquam Cæſaris mentionem feciſſe. ac ne id quidem tanto Principe dignum habuiſſe, quem vel tralatitio per cauſam ſaltem, quam dixi, carminis ſui elogio impertiretur. non dicam vulgata illa, qua magnus & opulentus; quódque, virtute ac Dîs volentibus, terra maríque de ciuibus iuxtà ac hoſtibus victoria parta; ac ſtabilito firmiſſimè imperio, vni omnia ſecunda atque obedientia eueniſſent (communia hæc ei cum multis) ſed quòd

Ipſe colens Muſas, ipſáſque colentibus æquus.

omnes in hoc fauentiæ genere poſt ſe Imperatores fuerit ſupergreſſus. neque illi Maieſtatis ſuæ prærogatiua, neque maximæ adeò & grauiſſimæ Romani Imperij occupationes obſtiterint, quò minus pretium pro virtute excellentibus ſæculi ſui ingeniis Cenſoria æquitate ſta-

A tueret. prorſus; eum præſtaret ſeſe, ad quē, quaſi ad alterum Mecænatem, vel (vt verius dicam) Genium, atque altorem ſuum, centuriatim vndique omnes literatum candidati concurrerent, perfugium in re crepera ſibique ac Muſis ſuis multò præſentiſſimum habituri. Cuius rei ego maxima hæc documenta habeo, quod Horatio (quamuis Libertini generis homini, tum coactoris filio) officium Epiſtolarum vltrò abs ſe per Mecænatem delatum faſtidioſè repudianti, non modò non ſuccenſuit quidquam, ſed etiam amicitiam ſuam familiariter inſuper ingerere perſeuerauit, idque ipſum in perpetuum apud
B poſteros conteſtatum per ſcriptas literas eſſe voluit publicitus. Nam de munificentia verè Regia ac beneficiis in P. Vergilium cumulatè congeſtis, melius ſilere arbitror, quàm pauca dicere. ac propterea adeò haud indignus viſus, quem Tibullus etiam noſter, ceu communem Poëtarum omnium parentem, ac vindicem, ex Auguſtiſſimo auguſtiorem faceret præconiis ſuis. Quid igitur dicemus? Alieniorem à Principe ſuo Albium noſtrum fuiſſe? Fatendum vtique. neque enim aliud in rem præſentem aptius quod comminiſcar inuenio. quod eò etiam fit credibilius nobis, quòd eumpſe Coruinum iſtum, potiſſimum ſtudiorum ſuorum patro-
C num habuerit. eum inquam, qui tirocinij ſtipendia ſub Caſſio quondam Imperatore feciſſet, tanta haud modo ingenij, ſed linguæ etiam præditum libertate, vt ferociſſimum illum Cæſarianæ necis lituum ac ſtimulatorem, palam Imperatorem ſuum profiteri non vereretur. neque ea tamen cauſa ſequius Octauiani Cæſaris gratia vteretur. Fideiuſſor, quod dico, vnus mihi pro multis Tacitus. in cuius Annali quarto ex perſona Cremutij Cordi, pro Hiſtoriarum ſuarum ſimplicitate cauſam dicere iuſsi, ac deliberata morte ferocis verba in hanc ſententiam ipſo Tiberio præſente pronunciata leguntur:

D *Titus Liuius eloquentiæ ac fidei præclarus in primis, Gn. Pompeium tantis laudibus tulit, vt Pompeianum eum Auguſtus appellaret. neque id amicitiæ eorum offecit. Scipionem, Afranium, hunc ipſum Caſſium, hunc Brutum, nuſquam latrones & parricidas, quæ nunc vocabula imponuntur, ſæpe vt inſignis viros nominat. Aſiniȩ Pollionis ſcripta egregiam eorundem memoriam tradunt, Meſſalla Coruinus Imperatorem ſuum Caſſium prædicabat: & vterque opibúſque atque honoribus peruiguere.*

Hactenus ille. Etenim Tibullus ipſe in partibus vel Pompeianis, vel Brutianis vt fuerit, gerræ germanæ. nam qui pote obſecro,

Ille qui necdum tempore natus erat?

E quippe cuius Natalem in Hircij & Panſæ Conſulatum incidiſſe, communi iam opinione ſit receptum. idque de ipſius indicio ſcribētis de ſeſe,

Natalem primò noſtrum videre parentes,
Cùm cecidit fato Conſul vterque pari.

qui annus etiam Naſonis Poëtæ Genio præſignis eluit, eodem hoc ipſum à Tibullo accepto Pentametro teſtificantis. Verùm ſuſpiciones omnes miſſas faciamus, ad compertiora nos conuortentes. quo è genere, opinor, fuerit & illud in eiuſdem Mecænatis ſui Natalem:

At tibi succrescat proles, quæ facta parentis
Augeat, & circà stet veneranda senem.

Hæc enim Phrasis à Plauto esse suo se indicio probat, apud quem in Sticho Dinacium:

Benefacta maiorum tuorum exauge.

Iterúmque eadem Scena:

Benefacta meorum exaugeam.

denique passim alibi. Malim ibidem:

Et circùm stet veneranda senem.

Neque enim, *Circa stare*, sed *Circumstare*, loqui consueuimus. itaque idem alibi quoque:

Hunc puer, hunc iuuenis turba circumstetit arta.

Nisi tamen *Circa*, pro *Circum*, positum dicamus. quod equidem non impugno, veterum præsertim auctoritate subnixum. Porrò, *Veneranda* istud, non patiendi nobis, verùm agendi potius vim effectúmque habere videtur. quasi dicas, *Venerabunda*. neque enim ad fundamentum familiæ Coruinæ, hoc est, olescentem Messallæ prolem (in cuius teneram impuberémque ætatem, ista (vt sic dicam) *venerabilitas*, locum necdum etiam habere poterat) sed verò ad ipsum potius Messallam referundum. quem soboli suæ senem olim venerationi fore auguratur Poëta: proinde, vt æquum est patrem, qui quidem dicto audientes liberos produxerit sibi. Atque hic idem Tibulli locus confidentiam porrò addidit nobis, ad quoddam Lucillij exemplum maiore fortasse conatu, quàm successu audaciter solicitandum. quò Centonem concinnaremus scilicet, & membra Satyrographorum principis, quæ decem minimùm locis miserrimè, ac pœnè articulatim conscissa hodie, dispretáque apud Cascos Grammaticos inueniuntur, in vnius quasi sententiæ corpus coacta, in pristinum (si pote) restitueremus denique. idque antesignani illius Scaligeri exemplo maximè, quem idem facinus istud in diuersissimis Næuij, Ennij, Pacuuij, Attij, ac cæterorum veterum Poëtarum Fragmentis (quorum nunc desiderium superest nobis) coacervatis vndique summo ædepol cum plausu, & gratulatione quantum est Quiritium, effectum nobis ac perpetratum reddidisse videmus. Cento verò, cuius nos sarcinatores fuimus, sic habet:

Quom tecum est, quiduis satis est, visuri alieni
Sint homines, spiras, pallam, redimicula promit;
Explocamo digitos discerniculúmque capillo.
Vt cùm iter est aliquò, & causam commenta viai
Aut apud aurificem, ad matrem, cognatam ad amicā:
Aut operanda aliquo in celebri cum æqualibu' fano.
Tum verò ricini aurati, & nitet aurea mitra.
Hæc vestimentis maculosis aspicis ipse;
Quod deformi' senex, quòd pædidus, ac podagrosus,
Quod mancus, macer, exilis cum ramice magno.
Si verò des, quod rogat, & si suggeris suppum,
Magna penus paruo spatio consumta peribit,
Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet,
Crede mihi, pressè auferet omnia.

In quo, Tibullianæ auctoritatis fiducia, *Operanda* (vt vides) referibere ausi fuimus, pro, quod in Nonio est, *Operatu'*. tametsi etiam haud inscitè, neque ingratiis adeò meis, *Operandum*, restitui possit, salute sententiæ maximè. cui vt consuleremus, versum alterum capite diminutum de

A nostro expleuimus: ac duas vocabulas istas, *Tum verò*, præmisimus verbis illis, quæ etiam emaculauimus: quum apud Nonium, adde Iunianum, vitiosissimè impressa exstent. Quæ licentia nostra si cui minus ex sententia fuerit, poterit reliquis versibus (cum Lucillio dicam) contentus tenere sese, hunc inter præteritos habere. Iam quòd *Digitos*, pro *Digitus*; *Aspicis ipse*, pro *Aspicis iste*, inducto, *Tum*, succidanea subdidimus, ea verò adeò interpolatio magna non est, inuidiæ nobis esse vt debeat, vel fraudi; apud non iniquos nimium istiusmodi mercium æstimatores scilicet. In cæteris porrò singulis Editioni potissimùm Iunianæ assensum commodauimus nostrum, excepto quòd in versu secundo, numeris

B commutatis, *Spiras, pallam*, pro *Spiram pallas*, placuit reponi. atque adeò multiplicatio ista *Spiris* potius, quàm *Pallis* visa est conuenire. Vna enim vnius mulierculæ indutui Palla, satis supérque oppidò; non item, *Spira*, ornamentum adeò contortiplicatum, ac multiplex; nec vinctui capitis modò, sed & superbiæ luxuriæque comparatum sexus huius multò sumtuosissimi. De Spiris Plinius Lolliæ Paulinæ cultum describens; lib. 9. cap. XXXV.

Vidi smaragdis, margaritisque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, spiris, auribus, collo monilibus, digitisque.

C De *Palla* verò opinionem nostram confirmat Lucret. lib. 4.

Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ,
Interdum in pallam, ac Melitensia, Ceáque vertunt.

Vnde non parum lucis etiam Lucillianæ narrationi adfulget. Neque enim alia hîc Græcè, *Anademata*, quàm quæ Satyricus Latinè *Redimicula*, interpretatur. tametsi non ignorem aliis hoc loco; *Anademata mitræ*, continenter, & sine distinctione legi placere; & pro vinculis accipi, quibus mitra vincitur, capitique religatur; vt, *Mitræ*, sit numeri singularis, patrij casus. quibus propemodum vti cum Lābino assentiar, adiuuat Cētonis

D huius versus septimus, in quo subiicit Lucillius:

Ricini aurati, & nitet aurea mitra.

Quod reliquum est, linea octaua denique, *Macer*, nobis magis argumento visum est facere, quàm *Miser*, illud peruolgatum. veruntamen licet etiam legere, *Miserè*, vel *Mancus*, copulandum hoc modo:

Quod mancus miserè, exilis cum ramice magno.

Cæterùm binis prioribus versibus quid significare voluerit Lucillius, abundè nobis declaratum arbitror à Iuuenali, & ipso Satyrico, eodémque in peruersissimis mulierum moribus

E describendis artifice admirabili. verbi caussa:

Ad mœchum veniet lota cute, quandò videri
Vult formosa domi, mœchis foliata parantur.

& alia eiusdem farinæ plura, quæ tota passim Satyra VI. pertractantur, facientia pro nobis, ac sexui illi multicupido, atque indomabili, meritò cum primis dolentia. Sequentium verò interpretatio ex tertio ingeniosissimi pariter ac disertissimi Lipsij nostri Variarum Lectionum libro arcessenda. neque minus hercule ex Epigrammate Celtiberi Poëtæ, libri XI. cui initium fecit:

Iam certè stupido non dices, Paula, marito,
Ad mœchum quoties longius ire voles:
Cæsar in Albanum iussit me mane venire,
Cæsar Circæos. iam stropha talis abit.
& mox,
Infelix, quid ages? ægram simulabis amicam?
Hærebit dominæ vir comes ipse suæ.
Ibit & ad fratrem tecum, matrémque patrémque.
Quas igitur fraudes ingeniosa paras?

Quod ipsum & Naso in Arte illa attigit sua, puellæ suæ custodi consulens:

Ibit, vt affectam, quæ non languebit, amicam
Visitet, indiciis ægra sit illa tuis.

De *Operatione* autem *cum æqualibus in fano* Tibullus ipse lib. I. Eleg. VI. ad incautum fallacis nuptæ coniugem:

Exibit quàm sæpe time, seu visere dicet
Sacra Bonæ, maribus non adeunda, Deæ.

Etiam Hexametri octaui, ac duorum sequentium explicator idoneus præsto in manibus nobis idem Tibullus esse poterit, argumento illo haud inani defloccato Veneris suæ marito aurem peruellens:

Ista hæc persuadet facies, auróque lacertos
Vinciat, & Tyrio prodeat apta sinu?
Non tibi, sed iuueni cuidam vult bella videri,
Deuoueat pro quo rémque, domúmque tuam.
Nec facit hoc vitio, sed corpora fœda podagra,
Et senis amplexus culta puella fugit.

Reliquum de, Suppo, est. quod more suo, hoc est, diuinitus enucleauit Iosephus Scaliger, ac significatum Prouerbialem habere primitus ex Festo nobis & Isidoro ostendit. vt, *Si suggeris suppum*, aliud nihil sit, quàm, Si Iunoni illi tuæ petaci ac sumtuosæ ex sententia respondes: id est, si quod optat facis. verbi causa: Si de omnibus, quæ in Milite Plautino à Periplectomene singillatim recensentur, morem sine mora gerere illicò, gratiámque Helenæ tuæ de exactionibus iniquissimis facere institeris, suo arbitratu, & adfatim quotidie. neque Bollanus adeò, hoc est, ita cerebri felix cluas, vt de vlla petitione abnuere ipsi in animum porrò vnquam inducas tuum: quamuis priusquam Galli cantent flagitatrix illa somno excitet tete, hisque & horum similibus improbissimis postulatis aures continenter obtundat tibi:

Da, mi vir, Kalendis meam quod matrem iuuerit.
Da qui farciat, condiátque: da quod dem Quinquatribus
Præcantatrici, coniectrici, hariolæ, atque haruspicæ.
Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio specit?

& cætera, quæ ibidem in re præsenti lectitare est porrò. Nam ne verbum eiusmodi ex vxore vnquam audias:

Eme, mi vir, lanam, vnde tibi pallium
Malacum, & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ
Ne algeas hac hieme:

cautum atque prouisum iampridem, nullúmque adeò ex ipsius parte periculum esse intelligo tibi. quod propterea istuc quoque apponere est visum, vt sit, quod Lucillianum illud etiam explicet nobis, de *Vestibus maculosis*, id est; quamuis immundis atque ita sordidis, vt nutricis pallia videri possint. quibus bonus curruca ille, nec pannis minus, quàm annis obsitus, miserum in modum senectutem suam fouere, sustentare, imò oblectare cogitur. qui vxori cordi aut curæ non est, non magis vtique, quàm si hinc ducentos annos in hominum censu esse desiisset quum ipsa intereà loci quæsitissimis ac transmarinis cuiusque generis facetiis, hoc est, Asiatico ornatu, omnique adeò luxu, mollitie, ac lasciuia diffluat: prorsus, sine modo vllo, ac modestia matronali. At enim vnum venit in mentem modò, discrepantem librorum numerum in causa fore, quò minus conglutinatio hęc nostra fidem apud Lucillianos amatores sit repertura. Sed quanti est illud, obsecro? modò verborum, & (quæ ratio maxima est) apta, & quasi catenata sententiæ ipsius connexio causam à nobis dicat? constétque apertissimè in partem istam non raro à Grammaticis latam culpam admissam: vt quod ad librorum, quos citant, numeri summam attinet, perperam, imò præposterè sæpe ratio sit instituta. prorsus; nihil ad Arithmeticam. qua in noxia ita crebrò, & quidem manifestò deprensus iampridem Nonius, vt pigeat commeminisse. Et tamen præter Fragmentum vnum aut alterum (omitto ea, quibus libri numerus præfixus non est) reliqua omnia ex tricesimo Satyrarum esse, ipse ille, quem dico, Marcellus haud grauatim (vt opinor) ex parte nobis adstipulabitur suæ.

CAPVT XIX.

Acris expostulatio de auaritia, perfidia, atque iniuriis nostratium quorundam Causidicinæ. Tibullus à magni cuiusdam viri criminatione, Seruiana potissimum auctoritate, vindicatus. In omnibus Sacrificiis priscis castitatis obseruationem fuisse, præter Natalitia: in quibus Mutino non minus, aut Volupiæ, quàm Genio, vel Iunoni Natali operari ius erat. Accurata de iisdem Naturæ Deis conlectanea: eósque ture, mola salsa, & vino, atque id genus libamentis; non verò omentis iuuicum sumtuosis, aut eximiis hostiis, etiam in Principum virorum Natalibus, solitos propitiari, superstitibus exemplis patefactum. Laris, & Genij confusio argumento haud inani, hoc est, Sacrificiorum inter se pugnantium ratione distincta. Humanæ auaritiæ contagionem ad Deos quoque Ethnicorum, imò ad ipsum vsque Capitolinum Iouem penetrauisse. Iuno cognomento Iuga. Cerinthus, maritus Sulpitiæ. Ei Cornina amationis vetus riualitas suspecta.

INVIDIÆ mihi, spero, futurum non est, si Tibulli Manibus, immeritissimò oppugnatis, defensor & quasi propugnator venero, causæ magis æquitate, quàm virium mearum consciētia fretus. eò dico, ne apud incorruptos Iudices plus valeat gratiosissimi accusatoris nostri claritudo, quàm liberum ac simplex Albianæ innocētiæ patrocinium. in re præsertim, vnde nec præmium aduocato, nec gratia quæritur: contrà quàm volturij faciunt nostri, vel hirudines potius. neque enim aliter hæc Fori tintinnabula

appellitanda. de Crumeni mulgis iſtis loquor, qui (vt verè non minus, quàm argutè ſummus Orator Gracchus prædicabat) *ab omnibus pretium accipiunt, & omnes fallunt.* nihilque adeò peius metuunt, quàm ne aut gratis de Iure conſulentibus reſpondiſſe, aut ſine mercede pro clientibus ſuis cauſam in iudicio dixiſſe conuincantur. quorum ita profunda, atque adeò indomabilis eſt ſitis, vt ne ſanguine quidem infelicium litigatorum expleri queant. Neque verò eſt, quod iniuriarum formulam nobis porrò intentet quiſpiam, quicunque de ſe modò bene ſenſerit ſcilicet;

Vindex auaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ,

& quæ ſequuntur. Noui enim ex hoc ordine complures, ad quos iuſtiſſima hæc querela noſtra non magis, quàm ad immeritiſſimos pertineat. Bonos dico, & qui bonam à clientibus exiſtimationem atque honorem pluris, quàm illutibilem illum lucri odorem, ac inſanas largitionum ſtruices faciant: certè, quibus maxima in Iure Cautio eſſe conſueuit, vt Præuaricationis non culpam modò, verùm omnes etiam perfidiæ ſuſpiciones à Patronatu ſegregent ſuo. Scires apud ipſos necdum antiquatam prorſus Legem illam Romuli Decemuiralem: PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FAXIT, SACER ESTO. Verum aliquando in rem præſentem: ne dolosè (id quod nonnullos hodie factitare videmus) inſtitutam ſemel Poëtæ noſtri defenſionem mutato derepente conſilio, arreptáque hac, quaſi per cauſſam, legitima ſermonis excurſione, abrumpere, deſiuuare, ac deſerere velle videar. in qua (vt à diuerticulo tandem inchoata porrò narratio repetatur) iterum quæſo; &, cum Catullo meo, *veniam peto pudentem* (ſperóque ab æquis & incorruptis Cenſoribus impetraſſere haud grauatim) vt antequam de honore Equitis Romani, vel ignominia ſeriò demum ſententiam ferant, verbum illud vetus aliquantiſper ruminentur cum animo ſuo:

Amicus Plato, amicus Socrates, ſed magis amica Veritas.

neque pro præiudicio haberi velint iniuſtè inſtitutam à Prærogatiuæ auctoritatis viro Actionem: quam hiſce propemodum conceptam verbis videor commeminiſſe:

Elegiam Tibulli ſcilicet libri IV. in Natalem Sulpitiæ non optimo conſilio ad Iunonem directam videri. Quid enim inſolentius, quàm orare eam pro impudicitia puellæ ſuæ, quæ eſſet numen matronalis caſtitatis?

Atque hæc eius, quam dico, controuerſiæ in Forum literarium deducendæ potiſſima capita. cuius equidem occaſione nemini opinor, cum Iaſone, Baldo, vel etiam Accurſio negotium erit; ſed verò cum priſco ſollennium Sacrorum ritu, hoc eſt, more Genitalibus diebus celebrato antiquitus. Cuius ego fiducia fretus hanc litem conteſtatam modò, ne inteſtata porrò exiſtat diutius, confido me Seruiana auctoritate effecturum, qui locum illum Vergilij ex Ecloga III.

A *Phyllida mitte mihi: meus eſt Natalis, Iola:*

huiuſcemodi nobis Commentario illuſtrauit:

Phyllida, ſcilicet communem amicam, cauſſa Natalis diei, in cuius tantum ſacrificio licebat voluptatibus operam dare. Nam in aliis ſacrificiis erat caſtitatis obſeruatio; quod etiam ſequentia indicant, vbi dicit:

Cùm faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

id eſt, cùm pro frugibus ſacrificare cœpero, tu tantummodò venito.

Hactenus Interpres: quaſi ex Dametæ perſona diceret ſcilicet: Nunc (ô Iola) dum per Naturæ Deum licet, imò ius fáſque eſt, nec religio impedit, quò minus amare, catulire, ac delicias B dicere, vel facere potius, poteſtas ſit nobis: eia fac, obſecro ſodes, commarito tuo hanc gratiam, vt amicam Phyllidem vtriuſque noſtrûm remittas mihi. aratiunculam pro copia abs te ex pacto vt habeam ſcilicet in aruo communi exercendo partiarij in morem: vſu, haud mancipio dico, mutuúmque inuicem factutus, quum voles: tuo arbitratu, ac Phyllidis noſtræ maximè. Ita enim res diuina ritè hic fuerit mihi, Natali meo, dierum optimo. At ſimul ac ſtatum & anniuerſarium (quod, quaſi per manus tradito à maioribus more, Magnum ruri indigitare conſueuimus) Ambarualiorum tempus aduenerit, ipſe præſto nobis in partem adeſſe, facito C commemineris. ſed ſine Phyllide tamen (vt ſis ſciens) ne quid ineptiarum fortè, inter amantes vt ſolet, quod feſtum vitiet diem, ruſticiſque ceremoniis obſcæuet, per imprudentiam eueniat ſcilicet. ita, vti Succidanea exinde ſit opus; vtque piaculum dare conſocerus tuus cogatur poſteà: ſiquidem Cererem, cæteróſque Agricolas Deos, ob ſacra ſua, illicita nimium ac profana libidine polluta, meritiſſimo hercule iratos infeſtóſque placari ac reconciliari poſtulet ſibi. Quæ ſingula eò fuſius, curioſiuſque placuit enarrare, atque ipſius adeò Interpretis ſuccidaneum quaſi interpretem agere; vt ſiue decori, D ſiue etiam Religionis obſeruantiam exigas, in neutro ſanè Tibullum opera ſua parcum, aut incogitantem fuiſſe demonſtrarem. qui, quum in reliquis Feriis omnibus (in quarum frequenti commemoratione magnam Tibulliani operis partem conſumtam videmus) adeò ſeſe à rebus Veneris caſtè ac contentè habuerit hactenus, vt etiam tanquam profanos, ne dicam impuros impiatóſque, & quaſi pollutos pago, emanere iuſſerit, atque ab aris diſcedere,

Queis tulit heſterna gaudia nocte Venus;

tamen in Natalitio puellæ multò lepidiſſimæ inſtitutum illud ſuum non ſine cauſa (vti antea oſtenſum) prorſus migrauit. quippe qui E iam inde ab antiquo compertum haberet aliis libaminibus iſtiuſmodi Sacra conſtare haud temerè ſolere ſcilicet: neque cum Februli aut Caprotina ſibi, ſed verò cum *Genitali* potius (vti eam Carmine Sæculari indigitat Horatius) Iunone negotium eſſe, Iunone inquam, quæ ſexui illi ſequiori lucis primum tuendæ copiam dediſſe cenſebatur, non item viris, qui natales ſuos Genio acceptos referebant potiſſimùm, ita deſcripto à Muſa Venuſina:

Naturæ Deus humanæ, mortalis in vnum-
-Quodque caput, vultu mutabilis; albus, & ater;
Scit Genius, Natale comes qui temperat astrum.

Succidaneus Seruio subdatur etiam Propertius eâdem, qua nimirum Tibullus, solitus castimonia

Natalem domina concelebrare sua.

Argumento sint illa libri tertij:

Cùm fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus,
Annua soluamus thalamo sollennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

Quòd si pudicitiæ matronali Præstes tantùm, ac præses Iuno (vti velle videtur vir doctissimus,

Modò quem ex aduerso dicere feci)

cedo, quidnam sacramento illo meretricio apud Petronium:

Iunonem meam iratam habeam, si me vnquam meminerim virginem fuisse.

Quid denique Iuuenalis exemplo faciemus, ita de viro sexus sui desertore Satyricè scriptitantis:

Et per Iunonem domini iurante ministro.

Quorum omnium concurrentibus in vnum testimoniis, ac veri ipsius præsidio suffultus, contendo, asseróque Albium nostrum, nimis hercule immerito suo reum factum: ideóque non sententiis omnibus absoluendum modò, verùm etiam publico insuper Decreto cohonestandum. & ne qua porrò hac ex re controuersia amplius existat in posterum,

Edicto perpetuo cauendum, sanciendum.

Nam quid, per Deos immortales, absurdius, quàm vt Poëta, adde Eques Romanus, Romani ritus imperitus fuisse existimetur? quasi verò non sollenne, ac ciuibus vniuersis commune Sacrum istud fuerit scilicet; ideóque ignarum nemini, qui quidem ex se natus non foret, hoc est, qui Genium saltem haberet aliquem. nedum Tibullo ingeniosissimo iuxtà, ac generosissimo Poëtarum, & quem istiusmodi ceremoniarum minimè rudem res ipsa vociferatur. vel in hoc ipso carmine, quàm omnia veteri ex disciplina? sicuti & illud de Seruij Sulpitij filia, quam non hostiis, sed tusculo tantum, meróque & libo supplicantem, pacémque à Iunone volente propitia votis ac precibus sibi exambientem inducit. scilicet, quia religione cautum erat, ne Feriis Natalitiis Diis rerum genundarum (vti veteres illi loquebantur) auctoribus, Genio puta à viris, Iunoni à mulieribus, animatum quod esset, immolaretur quidpiam. Vnde & antea in Natali Cerinthi sui libro II. vbi Poëtæ cum Genio res erat, iisdem libamentis illis, quæ dico, Deum istum Semonem sibique & delitiis suis emollitum ac malacissatum dimittit:

Vtque satur libo sit, madeátque mero.

In quo error etiam illorum confutandus, qui Lares cum Geniis confundere veriti non sunt. Nam quid obsecro simile? quum contrà ex Horatio, Plauto, & Tibullo nostro meridiana luce liqueat illustrius, Laribus rem diuinam fieri solitam, haud ture aut frugibus salsis modò, vel etiam pulte Fabata in Focum patellarium apposita, sed verò agna, porco, vitula, pro copia atque inopia sacrificantis, non quidem temporibus illis antiquissimis, & quum (vt idem nos Tibullus edocet) *Stabat in exigua ligneus æde Deus:* (tunc enim, exemplo mortalium, contentissimi etiam Immortales, præsertim semipagani, ac Penetrales dij illi, vel eodem Tibullo teste, quando ibidem subiicit statim:

Hic placatus erat, seu quis libauerat vuam,
Seu dederat sancta spicea serta comæ)

sed verò aureo sæculo, quod consequutum posteà; quum paupertas in cœlo quoque odio esse probróque haberi cœpta, atque ad ipsos Olympi habitatores penetrare auaritia. ad quam propitiandam non iam innocentiam amplius, aut pietatem, verùm victimas auratis cornibus præfulgentes altaribus admouere fas esset. idque ex ipsius Iouis, & quidem Capitolini, præscripto potissimum, non nisi minis extis, hoc est, centum pondo auri (si Petronio credimus) iampridem exorabilis. At non ita Genius virilis, nec muliebris Iuno, cognomento Natalis; quos vtrosque (quod mortalium vitam Numine suo præsenti inuisere, atque adminiculari crederentur) per omnem ætatem annis religionibus accersi à singulis mos erat; haud quidem sumptuosis hostiis cæsis, verùm ferro ac strue tantùm, floribúsque *& mero Defuso pateris* malacissandos. atque hac fini ad extremum vsque cupiditates eorundem constitisse, etiam in principum ac Triumphalium virorum Natalitiis vel illa indicio fuerint quæ in ipsius Messallæ, patroni, imò Genij sui Natalibus à Poëta nostro canuntur lib. I.

Huc ades, & centum Ludis, Geniúmque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius è nitido stillent vnguenta capillo,
Et capite & collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dum turis honores,
Libáque Mopsopio dulcia melle feram.

Vides, quanta testimoniorum conspiratio. vnum excipe Horatij istud:

Cras Genium mero
Curabis, & porco bimestri
Cum famulis operum solutis.

Sed hoc explicatu facile. Neque enim eo loco de priuato Lamiæ (cui Oda illa nominatim inscripta) Natali sacro agi, verum potius de festis, amœnis ac voluptuariis brumæ diebus, feriisq; Genio, hoc est, mensæ & hilaritatis, non Naturæ Deo institutis id ipsum intelligendum (vnde &, *Hyems genialis*, Vergilio cognominata) edocti iampridem cùm à nouis, tum à vetustis Poëtæ illius enarratoribus sumus oppidò. *Curatio* ergo *Genij*, hoc loco non vlterius, quàm ad meliorem Genialis vitæ cultum, obsonationémque solito liberaliorem extendenda. quam *Porco bimestri*, (qui potissimum cœnæ caput futurus) celebratum iri prædicat, comedendi, haud immolandi causa cæso scilicet. Ritè etiam preces illæ à Tibullo conceptæ:

At tu sancta faue, ne nox diuellat amantes,
Sed iuueni quaso mutua vincla para.

Ritè inquam, atque ex dignitate. Etenim & cubili & connubiis præposita antiquitus Iuno. vnde & Iugæ cognomento ornata meritò. Quid ergo graue, si pro innupta Sulpitia hoc à Iunone

votis exposcat Tibullus, vt vinculo aliquando maritali Cerintho suo copuletur? Cerintho dico, cui legitimis nuptiis posteà eampse sociatam fuisse ex altero Poëtæ loco, suprà à me laudato, verisimiliter veréque nobis persuadere possumus. Nam quid aliud volunt obsecro sibi verba illa?

Annuat & Cerinthe tibi, quodcunque rogabis.
En age quid cessas? annuit ille: (sc. Genius) *roga.*
Auguror, vxoris fidos optabis amores.

Etenim haud aliam hercule ego, quàm Seruij illius Sulpitij filiam sustineo interpretari. At verò etiam hic illud ex trauerso controuersum fieri posse video, qua potissimum causa de pudicitia ac fide Sulpitiæ suæ addubitantem (vti apparet) Cerinthum induxerit Tibullus. credo, propter consuetudinem Messallæ, veteris amatoris eius; & de quo, Cerintho (quamuis legitimo coniugi) satis etiam necdum acceptum esse poterat, eum in partem amorum communium receptum postliminio non habiturum; tanta præsertim factione opibúsque instructum, tótque maiorum imaginibus ac Triumphis subnixum opportunum sibi, ac suspectum meritò patritij ordinis multò potentissimum æmulum atque riualem.

CAPVT XX.

Tibullianæ paupertatis caussa penissimè ac plenissimè excussa. Eius rei inuidia à Poeta ipso in publicam bellorum ciuilium calamitatem verisimiliter reiecta, ac deriuata; præter aliorum sententias. Cæsarianos milites Furum ac luporum, *hoc est, tacito Prædatorum nomine insignitos: eisdémque porrò, Octauianæ insolentiæ caussa maximè piacularibus factis, perpetua passim stigmata Albiano carmine inusta. Propertij lentitudo, id est, patientia atque obsequium aduersus Cæsarem. Tibullo satis superque reliquum, qui ætatis suæ reliquias oblectaret, fuisse. Eiusdem locus vnus & alter bona manu acceptus. Criniti error denudatus.*

MEMINI me in Commentariolo Horatiano, non ita pridem edito, ad illud Satyræ IV. lib. I.

Nónne vides, Albî vt malè viuat filius?

eorum hominum opiniones secutum, quibus haud timidè, neque dubitanter persuasum videbam, id ipsum à Venusino illo in Poëtam hunc nostrum prænomine Albiano insignem, æqualem suum, imò Sermonum suorum Censorem (vti eumpse idem in Epistolis appellitat) & quidem candidissimum, non candidè, sed malitiosè nimis ac malignè detortum. Eius rei fidem, quoniam veritati haud dissentanea sanè id temporis visa, in ingenio præsertim mordaci, ac, suprà quàm cuiquam credibile sit, Satyrico; haud abs re, neque alienum ab instituto fuerit nostro, altius paulò demum subtiliúsque ire inuestigatum. Qua quidem in re operam nos locaturos confidentia est sedulò, ne quid porrò hærere sub ancipiti possit. Ac primò nobis exterebrandum, quænam occasiones potissimum Poëtam domi nobilem, adde Equestri censu, annulo insignibúsque suffultum, ex tot tantísque auitis ac proauitis opibus ad inopiam istam deiectum ita miserè ac derepente perculerint: vtrúmne minus cautè ac cogitatè tractata res familiaris, nec moderata aut modesta satis bonorum bene partorum abusio, an verò nescio quæ canina Scæua potius, id est, casus aliquis fortuitus, atque insidiantis Rhamnusiæ tragulis incussa calamitas, siue adeò Necessitas quædam, *Cuius* (vti in Mimo Laberij est)

cursus transuersi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt.

occultiórque vis fati; quæ Tibullum nostrum Roma abdicata de vrbano rusticum quodammodò, nouúmque quasi Laërtem fieri, ac ruri, Musico in otio deuexæ porro ætatis reliquias oblectantem, animo morem suo, hoc est, Deliæ fauentis auspiciis, ac priuo remigio rem gerere:

Et nunc carminibus, nunc somno & inertibus horis,
Dispretum à populari ambitione procul,
Ducere sollicitæ iucunda obliuia vitæ
Suaserit, & mentis frangere diuidias.

prorsus; vni sibi ludum dare ac Genio suo, id est, Musis atque Amoribus viuere ac vacare coëgerit denique.

Contentum modico, suóque lætum.

idque ex præscripto Epicureæ disciplinæ potissimum, quam maior melióque id temporis pars Quiritium amplexa, studiosè vtique & sedulò. Certè ad me quod attinet, crediderim Tibullum magis perditissimorum temporum iniquitate, ac publicis illis (quas vesana Triumuirorum factio conciuerat) ciuilium discordiarum procellis, & Bellonæ iniuriis potius, quàm luxu priuato, aut suapte prodigentia, bona facultatum suarum ac possessionum parte exutum, iacturam vtique haud mediocrem fecisse. ideóque rebus pariter cum ætate accisis, spicè potius, quàm serò inita copiolarum suarum ratione contractioribus porrò velis nauigandi consilium cepisse: eâdémque mox, relicto,

Fumo, opibus, strepitúque Romæ,

paterni ruris in Pedana regione positi secessum petiuisse: abditúmque inibi quasi Poëticam in solitudinem & quidem secretissimè *Syluas* (vti de eo ipso Flaccus prædicat)

inter reptasse salubres,
Curantem, quicquid dignum sapiente bonóque est.

Coniecturam duco ex celebratissima illa Poëtæ ipsius indignatione, qua apud Messallam modò non lamentando conquerens fortunas suas, omnem attriti patrimonij ac rerum suarum iacturæ inuidiam in nescio quos *Fures*, *ac lupos* haud obscurè à se reiectare videtur; dissimulanter & quasi in transitu Satyricam amaritudinem Panegyrico suo adspergens his verbis:

Nam mihi quum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci,
Horrea fœcundis indeficientia mensis:
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furíque lupóque:
Nunc desiderium superest &c.

Fallor? an per *Furinum ac lupinum genus*, Milites non nisi miluinis, grypsatísque vnguibus rem

gerere solitos, & quidem Cæsarianos intelligit:
quibus nihil non belli iure, quà priuatum, quà
publicum, veluti in præmium, imò verò in prædam à victore Octauiano impunissimè ac sine
vllo discrimine concessum: quibúsque adeò latrocinari passim, hoc est, ex rapto rem suam (quę
nulla fuerat antea) struere, exaugere ac constabilire oppidò, *Omne sacrum rapiente dextra*, iamprìdem herculè in ludum & iocum consuetudine
vorterat scilicet. neque verò hoc loco solùm
Præmiatores istos Harpaces designari autumo;
sed impetrabilissima etiam illa primæ omnium
Elegiæ deprecatione:

At vos exiguo pecori furésque lupíque
Parcite, de magno est præda petenda grege.

salsè videlicet hoc hominum genus commonētis, aliquam saltem alienæ mediocritatis, ac curtæ supellectilis suæ rationem habere vt velint,
tandem, tandem. Quid enim? non eandem apud se
illis prædandi amplius causam suppetere, quàm
olim, tunc, quum de pleno promere adfatim copia fuerat sibi, numerosis adhuc, ac decumanis
pecuariis abundanti: neque ob struices omnium
bonarum rerum effertissimas, quid damni faceret, quantum incommodi ac calamitatis denique per militarem insolentiam pateretur indies,
ita penitus medullitúsque animo perciperet, aut
persentisceret facilè. Scires, tacitè obscuréque
innuere, &, quasi aliud agentem, significare Tibullum nostrum, plus satis supérque oppidò illis
esse debere, quòd tot tantásque veterini generis
copias, támque frequentes magnorum armentorum greges, stabulis, collibúsque suis, haud secus atque ex hostico, vi, violentia abactos atque
abalienatos iam antea, peculij priui ac militaris
iuris fecerint scilicet. Atque ea caussa fortasse
potissima, præter priores illas (quæ de Messallini
ingenij libertate recensæ à nobis suprà) quamobrem Tibullo Coruini vnius laudatori modò,
extra illorum hominum, qui virtute vera ad Heroici illius fastigij ac solidioris famæ arcem grassati Musarum præconia meruerant, ordinem
prorsus ac numerum, & quasi inter *Præteritos* habitus Octauianus Cæsar, sator ille sartórque turbamentorum Reipublicæ maximus, ne dicam,
lituus belli ciuilis, eiusdémque (quamuis Principis sui) ne tralatitia quidem vniuerso hoc opere
vspiam compareat mentio. *Neque enim* (id quod
inter cætera quoq; prudenter non minus, quàm
verè à Crispo nostro tanquam ex Cortina Phœbi pronunciatum.)

Cuiquam mortalium iniuriæ suæ paruæ
Videntur: multi eas grauius æquo habuere.

Et tractabilior hac in parte vtique Collega eius
Propertius; qui tametsi parens suus post bellum
illud multò acerrimum Philippense, ad aras Perusinas, pro aris focísque ac publica libertate, sicuti hostia mactatus cecidisset; & ipse porrò
mox ob municipalium agrorum, (quos post victoriam ciuilem, de communi Triumuiratus
sententia, veteranis dispartiendos susceperat Octauianus) iniquissimam diuisionem, fundis funditus prædiísque paternis ac hærediolis suis vniuersis, *Immeritò exutum sese, euersúmque videret*, nihilo sequius tamen omnium miseriarum sua-
A rum ac paternæ cædis auctori obseruantiam vsque suam ingerere perseuerauit: séque Augusto
officiosa assentatione, quæsitissimísque carminum blanditiis per Cilnium Mecœnatem insinuare porro assiduè, séque supplicem, imò Cæsarianum facere nunquam cessauit posteà. id verò vtrum frustrà, an ob rem fecerit callidus, iis
diiudicandum relinquo, quibus & Mecœnatis
apud Principem suum auctoritas, & ipsius Cæsaris (iuuandis augendísque ingeniis, ac rei literariæ bono nati) munificentiæ non minus, quàm
propensæ voluntatis testimonia percognita iam
B olim. At verò iniurias acceptas obliuisci haud
ita facilis Poëta noster. credo, ne non verisimile
sollenne illud suum faceret nobis, quod de semet ipsus profitetur alibi:

Non ego firmus in hoc, non hæc patientia nostro
Ingenio, &c.

Cui iracundiæ suæ morem gerere obstinatè pertendes denique, quum rebus suis accisis minus
conducere animaduerteret, dolorem suum naturali conuicio publicitus exonerare, aut in eum
scribere, qui malorum omnium architectus, etiā
suspectos sibi proscribere didicisset; tutius demum sequutus consilium, haud difficulter sanè à
se atque ab animo impetrauit suo, vt à Principe
C quidem ipso, maxima fundi sui calamitate, mordacis styli aculeos, meritissimámque mali carminis occentationem temperaret sedulò; dum tamen Principis vicem Triumuiralis illius tyrannidis administros (qui nomine atque auctoritate Imperatoris sui per summam contumeliam
abusi tantam scelerum ac rapinarum licentiam
impunè habuissent) veteranos inquio; quorum
frequenti opera cruentam hanc sanè de ciuibus
suis victoriam obtinuerat Cæsar; captata identidem occasione, & veluti in trancursu versuum
suorum pipulo differre, flagellare, dirísque omnibus ac maledictis incessere, verbísque execrātibus eorundem capita passim deuouere liberum esset sibi, hoc est, Thyesteis precibus in perpetuum persequi porrò, suámque & Musarum
D vicem Poëtica vindicta ire vltum, Hipponactæo
præconio iamprídem addictos publicitus. Neque enim contra aduersarios valentiores remedium expeditius, aut hostimentum aliud opportunius innocuo Phœbi ac Musarum Sacerdoti
reliquum suppetere videbatur: homines præsertim militares, armatos atque animatos probè.
quos ipse passim indito ex re vocabulo, *Prædatores*, nominitat solens. Quod genus quantopere
porrò inuisum atque odiosum habuerit sibi,
quisnam adeò Tiresias, cui non statim vel ex ipso Tibulliani operis principio meridiana iam luce clarius illustriúsque diluceat? quo loco militię
E studium detestans eiuránsque ex parte sua planissimè ab huiuscemodi votis Elegiæ suæ auspicium facit:

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli:
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.

Atque rationem istiusmodi vitæ pertęsus continenter deinceps subiungit, præoptare potius
paruo contentum sese cum pietate & fide quod

reliquum est ætatis conficere porrò, quàm ex aliena vexatione atq; iniuriis, nefariáque ciuium suorum direptione, per summum scelus opulescere posse, ac locupletari scilicet. Quò etiam spectant illa Elegiæ x. libri sequentis: A

At mihi per cædem & facinus sunt dona paranda,
Ne iaceam clausam flebilis ante domum.

Neque ita pænè ad incitas tamen; quum hæc ipsa commentaretur, aut vsque adeò ad egestatis terminos (vti voluit Critici nostri) Albij Horatiani filium, Poëtam nostrum inquio, redactum fuisse, vel ex prioris illius Elegiæ, modò laudatæ, clausula maximè, cuius perspicuum fieri posse autumo, qua ipsus de sese cautè ac circumspectè prædicat porrò: B

—— Ego composito securus aceruo
Dites despiciam, despiciámque famem.

Itaque frustrà est, meo sanè iudicio, vir doctissimus qui ipsam hãc Elegiam ordine quidem primam, tempore verò postremam credi postulat sibi.

Pausam faciam, adiecta prius tamen vnius, item alterius loci illustratione, suo loco à nobis per incogitantiam prætermissi suprà. legitur proinde libri II. Elegia IV.

Et nunquam misero vincla remittit Amor. C
Et, seu quid merui, seu quid peccauimus, vror.

Vbi ocellus noster Scaliger, *Vrit*, potius ex antiqua scriptura se restituisse testatur. idque verum puto. Sic enim libro IV. alibi de Sulpitia sua, ex persona Cerinthi amatoris, Tibullus:

Vrit, seu Tyria voluit procedere palla:
Vrit, seu niuea candida veste venit.

Habes ibidē, postremo libro inquio, ipsius Sulpitiæ, de furto Venerio post factum gratulantis sibi, Eroticam ouationem, hisce verbis conceptam planissimè:

Sed peccasse iuuat. vultus componere famæ
Tædet. D

Hoc est, Oris & faciei habitum ad Patauinam illam stolę superciliique matronalis seueritatem componere ac conformare. ne fortè in vulgus dispalescat audax hoc amoris facinus, vultus mei hilaritate proditum scilicet. idque ex Ouidianæ disciplinæ, quam idem amoribus suis præscribit, formula maximè, ita habentis sese:

Indue cum tunicis metuentem crimina vultum,
Et pudor obscœnum diffiteatur opus.
Da populo, da verba mihi, &c.

Ac Sulpitia, hoc dissimulationis genere nihil apud Populum Romanum in propatulo sibi adhibito opus esse, gloriatur. Cur ita? quòd Perui- E gilium cum Cerintho amasio suo furtim celebratum, haud veniam modò, sed & laudem apud Coryphæos ac conscios (qui quidem non iniquos nimium harum rerum Censores præstare voluerint sese) potius commeriturū persuadeat sibi: quippe auctore tam digno culpam in se admissam facilè se redemturam confidens. Ait enim: *Cum digno digna fuisse ferar.*

Vbi rem molliculam & parum seueram probissimæ locutionis periphrasi circumscriptam, & quasi honestatis inuolucro obnuptam velatámque videmus: id quod Poëtis non insolens. vt nec Ouidio, quum scribit:

Crede mihi, mecum non semel illa fuit.

denique passim alibi, credo, plus millies.

Ad proximum porrò Poëmatium transeamus:

Iam nimium, Messalla, mei studiose quiescas.

Detegendus atque in apricum protrahēdus hoc loco error Criniti, qui Epigrammatium istud, non ex Sulpitiæ, sed verò ex Tibulli ipsius persona scriptum inscitissimè persuasus, Messallam à Tibullo, *Sui studiosum*, perhiberi, in Vita Poëtæ eius palam prodere, memoriæque mandare non dubitauit: à præpostera (vti apparet) exempli supradicti inuestigatione in manifestariam fraudem inductus scilicet;

Nil præter solitum nugo, & inanilogus.

DIALOGISMVS.

IN NERVAM VSIPETEM.

CVM *nihil ad nostri sapias pulmenta Lycæi,*
(Prò pudor) Vsipetum natus in attegiis:
Dic mihi, quid Batauis facis in regionibus hospes,
Hic tuus vnde comes exulat Attocrea?
Conditionem *(inquis)* quæro. *Quid? nubilis ergo*
Nata tibi, dotem quæ petat & generum?
Ludis (ais) Non hercle *(inquam)* peto conditionem
(Ipse refers). At cui? Cui nisi, Iane, mihi?
Vah! Quid miraris? Haud isto hic viuimus (inquam)
Quo tu rere modo: pascuus *hic ager est,*
Non aruus *(ne frustrà, Hospes, sis) pratáque nobis*
In studio potius, quàm fugitiua seges.
Proinde, tibi si tam fossura, & aratio *cordi,*
Ausonios melius hinc erat ire tibi.
At breuius tu quæris iter. mane. (nam quid opus te
Circumagi?) Gallos i pete Sequanicos.
Hic, vbi noster habet rem factam *Malchio (lapso*
Parce) illud, fractam *dicere* rem *volui.*
Aut illum inuenies pro libris poma legentem; *aut*
Vino, *inter molles*, depositum, *pueros.*
Sed propera, quàm vasa *prius* conclamet, *& illum*
Creditor infestam vertere cogat humum.
Velle etenim, fama est, aliò transferre celocem,
Lucillique cito vim *in Ligerim euomere.*
Quid cessas? Vestrum istud *(ais)* non curo Latinum
Antiquum. *satis est* Conditio *vna mihi.*
Iam scio: fors Catiana tuo Conditio ventri
Quæritur, & cura est vncta culina tibi.
Macte: hoc ad Genium sapere est. &, des veniam, oro,
Haud percepta prius quòd tua vota mihi.
Erroris, contracta tibi malè syllaba, nobis
Causa fuit, quam producere debueras.
Non intelligimus, video, nos inuicem; *abire*
Prìus sine me, vt quæram conditionem *aliquam:*
Discipulum dico. Cui rei, quid eo aut opus? inquam.
An verò Ars aliqua est, quam profitere, tibi?
Vah, rogitas? scito me Promotum *esse. Quid istuc*
Verbi? (inquam.) Ecce Actus *hic tibi dicet; ait.*
Huc cedo, vt inspiciam; si possim noscere, qua sit
Conceptus lingua, Cimbrica, an Vtopica?
Ridiculum, quasi non agnoscas verba Latina,
Queis mage nec congrus Congruus *esse potest?*
Ecce iterum, dicis quum Congrua *verba Latina,*
Congrua sermoni verba Latino vbi sunt?
Heu facinus. quid? non videor tibi Congruus *ipse,*
Louanij tanto tempore qui studui?

Artes qui didici Septem, ac Promotus *in iiſdem?*
At, puto, non videor eſſe Poëta tibi.
Omnes dum præ te contemnis, Iane, Scotiſtas
Noſtros, téque vnum Carmina ſcire putas.
Percontare tamen: Metra *ſæpe* ex tempore *centum,*
Vno ſtans fixus in pede, *compoſui.*
Vena *adeò* fluida *vſque mihi, ſierîque Poëtæ*
Laruato *licitum, ſi libuiſſet, erat.*
Rem magnam narras. equidem (ſi credere dignum)
Neſcibam venam *ſic* fluidam *eſſe tibi.*
Iure proin, Latij ſi nominis indigus eſſes,

A *Pro* Nerua Veuox *indigitandus erat.*
Dignus, Cirratis *qui præficiare Magiſter,*
Obtineas nomen *dum modò,* Nerua, *tuum.*
Aut Pullarius *vt fias, pro* Farre *cui glans*
Seruiat, à Pullis *dum capis* Auſpicium.
At tibi Florales potius ſtat pandere ſaltus,
In quibus & laxa eſt, nec fugitiua Venus.
Macte igitur, pateántque tibi ſecreta Suburræ:
Nec minus vſque tuum ſcrobs voret atra caput.
Macte inquam: vel eò vſque latus dum rupers iat, ne
Furcillis præceps eiiciare, *vide.*

F I N I S.

IANI DOVSÆ NORDOVICIS SCHEDIASMA SVCCIDANEVM

nuperis ad Tibullum PRÆCIDANEIS addendum.

Eiusdem ad familiarem quandam GERARDI FALKENBVRGII Epistolam responsio, ab adolescentulo iam olim commentata & scripta: ac nunc recens primulùm Tibulli & Propertij caussa maximè, quorum enarrationes partim, partim correctiunculas continet, typis aliquando diuulgata.

Ianus Dousa Nordouix Paulo Melisso Franco Comiti Palat. & Eq. Cæs. C. Ro. S. P. D.

NSIGNITÆ ac raræ in A Falkenburgio nostro animi dotes fuere, magnum honestissimarũ artium studium, industriæ indoles haud vulgaris cum pari integritate coniuncta. iam sermo, conuictus, mores, omnia ad venustatem facta oppidò.

Sed hæc modò (heu) fuere: nunc recondita
Silent quiete.

verum vt vel hinc esse Nasonianum illud conuincamur scilicet: B

Optima prima ferè manibus rapiuntur auaris,
Implentur numeris deteriora suis.

Et quisquam leges audet mihi dicere flendi, qui quidem Falckenburgium visum vnquam cognitúmque habuerit sibi? Non tu scio, mi Melisse. etsi iure id quidem. non enim amoris pertinacia te vinco; erga Falkenburgium vtique, cui & tu interiore adeò familiaritatis nexu obstrictus, & diuturnioribus quotidianæ vitæ delinimentis tantùm non agglutinatus fuisse videri potes. Itaque nihil etiam addubito, quin contubernali tuo, ne dicam fratri, lessum propè feceris lamentando, atque istam animi tui ægritudinem naturali potius, quàm Poëtico pipulo exoneraueris iam olim. Quid enim? coniecturam ipsus facio de me.

Quasi fortè dies potuit te soluere cura,
Quam tibi duritiem pectoris esse putas?

Ego certè in hominis amicissimi mentione desiderio admoderari vix possum: eò mehercule iustiori, quò crudior immaturiórque bonis omnibus eiusdem interitus visus.

Accedit lachrymis nostris lethi genus ipsum,
Letho omni, atque ipsis tristius exsequiis.

Quod vel maximè dolorem meum exulcerat; obuersatur oculis communis rei literariæ nostræ iactura, tot vigilatarum noctium cassi atque infructuosi labores scilicet. quorum opera haud dubiè comparitura fuerat aliquando, si virtutes huius maturuissent. Et hæc quidem querimonia in publicum spectat: illa priuata ac priua magis, fides nempe constantiáque amoris eius te cognita & mihi absenti tamẽ; ne superioribus quidem tempestatibus tristissimis illis ac multò turbulentissimis vel minima sua ex parte conuulsa vnquam aut labefactata.

Testes missa tuo auspicio Schediasmata, testis
Conscriptum articulis huius Epistolium.
Quæ nisi grata mihi duplici tum nomine, caussam
Haud dico, ingratus quin tibi iure eluam.
Atque etiam Falkopyrgum si nullus amasset
Dousa, tamen poterat munus amare tuum.

Teſtis nouiſſima denique ipſius, quem dico, & quidem in intimam vſque Batauiam tribus ante obitum ſuum annis, mei ſolius videndi cauſſa, ſuſcepta ſimul & peracta peregrinatio. vt interim vetera illa & Brabantica ne dicam, opera eiuſdem potiſſimum ac comitate Io. Goropium (at quem virum?) Doûſicæ amicitiæ inſinuatum primitùs: ſimul Nordouicis Muſæi quaſi incunabula muſteo Nonni volumine, ingenioli noſtri vix etiamdum herbeſcentis primitias honeſtiſſimo Græci Epigrammatis præconio auctiores redditas, imo verò honeſtiores. de quarum editione maturanda idem ille non minus id têporis anxiè ſatagere videbatur, quàm ſi res ſua ipſius fuiſſet. Itaque & Siluianam ſegnitiem increpare, moráſque caſtigare identidem: mox etiam, quum noſtra illa prælo ſubiicerentur, non modò in re præſenti eſſe, ſed verò operis quoque ipſis ac typorum correctioni præeſſe: frequentes & quaſi ſtatas cum Victore meo operas tradens mutuò: qua cura, qua fide, vel nobis tacêtibus, indicio res ipſa. Quo quidem tempore (annis putà abhinc duodecim) neſcio quæ ſubſeciuæ operæ in Tibullum ac Propertium hariolationes, ſic quaſi ſub manu natæ, quodámque iuuenili impetu potius, quàm moroſa cogitatione expreſſæ deſubitò nobis pænè abortientibus exciderant. Dederam hoc Becani auctoritati, dederam ipſi in primis Falkenburgio; cui diutius id ipſum debere non poteram, exactione præſertim æquiſſima & quidem per ſcriptas literas efflagitatus. nihil minus fore cogitans tamen, quàm vt ea porrò vnquam.

Luminis in dias oras, inque ora venire
Docta virum, aut plauſus pateret captare popelli.

Eius adeò opellæ exemplum per ſuperiorem illam pluſquàm ciuilium bellorum procellam temere (vt fit) inter liturarios meos abiectum, & quaſi pro derelicto, imò perdito habitum clam neſcio quò ſubterduxerat ſe nobis: Iacturã haud ſanè grauem, ſi iactura dicenda vitreorum fractorum, ſcutorúmque aliquot, vel inanium potius quiſquiliarum amiſſio. Sed profectò Fortuna plæraque rerum humanarum ex lubidine agitat ſua:

Et verè nimium Victores cum grege Vatum,
Vere inquam atque catè (neque fingunt omnia Vates)
Qui rota inhærentem conſiſtere caſabundam,
Nec ratione minus, quàm luce oculíſque carere,
Carminibus, pictíſque fidem fecere tabellis.

vt nihil mirum iam ſit, numen Deæ iſtius ventoſiſſimæ in nugis iuxtà ac ſeriis dominari,

Seu potius ludos more ſuo facere.

Quid euenerit, rogas? Quod quidem ego hercule nullus vnquam ſperaram, neque iſtiuſmodi apinarum prolubio meruiſſe ſanè videbar mihi. & vide, obſecro te. *ἀνάγνωθι*. Ipſam farraginem illam, quam dico, Falkẽburgius noſter iam olim cum amicis communibus, Becano puta, Giſelino, aliis communicatam etiam Pulmanno inſuper ſuopte eã arbitratu pertractandi fecerat copiam. qui iterata lectione non contentus racemationes haſce noſtras per fidem (vt dixi) aliquantiſper mutuatus primulùm, mox manu ipſe ſua accuratiſſimè transſcriptas ſibi porrò ac familiaribus excepit. Quod melius caderet, nihil vidi. Etenim idem Pulmannus hic noſter anno ſuperiore (quoniam quidem operam nos haud infeſtiuam Tibullo dare de Plantino didicerat, imò inibi iam eſſe, vt in eum Poëtam opus aliquod Præcidaneum appareret) opera quoque hîc ſua parcus eſſe, vel tam bellę occaſioni deeſſe noluit quo minus apographum iſtud

Per varios caſus, per tot diſcrimina rerum

in hæc tempora ſeruatum Lipſio noſtro ad nos redituriẽti (vt Andverpiæ fortè in eumpſe inciderat) promtus vtique ac lubens vltrò oblatum traderet, dę manu (quod aiunt) in manum, ad Doûſam perferũdum Lugdunum vſque, hoc eſt, auctori ſuo reſtituendum in tempore. Ita quod & ſuopte merito, & ipſius adeò ſcriptoris incuria (certò, haud arbitrariò dico) in perpetuum perierat, exſcriptoris induſtria & benignitate poſtliminiò receptum denique ac recuperatum.

Quorſum hæc tam putida tendunt? inquies.

Haud aliò, mi mellitiſſime Meliſſe, niſi vt quî me ambos anteà (tam Pulmannum, quàm Falkenburgium dico) viuos maximè ſcis dilexiſſe, eorundem nunc defunctorum charitatem ſuperſtite adhuc deſiderio extendere, gratámque apud me vtriuſq; porrò ac ſanctam eſſe memoriam intelligas. quam leui hoc ſcripto apud poſteros quoque volui eſſe teſtatam. ſimul, vt in eapſe illa, quantum quidem in me fuerit, propaganda cum amborum laude nomen pariter coniungens tuum, impetrabiliorem me concinnem tibi, in hocce quicquid eſt affaniarum diuulgando, quod virtute communium (vt dixi) amicorũ maximè è mediis quaſi incendiis ſubductum te patronum iampridem atque aſſertorem quæritat ſibi. Haud aſpernaberis, puto, veteres haſce, ne obſoletas dicam, Doûſicæ adoreæ primitias, quam & aliis nonnullis complacuiſſe iam anteà, dignámque inſuper ſcis habuiſſe, vnde belliſsimum quódque ſublectum in cameras palam conuerrerent ſuas, nouo adoptionis iure ſcilicet. Ego autem quemnam iuſtius adoptem mihi, cuiúſve vindicis potius implorem fidem, quàm illius, cuius ipſe auctoritatem haud minoris ſanè æſtimo, quàm publicam. Quare ſi veterem illam conſuetudinem adhuc tuam in mutuo faciundo obtines atque conſeruas, hoc omne quicquid eſt oneris pro dignitate vtriuſque noſtrum tuẽdum tibi ac ſuſtinendum putabis. Tute vnus enim ſi recipere hoc ad te dicis, confidẽntia eſt, quãtum eſt maleuolorum profligare nos poſſe. Et recipies; ſcio; neque Doûſam vnquam tuum in tanta obſtrigillantium ſtribiligine deſeres aut deiuuabis, neque factis, neque fide; in re præſertim cõmuni, & quæ non minus ad Falkenburgij ipſius & Pulmanni abſentiũ honorem, quàm ad Doûſæ præſentis, hoc eſt, viuentis etiamnum ac ſuperſtitis exiſtimationem pertineat. Id verò tuo iſto patrocinio ſi conſequar.

Poſſum inimicitias tunc ego ferre Iouis.
Hoc certè (ſi cura animis ſuper vlla beatis
Rerum humanarum aut ſenſus ineſt aliquis)
Pulmano gratum, gratum quoque Falkopyrgo
(Crede mihi) quamuis poſt obitum eueniet.

Dispectánsque polo nobis applaudet vterque.
Quum sua lecturi nomina iuncta tuis.

Et hic quidem eò mehercule impensius, quoniam & ipsus quoque

Tanto post, aliquot nota Pelasga hic
Scriptorum à se Epigrammatum structes,
Iunctas literulis suis meisque,
Gaudebit pariter mihi, sibique
Recognoscere, ruminarierque.

quæ quidem Epigrammata idem ille, quum nouissimè (vt dixi) in Batauis nos interuiseret, amori monumentum suo, pignori pro se discedens reliquerat nobis: vna nunc opera, Iuniani honoris gratia maximè, relictis Vestæ penetralibus lucem primùm (vt vides) aspectura. Habebis præterea (id quod rei est caput, quódque priore adeò loco oblatum oportuit.)

Quoddam alterum hic sub nomine apparens tuo
SYNTAGMA *nostrum, rebus effertum nouis:*
SYNTAGMA SVCCIDANEVM *Notis illis,*
Quas ad Tibullum publicauimus nuper:

quasi Epistolæ illius ad Falkenburgium directæ anteambulonem. de quo (ne epistolæ modum excedam) impræsentiarum aliud præfaturus nō sum, quàm proletarium illud nostrum, cuius abs te sententiam mutuati scilicet:

Da veniam subitis: &, dum legis ista, memento
Me dare non librum, sed Schediasma tibi.

Vale, & fac rogo mutuum Melisse,
Mel & mellinia meæ Melisse.
Vale, quicquid amas (ocelle) Doûsam.

SCHEDIASMATIS SVMMA.

E Galli, Virgilij, Horatij, Tibulli, Propertij, ac Ouidij ætate denique distinctè ac dilucidè, cúmque antiqua adeò tum curatum fide dissertum. Tibullum *omnium Collegarum suorum (de Elegiæ scriptoribus loquor) si Gallum vnum excipias modo, quantum Eroticorum clasis antiquissimum; contra receptissimam illam, ne dicam præiudicatam tam huius, quàm superioris sæculi opinionem, quæ inter Tibulli ac Ouidij Natales nullum hactenus discrimen factum. in quo tantus Chronologorum error fuit, vt ante egressum ex ephebis Equitem istum Sulmonensem haud ætate prouecta atque adultus modo, verùm & iusto quoque militiæ sacramento auctoratus pro acri & strenuo ad legionem bellatore laudatus fuerit Tibullus noster: donis insuper militaribus virtutis ergò ab Imperatore suo meritus cohonestari. Id argumentis ac rationibus multò euidentissimis firmatum, ad sorcillandam supposititij illius Pentametri fidem scilicet, cuius de Ouidiano penu Tibullo condonati communio omnes ad vnum Antiquarios nostros frustrà ac falsos habuerat anteà. Eam in rem Horatiana auctoritas ad partes adducta, etiam Ouidij, nusquam inter æquales, sed verò vbique inter superioris ætatis Poetas Albium Tibullum recensere visi. Gallum solido, quàm alij volunt, sexennio grandiorem, hoc est, non ternos, sed octonos annos supra quadragesimum natum fuisse, quum à communis lucis vsura sese abiudicaret. Eius Memphitici Regni procurationem, per quadriennium vnum continuatam modò, nō in annum V. C. DCCXXI. verùm potius DCCXXIV. incurrisse, præter mentem Interpretis Horatiani. Lilianæ frustrationis castigatio à Dionis verbis minus cautè & cogitatè perpensis (vt apparet) natæ. Mæcenatem annum vnum modò aut alterum Horatio superuixisse, funúsque adeò Poetæ sui lugubri Epicedia prosequutum. vnde illorum pariter hominum denudatur inscitia, qui vitam Satyrici huius supra quartum ac sexagesimum annum producere conati. De Propertiani tum obitus, tum Natalis anno coniectura. Tibullum eadem ferè tempestate, qua Maronem, fatis concessisse, oculato quoque Marsi testimonio probatum, & quidem quadragenario maiorem: nimísque frustra esse eos, quibus in ipso iuuenilitatis flore exstinctum atque ante diem properato funere elatum placet, cùm Horatiano indicio, tum indubitata Tibulli ipsius confessione argutis conuictisq;. Iuuenum, siue adeò Iuniorum appellatione insignitos iam inde à Regiis temporibus quorum ætas annum nondum XLVI. supergressa. neque alia ratione Iuuenem quoque Tibullum à Marso perhibitum videri. Odam Horatianam Albiano nomini inscriptam ad alium neminem, quàm ad Elegographum nostrum pertinere: neque eos audiendos qui nescio quem Tibulli auum nobis consomniarunt: multò minus Crinitum, qui Poetæ huius familiarem Propertium faciat: quo argumento inductus, nescio. Alia quadam moneta haud vulgaria.*

Tempus esse iampridem videtur, vt de Tibulli, déque primorum ac signiferûm aliquot felisissimi illius Octauiani sæculi Poëtarum ætatibus vnū insuper etiamnum Caput coaceruemus, quod Præcidaneis in Tibullum nostris colophonem imponat denique. Sciendum igitur Seuiris illis, quos in Syntagmatis huiusce frontispicio nominatim recensui singulos, omnibus ætate superiorem fuisse Cornelium Gallum. quippe cuius Poëtæ Natales in C. Casij Vari, ac M. Licinij Luculli Consulatum incidisse tum de Seruio, tū ex Eusebianis Chronicis docemur, anno Vrbis conditæ DCXXCI. eo ipso scilicet, quo à Germanis duce Ariouisto occupatas Gallias, in Italia verò bellum Seruile à Spartaco cōflatum, fidem Romani nobis faciunt Annales. Quem intra nō totius quadriennij vertentis spatium Heroicus ille diuinissimi Maronis Genius consequutus, anno DCXXCIV. ipso inquam Iduum Octobrium die, M. Licinio Crasso, & Cn. Pompeio Magno Coss. Nec plus singulari lustro interposito exortus nobis Horatius, ad VI. Idus Decembr. L. Aurelio Cotta, L. Manlio Torquato supremum illum Magistratum gerentibus, anno nimirum DCXXCIX. biennio autem ante Augusti Cæsaris Natalem, & famosissimam illam L. Sergij Catilinæ coniurationem à M. Tullio Cicerone, & C. Antonio anni sexcentesimi nonagesimi primi Consulibus detectam pariter oppressámque. Atque vt hæcce omnia in confesso, ita diem annúmque, quo Sex. Propertio lucis huius tuendæ copia data, vsque ampliare porrò, & velut in suspenso habere cogimur. suspicari tamen possūmus haud inani vtique aut languidæ fidei coniectura, eumpse anno post plus minus octauo, nonóne, an decimo?

Vitales hausisse auras ac lumina prima.

Argumentum, quod dico, nullum sanè aliud, quàm Poëtæ ipsius indicium habemus; apostrophen istam scilicet, qua ex persona Hori illius

Babylonij idem semet ipsus affatur postremo demùm Elegiarum suarum volumine:

Ossáque legisti, non illa ætate legenda,
Patris, & in tenues cogeris ipse Lares.
Nam, tua quum multi versarent rura iuuenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox, vbi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante Deos libera sumta toga;
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

Ecce vt statim, aut non multò certè post acerbissimam illam Octauianæ Perticæ metationē, municipaliúmq; agrorum (quos subinde à Philippensi bello veteranis in Italiam reductis assignādos dispartiendósque de communis Triumuiratus sententia ad se receperat Augustus Cæsar) patratam iniquissimè diuisionē, Prætextam depositam sibi, vicémque eius Virilem Togam assumtam, aureæque Bullæ ornamenta Dîs Penatibus ex more maiorum suspensa ac religiosè consecrata, disertis de semet verbis profiteatur Propertius noster: vno post Nasonem editum anno scilicet (qui iam inde ab Vrbe primùm condita septingentesimus porrò ac duodecimus numeratur) eo ipso inquam, quo Tiberium Imperatorem natum prodidit Suetonius. Quam quidem Togam, hariolari licet, Vmbrum illum XVII. demum ætatis anno accepisse:

Secli nempe sui morem atque exempla sequutum
Vergilij inprimis, Donato vt teste probare est.

Tametsi de Lipsio meo didicerim nuper, legitimum Tyrocinij diem apud Romanos annum XV. fuisse; atque exinde prætextatos de ritu prisco in viros ex ephebis referri occœpisse primitus: neque quenquam ante XIV. annum vertentem ius porrò habuisse liberæ ac Puræ vestis sumendæ. A qua mente non nimium diuersa Vetus Horatij Commentator, qui pueros nobiles prætexta veste sub disciplina ad annum vsque decimum quintum vsos, apertissimè agnoscit. Cuius instituti rationem quamobrem migrasse Callimachum illum Romanum planissimè persuaserim mihi, faciunt ipsius verba suprà à nobis posita hoc exemplo:

Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.

Probabilius enim, vt Propertium septemdecennem Genij atque ingenij maturitatem ad Elegiæ scriptitandæ studium contulisse opinemur, quàm vt vix penè etiam tum puberem, necdum pennis planè enatis scilicet, præcoci nimium ac temerario conatu Pegaseiam illam volaturam auspicatum comminiscamur,

Icari ritu, vitreo daturum
Nomina ponto:

atque (vt cum Petronio dicam) cruda adhuc studia non in Forum, sed verò in penitissima illa Callimachi ac Philetæ nemora, præcipiti sanè, ne puerili dicam, impetu potius, quàm iudicio aut ratione suffultum propulisse. Quid enim? Aliter

Heroës illi, seu Grati, siue Latini vetustiores

atque nos hodie vix trioboli, imò vix semissis versificatores, quibus totum istud, quod Poëtari vocamus, Scholiasticum nescio quid, ac modò non puerorum nænia; neque pol aliud sanè, quàm nugarum atque ineptiarum exoletus quidam ludus videtur. Præposteri homunciones (nam quo potius nomine honestè istos appellem, dubito) qui secretissima sacratissimáque illa Musarum penetralia vnis puerulis modò, vel nescio quibus de triuio Magistellis patere, credi postulant sibi: in quorum aditu pertentando grauissimos quondam, maturrimæque tum ætatis, tum prudentiæ viros séque ac spes suas corrupuisse, irrito sæpe euentu comprobatum videmus. Propertius ergo non Ouidio modò, verum ipso etiam (si Dîs placet) Tibullo antiquior. quorum vtrumque Hircio ac Pansa Coss. natum, vno ante Ciceronem denatum anno scilicet, Vrbis verò conditæ DCCXI. ipsis de se scribentibus fides communiter, & quasi præiudicio quodam habita vsque adhuc. Ac de Ouidio verum fateor, eumpse nimirum altero Quinquatrium die, qui quidem sextus post Idus Martias numeratur (vti primitus à Lipsio nostro ratio isthæc putata examussim rectissimè.)

Dias productum in luminis auras.

De Tibullo ne inducar, temporum obseruatio repugnat planissimè. Nam quid amabo absurdius, quàm eundem cum Sulmonēsi illo annum Natalitium Quiriti assignare huic nostro? quem vtique ex relatu Elegiæ ipsius VII. apertissimè constet iam tum in re præsenti oculatum potius, quàm auritum testem fuisse, qua tempestate M. Valerius Messalla cognomento Coruinus Aquitanas gentes Proconsulari potestate præditus subiugarat. Vnde Triumphus eidem meritò de victis Gallis ab Augusto quoque Cæsare citra inuidiam concessus. Ait enim Poëta ipsus de se, nec mentitur in gloriando:

Non sine me est tibi partus honos: Tarbella Pyrene
Testis, & Oceani littora Sanctonici.

Quò etiam pertinebit vetus illa & quidem Italica Inscriptio, Tibullo ac nobis haud iniuriâ sanè à principe illo Scaligero commendata in Catalectis suis:

M. VALERIVS M. F. M. N. MESSALA
A. DCCXXVI. CORVINVS SPROCOSS.
EX GALLIA VII. K. APR

Nisi si fortè Equitem nostrum adhuc prætextatum, necdum etiam ex ephebis plane, id est, statos puerilis Tyrocinij annos egressum (Lipsianam computationem sequi me scito) haud quidem castra, sed verò Tabernaculum Messallæ sui pro culcitella officij caussa comitatum cauillemur. vt esset, quò Proconsul (vt fit) conquiniscens incubitare posset scilicet. Atqui haud stipendia modò (quæ quidem ex prisco Romanę militiæ more non nisi decimum septimum annum supergressis legitimè primum ac sollenniter procedebant) Tibullum ipsum fecisse, verum hercule donis etiam militaribus hoc ipso bello Aquitanico ob rem gnauè, haud ductariè gestam ab Imperatore suo donatum ornatúmque insuper, fidem porrò abundè fecerit nobis vetus illa Vitæ Albianæ commemoratio calamo exaratæ, non typis inquio. cuius ibi gustum quoque aliquantum nobis præbuit idem ille,

quem dico, Imperator noster Musicus;

Nunc etiam Coruina ingens de stirpe propages
Scaligerus condignus auis & Cæsare patre.

Ecce nunc alterum quoque non minus vtique persuasibile ab Horatio argumentum, Poëtam hunc nostrum ita I. Carminum lib. Oda IV. de Glyceres eius insolentia ac fastu amiciter sanè consolante:

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ: neu miserabiles
Decantes Elegos, cur tibi iunior
Læsa præniteat fide.

Nam quî pote obsecro, vt Tibullus id ætatis Elegos istos miserabiles decantare potuerit, quem (si bene calculum ponimus) hoc temporis vix trilustrem ad summum, id est, quindecim annorum Poëtastrum fuisse comperiemur? Doceo ab ætate ipsius Horatij, qui proximo ab hoc volumine, tot tantísque interiectis Odarum struicibus, quadragenarium sese professurus primulùm, hacce ad suspiciosissimum Sodalem suum clementi sanè deprecatione: *Fuge suspicari,*

Cuius octauum properauit ætas
Claudere lustrum.

Vt enim biennij vnius vertentis spatium intercessisse demus modò, inter prioris illius, atque huius, quem postremùm laudauimus, Horatiani Carminum libri compositionem, effici tamen nullis argumentorum probationibus potest, vt grandæuitatem istiusmodi Poëtæ huic nostro Arithmeticorum exculcet quispiam, quæ vel Glyceræ malacissandæ pro tenellæ adeò ætatulæ captu opportuna satis; nedum vt Elegiæ aptè scribendæ tempestiua esse aut haberi potuerit. Huc tertię ab hac Odes insuper auctoritas si accedit, victoriam illam nobilem vereque Augustum, qua apud Actium cum collega Antonio & Cleopatra Ægypti Regibus de summa Imperij actum, ac debellatum denique, Cæsari congratulantis; vix erit, vt vel duodecim annos modò argutulo isti Glyceres amatorculo, adde Elegiarum cantori,

Vnde vnde, aut vllis rationibus extricemus.

si quidem superiorem illam in vulgus receptam de Albianis Natalibus opinionem, ne hæresin dicam, alere porrò obstinatè ac fouere pertendimus.

At qui diuersum longè sonat Appula Pitho.

Quò enim clausula illa iã laudata à nobis modò?

Cur tibi iunior
Læsa præniteat fide.

nisi, vt vel hinc saltem sic tanquam in speculo Tibulli amatoribus diluceat, Poëtam cum alia re magis nulla æmulo ac riuali suo ab amica postpositum, quàm quòd alter iste plenus adhuc succi ac sanguinis, viridiórq; haud paulò ac neruosior, id est, Veneriam ad palæstram valentior robustiórque, noster contrà maturioris æui indidémque languentior fortasse, quàm virosæ illi contemnificæque ac fastidij plenæ expediebat, haud obscurè oppidò videretur. tantum abest, vt vel adolescentulus,

Vel adhuc florente iuuenta
Feruidus officium Dominæ suáque arma probare
Posset Eques, genuúmque hac tempestate virorem.

A Satin' certum, ac tot testimoniis in vnum constipatis illustre factum denique Tibullum nihil minus, quàm Pansa Hircióque Coss. nasci potuisse? & Pentametrum illum:

Cùm cecidit fato Consul vterque pari,

ex Peligni vestiarij synthesibus Romano huic Elegiographo perperã ac præter omnem Chronologiæ fidem assutum? Certissimum vtique, & confirmat hariolationem nostrã idem Triumuir iste, quem dico Sulmonensis suffragio perpeti, vno Cornelio Gallo tantum (cuius diem Genitalem in annum Vrbis cccxci. incurrisse, demõstrauimus iam anteà, sex minimùm ante Nasonem editum Lustris, id est, totis annis xxx.)

B Tibullum inter Elegiographos Latinos natu faciens posteriorem: haud quidem sibi modò, sed verò ipsi Propertio quoque hac ætatis prærogatiua disertè prælatum non semel: nusquam tamen euidentius, quàm libri Tristium v. Elegia x. quem locum, huicce proposito meo haud sanè disconducere videtur, totum porrò integrúmque lecturis proponere; ad coniecturæ nostræ stabilimentum:

Temporis illius colui, fouique Poëtas:
Quótque aderant vates, rebar adesse Deos.

C *Sæpe suas volucres legit mihi grandior æuo,*
Quæq́; necet serpens, quæ iuuat herba, Macer.
Sæpe suo solitus recitare Propertius ignes,
Iure Sodalitij qui mihi iunctus erat.
Ponticus Heroo, Battus quoque clarus Iambo
Dulcia conuictus membra fuere mei.
Et tenuit nostras numerosus Horatius aures,
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
Vergilium vidi tantum: nec auara Tibullo
Tempus amicitiæ Fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi Galle, Propertius illi,
Quartus ab his serie temporis ipse fui.

D *Vtq́; ego maiores, sic me coluere minores;*
Notáque non tardè facta Thalia mea est.

Vbi ritè ordináque ordinem ab Ouidio conseruatum videmus, in eorum præsertim Poëtarum commemoratione, quos tyro ipsus atque adulescentior Musarum candidatus modò,

Spectatos satis & donatos iam rude pridem.

quasi veteranos emeritis stipendiis, Romæ cognitos olim habuisset sibi: egregiis ingenij facinoribus potius, quàm effœti senij canitudine, vel caluitij nota venerabiles: quorum adultæ ac maturæ gloriæ nouellus ipse veluti surculus succresceret.

E Quo in numero Eroticorum illum Poëtarum principem (Cornelium Gallum dico) desiderari, quid mirum verò, aut graue? quando is octauo supra quadragesimum ætatis anno (quoniam in coniurationis suspicione apud Augustum positus fuerat) sua sibimet manu condemnatum eliserit spiritum. quo quidem tempore ex ephebis primùm excesserat Naso. Quæ computatio eò presisius à nobis exiliúsque annales ad calculos reuocata, quòd in hac ipsa & vitæ & præfecturæ Cornelianæ terminatione Crinitum, Lilium, Cruquium, cæterósque quantum est calculatores

Longius à vera videam ratione vagatos.

nemine non istorum sic quasi pro confesso adseuerante, Gallum nostrum matura iam inde æta-

te, anno nẽpe tertio & quadragesimo, gladio ius dixisse iactantiæ, ambitioni, atque insolentię suę, hoc est, manufacta morte decretam aduorsum se Senatus damnationem in tẽpore præuenisse, vel potius ante tempus. Perperã (vt dictũ est prius) imò verò contra compertissimam Romanæ historiæ fidem. quippe quem ex Fastorum Consularium subductione certo certius constet, anno post Ægyptiis denique, tum primùm Prouincialibus factis, cum Cæsariano imperio præfuisse. non quidem ab Vrbis conditæ (vti Horatiano Interpreti placet) anno DCCXXI. vsq; ad DCCXXIV. (intra quod annorum spatium Regni Memphitici summa adhuc penes Antonium & Cleopatram, vel ipsi quoque Augusto formidolosos. tãtum abest, vt vel Cornelianæ Præfecturæ, vel Octauianis decretis per eam tempestatem locus aliquis in Ægypto esse potuerit, superstite etiam tunc, imò dominante triumuiralis Imperij collega) verùm hercule sub eiusdem, quem postremùm nominauimus, anni exodium, vel potius anni DCCXXV. sequentis exordium: in vacuam scilicet Regiam impetum faciente Octauio. quam solitis præsidiis destitutam, & sine vindice, victoris impotentis libidini, hoc est, prædæ ac pœnæ expositam obitu suo reliquerat Antonius: mandandam porrò exinde (suspectis ac præteritis Senatoribus) Equestris ordinis homini, nouo huicce Foroiuliensi Procuratori, qui eam sub nomine Cæsaris in Prouinciæ formam redactã per quadriennium vnum modò, nec id tamen totum, tractasse princeps atque administrasse creditur. Cuius quoniam & ætatis, & annorum quibus apud Niliacas gentes cum publico imperio fuit, plus satis superque ratio à nobis expensa ac disputata, quid prohibet eundem vna quoque opera à manifestæ calumniæ ignominia, qua præter omne meritum suum à Lilio nescio quo Gyraldo indignissimè affectus, quantum quidem in me est, vindicare porrò atque defendere? Nec enim æquum esse arbitror, vt Poëta tantus, tàmque omnibus modis lepidus alienæ improbitatis atque malitiæ piaculari ritu succidaneus fiat: vtque in insontem expetant, quæ ab altero malignè, imò verò iniuriosè patrata nobis cõmemorat Dio lib. Rom. Hist. LIII. vbi postquam Cornelianum nomen à Valerio Largo, qui socius ei & conuictor fuerat, ad Cæsarem per summam perfidiam, atq; iniustitiam delatũ posteris prodidisset, subdit exempla nõnulla denique, quæ ad ingeniũ & mores ingratissimi criminatoris propius penitiúsq; percognoscẽdos facere cumprimis visa. è quibus illud nimis mehercule præ cæteris festiuum ac memorabile de Proculeio: qui cùm aliquando accusatori isti quem dico, Poëtæ nostri euersori, fortuitò obuiam factus esset obiecta manu os & nares ipse compresserit sibi. iis qui secum erant hoc quasi signo innuere volens scilicet, parum tutum esse Largo præsente vel loqui, vel respitare. Item alterum de nescio quo testiculante, ac responsum Largi, quo palã ignorabilem se illi obiectum professus fuerat antea, superstitibus arbitris in Tabellas publicas referente. Quæ certissima vtraque malignantis, & quadruplatoris animi indicia, tanquam de ipso Cornelio Gallo, non autem de criminatore eius Valerio Largo narrata, ex Dione porrò nobis obtrudit Lilius. Os hominis. at quid simile? quasi verò inter Accusatoris & Rei vocabula discrimen nullum? At ego duo ista non minùs dissidere inter se,

Frigida quàm calidis duco, atque humentia siccis.

Qua quidem in re vtrùmne incuriam Lilianam magis, an inscitiam, an verò madidam memoriã potius demirer, nescio. Sed nos, silicernij huius affaniis valere iussis, ad Galli præfecturam denuò conuortamur, qui (id quod memorare occœperam modò) in hac prouincia sua multorum millium interuallis dispretus,

Ac procul Vrbe Remi, fallaces ad ostia Nili,

quasi extra terminos sepositus, quid mirum inquam, si Ouidio, Romę per ea tempora degenti, præsto esse nõ potuit; nedũ familiariter vti puero etiam tũ inuesti quadragenarius? At verò de Horatio, item Propertio, quibus per ætatem vti potuit, quorúmq; adeò Musicis recitationibus Romæ aliquandiu sese haud sanè in delectatũ significat, diuersa prorsus ac dispar ratio: è quibus alterius senecta (Horatij puta) quinquagesimum septimúmne, an nonũ annũ supergressi (quandò alij Iulo ANTONIO & Fabio AFRICANO Coss. alij autẽ C. Marcio Censorino, & C. Asinio C. F. Gallo denatũ ipsum videri volunt) ad tricesimum vsque sextũ, vel quartũ saltem Ouidianæ iuuentæ Autumnum pertinuit. Enim Horatiano Interpreti ausculres caue, vitam Poëtę eius haud paullò lõgius, imò supra annũ etiam quartum ac sexagesimũ producẽti. Quod an refutatu difficile sit, vel ipsum *Mæcenatem atauis Regibus editum* interroga, condignũ illum Horatiani Epicedij cõditorem: cuius adeò Fragmentum nos nuper in nostro ad Venusinum illum Cõmentariolo ex Isidori Cẽtonib. productũ pristino nitori restituimus tandem. vnde perspicuè, ac quasi de plano dilucet Flacco alumno & conuictori suo Cilnium Equitem superuixisse: verúmque ac fatale nimis euenisse vaticinium illud, quo eundem patronum suum lamentantem Vates iste biformis consolatus fuerat iam antea, Oda XVII. libri septimi scribens scilicet: *Cur me querelis exanimas tuis?*

Nec Diis amicum est, nec mihi te prius
Obire, Mæcenas, mearum
Dulce decus columénque rerum.
Superstes ergò, postumúsque
Tuscus Eques Calabro Poëtæ.

Neq; id tamen longum. quippe qui annis duob, modo post C. Marij Censorini, ac C. Asinij Galli emortualẽ Horatio Consulatum (qui annus cõditæ Vrbis supra septingentesimũ sextus ac quadragesimus cluit) Ti. Nerone Cn. Pisone Coss. in Libitinæ cẽsum relatus denique, si quid Cassianę fidei fidẽdum. De Propertiani verò obitus tempore parùm liquidò nobis explorata veritas: nisi quod credibiliter augurari possumus iuuenem ipsũ posteaquàm Tibullo & Vergilio Poëtis pænè æqualibus, ac Cynthię delitiis suis (quæ amãti ratio est maxima) aliquantisper modo superstes vixisset, Orciuo porro thesauro traditum, etiam Horatij ac cõmunis Mæcenatis mortem (quamuis haud paullò sanè minore natu, quàm illi)

immiti atque ante diem properato funere anticipaſſe. Indicio fuerint totque ac tanta Propertij ipſius teſtimonia, quibus vt viridiſſimo flore ephebus paſſim ac velut in primis adhuc illis adoleſcentiæ fretis Euripi in morem æſtuabundus ſcilicet ab ſemetipſo depingitur: nuſquam non à iuuenilitatis gratia Veneri ſuæ commendabilem facere ſtudens ac ſatagens ſeſe. quam & Martialis inſuper auctoritate comprobare facultas eſt nobis, ita lib. XIV. de hoc ipſo teſtantis:

Cynthia, facundi carmen iuuenile Properti,
Accepit famam, nec minus ipſa dedit.

Vt vt eſt, omnium, quos ſupra recenſuimus ſcilicet, Octauiani temporis Poëtarum funere Foroiulienſis Equitis cædes anteuertit. quippe quã A. V. C. DCCXXIIX. non autem (proinde vt Criticis placet) DCCXXIV. eueniſſe, ſatis anteà iam nobis ex Caſſianæ Hiſtoriæ fide declaratum. eius inquã Foroiulienſis, cui ſucceſſor in ſcribunda Elegia Romanus hic noſter, paullò poſt Virgilij exceſſum & ipſe funeratus. Clarum id ex Epigrammatio, quod Marſo Domitio deſcribitur:

Te quoque Virgilio comitem non æqua, Tibulle,
Mors iuuenem campos miſit ad Elyſios.

Quod poſtremum de Tibulli ipſius ſententia adumbratum aptè in eiuſdem funeris laudationem conuertit Epigrammatarius iſte quem dico, Martiali vtique nõ illaudatus. Sic enim Marſo anteà præiuerat Poëta noſter, quaſi prædiuinans:

At me, quòd facilis tenero ſum ſemper amori,
Ipſa Venus campos ducet ad Elyſios.

Atqui Virgilium C. Sentio Saturnino, Sp. Lucretio Cinna Coſſ. pauſam vitæ feciſſe cognitum nobis ex Chronicorũ ſcriptoribus: anno Vrbis nimirum DCCXXXV. intra quod ſpatiũ, funeſtúmque illum Hircij cum Panſa Conſulatum quatuor modò & viginti annos interceſſiſſe reperiemus. quibus Conſulibus ſi in oras luminis editus primùm Tibullus noſter,

Non eſt, quod multa loquamur,
Nil intra eſt oleam, nil extrà eſt in nuce duri.

Quid enim aliud quæſo relinquitur nobis, quàm vt ocellum illum Triumuiratus Erotici ante annum ætatis ſuæ XXV. ad plures ſeſe penetraſſe fateamur? contra tot tantáſque rationes poſitas à nobis ſupra, & (in quo arx huius cauſſæ) locupletiſſimum illud Ouidij teſtimonium, quo Horatium, Propertium, Virgilium ipſum, ac Tibullum denique, non quidem inter ἡλικιώτας vel συγχρόνους, hoc eſt, coæuos ſibi, verùm hercule inter veteranos ſenioréſque ac præteritæ quaſi ætatis Poëtas recenſitos videmus. Vnde & Virgilium de facie modò cognitum habuiſſe teſtatur; Tibullum verò Fatorum auaritiam inuidiſſe ſibi, quò minus in familiaritatem eius, *communia ſacra colentis*, inſinuare potuerit in tempore. credo, quandoquidem Ouidio herbeſcente primulùm, eodem quo Virgilius (vti dictum eſt) anno, aut certè non nimiò poſt

Intempeſtiua conſumtus morte Tibullus,
Atque Equiti præreptus Eques collega Poëtæ.

Neque ita intempeſtiuè tamen, vt non vel ad legitimam vſque mediæ ætatis plenitudinem eundem proceſſiſſe perſuaſerim mihi. & eò quidem

A fidentius, quòd præter argumenta illa ſuperiora, partim ab Inſcriptione Veteri, Faſtiſque Conſularibus: partim ab Horatio, & Ouidio nobis adeò vſque

Largiter, ac plena ſuppeditata manu;

etiam hic ipſe Sulmonenſis noſter in Elegia illa verè Elegiaca, ne dicam, lachrymis Simonideis mœſtiore, qua Collegæ eidem ſuo tantum non leſſum lamentando facere viſus, & quidem ex profeſſo Albianæ vitæ ſummam colligens, de hac tanta obitus ipſius eruditate (illud, immaturitate, dicere volui) ne verbum quidem. quam profectò tacitam vti haberet, *Deum*
B (opinor) *haud meruiſſet diuitias ſibi.* haud magis vtique, quàm præmaturam illam Catulliani funeris præcocitatem, in eapſe Elegia obiter quidem, ſed tamen ſignificantiſſimè notatam his verbis:

Obuius huic (ſcilicet Tibullo) *venies hedera iuuenilia cinctus*
Tempora, cum Caluo docte Catulle tuo.

Quibus ſubiicit deinceps è veſtigio:

Tu quoque, ſi falſum eſt temerati crimen amici,
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ:

vbi Gallum falſo Maieſtatis crimine à Valerio
C Largo (vt diximus) circumuentum Ouidiano quoque patrocinio defenſitari videmus. Gallus proinde Tibulli ac Virgilij exſequias morte ſua ſeptennij vnius vertentis ſpacio anticipauit. quem quidem poſtremũ (Maronem dico) haud dubiè quoque hoc loco nominaturus fuerat Naſo, tanquam Tibulliani fati præcurſorem, niſi is extra Eroticorum Poëtarum numerum (in quibus nomen ſuum Catullus, Caluus, Gallus, ac poſt hunc Tibullus noſter legitimè iampridem profeſſi) experientiſſimo huic Amoris conſulto habitus iudicatúſque, ad Heroicos potius Epicóſque Poëtas ablegandus. Addatur hiſce
D omnibus vel mantiſſæ loco inſuper, honeſtiſſimum illud ipſius Flacci de Tibullo Elogium, quo eumpſe haud indignum habuit, quem *Candidum Sermonum ſuorum Iudicem* palàm ac publicitus deprædicaret. Quæ iudicij maturitas à Thalete illo Venuſino Poëtæ huic noſtro cautè ac circumſpectè tributa, an in eudem iſtam vicenarij adoleſcentis iuuenilitatem, vt is ad iudiciũ de tam elucubratis omnique ex parte politis Poëtæ quadragenarij ſcriptis ſerio faciundum, ſententiámque liberè pronuntiandam, pro arbitro, vel quaſi Cenſore adhibeatur ſcilicet, con-
E uenire aut locum vllum habere poſſit, illi viderint porrò, quibus inter Tibulli atque Ouidij Natales nullum hactenus diſcrimen factum. A quo tempore vſque ad M. Lollij & Q. Lepidi Conſulatum (quo hæc ipſa ad Tibullum ſcripta ſub eiuſdem Epiſtolarum libri exodium diſertè Flaccus ipſe agniturus eſt poſteà) Faſtorum enumerationem ritè inſtituere qui volet, illum quidem (Horatium inquio)

Tempore id quater vndenos impleſſe Decembres,

Tibullum verò vix maiorem duobus ac viginti annis fuiſſe planiſſimè eſt depręſurus. Huc bienniũ prætereà ſi accedit, intra quod comitẽ quoque Maronianæ Libitinæ Tibullum additum commõſtrauimus prius, quid? an non idem ille,

(vti dictum est modò) ante quinti lustri vorsoriam ad Campos suos illos Elysios sine viatico commigrasse inuenietur,

Illuc, vnde negant redire quenquam?

Quod si quis, non dico verum, at saltem verisimile esse, fidem vnquam fecerit nobis, eâdem operá mero meridie tenebras esse, ipsi credo Lynceo est persuasurus. Sed quid si ipsius Tibulli cõfessionem ad partes aduocemus insuper: ac ne ipsum quidem met æui sui granditatem (quam eidem assignauimus supra) clam aut dissimulanter habere voluisse, distinctè ac dilucidè doceamus, nónne caussa ista perorata? Panegyricum eius, si vacat vel lubet, consule, quo loco haud fortunas suas accisas modò; sed verò & iuuenilem quoque illum vernæ ætatulæ florem penitus emarcuisse, seriò hercule ac dolenter apud patronum suum conqueritur his verbis:

Nam cura nouatur,

Cùm memor accisos semper dolor admonet annos.

Sed adulterinus ille (vt diximus) atque à mala manu Tibullo assutus Pentameter omne istud turbamentorum Chaos peperit Scholiastis. Neque verò est, quòd Marsicum Epigramma nobis obiectet quispiam, iuuenem Tibullum decessisse confirmans. haud magis vtique, quàm antiquum illud ac Sallustio quoque frequentatum dicendi genus, quo C. Cæsarem in animosa illa, ne ambitiosa dicam Pontificatus Maximi petitione Catulo competitori suo haud obscurè prælatum, *Adolescentulum* vocat, qui sex ac triginta annorum Candidatus cluebat. neque id sine riuali tamen, scin' cuiusmodi? ipso inquam M. Tullio, qui Curionẽ, qui Crassum, qui Ser. Sulpicium denique, annum item tricesimũ, & quod excurrit, supergressos, nunc *Iuuenes*, nunc *Adolescentes* appellitet. Compertũ enim habeo, quàm & Adolescentię & Iuuenilitatis istius terminandæ liberi ne dicam ex leges fuerint Romani illi veteres, sollẽnem illam Seruîtulliani, vt opinor, Lustri rationem sequuti, qua lib. x. cap. xxiix. ex Tuberone docet Gellius, primitus ab Rege illo institutum, vt *Iuniores* ad annum vsque xlvi. supráque eum annum *Seniores* appellarentur. Tibullus igitur, tametsi (vti ego iudico) circiter quadragenarius vita defunctus, tamen ex Seruiani instituti ratione *Iuuenis* Marso perhiberi potuit: neq; in eo Latinitatis leges migratæ. Quinimò vt ipsum quoque. Horatianis propemodum Natalibus supparem faciamus, hoc est, annis quinis, priusquam moreretur, aut quaternis saltem etiam quadragenario maiorem, Romanus Callimachus subigit nos: quem duobus minimùm Lustris, vel certè sesquilustro iuniorẽ fuisse oportuit, siquidem is Elegiographo nostro Romano seruata temporum serie successor. qui ordo ipsi, in hoc sanè Poëmatis genere, & Ouidij hactenus, & omnium sæculorum suffragiis concessus. Ex quibus tum vniuersis tum singulis illorum pariter errorem est denudare, qui Epistolam illam Horatianam Albiano nomini inscriptam non ad hunc, qui in manibus nobis est, verùm potius ad nescio quem auum eius pertinere somniant, cuius

Hic fuerit porro nomine réque Nepos.

Atque ego nunc me vna quoque ibidem traho, qui in exempli illius Satyrici enarratione:

Nónne vides, Albi vt malè viuat filius?

Scholiastarum priorũ sententiis suffragatus nuper, censuerim id ipsum in Poëtam hunc nostrũ à Satyrographo illo malignè nimis ac criminosè detortum. qua in re quàm nauci non fuerim, nũc sentio denique, posteaquam ad veri inuestigationem cõuersus serò quidem, sed tamen seriò animum aduortere institi tãdem, Horatium de sese id temporis puero familiarem serere sermonem cui parens suus exemplum istud Albianum, quo filium alieno opprobramẽto maximè à luxuriæ ac prodigalitatis vitio deterreret, inãte posuerit scilicet. Qua quidem tempestate, tantũ abest, vt paternis maternisq; bonis abliguritis ad inopiã istam redactus fuerit Tibullus noster, vt ætatula ipsius id temporis non magis, quàm Horatiana huic vitio opportuna, aut vlli luxuriæ probro obnoxia per puerilitatis captũ esse potuerit. nisi si tamen ea ratione prodigum fortasse dicamus,

Qua talos Aulum correptum à patre, nucésque
Ferre sinu laxo, donare, & ludere, Vates
Idem alibi in Satyra ridentis imagine narrat.

Vt vt est, Ode certè illa libri Carminum prioris xxiii. se non ad auum Tibulli, (quem quidem ego nullius sanè coloris noui) verùm herculè ad ipsissimum Elegiographum hũc nostrum peculiariter pertinere ipsamet clamitat. quippe in qua Pholoës etiam mentio occurrat tibi. eius inquam Pholoës, à qua Marathum delitias suas torqueri Elegia ix. libri i. idem grauissimè lamẽtatur quasi expostulans, eandemque, ne puerum vsque adeò formosulum ac delicatulum nimia asperioris repulsæ indignitate pernicaciáque ac fastidiis suis perditum eat porrò, deprecatur sedulo. Nõ igitur Hirciani anni fœtus Albius noster, neq; ea (vt cum Catullo dicam) genuum viriditate, quæ eidem illi à Crinito, Lilio, cæterisq; Poëticarum ętatum Finitoribus assignata hactenus. Quorũ subidissimas frustrationes flagellare non est meum: Criniti præsertim, qui inter Poëtæ nostri familiares, & quidem intimos, nominatim etiam Propertium inculcet nobis; quum neq; hic Tibulli, neq; ille item Propertij, in tanta tamq; benigna mutui faciundi opportunitate, aliquam vel tralaticiam saltem in scriptis suis mentionem vspiam fecisse inueniantur. æmulatione, opinor, studij communis, vel nescio qua ingeniorum dissimilitudine potius; qua factum, vt alter alterum contemtum præ se fortasse minore, quàm decebat, in pretio atque honore habuerit scilicet. Scitum enim Martialis est illud:

Qui velet ingenio cedere, rarus erit.

Quam item Horatio caussam fuisse suspicor, cur Propertiani nominis memoriam inuidioso carminum suorum silentio, vel dissimulatione certè præpostera suppresserit callidus. quem tamen propter Augustam illam Principis sui, & (quæ ratio maxima est) ipsius adeò Mæcenatis fauentiam; frequentémque, imò domesticam cum communi illo doctrinarum ac leporum omnium patrono consuetudinem, inuisum sanè.

Ignotúmve sibi non est habuisse putandus.

GERARTVS FALKENBVRGIVS NOVIOMAGVS IANO DOVSÆ NORDOVICI S. D.

SERIVS eruditissime Doûsa, Nonni Dionysiaca, quæ tibi hinc discedenti promisi, ad te mitto, non quidem mea negligentia, aut obliuione tui, sed quia nullos hic interea tabellarios reperire potui, qui istuc irent. Quare, si quid de Geldrica fide sinistri fuisti suspicatus, id velim animo eiicias tuo: méque in illarum adscribas numerum, qui tibi omnia, quæ tractas, quæve cogitas feliciter euenire ex animo precãtur. Feceris rem præstanti ingenio tuo dignam, si interdum locum aliquem floridiorem, qui in Nonno valde multi B sunt, Latinis versibus expresser. ἀλλὰ τί σε ἀποδιδάσκω, αὐτὸν ἱππεύειν; Ex quo hinc discessisti, vix quicquam accidit, vnde epistolæ argumentum nasci possit, nisi quòd satis seuera in omnia bibliopolia fuerit instituta inquisitio, & quòd quinque ex tenuioribus librariis in carcerem sint coniecti. Quantum intelligo, statuetur quid crudelius, si qui sunt, in illos, qui libros veritos tempore tumultus distraxerunt. Allatus est & nuncius de morte Principis Condæi & Comitis Mongomberi, Dandelottum ferũt captum, & Amiralium accepto graui vulnere nescio quò profugisse, toto exercitu ferè ad internecionem cęso ac profligato. Giselinus noster nondũ redierat, sed Pul- C manno nunciari iussit propediem se adfuturum. Pulmannus remittit tibi Petronium cum fenore, quem quando Plantino visum erit recudere, fiet in eo honorifica tui mentio. interea de Carmine illi præfigendo cogitabis. Hadrianum Iunium summum virum à me salutare non grauaberis. Misissem illi Nonni exemplar, nisi scirem illum habere. Siluius tua Poëmata nondum inchoauit. Vrgeto hominem per literas, nunquam alioqui editionem maturaturum. Memini te nobis, cum hic esses, ingeniosissimas quasdam in Tibullum & Propertium lectiones & explicationes prælegere, quas vt omnes in vno scripsi, ita nunc eas, vel te potius ipsum requiro. nam A constitui vtrumque diligenter peruolutare tuo motus exemplo. Vale mi Dousa, & Falkenburgium tuum, cui vltrò nuper (quæ tua est humanitas) amicitiæ tuæ fores aperuisti, amare perge. Becanus, Pulmannus, & Plantinus tibi salutem dicunt. Nescire te nolui τρωξάρτας ἐν τοῖς ὑπερῴοις βατραχομυομαχίας habere rursum quod agãt, vel, si mauis, rodant. Iterum Vale. Raptim Antverpiæ. IV. Kal. April. CIↃ. IↃ. LXIX.

IANI DOVSÆ AD GER. FALKENBVRGIVM SENARII EX MERIS IAMBIS.

Horum proxima Epistola fit mentio.

ITA vsque donec esse sobrio mihi,
Bonûmque dictet ex mea lubidine
Apollo carmen: vt fuit volup' mihi
Tuarum, amice, literarum amabili
Frui lepore, pessimaq́; crapula
Malum leuare: quam diebus his mihi
Tricongiana contulit benignitas.
Habere namque dum bene hospites volo
Meos, pedémque ferre cum Pholis iuuat,
Mero impotente vicis obrutum citò
C *Frequens amystis. hîc statim omne Bacchico*
Mihi vapore dissilire sinciput:
Ità vt cerebrum habere mî puerperi
Iouis viderer, vsque donec auribus
Tua intulere se meis tabellula,
Mihi lepore qua suo illicò grauem,
Quasi flabella, dispulere crapulam.
Refectus inde Falkenburge maximas
Grauissimásque gratias ago tibi.
Neque hinc recuso, si madere denuò
Fuat lubido, quin identidem nouo
Styli lepore crapulam leues meam.
At interim valete, abeste vos procul,
Et hinc abite maximam in malam crucem,
Molesta turba, quotquot estis ô Pholi.

IANI DOVSAE AD SVPERIOREM FALKENBVRGII EPISTOLAM RESPONSIO, IN

qua suspecta aliquot Tibulli, plura Propertij loca partim tentata; partim, quæ septuosiora videbantur, aut illustrata aut explicita; nonnulla etiam vitij manifesta in melius (vti spero) nunc primùm correcta ac restituta.

Æ tu homo es quantum viuit hominum impetrabilissimus, cui satis non est, quod paupertinam bibliothecæ nostræ supellectilem augustissimo Nonni volumine, nullo beneficio meo prouocatus auxisti; nisi etiam Geldricæ insuper fidei mentione per causam iniecta tarditatis culpam deprecerit, quam tibi non negligentia aliqua, vt scribis, aut obliuio mei, sed verò tabellariorum inopia obiecit. Atque, si vel leuissimam de te vnquam sinistrè nobis suspicandi occasionem præbuisses, tacerem. nunc autem cùm nihil à te factum habeam, quamobrem non prolixè omnia de te pollicear mihi, officium meum facere cogor, téque pro nostra familiaritate leniter & leuiter commonere, proletario isto, imò verò Plautino satisfactionis genere apud amicos, (hoc est, qui amici sunt, ita vti nomen possident) opus non esse. alioquin ego plus iustis de caussis personam hic tuam assumere possim, méque expurgatum ire tibi, cui, quod tanto tempore promisi, reapse vt volui, atque vti debui, repræsentare videor oblitus. de carmine tibi nuncupando loquor. quod quidem, ædepol haud scio, an ope aliqua à Musis meis ignauissimis exculcare vel extundere potuissem, nisi vberrimum ipsis natum ex te argumentum, & quidem in tempore, literæ porrò subiecissent tuæ. Audis desidiæ excusationem. sed quid prohibet & Syluium in partem communis culpæ aduocare, qui de nugarum nostrarum Editione, quam maturare dixerat, nihil quicquam ex quo à vobis discessi, sperare nos iussit: quam si saltem vel affectam quoquomodo dedisset, nos etiam diligentia sua ad fidem tibi persoluendam fecisset alacriores, vt qui metuissemus non modò te diutius creditorem habere, sed verò & moram paratis prælorum operis obiectare, si Poëma Editioni appendendum, non tempori exhibuissemus. quod verum esse vt inducans, mitto id ipsum tibi his Tabellis insitum insertúmque. Tu quicquid id est in bonam partem acceptum aure non tetricâ exigere properabis, & vel Epigrammatum meorum, si tanti res videbitur, vel Syluarum libris adscribi curabis, vt tibi maximè concinnum erit.

A Argumentum, vt dixi, partim ex tabellarum tuarum, partim ex intemperantiæ meæ occasione natum scito, quam mihi literæ istæ tuæ delenifica sua allocutione tanquam flabello quodam commodè allatæ discusserunt. discussit & Dionysiacon suorum lectione Nonnus tuus; quo nomine gratias, in aliquo si possem, hoc est, hostimentum par pari, meritò vtque ac lubentissimè referre me cuperem tibi. Quod possum tamen, gratias ago, & quidem ingentes: téque oro ne male habeat, quòd meam tibi de locorum quorundam magis in eo Poëta insignium

B versione, operam quam exigis, polliceri nequeo. libenter & hîc quoque morem gesturus tibi, si ea in me ingenij, siue adeò Poëticæ industriæ vigeret indoles, quantam vel tu esse falsò profectò existimas, vel ipse mihi nequicquam exopto. quanquam & meapte figlina contentus, in opus alienum ire nolo, potiúsque id omne doctis exequendum relinquo, atque inprimis tibi, qui interpres es prorsus hanc ad rem vnicus, adeóque ad Dionysiaca ista omnem iampridem aciem instructam habes. vt qui Nonnum totum diligentissimè à te castigatum primitus doctissimis insuper Scholiis adpensis illustrasti. Quare aut

C ipse Poëtam illum interpretandum suscipias, aut alterum huicce negotio idoneiorem præfulcias necesse erit. Nam de me, vt dixi temerè nihil hîc quicquam Falkenburgio meo præstare ausim, memor illius peruolgati: *Ne sutor vltra crepidam.* Porrò ad Petronium quod attinet gratulor nobis aliquod fuisse opellæ illius pretium. ità eum pulcrè mihi & quidem cum fœnore remisit Pulmannus tuus, vt nihil iam vlträ ipsi ad summum felicitatis cumulum deesse existimem, præter typos Plantini nostri & Gallicanum Memmianæ Bibliothecæ exemplar, quod vtinam Pithoëus nobis inuidere abstineat diutius.

D Interim de carmine illi, vti postulas, præfigendo operam dabimus, ne editionem moretur. Hadrianum Iunium nostrum quis nam terrarum angulus habeat, ignoro. Eum, si quidem hîc apparuerit, & salute, & gratissimo nuncio tuo primus, vti spero, impertiam. Quòd verò sedulò me cohortaris, vt Siluium per scriptas literas vrgeam, ne longius nugarum nostrarum editionem protollat, sed eam quantum potest maturet, currentem (vt aiunt) incitas. & certè cum

eo homine iamdudum pluribus verbis malis per literas interpretes expostulassem, si modò tabelliones ad manum fuissent. Quod vt tibi etiam verisimile fiat, mitto vna opera tabellas ad eundem meas in huncce fasciculum coniectas, quibus ipsum officij sui, quod quidem prorsus oblitus videtur, obiter commonefacio. Scripsi eadem de re non ita pridem fusè & copiosè ad Giselinum nostrum, quem huic prouinciæ tanquam Herculem quendam præfeceram. verùm is nihil etiam dum, quod sciam, respondit; nisi si tabellæ fortè in itinere perierint. quod Callipedum istorum incuria sæpius mehercule quàm vellem nobis Epistolarum scriptoribus contingit. Eum itaque, si istic fuerit, meis verbis compellare atque identidem porrò reflagitare poteris, vt quod eius fidei & fiduciæ potissimùm mãdatum atque concreditum est, in eo exequendo moram nullam interponat, si modò is fidem de editione præstitam liberare postulet sese. Habes quæ tibi rescribenda duxi. Reliquum est, vt ad meas in Tibullum & Propertium obseruationes me conferam, quæ tametsi nauci non sunt, &, vt paucis dicam, vino tantum inscribi dignæ, tamen quum tibi morem non gerere maxima sanè religio sit mihi, committere nolui, vt coniecturas meas potius, quàm coniectorem ipsum desiderares. Vt ergo Tibullum primo si quasi saltuatim expediamus, scias velim in Poëta eo pauca admodum eáque non nimium laboriosè à nobis animaduersa esse. in quibus illud in primis se offert libro 1. Eleg. 1.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.

Cuius ritus planissima enarratio ab Halicarnassæo petenda, ità lib. 11. scriptitante: Θύειν γὰρ ἐνόμισε τοῖς τέρμασι, καὶ θύειν αὐτοῖς ἐν τῷ μὲν ἔμψυχον οὐδέν. οὐ γὰρ ὅσιον αἱμάττειν τοὺς λίθους. πελάνους δὲ δημητρίους (id est liba Cerealia) καὶ ἄλλας τινὰς καρπῶν ἀπαρχάς. Victimarum proinde & sanguinis expers Terminus. quæ sententia etiam Plutarchum auctorem habet, adductis insuper rationibus, cur huic Deo Sacra incruenta potissimum atque ab omni cæde libera rite quotannis peragi præceperit Numa. At si quis etiam animato rem diuinam Termino fieri posse pertenderit, næ ego cum illo pignus haud ausim dare. quippe qui & Horatianam & Ouidianam auctoritatem non minoris, quàm Plutarchi, aut etiam Dionysij ipsius hac quidem in re faciundam putem. è quibus alter ille ita nobis præit libro 11. Fastor. quo loco ex professo hoc Terminalis sacrificij genus exsequitur his verbis:

Spargitur & cæso communis Terminus agno;
Nec queritur, lactens cùm sibi porca datur.

Et mox:

Illic lanigeri pecoris tibi Termine fibris
Sacra videt fieri sextus ab vrbe lapis.

Horatius autem:

Vel agna festis cæsa Terminalibus:
Vel hædus ereptus lupo.

Addatur his insuper omnibus à Prudentio haud sublestæ fidei testimonium: *Et lapis illic*

Si stetis antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis aut gallinæ pulmone rigare:

A Item ab eodem alterum quoque:

Verris cruore scripta saxa spargere.

Eleg. 11.

Illa doces furtim molli decedere lecto.

Ego Statiani codicis fide inductus, in quo disertim legitur, *Discedere*, reponendum hariolor *Descendere. Furtim* itaque *descendere*, nihil aliud fuerit hoc loco, quàm ἠρεμαῖα καὶ κτύπου χωρὶς pedes de lecto deducere, *insonúmque* (vt cum Apuleio hoc dicam) vestigium ponere, ne videlicet maritus tremuli lecti argutatione somno excitus, quid rei vxor cum potiore adulterio agat, fieri percipiat tandem. Sequitur paulò post:

B *Nec sinit, occurrat quisquam, qui corpora ferro*
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.

Quo loco à me aliquando ex Nonio obseruatum commemini, *Prædones nocturnos, Præmiatores* vocitatos antiquitus, neque aliò Poëtam procul dubio respexisse, quùm *Præmium petere* dixit. Adpingam & tertium ex Elegia eadem:

Et mea nunc pœnas impia lingua luit?

Ego semper vsque adhuc legendum putaui, & nunc etiam puto, *Luat*: idque sine interrogatione. quam coniecturam meam confirmat & Statius: nullo tamen sensu. Nam & interrogationis notam retinuit, & confirmatiuæ particulæ, C *Et*, loco, perperàm substituit *Vt*: quod quale sit, needum in mentem venire potuit mihi: qui omnem loci huiusce constructionem ex iis, quæ statim porrò insequuntur, petendam autumo. vt significet Poëta: Si vnquam Veneris numen per iracundiam fortè, (quæ amantibus vtique familiaris vel dicto modò, hoc est, leuiore aliquo conuicio læsisse temere argui possit, se causam haud dicere, quin illicò illi meritas impietatis pœnas lingua sua ob maledictum persoluat. innuens, nihil se tale ne iustissima quidem ob Eroticas iniurias indignatione prouocatum, ingratissimísque contumeliis lacessitum per ætatis impotentiam vel tralaticiè saltem, vllo vnquam tempore admisisse. In tertia Elegia est:

D *Cuncta dabant reditum, tamen est deterrita nunquã*
Quin fleret, nostras respiceretque vias.

Sed quid sibi vult obsecro, *Deterrita*? Ego nil aliud hoc loco significari existimo, quàm, *Terrore leuata*. neque enim video quid obstet, quò minus eandem in huius singularis verbi compositione vim præpositio, *De*, habeat, quam in aliis, item in vocibus, *Deiuuare* ac *Delegare*, etiamnum obtinet. Dicit ergo Tibullus: Etsi Deorum oracula per sortes data Deliæ optata omnia de reditu suo promitterent (hoc enim, *Dabant*, est) illam tamen ominibus nullis, quamuis certissimis, deE terreri vnquam potuisse, hoc est, terrore & metu, quo de Poëtæ amatoris sui reditu anxiè nimis solicita erat, exsolui porrò, adeóque animi securam reddi, quin abeuntem identidem verissimis lacrymis prosecuta respectaret.

O res sollicitì plena timoris amor.

Eleg. VI.

Iam mihi tenduntur casses, iam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fouet.

Arguté. Etenim ad commune illud amoribus Tibullianis cum Delia, id est Diana cognomentum allusum: quæ Dea venandi studio præesse

credita antiquitus: ad quam rem plagis cassibúsque cumprimis opus,

Ad colles saltúsque indagine reticulata
Cingendos, cambúsque in retia compellendas
Et clamore feras.

Qua de re consulenda Elegia libri IV. ex Sulpitiæ persona ad Cherinthum amatorem suum directa. cui initium est:

Parce meo iuueni, &c.

Habes mox ibidem:

Néue cubet laxo pectus aperta sinu.

Ne fiat illud scilicet, quod apud Ouidium quondam euenisse sibi Helenæ commemorat Paris:

Prodita sunt (memini) tunica tua pectora laxa,
Atque oculis aditum nuda dedere meis:
Pectora vel puris niuibus, vel lacte, tuóque
Complexo matrem candidiora Ioue.
Dum stupeo visis (nam pocula forte tenebam)
Tortilis à digitis excidit ansa meis.

In eadem Elegia raræ cuiusdam elegantiæ vsus est vocabulo *Adducis*, de matre lena loquens:

Hac mihi te adducis tenebris, &c.

Quam lectionem cur Statius mutarit, non video. quùm *Adducere* propriè sit, puellam alicui conciliare, vt quidem loquitur Petronius noster. vnde etiam *Adductrices*, pro stupri sequestris, siue adeò conciliatricibus vetustatem posuisse crediderim.

Elegia VII.

Et capite & collo mollia serta gerat.

Ex more & disciplina tam Latinis, quàm Græcis antiquitus vsurpata. Lucretius lib. IV.

Tum caput atque humeros plexis redimire corollis,
Floribus & foliis lasciuia læta iuuebat.

Item III.

Hoc etiam faciunt, vbi discubuere, tenéntque
Pocula sæpe homines & inumbrant ora coronis.

Adde ab Horatio Sat. III. lib. II. de Polemone mutato: *Potus vt ille*

Dicitur ex collo furtim carpsisse coronas,
Postquam est impransi correptus voce magistri.

Item ab Ouidio ex II. Fastor.

Ecce nurum Regis, fusis per colla coronis,
Inueniunt posito peruigilare mero.

In X. & vltima huiusce libri Elegia ita porrò scribens:

At nobis ærata Lares depellite tela.

dubium mihi non est, quin *Hostilios Lares* speciatim designet, quibus immolabant Romani, quòd ab iis hostes arceri putabant, Auctor Festus. ad quos etiam Propertius visus respexisse, quùm scribit:

Hannibalémque Lares Romana cæde fugantis.

Atqui hoc ipsum non *Laribus* hisce *Hostiliis*, sed verò *Herculi Tutano* attribuit Varro bellissimis Senariolis illis:

Noctu Hannibalis quùm (lego quòd) fugaui exercitum,
Tutanus hoc, Tutanus Roma nuncupor,
Hac propter omnes, qui laborant, inuocant.

in quo postremo etiam versu pronomen desiderari suspicor: idque post priorem dictionem illam ponendum hoc quidem modo & ordine:

Hac propter me omnes, qui laborant, inuocant.

Quòd fugaui, id est, quia, siue quoniam fugaui: *Tutanus hoc*, id est, eò vel ideò Tutani cognomen-

A tum inditum à Romanis est mihi.

Ibid. *Sit lacrymas mouisse satis. quater ille beatus,*
Quo tenera irato flere puella potest.

Hoc enim amoris (veri, haud simulati dico) certissimum atque euidentissimum argumentum. Nam nisi perditè efflictimque flagraret misera, animi ægra, amore saucia, susdéque ferret furiosas amatoris sui æmulationes impotentiámque ac iracundiam: & quasi oculis pumiceis (quo ægrè etiam illi faciat magis præsertim irato) siccola esse porrò ac videri pertenderet: neque sicuti est apud Plautum) lacrymam exorare posset, v-

B nam modò vti exspuerent scilicet.

In Elegia I. libri II. Ambaruale sacrificium descripturus ante omnia sibi & sociis incolumitatem, bonámque adeò valetudinem comprecatur, his verbis: *Quisquis adest, valeat, &c.* hoc est, benè ac bellè habeat sese, sospésque ac validus vitam procudat porrò: vt quidem ego interpretor, si seorsum tamen à Becano, summo viro, per te sentire liceat mihi, qui, *Faueat*, mauult. Et tamen à me quoque Ouidius facit, libro Fastorum IV ita Tibullo nostro succentans scilicet:

Pelle procul morbos, valeant hominésque gregesq́;
Et valeant vigiles, prouida turba, canes.

C Ibid. *Soluite vincla iugis: nunc ad præsepia debent*
Plena coronato stare boues capite.

Interpretandum ex Dionysio Halicarnassæo ita porrò nobis repræsentante hunc morem:

Ἀπέδειξαν δὲ καὶ Ποσειδῶνος τέμενος ἱππίου, καὶ τὴν ἑορτὴν ἱπποκράτεια μὲν παρ' Ἀρκάσι,
Κωνσουάλια δ' ὑπὸ Ῥωμαίων λεγόμενα κατεστήσαντο, ἐν ᾗ παρὰ Ῥωμαίοις ἐξ ἔθους ἐλινύοντες ἔργων ἵπποι καὶ ὀρεῖς, καὶ στέφονται τὰς κεφαλὰς ἄνθεσι.

Quod porrò legitur Elegia capse media:

Et satur arenti primum est modulatus auena,
Carmen vt ornatos diceret ante Deos.

Referendum ad Plautinum illud:

Larem corona nostrum decorari volo.

D *Ornatos* enim nihil aliud, quàm coronatos ac mollibus floreisque sertis redimitos, ex ritu superstitionis antiquæ.

Elegia porrò eiusdem libri III. quòd scribit Tibullus, nihil intonsas comas Apollini profuisse, quò minus tauros Admeti formosus pasceret, mirum alicui haud iniuria videri possit, nisi idem sciat, probéque anteà compertum ac prouisum habeat sibi, bubulcos atque vpiliones eius sæculi tonsos scilicet incomtóque ac inornato capillitio fuisse, vtpote genus hominum agreste deforme, rurique inter armenta eductum perpetim. id quod ex Martiali nostro perspicuè planum, ita lib. X. scribente:

E *Præsta de grege sordidáque villa*
Tonsos, horridulos, rudes, pusillos
Hircosi mihi filios subulci.

Constat enim veteres tam Romanos, quàm Græcos (vrbanos, haud agrestes dico) maximè semper *ἀεὶ καλὴν* (vt Aristæneti more loquar) *ἀκμάζειν τὴν κόμην* solitos. neque id adeò mirandum, quùm *summum*, teste omnium elegantiarum Arbitro, *formæ decus capilli*.

Elegia deinceps V. præsagia prodigiáque belli ciuilis prænuncia continet, de quibus singulatim Auctor de Prodigiis consulendus. Cæterùm

A quod inter alia hoc quoque commemorat Tibullus nobis:

Fatáque vocales præmonuiſſe boues.

eò pertinet, quod Euſebius refert; Bouem ſub C. Cæſaris mortem in ſuburbano loquutum, fruſtrà ſe vrgeri, quippe non frumenta, ſed verò homines, hoc eſt, eſtores breui oppidò defuturos. tantas cadauerum ſtruices, támque immanes fore aceruos ſcilicet. Ne longum faciam, vnum etiam Tibulli locum adſcribam, qui eſt in carmine ad Meſſallam. is ad hunc modum in libris formulariis hodie publicatus exſtat.

Nam mihi cùm magnis opibus domus alta niteret
Cui fuerant flaui ditantes ordine ſulci,
Horrea fecundis indeficientia menſis, &c.

B Ego ſecundo verſu non, *Ditãtes*, quod nihili verbum eſt, hoc quidem loco, ſed *Diſtantes*, reponendum præſtare auſim. quod quale ſit explicat nobis vnicus ille *Romanæ fidicen lyræ*, quum ſcribit:

Eſt, vt viro vir latius ordinet
Arbuſta ſulcis, &c.

Et tamen Lucretius lib. II. *Largifica ſtipe ditantes.* conſimiliter eloquutus videri poteſt. Niſi ſi quis fortè: *Ditantes horrea ſulci*: reſcribere ſe malit. cui lectioni adſtipulabitur iterationis eius venuſtas, quę in repetitione verbi *Horrea* initio porrò verſus inſequentis comparet. *Niteret* verò hoc loco haud tralatitiè accipiendum, ſed eapſe metaphora illa, qua in Plauto ſcriptum videmus:

C *Pro re nitorem, & gloriam pro copia, &c.*

Item Horatio:

Res vbi magna nitet domino ſene.

Vnam etiam ſententiam apponam inſuper, cuius acumen huic ipſi quoque, Horatio inquam, haud indignum viſum, quo Satyram ornaret ſuam. Sic enim ille:

Exilis domus eſt, cui non & multa ſuperſunt,
Et dominum fallunt, & proſunt furibus.

At Tibullus noſter de ſemetipſo quàm conſimiliter!

Et domino ſatis, & nimium furíque lupóq;.

D Et hæc in Tibullum pro tempore inquiſiſſe ſufficiat nobis, quorum nonnulla etiam Victori noſtro, quum hìc apud nos eſſet, prælegiſſe commemini. Nunc reliquum quod reſtat, volo perſoluere, de Propertio loquor, in quo gaudeo mihi à Gul. Cantero relictum eſſe, quod eius quondam Poëtæ ſtudioſis atque in primis tibi, qui id ipſum ſedulò à me iure prius tuo exigere viſus, lubenter hercule ac meritò imputare gratificaríque poſſim. Nam omnibus amicis (vt ille ait) quod mihi eſt, cupio eſſe idem. Proinde in rem præſentem aliquando vt veniamus, ſciendum eſt, in eo Poëta plæraque fere eiuſmodi eſſe, vt aliud in receſſu habeant, aliud verò primore fronte oſtendant. qualę eſt illud Elegiæ I.

E *Et labor in magicis ſacra piare focis.*

Etenim τὸ *Sacra*, vmbras & Manes defunctorum interpretor, quos, vt religioſè Flaccus prædicat, *Libitina ſacrauit.* pro quo tamen meum non eſſet, vt temere ſponderem, niſi Propertius in principio libri III. Genium Philetæ inuocans ſibi, huius verbi ſui ſenſum ipſe nobis aperuiſſet his verbis:

Callimachi Manes, & Coi ſacra Philetæ.

Quis enim non videt, τὸ *Sacra*, hoc loco pro Manibus & vmbra Philetæ accipiendum eſſe? quam ſibi exoptat non difficilem euenire Poëta. neque aliò profectò vetus ac Romana illa monumentorum inſcriptio trahenda,

DIVIS MANIBVS SACRVM.

In verſu Elegiæ III. quùm ſcribit:

Oſculáque admota ſumere & arma manu,

Inguinis haud dubiè (vt Martialis mei phraſi vtar) *arma* intelligit. Sic & ipſe Propertius infrà:

Dulcia quam nobis concitet arma Venus.

ad quæ etiam *Admotam manum* pertinere autumo, non ad Oſcula. idque ex Ouidianæ auctoritatis diſciplina maximè. verbi gratia:

Hanc etiam non eſt mea dedignata puella
Molliter admota ſollicitare manu.

Hoc propterea appono, quòd ſenſum eius videam temere nuper à viro doctiſſimo ſolicitatū.

In eadem Elegia verſum illum:

Omniáque ingrato largibar munera ſomno, &c.

ex Catullo emendandum cenſeo, hoc modo:

Omnia quæ ingrato, &c.

qui eodem Hemiſtichio in Epigrammatibus vſus exempli cauſa:

Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.

In Elegia porrò quinta:

At tibi curarum millia quanta dabit:

eodem modo dictum videtur, quo illud:

Sexcenta tanta reddam, ſi viuo, tibi.

& ſexcenta huic pariſſima in Plauto.

Verſus Elegiæ ſeptimæ eſt:

Quod nolim noſtros euiolaſſe Deos.

Quo loco *Noſtros Deos*, Amores noſtros interpretor, hoc eſt, amicam meam. Neque enim Propertius, qui furioſæ æmulationis, id eſt, zelotypiæ plenus erat, ita vt vel Iouem ipſum riualem ferre grauaretur, (quod & ipſemet alibi de ſe fatetur) Cynthiam credo ſuam à Pontico amari aut exerceri volebat. Eodem locutionis genere vſus & Ouidius, vbi ſcribit:

Et dicam: Noſtros aduehit illa Deos.

Nam & ibi de ſola Corinna ſua equo ligneo per vias cæruleas deſubito ſibi aduecta commentatur ſecum. In Elegiæ IIX. verſu:

Et ſine me dulcia regna negat.

Canterus *Ditia* mauult, &, τὸ *Negat*, interpretatur *Recuſat*. Promtè quidem ille: cæterum mihi plus ſatisfacit, *Dulcia*; vt ſit ſenſus: *Cynthia ſine me negat dulcia regna*, ſcilicet eſſe dulcia, aut placere ſibi: quomodò & Tibull. lib. III.

Nec me regna iuuent, &c.

in Elegia X. *Effecto bono* legitur. in quo enucleando an interpretum quiſpiam boni effectus compos euaſerit, neſcio, hactenus quidem. Ego certè poſtremam literam in voce *Effecto* inducendam opinor, verſúmque hoc modo reſcribillandum:

Hoc magis effectu ſæpe fruare bono.

Nam & infrà libro quoque III. eandem vſurpat phraſin, ſecum & cum animo ſuo de Tabulis amiſſis inſolabiliter conquerens:

Semper & effectus promeruere bonos.

Elegia XVI. hunc verſum habet:

Semper & excluſis ſigna iacere faces.

Mihi verò impenſius placet: *Excluſi* ſcilicet amatoris.

In Elegia XVII.

Si quando vestras labens Amor attigit vndas.

Labens pro nauigans positum videtur, ratione Poëtis non inusitata: quando & ipse alibi hic noster quoque:

Atque tua labens nauita fleret aqua.

In Elegia XX.

Cuius vt accensæ Dryades candore puellæ.

τὸ *Cuius*, alij ad Hylam, ego ad Hylæ humerum, cuius mentio antecesserat, referendum opinor. Tuus sit arbitratus, Falkemburgi doctissime, vtrum porro malis deligendi.

In ea quæ proximè hanc sequitur Elegia Galli in montibus Etruscis cæsi est προσωποποιΐα, ab aliquo commilitonum tantæ cladi superstite serio petentis, vt sorori de sua morte nuncium perferat, quo illa accepto ossa mox lecta in Vrbem referre, cineréisque fictili vrna conditos terræ porro mandare possit, ex veterum consuetudine. cuius hercule ego fiducia fretus in vltimo versu lectitandum pronuncio:

Et quæcunque super dispersa inuenerit ossa
Montibus Hetruscis, hæc sciat esse mea.

non *Quæcunque*, vti perperam in nostris exemplaribus legitur. præsertim cùm omne hoc negotium ad vnam modo Galli sororem, non etiã ad ignotos attineat. Quis enim operam quæso alienis ossibus legendis gratuito insumere se postulet? Libri II. Eleg. IV.

Ambulat, & subito mirantur funus amici.

id est, sicuti ego expono, eum funus esse, hoc est funeri acerbo traditum, redactúmque quasi in fauillas & cinerem. Quæ phrasis à Propertio aliena sanè haud fuerit; tametsi in diuersa sententia Cantherum nostrum deditum animaduerto.

In VII. Elegia ita porro ad Cynthiam sermonem conuertit suum:

Ah, mea tum quales caneret tibi Cynthia cantus,
Tibia, funesta tristior illa tuba!

Ad quem morem respexit etiam Horatius, vnicus pol huiusdem loci interpres: vbi Asterien officij sui admonet his verbis:

Prima nocte domum claude, nec in vias
Sub cantu querulæ despice tibiæ.

Galli, *vne aubade*, vocant.

In Eleg. XXV. *Quid*, lego, non vt in libris formulariis est *Qui*, hoc modo:

Tu quoque quid pleno fastus assumis amore
Credule? &c.

In XXIIX. illud visum est obseruare:

Votiuas noctes & mihi solue decem.

Tot enim noctes ex voto, quod Isidi fecerat, *seiuncta*, vt Poëtæ ipsius verbis vtar, *cubuerat* Cynthia. Idem officij quoque à Philenio sibi euenire stipulatur, exigitque porrò Diabolus Plautinus. Sic enim est in Asinar.

Si fortè purè velle habere dixerit,
Tot reddat spurcas, quot puras habuerit.

In Elegia vltima eiusdem libri, cum Lynceo Cynthiam suam tentare auso hunc ad modum expostulat:

Lynceus, tunc meam potuisti tangere curam?
Perfide, nónne tuæ tunc cecidere manus?

Quem locum Ouidius quoque in Amoribus imitatus videtur, vbi ait:

A

Ipse meos humeris vellem cecidisse lacertos,
Vtilius potui parte carere mei.

In eadem Propertiana legitur:

Missus & impressus hædus ab vberibus

Ad quod exemplum etiam est illud:

Osculáque impressis nixa dedi gradibus

id est, pedum signis, quæ à dominæ vestigio reliqua terræ impressa impactáque resederant.

Ex libri III. Elegia secunda, illud à me aliàs consideratum memini, Poëtis ἐρωτικοῖς olores quondam attributos fuisse. Sic enim Calliopen sibi loquentem facit hic noster:

Contentus niueis semper vectabere cygnis.

B

Sed & Ouidius libro Amor. III.

Cygnis discedere tempus,
Duxerunt collo qui iuga nostra suo.

In Eleg. V.

Et quoties Paris transibit nauta sepulcrum, &c.

concinnius omnino meo iudicio futurum, si rescribatur: *Vt quoties Paris, &c.*

In XI. Pana introducit operam suam pollicentem, *Siue petas calamo præmia, siue cane.*

ex quo loco aliquis ignarus fuci, rei etiam piscatoriæ præesse Faunum meritò suspicari possit, nisi Propertius noster lib. II. Eleg. XIX. suo indicio seipsum quasi sorex prodidisset, cum scribit:

Et stricto figere auem calamo.

C

Stricto, id est, districto, seu emisso: quomodo & *Stringere gladium*, pro *Distringere*, dictitamus, hoc est, vadina educere. Vt vt est, *Calamum* à Poëtis pro *sagitta* interdum sumi, nemini dubium esse deputo. & exempla in promtu. Nobis vnum è multis in medium adferre sufficiet, idque ab Horatio, vbi scribit:

Et calami spicula Gnosij.

Posset tamen & pro virga aucupis visco illini solita in priore Propertij exemplo positum aliquis interpretari; suffragante eidem Martiali meo. Cui consonum quoque vetus ac Plautium Prouerbium illud: *Arundo alas verberat.*

D

Sed & Propertius libri IV. Eleg. II. de Fauno loquens, casses illi & arundinem, id est. calamum, seu iaculum tribuit. Vnde perspicuè palam fit nobis, hunc locum de aucupio, non vero de piscatus genere hamatili intelligendum. Præmia quoque pro præda posita, quomodo & *Præmiatores* pro *Prædatoribus* notauimus suprà in versu illo Tibulli:

Aut rapta præmia veste petat.

cui Propertianam etiam auctoritatem addas licebit:

Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?

Elegiæ XIX. versus:

Seu venit, extremo dormit amica toro.

E

spectat ad id quod scribit in Epodis Horatius:

Extrema & in sponda cubet.

Superest quartus & vltimus liber. Eum nos à II. Elegia auspicabimur, è qua animaduersione dignum illud occurrit in primis:

Indue me Cois, fiam non dura puella.

Quod vt de incessu dictum putem, Ouidiana auctoritas facit. Ita enim ille, interpres prorsus ad hanc rem vnicus:

Molliter incedit, motu capit: altera dura est,
At poterit tacto mollior esse viro.

Dura est, id est, durè, myrmicè, & molestè incedens, vel potius.

Haud secus, ac coniunx Vmbri rubicunda mariti,

valgis nimium, aut diuaricatis cruribus grallatorium in morem baditans; vti ego interpretor. Quid? quod huic argumento meo fidem indubiam facit Coarum mentio, quæ, quod tenuissimi ac pellucidi essent fili, muliebrem incessum maximè arguebant. Vnde non nisi ab iis, quæ incessu erant molli, ne exossi dicam, vel cinædico potius, gestari solitis. à verò haud alienum videtur. Et hoc est, quod suprà voluerat Propertius:

Et tenues Coa veste mouere sinus.

Sequitur portò haud longulè:

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fæno,
Iurabis nostra gramina secta manu.

More enim fiebat, vt inter operam messoriam, ad æstus solis defendendos maximè caput feno, & quidem recenti, obnuptum obuinctúmque haberent messores. id quod hodie nostris etiamnum rusticis in vsu esse videmus. Sed & Ouidius id ipsum libro XIV. Metamorph. de eopse Vertumno verba faciens apertè indicat:

Tempora sæpe gerens fæno religata recenti
Desectum poterat gramen versare videri.
O quoties habitu duri messoris aristas
Corbe tulit, verique fuit messoris imago?

Qui duo postremi versus eò spectant, quod statim porro subiuncturus Propert.

Corbis & imposito pondere messor eram.

Corbis messoriæ alibi meminit & Cicero.

In eadem Eleg. est illud: *Et ibo*
Mundus demissis institor in tunicis.

Quo loco *Institorem discinctum* intelligo ex Ouidio ita nobis disertim præunte:

Institor ad dominam veniet discinctus emacem.

Et certè quum recogito, necesse erat, vt qui discincti, hoc est, Zonis solutis ambulabant, tunicas ad talos vsque demissas, *sinúsque* (vt ait Pedo) *ventosos* oppidò, ne dicam pænè *vndantes* haberent. Cuius rei mollitiem ac laxitatem in suo etiam Mæcenate, si modo is Malchinus est, Satyricæ sugillat Horatius.

In Elegia III. quum scribit:

Pictóque Britannia curru.

respexisse videtur ad id quod dixerat supra:

Esseda calatis siste Britannia iugis.

Vnde manifestò constat *Essedum* Britannici non non minus, quàm Gallici vehiculi genus eluisse, contra quàm in Nomenclatore suo existimat Iunius. In Eleg. IV.

Ille equus, ille meos in castra reponet amores.

Reportet, mauelim potius. vt per amores suos haud aliud, quàm semetipsam Regio amore sauciam designet.

Quidnam est, quod Elegia V. scribitur?

Et simulare virum, pretium facit, &c.

Idem nempe ac si diceret; assimulare, quasi maritus suus superuenturus sit operi, ac verbis vti, quæ cupido ac turgenti nimium adultero veros metus ac præsentem terrorem incutiant, qualia sunt illa libri II. Eleg. XXIII.

Timeo: propera iam surgere quæso
Infelix: hodie vir mihi rure venit.

quò maiori videlicet pretio inducat amatorem. hoc est, quod pretium facit, id est, lucrum atque emolumentum parit denique. Malè proinde Canterus noster, qui *Amicum* subaudiendum censet.

In VII. *Si pigeat portas vltrà procedere; at illud*
Iussisses, lectum lentius ire meum.

Legendum credo, *Illuc*: nempe ad portas vsque.

Vnum adhuc locum, *ne me Crispini scrinia lippi Compilasse putes*, appingum modò. Is est Elegia XI. vbi Propertio inter alias leges quas teneat, etiam hanc dicit Cynthia:

Colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum.

Vnde paret, Romanas olim mulieres è summa cauea ludos spectare solitas. ad quas si quis virilis notæ in inferiore Theatri parte, atque interior collocatus oculos adiectaret, necessariò illi caput obliquandum ac ceruice retroflexa respectandum erat. Hoc ergo est, quod Cynthia Propertium facere vetat, ob zelotypiam, qua illa laborabat, vel certè laborare, perbellè nimium apud credulas aures assimulabat sese. quò magis etiam amatorem delinitum in casses porrò pertraheret suos. quod vitium in Corinna item sua ab Ouidio curiosè notatum, vbi ait:

Siue ego marmorei respexi summa Theatri,
Elegis è multis, vnde dolere velis.

vnam nempe è multis aliquam, quæ in summa cauea (vt dixi) spectabant, quum ipse interior, vtpote eques, pro dignitate in quatuordecim, hoc est, non nisi in Equestribus sederet. qui locus mirificè cum hocce Propertiano conspirat, adeóque vniter consentit.

Habes tumultuariæ opellæ symbolam, Falkenburgi doctissime, eorum quæ de Tibullo & Propertio mihi hoc tempore in mentem venire potuerunt: cuius te lubenter hercule, ac meritò participem esse volui. quam si tu gratam habueris tibi, accendes, quare magis in posterum plura eiusdem generis tecum liberaliter capiat communicare. sin autem; nihilo minus ego hoc faciam tamen, vt sit, quod, vbi vsus venerit, iterum vino possis inscribere. Vale, & ride si sapis, nósque fidenter in eorum numerum adscribe, quorum opera in otio, in negotio, omni tempore vti possis, tuo ipsius potius, quàm nouorum Ædilium arbitratu. Io. Geropio Becano, summo viro, me commendare non grauaberis, & quidem de interiore nota. cui dices, Poëmatium, quod eidem nuper istinc discedens promiseram, probè vsque adhuc in latebris situm ad ipsum euestigiò profecturum, simulátque primùm lucem ferre potuerit. Plantino, Pulmanno, Barlęo, amicis communibus, & si quem alium istic beneuolentem noueris, salutem. Iterum vale. Nordouico. ipsis Idib. April. CIↃ. IↃ. LXIX.

FINIS.



HIERONYMI AVANTII VERONENSIS EMENDATIONES IN CATVLLVM.

Augustinus Morauus Olomucensis Iuris Pontificij, & liberalium artium professus studiosæ iuuentuti. S. P.

Cvm nihil præstabilius in rebus humanis inueniatur, nihilque diuinius quàm & prodesse multis, & in quo deficere cæteros videas operas in commune largiri: Id quod à summis sæpe viris factitatum inuenimus: Qui cum se demum boni aliquid assecutos arbitrabantur, si id in vtilitatem plurimorum collocatum iri sensissent, non vt id intra priuatos parietes contineant, quod miseri semper ac sordidi ingenij existimatum est, non B in his modo quæ in vsum traducendæ vitæ comparata sunt, sed in eis & ex quibus tanquam penetralibus quibusdam: & vitæ nostræ institutum optimum, & excolendis ingeniis fructum vberrimum eruere possimus. Quod ipsum quanto studio antiquitas curarit, vt legendi scilicet optimi cuiusque auctoris commoda cuiuis facultas daretur, cum liberalitas principum per ea tempora, tum bibliothecæ sumptuosissimæ tanta bonorum diligentia comparatæ ostendunt, vt mihi non mirum sane videatur, tot viros eruditissimos, tot præclarissima ingenia vno simul tempore effloruisse, vbi ea excolendi ingenij quasi armamentaria quadam publicitus exponerentur. C Vt enim Pisistratum Atheniensem transeam, & post hunc Seleucum Nicanorem, quorum opera incredibilis librorum copia Athenis constructa dicitur. Illúdque etiam quòd incredibile fertur bello scilicet Alexandrino Cæsaris ad septingenta voluminum millia conflagrasse. Nonne eius rei apud Romanos complura nobis exempla non suppetunt, quanta vel à Paulo Æmilio, vel Lucullo post prædam Ponticam librorum copia fuerit comparata: Dato post & M. Varroni negotio bibliothecas omnis vtriusque linguæ ordinandi ac digerendi. Nullum scilicet vberiorem ingeniis fructum rati, quàm si id in quo detineretur quisque maximè, data sibi legendi copia assequeretur. In quo æuo nostro gratulari, & A quidem vehementissime non possum, quod extincto iam prope bonarum literarum splendore: in ea rursum tempora redierit, vt exuta barbarie in pristinum illud pecus denuo aspiret: taléque congerendis optimorum auctorum libris studiũ adhibeat, vt id breui cum his quæ diximus tẽporib. iure confligere possit. Sed neq; fidelissimi interpretes deesse nobis videntur, qui sicuti M. olim Varro id annitantur sedulo ac studeant, vt quo ad eius fieri possit, eos qui temporũ iniuria quasi interierant, veternóque ac pedore iam prope sepulti fuerant in lucem dignitatémque pristinam reuocentur. Sic enim Plinius, sic Pomponius Mela, sic Papinius Statius, & sic Propertius, Iuuenalisque leguntur: & qui superiore æuo omnibus membris discerpti, fracti, exanimésque videbantur, nunc integri, solidi, viuidique perspiciuntur. Solus poëtarum Catullus quo nemo suauior, nemo iucundior, nemo tersior fuerat scabra adhuc rubigine consitus detinebatur. Cui ad temporum iniuriam, ne id quidem defore potuit. Quominus à literatoribus quibusdam stigmatibus ineluibilibus inureretur. O miserandam lepidissimi poëtæ fortunam! Quis enim indolere vehementius non debeat, eas humani generis delicias tenebrosis quorundam erroribus adeo obductas, vt iure ac merito dicere possimus id quod de se Vates ipse lepidissimus vaticinatus est,

At vobis male sint malæ tenebræ
Orci quæ omnia bella deuoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis,
O factum male ò miselle passer.

Verum enimuero rerum Natura parens diutius tantam iacturam non sustinens, cùm aliquandiu poëta iucundissimus situ, marcoréque squaleret: quo modo tandem hunc etiam in lucem reduceret, enixa est, id est, vt ciuium ipsius inueniretur aliquis, qui eum, & à barbarie vindicaret. & vbi aliqua vel mendosa vel abstrusa essent emendaret, explicaret, atque digereret. Is est Hieronymus Auantius Veronensis, cuius vigiliæ, eximiáque in ciuem suum pietas, id tandem

A effecisse perspiciuntur, vt ex obscuro nitidum, ex lacero solidum, & ex barbaro denique latinum denuo efficeret. Quod si obseruatos ciues vel Sicinius Dentatus, vel Africanus minor decreto publico Ciuicas meruere. Quis non hunc etiam ea dignum existimet, qui ciuem suum non seruasse modo, sed ab inferis quodammodo reuocasse videtur. Verum tanta fuit hominis modestia: tanta ingenij viuacissimi diffidentia, vt eas vigilias suas non nisi paucis, & his quidem amicissimis, cùm ruri rediret, exhiberet: vt vel arrogantiæ omnem à se suspitionem amoueret, vel æmulorum obtrectationibus: qui præclara omnia ogganniunt occasionem omnem adime-
B ret. Ego vero cui iam annis duobus eas vigilias suas vtpote, qui currentem eum (sicuti aiunt) plerunque impuleram singulari humanitate sua dedicauerat: néue menstruos illos labores (sic enim eos appellabat) ederem, vna etiam iniunxerat. considerans mecum quantum studiosis omnibus gloriæque Catulli consulerem si in publicum quandoque emitterentur: Malui amicitiæ nostræ discrimen subire, præuaricatórque videri, quam ea intra scrinia continens: Catullum ita, sicuti erat, scabrum, sentumque intra studiosorum manus relinquere, cùm præsertim Hieronymi etiam gloriæ non parum consultum iri vidissem. Hæc enim scripta Leoni-
C cus Patauinus, Iacobus comes Iuliarius Veronensis, Aurelius Ariminensis, Calfurnius Brixiensis, nulla non laude maiores sedulo perlegerunt ac mire commendarunt. Cùm & ingenij ipsius dexteritas: talísque in ciuem suum pietas vulgo studiosorum innotesceret, vt qui de se complura alias præclaráque testimonia concionibus publicis præstiterat, quantum etiam hoc genere scripti præstet, tum etiam qualem de se spem in reliquum præbeat: his veluti laborum suorum primitiis declarari possit. Has itaque emendationes Catullianas lætis animis iuuenes studiosissimi accipite: atque Catullum ipsum
D ita vobis restitutum tali deinceps cura diligentiáque excutite, vt & sales ipsius habitúmque generosi huius carminis (id quod facturos vos nõ ambigo) penitus imbuatis. Pataui tertio Nonas Martij. Anno Christi domini. M.CCCCXIIII.

Hieronymus Auantius Veronensis Augustino Morauo Olomocensi. S. P.

E SCRIBIS Augustine eruditorum humanissime tibi renunciatum esse, quemadmodum hac publica studiorum remissione sepositis altioribus studiis Valerij Catulli lusus retractem. Rogásque vt tibi Catullianas dictiones mancas aut inuersas, seu Epigrammata incautius congesta transuerso calamo illinire velim: Et si onus supra vires meas iniungis turpissimum esse duxi tuæ voluntati morem non gerere, quem tantopere & colo & obseruo. Malui potius audentior videri quam vllam à me repulsam acciperes, immo & libentius quid in mentem succurrit tu auspice obseruabo. Expectaturus tuum de meis omnibus annotationibus simplex iudicium, ac nudum examen, cùm præsertim ea te comitate præditum sciam, vt stylum rudem, quo hæc condita erunt in bonam partem accepturus sis: cumque probe cognoscas iam ab hinc annis quinque me humanitatis studiis pene renunciasse, & philosophorum dogmata, quæ nostro tempore horrida sunt & inculta, prosecutum fuisse. Cur autem hac tempestate mansuetissimas musarum delitias recolem paucis accipe: priusquam philosophorum sacris initiarer impensissime conatus sum Catulliana pleráque loca abstrusissima percipere: ac potissimum vatem hunc à syllabarum præuaricatione, qua maxime notabatur vindicare. Nunc autem cum intermissis seuerioribus studiis in agrum meum, vt apud me essem secesserim: nonnulla alia restitui loca. Qua industria id effeci, vt me haud laboris pœniteat, meretur profecto Catullus, quem A. Gellius (vt scis) vatum elegantissimum appellat; & omnes prisci vno consensu doctissimum nominant, eruditorum manus: quarum (vt sic dicam) lima sordes omnes deponat, vt suum pristinum nitorem & cultum resumat. Quare lætor hoc sæculum acutissimis ingeniis florere, quorum pia cura (non posthabitis tamen his vigiliis nostris) Catulli legitimus libellus, qui tot annis barbarorum manibus deturpatus, eminentium poëtarum consortium erubuit, posthac in lucem prodire non dubitabit. Quis enim ante Calphurnij castigationem Catulli scripta non stomachosus attingebat. Hic porro quantum humani vires ingenij passæ sunt vno mense elaborauit, vt quatuor illi poetæ emendatiores haberentur. Parthenius quoque (ne longe abeam) plura loca in suis commentariis reformat, & multis aliis locis lucem daturus erat, nisi amicorum assiduis & precibus & adhortationibus editionem pene præcipitare coactus fuisset. Verum nunc (vt accepi) festinationis iacturam mora ac diligentia resarcire nititur. Ego interim vt pro viribus nostris tibi mos geratur, quicquid vel ex veterum codicum præsidio, vel ex assidua nostra versuum libratione obseruauerim breuibus explicabo. Non enim omnium rationes subiiciam. Hæc enim tibi committimus, vt conferas cum aliorum opinione iudicium nostrum, quod tantisper à te probari existimabo: dum id in aliquibus (vt ait Plinius) displicuisse cognouero. Omne Catulliani carminis genus seorsum percurram, atque, vt plenius optatis tuis obtemperem, non modo syllabarum quantitatem pensitabo, verum prauas dictiones simul exarabo.

In primis duo sint passeris carmina: in primo lege *vsque pipulabat*: non pipillabat, propter metrum. De passeris intellectu sicut in verbo Expernare à Politiano dissentio, vel ex illo Martialis epigrammate. S. *Accidit infandum nostræ scelus Aule puella*: vide reliquos Martialis versus. Antiquior codex habet, *sicut ipse possem*: non ipsa. Et habet *diu negatam*: non ligatam. & *vestra nunc opera*: non tua. & *rubent ocelli*, non timent. infra lege *pulmunus qui peraque: addóque*. lege *Sertis ac Syrio*: non

Aſſyrio. & per Aſſyrium oliuum intellige omne A
genus odorum ex Syriis germinibus confecto-
rum, vt nardum, malobathrum; amomum & a-
lia. Ibi lege *Antiſtans mihi:* non antiſtes : lege *Ibe-
rum* per ſyncopam. Et lege *ſenémque matrem* : non
ſanam: nec tuam. lege *nihil nec ipſis:* non mihi. ibi
lege *nec facere pili cohortem* : id eſt nihili cohortem
faceret : non autem daret primipilare munus:
tunc enim pilum primam producit: ibidem po-
tes legere *are comparaſti* : & *eſſe comparaſti*. lege *ad
lecticam homines*, non hominum, vt aliqui docti
ſcripſere. lege *facerem beatiorum*. lege *quod mala
inciſiſſet*. lege *Eſt Cinna grauis* : vel, vt alij malunt, B
Cinna eſt Caius : lege *quam mihi pararim*. lege *Inter
cœnam. Aſini:* fere omnes codices bene habent. *Vt
me tot male:* non malis. Infra lege *vt libet moneto:* nō
moneto. lege *non dico pueris ſed hiſpidoſis*. lege, *ô
qui floſculus es Iuuenculorum*. lege *hac tu quam libet
abiice elenáque* infra lege *ingere mi calices amariores:*
id eſt antiquiores : vt pluribus verbis diximus in
prima editione ex Seneca, Plinio, & Columella.
Infra lege *at vobis mala multa* : multa mala caſu
quarto : opprobria quinto caſu : Romuli Remi
ſecundo caſu. Infra lege *non non hoc tibi falſe* : non
falſe. ſic ſupra lege *hoc falſum eſſe putas*. Infra lege
magna à Cæcilio inchoata mater. Innuit enim erudi-
tam puellam amaſſe opus de Cybele exorſum à C
Cæcilio. Infra lege *Deſiſſémque trutes vibrare Iam-
bos* : non dediſſem. itidem epigrammata duo di-
geſſi, vt phalecium. ſic legas: *Male eſt Cornifici:* non
carnifici vt paſſim: ſed de hoc in alio Iambo. In
hoc Endecaſyllabo Dactylus eſt ſede prima, vt
ſupra: *Ingere mi calices:* & infra *Tribrachus Camerium
mihi*, &c. Infra lege *miſelle rapide* : eſt enim hiper-
meter. Infra lege *At me illa illa* : ibi dicit *ſoles hac
imaginoſum* : vbi innuit Acmen pati primam ſpe-
ciem tertij generis inſaniæ deſcriptæ à Cornel.
Celſo lib. III. capite XVIII. Sequens verſus tetra-
ſtici eſt principium. Infra legerem *aſſis non olidum
facis lupanar:* ne olidum primam producat. Infra D
lege *Niceaque ager vber:* non ruber. Ibi lege *Dextra
ſternuit* : non ſtertuit. nam vt in geſtis Themiſto-
clis dicit Plutarchus, & docet Ariſtoteles pri-
mo, ac etiam. hic de animalibus ſternutamenta
dabant auguria. Vtinam ſcirem liberare conciſa
confuſáque carmina ſequentia, ſed in primis, le-
ge *Meus crimina:* non carmina. ibidem ex Seneca.
lege *ſolopichium diſertum:* vocat enim Caluum cu-
bitalem, quem eūdem puſillum, ſed maliuolum
detractorem vocat Cicero: & in ſequenti epiſto-
la ſimium potiuſquam ſemiſſem hominem ap-
pellat: infra dicit *te in circo:* vt Maro *te amice nequi-
ui:* itidem *vno in lectulo ô corripit* : niſi legeris lectu-
lulo. in hoc carmine ponit ter ſpondæum in ſe-
de ſecunda, tribrachum in prima, & bis dieræſin E
facit. ibidem lege *Auelli ſinite* : non auellite ſic.
vltimum verſum huius carminis legerem : *Dum
veſtri ſim ego particeps amoris:* praue ab aliis omni-
bus legitur.

In Iambico carmine. Primo lege, *impetum tra-
bis:* non trabis impetum. Et lege *nouiſſime:* vt cum
Parthenio fere omnes. lege *candide tibi* : non tibi
candidi : vt ſtatim repetit. lege ibi *illa multa cum*.
lege *Nunc iam illa non vult tu quoque impotens noli*.
alij omnes male hunc verſum enunciant. lege *de-*

A *ſtinatus obdura:* non obſtinatus: licet Iuuenalis di-
cat: *Et domini Gladiſſimi deſtinata*. Infra lege *tātum
abhorret ac nutat*. & lege *membrana* : non membra-
næ. Infra lege *habebat & cuncta*. Ibi lege *vt albulus
columbus: an idoneus:* non dioneus. lege *ibi perambu-
labit*. lege *quid eſt an hac ſiniſtra* : non autem quid
eſt alid. Ibidem aliqui legunt *veſtra diffututa men-
tula* : ſed legerem *veſtra:* vtroſque enim alloqui-
tur, vel vnum tantum : vt cum dicit *Tantillum
veſtræ demere ſæuitiæ:* lege *hunc Galliæ timent: ti-
ment Britanniæ:* gemines igitur timent. lege *niſi vn-
cta:* non cuncta: vt ſupra *caput vnctum referre*. Infrà
B lege *& videre te in tuto:* non in tuo: nec in tutu. Ibi
lege *Lydiam vndam* ob Carpiones auriphagos. vel
lege *limpidam vndam:* vt ſupra limpidiſſimum la-
cum. infra pileatos fratres intellige Caſtorem &
Pollucem, vt docet Feſtus. ibidem dicit *quid ſede-
tis inſulſi:* ſic ad literam Ariſtophanes. ibidem eſt
Dactylus in prima ſede Iambi, in quo verſu hir-
cos vocat homines à mulieribus ſpretos ob vi-
tium, quod obiicit Ruſo ibi : *Si cui iure bono ſacer
alarum obſtitit hircus*. ſic Plautus vocat ſenem hir-
coſum. ibi lege *puella namque qua:* non puella nam
modo. lege *pro qua mihi ſunt:* non ſunt mihi. Infra
verſus, qui & confunduntur & vnico epigram-
mate congeruntur, ſic reponendi ſunt : primo
C *Male eſt Cornifici tuo Catullo:* cum ſeptem ſequenti-
bus ſcripſit ad Cornificium. quatuor autem ver-
ſus quorum prior eſt : *Tu præter omnes* : ſubſequi
debet: *Quare monendus es*, &c. Et huius Epigram-
matis primus verſus eſt : *Egnatius quod candidos:*
non quæ candidos. ibi lege *cum orator excitat* : nō
excitat orator. ibi lege *aut Lanuuinus ater:* non La-
tinius. legerem *Nunc Celtiberus* : non autem Cel-
tiber: ne ſyllaba deficiat. ibi legerem *lotus* : vel *lo-
tij*, ſi ſyllaba permittat. hoc pacto liquebit inepta
carminum cōgeries, dictionúmque deprauatio.
infra lege *meum quod non es:* non meóque. ibi lege
Sexti recepſo: non ſentire cepſo lege *non mi ſed ipſi:*
potiuſquàm non mihi lege *veretur mens:* non me-
D retur. infra vltimum carmen Iambicum lege *Bo-
nonienſis Rufa Rufulum fallit:* non Rufum fellat le-
ge *quam in ſepulchretis*, non ſepulcris lege *carpere è
rogo cœnam:* non rapere de. vltimum verſum Iam-
bicum ſic emendaui : *Contemptam haberes, ab nimis
fero corde:* ab aliis male legebatur iſte verſus.

Subeſt carmen Sapphicum: in quo Catullus ſe-
mel poſuit Spondæum in prima ſede ſcilicet *tin-
tinnant aures*. & ter Trochæum in ſecunda ſcili-
cet *& Sacas ſagittiferos:* licet Sillius dicat:

Turba ruit ſtridunt ſagittiferíque Corinthi.

ibi *pauca nunciate*, & *otium Catulle*. infra caudex ha-
bet, *nec meum reſpectet vt ante amorem*.

In illo carmine: *O colonia &c*, lege *in quo vel ſa-
E liaribus ſacra ſuſcipiantur*. ibi. l. *cui cum ſit viridiſſi-
mo:* non cui ſit iocus. ibidem. l. *Iacet ſeparata ſe-
curi* : non autem vt Politianus gloriatur : ſuper-
nata vel expernata : neutrum enim verſus ad-
mittit. quare. l. *quaſi nulla ſit vſquam* : non quam
ſi: quaſi enim indifferens eſt : nam infrà, dicit, *cui
ego quaſi eadem* &c. ibi lege, *ſi poteſt olidum repente:*
non repente olidum.

Cinede Thalle, &c. medullam anſeris pro plu-
mula tenuiori anſerina dicit ſic Plinius me[..]
lam lanæ pro ſubtiliori lana ponit. infr[..]

cum Dina mater alites ostendit occinentes: vt scilicet ianuat anum tempestatum præsagam ex auium vocibus, vt alias diximus. ibi lege *Catagraphosque thynnos* ex antiquo codice, ibi lege *insulsa turpiter.*

Alphene immemor &c. lege *iam non dubitas fallere*: fallere deerat lege *hoc quid faciant*: adde *etiam ma.* in fine versus sequentis ne itidem versus claudicet. in alio sequenti versu lege *retrahis* nõ trahis.

In hymno Dianæ primę syllabæ quatuor priorum versuum possunt esse breues: alioqui versus iidem sunt qui in Epithalamio primo, sed primus versus mendosus est. lege *illum sic: Dianæ simul in fide*: non sumus in æde. ibi legebam *deportauit*, sed Calphurnius ex Prisciano legit *deposiuit.* In Epithalamio Mallij illum versum *Hymen ô hymenæe* hymen mutuatus est à Plauto in Cassi. ibi placet emendatio Parthenij de spinea teda, vt in prima editione latius dixi: licet Varro de vita patrum in secundo, & bis Maro, Senecaque in Tragœdiis dicant facem nuptialem pineam fuisse: ibi legitur passim *nutriunt in humore*: humor tamen primam producit. lege *quis deus magis amatis*: non magis, vel magis optimus: ibi legerem *te si vis tremulus*: non te suis. lege *agite in modum*, non in nodum. lege *stirpe ditier*, *vel nitier*: non vincier. ibi Herculeia dicit vt Priameia, quia forte pater Hercules dicebatur. lege *si videtur*: non iam. lege *quot omnibus candido pede lectulis*: & forte legendum est *atque hera*: id est & ignobiles & nobiles sordebant tibi. lege *quam tibi sine seruiat*: sine modi imperatiui vel lege *sine qua fine seruiat*: alij legunt, *sine fine*: sed pes abundaret. lege *omnia omnibus annuet*: idest annuere videbitur. lege *adeat viri.* lege *vos vnis senibus bona.* aliter non staret versus, nec sensus. lege *inuerit quoniam palam*: non inuenit: ibi est versus probe à Parthenio restitutus, scilicet. *At marita tuum tamen*: ibi legerem *sed micante labello sit*, non hiante, nec mihi ante: nec sensus nec ordo quadraret.

In Epithalamio de concertatione iuuenum & puellarum lege *expectata diu lux tandem*, non vix, nec sua. lege *cernit* in non cernitis: forte sic legendum est ibi: *Cauent quod visere par est*: non parent. lege *hesperus è nobis*: potius quam à nobis, & vt mihi videtur post hunc versum, aliqui desunt: nam isti tres versus, quorum primus est: *Namque tuo aduentu*, dicendi sunt à maribus, quia ex his laudandus est vesper. ille autem, *Hesperus è nobis*, dicendus est à puellis. Infra vltimi versus, sic se consequi debent. primus sit ille: *Sic virgo dum intacta manet: dum inculta senescit.* secundus: *Cum par connubium.* tertius: *Et tu ne pugna.* quartus: *Non æquum est pugnare.* quintus: *Ipse pater cum matre.* sextus: *Virginitas non tota.* septimus: *Tertia pars matri*: licet hæc primus locis suis reposuerim, adhuc tamen sensus erat subobscurus, nisi ex Quintiliano libro nono capite de figuris verborum annotassem, quod hæc dictio; dum, repetita primo loco significat quo ad: secundo loco significat vsque eo: vide inibi.

In carmine Cybelis. lege *deuoluit sibi lactes acuto Pondera silice*: alibi male legitur. lege *sanguine maculans.* lege *vaga pecora*: non pectora. lege *bilarae hera* non ære. lege *vbi fuerit illa diua*: non duce. lege *nona mulier non nota.* lege *thyasus non thyasis.* lege *animo egens*: non gemens. lege *propepede.* lege *Itaque vt domum.* lege *nimio è labore.* lege *labantes langore oculos.* alij legunt labentes, & non habent langore. lege *abiit in quiete molli rabidis furor animi*: alij somnia scribunt. lege *pepulitque noctis.* lege *ibi somnus*: non vbi sonus. lege *Pasithea sinu.* Lactantius in illo versu Thebaidos: *Non hoc Pasithea blandarum prima sororum d.* Pasitheam vnam gratiarum. Ex Lascari edocti fuimus Pasitheam in XIIII. Homeri eam fuisse, quam Somno Iuno despondit: si Ioui oculos clausisset in bello Troiano. Idem Lascari monuit apud Catullum de Thallo intelligi eo versu: *Non custos si ego fingar ille Cretum.* lege ibi *oculis*: non ocellis. & lege *quibus locis sine in.* lege *vir sterilis*: non vis: nec vix. lege *loca reticẽt*: loca deerat.

In nuptiis Pelei & Thetidis. lege *Carula verrentes*: non vertentes. Infra lege. *Illaque atque alia*: vel *illaque haud alia* vt diximus. lege *teque adeo eximie tedis*: non Thetidis. lege *cui Iuppiter ipse*: non cum lege *tota frequentat.* & lege *Pharsalia tecta frequentant*: quia Pharsalia habet secundam indifferentem. lege *frondatorum*: non frondatoris. lege *Regia fulgenti splendent.* lege *alludebant.* lege *fluitantis*: non fluctantis. lege *gortynia*: non cortinia. lege *& decus innuptarum*: decus aberat. lege *castius odores*: non costus: vt *Casto colitis quæ iura cubile.* Infra potes legere *quæque regis*: & *quique regis*: & *Golgos*: & *Colchos.* antiquus codex habet *iactastis*: quia vtrosque alloquitur. lege *radicitus exturbata.* lege *lateque*: & *comminus obuia frangit.* lege *sæua quod horrebas*: non quod abhorrebas. lege *externata malo*: non extenuata. lege *inuidis questubus aures*: non auras: alius enim est sensus. Parthenius legit: *Idæos ne petam montes*: vnde Naso. *accessus terra paterna negat.* legebam olim, vt scis. *Isthmiacos ne petam pontes*, nunc hæreo. legerem *Amnis iniecto.* & legerem *consitus oblito*: non conscius repugnantia loqueretur. lege *reddite in extrema.* lege *ventis concrederet* vnica dictione. lege *quæ tum prospectans cedentem* non accedentem. lege *Nisigenis silenis*: non sileneis. Silenus enim semper secundam producit: primam habet indifferentem. lege *qui tum alacres* non quantum. lege *magis magis increbescunt.* alij non geminabant magis. lege *à se quisque vago passim pede discedeant*: non ad se. Macrobius qui Catullum æmulatur, inquit primo Saturnalium: *Primum à prætextato simul: deinde, à se discedentes domum quisque suam regressi sunt.* lege *super impendentes*: forte legendum est *annosum linquens Doris*: vbi omnino corruptus est codex, vt in prima editione sexto superiori anno impressa præfati fuimus.

Per *extenuata vestigia* annulum intelligas. lege *cõplectẽs vndique quercus*, non vestis. lege *incinxerat.* lege *hæ tum clarisono*, non hæc cum. lege *nulla domus talles vnquam*: non vnquam talles. lege *quare agite optatos animi* quinto casu. lege *hesterno collum* pro parte corporis: vbi pulcher est intellectus. lege *præcernens messor*: non prosternens.

In prima elegia: *At certe semper amabo*: non ac. lege *mens animi*: non hominum. lege *hinc manat*: non huic. lege *qua rex tempestate nouis auctus Hymenæis.* lege *iuerint* non iuuerint. & lege *sans hæc.* non hic. *Iuppiter vt tersti lumina sæpe manu*: sic infra

absterfli guttis.licet vtrobique alij aliter scribant. Itidem lege *si reditum tetulisset is*: quo verbo vtitur Plautus, Lucretius; & ter Catullus. Nestor vocabularius legit rettulit à verbo refero: idem. Nestor legit *ebore niceo* pro E Bereniceo, sed de his alias plura scripsimus.lege *cum Medi. Irrupere*: non prorupere. Ibi lege *Iuppiter vt telorum* cum Parthenio:vel *Chalybon*,vt Politianus.lege *Chloridos ales equus*: non equi. & lege *isque per aetherea* primo casu. Infra lege *viduulum à fletu tendenteis ad templa deum me*. Ibidem legitur *nunc vos optato qua non quis*:sed lege omnino *quas*. ideo sequentem versum lege: *Non prius vnanimis corpora*: non vincula.lege *sed quae se impuro dedit*: non in puro dedat.Infra lege *fulgeret Oarion*:vt cum Politiano antiquus codex. Infra lege *credita nunc sum*: non reddita.lege *falsum est námque illam*.& lege:*nec quaerendum erat vnde*. lege *Solam consiliis hac sua*: non Caeciliis haec tua. sic Plautus in mercatore: *Ille solus se in consilium vocat*.lege praeterea *addebat*,non ardebat.lege *cui lites intulit olim*, non qui infra dicit *facite hac charta loquatur anus*: vt infra *& qui sis fama loquetur anus*:saepe námque papyrum nominat,vt forte per patroam virginem chartam intellexerit, vt alias latius. lege *infelice sepulchrum*: non sepultum. est enim appositio in hoc versu: obscoena vltimam producit non tantum per pentimemerin,quàm ratione consonantium sequentis dictionis:vnde miror quosdam me carpentes:quod in priori editione.ego,vt inquiunt, syllabarum librator non emendarim: *propontida trucémque ponticum sinum*:propontidem.caeterum emendent ipsi haec hemistichia Catulliana *per impotentia freta*:*vltima Britannia*:*accepta frustra*:*nefaria scripta*: *gelida stabula*: & hunc de quo agimus: sed de his nimis multa. Antiqui codices habent *Peneum prope Cyllenaum*:quod non displicet: quia est & Peneus in Arcadia.Parthenius legit *Peneum propter amoenum*:forte legendum est *Pheneum prope Cyllenenm* ex Strabone & Nasonis versu:*Est lacus Arcadia Pheneum dixere priores*:si legeris, vt antiqui habent:*Suscitat & cano vulturium capiti*:dic per vulturium bonum omen innuere ex Romuli vulturibus.lege *compar qua multo*. lege *quamquam pracipue*. ibi dicit Cupidinem crocea indutum tunica,qui alibi nudus describitur.lege *non vllam rarae*: non autem illam. infra lege *Si cui iure bono sacer alarum obstitit hircus*: ab aliis vel sensus vel metri ratio corrumpitur. lege *qui potis est*: non quis. ille versus:*Desine de quoquam* est principium tetrastichi in Rufum. Infra possumus legere: *O dy reddite mi hoc*.ac etiam:*O dy hoc reddite mi*. lege *si tria natorum*:alludit ad ius trium natorum. lege *Illa te mulso labra notare*:non illo.sic supra:*sed identidem omnium ilia rumpens*.lege *qui tibi nũc cordi*:qui scilicet Pisaurensis. Infra lege *eripere bei noli*. vel etiam ei prima producta: sic Lucretius meus e producit in ei: eodem fidei rei: sequens carmen illud est:de quo Quintilianus, quod scripserunt Pontanus, Parthenius, & Politianus. hic vtitur aduerbio postilla,quo Plautus in Menechmis & Cassina.Infra lege *Recta est:hac ego sic*:adde sic.Infra *nulla potest mulier*: est principium tetrastichi. Infra lege *haud posse à turpi*:ibi legerem *quod te non noscem*. lege *culpa esse*: non est.Infra lege *nec scire vtrum sis*:non *si orem* &c.lege *albus an alter homo*: vt ex Parthenio edidici:quod vbertim declarat Beroaldus vir ob multiiugam eruditionem apud doctos primi nominis:idem Parthenius per Aonios specus in Mallij nuptiis liberum antrum intelligendum docuit.lege infra:*moechatur mentula certe*: vbi Firmanum cognomento mentulam intelligit. Infra lege *vtrum os an culum ipse olfacerem*:adde *ipse*. Infra lege *ploxeni*:non ploxeni.lege *commista*:id est sordidae.sic Plautus in Mustellaria vocat capram commistam:id est foedam.infra,vt dixi:lege *absterfli* non abstersi:alius enim est sensus.Infra lege *pipleum scandere montem*:vbi nil obscoenum intelligit,sed Firmanum Salium malum poëtam. praecedens pentametrum in Lesbiam est:supra lege *me vnum esse inuenies*. lege *cum puero bello*. lege *optantique: & contigit vnquam insperanti*: vt stet versus.lege *aeternum hoc sancta*:non alternũ. lege *saltum laudemus dum tamen*: non saltem dum modo. lege *tot bona possideat*:non tot modo: legerem *venante requirens*:& *mittere musca*.

Quod autem noster ille ex priapeiarum auctoritate credat in Faleco endecasyllabo posse abuti prima sede. Cedo interim Nasonem vel si mauis Maronem(meo quidem iudicio fuit multorum poëtarum farrago)alium à Spondaeo pedem vsurpasse:num tandem sibi tantum arrogabit: vt autumet pluries sibi licere quod semel Ausonio,semélque priapeiarum auctori placuit.

Hieronymus Auantius nobilissimo adulescenti Iacobo clarissimi Georgij Cornelij filio felicitatem.

Dii te ament Iacobe merum Corneliorum exemplar: Ioannes Tacuinus Corneliae familiae addictissimus obseruantissimúsque me tuo nomine rogauit, vt emendationum in Catullum (quas denuo obseruarim) te certiorem reddam: pareo quam libentissime. Nam cum plurima ad te & amandum & venerãdum identidem me adhortentur, vel ex hoc te, ornatissimúmque fratrem Marcum admiror, quod doctrinarum studium tanto amore amplexamini, vt vix adulescentes cum affluentibus opibus natale id solum deserueritis. In quo nil magis suspicimus,quam insignes Corneliae gentis imagines auitámque gloriam,ac meritissimam praeclari parentis auctoritatem. Maluistis nobilissimi adulescentes scientiarum potius quam maiorum splendore decorari, dulcissimo quarum haustu in dies humaniores spectatiorésque euaditis: O felicem Platonis testimonio aetatem nostram, in qua viri principes in probas disciplinas sedulo incumbant, sibique earundem professores amore obsequiis ac contubernio deuinciant. Vos enim Nursius ciuis meus, ac Bartolomeus Merula viri eruditissimi vt totidem Mecoenates agnoscunt celebrántque. Macte igitur Iacobe insignis, & Corneliorum glorentiam(quae tibi per maiores tuos dudum florentiam) reseruata est peculiaritissima ac integerrima reseruata est

bus virtutibus ac incepto scientiarum itinere obserua. Sic enim optimis votis tuis benigna fortuna subscribet, subsignabitque. Vale: & Auantium, qui Corneliam domum colit, dilige.

Fortasse ornatissime Iacobe versus ille: *Si qui forte mearum ineptiarum*: cum duobus sequentibus subsequi debent illum versum: *Legistis male me marem putastis*, lege *cui nil est: homo bellus inquies est*, lege *quos tu negligis*: non quæ. lege *non assis facis oblitū lupanar*: à verbo oblino. Vix infra lege *villa: malam quod pectore expuli tussim*. Si legeris *Meus carmina explicasset*: lege in præcedenti versu *cui*: non qui. lege *quædam, inquit, nitidum sinum reducens*: quidam codex in Epithalamio Mallij habent *nutriunt in honore*: non amore, nec humore. & habet: *quis deus magis ambitu*: non magis optimis: nec magis, ac magis. lege *lenta. qui velut*: non quæ. In hoc Epithalamio plures versus de- A sunt: plures repetendi sunt: plures inuersi: quo omnes nunc sequestro. Infra. lege *cauent quo vincere par est*. In prima Elegia. lege *haud in tempore longo*: non aut. Si legeris *Iuppiter vt tristi*: syncopa est pro triuisti. lege *adiutaris*. lege *maxima natu* à no. nas. quidam codex habet *Verum isti populo dent mala multa dei*: *Qui quacunque* &c. Et habet: *Ne quærendum aliunde foret*. lege *In te si in quenquam*: non si quicquam. lege. *Dicas omnino*: non discas. lege *præconem qui videt esse*. lege *aut magis esse optandum*. Quid si legeris: *aut non promissa pudicæ Aufilena fuit Sedaba corripere*. lege *Firmanus saltus*. non salius, loquitur enim de saltu B Firmano cuiusdam mali poëtæ qui dicebatur mentula. Sic primo emendauimus *saltum laudemus dum tamen ipse egeas*. lege *maximus borum*: non vltra. lege *mentula magna nimis*, non minax.
Iterum bene vale.

FINIS.

Digitized by Google